Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ecclesiastica historia, integram Ecclesiae Christi ideam, quantum ad locum, Propagationem, Persecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Haereses, Ceremonias, Gubernationem, Schismata, Synodos, Personas, Miraculas, Martyria, Religiones extra Ecclesiam, & statum Imperij politicum attinet, secu[n]dum singulas Centurias, perspicuo ordine complectens: singulari diligentia & fide ex vetustissimis & optimis historicis, patribus, & aliis scriptoribus congesta ...

https://hdl.handle.net/1874/456724



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

H. fo.
304





guine peccatoꝝ. Inpeccatoꝝ morientiū sangui
ne iusti Lauantur manus · quia dū eoꝝ pena
conspicatur conspicientis uita mundatur;
Sequitur. ℣ Et sibilabit supillū intuens
locū eius · Quid insibilo nisi intentio animaꝝ exp̄mit.
Si uero insibilo fortasse alia significatio que
ritur, moriente peccatore hii qui interitum
eius aspiciunt os insibilo stringunt. Dum
adeaq; contēpserant uerba spalia cōfuerunt:
ut iam credere et p̄dicare incipiantq; prius
dū iniquum florere cernerent nō credebant;
Nam fit plerumq; ut infirmoꝝ animus eo
magis de audita ueritatis trepidet · quo
florere contēptores ueritatis uidet. Sed dū
iusta ultio iniustos subtrahit · alios a ueritate
conpescit · Unde et p salomonē dr̄. Multato
pestilente sapientior erit parulus; Uirgatur

gatur audire p̄ceptū noluit · audiunt dolore;
Dolor ergo in precepto fingitur ei · qui a malis
opib; quasi precepti uice dolore cohibetur;
De his uero quos dampnant flagella nō libant
dr̄; Percussisti eos nec doluerunt · adtriuisti
eos · et renuerunt accipere disciplinā; his
flagella ab hac uita inchoant · et in eterna
p cussione p dur[illegible]. Unde p moysen dn̄s dic;
Ignis exarsit al[illegible] et ardebit usq; ad in
ferū deorsum; [illegible]ū ad p̄sentem et eni
p cussionē spec[illegible] dicitur; Ignis exarsit
ab ira mea; Q[illegible]ro ad eternā dāpna
tionē · apte m[illegible]tur; Et ardebit
usq; ad inferos c[illegible] licet aquib; dam
dicat solet illud [illegible]rptum ē; Non iuro
cat dn̄s bis in idipsum; Quamen hoc quod
p ppham de iniquis dr̄ non adtendunt ·

Historia Ecclesiastica
Folio n.° 304.

Ub mf weeb nompenemur : Stcqfte.

N 101. b.

ECCLESIASTICA HISTORIA, INTEGRAM ECCLESIAE CHRISTI IDEAM, QVANTVM AD LOCVM, Propagationem, Perſecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Hæreſes, Ceremonias, Gubernationem, Schiſmata, Synodos, Perſonas, Miracula, Martyria, Religiones extra Eccleſiam, & ſtatum Imperij politicum attinet, ſecũdum ſingulas Centurias, perſpicuo ordine complectens: ſingulari diligentia & fide ex uetuſtiſsimis & optimis hiſtoricis, patribus, & alijs ſcriptoribus congeſta:

Per aliquot ſtudioſos & pios uiros in urbe Magdeburgica.

Quo opere nullum aliud ab Orbe condito, eiuſdem quidem argumenti, Reipub. Chriſtianæ & utilius & magis neceſſariũ, in lucem eſſe editum, æquus atq; ſinceri iudicij Lector uel ex Præfatione, qua etiam contexendi huius cauſæ exponuntur, adiectaq; in primis hiſtorici operis Methodo ac ſingulorum capitum metis generalibus, facilè deprehendet.

Acceſsit etiam cùm Rerum uerborumq; in ſingulis Centurijs præcipuè memorabilium, tum Locorum Scripturę explicatorum copioſus ac geminus INDEX.

BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum. 1559.

LECTORI S.

Passim hoc seculo plurimi fuci proueniunt, qui alienos labores sine fronte rapiunt, suosq; faciunt. Id ne nobis quoq; accidat, significandum duximus, nos ipsos, qui hoc Opus historicum iam in lucem damus, in hoc esse, ut in Germanicam transfundatur linguam: & in eo negocio quotidie progredimur. Rogamus igitur omnes amanter, ne nobis quæ nostra sunt abalienentur. Nouit enim unusquisq; præceptum Dei,

Non furtum facias. Vale.

INCLYTIS ET POTENTISSIMIS *REGIBUS ET DOMINIS, D. CHRISTIANO, ET D. FRIDERICO CHRISTIANI FILIO, Daniæ, Norvegiæ, Gothorum & Henetorum Regibus, Ducibus in Schlesuuick & Holsatia, Dominis Ditmarschorum, &c. Comitibus in Oldenburg & Delmenhorst, &c.*

ET

INCLYTO AC POTENTISSIMO REGI AC DOMINO, D. MAXIMILIANO REGI BOHEMIAE, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ ac Silesiæ, &c. Marchioni Moraviæ, &c. Comiti in Tyroli, &c.

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS,
S. & G. *per Christum.*

ANATICOS & obcæcatos quosdam homines subindè excitauit Diabolus, qui res ueras, utiles, maximasq; in Christiana religione tetris figmẽtis & philosophicis nugis, ex cæcis & deliris hominum mentibus natis, fœdè commacularent & obscurarent. Deinde & barbaricas quasdam scholarum ac librorum uastationes, per peregrinas & feras gentes non raro exercuit. Qua quidem in re hostis ille generis humani nihil quæsiuit aliud, quàm ut pro suo in Deum hominesq; odio atq; furore, ueritate cœlesti subtracta, horrendos errores ad Dei ignominiam, & hominum perniciem miseris hominibus instillaret & propagaret. Hosce igitur conatus ut Deus reprimeret, luménque suæ ueritatis, saltem inter aliquos homines spargeret ac retineret, nec committeret ut omnes quasi pelago quodam mendaciorum, præstigiarum ac tenebrarum suffocarẽtur: & scribi uoluit historias, & eas sæpè ueluti ex incendio publico eripuit & asseruauit. Quod beneficium Dei ingens profectò est, ac meritò summis laudibus celebratur. Nam planè beluina hominum uita foret, si prorsus esset ignara omnium antè actorum, cunctaq; in obliuione summa, tetráque confusione & caligine sepulta iacerent. Quomodo enim uel Deus ob miranda beneficia, quæ toti contulit humano generi, celebrari posset, si non ex historia constaret, de essentia, uoluntate, operibus & beneficijs Dei? Vnde exempla fidei, uirtutum & uitiorum sumerentur? Vnde pœnarum atrocitas patêret, quæ comita-

ri ſolet atrocia delicta? Immò, ut homines res geſtas in toto mundo ſcire, memoria tenere, ac celebrare, rectéq; annotare & deſcribere: ut denicq; initia rerum omnium, incrementa & fines teneri poſſent: condidit Deus ſolem & lunam, pulcherrima cœli lumina, atque hoc eis officij inter alia deſignauit, ut diurnum, menſtruum, anniq; ſpacium certo & illuſtri ambitu metirentur, hominibusq; ceu indices aut gnomones monſtrarent. Abſq; hiſtoria, nec articulus de Meſsia potuiſſet retineri. Diuinitùs enim erat prædictum, non modò collapſo tregno Iudaico, ſed in quarta inſuper monarchia CHRISTVM uenturum, & ſublato peccato iuſticiam æternam paraturum eſſe.

Etſi autem Ethnicæ quoq; hiſtoriæ ſuos habent uſus, præſertim ad ſecundam Decalogi tabulam pertinentes, cuius quidem multa ac illuſtria exempla in conſpectum proponunt: tamen ſacræ hiſtoriæ totius Decalogi exempla multo euidentiora & luculentiora deſcribunt, atq; de alijs quoq; religionis partibus, quarum cognitio ſummopere eſt neceſſaria, genus humanum præclarè commonefaciunt. Ethnicæ narrationes nihil de Deo rectè norunt, de initijs mundi & rerum priſcarum nihil explicati aut certi habent: ignorant hiſtoriam primorum hominum, patefactiones de Deo, promiſsiones de Meſsia, gubernationem & conſeruationem Eccleſię: ſed tantum, ut dictum eſt, exempla continent ſecundæ Tabulæ, eáque ualde manca, tenuia & polluta, non rectè ad Dei iram aut miſericordiam relata. Nam & rectore ſpiritu ſancto, & fide fuerunt deſtituti illi ipſi, qui inter gentes aliquibus politicis uirtutibus fulſerunt. At ſola hiſtoria ſacra illuſtrem ac dulcem ueritatis diuinæ radium fulgoremq; in genus humanum ſpargit. indicat nõ caſu, non radijs ſolaribus ex luto, ſicut mures ex gleba putrida, (ut olim quidam ſunt philoſophati) natos eſſe homines: ſed ſingulari Dei conſiliõ, & mirabili potentia. Monet de lapſu hominis, de promiſſa liberatione per Meſsiam. Indicat, quæ fuerit uera Eccleſia, & quæ falſa: quod Adam cum poſteritate Seth fuerit cœtus, in quo Deus habitauit, quiq; Deum rectè coluerunt: Cain uerò cum ſua poſteritate, degenerarint ac defecerint, magis potentiam & opes in hac terra expetentes, quàm ueram Dei cognitionem, eius fauorem ſeu remiſsionem peccatorum, uitamq; æternam. Docent ſacræ hiſtoriæ, ad Abrahamum, eiusq; poſteritatem, & deinde ad Dauidem fuiſſe diuinitùs alligatam promiſsionem de ſemine uindicaturo genus humanum, ex triſtiſsimo Diaboli ac mortis ſeruitio & carcere. Proponunt item illuſtria miracula Dei, quibus ſuam doctrinam confirmauit, Eccleſiam ornauit & conſeruauit: qualia in nulla alia gente unquam ſunt edita. Deſcribunt, quando Meſsias uenerit, quomodo exhibitus ſit, quæ eius doctrina & actiones fuerint: quanam

nam ratione, nempe paſsione & obedientia ſua redemerit totum genus humanum: quòd omnia quæ ab initio mundi de eo prædicta fuerant, impleuerit: quomodo miniſterio, olim quidem patriarcharum, deinde Prophetarum, & poſtremò Apoſtolorum, Euangeliũ iucundum ſalutareq́ nuncium, per totum terrarum orbem ſparſerit, & adhuc ſpargat, & uocet homines ad ſocietatem uitæ æternæ. Ponunt quaſi ob oculos præmia bonorum, & pœnas impiorum, tam hypocritarum ac contemptorum, quàm perſecutorum, omnibus ætatibus.

Exempla uerò ſimul & documenta uerarum uirtutum in utraq́ Tabula, multo ſolidius & illuſtrius in ſacra quàm Ethnica hiſtoria commemorantur: ut agnitionis Dei, timoris, pœnitentiæ, fidei, inuocationis, conſtantiæ, patientiæ, confeſsionis, obedientiæ, caſtitatis, beneficentiæ, ueritatis, & ſimilium. Narrant & pœnas grauiſſimas, ob peccata atrocia inflictas. Immò ſacræ hiſtoriæ iſtas publicas clades, quarum quædam etiam ab Ethnicis recenſentur, rectè accommodant: & exponunt cauſas, quare Deus homines tam duris pœnis afficiat. Pingunt item multis exemplis uitam Chriſtiani hominis, quem ille plerunque curſum in hac miſeriarum ualle habere ſoleat: quomodo à Satana, mundo, & ueteri Adamo concutiatur, exagitetur & turbetur: & qua eum contrà in omnibus illis quaſi tẽpeſtatibus, pia prudẽtia, & ceu nauigãdi arte uti neceſſe ſit.

Poſtremò hiſtoria ſacra commonefacit de fine mundi, deq́ futura piorum uita, ac lætitia & gloria: & uiciſsim de impiorum æterna abiectione & damnatione, etiamſi multi eorum in hoc miſero & calamitoſo mundo aliquandiu uideantur florere.

Hæc non ideo commemoramus, ut cuiquam hiſtorias Ethnicas, eruditè & accuratè ſcriptas, prorſus è manibus excutiamus: ſed ut expendat lector, multis modis ſacras excellere, ac non modò plenius, ſed etiam uerius & diſertius omnia referre. Etſi autem ſacræ uidentur profanis hominibus aliquanto horridius deſcriptæ, minusq́ ad hominum affectus attemperatæ, quàm Ethnicæ, quæ flumine quodam orationis iucundo & copioſo ornatæ ſunt: tamen ſyncera ſimplicitas Spiritus ſancti, grauitas, & rerum natiua copia, atq́ neruoſitas, haud dubiè piis pectoribus, rectèq́ conſiderantibus, longè maiorem non modò delectationem, ſed etiam uberiorem ac ſtabiliorem utilitatem adferunt.

Agamus itaq́ Deo æterno patri Domini noſtri IESV CHRISTI gratias, qui in monumentis Moyſi & reliquorum prophetarum, perpetuam inde à condito mundo hiſtoriam uſq́ ad CHRISTI aduentum, ac deinde per Apoſtolos reliquam contexi uoluit: & hoc theſauro gratis pectoribus fruamur.

Quæ autem poſt Apoſtolorum tempora ſunt ſubſecuta, utinam

paulo accuratius, plenius, meliorí'q; fide annotata atq; commemorata fuissent. Reliquias tamen, quantascunq; adhuc habemus, fouere, explicare & magnifacere nos decet. Legimus, sapientes Reges apud Ethnicos aluisse doctos & præclaros uiros, qui res suas gestas commoda & ornata oratione describerent. Id uerò multo magis pios & præstantes Imperatores, Reges ac Principes decebat, ut omnibus ætatibus uiros pietate, fide ac doctrina, iudicio & eloquentia præstantes alerent, qui historiam Ecclesiæ ipsius IESV CHRISTI, uerè, purè, integrè, literis memoriæq; mandarent. Verùm hæc est postremi temporis siue infelicitas, siue calamitas, ut parum in hac re sit hactenus præstitum & elaboratum: & nunc etiam alijs curis, affectibus ac rebus aliò potentiores abripiantur.

Quæ in usitatis historicis pñ omnes desiderent, in Præfatione communi indicamus. De nobis uerò, nostro'ue hoc conatu, nihil aliud affirmamus, quàm nos in summa paupertate, rerũq; inopia, magnum Opus, & uires nostras longè exuperans, exorsos esse: idq; tantum eo fine & consilio, ut ex certis, siue authenticis & probatissimis autoribus, passim colligeremus ea quæ ad historiam Ecclesiasticam potissimum pertinere, & cum singulari aliquo auditorum fructu recenseri posse uidentur: haud aliter, ac si fractas tabulas ex naufragio undiquaq; maximo studio colligeremus.

Eam operam, si dicamus Reges ac Principes propter sumptuum & laborum amplitudinem debere adiuuare, quia in commodũ Ecclesiæ fit, quicquid fit: existimamus nos id iurè, honestè & piè facere. Speramus etiam pios, bonos, ac prudentes Principes, re perspecta, in posterùm adulatores aulicos, qui sibi potius prædam captantes, eiusmodi bonos conatus uel aspernantur fastidiosè, uel calumnijs tetris aspergunt, ac cõculcant insidiosè, (quam ad rem quidam obtrectatores improbi ac maledici scurræ flammas suggerunt) nõ audituros, sed rectius & dexterius de hoc nostro instituto opere iudicaturos esse: memoresq; officij sui futuros, ob quod à Scriptura Ecclesiæ Dei nutricij appellantur.

Vobis autem, Reges sereniſsimi ac potentiſsimi, hunc primæ Centuriæ primum librum offerimus & dedicamus, eam ob causam: quia Regis æterni, ipsius Domini nostri IESV CHRISTI, cuius uos munere beneficioq; regnatis, historiam, ab ipsius incunabulis, usq; ad glorioſam in cœlum ascensionem, atq; ad dexteram ipsius Dei collocationem, recitat, atq; exponit. Libenter autem Reges amplissimorum Regum historias cognoscunt. At huius Regis potentia ac res gestæ eiusmodi sunt, quæ splendore, maiestate & fructu omnium hominum facta excellunt. Est enim is Rex, qui Reges uos fecit in his terris, cui regiminis uestri tãquam supremo regi rationem aliquando reddetis: immò qui reges peccati, mortis

atq;

atq; inferni efficit, atq; in æternum regnũ in se credentes traducet: & econtrà, se abnegantes, sibi'ue Regi suas portas aperire nolentes, æterno exitio immerget.

Erit igitur uestræ Maiestati proculdubio gratum simul & utile hoc Opus, etiam propter hanc ipsam causam, quòd normam rectissimam iudiciorum, in plurimis arduis negocijs, præsertim uerò religionis, suppeditabit. Cum enim Reges præcipuè ob hanc causam in hoc fastigium rerum humanarum sint positi, ut non modò disciplinam ac pacem tueantur legitimis iudicijs & pœnis: uerùm etiam in primis, ut religionem purè & integrè, ab omnibusq; corruptelis & sectis separatam proponi curent: ac regnum CHRISTI potissimùm sub ipsorum umbra emineat ac floreat: ideo hæc CHRISTI historia (non tantum miracula, uti aliorum quorundam, sed etiam doctrinam ipsius, methodo quadam mediocri industria & diligentia, summa cura & fide congesta, proponens) normam poterit iudicij præbere, ac grauissimas quasq; controuersias ostensa ueritatis norma, ueterumq; iudiciorùm sententia, explicare.

Fascinant multos præstantes uiros, potissimum autem eos qui ad gubernacula rerum politicarum collocati sunt, quidam uersuti & callidi præstigiatores, persuadẽtes eis, antiquitatem multis manifestis corruptelis, deprauationibus, idololatrijs ac superstitionibus patrocinari. At si istorum gloriationes inanes reuocentur ad antiquitatem, quam monumẽta sacra exhibent, dexterius ac magis perspicuè dijudicari ac dinosci res Ecclesiæ possunt.

Etsi autem nos istum preciosissimum thesaurum pro dignitate ornare nõ potuimus: tamen gemmam, quod ad res ipsas attinet, uobis offerimus, omnes diuitias huius mundi excellentem: quantumuis exigua charta, ac oratione tenui, quasi auro ignobiliori, quod tamen gemmæ nihil detrahit, uestitam. Ac rogamus uestras Maiestates, ut pijs pectoribus accipere, regnumq; CHRISTI fouere, promouere, atq; ornare: & econtrà turpissimas præstigias Antichristi fugere, execrari ac abolere, & denicq; hunc pientissimum utilissimumq; conatum nostrum adiuuare & tueri dignemini.

Bene in Domino IESV, in quo omnes uiuimus, agimus, & mouemur, ualete.

R. V. M. S.

Mathias Flacius Illyricus.
Iohannes Uuigandus.
Matthæus Iudex.
Basilius Faber.

PRAEFATIO IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM, CAUSAS CONTEXENDAE HISTORIAE, ET COMMEMORATIONEM utilitatum, & deniq; quandam ipsius scriptionis formam atq; rationem seu Methodum continens.

Temerarium & arrogans uideri potest alicui, non dextrè iudicanti, quòd historiam Ecclesiasticam nobis scribendam sumpserimus, nõ aliter quàm si post Homerum Iliada auderemus contexere. Extat enim Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, Vincentius, Martinus, Nauclerus, Sabellicus, & alij propemodum innumerabiles, qui res Ecclesiæ uidentur satis bene esse complexi. Sed quo id consilio, quáue necessitate sit factum, æqui & prudentes lectores paululum animum attendant. Omnes docti homines, sanó que iudicio præditi, & res ipsas, ut debet fieri, paulo accuratius expendentes, haud obscurè animaduertunt: in ipso Eusebio, qui princeps reliquorũ in hoc genere meritò habetur, & in alijs quoque, qui in eadem materia uersati sunt, plurima, & quidem ea omniũ potissimùm quæ in historia sacra Ecclesiæ Dei, uel omnium maximè eminere, & quasi astra quædam lucidissima fulgere debebant, uel omnino, uel magna ex parte desiderari: lectoremq; pium & attentum non percipere inde omnino eos fructus, quos quærebat. Primùm enim nihil dicunt illi historici de doctrinæ forma, quæ quolibet seculo in Ecclesia Christi extiterit. Iurè autem hæc pars uel principem in Ecclesiastica historia locum obtinet: siquidem præcipua nota & cor ueræ Ecclesiæ existit. Imò ne illi ipsi quidem historici, uidentur satis bene doctrinam hanc cœlestem intellexisse. Vt enim de alijs nihil dicamus, Eusebius certè Christianum hominem lib. 1. cap. 4. ita definit, ut si absit cognitio Christi, quam ei tamẽ (sed ualde obscurè) tribuit, prorsus uideatur Ethnico more uirum honestum, ut facit Cicero in Officijs, describere. ait enim, Christianum esse uirum, qui per Christi cognitionem ac doctrinam, animi moderatione & iustitia, continentiaq; uitæ, & uirtutis fortitudine, ac pietatis confessione erga uerum, unum ac solum omnium Deum excellit. Ista primùm nimis generaliter dicuntur: deinde, nihil de regeneratione, nihil de fide, de qua tamen toties Christus & Apostoli cõcionantur, exprimit: & ad illam Philosophicam cardinalium uirtutum enumerationem, quæ sunt, Modestia, iustitia, temperantia, fortitudo, magis alludit, quàm ad Decalogi seriem: neq; obscurè significat, ad id tali homini notitiam Christi eiusq; doctrinam solum prodesse, ut uirtutibus possit excellere: nihil de remissione peccatorum atq; imputata iustitia per fidem in Christum dicit, quæ est quasi ipsissima Christiani hominis forma: uirtutes autem seu bona opera sunt fructus ex iustificato homine promanantes, ut docet Christus, Apostoli, & uniuersa sacra Scriptura. Ne uerò quis hic respiciat iudicij æquitatem & moderationem (ut solent quidam, nimis lenes & bonos interpretes, etiam cum ueritatis iactura, sese præbere) sed integrum potius historicum Eusebij corpus aspiciatur: ex quo patebit, eum non satis perspicuè articulum Iustificationis, qui in doctrina Christiana summus est, uel intellexisse, uel explicuisse.

Secundò: Quæstiones Ecclesiasticas, & controuersias de rebus grauissimis, non proponunt paulò lucidius & integrius, uulgares & recepti illi historici:

rici: ut lector Christianus, rei scopum & fundamẽta aliquo modo possit mente concipere & dijudicare. Non rarò ita incertum dimittunt lectorem, ut qua de re fuerit disceptatio, seu quid ab Ecclesiæ doctoribus sit definitum, ægrè diuinari possit.

Tertiò: de hæresibus, quibus Ecclesiæ Christi laceratæ sunt, ita frigidè & obscurè differunt, siccoq; omnia (quod dicitur) pede transiliunt, ut quæ fuerit doctrina hæreticorum, uix ueluti per transennam, interdum etiam omnino nihil de eis conspicere possis.

Quartò: parum annotant, qualis tum ceremoniarum ratio atq; uariatio in omnibus locis, quid cur uel abrogatum uel institutum sit.

Quintò: de gubernationis forma, qua Ecclesiæ ministri passim usi sunt. quid uspiam ex professo in ijs dici uideas? Imò tam rarò hæc pars interspergitur, ut colligere in unum quantumuis attentus lector non possit.

Sextò: tantum sunt personales, ut sic dicamus, historici. Plurimùm enim occupati sunt in describendis & laudandis personis. Commemorant, qualis ac quàm sanctus uir quis fuerit, quàm mirabilem uitam duxerit, quàm multum ieiunarit & orarit, quæ miracula uiuus aut mortuus fecerit: quorum tamen nonnulla, an sint ueritati consentanea, non præter rem ambigitur. Non ibi dogmata, non certamina perspicuè exponuntur.

Septimò: confusius paulo pleraq; contexunt. Frustulatim enim ferè omnia recensent, hic partem, illic rursus aliam partem recitantes: quæ res & iudiciũ & memoriam legentium impedit.

Præcipua igitur luce ac neruis historiæ Ecclesiasticæ multis in partibus, autores illi superiorum ætatum uel omnino destituuntur, uel certè non satis explicatè & perspicuè lectori res grauissimas proponunt. Sed fortè nimis horridi & iniqui censores historicorum Ecclesiasticorum, & alienarum operarũ, iudicabimur. Verùm cum plurimi docti & graui iudicio præditi uiri sic existiment, non debet id nobis uitio uerti, quòd magis ipsorum rectam dijudicationem, quàm nostram opinionem secuti sumus. Habent sanè illi historici quoque suam laudem, & gratis animis hoc beneficium amplectimur & prædicamus: quòd tamen aliquam Ecclesiæ historiam ab ipsis acceperimus, uiuãt maneantq; ipsorum etiam monumenta. Sed si quædam non parui momenti in ipsis desideramus, quæ quidem potuissent in illis uetustis temporibus, ubi adhuc plurima extiterunt patrum monumenta, quæ postea barbararum gentium uastationibus interierunt, inferere, nõ est hoc iniquo ferendum animo. Exigimus enim ea ad communem Ecclesiæ Dei utilitatem, quam nemo debet parui facere.

Aliquanto igitur pleniori historia Ecclesiam Christi indigere, in qua quidem ipsius Ecclesiæ idea lectori utcunq; ob oculos proponeretur, nemo est qui non uideat: & hoc, ut quæ nobis hac in parte uideantur, afferamus in medium, ista uel alia commodiori ratione.

Quam habuisset Ecclesia Dei formam in potissimis rebus, singulis seculis, ex optimis, uetustissimis & fide dignissimis autoribus demonstraretur. Primum haberet locum, in quibus orbis terrarum locis Ecclesia uera Dei suum habuerit tuguriolum. nam id propemodũ ad quæstionẽ An sit pertinet. Cum enim Ecclesia Dei uisibilis in hac terra cœtus sit, primò quòd fuerit, & in quibus terris, exponẽdum est. Affert ea res lumen personarum descriptioni, quę qualibet ætate excelluerunt: & prodest ad intelligendas controuersias. Nam inter gentes ne an Iudæos nata sit aliqua controuersia, haud parum refert.

De persecutione deinde narratio institueretur, quæ quidem externum Ecclesiæ statum describit. Attingunt & reliqui historici Ecclesiastici hanc partem,

tem, uerùm primis duntaxat (ut solet dici) labris: causas eius rei, qua ratione Deus istos impiorum & Diaboli immanes conatus represserit, & qualem finem sæuæ persecutiones sortitæ sint, & similia, non satis diligenter tradunt. Vtile autem est, Ecclesiæ hanc etiam partem nonnihil illustrare: ut manifestũ fiat, quomodo serpens ille maledictus calcaneum seminis subinde momorderit: & quomodo pij in istis aduersitatibus certauerint, quas confessiones ediderint, quæ fuerint diuinæ uel mitigationes, uel liberationes.

His externis explicatis mediocriter, interior & propinquior Ecclesiæ forma ac ratio proponeretur: nempe recitatio articulorum doctrinæ concinna & perspicua, sicuti quolibet seculo à Doctoribus fuisset proposita. Id piorum mentes uel præcipuè requirũt: estq; quasi lumen, & ipse Sol sacræ istius historię. Neq; uerò tantum, in quibus articulis fuisset docentium consensus: sed etiam quæ inclinationes in ijs, ac stipulæ, seu etiam corruptelæ, quales non paucæ singulis ferè ætatibus incidunt, per narrationem succinctam & neruosam commemorari posset.

Huic parti subij ceretur antithesis de hæresibus, commemoratio de interioribus Ecclesiæ hostibus, qui sinceram doctrinam ambitione uel inuidia impugnarunt, & tetra errorum portenta commenti sunt. Magis autem perspicuè capita seu hypotheses hæresium recensendæ essent, ut lector intelligeret, in quibus articulis hæretici ueritatem Dei labefactare conati sint: & quomodo, & qua denique ratione, qui ue pij se illis præstigijs, quoq; successu & euentu opposuerint.

Facta collatione, quæ uera doctrina tum fulserit, & quæ falsa simul pullularit aut grassata sit, inde rursus ad Ecclesiæ ceremonias redire posset narratio. Nam doctrinæ & ceremoniæ sunt coniunctæ, & ad Ecclesiæ actiones sua quadam ratione pertinent. Atq; hoc in loco uarietatem in diuersis locis, beneq; constitutis Ecclesijs, & rursus originem atq; incrementa malarum ceremoniarum cognoscere Lector cuperet.

Hisce tanquam principalib. partibus iungeretur explicatio de Politia, seu regiminis forma in ipsa Ecclesia. Nam doctrinã ac ceremonias per certas personas administrari oportet. Hic igitur personæ, gradus, officia, iudicia, & quæ sunt eius generis, recitarentur: & quomodo singulis ætatib. hac ipsa in re uariatũ esset: ubi simplex forma retenta, ubi uerò metamorphosis quædam Ecclesiastici regiminis in ciuile aut mundanũ tentata, uel etiam obtenta fuerit.

Solent inter doctores schismata quædam suboriri, quibus Ecclesia Dei admodum pernicioſè quassatur: ideo, quæ quolibet tempore, & quomodo nata sint, creuerint, sopita sint, uel manserint, narrandum esset. Monet ea res de timore Dei: & ne ex priuatis affectibus, siue ambitione, siue liuore, non necessariæ pugnæ moueantur.

Quia autem controuersiæ grauissimę non potuerunt priuatis colloquijs siue transactionibus dirimi & sopiri, ideo publicis conuentibus locus datus est: in quibus plures Ecclesiæ doctores, pietate, doctrina, rectitudine iudicij & fide præstantes, dixerunt & contulerunt sententias. Ipsæ igitur controuersiæ perspicuè, totaq; dijudicatio aliquanto exactius commemoranda essent. nam istæ actiones de plurimis rebus utiliter commonefaciunt.

Hisce maximè necessarijs expeditis, illustrissimę personæ describerentur, ita ut uera uerè de ijs ex probatissimis autoribus exponerentur, resectis ijs quæ superstitiosam recentium additionem redolerent. Attingerentur hic etiam nonnihil, quæ ad personas hæreticorum, item martyrum cognoscendas pertinent. Adderentur & narrationes quædam de miraculis, quibus Deus ornauit suam Ecclesiam. Denicq; appendicis uice, de mutationibus imperio-

rum

rum politicorum quædam subiungerentur. Nam in illis quoq; & beneuolentiæ & iræ Dei testimonia conspiciuntur. Nam in horribilibus Imperiorũ ruinis, tamen Ecclesiæ suæ reliquias conseruauit Deus, & propagauit, & tyrannorum furores & sæuitiam fregit aut euertit, & scelera impiorum puniuit.

Hęc, si singulis ætatibus accommodarentur, putamus res maximi momenti, & præcipuè ad Ecclesiam Dei pertinentes, rectè comprehendi, & cum fructu non paruo cognosci posse.

Sed hic obijcient fortè nonnulli, illam quidem rationem non esse malam: uerùm ad commentatores pertinere, non ad historicum, qui breuiter narrat res: & impingere eam rationem in leges & exempla historiarũ tam ueterum quàm recentium. Ad ista respondemus hoc modo. Est sanè inter historicum & commentatorem, ut uocant, differentia. Sed neq; in tali historia sacra, in Prophetę aut Apostoli alicuius librum commentaria aut enarrationes scribendas: sed enarrationem seu recitationem articulorum fidei methodica quadam ratione, dilucidè ponendam censemus: idq; maximè sacræ utpote historiæ conuenire iudicamus. An non actiones eorum, quos describendos nobis sumimus, commemorandæ sunt? Atqui in tali Ecclesiæ historia actiones Dei, & quidem omnium potissimum quas per suum ministerium gessit, explicandæ ueniunt. Actiones porrò illæ Ecclesię Christi in doctrina potissimùm, omnium sanorum sententia, consistunt: adeò ut mancę & mutilę sint eius generis historiæ, quæ hac parte destituũtur. In profanis historijs prolixè recitantur & ornantur præstantium hominũ dicta, gubernationis forma, leges, decreta, statuta, literæ, orationes, res gestæ, & eius generis plurima. Cur idem nõ liceret in historia Ecclesiastica facere, ubi doctrina & alia similia habẽt eandem rationem? Imò quis ita stricte legem historicæ rei posuit, ut non sit liberum exactiorẽ & utiliorem rationem sequi? Tamen in ipsis scriptoribus politicarũ rerum, tam ueteribus quàm recentibus, manifestam & luculentam uariationem, prout cuiq; idoneum uisum fuit, deprehendimus: exempla, nisi cuiuis obuia essent, recitaremus. Si igitur quædam rectius ac plenius exponuntur, idq; in utilitatem Ecclesiæ cedit, non debet peruersis criminationibus obrui.

Annorum numeros ab alijs obseruatos esse dictitant. At isti etiam iuxta hanc, de qua modò disserimus, rationem obseruantur. Quàm uerò Eusebius cæteriq; interdum diuersorum temporum res miscuerint, cuiuis mediocriter saltem in lectione ipsorum attendenti conspicuum est.

Distributio porrò rerum Ecclesiasticarum, qualem utcunq; delineauimus, prodest, ut res necessariæ bono ordine & integrè oculis lectorum subijciantur: ut memoria, iudicium & inquisitio eius adiuuetur. Confusio seu narratio uariarum rerum in historijs, potest quidem aliquid delectationis afferre curiosæ menti, sed iudicia perturbat, & memoriam: præsertim uerò eorum qui nõ possunt materias dissolutas, & uarijs in locis dispersas, simul mente cõprehendere, discernere, & ijs quæ præcipua sunt animũ atq; memoriã intẽdere.

¶ Talis autem historiæ solidius & neruosius conscriptæ, utilitates præclaræ & luculentæ sunt, quas paulo simplicius commemorabimus.

Prima est: Ideam Ecclesiæ Domini nostri IESV CHRISTI ob oculos uidere, quasi in tabula depictam, facilíq; labore complecti posse, res est per se iucunda & necessaria. Est fidei articulus, credere Ecclesiam sanctam catholicam: docet igitur historia eiusmodi Ecclesiastica, quòd omnibus ætatibus mirabili Dei clementia & potentia, ministerio uerbi diuini colligatur & consistat Ecclesia, in qua Deus est efficax: & quæ in ea præcipuè emineant, explicat & illustrat.

Secunda: Monstrat perpetuum consensum in doctrina singulorum articulorum

lorum fidei, omnibus ætatibus. Egregiè dixit Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS. Item: Si nos, aut angelus de cœlo aliud Euangelium prædicet, quàm nos, anathema sit. Nequaquam igitur articuli cœlestis doctrinæ uariant, sed sunt uniusmodi. sicut etiam præclarè Tertullianus inquit, Primum quodque uerissimum esse. Est igitur admodũ dulce pio pectori, in tali historia cognoscere, quòd hæc ipsa doctrinæ forma, quam nunc in Ecclesijs nostris ex ingenti Dei beneficio habemus, sit illa ipsa uetus, non noua: germana, non adulterina: uera, non commentícia. Hæc ad erigendam & sustentandam fidem & cõsolationem in summis conscientiæ luctis, plurimum habent ponderis atq; utilitatis. Dementant non rarò bonos & honestos uiros, antiquitatis prætextu ceu fascino quodam, homines audaces & insulsi: qui præter eum clamorem, quòd noua sint, quæ ipsorum palato non sapiant, uix syllabam norunt. Est autem iure antiquitas ueneratione digna: sed eiusmodi historia fucum & præstigias talium impostorum detegit, & pijs iudicij regulam manifestat: imò decernit, quæ doctrina cum syncera ac uera antiquitate, in primis uerò cum fundamento Prophetarum & Apostolorum congruat, quæ discrepet. Posset ea res in exemplis liquidò & luculenter ueluti digito monstrari: sed ea in ipsa historiæ lectione sponte sese offerent, & nunc breuitati studendũ est.

Tertia: Ceu digito origines & incrementa errorum & corruptelarum historia Ecclesiæ ostendit, ac regulam præbet rectè dijudicandi grauissimas controuersias, & fundamenta ipsa simul suggerit. Non rarò in hoc perdito mundo accidit, ut sicut in medicina ex insciția uenenum pro remedio apprehenditur, ita in doctrina pestiferæ corruptelæ pro ipsissima ueritate uenditentur & accipiantur: idq; tantum falso testimonio & praua opinione antiquitatis. At istis præstigijs, uerę Ecclesiæ historia uelut nubem obscurantem adimit. Hoc beneficium talis operis sanè magni faciendum est. Magni iam sunt conflictus de primatu episcopi Romani, de Missa, de adoratione mortuorum, & similium rerum: in hisce rebus iudicium rectum plurimùm adiuuabit eos, qui ueritatem rectè inuestigare atq; cognoscere cupient. In primis uerò Antichristi initia, progressus, & conatus improbos, talis historia manifestat.

Quarta: Præbet etiam iudicij recti & explicati normam in hæresib. dijudicandis. Nam subinde eædem præstigiæ Diaboli impudentissimi recurrunt. ac plurimùm ualet ad animos hominum, à seductoribus infectos, liberãdos, testimonia ueterum in medium producerè, qui eiusmodi errores ex uerbo Dei grauissimis rationibus damnauere.

Quinta: Ipsam rationem gubernationis in Ecclesia Dei, qualis ea fuerit, ueluti pingit talis historia: ut quantum iam uel retineatur à prima & uetustissima forma, in quibus uerò aberretur, liquidò scire possimus.

Sexta: Notas ueræ Ecclesiæ, quibus omnibus ætatibus solet esse conspicua, illustrat. Exemplis etiam hoc declarat, serpentem mordere calcaneum seminis: hoc est, ueram Dei Ecclesiam plerunq; cruci esse subiectam. neq; eam esse maximam aut potissimam generis humani partem, sed reliquias quasdã mediocres. Monet, quæ res omnium maximè Ecclesiam euertant: nempe affectatio regni mundani, & gloriæ eius, ocium & luxus in Ecclesiastico regimine. Hæc enim gignunt insciția in doctrina: quam comitantur prauæ opiniones, idololatriæ & superstitiones. sicut Diabolus inquit Matthæi quarto: Si procidens adoraueris me, dabo tibi regna huius mundi, & gloriam eius.

Septima: Notas etiam falsæ Ecclesiæ describit & exponit, quòd ea plerunque dominetur, & sæuitiã crudelẽ in pios, præsertim uerò serios ac synceros doctores, exerceat.

Octaua:

Octaua: Celebrat talis historia Ecclesiastica beneficium & potẽtiam Dei, qui subinde aliquos præstantes uiros ceu heroas excitare solet, quorum ministerio doctrinam synceram & ueros Dei cultus, ex densissimis tenebris, quibus Diabolus caliginem offundit istis omnibus, rursus patefacit & illustrat, sanamq; religionem instaurat: atq; ad hanc rem omnibus eos necessarijs donis instruit atque exornat, & mirabiliter contra omnium furores protegit & conseruat. Vetera & recentia exempla suo loco referentur.

Nona: Exempla recitat eorum qui non defugerunt pugnas contra omnis generis corruptelas, quiq; in persecutionibus immanissimis non adiaphorisarunt, tempori sese accommodantes, & simulatione aut alijs rationibus illegitimis & impijs placantes Euangelij hostes: sed constanter, intrepidè & planè confessiones ediderunt, ijsq; multo plus quàm cessionibus & largitionibus intempestiuis effecerunt. Mirabiliter enim Deus sanctos suos, ut ait Psalmus, ducit. Huc pertinet & hoc, quòd exempla protectionum & liberationum miraculosarum simul suppeditat.

Decima: Exempla pœnarum etiam commemorat in falsos & fanaticos doctores, adulatores aulicos, abnegatores, collusores, conformantes se ad regnum Antichristi. Deinde etiam in ipsos persecutores, siue apertos siue occultos. Est enim Deus & cordium scrutator, & ignis consumens. In primis uerò etiã hoc docet, collusiones & conformationes cum impia ecclesia, rabiose sanã doctrinã & citra finẽ intestãte, nunquã fuisse, esse, aut futuras esse felices.

Vndecima: Exempla suggerit eiusmodi historia, quòd in maximis uiris nõ modò imbecillitates communes, sed etiam turpissimi opinionum, nonnunquam etiam corruptelarum næui adhæserint: ut manifestum fiat, longè aliam esse rationem doctrinæ Prophetarum & Apostolorũ, deinde etiã excellentiũ in Ecclesia uirorũ. Doctrina Prophetarũ & Apostolorũ indubitata est: sed doctrina ministrorum Ecclesiæ, quantauis autoritate, doctrina, donis fulgeant, tamen ad normam illorum exigenda est: ac si dissentiat, iurè improbatur & rejcitur. Quod hac in parte non rarò peccetur, testis est omnium temporum experientia, quibus illud ὠὸς ἔφα plurimum damni dedit. Sunt enim homines interdum nimij admiratores præstantium uirorum.

Duodecima: Eiusmodi historia, ea quæ in monumentis diuinis de secuturis temporibus prædicta sunt, explicat & illustrat: & in primis, concionibus Christi & Iohannis reuelationibus lumen adfert. Possunt etiam ex antè actis haud obscuræ prædictiones rerum ingruentium peti, quæ res animos ad timorem Dei, pœnitentiam ac precationem accendere debet.

Decimatertia: Prodest ad intelligenda patrum scripta, in quibus interdum controuersiarum, hæresium, & aliarum Ecclesiasticarum rerũ breuissima mentio fit. Earum igitur uberior cognitio, ex hoc quasi fonte haurienda est.

Decimaquarta: In summa, est ueluti quoddam copiæ cornu omnium Ecclesiasticarum materiarum & negociorum, maxima diligentia & solertia comparatum. In quacunq; igitur religionis Ecclesiasticarumq; rerum parte quis aliquid scire uolet, inde haurire poterit.

Qui nunc hasce utilitates paruas, nullius ue momenti ducit: næ iste parum habet pietatis, aut sani cerebri.

¶ Iam porrò quæstio est, eaq; omnium difficilima, unde eiusmodi historia, quæ etsi non omnia exactissimè, attamen pleraq; mediocri iudicio ac diligentia congesta habeat, sumenda sit? Respondemus: Vtinam libri, quos ea tempora quæ Apostolos mox sunt subsecuta, puri & integri haberentur: fortassis etiam scriptionis labore supersedere liceret. Præsentia igitur boni consulenda sunt. Extant aũt adhuc, ex Dei bonitate, mediocria ueterũ monumẽta, præser-

tim patrum commẽtaria, & hiſtorici quidam, inter quos uetuſtiſsimi iure ſibi primum gradũ uendicant. ex iſtis putamus, diligenti inueſtigatione & collectione quaſi micarum, qualecunq; opus poſſe comportari. Eruuntur etiam in hoc Euangelij flore paſsim antiquorum libri, qui utinam tales offerrentur, quales fuerunt olim: nec ſecum aliquid fecis ex deprauatione, ſiue ueterum quorundam ſuperſtitione dementatorum, ſiue etiam recentium ſuis quibuſdam morbis laborantium, afferrent. Præter autem librorum copiam non modicam, etiam requiri homines induſtrios, doctos, ſagaci & recto iudicio præditos, laborum tolerantes, & mediocriter facundos: & ſumptus neceſſarios tum pro libris comparandis diuerſis ex locis, tum pro operarijs illis: nec ſufficere unum tantum, uerùm plurium operas certa ratione iungendas, non difficile eſt uidere.

Facilimè autem in aliqua Academia, ubi & doctiſsimi homines multi ſimul cohabitant, & in exercitijs quotidianis uerſantur, dignitate quoque & autoritate excellunt, eiuſmodi hiſtoriam contexi potuiſſe, & id manifeſtum eſt. Verùm qui labores maximos & grauiſsimos ſubiret, & nihil uel parum in de præmij haberet, nemo fuit. Nam ij ſunt potentium mores, ut in canes, uenationes, potationes, conuiuia, ueſtitus, luſus, aliasq; res leues profundant omnia: ad iuuandam uerò miſeri CHRISTI hiſtoriam, quouis pumice aridiores ſint. Præterea quilibet eorum qui ad promouendos eiuſcemodi conatus plurimùm potuiſſent, negociorum molem cauſati ſunt.

Tandem igitur ad nos uentum eſt, qui, quod abſq; aliorum indicatione ipſimet agnoſcimus, & ingenuè profitemur, omnium minimè ad rem tantam ſuſcipiendam idonei fuimus, & adhuc ſumus. Noſtro enim nos pede metimur, & amplitudinem tantæ rei mediocriter perpendimus: & fortaſsis aliquã to rectius, quàm naſuti quidam irriſores & diaboli: qui cum ad eam rem nobis proſint nihil, tamen à ſubſannationibus amarulentis non abſtinent. Vt autem illi magnifici, perfecti & abſoluti homines, noſtram modeſtiam amplius agnoſcant: clarè affirmamus, & ex animo, id quod res eſt: nos potius delineationem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ qualemcunq; tentaſſe, quàm integram & omnibus numeris abſolutam ſcriptionem. Occaſionem inſuper alijs præbere uoluimus, qui perfectius & melius quiddam gignere uel uolent, uel poterũt. Si quid autem Eccleſiæ Dei profuturi ſumus noſtro labore ſanè non exiguo, uti ſperamus, rogamus ſupercilioſos omnes, ne id iniquo ferant animo.

Librorum copiam, etſi non habeamus ſummam, tamen hoc felici ſeculo literario mediocres extant: & rogamus pios uiros, ut quos iudicant ad eam ſcriptionem prodeſſe, nobis uſui dare non grauentur: bona fide reddendos, data eius rei gratia cautione.

Ratio & forma tractationis, quia glacies iſta nondum erat ab alijs ſecta, plurimum nobis laboris peperit. Ordo enim bonus & appoſitus, non modò lucem hiſtoricæ narrationi adfert, ſed etiam iudicium in rebus intricatis & graueiſsimis, & memoriam earundem adiuuat. Viſum autem eſt commodiſsimum, ſingula rerum factarum ſecula diſtribuere: eaq; ratione quolibet libro centum annos, unde Centurias appellamus, complecti. nam tot annorum de curſu plerunq; maximæ in Eccleſia mutationes acciderunt. Reliquas uerò res quindecim capitibus conati ſumus comprehendere, tanquam certis claſſibus: tum ut res ipſæ rectius narrari poſſent, nec facilè nobis elaberetur quod ad rem aliquid uidetur facere, tum ut in quolibet libro idem ordo & eadem ratio obſeruaretur. quæ non modò ad inquirendas res quaſcunq; eſſet facilima, ſed ad memoriæ imprimendas, in eaq; retinendas accommodatiſsima: quæ de re etiam ſuprà quædam ſunt dicta.

Sunt

Sunt autem ista capita hæc: De loco & propagatione Ecclesiæ: De persecutione & tranquillitate eius, pœnisq; persecutorum: De doctrina, eiusq; inclinatione: De hæresibus: De Ceremonijs diuersis in locis: De gubernatione Ecclesiæ: De schismatis: De concilijs: De personis illustribus in Ecclesia: De hæreticis: De martyribus: De miraculis: De rebus Iudaicis: De religionibus extra Ecclesiam: De mutationibus politicis Imperiorum. Hisce omnibus unum proponimus, quod propositionem seu argumentū continet. Nec mutatur ista ratio in Centurijs. Longius ista nonnihil persequeremur, sed uisum est Methodon nostrā, quam sequimur, mox huic Præfationi integrè subijcere: tum ut seriem atq; analysin nostræ compositionis omnes perspicuè uideant, rectiusq; omnia intelligant: tum ut alijs quoq; istæ commonefactiones prosint, si fortè in hoc genere aliquid perfectius moliri uelint.

Poterunt etiam hinc nonnihil suspicari Lectores, quantis in laboribus fluctuemus, dum uelut apiculæ, iuxta Methodon colligimus res uarias: easq; aliquoties, ueluti subactas manibus, componimus.

A' uita CHRISTI incipere libuit, ut & breuitati consuleremus, & regni CHRISTI faciem, postquam hic in terris redemptionem generis humani perfecit, & glorioſe in cœlum ascendit, quantum fieri posset, proponeremus. De orationis genere nihil aliud dicemus, quàm nos sperare, lectores ex ista tam simplici narratione, fortè plus fructus percepturos esse, quàm si ampullas & sesquipedalia uerba funderemus.

De sumptibus uerè profitemur, nos paucissimos habere, qui annuatim aliquid conferunt: nec pro laborum conditione operarij satis sustentantur, sicut ipsimet optimi testes sunt: imò nisi Deus nobis quosdam Mæcenates adhuc excitarit (quod tamen ne fiat, multi inuidi strenuè laborāt) neq; progredi satis expeditè poterimus, neq; fortè totum opus, ut est institutum, absoluere. Impudens igitur planeq; diabolicū est mendaciū, & criminatio tetra istius scurræ, qui nuper in maledico & famoso scripto, sine nomine edito (ubi tamen aliam saltat fabulam) Sardonico risu, & uirulento sarcasmo nostrum Opus historicum Aureum appellat, eo quòd ex multo auro Germanico sit cōflatum. Non uidit sceleratus iste scurra Opus: & tamen nō ueretur canino, aut uiperino potius dente arrodere. Deinde non habet cognitas rationes nostras iste cōuiciator ac criminator: & tamen ut Semei, nos falsè irridet, ac mentitur splēdidè. Nam quàm pauci, & quàm parcè dent, quàm frugaliter alantur huius instituti operarij, poterat iste irrisor explorare, nō à profugis, sceleratis, pollutis, mēdacibus, quibus gubernationis nostræ ratio ne nota quidem est: sed à nobis ipsis. Cogit autem nos iste noster Encomiasta, quædā de ratione gubernationis dicere: idq; non tam propter ipsum, quàm alios bonos & prudentes uiros. Totum opus habet quosdam gubernatores, quinq; numero: quibus hæc cura incumbit, ut regant consilia, partiantur operas in colligendo & scribendo: corrigant tum delineationes primas seu rudiores rerum, tum ipsas etiam scriptiones: quædam etiam pro rerum necessitate & ipsi contexunt, operarios conducunt, & stipendijs alunt. Eleemosynæ paruæ, seu spontanea sacrificia sanè modica & tenuia, uiro cuidam honestissimo & integerrimo in eo collegio credunt: is habet accuratam acceptorum & expensorum rationem singulis anni quadrantibus, præsentibus etiam alijs gubernatoribus seu collegis, numerat stipendia operarijs, ac subducitur ratio de singulis: idq; ita solicitè, ut parati simus cuilibet postulanti, honestam exhibere eius rei rationem. Aluimus autem hactenus operarios decem: estq; laborum ratio distributa in istos tres ordines. Primùm, septem eruditi studiosi tantum collectioni, iuxta normam Methodi, ex optimis autoribus, uacant, excerpentes quasi apiculæ

quædam induſtriæ ex floribus uariis, certo iudicio, ordine & modo, ea quę ad hiſtoriæ partes facere uidentur. Duo alij, reliquis ætate, doctrina, iudicio præſtantes, oblatam materiarum ſyluam iuxta Methodi regulam digerunt. Res digeſtas quibuſdam è collegio gubernatoribus exhibent: neq; ulla res grauis ſcribitur, niſi prius delineatione illa dijudicata. Vbi uerò res atq; collocatio ſingulorum membrorum approbata fuerit, tum demum cõpoſitioni ſtudent. Compoſitum quodlibet caput, rurſum mox quibuſdam inſpectoribus exhibetur: qui denuò limam, prout exigere neceſsitas uidetur, adhibent. Præter hos unus eſt, qui tantum commoda manu, quæ hoc pacto ſunt compoſita, mundius deſcribit.

Ex hac commemoratione, pij & candidi uiri difficultatem rei utcunque animo metiri poterũt: ac debebant nos meritò omnes cõſilijs, libris, ac reliquis officijs iuuare, incitationibus etiam quibuſdam & dextris iudicijs noſtros labores lenire.

Poſtremò, quia plures perſonæ alendæ ſunt, & labores immenſi faciendi, eaq; hiſtoria ad totam Eccleſiam CHRISTI pertinet, nec eſt poſsibile abſque ſumptibus tot homines ali: rogamus pios Eccleſiæ Dei ciues, ut nos etiam ſumptibus iuuare non dedignentur, ſi modò cœptum opus cõtinuari debeat. Non quæſiuimus, nec quærimus nobis inde theſauros ingentes: ſed ut mediocriter pergere, ac neceſſaria operarijs præbere poſsimus. Ac ſcimus non modò pios hoc officij debere CHRISTO, cuius hiſtoriam conamur contexere: ſed etiam hanc noſtram petitionem iuſtam & piam eſſe. Reddemus autem rationem totius diſtributionis, non modò collatoribus: ſed etiam ipſis, ſi uelint, noſtris calumniatoribus.

Quod ad Centurias modò à nobis editas attinet, rogamus omnes prudentes, doctos & pios uiros, ut ubi legerint, nos aperte & ingenuè moneant, de ijs quæ ſunt neceſſaria uel ut inſerantur, uel ut emendentur. Nam quis in opere tam uario, & ubi ſemitam ab alijs tritam non habuimus, tam eſt Lynceus, ut potuerit omnia rectè obſeruare? Erimus autem pro collationibus grati. Interea tamen & hoc rogamus, ut nobis ipſis hæc hiſtoria corrigenda publicè relinquatur. Quod ſi aliquibus labor noſter prorſus improbabitur, ij ex ſuo ingenio nouam hiſtoriam cudant: neque nobis inuideant, ſi ſentiamus hanc noſtram operam aliquid adiumenti ipſis allaturam eſse. Sed nunc optime Lector, ipſam hiſtoriæ noſtræ Methodum tibi damus.

METHODVS HISTORICI OPERIS
AC SINGVLORVM CAPITVM METAE
generales.

I. CAPVT.

PRimum caput propositionem & argumentum Centuriæ continet: ut sciat lector, quorum annorum historiam expectare debeat.

II. CAPVT.

De loco & propagatione Ecclesiæ.

PRimùm generalia quædam præmittuntur: nempe, Ecclesiam tum temporis fuisse amplam, lateq; dispersam, uel angustam & exiguam.

Secundò, sequitur enumeratio specialis earum Eccle siarum, quarum in hoc seculo fit mentio: ut,

De Ecclesijs per Asiam.

Primùm uerò hic ecclesiæ recensentur per Palæstinam sitæ, & initiũ sumitur à Hierosolymitana, quamdiu quidem ibi man sit Ecclesia Christi: eiq; subijciuntur reliquæ circumiacentes.

Hoc loco etiam referuntur ecclesiæ per Chaldæam & Arabiam.

Deinde ordine sequuntur Ecclesiæ per Syriam, Mesopotamiam, Assyriam, &c.

Tertiò, Ecclesiæ per Asiam minorem: ut Ciliciæ, Pamphyliæ, Pisidiæ, Lyciæ, Ioniæ, Lydiæ, Lycaoniæ, Phrygiæ, Bithyniæ, Galatiæ, Paphlagoniæ, Ponti, Cappadociæ, Armeniæ, Parthiæ, Persiæ, Indiæ.

De Ecclesijs per Aphricam.

Primùm per Aegyptum, ubi Alexandrina ecclesia primum habet locum, cui adiacentes connumerantur.

Deinde, Ecclesiæ per Aethiopiam.

Tertiò, Ecclesiæ per Marmaricam & Cyrenaicam.

Quartò, Ecclesiæ per Libyã & Hesperiã.

Quintò, Ecclesiæ per Africam, ut Carthago & reliquæ. Item per Numidiam, Mauritaniam, Getuliam, &c.

De Ecclesijs insularib. in mari Mediterraneo.

Ecclesiæ per mare mediterraneum, priusquam ad Europam traijcitur, enumerantur: ut in Salamine, Cypro, Rhodo, Creta, in mari Aegeo & Ponto, Sicilia, Sardinia, Corsica, &c.

De Ecclesijs per Europam.

Athenis.
Corinthi.
In Peloponneso.
In Achaia & circumiacentib. regionibus.
In Thessalia.
In Macedonia.
In Thracia.
In Mysia inferiori & superiori.
In Illyria.
In Sclauonia.
In Carinthia.
In Italia.
In Gallia.
In Hispania.

In Germania: ubi primùm Ecclesiæ prope Galliam, Rhenum & Illyriam nominantur: deinde quæ sunt in reliquis regionibus, & simul Bohemicæ includuntur.

In regionibus uersus Septentrionem.

Item in Sarmatia, Scythia.

Postremò, Ecclesiæ per Oceanum: ut in Britannia, Scotia & Hybernia, &c. recitãtur.

De propagatione.

Primùm dicitur de propagatione, ubi antea non fuit Euangeliũ Christi, hoc ordine.

In quæ loca Ecclesia sit propagata.

Per quos ea facta sit: an uidelicet id fecerint Apostoli, uel Apostolorũ discipuli, uel Imperatores, uel aliæ personæ.

An sponte hoc fecerint, uel accersiti: aut quacunque alia occasione id factum sit.

An doctrina uel miraculis homines permouerint, aut conuerterint.

Certamina in conuertenda gente, seu pelendo armato atrium tenente.

De successu: utrum integræ ciuitates Christianismum sint amplexæ, an uerò paganismus simul manserit.

Item, an Magistratus uel aliqui priuati acceperint doctrinã Christi, an pauci uel multi.

Qualis reformatio Ecclesiæ tunc in ipsa propagatione facta sit.

Deinde dicitur, quomodo in ijs locis, ubi quædam fundamenta iacta fuerũt, Christiana religio subinde creuerit, & exculta sit, & per quos, & qua felicitate, &c. Huc referuntur conuersiones illustrium personarũ, uel etiam aliorum, & si qua alia in incrementis facta sunt.

Tertiò, instauratio Ecclesiæ: quando nimirum in ijs locis, ubi plantatum fuerat Euangelium, & deinde obscuratum falsis doctoribus, aut extinctum persecutionibus, postea rursus cœperit accendi & illucescere.

III. CAPVT.

De persequutione & tranquillitate Ecclesiæ.

DE Imperatore, quando quisque ad Imperium uenerit, & quandiu regnarit: qualis fuerit cuiusq; natura & ingenium, idq; uelut obiter & breuiter explicatur.

Qualis Ecclesiæ Christi status ab antecessoribus ad ipsum deuenerit.

Quod ipse quoque persequutionem mouerit, & quoto anno.

Qualia crimina Christianis obiecta.

Quibus potissimùm causis reuera moti sint, seu quid spectauerint, aut quem finem quæsierint persequutores: num odio ueræ & studio fallæ religionis, aut metu seditio-

nis, aut propter turbationem tranquillitatis, aut ob reprehensa sua uicia uel alias cupiditates, uel quid tandem in speciem prætexuerint, &c. An Christiani eis occasionem præbuerint, uel ipsi sibi temerè & furiosè ariripuerint.

Per quos: An magistratus ipsi, uel præfecti, uel uulgus indomitum, uel Iudæi, uel hęretici, uel falsi fratres aut apostatæ persecutores fuerint.

Qua ratione: Vtrum per edicta, seu aliàs id fecerint.

In quibus locis, & ubi magis minúsue grassatæ sint persecutiones.

Qui, & quomodo trucidati, & quæ tormenta seu formæ suppliciorum fuerint adhibitæ.

Quòd se inuicem consolati sint Christiani, & quibus argumentis: & an fecerint ore uel scripto, & quæ aliàs officia præstiterint sibi inuicem in afflictionibus.

Aliquos defecisse, & qua occasione: an minis, uel tormentis, uel etiam illecebris permoti.

Aliquos uerò constanter perseueraſſe, & qua fortitudine supplicia pertulerint.

De fuga, siue spontanea, siue coacta.

Qua occasione lenita persecutio. De Apologijs exhibitis, à quibus, qua occasione, quæ fuerint præcipua argumẽta, & quo fructu. Huc etiã intercessiones aliorũ, conũlia, preces communes Ecclesiæ, miracula, pœnæ quædã, defensiones magistratuũ, alijq; uarij casus referũtur, quantum quidé est necesse.

Mitigationes, scripta Imperatorum, reuocationes exulum huc inseruntur.

Qualis postea status Ecclesiæ sit subsecutus.

De fine: ad quid profuerint istæ persequutiones, quid tandem ipsas consequutum sit: nempe, illustres ac celebres fecit pios & constantes doctores Ecclesiæ, hypocritas indicauit, & segregauit à uera Ecclesia, alijs quoq; occasionem inquirendi de doctrina Christi prębuit, excitauit & auxit aliorum fidem & confessionem.

Indicatur etiam, an in ijs locis, ubi tantopere sæuitum est, Ecclesia uel creuerit, uel desierit.

De tranquillitate Ecclesiæ.

Hoc loco commemoratur, quomodo grassante persecutione, in aliquibus locis tamen Ecclesiæ habuerint pacem, & qua occasione.

Martyrum saltem nomina in hoc loco recitantur. Ipsorum uerò confessiones & historiæ illustres, infrà in peculiari capite de Martyribus, habent suum locum.

De pœnis persecutionum.

Ordo iuxta Imperatores, & annos Christi seruatur: ac commemorantur pœnæ communes & priuatæ, erga Imperatores, præfectos, alias personas, ciuitates, regna.

IIII. CAPVT.

De doctrina Ecclesiæ.

PRopositio: Aliquot huius seculi fuisse præstantes doctores. & quidam nominantur.

Generalia testimonia huc scribuntur: qualis doctrina tum fuerit, mediocris ne an obscura, pauciores ne uel plures nebulas habuerit.

Adijciuntur testimonia quædam de authoritate Scripturæ, quòd uidelicet eam magnifecerint, & quòd ad eam se boni doctores retulerint.

Præterea generales summæ fidei, seu symbola ex autoribus collecta, huc referuntur.

ARTICVLI.

De uerbo Dei.

Significationes uocabuli uerbi, & quod scriptura ueteris & noui Testamenti uerbũ Dei appelletur.

Quid sit.

Post definitionem, synonyma, periphrases & epitheta interdum subijciuntur.

Vnde sit, & quæ causæ instrumentales.

Quotuplex sit, seu quòd Legem & Euangelium complectatur, &c.

Quòd una & sibi consentiens doctrina Dei sit in articulis fidei.

Quòd inter uerbum Dei & uerba hominum discernendum.

De efficacia & fructibus uerbi Dei.

Non omnes cum fructu audire uerbum Dei, & quæ pœnæ.

Omnes ad uocem Christi & uerbum Dei alligatos esse.

Non esse extra uerbum Dei aliquid de articulis fidei statuendum.

Contraria & opposita.

De scriptura ueteris Testamenti.

Significationes uocabuli Testamenti.

Quòd approbent scripturam ueteris Testamenti.

Vnde sit scriptura ueteris Testamenti.

Esse duo capita scripturæ ueteris Testamenti, scilicet legem & promissionem.

Subiectum esse, Messiam exhibendũ, moriturum, passurum, resurrecturum, & regnaturum spiritualiter.

Prophetias ueteris Testamenti referendas esse ad res quæ in nouo euenerunt.

Ex testimonijs ueteris Testamenti, Apostolos præcipua suæ doctrinæ capita extruere, & probare.

Scripturæ ueteris Testamenti studium commendarunt alijs.

Generales regulæ de exponenda sacra scriptura ueteris Testamenti.

Qui sint autẽtici libri ueteris Testaméti.

De

De ſcriptura noui Teſtamenti.

Qui ſint autentici libri noui Teſtamenti, & qui minus.

Scripta noui Teſtamenti eſſe uerbũ Dei, & non alia continere doctrinæ capita quàm ea quæ Apoſtoli docuerunt.

Quòd præceperint Apoſtoli ſuas Epiſtolas legi, & pugnãtia cũ ijs ſuſcipi uetuerint.

Subiectum eius eſſe, Chriſtum exhibitũ.

Quòd nihil in ea deſideretur, quod ſcitu neceſſarium ſit ad ſalutem.

Quòd non ſint in ea pugnantia.

Differentia inter Euangelia & Epiſtolas.

Scripturarum noui & ueteris Teſtamenti cõuenientiæ: item earundem differentię.

De uſu ſacræ ſcripturæ.

Contraria & oppoſita.

Sacræ ſcripturæ nihil eſſe addendum, aut demendum.

De Deo.

De uocabulis.

Quòd ſit.

Definitiones Dei.

Proprietates Dei eſſentiales: ut ſunt, eſſe omnipotentem, æternum, iuſtum, &c.

Quòd unus Deus ſit.

De uoluntate Dei.

Opera Dei communia.

Quòd ſint tres diſtinctæ perſonæ.

DE PERSONIS.

De Patre.

De uocabulis.

Quòd perſona.

Quòd diſtincta ab alijs.

Proprietates, ac differentiæ.

Actiones quædam.

De Chriſto.

Filium Dei eſſe perſonam.

Eſſe diſtinctam perſonam à Patre & Spiritu ſancto.

Eſſe coeſſentialem, coæternam.

IESVM Chriſtum uerè eſſe filium illũ Dei, ſeu uerum Deum.

Eſſe uerum hominem.

Filij Dei & hominis eſſe unam perſonam, non plures.

De unione duarum naturarum.

Proprietates & actiones poſt aſſumptionem carnis humanę.

Quòd ſemper retenturus ſit illam copulationem duarum naturarum.

Proprietates & actiones poſt glorificationem & inæternùm.

De Meſſia.

Quòd ſit promiſſus aliquis Meſsias.

Qualis.

Quæ ipſius opera.

Quis finis.

Quòd Chriſtus ſit ille Meſsias.

Quæ eius ſubſtantia, & quare talis copulatio ſit facta.

Quæ eius actiones fuerint, & inæternùm futuræ ſint.

De appellationibus ſecundæ perſonæ diuinitatis, quæ in hiſtoria Euangelij ei tribuuntur.

De Spiritu ſancto.

De uocabulis.

Quòd perſona.

Quòd diſtincta à patre & filio.

Quòd coeſſentialis, coæterna.

Proprietates, ac differentiæ.

Opera, & officia.

Quis det Spiritum ſanctum.

Quis meruerit.

Quibus detur, quibus non.

Species exhibitionis Spiritus ſancti.

Quòd per media detur.

Quòd etiam in infantibus ſit efficax.

Quòd ſpiritus S. poſsit excuti & amitti.

Item, Quomodo agnoſcendum, habeamus ne ſpiritum ſanctum, an non.

Appellationes, quas habet in Scriptura: Oppoſita & contraria.

De Creatione.

Significationes uocabulorum Mundi & Creaturę.

Quòd mundus non extiterit ab æterno, ſed cœperit.

Quis creauerit uniuerſa.

Quæ differẽtiæ creaturarum, ſeu ſpecies.

De cauſa materiali, unde?

De cauſa formali.

Cur ſit mundus conditus.

Quòd Deus adſit rebus creatis, easq; conſeruet.

Quòd liberè agat Deus in creaturis, etiam contra cauſas ſecundas.

De ſenio & interitu huius mundi.

De Angelis.

Vocabula.

Quòd ſint Angeli. Quid Angeli ſint.

A quo, quales & quãdo, & in quem finem ſint conditi.

Quotuplices ſint.

De bonis.

Quòd ſint boni Angeli.

Quòd plures.

Vbi ſint.

Quis eos mittat.

Quibus mittantur,

Qua forma appareant Angeli.

Quæ ipſorum officia.

De hierarchia ipſorum.

De malis.

Quid ſint.

Non eſſe cogitationes, ſed res ſubſiſtẽtes.

Eſſe ſpiritus.

A Deo conditas ſubſtantias.

De lapſu ipſorum.

Quòd plures.
Quæ ipſorum actiones.
Conſolationes aduerſus Diabolum.
De appellationibus.

DE HOMINE ANTE LAPSVM.

Quid.
Quis eum condiderit.
Vnde, ſeu ex qua materia.
Quomodo.
De imagine Dei, & quomodo patres de ea locuti ſint.
Proprietates & actiones hominis ante lapſum.
De fine hominis ante lapſum.

De lapſu hominis.

Quòd homo ſit lapſus.
Cauſæ lapſus.
Effectus.

De homine poſt lapſum, ante conuerſionem, ſeu de homine ueteri.

Quid ſit.
Quòd homines poſt lapſum à Deo procreentur naturali modo, & conſeruentur.
Partes hominis poſt lapſum.
Proprietates eius.
Vires hominis ante conuerſionem.
Appellationes.

De homine in & poſt conuerſionem, ſeu de homine nouo & renato.

Quid ſit.
Species hominum renatorum, ſeu differentiæ.
Cauſæ efficientes, inſtrumentales, & ſubiectum in quo.
Proprietates hominis renati.
Fines.
Opera hominis renati.
Appellationes hominis renati.

DE PECCATO.

Significationes uocabuli.
Definitiones generales.
Quæ ſpecies. Quæ cauſæ.
Qui effectus generales.

De Originali peccato.

Vocabula.
Definitio.
Efficiens, unde ſit peccatum originis.
Materialis, in qua, ubi, in quib. partibus hominis ſit peccatum originis.
Qualis res ſit, peccatũ originis: uidelicet deſtructio uirium hominis, defectus, inclinatio, &c.
De propagatione eius.
Quòd omnes homines ſint obnoxij ei peccato.
De fructibus eius.
Quòd maneat in ſanctis, & quomodo.

De Actuali peccato.

Appellatio. Quid ſit.
Quæ cauſæ. Effectus.

De Mortali.

Quid ſit, & in quibus.
Quæ ſpecies, & qui effectus.

De Veniali.

Quid ſit.
Quę ſpecies, in quibus hominibus, & qui effectus.

De peccato in Spiritum ſanctum.

Quid ſit.
Quæ ſpecies.
Quæ cauſæ.
Quæ proprietates.
In quibus hominibus.
Quomodo præcauendum.

DE LEGE.

Significationes uocabuli, periphraſes & epitheta Legis.
Definitio Legis.
Diuiſiones Legis.
De Legibus Moſaicis.
De abrogatione Forenſium & Ceremonialium.

De lege Morali.

Definitio. Vnde ſit.
Quæ ſit ſententia Legis
Partitio Legis moralis.
Qui effectus, & qui uſus Legis.
Vtrum homo poſsit Legem implere.
Quòd oporteat Legem ſemper in Eccleſia ſonare.
Contraria, & oppoſita.

DE EVANGELIO.

De uocabulo.
Periphraſes & epitheta.
Definitio Euangelij.
Vnde Euangelium.
De materia ſeu ſubiecto Euangelij.
De cauſa formali, ſeu ſumma Euangelij.
Proprietates Euangelij.
Quòd non ſit notum naturà.
Quòd ad pœnitentes pertineat.
Quòd unum & idem in ueteri & nouo Teſtamento.
Quòd doctrina certa & firma.
Quòd operum gloriationem excludat.
Quòd ſit uniuerſale ad omnes homines, cùm Iudæos tum gentes.
Quòd non tollat politicas honeſtas ordinationes.
Quòd non omnes Euangeliũ ſuſcipiant.
De effectibus Euangelij.
De promiſsionibus eius.
Quæ contraria.
De differentia Legis & Euangelij.
De conuenientia Legis & Euangelij, & mutua eorum opera.

De Prædeſtinatione.

Significationes uocabulorum.

Syno-

Synonyma. Quid sit.
Quæ res prædestinatæ.
Causę prædestinationis.
Effectus prædestinationis.
Vnde cognoscendum, an simus prædestinati.
Vsus prædestinationis. Contraria.

De Iustificatione.

Significationes uocabuli, quid iustificare, quid iusticia, quid gratia, remissio peccatorum, salus, saluare significent.
Item, Synonyma.
Vnde sit nostra iusticia, seu de causa efficiente.
De causa materiali, qualis res sit: nempe, obedientia, & meritum Christi.
De causa formali, quòd sit imputatio seu applicatio obediētiæ, remisio peccatorum, & quòd ea sit gratuita, absq; operib. nostris.
Quòd omnibus agentibus pœnitentiam contingat.
De causis instrumentalibus: nempe, per quæ media Deus nobis applicet.
Quo organo nos apprehendamus eam iusticiam, scilicet fide.
Quem ordinem Deus in iustificatione hominis peccatoris obseruet.
Quòd omnes eodem modo iustificentur.
De sola fide iustificante argumenta.
De effectibus iustificationis.
Quæ sint contraria: & excuti dona accepta, peccatis contra conscientiam, & impœnitentia.

De Fide.

Vocabulum quid significet.
Synonyma, periphrases, & epitheta.
Quid sit fides.
Quæ species.
Vnde sit.
Materialis, in qua.
Obiecta fidei.
Per quæ media detur, uel excitetur.
Quæ sint eius proprietates.
Effectus fidei.
Fidem amitti posse.
Contraria.

De noua obedientia, seu de bonis operibus iustificatorum.

Appellationes nouæ obedientiæ.
Quòd bona opera sint necessaria.
Definitio, quid sint.
De causis efficientibus.
Quæ bona opera facienda.
Catalogus bonorum operum, secundum Decalogum.
Quomodo possint præstari ab hominibus: & qui nā sint illi, qui præstare possint.
Quomodo placeant Deo.
Quòd fides omnibus operibus præluceat.
Quòd opera non sint perfecta: hoc est, nō satis faciant legi.
De fine bonorum operum.
Quæ sint contraria.
Quæ sint causæ bene operandi.

De Oratione.

An sit Deus inuocandus.
Quid sit inuocatio.
Quis sit inuocandus.
Quomodo. Et formulæ inuocationis obseruentur, seu species orationum, & circunstantiæ.
Quę, & quomodo spiritualia, quomodo corporalia petenda.
De mora, & quòd instandum.
Promissiones, quòd certò Deus exaudiat.
Vbi orandum.
Quibus gestibus.
Effectus orationis.
Causæ orandi.
Contraria.
De inuocationibus defunctorum, statuarum, imaginum.
Item, de peregrinationibus.

SEQVVNTVR ET ALIAE QVAEDAM species bonorum operum.

De Pœnitentia.

De uocabulo.
Quid sit pœnitentia.
Quæ partes.
Vnde sit pœnitentia, quomodo & per quę media Deus eam operetur in nobis.
De contritione: quid, unde, quæ discrimina, qui effectus. Sic de fide, & noua obedientia.
Causæ generales, quæ ad pœnitentiam exhortari debent.
De pœnitentia uera & falsa, publica & priuata.

De Sacramentis in genere.

Sacramentum quid sit in genere.
Quot enumerentur.
De fine Sacramentorum.
De discrimine Sacramentorum ueteris & noui Testamenti.

De Baptismo.

Definitio, quid sit.
A quo institutus.
Quæ materia.
Quæ formalis causa.
Qui fines & effectus.
Qui sint baptizandi.
Quòd semel.
De usu.
De differentia baptismi Ioannis, Christi, & Apostolorum.

De Clauibus, seu de Absolutione & excommunicatione.

Quid sint. Quotuplices institutæ.

De solutione peccatorum, seu absolutione.

Vnde sit.

For-

Formalis causa.
Quibus peccata dimittenda.
Effectus, seu fines. Exempla.
Contraria.

De Confessione.

Confessio coram Deo.
Confessio coram ministerio.
Confessio coram fratre.

De Satisfactione.

De ligatione seu retentione peccatorum, seu excommunicatione.

An sit. Vnde sit.
Causa formalis.
Qui debeant excommunicari.
Fines, seu effectus. Exempla.
Contraria.

De Cœna Domini.

De appellationibus cœnæ Domini.
Definitio.
De causa efficienti.
De materia cœnæ Domini.
Quæ ratio administrationis & usurpationis.
Quòd ore & fide accipiatur.
Quòd omnes debeant integra cœna uti.
De fine.
De abusu, & pœnis abutentium.

De Sacrificijs.

De sacrificijs ueteris & noui Testamenti, Eucharisticis & propitiatorijs.
De Missa pontificia dogmatica ad næuos referuntur.

DE ECCLESIA.

De uocabulo. Synonyma & periphrases.
An sit.
Quid sit.
Quotuplex.
Quis colligat, & per quæ media.
Ex qualibus hominibus constet Ecclesia.
De uocatione gentium.
Quòd sit cœtus mixtus ex bonis & malis.
De notis proprijs ueræ Ecclesiæ & falsæ.
Vnam esse Ecclesiam ueram, ubique dispersam.
Quòd duratura sit usque ad finem.
Quòd sit exiguus & pauper cœtus.
Quòd non sit alligata certo loco & personis.
Solum Christum esse caput Ecclesiæ.
Quo fine Deus eam colligat.
De Ecclesiæ bonis spiritualibus & corporalibus.
De potestate Ecclesiæ, & in quibus rebus ea consistat.
Contraria.

De falsa Ecclesia.

Quæ sit falsa Ecclesia.
Notæ falsæ.
Fines, seu de pœnis falsæ ecclesiæ.
Quòd à falsa ecclesia quilibet debeat se separare.

De ministerio Verbi.

An sit.
Appellationes.
Duplex, scilicet Apostolicũ & commune.
Quòd utrunque à Deo.
Differentiæ inter utrunque.
Quales personæ functæ sint, & appellationes earundem.
Res ministerij: scilicet doctrina, administratio sacramentorum & clauium.
Quòd duret ministerium usque ad finem mundi.
Discrimen inter ministeriũ & dominiũ.
Deum esse efficacem per ministerium.
Enumeratio effectuũ per se & per accidẽs.
Communis fortuna ministrorum.
Quales ministri esse debeant.
De officio auditorum erga ministros.
Imbecillitates doctorum à doctrina discernendæ.
Contraria.

De Regno Christi.

Quòd Christi regnum sit spirituale, non mundanum.
Quòd regnum Christi sit æternum.

De libertate Christiana.

Quid sit.
Qui gradus.
Qui fines, aut usus.

De cruce & calamitatibus Ecclesiæ.

Quòd Ecclesia sit subiecta cruci.
Quid sit.
Quæ species afflictionum, scilicet internæ & externæ.
Vnde sit, qui hostes: quòd Deus permittat, &c.
Cur sit subiecta: ac de fine, seu fructu.
De consolationibus in afflictione.
Dogmatica de martyrijs.

De Miraculis.

Dogmatica de miraculis.
Quid sint.
Quotupliciaa: lia uera, alia falsa.
Quæ inter uera & falsa differentiæ.
Qui fines, seu effectus.
Quæ pugnantia.

De Antichristo.

Nomina Antichristi.
Prophetiæ de Antichristo, quòd sit futurus.
Quis sit.
Quotuplex sit: alius intra, alius extra Ecclesiam.
Quæ causa efficiens, adiuuans, permittẽs.
Modus, quo regnum Antichristi paulatim constituendum.
Vbi sit sedes Antichristi futura.

De

De eius doctrina & actionibus, ac notis seu characteribus.
De socijs, ac scortatoribus eius.
De reuelatione ac destructione.
Quòd omnes debeant ab eo exire.

De Traditionibus humanis.

Appellationes.
Quid sint.
Quæ species.
De uotis, de cœlibatu, de ordinibus, de monachatu, fraternitatibus, consilijs, &c. quæ ad næuos pertinent.
De fine traditionum.

De Scandalo.

Quòd sit.
Quid sit.
Quotuplex sit.
De scandalo dato.
De accepto,

De rebus medijs, seu adiaphoris.

Quid sint.
Quæ species.
Quæ causæ.
Qui fines.

De Coniugio.

Definitio coniugij.
Quòd à Deo institutum.
De legibus & officijs coniugum.
De fine.
De coniugio sacerdotum.
De monogamia & polygamia.
De gradibus cognationum & affinitatũ.
De diuortio.
De uirginitate, seu cœlibatu.

De Magistratu.

Definitio.
Vnde sit.
De politica potestate magistratuum, iure gladij, &c.
De bellis legitimis.
De fine eius.
De obediẽtia & officijs erga magistratus: & quòd etiam improbis sit obediendum, & quatenus: nempe iuxta regulam, Date Cæsari, &c.
De pœnis seditiosorum, turbantium societatem humanam.

De Morte.

Quæ species, scilicet prima & secunda.
Quæ causæ mortis.
Omnes homines semel mori oportere.
Cur in Christum credentes moriantur.
Consolationes contra mortem.
Mortuos non redire.
De apparitionibus mortuorũ, ad næuos pertinet.

De fine seculi.

Quòd aliquando hoc seculum sit cessaturum.
Quòd nemo tempus exactum præsciat.
Quæ signa sint præcessura.
De immutatione uiuentium in extremo die.

De loco animarum, & sinu Abrahæ.

Quò perueniant animæ defunctorum.
Quis earum ibi status sit.

De resurrectione mortuorum.

Quòd sit futura resurrectio.
Quis sit resuscitaturus mortuos, & quomodo.
Qui sint resuscitandi.
Forma.
Qui finis.
Quæ contraria.

De extremo die, & iudicio.

Quòd sit futurum iudicium uiuorum & mortuorum.
De tempore, Quando.
Vbi.
Quis iudex.
Forma iudicij.
Fines.
Quomodo præparare nos debeamus.

De Inferno.

Quòd sit infernus aliquis.
Vbi sit.
Quis in eo futurus sit.
Quæ pœnæ seu cruciatus inferni.
Quis in eo sit excruciandus, uidelicet diaboli & impij homines.

De Purgatorio.

Ad næuos pertinet.

De Vita æterna.

Appellationes.
Vbi.
Quòd.
Qui, & quales.
Bona uitæ æternæ.

De Philosophia.

Quid patres de philosophia senserint.

De Astrologia, & Magia.

Quòd & quatenus prohibita.
Quis autor.

Inclinatio Doctrinæ.

Eadem serie, iuxta eosdem articulos tractatur.

Iudicia de libris sacris huius ætatis.

Huc congeruntur testimonia doctorum de libris sacris, quos pro authenticis uel apocryphis habuerint.

CAPVT V.

De Hæresibus, & erroribus manifestis.

PRimùm generalia quædam testimonia ex autoribus de hæresibus recitantur, nimirum unde soleant oriri: ut ex philosophia, ex Scriptura non rectè intellecta, &c.

Specialia.

A quo, quando, & ubi orta sit aliqua hæresis.

Ex

Ex qua occasione.

Qui simul eam hæresim professi sint.

Posthæc hypotheses subijciuntur clarè & perspicuè, additis autoribus unde sunt desumptæ.

His hypothesibus etiam fontes seu rationes, ex quibus eas hæretici extruxerũt, adijciuntur, quantum quidem ex autoribus potest erui.

Hypotheses ponuntur per articulos.

De sacra scriptura.
De Deo.
De Christo.
De Spiritu sancto.
De creatione mũdi.
De angelis bonis & malis.
De homine.
De libero arbitrio.
De peccato originali, actuali.
De Lege.
De Euangelio.
De discrimine Legis & Euangelij.
De discrimine ueteris & noui Testamenti.
De iustificatione.
De bonis operibus.
De pœnitentia,
De Sacramentis.
De baptismo.
De clauibus.
De confessione.
De satisfactione.
De Cœna Domini.
De sacrificijs.
De libertate Christiana.
De oratione.
De ministerio uerbi.
De Ecclesia.
De regno Christi.
De cruce.
De miraculis.
De traditionibus humanis.
Da adiaphoris.
De coniugio.
De magistratu.
De scandalo.
De extremo iudicio.
De uita æterna.
De inferno.
De Antichristo.
De astrologia & magia.
De prophetijs.
De libris ipsorum.
De ritibus & moribus hæreticorum.

Quorum auxilio aut promotione, siue doctorum siue magistratuum, & quo studio hęresis aucta & propagata sit.

In quæ loca se extenderit ea hæresis: & quas Ecclesias siue perturbarit, siue uitiarit, siue prorsus corruperit & euerterit.

Confutatio hæresium istarum, & qui fuerint confutatores in eo seculo.

Et quomodo, an disputationibus siue priuatis siue publicis, an libris uel epistolis, hæreses illas refutarint.

Quibus argumentis & rationibus refutarint.

Quomodo repressæ hæreses, uel excommunicatione Ecclesiastica, uel legibus ac decretis, uel etiam denique executione ac pœnis Magistratus.

Successores qui fuerint: an plures sint facti, an pauciores, an etiam aliqui sint conuersi: an retinuerint eadem dogmata, an uerò aliquid de suo affinxerint.

VI. CAPVT.

DE CEREMONIIS SEV RITIBUS Ecclesiæ.

De Congressibus publicis.

QVòd soliti sint conuenire.

In quibus locis.

Qualia fuerint loca, & quomodo instructa, qualia habuerint ornamenta.

De picturis, de imaginibus, seu statuis, earum cultu & peregrinationibus.

De altaribus.

De candelis.

De distinctionibus locorum in templis.

De dedicationibus & consecrationibus templorum.

De nominibus & differẽtijs templorum.

Quando conuenerint, quibus signis conuocati sint.

Quoties conuenerint.

Quid in congressibus solitum sit fieri.

Lectiones sacrarum literarum, distributiones lectionum.

Interpretationes, conciones, ritus circa cõciones: qui concionati, in quo loco, quæ cathredræ, quos testes uel auditores habuerint.

Orationes, gratiarũactiones, qua lingua.

Cantiones quales, & in qua lingua: & quę pulpita, aut quas sessiones habuerint.

Collectæ eleemosynarum, quæ dictę sunt sæpius oblationes.

Ritus circa Baptismum.

Quis baptisare solitus sit: item, an etiam ius baptisandi, præsertim in necessitatibus, fuerit penes mulieres.

Vbi baptisarint, in publicis congressibus, in templis, an priuatim, an ad flumina, &c. uel indifferenter hæc obseruarint.

Instrumenta, an habuerint baptisteria, uel quando ea cœperint in templis extrui: & an consecrata fuerint, uel non.

Item, de aqua in baptisterio, an, quando, quomodo sit consecrata: quoties renouata uel aqua, uel consecratio.

Quando, quibus diebus uel festis in anno, & quoties baptizarint.

Quos baptisarint, & quoto die post partũ infantes baptizarint.

Quæ præcesserint baptisma, institutiones catechisticæ, explorationes, confessiones, orationes, ieiunia cum adultis, &c.

Exorcisatio, renunciatio, quoties & qualibus uerbis.

Qui detulerint infantes ad baptismum: qui patrini, quid illi egerint apud baptismũ.

Quomodo, seu quæ forma baptismi: quòd ter tincti uel mersi, uel perfusi aqua: quibus uerbis, quibus gestibus.

Item de adultis, in quibus uasis baptisati sint, quousque nudati.

Qui soliti sint adesse baptismis.

De appellationibus impositis baptisatis, quando nomina Apostolorũ cœpta sint eis imponi.

Quæ

Quæ conſecuta ſunt Baptiſmum.
Vnctio, ſignatio crucis.
Impoſitio manuum, benedictiones.
Orationes.
Cibi exhibiti, mel, lac.
Annulus, ſignum lauacri.
Munera.
Veſtitus, in albis, quòd certo tẽpore eo ueſtitu cogebantur uti, item certo tempore à lauacris abſtinuerint.
Quòd adultis poſt baptiſmum Cœna Domini exhibita eſt.
De Confirmatione. Et obſeruãdum, an illa Confirmatio fuerit connexa ceremonijs baptiſmi: an uerò fuerit diſtinctum quiddã, quod poſt baptiſmum ſolitum eſt conferri: uel quando cœperit peculiaris ritus fieri.
Et hic circumſtantiæ inquiruntur, quis confirmarit, quos, ubi, quando, quomodo, quo fine, quo chriſmate, alapa & alijs rebus uſi.
Quòd peculiares patrinos adhibuerint.
Varij caſus.
Baptiſarunt ægrotantes in lecto.
In carcere conuerſos.
Item, quomodo interdum alia materia quàm aqua uſi ſint.
Interdum alia forma uerborum.
Quòd baptiſmus nonnunquam inter luſus puerorum factus.
An membra nondum integrè nati infantis, uel etiam in utero matris periclitanis infans ſit baptiſatus.
An hæretici, qui & quomodo ſint rebaptiſati.
De ſuperſtitioſo ritu baptiſandi cãpanas.

Ritus circa Claues.

De excommunicatione ſeu ligatione: nẽpe qui ritus præceſſerint.
Qui in ipſa actione excommunicationis ſint adhibiti, quæ uerba, qui geſtus, quæ ſubſecuta ſint.
Formulæ excommunicationum, ſi quæ reperiuntur, inſeruntur.
Quòd excommunicati ſint à cõuentibus Chriſtianorum excluſi, quomodo, quo loco aliàs inter pios ſint habiti.
Ritus ſeparationis à congreſsibus publicis, item à ſacramentis, qui fuerunt hoſtes religionis, uel aliàs facinoroſi, uel non ſufficiẽter in uera pietate inſtructi.
De ſolutione peccatorum.
De non excommunicatis.
An confeſsio aliqua priuata fuerit in uſu, cui & quomodo facta, an per enumerationẽ omnium delictorum, quo tempore, quoties, &c.
Quomodo examinati ſint, uel etiam inſtructi.
Quomodo, ſeu quibus ritibus illis ſit remiſsio peccatorum nunciata, uel quomodo ſoluti.
An manuum impoſitio ſit adhibita.
An ſatisfactiones, & quæ illis ſint impoſitæ, ſecundum quos Canones.
De excommunicatorum & aliàs publicè lapſorum ſolutione, receptione, ſeu publica pœnitentia.
Qui egerint publicam pœnitentiam: nempe de facto excommunicati, qui manifeſta & ſcandaloſa peccata commiſerant, hæretici ſe conuertentes, aut qui in hæreticam aliquã opinionem inciderant.
Ritus circa ipſorum confeſsiones, ſiue priuatas ſiue publicas.
Ritus probationis, explorationis: quomodo, quibus geſtibus in templis, uel ad templa in certis locis coacti ſint ſtare: & quamdiu ritus explorationis durarit, & penes quos iudicium fuerit an ſatisfeciſſent.
Quòd populus interdum pro lapſis deprecatus ſit.
Forma reuocationum publicarum.
Ritus publicæ abſolutionis ſiue excommunicatorum, ſiue publicè lapſorum, etiamſi non fuiſſent antea ſolenniter excommunicati.
Epiſcopi & clerus manus imponebant, orabant, offerebãt pro illis, dabatur Cœna Domini.
Canones ſatisfactionum.
Quòd martyres etiam ſoliti ſint eos abſoluere.
Diſpenſatio cum moribundis.
Varij caſus circa publicam pœnitentiam.

Ritus circa Cœnam Domini.

Quis adminiſtrarit Cœnam.
Vbi ſit adminiſtrata, an in templis, publicis congreſsibus, uel priuatim in ædibus.
An in altari, uel menſa.
Inſtrumẽta, in qualibus uaſis, calice quali.
De canalibus.
Quando, an manè uel ueſperi, uel noctu.
Item quibus diebus, ſeu feſtis.
Quoties.
Quæ præceſſerint uſum Cœnæ.
Ceremoniæ præcedentes, ut collationes panis & uini, & aliarum rerum.
Qui ſint admiſsi ad Cœnam, qui non.
Materiæ, quali pane uſi ſint.
Quali uino uſi, & an miſcuerint aqua.
Cantiones. Orationes.
Adhortationes.
Commemoratio uerborum Cœnæ.
Eleuatio.
Quis diſtribuerit, in quali ueſtitu, & quãdo cœperint ornatus.
Quòd utramque partem ſingulis diſtribuerint, uel unam duntaxat: & quando id cœperit fieri.

Quibus gestibus id fecerint: an porrexerint, an circumtulerint.

Quomodo, seu quibus ritibus communicantes acceperint Cœnam: an acceperint ipsimet manibus suis: an uerò tantum passi sint, ministrum sibi in os inferere, aut infundere.

Quæ post sumptam Cœnam subsequuta sint, quæ orationes, cantiones, & similia.

Quòd miserint alijs domum, ægrotis, incarceratis: & per quos, & quibus ritibus.

De sacrificio Missæ.

Quando cœperit Cœna Domini offerri Deo.

Qualibus ritibus id factum sit, & quomodo sub inde aucti.

De canone.

Memoriæ siue catalogus Martyrum.

Quibus id sacrificium applicatum.

An pro uiuis & mortuis.

An pro felici nauigatione, uenatione, negotiatione, & similibus.

De pacis osculo.

De oblatione ad altare.

De inclusione, circumgestatione, & tota pompa unius partis cœnæ, nempe panis: itē ad quos usus.

Varij casus circa Cœnam Domini.

Ritus circa Orationes.

Quando soliti sint ad publicas preces cōuenire, & quoties.

Quibus gestibus orarint.

Ad quam partem mundi se uerterint.

In quo loco orarint.

An ad aras, uel ad statuas aut imagines orarint, &c.

Vespertinæ preces.

Matutinæ.

Horæ Canonicæ.

Vtrum numerarint preces.

Quomodo Christiani priuatim orarint.

Ritus circa uocationem & ordinationem.

Ritus circa electionem, ubi, per quos, quo modo.

Examen.

Ritus ordinationis.

Quales ordinarint, & quot annorum fuerint.

Vbi.

Per quos.

Quando.

Ad quos gradus.

Quomodo orationes, impositiones manuum, &c.

Quòd intimarint alijs, ut loquuntur scriptores.

Exorcisatio obsessorum.

Vbi facta exorcisatio; in templis, an alijs locis.

Qui exorcizauerint.

Quando.

Quomodo.

Formulæ uerborum.

Impositi o manuum, oratio, adiurationes, aqua benedicta, signationes crucum, & id genus alia.

Varij casus circa exorcisationem.

Ritus circa ieiunia.

Quòd ieiunarint.

Quando, quibus diebus, quo anni tempore.

Quoties.

Quis indixerit ieiunium.

Quomodo, à quibus cibis abstinuerint, quamdiu.

Quæ publica,

Quæ priuata ieiunia.

Quo fine ieiunarint.

Festa.

Qualia festa habuerint.

De paschate, & quo tempore, quibus ceremonijs, quot diebus obseruarint.

De Pentecoste, per easdem circumstātias.

De natiuitate Domini.

Et si qua alia festa obseruarunt, seu posteriores accumularunt, siue Apostolorum, siue martyrum, & aliorum.

Oblationes quæ in festis solitæ sunt fieri.

Quo fine festa sint celebrata.

Quod non licuerit Christianis festa gentilium uel Iudæorum celebrare.

Ritus circa nuptias.

De publicis copulationibns & benedictionibus nouorum coniugum.

Vbi, per quos, quibus ritibus, seu formula copulationis.

De puerperarum benedictione.

Ritus uisitandi ægrotos.

Qui ægrotos uisitarint.

Quando.

Quomodo id fecerint, quid egerint apud ægrotos.

De unctione extrema.

Quomodo morientes tractarint ministri Ecclesiæ.

Ritus sepulturæ.

Quomodo tractarint mortuorum corpora ministri Ecclesiæ, uel alij Christiani.

Quæ sepulturam antecesserint, ut uigiliæ, &c.

Deductio funeris.

Cantiones.

Crux prælata, item cereæ candelæ.

Qui deduxerint funus.

Loca sepulturæ, cœmiteria, &c.

Quæ sint secuta sepulturam, ut cātiones

in

in templis, oblationes munerum.

Distributio eleemosynarum in pauperes.

Memoriæ defunctorum, uel orationes, uel cantiones.

De reliquijs sanctorum, earũq; translatione & cultu.

In diuersis locis etiam interdum easdem reliquias haberi.

Ritus Monachorum.

Monasteria qualia, & ubi: item qui autores, quando cœperint.

Statuta monachorum & monialium.

Victus. Vestitus.

Gestus. Ceremoniæ.

Superstitiones. Abusus.

Varij casus in uita monastica.

De eremitis, quando cœperint, ubi, quibus ritibus usi, & similia.

Quo fine eam uitam coluerint.

Mores Christianorum.

Ordo Decalogi hic obseruatur, quantum potest fieri.

Quæ pietatis officia: ut,

Verbum Dei audire, amare congressus publicos.

Magnifacere ministros uerbi.

De bonis suis conferre aliquid ad conseruationem ministerij.

Confiteri.

Iuramenta seruare.

Festis ethnicis & spectaculis impijs abstinere.

Visitare fratres ægrotãtes, captiuos, in supplicijs existentes.

Parêre magistratibus in rebus ciuilibus, & honestis legibus.

Magnifacere coniugia.

Educare liberos in disciplina.

In honesta uocatione & labore uersari.

Non exercere artes ludicras.

Militare.

Litigare in foro.

Se defendere contra uim iniustam.

Cibi, conuiuia, ἀγάπαι.

Abstinere ab idolothytis.

Xerophagiæ.

Vestitus puerorum, uirorum, uirginum, mulierum.

Tenere proprium.

Esse liberalem in egenos.

Non exercere iniustas usuras.

Hospitalitatem præstare.

Esse ueraces in contractibus.

Vitia Christianorum.

Summa: Hoc caput est commune receptaculum, omnium eorum quæ superioribus titulis non possunt commodè comprehendi.

Romanæ Ecclesiæ ritus seorsim iuxta seriem omnium supradictarum partium tractantur.

CAP. VII.

DE POLITIA SEV GVBERnatione Ecclesiæ.

DE uulgari forma gubernationis Ecclesiarum, passim eo seculo usitata.

De Personis.

Quod docti uel indocti, confessione, integritate uitæ, & bono testimonio prediti, fuerint adhibiti ad ministerium.

De numero personarum, quot in qualibet Ecclesia fuerint.

De gradibus personarum, siue ministrorum in Ecclesia, quot & quales tum fuerint in usu: fuisse episcopos, presbyteros, diaconos, & si qui reperiuntur alij, & quomodo subinde aucti sint.

Quæ fuerint singulorum officia & actiones, quantum historiæ huius seculi suppeditant.

De ratione ac forma gubernationis.

Quomodo istæ personæ eo seculo Ecclesiã gubernarint.

Quòd docuerint, interpretati sint scripturas, catechismum tradiderint.

Taxarint hæreticos.

Peccatores reprehẽderint. Quòd taxarint uicia & corruptos mores episcoporum, presbyterorum ac clericorum: hortati sint ad pœnitentiam, nouam obedientiam, confessionem, orationem.

Administrarint Sacramenta, Baptismum, Cœnam porrexerint.

Claues administrauerint, ligauerint & absoluerint.

Contra quos excommunicatione usi sint.

Quomodo distinxerint etiam suos cœtus in Ecclesia, in *σύνταγμένους, κατηχουμένους, μετανοοῦντας, τελεσμένους*, &c.

Orarunt pro omnibus rebus necessarijs.

Quòd ceremonias condiderint congruentes cum uerbo Dei, uel dissentientes ab eo: quòd etiam mutarint. Quo fine uisitarint afflictos & ægrotos. Attenderunt lectioni.

Bono exemplo præierunt.

Examinarunt, ordinarunt ministros.

Quomodo per gradus ascenderint.

De Simoniacis actionibus.

Temporis & festorum rationem etiam indicarunt suis auditoribus.

Antithesis: Si qua superstitiosa uel impia & idololatrica in hisce partibus sunt ab illis facta, ut dedicationes templorum, benedictiones aquarum, suo loco adscribuntur, &c.

De Monachatu, & reliquis ordinibus: itẽ eremitis, & alijs.

Quòd fuerint, quo loco & ordine habiti, quid fecerint.

De Synodis priuatis, & Consistorijs.

Quòd habuerint Synodos priuatas.

Quæ necessitas eas coegerit: nẽpe ut gra-

uia negocia explicarentur, & conſeruaretur aliqua diſciplina.

Qui ſoliti ſint adhiberi: ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, laici, &c.

Quales res in ijs agitauerint.

Vt quòd de quæſtionibus in doctrina inter ſe contulerint, de hæreſibus ingruẽtibus: de cohercendis uel admonendis, uel deponẽdis & excommunicandis ijs, ſiue laicis, ſiue miniſtris uerbi, qui erant rei alicuius atrocis peccati.

Item amicè tranſegerunt cauſas quaſdam.

Cognouerunt cauſas matrimoniales.

Quòd perſonæ Eccleſiaſticæ & laici elegerint ac uocauerint idoneos ad miniſterium uerbi.

Priuilegia & iura eccleſiaſticarum perſonarum in quolibet gradu.

Decreta talium Synodorum, canones ſeu leges eccleſiaſticæ.

Quæ Eccleſia præ alijs multa decreta in priuatis ſynodis fecerit, quæ poſtea alijs eccleſijs obtrudere conata eſt.

Enumeratio illorum decretorum, tantum per hypotheſes.

De bonis Eccleſiæ.

An Eccleſia quædam bona propria habuerit, an uerò fuerit communio rerum, an utrũque ſimul.

Quales cõtributiones ſeu donationes ſint factæ in publicis congreſsibus, uel aliàs.

Item qualia dona obtulerint: ut panes, fruges, pecuniam, primitias.

An poſſederit Eccleſia prædia, fundos, reditus: an uerò ex eleemoſynis quotidianis uixerit.

Quis præfuerit publico ærario uel bonis Eccleſiæ, & quis diſpenſauerit.

Vſus iſtorum bonorum.

De ſtipendijs miniſtrorum, & an bona miniſtrorum ad hæredes eorum peruenerint.

De præbendis, de patronatu, collationibus & aucupationibus præbendarum.

De habitationibus Eccleſiaſticarum perſonarum.

De eleemoſynis in pauperes, uiduas, pupillos, hoſpites, incarceratos diſtributis.

Item, quòd peregrè ad Chriſtianos fame laborãtes, aut in carceribus exiſtentes, collectę ſeu eleemoſynæ ſint miſſæ.

De Bibliothecis.

An habuerint.

Qui curarint bibliothecas. Quibus ſumptibus.

Quibus libris fuerint bibliothecæ inſtructæ.

In quem finem.

De ſcriptoribus hiſtoriæ Eccleſiarum & martyrum.

De Scholis.

An habuerint.

Genera ſcholarum, nempe Chriſtianorũ & Ethnicorum, priuatarum & publicarum.

Vtrũ Chriſtiani ſuos liberos ethnicæ ſcholæ tradiderint.

Qui fuerint inſpectores.

Qui gubernatores, item qui profeſſores.

Quid ſoliti ſint in ſcholis tradere aut proponere iuuentuti.

De conſociatione Eccleſiarum in una prouincia, & mutuis inter ſe officijs.

Quòd plures Eccleſiæ in una prouincia fuerint inter ſe coniunctæ.

Quo iure, an diuino, ſeu arbitrario, ſeu conſuetudinario.

Vtrum fuerit arcta & firma coniunctio, an uerò qualiſcunque.

De gradibus, qui in ea coniunctione ſuperiores, qui inferiores fuerint, & quibus nominibus & titulis inter ſe diſtincti: & quando illa eminentia & titulorum uarietas ac dignitas cœperit.

De forma illa gubernationis in cõiunctione prouinciali, ſeu de officijs.

Circa quas res uerſata eſt ea prouincialis coniunctio: ut circa uariantes opiniones de dogmatibus uel ceremonijs.

Varij caſus. Vocationes.

Ordinationes.

Depoſitiones.

Translationes epiſcoporum ſeu doctorũ.

Excommunicationes.

Quòd ſibi inuicem ſcripſerint, ſeſeque mutuò conſuluerint: & quòd iſtæ controuerſię, ad eũ qui inter eos autoritate excelluit, ſint relatæ.

Quòd ſuperiores nihil egerint aut ſtatuerint priuato conſilio: ſed quando neceſsitas poſtulauit, ſynodum conuocarint.

Quòd in ſynodis quædam de rebus controuerſis communiter decreuerunt, ac ſtatuerunt, excommunicarũt: & ſi quid fuit in alijs iudicãdum, communibus literis per prouinciam expoſuerunt.

De conſociatione plurium ſiue omnium prouinciarum.

Vtrum fuerit talis aliqua conſociatio.

Qui gradus, & nomina graduum.

Quæ officia, & ratio gubernationis.

Res pertinentes ad eam communem coniunctionem.

Synodi uniuerſales, & quòd condiderint quædam ſtatuta.

De Primatu.

Non fuiſſe primatum unius alicuius perſonæ uel loci: & hoc probandum eſt hiſtorijs, de ſingulis.

Quomodo in qualibet Centuria myſteriũ ini-

iniquitatis egerit: & quando primatus cœperit, quibus artibus, qua uiolentia, quomodo doctores & ecclesiæ se initiò oppoſuerint, quomodo progreſſus ſit.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS AC CERtaminibus leuioribus.

EX quibus occaſionibus orta ſint ſchiſmata.

Quo in loco.

Quando.

Inter quas perſonas ſchiſmata ſint exorta.

Quibus rationibus unaquæque pars innixa ſit.

Quomodo creuerint.

Quales actiones propter ſchiſmata ſint inſtitutæ.

Item de effectu. Vtrum ueræ doctrinæ & conſenſui Eccleſiæ nocuerint multũ, uel parum.

Vtrum ſecutæ ſint damnationes, & excommunicationes publicæ.

Quomodo cõpoſita ſint ſchiſmata, uel deſierint, uel etiam durauerint.

CAPVT IX.

DE CONCILIIS.

TEmpus, quando concilium aliquod ſit celebratum.

Occaſiones ſeu cauſæ conciliorum, quare hoc uel illud inſtitutum.

Quis indixerit.

Vbi, in qua ciuitate.

Quale fuerit præſens concilium de quo agitur, uniuerſale ne an nationale.

Quæ & quot perſonæ in ijs fuerint, præſertim uerò epiſcopi, ſeu eccleſiaſticæ perſonæ. Poſtea etiam de laicis perſonis additur aliquando.

In quali domo ſeu aula congregati ſint.

De forma concilij & ſeſsionum, uti uocantur.

De notarijs.

Quis præſederit.

De proceſſu.

Quid quælibet perſona dixerit, uel egerit.

Quæ controuerſiæ ibi ſint deciſæ, & quomodo.

Qui & quot canones ibi ſanciti.

An quæſierint ambiguitates, an uerò directè pronunciarint: an amneſtia ſit adhibita, an uerò alius quiſpiam modus.

Quæ perſonæ excommunicatæ, quæ abſolutæ.

Quamdiu durauerit concilium.

Quæ fuerit promulgatio.

De executione concilij per politicos aut eccleſiaſticos uiros.

Quanta eorum canonum autoritas fuerit, uel adhuc ſit.

Quomodo unum concilium alteri derogarit, uel prius ſtatuta confirmarit.

Quomodo interdum decreta conciliorum ſint falſata.

CAPVT X.

DE VITIS EPISCOPORVM, SEV *Methodus perſonalis.*

De adoleſcentia.

CVias fuerit, ex qua regione uel ciuitate.

Ex quibus parentibus natus.

Quomodo educatus, quo ingenio prædituſ.

Quibus magiſtris uſus, & quæ ſtudia iuuentutis fuerint.

De conuerſione.

Quomodo conuerſus, ſi gentilis fuit: & à quibus.

De functionibus.

Quando, per quos, ubi ad functiones peruenerit, quomodo aſcenderit.

Quibus donis uel communibus uel ſingulis, uel linguarũ, prophetiæ, miraculorũ, &c. ibi inſtructus fuerit, aut claruerit.

Quomodo functiones adminiſtrarit in inſtituendo populo & diſcipulis.

Quomodo interdum ex uno loco in alium profecti ſint, & functiones alias ſuſceperint: & quomodo aliàs peregrinati ſint, uel propter uiſitationem aliarum eccleſiarum, uel ob dirimenda diſsidia, &c.

Scripta.

Qualia ediderit.

Quæ adhuc extent, aut quæ interierint.

Cenſura, qui libri autori rectè tribuantur, qui ſecus.

Doctrina.

Quos articulos doctrinæ potiſsimùm illuſtrarit.

Enumeratio.

Næui & incommodè dicta hic in genere perſtringuntur, & præcipuè notantur ea quę ſuprà non ſunt indicata.

Certamina.

Contra gentes, Iudæos, falſos fratres, perſecutores & hęreticos.

Dona in certaminibus: ut acumen ingenij, dexteritas iudicij, perſpicuitas in refellendo, zelus.

Item, quomodo in ſchiſmatis ſedandis laborarint, quomodo concilijs interfuerint.

Item, quomodo alios doctores & eccleſias cõſilio & cenſuris in grauiſsimis Eccleſiæ negocijs adiuuerint.

Cum quibus habuerint familiaritatem.

De uitæ ſanctimonia, an uxorem quis habuerit, & liberos, an cœlebs fuerit: & quęcunque tandem habuerit in uita exercitia.

Martyria.

Tribulationes, afflictiones, perſecutiones ipſorum, unde, propter quas cauſas: an tan-

quam hæretici & seditiosi, uel malefici, uel ob alias causas passi sint, quomodo, quo fine.

Quomodo se ibi gesserint, quas confessiones ediderint: deque liberationibus admirandis.

Item, de ipsorum imbecillitatibus, trepidationibus, fuga, abnegationibus.

Eiectiones, exilia, restitutiones.

Mors qualis. Sepultura.

Et quæ mortem secuta.

Curriculum totius uitæ, seu numerus annorum, quot uixerit, & quot in ministerio fuerint.

Testimonia aliorum clarorum uirorum de aliquo Doctore, loco commodo interserũtur.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS, SEV SEductoribus.

IN hoc caput de Hęreticis, reponũtur ea quæ ad personas eorum pertinent, & suprà in loco de hæresibus non sunt indicata.

Et obseruatur hic quoque Methodus personalis: nisi quòd dogmata, certamina, scripta, socij, superius habeant suum receptaculum: hic uerò exponatur,

Cuiates fuerint.

Quo ingenio prædíti.

Quomodo educati.

Qualis eruditio.

Quomodo in hæresin inciderint.

Quid spectarint.

Quomodo sint admoniti ab alijs.

Disputationes cum aljis.

Peregrinationes eorum.

Condemnationes, fugæ eorum.

Flagitia & turpitudo uitæ.

Fœdi obitus.

Curriculum.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

HVc reponuntur tantum ij, qui suprà in uita doctorũ nõ sunt descripti, qui uel nõ fuerunt doctores, uel aliàs minus clari, quorum tamen cõfessiones sunt illustres. Nam ij quorum tantum nomina extant, ad locum de persecutione referuntur.

Nomina eorum recẽsentur, unà cum locis.

Deinde occasio uel causa martyrij.

Item, utrũ sponte se obtulerint, an per uim abrepti sint ad martyrium.

Quomodo in carcere detenti, uel quibus tormentis affecti sint.

Quales confessiones coram iudicibus & in medijs tormentis ediderint, quomodo docuerint, uel in alijs rebus se singulariter gesserint.

De ipsorum uel pusillanimitate, uel magnanimitate.

Qui semel facta abnegatione, postea iterũ redierint ad martyria.

De supplicio seu nece, uel tormentorũ generibus.

De eorum sepultura.

Quæ ipsorum mortem consecuta.

Martyres qui non in probatis autoribus inueniuntur, præterimus.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS ET PRODIGIIS.

HIc etiam habent suum locum ea tãtum miracula, quæ superius non fuerunt recitata in locis de Doctoribus Ecclesiæ.

In miraculis quoque breuitati studetur: & referuntur tantum ea quæ in probatis autoribus extant, aut insignem aliquam doctrinã continent.

De ipsorũ fine subinde quædam interspersguntur, ut usus in conspectu uersetur.

Huc referuntur non tantum miracula quę à personis facta sunt, sed quæ etiã aliàs à Deo edita sunt circa personas aut res Ecclesiæ: ut sunt prodigia, & alia inusitata.

De spectris cacodęmonum, falsisque apparitionibus, seu fictis uisionibus Angelorũ.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS, EXTERNIS *seu politicis.*

QVòd durarint adhuc Iudæi.

In quibus locis.

An habuerint alicubi magistratus ex suis, uel non.

An liberi, an uerò sub aliorum imperio fuerint.

An uerò seditiones mouerint: idq; ex quibus causis, & quibus ducibus.

Quo euentu mouerint seditiones.

Mores politici Iudæorum inter gentes, seu Christianos.

Qua ratione uictum quæsierint, an per artificia, culturam ægrorum, an uerò per fœnerationem.

An sint admissi ad publica officia in ciuitatibus, uel non.

Quòd interdum expulsi è ciuitatibus, & quare, & quò migrarint.

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIBVS EXTRA *Ecclesiam Christi, ut Iudaismo & Gentilismo.*

IN hoc capite duo tractantur.

Primò, Iudaismus hoc modo.

Quòd adhuc durarit Iudaismus.

Quibus in locis.

Quòd hebraicam linguã retinuerint, quòd etiam alios eam docuerint.

Quos libros habuerint & composuerint, ut Thalmud, &c.

Synagogæ ipsorum.

Quæ capita ipsorum religionum fuerint, præsertim controuersa: ut de Messia, de lege, & de circumcisione.

Deinde, quàm infensi fuerint Christianæ religioni.

Quid

Quid mali uel ſcribẽdo, uel calumnijs, uel alia denique ratione contra eam ſtruxerint.

Nominãtur, qui pro Iudaiſmo ſcripſerint.

Qui doctores ueræ Eccleſiæ, & quomodo contra religionem Iudaicam ſcripſerinr, &c.

De euentu. In his tantum dicitur, quantum ex autoribus peti poteſt.

Secundò de Gentiliſmo.

PRimò in genere, quòd gentiliſmus longè lateque adhuc dominatus ſit.

Regiones aliquæ nominantur, quò nondum peruenit Chriſtiana religio.

Secundò, in ſpecie dicitur de ijs locis, ubi Chriſtiana religio cœpit plantari, & nihilominus gentiliſmus ſimul manſerit.

Hic proceditur ſecundum partes orbis, ut initiò de Aſia,

Deinde de Africa,

Tertiò de Europa dicatur.

Probatio & explicatio.

Quales Deos habuerint.

Qualia templa.

Quales ſacerdotes.

Quibus ritibus coluerint idola.

Quæ ſuperſtitioſæ conſuetudines.

Quæ doctrina.

Quomodo contra Chriſtianos docuerint, uel egerint.

Quomodo Chriſtiani aduerſus gẽtes laborarint, ſcripſerint, & quo tandem fructu, &c.

CAPVT XVI.

DE MVTATIONIBVS POLITICIS *in Imperijs.*

ORdine iuxta Imperatores, mutationes in imperio Romano, ac uariæ eius formæ recenſentur, occaſionibus ſimul breuiter indicatis, quæ deletiones uel acceſsiones inſignes factæ ſint.

Item, quæ peregrinę gentes, & quo euentu ſeſe in regiones infuderint.

FINIS METHODI.

HISTORIAE ECCLE-siasticæ Centuriæ pri-mæ Liber primus.

CAPVT I.

1

VM historiam Ecclesiæ Domini nostri IESV CHRISTI, quæ res omnium grauissimas complectitur, describendam suscepe rimus: ipsa nos rei amplitudo et difficultas, nostræq; tenuitatis conscientia hortantur, ut initiò nos ardenti inuocatione ad eum ipsum conuertamus. Te igitur IESVM Christum, æterni Dei æternum & consubstantialem filium, qui miseratus humanam cladem, homo factus, peccata totius generis humani subijsti, mortemq; crudelissimam perpessus es: & nunc resuscitatus, sedes ad dexteram patris, tibiq; ministerio uerbi tui Ecclesiam ex cunctis populis, omnibus seculis, ex immensa misericordia colligis, sanctificas, foues, grassantemq; Diabolum & eius organa reprimis & coherces, & calamitates piorum mitigas: totis cordibus supplices adoramus ac petimus, ut in hoc graui opere, spiritu sancto, quem sanguine tuo peperisti, auxiliarem nobis porrigas manum, corda nostra accendas, dona uiresq; largiaris, ut historiã saltem mediocriter delineare atq; contexere ualeamus: & cuncta in laudem tuam, Ecclesiæq; tuæ ædificationem cedant & redundent: Amen. Tuo igitur IESV Christe confisi auxilio, sine longiori proœmio, opus ipsum aggrediemur.

Prima itaq; Cẽturia, historiam à natiuitate Christi, usq; ad Traianum Imperatorem ob oculos ponet. Et operæprecium est in ea uidere, quomodo iuxta promissiones diuinas, Messias in hanc lucẽ editus, & abrogato Mosaico statu, nouam religionis formam constituerit: non quidem deletis fidei articulis, qui omnibus temporib. ijdem & immobiles existunt: sed umbris completis, & absoluta atq; perfecta redemptione totius generis humani. Proponit etiam hæc pars historiæ, exordia atq; incrementa Ecclesiæ IESV Christi, collectæ ab ipso & Apostolis. Illustrata est doctrina cœlestis uiua uoce, ab ipso filio Dei, magis quàm ullo unquam seculo à primordio rerum omnũ factum fuerat: & Apostolis tradita, ut eam porrò in uniuersum terrarum orbem diffunderent & propagarent. Miracula insuper talia accesserunt, qualia hic mundus antea nõ uidit. Oppositit quidem sese Diabolus, unà cum suis organis, crescenti Euangelio & Ecclesiæ Christi: uerum inter medias tribulationes, mirandis modis nihilominus credentium cœtus defensus & conseruatus est. 2

Placuit autem hanc Centuriam in libros duos partiri, ut historia Christi, donec uisibiliter in terris uersari uoluit, magis emineret: ac liquidò cõstaret, qua ipse doctrinæ ratione, qualiq; gubernatione Ecclesiæ sit usus.

Deinde, ut in Apostolorum quoq; curriculo, ipsa ueluti praxis seu usus doctrinæ, à Christo acceptæ, extaret: & qualem ipsi Ecclesiæ gubernationẽ in rebus omnibus obseruarint, qualiq; successu usi sint, aut quales etiam aduersitates pertulerint, conspici, rectèq; considerari posset. Idq; propter eam potissimum causam, ut res Ecclesiarũ in posterioribus seculis, cum rebus Christi & Apostolorum conferri: & perspicuè iudicium fieri posit, quibus in capitibus uariatum aut declinatum sit, quidue retentum: & quæ pars uerè fuerit, aut sit Ecclesia Christi: illamq; primitiuam religionis formam, quam Christus & Apostoli sanciuerunt atq; obseruarunt, retinuerit, aut ad eam quàm proximè accesserit, & adhuc accedat. Nam omnibus ætatibus plures sibi pulcherrimum Ecclesiæ titulum arrogant, & maximis uiribus de eo contendunt: litemq; eam non modò stylo uoceq;, sed etiam ferro dirimere sæpenumero conantur. Superbit enim plerunq; impurus cœtus, autoritate & potentia excellens, magis Ecclesiæ titulo, quàm is qui rectè sentit: & simul in ciues ueræ Ecclesiæ Dei, suas corruptelas & idolomanias refutantes, atrocem exercet sæuitiam.

CAPVT II.

DE LOCO ECCLESIAE CHRISTI, eiusq; instauratione.

QVI Ethincas historias accuratè describunt, loca etiam ipsa, ubi res maximè memorabiles gestæ sunt, diligenter assignant: id quod lectoribus tum uoluptatem, tum utilitatem nõ paruam adfert. Quanto autem magis in descriptione Ecclesiæ Christi, uestigia quasi Dei, ubi res omnium maximè admirandæ ac salutares gestæ atq; perfectæ sunt, annotanda & obseruanda sunt: idq; non tantum quia iucundum est, nosse atq; considerare loca, in quibus Deus se manifestauit uerbo, miraculis, & ingentibus alijs beneficijs, ubi Christus passus est ac resurrexit: sed quia ista omnia ad omnes omnium seculorum Christianos pertinent, fidemq; egregiè ac utilissimè eruiunt & confirmant. Doctrina enim à Christo reuelata, miracula eius, deniq; obedientia tota, quã præstitit, sese legi subijciendo, commune bonum est to-

tius orbis terrarum. Iuuat etiam, ea quæ in monumentis prophetarum diuinitùs sunt prædicta, ad ipsa loca, & quæ ibi acciderunt, conferre. Imò quis est tam horridus, uel mediocri saltem pietate ac cognitione rerum sacrarum tinctus, qui non optaret toto pectore ista loca, imò etiam ipsa rudera, sine superstitione præsens peruagari & contemplari, quæ IESVS Christus, totius mundi Saluator unicus, pedibus triuit, ubi docuit, ægrotos sanauit, mortuos resuscitauit: deniq; ubi deuicto peccato & morte, ipsemet resurrexit potentissimè ex morte, & uisibiliter in cœleste regnum ascendit? ubi schola Apostolorum floruit, effusus spiritus sanctus uisibili specie? & (ut breuiter dicamus) ubi salutaris fonticulus Euangelij uberrimè scaturijt, qui nunc iuxta prophetias diuinitùs factas, emanauit in totum terrarum orbem?

Cum igitur omnibus eò commigrare nõ liceat, ideo iam, quantum quidem ex historia Euangelica colligere licet, illa loca paucis commemorabimus, in quibus sedem suam Ecclesia Dei habuit, quàm diu quidẽ in terris uisibiliter, assumpta carne humana, filius Dei IESVS Christus uersatus est.

Fuit igitur Ecclesia, tempore IESV Christi, in terra Cananæa seu Palæstina præcipuè. Est autem Palæstina ea pars Asiæ, quæ ab ortu habet Libani montes, à Septentrione Phœniciæ partem, à Meridie Arabiã, ab Occasu mari Mediterraneo tota patet atq; exposita est. Terra Canaan in sacris appellatur. nam ibi Cananæi ac Phærezei habitauerunt: ut Genesis 13. uidere est. Palæstina uerò à Ptolemæo est nominata, fortè à Philistim. Fuit autem ea terra hospitium & sedes populi Israelitici, eò à Mose ex Aegypto & Iosua perducti, ubi iuxta suas tribus habitabant, prout sorte quilibet locum acceperat: licet gentes passim uicinis in locis circumfusæ essent, & quibusdam in partibus etiam intermixtæ. Tenuerunt autem Israelitæ eam regionem, à prima sua occupatione usq; ad Christi aduentũ, annis 1399. Vsq; uerò ad destructionem per Titum Vespasianum factam, 1469.

Cæterum exhibiti Messiæ tempore, non casu in ea parte mundi Ecclesia Dei fuit: sed multis sæculis antè id fuerat à Deo prædictum. sicut Genes. 12. Abrahamo promissio à Deo datur: Semini, inquit, tuo dabo terrã hanc. & quidem ea corporalis promissio alteri principaliori annectebatur, nempe quòd ex posteris Abrahæ esset expectandum illud præclarũ semen, contriturum serpentis caput, ut erat Gen. 3. reuelatum diuinitùs. Alligata autem est (ut & hoc moneamus breuiter pium lectorem) Messiæ natiuitas ad Abrahæ familiam, & ad locum certũ, nempe terram Canaan: & quidem, ut Micheas expressit, ad Bethlehem Iudææ, ut certa esset cũctis mortalibus promissio de Messia: atq; ad eam gentem & locum omnes pij, ubicunq; terrarum uiuerent, oculos & pectora referrent: atq; ingentes Dei reuelationes, quæ ibi incarnatione filij Dei, ac tota redẽptione generis humani debebant fieri, obseruarent: deniq;, ut fides in certa persona ac rebus, in omnem usq; æternitatem niteretur. Deinde & generalem hanc doctrinam extare & confirmare uoluit Deus, se aliquem cœtum in genere humano habere, quem curet, in quo sit efficax, & à quo iuxta normam uerbi sui inuocari, coli ac celebrari uelit. Etsi igitur uariæ ac sæuæ gentes populum Israeliticum, eas terras incolentem, sæpe & uehementer afflixerunt: tamen protexit eos Deus mirabili potentia, & ab exilijs duris clementer reduxit atq; restituit: & hostiũ conatus ita moderatus est, ut tamen eo ipso tempore, quo exhibendus erat Messias iuxta prophetias, populus Israeliticus eum locum satis quietè, licet peregrinis dominis subiectus esset, teneret.

Fuit autem satis arctus ipse locus, ad reliquas spaciosissimas & frequentissimas orbis terrarum regiones collatus: sed (prò dolor) multo angustior & rarior, q̃ ipse locus erat, tempore Christi ibi Ecclesia Dei inueniebatur. Videbatur quidem Mosaica religio, quod ad externam speciem attinet, egregiè florere: sed, ut infrà dicendũ erit fusius, hypocrisis longè lateq; dominabatur, qua, doctrina uera de Messia, eiusq; beneficijs, de remissione peccatorum, ac ueris cultibus, in uniuersum propemodũ erat non solũ obscurata, uerùm extincta etiã, adeò ut nõ absre tristissima uox Esaiæ prophetæ huc referri posse uideatur: Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me nõ cognouit, & populus meus nõ intellexit. id quod & Iohãnes cap. 1. expressit: In propria uenit, & sui eũ nõ receperunt. Reliquit autem nihilominus benignissimus Deus, in ijs regionibus reliquias quasdam, quantumuis exiguas, ueræ suæ Ecclesiæ, ne sicut Sodema & Gomorra fierẽt, ut Propheta ait: ac instaurauit atq; illustrauit eas IESVS Christus cũ suis synergis, totoq; ministerio. Imò inter ipsas etiã gentes lõge à terra Canaan distantes, quædam Ecclesiæ suæ hospitiola habuit Deus, in exilijs sui populi ibi per prophetas excitata, aut alio qui per uiros pietate præstantes propagata, quamuis (ut inferius ex historijs patebit) pauca de his rebus literis sint mandata. Hisce igitur præmissis, nunc ad enumerationem locorum, Deo aspirante, accingemur.

Ab Hierosolyma autem, terræ sanctæ, ut uocatur, metropoli, iure auspicamur: q. is locus electione Dei, templo, sacerdotio, uictimis, præsentia Dei ad arcam fœderis, totoq; religionis statu, & aula regum Iudaicorum, præ omnibus ciuitatibus in toto terrarũ orbe fuerit insignis & celebris. His accedebat, quòd ibi Messias, iuxta prophetias, regnum suum inchoaturus, plurimum uersaturus, docturus, & reconciliationem miserorum hominum cum Deo, liberationemq; ab ipsorum diris ac mortiferis hostibus perfecturus esset: ac emissurus inde legatos, suorum factorum & totius doctrinæ publicos nuncios, in omnes fines terræ. Fuit igitur ibi Ecclesia Christi, hoc est cœtus quidam, puram de Messia, de remissione peccatorum & ueris cultibus doctrinam constanter retinens: & in quo Spiritus sanctus fuit efficax, ut præsentem Messiam agnoscerent, & amplecterentur. Tales certè erant, Zacharias, Elizabeth, & Ioannes Baptista, qui uel Hierosolymis, uel non procul inde habitarunt. In præsentatione Christi, quæ iuxta ritum Mosaicum fiebat, non temerè, sed impulsu Spiritus sancti, ut Lucas testatur, Simeon & Hanna in templo adsunt, & sponte filium Mariæ pro Messia indubitanter agnoscunt ac celebrant, déque eius successu ac beneficijs uaticinantur. Venerandus ille senex Simeon, cygnea cantione gratias agens

Deo,

Deo, & exultans etiam brevibus uerbis, eum gloriam Israel, salutare omnium populorum, deniq; lumen gentium prædicat. Nec fuerunt isti homines tanta luce ac cognitione Messiæ præstantes, muti: sed lætitia exuberantes, egregij præcones exhibiti Messiæ fuerunt, ad pontifices, sacerdotes, totumq; reliquum cœtum, sicut manifestè Lucas testatur cap. 2. Etsi autem apparet, primates, quòd sibi tantæ revelationes non acciderant, eam famam tanquam anilem & deliram fabulam risisse & floccipendisse: tamen non dubium est, quorũdam corda fuisse permota, ut altius rem tantam inuestigarint. Habuerunt & familias suas isti sancti homines, sibi adstipulantes, & beneficia Dei celebrantes. Neq; uerò numero metitur Ecclesiam suam Deus: sed paucis etiam credentibus delectatur, contemnens se contemnentes, ut scriptum est. Creuit autem postea Ecclesiæ ueræ numerus, multa titulari (ut sic loquamur) hypocritarum ecclesia: quando IESVS Christus, initiatus à patre & Spiritu sancto in baptismo, quem à Iohanne præcursore suo accipiebat, in templo Hierosolymis, eorumq; synagogis frequenter docebat, & miraculis suam uocationem comprobabat. Narrat enim historia Euangelica, non exiguam turbam ad Christum quotidie confluxisse, eiusq; doctrinam auidè audiuisse: licet subinde aliqui, ut fit, sacerdotum & Epicureorum, siue autoritate, siue blanditijs, siue minis, deniq; etiam horrenda specie passionis IESV Christi, abalienarentur, deficerent, & ueluti naufragio facto excuterentur.

Fuerunt certè & inter præcipuos eius ciuitatis, membra Ecclesiæ Christi, licet imitio infirmi ac trepidi, postea tamen confessionib. celebres facti: ut Nicodemus, Iosephus de Arimathia, & alij, quorum fides in Christum multo magis interfecto Christo eluxit, quàm Apostolorum. Post ascensionem quoq; Christi in cœlum, Ecclesia ibi ministerio Apostolorum haud uulgaria incrementa sumpsit: id quod secundo huius Centuriæ libro explicandum erit.

Non autem alienum ab hoc instituto uidetur, pauca de Hierosolymorum nomine & situ attexere. Hieronymus de locis Hebraicis scribit, olim eam ciuitatem tenuisse Adonibezech: & post eum Iebuseos, unde & Iebus dicta fuerit. quibus multo pòst tempore extermi natis à Dauide, metropolis uniuersæ Iudææ sit effecta: ubi & locum templo destinatum coemerit, impensasq; structuræ filio suo Salomoni reliquerit. Iosephus lib. 7. belli Iudaici asseuerat, eam à rege Melchisedech condi tam, Salemq; uocatam: postea uerò à Dauide primùm Hierosolymam appellatam. Hadrianus autem Imperator, pulsis Iudæis, Heliam eam, suo nimirum nomine, nuncupauit: ut infrà dicetur. Interpretantur autem uocem ipsam, uisionem pacis: fortè quòd circa ea loca Iacob scalam illam mirabilem cõspexit, de quo Gen. 28. narratur: uel quòd eo in loco exoptatissima pax inter Deum & homines esset per Messiam restituenda, & Euangelium pacis inde emanaturum ad omnes gentes.

De situ Hierosolymorum, Strabo lib. 16. scribit, locum esse petrosum, aqua tantum abundantem: circumstantem uerò regionem sterilem ac siccam, & intra sexaginta stadia petrosam. Eiusmodi & munitionem fuisse, nempe petrosam & bene septam, interius aqua abundantem, exterius omnino siccam, fossam in lapide excisam quadraginta pedum profunditate, latitudine uerò ducentorũ & quinquaginta. Taciti quoq; descriptionem inserere libet, qui Annalium libro uigesimoprimo sic ait: Vrbem arduam situ, opera molesq; firmauerãt, quamuis uel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta, & turris, ubi mõs iuuisset, in sexaginta pedes, inter deuexa in centenos ui cenosq; attollebantur, mira specie, ac procul intuentib. pares. Alia intus mœnia regiæ circumiecta, cõspicuoq; fastigio turris: Antonia, in honorem M. Antonij ab Herode appellata. Templum in modum arcis, proprijq; muri: labore & opere ante alios ipse porticus, quibus templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, cauati sub terra montes, & piscinæ cisternæq; seruandis imbribus. Hæc Tacitus. Ex hisce etiam phrasis intelligi potest, quare sacra Scriptura dicat, Ascendere Hierosolymam. Habuit autem ex locis nõ procul inde distantibus, omnium rerum necessariarum copiam. Atqui summum decus, præ omnibus alijs, ut dictum, fuit uerbum Dei, Arca fœderis, Religionis status à Deo ipso institutus: quodq; Deus se huic templo quasi alligarat, & hunc locum destinarat patefactionibus Messiæ, & eius actionibus consummandis, ad reconciliandum patri cœlesti totum genus humanum. Iis autem omnibus peractis, filio Dei in cœlum iterum profecto, iuxta prophetias, tandem ciuitas amplissima & celeberrima, horrendo iudicio Dei solo æquata, totaq; Iudæorum gens dissipata est: ut constaret toti posteritati, exhibitum esse Messiam, cessare Mosaicum religionis statum, uocari Ecclesiam Dei ex gentibus: neq; ullum peccatũ atrocius à Deo punitum iri, quàm filij sui & Euangelij contemptum.

Bethania castellum fuit, quindecim stadijs (ut Iohã. cap. 11. scriptum est) ab Hierosolymis situm, in quo insignes pietate & fide in Christum habitarunt, præter alios, Martha & Maria sorores, & Lazarus ipsarum frater: quem defunctũ, & iam quatriduò in sepulchro iacentem, & ob putrefactionem inchoatam fœtentem, infinita sua potentia & uerbo efficacissimo in uitam revocat IESVS, sanitatiq; restituit: & Simon leprosus. istorum familiaritate crebrò usus est IESVS, ad eos diuertens, ibiq; commorans plurimis diebus: fortè, quòd is locus mõti Oliuarum esset uicinus, in quo passionem suam postea cœpit: & post resurrectionem triumpho admirabili in cœlum uisibiliter ascendens, regnum suum æternum obtinuit. Fit Bethaniæ mentio Matth. 21. 26. Marc. 11. 14. Iohan. 11. 12. Dicitur autem Bethania domus obedientiæ, uel afflictionis suæ, uel domus gratiæ Domini.

Est & Bethphage uiculus, non procul inde distans, ex quo ad suum pompaticum ingressum, quem in Hierosolyma (iuxta Zachariæ prophetiam) fecit, asinam cum pullo mutuatus est. nec dubium est, Apostolos iumenta restituentes, de exhibitione Messiæ ipsos nonnihil erudijsse, & pro officio præmia spiritualia reddidisse: Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Dicitur autem Bethphage, domus oris uallium, seu ficuum.

Emmahus sexaginta stadijs ab Hierosolymis distabat, apparitione Christi post resurrectionem clara: Lu

cæ 24. Quæ tamen ibi ecclesia Christi fuerit congregata,nõ est literis indicatum. Emmaus autem castrum seu arx nominatur.

In Bethlehem Iudææ,ciuitate Dauid, aliquam fuisse ecclesiam Christi,constat. Nam pastores haud procul à mœnijs,ex angelis probè discunt, natum iam esse in ea ciuitate Saluatorem:& ingressi,omnia cum angelorum nuncio congruere uident: nec tantum Mariæ et Ioseph uisa atq; audita narrant, sed plurimis eam gratam famam adnunciant, & latè spargunt:accedunt & Mariæ & Iosephi testimonia non obscura. Etsi autem maxima multitudo hac tam uili atq; humili natiuitate fuerit offensa,tamen non fuerunt omnes illæ conciones & patefactiones prorsus irritæ. Insuper etiam Magi è longinquis regionibus ductu stellæ aduentantes,& exi mia autoritate præstantes, famã exhibiti Messiæ apud ciues Bethlehemitanos sparserunt,ac nonnullorũ corda mouerunt. Sita autem fuit ea ciuitas sexto milia rio ab Hierosolymis,uersus meridiẽ.Dicitur autẽ Bethlehem, id est domus panis.Meminit eius Matt.2.Lu.2.

In Iericho fuisse ecclesiam Christi, memorabiles historiæ,quæ ibi acciderunt,testantur.Zachæus enim cupiditate uidendi IESVM, arborem conscendens, inde à IESV uocatur:& quidem ad eum diuertitur.Neque uerò ingratus fuit hospes IESVS:idq; pro suo more.Erudijt enim Zachæũ de Messia,de remissione peccatorum, de bonis operibus, alijsq; rebus necessarijs: Luc.19. Cæcis quibusdam ibidem uisum integrum uirtute uerbi sui diuini reddidit: Matth.20.Marc.10.Luc. 18. Nomen Iericho alij à Luna,alij à fragrantia trahunt. Constat autem in istis locis balsamum nasci solitum:estq;,ut describitur, humilis arbuscula,fõlium habens rutæ proximum, longè tamen candidius, perpetuò uirens (Strabo, citiso et termintho persimilis) æstiuis sub ortu canis odoribus arbos unguibus, non ferro inciditur:manatq; è plaga succus,quem opobalsamũ uocant:sed tam exiguo stillatu,ut annis singulis,ne plures quidem quàm seni septeni ue congij cogantur. inibiq; pondus duplo rependitur argento:Dioscorides libro 1.cap.18. Alij lapidibus acutis,aut testis incîdi dicunt. Plinius tantum in Iudæa balsamum nasci affirmat:uerùm Dioscorides etiam Aegypto tribuit. Strabo,ad Libanum quoq; prouenire scribit.Sed fortè reliqua loca simile quiddam genuerunt: generosissimum uerò prope Iericho prouemt. Ac uoluit Deus, ob fragrantiam ueræ doctrinæ,quæ in Iudæa sonabat, & inunctionem ueri Regis ac Sacerdotis,in quibus Messias adumbrabatur,Iudaicam terram tam fragranti atq; utili succo præ alijs terris ornare. Fuit & palmetum fertile ac celebre in eodem loco: unde Deut.4.palmarum ciuitas dicta fuit Iericho. Fontem ibi Helisæus sanauit,4.Reg.2. Fit eius mentio etiam Luc.10.19.

Commoratur quoq; in deserto IESVS in ciuitate Ephraim, cum discipulis: ibiq; ecclesiam suam plantat,Iohan.11.

Toto porrò tractu circa Iordanem, quo uersus Septentrionem se extendit, non paucæ fuerunt ecclesiæ Christi. Nam passim in ijs regionibus Iohannes baptista peregrinatus est,circumferens & tradens summa fide & autoritate doctrinam de præsente Messia, & baptismum in remissionem peccatorum conferens: ut in Bethabara,Ioh.1.qui quidẽ locus domus transitus inde appellatus est,quòd aquæ Iordanis diuisæ, tutum atq; siccum transitum Iosuæ cum toto populo Israelitico, præter aquæ naturam,Deo sic disponente,præbuerũt: Iosuæ 3.4. Et in Aennon,iuxta Salem: Ioh.3.Nec fuerunt reliqua loca neglecta. nam Euangelistæ compendijs studentes,generalib.sententijs plurima solent comprehendere: ut quòd Iohannes uenerit in omnem regionem Iordanis, Luc. 3. Et quòd omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem,ad eum exierit:Matth.3.Mar.1. Quin & Christus, ut suo loco dicetur, non rarò circa Iordanem uixit, ibiq; ecclesiam uerbo suo diuino uocauit.

Præbuerunt & regiones trans Iordanem sitæ,hospitium ecclesiæ Christi. nam ex ijs multi homines, ad audiendam doctrinam cœlestem, ad Christum uenerunt: ut Marcus cap.3.testatur.

In Idumæam ecclesiam Christi se extendisse, idem Euangelista loco iam citato testatur. Fuit autem regio in Arabia sita,usq; ad mare rubrum porrecta:sicut ex 3.Reg.9.apparet.

In Samaria collectionem ecclesiæ Christi factam, insignis historia palàm facit.Nam in ciuitate Sichar,sita iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo,integro bi duo substitit Christus,iter in Galilæam faciens: ac tam efficaciter ibi uerbum regni Dei tradidit, ut plurimi in ipsum crediderint:Ioh.4. Etsi autem discipulis prohibebat,ne in uias gentium aut ciuitates Samariæ abirent, Matth.10. tamen pro ratione officij sui, subinde ipsemet & uisitabat gentes, & eas recipiebat: tantum uerò Apostolos cohercebat,ne ipsi ante suam glorificationem,prædicationẽ illam uniuersalem inchoarent. In primis uerò extare cupiebat propheticam promissionem,primùm à Messia Israeliticam domum uocandam esse.

In Galilæa plurimùm uersatus est IESVS: & Matt.4. scriptũ est, eum uniuersam Galilæã circuisse, docuisse in ipsorũ scholis, omnisq; generis infirmos ac male habentes sanitati restituisse. Plurima igitur insignia ecclesiæ Christi hospitia in eo loco celebrantur: ut Nazareth,quod oppidum circiter uiginti miliarib.à Hierosolyma abfuit, satis edito loco situm. Habitauit in eo Maria, inter pios homines ab infantia enutrita, qui ardentibus uotis Messiam expetiuerunt. Fit & ibi conceptio filij Dei, omnium angelorum & hominum cogitationem longè excedens. Ciuis eiusdem oppidi Ioseph est,cui Maria desponsatur. Præbet incunabula Christo Bethlehem, sed educationẽ Nazareth: usq; ad illud tempus, quo ministerium suum publicè ac feliciter inchoat. Redit postea frequenter eò IESVS, ac in synagogis ipsorum lætam Euãgelij uocem tradit: quamuis magnates & fascinati Pharisaicis opinionibus eum pro hæretico haberent,ac mortem intentarent.Loci eius mentio fit Matth.2.4.13. Luc.1.2.4. Iohan.1. Nazareth autem sanctificatã,aut custoditam, aut uirgultum interpretantur.

Capernai crebra mentio fit.Et quidem in eam ciuitatem IESVM commigrasse, Matth.4. traditur:nec tanquam hospitem ibi uixisse,sed ius etiam ciuitatis habuisse, argumento est miraculosa didrachmi persolutio,quando Petrus ex ore piscis, iussu ipsius Christi eo

ipso

ipso nomine capti, stateré depromit, ac pro se & Christo dependit: Matth. 16. In synagogis ibi sæpe palàm doctrinam cœlestem frequenti auditorio tradit, & stupenda miracula edit. Centurionis paralyticum filium absens curat, socrum Petri febri liberat, mortuam puellam resuscitat, hæmorrhoissam sanat, cæcis uisum restituit. Habet autem nomen ciuitas ab agro amœno. Fertili enim & amœno loco, ad lacum Tiberiadis, sita fuit, ad ipsum ostium Iordanis, in finibus Zebulon & Naphthalim: ut Matth. 4. legitur. Extat eius nomen Matthæi 4. 8. 9. 11. 17. Marci 1. 2. 5. 9. Lucæ 4. 7. Ioh. 2. 6.

Habuit & in Bethsaida, quæ postea Iulias dicta est, nec procul à Capernao abfuit ad lacum Tiberiadis, Ecclesiam IESVS. Sæpe enim ibi uersatur, ac locum insignem miraculo fecit, quòd in eo uisum cæco omnipotenti uirtute reddit: ut habet Marcus 8. cap. & in primis, quòd hic nati sunt Philippus, Andreas & Petrus: Iohannis 1. Eius etiam mentio fit Matth. 11. Mar. 6. Lucæ 9. Dicitur Bethsaida, id est domus frugifera.

Ad alteram quoq; ripam Iordanis, nempe in Chorazin, uirtutes maximas fecit Iesus, paucis tamen credentibus. Nam in maxima parte eum oleum & operam, quod dicitur, perdidisse, horrenda imprecatio quæ Matthæi 11. recitatur, documento est. Quod enim nunquã aliàs fecisse legitur, ingenti indignatione in hæc uerba, seu potius fulmina erumpit: Væ tibi Corazin, uæ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Capernaum, quæ usq; in cœlum exaltata es, usque in infernum descendes. Scribunt recentiores, qui ea loca perlustrarũt, eas ciuitates tam horribiliter iudicio Dei uastatas esse, ut uix septem aut octo tuguriola ibi aspicias.

Sæpe autem in mari Tiberiadis, quod à Iordanis alueo efficitur, & aliàs Genezareth uel mare Galilææ à uicinis regionibus uocatur, IESVS legitur nauigasse. Cum enim amœnissimus & fertilissimus esset locus, ciuitatibus & hominibus abundauit: Matth. 14. 15. Marci 6. Circa ea loca Andreas, Petrus, Iacobus, Iohannes & Matthæus, ad apostolicum ministerium sunt à Iesu uocati: Matt. 9. 4.

In Magdalo fuisse Ecclesiam Christi, Matth. 15. probatur. Nam peregrinatus est ibi Christus, semina cœlestis doctrinæ spargens: fuitq; illud oppidũ inter lacum Tiberiadis, ac Thabor montem. Fit & Dalmanuthæ mentio, Magdalo propinquæ: Mar. 8.

In porta Naim, quæ ipsa non postremi nominis inter ciuitates Galilææ fuit, uiduæ unicum filium diuino uerbo in uitam reuocauit: quæ res haud dubiè aliquot Christi mẽbra effecit, ut hac occasione IESVM pro uero Messia sint amplexi, & Euangelij uocem dicerint: Luc. 7.

In Cana Galilææ haud mediocrem aut uulgarem fuisse Ecclesiam Christi, satis euidenter probat præclara historia, quòd in nuptijs pauperculorũ hominum adest IESVS, Maria, discipuli, adeoq; eum ipsum locum IESVS initio suorum miraculorum ornat, mutata natura aquæ, arcana & omnipotenti ui, in præstantissimum uinum: Ioh. 2.

Ad celebritatem Ecclesiarum in Galilæa & hoc facere uidetur, quòd in monte sancto, ut Petrus 2. Pet. 1. eum appellat, quem Thabor alij uocant, singulari Dei consilio admirabilis manifestatio Christi facta est.

Nec defuerunt membra ueræ Ecclesiæ Christi, regioni Gadarenorum & Gergesenorum: Nauigat enim eò IESVS, comitantibus discipulis, non aliam ob causam, nisi ut doctrina & miraculis sese manifestet. Legiones ibi Diabolorum ab obsessis hominibus eiecit, qui eius permissione, porcorum gregem in mare præcipitem agunt, & suffocant: Matth. 8. Luc. 8. Et dæmoniacus à Christo sanatus, in Decapoli, cum omnium admiratione, beneficium Christi prædicauit: Marci 5. Fuerunt autem Gadara & Gergesa, oppida ad ripam lacus Tiberiadis, ad ortum in agro Genesareth posita.

Cæsareæ Philippi, & in castellis passim circa eam, Dei ecclesiam fuisse, ex eo patet, quòd Christus ad ea loca accessit: ut testatur Matth. 17. & Marc. 8. Mulierem Capernai profluuio mirabiliter liberatam, Eusebius affirmat Cæsariensem fuisse: addens præterea, eam ante suam ianuam duas æneas statuas collocatas habuisse, alteram Christi imaginem repræsentantem, alteram uerò mulieris, quasi fimbriam uestimenti eius attingentem: lib. 7. historiæ Ecclesiasticæ, capite 18. Fuit autem oppidum in radicibus Antilibani, inter riuos fontium Ior & Dan collocatum: qui quidem ante portam eius iuncti, Iordanem fluuium constituunt. Oppidum initiò Paneas dictum fuit: uerùm pòst à Philippo, Herodis tetrarchæ fratre, ornatius extructum, & in honorem Augusti Cæsarea appellatum est. accessit & cognomen Philippi.

In finibus Tyri & Sidonis, & in adiacentibus illis urbibus, quædam membra habuit IESVS. Nam & ipse sponte ea loca uisitauit: & uenit ad ipsum ex ea regione turba nõ parua, doctrina & miraculis Christi excita: Mar. 3. Cananææ filiam miraculosè, etiam absentis Christi efficacissimis uerbis, à diabolo liberatam esse, Matth. cap. 15. commemorat: & Marcus 7. capite, eam Syrophœnissam genere fuisse asserit.

Deniq; per totam Syriam, gratam de Christo famã, statim initio prædicationis suæ sparsam esse, ac multos ad Christum se contulisse, Matth. 4. capite testatur.

Porrò non sola Palæstina templum Dei fuit, sed etiam in ipsa Oriente non obscuram fuisse Ecclesiam Dei, celebris Magorum historia Matth. 2. ostendit. Exactè enim promissiones de rege Iudæorum norunt, & excitati noua stella tanquã signo diuino, ad ipsas Christi cunas accersuntur & adducuntur. Palàm de nato rege Iudæorum Hierosolymis & in Bethlehem testificantur, eumq; quanta possunt reuerentia excipiunt, muneribusq; ornant. Versantur aliquandiu apud Mariam, Ioseph, & alios pios, tanquã in Academia sanctissima, cuncta miracula Dei inuestigantes. Omnibus autem rectè exploratis, & fide satis stabilita, angelica custodia muniti, rabiem tyranni Herodis effugiunt, & salui domum reuertuntur. Vbi haud dubiè multo feruentius atq; illustrius doctrinam de Messia, & omnibus mirandis patefactionibus tradiderunt & propagarũt, quàm unquam antea factitarant.

In Aegypto Ecclesiam Christi, quamuis exiguam, fuisse, hinc licet coniectare: quòd Maria & Ioseph pue-

rum IESVM adhuc infantem, ob sæuitiam Herodis cogebantur in exilium deportare. Vbicunq; autem delituerunt tam sancti homines, filium Dei secum habentes, haud dubiè aliquos de Messia dextrè erudierunt. Rosæ uis ea est, ut ubicunq; reponatur, suauem odorem spiret. Quid non faceret hæc cœlestis rosa, quæ ideo nata erat, ut toti generi humano uitalem fragrantiam spiraret? Etsi autem nondum ministerio suo & manifesta declaratione, ob ætatem teneram, hoc efficere poterat: tamen occulta & omnipotenti ui, ac ministerio suorum parentum, corda hominum ad sui cognitionem & fidem accendere potuit.

De locis igitur hactenus enumeratis, Euangelistas fide dignissimos testes habemus: nec dubitandum est, in propinquis etiam locis non contemnendas fuisse Ecclesias Christi, quas ipsi breuitatis studiosissimi, scienter præterierunt.

Si Abgari regis Edessæ, ad IESVM epistola germana est, eiusdemq; responsio: constat, & in Mesopotamia Christi Ecclesiam locum habuisse.

Regem Persarum, ut & hoc adijciamus, pictorem ad Christum depingendum pio studio misisse, refert Nicephorus lib. 2. cap. 7. idq; ex tabularijs & archiuis Edessæ ciuitatis.

In Græcia quoq; Ecclesiæ membra extitisse, ex eo colligi posse uidetur, quòd Græci, qui ascenderant Hierosolyma ad adorandum, per Philippũ sibi aditum ad Christum parant: Ioan. 12.

De instauratione Ecclesiæ.

PLantauerat uineam suam, maximis impensis & miraculis, Deus in terra Chanaan: sed prò dolor, tantopere degenerarat sub aduentum Messiæ, ut (sicut Propheta prædixit) labruscis & spinis propemodum tota oppleta esset. Manebãt tamen eo in loco adhuc aliqui generosi & fructiferi surculi, de quibus sæpe erit dicendum. Manebant semina uera, nempe Moses & prophetæ. Iam uerò exhibito Christo, instauratio felix & salutaris, ex ingenti Dei misericordia, non solum per homines, sed & per filium Dei incarnatũ (quo miraculo nullum maius exiſtit) inchoata est. Ac plures quidem in uineam istam ingrediuntur, eamq; suo nitori restituere summis uiribus conantur. Præparat uiam Domini, commonstratione præsentis Messiæ, tuba illa præclara, multis seculis antè prædicta, Iohannes Baptista. Omnium autem maximè & efficacissimè id agit IESVS Christus ipsemet, sursum ac deorsum per totam Palæstinam cursitando, ueram doctrinam cœlestem & cultus diuinos instaurans, umbrisq; Mosaicis lucidissimum solem accendens. Debebat enim Mosaicus status, exhibito Messia, iuxta prophetias abrogari: id quod pedetentim fiebat, donec passione ac resurrectione Christi omnia ad extremum quasi actum deducta essent. Nihil non laboris ac periculi in hac parte adiuit IESVS, miraculis insuper sese patefaciens, doctrinamq; corroborans & ornans. Postea uerò etiam ex sua schola discipulos duodecim, & alios septuaginta mittit, qui instaurationem iuuent, doctrina & miraculis prius à se ad eam rem satis institutos. Crescit Ecclesiæ Christi instauratio postea (quod mirum dictu est, sed ab ipso Christo certò, priusquam fieret, indicatum) magis occiso Christo, quàm uiuo. Commouentur quidam miraculis circa crucem factis, resurrectione et patefactionibus eius per dies quadraginta: priusquam spectante mediocri cœtu credentium, in cœlum ascenderet. Sed quibus in locis potissimum facta sit hæc miranda instauratio, suprà expositum est, quantum quidem ex Euangelistis peti potuit: & cum in contextu historiæ Christi, suo loco ea quæ huc pertinent, tractanda ueniant, prolixiori narratione hic supersedendum esse putauimus.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONE ET tranquillitate Ecclesiæ.

PERSECVTIO ECCLESIAE SVB HERODE filio Antipatri, tempore Augusti Imperatoris.

PEREGRINO Regi hoc tempore, quo Christus iuxta prophetias nascebatur, suoq; deinde amplissimo munere fungebatur, Ecclesia Dei, satis angustis terminis terræ Canaan inclusa, parebat. Erat enim ea regio tota, quam incolebant tribus Israel, sub Imperium Romanorum redacta: iamq; eorum uoluntate Herodes primùm regio titulo ornatus, ea loca moderabatur. quo sublato, Tetrarchæ deinde & cæteri Iudææ rectores rerum potiebantur: Iudaico sanguine prorsus posthabito, ut suo loco dicetur. Erat autem populo Dei hoc iugum satis triste & graue. Nam ethnicis & impijs tyrannis imperitantibus, Ecclesia Dei nõ potest non, Diabolo sua membra instigante, multis modis premi & affligi. Sustentabant tamen se plerique ex pijs, cogitatione atq; expectatione Messiæ: quem eo ipso tempore uenturũ sciebant, quo sceptrum Iudaicum sublatum esset. Deinde uerò apud ipsos doctores, & in reliquo uulgo, qui à doctoribus pendêre solent, horrendæ corruptelæ de Messia, eius beneficijs & ueris cultibus dominabantur: quæ quidem res odiũ hypocritarum, potentia & autoritate excellentium, aduersus rectè sentientes, & uarias eorum uexationes, gignebat. Habebantur enim pro hæreticis, qui Messiam contemptum abiectumq; fore, & quidem ut agnum mactandum, secundũ prophetarũ dicta, asserebant: eumq; uictoriam contra mortem & Diabolum comparaturum, & remissionem peccatorum distributurũ, & non terrenum, sed spirituale & æternum regnum instituturum credebant ac profitebantur. Interea tamen externam pacem passim in omnibus regnis Augustus Imperator constituerat.

Statim autem ut IESVS, uerus Messias, in hunc mundũ natus atq; exhibitus est, grauis & immanis persecutio erga eum ab Herode, Iudæorum rege alienigena, exoritur. Causa est, quòd eam famã de nato Iudæorum rege, ut eum Scriptura appellat, Magi ex Oriente Hierosolymam uenientes, stertentibus summis sacerdotibus, palàm & intrepidè afferunt, quærentes ubi eum conuenire & cum honore excipere possint. Herodes hoc nuncio audito, ingenti metu afficitur. Erat enim ei curæ, tanquam ethnico, ne suum regnum in aliquod discrimen uenuret. Nuper enim summis laboribus & periculis eam regionem uarijs seditionibus æstuantem, pacauerat. Nihil igitur melius fore arbitrabatur, quàm ut

in tem-

in tempore suis rebus consuleret. Expertus etiam erat Herodes Iudæorum contumaciam: & non ignorabat, quàm facilè ipsorum animi, ad res nouas attentandas sua sponte procliues, permoueri possent: præsertim cum sciret, quàm magnificas de Messia rege promissiones iactarent. Augebant insuper suspicionem Herodi ipsi Magi, quòd iussi ut reuerterentur ad ipsum, clàm alia uia domũ profecti erant. Mouit Herodem & hoc, quòd Iosephus lib.17. cap.3. narrat, Pharisæos prædixisse, decretum esse Dei, regnum ab Herode ablatum iri. Proinde Regem Iudæorum in ipsis cunis perimere cogitans, inaudita crudelitate iubet infantes masculos bimulos & minoris ætatis, quotquot erant Bethlehem, & in eo agro circumquaq; nefariè trucidari. Affirmat Philo, eum tam ferum & astorgon fuisse, ut etiam proprium suum filium, ex uxore de tribu Iuda prognatum, interfici præcoperit. Macrobius idem asseuerat, Augustum, cum audisset inter pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iusserat interfici, filium quoq; eius occisum esse, dixisse: Melius est Herodis porcum esse quàm filium. Ista autem tam tristi tragœdia Deus Bethlehemitarum etiam ingratitudinem erga recens exhibitum Messiam ultus est: deinde & cruentam Ecclesiæ Christi imaginem, quam plerunq; solet habere, delineauit.

Sed ex his cruentis machinationibus diuinitùs eripitur IESVS. Cordiũ enim scrutator Deus, priusquam inciperet grassari Herodes, misso angelo denunciat Iosepho tyranni Herodis insidias, cumq; iubet cum infante ac matre eius regno excedere, & in Aegyptum tanquam in locum tutiorem ad tempus se cõferre. Ad eam etiam rem pauperculis parentibus uiatico paulo antè prospectum erat per Magos. Affirmat Matthæus, Scripturas hac in parte impletas esse, Ex Aegypto uocaui filium meum: capite 2. Hosc. 11. Num. 24.

Quæ Sozomenes lib. 5. cap. 21. narrat, Christo Hermopolim uenienti, arborem proceram se ad terram deflexisse sua sponte, & Christum adorasse, eamq; medicam cõtra morbos factam esse: fabulosa uidentur, sicut multa posterioribus temporibus crescente hominum superstitione conficta sunt. Eusebius certè, & alij uetustiores, nihil ea de re scripsere: non omissuri, pro sua diligentia, & talium rerum sagaci inquisitione, si quid eis certi de talibus constitisset. Simulachra autem Aegyptiorum corruisse, Christo ad ipsos ueniente, iuxta Esaiæ prophetiam: de concione ac propagatione Euangelij, cuius uirtute idololatria destructa ac uera religio plantata est, uidetur intelligi debere.

Herode isto miserabiliter è rebus humanis sublato, rursus diuinis monitis per angelum à suo exilio, reuocatur ac reducitur IESVS. Cum autem adhuc periculũ esset ab Archelao tetrarcha Iudææ, in Galilææ ciuitatem Nazareth commigrat: quo in loco hospitiolum eius aduersus Diabolum & eius organa aliquandiu tegitur, ut nimirum adolescere & educari posset. Mirum sanè consilium Dei fuit, quòd non potius Hierosolymis habitarit Christus, qui locus Messiæ operibus præcipuè erat præfinitus: sed manifestatio Christi, eius uirili ætati, nempe trigesimo anno reseruabatur. Debebat etiam Scripturæ satisfieri, quæ testatur, eum Nazarenum uocatum iri. Hanc historiam fideliter descripsit Matth. 2. capite.

Quoto autem anno Christi hæc persecutio acciderit, non est satis clarè expressum. uariant igitur sententiæ. Qui rationibus quibusdam suam opinionem fulcire conati sunt, anno secundo eam persecutionem factã esse asserunt. Primùm, quòd Matthæus dicat, à bimatu & infrà pueros interfectos esse: & adijciat, secundum tempus quod à Magis expiscatus fuerat. Deinde quòd ex Oriente tam citò aduenire Bethlehẽ Magi, tempore nimirum purgationis Mariæ, non potuerint: Eusebius in Chronicis, ad tertium Christi annum refert. Epiphanius tamen superiorib. rationib. fretus, ad secundum. Idem, reditũ Domini ex Aegypto post biennium, hoc est anno Christi quarto factum esse, affirmat. Alij, septem annos Christũ in exilio fuisse scribunt. Tantũ uerò certũ est, eũ defuncto Herode reuersum esse, Archelao iam ei subrogato. Conspicitur autẽ in hac historia, immanis diaboli cõtra Christum furor, qui statim atq; is natus fuit, suas diras inimicitias erga benedictũ semẽ exeruit. Mancipia uerò & seruos diaboli se præstant, qui rerum potiuntur, cum suis ministris. Omnia deniq; spectant eò, ut flosculus iste, toti generi humano saluberrimus, & econtrà diabolo exitiosus, in ipsa herba stranguletur & opprimatur. Sed opprimi non poterat, qui ad uictoriam, ferendo tamen ac patiendo parandam, in terram uenerat. De pœnis huius tyranni, aut portenti potius, postea lectorem monebimus.

Zachariam, Baptistæ parentem, hoc etiam tempore interfectum esse ab Herode, sunt qui affirment: ut Proteuãgelion Iacobi, & Petrus Alexandrinus in canonibus de pœnitentia: idq; hac occasione, quòd Herodi quærenti etiam Iohannem, ut cum cæteris iugularetur, pater responderit, se nescire ubi sit. Nam Elisabeth cũ eo discessérat aliò, sicut & de ea re portentosa quædam narrantur. Verùm cum hæc non sint à certis autorib. tradita, & ab Euangelistis alijsq; comprobatis scriptoribus omissa, nos quoque de ea opinione non faciemus plura uerba. Quòd uerò sermo Christi Matthæi 23. accommodatur ad hunc Zachariam, parum uidetur cõuenire: cum hic non sit Barachiæ filius, ac Iudæi huius cædis rei peragantur, non Herodes.

De persecutione sub Herode Antipa, Tetrarcha Galilææ, tempore Tiberij Cæsaris.

FVerunt & deinceps in odio proculdubio, qui asseuerarunt Messiam esse exhibitum, & propediem reuelatum iri. Sed cum pauci essent ea luce præditi, ac trepidè uix intra parietes suos de Messia in Bethlehem nato mutire auderent, multis præterea annis nihil insigne moliretur IESVS, & Herodis gladio eum pleriq; mactatũ arbitrarentur: ideo Pharisæi & Ethnici præfecti, quasi uano duntaxat rumore antea sparso, omnem eius curam abijciebant. Accedebat huc, quòd subinde mutarentur magistratus. Nam Archelao tetrarcha Iudææ Viennam Galliæ relegato, substituebantur ex urbe Roma Iudææ rectores, ut Coponius, Marcus, Anius Rufus, Valerii: Gratus, Pontius Pilatus: qui ethnicis superstitionibus ab infantia imbuti, neq; Messiam, neq; religionem gentis Iudaicæ quicquam curabant. Hæc Halcyonia quasi IESV & Iohanni diuinitùs concedebantur, ut adolescere atq; institui possent:

sent: deinde, ut uterq; tempus sibi à Deo præfinitum exactissimè obseruaret, priusquam ad publica munera accederent.

Postquã autem Iohannes functionem suam ex mandato diuino aggreditur, præsentemq; Messiã adeò certò prædicat, ut etiam digito ipsam personam, nempe ipsius Mariæ filium natum Bethlehemæ demonstret: & doceat eum futurum agnum, hoc est uictimam, à Deo destinatum, ut profusione sanguinis sui uniuersum genus humanum à peccato & morte redimat, immutat totius religionis Mosaicæ formam, taxat corruptelas & impios cultus, prænunciat abolitionem status Iudaici. tum uerò persecutiones recrudescũt & ingrauescũt.

Persecutores autem Iohannis accerrimi primium erant Pharisæi, & qui ad clauum ecclesiæ Hierosolymitanæ sedebant, autoritate, ministerio, doctrina, sanctitatis nomine præstantes. Neq; uerò leuibus se causis moueri putarũt, quare isti uiro totis uiribus obsistendum esset. Colligebant igitur hæc crimina tanquam atrocissima, quòd ministerium docendi priuata temeritate, sine uoluntate eorum quibus Ecclesia Dei erat cõmissa, usurparet: doctrinam nouam, & alienam ab usitata atque recepta in Synagogis, traderet: monstraret Messiã talem, qui nihil Regij præ se ferret, humilem tantum, pauperem, moriturum: argueret summos Ecclesiæ gubernatores, quòd cœlestem doctrinã ac ueros Dei cultus fœdè corrupissent, populumq; non rectè erudirent: adhiberet summam uerborum acerbitatem, & quasi excommunicationis fulmina in ipsos conijceret: uocaret genimina uiperarũ, præcideret eis uitam æternam, & prænunciaret pœnas perpetuas: assereret, totam politiam Mosaicam iam ad finem usq; suum deductam, ac nouam prorsus Religionis formam instituendam: inchoaret etiam baptismum in Iordane: prædiceret abiectionem & excidium totius populi Iudaici, & uocationem gentium, Matth. 3. Luc. 3. Ioh. 1.

Etsi autem Iohannes tanta autoritate ac uirtute cũcta in sua functione administraret, ut Iudæi cæteriq; omnes uelut attoniti, non haberent quod culparent: tamen spiritus uertiginis ita ipsos in trãsuersum abripuerat, & dementarat, ut promissiones Dei in lege ac prophetis traditas non expẽderent, sed cæco furore pergerent in suis conciliabulis Iohannem baptistam, tanquã hæreticum, & totius patriæ atq; auitæ religionis à Deo præscriptæ & confirmatæ turbatorem, damnare.

Non deerat ipsis uoluntas, sed facultas, Iohannem trucidandi. Etenim tam excellenti spiritu & autoritate doctrinam suam, uitam, omnesq; actiones regebat Iohannes, ut etiam aduersarijs suis esset admirationi. Nec turba hominum quotidie ad Iohannem agminatim confluentium, parum Pharisæos insidiantes cohercebant: habebãt enim eum pro insigni propheta, diuinitùs misso. Tantum igitur odio, criminatione & damnatione apud suos, eum insectabantur: intenti tamen interea in alias occasiones, quibus & uitam eius inuadere, & tam pestiferum clamatorem, ut ipsi sibi persuaserant, è medio tollere possent. Congrediuntur igitur sæpe cum eo, atrociter expostulantes, eum sine peculiari mandato in hanc uocationem irrupisse. Verùm talibus responsis à Iohanne dimittuntur, ut audita ueritate, & patefactis suis proprijs erroribus, cum summo dedecore & conscientia læsa domum redire cogerentur.

Alteram persecutionem Iohannes ab Herode Antipa, tetrarcha Galilææ, Herodis prioris filio, sustinuit: à quo etiam contra ius fasq; necatus est. Id uerò sic se habet.

Celebritate nominis sui in Herodis noticiam Iohãnes uenit: ac propter egregia dona, serias ac graues cõciones, summamq; sapientiam, apud Herodem in precio habitus est: ita quidem, ut etiam consilio Iohannis multa faceret, ut refert Marcus cap. 6. Sed, ut solet in aula gratia Regum esse uariabilis, præsertim ubi scelera summorum grauiter carpuntur: ita & hic præco ueritatis mox incurrit in odium. Habebat enim Herodes fratris sui Philippi, qui in Gaulonitide & Traconitide constitutus erat tetrarcha, adhuc uiuentis, uxorem. Eum incestum Iohannes ratione sui ministerij seueriter taxabat, in faciem ei dicens: Non licet tibi habere fratris tui coniugem. Scribit Chrysostomus, eum præsentibus omnibus, ac audientibus, pronunciata sententia Herodem damnasse.

Hanc grauem ac necessariam reprehensionem peccati atrocissimi, uidetur Herodes aliquandiu more aulico dissimulasse, nihilominus tamen uindictam cruentã meditabatur. ac ne eam faceret, tantum metu populi absterrebatur, qui Iohannem pro excellenti propheta habebant. Aestuat autem diabolico odio, ferè magis quàm Herodes, aduersus Iohannem Herodias, eius reprehensionis impatientissima, ac nihil aliud quàm necem eius cogitans. Non desinit igitur, quibus potest rationibus, Herodem inflammare, ne conuiciatorem tantum patiatur diutius uiuere. Accedunt fortè & alia fla bella aulica, dictitantes istius clamatoris licentiam ferendam non esse, perpetrasse eum crimen læsæ maiestatis, dignitatem atq; autoritatem legitimi Magistratus in contemptum uenire, spectare talem linguæ libertatem ad tumultum uulgi excitandum. Fortè etiam Pharisæi & Iudaici sacerdotes, qui Herodi familiares erãt, nacti occasionem, Iohannem hæreticum accusarunt, factumq; eius damnarunt, & è medio tollendum iudicarunt. Deniq; & priuata tyrannide, & talium consultorum, qui se principi huius mundi manciparunt, impulsionibus adductus, innocentissimum uirum, angelum & tubam Messiæ, in carcerem præter ius & æquũ detrudit. Narrat Iosephus Antiq. lib. 18. cap. 7. Herodem conspicatum esse quotidianum concursum, qui ad Iohannem fiebat: ideoq; ueritum, ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam páreret, quòd uiderentur nihil non facturi homines ex eius consilio. Iudicauit igitur satius esse, priusquam aliquid noui exoriretur, eũ tollere. Locum etiam nominat, nempe Macherunten, ubi in carcerem munitum eum inclusit. Fuit autem id oppidum munitissimum, situm in finibus Pereæ & Arabiæ, iuxta Asphaltiten lacum. Videtur autem talis fuisse locus, ad quem discipulis eius accessus patuit, ut Iohannem audire, eiusq; mandata potuerint expedire.

Tandem natalicia sua Herodes, fortè pro consuetudine celebrat, inuitatis ad lautissimum conuiuium principibus, tribunis ac primoribus Galilææ: ut Marc. cap. 6. refert. Hic dum omnes poculis genioq; indulgent, Herodis filia, Salome (ut ex Iosepho patet) appellata, arte sic instructa, coram Rege & conuiuis decenter saltat.

tat.quod cum Herodi cæterisq; conuiuis supra modum placuisset:Rex puellæ pollicetur,se ei daturum, quodcunq; petijsset munus,ad dimidiam usq; partẽ regni sui.

Singulari autem fraude omnia esse gesta, sequentia declarant.Nam puella non præcipitat petitionem,neq; rem ludicram ac puerilem, non uestem pulchram, aut monile aureum poscit: sed confestim ad matrem properat. Bestia immani odio erga innocentem doctorem Iohannem flagrans,ac consilium diu præmeditatũ in prõptu habẽs,ilico iubet filiam audacter petere,sibi Iohannis captiui caput in disco donari. Mauult mater filiæ suæ cruentum miseri concionatoris caput, quàm dimidium Herodis regnum tradi. Mirum autem est, puellam teneram à tam fœdo dono atq; spectaculo non abhorruisse toto pectore:cum aliàs imbecilli animo soleãt esse præditæ puellæ,& cruorem auersari. Sed spiritus homicidij,matrem cum suo fœtu,tam sibi similem effecerat (est enim Satan ἐπιχαιρέκακος) ut in amputato humano capite,cruore fœdato, delicias ac uoluptatem quæreret: id quod cõmunis hominũ natura alioqui abhorret. Quid fit? Redit puella,petitionem impudentissimo ore,audientibus conuiuis exponit,sicut à matre iussa fuerat.Atqui non ferula, sed acriori pœna cruentus animus in puella castigandus erat.Verùm Herodes non ignarus maternæ fraudis, initiò quidem tristitiam quandam simulat: sed mox pronunciat, se religione iurisiurandi teneri,ne petita deneget. Scilicet infamiã coram hospitibus & alijs hominibus metuebat, qui nihil uerebatur contra legem naturæ,innocentem uirum indicta causa trucidare, ac conuiuium suum humano sanguine conspergere:nec erat ignarus, iuramenta nequaquam esse uincula iniquitatis. Quid si puella postulasset,ut ipse Herodes sibi eueſtigiò pugione pectus transuerberaret, num ob iusiurandum puellæ satisfaciendũ censuisset?Imò insidias nepharias in matre & filia seueriter, ut debuisset,ultus fuisset. Quid si uoluisset, omnes conuiuas statim in suo conspectu iugulari? num tantum facinus conuiuæ propter iuramentum Regis approbaturi fuissent? Sed non quæritur mora,non ulla deliberatio,nulla habetur ratio iusticiæ. Rex contentus se hac simulatione conuiuis utcunq; satisfecisse,sententiam fert contra Iohannem: missoq; spiculatore, in carcere Iohannes capite plectitur. affertur puellæ in conuiuium caput sanctissimi uiri,recenti sanguine madens.

Non puella,ut dictum est, nec quisquam alius ad tã infandum spectaculum nauseat.Bestia Herodias triumphat,tam licentiosi clamatoris & sui infamatoris uocẽ repressam, imò resectam esse, sibiq; nunc perpetuam scelerum immunitatem pollicetur.In quanto autem dolore discipuli Iohannis & cæteri pij fuerint, uerbis dici non potest.Veniunt tamen discipuli,corpus sui charissimi præceptoris sepelientes. Neq; Christo is nuncius gratus fuit, quod sua illinc secessione ad locum desertũ testatus est.Historiam hanc recensent Matth.14.Mar. 6.Luc.9.

Tẽpus,quo Iohãnes in carcerem detrusus,& quàm diu in eo detentus fuerit, non est diserte in Euangelistis indicatum.Colligi tamen potest utcunq;,eum fortè circiter dimidium annum unà cum Christo concionatũ esse:postea uerò circiter annum in uinculis, quæ initio fuere talia, ut inde discipulos suos erudire posset, detentum esse:& sic altero anno publici ministerij Christi,esse interfectum. Certiora eruant,qui possunt. Regino ait,32 anno Domini Iohannem trucidatum: Marianus Scotus uerò,33. Videmus non angi de tempore Euangelistas,modò res uerissimas synceriſsimè & simplicissimè commemorent.

Hieronymus in Epitaphio Paulæ matris ait, sepulchrum Baptistæ Sebastæ, quæ olim Samaria dicta fuit, extitisse.An uerò discipulis tam procul,nempe Macherunte Samariam usq;,ubi & Iordanis fuit transeundus, & aliquot porrò miliaria,licuerit exuuias Iohãnis portare,Herodiade adhuc fremente, & Herode metuente populum ob recens interemptum tam præstantem prophetam,prudens lector iudicet. Narrat Socrat. lib. 2.cap.28.& Theodoritus lib.3.cap.6.Paganos temporibus Iuliani imperatoris,Iohannis sepulchrum furiose aperuisse: ossaq; dispersa, postea recollecta cremasse, ac cinerem latè sparsisse:quædam tamen à nonnullis lecta,& Alexandriam Athanasio transmissa esse. Addit Sozomenes lib.7.cap.21.quædam prodigiosa de capitis Iohannis inuentione,& translatione per Imperatorem Valentem Constantinopolim. Habetur & in Cypriani operibus,quidam de Inuentione capitis liber: sed quem nemo sanus Cypriano tribuerit. Cum autem ista omnia superstitionem sapiant,relinquamus ea:præsertim cum Euangelistæ,Spiritu sancto proculdubio gubernati, ne locum quidẽ indicare uoluerint,ubi Baptista terræ sit mandatus: quasi obuiam ituri superstitioni, quæ postea in ecclesiam Christi irrupit.

De persecutione sub Pontio Pilato, sub Tiberio Imperatore.

IESVM quoq; multiplex persecutio excipit,statim ut uocationem suam initiatus in baptismo à patre & spiritu sancto,inchoat. Etsi autem uitam Christi inferius paulo accuratius complectemur,tamẽ ordinis gratia pauca quædam hoc loco extremis quasi digitis perstringenda putauimus.

Hostes habuit longè acerrimos IESVS Christus: magisq; cum eis fuit colluctatus,quàm ulla alia creatura. Ideo enim uenerat, ut cum hostibus Dei atq; hominum bellum admirandum iniret, uictoriamq; patiendo reportaret. Primùm Satan eum immediatè adoritur, idq; miris insidijs. Nam ad mouendas res nouas extra uocationem,& ad defectionem tetramq; idololatriam, propositis loco præmij regnis totius huius mundi,cum eorum gloria, hortatur. At uerbo Dei istum hostem impudẽtissimũ fortissimè propulsat Christus, Matt.4.

Postea uerò,non cessat Diabolus uarijs artibus IESVM, à quo sibi exitium imminere non obscurè diuinabat,impetere per sua organa. Nam sacerdotes summi atq; infimi,scribæ,Pharisæi,eorum ministri, seniores populi,ac reliqua turba, superiorum exempla secuta, tantum interitum IESV Christo comminantur: Matth.12.26.

Tertiò,Herodes Galilææ tetrarcha,Baptistæ carnifex,cum suis ministris tendit Christo insidias:timens cõcitationem aliquam uulgi,& malè sibi de Iohanne conscius.Luc.13.

Quartò Iudas Ischariotes,unus ex duodecim, cum hostibus colludens,& præmia aucupans,tradit eum in manus carnificum.Matth.26.

Quintò,

Quintò, Magistratus politicus ex urbe Roma in Iudæam missus, partim ecclesiæ gubernatoribus gratificans, partim suis cõmodis metuens, iniquis sententijs & uiolentia IESVM opprimit: Matth.27. Iohan.18.

Sextò, milites & turba promiscua, suis dominis studens placere, & commoda quædam uenans, omnem in eum rabiem exercet: Matth.27.

Capita autem accusationum contra IESVM hæc fuerunt: Quòd sine uocatione legitima doceret: Matt. 21. Quòd se faceret Messiam: Luc.23. Ioh.7.10. Quòd assueueraret se esse filium Dei, & quidem æqualem Deo patri: Ioh.5.8. Matth.26. Quòd turbaret religionem à Mose iuxta uerbum Dei institutam, populumq; seduceret: Luc.23. Quòd damnaret iusticiam operum quo ad salutem, reciperet peccatores, taxaret superstitiones ipsorum: Matth.5. Luc.15. Quòd uiolaret sabbatũ, in eo homines ægrotos ac debiles sanans: Matt.12. Luc. 6.13. Ioh.5. Quòd peccata credentibus dimitteret palàm & perspicuè. Matth.9. Quòd affirmasset, se templum (de suo corpore intelligens) destructurum, & in triduo restauraturum: Ioh.2. Matth.26. Quòd prohiberet Cæsari censum dare. Summa, duorum atrocissimorũ criminum reus peragitur, nempe blasphemiæ & seditionis: cum tamen omni culpa uacaret, adeò ut non uereretur ad omnium cõscientias prouocare, inquiens, Quis ex uobis potest me ullius peccati arguere? Ioh.8. Magis autem propinquæ causæ istius persecutionis cõtra IESVM erant, plusquam Aegyptiacæ tenebræ, quæ populum Dei obruerant, quòd lux syncera doctrinæ de Messia, eius operibus, de cultu Dei & alijs necessarijs rebus, magna ex parte extincta erat: regnabant autem hypocritica dogmata, & statuta humana. Huc accedebat singularis pertinacia à Diabolo instillata, ut corruptelas & uitia sua nollent à quoquam taxari. Denique propinquissima causa persecutionum Christi, erãt peccata totius generis humani: sicut sub cruce incedẽs, mulierculas ex commiseratione plorantes ipsemet admonet, Luc.23.

Modus autem persecutionis iniquus & crudelis fuit. Nam primùm quæstionibus ac disceptationibus insidiosis cum Christo conflictantes, palàm in eum conuicia tetra euomunt. Vocant eum Samaritanum, Ioh.8. à diabolo obsessum, Ioh.7.8.10. In nomine Beelzebub eijciẽtem dæmonia, Matth.9.12. helluonem, publicanorũ amicum. Hinc facile est coniecturam capere, quantis præconijs eum suis auditoribus in Synagogis ac reliquis cõuentibus quotidie commendarint. Excommunicatum certè à Synagoga cum cum omnibus sibi adhærentibus fuisse, testatur Iohannes 9. & 12. capitibus: ubi narrat, Iudæos conspirationem fecisse, ut si quis IESVM confiteretur esse Christum, extra synagogam eijceretur. Hoc decretum synagogæ, in qua erant homines autoritate, doctrina, uirtutibus præcellentes, contra pauperem, & (ut uidebatur) uagabundum hominem, haud dubiè satis formidabile fuit: & uicissim magnanimitas IESV meritò laudem meretur, qui ista bruta fulmina non exhorruit, sed alacriter in suo ministerio perrexit. Etsi autẽ assiduè opportunitatẽ inuadendi IESVM, eumq; occidendi spectarent, tanquam alastorem & catharma non tolerandum in terris: tamen usq; ad tempus, quod habebat sibi constitutũ IESVS à patre cœlesti, omnes ipsorum conatus fuerunt frustranei.

Causas comprehendendi eum sæpissimè magna calliditate captabant: sed tanta prudentia, tamq; grauibus reprehensionibus eos à se dimittebat, ut cum pudore et stupore eum relinquere cogerentur. Interdum tamen etiam lapides corripientes, in eum impetum fuissent facturi, nisi se ex furioso cœtu subripuisset: Iohãnis 8.10. Nazarethanos suos quoq; concionibus saluberrimis ita offendebat, ut deductum in montem per præcipitiũ deiecturi fuissent, nisi ipsis præter opinionẽ è manibus euasisset: Lucæ quarto. Sæpe aliàs sibi insidias strui uidit, ideo paulisper secessit: in alijs locis nihilominus suo officio incessanter fungens. Præcipua tamen fugiendi causa est, quod præscriptum tempus patiendi obseruare uolebat.

Tandem autem imminente passionis hora sibi à patre deputata, uolens se patitur in horto capi à sacerdotum & Pilati ministris: id quod uel hæc unica historia euidenter declarat, quòd confessione sola, qua se eum esse profitebatur, quem quærebant, uelut fulmine icti, in terram supini omnes hostes prosternuntur: non resurrecturi unquam humo, nisi ipsemet eis pepercisset. Captus à sacerdotibus & Pilato, iniquis sententijs contra omnium conscientiam condemnatur: à parasitis utrorumq; indignis modis tractatur, deniq; à militib. crudelissimo supplicio crucis inter duos facinorosissimos latrones medius suspẽsus afficitur. sed nõ perimitur ferro aut cruce Christus, sicut latrones propè pendentes: neque in morte cõputrescit: sed tertia die recepta uita, ex sepulchro liber euadit, superatis omnibus hostibus, tam spiritualibus quàm corporalibus. Imò neq; ecclesia ipsius nece extinguitur: sed Christus ideo regnat, quia persecutionem tulerat: ecclesia crescit, quia sanguinem pro ea fuderat: iusticia coram Deo fulgent omnes credentes, quia tanquam iniustus Christus erat damnatus.

Etsi autem discipuli & sectatores IESV, quo tempore ipse uisibiliter in terris uersari uoluit, non sint ferro occisi: tamen odia summorum sacerdotum, & qui ab eis pependerunt, non exigua sustinuerunt, & pro apostatis palàm sunt habiti, excluſi è Synagogis, iuxta decretum de quo suprà diximus. Sic Iohannis 9. cæcum, cui Christus usum restituerat, paulo apertius & rectius de opere Christi sentientem & loquentem, grauissimè obiurgatum excludunt. Et Iohannis 12. principes sacerdotum consultabant de Lazaro interficiendo, eo quòd multi ex Iudæis propter ipsum crederent in IESVM. Christo etiam iam comprehenso, discipuli fugæ sibi consulunt, in domibus latitant: Petrus turpissimè Christum abnegat, reuertens tamen rursus ad pœnitentiam. Postea autem cum & ipsi discipuli uniuersalem Euangelij sparsionem, acceptis Spiritus sancti donis in Pentecoste inciperẽt, crescit in membris Christi persecutio, ut libro sequenti exponemus.

Finis tam indefessæ & cruentæ persecutionis est, ut diabolus unà cum suis organis, irreconciliabile odium erga semen mulieris abundanter declaret: deinde, ut atrocitas peccatorum totius generis humani conspiciatur, quòd filius Dei tanta cogitur nostra uice perpeti: tertiò, ut hac ipsa occasione Christus redemptionem totius generis humani, à Deo liquidò prædictam, præstaret & absolueret. O salutarem passionem Christi:ô

sti: O miserum Satanam & mundũ, qui occidendo Christum, semetipsos pessundederunt, & cunctis credentibus immunitatem ab æterna passione & cõdemnatione cõcedere coacti sunt. Non enim Christus eadem ratione, qua Baptista, passus est. Huius enim mors, ueritatis testimonium: illius uerò λύτρον, hoc est precium fuit, quo omnium hominum peccata sunt persoluta, & æterna iusticia redempta.

Vide etiam miraculosam Dei gubernationem in hac parte. Quantumuis fremerent, & sanguinem omnium cum Christo coniunctorum sitirent Iudæi: tamen non solum uiuo Christo discipuli ac reliqui credentes diuinitùs custodiebantur, ut in schola Christi rectè erudiri possent: sed & in ipsa passione Christi defendebantur, ut non modò necem Christi, & stupenda miracula, uerumetiam gloriosam resurrectionem spectare, monumentum uacuum accedere, liberè uagari, & cum resuscitato Messia integros quadraginta dies cõuersari, denique ascensionem iucundissimam intueri liceret.

Verùm hæc, ut dictum est, suo loco aliquãto uberius tractanda erunt. Memineris igitur pie lector, caput Ecclesiæ Christi hoc tempore sanguinem profudisse: & exemplum publicum datum esse, quòd membra sua, quæ ad finem usq; mundi habebit, à cruce & afflictionibus non erunt immunia.

De persecutionum pœnis.

HErodis, innocentium puerorum interfectoris, historiam qui nosse cupit, Iosephum legat, proli xe huius portenti immania facinora describentem. Natus est autem patre Antipatro, cuiusdam Herodis filio, qui ædituum egit in templo Apollinis, ad urbem Ascalonem sito. Nam Antipater à plagiarijs seu latrunculis raptus, cum pater ob inopiam eum redimere non posset, & ab ipsis educatus, paulatim uirtute emersit, & tutor Iudææ à C. Iulio Cæsare constitutus est. Herodes filius non minus quàm pater, initiò uirtutibus ad altiora emergere conendens, ab Augusto titulum Regis in Iudæa adeptus est, omnium primus ex alienigenis huic populo rex præpositus: id quod pios de promissione Iacob data, haud obscurè cõmonefaciebat. Multa autem postea crudelissima in suo regno perpetrauit facinora: & ut cætera prætcreamus, aquilam auream in honorem Cæsaris supra fores templi, maximis sumptibus collocauit. Eam uerò templi prophanationem quadraginta scholastici iuuenes, ex clarissimis familijs orti, & duo ipsorum præceptores, Iudas & Matthias, pio zelo indignè ferentes, ui structuram ipsam clara meridie demoliti sunt. Hoc facto tanta exarsit ira Herodes, ut semiuiuus in concionem prodiret, uindictam de cunctis Iudæis sumpturus, nisi populi precibus nonnihil mitigatus fuisset. Autores autem ipsos, quos diximus, uiuos crudelissimè cremauit, terroremq; summum omnibus incussit. Recitat Philo Iudæus, eum tricesimo sui regni anno Sanhedrin, id est, ordinarios iudices ex domo Dauid occidisse, & alios ex proselytis in lege peritos ipsis substituisse. Proprias coniuges & liberos occidit. Sed omnium maximum fuit scelus, quod perpetrauit in Christum: quem ut in cunis occideret, plurimos pueros horribiliter mactauit. Hoc autem tantum facinus non potuit diu inultum dimittere Deus. Habebat aliàs suas quoque calamitates Herodes, ob tyrannidem & parricidia: quòd cum multis esset infensus, ipse quoque inuisus erat non tantum alijs, sed etiam domesticis suis. Liberi proprio parenti necem struebant, omnes ei interitum precabantur. Metuebant enim & oderant tyrannum omnes. Sed iam uindicta Dei propter persecutionem in Christũ magis sese exerebat, morbis eumuarijs & acutissimis rursum excarnificantibus.

Hac autem de re ipsum Iosephum antiquissimum testem audiamus, Antiquitatum Iudaicarum libro decimoseptimo, capite octauo, sic scribentẽ: Regi uerò morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente numine. Lento enim calore torrebatur, qui nõ tã externo tactu deprehẽderetur, quàm intus popularetur uiscera. Aderat & uehemens uoracitas, cui necesse esset continuò cibos suggerere: simulq; uexabatur intestinorum exulceratione, & colicis passionibus. Pedes tumebant phlegmate humido & pellucido, similiterq; inguina: ipsa quoq; uerenda putrefacta scatebant uermiculis: accedente fœda, nec minus molesta tentigine, non sine fœtore grauissimo. Super hæc omnia, neruorum cõtractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem cõstans erat inter uiros diuinos & fatidicos opinio, Regem læsæ tot modis pietatis Deo pœnas expendere. Item de bello Iudaico libro 1. capite 21. Totum eius corpus morbo occupatum, uarijs doloribus differebatur. Nam febris quidem non mediocris erat: prurigo autem intolerabilis habebat omnem corporis superficiem. Assiduis autem uexabatur coli tormentis, pedesq; tanquã ex intercutis uitio tumuerant. Quin & inflatio uentriculi putredoq; uirilis membri uermiculos generans, ac præterea creber anhelitus, & irrupta eum suspiria, mẽbrorumq; omnium contractio fatigabat: ut qui hæc ad diuinitatem referrent, ultionem eam esse dicerent sophistarum. Ille autem, quamuis cum tot morborum cruciatibus luctaretur, uitæ tamen cupidus erat, & remedijs excogitatis salutẽ sperabat. Demq; Iordanem transgressus, apud Calliroen aquis calidis utebatur, quæ in lacum feracem bituminis, qui Asphaltites uocatur, effluentes, pro dulcedine potui sunt. Ibi autem corpus eius, quod medicis oleo calidiore foueri placuerat, in solium plenum demersum, ita dissolutum est, ut etiam lumina quasi mortuus resoluta torqueret: deinde perturbatis qui eum curabant, ad clamorem quidem illorum respicere uisus est. desperata uerò salute, militibus quinquagenas drachmas, multamq; pecuniam rectoribus atque amicis diuidi iussit. Cum autem rediens ad Hierichunta uenisset, atra iam bili correptus, & penè ipsi morti minabatur, factumq; nefarium excogitauit. Collectos enim cuiusq; uici ex omni Iudæa nobiles, in locum cui nomen est Hippodromus, concludi præcepit. Deinde Salome sorore & Alexa marito eius ad se uocatis: Scio, inquit, mortem meam festis gaudijs celebraturos esse Iudæos. Verùm per alios lugeri potero, & præclarissimos honores sepulturæ assequi. si quæ præcipio feceritis. Hos uiros, qui habentur in custodia, cum animam efflauero, statim militibus circundatos occidite: ut etiam inuita omnis mihi Iudæa, omnisq; domus illacrymet. Et simul his mandatis, legatorum quos Romam miserat epistolæ sunt allatæ, quibus Acmen ancillam Iuliæ, iussu Cæsaris interemptam, & Antipatrum morte damnatum esse indicabatur. Quin & si pater eum in

exilium

exilium dare mallet,id quoq; permisisse Cæsarem, scriptum erat. Herodes autem paululum hoc nuncio recreatus,doloribusq; rursum uictus (nam inedia tussisq; pariter uiolentia distendebatur) fatum præuenire conatus est:sumptoq; malo, etiam cultellum poposcit: sectũ enim comedere consueuerat. Deinde circumspecto, ne quis arbiter impediret, tanquam se percussurus dexteram sustulit. Cum uerò Achiabus consobrinus eius accurrisset,manumq; cõtinuisset,ululatus maximus in regia statim,quasi Rex mortuus esset,excitatus est. Eoq; properè audito, Antipater fiduciã recepit:lætusq; iam custodes, promissa etiam pecunia,rogabat, ut se soluerent,atq; dimitterent. quod eorum princeps nõ solum ne fieret obstitit,sed etiam Regi uelociter nunciauit. Ille autem fortius exclamãs, quàm ures ægrotantis ualebant, continuò satellitibus missis occidit Antipatrum: mortuumq; sepeliri iussit in Hyrcanio. Deinde rursus corrigit testamentum: & successorem quidem Archelaum natu maximum,Antipæ fratrem,scripsit,tetrarcham uerò Antipam.Post interitum uerò filij,quinque diebus exactis moritur: annos quidẽ triginta quatuor, ex quo interfecit Antigonum, regno potitus: triginta uerò & septem, postquam Rex à Romanis declaratus est. Et in alijs quidem omnibus secunda fortuna usus est,si quis alius.Regnum enim, quod priuatus sibi quæsierat,tanto conseruatum tempore, filijs suis reliquit. In rebus autem domesticis infelicissimus fuit.Salome autem, antequam resciret mortem Regis exercitus, cum marito progressa, uinctos absoluit, quos occidi mandauerat: ipsum dicens mutasse consilium, & unumquenque iussisse domum dimitti. Hisce pœnis connumeretur & hæc, quòd eius regnum postea in tetrarchias scissum & subinde magis magisq; debilitatum est.Quo modo autem reliqui persecutores Baptistæ & Christi sint puniti,in sequenti libro,Deo dante,referemus.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

NVnc, quæ fuerit Christi tempore ratio & forma doctrinæ,quã ipsemet & cæteri eius testes ac cooperarij, uiuo ore tradiderunt, operæ precium est uidere. Hinc enim regula petẽda est, ad quam omnes doctrinas omnium seculorũ referri & explorari oportet: quæ si cum hac congruunt, tutò eis inniti potest conscientia:sin minus, tanquam pestes animarũ infernales fugiendæ & execrandæ sunt.Ideo enim prodijt unigenitus filius è sinu æterni patris, ut hominibus ueritatem cœlestem de Deo & eius uoluntate reuelaret:id quod fecit primùm in paradiso, deinde omnibus ætatibus, renouans & illustrans eam doctrinam, partim mediatè, partim immediatè:& deniq; omnium maximè,postquam indutus carnem humanam,& ministerio docendi,& implẽdo legem, toti humano generi seruiuit. Non igitur dubium est, quin integram formam doctrinæ cõprehenderit ac constituerit Christus:quam & uult audiri, & inuiolatam in omnem usque æternitatem sanctè custodiri:sicut etiam pater cœlestis istam uocem e sublimi cœlo profert,HVNC AVDITE.

Iucundum præterea & utile est, totam quasi ideã doctrinæ Christi semel in conspectum proponere: ut hac ratione quilibet totum doctrinæ corpus, eiusq; fundamenta contemplari & expendere possit. De singulis igitur articulis doctrinam Christi,spiritu sancto nos iuuante,annotabimus.

De scriptura ueteris Testamenti.

EA quæ in approbatis libris ueteris Testamenti continentur, non esse ficticia, qualia in ethnicorum libris habentur, sed à Deo ipso prolata, plurima historiæ Euãgelicæ argumenta euidenter demonstrãt: imprimis uerò hæc duo, quòd IESVS Christus filius Dei luculenter illas ueteres scripturas commendat,atque in suis concionibus crebrò usurpat:deinde,quòd asserit, omnia quæ à Mose & prophetis diuino consilio tradita sunt,Meßiam adumbrasse,seq; iam singula exequi & in actum producere.Matthæi 22. affirmat Christus,Dauidem in spiritu se uocasse Dominum: indicãs, Spiritum sanctum per Dauidem de Meßiæ substantia & officio prophetasse. Et Zacharias Baptistæ pater disertè asseuerat,Dominum Deum Israel locutum esse per os sanctorum prophetarum,qui omnibus seculis uixerint,de exhibendo Meßia,eiusq; beneficijs. Idem & Maria celebrat, dicens Dominum locutum esse ad patres nostros, Abraham & semen eius in secula: quòd nimirum ex Abrahæ familia, semen benedictum deberet nasci. Quæ autem Scripturæ ueteris Testamenti maior autoritas attribui potest, q̃ eam ab ipso Deo patefactam & traditam esse? Christus uincit Diabolum per Scripturam,Matth.4. & Pharisæos se tentantes, Matth.21. Defendit discipulos contra Pharisæos, ex Scripturis:Nõ legistis, inquit,quid fecerit Dauid,cum fame laboraret? Corripit Sadducæos,ignorantes Scripturam.

Summam autem & lucem ueteris Testamenti,& ipsum adeò ut uocatur subiectum, egregiè explicat ipse Christus in nouo Testamento:Scrutamini,inquit,Scripturas. putatis enim uos in ipsis uitam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.Item:Si crederetis Mosi,crederetis & mihi:DE ME enim ille scripsit. Ioan.5. Vult igitur Christus,prophetarum scripta diligenter cognosci:& subiectum mõstrat, quod in ijs quærendum est. Qua quidem in re quasi ardentem & claram facem in ipsas tenebras collocat:& subindicat eos cæca nocte in prophetarum monumentis nauigare,qui non in ijs Christum perspiciant. Lucæ 18.inquit:Nunc ascendimus Hierosolymã, & consummabũtur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Amemus igitur hanc Christi sententiam,quæ ueluti egregius commentarius est in totum uetus Testamentum. Idem Philippus declarat,Nathanaeli lætißimum nuncium adferens: Quem scripsit, inquit, Moses in Lege & Prophetis, inuenimus IESVM filium Ioseph à Nazareth: Iohan.1. Eodem modo post admirandam suam resurrectionẽ IESVS discipulis suis scripturas ueteris Testamenti explicat.Narrat enim Lucas cap.24,IESVM discipulis scripturam aperuisse, & dixisse: Sic scriptum est,& sic oportebat Christum pati,& resurgere à mortuis tertia die:& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Hierosolyma. Et paulo antè:Necesse est,inquit,implere omnia quæ scripta sũt in lege Mosi, Prophetis & Psalmis, de ME. Iuxta

hanc

hanc ſententiam etiam quidam ueteris Teſtamenti libros partiuntur. Iudæi hunc IESVM Chriſtum in ueteri Teſtamento non cernentes, nihil præter literarum picturas uident: & monſtroſis opinionibus etiam luciditſima dicta, quaſi denſis quibuſdam nebulis ſponte obſcurant.

Eſt & hoc obſeruatione dignum, quòd ex ueteri Teſtamẽto, & legem & Euangeliũ adnunciat IESVS. Sumit enim inde expoſitionem legis moralis, & de ceremonialibus quoq; interdum diſſerit: deinde prophetias & figuras de Meſsia perſpicuè ad ſe transfert: & nihil ſe aliud facere teſtatur, quàm quod in prophetis iuxta conſilium & patefactionem Dei ſit traditum.

Docet etiam IESVS, ueteris Teſtamenti prophetias de Meſsia, in ſeſe uno finiri atq; conſiſtere, nec longius progredi. Sicut Matth. 11. inquit: Omnes prophetæ & lex uſq; ad Iohannem prophetarunt. Iohannes autem expreſsè, extenſa manu & ſublato digito præſentem Meſsiam, qui debebat uictima pro peccatis humani generis fieri, exhibebat & commonſtrabat. Tota igitur politia Moiſi, mandato Dei conſtituta, corruere & aboleri debebat, quũ Chriſtus omnia peregiſſet quæ ad ſuum officium pertinebant. Eamq; ob cauſam Iohannes extra templum Hieroſolymitanum functionem ſuam adminiſtrabat, & in Iordane baptiſmum inchoabat. Chriſtus poſt reſurrectionem ideo emittebat doctores in uniuerſum mundum. Deniq; etiam locus ipſe ubi religio Moſaica maximè uigebat, deſtruebatur: ut res ipſa doceret, Deum non tantum doctrina, ſed etiam in gentibus ac horrendis cladibus politiam Moſaicam funditus euertiſſe.

Non autem ſunt ea quæ modò commemorauimus, tã largiter accipienda, quaſi nullũ prorſus uſum amplius uetus Teſtamentum in Eccleſia Chriſti haberet: ſed ea tenus tantum, quod nunc exhibita ſunt, quæ illic uentura denunciabantur: & quòd umbræ ſignificantes Chriſtum, ac leges ceremoniales atq; politicæ finem ſuum acceperint, ſtatuſq; religionis à Chriſto ordinatus ſit accipiendus. Nihilominus tamen ſcripta ueteris Teſtamenti quàm diligentiſsimè legenda atq; cognoſcenda eſſe. Chriſtus præcepit Iohan. 5. Scrutamini Scripturas. Lucæ decimoſexto: Habent Moſen & Prophetas, eos audiant. Et grauiter reprehẽdit Sadducæos, ob ignorationem Scripturæ: Marci 12. Erratis, neſcientes Scripturas.

Cæterùm libri ueteris Teſtamenti, ex quibus in hiſtoria Euangelica partim à Chriſto, partim ab Euangeliſtis quædam citãtur, ſunt: Moſes, Eſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Hoſeas, Ionas, Micheas, Zacharias, Malachias, Pſalmi, Regum hiſtoriæ. Ipſa autem dicta in hiſtoria Chriſti occurrent, ut non ſit neceſſe huc prolixè adſcribere.

De Scriptura noui Teſtamenti, & de conuenientia ac differentia utriuſque.

VOcatur uſitatè Nouum Teſtamentum, tota ea religionis forma, quam ſua præſentia, miniſterio, omnibuſq; actionibus conſtituit Chriſtus. Etſi autem de cœna Domini tantum apud Euangeliſtas hæc appellatio extet Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. quæ per ſe Nouum Teſtamentum eſt, ingẽs nempe & admirabile fœdus, quod iniuit Chriſtus cũ ſua Eccleſia, quo corpus & ſanguinem ſuũ elementis certis ſumendum ac bibendum reliquit, ſuamq; doctrinam & beneficia obſignauit: tamen de toto corpore doctrinæ Chriſti etiam rectè uſurpari poteſt, ſicut fecerunt Apoſtoli. Nouum autem, ad differentiam ueteris dicitur.

Iam conuenientia quædam utraq; Teſtamenta habere, ex concionibus Chriſti non obſcurè perſpici poteſt. Vnus namq; Deus eſt, utriuſq; autor. In utroq; legis & Euangelij concio ſonat, Matth. 22. ex Deut. 6. & Pſal. 110. Vtraq; Chriſtum annunciant, Ioh. 5. utraq; docent, iuſticiam hominis coram Deo, eſſe meritum atq; obedientiam Chriſti. Luc. 24. Neceſſe eſt, inquit Chriſtus, omnia implere, quæ ſcripta ſunt in lege Moſi, & prophetis & pſalmis, de me.

Sed & peculiare ac proprium quiddã unumquodq; habere, ex hiſtoria Euangelij liquet. Nam in ueteri Teſtamento, aliquanto obſcuriùs Euangelium annunciatur, proponuntur umbræ rerum futurarum: ut Ionæ, Matt. 12. ſerpentis, Ioh. 3. agni, Ioh. 1. dicitur de uenturo Chriſto, eiuſq; operibus. Erant præcipui cultus certo loco alligati, templo nimirum Hieroſolymitano. Ideo enim Chriſtus in templo crebrò uerſatur, & paſcha Hieroſolymis celebrat. Habebat etiam uetus Teſtamentum de regno corporali annexas promiſsiones. Ex hoc enim fonte naſcitur quæſtio, an iuſtum ſit, Cæſari, utpote alieno regi, cenſum dare? Matth. 22. Omnia habebant ſuum terminum præfixum, quouſq; durare deberent: ſicut inquit Chriſtus, Lex & prophetæ uſque ad Iohannem, Matth. 11. Prophetæ & ſacerdotes aliquam politicæ gubernationis curam ſuſtinebant: ſicut adhuc in Caipha & reliquis ſacerdotibus reliquiæ conſpiciebantur, penes quos ius erat capiẽdi Chriſtum, licet ſuperior iuriſdictio iam eis adempta eſſet. Erat ſacerdotium externum, & ordinaria ſucceſsio: ſicut Chriſtus præcipit leproſo Matth. 7. Vade & oſtende te ſacerdotibus, & offer munus tuum. Iudæi præ alijs gentibus habebant ſuas quaſdam prærogatiuas: ideo offenduntur, quòd gentibus etiam beneficia præſtet Chriſtus.

Habet & Nouum Teſtamentum quædam ſibi propria. Nam in nouo omnia pleniſsimè ſunt perfecta, quæ in ueteri prædicta fuerant: ſicut Lucæ 24. Chriſtus ipſe diſertè aſſeuerat. proponit Chriſtum exhibitum, eiuſque hiſtoriam à primis cunabulis fideliter narrat. Breuiter docet, Chriſtum perſoluiſſe omnia, quæ lex ab hominibus ſuo iure poſtulabat. ſicut teſtantur dicta: Veni legẽ adimplere, Matth. 5. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Io. 1. Illuſtrat articulũ de gratia ſeu iuſticia coram Deo, ſeu de remiſsione peccatorũ: nempe mactatione Chriſti, totaq; eius obedientia, quæ fide nobis applicatur: eſſe nos iuſtos, & habere uitam æternam. Ioh. 1. 16. Clarè & perſpicuè affert & impertit remiſsionem peccatorum, ut Matth. 9. qua quidem re Iudæi tanquam inſueta, uehementer offenduntur. Inſtituuntur in eo palàm claues regni cœlorum, Matt. 16. 18. Ioh. 20.

Miracula plura & illuſtriora in nouo quàm in ueteri fiunt. nam patefacit ſe clarius ipſe Deus. Vt in baptiſmo Chriſti ad Iordanem, pater uoce ſonora filio ſuo ſtanti in undis teſtimonium perhibet: Spiritus ſanctus uiſibiliter deſcendit è cœlis: idem effunditur à Chriſto, afflatu

in Apostolos. Mortui plures resuscitantur: uerbo innumeri curantur à uarijs plagis, idq; præter omnes naturales causas. Christus ipse tertio die à mortuis resurgit: quo miraculo quod nam potest esse sublimius.

Sacramenta quoq; in Nouo sunt euidentiora. Nam ad baptismum iuxta institutionẽ Christi se tota Trinitas alligauit, idq; ad hominis necessariam regenerationem. Matth.28. Iohan.3. In cœna Domini pane uerum Christi corpus, uino uerus eius sanguis præbetur omnibus manducantibus & bibentibus, iuxta uerbum & institutionem ipsius. At quanto præstantior & admirabilior est talis ac tanta communicatio, quàm aspersio sanguinis ex mactata uictima? Abolet Christus in Nouo Testamento politiam Mosaicam, prædicens euersionem admodum horrendam. Tollit Nouum Testamentum funditus sacerdotium Mosaicum, & instituit ministerium uniuersale, nempe Apostolorum: & non alligatur amplius Ecclesia Dei ulli loco. Ite, inquit Christus, in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: quo dicto omnis prærogatiua uel loci uel personarum penitus aufertur. Habet prophetias de pseudoprophetis, de Antichristo, eiusq; reuelatione, de fine mundi, de signis antecedentibus, de extremo iudicio, de uita æterna maximè illustres. Denique Noui Testamenti constitutio est postrema, neq; est alia expectanda, nisi quando Christus IESVS in Maiestate sua apparens in resurrectione mortuorum, illa omnia re ipsa uisibiliter ac sensibiliter præstabit ac complebit, quæ iam uerbo suo omnibus credentib. condixit, & sacramentis ac spiritu sancto confirmat.

Ex hisce intelligi potest, Nouum Testamentum ex ueteri fluere, & articulis fidei cum ipso congruere: nisi quòd omnia hic clariora sint, & abolitis antiquis noua signa ac testimonia promissioni gratiæ sint affixa.

Summa autem rerum in Nouo Testamento comprehensarum, in hoc dicto explicatur: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Marci decimosexto. Et in hoc: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Sed res Noui Testamenti in cæteris quoque doctrinæ partibus tractandæ uenient. proinde ad alia transibimus.

DE VERBO DEI.

DVæ significationes uocabuli Verbi aut Sermonus, potissimũ in Euangelica historia reperiũtur. Vna, qua solus Iohannes in exordio sui Euãgelici libri utitur: ubi seipsum luculenter exponit, quòd uerbũ accipiat pro persona secunda Trinitatis, coessentiali & coæterna Patri & Spiritui sancto, quæ persona sit filius patris unigenitus, postea uerò præfinito tempore homo factus. Altera significatio est, quòd appellatio uerbi sumitur pro doctrina reuelata & tradita per Christum, siue uiua ipsius uoce, siue per suos ministros. Et in hac significatione hic usurpamus. Epitheta uerò uaria interdum adijciuntur. Vocatur uerbum Dei, Matthæi decimo tertio: Qui uerbum Dei audit. Luc.8. Semen est uerbum Dei. Item, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui audiunt uerbum Dei: Ioh.11. Beati qui audiunt uerbum Dei, Ioh.8. Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Non autem loquitur de substantiali uerbo in his dictis Christus, sicut Ioh.cap.1. cum dicit, Verbum erat Deus: sed de doctrina, quam tradit. Discernit enim apertè se tanquam seminatorem, & semen, hoc est doctrinam qua colligitur & plantatur Ecclesia. Appellatur autem uerbũ Dei à causa efficiente. nam Deus id uerbum reuelauit, & proponit in eo suam uoluntatem, quam uult omnes homines nosse ac sequi: & est ipse Deus in eo uerbo efficax, licet homines id iuxta Dei mandatum proponant. Hinc Christus passim uocat uerbum suum, hoc est, quod ipse reuelarit, & adhuc tradat. item uerbum patris: nam ipsius consilio & iussu filius ea docebat & illustrabat, quæ alias humana ratio suis uiribus inquirere non ualebat. Sic rectè Spiritus sancti Verbum dici potest. promittit enim IESVS Spiritum sanctum, qui discipulos ac totam Ecclesiam sit docturus: Iohan.14.15.16. Eadem de causa & uerbum regni dicitur, Matth.13. nam per illud Deus corda regit, & in suam Ecclesiam, quæ crebrò regnũ cœlorum uocatur, imò & in æternam uitam homines colligit. Lucæ 4. Euangelista doctrinam Christi uerba gratiæ appellat, nõ tantum quia summa autoritate & suauitate proferebãtur: sed omniũ maximè, quia gratiã, hoc est fauorem Dei & remissionem peccatorum anxijs conscientijs adferebant. A simili effectu Petrus inquit: Domine, uerba uitæ æternæ habes: hoc est, quæ & annunciãt & impertiunt uitam æternam: Ioh.6. Item ueritas appellatur, Ioan.17. Item uoluntas Dei, Ioh.5. Hæc est uoluntas eius.

Cæterum ad uerbum Dei non tantum referri debẽt conciones Noui Testamenti. sed & prophetarum. sicut monet Christus Luc.16. Habent Mosen & Prophetas, eos audiant. Ioh.5. Scrutamini scripturas. Matth.19. Christus deducit Pharisæos, de repudio sciscitantes, ad scripturam: Non legistis, inquit, &c. Et Zacharias Lucæ 1. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum suorum. & Maria ibidem: Sicut loquutus est ad patres nostros.

Doctrinam igitur hanc à Deo profectam esse, clarè docet Christus: Mea doctrina, inquit, non est mea, sed eius qui misit me. Iohan.7. Ego quæ audiui à patre, hæc loquor in mundo. Ioh.8. Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater mandatum mihi dedit, quid dicam & loquar. Ioh.12.14. Omnia quæ audiui à patre meo, nota uobis feci. Ioh.15. Et Matth.13. in parabola inquit: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. His enim uerbis plerunq; seipsum describit Christus. Et Iohãnes disertè inquit: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et propter hoc officium omnium maximè λόγος appellatur, Ioh.1.

Neque uerò tantum ante incarnationem, & postquam homo factus est, doctrinam cœlestẽ ipsemet protulit ac plantauit: sed docet insuper, se deinceps quoque missurũ esse Doctores Ecclesiæ salutares. Matt.23. & Matt.9. inquit Christus: Rogate Dominũ messis, ut mittat operarios in messem suam.

Est igitur missio salutariũ doctorum in Ecclesiam, totius q; ministerij conseruatio, opus Dei. Et Christus ipse sancit ministerium, ablegans suos Apostolos in uniuersum mundum: addita promissione, se apud ipsos futurum

turum usq; ad consummationem seculi: Matth. 28.

Omnes esse ad hoc uerbum, quod IESVS Christus è cœlo protulit & tradidit, alligatos, uox admiranda, quam pater è cœlo edidit, testatur: Hic est filius meus dilectus, in quo delector, HVNC AVDITE: Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9. Et Christus inquit: Oues meæ uocẽ meam audiunt. Item: Alienũ non sequuntur, sed effugiũt ab eo, quia non nouerunt uocẽ alienorum: Ioh. 10. Item: Sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas: Ioh. 17. Item: Docentes seruare omnia quæcunq; præcepi uobis: Matth. 28. Docet præterea, etiam alios sonantes uerbũ Dei esse audiendos, tanquam ipsum Christum: Lucæ. 10. Qui uos audit, me audit.

Causa formalis est ipsa doctrina, quam de singulis articulis, Deo dante, recensebimus. Summæ autem breues sunt: pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: Matth. 4. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: Marc. 1. Prædicate in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum: Lucæ 24. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quòd non crediderunt in me. De iustitia uerò, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. De iudicio autem, quòd princeps huius mundi iudicatus est: Ioh. 16. Hæc dicta cõmonefaciunt de duabus principalibus partibus doctrinæ cœlestis: nempe de Lege & Euangelio. Complectuntur & istæ sententiæ quædam cõpendia uerbi Dei: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum: Matt. 11. Venit filius hominis saluare quod perierat: Matth. 18. Sic Deus dilexit mundum, &c. Ioh. 3. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti IESVM Christũ: Ioh. 17. & similes, quãuis ad alterã partẽ, nempe Euangeliũ, maximè uideãtur pertinere.

De effectibus & fructibus uerbi Dei magnificè Christus docet, nempe quòd afferat ueram patris cognitionem. Nam Lucæ 10. inquit, se reuelare patrem. Verbũ Dei affert cognitionem filij. Ioh. 6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me: Ioh. 5. Illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Affert hoc ingens bonum, quòd pater & filius, discentes uerbum singulari amore complectantur, & in ijs uelint habitare: Ioh. 14. Qui habet mandata mea, is me diligit, & uicissim diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Itẽ: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mãsionem apud eum faciemus. Affert uitam æternam, liberat à damnatione. Ioh. 5. Qui uerbum meũ audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet: Ioh. 6. Verba quæ ego locutus sum uobis, spiritus sunt & uita. hoc est, per uerbũ spiritus sanctus & uita dantur. Ioh. 8. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatẽ, & ueritas liberabit uos. Item: Si quis sermonem meum seruabit, mortem non uidebit in æternum. Ioh. 12. Mãdatum eius uita æterna est.

Vniuersæ scripturæ & uerbi diuini finem, Iohannes in conclusione sui libri cap. 20. complectitur: Hæc scripta sunt, inquit, ut credatis, quia IESVS est filius Dei: & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius. Lucæ 11. Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Affert arctissimam coniunctionem cum Christo, Luc. 8. Mater mea & fratres hi sunt, qui uerbum Dei audiunt, & faciunt. Et in parabola de semine docet Christus, uerbum Dei non abire sine fructu, & quidem etiam triceſimum aut sexagesimum, aut denique etiam centesimum proferre: id quod de internis & externis fructibus intelligi debet. Quod præsidium quasi firmissimum aduersus omnis generis pericula, imò etiam contra terrores mortis & diaboli, uerbum Dei suppeditet, præclarè Christus monet Matth. 7. Luc. 6. Omnis qui audit uerba mea, & facit, assimilabitur uiro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram: & descẽdit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat supra petram. Hæc testimonia docent, Deum per hanc suã uocẽ semper esse in sua Ecclesia efficacẽ, & uberrimè largiri cœlestia & æterna bona. Huc iterum pertinet, quod Christus pollicitus est, se perpetuò, huic ministerio, in quo uox ista cœlestis incorruptè sonat, ad futurum: & monet, Spiritum sanctum mũdũ esse reprehensurum, & simul de ueritate commone facturum: Ioh. 16. Imò & Apostolis afflatu Spiritum sanctum hanc potissimum ob causam impertit, Ioh. 20. Facit & hoc ad commendandã potentiam uerbi, quòd Christus solo uerbo mortuos resuscitat, & omnis generis morbos efficacissimè sanat.

Sed & hoc commonefacit Christus, quòd non apud omnes auditores æqualiter fructificet uerbum Dei. Ipsi met auditores Christi non sunt omnes conuersi: sicut grauiter de Capernaum, Corazin, Bethsaida, & toto populo conqueritur, quòd non cognorit tempus uisitationis suæ. Et Ioh. cap. 1. admodum tristes querelæ recitantur: In propria uenit, & sui eum non receperunt. Hæc & in parabolis quasi depingit Christus, ut Matt. 13. ubi tres partes seminis iacti in agrum, pereunt: partim, quia diabolus auferat ex cordibus humanis uerbũ: partim, quia homines uoluptatibus & diuitijs huius uitæ irretiti, ceu spinis, & abhorrẽtes persecutionem & paupertatem, abijciant fidem, & excutiant bona cœlestia. Sic Matthæi 22. Lucæ 14. ait Christus, omnes quidem uocari ad epulas atq; gaudia nuptialia: uerũm plerosq; non tantum aspernari uocem, sed etiam nuncios crudeliter interficere. Et clarè de ministerio præmonet: Si me persecuti sunt, & uos persequentur: Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Ioh. 15.

Quod autem temporales atq; æternæ pœnæ contẽptum uerbi sint comitaturæ, atrocibus uerbis non raro cõminatur Christus. Sic multis lachrymis indicat & deplorat uenturã calamitatẽ Hierosolymorũ temporalẽ, nempe cruenta bella: idq; ob uerbi Dei contemptũ, & persecutionẽ ueri Messiæ. Venient, inquit, dies in te, & circũdabunt te inimici tui uallo, & obsidebunt te, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Lucæ. 19. Eadem fusius tractantur à Christo Matth. 24. Idem parabola de nuptijs commonefacit. Rex iratus (cognito nimirum uocatorum fastu & crudelitate) missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit. Neq; exigua damna sunt, ut pote spiritualia, quæ in ipsa parabola de

seminibus pereuntibus adumbrantur: nempe quòd cor ob duritiem non capiat uerbum Dei, & diabolus eius fructum impediat & auferat. Quid tristius dici potest, quàm esse organon istius impuri spiritus? item, fidem extingui curis mundanis, & rebus prorsus caducis ac fluxilibus? Porrò neq; ea pœna leuis putãda est, quod parabola indicat, perire etiam omnem confessionem & constantiã in persecutionibus, contemptoribus uerbi: & nullam eos in terroribus conscientiæ consolationem tenere, sed flaccescere & arescere, hoc est omnino desperare. Sic & in parabola de conuiuio, dicit Christus, eos non futuros esse participes bonorum quæ uerbo Dei dispensantur, qui noluerunt id amplecti. Nemo, inquit, uirorum qui uocati fuerant, gustabit cœnã meam: Lucæ 14. Huc pertinet & illud Matt. 7. Omnis audiens uerba mea, & non faciens, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam: & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uẽti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, fuitq; ruina eius magna.

De æternis pœnis, quibus Deus contemptũ uerbi ulciscetur, hæc dicta concionantur: Matth. 11. Væ tibi Corazin & Bethsaida. nam si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Capernaum, quæ usq; in cœlum exaltata es, usq; in infernum descendes. Quid atrocius dici potest? nam quasi fulmen excommunicationis in ipsos conijcitur, & omnium horrẽdissimæ pœnæ adnunciantur. Eodem modo, uæ seu excommunicationem ac pœnas grauissimas denunciat Christus Pharisæis & scribis, sanam doctrinã fastidientibus & persequentibus, Matt. 23. Et Matth. 10. inquit: Quicunq; non exceperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes ex ædibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum uestrorum. Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm ciuitati illi. Ioh. 8 inquit Christus: Qui ex Deo est, uerba Dei audit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Docet enim, opus Dei in nobis esse, ut aures uerbo Dei præbeamus: & certissimum esse indiciũ, ibi nõ habitare Deum, ubi uerbum Dei non habet ullum locum. Grauissima adhortatio est Matth. 13. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Vbi non obscurè significatur, nõ omnes habere eiusmodi capaces aures: & rogandũ esse Deum, ut is mentem aperiat, capacesq; nos tantorum bonorũ efficiat. Item: Non estis uos qui loquimini, sed spiritus patris uestri: Matth. 10.

De certitudine huius uerbi inquit Christus Matth. 24. Cœlum & terra transibit, uerba autem mea non transibunt. Item Matth. 5. Non præteribit unum iota. Denique etsi ratio humana non possit omnia cõsequi ac perspicere, tamen uerbo diuino summam potentiam esse tribuendam, Gabriel docet Luc. 1. Non erit, inquit, impossibile apud Deum omne uerbum. & Elizabeth ait: Omnia fient, quæcunque Deus tibi dixit.

Phrasis est in concionibus Christi, uerbum aut sermonem Christi facere aut seruare, pro audire & amplecti fide, itẽ fructibus declarare: Matt. 7. Ioh. 8. 14.

Verbo Dei opponuntur præcepta hominum, seu traditiones humanæ, Matth. 15. Quare uos transgredimini præceptum Dei, propter traditionem uestram? Item: Irritum fecistis præceptum Dei, propter traditionem uestram. & Iohannes baptista Ioh. 3. ait: Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur: qui è cœlo uenit, super omnes est. Itẽ: Is quem misit Deus, uerba Dei loquitur. Hactenus generaliores quosdã locos recẽsuimus: deinceps ad specialiores, Deo aspirãte, ueniemus.

DE DEO.

DEus, Dominus, Dominus Deus, promiscuè uidẽtur usurpari in historia Euangelij. ut Luc. 1. Erãt ambo iusti ante Deũ, incedentes in omnib. mãdatis & iustificationib. Domini, sine querela. Sacerdotio fungebatur ante Deũ, ingressus templũ Domini: Angelus Domini: Erit magnus corã Domino: Cõuertet multos filiorum Israel ad Dominũ Deum ipsorũ: Ad parandã Domino plebem perfectam: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum. Item, Missus est angelus à Deo: Inuenisti gratiam apud Deum. & mox, Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid, patris sui. Sic etiam ipsa Maria loquitur: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et Zacharias sic celebrat Deum: Benedictus Dominus Deus Israel. Allegat Christus ex Deut. 6. illustria dicta, in quibus etiam hæ appellationes coniungũtur: Non tentabis Dominũ Deum tuum: Dominum Deum tuum adorabis. Item Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo. Idem in alijs locis obseruare licet. Coniunguntur autem hæc duo uocabula Dominus Deus, Hebraica phrasi, Iehoua Elohim: & quidẽ Iehoua per κύριος expreßerũt Apostoli, usitatam Septuaginta uersionem imitantes, ac Græcè iam scribentes.

Deus autem duplici modo usurpatur. Primùm & plerunq; est nomen essentiæ, omnibus tribus personis conueniens. Deinde uerò, nonnunquam attribuitur diuinæ personæ, eiusq; quasi genus est: ac si dicas, Diuina substantia, coessentialis, coæterna, coomnipotens cum reliquis personis. Prioris significationis exempla passim occurrunt. Matth. 5. Beati mundi corde, quoniam Deum uidebunt. Matth. 6. Quærite primùm regnum Dei. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Deus fœnum uestit. Matt. 16. Non sapis quæ Dei sunt. Matt. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Matt. 22. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed uiuentiũ. Luc. 18. Deum non timebat. Deus propitius esto mihi peccatori. Matt. 22. Luc 10. Reddite quæ sunt Dei, Deo. Ioa. 1. Deum nemo uidit unquã. Posterioris exempla sunt, Ioa. 6. Hũc pater uobis signauit Deus. Pater hic personæ nomen est, & Deus generis, hoc est substãtia diuina. Sic Mat. 16. Ioh. 20. Tu es Christus, filius Dei uiui. Luc. 1. Vocabitur filius Dei Ioh. 1. Verbum erat apud Deum. Vocabulum Dei patrẽ designat, qui est in ordine prima substantia indiuiduæ Trinitatis. Tribuitur uocabulum Dei eadem ratione & filio. ut Ioh. 1. Verbum, hoc est filius, erat Deus. Ioa. 20. Dominus meus & Deus meus. loquitur in præsentia tantum de filio Dei Thomas. Patri & filio Dei uocabulum pulchrè in uno dicto coniunctim attribuitur Ioh. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te (patrem) solum uerũ Deum, & quem misisti IESVM Christũ. Tribuitur & uocabulũ Dei creatu-

aturis,ut magistratui:Dixi,dij estis.Io.10. ex Psal.82.

Vocabulum Dominus quoq; interdum est generale,essentiæ Dei conueniens,& commune tribus personis diuinitatis.ut,Magnificat anima mea Dominum. Interdum personis singulis tribuitur: Lucæ 16.Domine pater. Sic interpretatur Christus Psalmum 110. Dixit Dominus Domino meo:nempe de patre & de filio. Thomas etiam uocat eum suum Iehoua seu Dominum, more Scripturæ. Interdum uerò uox est, qua honoratiores homines in allocutionibus familiarioribus compellantur. Sic Io.13.ponitur: Vos uocatis me magistrũ & Dominum,& rectè dicitis. Interdum & eum significat,qui potestatem alicuius personæ siue rei habet. ut Marc.13.Dominus domus.Sic Marc.2.Luc.6. Christus se dicit Dominum Sabbathi. Verùm hæc sunt alieniora.nam hic tantum uisum est colligere & indicare ea, quæ ad hunc locũ de Deo præcipuè pertinere uidẽtur.

Iam quòd sit Deus, integra doctrina de Deo satis probabit, ut non sit necesse testimonia hoc loco coaceruare: ac quæ iam de Deo in genere commemorauimus,huc quoq; referri possunt. Cæterùm præter ea testimonia,insuper missio & resurrectio filij,patefactiones Dei,miracula,ministerij institutio, conseruatio & effectus, deniq; euentus omnium prophetiarum, hanc partem confirmant & illustrant.

Definitionem Dei non in uno aliquo certo loco, more Dialectico, recitat Christus, sed sparsim:tamen ita perspicuè de Deo uuditores suos docet,ut non sit difficile integram atque dilucidam inde definitionem colligere atque extruere,nempe talem: Deus est spiritualis essentia,intelligens,æterna,uerax,bona,pura,iusta,misericors,liberrima,immensæ potentiæ & sapientiæ: Pater æternus,qui filium suum ab æterno genuit:Filius ab æterno à patre genitus, & qui præfinito tẽpore homo factus est: Spiritus sanctus à patre & filio procedens: unus essentia,trinus personis, creator & conseruator omnium creaturarum, & ministerio uerbi omnibus ætatibus sibi colligens & sanctificans Ecclesiam:à qua iste unicus & uerus Deus, & in hac & in futura uita agnoscatur & celebretur,impios puniens,& bonis bene faciens in hoc & futuro seculo.

Testimonia, quæ eam descriptionem suppeditant, sunt: Iohan.4. Spiritus est Deus. & loquitur Christus de spirituali essentia,quam opponit corporeæ. Intelligentem esse,actiones Dei mirificæ,& conciones eius testantur.nam pater de cœlo clamat, Hic est filius meus: quod est naturæ intelligentis.Filius patefacit uoluntatem patris, Spiritus sanctus est gubernator perpetuus ministerij Euangelici, Ioh.16. Aeternus probatur, quia ante rerum conditionem fuit, Ioh.1. Verax, Ioh. 3.8. Deus uerax est.Bonus,Matt.19.Nullus est bonus, nisi unus,nempe Deus:hoc est,fons & origo omnis boni,uel etiam in sua essentia nihil nisi bonum habens. Purus,Luc.13. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ac quòd sit iustus & misericors, unum hoc opus, nempe missio filij sui,declarat: quem ideo tradidit pro nobis in mortem,ut æternum exemplum iusticiæ & misericordiæ suæ ab oculos poneret. Liberrimus:id probant omnis generis miraculosæ actiones. Immensæ potentiæ & sapientiæ: quia conditor est mundi,& dat uitam æternam per filium, promittit resuscitationem à mortuis,& Christus ipse resuscitatione aliorum & sua ipsius resurrectione id comprobat. & Gabriel inquit, Apud Deum non est impossibile omne uerbum. De tribus personis uel unica sententia hic sufficiat de baptismo,quem ait Christus conferendum esse in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti,Matt.28. Creator,Ioh. 1.Omnia per ipsum condita sunt.Luc.10.Pater cœli & terræ. Colligens Ecclesiam,Marci 16. Ite in mundũ uniuersum. Conferens æternam uitam,Matt.25. Venite benedicti.Puniens impios:Discedite maledicti,ibidẽ.

Hanc ueram Dei noticiam, non esse naturaliter notam,sed per filium Dei reuelatam,Io.1.indicatur: Deũ nemo uidit unquam:unigenitus filius,qui est in sinu patris,ipse enarrauit nobis. Et ne quis suis speculationibus humanis,extra Christum & ipsius uerbum,Deum inquirat, uel Philippi exemplum satis admonet, Io.14. Quærit enim Philippus, Domine ostende nobis patrẽ. At IESVS respondet:Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me?Philippe,qui uidet me, uidet patrem.itẽ:Non credis,quòd ego in patre,& pater in me est?Huc pertinet,quod Matth.11.Christus dicit:Nemo nouit filiũ,nisi pater neque patrẽ quis nouit,nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.

Vnum esse Deum,Christus his uerbis ostẽdit Matt. 19.Nullus est bonus nisi unus,nempe Deus. Item Matt. 4.Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. Matth.22.Diligas Dominum Deum tuũ. Nam & hæc dicta de cultu unici ac ueri Dei loquuntur.

DE TRINITATE.

DOcet Christus perspicuè,tres esse personas diuinitatis,coessentiales & coæternas. Baptisate, inquit, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matth.28. Estq; hoc dictum omnium illustrissimum, ubi in uno diuino opere disertè & distinctè tres personæ coniunguntur. Deinde uerò & in reliquis cõcionibus suis trium personarum facit mentionem. Ioh.14. Ego rogabo patrem,& alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum.Ioh.15. Cum uenerit paracletus,quem ego mittam à patre,spiritum ueritatis,qui à patre procedit,ille testimonium perhibebit de me. In his sententijs trium personarum ordine ac perspicuè fit mentio,nempe Patris,Filij,Spiritus sancti.Filius ait se rogaturum patrem, ac missurũ spiritum sanctum:pater rogatur à filio: spiritus sanctus ab utroque mittitur. Complectitur etiam Angelus Gabriel, si modò attendas & explices,tres personas, nõ tantum in reliquis suæ orationis partibus,sed etiam in hac sentẽtia: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obrumbrabit tibi:ideoq; & quod nascetur ex te sanctũ, uocabitur filius Dei. item Zacharias in suo cantico, triũ personarũ meminit: scilicet Domini Dei Israel:item,Loquentis per os sanctorũ:item Altissimi,ante cuius faciem præibit Iohannes. Item Iohannes baptista, Ioh.1.Qui misit me ut baptizarem, dixit: Super quem uideris spiritũ descendentem, ac manentem super eũ, hic est qui baptizat Spiritu sancto. Et ego uidi, & testificatus sum,hunc esse filium Dei. Item Ioh.3. Pater diligit filium. Tertiò proponitur patefactio trium personarum distinctè, tam manifesta & clara, ut in hoc mundo nulla alia facta sit illustrior: nempe quòd Christo in Iordane à Iohanne baptizato, uox è cœlo pleno

sono editur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum est. & Spiritus sanctus specie columbæ uisibiliter sese demittens, in caput initiati Christi descendit, & in eo manet. In hac actione pater, agnoscēs Christum tinctū in flumine, & suo testimonio eum ornans, est una persona: Christus baptizatus, qui filius Dei pronunciatur, & in quem Spiritus sanctus considet, est altera persona: Spiritus sanctus columbæ figuram præ se ferens, & in Christū se collocans, est tertia persona.

Quartò, seorsim innumera testimonia de singulis personis passim in concionibus Christi extant, ut Matth. 7. Pater uester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. Ioh. 8. Antequam Abraham fieret, ego sum. Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum. Plura eiusmodi dicta, quando de singulis personis agemus, occurrent.

Quintò, & in reliquis narrationibus Euangelicis tres personæ exprimuntur: ut Lucæ primo, Domini Dei mentio fit, qui angelum ad Mariam mittebat: deinde filij Mariæ, qui in utero eius gestabatur: tertiò Spiritus sancti, quòd de eo hic fœtus natus esset. Sic Iohannes in primo capite, Dei patris, uerbi seu filij unigeniti, & Spiritus sancti, meminit. Item Christus ascēsurus ad cœlos, Acto. 1. complectitur in suo sermone tres personas, cum inquit: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate: sed accipietis uirtutem, posteaquam Spiritus sanctus aduenerit super uos.

De Patre.

Quando de prima persona Trinitatis agitur, uocabulum patris duplici modo à Christo usurpatur. Primùm respectu filij unigeniti, ubi de substantia intelligi oportet: deinde, respectu hominum in Christum credētium, ubi gratiam & fauorem Dei erga nos paternam declarat, quam quidem ob Christi meritum accipimus.

Discernit aũt hæc adiectis uocibus Christus, MEVS & Vester. ut, Pater meus usque modò operatur, & ego operor: Iohan. 5. Hic de substantia intelligi uult nomĕ Patris, nempe quòd sit uerè genitus ex patre. Quando autem dicit, Nouit pater VESTER quibus indigeatis, Matthæi 6. non de substantia, sed gratia uult accipi: hoc est, qui animo paterno uos complectitur, & beneficijs omnis generis uult adficere. Sic in una sententia utrumq; effert: Ascendo ad patrem MEVM, & ad patrem VESTRVM: Iohannis 20. Vocatur autem pater cœlestis, item Qui in cœlis est, ad differentiam terrenorum patrum: & ad declarandam eius potentiam, infinitatem & præsentiam in locis omnibus.

Etsi autem Christus eam habeat consuetudinem, ut in suis concionibus, quoties de patre loquitur, plerunq; ista copulet, eum esse personam, & quidem distinctam ab alijs, & habere certas quasdam proprietates & opera, quæ uelit ab Ecclesia sua cognosci: tamen nos, perspicuitatis gratia, & ut posteriorum seculorum doctrinæ huc referri, & facilius cognosci ac dijudicari queãt, in quibus uidelicet punctis hæretici deuiarint, suaq; zizania interspererint, ad singulas partes testimonia quædam colligemus.

Docet igitur Christus apertè & sine præstigijs de Patre, quòd sit persona: hoc est, substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, per se subsistens. Perpetuò enim hoc agit & contendit, se missum esse à patre. Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: Iohannis tertio. Misit me uiuens pater: Iohānis sexto, octauo. Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos: Ioh. 20. Mittere autem alium ad certas operas, est descriptio personæ singularis. Deinde inuocat patrem Christus minimè dubijs uerbis, & ante passionem, & in suis cruciatibus, luctans cum morte & cæteris hostibus generis humani: ut, Pater clarifica nomen tuum, Iohannis 12. Pater, transeat à me calix iste: Matthæi uigesimosexto & decimoquarto, Lucæ uigesimo secundo. Pater, in manus tuas cõmendo Spiritum meũ: Lucæ 23.

Non autem poterat seipsum inuocare: ideo docet hac sua oratione, Patrĕ esse personam, quæ certò suos gemitus exaudiat. Idem in uerbis baptismi docet, ubi sicut filius & Spiritus sanctus certæ personæ sunt, ita & pater. Deniq; pater ipse, ut personam sese declarat. nam in baptismo Christi, in transfiguratione, & Iohannis 12. inuocatus à filio, disertè uocem edit, agnoscens & approbans filium sibi dilectißimum, & eum in hoc ampliſsimo munere, in quo uersabatur, confirmans & ornans. Non autem coaceruabimus plura testimonia. nam quæ sequuntur, eôdem spectant.

Patrem esse distinctam personam in diuinitate, nec esse filium ipsum, neq; Spiritumsanctum ipsum, luculĕter & sæpe Christus demonstrat. Primùm autem Pater à Filio expreßè distinguitur infinitis sententijs: ut, Qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, intrabit in regnum cœlorum. Matthæi. 7. 12. & Apostoli in sua confeßione, Tu es Christus filius Dei uiui: Matt. 16. & Iohannes, Vnigenitus à patre: Ioh. 1. Impoßibile autem est, unam personam patrem & filium dici, citra relationem ad aliam: sunt enim uocabula relatiua. Cõfitebor ego eum coram patre meo: Matth. 10. Angeli eorum semper uident faciĕ patris mei, qui in cœlis est: Matthæi decimooctauo. Oportet me esse in his quæ patris mei sunt: Lucæ secundo. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Pater diligit filium: Ioh. 3. Non potest filius facere à se quicquam, nisi quod uiderit patrem facere: Iohānis 5. quod quidem caput totum refertum est eiusmodi distinctis mentionibus patris & filij. Ascendo ad patrem meum: Ioh. 20. Christus inuocat patrem Matth. 11, 26. Lucæ 12. 23. Iohannis 12. 17. Alia est persona mittens, alia missa, ut superius dictum est.

Patefactiones idem declarant. Solus pater clamat ad Iordanem, & in monte, Hic est filius meus: Matth. 3. 17. Idem in historia conceptionis Christi & alijs planum fit. Sic pater & à Spiritu sancto distinguitur: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis: Iohannis 14. Spiritus ueritatis, qui à patre procedit: Iohannis 15. Omnium autem illustrißima sententia est, quæ in hoc loco semper ob oculos uersari debet, baptismi institutionem continens: Baptisate, inquit IESVS, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. ubi tres distinctæ personæ recitantur.

Proprietates quas huic personæ attribuit Christus, sunt triplices: nempe aut singulares, aut communes cum alterutra persona, aut communes cum utrisq; reliquis personis. Tantum huic personæ conuenientes, cámque à cæteris discernentes, sunt: quòd eam primam in ordi-

ordine collocat Christus. Deinde, quòd eam tantum nominat patrem: idq; tali ratione explicat, quod respectu sui sit pater. Se enim unigenitum esse filium eius patris: hoc est, patrẽ eam habere proprietatẽ maximè insignẽ, qua differat à cæteris personis diuinitatis, quòd ab æterno genuit unicum filium sibi coessentialem & coæqualem. sicut Iohãnis 17. inquit: Pater clarifica me apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mũdus fieret. Tertiò, quòd mittit filium in mundum, Iohannis 3. Dat ei mandata, quæ docendo, patiendo, miraculis & reliquis actionibus debet exequi: Iohannis 5. Deriuat in filium peccata generis humani. ideo Baptista eum uocat agnum Dei: hoc est, uictimam à Deo destinatam, ut tollat peccata mundi, eaq; expiet. Tradit omnia filio, sicut inquit: Omnia mihi tradita sunt à patre, Matth. 11. Lucæ decimo. Clarificâ filium, Ioh. 12. 17. Quamuis autem hæ proprietates, quæ tertio loco sunt recitatæ, etiã Spiritui sancto attribui simul posse uideantur: tamen quia scriptura sic loquitur, ideo eam rationem hic obseruare placuit.

Proprietates quas Pater communes tantum cum Filio habet, sunt: quòd uterq; mittit ac donat spiritum sanctum, Iohannis decimoquarto, Lucæ undecimo. Quòd à patre & filio spiritus sanctus procedit, Iohannis decimoquinto, uigesimo. Proprietates communes patri & spiritui sancto sunt, in Christi conceptione operari. Sicut scriptum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Lucæ primo.

Præterea tribuit Christus patri eiusmodi proprietates, seu actiones potius, quas cum cæteris duabus personis habet cõmunes. ut sunt, Patrem esse in cœlis: estq; hæc locutio admodum Christo familiaris, Matth. 6. & alibi. Patrem scire, quibus homines opus habeant: patrem cœlestem delicta dimittere: patrem uolatilia cœli pascere, lilia & fœnum uestire. Inuocandum esse patrem, Matthæi 6. Patrẽ dare bona petentibus se. Matt. 7. Esse dominum messis, & mittere operarios: Matthæi nono. Patrem esse Dominum cœli & terræ, Matthæi undecimo. Patrem reuelare cognitionem Christi, Matth. decimosexto. Patrem cupere ut omnes pusilli salui fiant, Matth. decimooctauo. Patrem mittere angelos, Matth. 26. Templum Hierosolymitanum esse domum patris, Ioh. 2. Patrem suscitare mortuos, Ioh. 5. Patrem dare regnum cœlorum, Lucæ decimo. Hæc enim etsi in citatis locis uni patri adscribantur, tamen synecdochicè intelligenda sunt: nempe quòd etiam reliquis personis aliàs conueniant, nec sint proprietates seu actiones singulares.

Colligi igitur hinc potest integra definitio Patris, nempe Patrem esse in ordine primam Trinitatis personam, non genitam, sed quæ ab æterno genuit filium cõsubstantialem, eumq; misit in mundum statuto tempore: non procedentem aliunde, sed à qua simul cum Filio procedit Spiritus sanctus, qui donatur Ecclesiæ seu credentibus.

De IESV CHRISTO Filio Dei & hominis.

De appellationibus huius personæ inferius paulò dicemus. Nam cæteris quæ ad explicationẽ secundæ personæ Trinitatis pertinent, rectè explicatis, uocabula quoque faciliùs intelligi poterunt.

Filium Dei esse personam iuxta significationem suprà positam, hoc est, non ipsum patrem, aut cogitationem duntaxat patris, sed peculiarem hypostasin, ipsemet apertè & multis in locis docet: in primis uerò in omnibus locis, ubi patris sui cœlestis facit mentionem. ut Matthæi undecimo: Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nisi filius. Matthæi uigesimo sexto fatetur se esse filium Dei, & quidem sessurum à dextris patris. Iã non potest pater iuxta seipsum considere, cum persona sit, hoc est indiuidua substantia, nec sint plures patres quàm unus: & cum hic diserte filius profiteatur, se ad dextram patris collocatum iri, ideo se personam esse declarat. Lucæ 2. Oportet me esse in his quæ patris mei sunt: dicit se ut personam, in loco sibi à patre, tanquam altera persona, præfinito futurum. Sic Ioh. 3. ait: Deum filium suum unigenitum dedisse. Hic duo recenset, quæ demonstrant, filium Dei esse personam. Vnum, quòd sit unigenitus patris. Iam pater, & id quod ex eo genitum est, nõ possunt esse una hypostasis, sed describuntur duæ. Alterum est, quod pater miserit filium. Non mittit autem seipsum, nec mittit cogitationem suam, quæ ipse pater fuisset: sed filium, hoc est hypostasin à se distinctam, ut postea dicendum erit. Iohannis septimo: Ego ex Deo processi & ueni. Non ait patrem uenisse: sed se, & quidem uoluntate patris. Sic Iohannis decimoseptimo orat: Pater clarifica filium tuum. Hic expressè ostendit, filium esse hypostasin. Idem docet Iohannes, clarè affirmans λόγον (ita enim Filium Dei appellat) fuisse apud Deum: hoc est, λόγον esse ὑπόστασιν, & λόγον carnem esse factum, non patrẽ ipsum.

Apparitio Trinitatis ad Iordanem etiam tali modo fit, ut pater clamet non de se, sed de altera persona, Hic est filius meus dilectus. Ergo filius est persona. Denique uerba baptismi, filium constituunt peculiarem indiuinitate personam. Plura dicta non est necesse adscribere. nam quæ iam sequentur, cõdem referri debent.

Docet deinde Christus, hunc filium Dei, hoc est seipsum, esse personam separatam à patre & spiritu sancto. Huc iterum uerba baptismi faciunt: & illa distincta apparitio in Iordane, cum eâ quæ in monte accidit: ubi præcipit cœlestis pater, hunc suum dilectum filiũ audiri. Ioh. 3. Pater diligit filium. Ioh. 5. Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Qui non honorificat patrem, non honorificat filium. Sicut pater habet uitam in semetipso, ita & filius. Perspicuè pater & filius personis & nominibus distinguuntur. Patrem nõ uidit quisquam, nisi is qui est à Deo. Ioh. 6. Non solus sum, sed ego, & qui misit me pater. & pulchrè addit: Et in lege uestra scriptum est, quòd duorum hominum testimonium uerum est: Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Hic apertè Christus ait duos esse, patrem & se, seu duas personas: Vt cognoscatis & credatis, quòd pater in me sit, & ego in patre. Iohan. 9. & Iohannis capite primo luculenter ista tradit, quòd inquit, Verbum erat apud Deum: & uocat unigenitum à patre. Sic non tantum filius à patre distincta est persona, sed etiã à Spiritu sancto: ut præter alia, etiam dicta Iohannis decimoquarto & decimoquinto testantur, in quibus se patrem rogaturum, & missurum esse

Spiritum ſanctum promittit. Non naſcitur pater, non ſpiritus ſanctus: ſed filius naſcitur, & eſt diſtincta perſona ab utraq;.

Hinc filium Dei eſſe coeſſentialem patri & ſpiritui ſancto, itidē uerba baptiſmi, patefactiones Trinitatis, & ſententiæ lucidiſſimæ demonſtrant: ut Ioh.1. Deus erat uerbum. Vbi articulus græcus, additus λόγῳ, indicat, quòd Verbum ſit ſubiectum, & Deus prædicatum: hoc eſt, filium Dei eſſe eſſentiam diuinā cum patre & ſpiritu ſancto. Item, unigenitus à patre, unigenitus filius, Dei filius, ſicut paſſim ipſemet ſe uocat, & ab alijs ita celebratur, oſtendunt, filium eſſe coeſſentialem patri. Et creberrimè uocat primam perſonā patrem SVVM, ut manifeſtum faciat, ſe coeſſentialem patri, ac uerum Deum eſſe. Ioh.8. patrem ſuum dicit eſſe Deum, & ſe ex Deo proceſsiſſe. Iohan.9. Pater in me eſt, & ego in patre. Ioh. decimo: Ego & pater unum ſumus. Iohan. undecimo: Qui uidet me, uidet eum qui miſit me. Iohan. decimoquarto: Creditis in Deum, & in me credite: Qui uidet me, uidet & Patrem. Hæc dicta non ita ſunt accipienda, quòd perſonæ patris & filij ſint cōfuſæ: ſed de eſſentia diuina, quæ eſt tribus perſonis communis. ideo ſemox exponit Chriſtus: Ego in patre ſum, & pater in me eſt, ſeu manet. Item, Ego ſum in patre meo. Ioh.6. Ego uiuo propter patrem: hoc eſt, ſum filius Dei. Eadē ratione etiā Spiritus ſanctus eſt in hoc filio Dei. Ioh.3. Non ad menſuram ei dat Deus ſpiritum. quaſi diceret, in credentibus habitat Spiritus ſanctus menſuraliter, hoc eſt certa ratione, ut non habeat cum eis communem eſſentiam, omnipotentiam, æternitatem, nec omnibus ſuis donis præſtò ſit: ſed in filio Dei Spiritus ſanctus ita eſt, ut ſit cum eo coeſſentialis, ſeu unus Deus. Hoc probat etiam pulchrè factum Chriſti, quod exufflando in Apoſtolos, ſimul eis largitur Spiritum ſanctum. inquit enim: Accipite Spiritum ſanctum. & Iohannis decimoquinto ait, ſe Spiritum ſanctum eſſe miſſurum. Denique, etiam opera diuina quæ uel cōmunia habet cum alijs, uel aliàs præſtat, euidenter probant, eum uerum eſſe Deum, ac diuinam potentiam habere. ſicut paſſim in concionibus, præcipuè uerò in uerbis baptiſmi, & Iohannis quinto explicatur, ubi inquit: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor: ſicut pater ſuſcitat mortuos, & uiuificat, ita & filius quos uult uiuificat: Qui non honorat Filium, nō honorat Patrem. Sed de operibus filij Dei, ſuo loco.

Idem probat, quod ait, ſe à dextris uirtutis Dei ſeſſurum: Matthæi 26. quod nihil aliud quàm æqualitatē cum patre oſtendit.

Cæterùm quòd inquit, patrem eſſe maiorem ſe, non de eſſentia, ſed officio intelligendum eſt. Additum eſt enim, Quia uado ad patrē: hoc eſt, diſcernit mittentē & miſſum: ac deſcribit humiliationem, quàm ipſe ſolus ſuſcepit. Eadem ratione dicit, omnia ſibi à patre tradita eſſe, nempe ratione ſuæ interceſſionis ac paſſionis pro genere humano.

Filium Dei coæternum eſſe patri & ſpiritui ſancto, hæc dicta non obſcurè docent. Iohannis primo, In principio erat uerbum. Item hoc, Erat initiò apud Deum: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Teſtatur filium Dei in principio, ante creaturas, fuiſſe apud Deum: ideo ab æterno extitit, & quidem apud Deum, hoc eſt, coæternus patri. Vnigenitus à patre. Item, Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris. Non autem fuit tempus, quo non fuerit Pater, aut quo non fuerit Filius: ideo coæterni ſunt. nam unigenitum eſſe Dei filium, & in ſinu patris eſſe, nulli creaturæ attribuuntur. Idem ex hac uoce poteſt elici, Verbum eſt Deus. Sed Dei hoc eſt proprium, ut ſit ab æterno, & ſic à creaturis diuerſcitur. Ergo & λόγος ſeu filius eſt æternus. Nam filij adoptionis, ut poſtea dicemus, ab hoc unigenito diſcernuntur. Baptiſta clarè inquit, Ante me factus eſt, prior me erat: etiāſi probè noſſet, ſe, quod ad humanam naturam, prius ipſo natum eſſe in hunc mundum, circa ſemeſtre. Idem clarius explicat Iohannis tertio: Qui è ſupernis, ſeu qui de cœlo uenit, ſuper omnes eſt. Et Chriſtus ipſe idem pluribus in locis tradit, ut Iohannis tertio: Nemo aſcendit in cœlū, niſi qui deſcendit de cœlo. Iohannis quinto: Sicut pater habet uitam in ſemetipſo, ita & filius. Quid luculētius de coeſſentialitate & coæternitate patris & filij dici poſſet? Iohannis ſexto: Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi. Item ait ſe prius in cœlo fuiſſe, Iohannis octauo: Ego de ſupernis ſum. Item: Amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Ioh.17. Glorifica nunc me tu pater apud temetipſum, ea gloria quā habui priuſquam mundus fieret, apud te. Item, Dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Hæ conciones docent manifeſtè, filium Dei coæternum eſſe patri. Quòd etiam Spiritui ſancto ſit coæternus, uerba baptiſmi demōſtrant.

Proprietates ſingulares filio Dei ante incarnationem, quibus à reliquis perſonis eſſentiæ diuinæ ſecernitur, tribuuntur. Quòd ſit unigenitus à patre, filius Dei, Iohannis primo, Matthæi decimoſexto, & paſſim in cōcionibus Chriſti hæc proprietas occurrit, & pater ipſe de cœlis ita hanc perſonam deſcribit: Hic, inquit, eſt filius meus dilectus. Ac ſunt hæc ex ore Dei atque hominum, qui teſtes ſunt rerum certiſſimarum, firma & plana, ſecundam perſonam diuinitatis eſſe genitam, idq; ex patre: & eſſe unigenitum filium, & coeſſentialem & coæternum patri ac ſpiritui ſancto: patrem non eſſe perſonam genitam, ſed gignentem. Quomodo autem generatio ab æterno à patre facta ſit, Chriſtus, qui aliàs uenit, ut Eccleſiæ Dei reuelaret quæ ei erant neceſſaria, non explanauit: ac Philippū retrahit ab areanis & nō reuelatis ſpeculationibus de Deo, ac iubet eū hac patefactione, quā adferat, contentū eſſe: Qui uidet me, inquit, uidet patrem. Altera proprietas huic perſonæ ſingularis ante incarnationem fuit, quòd eſſet deſtinata ut fieret homo: & genus humanum, lapſum in peccatum & mortem, expiaret & ſaluaret. Non pater, non ſpiritus ſanctus debebat homo fieri, ſed filius Dei.

Proprietates communes cum patre ſunt, mittere ac donare Spiritum ſanctum, ut ſuprà de patre dictū eſt.

Communes cum reliquis duabus perſonis ſunt, eſſe conditorem. Nam quòd Iohannes ait, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factū eſt nihil, quod factum eſt: item, Mundus per ipſum factus eſt: ſynecdochicè intelligi debere, nemo dubitat. Sic quod idem affirmat, Vnigenitum filium nobis enarraſſe. Nam pater & ſpiritus ſanctus quoq; reuelarūt doctrinam cœleſtem. Matthæi decimo ſexto inquit, patrem reuelaſſe Petro uerā filij Dei noticiam.

IESVM

IESVM CHRISTVM esse Dei filium, & Deum uerum.

Nunc ex concionibus Christi & reliquis testimonijs historiæ Euangelicæ commonstrandum est, quòd IESVS Christus uerè sit ille ipse filius Dei, de quo superiora testificantur, ac uerus Deus: nec desierit talis esse, postquam alteram naturam, nempe humanam assumpsit. Id uerò ipsemet rotundo & diserto ore profitetur. ut Matthæi 26. fatetur se esse filium Dei. item Iohannis 10. Filius Dei sum. Eodem spectat, quòd Matthæi undecimo dicit, se esse maiorem Iohanne baptista in regno cœlorum. Et Matthæi 12. Ecce plus, inquit, quàm Ionas hic. item, Ecce plus quàm Salomon hic. Nec de officio ibi præcipue, uerùm de persona aut substantia dixerit: nempe quòd præter humanam, adhuc sublimiorem habeat substantiam, qualẽ nulla unquam creatura habuerit. Hæc explicantur in cæteris concionibus, in quibus crebrã sui patris mentionẽ facit. ut Matt. 7. 12. Qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est. Matth. 10. Confitentem me coram hominibus, confitebor coram patre meo qui in cœlis est. Matthæi 16. 18. Pater meus qui in cœlis est. Matt. 25. ait, se credentes traducturum in regnum patris sui. Iohannis 3. Filium suum unigenitum dedit. Iohan. 5. Sicut pater suscitat mortuos, & uiuificat, sic & filius. Iohannis 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me patris. & filium se uocat. Iohannis 8. Patrem eis dicebat Deum. Iohannis 9. Tu credis in filiũ Dei. ubi uult, ut cæcus à se sanatus, in se credat. Iohan. 10. Ego & pater unum sumus. Iohannis 11. ait mortem ac resuscitationem Lazari accidere, ut glorificetur filius Dei. Iohannis 14. Qui uidet me, uidet & patrem: Ego in patre, & pater in me est. Iohannis 17. Glorifica filium tuum. ac petit talem gloriam, qualem habuerit apud patrem, priusquam hic mundus fieret. Docet igitur ipse Christus uerbis minimè dubijs, sese & esse & manere filium Dei, ac uerum Deum. Idipsum quoque pater testificatur: Hic, inquiens, est filius meus dilectus. Loquitur autem de eo, qui iam homo factus fuerat. Angelica testimonia sunt, quòd Gabriel Mariæ denunciat, Filius altissimi Vocabitur: itẽ, uocabitur filius Dei. Lucæ 1. Baptista inquit: Ante me factus est, prior me erat. Iohannis 1. Et de cœlo uenit, & pater diligit eum. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Iohannis 3. & Baptisabit spiritu sancto. Matthæi 3. discipuli nauigantes conspecto miraculo, quod corpore graui in mari graderetur, adorant eũ dicentes, Verè filius Dei es. Matthæi decimoquarto, Petro edente confessionem nomine omnium discipulorum, qui rogati erant, quid de Christo sentirent, ac dicente, Tu es Christus filius Dei uiui: Christus non modò approbat eam confessionem, sed hoc insuper præclarum elogium adijcit: Beatus es Simon fili Iona, caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Matthæi 16. Iohan. 6. Marcus sic orditur narrationem Euãgelicam: Euangelium IESV Christi, filij Dei. Iohan. cap. 1. inquit, Verbũ caro factum est: & uerbum pronunciat esse Deum. In mũdo erat, inquit, & mundus per ipsum factus est. Martha etiam dicit: Ego credidi quòd tu sis filius Dei. Item Iohannes in hunc modum suum Euangelium concludit: Hæc scripta sunt, ut credatis, quia IESVS est Christus, filius Dei. Deniq; Matthæus cap. 1. applicat testimonium Esaiæ, in quo uocatur Immanuel, hoc est, nobiscum Deus. Patet igitur, hunc ipsum IESVM Christum, natum de Maria, esse ac manere filium Dei, uerumq; Deum: nec deposuisse diuinam naturam, postquam homo factus est. Idem docent ac confirmant opera diuina, quæ huic personæ tribuũtur: ut quòd remittit peccata, dat spiritum sanctum, confert donum miraculorum, uerbo omnipotenti omnis generis ægrotos ac malè habentes sanitati restituit, eijcit dæmonia, imperat mari & uentis, mutat naturas rerũ, resuscitat mortuos, nouit cogitationes hominum, tradit claues regni, dat uitam æternam, uult in se credi, præscit ac prædicit momenta ac totum processum suæ passionis: item de fine mundi ac iudicio uaticinatur, resurgit ipse ex mortuis uictor, constituit ministerium Euangelij: & ait se adfuturum, ubi duo aut tres in nomine suo congregati fuerint: ascendit ad cœlos, dicit se sessurum à dextris Dei. Hæc opera diuina testantur, Christum nõ tantum esse hominem, sed & uerum Deum. Sed de his operibus iterum paulo pòst.

IESVM CHRISTVM esse uerum hominem.

Hunc uerò IESVM Christum, non solum uerè esse filium Dei, sed & uerum atq; naturalem hominem esse factum, conceptum & natum sicut alij homines, dempta tantummodo labe originali, angeli, homines fide digni, & ipsemet Christus docent. Nam Gabriel missus ad Mariam, clarè inquit: Ecce concipies in utero, & paries filium. item, Nascetur ex te sanctum. Item angelus pastoribus apparens inquit: Natus est uobis hodie saluator, qui est Christus Dominus. Lucæ primo. Concipi autem, párere, nasci, humanæ naturæ cõueniunt. Ita & angelus Domini ad Iosephum ablegatus, loquitur: Quod in ea natum est, de spiritu sancto est: pariet filiũ. Matthæi 1. Ibidem & Esaiæ testimonium à Matthæo allegatur: Ecce, inquit, uirgo in utero habebit, & pariet filium. Sic Lucas refert cap. 2. Mariam fuisse grauidam, impletos ei esse dies partus, primogenitum enixam esse, pannis inuoluisse, reposuisse in præsepe. Circunciditur octauo die, obseruatis diebus purgationis sistitur Domino. Maria dicitur mater eius: puer crescit, proficit ætate & sapientia apud Deum & homines. deportatur puer in exilium in Aegyptum usque: Matth. 2. fit duodecim annorum, Lucæ 2. incipit esse triginta annorum, Lucæ 3. Quorsum autem opus fuisset tot circumstantijs, si non fuisset uerus homo? Esurit, Matth. 4. 21. Defatigatur ex itinere, Iohannis 4. Infremuit spiritu, turbatus est, lachrymas fudit, Ioh. 11. Lucæ 19. Contristatur spiritu in monte oliuarum, sanguineas guttas è corpore fundit in terram, capitur, colaphis cæditur, flagellatur, spinis coronatur, cruci affigitur, moritur, sauciatus in latere sanguinem & aquam stillat, resurgit: ut historia indicat. Fuit igitur uerus homo.

Notatu etiã dignum est, quod plerunq; Christus de se loquens, filium hominis se uocat: ut, Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum. Matthæi 8. Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra. Matthæi 9. Filius hominis à mortuis resurget. Matt. 17. 20. Venturus est in gloria. Matthæi 16. 24. Et Matt. 12. 13. 25. 26. Luc. 9. 17. 19. 21. 22. 23. 24. Ioh. 1. 3. 4. 6. 12. &c.

Eandem

Eandem ob causam uocatur filius Dauid & Abrahæ, Matt.1. Liber generationis IESV Christi, filij Dauid, filij Abrahæ. Matt.20. Marci 10. Lucæ 18. Domine miserere nostri, fili Dauid. Matt.21. Hosianna filio Dauid. Magi eum appellant regem natum Iudæorũ, Matt.2. Denique Iohannes paucis uerbis rem totam cõplectitur, dicens: Verbum caro factum est.

Nascitur autem sine patre carnali, de Spiritu sancto, ut testatur angelus Matt.1. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. habẽs tantum carnalem matrem, eamq; puram uirginem: sicut ex allegato Esaiæ dicto patet, Ecce uirgo concipiet. & Maria inquit, Virum nõ cognosco. & Lucas ait, fuisse uirginem desponsatam tãtummodo. Matthæus dicit: Priusquam cõuenirent, grauida erat de Spiritu sancto. Item: Non cognoscebat eam Ioseph, donec peperit filium suum primogenitum. Et in Genealogia cautissimè uerba ad Mariam applicat Mutthæus, cum quidem alias de Iosepho catalogum texuisset: EX QVA, inquit, natus est IESVS. Non autem quasi phantasma per Mariam transijsse filium Dei, sed uerè ex Maria natum, & carnem humanam ab ea desumptam, uerba angeli declarant: Concipies, inquit, in utero, paries filium, nascetur ex te. Et Elisabetha Spiritu sancto plena dicit: Benedictus FRVCTVS uentris tui. & matrem Domini appellat, singulari Spiritus sancti instinctu. Fructus autem uentris, est naturalis homo, in utero hominis natus, & ex eo editus. Est igitur Ioseph tantũ putatiuus pater Christi, ut inquit Lucas capite 3. & circunstantiæ, quarum modò facta est mentio, idem declarant. Erat enim Maria tantum desponsata marito: quam Ioseph ignarus diuinorum mysteriorum tanquam stupratam deseruisset, nisi ab angelo fuisset peculiariter monitus & persuasus, ne à Maria discederet.

FILIVM DEI ET HOMINIS ESSE unam personam, non plures.

Est & hoc clarè traditum, duas naturas in Christo, nempe diuinam & humanam, esse miranda & inexplicabili ratione unitas in Christo, unione hypostatica: ut tantum una sit persona IESVS Christus, filius Dei & hominis. Sicut docet Iohannes dicens: Verbum caro factum est. & angelus inquit: Quod nascetur ex te sanctum uocabitur filius Dei: Natus est uobis saluator. & Matthæi 16. Tu es Christus, filius Dei uiui. Discipuli profitentur duas naturas esse in Christo. nam & Christum uocant, natum iuxta promissiones, & filium Dei: & in singulari tantum proferunt, Tu es. idem Christus in his formis docet: Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, Matth. 9. Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat, Luc. 9. & similibus. Nã & naturam humanam describit, & opera diuinam naturam exprimentia adijcit, ac significat in una persona has naturas unitas. Manere autem eam mirandam copulationem siue unionem duarum naturarum, nempe diuinæ & humanæ, in Christo, etiam post glorificationem, hisce sentẽtijs ipsemet docet: Videte manus meas, ac pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Itẽ, Comedit in eorum conspectu: Luc. 24. Nõ igitur exuit humanam naturam, sed retinuit post resurrectionem. Et quidem ideo quadraginta dies integros apud eos commoratur, ac deinde uisibiliter ascendit in cœlum, ut probet manifestè, se naturam humanam retinere, & secum in cœlum subuehere. Item, Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opus eius: Matt.16. 24.25. Lucæ 9.21. Amodò uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubib. Matth.26. Orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis: Lucæ uigesimoprimo.

Proprietates filij Dei post assumptionem carnis humanæ, sunt, quòd est uerè ac naturalis homo: unitis tamen duabus naturis, ut dictum, in una persona. Non de patre, neque de Spiritu sancto, sed tantum de filio Dei dicitur, Verbum caro factum est. Solus etiam fit agnus Dei, hoc est, uictima expians peccata totius generis humani. ipse solus suspensus à cruce clamat: Deus meus, quare me dereliquisti?

Cum patre communes proprietates retinet, quòd dat Spiritum sanctum: Ioh.14.15.16.

Communes etiam utrisq; reliquis personis proprietates habet, quòd operatur & uiuificat. Ioh.5. In baptismo regenerat credentes: Matth.28.

Proprietates post resurrectionem & glorificationem, quòd transit obsignatum monumentum, & penetrat occlusam tanuam, euanescit ex oculis discipulorũ: Lucæ 24. Ponderoso corpore subleuatur, & scandit in cœlum, considet ad dexteram Dei: Matt.26.28. Marci 16. Lucæ 24. Act.1. Afflatu largitur Spiritum sanctum, instituit ministerium uniuersale: Iohan.20. Luc. 24. Est cum sua Ecclesia, ubicunque locorum est diffusa: Matthæi uigesimooctauo. Et quidem uero suo corpore & sanguine est in cœna, ubicunque iuxta suũ uerbum ritè administratur & usurpatur, sicut ex uerbis cœnæ liquet. Reuertetur in maiestate, iudicaturus uiuos & mortuos: & quidem eos qui crediderunt, traducet secum in uitam æternam: reliquos unà cum diabolis præcipitabit in ignem æternum. Matth.25.

Solet & phrasis Christi & Scripturæ sanctæ annotari, quam nominant communicationem idiomatum: ubi uidelicet, quod est alteri naturæ proprium in abstracto, tribuitur Christo in concreto, seu in persona. ut Matthæi 9. Filius hominis potest peccata dimittere. Matth.12. Filius hominis est Dominus Subbathi. Cum tamen constet, tantum Dei opus esse peccata dimittere, Sabbathum instituere & abolere. Matth.20. Filius hominis tradetur, & tertia die resurget. Diuinæ naturæ conueniebat, non mori: & rursum, uitam corpori interfecto concedere. Ioh.3. Filius hominis, qui in cœlis est. Eodem modo Iohannis sexto: Si uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Hæc ante glorificationem de se affirmat: cum tamen certum sit, eum conceptum in utero Mariæ, necdum ascendisse corpore suo in cœlum. Venerat autem diuina sua natura, tanquam filius Dei uerus de cœlo, & factus fuerat caro. Ioh.1. Priusquam te uocaret Philippus, cum esses sub ficu, uidi te. Iohannis 11. nouit Lazarum mortuum, etiamsi nõ fuerat morienti præsto, nec à quoquam mortalium cognouerat. ac prædicit certò eius resuscitationẽ: id quod naturæ humanæ per se non erat proprium. Sic Maria nominatur mater Domini. Videndum tamen, ne inæ

ptè

ptè hæc regula accommodetur, in ijs potißimum testimonijs, quæ proponunt rem utrique naturæ in Christo cõuenientem. ut Matthæi uigesimo quinto: Filius hominis ueniet in maiestate sua, & iudicabit omnes gentes. id opus utrisq; naturis iam in corpore Christi glorificato conuenit. Sic Matthæi uigesimosexto: Amodò uidebitis filium hominis sedẽtem à dextris uirtutis Dei. & utrisq; naturis in Christo unitis ea sedes aut gloria cõuenit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Item, Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item: Vbicunq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, sum in medio eorum. Prudentia igitur quadam in hisce locutionibus opus est.

De messia.

De Meßia nunc quoque, quantum historia Euangelica suppeditat, dicendum est. Nam intra ea septa modò nos continemus: ideo quæ alibi extant, iam prætermittenda censemus. Quòd igitur esset aliquis Meßias uenturus, notißimum fuit cunctis Iudæis, & omnibus pijs hoc ipso tempore, licet Pharisæi suis præstigijs hãc doctrinam horribiliter obfuscarent. Maria inquit, Deũ ea de re locutum esse ad Patres, Abraham, & eius posteritatem. Zacharias affirmat, per os sanctorum prophetarũ, de Meßiæ exhibitione iam inde ab initio prænunciatum esse. Simeon ait, Deum promisisse eum quẽ nunc oculis contempletur: & Hanna prophetissa alloquitur eos qui redẽptionem Israel, hoc est Meßiam anxiè expectabant. Iohannes discipulos suos iubet sciscitari, an IESVS sit ille qui sit uenturus? Ergo in hoc populo memoria seu expectatio aduentus Meßiæ retinebatur. Sicut etiam ex sermone plebis Iohannis sexto apparet. Et Iohannis primo, Leuitæ & Scribæ mißi ad Iohãnem, interrogant, Quis sit? uidentur interrogasse, an sit Meßias: cum Iohannes statim respondeat, se non esse Christum. Et sacerdotes accuratè quærunt ex IESV captiuo, an sit Meßias? Matth. 26.

Recitantur autem quædã testimonia ex Veteri Testamento, quæ partim ab Euangelistis, partim à Christo & alijs allegantur. ut Matthæi primo: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Immanuel. Esaiæ septimo. Micheæ testimonium ex capite quinto proponunt sacerdotes populi Iudaici: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exibit mihi dux, qui regat populum meum Israel. Matth. 2. Esa. 40. Vox clamantis in deserto, parate uiam Domino. Matthæi 3. Malach. 3. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Matth. 11. Zach. 9. Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedẽs super asinam, & pullum filium subiugalem. Item Psal. 118. Hosianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini. Matth. 21. Philippus inquit, Mosen & Prophetas scripsisse Meßiam uenturum: Ioh. 1. Imò ipse Christus idem asseuerat, Iohannis quinto, Matthæi uigesimosexto, Lucæ uigesimosecundo, uigesimoquarto. Denique magi sua inuestigatione testificantur, fuisse à Deo huic populo Meßiam promissum: Matthæi secundo.

Qualis uerò eius Meßiæ substantia deberet esse, ex testimonijs liquet, quæ modò annotata sunt: nempe uerus homo, natus tamen non prorsus naturali modo, nempe sine patre naturali, ex sola & quidem pura uirgine, ut Esaiæ dictum habet. Et uocabulum Alma à peritis notatur, quòd inuiolatæ uirgini tribuitur. Sic Rebecca, antequam desponsaretur: & Miriam soror Mosi, cum esset sex annorum, puella seu alma uocatur. Idem uult hæc locutio, quòd filius Abrahæ & Dauid nũcupetur: hoc est, qui ex ipsorum familia & sanguine debeat nasci. Atqui non tantum humanam, sed etiam diuinã naturam eum habiturum esse, hoc est uerum Deum futurum, hæc ipsa testimonia euidenter docent. Nã Esaias tribuit ei nomen Immanuel, hoc est nobiscum Deus: & Esaias ac Malachias uocant eum Iehoua, Dominum, quod idem in prophetico sermone sonat, quod Deus. & ex Psalmo 110 sic ratiocinatur ipsemet Christus, quòd Meßias sit æqualis Deo: hoc est, uerus Deus. Matt. 22. Quapropter in Propheticis monumentis prædictum erat, Meßiam talem expectandum esse, qui in una eademq; persona diuinam & humanam naturam esset habiturus.

Quod esset officium Meßiæ futurum, quæ eius opera, ex iisdem dictis aliqua ex parte intelligi potest. Nã uberior doctrina & explicatio, ex pluribus ueteris Testamenti concionibus petenda est. Matth. 13. Esaiæ dictum citatur, capite sexto: Auditu audietis, & non intelligetis. & Psalmi 78. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Hinc patet, Meßiam doctorem futurum, & reuelaturum uerã sententiam de Deo & eius uoluntate, alioqui ignotam humanæ rationi. Iohan. 2. ex Psal. 69. recensetur. Zelus domus tuæ comedit me. Docet igitur, Meßiam Hierosolymis templum, ubi Deus habebat domũ, repurgaturum esse. Passurum eum esse, & moriturum, idq; ob peccata generis humani, hæc testantur: Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Matth. 27. ex Psalmo 22. In siti mea potauerunt me aceto. Ioh. 19. ex Psalmo sexagesimonono: Cum iniquis reputatus est. Marci decimoquinto, ex Esa. 53. Quòd rem esset habiturus cum ægrotis, & eos sanaturus, dictum Esaiæ testatur, quod Matt. 8. refertur: Ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portauit. & Ioh. 12. eiusdem capitis mentio fit. Totũ igitur 53 Esaiæ caput huc referri debet, in quo luculenter describuntur opera Meßiæ: nempe quòd hominum peccata Deus in ipsum coniecturus esset, quòd tanquam uictima sanguinem profusurus & moriturus, & tandem resurrecturus, ac noticia sui plurimos iustificaturus esset. Matth. 21. Iohan. 12. Zachariæ prophetia recitatur, quæ & de ingressu externo Meßiæ exhibiti, & de cæteris eius operibus uaticinatur. Dicit enim Propheta: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus & saluator, humilis & sedens super asinum. Manifestè autem concionatur fore regem, sed iustum, ac saluatorem, hoc est, iusticiam & salutem adferentem: & humilem, hoc est, qui sua humilitate ac passione tanta bona pariet. Vt in eodem capite sequitur: Et tu in sanguine testamenti tui, emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Quòd etiam rursus gloriosus esset futurus, & à dextris Dei consessurus, ac sacerdotij officio inæternum functurus, æternumq; regnum consecuturus, Psal. 110. indicat, qui allegatur Matth. 22.

Iam testimonia congerenda sunt, quòd IESVS ex Maria natus, ille ipse Meßias sit, de quo factæ sunt promißiones.

missiones. Id autem primùm Angeli asseuerant: nam Gabriel missus ad Zachariam, annunciat, filium ipsius fore præcursorem Messiæ: & Mariæ idem indicat, eam, parituram esse eum qui sedem Dauid patris sui accepturus, & in regno Iacobi in æternum regnaturus sit. In de Maria celebrat beneficium Dei, quòd ex se brachiũ Dei nasci deberet: & Zacharias, sciens conceptionem Messiæ in uirgine Maria iã esse factam, nõ ueretur pronunciare palàm, Dominum Deum Israel uisitasse, & fecisse redẽptionem plebis suæ, & cornu salutis in domo Dauid erexisse: ac describit eius opera admodum præclarè. Sic & Elisabetha uocat Mariam Domini matrẽ. Iosephum quoq; eadem de re edocet angelus Domini, Matt. 1. & facta natiuitate, peculiari reuelatione & solẽnitate pastoribus noctu hoc ingẽs opus ac beneficiũ Dei manifestatur. Ecce, inquit angelus Domini, euãgelizo uobis gaudiũ magnũ, quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie Saluator, qui est Christus, in ciuitate Dauid. Accedit euestigiò ingens angelorum multitudo, iucundissimo cantu rem tantam celebrantium, ut in historia narrabitur. Postea Simeon, uir sanctus & iustus, habet peculiares manifestationes, quòd oculis Messiam esset ante suum obitum conspecturus: & is impulsu Spiritus sancti, eo ipso tempore quo IESVS coram Deo sistebatur, uenit in templum, ibiq; amplexans infantem, ac celebrans Deum, apertè eum uocat salutare Dei, cunctis gentibus præparatum ac donatum. Idẽ uidua sancta & prouectæ ætatis Hanna profitetur, eodem in loco, ubi Messias debebat exhiberi & innotescere. Magi ex oriente peregrè uenientes, testificantur Messiam, quem more Scripturæ regem Iudæorum appellant, iam natum atq; exhibitum esse: & stella noua in aere fulgens, ac certissimo itinere ipsos ad domum atque adeò ad ipsum infantem IESVM deducens, ac reliquæ angelicæ præmonitiones, ne ad Herodẽ redirent, idem luculenter demonstrant. Estq; in primis magnificum, quod Magi stellam, quam comitem itineris habuerant, uocant stellam regis Iudæorum, seu Messiæ. Accidit & diuino iudicio, ut ipsi sacerdotes Iudæorum, Herodis autoritate adducti, decernerent, iuxta Michææ prophetiã, Messiam Bethlehemæ nasciturum: id quod factũ iam tum erat. Baptista quoq; adeò doctrina & uirtute celebris, ut etiam à Iudæis in precio haberetur, digito in ipsum IESVM commonstrans, dicebat: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Verba enim ex Esaiæ cap. 53. mutuatus, tali periphrasi non ignota, præsentem Christum indicabat: imò totũ Baptistæ officiũ eò spectabat, ut Messias notus ac clarus fieret. ac fatetur, se à Deo eam reuelationem accepisse: & conspexisse, quomodo Spiritus sanctus in eum descenderit. Neq; est contentus Deus hac mediata ac certa de Messia testificatione, sed ipsemet è cœlo hoc eum elogio ornat: Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo delector: hunc audite. Matth. 3. 17. Quid requirimus testes alios, cum ipse pater cœlestis hac uoce toti mundo Messiam commendet? Prodest tamen, ob maiorem certitudinem, plura huc reponere. Andreas gaudio exultans, ad Simonẽ fratrem inquit: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Philippus quoq; citra ullam dubitationem Nathanaeli eãdem rem exponens dicit: Quem scripsit Moses in lege & prophetæ, muenimus IESVM filiũ Ioseph à Nazareth. Nathanael sermone Christi, eiusq; potentia, quòd longius prospiceret, ac plura nosset quàm alij homines, motus, incunctanter confessionẽ edit: Tu, inquit, es filius Dei, tu es rex Israel. Ioh. 1. Ex miraculorum frequentia & potentia, turba colligit, IESVM esse filium Dauid. Matth. 12. Et eodem titulo, Matt. 15. mulier Cananæa eum agnoscit & alloquitur. & Matth. 19. cæci. & Matt. 21. acclamantium turba. Communis omnium discipulorum cõfessio, quam profert Petrus, est, quòd IESVS sit Christus, filius Dei: Matth. 16. Ioh. 6. Nicodemus quoq; ex miraculis eam noticiam sumit, & intrepidè confitetur: Scimus, inquit, quòd à Deo ueneris magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Io. 3. Samaritani, audita Christi doctrina, eiusmodi testimonium ei perhibent: Ipsi audiuimus, & scimus, quòd hic est uerè saluator mundi. Ioh. 4. Turba miraculosè pasta à IESV, inquit: Hic est uerè ille propheta, qui uenturus est in mundum. Ioh. 4. Martha etiam dicit: Ego credidi, te esse Christum filium Dei, qui in hunc mundum uenturus erat. Ioh. 11. Et Iohannes inquit, omnia scripta esse, ut certum sit, IESVM esse Christum, filium Dei. Idem IESVS uberrimè & doctrina & miraculis probat. Præterea manifestæ eius confessiones, quòd sit Christus, paßim extãt. Matthæi decimosexto, ubi Petri confessionem approbat, ac interdicit ne ad tẽpus cuiquam indicent, quòd sit Christus. Matthæi uigesimotertio: Magister uester unus est Christus. Discipulos ob cognitionem Messiæ beatos prædicat: Amen, inquit, dico uobis, multi prophetæ & iusti cupierunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ uos auditis, & non audierunt. Matthæi decimotertio.

Matthæi 26. 27. directè ad quæstiones Caiphæ & Pilati IESVS respondet, se esse Christum, esse regem Iudæorum: quare Pilatus motus, licet regẽ sine regno corporali, & quidem in cruce passurum irridens, inscribit Ebraicè, Græcè & Latinè, IESV in ipsum patibulum hunc titulum, HIC EST IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM: id quod tamen diuino consilio permisit Deus fieri, ut etiam persecutores de Christo testificarentur, quis ac qualis esset. Ac subinde in passione sonat ea doctrina, IESVM esse Christum, repetentibus eam (licet per ludibrium) etiam impijs persecutoribus. Legit IESVS in synagoga Nazarethana Esaiæ locum, qui extat capite 61. Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me, &c. & inquit: Hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris. Lucæ 4. Samaritanæ mulierculæ de aduentu Messiæ colloquenti, simpliciter fatetur: Ego, inquit, sum, qui loquor tecum. Ioh. 4. Scripturas de se testari inquit. Ioh. 5. Lucæ 24. Ego sum lux mundi. Item: Si non crediderit is quòd ego sim, moriemini in peccatis uestris, inquit Ioh. 8. Quærentibus Iudæis, an sit Christus, absq; ambiguitate respondet: & eos ad ipsa opera, tãquam euidentissima testimonia deducit. Ioh. 10. Hanc esse uitam æternam inquit, agnoscere patrem Deum esse uerum, & quem misit Iesum esse Christum: Ioh. 17. Miracula uero & opera Christi, idipsum quoq; magnificè probant & declarant: quæ mox recitabuntur. Iohannis 5. inquit: Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Iohannis decimo: Si mihi non uultis credere, operibus

ribus credite. Iohannis decimoquinto: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Interrogant Iohannis discipuli: Túne es qui uenturus est, an alium expectemus? quibus dat responsum Christus: Renunciate Iohanni, quæ auditis ac uidetis, & breui quasi elencho miracula sua recitat: Cæci (inquit) uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperibus Euangeliũ adnunciatur, & beatus qui non fuerit in me scandalisatus. Matth. 11. Hinc etiam turbæ dicunt Matthæi nono: Nunquam apparuit sic in Israel. Item, Iohannis septimo: Christus cum uenerit, nunquid plura signa faciet, quàm hic facit? Et cæcus sanatus inquit: A seculo non est audítum, quòd aliquis aperuerit oculos, ei qui cæcus fuisset natus. Iohannes nono. Sed quomodo uerbo efficaci & omnipotenti uaria miracula sit operatus, in historia eius recitatur. Ad hanc partem etiam ipse ingressus splendidus pertinet, qui paucis ante passionem diebus iuxta prophetiam Zachariæ factus est, acclamantibus turbis, Hosianna filio Dauid: ex Psal. 118. Et quòd confestim ingressus templum, id docendo atq; ex cussione mercatorum purgat. Alia argumenta passim in concionibus eius extant: ut quòd indesinenter inculcat se à patre cœlesti missum: eáq; omnia doctrina, operibus, passione expedire, quæ in mandatis ab eo acceperat. Iohannis quinto, octauo: & alibi. Ait se ante Abrahamum extitisse, ac cum gaudio ab eo uisum esse: Iohannis octauo. Addit ibidem & hanc demonstrationem, quòd nemo eum posit ullius peccati arguere. Item dicit, se uitã pro oubus ponere: dare uitã æternam: postulat sibi credi ex uoluntate ac iussu Dei patris: ac minatur æternam condemnationem, si id non fecerint. Iohannis sexto, decimo. Sæpius repetit, se tertia die resurrecturum, & omnia post se tracturũ, seu collecturum Ecclesiam ex cunctis gentibus. Item dimittit peccata. Censum Cæsari, licet peregrino Domino, tribuendum liberè pronunciat: Matthæi uigesimosecundo. Significat igitur, hoc ipso tempore sceptrum Iudæ, iuxta uaticinium Iacobi, esse sublatum: tempusq; Messiæ iam adesse. Idem & aliæ historiæ docent: ut quòd Augusti mãdato, quo describebatur totus orbis, etiam in Iudæa parêre coguntur. Herodes Hierosolymis politiam administrat, & ferociter audito nuncio de rege Iudæorum nato furit, grassans in pueros Bethlehemiticos: id quod Iudæi, imperio alienigenæ pressi, prohibere nequaquam poterant. Aliquoties commemoratur, IESVM omnia impleuisse, quæ fuerunt de se scripta, & quidem in Mose, prophetis & Psalmis. Lucæ 24. Prædixit IESVS cladem extremam ac deuastationem horrendam Hierosolymorum, totiusq; populi Iudaici: ac instituit ministerium Euangelij uniuersale: ascendit uisibiliter in cœlum, & occupauit dexteram Dei. Hæc & alia plura, quæ in historia referuntur, liquidò testantur, hunc ipsum IESVM esse uerũ Messiam: nec expectandum esse alium, ut delirat adhuc hodie misera fex Iudæorum.

Quod ad doctrinam de substantia IESV Christi attinet, suprà ostensum est, hunc IESVM esse uerum hominem, natum ex sola uirgine Maria, absq; ullius uiri commixtione, tantum de Spiritu sancto, ut habet historia. Ipsemet quoq; se plerunq; hominis filium nuncupat: ac morte sua probat, se uerum hominem esse. Dei autem simul filium, seu uerum Deum esse, itidem ex certis testimonijs probatum est. Non enim tantum manifestæ confessiones ea de re extant, sed & diuina opera, quæ IESV tribuuntur: ut conditio rerum omniũ, nosse cogitationes, curatio morborum solo uerbo, donatio Spiritus sancti, resuscitatio mortuorum, propria resurrectio, ascensio ad cœlos, sessio ad dexteram Dei, præsentia in sua Ecclesia.

Duas fuisse distinctas quæstiones in populo Iudaico de Messia, utrum Messias uenturus, & deinde quæ sit futura ipsius substantia, interrogatio sacerdotum in passione Christi planum facit: Túne es, inquiunt, Christus filius Dei benedicti? id quod utrumq; IESVS approbat. & Matthæi uigesimosecundo, ex Psalmo 110 probat, se non tantum filium Dauidis, hoc est hominẽ naturalem esse, sed & superiorem quandam substantiam habere. Dictum & hoc est, mirandam copulationem seu unionem duarum naturarum, nempe diuinæ & humanæ, in Christo factam: ut non in eo duæ post assumptã humanam naturam sint distinctæ personæ, altera diuina, altera humana: sed unica tantum, constans unione, quæ omnem humanum captum exuperat, humanæ & diuinæ naturæ. Causæ huius stupendæ hypostaticæ unionis, passim ex testimonijs historiæ Euangelij excerpi possunt. Prima est, immensus amor erga genus humanum, de quo Io. 3. Christus inquit: Sic Deus dilexit mundũ. Secũda, ut posset hic Messias peccata generis humani in se recipere, ac pro ijs mori. Siquidẽ stipendiũ peccati mors erat: quæ omnino erat perferenda, si iusticiæ Dei debebat satisfieri. De hac causa Baptista inquit: Ecce agnus Dei, baiulans & auferens peccata mundi. Tertia, ut humana natura subueheretur in cœlum, in testimonium, quòd omnes credentes in Christum eôdem sint peruenturi. sicut inquit: Ascẽdo ad patrem meũ, & patrem uestrum. Iohannis uigesimo. Item: Vbi sum ego, & uos eritis. Iohan. 14. Quarta, propter plenioꝛem consolationem in precibus, & in omnibus ærumnis huius uitæ: ut sciamus, nos habere talem Mediatorem, qui etiam sit uerus homo: item, qui morte sua nos expiauit apud patrem, Iohannis decimoquarto. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Quinta, ut tanquam Deus & ualidiorem & præstantiorem satisfactionem pro genere humano præstaret: Iohannis tertio: Sexta, ut posset dare hominibus in se credẽtibus, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, uitam æternam: tueri suam Ecclesiam aduersus Diabolum, mundum & mortem, & omnibus seculis ei adesse: resuscitare ac iudicare omnes, & denique collocare suum cœtum in mansiones æternas, sicuti & conciones ipsiusmet Christi declarant.

Causa finalis Messiæ, cur uenerit, & quod sit eius officium, quæ beneficia, illustria dicta indicant. Angelus ad Ioseph inquit: Ipse saluum faciet populum suum à peccatis suis. Matth. 1. Et Zacharias: Visitauit & fecit redẽptionem plebis suæ: Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum eius: Salutem

ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: Ad faciẽdam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit Abrahæ patri nostro, daturum se nobis: ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi: In sanctitate & iusticia corã ipso, omnibus diebus nostris. Lucæ 1. Ipsemet Christus inquit: Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat. Matth. 18. Lucæ 19. Baptista inquit: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Ioh. 1. Et Ioh. 12. inquit Christus: Nunc princeps huius mundi eijcietur foràs. Hæc dicta ostendunt, Meßiam ad hoc exhibitum, ut tollat atque expiet peccata totius generis humani, uincat Diabolum, salutem æternã pariat, & quæ inde sequuntur: nempe pacẽ cum Deo, donationem Spiritus sancti, ac uitã æternã.

Docet autem porrò Christus, qua ratione eam salutem necesse fuerit consequi: nempe impletione legis, sicut inquit Matthæi quinto: Non ueni soluere legem, sed adimplere. Quòd autem cùm obedientia debita, tum etiam paßione seu morte peccata generis humani fuerint expianda, Iohannes baptista ea uoce effert, quòd cum agnum Dei, seu uictimam mactationi destinatam appellat: & Christus inquit, se passurum iuxta scripturas. Luc. 22. Oportet impleri scripturam in me, Cum iniquis deputatus est. ac prædicit omnia exactißimè: Oportet, inquit, me ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Matth. 16. 17. Et Matt. 20 inquit: se traditum iri gentibus ad illudendum, flagellãdum, & crucifigendum. Item: Filius hominis non uenit ut sibi ministretur, sed ut ministret, & det animã suam in redẽptionem pro multis. Lucæ 24. inquit: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. De sua exaltatione dicit Ioh. 12. De abitu ad patrem, Iohan. 13. 14. 16. Accommodat ad se typos quosdam ueteris Testamenti, ut Iohannis 3. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Matthæi duodecimo: Sicut Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus & noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & noctibus.

Non pro se Christum mortem sustinuisse, sed pro toto mundo, perspicua testimonia docent. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mũdi uita: Iohannis 6. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret: Ioh. 3. Animã meam pono pro ouibus meis: Iohannis decimo. Pro eis sanctifico meipsum: Iohannis decimoseptimo. Nolite flere super me, sed super uos ipsas flete, & super filios uestros: Lucæ uigesimotertio. Baptista clamat: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mũdi: Iohannis primo. Si non abiero, paracletus nõ ueniet ad uos: Iohan. 16. Non igitur ad regnum corporale aut mundanum uenit. siquidem ad patiendum & moriendũ se præparat. & apertè inquit: Regnum meum nõ est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis.

Vt autẽ officia Christi, & effectus mißionis ac passionis rectius conspici ac cõsiderari poßint, præcipua quædam opera Christi, posteaquam ad hoc suum ministeriũ accesßit, paucis enumerabimus. Etsi enim paßio, atque uniuersa legis impletio, præcipua actio Christi in hac sua mißione fuit, tamen etiam aliæ ad eam pertinent. Ait igitur Christus, se ad docendum esse missum: ut uidelicet reuelet noticiam Dei, uocet ad pœnitentiã, erudiat de remißione peccatorũ & ueris Dei cultibus. Matthæi undecimo: Nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Matt. 13. Magister uester unus est Christus. Marci 1. Luc. 4. Oportet me etiam alijs ciuitatibus euangelisare, quia ad hoc missus sum. Iohannis 8. Loquor ueritatem, quã audiui à patre. Ioh. 12. inquit, se accepisse in mandatis uerba, quæ debeat loqui. Reuelat patrem Iohannis primo: Deum nemo uidit unquam, unigenitus qui est in sinu patris, ipse reuelauit nobis. Ioh. 15. Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota uobis feci. Ioh. 17. Ego te clarificaui super terram. Item, Notum feci eis nomen tuum. Ioh. 18. Ego sum rex. Ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Ideo & pater cœlestis hanc uocem edit, dicens, HVNC AVDITE: quasi diceret, hunc doctorem uobis è cœlis missi, quem abiectis pharisaicis ac impijs opinionibus sequemini. Iohãnes inquit capite primo: Deum nemo uidi unquam: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. atque id officij etiam ante incarnationem gesßit, præcipuè tamen postquam baptismo initiatus ministeriũ publicum docendi suscepit. In parabola de semine asserit, filium hominis, hoc est seipsum esse seminatorem. Eam ob causam etiam se lucem uocat: ut Ioh. 8. Ego sum lux mundi. qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Ioh. 12. Ego lux in mundum ueni. Sic & Euãgelista Iohannes in exordio suæ narrationis personam & officium IESV Christi describens, inquit: Lux in tenebris lucet. item, Illuminat omnem hominem. Item, celebrat cum esse plenum ueritate: id est, uera ac saluifica doctrina. Lucæ 4. allegat ex 61. capite Esaiæ prophetiam, qua confirmat suum ministerium, quæ sic habet: Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me, ad euangelisandum pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis remißionem, & cæcis uisum: ut dimittam confractos in remißionem, ut prædicem annum Domini acceptum. Idem historia Christi docet, quod antequam à Iudæis caperetur, Hierosolymis & passim in Palæstina, tum in Synagogis ac tẽplo, tum etiam alibi in montibus, in littore, prout homini peregrinãti & colligenti Ecclesiam ex pluribus locis occasio sese obtulit, uocem Euangelij sparserit. Aluit eius rei gratia & scholã, ad quam peculiariter delegit Apostolos, qui debebant fieri præcones patefacti Euãgelij.

Summæ doctrinæ Christi suprà sunt recitatæ. Singulari autem Dei consilio id factum est, ut antequam pateretur Christus, dulcis ac grata fama de ipso, imò summa ueræ doctrinæ in toto populo Iudaico sonaret, ut omnibus de præsentia & operibus Meßiæ innotesceret, & regnum Meßiæ perspicuè & excellenter omnibus deferretur, ac multiplices Pharisaicæ corruptelæ manifestè taxarentur.

Venit Christus, ut colligeret ueram Dei Ecclesiam. Matthæi nono: Veni peccatores uocare ad pœnitentiã. Vnde etiam ipse sic concionatus est Matt. 4. Impletum est tem-

est tempus,instatq; regnum Dei,resipiscite & credite Euangelio.Matth.23.Hierusalem Hierusalem, quoties uolui congregare filios tuos,quemadmodũ gallina pullos suos sub alas,& noluisti? Matth.16. Super hanc petram,hoc est cõfessionem, quam communi nomine iam de me protulisti,ædificaboEcclesiam meam.Et ob eam causam emittit discipulos, qui in collectione Ecclesiæ operas conferrent.

Dimittit peccatoribus peccata gratis & manifestè: id quod tanta perspicuitate,& tã frequenter nunquam antea factum fuerat.Matth.9.Confide fili,dimittuntur tibi peccata tua. Item,Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra.Lucæ 23. Iatronem alterũ, se in cruce conuertentem, licet affixus manibus pedibusq; sæuis doloribus angeretur, tamen libero ore de sublimi loco absoluit:Hodie,inquit,mecum eris in paradiso:quod idem est cum eo, dimittũtur tibi peccata tua.

Edit miracula, quæ Messiæ erant propria: ieiunat quadraginta dies & noctes,ac saluus manet. Matthæi quarto. Verbo omnipotenti malè habentes sanitati restituit:ut,mundat leprosum,curat paralyticum absens, tactu solo socrum Petri febri ardentem liberat, increpatione uentos ac mare sedat.Matth.4. Paralyticum iuuat:hæmorrhoissam sanat, cum ea tantum fimbriam uestimenti ipsius attigisset:cæcis uisum reddit.Matt.9. 20.Ioh.9. Aridam manum rursus integritati restituit. Matthæi duodecimo. In mari, non aliter atque in terra solida,iter facit.Matt.14.Quinq; mille hominũ quinq; panibus,quadringenti septẽ affatim ab ipso pascuntur, Matt.14.15.Ioh.6.Iubet Petrũ piscari,ac prædicit eum staterem in ore piscis inuenturũ.Matth.17.ficui maledicit,quæ mox exaruit.Matt.21.Aquã mutat in uinum. Ioh.2.A Reguli filio absens febrim tollit.Ioh.4. Hominẽ qui triginta annos ægrotauerat, in momento sanat. Io.5.Cõtracta mẽbra rursus recta efficit,Luc.13.Amputatam auriculã statim Malcho in locũ reponit,Luc.22. Io.18. Mortuos in uitã reuocat sola potentia uerbi sui. Matth.9.Luc.7. Lazarum, qui quatriduum in sepulchro iacuerat,iamq; fœtere cœperat,resuscitat,omnibus membris restitutis: Iohannis undecimo. In passione Christi, quãprimùm in cruce obdormierat, multa sanctorum corpora resurgũt, multisq; postea,illis quadraginta diebus ante gloriosam ascensionem Christi apparent.Matth.27. Belligerat cum Diabolo,non armis corporalibus,sed uerbo & passione: eumq; uincit. Matth.4. Diabolum, se uariè tentantem in ieiunio quadraginta dierum, fortiter profligat ac superat. Spiritu Dei, dæmonia ab hominibus efficacia uerbi sui expellit.Matth.9.12.15.17.Marci 1. Erant autem miracula omnia,præludia sui operis in passione complendi: uidelicet,quòd peccatum & Diabolum esset superaturus. Deniq; ipsemet Christus, resurrectionis humani generis fons & origo, tertia die à morte sua, in monumento obsignato,& militibus circumsessо, liber reuiuiscit ac egreditur,uictor omnium hostium. Testantur etiam pleraq; miracula, à Diabolicis illusionibus, impossibilitate & fine differentia, Christum esse uerè Deum,& omnipotentem.

Ordinauit sacramenta seu sigilla gratiæ. Dedit enim potestatem ligandi impœnitentes, ac soluendi pœnitentiam agentes:quam quidem potestatem claues cœlorum appellat,Matth.16.18.Ioh.20. Baptismum certa forma conferri iussit,nempe in nomine patris & filij ac spiritus sancti:Matth.28. Cœnam,seu communicationem corporis ac sanguinis sui sub certis elementis instituit,in remissionem peccatorum, ac commemorationem suorum beneficiorum:Matth.26.Mar.14. Lu.22.

Passus est,iuxta Scripturas, tanquam uerus agnus, tollens peccata mundi:ut Baptista inquit. Huius satisfactionis nomine dat pacem, Ioh.14. Pacem meam do uobis,non sicut mundus dat:cor uestrum non formidet. Dat uitam æternam. Ioh.3.Qui credit in me, habet uitam æternam.Iohannis 6.Descendi de cœlo, ut faciam uoluntatem patris, non ut perdam,sed uitam tribuam. Dat gratiam.Ioh.1.Ex plenitudine eius omnes accepimus,gratiam pro gratia: quia lex per Mosen data est, gratia autẽ & ueritas per IESVM Christũ facta est. Facit filios Dei,Ioh.1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri,quotquot credunt in nomen eius. Hos & similes fructus ipsum sua passione meruisse,scriptura Euangelica testatur.

Postquam resurrexit à mortuis, quadraginta dies se patefecit:docuit discipulos,& confirmauit de hoc articulo omnium amplissimo, quòd uerè euaserit uictor peccati,mortis,Diaboli:ac ab istis hostibus immunitatem omnibus hominibus, modò crederent, pepererit. DatSpiritum sanctum,Ioh.20.Et Iohannes prophetat, eũ baptisaturum spiritu sancto & igni:Matth.3.

Sancit atq; instituit ministeriũ Apostolicum seu uniuersale,ut iam collectio Ecclesiæ iuxta scripturã fiat ex omnibus gentibus, sicut inquit: Ite in mundum uniuersum,prædicate Euangeliũ omni creaturæ:Marci ultimo.Et hæc fuit causa,quare Apostolos peculiariter elegerit,ac doctrina prius fideliter instruxerit, ac donũ miraculorũ eis cõmunicarit: Matth.10.Mar.3.Luc.6.

Ascendit in cœlum denique,quadragesimo die à resurrectione sua ex morte, spectantibus multis fratrib. Sedet nunc ad dextram Dei, & habet regnum æternum, & omnia sibi subiecta sunt: Marci 16. Lucæ 24. Act.1.Matthæi 26.

Adest adhuc Ecclesiæ suæ,Matth.28.Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Matth.18. Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum. Idem cœna sua docet. Habitat in nobis,Ioh.1.Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Iohan.14.Si quis diligit me,sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Veniet in maiestate ad iudicium, & resuscitabit mortuos in nouissimo die.Ioh.5.Amen dico uobis,ueniet hora,& nunc est,quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audierint,uiuent. Ioh.6. Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioh.11.Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,uiuet. Et quidem credentes traducet in regnum patris,impios uerò unà cum Diabolis in æternũ ignem deturbabit. Matth.16.23.24.25. Lucæ 3.9. Ioh. 5.16. Hactenus de ijs quæ de Messia in Euangelica historia recensentur.

De appellationibus CHRISTI, quæ in Euangelica historia occurrunt.

Variæ occurrunt in historiaEuãgelij appellationes

Christi, quæ cum nõ temerè ei sint inditæ, utile est eas obseruare, atq; excutere. Aliæ enim substantiam, aliæ officium eius personæ declarant, aliæ utrumq; comprehendere uidentur.

FILIVS DEI dicitur, propter substantiam. Est enim natura Deus, ab æterno à patre genitus: nec accepit in mundo primùm eam naturã, sed de cœlo ueniens, eam in mundũ attulit: nec mutauit eam, sed mirando & inexplicabili fœdere cũ natura humana copulauit, seu uniuit. Estq; distincta & subsistens persona à patre. Loca superius annotata sunt. Vocantur aũt & credentes in Christum, filij Dei: uerùm longè alia ratione, nempe adoptiõe, gratia ac remissione peccatorũ propter Christum. Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomen eius. Et huc pertinet illa periphrasis filij Dei, Ioh. 1. Vnigenitus, qui est in sinu patris. Non enim plures habet filios consubstantiales Deus pater, quàm hũc unũ. Estq; in sinu patris, hoc est ὁμοούσιος. Fortè etiam in sinu patris significat, charissimum Dei filium.

FILIVM HOMINIS ipse Christus seu plurimùm uocat, quòd ipsum quoq; substantiã explicat: nẽpe quòd sit uerus ac naturalis homo, constans anima & corpore, natus ex Maria. Estq; in hoc nomine communicatio idiomatum obseruanda. non enim iuxta diuinã naturam filius hominis est Christus.

IESVS cõmunissima appellatio est. Diuino enim consilio sic est nominatus, angelo hoc mandatum perferente ad Iosephum, ut infantem, quem Maria esset paritura, uocaret IESVM: addita insuper etymologia ac ratione nominis. Ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum, à peccatis suis. Matth. 1. Est igitur IESVS, officij nomen. Disputant autem ac confligunt eruditi de hoc nomine acriter. Quidã à Iehoua, peculiari Dei appellatione, deriuare conantur: tali nimirum mutatione aut epenthesi facta, quòd ex Iehoua, Ieheschuch sit cõpositum, ac deinde rursus per quandam amputationem & mutilationem sit procreatum Ieschu. Verùm eruditi hasce Rabinicas cogitationes, tanquam alienas & cõtortas, & nulla firma autoritate aut ratione suffultas, explodunt: & simplicissimum ac uerissimum, etymologiæq; è cœlo prolatæ maximè consentaneum iudicant, deducere à Iascha, quod saluare significat: & Ieschuah, salus aut liberatio: ac conuenire cum nomine Iehosua, cum quo uocabulo nomen IESV literis, ac fermè syllabis coincidit. nam Iota conuenit cum Iod, Ita conuenit cum He, Schin cum Sigma: Ain alioqui solet exilẽ sonum habere, & iam traductum in alienam linguam, præsertim in fine, ubi linguarum magna est libertas, facile euanescit. Est & Iehosua (Moysis famulus ac successor, qui populum Israeliticum in promissam terram perduxit, ac sorte possessiones distribuit) typus Christi, sicut multi probati Scriptores monuerunt. Idem nomen in Veteri Testamento alij quoq; habuerunt. Sed ea de re peritorum libri cognoscantur. Nobis enim in hac materia non est animus, copiosius aut scrupulosius ista persequi.

MESSIAS Hebræum est uocabulum, quod exprimitur uoce græca Christus: Iohannis primo, quarto. & significat unctum, estq; officij ac honoris appellatio. Nam in politia Mosaica tum Sacerdotes summi, tum reges, nempe duo summa capita in Ecclesiastico & politico regimine, solebant fragranti unguento, peculiariter ex Dei præscripto confecto, inungi atque initiari. Estq; significatum, Messiam pontificem summum, placantem genus humanum patri, ac regem æternũ fore.

DOMINVS uocatur in Græco, pro Iehoua. nã Apostoli translationem Septuaginta interpretum retinentes, eadem uoce usi sunt. Iehoua autẽ ab Haiah, aut Haua, quod esse significat, deducitur. Coniecturæ doctorum hominum sunt, Deum se uocare Exodi tertio: Ero qui ero. Et Iehoua nominare ideo, q. is sit Deus, qui esset aliquando, iuxta promissiones factas in paradiso post lapsum, semen illud benedictum futurus, quod serpenti caput contriturum, cunctisq; gentibus exoptatam benedictionem allaturum esset. Confirmatur hæc sententia Pauli declaratione, qui 1. Cor. 10. affirmat, Christum esse eum Deum, qui populum Israeliticum ex Aegypto fortissima manu eduxerit. Is igitur etiam cum Mose locutus est. Ac recepta est opinio, eo tempore primùm hoc diuinum nomen innotuisse: licet Moses, qui post illam reuelationem Dei, narrationem ab exordio mundi contexuit, etiam prioribus historijs hoc nomen Dei immiscuerit. Dominus autem non idem quod Iehoua significat: attamẽ per excellentiam hunc Deũ, Dominum uocare uoluerũt, quasi qui esset reuera summus, ac potentiam suam in suo populo abundè declarasset, ac futurus uictor peccati & mortis, non succubiturus in illa stupenda humilitate, quam subiturus erat. Est igitur & hoc officij nomen. Vocatur autem & pater Dominus, ut Matthæi undecimo: Pater Domine cœli & terræ. Verùm ibi paulo generalius est hoc nomen, ac significat, patrem cœli ac terræ potestatem habere, &c.

DEVS dicitur Christus, ut Iohannis 1. Verbum erat Deus. Ioh. 20. Dominus meus, & Deus meus: quia est ὁμοούσιος & coæternus patri ac spiritui sancto. est igitur substantiæ uocabulum.

LOGOS, seu uerbum à Iohanne Euangelista nuncupatur, ut apparet respectu nostri: nẽpe propter hoc insigne officium, quod fuit persona proferẽs ex arcano consilio Dei decretum de remissione peccatorũ, ac docẽs de ueris Dei cultibus. Subiũgit enim: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Iohannis 1. pater è cœlo clamans, iubet hunc audiri: ergo est Ecclesiæ doctor. Et uidetur Iohannes hanc uocem ex Christi responsione, Ioh. 8. mutuatus esse: Tu quis es? respondet Iesus, Τὴν ἀρχὴν ὅ,τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Principium quod loquor uobis. Ordinat præterea ministerium, in eoq; se præsentem atq; efficacẽ fore testatur. Est autem uerè ὑφιστάμενος, nõ uox euanescens, persona à patre & spiritu sancto distincta, coessentialis & coæterna. Basilius & Augustinus autumant, eum respectu patris dici λόγον, quia sit cogitatione genitus, communicata essentia diuina: perinde ut sermo in homine cogitatione gignitur, estq; imago rei cogitatæ. Verùm in gitationem non transfundimus essentiam, sed sunt euanescentes mentis actiones, pingentes res cogitatas sanè mirabili modo. Atqui tanquam in re inexplorata, & omnium hominum sapientiam excedente, parcius de ea locuti sunt illi ipsi patres: ac subinde studiosè inculcarunt, rem tantã humana sagacitate peruestigari non posse: ac maluerũt illam alteram interpretationẽ, quæ

nobis

nobis consolationem gratissimam suppeditat, retinere, ac suis auditorib. notam esse. Sint igitur ac maneant humanæ duntaxat cogitationes de posteriori etymologia: ac ualeant tantum, quantum comparationes à rebus humanis ad diuinas translatæ, solent ualere, donec in Academia cœlesti ex ore Christi omnia penitius ac plenius cognoscamus. Porrò hoc uerbum substantiale, distinguendum est à uerbo uocali, ut sic uocemus: hoc est, à doctrina proposita à Christo: Nam doctrina eius, quæ uerbum alias appellatur, nequaquam est substantia Christi. Quæ enim dementia foret, dicere, eum suã substantiam effatum esse? Necesse foret & Apostolos, aliosq; uerbi ministros, meras Christi substantias eloqui: quo quid absurdius esset? Debere autem hæc discerni, dicta apertè testantur. Iohan. 14. Si quis diligit me, uerbũ meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus: Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Manifestè se & uerba, hoc est doctrinam distinguit. Si Moysi scriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Iohan. 5. Sermo quem ego loquor, non est meus, sed eius qui me misit patris.

SOTER, Saluator ab Angelo uocatur, Lucæ secũdo. Samaritani à Christo recens conuersi, & uera fide flagrantes, eum saluatorem mundi appellant, Iohannis quarto. Simeon uocat salutare Dei. Respicit autẽ hæc appellatio ad officium Christi, nempe quòd salutem toti mortalium generi adferat. Ideo iucundum est, & plenum consolatione, quòd mundi saluator, & à Simeone Dei salutare dicitur: eo quòd à Deo ad liberandos homines è carcere peccati & mortis sit missus, sicut audiuimus angelum nomen IESV interpretatum esse.

IMMANVEL, hoc est, nobiscum Deus: Matth. primo dicitur, tum propter essentiam, tum propter officium. nam, Verbum caro factum est, inquit Iohannes: hoc est, in una persona Christi unitæ sunt diuina & humana natura. Deinde, habitat etiam in nobis hominibus, & est efficax. Iohannis 1.

LVX MVNDI, Iohannis 8. 12. Ego, inquit, sum lux mundi: qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Sic & Iohannes capite primo explicat: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hũc mundum. id quod de doctrina, & noua luce in corde, quam accendit, intelligendum est. Iohannis primo: Vt testimonium perhiberet de lumine. Ioh. 12. Dum lucem habetis, credite in lucem. Simeon prædicat eum esse lumen: & quidem explicationem subijcit, Ad reuelationem gentium. Allusum autem est ad prophetiam Esaiæ nono. Et citatur Matthæi 4. Populus qui ambulat in tenebris, uidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

REX à Magis appellatur, Matth. 2. & ipsemet se regem esse profitetur Iohannis 18. Sed non de hoc mundo, uerum regem ueritatis: hoc est, qui Ecclesiam doctrina ac spiritu sancto gubernet, ac uitã æternã donet.

RABBI, seu Magister passim uocatur, quòd munus docendi gerat: item, quòd perpetuus doctor uelit esse suæ Ecclesiæ, & supremus Rabbi ab Ecclesia omnibus ætatibus agnosci.

DVX, Matth. 2. ex Michea appellatur: & ratio attexitur, quia recturus erat populum Israel cœlesti doctrina. fortè etiam, quia bellum cum hostibus generis humani gesturus, & felicem uictoriam obtenturus esset.

PROPHETA, Matth. 21. Lucæ 13. 24. Ioh. 4. 6. 9. Hoc nomen habet & propter autoritatem summam in docẽdo, & quia de rebus uẽturis plurima indicabat.

BRACHIVM Domini à Maria nominatur, Lucæ primo: haud dubiè ad imitationem Esaiæ capite 53, eo quòd hoc quasi ualido ac potentissimo seruo Deus esset uindicaturus homines ex potestate diaboli & mortis. Nullum enim humanum brachium, sed solum Domini brachium, rem tantam potuit efficere. Ioh. 12 ex Esaia allegatur: Brachium Domini cui reuelatum est?

AGNVS DEI uocatur à Iohanne, angelo aut præcursore Messiæ, idq; etiam ex Esaiæ cap. 53. sumptũ est, ubi scriptum extat, seruum illum Domini ductum iri ad mactationem tanquam ouem: hoc est, futurum uictimam. Ac Dei agnus nominatur, eo quòd Deus in eo fecerit concurrere omnium nostrũm peccata.

PASTOR, Ioh. 10. Ego sum pastor bonus. idq; declarat Christus, quòd non tantum salutari atq; uiuifica doctrina suas ouiculas pascat, sed etiam animã pro ijs ponat.

VITIS, Ioh. 15. Ego sum uitis, uos palmites. Pulcherrima comparatione res maximas explicat. sicut inquit: Quemadmodum palmes nõ potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi manseritis in me

PANIS Dei, Iohan. 6. Panis Dei est, qui descendit de cœlo, & dat uitam mundo.

SPONSVS dicitur Matth. 9. 25. Mar. 2. Lucæ 5. Ioh. 3. Respicit autem haud dubiè ad prophetiam Oseæ 2. ubi sic scriptum est: Spõsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi & in iusticia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide. Significat igitur hæc uox, ardentem amorẽ erga Ecclesiam suam, & copulationem arctissimam. Nam in sponso flagrãs amor existit erga sponsam: deinde uinculũ arctius in humana uita nullũ est quàm hoc.

Iohannis octauo interrogatus Christus à Pharisæis, Tu quis es? respondet: Principium, quod & loquor uobis. Est autem τὴν ἀρχὴν, phrasis continens seriam asseuerationem. Prorsus ille ipse sum, qui loquor uobis: sum persona cuius officium fuit, & nunc est, ut cœlestem doctrinam uobis adnunciem. ac uidetur ad etymologiam uocabuli τοῦ λόγου alludere. Nam de suo ministerio, eloquendi audita à patre, multa in eo loco disserit.

Periphrasi MESSIAE utuntur discipuli Iohannis: Tu ne es ille qui uenturus est? Matthæi undecimo, Lucæ septimo. Diu enim erat Messias iuxta promissiones desideratus. Quod autem esset ille ipse, probat factis miraculosis, & doctrinæ genere. Et hæc de nominibus Christi hoc loco breuiter commemorare libuit, eo quòd insignes doctrinas lectoribus pijs proponant.

DE SPIRITV SANCTO.

Prudenter uocabulum Spiritus in sacris literis expendendum est. Non enim unam tantum rem significat, sed uarias: nec ubiq; pro spiritu sancto, hoc est persona diuina accipi debet. Interdum enim simpliciter uentum significat, ut Ioh. 3. Spiritus ubi uult spirat, & uocẽ eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat

Aliàs pro hominis uita usurpatur, seu ipsa anima etiã. ut Matthæi uigesimoseptimo: Clamãs uoce magna emisit spiritum. Iohan.19.Inclinato capite tradidit spiritum:hoc est,uitam seu animam. Lucæ 23.In manus tuas commendo spiritum meum:id est, animam, iam de hoc meo corpore separandam. Lucæ 8.Reuersus est spiritus puellæ,nempe resuscitatæ à Christo:hoc est, anima & uita. Aliàs significat interiores motus à Spiritu sancto excitatos, seu lucem in corde flagrantem. ut Lucæ primo: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: hoc est, Ego ex toto corde, & luce in corde, uera cognitione beneficiorum Dei accensa,lætor,& gratias ago. Videtur etiam Spiritus hic pro anima accipi, seu nouo homine. Sic de effectu spiritus sancti hæc dicta loquuntur Iohannis tertio:Quod natum est ex spiritu, spiritus est.Non enim de communicatione essentiæ hic dicitur, sed de effectibus: nempe quòd sit renatus,habeat spirituales Deoq; congruentes motus,quibus alioqui homo destituitur. Item Iohannis sexto:Verba quæ ego loquor,spiritus sunt,& uita. Non loquebatur autem Christus substantiam,sed doctrinam,per quam tamen spiritus sanctus datur, & per quam spirituales motus in corde accenduntur,& inchoatur noua uita.Matthæi uigesimosexto inquit Christus: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: indicans, se paratum quidem esse secundum spirituales cogitationes,aut quas spiritus sanctus in suo corde alebat,ad subeundam passionem: uerùm ipsam carnem, pœnarum atrocitatem abhorrere. Sic de interioribus motibus intelligenda sunt,Iohannis undecimo:Infremuit spiritu. Iohãnis tertiodecimo: Conturbatus est spiritu. Item Matthæi quinto,Beati pauperes spiritu:hoc est,non tumentes in corde persuasione propriæ iusticiæ, sed indignitatem suam perspicientes ac deplorantes, & confugientes ad Christum uera fide, ex cuius abũdanti plenitudine gratiam pro gratia accipiunt. Est & nomen generis:ut Lucæ uigesimoquarto, Spiritus carnem & ossa non habet:id est, spiritualis substantia existit. Iohannis quarto:Spiritus est Deus. hoc loco spiritus genus est,tribus personis conueniens: id est, spiritualis essentia. Item est nomen ambiguum, quod malo & bono spiritui tribuitur. Lucæ nono: Nescitis cuius spiritus estis. & Lucæ uigesimoquarto, Existimabant se spiritum uidere. Aliàs etiam Spiritus accipitur pro tertia persona diuinæ essentiæ:& in hac significatione hoc loco potissimum accipimus.

Potest autem ex sequentibus partibus talis definitio colligi:SPIRITVS sanctus est, persona diuinitatis tertia in ordine, distincta à patre & filio, & à patre & filio procedens: quæ mittitur, ut in Ecclesia ministerium docendi sustineat, & in cordibus hominum habitet, eosq; regeneret, sanctitatem, spirituales motus,consolationem ac uitam impertiat & accendat. Nunc probationes recensendæ sunt.

Spiritum sanctum esse personam diuinam, non agitationem quandam creatam, euidentissimis testimonijs probatur. Descendit enim peculiari specie ad Iordanem,in Christum à Iohanne baptisatum: ubi pater sonat uocem de filio,& Christus undis tinctus in ripam ascendit,Matthæi 3. In hac tam illustri reuelatione nõ decipit homines Deus,sed uerè sese patefacit,qualis est, & qualem se à cũctis mortalibus uult cognosci, inuocari & celebrari. Baptismum instituens Christus, præcipit eum in ueri Dei nomine toti suæ Ecclesiæ conferre, ac diserte inquit: Baptisate in nomine patris & filij & spiritus sancti. Matth.28. Pronunciat ergo, tam esse Spiritum sanctum personam diuinam, quàm est pater & filius,atq; adeò tertius ei in ordine locus assignatur Iohan.14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis.Iohan.15.Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre. Hæc dicta præclarè docent,Spiritum sanctum esse personam subsistentem,& quidem diuinam. id quod etiam opera testantur, quæ huic personæ tribuuntur: ut quod simul cum patre & filio homines regenerat, ministerium gubernat, regit corda:imò quòd etiam in Christo habitauit, eumq; gubernauit in suo officio omnium amplissimo quod in terris gessit. Verùm de hac parte paulo pòst.

Esse distinctam personam à patre & filio, ex iisdem testimonijs liquet. Non enim pater, neque filius, est columba, descendens uisibiliter: sed hæc tertia persona,nempe,Spiritus sanctus. Hæc etiam declarat Baptista:Qui misit me,inquit,baptisare in aqua, is mihi dixit: Super quem uideris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptisat in spiritu sancto. Hæc sententia discernit eum à quo mandatum baptisandi accepit Iohannes, & Christum quem debebat baptisare: & postea etiam spiritum sanctum, qui suo uisibili aduentu eum Christum initiaturus & ornaturus erat. Ita & in uerbis baptismi à patre & filio distinguitur,suoq; loco recensetur,ut dictum est. Idem luculenter docent hæc uerba Christi Iohan.14.Ego rogabo patrem,& alium paracletum dabit uobis. Alium, inquit:ut discernat eum à patre,& sese. Item:Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Distinctè pater, Christus,& spiritus sanctus hic nominantur. Iohan.15.Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre. Dulcissimam hic proponit consolationem Christus se à patre missurum, quid? patrem ne,an seipsum? Spiritum sanctum,inquit.Ergo alia est persona Spiritus sancti,alia Patris,alia Filij.Esse tamen has tres personas distinctas unum Deum, suprà est indicatum.

Coessentialem patri & filio esse Spiritum sanctum, ex uerbis baptismi liquidò constat. Item,quòd uocatur spiritus patris, Matth.10. quòd à patre filioq; procedit,Iohan.15.20. Item,quòd opera diuina communia omnibus personis,ei quoq; adscribantur:ut sunt regeneratio, inhabitatio in cordibus credentiũ, sanctificatio, & similia.

Non tunc primùm cœpisse Spiritũ sanctum,quando Christus est exhibitus,sed coæternũ extitisse patri & filio,ex certis testimonijs manifestũ est.Legit ipse Christus in synagoga Nazarethana, locũ ex Esa.ca.61. Spiritus Domini super me,eo quòd unxit me.Lucæ 4.eaq; omnia ita explicat, ut perspicuè ad se accommodet. Item Matthæi 22.ait Christus, Dauidem in spiritu se uocasse Dominum. Certum igitur est,Prophetas de spiritu sancto docuisse, priusquã nasceretur Christus.Deinde Spiritus sanctus efficax est in cõceptione Christi:uocatur & Patris spiritus. Sicut igitur Pater est æternus, ita & hic Spiritus.Præterea sibi & Patri, in Baptismi actio-

actione, Spiritum sanctum copulat Christus: Ergo coæternum ac simul omnipotentem esse necesse est. Quod uerò apud Iohannem capite septimo extat: Nondum erat Spiritus sanctus, quia IESVS nondum erat clarificatus: tantum de uisibili ac miraculosa effusione Spiritus sancti, quæ post ascensionem in Pentecoste facta legitur, intelligendum uidetur.

Discernitur à Patre & Filio etiam ipso nomine. Nã hæc tantum persona Spiritus sanctus appellatur, non pater, non filius: ac tribuitur ei hæc proprietas, quòd inquit Christus, patrem mittere eum, Iohan. 14. item, sese mittere illum ipsum: Iohan. 15. Et adhuc clarius, Spiritum sanctum à Patre procedere, Iohannis decimo quinto. & Iohannis uigesimo: Insufflauit in discipulos IESVS, dicens, Accipite Spiritum sanctum. Proinde uera proprietas huius personæ, distinguens eam ab alijs, est, quod à patre filioq; procedat. Quomodo uerò id fiat, non est reuelatum, nisi quòd Christus eum in sufflando semel Apostolis dederit: id quod non legitur eodem modo sæpius factum esse. Communes cum cæteris personis actiones habet, quòd in baptismo operatur: Matthæi uigesimo octauo, Iohannis tertio. Efficax est in ministerio, Iohannis decimosexto. Viuificat, Iohannis sexto: & quasdam alias, de quibus etiam superius dictum est.

Officia atque opera Spiritus sancti plurima recitantur. Gubernauit sanctos Prophetas, accendens eos lucе & cognitione ueri Messiæ, ac rerũ futurarũ scientia ac prædictione. Matthæi uigesimosecundo, Dauid in spiritu uocat eum Dominum. Sic Christum patefacit Spiritus sanctus in nouo Testamento. Nam Elizabeth repleta spiritu sancto, prophetat de præsentia Christi, quem oculis suis corporalibus nondum contueri poterat. Zacharias spiritu sancto plenus, egregiè de Christo iamiam uenturo, eiusq; operibus prædicit, Lucæ primo. Simeonem à spiritu sancto accepisse reuelationem, eóque instigante uenisse in templum tempore præsentationis Christi, eúmque mox summa lætitia in ulnas accepisse, atq; mirifica de eo intrepidè prophetasse, Lucæ secundo exponitur. Est igitur opus Spiritus sancti, noticiam Messiæ, & fidem in ipsum, in cordibus hominum accendere: item, de rebus futuris certò monere, ac per hominum ora præsagire.

Iuuat conceptionem ac natiuitatem Messiæ. Sic enim scriptum est Lucæ primo: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei. & Matthæi primo: Antequam conuenirent, inuenta est in utero habẽs de Spiritu sancto. item: Quòd in ea natum est, de Spiritu sancto est. Adfuit Christo, eumq; gubernauit in suo amplissimo munere, quod in terris administrauit, Iohan. 3. Non ad mensuram dat Deus spiritum. Lucæ 4. IESVS plenus spiritu sancto, regressus est à Iordane. item, Agebatur à spiritu in desertum. item, Regressus est IESVS in uirtute spiritus in Galilæam. Lucæ 10. Exultauit in spiritu IESVS. quamuis hoc de interioribus motibus intelligi possit.

Regenerat homines, Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit introire in regnum Dei. Matth. 28.

Est guburnator ministerij, ueram doctrinam conseruat, tradit & propagat, idq; per media: hoc est, synceros Ecclesiæ doctores. Ioh. 14. uocatur spiritus ueritatis, idq; explicatur his uerbis: Ille docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Non igitur aliena à doctrina Christi suggerit. Iohannis 15. Ille testimonium perhibebit de me. Iohannis decimosexto: Arguet mundum de peccato, iusticia & iudicio. Spiritus sanctus igitur ueram peccatorum agnitionem, totamq; conuersionem salutarem operatur. Item: Cum uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non enim à semetipso loquetur, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ uentura sunt annunciabit uobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis: Matthæi decimo. Marci decimotertio: Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui lòquitur in uobis. Itaque si doctrinam ueram, per organa Ecclesiæ, salutaria ipsemet Spiritus sanctus loquitur & spargit, quid potest augustius dici? & quis de eius efficacia dubitaret?

Adest claubus regni cœlorum: remissionem peccatorum in nomine, Christi pœnitentibus: contrà impœnitentibus iram Dei, æternámque damnationem annuncians, donec resipiscant, & gratiam expetant. Iohannis uigesimo: Accipite Spiritum sanctum, &c.

Viuificat hominum corda Spiritus sanctus, ac spirituales Deóque placentes motus excitat & inspirat, quales alioqui in hac deprauata natura non existunt. Iohannis tertio: Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est. Opponit Christus carnem & spiritum Carnem, uocat, totam hominis naturam, labe originis corruptam, in qua regnat peccatum & uitiosi motus, quæq; destituitur uera Dei notitia, fide, dilectione, inuocatione, spe uitæ æternæ. Spiritum uerò per synecdochen uocat, hominem spiritu sancto renatum, qui habet remissionem peccatorum propter Christum, & in quo Spiritus sanctus nouam lucem, motúsque cum uoluntate Dei congruentes accendit. Iohannis sexto: Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Caro, hoc est uitiosa hominis natura, expers uitæ est, tantum morti obnoxia existens: at Spiritus impertit uitam.

Erigit solida consolatione pauidas & consternatas conscientias, indéque Paracletus nominatur: Iohannis decimoquarto.

Excitat mentes ad ardentem inuocationem, Iohannis quarto: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. item: Qui adorant Deum, in spiritu & ueritate oportet adorare.

Denique habitat in pijs organis ueræ Ecclesiæ. Iohannis decimoquarto: Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. item: Apud uos manebit, & IN VOBIS erit. Quomodo autem in ipsis sit efficax, modò est expositum.

Porrò quis det Spiritum sanctum, Christus manifestè docet: nempe Pater ipse. Lucæ undecimo: Pater uester cœlestis, dabit spiritum sanctum. Ioh. 14. Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Deinde etiam ipsemet Christus eum largitur. Iohannis decimoquinto: Cum uenerit paracletus, quẽ ego uobis mit-

tam à patre, &c. Ioh.16. Vt paracletus ueniat ad uos, quem ego mitto. Iohan.20. insufflatione eum impertit. Matth.3. Iohan.1. Baptista de Christo concionatur: Ipse, inquit, baptisabit spiritu sancto.

Quis meritus sit Ecclesiæ, eiusq; organis, Spiritum sanctum, & qua ratione, explicatur Iohannis decimosexto: Expedit, inquit Christus, ut ego uadam. Si enim nõ abiero, paracletus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos. Itaq; passione Christi tantus thesaurus est comparatus. Nam prius eramus, ob peccatũ, diaboli mancipia. Iohannis decimoquarto ait, se rogaturum patrem, ut paracletum mittat. Quæ quidem omnia ad officium huius summi sacerdotis pertinent.

Quibus detur, & quibus non, his uerbis monet Christus Iohannis decimoquarto: Quem mundus non potest accipere, quia non uidet, neq; nouit eum: Vos autem cognoscetis eum, & apud uos manebit, & in uobis erit. Cõferuntur hac sententia discipuli Christi & mundus. Mundus fastidiens Christum, eiusq; uerbum, non est capax spiritus sancti. At discipuli agnoscentes Christum, agentes pœnitentiam, & fide amplectentes gratuitam remissionem propter Christum, hanc dulcem promissionem certò habent, quòd sint templa & sacraria Spiritus sancti. Iohan.7. Hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Hic Euangelista dicit, credentes in Christum Spiritu sancto ornari. Docet insuper Christus, precibus à Deo patre hunc tã sublimẽ, salutarem atq; necessarium hospitem expetẽdum esse, Lucæ 11. Dabit Spiritum sanctum petentibus se.

Per media, hoc est uerbum Dei, ac sacramenta, dari: uerba baptismi, clauium, & ipsa exempla docent.

Nec tantum in adultis, sed etiam in infantibus ac pueris Spiritum sanctum habitare, atq; efficacẽ esse, historia Baptistæ testatur. Angelus Zachariæ nunciat, Iohannem filium Spiritu sancto repletum iri, dum adhuc matris aluo gestaretur: id quod postea historia cõprobauit. subsultat enim præ gaudio ad aduentum Christi.

De appellationibus huius personæ pauca attexemus. Interdum tantum uocatur Spiritus, ut Matthæi quarto: Ductus est in desertum à spiritu. Matth.22. Dauid in spiritu uocat eum Dominum. Iohan.3. Quod natum est ex spiritu. Iohan.7. Nondum erat spiritus datus. Interdum epitheta quædam adijciuntur: ut, Spiritus Dei. Matth.3. Vidit spiritum Dei descendentem. Matthæi 12. Ego in spiritu Dei eijcio dæmones. Est autem substãtiæ descriptio, quòd cõsubstantialis sit spiritus Deo patri & filio, & sic à creatis spiritibus distinguitur. Spiritus patris eadem ratione appellatur, quia à patre procedat & mittatur. Matth.10. Spiritus sanctus. Matth. 1. De spiritu sancto est. Matth.12. Qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum. Sic Luc.1.2.4. Iohan.7.14. 20. Habet autem id nomen & propter substantiam, & propter officium. est enim substantia, sicut & cæterarum personarum diuinitatis, sanctissima. deinde est fons sanctitatis, sanctitatem, hoc est remissionem peccatorũ adferens, & sanctos motus in cordibus credentium efficiens. Spiritus ueritatis, Iohan.14. Iohan.16. nominatur ab officio, quia ueram de Deo doctrinam custodit, & synceros Ecclesiæ ministros subinde excitat, & corruptelas arguit atq; destruit: habitat etiam in ijs locis atque pectoribus, ubi ueritas cœlestis regnat. abest uerò à mẽdacijs siue ecclesiasticis siue politicis, & abhorret cœtum malignantium. Paracletus quoque simili ratione uocatur, eo quòd hoc habeat officij, ut sit aduocatus in rebus afflictis atq; concisis, sustentet corda firma cõsolatione, fide, confessione, patientia, perseuerantia ac spe æternorum bonorum. Iohan.14.15.16.

DE CREATIONE.

MVndum hunc, omnesq; in eo creaturas non extitisse ab æterno, ut finxerunt quidam Philosophi, sed cœpisse aliquando, perspicuè Christus docet Iohan.17. Clarifica me ea claritate, quã habui PRIVSQVAM mundus fieret. item, Dilexisti me ante constitutionem mundi. Marci.13. Erunt dies illi tales, quales non fuerũt ab INITIO creaturæ, quam cõdidit Deus. Et Iohannes capite primo asserit, Omnia per Christum facta esse. Non igitur ab æterno extiterunt.

Autor & conditor huius amplissimi & pulcherrimi opificij est Deus. Marci decimotertio: Ab initio creaturæ, quam condidit Deus. Et uocabulum Deus hoc loco tres personas comprehendit, nempe patrem, filium, & spiritum sanctum: qui simul, res omnes cõdiderunt. De filio præclarè Iohannes capite primo inquit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. item, Mundus per ipsum factus est. Per synecdochen autem hæc intelligenda sunt, ne aliæ personæ excludantur. Ideo autem Iohannes de filio tantũ loquitur: quia uult ex opere conditionis, quod commune habet cum cæteris personis, demonstrare atq; conuincere, λόγον seu filium Dei esse Deum, coessentialem, coæternum, & coomnipotentem patri & filio. Non igitur casu mundus extitit, sed ab omnipotenti Deo fabre factus & extructus est.

Ex qua materia mundus sit factus, non quidem ita expressè in historia Euangelica indicatum est: sed tamẽ quod ex nulla priori seu præexistenti materia, sed ex nihilo sit productus, uel inde licet colligere, quòd mundus non fuerit ab æterno, & quòd Deus eum condiderit, filiusq; Dei fecerit omnia. Hæc latius in Genesi enarrantur, quæ nolumus huc admiscere.

De fine mundi, cur uidelicet Deus eum condiderit, monere nos potest oratio Dominica, & Decalogus à Christo repetitus ac declaratus: nempe ut genus humanum sit sanctum, Deoq; obtemperet, agnoscat ac celebret conditorem, & iam in hac tristi corruptione petat remissionem peccatorum per Christum, cuius beneficium amplectatur ac prædicet: & per Spiritum sanctũ inchoet nouam obedientiam, uitet idololatrias, blasphemias in Deũ, & alia scelera: colat etiam iustitiam & honestatem in rebus externis, sicut Decalogus & oratio Dominica commonefaciunt, quũ petimus panem quotidianum. Itaque cæteræ creaturæ omnes conditæ sunt, ut hominum uitæ seruiant: Sol, luna, Elementa, animalia, & reliqua. Angeli quoq; formati sunt, ut Deo & hominibus ministrent: Matth.18.

Adesse Deum semper rebus creatis, easq; fouere & conseruare, hæc testimonia probant. Matth.6. Pater cœlestis pascit uolatilia cœli. item: Lilia, fœnum agri, uestit Deus: Solẽ suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ideo cunctas res quæ sunt in mũdo, etiã gramina & res minutissimas, Deus adhuc semper condit, sustentat, ornat, & uestigia præsentiæ

sentiæ suæ & perpetuæ conseruationis etiam in uilissimis creaturis oculis hominum subijcit. Homines uerò in primis curat, sicut ibidem Christus concionatur: Si, inquit, fœnum agri, quod hodiè est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis uos? item: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Ac præcedit ratio dulcissima: scit enim pater cœlestis, quod his omnibus indigeatis. Hæc insignis sententia docet, Deum & gubernare res creatas, & liberalem fore erga pios. Exordium quoq; orationis Dominicæ idem commonefacit, ubi dicimus: Pater noster, qui es in cœlis. hoc est, qui in omnibus locis præsens es, regis omnia, habes omnia in tua potestate. In primis uerò Ecclesiæ suæ præsto est omnibus ætatibus Christus, eamq; moderatur & ornat rebus necessarijs ad hanc temporalem & æternam uitam. Matt. 10. Duo passeres asse ueneunt, & unus ex eis non cadet in terram sine patre uestro: uestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Ioh. 14. Non relinquam uos orphanos. Matth. 28. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Idem testatur custodia angelorum, Matth. 18. Ministerij conseruatio & propagatio, Matthæi 16. 18. 28. Lucæ 24. Iohannis 16. 20.

Postremò, quòd Deus liberrimè agat in rebus creatis, etiam contra causas secundas, & sine ipsis, testantur miracula Christi illustria. Contra naturæ ordinem aquam mutat in uinum, Iohan. 2. Pascit ingentem multitudinem paucissimis panibus, Matthæi 14. 15. Lucæ 9. Iohan. 6. Fœtentem Lazarum resuscitat, Iohannis 11. Non enim est impossibile apud Deum omne uerbum, ut inquit Gabriel Lucæ 1.

DE ANGELIS IN genere.

ANgelus in genere nuncium seu legatum significat, alterius mandata perferentem & exequentem. Sic Iohannes baptista angelus uocatur Malachiæ tertio, ut citatur Matth. 11. Marci 1. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Lucæ 9. Et misit angelos suos ante cõspectum suum: ubi discipulos ablegat in Samariam. Deinde spirituales substantiæ, à Deo cõditæ, sic appellantur, tum bonæ tum malæ. Potissimum autem bonis tribuitur hæc appellatio, malis rarò. ut Matth. 15. Qui paratus est Diabolo & angelis eius.

Esse autem eiusmodi spiritus, historiæ plurimæ in narratione Euangelica testantur. Apparent enim boni Angeli, exponentes hominibus uoluntatem Dei: & eijciuntur spiritus immundi, qui homines obsederant, & membra quædam ligauerant aut obstruxerãt, aut aliàs eos miserè affligebant: id quod suo loco prolixius recen ebitur.

Duplices esse eos spiritus, ex historia Euangelica notum est: nempe angeli Dei, Deo ac hominibus utiliter ministrantes: & spiritus immundi, hostes Dei & generis humani. De singulis nunc, & quæ res eam diuersitatem pepererit, dicendum erit.

DE ANGELIS BONIS.

DE bonis angelis interdum tantum uocabulum angelus ponitur, ut Matth. 4. 13. 18. 28. Iohannis 20. Vsitatissimum est Angelus Domini, Matthæi 1. 2, 28. Lucæ 1, 2. Angelus Dei, Lucæ 15. Iohan. 1. Christus uocat angelos suos, Matth. 13. 16. 24. 25. Sancti angeli, Lucæ 9 nominantur. Hæc epitheta tribuuntur bonis, non tantum ut à malis distinguantur: sed etiam ut notũ fiat, unde ueniant, & cuius mandata proferãt.

Angelorum definitio ex ijs quæ hoc loco commemorãda sunt, extrui potest: nẽpe quod sint spirituales substantiæ, intelligentes, conditæ à Deo, sanctæ, ministrantes Deo & hominibus.

Quòd sint spirituales substantiæ, patet ex historia Resurrectionis. Cum enim seſe manifestaret IESVS in cœtu discipulorum, qui nondum satis erant confirmati, & territi putarent se spiritum uidere, hoc est angelum quendam, IESVS se distinguit à spiritibus, dicens: Spiritus carnem & ossa non habent, sicut uidetis me habere. Alia est igitur substantia corporum humanorum, alia angelorum.

Plures esse, inde constat, quòd Lucæ 2. multitudo militiæ cœlestis annunciat exhibitionẽ Meßiæ, Deumq; summis uehit laudibus. Matth. 26. ait Christus, se posse precibus à patre suo plus quàm duodecim legiones angelorum impetrare, si uiribus res contra persecutores Iudæos agenda esset.

A Deo creatos esse angelos, ex hoc dicto planum est, Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Proprius ipsorum locus & habitatio est, cœlum: Matth. 18. Angeli eorum in cœlis, semper uident faciem patris. Matthæi 22. Sunt sicut angeli in cœlo. Quo dicto & hoc indicatur, non esse inter angelos connubia, sicut inter homines. Sanctas esse substantias, appellatio docet. nam angeli sancti uocantur, Lucæ 9. Præterea etiam ipsorum officium, & propinqua cum Deo conuersatio, idem monent.

Mittuntur autem angeli à Deo. Lucæ primo: Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ. & à Christo, Matth. 13. Mittet filius hominis angelos suos. Matth. 24.

Cum autem sint spirituales substantiæ, quæ humanis oculis cerni nequeunt: ideo forma quadã apparent, quæ ab hominibus conspici possit. Ad monumentum Christi, angeli apparent specie uiri, Luc. 24. Ecce duo uiri steterunt secus illas, in ueste fulguranti. Actor. 1. Duo uiri adstiterunt illis, amicti uestibus albis. Item iuuenis forma, Mar. 16. Et introeuntes in monumentũ, uiderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida. Iohan. 20. Vidit duos angelos in albis sedẽtes. Hac uirili seu iuuenili specie haud dubiè Zachariæ, Mariæ, & alijs se conspiciendos præbuerunt angeli. De angelo qui custodes de monumento Christi fugat, lapidemq; amouet, scribitur Matth. 28. Erat aspectus eius sicut fulgur, & uestimẽtum eius sicut nix. Terrebat enim hoc aspectu uigiles, ut aditus pauidis discipulis Christi ac mulieribus fidelibus patèret. Sentiunt quidam, & stellam, quæ Magis præluxit, & comes itineris fuit, donec eos ad ipsa cunabula natis aluatoris deduxisset, angelum quendam fuisse,

Officia angelorum sunt, primùm quòd ipsi Deo ministrant. Matth. 18. Angeli eorum semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est. Lucæ 1. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum. Quale autem sit hoc ministerium, altera uita nos plenius docebit. Christo etiam ministrant, Matth. 4. Superato ac profligato diabolo, angeli ac-

li accesserunt & ministrarunt Christo. Et in agone, quem sustinet in horto, luctans cum morte, angelus de cœlo apparet, eum confortans. Fortè & huc spectat quod prædicit Christus Iohãnis 1. Amen amen dico uobis, posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Lætantur etiam in cœlis, de conuersione hominum. Lucæ 15. Dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.

Deinde hominibus ministrant. Matth. 18. Angeli eorum in cœlis, semper uident faciẽ patris mei, qui in cœlis est. Docet hac iucundissima sententia Christus, pueros angelis sanctis custodiri & defendi, aduersus grassantes diabolos & alia incommoda. Ioh. 5. Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua: & qui prior descendisset in piscinã post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

Sunt nuncij uoluntatis Dei. Matth. 1. Angelus Domini in somnis Iosepho apparet, nuncians ei uoluntatẽ Dei, ne infamet aut dimittat Mariam: & reuelatur ei Messias, qui in utero Mariæ ex spiritu sancto cõceptus, salutem à peccatis allaturus esset. Postea Magos in somnis monet, ne ad Herodem reuertantur. Item Iosepho reuelat, tyrannum Herodem meditari necem infanti: ac iubet, ut in Aegyptum ilico sese conferat. postea rursus angeli reuelatione ex Aegypto reuocatur, Matthæi 2. Singularis hic potentia angelorum obseruanda est, qui in somnis uoluntatem Dei hominibus instillare norunt. Zachariæ angelus Domini & natiuitatem præcursoris Messiæ ex sterili & effœta sua cõiuge, & propinquitatem Messiæ exponit. Narrat preces eius à Deo exauditas esse. Mutũ insuper Zachariam facit, tũ quia uerbis Domini non statim assentiretur, tum ut hoc signo in posterum de rebus ab angelo prædictis confirmaretur. Mariæ quoq; angelus decretum Dei refert, quòd ex ipsa Saluator mundi iam nasci deberet: ac modum explicat, quãtum quidem hominibus scire fas fuit, aut etiam quantum humanæ mentes caperepotuerunt. Lucæ primo. Nominatur autem iste angelus Gabriel: hoc est, fortitudo uel potentia Dei. In natiuitate Christi omnium primi præcones sunt angeli. Apparent enim pastoribus in agro Bethlehemitico, iucundissimum Euangelium apportantes: Hodie uobis natus est, inquiunt, saluator, qui est CHRISTVS. Iubent eos ad ipsum præsepe accedere. Deinde exercitus integri angelorum ibi conspiciuntur, & audiuntur, meras laudes Dei sonantes, & hominibus omnia fausta precantes. Gloria, inquiunt, in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas. Lucæ 2.

Adsunt morientibus, eorumq; animas in locum beatum transuehunt. Lucæ 16. Factum est, ut moreretur mendicus (Lazarus) & portaretur ab angelis in sinũ Abrahæ.

In resurrectione hominum, angeli non erunt otiosi. Matt. 24. Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorum usq; ad terminos eorum.

Aduentum Christi ultimum ornabunt. Matt. 16. Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis. Lucæ 9. Matth. 25. Filius hominis ueniet in Maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Iudicium quoq; quod ibi promulgabitur, simul iuuabũt & exequentur angeli. Matth. 13. Messores angeli sunt. Mittet enim filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatẽ, & mittent eos in caminum ignis. Item: Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.

DE DIABOLIS.

DE appellationibus malorum angelorum, in fine quædam adijciemus. tum enim rectius intelligi poterunt. Potest autem ex ijs quæ hoc loco exponenda erũt, talis definitio extrui. Diaboli sunt spirituales substantiæ, intelligentes, à Deo conditæ: sed quæ à Deo suo defecerunt, immundæ, hostes Dei ac generis humani, æternis supplicijs destinatæ.

Non esse cogitationes malas in hominibus, ut quidã deliruerunt, sed substantias peculiares, plurimæ historiæ in Euangelicis narrationibus manifestum faciunt. De Iuda scriptum est: Intrauit in eum Sathanas: Lucæ 22. Septem dæmonia à Maria Magdalena eijciuntur, Marci 16. Electi dæmones in porcos inuolant, eosq; in mare præcipites agunt: Matth. 8. id quod de cogitationibus malis intelligit nequit. Sed hæc in alijs quoq; partibus declarantur.

Spirituales esse substantias, primùm ex appellatione certum est. Vocantur enim spiritus, Matt. 8. 12. Marci 3. 5. Lucæ 10. Deinde etiam ex ipsorum actionibus ac potentia, quòd in homines intrare, sensus alligare, ac membra mirabiliter regere, imò ex corde etiam uerbum Dei eripere possunt, ut postea dicetur.

Intelligentes esse, ex ipsorum sermonibus, blasphemijs, & actionibus alijs certum est.

A Deo conditas esse ipsorum substantias, etiam hæc sententia monet, Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Verùm non tales sunt à Deo conditi diaboli, quales nunc sunt: sed cum essent angeli sancti, & puræ creaturæ Dei, propria uoluntate sese à Deo auerterunt, & lapsi sunt, tale mq; immundiciam & malitiam sibi contra uoluntatem Dei acquisiuerunt, qualem nunc habent. Id Christus docet Iohannis 8. Ille homicida erat ab initio: hoc est, autor est peccatorum. item, In ueritate non stetit, quia ueritas non est in eo: id est, sponte abiecit ueram Dei noticiam & obedientiam, ac Deo contrarius effectus est. item, Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & PATER eius: hoc est, primus mendacij inuentor & propagator existit. Lapsus igitur est à ueritate, & mendacij autor contra uoluntatem Dei extitit. Lucæ 10 inquit Christus: Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadẽtem. Sunt igitur diaboli, angeli apostatici.

Immundas esse substantias, Christus docet Matth. 12. uocat enim immundum spiritum. Item Marci 3. 5. Lucæ 8. Probant idipsum etiam actiones Diabolorum, quæ tantum contra uoluntatem Dei directæ sunt. Verùm unde habeant eam corruptionem, modò est dictũ: nempe non à Deo, sed à semetipsis.

Quòd plures sint, historiæ admonent Marci 5. Lucæ 8. dæmonia interrogati, quod eis nomen esset: respõdent, Legio. nam intrauerunt dæmonia multa in eum.

Matth.

Matth. duodecimo ait Christus, Spiritum immundum reuerti cum septem alijs se nequioribus. Marci 16. scriptum est, Christum septem dæmonia à Maria Magdalena expulisse.

Habent quidem aliquam noticiam Christi, ac profitẽtur eum esse filiũ Dei: Matth. 4. 8. Mar. 1. 3. sed non est salutaris noticia. nam ex ea terrentur diaboli metu sui iudicij & pœnarum. sicut inquiunt Matth. 8. Venisti huc ante tempus, ad nos torquendos. Norunt igitur se ob peccata æternæ damnationi destinatos, & Christum quidem ipsos præcipitaturum esse in eas perpetuas pœnas. Reprimit etiam eos Christus, neq; approbat eorum confessionem: Marci 1. 3.

Actiones diaboli omnes perpetuò, donec præcipitentur in ignem æternum à Christo iudice, contra Deum & homines intendunt, mirabili calliditate, potentia & immanitate.

Ipsum filium Dei incredibili impudentia inuadit ac persequitur diabolus, eumq; conatur euertere in Dei ignominiam, & perniciem generis humani. Matth. 2. crudele infanticidium per Herodem suum satellitem excitat. Matth. 4. immediatè Christum, postquam in deserto quadraginta dies ac noctes inediam pertulisset, adoritur, exercens eum diris ac salsis sarcasmis: Si filius Dei es, inquit, dic ut lapides isti panes fiant. Tentabat enim obedientiam Christi labefactare, & experiebatur an aliquid in gratiam diaboli uellet facere. Deinde simili ratione eum iubet ex pinna templi sese præcipitem dare: hoc est, in aere uolare. id quod non erat mandatum Christo à patre cœlesti: multo uerò minus, ut consilijs diaboli acquiesceret. Habebat insuper alias rationes Christus, quibus se patefaceret, & suam doctrinam ac functionem confirmaret atq; ornaret. Nec desistit diabolus, quæ est eius impudentia: protinus manifestè Christum ad idololatriam inuitat, & quidem ut humi prostratus ipsum diabolum adoraret, sibi regna & gloriam huius mundi uicissim daturum esse. O tetram & horrendam impudentiam diaboli, qui ipsum filium Dei de tam crassis peccatis sollicitare non est ueritus. Postea & reliquas persecutiones, & ipsam denique crucifixionem atq; necem Christi, sua organa instigans atque impellens, strenuè adiuuit.

Deinde homines infestat atq; affligit mille modis Diabolus. Obsidet ac occupat eos, ac sensus præcludit, aut tollit omnino, ac horribiliter eis abutitur. Matth. 8. in regione Gergesenorum dæmoniaci in monumentis habitant, sæui nimis, ita ut tutò nemini per eam uiam liceret transire. Matth. 9. dæmoniacus Christo offertur, cui lingua erat ligata, ut loqui non posset. Matt. 12. exhibetur homo dæmonium habens, qui fecerat eum cæcum & mutum. Marci 9. Diabolus quendam ab infantia obsederat, ita ut crebrò eũ in aquam & ignem projiceret. Lucæ 13. narratur, mulierem alligatam fuisse octodecim annos à Satana, ut suis membris rectè incedendo, sicut cæteri, uti non potuerit. Matt. 15. Cananæa dicit, filiam suam à dæmonio miserè uexari. Lucæ 22. Intrauit Satanas in Iudam Iscarioten. Iohannis 13.

Aufert uerbũ Dei ex cordibus, & instillat malas cogitationes. Matt. 13. Mar. 4. Lucæ 8. Qui secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbũ de corde eorum, ne credentes salui fiant. Iohan. 13. Diabolus miserat in cor Iudæ, ut eum traderet. Eôdem spectat & hæc sententia Lucæ 22. Ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticũ. Nitebatur igitur discipulis Christi fidem in uniuersum excutere & eripere. Et quod subinde fidem atq; confessionem piorum euertere tentet, in Christo totius Ecclesiæ capite abundè probauit. Matth. 4.

Serit hæreses ac falsa dogmata, Matth. 13. Inimicus, qui seminat zizania, est diabolus. Pulchrè autem in ea parabola depingitur, ubi & quando suum lolium spargat. Dormientibus, inquit Christus, hominibus, uenit inimicus eorum, & superseminat zizania in medio tritici, & abit: hoc est, quando ijs qui ueram doctrinã audierunt, fastidiũ atque securitas obrepit, Diabolus per sua membra erroneas sententias astutè interspergit, insigni aliquo prætextu, priusquam aliquis sentiat doctrinam adulteratam esse.

Idolatriam sancit, propositis præmijs amplissimis: nempe regnis & gloria huius mundi. Et pulchrè hac ipse re definit idololatriã, quòd ea nihil aliud sit q̃ adoratio humilis ipsius Diaboli. Matt. 4. Si procidẽs adoraueris me, dabo tibi regna mũdi, & gloriam eius. Incitat Doctores, ut noua dogmata, fiducia suorum ingeniorum, quasi hallucinari & aberrare nequeant, inueniãt, & spargant, sibiq; autoritatem & laudem eruditionis & acuminis quærant. Id significatum est in eo, quòd Christo autor est, ut de pinna templi se deijciat. & utitur sacra Scriptura ad eam rem, quasi nõ esset illicitũ, non pugnaret cum Dei uoluntate.

Mendacia tetra, uerùm interdum fuco quodam paliata, in Ecclesias & politias diffundit, ac mirus eorum architectus & promotor est. Iohan. 8. Mendax est, & pater eius: hoc est, primus autor mendaciorum, ijsq; miseros homines fascinans ac dementans.

Est calumniator ueræ doctrinæ, & rectè factorum, Iohan. 8. Ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri facitis. Truncatim recitat uerbum Dei, Matth. 4. Callidè omittit: Vt custodiant te in omnibus uijs tuis. ex Psal. 91. Propter calũnias ac deprauationes ueritatis rectè etiam diabolus uocatur.

Est homicida: Iohãnis 8. Ille homicidà fuit ab initio. Non sat habet, quòd in peccatum abnegationis & proditionis miserum Iudam proiecerit: sed tandem etiam eò perpellit eum, ut sibi ipsi uiolentas manus inferat.

Incitat homines ad omnis generis impietates & flagitia, ideoq; immundus spiritus uocatur Matth. 12. Sic Petro instillauit, ut Christo passionem dissuaderet. quam de causa seueriter eum taxans Christus: Vade, inquit, post me satana, scandalum es mihi. Matth. 16. Iudam instigat, ut Christum tradat: Iohan. 13.

Animalibus etiam nocet. Matt. 8. porcos ingressus, omnes in mare præcipitatos suffocat.

Hæc omnia summatim complectitur Christus, quòd mendacem eum & homicidam ait esse, Iohan. 8.

Est potens spiritus. id quod uel inde colligi potest, quòd occupato homine, mira potentia eum ad atrocia peccata et facinora impellit: sensusq; ligat, ne sint ad usus necessarios idonei. Vel abutitur ijs pro sua libidine. rapit uerbum ex cordibus, ut dictum est. Vocatur princeps huius mundi, Iohan. 12. id quod non modò de regnis seu diuitijs accipiendum, quòd nimirum ijs horren-

dum

dum in modũ abutatur: sed etiam de hominibus, in quos ob peccatum plurimum dominij habet. Lucæ 11. Fortis armatus appellatur.

Impudentißimus est tum in tentando, Matth. 4. tũ in redeundo. Non enim dubitat reuerti, & in occasiones est intentißimus. Hac de re horrendam concionem Christi adscribendam ducimus, Matth. 12. Cum immũdus, inquit, spiritus exierit ab hominibus, ambulat per arida loca, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Et ueniens, inuenit eam uacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus, nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus.

Consolationes autem dulcißimas contra machinationes Diaboli, nobis proponit Christus. Iohan. 16. inquit: Princeps huius mundi iudicatus est. Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et quod uicerit serpentem, eiq; caput contriuerit, resurrectio & gloriosa ascensio luculenter probant. Verbo etiam eiicit dæmonia, Matth. 8. & aliàs. Dedit apostolis potestatem contra spiritus immundos, Matth. 10. Etsi autem miraculosa electio cessarit, tamen doctrina Christi, absolutio seu remißio peccatorum perspicua, baptismi & cœnæ Dominicæ uis atque efficacia, præsentißimi antidoti loco sunt aduersus diabolum. Denique regulas quasdam nobis præscripsit Christus, quæ non inutiliter seruantur. Matt. 17. Hoc genus dæmonij non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium. Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Iußit nos expreßè orare, Et ne nos inducas in tentationem. Promisit etiam præsentem defensionem, Ioh. 10. Non rapiet eas (oues) quisquam de manu mea. Matth. 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

Nondum esse diabolos penitus in damnationem proiectos, sed in nouißimo iudicio proijciẽdos esse in æternum, ex Christi concione constat Matth. 25. ubi inquit, se laturum contra impios sententiam hoc pacto: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

In fine & appellationes malorum spirituum subijciemus, quarum in historia Euangelica mentio fit. sunt enim uariæ, ac diaboli naturam & actiones depingunt. Vocantur igitur Spiritus, Matth. 8. Eijciebat spiritus uerbo. sic autẽ, propter spiritualem substantiam uocatur Marci 9. Spiritus conturbauit eum. Lucæ decimo: Spiritus uobis subijciuntur.

Spiritus immundus, Matth. 10. 12. Mar. 3. 9. Lucæ 6. 9. 11. quia & substantiam habet immundam, utpote peccatis sordidatam: & immundas gignit actiones, quas tũ per se, tum per alios efficit. Opponitur autem Spiritui sancto.

Dæmonium, Matth. 4. 7. 8. 9. 12. 15. 17. Marci 16. & multis alijs in locis. Habet autem hoc nomen à sapiẽtia sua. Fuit enim bonus angelus initio à Deo creatus: uidit Deum, eiq; ministrauit, priusquam lapsus esset.

Tentator, Matth. 4. 13. 25. Lucæ 4. 8. Iohan. 6. 8. 13. hoc est, calumniator, deprauator, delator. Res enim Ecclesiasticas & politicas calumniatur: hoc est, hæreses, mendacia & fraudes excitat ac serit.

Satanas, Matth. 4. 12. 16. Mar. 1. 3. 4. 8. Lucæ 10, 11. 13. 22. Iohan. 13. Hebraica uox est, ac significat aduersarium, inimicum. semper enim in hoc intentus est, quo modo Deo & omnibus pijs aduersetur, cum quibus gerit bellum aspondon.

Beelzebub, princeps dæmoniorum, Matthæi 10. 12. Marci 3. Luc. 11. Significat autem uocabulum Dominũ, magistrum, regem seu principem muscarum. Fuit eius nominis idolũ, Accaron, urbis Philistinorum. 2. Reg. 1.

Malus, πονηρὸς pro Diabolo ponitur, Matt. 13. Venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius. Marcus cap. 4. pro hac uoce habet Satanas, Lucas cap. 8. Diabolus.

Inimicus. Matth. 13. Inimicus qui seminauit ea (zizania) est diabolus.

Fortis armatus, atrium tenẽs: Matth. 12. Marc. 3. Lucæ undecimo.

Pater incredulorum Iudæorum, & similium nõ credentium. Iohan. 8. Vos ex patre diabolo estis, eiusq; desideria facitis. Item, pater mendacij.

Princeps mundi, Iohan. 12. 14. 16. Nam propter peccata, exercet tyrannidem in miserũ genus humanum.

DE HOMINE ANTE ET POST lapsum.

DE hac parte ad modum pauca literis ab Euangelicæ historiæ scriptoribus mandata sunt: quãuis non sit dubium, Christum de eiusmodi rebus crebrò ac singulari dexteritate suos auditores erudijsse. Habebant enim hoc propositi Euangelistæ, ut historiam redemptionis humanæ potißimum memoriæ mandarẽt, totiq; posteritati relinquerent: nõ igitur curiosius dogmatica omnia persecuti sunt. Idcirco ex scriptis Propheticis & Apostolicis copiosior explicatio de hoc præsenti articulo, sicut & de cæteris, petenda est.

Non casu extitisse homines, sed à Deo conditos esse, Christus commonefacit Matth. 19. Deus fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos.

Bonos uerò, hoc est absque peccato & morte, homines à Deo primùm creatos esse, ex hisce dictis elucet. Matth. 19. Solus Deus est bonus, hoc est fons & origo boni. unde consequitur, & homines bonos, hoc est uoluntati Dei congruentes, & ad bonum atque utilem finem ab ipso conditos esse. Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Sunt igitur homines à Deo: & quia Deus non est autor peccati & mortis, necesse est bonos ac sine labe peccati fuisse homines initiò factos. Certum autem est, quòd peccatum Deus seriò abominetur. Missus est enim Christus, ut peccata generis humani, tristi & acerba passione expiaret. Baptista ait, eum esse agnum, tollentem (non inquit, creantem, aut approbantem) peccata mundi. Perspicuè etiam docet Christus, se peccatores non agentes pœnitentiam damnaturum. Impossibile igitur est, labẽ peccati, quæ hæret in homine, à Deo originem habere. Peccatores Deus non exaudit: ergo nec fecit, nec condidit homines peccatores. Ioan. 8. autorem peccati facit Diabolum, & impios ex diabolo esse dicit: ergo non ex Deo, sed ex diabolo est peccatum, quod hæret in homine. Integros igitur & mundos homines à Deo factos esse necesse est.

Planum dehinc & hoc fit, homines iam non retinere primam illam integritatem, in qua conditi sunt: sed tristem

tristẽ in ijs esse destructionẽ, nempe peccatum & mortem. Regnãt in homine tristes caligines de Deo & eius uoluntate. Matth. 16. Caro & sanguis tibi non reuelauit. Iohan. 3. Quod natum est ex carne, caro est: id est, res damnata. Iohan. 6. Caro non prodest quicquã: hoc est, omnes uires in homine non renato, sunt ita debilitatæ, ut nõ possint eam obedientiam, quam Deus flagitat, præstare. Imò Matt. 15. dicit Christus, Ex corde exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Non possunt igitur homines, ob eam causam, legi diuinæ satisfacere. Sicut parabola de misero homine, decem millia talentorum debente, apertè explicat, Matth. 18. Et alioqui Christus asserit, se ob peccatores uenisse, Matth. 9. 11. Et Iohannes disertè inquit, Christum uenisse ut tolleret peccata mundi: hoc est, omnium hominum, qui pariter mole peccatorũ oppressi erant. Miserabilem hãc cladem hominum, etiam hac sententia exprimit Christus Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Ergo omnes homines, nisi accedat aliud beneficium à Deo, nempe regeneratio, æternæ morti & damnationi sunt adiudicati. Item Iohannis sexto: Nemo uenit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Ideo Deum agnoscere, conuerti, amplecti remissionem per Christum, non sunt naturales uires, sed dona Dei.

Postremò una imagine lamentabilẽ conditionẽ omniũ hominũ ob oculos ponit Christus, in uiatore, qui initiò sanus & incolumis, pulchréque uestitus & ornatus Hierosolyma egreditur. At prope Hiericho à latronib. immanissimis adortus, & uestib. exuitur, & lætalia uulnera accipit, iamq; paulatim animũ efflat. Sed relictum à sacerdotibus, hoc est lege: Samaritanus, hoc est ipse Christus, ex faucibus mortis eripit, ac uitæ restituit: Luc. 10. Sic homines sani & integri, præstantissimis donis à Deo ornati, in mundum, ipsamq; adeò paradisum collocati sunt: sed mox diabolus eos inuasit, abripiẽspulcherrima dona, iusticiã & integritatẽ, simulq; infligẽs mortalia uulnera: quæ nisi Samaritanus ille IESVS Christus curasset, proprio perfuso & infuso cruore, actiũ de nobis omnib. inæternũ fuisset. Idẽ Acolasti typus representat, qui primò bonus est, postea degenerat sua pte culpa. Recipitur tandẽ rursus, ex misericordia. Huc etiam parabola de oue perdita, & grosso amisso pertinet, quæ non sua uoluntate & uiribus, sed aliena opera recuperantur.

DE PECCATO IN genere.

PEccata nõ esse à Deo, sed à diabolo & hominib. Ioh. 8. docet Christus: Ille (diabolus) homicida fuit ab initio, & in ueritate nõ stetit. Itẽ: Cum loquitur mendaciũ, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. Diabolus igitur ipsemet lapsus est, sine uolũtate aut impulsione Dei, auertẽs se à suo cõditore. Deinde simul ex hominib. peccatũ prouenire, nec esse rẽ cõditã in homine ab ipso Deo, sed sponte eũ cõtra præcepta Dei egisse, & diabolo paruisse, idq; adhuc facere, hæc uerba docẽt: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri facitis. Explicãtur ista clarius Genesis tertio, ubi exponitur luctuosissima historia, quomodo primi homines astu circũuenti, desideria diaboli cõtra Deum, eiusq; interdictum fecerint, & ita filij eius mali gni spiritus sint effecti. Sed hæc alibi extant. Idem in oue aberrante sua sponte, nõ pastoris uoluntate aut approbatione, est adumbratũ. Io. 11. inquit Christus: Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub pennas, sed noluistis? Ideo peccata ex hominibus sunt.

Effectus ac pœnæ peccatorum sunt, iustissima & atrocissima ira Dei. Ioh. 3. Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Si per fidem in Christum tollitur ira: ergo si absq; Christo sumus, iræ Dei subiacemus. Ioh. 9. Peccatores Deus non exaudit. Ira igitur Dei atque auersatio hominis, ex peccatis hominum oriuntur.

Ipsa hominis deprauatio, seu uirium destructio, seu malicia. Matth. 12. Quomodo potestis bona loqui, cum situs mali? Cũ non renatis agit: ideo eos esse malos inquit, non tantum ob facta, sed ob totam ipsorum naturam, à qua nihil boni possit proficisci, nisi immutẽtur. Et homo spoliatus ac uulneratus, ab Hierosolymis ad Hiericho iter faciens, idem declarat: Lucæ 10.

Priuatio sanctitatis. Nam ideo Christus petit, Sanctifica eos in ueritate: Ioh. 17.

Tyrannis diaboli. Matth. 12 Christus docet, quòd in hominibus non renatis, aut peccatis indulgentibus, habitet diabolus: ac semel exturbatus, non uereatur reuerti. Lucæ 22. inquit: Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Item, beneficio Christi, filij Dei efficimur, Ioh. 1. Ergo natura sumus filij diaboli. Christus est Saluator: ergo mancipati sumus ob peccatum diabolo, morti, inferno. Recitantur in historia Euãgelica plurima exempla, quomodo diabolus hominũ corpora occuparit. Alios uerò subtiliori quadam ratione tenet cõstrictos, ut Ioh. 8. de pharisæis asseuerat Christus: Vos ex patre diabolo estis. Estq; sanè horrenda uox, esse sobolem, uas & organon Diaboli.

Pulsio ex paradiso, in exilium calamitosissimũ. Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiso. Ergo Christus latroni, totiq; humano generi paradisi portam rursus aperit: non quidem iam amplius illius terrestris paradisi, sed cœlestis & æterni.

Omnis generis calamitates, ut sunt morborum uaria genera, bella & uastationes, & similia. Iohan. 5. Christus dixit Paralytico: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Lucæ 19. Veniẽt dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & cingent te, & coangustabunt te undiq;, & solo æquabunt te & filios tuos qui in te sunt, eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ, &c.

Mors. Ioh. 8. In peccato uestro moriemini. Item: Si non crediderit is quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris. Ergo quod ad nos attinet, in peccatis ac morte iacemus. Liberator uerò unicus ac saluator est, Christus IESVS. Ioh. 8. 11.

Condemnatio, ignis æternus. Marci 16. Qui nõ crediderit, condemnabitur. Ergo condemnationi omnes sunt obnoxij. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternũ.

De peccato Originali.

Etsi his uocabulis non sint usi Euangelistæ, tamẽ res ipsas proposuerunt: nempe non tantum dicta aut facta adultorum esse peccata, sed ipsam etiam hominis naturam esse deprauatam: & hac quoq; ratione peccatores

reosq; æternæ iræ esse homines, nisi per saluatorẽ fiat remissio. Iohannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Quod natum est de carne, caro est. Itaque natiuitas nostra ex parentibus, hoc est ipsa natura nostra, quam ex materna aluo in hunc mundum ferimus, est corrupta peccatis, ut per se non sit capax uitæ æternæ: & indigeat forti atque efficaci remedio, nempe lauacro regenerationis. Matth.12. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Testatur Christus, intellectum & uires interiores hominis esse uitiatas, ut tãtum mala inde scaturiant. hoc est, falsa dogmata, calumniæ, conuicia erga Christum, & similia. Matth.15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c. Ideo ipsum cor est depraua tum & malum, unde tam mali fructus emanant tanquam ex fonte uenenato. Iohan.6. Caro nõ prodest quicquam. Estq; phrasis scripturæ, quæ carnem spiritui opponit, ac uocabulo carnis comprehendit totam hominis massam, non renati: hoc est, omnes interiores uires, intellectum, uoluntatẽ, cor. Hæc omnia dicit Christus non prodesse quicquam: hoc est, ita uitiata esse, ut non pertineant ad uitam æternam, nisi de spiritu denuò nascantur. Ex his igitur testimonijs perspicuum est, peccata non tantum esse actualia, ut uocantur: itẽ peccatum originis, ut appellatur, non tantum esse imputationem alienæ præuaricationis, sed esse uitium seu depraua tionem, seu malum in ipsa natura seu substantia hominum, qui naturali modo nascuntur: ex quo malo fonte postea profluunt & exundant alia peccata, sicut Matth.15. scriptum est, Ex corde prodeunt cogitationes malæ. Nõ possent autẽ inde prouenire, nisi ipsi cordi talis malicia & fœcunditas quasi peccatorũ inesset.

Innasci uerò hominibus hoc peccatum, seu propagari naturali natiuitate iam post lapsum in paradiso factum, in omnes homines, Ioh.3. Christus docet: Quod natũ est, inquit, de carne, caro est: & quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Ideoq; infert, omnino regenerationẽ per spiritũ & aquã esse necessariã: aliàs hanc carnẽ non posse regno Dei potiri. Manifestũ est igitur, de carne carnem nasci: hoc est, corruptionem humanæ naturæ è parentibus propagari: & quidem ipsam massam, ex qua fit homo, eo ueneno tinctam atq; infectam esse.

Omnes autem eadem lege nasci, ac pariter peccatores esse, etiam hæc sententia commonefacit: Hic est agnus, qui tollit peccata mundi. Si enim mũdi totius peccata in se recipit hæc uictima, ideo omnes in eodem luto hæsitare necesse est. Iohãnis 8. Qui uestrũm sine peccato est, mittat primùm in eam lapidem. Solus autẽ homo IESVS Christus iurè excipitur, qui de spiritu sancto in utero uirginis purissimæ, contra communem nascendi legem natus est: Angelus dicit: Quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei: Lucæ.1.

Porrò hanc labem originalem esse rem ira Dei & æterna damnatione dignam, nisi fiat remissio, illa ipsa testimonia declarãt, quæ modò enumerata sunt: ut Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum Dei. Matth.15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, ea coinquinant hominem. Ioh. 8. Si non crediderit is, manebitis in peccatis uestris, Iohannis 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.

De actualibus peccatis.

Ignorant & hanc appellationem Euangelistæ: sed discernunt tamen res ipsas, hoc est, naturam depraua tam, & fructus inde prouenientes: Matth.15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiæ. hæc sunt quæ coinquinant hominem: hoc est, faciunt eum reum æternæ iræ & damnationis. Malitia autem cordis, malum originis est: cogitationes malæ, & alia facta pugnantia cũ Decalogo, sunt malæ arboris mali fructus.

Sunt autem actualia, non tantum externa peccata, sed etiam interna: sicut Decalogi præcepta Matth.5. exponuntur. Ioh.16. dicit Christus: Spiritum sanctum reprehensurum esse mundum de peccato, iustitia & iudicio.

Postremò odisse Deum peccata, & puniturum esse, sæpe docet Christus. Matt.7. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Item: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matt. 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Peccatis excuti gratiam, & spiritum sanctum, hæc docent: Iohan.8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Luc.11. Qui non mecum est, contra me est. Qui non colligit mecum, dispergit. Matth.16. Abi post me Satana. cum quidem paulo antè testatus fuisset Christus, Petrum ex singulari inspiratione patris cœlestis, Christũ pronunciasse filium Dei. Ille insignis debitor, inclemẽtia & tyrannide erga suum conseruum effundit gratiã & beneficentiam, quam à Domino suo ceperat: Matth. 18. Iudas ruens in peccata, fit hospitium ac mancipiũ Satanæ, profligato Spiritu sancto, & excussis præstantissimis donis, quæ à Christo acceperat. Nouem lepro si à sacerdotibus seducti, & non reuertentes ad Christum, amittunt eius gratiam. Lucæ 17. Idem ex typo de fatuis uirginibus apparet, quæ indulgentes somno, & oleo destitutæ, iustoq; tempore non comparentes, à sponso excluduntur: Matth.25.

Manere peccata in sanctis, sed de quibus quotidie petant remissionem peccatorũ, in orationis forma Dominus admonet, cũ iubet precari omnes sanctos: Dimitte nobis debita nostra. Matth.11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Hoc iucundissimum dictum nõ tantum de prima acceptione intelligendum est, sed quòd sancti per totam uitam, molem peccatorum sentientes, ad Christum confugere, & hac consolatione se sustentare debeant. Idem exempla Apostolorum probant, in quibus maximæ imbecillitates cernuntur.

Aliter manet peccatum in obstinatis & impœnitentibus. Iohan.9. Quia dicitis, Videmus, peccatum uestrũ manet: hoc est, Deus uobis imputat, ac damnabit uos in æternum, nisi egeritis pœnitentiam.

Peccatorum esse quosdam gradus, nec omnia paria esse, hac sententia Christus indicat, Iohan.19. Qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. & Matt.5. ubi gradus pœnarum etiam constituit.

Facit & gradus quosdam seu species peccatorũ Christus Matthæi duodecimo, Lucæ duodecimo: nempe peccatum, blasphemiam, blasphemiam spiritus. Sic enim inquit: Dico uobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: blasphemia autem Spiritus, non remittetur.

tetur. Et quicunq; dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit uerbum, uel (ut habet Lucas) blasphemauerit contrà spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Habet autem iste locus omnino aliquid obscuritatis. Significat blasphemia in spiritum sanctum, proculdubio tale peccatum, quod ministerium Spiritus sancti, ad remissionem peccatorum consequendam à Deo ordinatum, nempe concionem, & actionem pœnitentiæ, cõsultò & deliberatò contra conscientiam reijcit, & cum fastu ac malitia repudiat. Aliàs enim ad omnes pertinet, citra personarum aut peccatorũ respectum, hæc dulcis Euãgelij uox: Venite ad me omnes qui laboratis, & oneratis estis, ego reficiam uos. Matth. 11. Nam Christus est uictima, tollens peccata mundi. Ergo nullum est peccatum, pro quo ipse non satisfecerit: modò ad Christũ ueniat, eumq; fide amplectatur peccator. Est igitur blasphemia nihil aliud, quàm ueritatis patefactæ cõtra cõscientiam irrisio, conculcatio, persecutio, aut desperatio citra conuersionem. Sed de hac re, in sequenti libro plura dicentur.

DE LEGIBVS DIVINIS in genere.

VOcabulum legis interdũ pro tota doctrina, per Moisen tradita, ac literis comprehensa, accipitur. ut Lucæ 10. In lege quid scriptum est? quomodo legis? hoc est, quid tradit liber legis ea de re? Lucæ 24. Quæ scripta sunt in lege Moisi, Prophetis & Psalmis. Maximè tamen spectat uox legis ad eam politiam & constitutionẽ Ecclesiæ, quam per Moisen instituit Deus. & hac ratione legis uocabulum omnia decreta complectitur, quæ diuinitus proposita sunt, de uenturum Messiam cum suo regno adumbrabant: ut Iohan. 1. Lex per Moisen data est. Matt. 11. Luc. 16. Lex & prophetæ usq; ad Iohannẽ. Matt. 5. Nõ ueni soluere legẽ, sed adimplere. Omnes autem leges implet Christus: maximè tamen Moralẽ, ut uocant, quæ etiã est omniũ grauissima.

Interdum uerò speciem, hoc est sententiam aut decretum peculiare significat: ut Iohan. 19. Habemus legẽ, secundum quam eum oportet mori. Legem, inquiũt: hoc est, forensem sententiam, à Deo præscriptam. Sic Lucæ 2. Secundum legem Moisi portauerunt eum Ierusalem: hoc est, iuxta decretum illud seu præceptum peculiare Dei, de primogenitis sistendis Domino. Largissimo modo pro toto ueteri Testamento seu Scriptura sumitur: ut Iohan. 10. Nonne scriptum est in lege uestra: Ego dixi, dij estis? id quod ex Psalm. 81. sumptum est. Iohan. 15. Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia oderunt me gratis. Extat autem ea sententia Psalmo 35.

Porrò etsi Euangelica historia non habeat ista uocabula, Lex forensis, Ceremonialis & Moralis (nam in hasce species lex Mosaica aut diuina distinguitur) tamen res ipsas continet, & eo modo de ijs loquitur, ut rebus ipsis discernat. Itaq; hoc loco usitata & recepta uocabula adhibere, non erit importunum.

Forenses leges sunt sententiæ, à Deo per Moisen traditæ, de uita politica, & iudicijs atq; executione pœnarũ contra externè & enormiter delinquẽtes. Talẽ recitat Christus Matt. 5. Audistis quòd dictũ sit, oculũ pro oculo, dentẽ pro dente. Exodi 21. Leuit. 24. Iudæi allegant hanc Iohan. 8. In lege, inquiunt, Moses mandauit nobis, huiusmodi (adulteram nempe) lapidare: Leuit. 20. item Iohan. 19. Nos legem habemus, & secundum eam debet mori, quòd filium Dei se fecit. Alludunt autẽ ad legem de blasphemis, Leuit. 24. Talis etiam est lex de diuortio Matth. 19. Deut. 24. quam Christus ait ob duriciam cordis Iudæorum esse permissam. Matth. 15. Deus dixit: Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Exod. 21. Lucæ 20. Moses scripsit uobis, si frater alicuius mortuus fuerit, habens uxorem, & is sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater eius in uxorem, & resuscitet semen fratri suo. Iohã. 7. Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognorit quid faciat? Ioh. 8. In lege uestra scriptum est, quòd duorum hominum testimonium sit uerum.

Cæremoniales leges sunt statuta quædam, à Deo per Mosen sancita, de cæremonijs in Ecclesia seruandis. Recitantur & ex ijs quædam in historia Euangelica. Stante in talibus rebus adhuc Iudaismo, Christus est exhibitus. Luc. 1. dicitur, Zachariam incensum posuisse, iuxta consuetudinem sacerdotij. Die octauo Iohannes, ita & Christus, circumcidebatur, iuxta institutionem Genes. 17. Luc. 1. 2. Item, de lege purgationis & oblationis primogenitorum, Lucæ 2. narratio extat: Postquam impleti sunt dies purgationis eorum, secundum legem Mosi, tulerunt illum Hierosolymam, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Omne masculum adaperiẽs uuluam, sanctum Domino uocabitur. Et ut darent hostiam, sicut dictum est in lege Domini: Par turturũ, aut duos pullos columbarũ. Leuit. 12. Exodi 43. Oblationis munerũ ad altare mẽtio fit Matt. 5.

Cæremoniæ de Sabbato sæpe mentio incidit. Matthæi 12. Marci 2. Lucæ 6. 14. Eódem pertinent loci de Paschate, mactatione agni, & alijs festis: quorum obseruatio à Mose præcepta erat, & suo loco enumerantur.

Lex moralis est doctrina à Deo tradita, cuius summa in Decalogo est comprehensa. Hæc præcepta etiã à Christo & recitantur, & explicantur eo modo, ut satis appareat, ea à superioribus legibus discerni. Matthæi 19. quendam persuasione propriæ iusticiæ tumentem, deducit ad mandata, & eorum quædam recenset: ut, Non facies homicidium, Non adulterabis, Non furtum facies, Nõ falsum testimonium dices, Honora patrem & matrem tuam, Et diliges proximum tuum sicut teipsum. Tantum enim opera secundæ tabulæ homini proponit, unde coniectet, si ea non præstitit, quomodo primæ tabulæ opera, quæ lõgè sublimiora sunt, præstare potuerit. Matth. 5. exponit Christus aliquot præcepta, ut, Non occides, Non mœchaberis, Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. De primo præcepto, ait Christus Matthæi 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quomodo Sabbati dies sit sanctificandus, Matth. 12. docet. Totam legem Moralẽ hac sententia complectitur Matth. 22. Diliges Dominũ Deum tuũ toto corde tuo, & tota anima tua: hoc est maximum & primum mãdatum. Secũdum autẽ simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

DE ABROGATIONE LEgis Mosaicæ.

LEges Mosaicas omnes esse impletas, finemq; suũ consecutas operibus Messiæ, Christus ipse docet

Matth. 11. Omnes prophetæ & lex usq; ad Iohannem prophetarunt. Iohannes enim præsentem Christum digito monstrabat dicens: Ecce hic est agnus Dei, tollens peccata mundi. quasi diceret, Hæc unica uictima alijs omnibus est præfigurata. Matth. 5. ait: Nolite putare quòd uenerim soluere legem, aut Prophetas. Non ueni soluere, sed adimplere. Docet, peculiare suum officium hoc esse, ut quod significabant ac requirebant leges omnes, ipse unus præstaret atq; exolueret. Matth. 24. prædicit Christus excidium ac uastationem templi, atq; æternam cladem ad internecionem populi Iudaici. addita etiam hac inter alias causas, quòd nisi dies abbreuiarentur, non fieret salua omnis caro: hoc est, etiam eam ob causam eum locum diuinitùs deletum iri, ut cunctis mortalibus innotesceat, leges Mosaicas abrogatas esse, ac Meßiam esse exhibitum iuxta prophetas. Quid? quòd etiam Baptista ideo mandato diuino discesserit à templo Hierosolymitano, eiusq; ritibus, ac nouum ministerium ad ipsum Iordanem sit exorsus: ut ipso facto testatum faceret, leges Mosaicas iam finiri & aboleri.

Est autem hæc doctrina dextrè, non calumnioſe intelligenda. Leges forenses ac cæremoniales prorsus sunt abrogatæ. nam usq; ad Christum durare debebãt. Ideo Matth. 11. dicitur, Lex usque ad Iohannem: nisi tamen quædam cum naturali iure conueniant, quæ sunt sua natura immutabilia. Itẽ, Leges Mosaicæ omnes non possunt nos coram Deo iustificare: Christus autem de se pronunciat, quòd legem impleat, Matt. 5. Moralis etiam lex sic est abrogata, ut damnare & accusare nos propter impletionem Christi, ut iam dictũ est, nequeat. Sed nihilominus manet lex Moralis, utpote æterna Dei sententia, quæ perpetuò in Ecclesia Dei sonare debet, propter necessarios usus: ut & de peccatorum mole, & de operibus quæ renati debent præstare, nos commone faciat: idq; testatur ordinatio ministerij, Lucæ 24. Prædicate pœnitentiã. Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Matth. 7. Arbor bona facit bonos fructus. Matt. 18. dilectionem erga proximũ & beneficentiã requirit. Matt. 5. Donec trãseat cœlũ & terra, iota unũ aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiãt. De hac igitur lege plura nobis colligẽda sunt.

DE LEGE MORALI, SEV de Decalogo.

EX partibus huius doctrinæ, quæ mox sequentur, componi potest hæc definitio. Lex Moralis est, doctrina à Deo tradita, præcipiens nobis hominibus quæ facere, quæ omittere oporteat: & requirens integram atque absolutam obedientiam ab omnibus, propositis promißionibus ac præmijs, perfectè implentibus hæc præcepta: minis uerò ac pœnis, non præstantibus perfectè eam integram obedientiam.

A Deo esse præcepta Decalogi tradita, docet Christus Matth. 15. Cur uos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram? Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem. Iohan. 7. ait: Moses uobis dedit legem. Iudaico more hic loquitur. nam Moises nomen erat uulgatißimum: & is legem ab ipso Deo in monte Sinai accepit, populóque Israelitico, qui maiestate ac præsentia Dei territus, Deum audire non poterat, attulit. Sic & Iohan. 1. Lex per Moysen data est: scilicet, tanquam ministrum.

Operæprecium nunc est, genuinam Legis sententiã percipere, quam fideliter explicat Christus Matth. 22. Pharisæo sciscitanti, quod esset mandatum magnum in lege, expeditè respondet: Diliges Dominum Deum tuũ toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua. hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hanc legis declarationem, sumit ex ipso Mose, Deut. 6. Leuit. 19. Recitat eandem summam legisperitus quispiam, quæ statim à Christo approbatur. Perspicuũ igitur est ex hac illustri sententia, Decalogũ seu legem non tantũ disciplinã seu externa opera flagitare, sed etiam interiorem obedientiã, quæ ex corde, anima, mente emanat: & quidem integrã omniq; labe carentem requiri, sicut uerba sonant, Ex toto corde, tota anima, tota mente, & (ut dicit legisperitus) totis uiribus. Dilectionis insuper uocabulum, interiores motus, eosq; omnium ardentißimos postulat, remotis atque posthabitis omnibus quæ ei dilectioni quoquo modo contraria sunt. Summa, lex naturam hominis mundißimam, & expertem omnium peccatorum exigit. Præterea obseruanda etiam partitio est, quam Christus in hac summa constituit. Dilectionem erga Deũ facit primum mandatum: dilectionem erga proximum, alterũ. Diuidit ergo Decalogum in duas partes seu tabulas, ac summam cuiuslibet ponit. Matth. 5. hoc modo aliquot Decalogi præcepta explicat, idq; contra Pharisæorũ doctrinam & opinionem: Audistis, inquit, quod dictũ sit antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quòd omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. De sexto præcepto inquit: Audistis quòd dictum sit antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico uobis, quòd omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eã in corde suo. De octauo inquit: Audistis quòd dictum sit antiquis, Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem uobis dico, non iurare omnino, &c. Sit autem sermo uester Est, est, Non, non. Quod enim his abundantius est, à malo est. Sparsim igitur, prout sese occasio offert, legẽ docet, exponit & inculcat Christus, non simul ordine Decalogum recensens. Ad legis sententiam etiam hoc pertinet, quod de pœnis malorum operum refert Christus, Matth. 12. Dico uobis, quòd de omni uerbo ocioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Item Matth. 15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia & blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinãt hominem. Interior igitur immundicia, fons & radix omnium peccatorum, simul lege accusatur & damnatur. Matth. 23. Munda prius quod intra poculum & patinam est, ut fiat & id quod deforis est mundum.

Opera secundæ tabulæ tam exigi, quàm primæ, atq; adeò hæc sine illis Deo non placere, perspicuè Christus indicat Matth. 5. docens, Sacrificium non placere sine dilectione aut recõciliatione proximi. Si offers inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid aduersum te, relinque ibi

munus

munus tuum ante altare,& uade prius recõciliare fratri tuo,& tunc ueniens offeras munus tuum. Matt.22. inquit,Secundum est simile huic.

Promißiones de fine atq; effectu legis sunt amplißimæ:sed habent expressam conditionem integræ impletionis,qualem Deus exigit. Matt.19. Magister bone, quid faciens uitam æternã habebo?respondet IESVS: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Proponit igitur lex tanquam brauium, omnibus perfecte eam præstantibus,uitam. Latè autem patet hoc loco uocabulũ uitæ. Complectitur enim simul laudem iusticiæ istius, quam Deus iuxta legem ab hominibus postulat:& gratiam Dei,bonáq; omnia huius & æternæ uitæ.Luc.10. Hoc fac,& uiues. Vita igitur,perfectæ obedientiæ legali clarè est promissa. Additur autem in eo loco,quòd legisperitus seipsum uoluerit iustificare: quod quid est aliud,quàm integram legis obedientiam sibi arrogare? Nam de lege tum quæstio agitabatur. Quare iusticia & uita tribuuntur consummatæ obedientiæ legis, Matthæi 12. Qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matt.5. Qui fecerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum.

Contrà comminationes graues de pœnis omniũ qui eã absolutam obedientiã, in lege requisitam, non præstant,proponuntur:id quod etiam ex antithesi promissionum colligi potest,Matt.7. Christus eam fert sententiam,Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. A Christo iudice ac rege æterno abijci, quid hoc est aliud,quàm in æternam damnationem conijci? sicut ea ipsa clarius narrantur Matth.25. Discedite maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ac enumerat quædam peccata,de omißione dilectionis erga proximum. Esuriui enim,inquit,& non dedistis mihi cibum:Sitiui,nõ dedistis mihi potum: Hospes erã, non me collegistis:Nudus eram,& non operuistis:Infirmus & in carcere,& non uisitastis me. Matth.15.Hæc coinquinant hominem:ubi catalogum aliquot peccatorum ponit. Est autem phrasis,quòd peccata hominẽ à Deo,q est sanctißimus,auellant,& reũ mortis efficiãt.

Oportere igitur legem fieri omnino,siquidem iustitia & uita hominibus rursum coram Deo paranda sit, Christus disertè monet Matth.5. Amen,inquit,dico uobis,donec transeat cœlum & terra,iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit unum de mãdatis istis minimis, & docuerit sic homines,minimus uocabitur in regno cœlorũ. Qui autem fecerit & docuerit,hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Item,Estote perfecti,sicut & pater uester cœlestis perfectus est. Matth.19. Si uis in uitam ingredi,serua mandata. Luc.10. Hoc fac,& uiues. Quapropter sine impletione legis, & hac integra iusticia, nemo hominum uitam consequetur.

Sed iam cardo in eo uertitur, an homines, quales nũc quidem sunt,legem Dei perfectißimè, sicut à Deo exigitur,præstare atq; absoluere, eáq; ratione iusticiã & uitam apud Deum sibi comparare queant. Hac autẽ in quæstione omnium grauißima, ipse Christus sese iudicem cõstituit: ac pronunciat clarè & apertè, nullum hominem in terris,post deprauationem,hoc posse consequi. Rotundè enim iudicat Christus, Iohannis quinto:Qui accusat uos, Moses est, in quo speratis. Ioh.7. Moses dedit uobis legem,& nemo ex uobis facit legem. Omnium sanctißimi homines in populo Dei proponũtur,qui in primis in legis impletione sudabant: sed non ueretur tale iudicium promulgare Christus,neminem ipsorum legem Dei facere:hoc est, integrè præstare. Matth. 5. hanc sententiam pro autoritate, qua hic doctor pollet, paulo nimirum maiori quàm prætoria,decernit: Nisi, inquit, iusticia uestra abundauerit plus quàm scribarum & Pharisæorum,non intrabitis in regnum cœlorum.Negat iusticiam Pharisæorum,quæ sanè non erat exigua,esse perfectam:negat ipsos ea iusticia regnum cœlorum consecuturos esse: uerùm excellentiore ac absolutiore iusticia adhuc opus esse. Pergit autem pharisæis eam suam sententiã persuadere: estq; eius ratio luculenta & euidens,quòd Decalogus flagitet interiorem,mundam ac perfectißimam obedientiã, nec sit contentus externis quibusdam operib. Imò ait, perfectionem requiri, qualem habeat pater cœlestis. Pharisæo sibi arroganti impletæ legis laudem, omnem gloriationem adimit, tecta quadam admonitione de auaritia:Si uis,inquit,perfectus esse, uade & uende quæ habes,& da pauperibus,& habebis thesaurum in cœlo,& ueni & sequere me. Addit autem Euãgelista, in dicãs quo nam hæc uerba Christi spectent: Cum audisset,inquit,adolescẽs uerbum,abijt tristis.erat enim habens multas possessiones.Lucæ 10.legisperitum quoq; eandem legis iusticiam sibi ingenti supercilio tribuentem,confundit,iubens eum legis summam, quam celeri lingua effatus fuerat,reipsa complere: & proposita quadam imagine de homine sauciato, ac dilectione proximi,conclusionem tandem attexit:Vade,inquit,& tu fac similiter.non obscurè ostendens,eum ab impletione legis diuinæ quàm longißimè adhuc abesse. Lucæ 18. Pharisæus damnatur, cum sua operum iusticia, quam falso sibi uendicabat. Matth.5.asseuerat Christus,se ideo uenisse,ut impleret legem. qua sententia & hoc euincit,nullum hominem in terris legi potuisse satisfacere:alioqui superuacaneum prorsus fuisset, filium Dei hominem fieri,totamq; legem nomine totius generis humani subire. Hoc grauißimum testimonium, à patre toti mundo propositum, sæpe ac sedulò considerari debet.

Huc etiam typi facere uidentur, in quibus hæc doctrina satis quidem graphicè & perspicuè depicta est. ut Lucæ decimo, totum genus humanum adumbratur in uno homine, qui Hierosolyma uersus Hiericho iter faciens,incidit in latrones:rebusq; suis omnibus exutus ac spoliatus, insuper letaliter uulneratur: ac prostratus totus,animam iam agens in uia relinquitur. Deploranda sanè & horrenda facies omnium hominum nostris oculis subijcitur. At multo crudelius nos à Diabolo,donis,quibus à Deo Adam ornatus erat,& in omnẽ posteritatem propagare debebat, sumus spoliati,& in temporalem simul & æternam mortem coniecti, unde nosmet in æternum non potuißemus exoluere & liberare. Accedit & hoc,quòd in hac pictura sacerdos & Leuita,uiso sauciato ac moribundo homine,prætereũt, nihil ei opis conferentes, nullam misericordiam exhibentes. Qua quidem in re lex Dei, cuius erant illi ministri,significata est,quæ cernit quidem hominis cladem & miseriam, nempe peccatum & mortem, imò eò

deducit homines, ut hæc sua mala agnoscant & cohorrescant. sed non iuuat, non releuat homines: hoc est, lex non iustificat homines, quales illi nunc sunt. Habet enim lex certas & fixas sententias, nempe promissiones uitæ, uerùm cum conditione impletæ legis: & cõminationes iræ Dei, mortis & æternarũ pœnarum erga omnes, sinè ulla prosopolepsia, qui non præstant consummatissimam legis obedientiam.

Alius typus Matth. 8. proponitur, ubi in medium cõstituitur seruus quidam: & quidem in conspectum domini producitur, exigentis iustam ab eo rationẽ. Inspecto igitur libro debitorio, ex tabulis manifestum fit, eum decem milia talentorum debere. Inficiari seruus hoc immensum debitum non audet, soluendo autẽ esse nequaquam potest. Quapropter iudiciũ fertur, ut æterno carcere damnetur. Eiusmodi autem summam debent omnes homines, omnia nimirũ decem præcepta in infinitum coram Deo transgressi: nec possent unquam tantum debitum Deo patri, iustum damnationis sententiã contra ipsos ferenti, persoluere.

In Acolasto etiam perditissimo, figuram nostrûm omnium, & quòd legem Dei multipliciter transgressi simus, habemus. Item in oue deperdita, & drachma amissa: nec diuersum hæc sententia docet Lucæ decimo septimo: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Negat enim Christus, legis impletionem eos sibi arrogare posse, licet opera plura quàm cæteri fecerint: Constat igitur sibi Christus, manifestè docens, homines legem implere, eáque ratione suis operibus coram Deo iusticiam & uitam consequi non posse. Hanc ipsam sententiam suo sanguine obsignat & confirmat, sicut inquit Iohannis decimosexto: Expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Et paulo pòst iustitiam definit, esse suum uadere seu transitum ad patrem: nempe per eam uiam, cui se tum præparabat, nimirum passionem ipsam. Concordat etiam Baptista, clamans, hocunico agno tolli peccata mundi. Patet igitur, nullum hominem legi Dei satisfacere posse: quandoquidem tam preciosa uictima diuinitus in illud ipsum officium, nempe implendi legem, pro mundo collocata est.

A nobismetipsis igitur, & ex lege, cum nullũ sit nobis miseris mortalibus auxiliũ, nulla liberatio, nulla salus, nulla uita relicta: unde igitur ea omnia sumemus? Respondemus: Hæc pars nunc ad Euangelium propriè pertinet, quod dulcissimum Christi beneficium exhibet & offert. Ideo Matth. 5. hanc iucundissimam uocẽ edit Christus: Ego ueni legẽ implere. Quomodo autẽ Christus implerit, nempe passione sua ac integra obedientia pro nobis præstita: & qua ratione applicetur, nempe fide in ipsum ex gratuita misericordia, suo loco dicẽdũ erit.

De legis officio atq; usu, ex concionibus Christi ueram doctrinam percipere possumus: primò, quòd lex Dei cunctos homines de norma iusticiæ cõmoneſaciat, ad quam eos condidit Deus: & ita condidit, ut præstare ualuissent, nisi fuissent lapsi: & quam adhuc seriò ab omnibus hominibus, iure suo optimo flagitat. Violatio enim, etiam in ciuilibus rebus, non tollit aut abolet legẽ. Est autem lex Diuina in primis immota, regulam obedientiæ ac iusticiæ exprimens, quam homines debent Deo tanquam suo conditori. Matth. 22. Diliges dominum Deum tuum toto corde, &c. Vult enim eam normam esse notam hominibus, & quemlibet obligationẽ suam erga eam intelligere.

Secundò, quòd lex deducat ad agnitionem infiniti debiti, hoc est uiolatorum omnium decem præceptorũ, terreat, damnet ad perpetuum carcerẽ, humiliet: Matthæi 18. integra historia narratur. Accuset, Iohannis 5. Qui uos accusat, Moises est. Sauciet, mortificet, deserat hominem, quoad consolationem & uitam restituẽdam. Lucæ decimo, in typo. Pudefaciat, & tristiciam adferat, Matthæi decimonono: Cum audisset adolescẽs uerbum, abijt tristis. Nam sine legis uera cognitione, aut Epicurismum aut Pharisaismum regnare, testantur illi ipsi loci & historiæ, de quibus modò dictum est. Lucæ uigesimosecundo: Prædicate pœnitentiam. Ergo legis officium est, contritionem urgere.

Tertiò, quòd lex renatis ac iustificatis ostendat, iuxta quam regulam obedientia sit inchoanda & exercenda. Genus est, Iohannis quinto: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Regula autem ipsa etiam huc referenda est, Diliges Dominum Deum tuum, &c. Lucæ tertio, Iohannes quærentibus quid debeant facere, respondet: ut sint benefici erga egenos, ut quisque in sua uocatione honestatem & statuta sequatur. quæ opera certè ex Decalogo eis præscribuntur, Facite fructus qui deceant pœnitentiam: Matthæi tertio. & omnia præcepta quæ de bonis operibus Christus tradit, cum lege congruunt.

Legem igitur Dei, seu Decalogum, in Ecclesia Christi semper debere sonare, Christus docet, primùm suo exemplo. Nam ipse docet & exponit legem, docet pœnitentiam, Marci primo. Idem Iohannes baptista facit, Matthæi septimo. Deinde ait, Spiritus sancti officium hoc in mundo futurum, ut arguat mundum de peccato. Tertiò sancit ministerium, Prædicate pœnitentiam in meo nomine: Lucæ uigesimoquarto. Quartò, nostra hoc necessitas requirit. Nam sine lege sumus securi, nec petimus misericordiam: sicut in seruo Matthæi decimo octauo depictum est. Matthæi decimotertio: Propterea omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est homini patrifamiliâs, qui depromit ex thesauro suo noua & uetera. Idem etiam in typis proponitur. Samaritanus enim primùm uinum infundit in uulnera uiatoris, & postea oleum: & mulier drachmam quærens, accendit candelam, & uerrit domum.

Postquam autem de lege Morali pleraq; iam dicta sunt, & ista uidentur non præter rem attexi posse: nimirum quòd Christus sententijs & factis doceat, opera moralia seu Decalogi ceremonialibus anteferenda esse. Matthæi duodecimo defendit uellicationẽ spicarum, quam fecerant discipuli in sabbatho, idque exemplo Dauidis. & Oseæ dictum allegat: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Sanat in sabbatho aridam habentem manum, Matthæi decimo quinto. Potius parentes, iuxta quartum Decalogi præceptum, honorandos esse censet, quàm oblationes in templo faciendas. Lucæ decimotertio, in sabbatho inclinatam seu contractam restituit sanitati. Lucæ decimoquarto, hydropicum curat. Quamuis Iudæi non obseruarent cæremoniam Mosaicam ut debebant, sed potius superstitionem: discernit tamen

tamen etiam aliàs inter cerimonias & legem moralem, Matt.23. Decimatis mentã, anethum, cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Eodem modo docet Christus, legis diuinæ opera traditionibus humanis uel à senioribus latis, uel longo usu stabilitis, præferenda esse. Matth.15. Quare uos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram? Item, Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem uestram. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Huic ueræ doctrinæ de lege, Pharisæi contrarias sententias tum tradebant: nempe quòd lex tantum postularet disciplinam seu externa opera. quam opinionem Christus Matth.5. & aliàs confutat. Deinde quòd impletio legis hominibus esset possibilis. Proinde sibi eam arrogabant. sicut ille Matth.18. inquit: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea. Eadem persuasione tumet alter, de quo Lucæ decimo scriptum est: Ille autem uolens iustificare seipsum, ait ad IESVM: Et quis est meus proximus? Verùm deijcit ei cristas IESVS, ut cum summo dedecore discedere cogatur. Tertiò, superstitiosas suas obseruationes ac traditiones humanas Præferebant legi Morali. Matthæi duodecimo, decimoquinto, & alibi.

DE EVANGELIO.

EVangelium, iuxta etymologiam, letum ac iucundum nuncium significat. Vsus est autem hac uoce Christus & Apostoli, ex Prophetis, Esaia & alijs, sicut Lucæ 4. his uerbis allegatur textus, iuxta uersionem Septuaginta, ex Esaiæ capite sexagesimoprimo. Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me, εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, Ad euãgelisandum pauperibus misit me, &c. In Hebræo est Basar. Deinde hoc fausto uocabulo præcipuã partem doctrinæ quam proponebat Christus, insignire, atque à lege discernere uoluit, ut ea ratione discrimen conspectius esset.

Est autem propriè ac in specie Euangelium, doctrina, nõ nota naturaliter hominibus, sed reuelata à Deo, continens iucundissimum nuncium de saluatore IESV Christo, eiusq; beneficijs: hoc est, annuncians impletionem legis, pro nobis à IESV Christo, Dei ac Mariæ filio, absolutè præstitam esse: ac remitti nobis peccatoribus, fide amplectentibus, gratis & ex misericordia propter meritum Christi, peccata, & donari uitam æternam. Hæc definitio ex illustribus dictis extruitur.

De hac speciali ac proprijssima Euangelij significatione, hæc dicta loquuntur Lucæ secundo: Euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit uniuerso populo: quia natus est uobis hodie SALVATOR CHRISTVS DOMINI, in ciuitate Dauid. Accedite, &c. Succincta hæc Euangelij definitio est, ex ore angelorũ prolata: nempe Euangelium esse suauissimam de Christo saluatore famam. seu nuncium. Matthæi undecimo, Lucæ septimo, inquit Christus, Pauperibus euangelisatur. ac Matthæi quinto, Pauperes declarat, qui spiritu tales sunt: quos aliàs peccatores expresse uocat, propter quos in hunc mundum uenerit, Matthæi nono. Item Matthæi uigesimosexto: Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecerit in memoriam eius. Hoc loco Euangelium describit, quòd sit nuncium de sua sepultura seu passione: id est merito, ac beneficijs per sanguinem partis. Marci primo: Pœnitentiam agite, & credite Euãgelio. Hic summa doctrinæ Christi recitatur, ac distinguitur Euangelium clarè ac perspicuè à pœnitentia, hoc est contritione, quæ ministerio legis docetur. Etsi enim præcipuè Christus nuncium adfert de suo beneficio, hoc est remissione peccatorum gratuita, fide cunctis peccatoribus applicanda: tamen in suo ministerio. suo loco & ordine etiam legem inculcat, per quam homo ad agnitionem peccatorum ac suæ damnationis adducatur. Confirmant eam significationem etiam summæ Euangelicæ, Matthæi undecimo. Venite ad me omnes. Iohannis tertio: Sic Deus dilexit, &c. et similes, de quibus paulo pòst.

Deinde etiam generalem significationem uidetur habere, pro toto ministerio Christi & Apostolorum. Est autem Catachresis uocabuli, seu Synecdoche. nam à præcipua parte doctrinæ Christi, tota eius doctrina, quam in concionibus proponebat, Euangelium nuncupabatur: ut Matth.4.9. Marci 1. Lucæ 4.6. Prædicans Euangelium regni. Nõ autem tantum remissionem gratuitam per suum meritum docebat: sed etiam legis ministerio peccatoribus suos morbos, ac mortem, quam erant meriti, ob oculos ponebat. Docebat item, quales fructus è iustificatis elucere deberent. Sed inter hæc tamen, concio de meritis Christi ac gratuita remissione peccatorum præcipuè eminebat. Marci 1. Euangeliũ IESV Christi, filij Dei: narrationem totam de historia Christi, hic Euangelium appellare uidetur Euangelista. Matth.18. Qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam. Lucæ 9. Egressi circumibant castella, euangelisantes. Lucæ 20. Docente illo populum in templo, & euangelisante. Si synonyma sunt docere & euangelisare, cõstat sanè, pro doctrina Christi in genere accipi. Sin ea sententia est, quòd euangelisarit, hoc est consternatis cõscientijs indicarit, se tollere sua passione peccata: specialè sanè esse significationẽ, nemo ambigit. Sic Marci ultimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit: potest in genere intelligi, pro omnibus partibus doctrinæ à Christo illustratis: quamuis magis ad specialem significationem oratio declinet. Denique liberè profitemur, collatis diligenter locis, atque consideratis sententijs, propemodum omnia quadrare ad propriam ac specialem significationem Euangelij, quam ubiq; Christus uelit extare ac lucere.

Tali catachresi seu synecdochæ potest accõmodari dictum Lucæ ultimo, Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Totum enim ministeriũ uerbi ibi ordinat Christus, quod habet duas illas illustres partes: nempe doctrinam pœnitentiæ, quæ lege fit: & remissionis peccatorum, quæ Euangelio annũciatur. Est & hoc obseruandum, quòd Iohannes in suo historico libro, uocabulo Euangelij non utatur.

Euangeliũ esse doctrinam, Christus ipse docet Ioh. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis uoluerit uolũtati eius obtemperare, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

Doctrinam Euangelij non esse hominibus naturaliter cognitam, clarè Christus Matth. 11. Lucæ 10 docet: Abscondisti hæc, inquit, à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Item, Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. id quod non solum de essentia, sed etiam de uoluntate intelligendum est, præsertim Euãgelica, ut sic dicamus: hoc est, quòd gratis propter filium Deus uelit peccata remittere. Ac loqui Christum in primis de eiusmodi patefacta uoluntate, illustre dictum, quod continuò sequitur, planum facit: Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Ac de eo qui primùm reuelauit Euangelium, Iohannis cap. 1. dicitur: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Hic enim primus est Euangelij doctor, in paradiso uocem de semine conculcaturo caput serpentis proferens, ut alibi explicatur. Is etiam, qui lætissimum illud nuncium impetrauit, peperit ac meritus est, ipse filius Dei est, factus homo. Iohan. 1. Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est.

Subiectum ac materia Euangelij est IESVS Christus, cum toto suo opere humiliationis, passionis, meriti, glorificationis. Forma eius est, illa ipsa doctrina, annuncians & explicans meritum Christi, seu gratuitam remissionem peccatorum omnibus credentibus. Summas igitur quasdam huius Euangelicæ doctrinæ egregiè Christus ipse comprehendit, Matthæi 9. Marci 2. Non ueni uocare iustos (hoc est, fascinatos persuasione propriæ iusticiæ per sua opera) sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 11. Pauperibus euangelisatur. Itẽ: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Marci decimosexto. Prædicate Euangelium omni creaturæ: Quicunque crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Lucæ 2. Angelus inquit: Vobis natus est hodie saluator Christus Domini. Iohannis primo: De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Item: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hoc compendio Baptista Euangelij summam pulcherrimè complectitur. Iohannis tertio Christus dicit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, nõ iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. Iohan. 5. Amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit, sed transijt à morte in uitam. Iohan. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidit filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti IESVM Christum. Euangelij res etiam in parabolis ac typis proponuntur. Matt. 22. hoc modo describuntur, quòd sint amplissimæ nuptiæ, quas Deus pater suo filio pararit, & ad quas inuitentur tam gentes quàm Iudæi, ut nuptialibus gaudijs perfruantur. Pingitur & in typo debitoris, qui absoluitur gratis ab omni culpa & pœna, Matthæi 18. In receptione filij perditi. Lucæ 15.

Quòd sit organon, quo nos Euãgelij concionem de beneficio Christi seu remissione peccatorũ gratuita apprehẽdamus, ex ijsdem testimonijs manifestum est. Nã Euangelium Christi meritum adnunciat, Christus autem fidem postulat: Iohan. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Ordo est, quod lex prius deducit ad pœnitentiam, postea Euangelium cõsolationem firmam ac certam perturbatis conscientijs adfert. De hoc ordine Christus ait Marci 1. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Verùm hæc in articulo iustificationis explicabuntur latius.

Quibus salutaris ac dulcissima Euãgelij uox cõueniat, & ubi maximè efficax sit, Christus Matt. 11. indicat, paucis quidem, suo more, sed ualde emphaticis uerbis: Pauperibus, inquit, euangelisatur. Pauperes uocat, suam ipsius indignitatem, imò damnationem propter atrocia & infinita peccata agnoscentes, & habentes consternatam conscientiam: Matthæi nono, Marci 2. Lucæ 5. Sani non opus habent medico, sed malè habentes. Item: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Vocari igitur testatur peccatores, agentes pœnitentiam, non contumaces. Matt. 11. Venite ad me qui laboratis, & onerati estis. Non igitur sunt Euangelij capaces, qui prorsus nulla peccata sentiunt, neq; agnoscunt, aut suis operibus confidunt se iustificari coram Deo posse. Matth. 15. Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel. Etsi autem primum ad Iudæos spectabat Christus, tamen etiam se ad oues perditas omnium gentium pertinere, illo ipso exemplo testatum faciebat. & Matthæi 18. in genere inquit: Venit filius hominis saluare quod perierat. ac proponit imaginem de oue perdita, Lucæ 15. Gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. Sic in debitore seruo, in Acolasto, in publicano, in latrone, & alijs typis ac exemplis, hæc doctrina proponitur, quòd Euãgelij consolatio locum habeat apud peccatores tantũ, qui agnoscunt peccata, expauescunt considerantes iustam erga se Dei iram & condemnationem, desiderant consolationem & auxilium. Iusticiarij uerò, ut uocantur, seu hypocritæ, dementati persuasione iusticiæ operum, Euangelij non sunt capaces, id quod Matthæi 18. in pharisæo & alijs historijs uidere est.

Ad Iudæos & gentes omnes ex æquo Euangelium pertinere, egregia dicta & exempla probant. Baptista inquit Iohan. 1. Ecce agnus Dei, tollẽs peccata mundi. Si omnium peccata tollit, cõsentaneum est & prædicationem de isto ingẽti beneficio ad omnes spectare. Matthæi 24. Prædicabitur Euangelium regni in uniuerso orbe. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Ministerium quoq; hoc pacto instituitur, ut in toto terrarum orbe sonet, ac iucundissimam concionem de beneficijs Christi adnunciet. Ipse etiam Christus iter ad gentes facit prædicans Euãgelium regni, miraculis confirmans, & gentes benignè accipiens. Matth. 8. centurionem, hominem ethnicum, ualde prædicat: Amen dico uobis, inquit, non inueni tantam fidem in Israel. Deinde & miraculo eum ornat, sanans eius puerum paralysi laborantem, efficacissimo uerbo, in absentia. Addit

dit insuper hanc prophetiam de gentium uocatione: Dico uobis, quòd multi ab Oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Speciale igitur præceptum Christi fuit tantum de tempore ante resurrectionem Christi intelligendum. Matth. 10. In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Cananææ fidem egregijs laudibus uehit, ac filiam eius à dæmonio liberat. plura in historia Euangelij narrantur. Idem in typo Matthæi uigesimo secundo ostenditur, quòd Iudæi ac gentes uocentur.

Euangelium unum esse omnibus ætatibus, quòd non recens à Christo inuentum, sed etiã patriarchis ac prophetis fuerit reuelatum ac traditum, nisi quòd exhibito Messia tanquam orto sole omnia clarius effulserint, ex certis testimonijs constat. Maria inquit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et paulo pòst: Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Congruit Zacharias dicens: Erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum eius. Lucæ 1. Baptista inquit, agnum hũc Christum significasse, qui nunc uerè omnium hominũ peccata portet. Esaiæ caput quinquagesimum tertium Matthæi octauo citatur, quod quidem nihil aliud quàm Euangelij concio de beneficijs Christi est: ac inter alias plures etiam hæc sententia uel Euangelicissima in eo capite prophetæ extat: Notitia sui, inquit, seruus meus iustus iustificabit multos. Consonat autem cum hac Christi uoce: Qui credit in me, habet uitam æternam: Iohan. 3. Eodem sensu & Mosen de se prophetasse, Christus asserit Iohan. 5. Si crederetis, inquit, Mosi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Ioh. 8. Abraham uidit diẽ meum, & gauisus est. Item: Beati oculi qui uident quod uos uidetis: quia multi reges & prophetæ desiderarũt uidere quæ uos uidetis. Idipsum quoq; in typo docet Christus, quòd uocatio ad nuptialia gaudia omnibus tẽporibus per ministros suos facta sit.

Promissiones Euangelij tria habent peculiaria: nempe quòd monstrant Christum cum suo beneficio, ipsa ni murum legis impletione: deinde, gratis remissionem peccatorum proponunt: tertiò uniuersalem, quod ad omnes gentes pertineant hæc bona, clarè exprimunt.

Legis satisfactionem atq; ipsum Christi meritũ hæc dicta prædicant, Iohannis primo: Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. item: Ecce hic est agnus Dei, tollens peccata mundi. Matth. 5. Veni legem adimplere. Iohan. 16. De iustitia, quia uado ad patrem. item: Expedit uobis, ut ego uadam.

Gratuitam remissionem peccatorum celebrant ista: Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Lucæ 19. Venit filius hominis quærere & saluare, qui perierant. Idem exempla historiæ Euangelicæ omnia, quibus remissio peccatorum contigit, luculenter declarant.

Vniuersalem plerunq; omnes Euangelicæ sententiæ includunt. Matth. 11. Venite omnes. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mũdum, &c. item, Vt omnes qui credũt in eum, non pereant, sed habeant uitam æternam. Matth. 24. Prædicabitur Euãgelium regni in uniuerso orbe, in testimonium cunctis gentibus. Marci 13. In omnes gentes oportet prædicari Euangelium. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Iohan. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium. Iohan. 17. Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut OMNES unum sint. In cœna quoque uniuersalis expressa est, Bibite ex hoc omnes.

Solent autem plerunq; hæc tria in Euangelicis sententijs coniungi. ut Lucæ 24. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Hierosolyma. Item Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Tales multæ sententiæ colligi possunt: uerùm cum sæpius recurrant, breuitati hic consulendum est.

Effectus Euangelij, in quibus eius uis, potentia ac dignitas elucet, plures Christus & Apostoli enumerant. Reuelat enim propitiam uoluntatem patris, Matth. 11. Reuelasti ea paruulis. Lucæ 1. Vt illucesceret his qui in tenebris, & umbra mortis sedent. Matth. 4. ex Esaiæ capite nono, eadem allegantur: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucẽ magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Adfert præterea ac impertit Euangelium plurima ingentia bona, quæ ordine enumerabimus.

Remissionem peccatorum: Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Lucæ 1. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum. Exponit hic simul, quid uocabulo Salutis sibi uelit.

Gratiam Dei: Iohan. 1. Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. item: Ex plenitudine eius omnes accipimus, gratiam pro gratia. Lex non affert gratiam, sed iram Dei: quia non inuenit homines sibi cõformes in omnibus, ut sæpè dicendum est.

Iusticiam in iudicio Dei consistentem: Lucæ 18. Amen dico uobis, descendit hic (publicanus, Euangelij uocem de gratuita misericordia per Messiam promissum amplectens. nam de eare eo in loco agit, ac pingit quasi exemplum iusticiæ Euangelicæ, ac damnat hypocrisin) iustificatus in domum suam præ illo.

Filiationem Dei, siue υἱοθεσίαν: Iohann. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius.

Spiritum sanctum: Iohann. 16. Expedit ut ego uadam. Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos. Fructum suæ passionis indicat. At Euangelium est concio de passione Christi, annuncians & applicans bona per sanguinem Christi parta. Lucæ 11. Dabit spiritum sanctum petentibus se. & ista uox est Euangelij: nempe, credentibus, in Christum, & eius nomine à Deo patre petentibus, donatum iri spiritum sanctum. Verba me a spiritus sunt, inquit: hoc est, per meam doctrinam datur spiritus sanctus. Item Ioh. 14. Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Gaudium solidum ac firmum pro afflictis & pertur-

turbatis conſcientijs, ſentientibus aliquo modo peccatorum molem, iram Dei, damnationem ſuam. Lucæ 2. Euangeliſo uobis gaudium magnum, quia natus eſt uobis hodie Saluator. Iohan. 16. Iterum uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis.

Conſolationem & refectionem certam, quando uermis conſcientiæ mordet & affligit. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos.

Pacem iubet Chriſtus certa ſalutationis formula miniſtros ſuos uti, nempe Pax huic domui: ut uidelicet effectus Euangelij in primis ſtatim uerbis ſignificarentur. Angeli quoq; de Euangelij fructu prophetantes dicunt, nunc in terris homines pacem habituros eſſe: Lucæ 24. Chriſtus ſe patefaciens, pacem diſcipulis precatur. Iohan. 14. inquit: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor ueſtrum, neq; formidet. Iohan. 16. Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis. Lucæ 1. Ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis.

Affert certum præſidium contra omnis generis tentationes: Matt. 7. Omnis qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, aſſimilabo eum uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſupra petram.

Fidem excitat & confirmat: Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Liberationem ex inimicis noſtris. Lucæ 1. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omniũ qui oderunt nos. Prophetat enim Zacharias, de Euangelij fructibus.

Vitam æternam. Iohannis 3. 5. Qui credit in me, habet uitam æternam. Item: Vt nõ ueniamus in iudicium. Iohan. 3. 5. Item Iohan. 11. Omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum.

Spem certam beatæ & lætæ reſurrectionis. Ioh. 6. Hæc eſt uoluntas eius qui miſit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Poſſeſſionem regni æterni. Matth. 25. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi. Huc pertinet & illud Lucæ decimo: Gaudete quòd nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. Itẽ Lucæ 22. Et ego diſpono uobis regnum, &c.

Euangeliũ etiam hunc fructum adfert, ut obedientia noua in nobis inchoari poſſit. Lucæ 1. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.

Fiduciam in inuocatione auget. Ioh. 14. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Denique angelica concio, effectus Euangelij omnes quaſi compẽdio complectitur. Gloria, inquiunt, in altiſſimis Deo, in terris pax hominibus, bona uoluntas. Tria ſumma bona celebrant angeli, quæ ex Euangelio de Chriſto emanare debeant: ut ſunt, gloria Dei, pax in cordibus hominum, bona uoluntas, ſeu regenerata & Spiritu ſancto accenſa.

Poſtremò de appellationibus huius doctrinæ quædam adijcienda uidentur. De ſimplici uoce Euãgelij ſupra dictum eſt: iam quæ uoces ei ſoleant adiũgi, & quas periphraſes recipiat, addendum eſt. Nam in ijs quoque res Euangelio comprehenſæ declarantur.

Euangelium regni uocatur, Matth. 4. 9. 24. Marci 1. Vocat enim ad ſocietatẽ regni, quod habet Chriſtus in terris: exhibet bona eius regni, nempe remiſſionẽ peccatorum. imò trãsfert nos in æternum regnum, per paſſionem Chriſti nobis paratum. Luc. 22.

Cornu ſalutis. Luc. 1. Et erexit cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui: hoc eſt, regnũ in quo uoce miniſterij, ſalus per Chriſtum parta annunciatur & applicatur.

Aqua uiua, item fons aquæ ſalientis in uitam æternã: Iohan. 4. id eſt, doctrina adferens ueram ac ſalutarem conſolationem ſitienti cordi: hoc eſt, conſternato agnitione peccatorum.

Verba gratiæ: Lucæ 4. Explicabat enim Chriſtus prophetiam Eſaiæ de Euangelio. Vocantur igitur gratiæ uerba, à forma & effectu. Nam gratuitam remiſſionem peccatorum euangeliſabat Chriſtus: ac gratiã ſeu fauorem Dei uox Euãgelij cuilibet agenti pœnitentiã, & credenti in Chriſtum, applicat.

Verba uitæ æternæ: Iohan. 6. Verba uitæ æternæ habes. Nam per Euangelij concionem uita, quam Chriſtus ſuo ſanguine meruit, donatur credentibus.

Scientia ſalutis. Lucæ 1. Eſt enim doctrina de ſalute per Chriſtum acquiſita, nobisq; eam exhibens.

Veritas: Iohan. 1. Plenum gratia & ueritate. Item: Gratia & ueritas per IESVM Chriſtum facta eſt. Ioh. 17. Vocatur autem hoc loco Euangelium ueritas, hoc eſt, uera ac certa doctrina de uoluntate Dei erga nos, oſtendens nos merito Chriſti ſaluari, & accipi in gratiam. Lux: Matt. 4. Sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.

Myſteria regni cœlorum: Matth. 13. Etſi autem in genere de omnibus myſterijs ea ſententia accipipoteſt: tamen præcipuè Euangelij doctrina ſic appellatur, eo quòd ſit doctrina rationi humanæ ſine patefactione diuina prorſus incognita.

DE DISCRIMINE LEGIS & Euangelij.

LEgis & Euangelij diſcrimen Chriſtus accuratè docuit, ueluti præmonens Eccleſiam ſuam, ne eas doctrinas temerè & imprudenter confundat. Differentias autem hujſce commemorat.

Primùm aſſeuerat, Euangelij doctrinam eſſe reuelatam diuinitus, aliàs ignotam ſapientib. & prudentibus. Matth. 11. Luc. 10. Confiteor, inquit, tibi pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et Iohannis 1. ſcriptum eſt: Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Matt. 13. Vobis datum eſt, inquit, noſſe myſteria regni cœlorum. Diſcernit igitur Euangelium à lege, quòd non ſit hominibus notum naturaliter. Lex autem aliquo modo eſt nota rationi. Etſi enim in Syria promulgata eſt ab ipſa maieſtate diuina, tamen antea quoq; cognita fuit: & quidem iuxta primam conditionem hominis, cordibus humanis inſculpta: ſicut ea antitheſis in Apoſtolorum ſcriptis clarius cernetur. Et Chriſtus communem legis normam cordibus hominum inſculptam repetit Matthæi 7. Omnia quæcunq; uolueritis ut faciãt uobis homines, ſic & uos facite illis. Hæc enim eſt lex & prophetæ.

Se-

Secundò discernitur Lex & Euangelium hac insigni sententia Ioh.1. Lex per Mosen data est, gratia autem & ueritas per IESVM Christum facta est. Emphasis obseruanda est in uerbis Dare & facere. Legē igitur dedit Moses: hoc est, Moses in lege indicat ac mōstrat hominibus ceu digito & in speculo quodam, qualem iusticiam Deus ab hominibus suo iure postulet: nēpe legis præscriptæ impletionem perfectißimā, seu obedientiam integram, & omnibus numeris absolutam. Sed non monstrat aut exhibet factorem legis: non enim inuenit talem in deprauato genere humano. At Euangelium ostendit & exhibet factorem legis: nempe Christum, qui faciendo legem, nobis omnibus gratiam apud patrem cœlestem meruit. Nam loco totius generis humani, legem præstitit perfectißimè & absolutißimè, sicut inquit Matth.5. Non ueni soluere legem, sed adimplere. Non igitur hæc è cœlo attulit, sed fecit in toto suæ humiliationis opere. Cæterùm quòd gratiā hic, nō legis impletionem ponit, effectum maluit exprimere, ex quo facile causa præcedens animaduerti posset. Nā impletionis legis fructus ac finis est, gratia apud Deū. Summa igitur est: Lex indicat iusticiam solummodo, quam Deus ab hominibus flagitat: eum uerò qui impleret, inter homines non inuenit, nec alium nominat: Euāgelium autem factorem monstrat, nempe IESVM Christum.

Tertiò, legis promißiones sunt cōditionales & particulares: ijs duntaxat uitam pollicentes, qui ei iuxta uoluntatem Dei perfectißimè satisfaciant: sicut illa dicta sonant, Matth.19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Lucæ 10. Hoc fac, & uiues. Habent igitur promißiones legis, conditionem impletæ legis. Sed Euangeliū gratuitas & uniuersales habet promißiones, nempe q propter Christum gratis Deus uelit omnibus credentibus remittere peccata: Lucæ 19. Venit filius hominis quærere & saluare, quod perierat. Matt.11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Iohan.1. Ecce agnus, &c. Ioh.3. Sic Deus dilexit, &c. Ioh.1. Expleni tudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Aut breuius. Lex habet promißionem, cum conditione faciendi & implendi eam: Euangelium uerò habet gratuitam promißionem, cum conditione credendi seu accipiendi fide.

Quartò effectu distinguuntur. Lex non affert aut adnunciat hominibus gratiam, sed agnitionem peccatorum, operatur terrores, iram Dei, damnationem: sed Euangelium gratiam per Christum annunciat & impertit, hoc est, beneficium per Christum partum, iusticiam coram Deo ualentem, fauorem Dei, uitam æternam, consolationem suauißimam ac firmißimam. Continet & hanc differentiā Iohānis sententia: Lex per Mosen data est, gratia autē & ueritas per IESVM Christum facta est. Matt.18. in imagine Christus nobis tam legis quàm Euangelij effectus depingit.

Cæterùm non aboleri legem Dei Euangelio, satis apertè Christus testatur Matth. 5. dicens, se eam ipsam ob causam uenisse, ut legem impleret. Non igitur reijcit Euangelium penitus legem: ordine enim ac fine suo lex Euangelio seruit. Sancit enim eum ordinem Christus, ut doceatur & pœnitentia & remißio peccatorum. Pœnitentia quidem, ut ministerio ac uoce legis prius peccator agnoscat, illud suum immensum debitum quod Deo debet, exhorrescat & humilietur, cum nequaquam sit soluendo. Postea, ut Euangelium anxijs & perturbatis conscientijs dulcem ac firmam consolationem suggerat: Marc.1. Lucæ 24. Sed hæc in articulo iustificationis prolixius tractabuntur.

Porrò legem & Euangelium non esse cōfundenda, sed distinctè tradēda, Christus sedulò monuit. idq; cùm suo exemplo, quòd pœnitentiam & remißionem peccatorum propria uoce cōcionatus est, Marci 1. tum quòd instituit, pœnitentiam & remißionem peccatorum in nomine suo perpetuò annūciari. & quòd Mar.2. monet, ne uinum nouū in utres ueteres mittatur, ne uinū effundatur, & utres pereāt: & ne ueteri uestimento nouus assuatur pannus, fieri enim scissuram rei. Nā si lex & Euāgeliū miscentur in articulo iustificationis, & bona opera etiā necessaria ad salutem docentur, tum fit scissura euidentißima. Euāgelij enim doctrina uitiatur & corrumpitur, quæ est eiusmodi, quòd gratis homines sola fide iustificentur.

DE IVSTIFICATIONE hominis peccatoris coram Deo.

INitiò ut lectores sciant, quomodo uocabula in hac doctrina propriè accipi debeant, significationes eorum paulo accuratius colligendæ sunt. Non enim eodē modo ubiq; usurpantur istæ uoces, iustus, iusticia, iustificare. Sæpe etiam compertum est, ex promiscua eorū acceptione, inconcinnas & erroneas sententias esse extructas.

Iustus alicubi accipitur particulariter, pro ciuiliter iusto aut honesto uiro, ut uulgo loquimur. ut Matt.1. Ioseph uir eius erat iustus, & nolebat eam infamare. Eādē ferè ratione pro homine innocēte sumitur. ut Luc.23. Verè hic homo iustus erat: hoc est, innocens, non meritus tā crudele supplicīū. Mar.6. Herodes metuebat Iohannē, sciens eum iustum & sanctū: hoc est, innocentē, honestè & inculpabiliter etiam coram hominibus uiuentem. Quomodo uerò in loco de iustificatione prioriè accipiatur, paulo pòst dicetur.

Iusticia interdum significat particulariter, nempe operum iusticiam, siue falsam siue ueram. Matth.5. Nisi iusticia uestra abundauerit plus quàm scribarum & pharisæorum. Iusticiam pharisæorum uocat, externā legis obedientiam, quæ non est integra legis impletio. Lucæ 1. Vt seruiamus ei in sanctitate & iusticia coram ipso omnibus diebus nostris. Nouam obedientiam iustificatorum, seu fidei fructus Zacharias iusticiam hic appellat. Item significat, opera mandata in uocatione expedire. Matth.3. Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem iusticiam: hoc est, suam quisq;. quilibet nostrūm faciat hoc, quod Deus ei præcepit: tu me baptises, ego baptismum à te accipiam, iuxta Dei uoluntatē, etiamsi maior ac dignior te sim. Item iustam causam, uel etiā doctrinā de iusticia gratuita significat, Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiā. Lucæ 1. Iustificationes Domini, pro cultu mādato huic populo capitur: Incedentes, inquit, in omnib. mandatis & iustificationib. sine querela: hoc est, summa fidelitate cultum qui erat isti populo præceptus expediebant.

Iustificare, significat laudem ueritatis tribuere, seu bene-

beneficia Dei celebrare & extollere. ut Luc. 7. populus & publicani iusti ficauerunt Deum: hoc est, prædicarunt eius beneficia, iustum & ueracem pronunciarunt. Nam pharisæi & eius farinæ homines calumniabantur, damnabant & execrabantur Christum, & salutarem doctrinam de iusticia gratuita & imputatiua per fidem in Christum. Alibi per antiphrasin significat reprehendere, calumniari, damnare atq; exibilare. ut Matth. 11. Luc. 7. Iustificata est sapientia à filijs suis: id est, improbata & damnata. Aliàs etiam Ebraica phrasi sorensem habet significationem, pro absoluere, iusticiam tribuere. ut Matth. 12. Ex uerbis tuis iustificaberis: id est, absoluêris, aut iustus pronunciaberis. Lucæ 10. Volens seipsum iustificare: hoc est, à damnatione legis absoluere, arrogare sibi iusticiam, seu obedienciam totius legis. Lucæ 16. Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus: quod est, uos adscribitis uobismet ipsis integram legis obedientiam, ac iustos pronunciatis, uerùm falso. Lucæ 18. Descendit hic iustificatus in domum suam præ illo: hoc est, absolutus coram Deo ab accusatione & damnatione legis, & imputata legis obedientia iustus pronunciatus ac reputatus. In hac igitur proxima significatione, in præsenti negotio, ubi de acceptione hominis coram Deo agitur, hæc uox priè ac uerè accipitur: nempe quòd iustificare in doctrina de remissione peccatorũ coram Deo, Ebraica phrasi significet absolui ab accusatione legis, attribui seu imputari legis obedientiam seu iusticiam per Christum partam, gratis, omnibus credentibus, & sic iustum in iudicio Dei reputari ac pronunciari, ac consistere. Eodem modo iusticia & iustus accipiuntur, Matth. 6. Quærite primùm regnum Dei, & iusticiam eius. Hoc loco iusticia Dei non significat essentialem Dei iusticiam, quam ab æterno tanquam uerus Deus habet, & quæ communicari creaturis non potest: sed iusticiam quam hominibus impertit, qua homines iustos pronunciat, absoluit à reatu gratis, imputat legis obedientiam per Christum præstitam, gratis, omnibus credentibus. Itaq; passiuè intelligi debet, Matth. 5. Nisi iusticia uestra abundauerit. Paulo enim antè Christus de legis impletione disserit, eamq; se præstiturum affirmat. Matth. 21. Venit ad uos Iohannes in uia iusticiæ: id est, ueram iusticiam tradens. De tali igitur iusticia docet, quæ sit totius legis perfectio, à Christo quidem præstita, sed credentibus gratis imputata & applicata.

Iustus, quando absolutum, & cui tribuitur legis obedientia, significat, aliàs actiuè, aliàs passiuè accipitur. Actiuè, ut Matth. 9. Non ueni uocare iustos: hoc est, sibi ipsis tribuentes cõsummatam legis obedientiam. Lucæ 18. Qui in se confidebant tanquam iusti: id est, tanquam legi satisfecissent per omnia. Lucæ 20. Miserunt insidiatores, qui se iustos simularent. Passiuè autem sumitur in sequentibus dictis, nempe pro eo cui legis impletio per Christum facta imputatur, qui absolutus est coram Deo gratis, & acceptus in gratiam. Lucæ 1. Erant ambo iusti ante Deum: hoc est, ab accusatione legis pronunciati liberi, imputata iusticia propter Messiam, habebant propitium Deum. Deinde & effectum exprimit, quòd Deo in cultibus ordinatis obsequium præstiterint. Eadem ratione & sequentia accipienda sunt passiuè. Matt. 10. Qui recipit iustum in nomine iusti. Matthæi 13. Fulgebunt iusti sicut sol. Matth. 23. Ornatis monumenta iustorum. Matth. 25. Iusti ibunt in uitam æternam. Lucæ 2. Et homo iste iustus.

Cæterùm pro æquipollẽtibus in hoc loco usurpãtur, iustificare, remittere peccata, saluare, accipere gratiã, uitam habere. itẽ iusticia, remissio peccatorũ, salus, gratia, beatitudo. Matt. 5. Ioh. 20. Matt. 9. Luc. 5. Remittũtur tibi peccata: hoc est, gratis à maledictione legis ac ira Dei absolueris, imputatur tibi obedientia ac iusticia gratis propter me, quam tu fide tibi applicas. Ideo additur, Cõfide fili. item, Habet filius hominis potestatẽ dimittendi peccata in terra. Ioh. 20. Quorum remiseritis peccata. Quid hoc aliud est, quàm peccatores agentes pœnitentiã, gratis propter meritũ Christi iustos pronũciari: hoc est, liberos ab execratione legis, & tribuere obedientiã legis, quam Christus cõsummauit? Matt. 26. Hic est sanguis meus noui Testamẽti, qui pro multis effunditur in remissionẽ peccatorũ: Ex his uerbis perspicuũ est, qd significet remissio peccatorũ, nempe absolutio in iudicio Dei à reatu, propter sanguinẽ Christi, & imputatio sanguinis seu obedientiæ Christi, quæ est legis integræ satisfactio. Luc. 3. Prædicãs baptismũ pœnitentiæ in remissionẽ peccatorum. Hic describitur, quid sit remissio peccatorum: nempe ablutio à peccatis gratuita. Lucæ 24. Prædicate in nomine meo remissionem peccatorum: hoc est, absolutionem gratuitã à peccatis, & imputationem meriti Christi, seu satisfactionis legis.

Gratia similiter, quoties de præcipuo Christi beneficio sermo est, significat passiuè: hoc est, gratuitam beneuolentiam, & fauorem Dei erga peccatores ad Christum fide confugientes, acceptionem gratuitam, absolutionem à maledicto legis propter Christum: & totius obedientiæ, impletionis legis, meriti, iusticiæ per sanguinem partæ, ipsius uidelicet Christi gratuitam imputationem. ut Iohan. 1. Plenum gratia & ueritate. item, Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. item, Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Quid euidentius dici posset? Et hinc definitio gratiæ peti debet, nempe quòd sit gratuita acceptio propter meritum Christi, eiusq; integra ac plena imputatio. Idem & in hoc dicto ualet, Lucæ 1. Aue gratia plena. Interdum pro donis Dei uidetur accipi, ut Lucæ 2. Gratia Dei erat in illo: id est, Deus eum amabat, ac donis ornabat. Item, IESVS proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines: hoc est, erat gratiosus & acceptus. Lucæ quarto: Mirabantur in uerbis gratiæ: hoc est, gratiosè prolatis, aut potius gratuitã remissionẽ peccatorũ denunciantibus, qua nihil dulcius afflictis & terrefactis cõsciẽtijs esse potest: Talia enim ex pharisæis, ignaris Euãgelij & hostibus Christi, nõ proferebãtur: sed uoce legis, & sacrificiorũ superstitiõe, tantũ miseras cõscientias excarnificabãt.

Saluare etiam ac saluum facere, quoties de his summis rebus Christus concionatur, accipitur eodem modo pro liberare à peccato, eiusq; affectibus, absoluere à diris imprecationibus legis, beneficium ac meritum Christi imputare. ut Matth. 1. Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim (σώσει) saluũ faciet populũ suũ à peccatis suis. id quod nihil aliud est, quàm merito suo liberabit eos à peccatis, imputabit eis suam passionem, atque integrã legis satisfactionem, absoluet gratis à peccatis.

catis. Etsi enim aliàs saluare tantum liberare, eripere, uindicare significat: tamen hic de Christi meritis usurpatum, maiora quædam includit, & idipsum quod iustificare, aut in gratiã accipere exprimit. Matt.18.19. Venit filius hominis saluare quod perierat. Lucæ 9. Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare. Iohan.3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. In his dictis meritum Christi explicatur, & significatio huius uocabuli declaratur, quòd sit applicatio seu impu tatio meriti Christi, seu liberatio à peccato, diabolo & morte. Mar.10. Luc.7.18. Fides tua te saluam fecit. Inde etiam saluator Christus dicitur, Lucæ 2. Iohan.3. Et IESVS Matt.1. Lucæ 1.2. Marci 16: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. ac opponitur ibi condẽnationi. Idẽ salus significat Lucæ 1. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Et paulo pòst clarius exponitur, quid uoce salutis Zacharias intelligat: Ad dandam, inquit, scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Idcirco salus nihil aliud est quàm remissio peccatorum. Ioh.4. Salus ex Iudæis est. hic totam redemptionem ac meritũ Christi, quod credentibus applicatur, una uoce effertur. Aliàs etiam significat glorificationem, qua credẽtes in altera uita potientur. ut Matth.10.24. Marci 13. An pauci sunt q saluãtur? Qui perseuerauerit usq; in finẽ, saluus erit. Luc.13. Aliàs simpliciter liberare ac sanare significat. ut Matt.8. Salua nos, perimus. Matt.27. Salua temetipsum. Itẽ: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluũ facere. Mar.5. Si uel uestimẽtũ eius tetigero, salua ero. Mar.6. Quotquot eũ tãgebant, salui fiebãt.

Habet & hoc in more Christus, ut dicat: Qui credit in me, habet uitam æternam. in qua oratione præcipuo effectu iustificationis per synecdochen, totam acceptationẽ cõprehendit: hoc est, credẽs mihi habet remissionẽ peccatorũ, gratuitã imputationẽ iusticiæ seu obediẽtiæ Christi, quam sequitur sine dubio uita æterna. Voluit enim Christus legis præmiũ inculcare, ut cõsiderẽt pij, se per fidẽ in Christum gratis, non per sua propria opera, brauium in lege propositum consequi. Nunc explicatis uocabulis, propius ad res ipsas accedemus.

Est autem iusticia peccatoris coram Deo, gratuita imputatio meriti, obedientiæ, impletionis legis, seu iusticiæ sanguine acquisitæ, ipsius Christi: seu remissio peccatorum gratuita, seu acceptatio gratuita, quæ offertur per uerbum & sacramenta, applicatur uerò fide omnibus in Christum mediatorem credentibus: & affert pacem coram Deo, & in conscientijs nostris, confidentibus ad adoptionem, υἱοθεσίαν, Spiritum sanctum, & uitam æternam.

In comparanda hac iusticia, remissione peccatorum, gratia, salute, uita æterna, totam Trinitatem laborasse, obseruata tamen cuiusq; personæ proprietate & peculiari officio, Christus & eius historia docent. Pater enim misit filium, ordinat hanc uictimam, & accipit loco totius generis humani, iuuat incarnationem, præbet ei testimonium in Iordane, & in monte sancto, soiatur eũ in horto, exuscitat è sepulchro, collocat ad dexteram suam: sicut ex historia Euangelica manifestum est. Filius Dei uerò omnium maximè in redemptione generis humani, & paranda hac iusticia à Deo requisita, occupatus est. Ipse enim fit homo: ipse solus uocatur & est agnus Dei, tollens peccata mundi: hoc est, ipse, non pater, non Spiritus sanctus soluit λύτρον seu precium redemptionis. Subit peccata generis humani, maledictum legis, iram Dei, patitur, fundit sanguinem, moritur, cubat in sepulchro, resurgit incorruptus uita rursus accepta, ac deinde glorioso triumpho ad dexteram Dei ascendit. Parat igitur hanc iusticiam seu remissionem peccatorum non alia ratione, quàm passione & tota sua obedientia. Matth.1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis suis. Matth.18. Lucæ 19. Venit filius hominis, quærere & saluare quod perierat. Matt. 5. Ego ueni legem adimplere. Iohan.1. Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. Item, Ecce agnus Dei. Iohan.3. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Item, Misit Deus filium suum in mundum, ut saluetur mundus per ipsum. Item Iohan.12. Vbi ego exaltatus fuero, omnes ad me traham. Iohan.10. Animam meam pro ouibus do. Iohannis decimosexto: Si ego abiero, mittam paracletum ad uos. Iohan.17. Pro eis ego sacrifico meipsum, ut sint & ipsi sacrificati in ueritate. Hanc ob causam etiam asseuerat, se iuxta prophetias passioni destinatum. Spiritus sanctus deniq; etiam suo modo opus redemptionis iuuat, quòd approbat eam uictimam. in conceptione superuenit in Mariam: & quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. inungit Christum in Iordane, est ei semper præsto. Propinquissima itaq; efficiens causa salutis humanæ, est filius Dei, factus homo: aliquanto uerò remotior, pater, ac spiritus sanctus.

Conferunt autem, distribuunt, communicant & applicant hãc iusticiam, sanguine Christi partam, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hæc sententia uera est, licet à Pharisæis alio fine prolata, Marci 2. Luc.5. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Extant & de qualibet persona certa testimonia. Matth.6. Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita nostra. Item, Dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra. Lucæ 23. Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciant. De Christo hæc dicta loquuntur Matth.9. Remittũtur tibi peccata tua. item, Filius hominis potestatem habet dimittendi peccata in terra. Huc pertinet sententia, qua sæpe usus est: Fides tua te saluum fecit. Etsi enim tum beneficia corporalia simul conferebantur, tamen potissimum hæc spiritualia & omnium summa bona includebantur. Iohan.1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Iohan.10. Ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Luc. 23. latronem in cruce suspensum hac uoce absoluit à peccatis Christus, Hodie mecũ eris in paradiso. Christus etiã ministeriũ ordinat, in quo remissio peccatorũ in suo nomine sonare ac prædicari debeat. De spiritu sancto in illustri historia Ioh.20. dicitur, Insufflauit eis, dicẽs, Accipite spiritũ sanctũ: quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis. Itaq; Spiritus sanctus in ministerio remissionem peccatorũ sanguine Christi acquisitã, applicat ac distribuit: unde & spiritus sanctus Paracletus dicitur.

Causam in nobis, siue ea impulsiua sine sophistica intellecta, aut quouis alio nomine nuncupetur, Deum mouentem, ut tali ratione nos iustificaret, fuisse, peccatorum

torum molem,hærentem in toto genere humano: captiuitatem ſub crudeliſſimis & atrociſſimis hoſtibus,diabolo,morte,inferno:æternam & iuſtiſſimam abiectionem à Deo, ac condemnationem, Chriſtus & alij eius præcones luculenter docent.Matth.5:inquit:Veni legẽ implere:Ex qua quidem oratione conſtat,nullum prorſus in genere humano poſt lapſum factum, hoc poſſe præſtare, & omnes ſub legis maledictione iacere oppreſſos. Matth.9.Veni uocare peccatores. Matth.15. Sum miſſus ad oues perditas domus Iſrael. Seſeq; depingit quaſi paſtorem, ouem perditam ac palantem anxiè quærentem:ac eripientem è faucibus luporũ, ſuæq; tranquillitati & loco reſtituentem:Lucæ 15. Sic Ioh. 10. copioſe & ſuauiſſimè in ea pictura cõmoratur, & clarè aſſeuerat,ſe animam ſuam pro ouibus ponere:alludens nimirum ad præclaram illam prophetiam, quæ in Eſaia recitatur capite 53.Docet igitur, oues, hoc eſt uniuerſum genus humanum à uero paſtore aberraſſe, atq; luporum immaniſſimorum prædam eſſe factã:hoc eſt, in poteſtatem mortis, diaboli & inferni ob peccatum incidiſſe,& propterea aliena ope indiguiſſe. Sanas enim & obedientes ouiculas non quærere,nec tanto precio redimere neceſſe fuiſſet.Lucæ 19.inquit:Venit filius hominis, quærere & ſaluare quod perierat. Iohan.3.Oportet exaltari filium hominis,ut omnis qui credit in eum,non pereat,ſed habeat uitam æternam. item, Qui incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Iohan.8.Si non crediderit is, moriemini in peccatis uestris.Iubet mulieres, propter acerbitatem ſui ſupplicij flentes, deplorare ſemeipſas, & ſuos liberos. Matth.1.inquit angelus:Saluum faciet populum ſuum à peccatis ſuis. Baptiſta alta uoce clamat: Hic eſt agnus,portans mundi peccata. Hæc recitantur, ut calamitates iſtæ ſummæ totius generis humani intelligantur, & perpendantur: nempe quòd in peccato, morte,ira Dei, damnatione ac regno diaboli quaſi captiui detinebamur omnes, nec poteramus noſmetipſos ulla ratione liberare, & amiſſa bona recuperare. Id uerò inſuper potentiſſimè & manifeſtiſſimè conuincit, ingens & ſtupenda miſsio ac humiliatio filij Dei. Declarant has noſtras miſerias typi in debitore, ad perpetuum carcerem iurè damnato,in oue perdita, in ſauciato uiatore,in latrone,& alijs.Quapropter cũ homũnes ſeſe liberare atq; ſaluare non poſſent,Deus aliam inuenit uiam,ne æternis pœnis torquerentur.

In Deo cauſam impulſiuam fuiſſe,ingentem & inenarrabilem & merè gratuitam dilectionem,ſeu paternam στοργὴν, erga damnatum genus humanum, quòd nolebat omnino perire,Chriſtus clarè aſſeuerat Ioh.3. SIC DEVS DILEXIT Mundum, ut FILIVM SVVM VNIGENITVM daret, ut omnis qui credit in eũ,non pereat,ſed habeat uitã æternam.Emphatica ſunt ſingula uerba,ſi quis paulo attẽtius conſideraſſet & expenderit. Potuiſſet ſanè iure ſuo optimo Deus in æternum omnes homines,qui phraſi ſcripturæ Mundus uocantur,propter peccatum abijcere.non enim dilectionem, ſed iram ac damnationem erant meriti.Verùm ex dilectione immerita & immenſa Deus modum redemptionis & acceptationis humanæ inuenit, quem etiam ipſe, ut qui omnibus creaturis aliàs ignotus erat,reuelauit. Zacharias uocat MISERICORDIAM,in ſuo Cantico:Per uiſcera,inquit, miſericordiæ Dei noſtri, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto. Eſt igitur miſericordia,hoc eſt, non meritum noſtrum,ſed gratuitum beneficium, ex miſericordiſſimo pectore promanans,uel (ſicut Hebraico more Zacharias inquit) ipſiſſima uiſcera miſericordiæ. Eandem miſericordiam & Maria uirgo in ſua gratiarum actione dignis uehit laudibus. De ſua etiam dilectione Chriſtus inquit Iohan.10. Maiorem hac dilectione nemo habet,quàm ut animam ſuã ponat pro amicis ſuis.

Quæres ſit iuſticia hominib.applicabilis,& quam Deus ab eis iam requirit,ſeu quæ ſit cauſa materialis, ut in ſcholis loquũtur,ex doctrina Chriſti ſatis eſt manifeſtum: nempe quòd non ſint qualitates aut uirtutes humanæ,neq; ipſa Dei eſſentia,ſeu æterna, diuina atq; ſubſtantialis iuſticia:ſed ipſum opus,paſsio ac meritum Chriſti, ſeu (ut clariſſimè dicamus) legis impletio, quam Chriſtus pro toto genere humano præſtitit: quæ quidem integra & abundans ſatisfactio, gratis omnibus credentibus applicatur.Matth.5.Non ueni ſoluere legem,ſed adimplere.Ideirco legis impletio eſt, iuſticia illa per Chriſtum parta.Iohan.1.Gratia & ueritas per IESVM Chriſtum facta eſt. Vocat gratiam factam, hoc eſt meritis Chriſti comparatam.Item,Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.Ergo iuſtificatio noſtra eſt gratia ex plenitudine Chriſti hauſta. Clara ſunt & hæc uerba Ioh.1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.Docẽt enim,Chriſtum fore uictimam,ac paſsione peccata expiaturum.Proinde Chriſti paſsio,eſt noſtra coram Deo iuſticia. Nam peccata auferre, ac delere penitus,quid aliud quàm iuſticia eſt? Siquidem inter peccatum et iuſticiam non eſt mediũ: altero abſente, ſuccedit alterum.Ioh.3.Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat,ſed habeat uitam æternam. Eſt igitur exaltatio Chriſti,hoc eſt,paſsio eius,hoc ingens bonum, cuius effectus eſt uita æterna. Item: Sic Deus dilexit mundũ, ut filium ſuum daret.Hæc donatio filij, hoc eſt miſsio, ac paſsio,eſt illa ipſa materia,ex qua,& in qua iuſticia noſtra,quam fide apprehendimus,conſtat & conſiſtit, & ex qua uita æterna ad nos redit.Ioh.16.De iuſticia, quia uado ad patrem.Itaq; iuſticiam definit ſuum tranſitum:hoc eſt totam humiliationem,in qua excellit paſsio,mors,reſurrectio. Sed hoc totum meritum,ſeu paſcha ſuum,Matth.5. uocat impletionem legis integrã. Alludit autẽ pulchrè Chriſtus ad hiſtoriam ueteris Teſtamenti de paſchate, ſuum meritum nominans tranſitum:Matth.26. Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro uobis effunditur in remiſsionem peccatorum. Iohan.8.Si uos filius liberauerit,uerè liberi eritis.Ioh. 10.Animam meam do pro ouibus. Manifeſtum igitur eſt ex his teſtimonijs, Chriſti paſsionẽ, quæ nihil aliud quàm legis impletio eſt, eſſe ipſiſſimam iuſticiam, qua nos ornari ac apparere coram Deo neceſse eſt, quæq; nos æternæ uitæ hæredes efficit.

Formalem cauſam iuſtificationis eſſe ipſam applicationem gratuitã iuſticiæ per ſanguinem Chriſti partæ,ſeu remiſsionis peccatorum, ex iſtis ſententijs notũ eſt,Iohan.1.Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Matth.11. Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis,ego reficiam uos. Hæc refectio

ctio est periphrasis iusticiæ Christi, per sanguinem cõparatæ, quæ quidem nihil aliud quàm præsens antidotum est contra peccatum, & dulcis atq; uiuifica refectio consternati ac flaccidi cordis. Iohan.3. Qui credit in me, habet uitam æternam. Vita æterna non datur nisi ijs qui iusticia ornati sunt. ideo docet, credentibus iusticiam missi filij applicari. Lucæ 7. Remittuntur tibi peccata: hoc est, dono & applico tibi meam iusticiam, teq; à maledicto legis liberum pronuncio. Nam in hoc Dei iudicio remissio peccatorum est, simul iusticiæ imputatio ac donatio. Aliter se res habet in iudicio humano. Verùm hanc partem luculentius explicant Apostoli, sicut ex secundo libro patebit.

Causas acceptionis apud Deũ duas esse, nempe gratuitam misericordiam, & meritum IESV Christi, propter humanum genus confectum, certo ac euidenti uerbo Christus confirmat Iohan.3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. In hac illustri sententia duæ illæ causæ diserte nominãtur, quare Deus miseros peccatores acceptet, & uita æterna donet: nempe dilectio, quæ aliàs misericordia uocatur, ut suprà dictum est: & filij donatio in carnem, hoc est eius meritum. Nam Christus ad eam rem à patre est destinatus, ut pro transgressione legis patiendo ac merendo satisfaceret: utq; ea ratione etiam iusticiæ diuinæ, exigenti pro delictis pœnas, satisficret. Iohan.10. Dilectionem nemo maiorem habet, quàm qui ponit animam pro amicis suis. Ioh.16. Ipse pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quòd à Deo exiui. Ioh. 17. Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in eis sit, & ego in ipsis.

Gratis iustificari homines, hoc est accipi in gratiã, imputari eis iusticiam, & donari remissionem peccatorum, concionibus & exemplis Christus declarat. Etsi autem ipso uocabulo Gratis non utatur Christus, tamen alijs uerbis idem exprimit. Gratis quidem, quo ad nos: non gratis uerò, quo ad Christum, quem necesse fuit sanguine effuso, ac contumeliosissima ac acerbissima morte mereri, quod nostris uiribus parari non poterat. Oportebat enim eum agnum fieri, hoc est, mactari, sicuti uictimæ iugulabantur: & portare peccata, hoc est patiendo & moriendo peccata expiare. Monent autem ea dicta, quæ hactenus aliquoties repetita sunt, euidenter, gratis nobis exhiberi beneficium Christi. Sed in re tam ardua non erit fastidiosum, cum sit ualde fructuosum, eadem Christi uerba audire: & non modò bis, sed aliquoties, non cramben, iuxta prouerbium ethnicum, sed salutaria Dei uerba proponere. Matth.9. Veni uocare peccatores. peccatores autem non habent meritũ iusticiæ, seu redemptionis. Itaq; uocare & saluare peccatores, est gratis indignis donare res amplissimas, nempe gratiam & iusticiam, per transitum seu passionem Christi paratam. Matth.11. Venite ad me qui laboratis & onerati estis. Hæc etiam uerba periphrasin uocabuli Gratis continent. Nam laborantes & onustos appellat, grauissimis peccatis oppressos, ijsq; gratis refectionem pollicetur. Matth.18. Lucæ 19. Venit filius hominis, quærere & saluare quod perierat. Perditi igitur saluantur: quibus non ex merito, sed gratis salus cõfertur. Lucæ 24. iubet remissionem peccatorum annũciari in suo nomine: hoc est, gratis, tantum propter suũ meritum. Matth.11. Pauperibus euangelisatur. Gratis autem pauperibus dona exhibentur. Exempla iustificatorũ idem probant. Centurio, Cananea mulier, Magdalena, publicani, Petrus, latro, & similes gratis accipiuntur, & ornantur, merito Christi: hoc est, iusticia quam moriendo peperit, & habent peccatorum remissionem. Matth.18. Misertus Dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienum remisit ei. Item, filius prodigus gratis accipitur. Item, Operarijs in uinea, Matth.20, nõ secundũ laborẽ, sed gratiam, merces æqualis datur.

Ad acceptionem porrò hanc coram Deo, seu remissionem peccatorum, non accedere qualitates humanas, seu opera, quæ forent aliqua iustificationis quæ coram Deo fit, partialis causa, ex his testimonijs certum est. Iohan.1. Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Omnis hic gloriatio adimitur cunctis hominibus, quantalibet dignitate aut prærogatiua excellentibus: & indicatur, omnes gratis duntaxat à Deo accipere gratiam, & in filios eius adoptari. Lucæ 18. Pharisæus cum sua dignitate damnatur: ac retundũtur plures pharisæi, operum iusticiam ac dignitatem sibi uendicantes. Luc.17. Non ueniet regnum Dei cum obseruatione. Matth.18. Luc.10. Et rectè Iohan.8. Christus in eos sententiam fert, Sermo meus non capit uos. & Matth.5. Nisi iusticia uestra abundauerit plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Item Lucæ 17. Si omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus. & in oratione Dominica iubemur dicere, Remitte nobis debita nostra. nec ullum extat exemplum in historia Euangelica, ubi quis propter sua etiam opera siue antecedentia, siue coincidentia, siue consequentia, iustificatus diceretur. Econtrariò uerò exempla multa occurrunt, ubi ij qui suis operibus iusticiam adscribere conati sunt, damnati pronunciantur. ut Lucæ 18. Pharisæus: & Matth.5. Iusticia pharisaica: & Marci 2. ij qui opera sua insuunt iusticiæ coram Deo, scisuram peiorem facere, & uinum nouum perdere dicuntur. Et sicut in externis non possumus duobus dominis seruire, Matth. 6. ita fides & corda nostra nõ possunt fiducia operum nostrorum & Christi simul niti.

Vniuersalem quoq; inculcat Christus, nempe q, meritum Christi ad omnes pertineat, omnibusq; ex immẽsa Dei misericordia offeratur: q, omnes fide & obuijs pectoribus hoc amplissimũ beneficiũ amplecti, eoq; frui debeãt. Matt.11. Venite ad me OMNES. Ioh.1. Quot quot receperunt eum. Item, De plenitudine eius omnes accepimus. Item, Tollit peccata mundi. Iohan.3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat. Item: Sic Deus dilexit MVNDVM. item, Vt saluetur MVNDVS per ipsum. Iohannis 6. Vt omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Iohan. 17. Vt omnes unum sint. Marci 16. Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Itaque hoc ipsum ministerium & sparsio Euangelij inter omnes gentes, testimonium est, omnibus credentibus offerri Christi meritum seu iusticiam preciosissimo sanguine comparatam.

Quomodo autem applicetur ea iusticia, seu meritũ Christi, remissio peccatorum ac gratia, ex concionibus

Christi ac re ipsa constat. Causa instrumentalis seu medium, quo Deus erga nos in dispensandis istis bonis utitur, est uerbum, hoc est promissiones Euãgelicæ: & Sacramenta, quæ nihil aliud sunt quàm promissiones certa atque præscripta actione uestitæ. Matth.11. Pauperibus euangelisatur. Hoc dicto monet Christus, conscientijs suam inopiam ac nuditatem, quod ad legis diuinæ satisfactionem attinet, conspicientibus ac deplorantibus, Euangelij uocem adferre diuitias abundantes IESV Christi, & ex pauperibus opulentissimos, ex peccatoribus iustos coram Deo, ex mancipijs diaboli & inferni filios Dei ac hæredes uitæ æternæ efficere. Iohan. 5. Amen amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam. Iohan.8. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Item: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Veritatem ac liberationem à morte uerbo donari affirmat. Iohan.14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Luc.24. Prædicate in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorum. De uerbo & Sacramentis cõiunctim dicitur Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Item: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Luc.22. Matth. 26. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Iohan.6. Est igitur ueluti manus Dei, qua nobis beneficia per Christum parta, seu iusticiam legis sanguine Christi acquisitam porrigit, dispensat & applicat, promissiones Euangelicæ & Sacramenta ab ipso Mediatore ordinata.

Instrumentalis causa, qua nos homines eam Christi iusticiam, gratuitam remissionem peccatorum & gratiam apprehendimus, nobisq; applicamus, est fides, sicut apertè Christus docet Matth.9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: confide filia, fides tua te saluam fecit. Etsi enim corporalia beneficia accipit interdũ fides, tamen potissimum includitur fiducia de remissione gratuita peccatorum per Christum. Iohan.1. Recipere & credere pro eodem sumuntur. Quotquot, inquit, receperunt eum. & post pauca uerba se declarat, His qui credunt in nomen eius. Ioh.2. Crediderunt in eum discipuli. Iohan.3. Vt omnis qui credit in eum, habeat uitam æternam. Item: Qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Iohan.6. Vt credatis in eum quem misit ille. Iohann.11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Iohan.12. Dum lucem habetis, credite in lucem. Iohan.17. Rogo pro eis qui crediturí sunt per uerbum eorum. Iohan.20. Credentes uitam habent in nomine eius. Plura testimonia in loco De fide recitanda sunt. Est autem fides, ut in frà dicetur, fiducia applicans sibi meritum Christi, seu gratuitam remissionem peccatorum, & certò acquiescens in uerbo gratiæ & sacramentis.

Hinc etiam perspicuum est, quibus Christus doceat suum meritum, iusticiam partam legis impletione, seu remissionem peccatorum exhiberi & applicari: nempe peccatoribus agentibus pœnitentiam, non contumacibus, non hypocritis sibi arrogantibus operum iusticiã, ac legis satisfactionem. Matth.9. Non ueni iustos uocare, sed peccatores ad pœnitentiam. Lucæ 15. Gaudiũ erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. Eódem tendit quod Matth. 9. inquit: Non est opus medico ualentibus, sed malè habentibus. Matth.5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Math.11. Pauperibus euangelisatur.

Laborantibus & oneratis: hoc est, triste pondus & iugum peccatorum sentientibus: Matth.11. Ouibus in errorem actis: Lucæ 15. Eis qui perierant: Lucæ 19. Venit filius hominis, quærere & saluare quod perierat. Publicanis & meretricibus pœnitentiam agentibus: Matth. 21. Publicani & meretrices præcedent uos in regnum Dei. nam credebant ei. Pueris, hoc est immeritis: non superbientibus coram Deo fiducia suorum operum, sed se humiliantibus. Matth.18. Amen dico uobis, nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunq; ergo se humiliauerit sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. Esurientibus: Lucæ 1. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Matth.5. Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Debitoribus, implorantibus misericordiam: Matth.18. Sauciatis à lege, & desertis: Lucæ 10. Aco lastis reuertentibus, & ueniam deprecantibus: Lucæ 15. Latronibus ad Christum confugientibus: Lucæ 23. Lapsis in peccata & abnegatoribus Christi, agoscentibus tamen sua peccata, & amarè flentibus, & fide ad Christum mediatorem recurrentibus: qualis Petrus fuit Lucæ 22. Qui autem uel hypocritæ sunt, uel in delictis sine pœnitentia perseuerant, & qui desperant, in eis non habet locum Euangelium. Matth.6. Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Matth.7. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matth.23. Væ uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ. Matth.25. Ibunt hi in ignem æternum. Matth.27. Iudas ex desperatione se laqueo suspendit.

De ordine, quem Deus in iustificatione hominis obseruat, sic docet Christus: quòd primùm uerbo suo, hoc est ministerio legis, in cordibus hominum excitet uerã pœnitentiam, seu agnitionem peccatorum, & seriam, non hypocriticam humiliationem, ut ueri dolores existant in nobis propter peccata, ut omnis fiducia dignitatis propriæ nobis adimatur, & sentiamus nos nihil quàm iustam damnationem esse meritos: nos nihil in nobis habere, quod Deo iudicanti posimus opponere: neque esse quicquam quod æquè Deus oderit & abominetur, quàm securitatẽ aut superbiam seu operum confidentiam. Deinde uerò, quòd uoce Euangelij summa philanthropia proponat gratiam, remissionem peccatorum gratuitam, iusticiam, uitam per & propter Christum omnib. mortalibus: ac uelit, imò præcipiat, ut omnes hac se uoce erigant, consolentur, amplectantur Dei beneficia, certò in filium credant, statuãt se esse in gratia, habere Deum propitium, peccata sua esse remissa, se esse hæredes uitæ æternæ, se esse imputatione meriti Christi iustos coram Deo. Et ut compendiò res tantas comprehendamus, uult Deus agnosci peccata humiliatione cordis coram ipso: deinde credi in Christũ, quòd eius merito, gratis, credentibus applicetur iusticia seu remis-

remißio peccatorum. Hic ordo proponitur à Christo Marci 1. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Lucæ 24. Prædicate pœnitentiam & remißionem peccatorum, in meo nomine. Qualis est ministerij ratio, talis est et iustificationis. Nam uerbo Deus in nobis est efficax. Idem uolunt hæc dicta, Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã uos. Matth. 18. Quicunq; se humiliauerit sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. Lucæ 18. Qui se humiliat, exaltabitur. Lucæ 1. Humiles exaltauit. Matth. 9. Veni uocare peccatores. Matth. 18. Venit filius hominis saluare quod perierat. Matth. 5. Beati pauperes spiritu: talium est enim regnum cœlorum. Item: Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Primus, ut sic dicamus, gradus est, ut saluandi sint laborantes ac onerati, hoc est cruciatus peccatorũ sentientes, humiles peccatores, perditi, pauperes spiritu, esurientes ac sitientes. Alter gradus est, ut detur eis refectio ac leuatio ab oneribus, exaltatio, salus, regnum cœlorum, saturatio. Sunt autem hæc uocabula periphrases ueræ agnitionis peccatorum, & fidei in IESVM Christum. Idem Iohannes tradit Matt. 3. Pœnitentiam agite uitæ prioris. In propinquo enim est regnum cœlorum. De fructibus iustificationem sequentibus suo loco dicetur.

Cum hoc ordine & exempla congruunt. Matth. 18. Primum seruus deducitur ad tabulas debiti, ex quibus cognoscit se incredibilem & immensam summam suo Domino debere, nempe decem milia talentorum: agnoscit etiam, se non esse soluẽdo: audit sententiã, quòd omnia debeat uendere, perpetuoq; carceri includi. Hæc eum, qui antea securus fuerat, debito uelut dormiente, ita consternatum reddunt, ut statim in genua prouolutus, & anxius animi coram Rege domino suo, misericordiam imploraret. Postea uerò sic humiliatus, & cum desperatione luctans, gratis ex misericordia audit dulcem uocẽ, quam nullo modo erat meritus: dimitti ei debitum hoc immensum in uniuersum, & dimitti quoque pœnam omnem. Hac uoce erectus, consolationem summam in corde accipit, ac reuiuiscit seruus, gratis consecutus quod antea non habuerat. Lucæ 15. Perditus filius, qui bona paterna abligurierat, & fœdis scortationibus se polluerat, primùm suis calamitatibus tanquam legis uoce humiliatur, ut agnitis suis sceleribus ex animo dolcat, reuersus ad patrem agnoscat peccata, ac deploret. Postea uerò audit blanda uerba à patre, & accipitur in gratiam. Eumq; ordinem sic explicat pater: Hic mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuẽtus est. Lucæ 18. Publicanus initiò fatetur se peccatorem, angitur, corde mala cõscientia territus oculos in cœlũ tollere non audet, tundit pectus, implorat opẽ. Deinde uerò erigitur fide in Christum: & fertur sententia, eum iustificatum descendisse in suam domum. Lucæ 7. mulier lachrymis primum rigat pedes: hoc est, agnitione peccatorum suorum angitur. deinde audit, Remittuntur tibi peccata tua. Lucæ 23. latro agnoscit se iustè puniri in cruce, postea uerò se erigit fide in Christũ, eiusq; passionem: & audit absolutionem iucundißimam, Hodie mecum eris in paradiso. Idem in cæteris uidere est. Præfractis autem, impœnitentibus, securis, hypocritis & superbis, non contingit iustificatio coram Deo, qui etiã hunc ordinem propositum à Deo, & quem perpetuò in suo uerbo exigit, fastidiunt. Ideo inquit Christus Lucæ 18. Qui se exaltat, humiliabitur. Et Maria Lucæ 1. idem fert iudicium: Deposuit potentes de sede. Item, Diuites dimisit inanes. Matth. 5. negat Christus, iusticiam scribarum & pharisæorum coram Deo accipi. Marci 2. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 18. fastuosus pharisæus suam operũ iusticiam confidenter iactans, nec dolens de suis peccatis, nec misericordiam per Christum implorans, damnatur. Idem probant cæteræ quoq; cõciones de pharisæis.

Omnibus temporibus unam & eandẽ perpetuò fuisse, esse, & mansuram esse rationem iustificationis, ex concionibus Christi manifestum est. Iohan. 8. inquit: Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum: & uidit, & gauisus est. Ex professo hæc doctrina in ea Christi concione tractatur. Nam Iudæi criminabantur, doctrinam Christi esse nouam, priscis sæculis incognitam. Sed contrà grauissimè contendit Christus, se nihil noui docere: Abrahamum patrem omnium credentium, eodem modo, nempe fide in seipsum, læticiam seu iusticiam aut remißionem peccatorum consecutum esse. Nam uidere diem Christi, nihil aliud hic dicit esse, quàm fide Christum benedictum semen amplecti. Alludit autem ad dictum Christus, quod Gen. 15. extat: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Porrò consentiunt inter se hæc duo dicta: Abraham uidit diem meum, & lætatus est: & Iohan. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui VIDET filium, & CREDIT in eum, habeat uitam æternam, Lucæ 24. Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi & Prophetis & Psalmis de me. Item: Sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã & remißionem peccatorum, in omnes gentes. Testatur igitur, hanc iustificationis uiam, quæ scaturit ex paßione Christi, in Scripturis clarè esse patefactam, nec diuersam ab ea unquam in uera Dei Ecclesia sonuisse. Iohan. 5. Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Item: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. de me enim ille scripsit. Et huc quadrant typi Ionæ, serpentis, agni, qui ad Christum expreßè referuntur. Item parabolæ: quales sunt de operarijs in uinea, Matth. 20. De apparatu nuptiarum, & uocatione tum Iudæorum tum gentium, Lucæ 14. Matth. 22. Ordinatio quoq; ministerij, unam ac perpetuã formam iustificationis præscribit, ut ex citatis testimonijs luce meridiana clarius est.

Iustificationis fines atq; effectus plurimi recensentur, congruentes cum ijs qui suprà in loco de Euangelio sunt annotati. Neminem tamẽ pigeat, aut pœniteat, hic quoq; eosdem ac plures considerare. non enim possunt res tam eximiæ satis excuti aut celebrari. Iustificationem igitur hæc bona adferre, Christus & eius collegæ asseuerant: nempe,

Imputationem iusticiæ Christi, per suum transitum acquisitæ: seu impletionis legis, quam præstitit. Matth. 18. Descendit iustificatus in domum. Iohan. 16. Matt. 5. Remißionem peccatorum. Matthæi nono: Confide

fili, remittuntur tibi peccata tua, Luc. 7. 24. Iohan. 1. *Ecce agnus Dei tollens peccata mundi.* Iohannis 8. *Si uos filius liberauerit, uerè liberi eſtis.* Nam peccata ſunt quaſi compedes, omnes homines captiuos detinentes. At Chriſtus remiſſionem ac liberationem adfert. Non iuſtificati autem per fidem in Chriſtum, manent in iſtis uinculis & carceribus. Iohan. 8. *Si non crediderit is quòd ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris.*

Gratiam, hoc eſt, gratuitam acceptationem coram Deo, liberationem ab ira Dei: Iohan. 1. *Ex plenitudine eius accepimus, gratiam pro gratia.*

Amorem Dei erga nos. Ioh. 16. *Ipſe pater amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis.*

Liberationem ab omnibus inimicis noſtris. Nam ob peccatum, ſub poteſtate diaboli, mortis, inferni omnes iacent. At iuſtificati per Chriſtum, in libertatem aſſeruntur. Lucæ 1. *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Prædicat enim Zacharias toto pectore beneficium præſentis Meßiæ. Iohan. 16. *Princeps huius mundi iudicatus eſt:* ideo non eſt metuendus amplius. Iohan. 16. *Confidite, ego uici mundum.* Vocat autem Iohānes mundum, quicquid eſt contra Deū, & Eccleſiam ueram Dei.

Gratuitam relaxationem aut condonationem debiti, ſeu culpæ & pœnæ æternæ: Matth. 18. *Miſertus Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* ὑοθεσίαν, ſeu *Filios Dei acceptos fieri*: Ioh. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, quotquot credunt in nomen eius.*

Gaudium conſcientiæ: Ioh. 15. *Hæc locutus ſum uobis, ut gaudium meum in uobis maneat, & gaudium ueſtrum impleatur.* Iohannis 16. *Triſticia ueſtra uertetur in gaudium.* Item: *Gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis.* Concionatur enim Chriſtus, de beneficijs ſuæ paſſionis.

Pacem in conſcientijs coram Deo: Iohannis decimo ſexto: *Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis.* Iohan. 14. *Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis:* Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Nō turbetur cor ueſtrum, neq; formidet.

Beatitudinem Matthæi quinto: *Beati eſurientes & ſitientes iuſticiam, quia ſaturabuntur.* Iohan. 20. *Beati qui non uiderunt, & crediderunt.*

Vitam æternam: Iohan. 3. 5. 6. 17. *Qui credit, habet uitam æternam. Et ea quidem inchoatur in hac uita, poſtea in reſurrectione erit glorioſior.*

In iudicium non uenire: Iohannis tertio: *Qui credit in eum, non iudicatur.* Iohannis quinto: *Amen amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui me miſit, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit, ſed trāſijt à morte in uitam.*

Mortem non uidere: Iohannis octauo: *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem nō uidebit in æternum.* Iohannis undecimo: *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum.*

Inhabitationem Dei in nobis: Iohannis ſexto: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Iohannis decimoquarto: *Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſiones apud eum faciemus.* Iohannis decimoſeptimo: *Vt & ipſi in nobis unum ſint.*

Donationē Spiritus ſancti: Iohannis decimoquarto: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiſcum in æternum, Spiritum ueritatis.*

Fructum nouæ obedientiæ. Lucæ primo: *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ei: In ſanctitate & iuſticia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.* Iohannis decimoquinto: *Ego elegi uos, & poſui ut eatis, & fructum afferatis.* Item: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Lucem: Iohan. 12. *Qui credit in me, in tenebris non manet.*

Inuocationem: Iohannis decimoquinto: *Si manſeritis in me, & uerba mea in uobis manſerint, quodcunq; uolueritis petetis, & fiet uobis.* Iohannis decimoquarto, decimoſexto: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.* Itaq; oportet ueros adoratores prius per Chriſtum iuſtificatos eſſe, quàm in nomine eius poſſint ardenti corde ad Deum preces inſtituere ac fundere.

Gaudium in cœlis: Lucæ decimoquinto: *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.*

Reſurrectionem lætam ac fœlicem, certamq; eius ſpem, Ioh. 6. *Qui credit in eum, habet uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

Aditum in paradiſum: Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Poſſeßionem regni: Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, poßidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi.*

Reſtitutionem totius hominis, quæ hic inchoatur, at in uita æterna implebitur. Sicut in typo ſaucia-ti, quem Samaritanus curandum ſuſcipit ex mera miſericordia, deſcribitur.

¶ *Contraria huic iuſtificationi docet eſſe Chriſtus, iuſticiam ſcribarum & phariſæorum, quæ erat tantum externa externorum operum obſeruatio qualiſcũque, & confidentia in opera.*

Item ſibi ipſi adſcribere iuſticiam, qualem Deus exigit. Damnat autem eam expreſſe, quòd ad iuſtificationem coram Deo attinet, tanquam inſufficientem, Matthæi quinto, Matthæi decimooctauo, Lucæ decimooctauo, Matthæi uigeſimotertio, & alibi ſæpe.

Murmurare aduerſus Deum, quòd gratis peccatores recipiat: ut faciunt operarij in uinea Matthæi 20. *& frater acolaſti*, Lucæ 15.

Eſſe ſecurum, impœnitentem, contumacem & deſperabundum: Lucæ decimoquarto: *Dico uobis, quòd nemo uirorum illorum qui uocati ſunt (hoc eſt, qui pertinaciter aſpernati ſunt uerbum) guſtabit cœnam meam.* Lucæ ſexto: *Qui audiuit, & non fecit, ſimilis eſt homini qui ædificauit domum ſuam ſuper terram, abſque fundamento, in quam illiſus eſt fluuius, & continuò cecidit, & facta eſt ruina eius magna.*

Foſſe hanc acceptam iuſticiam excuti peccatis contra conſcientiam, docet typus ſeu hiſtoria ſerui, qui

qui debito remisso, nullam erga conseruum misericordiam exhibuit: & ita effusa gratia Domini, in damnationem perpetuam præcipitatus est. Idem concio Christi docet Matthæi 12. de reuersione diaboli. Eôdem spectant exempla Iudæ & aliorum innumerabilium, qui in populo Iudaico à Christo defecerunt. Rursus autem, lapsos agentes pœnitentiam recipi à Deo, fide in Christum, Christus docet Matth. 18. ubi quærenti Petro, quoties debeat dimittere? respondet: Non dico tibi usq; septies, sed septuagies septies. Semper enim ualet hæc uox Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & Lucæ 15. Gaudium erit coram angelis in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Idem declarant exempla Apostolorum, qui post passionem ad Christum, à se desertum, redeunt: præcipuè uero Petri.

Postremò, in exemplis seu typis à Christo propositis, pleræq; partes modò recitatæ, ad uiuum expressæ conspiciuntur: ut non sit infrugiferum futurum, paucis ea considerare. Matthæi decimooctauo: Valde illustris typus iustificationis omnium hominum coram Deo in conspectum proponitur. Ideo enim unus sumitur, ut æqualitas totius generis humani notetur. Seruus esse dicitur, quia omnes homines Deo, ipsa creatione & beneficijs innumeris sunt obligati, & ad seruitutem quandam ei præstandam obstricti. Rex est, qui iure ac cum potentia quadam & autoritate non plebeia, cum seruo agere potest. Rex igitur accersito seruo, & posita ratione, aperit seruo debitum immensum, nempe decem milium talentorum. id uerò iusticiam Dei pingit, qui seriò obedientiam integram iuxta patefactam uoluntatem, nempe legem suam postulat: & quòd obedientibus præmia certò largiatur, inobedientes seueriter puniat. Est enim iusticiæ proprium, flagitare aut obedientiam, aut pœnam. Seruus debitum hoc infinitum prius à se non consideratum, ex ratione proposita à rege agnoscit. Res enim certa & clara erat. Sic homines, quòd ad suas utres attinet, non possunt peccatorum suorum molem cernere, nisi Deus uoce legis eis aperiat, & quasi ad speculum deducat, in quo deformitatem suam horrendam contemplari queant. Promulgatur autem sententia in seruũ iure optimo, ut coniuge, liberis & omnibus diuenditis, soluat, ac perpetuò in captiuitate hæreat. Hoc est legis iudicium, & horrendum fulmen, sicut Deut. 17. scriptum est: Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Sed seruus, non est soluendo, consternatus procumbit in genua, & anxius animi tum ob debitum, tum ob pœnam in quam miser inciderat, solutionem promittit: quam nunquam præstare poterat. Hic est legis effectus. Quid fit? Rex misericordia erga hunc suum seruum debitorem, soluere non ualentem, damnatum, in summis mœroribus constitutum, motus, eum à pœna, & à debito seu reatu liberum omnino pronunciat. O inenarrabilem Dei erga nos miseros, perditos & damnatos homines misericordiam, quòd indignos peccatores seu impios, coram se uoce legis humiliatos, absque nostro merito, sola sua inexplicabili misericordia à peccatis omnibus & damnatione legis æterna in uniuersum liberos pronunciat, idque facit Euangelij uoce. Habes igitur hic efficientem causam iustificationis ipsum Deum. Seruus enim hic se non poterat tueri suis meritis, ac ne minimum quidem ex dignitate propria consequi, licet ex consternatione animi temerè garriret, omnia se redditurum esse. qua quidem in re cordis humani prodit inanem præsumptionem, & spem uanam. Semper enim sperat, se aliquando Deo satisfacturum, per sua opera. Habes causam formalem iusticiæ, nempe gratuitam remissionem debiti, & pœnarum æternarum. Gratis quoque omnia exhibentur hic beneficia. Habes modum applicationis, nempe per uerbum Dei. Habes, quibus donetur hæc iusticia: nempe indignis, immeritis, humiliatis. Habes ordinem, quem Deus in iustificatione obseruat: nempe quod primùm lege agnitionem peccatorum & consternationem in cordibus excitat, ut extra nos auxilium necesse habeamus quærere. Intelligi & hoc potest, hunc seruum fide oblatam misericordiam sibi cupidissimè & certissimè ac singulari gaudio applicasse, neque de efficacia istius absolutionis dubitasse quicquam. Intelligitur & effectus huius iustificationis, nempe quòd omni pauore liberatus, ingentique lætitia perfusus, ante Dominum surrexerit, nihil aliud quàm propicium regem ac libertatem iucundissimam in corde cogitans, seq; ob eam terq; quaterq; beatum æstimans. Cæterùm & hic ipse typus docet, excuti peccatis contra conscientiam, quæ pertinaciter defendimus, iustificationem hanc totam, & sequi æternas pœnas, nisi rursus fide à Christo misericordiam flagitemus. Seruus enim iste accepta remissione peccatorum integra, absque operibus, iam progressus foràs, debebat dilectionem erga conseruum exhibere, sine qua tamen antea erat iustus in iudicio Dei pronunciatus. Verùm oblitus misericordiæ, inclementer torquet ob paruum debitum conseruum suum, nihil Deum hominésque metuens. Non delectatur autem his peccatis rex, id est Deus: nempe obliuione acceptorum beneficiorum, securitate, inclementia erga proximum, contemptu aliorum: sed retractum seruum tortoribus tradit, hoc est, in æternum damnat. Recitamus autem ista aliquanto prolixius, ut paulo altius expendantur, & pectoribus imis reponantur.

Eiusmodi exemplum & in publicano exhibetur. agit enim in conscientia coram Deo. ac iustificatum eum uerè esse, ipse Christus clarè profitetur. Causa igitur efficiens iustificationis in hoc publicano erat, nulla creatura, sed Deus. Eum enim implorat. & Christus testatur eum accepisse, quod per se non habebat. Causa formalis erat propitiatio Dei, & gratuita iustificatio: hoc est, peccatorum condonatio, & imputatio iusticiæ. Veniebat enim ad Deum non tanquam iustus, sed tanquam peccator indignus. Fides eius periphrasi inuocationis suæ describitur. Habet enim cor ad Dei misericordiam directum: ac statuit se, licet indignum, tamen ex mera Dei misericordia remissionẽ peccatorũ impetraturũ. Lucet igitur in ipsius corde uera fides. Et cũ sit impossibile, misericordia Dei firmiter niti sine cognitione Messiæ, cõstat eũ habuisse nõ uulgarẽ Messiæ noticiã: idq; etiã inuocationis uerba testãtur, in quibus ad promissiones de semine benedicto respexit.

Ordo iustificationis hic illustris est. Primùm se coram Deo uera cordis consternatione & omnibus gestibus humiliat, ac dolet se in peccatorum sordes & iustam Dei iram & cõdemnationem incidisse. Deinde non desperat, nõ fluctuat suis cogitationibus, ignarus ubi cõsistat: sed implorat Dei misericordiam propter Messiã, inq; hac petra firmiter consistit, credens iuxta promissiones reuelatas, se ob peccata patrata non damnatum iri, sed ex ingenti Dei misericordia consecuturum gratiam, ac benignam remissionem. Causæ igitur acceptionis sunt, non ipsa publicani opera (nulla enim nec poterat, nec uolebat, iudicio Dei opponere) sed misericordia Dei gratuita, cui meritum Messiæ includitur. Sequitur etiam effectus continuò: nempe conscientiæ trãquillitas, ac sensus beneuolentiæ Dei in corde, repressis atq; exemptis doloribus prius animũ excruciantib. Et Christus asseuerat, eum iustificatum fuisse: hoc est, coram Dei iudicio gratis, ex immensa Dei misericordia, ab omnibus peccatis absolutum, & imputatam esse peccatori indigno iusticiã coram Deo ualentem.

In filio perdito eadem conspiciuntur. Recipiẽs eum, pater est, omnem ei inobedientiam condonans. Ipsa receptio, est inobedientiæ totius & omnium delictorum gratuita condonatio. Causæ acceptationis huius sunt, nõ qualitates aut opera in hoc Acolasto, quæ suo ipsius iudicio nulla habebat (imò inobedientiã adferebat, iustamq; patris sui iram atq; æternam abiectionem commeritus erat) sed gratuita, paterna & immensa misericordia patris, qua non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Ordo est, quòd non securus, non contumax aut impœnitens, nec proprijs operibus turgens ac superbiens, ut frater eius, de magna paupertate tolerata ingentia iactans, ad patrem accedit: sed humilis & corde & gestibus, ore & corde testificans se esse indignum peccatorem, meritum æternam patris iram & damnationem. Deinde uerò non ait, se compensaturum peccata operibus satisfactorijs: sed implorat misericordiam gratuitam, ne omnino repudietur. Flagrat autem iam in ipsius corde hæc fides, patrem ex gratuita & immensa misericordia se recepturum esse. Non enim sua dignitate, sed paterno pectore nitebatur. Bona huius conuersionis sunt: nempe gratuita receptio, exhibitio paternæ & immeritæ beneuolentiæ, ornatus splendidus, gaudium patris, & totius domus: hoc est, Ecclesiæ.

Idem representatur in muliere peccatrice, Luc. 7. Qui enim ei remittit peccata, Christus est. Eius acceptio seu iustificatio, nihil aliud quàm gratuita remissio peccatorum est. Causæ igitur remissionis peccatorum tantum sunt, misericordia immerita, & manifestè prædicatur gratuitum beneficium. Vocatur enim peccatrix, ipsamet deplorat sua peccata: Christus testatur debitrici remitti peccata, non ei quæ sanctitate propria fuisset aliquid merita. Apprehendit autem remissionem peccatorũ, seu imputationem iusticiæ, quæ ei per Christum annunciatur fide. id quod cordium ille inspector IESVS Christus ipse asseuerat: Fides tua, inquit, te salũã fecit. Ordo est, procidẽs ad pedes IESV, lachrimis rigat eius pedes: ac testatur singultibus suis ac reliqua humiliatione, se esse peccatricem, commeritam æternã damnationem, se sentire iræ Dei ac mortis dolores. Deinde uerò non desperat, neq; de proprijs meritis agit: sed fide misericordiam Dei, & hunc ipsum Christum, quem pro Messia agnoscit, sibi applicat: & non dubitat, ipsius merito sua peccata deleri. Ideo unguento, tanquam morituram uictimam inungit. Bona huius acceptationis sunt, salus, remissio peccatorum, pax conscientiæ, dilectio Christi, seu noua obedientia.

Illustre exemplum & in latrone proponitur, cum Christo simul in ipsa cruce suspenso. Nec est dubitãdũ quin singulari Dei consilio, in hac ipsa passione Christi, tale exemplum ac forma iustificationis, in quo nimirum fructus meriti Christi illustrantur, toti mundo sit propositum. Alio enim modo, quàm iste latro, nemo iustificabitur. Qui eum accipit ac iustificat, Christus est, stillans ex suo affixo & perforato corpore sanguinem. Causa formalis eius iustificationis, est donatio paradisi: hoc est, absolutio à peccatis omnibus, & liberatio ab æternis pœnis coram Deo: donatio & imputatio meriti Christi, qua ad paradisum hominib. inde eiectis rursum aditus pateret. Causæ eius acceptionis erant, misericordia & meritum Christi. Nam agnoscit latro, Christum innocenter pati, atque eam passionem ad se quoque pertinere. Fide autem Christum sibi applicat: id quod sua petitione non obscurè significat. Credit enim, eũ qui modò à Iudæis interficiebatur, regnum habiturum esse perpetuum. quæ res sanè excellentis fidei argumentum erat. Ordo est, quòd perspicuè fatetur se peccatorem, ac iustè iam supplicio affici. Deinde ad Christum cõfugit, & ab eo æterna bona expetit gratis. statim autem Christus ei, quod optabat, offert, inquiens: Hodie mecum eris in paradiso. Effectus eius iustificationis sunt, conscientiæ tranquillitas, certa spes futuræ glorificationis in æterna uita. Conferantur iam & reliqua exempla omnia, in quibus eadẽ perpetua Iustificationis forma conspicietur, quæq; ob breuitatem hoc loco prolixius excutere non licet.

DE FIDE.

ETsi in loco de pœnitentia rursum de fide dicendum erit, tamen hic integram eius explicationem cõplecti necesse est. Organon enim est, quo imputationem iusticiæ, seu remissionem peccatorum gratuitã apprehendimus. Deinde huius doctrinæ intellectus etiam ad locum de bonis operibus adferendus est.

Significat autem fides, seu credere, interdum tribuere ueritatem, & dictis assentiri: ut Lucæ 1. Quia non credidisti uerbis meis, eris mutus. Opponebat enim angelo Zacharias, suam philosophiam seu cogitationes, ex ipsa ratione seu natura sumptas: iuxta quas metiebatur uerba Dei, quæ nulla physica se patiuntur constringi. Item: Beata, quæ credidisti: perficientur enim in te, quæcunque sunt tibi à Domino prædicta. Matthæi uigesimoquarto: Ecce in penetralibus, nolite credere: hoc est, nolite pro ueritate eam doctrinam pseudoprophetarum amplecti. Iohannis quarto: Credidit homo sermoni, quem dixit IESVS: hoc est, statuit eũ esse uerũ. Iohannis quinto, Si crederetis Mosi: hoc est, eius doctrinam pro uera haberetis. Aliàs simpliciter se alicui cõmittere significat, eiq; ueritatem ac probitatem tribuere. ut Iohannis secundo: IESVS non credebat semetipsum eis, quia ipse norat omnes: hoc est, non cõmittebat, iudicabat eos non candidè agere, nec esse constantes.

tes. Matth.23. fides pro secundæ tabulæ opere uidetur accipi, nempe pro ueritatis studio, & constantia in rectè dictis & factis, quamuis & de fide in Christum intelligere liceat: Reliquistis, inquit, quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, fidem. Postea uerò passim in Christi & Apostolorum concionibus, fides significat instrumentum, hoc est, cordis assensum & fiduciam, qua apprehẽdimus Christum cum suis beneficijs, certò uc gratis nobis promissis, iuxta uerbũ gratiæ reuelatum. Huc pertinet infinitus testimoniorum numerus, nos pauca recensebimus: nam reliqua in sequentibus occurrent. Matth.9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Marci 16. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Ioh.1. Vt omnes crederent per illũ. Ioh.3. Vt omnis qui credit in eum, habeat uitam æternam. Item: Qui credit in eum, non iudicabitur. Ioh. 9. Credis in filium Dei? Iohan.14. Creditis in Deum, & in me credite. Iohan.20. Credentes uitam habent in nomine eius. Item hæc locutio aliquoties occurrit, Fides tua te saluum fecit, &c.

Huiusmodi igitur definitio fidei, ex testimonijs perspicuis componi potest: Fides est noticia certa uerbi Dei, & articulorum fidei, eorumq; assensus. Præcipuè uerò est noticia Christi, & promissionis gratiæ, & applicatio ad se in specie remissionis peccatorum & iustitiæ, per sanguinem Christi partæ, & fiducia certa acquiescens in misericordia Dei ac merito Christi, & ex ijs iuxta euidentes promissiones & Sacramenta statuens, se Deo recõciliatum, iustum ac hæredem esse uitæ æternæ. Seu breuius sic: Fides est fiducia innitens promissionibus gratiæ propter Christum. Vel, Fides est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ. Hæc eôdem tendunt, & in sequentibus explicabuntur.

Vnde sit hæc fides, ex Christi concionibus constat. De efficiente enim causa sic docet, quòd eam Deus in cordibus hominum excitet & accendat. Iohan. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Etsi enim indicat præcipuum hoc opus à Deo exigi, ut fide Christum complectamur: tamen & sequentia declarant simul hanc sententiam includi, fidem à Deo esse, neq; naturaliter in nostris cordibus nasci. Nam paulopòst inquit: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. & rursum: Propterea dixi uobis, quòd nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Loquitur autem Christus de fide, qua ipse agnoscitur, & cum suo beneficio applicatur. Lucæ 17. Domine, adauge nobis fidem. quibus uerbis petitur incrementum fidei à Christo, qui & initium dederat. Sic Marci nono quidam dicit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Lucæ 22. inquit Christus: Rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Docet igitur, fidem esse donum Dei, non uirtutem quam homines propria industria consequi possent. Marci 11. Habete fidem Dei. id uerò exponi potest, sicut dilectio Dei, passiuè: hoc est, quam Deus in uobis operatur. Rectè tamen nihilominus intelligitur actiuè, fides Dei: id est, in Deum. & Matth.16. Beatus es Simon Ionæ: quia caro & sanguis tibi non reuelauit, sed pater meus qui est in cœlis. Matth.11. Gratias ago tibi pater, quòd hæc abscondisti à sapientibus, & reuelasti paruulis. Ioh. 1. Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. & Iohan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.

Accendit autem hanc præclaram lucem fidei in cordibus hominum Deus per media, ipsum numirum uerbum & sacramenta. Ioh.1. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Ait, ideo Baptistam de Christo concionatum esse, ut hac uoce fides in præsentem Meßiam excitaretur. Iohan.2. Crediderunt discipuli Scripturæ, & sermoni quem dixit IESVS. Itaq; per ministeriũ uerbi & conceperunt fidem discipuli in Christum, & in ea corroborati sunt. Iohan.4. Ex ciuitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbũ mulieris. Item: Multo plures crediderunt in eum, propter sermonẽ eius. & mulieri dicebant: Iam nõ propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quod hic uerè sit saluator mundi. In hac narratione, medium aliquoties iteratur, per quod fides in corda hominum instillatur. Iohan.5. Qui audit uerba, & credit ei qui misit me. Crebrò autem auditus uerbi & fides coniunguntur. Vnde perspicuum fit, uerbum ordine præcedere fidem: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Clarè affirmat, ex uerbo fidem proficisci, & quidem ex uerbo de Christo. Iohan.6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Iohan.8. Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex Deo est, uerba Dei audit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Duo his uerbis docet Christus. Primùm, ex auditu uerbi concipi fidem in se. Alterum, ut uerbum apud nos locũ inueniat, & cor firmiter assentiatur, esse Dei in nobis opus. Ioh.17. Sanctifica eos per ueritatem tuam. sermo tuus est ueritas. Iohan.17. Non pro eis rogo tantum, sed & pro ijs qui crediturí sunt per uerbum eorum in me. Idem parabola de semine, Matth.13. admonet. Pertinent ad uerbum etiam miracula, quibus aliqui, ut crederent, moti sunt. Non igitur alia ratione fides accenditur, quàm ministerio uerbi, in quo Deus efficax est. Id in exemplis quoq; uidere est. ut Iohan.4. de Samaritana. Iohan.9. Christus ad cæcum ait: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei IESVS: Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum. Egregia historia, in qua uiuis quasi coloribus depingitur, qua ratione fides in Christum excitetur, quam homines non habent naturaliter: nempe, uerbo de eo sonante, in quo ipse filius Dei est efficax. Congruunt & reliqua exempla, quæ hoc loco non putamus esse prolixè comemorãda. Hanc deniq; ob causam Baptista præcursor Domini est, ut sua concione, & ostensione, quod hic Christus esset agnus Dei, fidem excuscitaret. Ideo pater sonat de cœlo, Hunc audite. Ideo ministerium uerbi institutum est, ut omnibus gentibus annunciaretur Christus. Per Sacramenta autem Deum fidem operari, ex ipsa institutione patet: habent enim promissiones luculentissimas adiunctas.

Esse fidem in mente & corde motus quosdam, hoc est, noticiam uerbi Dei & Meßiæ, ac in corde assẽsum atq; fiduciam in Christum, liquet ex dictis Euangelicis:

quam-

quamuis non ità pueriliter, ut nos, locuti sint Euangelistæ. Iohan. 9. cæcus sanatus, prius ad noticiam Christi uerbo deducitur: postea etiam corde eum amplectitur, & sequitur adoratio. Iohan. 6. Nos credimus, & cognouimus, quòd tu sis filius Dei. Vtraq; hac breui sententia comprehenduntur: nempe noticia uera Christi, quòd sit filius Dei, & Meßias: deinde assensus & cordis fiducia. Iohann. 17. Quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt uerè quòd à te exiui: & crediderunt, quòd tu me misisti. Matth. 13. Cum quis audit sermonem regni, & non intelligit, uenit ille malus, & rapit id quod seminatum est, ex corde illius. & Marci 5. Lucæ 24. Tardi ad credendum corde, omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Aperit autem primùm scripturas Christus, de paßione sua luculenter prophetantes: deinde simul per uerbum in eorum cordibus assensum & fiduciam accendit. id quod ipsimet postea fatentur, cum inquiunt: Nónne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis Scripturam? Audis noticiam prius dari. deinde simul excitari cordis ardorem, seu assensum ac fiduciam: ac medium quo fides instillatur, Scripturam esse. Atq; hæc quidem de causa materiali IN QVA fidei, ut in Scholis loquuntur, dicta sint.

Obiecta fidei sunt, Verbum, gratuita misericordia, ac meritum Christi. Primùm fides statuit, uerbum Dei reuelatum esse uerum & indubitatum. Iohan. 3. Qui acceperit eius testimonium, signauit quòd Deus uexax sit. Deinde nititur misericordia, & Christi merito. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Audis dilectionem, seu misericordiam Dei: audis filij mißionem, seu meritũ, & quòd hæc fide accipiantur. Iohan. 5. 6. & alijs in locis, Christus grauißimè contendit ac docet, se à patre missum, eiusq; uoluntatem docendo ac patiendo expedire, ac requirit fidem. Vult igitur, mentes hominum defixas esse in misericordiam Dei immensam, quod misso filio genus humanum ab hostibus suis perpetuis uindicare uoluerit, & in hoc ipsum opus seu meritum Christi.

Versatur autem interdum fides circa res spirituales, interdum circa corporales. Ad spirituales hæ sententiæ pertinent. Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Marci 16. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Iohan. 3. Qui credit in me, habet uitam æternam, non uenit in iudicium. quod figuratè Iohannis 6. effertur: Qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Iohan. 7. Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Iohannis 12. Qui credit in me, in tenebris non manet: & similes. Ad corporales, Marci 9. Si potes credere, omnia poßibilia credenti. agebatur enim tum de eiectione dæmonij. Lucæ 8. Crede tantum, & salua erit. Vult enim Iairum credere, filiolam suam uita defunctam, à mortuis resuscitatum iri. Matth. 6. obiurgat suos auditores de modica fide in rebus corporalibus. Si fœnum, inquit, agri, quod hodie est, & cras in clibanum proijcitur, Deus sic uestit: quãto magis uos, modicæ fidei? Multis præterea ibi argumentis & præclaris sententijs fidem in rebus corporalibus erigit ac confirmat. Iohan. 4. Regulus credit sermoni, quem audit à IESV: nempe, filium suum restitutum esse sanitati. Et Matth. 8. reprehendit Christus trepidationem Apostolorum in mari periclitantium: Quid timidi estis, inquit, exigua præditi fiducia? Frequenter autem uno dicto utraque obiecta coniunguntur. ac docet hoc pacto Christus, etiã in corporalibus rebus oportere fidem rerum spiritualium prælucere. Eius generis dicta sunt plurima, ut Matth. 8. Non inueni tantam fidem in Israel. Agnoscebat autem Centurio Christum pro Meßia, ad se pertinentem: & tribuebat ei firmo corde uoluntatem ac potentiã opitulãdi suo paralytico, pro quo intercedebat. Matt. 9. Confide filia, fides tua te saluã fecit. Primùm fides in spiritualibus hærebat, nempe quòd IESVS esset Meßias, ac remißionem peccatorum ab eo esset impetratura. deinde hac fiducia etiam statuit, se ab eo liberatum iri à sanguinis fluxu, quem nemo alius sistere poterat. Item: Creditis quod hoc facere poßim? Hic prius fiducia in Christum requiritur, quæ tribuit ei omnipotentiam, misericordiam ac clementiam erga cæcos: deinde etiam corporale auxilium, nempe restitutionem uisus. Mar. 10. Luc. 7. Fides tua te saluum fecit. Marci 11. Omnia quæcunque petieritis, credite quòd accipietis, & eueniet uobis. De spiritualibus & corporalibus hæc dicuntur, & ita quidem, ut res spirituales primo loco ponantur, fides uerò utrisque præluceat.

¶ Proprietates fidei, quæ exponunt qualis res sit fides, ex dictis Euangelicis colligi debent. Sunt autem hæ: noticia uerbi & ipsius Christi, applicatio specialis, fiducia certa & indubitata, assensus ante experientiam.

Prima fidei proprietas est, noticia uerbi Dei, atque adeò ipsius Christi & historiæ eius, & firmus assensus, uerbum Dei & historiam de Christo indubitanter pro ipsißima ueritate amplectens. Testimonia superius, ubi de medijs & obiectis fidei diximus, collecta sunt. Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est mihi, hunc audite. In hac sententia à Deo præcipitur, ut homines noticiam uoluntatis suæ ac filij missi habeant. Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti eße Christum. Hoc modo & ministerium sancitur: Ite in mundum uniuersum, prædicantes Euangelium omni creaturæ. Nemo igitur ambigit, quin noticia ac assensus historiæ sint necessaria. Sed oportet etiam accedere sequentes proprietates.

Secunda fidei proprietas est, applicatio specialis, ut quilibet sibi uerbum Dei, & in primis gratuitam misericordiam Dei, ac meritum filij applicet: nec tantum in genere historiã pro uera habeat, credatq; alijs paßionem Christi utilem esse, sed SIBI quoq;. Huc pertinẽt illa ipsa, quæ modò allegata sunt. Requirit enim talem auditum filij pater cœlestis, quo quilibet eum sibi applicet. Eadem ratione de cognitione patris ac filij loquitur Christus, quæ nimirum sibi propitiã patris uoluntatem ac filij meritum applicet, eoq; se sustentet. Matth. 9. Confide fili, remittuntur TIBI peccata tua. Quibus uerbis non tantum præcipit, ut in genere sciat IESVM esse Meßiam, habere potestatem dimittendi peccata: sed sibi quoq; esse Meßiam, sibi ab ipso liberationem à peccatis & imputationem iustitiæ contingere.

Lucæ

Luc.7. Remittũtur tibi peccata tua. Clarè uult, peccatricẽ sibimetipsi remissionẽ, quam audit à Christo pronũciari, applicare in specie. Matth.15. O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Audis, Tua & Tibi: quibus dictionibus significat, eam sibi Christum in specie, cum suis beneficijs quasi proprium fecisse. Idem formula, quæ sæpius occurrit, explicat: Fides tua te saluũ fecit. Iohannis primo: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Audis, recipere & credere, quæ æquipollent: nihilq; aliud uolũt, quàm applicationem Christi, quam sibi quilibet facere debet. Mandatum quoq; de applicatione Ioh.6. traditur: Hæc est, inquit, uoluntas, hoc est seriũ mandatũ, eius q̃ misit me, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eum, habeat uitam æternam. Angeli canunt: Vobis hodie natus est saluator. Imò ideo hæ phrases subinde occurrunt, Credere in eum, credere in nomen eius, ut declaretur accommodatio, quam quisque debet ad sese facere. Huc pertinent & illæ locutiones: Venite ad me, Matt.11. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur: Oues meæ meam uocem audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Iohannis decimo: Ego sum resurrectio & uita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Iohan.11. Ego sum uia, ueritas & uita: nemo uenit ad patrem, nisi per me. Iohan.14. Vt ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quòd tu me misisti. Arctissimam sanè coniunctionem his uerbis denotat, quam significat nihil aliud esse quàm credere in Christum. Nam qui solam noticiam historiæ habent, non sunt unum in patre ac filio. Idem exemplà probant. Omnes enim quicunque remissionẽ peccatorũ acceperunt, necesse fuit sibi Christum, eiusq; beneficia iuxta uerbum applicare. Certè latro audiens dulcissimam absolutionem à peccatis suis & æternis pœnis, nõ in genere tantum credit Deum esse misericordem, Christum habere regnum, & autorem ac largitorem uitæ esse: sed sibi accõmodat, statuẽs sibi hanc uocem sonuisse, sibi sacrificium Christi prodesse, se in regno æterno unà cum glorioso Christo fore. Confirmant denique eam specialem applicationem ipsa sigilla gratiæ, nempe Sacramenta. Marci 16. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Sicut igitur cuilibet lauacrum illud salutare necesse est adhiberi: nec satis est alios baptisari, nisi tu quoque mandato Christi abluaris: ita & fide promissionem isti lotioni annexam, quemlibet necesse est sibi, ut sic dicamus, appropiare, ac statuere sibi salutem ac remissionem peccatorum per Christum iuxta ipsius euidentia uerba contingere. Sic in cœna Domini, cuilibet datur corpus & sanguis Domini: ut quilibet sciat, sibi meritum Christi totum in specie iuxta uerba Christi donari, ne putet meritum huius Missiæ ad alios tantum pertinere. Sic iubet Christus, remissionem peccatorum annunciari cuilibet. Iohan.20. Quorum, inquit, remiseritis peccata, remissa erunt. Porrò illustrant ac certiorem reddunt eam applicationem hæc duo capita doctrinæ de Iustificatione, quòd gratis, & q. toti mundo sit parta salus. Indignitatis enim cogitatio, uehementer animos excruciat, ac retrahit ab applicatione meriti Christi. Sed ex gratuita misericordia Christus uenit, gratis etiam & indignis suum meritum confert: repudiatis dignis, hoc est suis operibus confidentibus. Matthæi nono: Veni uocare peccatores: scilicet, agentes pœnitentiam. Matthæi decimooctauo: Venit filius hominis saluare quod perierat. Matthæi undecimo: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Iohannis undecimo: Ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Deinde omnium peccata Christus tulit. Ergo & omnes uult accipere, omnibus defert liberalissimè sua merita, neminem ad se uenientem fastidit. Iohannis sexto: Venientem ad me, non eijcio foras. Iohannis primo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Mundi, audis: ergo etiam tua peccata expiauit. Iohan.3. Sic Deus dilexit mundum (ergo & tu in hac dilectione comprehenderis) ut omnes qui credunt in eum, nõ pereant, sed habeant uitam æternam. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Imò uisitat Deus uoce Euangelij omnes gentes. Quapropter summum & atrocissimũ peccatum est, se eximere è mundo, quasi Christus non satisfecisset pro tuis peccatis: se excludere ab hac uniuersali, Venite omnes, ut omnes habeant uitam, quasi falsa protulisset filius Dei. Cohercendas igitur pestilentissimas de particularitate cogitationes, hisce sententijs Christus monet.

Tertia proprietas est, quòd non leuis sit applicatio, sed fiducia certa, fixa in miseri cordia Dei inexhausta, & merito Christi, iuxta uerbũ ueritatis & Sacramenta adiuncta. Id uerò Christus passim inculcat. Matth.9. inquit, θάρσει τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου: Cõfide fili, seu confidenter, audacter, sine ulla dubitatione hoc teneto, remittuntur tibi peccata tua. Item, θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε: Confide filia, sis bono animo, certa ac persuasa, fides tua te saluam fecit. Ac confidere & credere pulchrè coniunguntur. Matthæi 15. ob certitudinẽ fides mulieris prædicatur: Magna, inquit, est fides tua, fiat tibi sicut uis. Agnoscit Christũ pro filio Dauid. seu Messia: Misericordiæ ipsius innititur, eumq; sibi applicat: ac firmiter statuit, contra omnia impédimenta, quæ ei obijciuntur, se accepturam & impetraturam etiam coporale beneficium. Eadem certa fiducia cordis Centurio Matth.8. & hæmorrhoissa Matth.9. ad Christum accedunt. Iohan.3. Qui credit in eum, non iudicatur. Ambigens non potest certò statuere, iram Dei à se esse ademptam, & se in iudicium non uenturum esse. Iohan.4. Samaritani profitentur se credere in Christum, & dicunt: Scimus, quòd hic est uerè saluator mundi. Iohan.6. Nos credimus & cognouimus, quòd tu sis filius Dei. Affirmant se se persuasissimum habere, quòd sit filius Dei, ac sibi opem sit laturus. Ioannis decimo quarto inquit: Creditis in Deum, & in me credite. Iohan.20. Quia uidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Increpat Thomam ob dubitationes, & uult tam ipsum quàm alios homines firmissimo corde se ac sua merita amplecti. Aliàs quoque sæpe imbecillem fidẽ reprehendit, ac certitudinem maiorem flagitat, quam quidem suis concionibus & miraculis magis erigit & auget. Matthæi octauo: Quid timidi estis, modicæ fidei? Matthæi nono ad cæcos inquit, prius certitudinem fidei extorquens: Creditis me hoc facere posse? & subijcit: Secundum fidem uestram fiat uobis. Matthæi decimoquarto inquit ad Petrum: Modicæ fidei, quid dubi-

dubitasti? Matth.16. Quid cogitatis inter uos modicæ fidei,quòd panes non habetis? Marci quinto:Noli timere,tantum crede. Nonnihil concutiebatur & trepidabat fides archisynagogi, accepto nuncio, filiam suam extinctam esse: sed iubet Christus eum certò credere, quòd eam posit ac uelit resuscitare. Marci 9. ad parẽtem afferentem filium dæmonio obsessum, inquit:Si potes credere,Omnia possibilia credenti. Priusquam igitur beneficium conferat,fiduciam ei præcipit: ac petit homo,ut ipse Christus exiguam fidem stabiliat,& solidiorem efficiat:Credo,inquit,Domine:adiuua incredulitatem meam. Lucæ 1. punitur Zacharias priuatione sermonis ad tempus,eo quòd non firmiter credidit uerbo Dei,sibi ab angelo denunciato. Lucæ uigesimoquarto grauiter & acerbè obiurgantur Apostoli,fluctuantes fide in Christum: O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Explicat autem mox,in qua re illa fidei certitudo consistere debeat:nempe Christum,iuxta Scripturam,pro ipsis & toto mundo passum,atque ipsos eo sacrificio habere remissionem peccatorum. Iohannis undecimo: Si credideris, uidebis gloriam Dei. Matthæi uigesimoprimo:Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solũ de ficulnea facietis:sed si monti huic dixeritis,Tolle te, & iacta te in mare,fiet. & mox attexitur: Et omnia quæcunque petieritis credentes, accipietis. Eandem certitudinem in oratione præcipit,quæ nihil hæsitat. Marci undecimo additur: Qui non hæsitauerit in corde suo. Copulantur etiam propter eam causam Sacramenta seu externæ actiones,cum promissionibus Euãgelij,ut hæc certitudo in animis hominum & melius excitetur,& certius quasi sigillo confirmetur.

Quarta fidei proprietas est,assentiri etiam ante experientiam.Sic Matthæi octauo, Centurio: Matth.9. hæmorrhoissa:certò statuunt,se beneficia, alijs creaturis impossibilia,à Christo impetraturos, priusquam ea sensibus deprehendant. Hac enim luce præfulgente, Christum cõpellant. Idem sibi persuaserat Cananæa, infracta fiducia instans de auxilio, quod etiam cum singulari encomio fidei suæ promptissimè à Christo accipit.Matth.9. Marc.9. priusquam ipsa experientia testificetur Christus,se & uelle & posse opem ferre,requirit ab ipsis fidem,quæ assentiatur. Iohannis quarto:Regulus tantum audita uoce Christi,Filius tuus uiuit,credidit sermoni, ac lætus discedit: Postridie uerò rem ex seruis cognoscit, & domi aspicit sanatũ filium. Iohan.11.Si credideris,uidebis gloriam Dei:requirit assensum, se uelle & posse in uitam reuocare mortuos, priusquam oculi coram contueantur. Dulcissimam sanè hæc res consolationem præbet, quòd nimirum uerbo,licet sensibus nondum comprehendamus, certò debeamus assentiri ac credere,nihil dubitantes,quin effectus etiam sit consecuturus. Christus reprehendit Thomam,quòd assentiri noluerit, antequam uideret & attingeret Christum:Thoma,inquit, quia uidisti, credis: Beati qui non uident, & tamen credunt. Reprehendit etiam Pharisæos, signum quærentes potius, quàm uerbo Dei credentes. Matthæi duodecimo: Generatio prana & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi,nisi signum Ionæ prophetæ.

Fidem oportere crescere,ex prædictis patet.Obiurgat enim Christus discipulos ob exiguam fidem, Marci 9. O generatio incredula, quàm diu apud uos ero? quàm diu uos patiar? Ac subinde præcipit,ut fides soli dior fiat.Marci nono:Si potes credere,inquit. Et rectè ille subijcit: Credo Domine, adiuua incredulitatẽ meã. Apparet insuper in Cananæa, quomodo erudiat & exerceat fidem Christus,ut crescat,& quasi in ipsis tentationibus consolidetur ac stabiliatur. Iohannis quarto fidem Reguli à miraculis ad uerbum & sese refert, satis duriter eum reprehendens:Nisi signa & prodigia uideritis,inquit,non creditis. Quasi diceret,necesse est te fiduciã in mea uerba collocare, etiamsi miracula nõ coràm contempleris.ac proficit Regulus tam feliciter, ut postea solo uerbo Christi contentus sit, nec dubitet ipso momento filium suum adiutum esse.neq; uerò hæc eum fides fallit,ut dictum est. Referantur huc & alia, quæ suprà commemorata sunt.

Est autem & hæc consolatio tenenda,quòd exiguã fidem non aspernetur Christus, modò paulatim crescat,& media quibus incrementa dantur, nõ repudiet. Tolerat enim etiam eos qui modica fide erant præditi: ipsumq; adeo Apostolorum exemplum consolationem hanc suppeditat,quorum imbecillitas in fide, singulari diligentia sæpius describitur. Egregia sententia extat Matthæi decimoseptimo,ornans etiam paruam fidẽ insigni encomio, & magnam ei potentiam adscribens: Amen,inquit,dico uobis, si habueritis fidem sicut granũ sinapis,dicetis monti huic,Transi hinc,& transibit, & nihil erit impossibile uobis. Quid magnificentius de pusilla fide,crescente tamen in suis exercitijs,dici potest? Et hæc ipsa Christus dicit,cum Apostoli peterent, Adauge nobis fidem: suamq; imbecillitatẽ agnoscerẽt, ut scribit Lucas cap.decimoseptimo. Vult igitur Christus,tantum se audiri,& inuocari:& non dubitari,quin etiam exiguam fidem sit accepturus.

Excuti fidem semel conceptam,& amitti rursus posse,ex multis exemplis & dictis Christi planum est. Matthæi decimosexto: Petrus dissuadens Christo passionem,& audiens,Vade post me satana,scandalum es mihi,non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum: certè fidem, quam confessione illustri de Christo paulantè declararat,amisit. Verùm ex concionibus Christi eam recuperauit.non enim in sua sententia pertinaciter perseuerauit. Iudas initiò præclara fide in Christũ præditus fuit,comitans eum longo tempore:uerùm postea excæcatus ambitione & auaritia, coniungens sese hostibus Christi, eúmque promissa pecunia corruptus sceleratè tradens,omnem fidem perdidit, ac deniq; in desperatione summa mortem sibi ipsi conciuit. Sic nouem leprosi, acceptis beneficijs, deficientes à Christo ad pontifices & Pharisæos, fidem omnem abiecerunt. Multi ex ijs qui Christo ingrediente Hierosolyma clamabant Hosianna,rursus clamant,Tolle tolle, crucifige,retracti & fascinati à Pharisæis. Horrenda concio est,de reditu spiritus immundi in uacuam ac scopis probè purgatam domum:qua significat Christus,securitate & alijs peccatis amitti fidem. Nec immeritò Christus dixit: Qui perseuerauerit usque ad finem, saluus erit.

De fide aliena docet Christus, & exempla idem explicant, quòd nimirum alijs impetret dona corporalia & spi-

& ſpiritualia ea ratione, ut alij conuertantur, ac propriam & peculiarem fidem accipiant, qua ſalui fiant. Huc ſpectat orationis forma, quã Chriſtus ipſe dictat. tali enim ratione eſt præſcripta, ut non tantum pro nobis, ſed pro alijs quoq; ſimul preces faciamus. ut, Pater noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum: hoc eſt, conuerte & ſanctifica non tantum me, ſed etiam alios homines. Adueniat regnum tuum: illuſtra & rege ſpiritu tuo ſancto, non tantum me, ſed etiam alios. Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo, ita & in terra: non tantũ in me, in mea domo, ciuitate, regione, ſed in terra tota. Panem noſtrum da nobis hodie: hoc eſt, omnes paſce pro tua benignitate. Dimitte nobis debita noſtra: conuerte me, & omnes alios: excita in me & alijs ardentẽ fidem, remitte mihi & alijs peccata. Et ſic cæteris. Matth. 9. aliquot uiri fide paralyticum Domino offerunt, quam & reſpicit: uerùm ea ratione, ut propriam fidem in paralytico accendat, qua ipſe pro ſe peculiari fide, non portantium fide, accipit remiſſionem peccatorum. Ita enim uerba ſonant: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 8. Centurio ſuo puero fide ſua impetrat liberationem à morbo. Matth. 9. Marc. 5. Iairus filiæ reſuſcitationẽ. Matth. 15. Cananæa expulſionem dæmonij ſuæ filiæ. Iohan. 4. Regulus filio ſanitatem. Et Chriſtus ad ſe afferri iubet infantes, & aſſerit talium eſſe regnum cœlorum.

Effectus fidei planè cum fructibus iuſtificationis cõueniunt. Non igitur neceſſe eſt denuò adſcribere. Vnum tamen aut alterum ex uerbis Chriſti, paucis adſignabimus. Oſtendit Chriſtus, ſe tantopere fide delectari, ut nihil uelit aut poſſit ei denegare, ſeſeq; promptiſſimum omnibus credentibus aſſiduè futurum eſſe. Quid enim poteſt dici ſuauius, quàm quod ad Centurionem inquit Matth. 8. Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi? Item leproſus adorat eum præſtanti fide: Domine, ſi uis, potes me mundare. Quo audito, protinus tangit eum Chriſtus, & inquit: Volo, mundus eſto. Matt. 9. Secundum fidem ueſtrã fiat uobis. Matth. 15. ſimiliter inquit: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis. Marci 9. ait: Omnia poſſibilia credenti.

Fide miracula perficiuntur: Matth. 17. 21. Marci 11. Amen dico uobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapi, dicetis mõti huic, Tranſi hinc, et tranſibit: item, Iacta te in mare, & fiet: et nihil erit impoſſibile uobis. Iohan. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipſe faciet. Econtrà uerò, incredulitas impedit miraculorũ editionem. Marci 6. Non poterat ibi uirtutem ullam edere, niſi quòd paucos infirmos impoſitis manibus ſanauit. et Matth. 13. Nõ edidit illic uirtutes multas, propter incredulitatem eorum.

Fide gloria Dei conſpicitur et conſideratur. Ioh. 11. Si crediderís, uidebis gloriã Dei: hoc eſt, ipſius glorioſa opera, quale erat Lazari in uitam reuocatio.

Eſt & fructus fidei, remiſsio peccatorum, uita æterna, υἱοθεσία ſiue adoptio, uera inuocatio, bona opera Deo placentia: de quibus, ut dictum, ſuprà eſt facta enumeratio.

¶ Contraria fidei ſunt: incredulitas, faſtidire Chriſtum, & Euangelium calumniari ac perſequi. Iohan. 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia nõ credit in nomen unigeniti filij Dei. Item: Qui incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ioh. 8. dicunt Iudæi eum Samaritanum eſſe, & dæmonium habere. Matth. 12. criminãtur, eum per Beelzebub dæmonia eijcere. Ioh. 9. conſpirarunt Iudæi, ut ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum, extra ſynagogam eijceretur. Tandem eum comprehenſum, Pilato crucifigendũ tradunt: & monumentum cuſtodiunt, ne reſurgat.

Conſidere in ſeipſum: hoc eſt, ſibi uendicare legis impletionem. Iohannis 5. Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis: & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, nõ quæritis? Matth. 5. & 23. Lucæ 10. & 18. damnatur phariſæorũ perſuaſio de propria iuſticia.

Fiduciam ſuam ponere in diuitijs & uoluptatibus huius mundi, ut eſt in parabola de ſemine. & Marci 10. Filij, quàm difficile eſt eis qui fiduciam habent in pecunijs, ingredi regnum Dei. Item Matth. 6. Non poteſtis mammonæ & Deo ſimul ſeruire.

Gloriam hominum uenari, & laudem iuſticiæ: ut faciunt hypocritæ. Iohan. 5. Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæritis? Marci 11.

Hæſitare, Matth. 11. Et nõ hæſitauerit in corde ſuo. Item: Modicæ fidei, quid dubitaſti? inquit Chriſtus ad Petrum.

Simulatio etiam cum fide pugnat, & neutralitas: Qui non eſt mecum, contra me eſt.

Deficere: Luc. 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Securitate & peccatis locum præbere Diabolis. Matth. 12.

Deſperare: ut in exemplo Iudæ conſpicitur.

Non confiteri Chriſtum coram hominibus. Matth. 10. Non tollere crucem ſuam, & ſequi Chriſtum.

¶ Poſtremò fidei phraſes & æquipollentes formulæ colligendæ ſunt: proſunt enim ad explicationem fidei. Interdum fides et credere ſimpliciter ponuntur: ut, Fides tua te ſaluum fecit: Credis me hoc facere poſſe? ſed interdum quædam adiunguntur: ut, credere in Chriſtum. Matthæi 18. Qui ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis, qui IN ME credunt. Iohannis 2. cap. Crediderunt in eum diſcipuli eius. Iohannis 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat. Item: Qui credit in eum, non iudicatur. Et ſtatim additur: Qui autem non credit, iam iudicatus eſt. Sic hæc phraſis, credere in Chriſtum, extat Iohannis 6. 7. 9. 10. 11. 12. 14. 16. 17. Pro eodem igitur ſola uox Credere, et credere in Chriſtum, accipiuntur. Non tamen fruſtra hæc adijciuntur: uerùm obiectum ſeu fundamentum monſtrant, in quo fides debeat acquieſcere, ne quis in ſeipſum confidat, ſed extra ſe obiectum fidei quærat, neq; alibi quàm in Chriſto.

Et in datiuo, ſine præpoſitione, credere Chriſto: Iohannis 5. Si Moſi crederetis, & mihi forſan credideretis. Item: Quem miſit ille, huic uos non creditis. Iohannis 10. Si mihi non uultis credere, operibus credite. Iohannis 3. Incredulus eſt filio.

Credere per Chriſtum, Iohanis 1. Vt omnes crederẽt per eum.

Credere in filium Dei, Iohannis 3. Qui credit in filium

lium Dei. Iohan. 9. Credis in filium Dei?

Credere in nomen eius: Iohannis 1. His qui credunt in NOMEN eius. Iohannis 2. Multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa quæ faciebat. Iohan. 3. Non credidit in nomine unigeniti filij Dei.

Credere uerbo: Lucæ 1. Non credidisti uerbis meis.

Credere scripturæ: Iohannis 2. Et crediderunt scripturæ.

Sermoni: Iohannis 2. & 3. Credidit homo sermoni quem dixit ei IESVS.

Credere Euangelio: Marci 1. Agite pœnitentiam, et credite Euangelio. Deducit & hæc phrasis ad patefactum uerbum, ne quis ex suopte ingenio aliquid comminiscatur.

Credere in lucem: Ioannis 12. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Credere in Deum, qui misit filium: Iohannis 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Iohan. 14. Creditis in Deũ? & in me credite. Marci 11. est, Habete fidem Dei: id est, in Deum.

¶ Aequipollentes sunt cum fide, aut credere, sequi Christum: Iohannis 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ uitæ. Licet ea phrasis integrum doctrinæ corpus à Christo propositum complectatur. Iohan. 10. Oues meæ sequuntur me.

Sermonem Christi seruare: Iohannis 8. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: id est, credet.

Audire uerbum Dei. Lucæ 8. Mater mea & fratres mei hi sunt, qui uerbum Dei audiunt, & faciunt.

Custodire uerbum: Lucæ 11. Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

Comedere: Iohan. 6. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternũ.

Sitire: Iohannis 7. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.

Venire ad nuptias, habere uestem nuptialem, gustare cœnam: ut patet ex parabola Lucæ 14. Matthæi 22.

DE BONIS OPERIBVS, seu de noua obedientia iustificatorum.

QVòd bona opera, seu obedientia noua post reconciliationem seu iustificationem debeat sequi, pluribus Christus docet. Ostendit enim non esse adiaphoron, sed mandatum Dei. Matthæi 5. Estote perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. Mat. 22. Lucæ 10. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Matthæi 20. in parabola de uineis indicatur, Deum uelle ut nemo in sua uinea sit ociosus. Idem in altera de talento monet, Matthæi 25. Lucæ 6. Diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderunt. Item, Estote misericordes. Iohannis 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem.

Deinde ipsam regenerationem id flagitare Matthæi 3. Lucæ 3. Facite fructus pœnitentia dignos. Matthæi 7. Omnis arbor bona fructus bonos profert. Matthæi 12. Bonus homo de bono thesauro profert bona. Iohannis 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare. Iohan. 8. Vade, & iam noli amplius peccare. Iohan. 15. Ego elegi uos, & posui uos ut fructum feratis. Lucæ 6. Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Luc. 1. Vt sine timore de manu inimicorum liberati seruiamus ei Iohannis 13. Si ego laui pedes uestros, Dominus & magister uester, & uos debetis alter alterius pedes lauare. Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, & uos faciatis.

Tertiò, uult Deus conspici ac lucere renatorũ opera, ut & Deum glorificent, & proximo usui sint. Matthæi 5. Marci 4. Lucæ 11. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neq; accendunt lucernam, & ponũt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Matth. 12. Ex fructu arbor cognoscitur. Iohannis 3. In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Iohanis 15. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

Quartò, testatur Christus, malis operibus effundi gratiam: accersi & cumulari graues & æternas pœnas, nisi agatur pœnitentia. Matth. 5. Quod si sal stupidus fuerit, quo salietur? Ad nihilum ualet ultrà, nisi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Matthæi 7. Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matthæi 12. Dico uobis, quoniam omne uerbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationẽ de eo in die iudicij. Matthæi 25. in parabola de talento comminatur, se ignauiam puniturum esse. Idem Lucæ 13. proponit in sterili ficu succidenda. Iob. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet. Idem parabolam de seruo debitore, hoc epiphonemate concludit Matthæi 18: Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisq; fratri de cordibus uestris, delicta eorũ. Matthæi 25. minatur se publico iudicio damnaturum eos qui neglexerunt famelicos, sitibũdos, peregrinos, nudos, infirmos. Baptista quoque grauem sententiã proponit Matthæi 3. Lucæ 3. Iam securis, inquit, ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur.

De præmijs & dignitate bonorum operum, suo loco dicetur. Manifestißimum igitur est, opera bona esse necessaria, ac sequi debere reconciliationem.

Definitio bonorum operum ex hac doctrina talis confici potest. Bona opera, sunt opera mandata certo & expresso uerbo Dei: quæ fiunt in fide, & diriguntur ad eum finem ut glorificent Deum, et proximo inseruiant. Explicationem sequentia suppeditabunt.

Quæ enim opera sint præstanda, nempe ea duntaxat quæ certo Dei uerbo præcepta sunt, Christus Matthæi 15. docet: Vos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram. & allegat Esaiæ testimonium: Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Et quidem ad ipsa Decalogi opera nos deducit Christus: ut Matthæi 15. Deus dixit, Honora patrem & matrem. Matthæi 19. recitat mandata Dei: Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem

patrem tuum & matrem tuam, & Diliges proximum tuum sicut teipsum. Summa autem totius Decalogi succincta recitatur Matthæi 22. Lucæ 10. Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ad Decalogi summã & hæc sententia potest referri, Matthæi 22. Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, et Deo quæ sunt Dei. Baptista quoq; suos auditores, de operibus interrogantes, Lucæ 3. de Decalogi operibus admonet: nempe ut sint erga alios benefici, quisquæ suæ uocationis opera expediat, nemini iniuria inferatur, quilibet suo stipendio sit contentus.

Interiora simul & exteriora opera à Deo exigi, sæpe testificatur Christus: ut Matthæi 5. beatos prædicat qui spiritu pauperes sunt: item mites, lugentes, esurientes & sitientes iusticiam, misericordes, mundo corde præditos, consitentes, martyrium ob confessionem Christi sustinentes, fratribus suis remittẽtes. Exponit ibidem aliquot præcepta Decalogi, quòd non modò externa facta, sed etiam interiores motus, omnesq; gestus in toto corpore, præceptis Dei congruentes, requirantur: ac damnantur etiam interiora peccata committentes. Matthæi 6. in oratione Dominica præscribuntur opera, quæ ut fiant in nobis, à Deo petenda sunt. & porrò de alijs operibus externis ac internis instruit: Matthæi 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiæ. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Recitantur ista etiam hoc fine, ut intelligant homines, interiorem immundiciem taxari, et econtrà puritatem à Deo seriò postulari. Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum, toto corde tuo. Non frustra dilectio legis summa expositio constituitur, & quidem ex corde. Non igitur dubium est, perfectam cordis obedientiam à nobis flagitari. Matth. 23. Munda prius quod intus poculum & patinam est, ut fiat & id quod foris est, mundũ. item, Decimatis mentam, anethum, cyminum: & reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.

Sparsim autem Christus de plerisq; operibus in Decalogo præscriptis disserit: sed tamen, ut lectores quasi in speculo quodam uideant, quæ opera à Deo potissimum exigantur, non pigebit ea adscribere.

CATALOGVS BONORVM operum.

AD primum præceptum pertinet, uera cognitio Dei. Iohannis 14. Qui uidet me, uidet patrem. & uerba baptismi, postulant ueri Dei cognitionem.

Timor Dei. Matthæi 10. Lucæ 12. Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.

Fides: Iohan. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Sunt autem de fide satis multa testimonia superius recitata, ubi eius doctrina exposita est.

Dilectio Dei: Matthæi 22. Lucæ 10. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Damnantur quoq; peccata hisce operibus bonis cõtraria: ut, non agnoscere uerum Deum per filium. Iohannis 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit eum. Iohan. 12. Sui eum non cognouerunt. Item, Mundus eum non cognoscit. & Iohan. 3. Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Iohannis 8. Est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis Deum uestrũ esse, & tamen non cognouistis eum. Item: Si Deus pater uester esset, diligeretis utiq; me.

Idololatria: execratur enim Christus diaboli impudentiam, qui se postulabat à Christo adorari: Matth. 4.

Seruire Mammonæ: Matth. 6.

Hæsitare, dubitare: Matth. 21. Marci 11. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis.

Vacare timore Dei: Lucæ 18. Deum non timebat. Matthæi 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. Sed timete eum qui potest corpus & animam conijcere in gehennam.

Securitas: Lucæ 6. Væ uobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis.

Non credere: Iohan. 3. Qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Et obiurgantur grauiter Iudæi, quòd prorsus non credant in Christum: Si non crediderit is quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris. Iohan. 8.

Desperare. Exemplum Iudæ ostendit, desperatione nihil horribilius esse.

Odisse Deum, execrari, persequi. Iohan. 14. Si mundus uos odit, scitote quòd me priorẽ uobis odio habuit. Item: Qui me odit, & patrem meum odit. Item: Odio me habuerũt gratis. Sed quas isti pœnas incurrant, alio loco explicandum erit.

Secundum præceptum.

¶ Ad secundum pertinent, Amare, discere, fouere, propagare nomen Domini: hoc est, uerbum patefactũ. Matt. 17. Hunc audite. Ioh. 8. Si manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Marci 16. Ite prædicate Euangelium omni creaturæ.

Fugere pseudochristos & pseudoprophetas, ac errores cum uerbo Dei pugnantes: Mat. 7. Attẽdite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimẽtis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Mat. 24. Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ. Item: Si dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Ioh. 10. Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Matthæi decimoquinto: Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Inuocare in nomine Christi. Matthæi 4. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. Ioh. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Formulam orationis Matthæi sexto præscribit.

Gratiarum actio per Christum. Lucæ 17. leprosus mundatus redit, Christo agens gratias. Lucæ 13. Confestim erecta est, & glorificabat Deum. Matth. 5. Vt glorificetur pater uester cœlestis.

Confessio & constantia. Mat. 10. Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum corã patre meo qui in cœlis est. Itẽ: Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit.

Iuramentis & nomine Dei reuerenter & pie uti. Matthæi 5. Non peierabis, reddes autẽ Domino iuramenta tua.

Peccata contra hoc præceptum recensentur hæc:

Aſpernari, faſtidire, calumniari, impedire uerbũ Dei: Iohan. 8. Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Matt. 13. Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Idipſum et in parabola de ſemine declaratur. Sic & in typo de nuptiali conuiuio, Matt. 22. Luc. 14. ubi inuitati repudiãt partim cõtumaciter, partim fuco aliquo quæſito. Verùm nõ eſt eis impune, ut ſuo loco copioſius dicetur. Iohan. 9. Decretum fecerant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtũ, extra Synagogam eijceretur.

Errores fingere, ſpargere, accipere, augere, promouere. Matth. 23. Væ uobis ſcribæ & Phariſæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines: uos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.

Deum non inuocare, aut non eo modo ſicut ſe patefecit: Matthæi 6. Phariſaicè orare: Iohannis 16. Vſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo. Iohannis 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrẽ. Diabolum adorare propter regna mundi: Matthæi 4.

Non gratias agere: Lucæ 17. Nónne decem mundati ſunt? nouem autem ubi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo.

Non confiteri: Matthæi 10. Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt.

Temerè abuti iuramentis & nomine diuino. Matthæi 5. Ego dico uobis, non iurate omnino (ſcilicet temerè, ſine uocatione aut mandato magiſtratus in rebus licitis) neq; per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis: neque per caput tuum iurabis, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

Item iuramenta contra pietatem & honeſtatem facta ſeruare: ut Herodes.

Blaſphemiæ: Matth. 12. Lucæ 12. Spiritus blaſphemiæ non remittetur. Item: Qui dixerit uerbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro.

Tertium præceptum.

¶ Ad tertium pertinent, amare & ornare cõgreſſus publicos. Lucæ 2. parentes Chriſti celebrãtur, quòd ad feſtum Paſchæ quotannis unà cum puero IESV aſcenderint. Etſi autem ſpecies nunc abrogata eſt, tamen genus in exemplo manet, ut omnes pij, eiuſmodi congreſſus, qui ueræ pietatis nomine & abſq; ſuperſtitione fiunt, ament. Chriſtus etiam ſæpe in Synagogas ingreſſus, concionatus in cœtu hominum eſt, & miracula edidit. Marci 1. 3. & 6. creberrimè in templo Hieroſolymitano docuit, Matthæi 21.

In talibus congreßibus ardenter orare, ſuoſq; gemitus et uota ad aliorum piorum preces adiungere: Matthæi 18. Si duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Vbi ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Commendantur in hac ſententia cõgreſſus piorum, & proponitur ſuauißima promißio, quòd efficaces ſint preces futuræ, atq; adeò Chriſtum ipſum ei cœtui interfuturum.

Sacramentis à Chriſto inſtitutis uti: Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.

Miniſterium uerbi magnificare, & pios miniſtros alere: Lucæ 11. Qui uos audit, me audit. Matthæi 10. Qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Item: Quicunq; potũ dederit uni ex minimis iſtis, calicẽ aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam.

Conferre aliquid de ſuo ad eleemoſynas pauperum. Vnde Chriſtus uiduam commendat, quæ duo æra minuta mittebat in gazophylacium: Lucæ 21. & Matth. 25. celebraturum ſe oſtendit in extremo iudicio liberalitatem in pauperes.

Peccata ſunt, ſuperſtitioſe ſeruare ſabbatum, ceremonijs inhærere, ac reliqua opera neceſſaria ſabbati negligere. Matthæi 11. Phariſæos eam ob rem increpat Chriſtus, & in alijs locis. Matthæi 15. Fruſtra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.

Spernere & conculcare ſinceros uerbi miniſtros: Lucæ 10. Qui uos ſpernit, me ſpernit.

Perſecutio potentiorum in mundo, qui debebant regem Chriſtum exoſculari: Matthæi 10. Ad præſides et reges ducemini, propter me.

Eleemoſynas Phariſaico modo dare: Matthæi 6. Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt uobis: Lucæ 11.

Non facere ea quæ doces alios: Matthæi 23. In cathedra Moyſi ſedent ſcribæ & phariſæi, omnia quæcũque iuſſerint uobis ſeruare, ſeruate: ſecundũ opera uerò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

Quartum præceptum.

¶ Ad quartum pertinent opera, honorare parentes, & quicunq; eorum loco ſunt conſtituti. Matth. 15.

Magiſtratibus dare ſuum, hoc eſt honorem, obedientiam in rebus licitis, uectigal & alia. Matthæi 22. Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris.

Peccata ſunt: in ſacrificia, hoc eſt ceremonias conferre pecunias, & interim nõ alere ac ſuſtentare parentes. Matthæi 15. Vos dicitis, Quicunq; dixerit patri ſeu matri, munus quodcunq; eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrẽ ſuam, & irritũ feciſtis mandatũ Dei propter traditionẽ ueſtram.

Maledicere patri aut matri: Matth. 15. Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur.

Non honore afficere magiſtratum, non pẽdere debita, moliri ſeditiones. Hoc enim notatur ac damnatur in Iudæis, Matthæi 22.

Magiſtratui obedire in eis quæ ſunt contra Deum: Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei.

Quintum præceptum.

¶ Ad quintum pertinent bona opera: Diligere ſe inuicem, & officia dilectionis præſtare: Ioan. 10. Hæc mando uobis, ut diligatis uos inuicem.

Diligere inimicos: Matthæi 5. Lucæ 6. Diligite inimicos ueſtros.

Benefacere egenis, eſurienti cibum, ſitienti potum, peregrino hoſpitiũ præbere, nudum ueſtire, infirmum uiſitare, captuum conſolari ac liberare. Matthæi 25. Lucæ 6. Omni petenti te tribue.

Manſuetudo: Matth. 5. Beati mites,

Pacis

Pacis studium: Beati pacifici.

Misericordia: Beati misericordes.

Dimissio ac reconciliatio fraterna: Si offers munus tuum ad altare, &c. uade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeras munus tuum: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia.

Gladio punire homicidas: Matth. 26. Qui gladium accepit, gladio peribit.

Peccata sunt Matth. 5. occidere, irasci fratri suo, dicere fratri Racha, dicere Fatue, non reconciliari fratri suo, aut aduersario. & adijciuntur ibi ad unumquodlibet graues comminationes, de pœnis: ut infrà recitabitur.

Si magistratus innocentes occidit: ut Herodes Iohannẽ, Pilatus Christũ: Qui me tibi tradidit, magis peccat.

Item, prodere Christum & pios: O Iuda, osculo tradis filium hominis. Item, Se inuicem prodent.

Matthæi 25. Esurientem non pascere, sitientem non potare, hospitem negligere, nudũ non cooperire, infirmi & incarcerati afflictione non affici, & nõ cõsolari.

Priuata uindicta.

Item, si ecclesiasticæ personæ sibi arrogant usurpationem gladij contra malefícos: Matthæi 26. Reconde gladium tuum in uaginam.

Sextum præceptum.

¶ Ad sextum pertinent: Castè matrimonium colere. Matth. 5. Beati mundo corde. Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Peccata contra hoc præceptum commemorantur, Matth. 5. mœchari item, coneupiscentiæ, seu impuri affectus. Ego, inquit, dico uobis, quòd omnis qui uidet mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.

Facere diuortia aliam ob causam, quàm ob fornicationem.

Item, legitimè repudiatam ducere. Ego, inquit, dico uobis: Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, & qui dimissam duxerit, adulterat.

Propter uxorem & rem familiarem, negligere regnum Dei: ut ille in parabola, Vxorem duxi, uenire nõ possum.

Crapula, ebrietas: Lucæ 21. Videte ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius uitæ.

Luxus in uestitu: ut notatur in diuite epulone.

Septimum præceptum.

¶ Ad septimum pertinent, tenere proprium & comparare bona corporalia iuxta regulam, Quærite primùm regnum cœlorum, & cætera omnia adijcientur uobis.

Conferre de suis bonis ad Reipublicæ conseruationem: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Et ad ministerij cõseruationem: Operarius dignus est cibo suo: Matth. 10.

E suis bonis alios iuuare: Lucæ 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

Item, Non amplius quàm constitutum est, ab alijs exigere.

Item, esse contentum suis stipendijs.

Non rapere: Lucæ 18.

Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde sperantes.

Reddere ei qui est defraudatus: Lucæ 19.

Peccata sunt, deditũ esse Mammonæ, auarum ac tenacem esse: Matth. 6. Lucæ 16. Non potestis Deo seruire, & Mammonæ. Lucæ 12. Cauete ab omni auaricia.

Esse infidelem dispensatorem bonorum suæ fidei commissorum.

Epulari securè de bonis suis, neglectis pauperibus: ut diues epulo, & alter qui horreum ampliat: Lucæ 12.

Non esse liberalem in ministerium. Intraui in domum tuam, aquam non dedisti pedibus meis: Lucæ 7.

Rapere bona Christi: ut faciunt milites, mittentes sortem super tunica eius.

Dilapidare bona sua, ut facit Acolastus.

Octauum præceptum.

¶ Ad octauum pertinet, Veritas: Matth. 5. Sit sermo nester, est est, non non. Quod his abundantius est, à malo est.

Humilitas: Matt. 23. Qui se humiliat, exaltabitur.

Contraria sunt, mendacia: Iohannis 8.

Falsa testimonia dare: Marci 14.

Superbia, quæ continet falsum iudicium de se ipso: Lucæ 14. Qui se exaltat, humiliabitur. Lucæ 16. Quod hominibus altum est, id abominatio coram Deo est.

Iudicare aut damnare alios temerè: Matth. 7. Lucæ 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Non loquitur autem de ordinaria & legitima magistratus potestate, sed de priuata & inordinata.

Quærere uanam gloriã hominum. Pharisæi & scribæ omnia opera sua faciũt in hoc, ut spectẽtur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorum, amantq; primos accubitus in cœnis, & primo sedere loco in cõcilijs, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi: Matth. 23.

Nonum & decimum præceptum.

¶ Ad nonum & decimum aliqua ratione etiã pertinent, quæ in quinto, sexto, septimo & octauo posita sunt. Porrò huc etiam illa dicta pertinẽt, quibus cor mundum & ab omnibus prauis affectibus uacuum & immune requiritur: & quibus prohibentur praui affectus & cupiditates, quibus proximi bonis incommodari solet. Diliges proximũ tuum, sicut teipsum: Matth. 23. Væ uobis scribæ & hypocritæ, quia purgatis exteriorẽ poculi patinæq; partẽ, cæterum intus plena sunt rapina & intemperãtia. Item, Foris apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione & iniquitate. Itẽ, Væ uobis scribæ et Pharisæi, hypocritæ, quia comeditis domos uiduarũ, idq; prætextu prolixæ orationis.

¶ Ordinem quendam esse bonorum operum, non tantum ex Decalogo, sed etiam ex pluribus Christi concionibus constat. Matthæi sexto inquit: Quærite primùm regnum Dei, & iusticiam eius. Et in orationis forma seriem bonorum operum ostendit. iubet enim initiò petere sanctificationem nominis diuini: hoc est, ut Deum uerè agnoscamus, conuertamur ad pœnitentiã, & eius uerbum amplectamur, confiteamur & celebremus. deinde de alijs cõmonefacit: nempe ut Deũ timentes, ab ipsius regimine pendeamus, Ecclesiam eius amemus, foueamus ac propagemus, & in sanctitate operationis expediamus: ut auariciã uitãtes, corporalia

ab ipso expectemus: credamus remissionem peccatorũ: Diaboli insidias effugiamus: ac spem certam liberationis æternæ teneamus. Matthæi 22. inquit, maximum & primum mandatũ in lege esse, diligere Dominũ Deum ex toto corde, tota anima, tota mente: secundum autem simile huic, Diligere proximum sicut seipsum. Item: Cæsari sua, ac Deo sua reddenda esse docet: nec confunden da opera, nec tribuenda creaturis quæ Deo cõueniunt. Lucæ 10. Vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. ubi studiũ audiendi ac discendi uerbũ Dei reliquis operibus, corpori potissimum seruientibus, anteponit.

Moralia quoq;, ut uocantur, opera, sicuti suprà cõmemorauimus, ceremonialibus anteferuntur. Matthæi 12. Misericordiam uolo, & non sacrificium. Matth. 23. Decimatis mentam, anethum, cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hæc oportet facere, & illa non intermittere.

Externa opera humana industria fieri posse, Christus concedit. Nam Matth. 5. non inficiatur, Pharisæos habere quandam iusticiam, uerùm non perfectam. Lucæ 18. quædam enumerantur: ut non rapere alijs, neminem manifesta iniuria afficere, non contaminare se adulterio, ieiunare bis in sabbato, decimas de omnib. pendere: sed interiora negat humana diligentia fieri posse, eo quòd natura humana sit deprauata. ac docet, patrẽ, se & spiritum sanctum esse eorum causam efficientem. Iohan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Affirmat igitur, fidem in Christũ esse opus Dei patris in nobis, nec comparari humana soler tia. Iohan. 17. Pater sancte, serua eos in nomine tuo. Itẽ: Sanctifica eos in ueritate tua. Quare ueræ de Deo doctrinæ assentiri, & sanctitatem percipere, non est nostrarum uirium opus, sed Dei: qui intercedente filio, pectora nostra uera doctrina & sanctimonia illustrat. De Christi auxilio Iohan. 15 scriptum est: Sicut palmes non potest ferre fructum de semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis. Præclara hæc est sententia, qua docet Christus, quid humanæ uires in operibus interioribus ualeant per sese, absque Christi adiumento: nempe nihil aliud, quàm quod palmes à uite resectus. Ex uite igitur uigor ille efficax in palmitẽ ascendit, ut botros suos gratissimo succo distentos, proferre queat. Repetit autẽ aliquoties eodem in loco hanc suam sententiam, ne quis putet ei temerè quasdam uoces excidisse. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Item: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunq; uolueritis petetis, & fiet uobis. Coniungit ad inuocationis opus duo: nempe suum auxilium, & uerbum suum. Verbo enim uoluntatem patris reuelat, ac per id medium pectora hominum ad uerã inuocationem excitat, ne quis sibi enthusiasmos & inspirationes Christi absque uerbo fingat. Item: Ego elegi uos, & posui uos, ut eatis & fructum afferatis.

De spiritu sancto dicitur Iohannis 16. Spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem. Iohannis 14. Dabit uobis paracletum. Matthæi 10. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Quapropter cognitio ueræ doctrinæ, habere pacẽ in conscientia coram Deo, et in arduis tentationibus ac periculis cõsistere, ipsamq; uitã pro IESV Christo, eiusq; doctrina profundere, ipsius spiritus sancti opus est, corda hominum gubernantis, et luce tam excellenti accendentis. Concurrunt igitur in hisce operibus omnium summis, Deus, uerbum, uoluntas humana, tracta à Deo per uerbum.

Hinc iam intelligi potest, qui'nam bona opera præstare possint, nempe existentes in Ecclesia Dei uera, ubi per uerbum syncerum Deus pater, filius & spiritus sanctus est efficax. Clarè enim affirmat Christus, extra se nemimem posse fructus bonos facere: Ioan. 15.

Inde est, quòd docet Christus, tantum iustificatos bona opera, quæ uerè sic dici merẽtur, præstare posse: reliquos non item. Matthæi 7. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non potest autem arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere. Bonæ indolis & frugiferas arbores per similitudinem appellat homines renatos seu iustificatos, hoc est, qui remissionem peccatorũ per fidem in Christum iuxta certas & reuelatas promissiones acceperunt, ac spiritu sancto donati sunt. Contrà, malæ ac steriles arbores uocantur, ignari uerbi diuini, nec regenerati, quantumuis rationis acumine & sua illa disciplina excellant, ac uel hesperо (ut ille ait) formosiores corã mundo appareant. Docet igitur, primò necesse esse, ut indole bona arbores præditæ sint, ex qua suaues & grati fructus gignantur: qua si destitutæ fuerint, nihil nisi acidum & amarum quiddam proferent. Est autem homo non renatus, quauis inculta ac syluestri arbore agrestior & ferocior: nec potest eiusmodi opera præstare, qualia Deus exigit. Eadem figura utitur Christus Matth. 12. Lucæ 6. Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Item: Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de thesauro malo profert mala. Perspicuè docet Christus, oportere nos prius bonos fieri, hoc est regenerari, iustificari, spiritu sancto illustrari, quàm facultatem bene operandi nanciscamur. Ioan. 15. Ego sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ. Prius igitur in Christo sit necesse est, qui bona opera uelit facere. Item: Ego elegi uos, & posui ut fructum afferatis. Matth. 18. Prius gratis absoluitur seruus, deinde requiruntur ab eo dilectionis opera erga suum conseruum: quæ cum non exhibeat, seueriter punitur. Lucæ 1. Vt sine timore de manu inimicorum liberati, seruiamus illi. Duo hac sententia proponuntur. Primum, homines sub crudelissimis inimicis uerè captiuos esse, nec posse donec illis uinculis constricti sunt, Deo seruire: alterum est, Christum nos in libertatem asserere: qua accepta, postea opera Deo grata incipiamus facere. Matth. 3. Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentia. Proponitur hoc loco conuersio uera, deinde fructus subsequuntur. Soli igitur credentes, seu iustificati, idonei sunt ad præstanda opera uerè bona, Deoq; placentia.

Porrò quomodo placeant credentium opera Deo, licet mutila sint, & ex hac imbecilli natura, in qua adhuc lutum peccati hæret, plurimum sordium secum trahãt, ex prædictis intelligi potest: nempe, fide in Christum.

Oportet

Oportet enim nos statuere firmiter, Deum nobis reconciliatum esse, & imputare iusticiã gratis, absque omni nostro merito, tantum propter Christum: sicut inquit Christus, Venite ad me omnes qui laboratis. Item, Qui credit in eum, habet uitam æternam. Deinde & hæc persuasa nobis esse debent, inchoatã & imbecillẽ hanc obedientiã, iuxta uerbũ Dei præstitã propter mediatorem IESVM Christũ placere. Iohan. 15. Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quodcunq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. Manere in Christo quid aliud est, quàm credere in eum? Verba Christi in nobis manere, est, promissionibus gratiæ potissimum inniti. Iohannis 16. Ipse pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis. Totius igitur amoris Dei, quo nos, nostraq; opera paternè & clementer accipit, causa est Christus, in quem credimus. Preces etiam ad Deum patrem in nomine suo iubet instituere, hoc est, fide in ipsum: ut statuamus, ipsius umbraculo & merito nos placere, & benignè audiri preces. Iam si inuocatio in nomine Christi placet, quod est opus longè excellentissimum: idem de reliquis rectè asseuerari debet. Nec temerè factum est, quòd in orationis formulam, & quidẽ in medium, ceu in ipsum inuocationis (ut sic dicamus) cor, sit inserta hæc petitio: Et dimitte nobis debita nostra. Nam ex ingenti misericordia propter Christum, quẽ fide apprehendimus, necesse est nos beneficia Dei omnia accipere: & hac ipsa misericordia, in qua, fide propter Christum nitimur, necesse est tegi nostra opera, ac paterno affectu approbari. Ex eodem fundamento etiam perspicuum est, fidem oportere omnibus operibus præluere: Si quid petieritis, modò credatis, fiet uobis. Debet igitur & ad reliqua referri.

Non esse perfecta opera hominum, hoc est, nõ satisfacere legi Dei, quæ perfectissimam obedientiam ex totis uiribus iustè requirit, ex dictis Christi & historijs manifestum est. Primùm externam Pharisæorum iusticiam, quæ certè non erat uulgaris, non esse absolutam, Christus sæpè testatur. Matthæi 5. inquit, credentium iusticiam oportere esse præstantiorem & uberiorem quàm scribarum & Pharisæorum. Matthæi 23. quasi definit eam iusticiam externam, quod inquit: Decimatis mentam, anethum, cyminum: sed graviora legis intermittitis. Significat igitur, ipsos tantũ ceremonialia & externa quædã præstare, quæ nequaquam sint integra legis impletio. Et clarius paulo pòst: Similes estis sepulchris dealbatis, quæ fòris quidẽ apparent speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcitia: sic et uos, fòris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione & iniquitate. Matthæi 19. cuidam admodum præsumptuose dicenti, Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Christus argutè respondebat: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, et da pauperibus. hac ipsa re eum deducens ad agnitionẽ suæ fœdæ auaritiæ, cui tam profundè immersus erat, ut beneficentiæ erga proximum prorsus esset oblitus, ac potiores longè haberet suas diuitias, quàm agnitionem & confessionem Christi. Eadem ratione supercilioſum Pharisæum retundit Christus, sicut Lucæ 10. scriptũ est, qui se ipsum uolebat iustificare: cum tamen nondum didicisset, quis esset suus proximus, multò uerò minus ei debita officia præstiterat. & Iohãnis septimo: Non ne Moyses dedit uobis legẽ? & tamẽ nemo ex uobis, factis præstat legẽ.

Neq; uerò credentium aut iustificatorum opera esse planè perfecta: neq; legem Dei, ipsorum inchoata obedientia posse impleri, idem Christus docet. Nam in oratione Dominica omnes, quantumlibet magnis uirtutibus fulgentes, semper, donec hac mortali uita fungũtur, iubet petere, Dimitte nobis debita nostra. unde quid aliud conijcias, quàm etiam iustificatos adhuc peccata habere, & sua obedientia legi Dei satisfacere non posse? Luc. 17. Si feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Negat discipulos sibi perfectã legis obedientiã uendicare posse, licet plura quàm alij fecerint. Quare semper hæc sentẽtia uera est, Ioh. 1. Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiã pro gratia. Non igitur ex nobis, sed ex Christo habemus plenitudinẽ, seu legis exuberantẽ satisfactionẽ. Consonãt etiã exempla. Iohannes baptista inquit, Ioh. 1. Cuius ego nõ sum dignus ut soluã corrigiã calciamenti. Et in historia Euangelica sæpe imbecillitates & peccata Apostolorũ annotantur, ut nos moneant de eorũ imperfectione in hac uita.

Nunc operæprecium est, summa qua potest fieri diligẽtia obseruare, quales fines Christus bonis operibus iustificatorum attribuat. Remissionem peccatorum, seu imputationem iusticiæ ac salutem, nusquam operibus humanis siue ex parte siue ex toto adscribit: sed tantum asserit, eam ex se, suoq; beneficio ac merito, gratis contingere credentibus. Lucæ 24. præcipit, ut tantum in suo nomine remissio peccatorũ prædicetur. Iohan. 3. Sic Deus dilexit, &c. Et Baptista inquit. Ecce agnus Dei, tollens peccata mundi. quo sermone testatur, tantum immolationẽ huius uictimæ, sine adiumento operum humanorum, peccatorum remissionem parari ac donari. Item: Ex plenitudine eius (nõ inquit, ex nostra, tanquam partiali) omnes (non, quidam tantum) accepimus, gratiam pro gratia.

Habent tamen & credentium opera amplissimos fines, propter quos fieri debeant: ut, Propter mandatũ Dei. Postulat enim Deus obedientiã ab omnibus. Matthæi 3. Facite fructus dignos pœnitentia. Iohan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Item: Posui uos ut fructum feratis. Iohan. 8. Vade, noli amplius peccare. Nequaquam igitur adiaphoron est, accepta gratis, fide, remissione peccatorũ, postea secundum præcepta Dei uiuere, uel non.

Secundò, ut Deus operibus credẽtium glorificetur. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.

Tertiò, ut confessio extet, fides reluceſcat, & conspiciatur: breuiter, ut sint indicia ac testimonia fidei, quæ etiam proximo fiant nota, eiq; causam ad celebrandũ Deum præbeãt. Matth. 5. hæc omnia præcedenti fini copulantur: Vos estis, inquit, lux mundi. Non potest ciuitas abscondi, supra montẽ posita: neq; accendũt lucernam, & ponũt eam sub modio, sed super candelabrũ, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Luceat igitur lux uestra, &c. Matth. 7. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Additur & ratio: Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala aũt arbor malos fructus facit. Matth. 12.

Ex fructu arbor cognoscitur: Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Quartò, propter præmia huius et æternæ uitæ, quibus sinul dignitas bonorum operum comprehenditur. Etsi enim opera iustificatorũ remissionem peccatorũ, gratiam coram Deo, et salutem non merentur: tamen aliæ suauissimæ promissiones proponũtur, quæ etiã studium bene operandi excitare debent. Matthæi quinto: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolationem accipient. Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, et dixerint omne malum aduersus uos, mentiẽtes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Matth. 6. Pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto: Mat. 10. Omnis qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Item: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Item: Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunq; potũ dederit uni ex minimis istis, calicẽ aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico uobis, non perdet mercedẽ suam. Matthæi 18. Marci 9. Lucæ 17. Qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Item: Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Matthæi 25. Euge serue bone & fidelis, qui super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Item: Omni habenti dabitur, & abundabit. Ibidem Christus inquit, se celebraturum in nouissimo iudicio opera credentium, & in uita æterna compensaturum. Esuriui enim, dicit, & dedistis mihi cibum: sitiui, dedistis mihi potum: hospes eram, & collegistis me: nudus, operuistis me: infirmus, uisitastis me: in carcere, uenistis ad me. Item: Amen dico uobis, quicquid feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Quæ potest esse maior operum dignitas? Matth. 7. Lucæ 6. Date, & dabitur uobis. Mensuram bonam & confertam, & coagmentatam, & superefluentem, dabunt in sinum uestrum. Lucæ 14. Cum facis conuiuiũ, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos: & beatus eris, quòd non habent unde retribuant tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Ioan. 13. Qui accipit, si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, eum qui me misit, accipit.

Quintò, ne incidamus in atroces pœnas. Excutitur enim malis operibus gratia, fides, Spiritus sanctus: nisi rursus ad Deum cõuertamur, ac per Christum ueniam precemur. Deinde aliàs quoq; impœnitentiã & iniquitates punit Deus. Matthæi tertio & septimo, Lucæ tertio & sexto: Iam securis ad radicem arborũ posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittitur. Item: Cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth. 5. Vos estis sal terræ. Quòd si sal stupidus fuerit, quo salietur? ad nihilum ualet ultrà, nisi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Item: Qui occiderit, reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. Item: Esto cõsentiens aduersario tuo citò, dum es in uia cum eo, ne fortè tradat te aduersarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis, donec reddas nouissimum quadrantem. Item: Omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Matthæi sexto: Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Matthæi 7. Lucæ 6. Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. Item: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matthæi 10. Marci 4. Lucæ 9. & 12. Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum corã patre meo qui in cœlis est. Matth. 12. Dico uobis, quòd de omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Item ait, Diabolum ad domum uacuam reuerti, stipatum alijs septem se nequioribus, et efficere ut posteriora fiant multo peiora prioribus. Matth. 22. Rex audiens suos seruos malè accipi & tractari, missis exercitibus suis, perdit homicidas illos, et ciuitatẽ illorum succendit. Item: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Matth. 18. Qui scandalizauerit unũ de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Item: Væ homini, per quem scandalum uenit. Item, seruus qui nõ erat misericors erga cõseruum, amittit accepta bona, & æternæ damnationi adiudicatur, addita conclusione: Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. Matth. 23. Qui se exaltat, humiliabitur. Matthæi 25. Seruum inutilem reijcite in tenebras exteriores. Item ait se puniturũ peccata: Quicquid non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Lucæ 17. Non ne decem mundati sunt, nouem autem ubi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo? Ioban. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructũ, tollit. Item: Si quis in me non manserit, mittitur foràs sicut palmes, & aresçit, & colligunt eum, & in ignem mittunt, & ardet. Huc etiam pertinent exempla pœnarum, quibus impij affecti sunt propter contemptum uerbi, & alia scelera.

Contraria bonis operibus sunt peccata contra totũ Decalogum, quæ proculdubio causa sunt ingentiũ pœnarum præsentis & æternæ uitæ: qua de re modò testimonia sunt collecta. Deinde pugnant traditiones, seu opera humana, si ijs adstruitur opinio cultus, de quibus Matthæi decimoquinto dicitur: Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Præterea hypocrisis, quæ magnificat opera externa, &

proprijs operibus perfectionem ac laudem iusticiæ adscribit. Damnatur autem à Christo Matthæi 6. Cum misericordiam facis, noli ante te tuba canere, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Item: Cum oratis, non sitis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Matthæi 15. Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditionem uestram. hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matthæi 23. uæ super ipsos pronunciat, eo quòd ceremonialia præferrent moralibus, sibiq; falso iusticiæ laudem tribuerent. Lucæ 18. ait Christus, phariseum cum sua operum iusticia, cuius persuasione tumebat, damnatum in iudicio Dei esse. Nec tribuendam esse salutem operibus humanis, ex dictis de meritis Christi sole meridiano, quod dicitur, clarius est. Ipse enim tantum saluum fecit populum suum à peccatis suis: ipse uenit perditos saluare, legem implere, uitam parare & donare. Huc pertinet & illud, quod in nouißimo die quærent iusti: Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & potauimus? sicut indicat Christus ipse, iudex istius iudicij futurus. Salutē igitur suā iusti non collocarunt in opera: aliàs hoc ipsum in eo loco fassuri, neq; ea tantopere extenuaturi essent.

¶ Postremò, compendij uice in hoc loco uisum est adijcere parabolam à Christo propositam, de patrefamiliàs ac denario, in qua pleræque operum causæ pulchrè commemorantur, ac ueluti in pictura demonstrantur: Matthæi 20. Primùm, omnes sunt ocioſi, dominū, uineam & opera ignorantes, ac præmijs omnibus destituti per se: id quod totum genus humanum, quale quidem nunc est, depingit, nempe quòd uera bona opera nemo ex suis naturalibus uiribus possit præstare. Venit autem paterfamiliàs, ipse nimirum Deus uerè paterfamiliàs in hac amplissima domo, quam ipsemet extruxit, nempe mundo, ac uocat operarios. Ea igitur est causa efficiens bonorum operum: nempe Deus, uocans nos suo uerbo, quod ipsemet protulit in mundum, & nunc in ministerio conseruat ac tradit. Mittit autem in suam uineam, hoc est, in Ecclesiam. nam extra Ecclesiam nulla bona opera fieri possunt. Et ad certos labores eos mittit, nempe ut uineam colant, nō euellant, non destruant, non fodiant res alias. Talia enim opera præstanda sunt, quæ ipse Deus præcepit. nec debet aliquid suscipi proprio arbitrio.

Vocat autem diuersis temporibus, nec labores sunt pares: hoc est, uocatio Ecclesiæ fit omnib. temporibus. Deinde, sicut dona, ita & opera uariant: alius alio plura & excellentiora habet.

Finalis causa præmia sunt, quibus labores compensantur: uerùm in ijs gratiam suam uult lucere Deus, eo quòd pluribus ex gratuita beneuolentia, quàm ex merito, præmia largiatur. Succenset præterea paterfamiliàs, hoc est Deus, ijs qui suam liberalitatem ægreferūt: maiusq; meritū exigunt, quàm labor aut conuentio postulant: hoc est, qui dignitate suorū operum superbientes, gratiam fastidiunt. Ait insuper, suum hoc esse, quod donet: ac si iure uelit agere, ne hilum quidem se nobis debere, qui nos totos sibi debeamus. Depinguntur igitur hic quasi uiuis coloribus hypocritæ, ac definiuntur, quid sint: nempe operarij tantum, pondus & æstum dici sustinentes, & præmia ambientes: & quidem maiora à Deo exigentes, quàm meruerunt: expostulantes cum Deo, quòd æqualia distribuat ijs qui non æqualiter laborauerint. Sed effundunt isti superbi obmurmuratores gratiam Dei, ac cum suo denario iubentur abire. Non igitur in hac parabola agitur de salute, uel eius merito, non de uita æterna: sed de denario, id est, corporalibus præmijs.

Hactenus præcipuæ partes in doctrina de bonis operibus sunt expositæ. nunc quia species quædam paulò latius patent, & uberius à Christo sunt explicatæ, uisum est eas continuò hic attexere.

DE INVOCATIONE Dei.

VEram Dei inuocationem non esse cuiuis notam, nec tantum ex naturali noticia prouenire, neq; etiam ijs qui sunt extra ecclesiā, cum uera Ecclesia Dei communem esse, hæc dicta testantur. Iohannis 4. Vos adoratis, quod nescitis. Iohannis 16. Vsq; modò non petijstis quicquam in nomine meo. Videtur enim taxare Christus ipsorum imbecillitatem, quòd hactenus nondum uera fiducia in Christum, seu in nomine suo potuerint inuocare. Lucæ 11. Domine doce nos orare. Etsi autem hæc uox de forma orationis principaliter intelligi uideatur: tamen simul totam institutionem de uera inuocatione comprehendit, cuius in Iudaismo discipuli Christi fuerant ignari. Præterea sine uera Dei noticia, sine Christo, sine fide in ipsum non potest fieri uera inuocatio. Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et Iohan. 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Iohan. 16. præcipit, ut tantum in suo nomine oratio fiat. Sed ista omnia nullus hominum nouit, nisi sit pars Ecclesiæ Christi, & ex uerbo patefacto didicerit. Proinde inuocatio Dei non est opus naturale, sed quod in Ecclesia Christi tantum ex certo uerbo Dei, illustrante Spiritu sancto, discitur.

Esse autem hanc Dei uoluntatem, quòd uelit inuocari, Christus perspicuè adseuerat Iohan. 4. Pater, inquit, tales quærit, qui adorent eum. Proponit & mandatū sæpius: Matthæi 7. Petite, & accipietis. Coniungit promißiones, etiam summis asseuerationibus tanquam iuramentis confirmatas, Iohannis 16. Et Christus omnes se inuocantes exaudit, formulam insuper orandi tradit: quæ quidem omnia ex sequentibus dilucidiora fient.

Ex ijsdem etiam patet, quid sit inuocatio: nempe uerum Deum serio cordis motu, gemitibus & ore compellare, in nomine & fiducia Mediatoris IESV Christi: ac petere rem certam, siue spiritualem, siue corporalem, iuxta uoluntatem patefactam: certoq; statuere, suas preces exaudiri, ac certum auxilium iuxta reuelatam uoluntatem impetrari: uel beneficia Dei in nos uel alios collata, cognoscere, magnificare, eiq; gratias agere. Attendant autem pij lectores ad sequentes partes: tum facile intelligent, ex perspicuis testimonijs eiusmodi definitionem extrui. Ideo autem probationes hic omittimus, ne eadem nimis crebrò repetere coganur.

Oportere autem uerum ac certum Deum inuocari

Chri

Christus hoc dicto indicat: Iohan.2.4. Nos adoramus quod scimus.

Quis sit inuocandus, & quò cor & querelæ nostræ sint dirigendæ, Christus & exempla docent. Ad patrẽ autem ut plurimum oratio iubetur fieri: Matth.6. Lucæ 11, Orantes, inquit, dicite: Pater noster qui es in cœlis. Non angelum, uel patriarcham, aut prophetam mortuum, sed patrem tantum iubet inuocari, & quidem eum patrem qui sit in cœlis, hoc est, præstò sit, possit ac uelit promptissimè audire: Matth.6. Nunquã enim non est in cœlis: id quod phrasi Hebraica significat, eum, ubicunq; cœli sunt, hoc est omnibus in locis, præsentem esse. Item: Ora, inquit, patrem tuum. & Iohan.4. Veri adoratores, adorabunt patrem. Iohan. 15. & 16. Quicquid petieritis patrem. Christus ipse aliquoties patrem compellat. Iohan.12. Pater clarifica me ex hac hora. Iohan.17. Pater, uenit hora. In passione, in horto ac cruce, patrem in sua ardentissima inuocatione exprimit. Quòd etiam filius possit aç debeat inuocari, exempla docent: Matth.8. & quidem sæpe hæc forma describitur, Miserere mei fili Dauid: Matth. 15. & 20. Iohannis 20. Thomas ad Christum inquit, Dominus meus & Deus meus.

Spiritum sanctum quoq; posse ac debere inuocari, uel ex Baptismi uerbis colligi potest. Scriptum est Matthæi 4. Deuter. 6. Dominum Deum tuum adorabis, eiq; soli seruies. Sed spiritus sanctus etiã Deus est, unà cum patre & filio, sicut uerba baptismi habent: Ergo & spiritui sancto inuocatio tribuenda est.

Coniunctim quoq; Deus, hoc est, ille qui unus est in essentia & trinus in personis, inuocandus est: sicut testimonium modò recitatum testatur, Dominum Deum tuum adorabis. Lucæ 18. Deus propitius esto mihi peccatori. item: Deus faciet uindictam electorum suorũ, clamantium ad se. Matth. 9. Rogate dominum messis: etsi de patre tantum uideatur accipi, tamen in genere ad Deum referri potest. Sic Maria in suo Cantico, Zacharias Lucæ 1. & Simeon Lucæ 2. suas preces ad Deũ referunt, & trinitatem simul comprehendunt. Et huc pertinet integra de Deo doctrina, quam suprà commemorauimus.

Quomodo preces faciendæ sint, Christus nos instruit: nempe fide. Matthæi 21. Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes, accipietis. Eadem uerò Iohan. 14. 15. & 16. hac phrasi explicat, Quicquid petieritis patrem in nomine meo. hoc est, Orantem oportet statuere fide, se habere propitium Deum, propter mediatorem Christum: & propter eundem se exaudiri, & accipere res necessarias. Debet igitur in precibus mentio fieri Christi, & in eum tota mentis fiducia collocari. Nam fides, ut suprà dictum est, respicit misericordiam & meritum Messiæ. Sicut etiam hæc orationis forma testatur, Miserere mei fili Dauid. Sic publicanus orat: Deus propitius esto mihi. Flagitat igitur Deus eiusmodi humiliationem, & implorationem misericordiæ per Christum. Nam pharisæus sine pœnitentia ac fide orans, apertè cõdemnatur à Christo. Et quidem certò statuendum est, nos exaudiri, & cõsequi res nobis necessarias atq; utiles. ideoq; addit Marci undecimo: Credite quòd accipietis. Prohibet igitur dubitationem. Ibidem: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui est in cœlis, dimittat uobis peccata uestra.

Vult tales inuocare Deum, qui agunt pœnitentiã, nec perseuerant in peccatis contra conscientiam. Inde & Iohannis 9. dicitur à cæco, cui uisum Christus restituerat: Scimus, quòd peccatores Deus non exaudit: sed si quis Dei cultor est, & uoluntatem eius facit, hunc exaudit: hoc est, agentem pœnitentiã. Eódem spectat & hoc Christi dictum Iohan.15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis, quodcunq; uolueritis petetis, & fiet uobis.

Tantum eos posse preces ad Deum facere ostendit, qui uerbum Dei sequuntur, nec manent in delictis aut erroribus contumaciter. Ioannis 4. inquit: Veri adoratores, adorabunt patrem in spiritu & ueritate: hoc est, spiritualibus motibus, & uera noticia Dei & uoluntatis ipsius. non renati, nec spiritum nec ueritatem habent: ideo nec rectè Deum inuocare norunt. De formulis autem inuocationis paulo pòst.

Aliquid certi à Deo esse petendum, & quidem omnis generis res nobis necessarias, modò non sint impiæ, esse petẽdas, his dictis Christus docet: Ioan.15. Quodcunq; uolueritis, petetis. Matthæi 18. Si duo consenserint ex uobis super terram, de omni re quamcunque petierint, &c. Matthæi 21. Omnia quæcunq; petieritis. In primis autem orationis formula, quam ipse Christus dictauit, nõ tantum simpliciter nos admonet, quòd certæ res à Deo sint rogandæ: sed ueluti in illustri tabula res ipsas optimo ordine distribuit, & comprehendit: nempe quòd primo ordine res spirituales à patre sint expetendæ, quales sunt, nominis diuini sanctificatio, regni ac gubernationis ipsius in nobis aduentus, ut faciamus ea ad quæ conditi sumus, Deoq; grata sint. Postea etiam res corporales à Deo petere debemus, quæ panis uocabulo omnes comprehendũtur: pertinent enim ad huius caducæ uitæ conseruationẽ. Et hic inseruit Christus rursus petitionem rerum spiritualium, nempe remissionis peccatorum: idq; hoc consilio, ut sciamus etiam in corporalibus oportere fidem, petẽtem ueniam peccatorum, & misericordia gratuita sese fulcientem, prælucere. Deniq; rogamus, ut Deus nos ab insidijs diaboli, & alijs calamitatibus clementer custodiat: & ex hac ærumnarum ualle liberatos, in æternam beatitudinem collocet. Rerum igitur petendarum catalogus & series ex hac epitome rectè sumi potest. Separatim tamen etiam de quibusdam rebus extant sententiæ, ut de rebus spiritualibus hæ sententiæ loquuntur Lucæ 11. Pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus se. Matthæi 9. Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam: Domine adauge nobis fidem. Matthæi 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Rogaui pro te, ne deficiat fides tua. De corporalibus rebus sunt pleræq; petitiones eorum, qui miraculosas liberationes à Christo acceperunt. Expositæ clade, quæ manebat Hierosolymã, Christus subiungebat: Orate, ut non fiat fuga uestra in hyeme, uel sabbatho. Matthæi 24. Subijcitur & concioni de nouissimis temporibus, ista commonefactio, res spirituales & corporales complectens, Lucæ 21. Vigilate, inquit, omni tẽpore, orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante filiũ hominis.

Orandum

Orandum porrò esse non tantum pro se, uerùm etiam pro alijs, ex oratione quam uocamus Dominicam liquet. Vult & pro inimicis nos orare Christus, Matthæi 5. Lucæ 6. Orate pro persequentibus & calumniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

De corporalibus autem peculiariter nos exempla docent, quòd cum conditione sint petendæ: ut nimirum uoluntati diuinæ ea permittamus, nosq; ad patientiam offeramus. Matthæi 8. leprosus ait: Domine, si uis, potes me mundare. Tribuit sanè Christo uoluntatem & facultatem: sed nihilominus, tanquam in re corporali, uera humilitate se ei subijcit, ut si iudicet sibi sanitatem nõ expedire, auxilium differat. In horto Christus ter iterat hanc orationis formã: Pater, si est possibile, transeat calix iste: ueruntamẽ nõ sicut ego uolo, sed sicut tu uis.

De corporali sustentatione suauissimas consolationes, et quidem argumenta quibus fidem in rebus uictui necessarijs erigere uult, proponit Christus: Matth. 6. Dico uobis, inquit, ne soliciti sitis animæ uestræ, quid mãducetis: neq; corpori uestro, quid induamini. Nonne anima pluris est quàm esca, & corpus pluris est quàm uestimentum? Respicite uolatilia cœli, quomodo nõ serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa. Non ne uos multo pluris estis illis? Quis autem uestrũm, cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimentis quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant, neq; nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unus ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit: quanto magis uos, modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his omnib. indigeatis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies, solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malicia sua. Lucæ 12. quæ de uolucribus dicuntur, sic effert: Considerate coruos, non seminant, neq; metunt, quibus non est cellarium, neq; horreum: & Deus pascit illos. Alludit autẽ Christus ad illud quod Psalm. 147. dicitur: Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Matthæi quarto inquit Christus, ex Deuteronom. octauo: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei.

Neminem mora auxilij debere frangi, sed alacriter instare petendo, hac parabola Christus docet Lucæ 18. Erat, inquit, in ciuitate quadam iudex: is nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Vidua autẽ in eadem ciuitate erat, quæ ad ipsum accedens: Vindica, inquit, me de aduersario meo. Verùm iudex per longum tempus nolebat. Postea uerò dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo eam, ne deniq; ueniens sugillet me. Audite, inquit Christus, quid iudex iniquus dixerit. Deus autem non faciet uindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico uobis, citò faciet uindictam illorum. Accommodat autem Lucas eam parabolam, & ait eam à Christo dictam, quòd oporteret semper orare, & non deficere. Christus etiam suam orationem in horto ter repetit.

Formulas orandi liberas esse, nec quenquam ad certa uerba esse adstrictum, uel hæc narratio ostẽdit, quòd Iohannes discipulos suos docuerit orare: Christus uerò haud dubiè non secutus Iohannis uerba, alium modum tradiderit, ad quem nec ipse quenquam alligauit. Placent Christo & paucula ac simplicia uerba, eorum qui auxilium eius implorant. Cum autem haud dubiè non sit frustra à Christo hæc formula præscripta, & singulari diligentia ab Euangelistis commemorata, frequenter sanè nos ea uti decet. Nam citra uerborum ambages rotunda breuitate complectitur omnia, quibus indigemus siue ad hanc, siue ad sequentem uitam pertinentia. Aliæ formæ sunt tales, quales cuiusq; necessitas & fides genuit. Vt Matthæi 8. Domine si uis, potes me mundare. Item: Domine dic uerbum solummodo, & sanabitur puer meus. Matth. 9 Domine, filia mea modò defuncta est, sed ueni, impone manum tuam super eam, & uiuet. Item: Miserere nostri fili Dauid. Matth. 14. Domine saluum me fac. Matthæi 15. Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea à dæmonio uexatur. Item: Domine adiuua. Matth. 17. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est. Formulæ Christi sunt Ioh. 12. Pater clarifica me ex hac hora, sed propterea ueni in hanc horam. pater clarifica nomen tuum. Iohan. 17. prolixissima oratio, qua applicat Christus suum beneficium toti mundo, describitur. In horto inquit: Pater mi, si possibile est, transeat calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. In cruce, Lucæ 23. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt: Pater, commendo spiritum meum in manus tuas. Hæc recensentur, ut uideant pij lectores, Deo placere ea uerba, quæ ipsa necessitas nobis suggerit.

Rationem, quare breuiter sit orandum, admodum elegantem, & solatio plenam, Christus commemorat: Scit enim, inquit, pater uester, quibus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo. & reprehenduntur prolixæ orationes Pharisæorum, Matthæi 6.

Non esse orationem ad ullum locum alligatam, Iohannis 4. Christus docet: Mulier, inquit, crede mihi, quia ueniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Matthæi 6. Tu cum oraueris, intra cubiculum tuum: & clauso ostio tuo, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto.

Vult tamen interdum Deus, in cœtu piorum preces fieri. sicut Matthæi 18. inquit: Si duo consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis. Orat in loco deserto Christus Marci 1. Lucæ 4. Matth. 14. Marci 6. dimissa turba, ascendit in montem solus, ad orandum. In monte pernoctat in oratione Dei, Lucæ 6. Solus orat Christus, Lucæ 9. Matthæi 26.

Gestus describuntur, quòd Christus orans in cœlum aspexerit, Matthæi 14. Iohannis 17. Item positis genibus orat, Lucæ 22. Verùm quod ad gestus attinet, nullum est præceptum traditum: siquidem leprosi initiò stantes Christum inclamant, & opitulationem petunt. Postea unus rediit, procidit in faciem ante pedes IESV.

Non tan-

Non tantum autem mente orandum, sed etiã uerba quædam proferenda esse, Christus monet, inquiens: Orantes dicite hoc est, uult etiam aliquando uerba recitari, in quibus exposita nostra necessitate, implorem⁹ opem Dei.

Traditæ autẽ sunt maximè insignes & amplissimæ promissiones à Christo, quæ in inuocatione memoria repeti & attentè considerari debent. Matthæi sexto: Scit pater uester cœlestis, quibus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo. Item oratio Dominica, quam Christus uult nos recitare, simul luculentam continet promissionem. Iubet nos Christus ista petere: ergo certum est, quòd pater ea uelit largiri. Matthæi 7. Lucæ 11. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, et aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidẽ porriget ei? aut si piscem petierit, nunquid serpentẽ porriget ei? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris: quanto magis pater uester qui in cœlis est, dabit bona petẽtibus se? Lucæ 1. Angelus Zachariæ nuncium adfert, suas preces à Deo exauditas esse. Lucæ 18. Deus facit uindictã electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, ac patientiam habebit in illis. Iohan. 14. Quodcunq; petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciã. Ioh. 15 Quodcunq; uolueritis, petetis, et fiet uobis. Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Ioh. 16. Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item: Petite, et accipietis, ut gaudium uestrũ sit plenum. Idem confirmant & exempla, quòd Christus omnes, quotquot eius auxilium implorarunt, clementer adiuuit.

Effectus orationis sunt, consequi res desideratas, sicut oratio Dominica eas ordine exponit: quæ sanè maximi momẽti sunt, et potest eas quilibet expendere. Oratione salutares doctores impetrari, Christus docet Matthæi 9. Spiritum sanctum: Lucæ 11. Conseruationem fidei: Lucæ 22. Vitationem pœnarum: Matth. 24. Defensionem contra tentationes: Matth. 26. Profligationẽ diaboli: Matthæi 17. Hoc genus dæmonij non eijcitur, nisi oratione & ieiunio. Iohan. 16. Petite, et accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Liberationem ex periculis, et à morbis, sicut exempla in historia Euangelica non pauca extant.

Causæ orandi plures sunt, quæ in concionibus Christi proponuntur: utpote mandatum, Matthæi 7. Ioannis 16. Petite, inquit, et accipietis. Non igitur relinquit cuiquam liberum. & in horto seriò iubet eos inuocare Deum. Secundò, promissiones suauissimæ cum summa asseueratione prolatæ, & quidem per ipsum filium Dei, quem iussit pater audiri. Tertiò, habemus talem, in cuius nomine, hoc est merito ac fiducia, possimus inuocare, quiq; se mediatorem præstat. Etsi igitur nos sumus indigni, tamen in nomine Christi Deum habemus beneuolum & largum opitulatorem. Quartò, necessitas nostra summa. Indigemus enim singulis momentis diuino auxilio. Quintò, pœnæ ingentes nos commouere debebant, si non orauerimus. Nam sine oratione, res in oratione Dominica comprehensas habere non poterimus: quibus si destituamur, quid potest esse nobis ærumnosius? Pingit etiam calamitates istas typus de malis spiritibus, in uacuam atq; ociosam domum agminatim incursantibus. Item in horto Christus monet, nõ orãtes, expositos esse tentationibus.

Contraria ueræ inuocationi Christus esse docet: Non adorare uerum Deum, Ioan. 4. Vos adoratis quod nescitis. Damnat igitur Christus Samaritanorum inuocationẽ. De cæteris quoq; Iudæis inquit Ioan. 6. Non nouerunt patrem, neq; me. Idololatria, seu flexis genibus adorare Satanam, propter regna huius mundi: contra illud, Dominum Deum tuum adorabis, Matth. 4. Non in fide, non in nomine Christi adorare: contra dictum Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo. In impœnitentia inuocare, Ioannis 9. Peccatores Deus non exaudit: scilicet perseuerantes in delictis contra conscientiam, absque pœnitentia. Battologia ethnica. Matthæi sexto: Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Hypocrisis, ad ostentationem orare: Matth. 6. Orantes non sitis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Contra uoluntatem Dei petere: sicut mater filiorum Zebedæi rogabat, ut uterq; filiorum Christo ad latera sederent. Ad locum post exhibitum Christum preces alligare. Ioan. 4. Veniet hora, quando neq; in monte hoc, neque Hierosolymis adorabunt patrem. Hisce uerbis discrimina locorũ, quod ad preces faciendas, tollit.

Postremò pertinet & gratitudo ad hunc locũ, quæ est agnitio & celebratio beneficiorũ acceptorũ à Deo. ac requirit eam Christus Lucæ 17. ubi unus è leprosis purificatis reuertitur, Christo agens pro accepta sanatione gratias. Ea uerò res tantopere placet Christo, ut plura ei dona impartiat. Exemplum gratiarum actionis Christus præbet Matth. 11. Confiteor, inquit, tibi peccata Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Contraria est ingratitudo, quã Christus auersatur, & damnat, Lucæ 17. Nónne, inquit, decem mundati sunt, nouẽ autem ubi sunt? Non est inuẽtus qui rediret, et daret Deo gloriam? Et fauore Christi hi ingrati excidũt.

DE CONFESSIONE.

Confessionem esse necessariã, ex grauibus adhortationibus Christi patet, Matthæi quinto: Vos estis sal terræ. Item: Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificẽt patrem uestrũ qui in cœlis est. Matthæi 7. Omnis arbor bona, facit fructus bonos.

Necessitas ac præmia describuntur Matth. decimo: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum corã patre meo qui in cœlis est. Non cõfiteri, & peccatũ tetrũ est, & punietur. Matth. 12. Lucæ 11. Qui nõ colligit mecũ, dispergit. Matth. 5. Marci 9. Lucæ 14. Quòd si sal stupidus fuerit, quo salietur? Ad nihilum ualet ultrà, nisi ut mittatur fòras, & conculcetur ab hominibus. Matth. 7. Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

DE

DE DILECTIONE PROXIMI, & dimissione fraterna.

PRoximum esse diligendum, ex sententia legis est manifestum, Matthæi 22. Diliges proximũ tuum, sicut te ipsum. Inimicos autem ipsos fauore esse persequendos, diligenter inculcat Christus Matthæi quinto: Ego dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Attexuntur autem rationes. Prima: Vt sitis filij patris uestri, qui in cœlis est. Secunda: Deus solẽ suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Tertia: Si diligitis qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantũ, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Loquitur & de dilectione Christus, Iohannis 13. Si ego laui pedes uestros, Dominus & magister uester, & uos debetis alter alterius pedes lauare. Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, & uos faciatis. Itẽ: Mandatũ nouũ do uobis, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos. In hoc cognoscẽt omnes quòd discipuli mei sitis, si dilectionẽ habueritis ad inuicẽ. Ioh. 15. Hoc est præceptũ meũ, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos.

Reconciliationem & condonationem flagitat Christus Matthæi quinto: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeras munus tuum. Matthæi sexto, in orationem nobis hanc partem posuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Item: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra. Matthæi 18. Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usq; septies? respondet IESVS: Non septies, sed septuagies septies. Lucæ 16. Si septies in die peccauerit in te, & septies cõuersus fuerit, ad te dicens, Pœnitet me: remitte ei. Lucæ sexto: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Itẽ: Dimittite, et dimittetur uobis.

Pœnas quoq; atroces comminatur Christus, nisi id fiat, Matthæi quinto: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia cum eo, ne fortè tradat te aduersarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis, donec reddas nouissimum quadrantem. Matthæi sexto: Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Matthæi 18. Serue nequam, omne debitũ dimisi tibi, quoniã rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo, de cordibus uestris.

Huc etiam pertinet, quod non de iudicando proximo Christus concionatur Matthæi septimo: Nolite, inquit, iudicare. de priuato enim loquitur. Rationes sunt. Prima, Ne iudicemini. idq; declarat prouerbiali sententia: Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Secunda, quia fieri potest, ut tu magis iudicandus seu reprehẽdendus sis. Quid uides, inquit, festucã in oculo fratris tui, & trabẽ in oculo tuo non uides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo? Postea & ordinem præscribit: Eijce primùm trabem de oculo tuo, & tum uidebis ut eijcias festucam ex oculo fratris tui. Traditur etiam utilis regula Iohan. 6. quæ ad priuatũ & ipsius magistratus iudiciũ pertinet: Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudiciũ iudicate.

DE IEIVNIO.

QVadruplex ieiuniũ meminit historia Christi. Vnum, miraculosum: nempe quòd Christus integros quadraginta dies in deserto ieiunus mansit, ac cum diabolo luctatus est. Matth. 4. Marci 1. Lucæ 4. Neq; est tale ieiunium cæteris hominibus præceptum.

Alterum est hypocriticum, à Christo damnatum: Matthæi 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

Tertium, licitum ieiunium, liberumq; ad quod nemo cogi debeat. Sic discipuli Iohannis ieiunabant frequenter, Christi uerò non: nec uult Christus eos propterea accusari, Matthæi 9. Marci 2.

Quartum est, quod ipsa necessitas adfert: nempe, propter confessionem Euangelij inopiam patienter tolerare. de eo Christus loquitur Matthæi 9. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venit autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt.

Porrò quomodo sit ieiunandum, Matthæi sexto indicat: Tu, inquit, cum ieiunas, unge caput tuũ, & laua faciem tuam, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscõdito. Et pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto.

De usu ieiunij. Matt. 17. Christus docet: Hoc genus, inquit, dæmonij non eijcitur, nisi ieiunio & oratione.

DE ELEEMOSYNA, SEV beneficentia.

QVòd debeant pij alios de suis facultatibus iuuare, præceptum Christi extat Lucæ 6. Omni petenti te tribue. item: Date, & dabitur uobis.

Quibus sit benefaciendum, Lucæ 14 Christus monet: nempe nõ ijs qui aliàs abundãt, sed egenis. Cum facis, inquit, prandiũ aut cœnã, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos et diuites, ne fortè & ipsi te reuocent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuiũ, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos: & beatus eris, quòd non habent retribuere tibi.

Quomodo sit eleemosyna præstãda, Matthæi sexto scriptum est: Te, inquit Christus, faciente misericordiam, nesciat sinistra quid faciat dextra tua, ut sit misericordia tua in abscondito. Habet etiam beneficentia promissiones de præmijs, Matthæi sexto: Pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto. Lucæ 6. Date, & dabitur uobis. Mensuram bonam, et confertam, & coagmentatam, & supereffluentem dabunt in sinũ uestrum. Lucæ 14. Retribuetur tibi in resurrectione iustorũ. Marci 12. celebrat Christus pauperculæ mulieris beneficentiã, quæ duo minuta in gazophylaciũ miserat. Crescit eleemosyna in quinq; hominũ millia collata. Distributis enim inter eos quinq; panibus, et duobus piscibus, duodecim fragmentorũ co

phini reliqui manent: Matthæi 14. Marci 6. Lucæ 9. Iohannis 6. Item in quatuor millia, panes septem & pi sciculos paucos dispensat: supersunt autem septem spor tæ fragmentorum.

De uera collocatione facultatum, Lucæ 16. docetur: Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

Contrarium beneficentiæ est, non affici paupertate aliorum, nec iuuare eos: sicut in epulone exemplũ depingitur, qui abundans diuitijs & uoluptatibus omnis generis, Lazarum sinit perire fame. & postea audit in flammis inferni constitutus: Memento fili, quòd recepi sti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolationes habet, tu uerò cruciaris. Lucæ 16. Auaricia: Lucæ 12. Videte & cauete ab omni auaricia. Additur autem ibi ratio: Quia non in abundantia cuiusquam uita eius est, ex his quæ possidet. Hominis cuiusdam diuitis fructus uberes ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quòd non habeo quò cõgregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciã, ampliabo horrea mea, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea: & dicã animæ meæ, Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus: Stulte, hac nocte animã tuã repetẽt à te: quæ aũt parasti, cuius erũt? Sic est qui sibi thesaurizat, & nõ est in Deo diues. Contra auaritiam & Matth. 6. Christus docet: Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, et ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autẽ uobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. Item ait: Non potestis Deo seruire, & Mãmonæ.

DE POENITENTIA SEV conuersione hominis ad Deum.

DE conuersione seu pœnitẽtia locus ex pluribus alijs compositus est, & quidẽ in primis ex doctrina de lege, de Euangelio ac iustificatione, & de bonis operibus. Iure igitur mox eis succedit. Sciant igitur lectores, superiores locos huc pertinere, et quasi in conuersione hominis coniungi, & ad actum perduci.

Habet autem pœnitẽtiæ uocabulum duas præcipuè significationes in historia Christi: una, quòd in genere totam conuersionem hominis ad Deum significat: ut Matth. 3. Pœnitẽtiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Matth. 3. Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentia. Item: Baptiso aqua, in pœnitentiam. Marci 1. Prædicãs baptismum pœnitentiæ. Monebat enim Iohannes de peccatorum cognitione, fide in Christum, & de noua obedientia: Matth. 11. Lucæ 10. In cinere et cilicio pœnitentiam egissent. Matth. 12. Lucæ 11. Pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Matth. 8. Lucæ 5. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Lucæ 15. Gaudium erit in cœlo super uno peccatore, pœnitentiam agente. Lucæ 16. Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Huc uidetur & illud pertinere Lucæ 17. Si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, remitte illi. Nam pœnitentiæ exemplum statim subijcitur Matth. 18. ubi ijsdem ferè uerbis utitur. Et ibi uocatur conuersio: Nisi, inquit, conuersi fueritis, &c. Lucæ 1. Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Lucæ 22. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Altera significatio est aliquanto angustior, quòd pro una parte conuersionis, quæ nunc quidem usitatè uocatur contritio, accipitur. ut Marci 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: hoc est, agnoscite & deplorate uestra peccata, & amplectimini fide Christum, quem Euangelium monstrat. Lucæ 24. Prædicate in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Sancit enim ministerium hoc pacto, ut lege homines ad agnitionem peccatorum deducantur, & ex uoce Euangelij propter Christum remissionem peccatorum gratis fide accipiant. Matthæi 21. Vos uidentes nec pœnitentiam habuistis, ut crederetis ei. Deniq; Matthæi 21. ubi habetur, Pœnitentia motus abijt: simpliciter de mutatione mentis uidetur intelligi oportere, aut referatur ad priorem classem.

Ex rebus ipsis & exemplis huius doctrinæ, definitio pœnitentiæ contexi potest, quæ sit eiusmodi: Pœnitentia est, salutaris conuersio hominis ad Deum, cõplectens cõtritionem & fidem, quã sequitur noua obedientia. Probationes iam in ipsa tractatione sequentur.

Partes pœnitentiæ seu conuersionis ad Deum, Marci primo exprimuntur: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. nempe peccatorum agnitio, quæ ibi pœnitentiæ nomen habet, & fides. Eódem pertinet, quòd Christus in suo nomine mandat pœnitentiam & remissionem peccatorum doceri: Lucæ 24. Continentur hæ partes & in hac sententia Matth. 11. Venite ad me omnes. Iubet enim oneratos, hoc est sentientes in conscientijs peccatorum molem, ad se uenire: hoc est, credere & apprehendere oblatam ac gratuitam misericordiam per Christum. Postea addit, Tollite iugum meum: hoc est, parati sitis ad tolerãtiam in cruce præstandam. Matth. 21. Vos uidentes, nec pœnitentiam habuistis, ut crederetis ei. Duas species pœnitentiæ esse, alteram salutarem, alteram hypocriticam & mortiferam, docet historia Petri, & Iudæ Iscarioth. ille enim agnito peccato fide apprehendit mediatorem Christũ, eóq; se consolatur & sustentat: hic uerò agnito peccato desperat, & uitam laqueo finit.

Conuersionem salutarem non esse humanarum uirium, sed ipsius Dei opus, crebrò monet Christus. Lucæ 19. Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat. Non dubiũ est, omnes hic actus (ut sic dicamus) conuersionis comprehendi: quos nemo sponte suscipere potest, nisi à Christo quæsitus, ad eos perducatur. Et suauissima pictura sese nobis commẽdat Christus, quòd inquit, se esse pastorem, errantes ac uagabundas, imò perditas oues quærentem, & ex perditione eripiẽtem. Iohan. 6. Omne quod dat mihi pater, ad me uenit. Item: Omne quod dedit mihi, non perdam. Item: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Item: Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ioban. 1. Qui ex Deo nati sunt.

Quod autem per media, nempe uerbum suum, Deus hanc conuersionem operetur, diserte Christus cõmonefacit Matth. 13. in parabola de semine: item de nuptijs, ad

ad quas cõuiuæ per uocationem miniſtrorum ueniunt. Iohan. 6. inquit: Omnes erunt docti à Deo. Item: Omnis qui audierit à patre, et didicerit, ueniet ad me. Marci 10. Ite, prædicate, inquit, Euangelium omni creaturæ. Lucæ 24. Prædicate pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in nomine meo. Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequũtur me. Marci 1. Lucæ 3. Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. De effectu pœnitentiæ multæ ſententiæ loquũtur: ut Matth. 3. Facite fructus dignos pœnitentia. Matth. 7. Omnis arbor bona fructus bonos gignit. Ioan. 8. Vade, noli amplius peccare.

DE CONTRITIONE.

ETſi uocabulum contritionis non extat in Euangeliſtis, tamen quia iam uulgò receptum eſt, noſtræ ætatis uocabula applicare liceat. In Euangeliſtis, pœnitentiæ ſeu μετανοίας uocabulum pro ea conuerſionis parte uſurpatur.

Eſt autem contritio pars conuerſionis, qua ſpiritu ſancto nos arguente uoce legis, agnoſcimus, ſecundum Dei iudicium, noſtra peccata, & pœnas quas commeriti ſumus, nempe iram Dei, & condemnationem: ac uerè cohorreſcimus & dolemus, tum propter offenſum Deum de nobis bene meritũ, tum ob pœnas quas tranſgreſſoribus minatus eſt: nec animo Epicureo contemnimus Dei uocem nos arguentem, nec pertinaciter excuſamus & defendimus peccata per legem Dei nobis reuelata & monſtrata, licet fortè rationi non uideantur peccata eſſe. Iſta ſuppeditat typus Matt. 18. Seruus non ſuo arbitrio & iudicio, ſed ſecundũ uocem domini debitum æſtimantis, agnoſcit illud: agnoſcit & pœnas, quæ iuſtè ei debebant irrogari. nec Epicureo contemptu dominum irridet, nec debitum aut negat aut excuſat: ſed cohorreſcit, dolet & gemit. Idem ex publicani hiſtoria liquet Lucæ 18. qui conſternatus in ſua conſcientia, peccatorum conſpectu, iræ Dei & pœnarum ſenſu, fatetur ſe peccatorem coram Deo: non audet ſuſpicere in altum, tanquam ſibi peſſimè conſcius: ac tundit pectus, dolens ſeſe tantis facinoribus horribiliter coram Deo conſpurcatum eſſe. Lucæ 7. mulier peccatrix lachrymis teſtatur ſuum dolorem, quem in corde agnitione peccatorum conceperat. Matth. 26. Petrus agnoſcit lapſum, & à conſpectu hominum auſugiens, flet amarè. Simile exemplum contritionis eſt in Acolaſto, & latrone, & Cananæa muliere.

Eiuſmodi autem agnitionem peccatorum, & dolorem, ac ſeriam humiliationem coram Deo, non ſponte naſci in cordibus hominum, ſed à Deo excitari, & quidem uerbo ad eam partem deſtinato, nempe legis miniſterio, Chriſtus & uoce tradit, & in exemplis depingit. Lucæ 24. inquit: Prædicate pœnitentiam. & de Iohanne dicitur, quòd prædicarit baptiſmum pœnitẽtiæ: Marci 1. Lucæ 3. Iohannis 16. dicit: Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato.

Habes hic contritionis efficientem cauſam, nempè Spiritum ſanctum: & medium, ſcilicet uocem arguentem, hoc eſt, patefacientem & damnantem peccata. Lucæ 22. ſcribitur: Et conuerſus Dominus, reſpexit ad Petrũ. Et recordatus eſt Petrus uerbi Domini, ſicut dixerat: Priuſquam gallus cantet, ter me negaueris. & egreſſus foras Petrus, fleuit amarè. Cubabat peccatum in Petro, & ſubinde cumulabatur: ſed Chriſto eum aſpiciente, peccatum in cõſcientia euigilat, & quidem per uerbũ prius à Chriſto ipſi Petro prædictum. Hinc iam exoriuntur ingentes cruciatus in animo, quæ lachrymas ei excutiunt nequaquam ſimulatas. Matth. 5. etiã Chriſtus legem exponit, ut diſcant phariſæi ſua peccata agnoſcere.

Ad excitandam igitur contritionem neceſſe eſt legis ſententiam conſiderari, qua peccata reuelantur: & ea quæ ad declarandam iram Dei aduerſus peccata, ut executio legis, proponuntur: cuiuſmodi ſunt, tota uita & cruciatus omnes Chriſti, quos propter peccata generis humani ſuſtinuit: ſicut monet in itinere crucem ſuam baiulans mulieres, ut deplorent ſeipſas, & liberos ſuos. & præcipuè ſudor cruentus, in horto manans de eius corpore: triſtes clamores in cruce: pœnæ in Iuda, latrone, & alijs: & comminationes de temporalibus & æternis pœnis. Apud Lucam, de ciuibus in Silo perditis Chriſtus inquit: Niſi conuerſi fueritis, ſimiliter peribitis omnes.

Effectus contritionis ſunt, conſternatio & anxietas animi: id quod in publicano, Petro, peccatrice, & alijs cernitur. Geſtus lugubres: publicanus non audet faciem tollere, progredi in templũ, pectus tundit: Petrus & peccatrix mulier lachrymas fundũt: & de Petro in primis, literis eſt traditũ, eum amarè fleuiſſe. Humiliatio & cõfeſſio coram Deo: ſicut typus debitoris demonſtrat, & filij perditi. Reconciliari cum parte offenſa: Matthæi quinto. Ablatũ reſtituere. exemplũ eſt in Zachæo & Iuda. Ieiunare: Mar. 3. cum ſponſus ab eis auferetur, tum ieiunabũt. Sentire ac fateri ſuã indignitatẽ: ſicut publicanus ait, ſe eſſe peccatorẽ. item Matth. 11. In cinere & ſacco pœnitentiam egiſſent.

Fines contritionis non ſunt, ut ea mereamur ſalutẽ tanquam opere: ſed ut pareamus uoluntati Dei. Marci 1. Agite pœnitentiam. Vt intellecta noſtra indignitate, coram Deo ex animo nos humiliemus, nec fidamus coram Deo noſtris operibus: ſicut in debitore expreſſum eſt, qui ideo ad agnitionẽ debiti iſtius maximi deducitur, ut perſpecto debito, ſeriò agnoſcat et deploret ſuam miſeriam, ac exutus omni dignitate, ſe coram Domino proſternat. Vt Euangelij concio, ſeu beneficiũ Chriſti, locum habeat, & magis dulceſcat. Matthæi 11. Pauperibus euangelizatur. Matth. 9. Non eſt opus ualentibus medico, ſed malè habentibus. Item: Non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã. Qui enim propria iuſticia confidunt, iuſticiæ gratuitæ per Chriſtum partæ non ſunt capaces, ſicut hiſtoriæ phariſæorum teſtantur.

DE FIDE.

IN cõuerſione ſalutari ad Deum oportere ſuccedere cõtritioni fidem, euidentia teſtimonia probãt. Marci 1. copulantur hæc duo: Agite pœnitentiã, & credite Euangelio. Sic Lucæ 24. Prædicate pœnitentiam in meo nomine, & remiſſionem peccatorum. Matth. 11. Venite ad me, qui onerati eſtis. Rogaui pro te (Petre) ne deficiat fides tua. quo dicto oſtendit Chriſtus, fidem eſſe neceſſariam homini, ſe ad Deum conuertenti. Conſternatis talẽ impertit abſolutionẽ Chriſtus, Fides tua te ſaluũ fecit. et exigitur fides in innumeris dictis, ſicut ſuprà commonefecimus. Eſt autem fides, quod etiam

ſuprà diximus, fiducia remiſſionis gratuitæ propter Chriſtum, iuxta promiſſiones.

Fidem porrò excitare debent, Mandatũ Dei: Iohannis 6. Hæc eſt uoluntas eius, &c. Meritum Chriſti: nempe quòd totius mundi peccata tulerit & expiauerit: Ioh. 1. Quòd acceptatio ſit gratuita: Ioh. 13. Quòd omnibus hominibus ultrò à Deo per uerbũ offẽratur. Venite ad me omnes: Matth. 11. Quòd omnes uocentur miniſterio uerbi, Prædicate Euangelium omni creaturæ: Marci 16. Summa Chriſti beneuolentia, quòd tanquã paſtor benignus oues palãtes inueſtiget & liberet: Matthæi 18. Sacramenta, quibus & defertur & quaſi obſignatur remiſſio peccatorum gratuita, per Chriſtum comparata. Reliqua non neceſſe eſt hoc loco repetere, eo quòd in loco de fide pleraq; ſunt explicata.

DE NOVA OBEDIENTIA.

IIs qui fide gratis remiſſionem peccatorum acceperunt, Chriſtus etiam de uitæ nouitate concionatur, & pœnas comminatur rurſus ſe peccatis ſine pœnitentia polluentibus: ſicut Matth. 18. in debitore exemplum proponitur. Iohannis quinto inquit: Ecce ſanus factus es, iam noli amplius peccare. Cæterum de hoc loco plura, et quæ nos cauſæ ad bene operandum cohortari debeant, ex doctrina de bonis operibus ſumi debent: ac ſuperuacaneum eſt, hic eadem referre.

Contraria ueræ cõuerſioni ſunt, eſſe inflatũ perſuaſione propriæ iuſticiæ: Matth. 5. Lucæ 18. ubi Phariſæus neq; peccata ſua agnoſcit, neq; in Meßiam credit. Huiuſmodi iuſticiarij pœnitentia non indigere dicuntur, Lucæ 15. Tantum de externa diſciplina legẽ intelligere: Matth. 5. Contumaciter calumniari doctrinam Chriſti, ſicut Iudæi dicunt eum diabolo agitari. Relabi in peccata, deficere à uera doctrina: Matth. 12. 18. Alios faſcinare falſa doctrina, uel etiam minis deterrere: Matth. 23. Væ uobis ſcribæ & Phariſæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorũ ante homines. Vos enim non intratis, nec intrare cupientes ſinitis intrare. Tantum agnoſcere peccata, & deſperationi ſe dedere: non credere in Chriſtum, ſed deſperare, ſicut Iudas. Eſtq; Iudas exemplum imperfectæ ſeu falſæ pœnitentiæ, eo quòd non ſe erexit fide in Chriſtum.

Cauſæ generales, quæ omnes mortales ad ueram pœnitentiã mouere debent, paſſim in Euangelica hiſtoria cõmemorantur: nempe mandatum Dei, Matth. 1. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorũ. Ideo etiam præcipit, ut prædicetur in ſuo nomine pœnitentia, & remiſſio peccatorũ. Gaudiũ Dei & angelorum ſuper cõuerſione peccatorum. Lucæ 15. Dico uobis, gaudiũ erit in cœlis, item coram angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui pœnitentia non indigent. Clementia Dei erga peccatores, & promptitudo accipiendi: ſicut in ſeruo, Matth. 18. in filio perdito, Lucæ 15. in latrone, Lucæ 23. & ſimilibus exemplis declarauit. Omnium neceſſitas. Omnes enim ſumus caro, Iohan. 3. & niſi renaſcamur, non poterimus regnum cœlorum cõſequi. Commoda maxima, quæ inde ſequuntur: ut iuſtificatio, Lucæ 18. Poſſeſſio regni cœlorum, Matth. 18. Ioan. 3. Pœnæ, ſi non pœnitentiam agamus, Matth. 18. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorũ. Lucæ 13. Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico uobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis, ſicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloah, & occidit eos. putatis, quòd & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hieruſalem? Non, dico uobis: ſed niſi pœnitẽtiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Matth. 23. Ieruſalẽ Ieruſalẽ, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties uolui cõgregare filios tuos, quemadmodum cõgregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis? Ecce relinquetur uobis domus deſerta. Lucæ 7. Cœpit Ieſus exprobrare ciuitatibus in quibus factæ ſunt plurimæ uirtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiã. Væ tibi Corazin, uæ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent uirtutes, quæ factæ ſunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico uobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Capernaum, quæ uſq; in cœlum exaltata es, uſq; in infernũ deſcendes. Exempla pœnitentiæ ſuprà in loco de iuſtificatione enumerata ſunt.

DE BAPTISMO.

QVo efficaciores eſſent promiſſiones gratiæ, cæremonijs etiam quibuſdam externis eas quaſi ueſtiuit Chriſtus, ut nimirũ in omnium oculos incurrerent, & ſenſus etiam ipſos conuincerent: certoq; omnibus conſtaret, applicari fide utentibus ijs ceremonijs remiſſionẽ peccatorũ gratuitam, per Chriſtum. Pertinent igitur iſtæ ceremoniæ diuinæ ad articulũ iuſtificationis, quẽ et illuſtrant et cõfirmant. Sed audiamus, quid de baptiſmo in Euangelica hiſtoria ſit traditum.

Vocabulum baptiſmus ſignificat tinctionem, ſeu lotionem, à Græco uerbo βαπτίζειν. Sic Marci ſeptimo capitur de Iudaica lotione: Niſi baptiſentur, non comedunt. Interdum & Hebraica phraſi afflictiones, tribulationes ac paßiones ſignificat: Matthæi 21. Lucæ 10. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum: & baptiſmate baptiſari, quo ego baptiſor? Reſpondent: Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, & baptiſmate quo ego baptiſor baptiſabimini. Hic, calix & baptiſma pro cruce tum Chriſti, tum Apoſtolorum accipitur. Item Lucæ duodecimo: Baptiſmo habeo baptiſari, et quomodo coartor uſquedũ perficiatur? Aliàs uerò ſignificat ceremoniam, quã aqua uerbo cõiuncta eſt, et regeneratio efficitur: Matthæi ultimo & alijs locis, quorum iam in hac doctrina mentio fiet.

Si tota de baptiſmo doctrina excutiatur, & quaſi in cõpendium redigatur, apparet, Baptiſmũ eſſe externam actionem à Chriſto ipſo in nouo Teſtamento inſtitutam, ut uidelicet aqua tingantur ſeu lauentur omnes homines, in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: adiuncta promiſſione gratiæ, quòd credentibus in baptiſmo ſalus gratuita, ſeu remiſſio peccatorum, ſeu regeneratio applicetur: ſicut ea quæ nunc ſubijcientur, latius demonſtrabunt.

Docet igitur Chriſtus, unde ſit baptiſmus: nempe è cœlo, hoc eſt, immediatè à Deo inſtitutus. Matth. 21. Marci 11. Lucæ 20. Et Ioannes ipſe inquit, ſe nõ temerè baptiſmum cæpiſſe, ſed miſſum eſſe ut baptiſaret in aquã:

aqua: Ioh. 1. Ibidē etiam describitur seria & magnifica Phariſæorum legatio ad Iohannem, baptiſma administrantem ad Iordanem, ut ſciſcitarentur, qua autoritate eam ceremoniam inchoaret. Verùm ipſe reſpondet, ſe diuinitùs miſſum: & quidē eſſe uocem in deſerto clamantem, de qua Eſaias capite 40. prædixerit. Poſtquā autem reſurrexit Chriſtus ex mortuis, iamq; cœlum aſcenſurus, miniſterium docendi et ſpargendi Euangelium ad omnes creaturas ordinaret, ipſemet ſuo ore etiam baptiſmū ſancit: Euntes, inquit, docete omnes gentes, & baptiſate eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Eſt igitur Baptiſmus diuina ceremonia, à Chriſto immediatè mandata, ut omnes gentes ea initientur. Adeſt autem omnibus ætatibus, ubicunque hæc ceremonia iuxta uerbum Chriſti adminiſtratur, ipſe pater, filius & ſpiritus ſanctus, efficaciā illi lauacro ſalutari impartientes, ac regenerationem perficientes. Quo quidem quaſi concilio quid dignius aut auguſtius eſſe poteſt? Non enim tantū operatione, uerùm ſubſtantia etiam haſce perſonas adeſſe, ſuauiſſimum dicū, quod mox annectitur à Chriſto, teſtatur: Ecce, inquit, EGO uobiſcū ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi. Ioh. 3. uocatur baptiſmus regeneratio ex ſpiritu. Vocatur etiā cōſiliū Dei, Lucæ 7. Phariſæi, inquit, & legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt contra ſemetipſos, non baptiſati ab eo.

Perſonæ quæ Chriſto exhibito hanc nouam ceremoniā adminiſtrarūt ſunt: Ioannes, ab hac ceremonia etiam nomen ſortitus, ut Baptiſta uocaretur. nam is paulo prius, quàm ſuum publicum docēdi munus IESVS Chriſtus auſpicaretur, hanc ceremoniā mandato diuino extra Hieroſolymam ad ripam Iordanis inchoabat, contra uoluntatem Pontificum Hieroſolymitanorum, obſtinatè Chriſtum aſpernantium: Matthæi 3. Marci 1. Iohannis 1. Scriptum eſt Iohannis 3. quòd IESVS baptiſarit. uerùm cap. 4. corrigit, ſeu explanat Euāgeliſta, quod ibi dixerat: Quanquam, inquit, IESVS nō baptiſaret, ſed eius diſcipuli. Efficientem itaq; cauſam in eo notare uoluit, quòd Chriſtum baptiſaſſe affirmat. Deniq; & ijs qui Euangelium in totum orbem terrarū efferre debebant, baptiſmi adminiſtratio ſimul demandatur, ac perpetuò cū miniſterio copulatur, quod (ſicut ſuo loco dicetur) ſaluo ordine ſeu οἰκονομίᾳ omnib. credentibus eſt commune.

Materia ſeu elementum expreſsè à Chriſto nominatur et deſignatur, nimirum aqua, Ioh. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu. Et Baptiſta idem exprimit Matthæi 3. Marci 1. Lucæ 3. Ego, inquit, baptiſo aqua. Ioan. 1. Miſit me baptiſare aqua. Actorum primo: Iohannes baptiſauit aqua.

Formam etiam ipſam, qua uelit baptiſmum ubiq; tractari & accipi, diſertè Chriſtus explicat & præſcribit Matt. ultimo: Baptiſate, inquit, in nomine patris, et filij, et ſpiritus ſancti. Hic enim cum ſolus ſit uerus Deus, in actione baptiſmi uult agnoſci, & quidem nominari: qui regenerationē in homine, cui baptiſmus confertur, pro ſua immenſa miſericordia & potentia efficiat. Et cum ſit planè miraculoſum ac diuinum opus, cumq; dona cœleſtia & æterna diſtribuantur, cum feriat Deus pactum æternum hac ipſa ceremonia cum hominibus, uult ſe inuocari nominatim, ſicut ſe patefecit: uult ſe celebrari & prædicari, ne mutæ aut clandeſtinæ ſint actiones: uult repeti & inculcari cunctis hominib. doctrinam de Deo: & hiſce ampliſſimis beneficijs, quæ per baptiſmum præſtat, uult omnes cum reuerentia tractare et ſuſcipere baptiſmum, eiq; adeſſe, ubi tam propè ſit Deus, et miracula omnium ſumma iuxta uerbum ſuum operetur, nempe regenerationē hominis: ne quis eam actionem tanquam uilem aut inanem contemnat, ſed ſinguli in tota uita plurimi ſuum baptiſma, quod tali modo acceperūt, faciant. Huc pertinet, quòd uerbum cum baptiſmo pulchrè copulatur. Nam Chriſtus inquit, Matth. 28. Docete omnes gentes, baptiſantes eos. Marci 16. Prædicate Euangeliū omni creaturæ, q̄ crediderit et baptiſatus fuerit, &c. Et de Ioāne narratur Matthæi 3. Marci 1. Lucæ 3. eum prædicaſſe baptiſmū pœnitentiæ. Hinc manifeſtum eſt, Ioannem non temerè baptiſmi ceremoniam contuliſſe: ſed prius prolixè auditoribus expoſuiſſe, quid ſit baptiſmus, unde ſit, cur expetendus omnibus, quomodo & quibus proſit. Ioan. 3. Chriſtus baptiſmum appellat renaſcentiam ex aqua & ſpiritu. Quibus uerbis copulat elementum & efficaciam ſpiritus ſancti.

Huc igitur & promiſſiones referendæ ſunt, actioni iſti annexæ. ut Marci decimoſexto: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Item, Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Et de baptiſmo Ioannis dicitur, quòd in remiſſionē peccatorum factus ſit.

Non igitur tantum corpore ablutionem, tanquam rem externam accipi neceſſe eſt, uerùm etiam fide: quia promiſſiōes gratiæ huic actioni externæ adiūctæ ſunt, totam actionē cum promiſſionibus apprehendi oportet, ſicut Chriſtus docet Marci 16. Qui crediderit, & baptiſatus fuerit.

Monet etiam Chriſtus, qui ſint baptiſandi: nempe omnes gentes, quæ quidem de Euangelio ſuo docentur: Matthæi 28. Marci 16. Ac neceſſitas, quæ omnibus hominibus incumbit, Iohannis 3. exponitur. Quod natum eſt, inquit Chriſtus, de carne, caro eſt. Item: Niſi quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Caro phraſi ſcripturæ opponitur ſpiritui, ac ſignificat ſubſtantiā hominis cum uitiis ſuis deprauatam, & ſordidatam: quæ quidem talis eſt, ut non habeat locum in regno cœlorum, niſi regeneretur. omnes igitur qui regni cœlorū participes fieri debent, neceſſe habent baptiſari. Matthæi 3. dicitur: Baptiſabantur in Iordane, confitentes peccata ſua. Item Marci 1. & Lucæ tertio, quòd Iohannes prædicarit baptiſmum pœnitētiæ. Itaque baptiſandi ſunt agentes pœnitentiam, non obſtinatè perſeuerantes in contemptu uerbi & ipſius Dei, alijſq; tetris ſceleribus. Non quoſuis igitur Iohannes temerè admiſit, ſed eos tantum qui teſtarentur manifeſtè, ſe agnoſcere ſua peccata, & fide Chriſtum amplecti. Hæc exploratio ac teſtificatio, ſeu confeßio in adultis, quales Iohannes tum baptiſabat, etiamnum neceſſaria eſt.

At hic iam quæſtio oritur, An ſint infantes quoque baptiſandi? Quòd autem ſint, ex uerbis Chriſti non obſcurè elici & intelligi poteſt. Dicit enim Matth. 18. Non eſt uoluntas patris ueſtri qui in cœlis eſt, ut

pereat unus de pusillis istis. et ait, eos in se credere. Item Matth. 19. Simite paruulos, & nolite eos prohibere ut ad me ueniant: talium est enim regnum cœlorum. Cum igitur promissiones de possessione regni cœlorum, tam benignè pueris tribuat Christus: non est dubium, quin etiam hæc ceremonia & tessera promissionis ad infantes pertineat. Idem ex concione Iohannis 3. extruitur: Nemo potest regnum Dei intrare, nisi per aquam & spiritum regeneratus: sed infantes, ait Christus, regnũ cœlorum intrare, Matthæi 18. Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Item Matth. 19. Talium est regnum cœlorum. Itaque cum de carne nati & caro sint, ipsos quoque baptismo renasci necesse est. Etsi autem Apostoli, priusquã rectius edocti essent, paruulos arcere à Christo conarentur: tamen reprehenduntur, & postea spiritu sancto autore & gubernatore haud dubiè & infantes baptisarunt: sicut Origenes, Cyprianus, & alij testantur, ab Apostolis eam consuetudinem baptisandi infantes ad posteritatem quoq; transmissam esse. Verùm hæc inferius suum habebunt locum.

Semel autem baptismum accepisse satis est: siquidem non mandatur repetitio, neque iterata legitur. Nam de exemplo quod in Actis occurrit, secundo libro dicetur.

Fines atq; effectus baptismi Christus docet præstantes, ac maximi momẽti esse: nempe quòd baptismo applicetur, donetur & confirmetur regeneratio. Ioan. 3. Aqua & spiritu renasci oportet. Applicatur, donatur, & confirmatur hoc lauacro salus, Marci 16. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Adfert baptismus facultatem introeundi in regnum cœlorũ: Ioannis 3. Applicat, donat, & confirmat remissionem peccatorum: Marci 1. Lucæ 3. Prædicabat baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Adfert nouos motus, utq; noua obedientia inchoetur. Ioan. 3. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Baptista inquit: Vt manifestaretur (Christus) in Israel, propterea ego ueni aqua baptisans. Testatur non tantum baptismo testimoniũ Christo exhibito ferri, sed etiam beneficia ipsius conferri & applicari.

Non posse autem res tantas ratione humana apprehendi, historia de Nicodemo, quæ Ioan. 3. descripta est, docet. Audita enim ista propositione, oportere homines renasci, alioqui neminem cõsecuturum regnum cœlorum: Nicodemus inquit, Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Verùm Christus postea rem declarans, inquit: Ne mireris, quòd dixerim tibi, Oportet uos nasci denuò. Spiritus ubi uult spirat, et uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Iterum infit Nicodemus: Quomodo possunt hæc fieri? Respondet Iesus: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, et nõ creditis: quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis? Hisce uerbis Christus postulat, ne res istas diuinas ratione humana metiamur, sed fide cõprehendamus: & posthabitis absurdis, quæ ratio humana hic parturit, tantum in uerbo diuino ipsius Christi firmiter cõsistamus. Nam si rationi hæc antea nota fuissent, quid fuisset opus filium Dei ea proferre?

Dignitatem atq; efficaciam baptismi commendat etiam historia illustris, quòd ipsemet Christus à Iohanne in Iordane baptisari uoluit. Etsi autem non opus habebat ad regenerationem baptismo Christus, ut in cuius natura labes nulla erat: tamen ob maximas causas proculdubio hoc lauacrum subijt, id quod hoc breui dicto significat Matth. 3. Sine modò sic enim decet nos implere omnem iusticiam. Apparet, à tota trinitate hoc fuisse prius decretum, quòd in hac ceremonia Christus quasi initiandus esset, priusquam ad suum ministeriũ publicè accederet: ac simul notum fieret, ipsum hunc Christum huius admirandæ ablutionis causam & autorem existere: præterea, quòd Deus in baptismo sese uellet illustrius & blandius reuelare toti hominum generi, quàm unquam antea in mundo factũ fuisset. Tres enim distinctæ personæ hic sese patefaciunt. Pater è sublimi cœlo clara uoce hanc sententiam profert: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum est. Spiritus sanctus sicut columba è cœlo descẽdit, atq; in Christũ residet. Ipse filius Dei unda Iordanis tingitur, manu Iohannis baptistæ. Tantus honor nulli unquã ceremoniæ accidit. Sunt quidem sacrificia accensa, flamma è cœlo erumpente: templũ Hierosolymitanũ caligine impletũ est: uerùm hic Maiestas diuina distinctè se cognoscendã præbet. Estq; testimoniũ, has tres personas semper adfuturas baptismo, iuxta institutionem usurpato.

Colliguntur etiã ex actione baptismi quædã significationes. ut lotio externa significat, peccatorum sordes coram Deo ablui: uerùm nõ tantum significat, sed eam unà operatur, ut dictum est. Mersio in aquam significat tribulationes, quas credentes ex Satanæ regno erepti subeunt. Significat & lotio uitæ nouitatem, & monet ne peccatorum sordibus pij sese inquinent.

Manere peccati radicem seu morbum in natura hominis, etiamsi baptismo reatus (ut iam loquimur uulgo) sit sublatus, uel orationis formula Christus satis docet, in qua iubet nos orare quotidie omnes, Dimitte nobis debita nostra: id quod nõ fòret necesse, si penitus ex natura peccata per baptismum extirparentur.

Quod ad baptismum Iohannis baptistæ & Apostolorum attinet, ministerio et efficacia prorsus cõueniũt. Nam à Deo Iohannes missus est, ut hanc nouã ceremoniam auspicaretur: & baptismo Iohannis remissio peccatorum applicabatur, Mar. 1. Lucæ 3. ac tum quidem omnes in exhibitũ Messiam baptisabantur. Tantum autem Iohannes se & Christum distinguit his uerbis. Ego quidem baptiso aqua, ille baptisabit spiritu sancto & igne. quibus uerbis testatur, se tantum esse ministrum baptismi. efficaciam autem tribuere, esse opus Christi. Item prophetat, Christum sese excellenter reuelaturum, uisibiliter misso spiritu sancto: id quod ipso die Pentecostes postea completum est, & Christus ipse ante ascensionem Actorum 1. inquit: Audistis ex me, quoniam Iohannes quidem baptisauit aqua: uos autẽ baptisabimini spiritu sancto, post dies hosce non multos.

DE CLAVIBVS ECclesiæ.

Ecclesiæ à Christo traditas esse claues regni cœlorum, uerba Christi sine ambiguitate docent, Matthæi 16. Ego dabo tibi claues regni cœlorum. ac rem ipsam non tantum in citato loco exprimit, sed etiam

Matthæi

Matth.18.Bis igitur ante paſsionem hæc uerba repetita ſunt: poſt reſurrectionem uerò, ſingulari Maieſtate, ac dono inſuper addito, tertiò collatæ ſunt. Nam poſtquã diſcipulos (typum Eccleſiæ gerentes) afflasſet, inquit: Accipite ſpiritum ſanctum. Et Matth.18. diſertè Eccleſiæ fit mentio, quòd ea ſummam habeat poteſtatem contra impœnitentes. & mox attexitur: Quorum ligaueritis, &c. Reſpicit igitur hæc collatio clauium non tantum ad diſcipulos, qui non ſoli ſunt Eccleſia: ſed ad totam Eccleſiam, ſeu ad omnes credentes.

Non autem perſonale priuilegiũ fuiſſe, hoc eſt, quod tantum Apoſtolis tributum fuiſſet, declaratio quæ capite 18. Matthæi deſcripta eſt, ſatis explicat: Si, inquit, duo ex uobis conſenſerint ſuper terram. Item, Vbi duo uel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Sicut igitur oratio eſt communis Eccleſiæ, ita & clauium poteſtas. alioqui oratio quoq; erit perſonalis: hoc eſt, tantum ad Apoſtolos pertinens. Præterea miniſterium uerbi, remiſsio peccatorum, & omnia beneficia Chriſti, non ſunt perſonalia, ſed toti Eccleſiæ Chriſti communia: claues autem ſunt diſtributio remiſsionis peccatorũ, aut eorũ retẽtio, iuxta uerbũ. Itaq; eas Eccleſiæ Chriſti uniuerſæ conuenire, non eſt dubiũ.

Sunt autem claues, ſicut ex perſpicuis teſtimonijs et tota hac doctrina patet, poteſtas à Chriſto Eccleſiæ ſuæ collata, iuxta ſuum uerbum, cuilibet agenti pœnitentiam, in nomine, mandato atq; efficacia Chriſti ſoluendi aut remittendi peccata, uel impœnitentibus eadem auctoritate ligandi ac retinendi peccata. Hæc iã per partes explicabuntur. Cæterùm claues regni cœlorũ metaphoricè appellantur, & propter effectum: item propter res ipſas. Non enim eſt poteſtas gladij, ſed matris ſa miliàs, quæ cuncta adminiſtrat ad ſuorũ emolumentũ.

Duplices eſſe claues Eccleſiæ, uerba Chriſti apertè teſtantur. Affirmat enim ſe claues, & non clauem tantum dare. Deinde diſtinctè nominat ligationem ſeu retentionem peccatorum, & ſolutionem ſeu remiſsionem peccatorum. Verbo autem iſtas claues adminiſtrari debere, res ipſa docet. Non enim de politica uiolentia, ſed uerbi miniſterio agit Chriſtus. Nunc de ſpeciebus uera doctrinam ex uerbis Chriſti colligemus.

De claue Eccleſiæ, qua ligantur ſeu retinentur peccata: ſiue de excommunicatione, ut uulgò uocatur.

Quòd Eccleſiæ ſit tradita poteſtas retinendi ac ligandi peccata aliquibus, ex uerbis Chriſti conſtat. Dicit enim Matth.16. Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis. Idem Matth.18. repetit, ac uult impœnitentes pro ethnicis ac publicanis haberi. Iohan.20. inquit: Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt.

Hinc etiam ſimul conſtat, clauem ligantem peccata iuxta uerbum, non eſſe humanum inuentum, ſed inſtitutionem immediatè à IESV Chriſto profectam: ſicut uerba modò recitata declarant. Ac Deum ipſum eam ligationem per miniſterium exercere, ipſa uerba commonefaciunt. Dicit enim Chriſtus, Erit ligatum in cœlis: hoc eſt, Deus ipſe hoc iudicium exercet, ac pro rato habet. Matth.18. ait, Se in medio eorum futuros, qui de aliqua re conſenſerint. Et quidem hæc promiſsio mox collationi clauium ſubijcitur. Iohan.20. Spiritum ſanctum inſufflando præbet: ea re monens, ſpiritum ſanctum utriq; clauì adfuturum.

Conſiſtit autem ea clauis in ligatione, ſeu (ut in Iohanne explicatur) retentione peccatorum: quod nihil aliud eſt, quàm negare talibus Deum eſſe propitiũ, negare tales eſſe hæredes uitæ æternæ, palàm & expreſsè indicare iudicium Dei: nempe tales eſſe in poteſtate Satanæ, deſtinatos æternæ iræ & condemnationi, niſi conuertantur.

Ordinem uerò Chriſtus Matth.18. tradidit: Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, uade et corripe eum inter te et ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium teſtium ſtet omne uerbum. Quòd ſi non audierit eos, dic eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. De priuatis delictis hic propriè concionatur Chriſtus. In publicis uerò, notorijs & atrocibus, priora quædam non poſſunt habere locum. In genere tamen Chriſtus docet, peccatores eſſe commonefaciendos de pœnitentia: deinde, iudicium de peccatis ad Eccleſiam pertinere: tertiò, eccleſiam ſeu perſonas ab Eccleſia delectas debere peccatores commonefacere, ac ſententiam cõtra ipſos palàm pronunciare. Oportet enim manifeſtam ac publicam actionem eſſe, quam Eccleſia ſuſcipit: & ita quidem, ut alij quoq; tam pertinaces peccatores, pro impijs & abſciſis membris Eccleſiæ haberi queant. Relicta eſt igitur Eccleſiæ forma, qua peccatores admoneantur, & tandem publicentur, quibuſcunque tandem id fiat uerbis, modò nõ ſint contra uerbum Dei: ut talis homo à reliquis poſsit cognoſci, & tanquã contagium quoddam peſtiferum uitari.

Qui ſint ligandi, hæc ipſa commemoratio Matt. 18. indicat: nempe peccatores, & quidẽ pertinaces. in quibus habent locum, non tantum publici, ſed & priuati, ſicut docet Chriſtus: Si peccauerit in te frater tuus.

Nec tantum generalem eſſe ſententiam hanc peccatorum ligationem, ut quando in genere recitatur dictũ Iohan.3. Qui non credit, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Matth. 7. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: Sed etiam ſpecialem erga certos actionem & promulgationem manifeſtam talis iudicij erga eos, quòd peccata ipſis ſint retenta, ac ſint Satanæ mancipia, niſi agant pœnitentiam, eadem uerba Chriſti Matth.18. teſtantur. & ad ſpeciem debere applicari, peculiaris inſtitutio oſtẽdit. Chriſtus enim inquit: Quorum retinueritis peccata.

Docet præterea & de fine atq; effectibus clauis ligantis Chriſtus, nempe quòd non ſit uana uox, aerem ſolummodo uerberans: ſed quòd uerè coram Deo ligatio iſta pondus habeat. Matth.16.18. Quæcunq; ligaueritis ſuper terram, ligata ſunt in cœlis. Iohan.20. Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt. Quòd talis ligatio eiuſmodi homines ſeparet à cœtu Eccleſiæ, & ſeriò fugiendi ac uitandi ſint, Matt.18. Sit tibi ſicut ethnicus et publicanus. Eſt autem hoc tum uſitata Iudæorũ phraſi dictum, qui ethnicos & publicanos pro ijs habebant, qui non eſſent membra ueræ Eccleſiæ, quos à ſuis cœtibus arcebant: quorum etiam aliàs conſortium, ne ab ipſis polluerentur, uitabant. breuiter, quorum ſalus erat deſperata, niſi conuerterentur.

Exempla ligationis istius, siue excommunicationis, in genere quidem esse possunt grauissimæ istæ execrationes, pronunciatæ in scribas & pharisæos hypocritas, Matthæi 23. ubi dicit: Væ uobis scribæ & pharisæi: eamq; uocem aliquoties iterat. postea addit: Serpentes, genimina uiperarũ, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Eiusmodi condemnationem etiam Baptista in Pharisæos & Sadducæos pronunciat: Progenies uiperarũ, quis demonstrabit uobis fugere à uentura ira? Item: Iam securis ad radicem arborum posita est. Videtur etiam illa heroica Christi purgatio templi Hierosolymitani, excõmunicationis speciem habere. Si quis tamen malit has seueras increpationes à ligatiõe illa speciali, quæ Matthæi 16. 18. Iohãnis 20. sancita est, separare, suo fruatur iudicio. Exempla quæ proprie huc spectant, libro sequenti exponemus.

Contraria ueræ ligationi sunt: excõmunicatio, quam falsa Ecclesia seu titularis, ut sic dicamus, sibi arrogat contra ueros doctores, uera dogmata, aut uere pios, iustaq; facta. Sic Iohan. 16. Christus prædicit Apostolis, & cunctis credentibus, quòd è synagogis sint ipsos eiecturi: hoc est, censura eorum qui in regimine Ecclesiastico autoritate præcellent, ex ipsorum communione excludentur. Iohan. 9. dicitur: Iam conspiraverant Iudæi, ut si quis eũ confiteretur esse Christũ, extra synagogã fieret. Hæc bruta fulmina monet Christus floccipendẽda esse, & fortiter in cõfessione pergendũ. Hæc, inquit, locutus sum uobis, ut nõ scandalisemini. Sic Ioh. 9. cæcus Christo testimoniũ perhibens ejicitur ex synagoga.

De claue Ecclesiæ soluente seu remittente peccata, seu de Absolutione, ut uulgò uocatur.

Quod etiam hanc potestatem habeat Ecclesia Christi, ut cuilibet agenti pœnitentiam, remissionem peccatorum possit annunciare, seu soluere peccata, itidem ex uerbis Christi suprà commemoratis patet.

Et is tribuit Ecclesiæ suæ hanc potestatem, qui remissionem peccatorum suo sanguine peperit: nempe Christus Matth. 16. 18. Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlis. Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Ac datur quidẽ spiritus sanctus, ut hanc quoq; partem adiuuet. Marci 2. Audientes scribæ Iesum paralytico peccata dimittentem, dicunt: Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Sed Christus respondet, Filiũ hominis habere potestatem in terra dimittendi peccata: idq; confirmat miraculosa paralytici curatione. Apostoli ac reliqui iuxta mandatum Christi peccata aliquibus soluentes, ministri sunt: ac ualet remissio propter uerbum Christi, quod ad nos sonat.

Consistit hæc clauis in solutione seu remissione peccatorum, neq; est ad aliquam certam formulam alligata, modò mandatum ac promissio Christi ibi sonent. Sicut enim aliàs in ministerio uerbi remissio peccatorum in nomine Christi proponi debet, ut præcepit ipse Lucæ 24. ita etiam in usurpatione huius clauis.

Applicat autem hæc clauis cuilibet in specie solutionem, seu remissionem peccatorũ, sicut uerba testantur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur. nam de specie hæc uerba accipienda sunt. Estq; simul uniuersalis expressa, & quòd gratis contingat. Pœnitentiam autem agentibus hanc clauem tantum prodesse, non est dubium. Dispensantur enim hac claue beneficia Christi: et Christus affirmat, se peccatores uocare ad pœnitentiã, ut suprà annotatum est.

Formulas hasce ipse Christus usurpauit Matthæi 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Deinde crebrò occurrit hæc forma: Fides tua te saluum fecit. Semper enim & in corporalibus beneficijs simul hanc remissionẽ peccatorũ comprehendit. Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiso. Ioh. 8. Vade noli amplius peccare.

Videtur præterea receptio publica publicorum peccatorum peculiariter esse à Christo tradita: ut in parabolis de oue perdita, et grosso amisso significatur. Non enim satis est inuenisse ouem errantem, aut recuperasse drachmam amissam: sed cum inuenerit, inquit Christus, ouem, imponit in humeros suos, gaudens: et ueniens domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Idem de drachma narratur. Apparet igitur, pœnitentiam publicorum peccatorum pijs indicandam publicè, ut & ipsi hoc sciant, lætentur, ac Deo gratias agant. Item Matth. 5. reconciliationem cum fratre offenso præcipit Christus: ea uerò non potest fieri in publicis scandalis, nisi Ecclesiæ indicetur, hunc uel illum petere condonationem ob scandalum datum. Matthæi 18. publici peccatores iubentur haberi pro ethnicis. Ergo si pœnitentiam agant, indicandi sunt Ecclesiæ, ut pro membris ueris habeantur. Eiusmodi publica quædam publici peccatoris receptio, seu solutio, seu absolutio, in perditi filij acceptatione describitur. Iubentur enim senior filius ac tota domus gaudere, quòd peccator redierit ad pœnitentiam.

De fine et effectu huius solutionis uerba Christi docent: Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlis. Matth. 16. 18. Item: Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Quid potest consolatius dici, quàm uocem solutionis nomine Christi ad nos sonantem, in cœlis ratam à tota Trinitate haberi? Quæ bona etiã præstantiora sunt solutione ac remissione peccatorũ? Nam si euoluas hæc uerba, insunt etiã ista, quòd cuilibet uirtute uerborum Christi donatur gratia Dei, hæreditas uitæ æternæ, liberatio ab æterna morte, à potestate Diaboli et inferni: tranquillitas conscientiæ, liber ad Deum accessus, & similia.

Administrauit autem ipse Christus quoq; hanc clauem, Matth. 9. Marci 5. 10. Lucæ 7. 8. 17. 23. Ioh. 8.

Sæpius ea claue utendum, uidentur et hæc uerba innuere Matth. 18. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usq; septies? Dicit ei Iesus: Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies. Nã hæc mox uerbis de clauibus subijciuntur. Sequitur item typus, quomodo Deus nobis peccata gratis ex misericordia dimittat.

DE CONFESSIONE.

Facta mentione solutionis peccatorum, etiam uicinam doctrinã attingere uisum est. Triplicem confessionẽ Euangelica historica suppeditat. Vnam, quæ fit coram Deo, ac priuata est, quæ constat humili agnitione ac cõfessione peccatorum. Talis in publicano describitur, Lucæ 18. qui Deũ cõsternata mente alloquẽs: Propitius, inquit, esto Deus mihi peccatori. Sic Petrus, ex pi-

ex piscium multitudine, quos mandato Christi cæperat, eum agnoscens: Homo, inquit, peccator sum. Sic in oratione Dominica iubet Christus, nos quotidie Deo patri nostra peccata confiteri, ac ueniã precari. Item: Si omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus.

Distinguenda autem est peccatorum confessio, Iudæ & publicani. Iudas enim confitetur, se innoxium sanguinem tradidisse: & reddit precium, quod à sacerdotibus acceperat. Verùm nõ petijt à Deo misericordiam, sed desperatione fractus, sibimet ipsi uitam præcidit. Publicanus non tantum fatetur se peccatorem esse, sed adiungit implorationem misericordiæ: nec dubitat, eam sibi contingere.

Altera est publica, coram ministerio: Matth. 3. Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Apparet, accedentes ad baptismum, prius ibi testificatos esse, se peccatores esse: & ueniam expetere, propter Messiam, quem Iohannes præstò esse dicebat.

Tertia, priuata, erga offensos: Matth. 5. Vade & reconciliare fratri tuo, et tunc ueniens offeras munus tuũ. Lucæ 17. Si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, remitte ei. Porrò de confessione doctrinæ synceræ, in loco de Bonis operibus est dictum, quæ huc non pertinet.

DE COENA DOMINI.

INtegra doctrina de cœna Domini, iuxta uerba Christi, hanc præbet definitionem: quòd cœna Domini sit ceremonia, seu actio à Christo immediatè instituta, qua distribuuntur sumenti, iuxta uerbum Christi, panis & corpus Christi, uinum et sanguis Christi, promissione gratiæ annexa: quòd cuilibet Christus & beneficia eius, nempe remissio peccatorum, applicentur & obsignentur. Hæc nunc particulatim demonstranda sunt.

Prius autem operæ precium uidetur, uerba, sicut ab Euangelistis descripta sunt, recitare. nã & pauca sunt, & integram de cœna Domini doctrinam ob oculos ponunt. Narrant autem Matth. 26. Marcus 14. Lucas 22. uerba Christi, hoc modo: Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Lucas addit, Quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Lucas: Hic est calix, nouum Testamentũ in meo sanguine, qui pro uobis effunditur.

Hanc igitur sacram cœnam immediatè Christus instituit, sicut citati testes clarè affirmant: & quidem ea ipsa nocte, qua pascha Iudaico ritu comedebat, & mox egressus in montem Olueti capiebatur, ac postero die cruci affigebatur. Assederunt aũt ad mensam duodecim Apostoli: nec est absimile uero, plures alios quoq; afuisse, eũ agnũ paschalẽ oporteat à tota familia comedi.

Materiæ cœnæ Dominicæ à Christo clarè sunt expressæ, istæ duæ: nempe panis elementalis, & corpus eius: uinum elementale, & sanguis eius. Sic enim uerba habent: Accepto pane, benedixit ac fregit, deditq; discipulis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Similiter & de altera parte: Sumpto calice, & gratijs actis, dicit: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, noui Testamenti. Copulantur igitur panis & corpus Christi, deinde uinum & sanguis Christi: ac ita sanciuntur, quòd perpetuò, quamdiu scilicet hæc actio durabit in Ecclesia, ista memoriæ debeant esse nota, nec ab ulla creatura uariari. Vtitur quoq; rotundis & simplicibus uerbis Christus. non dicit, Edite panem significantem meũ corpus: sed, Edite, hoc est corpus meũ. item, Bibite, hic est sanguis meus. non dicit, Vinum est typus seu significatio mei sanguinis, aut symbolũ, quòd meus sanguis alibi existens, tantum sua dignitate, potentia et efficacia uobis adsit.

Forma autem atq; ratio huius cœnæ patet etiam ex uerbis, nempe quòd eodem modo, quo hic, distribui atque sumi debeat, sicut monent uerba Lucæ 22. Hoc facite in mei commemorationem. Debent autem ibi sonare uerba Christi, et ea quidem uel præcipuè: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur. Item, debent utræque partes, nempe panis & corpus Christi, deinde uinum & sanguis Christi, dispensari, sicut uerbis Christi, quæ fixa & immota debent manere, perspicuè mandatur. Estq; in altera parte singulari ac planè diuino consilio uniuersalis expressa, nempe, Bibite ex hoc omnes: ne quis Antichristus & falsarius, constitutionem seu Testamentum Domini labefactet aut discerpat, suffurando alteram partem, & dicendo, Non omnes debent bibere, sed tantum aliqui, nempe clerici.

Sumptionis ratio est, ore uesci panẽ & corpus Christi, sicut expressa & clara uerba Christi docent: item, ore bibere uinum et sanguinem Christi, sicut uerba eius clarè testantur. Ac simul corde seu fide apprehendere corpus & sanguinem Christi, ipsamq; promissionem perspicuè annexam, de corpore pro nobis dato, sanguineq; pro nobis effuso in remissionem peccatorum. Nam promissiones gratiæ fide accipi oportet. Præterea, si uera recordatio aut commemoratio Christi, eiusq; beneficiorum fieri debet, ex fide oportet eam emanare, et os laudibus ac prædicationibus beneficiorũ per Christum præstitorum impleri. Item debet fieri commemoratio Christi. itaq; oratione & alijs confessionibus debet hæc cœna accipi, ne securi aut muti simus, aut aliud agamus.

Quales ad hanc Domini cœnam accedere debeant, ex ipsa actionis forma apparet. nempe agentes pœnitentiam, hoc est, qui sentiẽtes sua peccata, cum gaudio eam applicationem corporis et sanguinis Domini in remissionem peccatorum amplectuntur. Hi etiam corde exultante recordantur Christi, & meritorum ipsius. Impij, prophani, obstinati, perseuerantes in delictis suis contra conscientiam, propriam sibi operum iusticiam arrogantes, et similes, non debent admitti, quatenus ita persistunt. Nam Christus, eiusq; beneficia, tantùm ad consternatas conscientias pertinent, fide gratuitam remissionem peccatorum cupidè amplexantes: sicut Matthæi 11. Christus inquit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Matth. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cœlorum. Et graue mandatum Christi est Matthæi 7. Nolite sanctũ dare canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos. Omnia autem beneficia Christi, uerbum, claues, baptismus, Cœna, & reliqua, sanctum & margaritæ uocãtur. Præterea impœnitentes & notorij peccatores pro ethnicis et publicanis haberi debent, Matt. 18.

Et cum

Et cum ethnicos non admittimus ad communionem: Ergo nec huiusmodi admitti debent.

Porrò eos debere uti hac cœna, qui recordari possunt Christi, & prædicare orationibus, hymnis & confessionibus eius merita, ipsa uerba commonefaciunt: Hoc facite in mei cõmemorationem. Quod omnes hac cœna frui debeant, mandati huius uniuersalis ratio exigit. Bibite ex hoc omnes, inquit Christus. Viuis, non mortuis hanc cœnam distribui & applicari: nec alium pro alio, sed quemlibet pro se debere manducare & bibere, non spectare, non circumgestare: item non sacrificare Deo, sed accipere, citra ambiguitatem docet ac præcipit. Inquit enim: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus.

Adijciendum & hoc est, quòd ex ipsa ordinatione Christi eluceſcat, cœnam Domini non esse solam externam actionem, nec solam promissionem: sed actionem peculiarem, & promissiones de Christo ac remissione peccatorum affixas & copulatas, ut in ea actione neutrum ab altero disrumpi uel possit uel debeat: adeò ut non incommodè cœna Domini, sicuti et Baptismus, uestitæ promissiones nuncupari queant. Aliàs enim nudæ promissiones proponuntur. ut: Qui credit in me, habet uitam æternam. Sed hæ actiones sacræ peculiariter à Christo institutæ, non habent simplices et nudas promissiones, uerùm actionem simul externis etiam elementis annexã, ut promissiones quasi in oculos ipsos incurrant, & applicatio euidentior fiat. Quòd si igitur in hac actione cœnæ Domini promissiones ab actiõe diuellantur, necessariò magna inde incommoda sequuntur.

Fructus & utilitates cœnæ Dominicæ quæ sint, ipse Christus suis uerbis, quantumuis breuibus, explicauit: nempe communicatio & applicatio corporis & sanguinis Domini, & inhabitatio certè admiranda & inexplicabilis. Inquit enim: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus. Applicatio certa remissionis peccatorum, ac totius meriti Christi. Dicit enim: Hoc est corpus, quod pro uobis datur: & hic est sanguis, pro multis effusus, in remissionem peccatorum. Et Iohannis 6. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Obsignatio reuera magna & euidens, quòd cuilibet in specie Christus, eiusq; meritum ac remissio peccatorum donatur. Nam etiam externa actione panis & corpus Christi, uinum & sanguis Christi donantur: ideoq; uocatur à Christo nouum Testamentum in suo sanguine. Recordatio et cõmemoratio beneficiorũ Christi, quæ ostẽdit, fidẽ ex usu cœnæ huius incrementa accipere, altius cõsiderare merita Christi, intelligere sibi ea applicari, gaudere de tantis bonis, et ex animo gratias agere. Hæc omnia cõtinent uerba, Hoc facite in mei cõmemorationẽ.

Debent igitur causæ nobis in conspectu esse, quas Christus enumerat ad excitandos animos, ad huius cœnæ frequentem usum: nempe mandatum ad omnes pertinens, quod ait, Accipite, comedite, bibite. Item: Hoc facite in mei commemorationem. Non tantum enim aliàs te uult in precibus, recitatione Symboli, confessionibus, commemorare Christi beneficia tibi præstita: sed etiam in acceptione huius cœnæ. Qui id negligit, præceptum hoc Christi uiolat. Deinde cõmoda ingentia, quæ ex uero huius cœnæ usu ad nos redeunt: nempe, quòd Christus se nobis cõmunicat, ut nos sui corporis mẽbra faciat, externa etiam actione remissionem peccatorum nobis applicet, & addat obsignationem certè maximi momenti existentem: excitet & confirmet fidem, ut ardentes preces & gratiarum actiones fundat.

Contraria huic cœnæ sunt, sanctum dare canibus: Matth. 7. Capernaiticè comestionem carnis, & haustum sanguinis intelligere. Ioh. 6. hoc est, ratione humana has actiones à Christo ordinatas æstimare. Nam audito sermone Christi, carnem suam pro mundi uita traditam, esse panem, tanquam carnales anthropophagi, qui non percipiunt ea quæ sunt Dei, suam stultitiã prodentes, putant hæc esse impossibilia & abominabilia: carnem nimirum Christi, sicut carnem bouis aut ouis, dentibus lacerari ac deglutiri. Verùm Christus hæc confirmat, & addit: Verba mea sunt spiritus & uita. Vult ipsos in uerba Christi respicere, & inquit ea esse spiritum, hoc est habere spiritualem efficaciã, sublimiorem quàm homines naturaliter possideant: ac nõ esse dubiũ, quin ea quæ loquutus sit, etiam fiant spiritu, hoc est, arcano modo & rationi incõprehensibili. Reliqua contraria facilè ex uerbis Christi colligi possunt: ut, materias huius cœnæ mutare, et auferre quasdam, ut elementa, uel panem, uel uinum, corpore & sanguine Christi tantum relictis, quasi elementa ibi euanuerint: aut corpus & sanguinem Christi ex hac actione tollere, inq; alium locum collocare, quasi tantum ibi elemẽta adsint, significantia corpus & sanguinem absentem, solaq; uirtute ibi præsentem: tantum unam partem cœnæ, nempe panem, distribuere, uel accipere: gestare, includere elementa, sacrificare, pro alijs sumere, nõ uti cœna, non ibi commemorare Christi merita, non pœnitere, nõ credere, & similia, quæ cum uerbis Christi uelut ex diametro (ut dicitur) pugnant.

An Christi concio, quæ Iohan. 6. capite extat, ad doctrinam de cœna Domini pertineat, acris inter eruditos disceptatio est: plures autem à Domino eo in loco propositiones diuersis occasionibus constitui, nemo est qui non uidet. Prima propositio est: Nolite operari cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis: Hunc enim pater signauit Deus. Occasio huius figuratæ locutionis est: Quæritis me, non quòd uidistis signa, sed quòd manducastis ex panibus, & saturati estis. Ex panum igitur esu, ac corporali saturatione, Christus orationis formam mutuatur, & metaphoricè loquitur, et quidem in genere, quòd cibum utiæ æternæ debeant expetere: hoc est, operam dare, ut propitium Deum ac remissionem peccatorum accipiant, ne eius famem perpetuò cogantur esurire, & interire. Manifestum igitur est, nisi quis suis affectibus nimium indulgeat, hactenus de cœna sua non loqui Christum.

Sequitur secunda propositio, continens explicationem primæ: Hoc est, inquit, opus Dei, ut credatis in eũ quem misit ille. In genere de acquisitione remissionis peccatorum, seu meritorum per Christum partorum, antea fuerat locutus: nunc aliquanto magis in specie rem exprimit, nempe ut in IESVM tanquam uerum Messiã credatur. Occasio huius declarationis est, quod auditores, ueræ doctrinæ de iustificatione corã Deo, ac meritis Messiæ, ignari, ac tantũ in legis sententia, quæ nihil a-

nihil aliud quàm opera exigit ac crepat, educati, quærunt: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Ex hac locutione etiam Christus suam declarationem mutuatur, & rursus de operibus sic disserit, ut fide per Christum remissionem peccatorũ accipere, metaphoricè uocet opus Dei, seu uoluntatem eius.

Tertiò, rursus propositio eodem modo figurata, sicut prima repetitur: Pater meus dabit uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Occasio eius locutionis est, quòd auditores hærentes adhuc in tenebris pharisaicæ doctrinæ, et nihil de remissione peccatorum per Christum fide assequentes, iniiciunt mentionem mannæ in deserto à patribus comestæ, panemq; cœli uocari affirmant. Verùm Christus in eadem phrasi manens, inquit: Amen amen dico uobis, non Moses dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dabit uobis panem de cœlo uerum: nempe filium suum, dantem uitam mundo. Metaphoricè igitur, panem Mosis testatur non esse uerum, per quem scilicet uita æterna habeatur: hoc est, lege seu operibus nostris, nos non posse coram Deo iustificari & uiuificari: sed panem uitæ æternæ esse Christum, hoc est, meritò eius, quod fide nobis applicatur, nos saturari ac repleri, ut habeamus remissionem peccatorum, & iustitiam corã Deo ualentem. Estq; talis oratio planè, qualis Iohannis 1. habetur: Lex per Mosen data est, gratia autem et ueritas per Iesum Christum facta est. Nondum igitur de cœna clarè et dilucidè differentem audis Christum, sed ex uicinis rebus, & data occasione metaphoricè siue allegoricè in genere docentem, suam illam missionem, suaq; merita ac beneficia esse alimentum in æternum durans.

Instant autem auditores, panem eum cupientes consequi, nondum adhuc eam doctrinam capientes. Sequitur igitur quarta propositio, cæteris præmissis lucem adferens. Non enim de diuersa re, licet plures propositiones hic recenseãtur, sed de una duntaxat disserit. Qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquã. Item: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet: & eum qui uenit ad me, non eijciam foras. Hic de conuersione hominis uera ac salutari concionatur, & de suo opere ac beneficio, nempe quòd ipse det uitam & resurrectionem. ideo sic exponit: Descendi, inquit, de cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, sed eius qui misit me. Quis iam non uidet, hic Christum de suo beneficio toto concionari? Adijcitur igitur et hæc illustris sententia: Hæc est, inquit, uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hic iam iterum in hanc petram scandali Iudæi impingentes, personamq; tam uilem & abiectam considerantes, ut in quo extrema humilitas conspiciebatur, obmurmurant, quasi affirmasset blasphema, nempe quòd esset panis qui è cœlo descendisset: hoc est, quòd ipsius beneficium esset remissio peccatorum, & uita æterna. & obganniunt, eum tantum esse filium Ioseph, hoc est hominem similem cæteris, qui nec è cœlo ueniisset, nec posset esse panis uitæ. Verùm in sua propositiõe Christus adhuc perseuerat, ac docet, primùm ac principaliter de conuersione hominis, quòd ea non sit naturale hominis opus, sed Dei: Nemo, inquit, potest ad me uenire, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Simul autem et alterum docet, quòd de cœlo descenderit, nempe cum sit missus à patre. Præterea ad uerbum eos deducit, ex quo hæc debeant discere, & quidem iuxta prophetarum uaticinia: Et erunt, inquit, omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me.

Attexit autem in continua oratione quintam propositionem, de fructu atque effectu sui meriti, quod fide in ipsum accipitur: & rediens ad suum typum seu metaphoram, confert manna & suum panem, seu beneficium quod credentibus conferat. Patres, inquit, uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

Additur & sexta propositio, de materia huius panis. Dicit enim: Panis quem ego dabo, caro mea est, ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, quam ego dabo pro mundi uita. Quid clarius dici potest, quàm panem hunc, de quo hactenus est disputatum, esse carnis Christi traditionem, pro mundi uita? Est autem Scripturæ phrasis, quòd datio Christi significet passionem Christi, eiusq; meritum: ut Iohan. 3. Filium suum unigenitum dedit. Hoc loco autem clarius ea efferuntur: Panis ille uiuus, est traditio carnis meæ pro mundi uita, hoc est, mea oblatio, mactatio, meritũ, cõfert mundo uitã. Hucusq; igitur de cœna sua nondũ cõcionatus est Christus.

Illis ita peractis, septimam propositionem Christus oblata occasione instituit. Altercantur enim Iudæi inter se, quomodo Christus posset eis suam carnẽ ad manducandum dare? Carnales enim cum sint, carnales tantum imaginationes cõcipiunt: nempe quasi substantiam Christi carnalem dentibus commolere & deuorare deberent. Ibi Christus uidetur nouam propositionem statuere, ipsorum ruditate & crassicie motus, ac dicit: Amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Item: Qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hìc demum uidetur Christus, ob eam quam attigimus causam, orationem suam ad cœnam deflexisse: & quasi de ea, quam esset instituturus, prophetasse, quòd partes cœnæ distinctè & apertè uidentur expressæ & prius non sic fuerat locutus, quasi diceret. Docui uos, quòd ex me habituri sitis uitam æternam, & propitium Deum fide: nunc insuper uobis hoc affirmo, uos omnes oportere etiam mea cœna uti, quam instituturus sum, qua amplius testabor me uobis meum meritum applicare ac donare. Confirmant autem uerba Christi hoc pacto intellecta, egregiè doctrinam de causa materiali & formali, ut uocatur, cœnæ Dominicæ: nempe quòd sit caro & sanguis filij hominis, & sit manducatio Christi. Non enim ociosa tautologia factum est, ut Christus tam crebrò eadem propemodum uerba repeteret atque inculcaret. Subijcitur autem repetitio quædam priorum propositionum, qua redit Christus ad metaphoram: Hic est, inquit, panis

qui

qui de cœlo descendit. & iterum effectuum facit mentionem: totam illam manducationem carnis filij hominis, & hauctum sanguinis eius, nuncupat panem: estq; sensus, quòd sit alimentum. Nam hic panis non tantum ad carnem, sed etiam ad sanguinem, atq; adeò ad ipsam manducationem, hoc est totũ usum pertinet. Alij hanc partem omnino referunt ad priora, quòd de passione sua, & eius applicatione, etiam hisce uerbis Christus in genere loquatur: & ei conuenit epilogus, Hic est panis qui de cœlo descendit.

Rursus autẽ murmur ac litigatio de his uerbis Christi inter Capernaitas exoritur. Pugnabãt enim ea quæ dicebantur à Christo, cum ratione humana ex diametro, ut dicitur: eratq; res noua & inusitata, oportere manducari carnem, & bibi sanguinem Christi, si quis uitam habere uellet. Octauam igitur hac occasione propositionẽ ponit: nempe, hæc credenda esse. & quidem ad uerbũ deducit, ad quod mens se referre debeat, nec metiri singula ratione, & scrutari, quomodo hæc ita se habere possint. Tribuendam esse uerbis Christi ueritatem ac potentiam. Ordo autem est, quòd in hac parte initiò opponat aliam rem, quam ratione nõ possint consequi: nempe quòd filius hominis, iste nimirum spretus ac misellus Christus, ascensurus esset in cœlum, idq; ipsi proprijs oculis spectaturi. Pugnabat cum ratione humana, corpus ponderosum in cœlũ ascendere, & quidem uisibiliter: nec uidebatur Christus Eliæ aut Enoch similis. Vult igitur dicere: Ego talis sum, qui etiam cœli potestatem habeo. Ergo credatis meis uerbis, nempe me carnem & sanguinem meum, ut comedatur & bibatur, dare posse: sicut testificor me uelle. Rationem uerò uestram captiuate, quæ & alia mea opera comprehendere nequit. Addit: Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. quo indicat, ista spiritus sancti auxilio intelligi oportere. carnem enim, hoc est rationem humanam, in hisce diuinis rebus nihil prodesse, hoc est, caligare & ineptire, quo magis animum ad percipiendum intendat. Est enim usitatum in Scriptura, ut caro hominem non renatum, seu naturales uires significet, & præsertim si spiritui opponatur. Mox igitur uerborũ suorum mentionem facit, in quib. uult omnes hærere, licet coram ratione uideantur absurda. Verba, inquit, quæ locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Vult, sua uerba nõ haberi pro inani fabula, pro hyperbolis aut iocis: sed uult credi uerba sua esse Spiritum, hoc est, Spiritum sanctum in ijs esse efficacem: & esse sublimia uerba, quæ non ratione humana, sed spiritu capienda sint: & esse uitam, hoc est adferre uitam. Continuò autem adijcit, Sunt quidam qui non credunt. Huc etiam postrema huius capitis pars pertinet, ubi Petrus inquit: Verba uitæ æternæ habes. quo dicto ostendit, Apostolos uerbis Christi ueritatem ac potentiam tribuere. item, Credimus (inquit) & cognouimus, quòd tu es Christus filius Dei: subindicans, se ei potentiam adscribere, eo quòd sit Messias, & uerè Dei filius: nec uelle propter rationis humanæ imbecillitatem, quæ in tantis rebus cæcutiat, à Christo deficere.

Non potest autem ex dictis illis postremæ partis, nempe, Spiritus est qui uiuificat, caro nõ prodest quicquam: item, Verba quæ ego locutus sum, spiritus sunt & uita: elici ista opinio, carnem filij hominis de typo aut symbolo carnis eius, et sanguinem eius eodẽ modo pro figura aut significatiõe sanguinis accipi oportere. Verba enim Christi sunt clariora, quàm ut tantam obfuscationem recipere possint. Inquit enim: Qui manducat carnem filij hominis, & bibit meum sanguinem, & quidem ijsdem penè uerbis quater repetit, quasi protestans, ne quis symbolum rei absentis temerè affingat. Deinde, Caro non prodest quicquã, non potest ad Christi carnem torqueri, cum antea Christus asseuerarit, carnem suam pro mundi uita tradi. Vel saltem de Capernaitico intellectu accipi necesse est, quòd caro Christi non prosit quicquam: scilicet sic comesta, sicut caro è macello empta: quòd nullo modo dentibus humanis Christi caro discerpi, & palato sanguis Christi sentiri queat. Sed hanc manducationẽ carnis filij hominis, & potum sanguinis non typicè, sed uerè iuxta uerba Christi insensibiliter et inuisibiliter tradi, et accipi tum ore tum fide. Spiritũ itaq; ait uiuificare: hoc est, uerbo suo efficacem esse. Eodem modo ait: Verba quæ ego locutus sum, sunt spiritus et uita. non dicit, Caro mea est spiritus, seu symbolum, sed uerba, in quibus spiritus sanctus operatur: & uos spiritualib. motibus, nempe fide, oportet apprehẽdere, ac statuere cõtra omnes uestros naturales sensus, uos iuxta meum uerbum manducare meam carnem, et bibere meum sanguinem. Ista scorsim uisum est attexere, & seriem textus ostendere, ut pij in timore Domini hanc concionẽ Christi expendant, neq; inde exculpant cum cæteris manifestioribus locis pugnantia. Est autem extra omnem, piorum quidem, controuersiam, genuinam ac natiuam sententiam de cœna Domini, ex ipsius institutione omnium maximè petendam esse. Nam si quid de ea prius disseruit, quàm instituit Christus, aliquanto obscurius id factũ fuisse cõstat.

DE SACRIFICIO.

Pertinet hæc doctrina ad locos de Christo, eiusq; officio, de Euangelio, de iustificatione: sed pauca quædam hic repetere uisum est.

Quòd in nouo Testamento sit sacrificiũ propitiatorium, seu expiatorium pro peccatis, Christus & eius σώσφροι docent. ut Lucæ 22. Hoc est corpus meũ, quod pro uobis datur. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro uobis effunditur. Etsi autem distribuendo suam cœnam, non se sacrificauit patri, sed (sicut uerba sonant) corpus & sanguinem suum discipulis communicauit: tamen hisce uerbis, Quod pro uobis datur: item, Qui pro uobis effunditur: docet, se non solum mactatum iri, uerùm etiam ea ratione expiaturum homines coram Deo. Iohan. 17. Pro eis ego sanctifico meipsum. Hoc uerbum à sacrificijs sumptum est, ac phrasi Hebraica significat idem quod offero, sacrifico, immolo. Solebant autem uictimæ sanctificari etiam, hoc est segregari, ut fiant uictimæ. Iohan. 11. significat expiare: Ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. Iohannes baptista clarè sic loquitur: Ecce agnus Dei. agnus hoc loco phrasi Hebraica significat uictimam, seu sacrificium. Huc referenda sunt omnia dicta de passione Christi.

Quis uerò eam uictimam segregarit ac destinarit, Iohannes docet: nempe ipse Deus. Ecce, inquit, agnus Dei: hoc est, quòd non pontifex aliquis Hierosolymitanus

nus delegerit, sed ipse Deus immediatè. Et obtulit sese ipsum Christus, ipse quoque uictima existens, sacerdos simul & agnus, sicut docet Ioan. 17. Ego, inquit, sanctifico me pro eis. Iohan. 10. Ego pono animam meam pro ouibus meis. Item: Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo.

Vnum autem solummodo tale sacrificium est, nempe quod unica hæc persona præstitit, IESVS Christus. Nam IESVS inquit: Quò ego uado, uos non potestis uenire. Ioan. 13. Ego, inquit, dabo carnẽ meam pro mũdi uita. Ioan. 6. non dicit, Plures nostrũm sunt, qui id faciant. Ioannes clamat, Hic est agnus: non dicit, plures esse agnos aut uictimas, ad hanc arduam rem delectas, sed tantum hunc unum. Solus etiam Christus suspenditur in cruce, omnibus suis discipulis saluis & incolumibus.

Porrò huius expiatorij sacrificij eam esse rationem, docet Christus, quòd subeat acerbissima & contumeliosissima supplicia, ac uiolẽta extinguatur morte, idq; in ara crucis. Matth. 16. 20. Mar. 10. Lucæ 18. 24. Portet peccata totius generis humani. Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui portat peccata mundi. Est autem hoc nihil aliud, quàm Christũ peccata aliena, nempe totius mundi, in se deriuasse: & simul subijsse pœnam, quam peccata merebantur, nempe mortem. Exoluit igitur pœnam, & obedientiam absolutissimã præstitit, ad quam singuli homines lege dei erant obligati. Christus hoc suum sacrificium seu oblationẽ uocat uadere seu transitum ad patrẽ, Ioan. 6. ad pascha alludens, eiusq; necessitatem summam indicat: Nisi, inquit, ego abiero, paracletus non ueniet ad uos.

Fructum deniq; huius sacrificij Christus passim docet, quoties de suo merito concionatur: quales sunt, Iustitia. Ioan. 16. De iustitia, quia uado ad patrem. Ioan. 12. Ego non ueni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Vita æterna, Iohan. 3. Filium suum dedit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Paracletus. Ioan. 16. Si abiero, mittam paracletum ad uos. Sanctificari, et unum esse cum patre & filio. Ioan. 17. Ego sanctifico meipsum pro eis, ut sint et ipsi sanctificati in ueritate. item: Vt & ipsi in nobis unum sint. Posse Deum inuocare. Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Gratia. Ioan. 1. Gratia & ueritas per Christum facta est. Ablatio peccatorũ. Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit (hoc est, non tantum gestat, sed & aufert) peccata mundi. Ministerij institutio, quo hæc ingentia bona cunctis gentibus denunciantur, offeruntur & exhibentur. Lucæ 24. Collectio Ecclesiæ. Iohan. 12. Ego, cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum.

Neq; uerò rursus hoc sacrificium necesse est iterari. nam Ioannes inquit: Est agnus Dei tollẽs peccata mundi. Et Christus: Ego sanctifico me pro eis, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate. Non igitur necesse est repeti, eo quòd unum sacrificium satis sit.

Applicatio huius sacrificij est per uerbum gratiæ et sacramenta à Christo instituta. Lucæ 24. Prædicate in nomine meo pœnitentiã, et remissionẽ peccatorũ. Item baptismus, claues, cœna Domini. App rehẽdimus autem nos fide, Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filiũ suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Ioh. 1. Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. De alio propitiatorio sacrificio non docet Euangelica historia. Sacrificijs uerò Iudaicis opera secundæ tabulæ præferuntur, ut suo loco dictũ est: Et lex & prophetæ usq; ad Ioannẽ, inquit Christus. qua sententia abrogat legẽ Mosi, & maximè ceremonias & sacrificationes. Rumpitur etiam uelum, in testimonium, sacerdotem Christum in sancta sanctorum ingressum esse.

Ista breuius recitamus, quòd, sicuti monuimus, superius sint tractata: et libro sequẽti declarabũtur amplius.

DE ECCLESIA Christi.

Ecclesiæ uocabulũ in Matthæo duobus in locis usurpat Christus, ut 16. & 18 capitibus. Significat autem nomen ipsum, cœtum, & quidem nõ uulgarem aut temerarium hominum concursum, sed præstantem & electam congregationem. Aliàs etiam plures ei appellationes tribuit. Vocat enim eam Lucernam, ciuitatẽ supra montem positam, Matth. 5. Regnum suum, regnum Dei: Matt. 6. 21. Mar. 12. Lucæ 11. Domum ædificata super petram, Matth. 7. Regnum cœlorum, Matthæi 13. 20. 22. 25. Agrum consitum, granum sinapis, thesaurum absconditum, margaritam, Matth. 13. Plantationẽ patris, Matth. 15. Vineam, Matth. 20. 21. Nuptias, Matth. 22. Messem, Matth. 9. Lucæ 10. Ouium cœtum, Ioh. 10. Filios Dei, natos ex Deo, Ioh. 1. Filios lucis, Luc. 16.

An sit aliquis talis cœtus, quem Deus curet, & qui Deum rectè norit ac colat, tota hæc doctrina satis lucu lenter probat. Hic tantum hoc consideretur, quòd Christus ministerium docendi sanciat, et quidem uelit in uniuerso orbe id sonare, et sacramenta sua distribui. Matt. 28. Marci 16. Lucæ 24. Ergo testatur, fore Ecclesiã aliquam omnibus temporibus. Maria dicit: Ex hoc beatã me dicent omnes generationes. Necesse est autem Ecclesiam esse, si partus filij Dei celebrari debeat. Ante aduentum Christi quoq; eiusmodi cœtum à Deo excitatũ et conseruatum fuisse, Christus etiam hoc dicto indicat, Ioh. 8. Abraham uidit diem meum, & lætatus est. Item approbat prophetarum conciones de se editas. Verùm ista paulo inferius rursum sese offerent tractanda.

Si contrahatur autem huius doctrinæ materia, talis inde Ecclesiæ definitio contexi potest. Ecclesia in hac uita est, uisibilis cœtus amplectentium sinceram Euangelij doctrinam, & rectè utentium sacramentis ab ipso Christo institutis, in quo cœtu Deus per uerbũ & sacramenta sua efficax est, conuersionem, regenerationẽ, ac summa bona auditoribus impartiens: in quo cœtu tamen multi sunt non sancti, sed de doctrina uera consentientes. Possunt tamen etiam breuiores Ecclesiæ descriptiones ex dictis Christi extrui, ut ex sententia Matth. 6. Quærite primùm regnum Dei: Ecclesia est cœtus quærentium regnum Dei, & iusticiam eius, & corporalia Deo commendantium, ut ipse pro suo arbitrio adijciat. Ex comparatione de domo in petram fundata: Ecclesia est cœtus audientium & facientiũ uerba Christi, in persecutionibus firmiter in uera agnitione Christi & confessione perseuerans. Ex parabola de

semine, Matth. 13. Ecclesia est cœtus amplectentiũ uerbum Dei, adferens Deo placentes fructus, & in tribulationibus persistens. Ex capite 26. Matthæi: Ecclesia est cœtus ueram Christi noticiã habens, eamq; profitens, ornatus potestate clauiũ regni cœlorum. Ex parabola de nuptijs, Matth. 22. Ecclesia est cœtus, per ministerium uocatus, ut fruatur beneficijs Christi. Ex Iohan. 8. 10. & alijs: Ecclesia est cœtus, uocem Christi audientium ac sequentium, ac fruentium ipsius beneficijs. Verùm non libet omnes commemorare, quæ cuiuis attendenti obuiæ sunt, & in superiorẽ includi possunt.

Duplicem esse Ecclesiam, Christus & res ipsæ docent: Matthæi 5. discernit iusticiam credentium in Christum, & Pharisæorum. Duos igitur cœtus diuersos constituit, Matth. 6. Hypocritas à uerè pijs discernit. Matth. 7. describit duos cœtus, alterum per latam portam ad perditionem, alterum per angustam ad uitam ingredientium. Item, falsos prophetas à bonis doctoribus. Item: Non omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei. Item distinguit domũ in arenam positam, ab ea quæ firmo loco collocata est. Matth. 13. in agro triticum & zizania crescunt. Matth. 15. discernitur plantatio sua sponte facta, ab ea quam pater cœlestis fecit. Matth. 16. Pharisæorum & Sadducæorum fermentum, cœtus Christi iubetur fugere & auersari. Matth. 22. sunt duplices cõuiuæ in nuptijs, alij habentes ueram nuptialem uestem, alij non. Matth. 25. sunt uirgines quinq; prudentes, similiter & aliæ quinq; fatuæ. Denique Ecclesia Pharisæorum perpetuò aduersatur Christo, eiusq; cœtui. Ioan. 16. dicitur, quòd ex synagogis discipulos Christi sint eiecturi.

Colligi autem ueram Ecclesiam à Deo patre, Christo & spiritu sancto, per media, hoc est, uerbum patefactum, sæpius docet: ut Matth. 6. Adueniat regnum tuum. Matth. 9. Rogate Dominum messis, ut operarios mittat in suam messem. Matth. 13. Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 23. Ierusalẽ Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui cõgregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas? Inde patet, etiam ante suam missionem in carnem, se per prophetas uerbum sparsisse, licet maxima pars ei sem per sit refragata. Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. De spiritu sancto dicitur Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Item, Spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem. Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa sunt. De uerbo inquit Matth. 28. Ite docete omnes gentes. Marci 13. In omnes gẽtes oportet prædicari Euangelium. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Lucæ 24. Prædicate pœnitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Ioh. 17. Ego dedi eis sermonem tuum. Item, Qui crediturí sunt per uerbum eorum in me. Sicut autem tempore incarnationis non tantum Christus uoce uiua colligebat Ecclesiam, sed etiam ministris quibusdã fidis utebatur: ita nunc quoq; piorum hominum uoce ad uocationem Ecclesiæ faciendam utitur, qui tamen in corruptam Euangelij uocem tradunt, eisq; adest ipse et spiritus sanctus. Sicut inquit Matth. 10. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Lucæ 10. Qui uos audit, me audit. Ac promittit ministerio Euangelij suam præsentiam & auxilium Christus, omnibus seculis usq; ad finem mundi, sicut Matt. 28. inquit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem.

Ex qualibus hominibus Ecclesiæ cœtus cõstet, ipse historiæ ostendunt. Iudæos enim ac gentes Christus uisitat ac recipit. Nam quidam Iudæi Hierosolymis habitantes, in eum credũt: Ioh. 4. & Samaritani uerbo Christi conuertuntur, ac recipiũtur. Excurrit usq; ad fines Tyri & Sidonis, & Cananæam recipit, ac filiam eius à dæmonio liberat: Matt. 15. Et ait Marcus capite 7. fuisse eam mulierem gentilẽ, Syrophœnissam genere. Ioh. 12. gentiles quidam in paschate Hierosolymis ad Christũ accedunt. Lucæ 2. Lumen ad reuelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Miratur fidem Centurionis ethnici, & dicit: Multi uenient ab oriente et occidente, & sedebunt cum Abraham et Isaac in regno cœlorum. Porrò etsi ante passionẽ prohibet discipulis, ne in uias gentium abeant, Matth. 10. tamen nihilominus ipsemet Christus gentes adit, eosq; ad societatem Ecclesiæ uocat, ac miraculis allicit atq; confirmat. Debebat enim Euangelium post eius resurrectionẽ primùm per suos ministros in uniuersum orbem terrarum propagari. Quòd autem ex omnibus gentibus, et quidem repudiato Iudaico populo deberet fieri collectio Ecclesiæ Dei, aliquoties Christus prædixit: ut Matth. 8. Dico uobis, inquit, multi ab oriente & occidente uenient, et recumbent cum Abraham et Isaac & Iacob in regno cœlorũ. Filij autẽ regni eijcientur in tenebras exteriores. Matt. 21. Dico uobis, auferetur à uobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matt. 22. in parabola de nuptijs describit Ecclesiam gentiliũ. Matth. 24. Prædicabitur Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Significat igitur, Ecclesiam in toto orbe terrarum futuram esse. Matt. 28. Docete omnes gentes. Marci 13. In omnes gẽtes oportet prædicari Euangelium. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Lucæ 1. Ex hoc beatã me dicent omnes generationes. Lucæ 2. Salutare tuum parasti ante faciẽ omnium populorum. Ioh. 10. Adhuc alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unũ ouile et unus pastor. Perspicuum etiam hoc fit ex hac parte, uocationẽ esse generalem.

Ecclesiæ cœtum omnibus ætatibus esse mixtum bonis ac malis, Christus & ipsa historia manifestè testantur, Matth. 13. Simile, inquit, est regnũ cœlorũ homini seminanti bonũ semen in agro suo. Cum autẽ dormirẽt homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autẽ creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Item: Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium cõgreganti. Matth. 20. dicitur de operarijs in uinea duplicibus, quorum alij obmurmurant Domino: alij placidi sunt, clementiam Domini haud dubiè erga se læto animo accipientes. Matth. 22. cœtui in nuptijs illis regalibus cõparenti, unus immixtus est non ornatus ueste nuptiali. Matt. 25. aliquandiu unà uersantur stolidæ & prudentes uirgines. Iohan. 6.

Vnus

Vnus ex uobis diabolus est. Ioh. 13. Vos mundi estis, sed non omnes. Erat sanè exiguus cœtus discipulorũ Christi, attamen in eo suum organum diabolus habet, prodi torem Iudam.

Cæterùm bonos etiam in Ecclesia non esse perfectos undequaq; sed multas & magnas adhuc habere imbecillitates, quas tamen paulatim corrigere studeant, histo ria Euangelica testatur. Id primùm Christus monet hac petitione in orationẽ inserta: Et dimitte nobis debita. Deinde sæpius narratur, Apostolos habuisse imbecillẽ fidem. Matth. 8. Quid timidi estis, modicæ fidei? Matth. 20. Mater filiorum Zebedæi, & ipsi filij, imò etiam reliquus Apostolorum cœtus, eam imbecillitatem produnt manifestè, quòd alant adhuc somnia de corporali regno Christi: imò etiam post resurrectionẽ, cum iamiã ascensurus esset Christus in cœlum, eam opinionẽ proferunt: Actor. 1. Domine, inquiunt, num hoc tempore restitues regnũ Israel? Lucæ 18. Christo clarè de sua passione concionante, tamen Apostoli non assequebantur. Ac singulari emphasi ibi scriptum est: Erat autem uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebãt quæ dicebantur. Matth. 17. dicit ad Apostolos Christus: O generatio incredula & praua, quousque uos patiar? Lucæ 2. scriptum est, etiam Mariam & Iosephum non intellexisse uerba quæ IESVS ad ipsos loquebatur. Sunt et Nicodemus ac Ioseph de Arimathia imbecilles: uerùm ita profecerũt, ut Christo interfecto ipsi prodeãt, eumq; confiteantur intrepidè.

Boni in Ecclesia Christi uersantes, nõ sunt obstinati & pertinaces, sed proficiunt & orant: sicut Lucæ 17. scriptum est, Domine adauge nobis fidem. Et in oratione iussit nos Christus petere, ut nomen Dei in nobis sanctificetur, regnum ipsius adueniat, uoluntas eius fiat, &c.

Nunc quas proprias ac germanas Ecclesiæ notas attribuat Christus, uidendum est: quarum prima ac præcipua est, uerbum syncerũ, sicut à Christo est reuelatũ & commendatũ, ex quo Ecclesia gignitur, & ad quod semper & immobiliter est alligata. Matthæi 7. Omnis qui audit uerba mea, et facit ea, assimilabitur uiro prudenti. Matt. 10. Euntes prædicate, appropinquauit regnum cœlorum. Matth. 13. Qui in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit uerbum, & intelligit, & fructum facit. Matth. 17. Hunc audite. Matth. 28. Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Marci 13. In omnes gentes oportet prædicari Euangelium. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Lucæ 11. Mater mea et fratres hi sunt, qui audiunt uerbum Dei, & faciunt. Lucæ 24. Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Iohannis 5. Qui audit uerba mea, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam. Iohannis 8. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis. Item: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Iohannis 10. Illas oportet me adducere, & uocem meam audient. item: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Iohannis 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. item: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manstionem apud eum faciemus. Ioh. 15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunq; uolueritis petetis, & fiet uobis. item: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. item: Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis. Iohannis 17. Ego dedi eis sermonem tuum. item: Sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas. itẽ: Non pro eis rogo tantum, sed pro omnibus qui crediturí sunt per uerbũ eorum in me. item: Notum eis feci nomen tuum, & notum faciã, ut dilectio qua dilexisti me, in eis sit, & ego in ipsis. Iohannis 18. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Actorũ 1. Eritis mihi testes Hierosolymis, & in Iudæa, Samariáq;, deniq; usq; ad finem orbis terrarum. Liquet igitur ex hisce dictis, Ecclesiæ Christi notam maximè insignem esse, uerbum Dei non adulteratum humanis doctrinis.

Altera nota, quam ei Christus adscribit, est, uerus ac legitimus usus sacramentorum & clauium, iuxta ipsius institutionem. Matthæi ultimo: Baptisate eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Lucæ 22. Hoc facite in mei commemorationem. Iohan. 20. Quorumcunq; remiseritis peccata.

Tertia nota est, qua Christus suam Ecclesiã uult extare & lucere, confessio, constantia, perseuerantia. Matthæi 5. Luceat lux uestra coram hominibus. Item: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Matth. 10. Marci 4. Lucæ 9. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Matth. 16. edita confessione ab Apostolis, quòd Christus esset filius Dei, hæc ipse adijcit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Hæc certè confessionẽ seriam flagitant. Idem in quinq; prudentibus uirgimibus depictum est. Ioan. 12. Si quis mihi ministrat, me sequatur. postulat enim confessionem manifestam. Ioan. 13. Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem.

Quartam notam suæ Ecclesiæ assignat Christus, obedientiam erga ministeriũ, in ijs rebus quas ipse docuit & sanxit. Lucæ 10. Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit, me spernit. Qui aũt me spernit, spernit eum qui misit me. Ioan. 8. Qui ex Deo est, uerbũ Dei audit. Beati qui audiunt, & custodiunt illud. Matth. 10. Quicunque non exceperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes foràs de domo uel ciuitate illa, excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm ciuitati illi.

Caput huius Ecclesiæ nullum aliud docet Christus esse, quàm seipsum & patrem. Matthæi 21. Marci 12. Psalmo 118. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Matthæi 23. Vnus est pater uester, qui in cœlis est. item: Magister uester unus est Christus. Ioannis 10. Ego sum pastor bonus. Ioannis 14. Ego sum uia, ueritas & uita. Iubet etiam, in suo tantũ nomine prædicari: Lucæ 24. Pater etiam

hoc asserit, Matth. 17. Hunc audite. Nec uoluit Christus Petrum Ecclesiæ caput aut basim constituere, cum inquit Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Non enim personam, sed confessionem, quam non modò suo, sed & reliquorum discipulorum nomine ediderat Petrus, extollit, eamq; fore Ecclesiæ perpetuum fundamentum affirmat Christus. Nam alioqui mox ea basis, si personam Petri designasset, corruisset, cum paulo pòst impingens in fidei articulum de passione Christi, audit: Abi post me Satana, scandalum es mihi: nõ enim sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Ista erant personæ istius encomia. Manet igitur confessio seu doctrina, IESVM esse Christum filium Dei, salua, perpetua, immobilis & inconcussa basis ueræ Ecclesiæ Christi, aduersus quam portæ inferorum non prævalebunt. Verùm Petrus sæpenumero hallucinatur. Satan in eo prævalet, quando negat Christum: ac nisi ipse ad basin, nempe doctrinam de Christo, reuersus fuisset, non habuisset in regno cœlorum locum. Sicut igitur solus Christus in cruce pendet, ac expiat peccata mundi: ita ille ipse est solus fons & caput Ecclesiæ.

Vnam esse Ecclesiam Dei omnibus seculis, & ubiq; locorum dispersam, Christus docet Ioan. 5. Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimoniũ perhibẽt de me. Item: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi de me enim ille scripsit. Si itaq; idem uerbũ sonuit, quod nunc Christus profitebatur, eandem quoq; Ecclesiã fuisse necesse est. Ioan. 8. inquit: Abrahã pater uester exultauit, ut uideret diem meum: et uidit, et gauisus est. Sicut igitur Abraham fide in Christum læticiam cordis & salutem accepit, ita etiam nunc Christus nos iustificari docet. Iohannis 10. Erit unum ouile, & unus pastor.

Docet præterea Christus, suam Ecclesiam duraturam in hoc mundo, usq; ad suum aduentum, quamtumuis fremant & sæuiant diabolus & mundus. Matth. 7. Omnis qui audit uerba mea, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui ædificauit domũ suam super petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerũt uenti, & irruerunt in domum illam, et non cecidit. fundata enim erat super petram. Matthæi 16. Portæ inferorum nõ prævalebunt aduersus eam. Ioannis 10. Non rapiet eos quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest eas rapere de manu patris mei. Ego et pater unum sumus. Admodum rara tamen Ecclesiæ uerę membra nouissimis diebus fore prædixit: Putas ne filium hominis inuenturum fidem, cum uenerit? Lucæ 18.

Quòd Ecclesia non sit certo loco, hominibus aut ordinariæ successioni alligata, multis in locis Christus admonet. Matth. 21. duabus id parabolis declarat: primùm de duobus filijs, quorum alter dixerat, se iuxta patris iussum abiturum esse in uineam, nec fecerat: alter uerò initiò recusauerat, & postea ductus pœnitentia abierat. in quorũ altero populus Iudaicus, in altero gentium ecclesia adumbratur. Addit autem Christus: Amen dico uobis, publicani & meretrices præcedent uos in regno Dei. Venit enim ad uos Iohannes in uia iusticiæ, & non credidistis ei. Publicani autem & meretrices crediderunt ei. Item de elocata uinea, et quomodo agricolæ filium patrisfamiliàs trucidarint. Qua quidem imagine describit Iudæos, se breui crucifixuros. Deniq; accommodationẽ talem subiungit, citra omnem ambiguitatem & figuram: Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Pingit etiam reprobationẽ gentis Iudaicæ, & acceptionẽ gentium, in parabola de nuptijs, Matth. 22. Sancitur Euangelij ministerium ea ratione, quòd debeat inter omnes gentes, & ad omnes creaturas sonare, Matthæi 28. Marci 13. 16. Nequaquam igitur Ecclesia Christi loco duntaxat uni, aut certo, & personis certis affixa est. Lucæ 13. Multi uenient ab oriente & occidente, & accumbent in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob. Lucæ 17. Non ueniet regnũ Dei cum obseruatione: neque dicent, Ecce hic, ecce illic. ecce enim regnũ Dei intra uos est. Ioan. 1. inquit Ioannes: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius: qui nõ ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Hoc dicto prorsus omnis prærogatiua carnalis abrogatur, ac sine discrimine loci aut dignitatum pronunciantur filij Dei, quotquot & quicunq; in IESVM Christum credunt. Ioan. 4. ait Christus: Veniet tempus, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrẽ. Ioan. 8. negat ipsos esse filios Abrahæ, quia opera Abrahæ non faciant. & planè pronunciat: Vos, inquit, ex patre diabolo estis, et desideria patris uestri uultis facere. Imò ideo discedit Ioãnes à templo. Christus peregrinatur in tota Palæstina, & concionatur ubi sibi commodum uidetur: prædicit uastationem huius loci, ac excidium totius gentis Iudaicæ, ut notum sit cunctis gentibus, Ecclesiam minimè loco aut personis alligatam esse. Cui autem potissimũ rei sit Ecclesia uera affixa, suprà, ubi de uotis egimus, dictũ est.

Ecclesiam esse cœtum pauperum hominum plerunque, ac locupletes & potentes plerunq; se nõ adiungere, aut frigidius uerbo Dei affici, aperte Christus commonefacit, Matthæi undecimo: Pauperes euangelisantur. Id quamuis de pauperibus spiritualiter, hoc est, peccata sua agnoscentibus, et sine fiducia suorum operum, propter Christum tantummodo ueniam deprecãtibus, accipiatur: tamẽ, ut ex historia patet, plerunq; tantum pauperes etiam fortuna & bonis Euangelio locum præbent, eiusq; bonis cupidè fruuntur. Idem in typo significatur Lucæ 14. Exi, inquit, citò in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos ac claudos introduc huc. Postea turba multa adueniente, inquit: Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & sorores, & insuper animam suam, nõ potest esse meus discipulus. Quibus uerbis monet, suum cœtum ferè semper esse pauperem, idq; ob persecutiones quas cogatur perferre. ipse Christus de se inquit: Volucres cœli nidos habent, & uulpes foueas, filius uerò hominis non habet ubi caput suum reclinet. Videmus etiam, qualem penes se turbam habeat, secumq; trahat Christus: nempe piscatorum, publicanorum, et, ut una uoce dicamus, infimam turbam. Sed pontifices, scribæ, seniores populi, Pilatus, alijq; dignitate, eruditione, potentia & autoritate præcellentes, tanquã è sublimi, ingenti supercilio fastidiũt Christum: neque uerò id solum, sed etiam oderunt, execrantur,

tur, damnant, & persequuntur eum. Hinc est quòd in typis eos sic depingit Christus Matthæi 22. quòd uocati ad nuptias à rege, filio suo paratas, prorsus recusarint uenire: deinde iterum appellati de aduentu, iterum neglexerint: & abierit alius in uillam suam, alius ad negociationem: reliquos uerò, seruos illos uocantes ad conuiuium, contumelioſe tractatos occidisse. Lucæ 14. inquit, uocatos ipsos esse ad conuiuium splendidum, uerùm omnes simul cœpisse excusationem prætendere. alium dixisse: Villam emi, & necesse est mihi exire, & uidere eam. alium: Iuga boum emi quinq;, & nunc exeo ad probandum ea. aliũ: Vxorem duxi, ideoq; uenire non possum. Matthæi 13. inquit: Qui seminatus est in spinis, hic est qui uerbum Dei audit, & solicitudo seculi istius, et fallacia diuitiarum suffocat uerbũ, & sine fructu efficitur. Matthæi 19. Marci 10. Lucæ 18. Pharisæus audiens sibi propter Christum omnia deserenda esse, contristatus est. & subijcitur, Quia habebat multas possessiones. Et Christus epiphonema addit: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabũt? facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Matthæi 23. Væ uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Iohannis 7. Nunquid ex principibus quisquam in eum credidit?

Verùm hæc non in eam sunt torquenda sententiam, quasi in cœtu Ecclesiæ Dei non sint, aut esse debeant, diuites ac potentes: sed tantum de difficultate & multiplicibus impedimentis disserit Christus. Quare Christus Marci 10. cum discipuli obstupescerent super uerbis illius, respondet: Filij, quàm difficile est, qui fiduciam habent in pecunijs, regnum Dei ingredi? et postea: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. nam omnia possibilia sunt apud Deum. De principibus autem Iudæorum quosdam in Christum credidisse, Iohannis duodecimo narrat: Veruntamẽ, inquit, ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur. Nicodemus & Ioseph de Arimathia magni ac opulenti fuere: Zachæus, & Maria cum sorore ac fratre, mediocres tenuerunt possessiones. Preciosum sanè unguentum fuit, quo Maria IESVM persudit.

Indicat porrò Christus, exiguũ plerunq; cœtum esse, qui ad Ecclesiam ueram pertineat: econtrà uerò, cœtum Ecclesiæ falsæ esse numerosissimum. Matthæi septimo: Intrate per angustam portam, inquit. lata enim & spaciosa est uia quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Angusta autem & arcta uia est, quæ ducit ad uitã, & pauci sunt qui inueniunt eam. Matthæi decimotertio: Quarta tantummodo pars semi nis in bono agro consistit ac fructificat, reliquæ depereunt. Lucæ duodecimo: Noli timere pusille grex, quia complacitum est patri uestro, dare uobis regnum. Matthæi 11. Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, et reuelasti ea paruulis. Rarum etiam numerum membrorum Ecclesiæ Christo uiuo fuisse, historia Euangelica testatur.

Veram Ecclesiam ab hypocritis & filijs huius mundi plerunq; odio haberi, excommunicari, & uarijs modis uexari atq; trucidari, Christus præmonet: idq; ideo, ne quis tam lugubri Ecclesiæ facie deterreatur. Matthæi quinto: Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos, mentientes propter me. Matthæi 10. Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meũ. Qui autem perseuerauerit usq; in finem, is saluus erit. Ioh. 14. Si uos odit mundus, sciiote quòd me prius uobis odio habuerint. Item, Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Iohan. 16. Hæc locutus sum uobis, ut nõ scandalisemini. Ἐκ synagogis eijcient uos: & ueniet hora, ut omnis qui interficiat uos, arbitretur se cultum præstare Deo. Est igitur & Christus ipse typus omnium suorum membrorum.

Bona Ecclesiæ ueræ multa sunt ac præclara, cùm spiritualia tum corporalia huius, & æternæ uitæ, sicut de Euangelio & iustificatione alijsq; locis suprà indicatum est: paucis tamen quædam repetamus. Habet Ecclesia sincerum Dei uerbum, & sacramentorum genuinum usum: Matth. 28. Habet ueram Dei noticiam: Ioh. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti IESVM Christum. Dispensantur in Ecclesia per uerbum, remissio peccatorum, gratia Dei, Spiritus sanctus: Lucæ 24. Iohan. 1. Lucæ 11. Iohãnis 20. Habet Ecclesia fontem regenerationis baptismum, & communicationem corporis et sanguinis Domini, quæ sunt tesseræ ac σφραγίδες beneuolentiæ Dei gratuitæ, ac remissionis peccatorum. Membra Ecclesiæ sunt unum cum patre et filio: Iohan. 17. Vt et ipsi in nobis unum sint. Habitat tota Trinitas in ea: Matth. 18. Iohan. 14. Possunt rectè inuocare Deum patrem in spiritu & ueritate, & in nomine Christi: Iohan. 4. 16. Habet Ecclesia uitam æternam, & regnum cœlorum: Ioh. 3. Lucæ 12. Habet gaudium, quod nemo ab ipsis tollit: Iohan. 16. Possunt leuare capita ad Christi aduentũ. Certi sunt, se in extremo iudicio lætam sententiam audituros, ac præmia ingentia consecuturos: Matthæi 25. Certi sunt, Deum etiam corporalia ipsis pro necessitate daturum: Matth. 6. Ecclesia uera habet miracula omnium amplissima: ut Christi curationes, quas uerbo effi cit, absq; alijs medijs: resuscitationem mortuorũ, incarnationem filij Dei, resurrectionem à mortuis, ascensionem ad cœlos, & dona eius perpetua. Nec cessat miracu lis ornare suam Ecclesiam. dixit enim: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Pertinent autem huc illæ cõmendationes Matthæi 13. Vestri beati sunt oculi, quia uident: & aures uestræ, quia audiunt. Amen dico uobis, multi prophetæ & iusti cupierunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ uos auditis, & non audierunt. Reuera hæc ingentia bona margaritæ preciosissimæ sunt conferenda, quæ ab omnibus, cum gratis præsertim haberi possint, comparanda essent. Sunt autem hæc bona communia toti Ecclesiæ, et tantum ei propria. Nam reliqui extra Ecclesiam constituti, ac nolentes uenire, audiant iudicium Christi: nempe quòd non sint gustaturi cœnam. Lucæ 14.

Potestatem Ecclesiæ ueræ esse spiritualem, in uerbo consistentem, eo demonstrat Christus, quòd potestatem impertiendi pœnitentibus in suo nomine remissionem peccatorum, & impœnitentibus retinendi, concedit: Matthæi 16. 18. Iohannis 20. idq; iuxta uerbum reuela-

tum, & non contrà. Est autem singularis & ardua potestas, ut quam Christus suo sanguine pepererit, et quæ nunquam in mundo tam clarè fuerit ordinata, & Christus ipse uocat claues regni cœlorum.

Deinde tribuit Christus suæ Ecclesiæ potestatem iudicandi de quauis doctrina: atq; adeò præcipit cunctis ueræ Ecclesiæ membris, absq; discrimine, ut de doctrinis, quascunque audiant, iudicium faciant, consentientes cum doctrina à Christo dilucidè patefacta, eam que amplectantur: dissentientes uerò fugiant & execrentur. Matthæi 7. Attendite à falsis prophetis, qui ueniũt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Omnibus autem auditoribus hoc mandatur, & hæc potestas datur: Matthæi 24. Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Iohannis 10. Oues eum sequuntur, quia cognoscunt uocem eius. Alienũ autem non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem eius. Certum itaq; & manifestum est, singulos Christianos, non solum habere potestatem, sed etiam seuerum mandatum Christi, ut de quauis doctrina iudicium ferant, quò & unicæ uoci sui pastoris firmiter adhærere, ac lupos rapaces fugere possint. Alligantur autem ipsæ oues omnium maximè ad uocem & doctrinam Christi, sicut inquit: Vocem meam audiunt. Ea igitur regula critica est, à qua non licet discedere uel latum unguem. Hinc igitur & hoc patet, quis debeat in Ecclesia Christi summus esse iudex, à quo in controuersijs doctrinæ non licet appellare ad alios: nempe uox Christi reuelata, certis que monumentis comprehensa. Nam pater inquit: Hunc audite. Ipsemet dicit: Vocem meam audiunt, alienum non sequuntur. Iohannis 15. Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis. Iohannis decimoseptimo: Sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas. Postremò, si hominum autoritate, potentia, & opinione doctrinæ præstantium, iudicia essent præferenda, tum sanè testimonia pastorum, Mariæ, Zachariæ, Simeonis, Hannæ, & similium longè fuissent postponenda sententijs ponticum Hierosolymitanorum, Scribarum, Pharisæorum & similis farinæ hominum, qui loco, dignitate, opibus, existimatione eruditionis, sapientiæ, sanctimoniæ eminebant.

Donum autem interpretandi Scripturam etiam penes Ecclesiam esse, Christus indicat Matthæi 13. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Docet autem, donum intelligendi & explicandi Scripturam non esse ad Pontifices, Scribas aut Pharisæos alligatum: sed liberè à Deo donari, cui ipse uelit. Deinde dari auditoribus Christi, qui in eius schola audiunt, ac discunt eius uerbum. Accipimus igitur id donum discendo uerbum, per quod Spiritus sanctus est efficax, & dona distribuit cuique secundum mensuram fidei. Nam uocantur apostoli prius, et triennio in Christi schola eruditur. & Iohannis 14. ait Christus: Paracletus uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunque dixi uobis. Iohannis 16. Cum uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Coniunguntur igitur, auditus uerbi, & auxilium Spiritus sancti: nec sunt à se inuicem disiungenda. Iohannis 6. ait: Erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Matth 11. Nemo nouit patrem nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Ecclesiæ igitur Christi tribuitur donum interpretationis, quod in ea Deus organa talia excitet, quæ & rectè intelligant, & dextrè enarrent eloquia Dei: & sunt tales, qui prius didicerunt: nec certis hominibus id donum adscribendum est.

Tertiò, potestatem Ecclesiæ suæ Christus in libertatem traditionum humanarum collocat. Matthæi 9. 12. 15. Marci 2. defendit Apostolos, uiolãtes Iudaicas quasdam traditiones, à senioribus constitutas, ac sine cerimonijs illis Iudaicis ministerium docendi in uniuerso terrarum orbe ordinatur, nec uult suos discipulos adiunia discipulorum Iohannis et pharisæorum alligatos esse. Pertinet etiam ad liberationem Ecclesiæ, abrogatio legis Mosaicæ: Matth. 11. Lex & prophetæ usque ad Iohannem.

Quartò, potestatem etiam habet Ecclesia eligendi, uocandi & ordinandi ministros idoneos, & deponendi & fugiendi falsos doctores. Nam id constat ex institutione clauium, Matthæi 18. & quod Christus Matthæi 9 inquit: Rogate dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam Idem etiam exempla docent Christi & Iohannis, qui discipulos eligunt & uocant: et Apostolorum, Actorum primo, qui Matthiam in locum Iudæ oratione & sorte eligunt & substituunt.

Quòd omnes sese debeant cœtui sinceram Euangelij doctrinam sonanti adiungere, præcepto sancit Christus Matthæi 11. Venite ad me omnes. Iohan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Iohann. 15. Manete in me, & ego in uobis. Pater cœlestis hoc etiam mandat: Hunc, inquit, audite Matthæi 17. Mandat item Christus, ut omnes se à falsis doctoribus & eccclesia falsa seiungant, Matthæi 7. Attendite à falsis prophetis. Matth. 16. Marci 8. Lucæ 12. Attendite et cauete à fermento pharisæorum & Sadducæorum. Matthæi 24. Si dixerint nobis, Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Iohannis 10. Alienum non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 11. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, dispergit.

Contraria Ecclesiæ Dei ueræ plurima recenset Christus: ut sunt falsi prophetæ, pseudochristi: Matthæi 7. 24. dogmata falsa, Matthæi 24. Fermentum pharisæorum, Matthæi 16. Diabolus auferens uerbum ex corde, & zizania nocte serens, Matthæi 13. Mundus persequens doctores & dogmata, Matth. 10. Alienum sequi, Iohan. 10. Alligatio ad traditiones humanas, Matth. 15. Ex Ecclesia facere regnum mundanum, Lucæ 22. Matthæi 20. Marci 10. tempore persecutionis deficere, Matthæi 7. 13. Et similia, quæ ex prædictis facile intelligi possunt.

Imagines seu typi Ecclesiæ extant Matth. 13. in parabola de semine, de agro consito tritico, de uerriculo iacto in mare, Matthæi 22. in parabola de nuptijs. Lucæ 14. de cœna. Breuitati autem consulentes, eò lectorem remittimus.

Postrea

Postremò, ex ijs quæ hactenus commemorata sunt, manifestum est, ubi tempore Christi Ecclesia fuerit: nempe in Palæstina præcipuè, in qua regione Christus cum suis discipulis est concionatus. Membra autem eius Ecclesiæ fuerunt, omnes quotquot in Christum crediderunt: ut sunt, pastores, magi, Zacharias, Elisabeth, Ioseph, Maria, Simeon, Hanna, Iohannes baptista, Apostoli, Zacchæus, Martha, Maria, Lazarus, Nicodemus, Ioseph ab Arimathia, & alia plebecula Christum pro uero Messia agnoscens. Contrà pontifices, pharisæi, scribæ, seniores populi, Pilatus et reliqui omnes, quotquot aspernati, execrati ac persecuti sunt personam & uerbum Christi, proculdubio non fuerũt Ecclesia Dei: siquidẽ substantialia Ecclesiæ ueræ, ut sic dicamus, non habuerunt.

DE FALSA ECCLESIA.

Etsi non uidebatur necessarium, peculiarem huic parti titulum dare, antithesis enim ex præcedentibus patet: tamen quo res fieret illustrior, breuibus etiam, quæ de falsa ecclesia in Euangelistis tradita sunt, commemorabimus.

Primùm, quòd sit falsa ecclesia, apertè Christus docet, quando significat falsos prophetas & pseudochristos uenturos esse, Matth. 7. 24. Et quando taxat & damnat hypocritas. item quando inquit, Excommunicabunt uos, & interficientes uos putabunt se Deo obsequium præstitisse: Iohan. 16.

Est autem falsa Ecclesia, cœtus adulterantium uerbum Dei, & sacramenta, damnantium & persequentium sinceram doctrinam: in quibus Deus non habitat, licet titulo uelint esse Ecclesia: neque erunt hæredes uitæ, nisi conuertantur. Hæc ex reliquo contextu plana erunt.

Vnde sit falsa ecclesia, Christus admonet: nempe à diabolo, & falsis prophetis. Matthæi 13. Cum dormirent homines, uenit inimicus eius, et superseminauit zizania in medio tritici. Item: Inimicus iste diabolus est. De falsis prophetis antè mentio est facta. Iohannis 10. nominat eos Christus alienos pastores, fures, latrones. Iohannis 8. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Notæ falsæ Ecclesiæ sunt: Doctrina fermentata, Matthæi 16. Marci octauo, Lucæ duodecimo. Docere, Christum in penetralibus, aut in deserto quærẽdum esse: hoc est, Christum loco alligare. Docere, quasi uita solitaria, ordinibus uarijs, aut obseruatione certarũ traditionum, Christam, hoc est remissionem peccatorum posimus consequi. Sentire, Messiam fore alium quàm IESVM, & quidem regnum corporale instituentem. Non amplecti IESVM, licet uerbo & miraculis sese euidenter declaret. Sentire, homines suis uiribus posse legem implere, & abhorrere à Christi merito ac gratia: imò eam damnare, exibilare, execrari. sicut tota historia Pharisæorum, & reliquorum obstinatorum Iudæorum testatur. Audire uerbum, et non facere, non amplecti, non in eo persistere, Matthæi septimo: Omnis qui audit uerba mea, & non facit, similis est uiro stulto. Matthæi 13. Omnis qui audit uerbum regni, & nõ intelligit, uenit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est, qui secus uiam seminatus est. Qui autem super petram seminatus est, hic est qui uerbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. facta enim tribulatione & persecutione propter uerbũ, continuò scandalisatur. Qui autem in spinis est, is est qui uerbum Dei audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum, suffocat uerbum, & sine fructu efficitur. Traditiones humanas præferre operibus moralibus. Matthæi 15. Quare uos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones uestras? Et quàm superstitiosus fuerit in ceremonialibus populus Iudaicus, Christus cùm alibi, tum in primis Matth. 23. indicat, ubi falsæ Ecclesiæ hypocrisin tribuit, & plures eius notas simul comprehendit: ut quòd doctores in ea alligent onera importabilia, & imponant in humeros hominũ, digito autem suo nolint ea mouere: quòd claudant ante homines cœlum, & ipsimet non intrent, nec permittant quenquã ingredi: comedant domos uiduarum, &c. Abrogare, aut deprauare, aut malè usurpare sacramenta à Christo instituta. id quod ex uerbis Christi sumi potest, cum inquit Matthæi 28. Docentes eos obseruare, quæcunq; mandaui uobis. Hoc ergo falsa Ecclesia non facit. Excõmunicare ueros doctores, et alia membra Christi. Ioh. 1. Excommunicabunt uos. Idololatria. Matth. 24. Ecce hic est Christus, ecce illic ecce in penetralibus, ecce in deserto. Procidere ante diabolum, eumq; adorare propter regna huius mundi: Matth. 4. Si procidẽs adoraueris me, dabo tibi regna huius mũdi. Ex spirituali regno Christi, regnũ mundanũ facere: Lucæ 22. Persequi Christum & omnes credẽtes: Matth. 10. Tradent uos in cõcilijs, et in synagogis suis flagellabũt uos, & ad præsides et reges ducemini propter me. Matthæi 23. Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes et scribas, et ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, et persequemini de ciuitate in ciuitatem. Ioan. 16. Veniet tempus, ut omnis qui interficiat uos, arbitretur se obsequium præstare Deo.

Habet autem ecclesia falsa peculiarem speciẽ propter locum, personas, potentiam, autoritatem, eruditionem, uitæ sanctioniam. Habent enim synagogas & concilia, Matthæi decimo, Iohannis decimosexto. Dilatant phylacteria, et magnificant fimbrias, uocantur Rabbi, circumeunt mare & aridam, ut faciant proselytum: hoc est, maximos labores adhibent, ut homines ex falsis religionibus eripiant: decimant omnia, mundant omnia, ornant monumẽta prophetarum. dicunt, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socij eorum in sanguine prophetarum: Matthæi uigesimo tertio: Habebant Iudæi templum Dei, religionẽ à Mose traditã, omnia gerebant maxima specie. Habet & falsa Ecclesia maximam hominum multitudinem. Matthæi septimo: Lata uia, & spacioſa porta est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.

Finis autem falsæ Ecclesiæ est, ira Dei, & pœna etiam corporalis. Matt. 22. Rex, inquit Christus, audito hoc nuncio, (nempe beneficium suum superbè contemni, seruos ignominioſe tractatos & occisos) iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem ipsorũ succendit. Matthæi septimo: Omnis qui audit mea uerba, et non facit, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domũ suã super arenã: et descẽdit plu-

uia, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, fuitq; ruina eius magna. Defertio Dei, & tenebrarum augmentum: Matth. 13. Iohan. 12. In parabolis loquor eis, quia uidentes non uident, et audientes nõ audiunt, neq; intelligunt, ut adimpleatur in eis prophetia Esaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & nõ uidebitis. incrassatum enim est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, et oculos suos clauserunt, nequando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, et conuertantur, & sanem eos. Interitus: Matthæi 7. Eiectio è regno cœlorum, & pœnæ æternæ, Matthæi octauo: Filij regni ejcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Idem imago quinq; fatuarũ uirginum à sponso excluſarum, & forma futuri iudicij, ubi hœdi ab ouibus separabuntur, docent. Eadem monet parabola de zizanijs Matth. 13. Messores, inquit, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igne comburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet enim filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

Quid agendum sit cum zizanijs, hoc est malis, immixtis ueræ Ecclesiæ Dei, in parabola docet: nempe, quòd à personis ecclesiasticis nõ sint euellendi ui ciuili, ne & triticum simul eradicetur: sed relinquendos esse usq; ad messem, ubi colligẽtur ab angelis, igniq; tradentur, cremandi in perpetuum. Non tamen prohibet Christus, quin impœnitentibus uerbo peccata ligentur, ac retineantur: Matth. 16. 18. Iohan. 20. neq; magistratui politico prohibuit, quin ei liceat manifestè blasphemos corporaliter etiam punire. Tantum enim doctoribus legem statuit, ne corporali ui utantur. Præterea loquitur Christus de ijs qui non manifestè impugnant, aut blasphemant ueritatem.

Quòd impij doctores & dogmata erronea sint uitanda, paulo antè est expositum.

DE REGNO CHRISTI.

LOco de Ecclesia affines sunt, imò ad eius explicationem planè pertinent, loci de regno Christi, de ministerio Euangelico, de libertate Christiana, & similes. Exposita igitur doctrina de Ecclesia, quantum quidem mediocri diligentia ex Euangelistis inuestigare & colligere licuit, in his nunc breuiores data opera erimus.

An habeat regnum Christus, dubiũ non est, cum ipse Matth. 6. iubeat regnum Dei quærere: & Matth. 12. inquit, Peruenit in uos regnum Dei. & Iohan. 18. alijsq; locis, quale habeat regnum, declarat.

Esse regnum Christi spirituale, non mundanam aliquam dominationẽ, clarè indicat Christus administratione sui officij, ac tota uita, in qua externum mundi imperium non modò non affectauit, sed fugit etiam, sicut Iohannis 6. memoriæ proditum est. IESVS ubi cognouisset, quòd uenturi essent, ut raperent eum, & facerẽt eum regem, fugit iterum in montem, ipse solus. Matth. 8. Lucæ nono inquit Christus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Matth. 20. Marci 10. matri filiorum Zebedæi, petenti ut collocẽtur filij sui in regno Christi, alter ad dexterã, alter ad sinistram, respondet: suum regnum esse, calicem bibere, & baptisari hoc est, pati. Deinde apertè inquit: Scitis quòd principes gentium dominentur, & qui maiores sunt, potestatem exerceant: non ita erit inter uos. Apertissimè igitur docet, se non constituere regnum mundanum. Rixantibus discipulis post cœnam, ipsa uespera qua Christus de sua morte cõcionem grauissimam habebat, quis inter ipsos uideretur esse maximus, diserte Christus respondet: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos, benefici uocantur: uos autem non sic. Lucæ 22. Prorsus hic regnum externum mundanum à suo regno distinguit. Deniq; in passione sua coram Pilato profitetur IESVS, ueram de suo regno sententiã: Iohannis 18. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis. Vbi etiam fatetur, se in hoc natum esse, & ad hoc uenisse, ut esset Rex: sed talis, qui testimonium ferret de ueritate. Ad affixum in cruce Christum latro se cõuertens, ait: Memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Non igitur corporale regnum habere poterat, miserabiliter in cruce suspensus, & iamiam moriturus. Respondet autem Christus: Hodie mecum eris in paradiso. Paradisi itaque recuperationem, donationem ac possessionem, docet esse suum regnum. Nec temerè factum est, quod à Pilato inscriptio in ipsam crucem imposita est: Hic est IESVS Nazarenus rex Iudæorum. At sic non poterat esse mundanus rex. Præterea non concionatus est Christus contra Cæsarem, aut Pilatum: sed iubet Cæsari dare suum. Matthæi 22. Idcirco noluit arripere mundanũ imperium. Etiam post resurrectionem, Apostolos de instauratione regni Israel politici somniantes refellit, Actorum 1.

Ex ijsdem fundamentis patet, Christi regnum æternum esse. Adddemus tamen insuper & alia quædam. Matth. 11. ait Christus: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. id uerò non cõueniebat regno temporali. Matthæi 16. dicit, se uenturum in regno suo. Loquitur autem de aduentu in nouissimo iudicio. Testatur Christus crebrò, se post mortem uicturum & regnaturũ. Matthæi 25. promittit se recepturum esse credentes in regnum patris. Necesse est igitur, eum æternum habere regnum. Christus dat uitam æternam: ideo & regnum æternum habeat necesse est. Gabriel eandem proponit doctrinam Mariæ: Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, Lucæ 1.

Quale regnum Christus in terris habuerit, dum uisibiliter præstò adesset, nimirũ usq; ad glorioſam suam ascensionem, ex loco de Ecclesia, & in primis de officio Christi, planum est. Docet enim, patefaciẽs ueram Dei doctrinã, & taxans corruptelas & impios cultus, adhortans ad pœnitentiã, declarãs se esse Messiam, se dare iusticiam & uitam. edit miracula omnium maxima, curat uerbo quoscunq; malè habẽtes, excitat mortuos, expellit dæmonia ab hominibus, congregat Ecclesiolã, impertit remissionem peccatorum, instituit baptismum & cœnam suam, pendet ipse quoque staterem magistratui, patitur pro peccatis totius generis humani, moritur, resurgit, instituit uniuersale ministerium prædicandi Euangelium in omnes creaturas, tradit Ecclesiæ

cleſiæ claues, aſcendit uiſibiliter in cœlum, inſigne & admirandum ſpectaculum exhibens, ſedet ad dexteram Dei. Iſta omnia ſuis in locis fuſius tractãtur, et hic ſummis quaſi digitis leuiter attigiſſe ſatis ſit.

Quale regnum iam in terris poſt aſcenſionem in cœlum habeat, uſq; ad mundi finem, hiſce dictis admonet, Iohannis 20. Sicut miſit me pater, ita & ego mitto uos. Matthæi 28. Marci 16. Lucæ 24. Docete omnes gentes. Eſt igitur regnum Chriſti omnibus ſeculis poſt aſcenſionem hic in terris, ſuam uocem puram & corruptam conſeruare, excitare pios doctores, ſpargere & propagare per organa ſalutaria ueram doctrinam, ædificare Eccleſiam. Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam. Adeſſe ſuæ Eccleſiæ, Matthæi 28. Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi. Non enim ita diſceſſit, ut nõ curam gerat ſui regni, non adſit ipſe. Regenerare per baptiſmum: Iohannis tertio. Dare ſuum corpus & ſanguinem in ſua ſacra cœna: Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Patrocinium Eccleſiæ præſtare in rebus perturbatis, Matthæi 16. Portæ inferorũ non præualebũt aduerſus eam. Iohan. 10. Non rapiet eos quiſquam de manu mea. Iohannis 14. Non relinquã uos orphanos, ueniam ad uos. Dare Spiritum ſanctum, Iohannis 16. Ego mittam paracletum à patre. Operari per miniſterium miracula, Marci 16. Signa, inquit, eos qui crediderũt, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, nõ eis nocebit: ſuper ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Item: Prædicauerunt ubiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Agere interceſſorem ac ſacerdotem apud patrem pro nobis, Iohannis 16. Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Ipſius nomine, hoc eſt, ſe mediatore appellato, uult preces fieri.

Quale regnum in fine mundi & in æternum ſit habiturus, ipſemet quoq; docet: nempe quòd in nouiſſimo die ſit rediturus, & excitaturus omnes. Iohan. 6. Reſuſcitabo eos in nouiſſimo die. Item iudicio graui ſeparaturus credentes & impios, & credentes in regnum patris ſui translaturus, impios unà cum Diabolis proiecturus in ignem æternũ. Matthæi 25. Habiturus eſt credentes ſecum, et præbebit conſpiciendam ſuam claritatem, Iohannis 17. Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut uideant claritatem quam dediſti mihi.

Proinde ciuium in hoc ſpirituali regno Chriſti officium eſt, audire & diſcere uerbum Chriſti, quod uoce miniſtrorum Eccleſiæ repetitur: rectè adminiſtrare & uſurpare Sacramenta, inuocare in nomine Chriſti, confiteri, lucere bonis operibus, perſeuerare, expectare certam redemptionem, tribulationes in hoc mundo cõtinere, ſuſtentare ſe promiſſione æternæ glorificationis, parêre præſentibus magiſtratibus, & nihil tamen contra Deum aut conſcientiam propter ipſos facere. Sunt igitur hæ regulæ ciuibus & incolis regni Chriſti in hac terra exactè ſeruandæ, Matthæi ſexto: Quærite primùm regnum Dei, & iuſticiam eius, & reliqua omnia adijcientur uobis. In hac illuſtri ſententia ordinem agendarum rerum egregio ordine commemorat ac ſanxit Chriſtus. Item Matthæi 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Non abolet Chriſtus politicũ imperium, aut magiſtratus: ſed præcipit, ut eis obedientiam debitam, honorem & penſiones uſitatas tribuamus: nec ſeditione, contemptu aut contumacia eum ordinem turbemus. attamen habet ſuas metas ea erga magiſtratus obedientia, ne uidelicet ei reddantur quæ ſunt Dei. Addit igitur ſignificantiſſimè, Et Deo reddite quæ ſunt Dei: nempe pietatem, & quæcunque in Decalogo præcepta ſunt.

Regno huic contraria ſunt, mundanum Chriſti regnum in terris expectare, ſeu ambire. Matth. 20. Marci 10. Lucæ 22. Eccleſiaſticas perſonas, hoc eſt, doctores uerbi, rapere ſibi poteſtatem gladij, eoq; contra hoſtes Chriſti uti. In horto Petrum, enſe ferientem Malchum, grauiter increpat Chriſtus: ac præcipit, ut recondat enſem, comminatione inſuper ſeuera addita: Omnes (ſcilicet miniſtri Eccleſiæ) qui acceperint gladium, gladio peribunt. Putare regnum Chriſti eſſe magnificum et ſplendidum. Lucæ 17. Non ueniet regnum Dei cum obſeruatione. Abrogare officium magiſtratus politici, ne ſit terrori malo operi, & honori bono, eo quòd regnum Chriſti ſit ſpirituale. Diuerſa enim regna ſunt, regnum Chriſti & regnum politicum, & non contraria: Matth. 22. Et reliqua, quæ ſuprà de Eccleſia expoſita ſunt.

DE MINISTERIO EVANgelico docendi.

Eſſe aliquod miniſterium publicè docendi Euangelium, ſeu doctrinam de Chriſto, alijſq; articulis à Deo patefactis, ex hiſtoria Chriſti notum eſt. Docet enim Baptiſta publicè ac intrepidè, IESVM eſſe Chriſtum, & agnum Dei. Idem etiã profitetur ac docet Ieſus ipſe, qui uocat & emittit duodecim diſcipulos, et alios ſeptuaginta, dulciſſimam uocem de præſente Meſſia, eiuſq; beneficijs ſpargentes. Deniq; poſt reſurrectionem ſuam, aſcenſurus in cœlum, uniuerſale miniſterium prædicandi Euangelium omni creaturæ inſtituit, duraturum uſq; ad finem mundi.

Eſt autem miniſterium Euangelicũ, ſeu Eccleſiaſticum, ut ſic uocemus, nihil aliud quàm, in uocatione legitima publicũ officium docendi doctrinam reuelatam ac traditam à Deo, certo uerbo, et in primis articulum de remiſſione peccatorum gratuita, per ſolam fidem in Chriſtum: & adminiſtrandi ſacramenta, iuxta inſtitutionem. ſicut probabunt ſequentia.

Duplex hoc eſſe miniſterium, nempe Apoſtolicum, hoc eſt Apoſtolis proprium: deinde commune, res ipſa docet, licet eas appellationes non habeant Euangeliſtæ. In quibus autem rebus conueniant, aut differant, mox exponetur.

Vtrunq; in genere eſſe à Deo, qui & excitat organa ſalutaria, & uult eos publicum docendi munus adminiſtrare, ad quam rem ſua quoq; dona atq; uirtutes benignè largitur Deus, ex uerbis et hiſtoria Chriſti manifeſtum eſt, Matthæi nono: Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Matth. 10. Lucæ 10. Matthæi 28. Marci 16. Lucæ 24. Iohan. 20. 21. Chriſtus ipſe ordinat concionatores ſeu doctores, eiſq; publicum docendi miniſterium cõmittit. Matthæi 10. Non uos eſtis, inquit Chriſtus, qui loquimini: ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Iohannis 16. Spiritus

ritus sanctus arguet mundum de peccato. Iohannis 20. Accipite Spiritum sanctum. Iohan. 3. Baptista inquit: Non potest homo sibi sumere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. Non igitur temerè aut fortuitò ministerium docendi publicum exortum est, sed Deus ipse autor & institutor fuit, & adhuc dat salutares doctores, suamq; ordinationem usque ad mundi huius interitum conseruat.

Differt autem Apostolica functio hac in parte à cõmuni: quòd Apostoli immediatè à IESV Christo uocati sunt, cæteri autem mediatè et legitimo modo à Deo excitantur et uocãtur. In Apostolica functione fuere duodecim illi, à Christo peculiariter ac uiua uoce assumpti, Matth. 10. et Septuaginta, quos binos ante se misit, quòcunque uenturus erat. Apostolicam functionem & Iohannes baptista sustinet. dicit enim se à Deo immediatè uocatum, ad testificandum de Christo: Qui misit me, inquit, baptisare, ille mihi dixit. Reliqui concionatores Christo in cœlum sublato, per Apostolos ac alios pios uiros eliguntur ac uocantur: sicut Actuum Apostolorum liber & posterior Ecclesiæ historia docet.

Quales personæ tempore Christi publico docendi Euangelium ministerio functæ sint, ex historia liquet. Primo loco ponamus Christum, licet ad ministerium hoc aliquanto posterius quàm Iohannes accesserit. Filius igitur ipse Dei factus homo, publicè docẽdi munus administrauit, uocatus atq; initiatus & ipse à patre suo cœlesti, Matthæi 3. 17. Præcesit eum nonnihil Iohannes baptista, filius Zachariæ sacerdotis de uice Abia. Duodecim illi fuere piscatores, publicani, et de inferiori plebe homines: nihilo uerò nobiliores & septuaginta illos fuisse consentaneum est. Nemo autem ex pontificũ aut reliquorum magnatum ordine, in Apostolorum numerum cooptatus legitur: idq; non sine singulari Dei consilio factum esse, quis non intelligit? Appellantur istæ personæ piscatores hominum, Matthæi 4. Operarij in messe, Matth. 9. Serui seu legati uocantes ad nuptias ac cœnam, Matthæi 22. Lucæ 14. Prophetæ, sapientes, scribæ, Matthæi 23. Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis, etc. Serui negociantes, Matthæi 25. Testes, Lucæ 24. Iohan. 15. Act. 1. Sal terræ, lux mundi, ciuitas alta, lucerna super candelabrum posita, Matthæi 5. Hi autem nõ subitò rapiuntur ad huiusmodi arduum ministerium, sed prius discunt. Baptista in schola domestica sanctissimorum parentum, nempe Zachariæ & Elisabethæ, magna sedulitate institutus est: præsertim cum diuina reuelatione acceperint, eum fore tubam ac præcursorem Messiæ præsentis. Deinde haud dubiè alios quoq; pios & doctos uiros audiuit. Denique erudit ipsum Deus immediatè quoq;, iubens eum baptisare, & monstrare Messiam. Apostoli priusquam docendi munus publicè suscipiant, triennium in schola Christi prius solerter instituuntur, intuentur miracula, dies ac noctes apud Christum agunt. Etsi autem miraculose proficiunt, Christo per Spiritum sanctum in ipsis operante, præsertim in Pentecoste, ut suo loco commemorandum erit: tamẽ non discunt in momẽto capita doctrinæ Christi omnia, sed paulatim erudiuntur. Aetate quoq; nõ puerili ad hanc amplissimam functionem leguntur accessisse, sed uirili. Iohannes trigesimo suæ ætatis anno suum illud munus auspicatur. IESVS etiã usq; ad eam ætatẽ expectat, Lucæ tertio. Maturæ ætatis cæteros etiam Apostolos fuisse, nemo dubitat.

Formæ uocationis ut non ceremoniosæ fuerint, ita breuibus quoq; descriptæ sunt: autoritas tamẽ atq; grauitas eius uocationis maximi est momenti. Quando Christus ipse initiatur ad ministeriũ suum, baptisatur à Iohanne in Iordane: pater fert testimoniũ, cum esse suũ dilectum filium: Spiritus sanctus uisibili specie columbæ in Christum descendens, eum inungit. Hæc est uniuersa pompa ueri archiepiscopi omnium aliorum episcoporum, Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Iohan. 1. Andreas ac Petrus iuxta mare, dum occupati sunt mittendis retibus in aquam, & uocantur & ordinantur simul simplicissimis uerbis. Venite, inquit Christus, post me, faciam uos fieri piscatores hominum. Matth. 4. Philippi uocatio & ordinatio eodem modo peragitur: Sequere me, inquit Christus. nec adhibentur ullæ aliæ cæremoniæ. Iisdem uerbis ad Matthæum utitur: Sequere, inquit, me. Matth. 9. Nec est credibile, alios Apostolos aliter uocatos esse. Postea tamen superata morte, Christus totum cœtum Apostolicum afflat, & inquit: Accipite spiritum sanctum. Ascendens in cœlum, eleuatis manibus suis benedicit eis, & iubet egredi in totum mundum, ac disseminare pœnitentiam ac remissionem peccatorum in suo nomine. Lucæ 24. In Pentecoste, ut infrà dicetur, in eos Spiritus sanctus descẽdit, flammantibus ipsorum linguis apparens. De Baptistæ ordinatione & consecratione ad ministeriũ, nihil aliud exstat, quàm quod se iussum affirmat à Deo, ut baptismũ ordiretur. Iohan. 1. & Lucæ 3. Factum est uerbum Domini in deserto ad Iohannem. Quibus autem ritibus cæteri doctores Ecclesiæ sint uocandi, qua ratione publicũ hoc docẽdi munꝰ eis sit delegandũ ac imponendũ, nõ est expresse traditũ, sed libertati Ecclesiæ relictum.

Res huius ministerij publici sunt, certa, explicata, uera & perspicua doctrina, patefacta à Deo, de omnibus capitibus scitu necessarijs: in primis uerò de Christo, eiusq; beneficijs, hoc est, de remissione peccatorum gratuita propter meritum Christi, fide gratis accipienda, & legitima sacramentorum administratio. Ad has res omnes illi ministri alligati fuerunt, & sunt ex æquo omnes boni ministri, omnibus seculis ad eas adstricti. Compendia autem harum rerum à Christo dilucidè recitantur, Matth. 10. Euntes prædicate, dicentes quòd appropinquarit regnum cœlorum. Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Hoc dicto res illius publici ministerij commemorantur, doctrina & sacramenta, omnesq; ad dictata Christi expresse obligantur: inclusa non obscurè interdictione, ne quid alieni adsuant. Eadem referuntur Marci 16. Euntes in uniuersum mundum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ: qui credidерit & baptisatus fuerit, saluus erit. Rursus hic doctrinæ & sacramentorũ mentio fit. Lucæ 24. Oportebat, inquit, Christũ pati, & resurgere à mortuis tertia die, et prædicari in nomine eius pœnitentiã et remissionem peccatorum in omnes gentes. Ioan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, de iusticia, de iudicio. De peccato quidẽ, quòd nõ credũt in me: de iusticia, quòd uado

uado ad patrem: de iudicio, quia princeps huius mundi iudicatus est. Iohannis 20. Sicut me misit pater, ita & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, insufflauit in eos, & dixit: Accipite spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. In genere de ministerio, Matthæi 13. inquit Christus: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.

Cæterùm quæ sint capita doctrinæ, quæ eorum summa, quæ ratio sacramentorum, passim in hac idea doctrinæ exponitur, unde lector potest petere: & hæ res sunt communes òmnibus quolibet seculo in ministerio docendi uersantibus. Etsi enim Iohannes prior incipiebat doctrinam de Messia præsente, & baptismũ, tamen circa easdem res occupatus est. Nec; hic propter uocationes res uariantur. Easdem res & prophetæ ante exhibitum Christum in ministerio suo publicè tradiderunt. Matth. 22. Lucæ 14. ubi significat Christus, eadem uoce tum Iudæos tum gentes uocari. Lucæ 24. Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, Prophetis & Psalmis, de me. Philippus ait Iohan. 1. Quem scripsit Moses & prophetæ, inuenimus Iesum. Lucæ 1. Maria inquit: Sicut locutus est ad Patres nostros. Zacharias inquit: Sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius. Ex his dictis duo patent: unum, quòd ministerium docendi etiam ante Christum fuerit: alterum, quòd res ministerij istius congruant in ueteri & nouo Testamento.

Non esse fas unquam, uel Apostolorũ, uel ministrorum Ecclesiæ Christi, mutare sermonem, hoc est genus doctrinæ à Christo reuelatum ac traditum, ac pro arbitrio articulos fidei condere uel abolere: sed omnes ex æquo ad patefactum hoc uerbum Christi alligatos esse, perspicuè Christus docet Matthæi 28. Docentes, inquit, eos seruare quæcunq; præcepi uobis. Lucæ 24. Vos estis testes horum. Iohannis 15. Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis. Non autem integrum aut liberum est testi, comminisci sententias in rebus grauibus: sed res habet certas, exploratas ac præscriptas, à quibus non licet ei discedere, aut pilum etiam latum (quod dicitur) deflectere. Iohannis 14. Spiritus sanctus docebit uos omnia, & suggeret (inquit) uobis omnia, quæ dixi uobis. Non dicit, eum aliena confictu rum esse. Iohannis 16. Cum uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur: & quæcunque uentura sunt, annunciabit uobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Alligantur igitur Apostoli ad uocem Christi, & dictata spiritus sancti. Iohannis 8. Si manseritis in meo sermone, uerè discipuli mei estis. Iohannis 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Non igitur alia uox quàm Christi, o uibus est proponenda. Præcipit etiam, ut à fermento Pharisæorum sibi caueant. Damnantur insuper acriter pseudoprophetæ & pseudochristi, diuersam à Christo doctrinam afferentes, Matth. 7. 24. Deniq; ideo in schola Christi tam diu doctrina cœlesti imbuuntur Apostoli, ut sciant se non habere ius nouum doctrinæ genus comminiscendi, et quod uellent pro arbitrio docẽdi: sed ut eam tantum addiscant & spargant, quam ex uiua uoce Christi perciperent.

Vult etiam prudentiã & fidelitatem in administratione earum rerum quæ ad ministerium Ecclesiæ pertinent, adhiberi Christus: ne Epicureis, aut persecutoribus subijciatur & prostituatur Euangelium, & sacramenta. Matth. 7. Nolite, inquit, sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi disrumpant uos.

Debere ministerium docendi esse publicum, Matth. 10 Christus apertè præcipit: Quæ dico, inquit, uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Item: Omnis qui cõfitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Est enim hoc dictum, tum de publica ministerij confessione, tum de priuata cuiusq; credentis accipiendũ. Matth. 7. Vos estis sal terræ. Item: Vos estis lux mundi. non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio: sed super candelabrũ, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrũ qui in cœlis est. Est autem prædicatio uerbi Dei unum de excellentissimis operibus à Deo præceptis. Et hæc ad totam Ecclesiam Christi spectant.

Porrò nulla maioritas, nullus primatus inter Apostolos & eius successores à Christo constituitur: sicut Matthæi 18. 20. Marci 10. Lucæ 22. explicatur. Manifestè enim pronunciat Christus: Non erit ita inter uos. sed quicunque uult inter uos esse maior, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Lucæ 22 prædicit Apostolis excellentiam, quam post hanc uitam, & quidem ipsi pariter omnes, habituri sint: Vos, inquit, estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Referatur & hoc ad Apostolorum peculiare donum, quòd in resurrectione iudicaturi sint duodecim tribus Israel.

Pertinet quoque ad explicationem huius loci, quòd ministerium hoc Ecclesiæ Christus à regno mundano, et ciuili potentia ac uiolentia, accuratè discernat, Matt. 20. Marci 10. Lucæ 22. nec uult permittere, ut Petrus tanquam minister Ecclesiæ, gladio aduersus persecutores utatur. Matth. 26. uetat, ne ciuili uiolentia extirpẽt zizania: Matth. 13. Quod autem Luc. 22 inquit Christus, Nunc qui habet sacculũ, tollat, similiter & peram: & qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium: figuratè dicitur. Significat enim, restare pericula, opus esse certamine. Postea Apostolis dicentibus, Ecce duo gladij hic: respondet, Satis est. Somniabant boni discipuli, suum præceptorem de corporalibus gladijs dicere, ut erãt adhuc imbecilles, nondũ capientes quod Christus expressis uerbis dicebat, Oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus est. ideo dicit Christus, Satis est: subindicans, nõ opus esse ut Apostoli corporalia prælia pro se ineant, armisq; dimicent: se enim destinatum esse passioni. Euestigiò igitur iter in montẽ Oliuarum, inchoaturus passionem suam, ingreditur.

Debere

Debere ministros Euangelij reb. necessarijs ad hanc corporalem uitam sustentari, ac licitum eis esse debitũ stipendium accipere, Christus perspicuè docet Matthæi decimo, Lucæ 10. Dignus est operarius cibo suo, seu mercede sua. Quod autem dicit, Gratis accepistis, gratis date: Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis uestris: Non peram in uia, neq; duas tunicas, neq; calciamenta, neq; uirgam: præcipit, ne cauponentur Ecclesiæ ministri uerbum Dei, neq; auaritiæ ac bonis secularibus cum incommodo uerbi anxiè studeãt. Estq; promissio, quòd Christus uelit eos alere. Continuò enim subiungit ueluti rationem: Dignus enim est operarius mercede sua. Item Lucæ 10. In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud eos sunt.

Duraturũ esse aliquod ministerium publicum docendi usq; ad finem mundi, Christus hac sua promissione docet Matth. 28. Ero uobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Matth. 16. Portæ inferorum non prævalebũt aduersus eam. Idem testatur concio de fine mundi, Matth. 24. Item de sapientibus uirginibus, & de fidelibus seruis, Matth. 25. Quamuis ingens bominum contemptus & persecutio simul prædicantur in fine mundi grassatura esse.

Hæc tamen duo habet Apostolica functio peculiaria, præ alia communi reliquorum doctorum Ecclesiæ uocatione, quòd miraculorum donis sit ornata: et mandatum habeant Apostoli non tantum uno in loco, sed ubique terrarum docendi Euangelium IESV Christi. Matt. 10. Marci 3. Conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem contra spiritus immundos, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Item: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Marci 16. Signa eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Marci 6. Vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Narratur hic miraculosa Apostolorum unctio, nõ datur præceptum ut omnibus seculis hoc faciant uerbi ministri. Lucæ 9. misit eos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. Item: Circuibant per castella euangelisantes, & curantes ubiq;. Lucæ 10. Ecce dedi uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Lucæ 24. dicit Christus de illa potestate ubiq; prædicandi: Oportet prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma. Matt. 28. Ite docete omnes gentes. Marci 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Hæc sanè particularia fuisse, seu personalia, seu temporalia (ut sic dicamus) apparet. Obseruatione tamen dignum & hoc est, quòd ministerium Apostolorum initiò fuerit particulare: hoc est, ad certa tantum Iudææ loca alligatum. Nam Matthæi decimo inquit Christus: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Et hæc quidem particularis, ut sic uocemus, missio, durat usq; ad ascensionẽ Christi. Postea uerò in ipsa ascensionis hora accipiunt demandationẽ ministerij uniuersalis: Ite, inquit, in mundum uniuersum. Et postea accepto spiritu sancto in Pentecoste, hoc ipsum quod iubebantur præstabant. Est igitur hæc uniuersalis, ut sic uocemus, missio. Communes autem Ecclesiæ doctores loco certo destinantur: cessauit etiam miraculorum donum, quale Apostoli in primordijs Ecclesiæ Christi habebant.

De autoritate & dignitate ministerij istius, suprà etiam de uerbo Dei quædam collecta sunt. Sed hic quædam repetenda uidentur. Matth. 10. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Matth. 28. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Lucæ. 10. Qui uos audit, me audit. Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum. item, Docebit uos omnem ueritatem. Iohan. 14. Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Iohan. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto uos: accipite spiritum sanctum. Matth. 10. Qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Quæ uerò potest maior autoritas aut dignitas existere, quàm hæc, quòd ministerio docendi adest pater, & filius ac spiritus sanctus? Etsi autem principaliter de ministerio Apostolorum hoc sit intelligendum, qui tanquam testes Christi, istis magnificis testimonijs ornati, & omnibus auditoribus cõmendati sunt: tamen quia ministerium uerbi non tantum pro ipsorum ætate instituitur, sed ut semper in eo uox Euangelij sonet, ideo ad ministerium docendi uerum ac sincerum omnibus seculis, hæc illustria dicta pertinẽt: Ero, inquit Christus, uobiscum omnibus diebus, usq; ad seculi finem. Autoritas ministerij in nouo Testamento inde quoq; crescit, quod in Veteri de eo sit prædictum, sicut Lucæ primo & uicesimoquarto expresse indicatur: & citantur ex Esaia & Malachia illustria testimonia, de officio Iohannis, præconis & caduceatoris Messiæ.

Effectus huius ministerij sunt, deducere ad uerã Dei cognitionem. Matth. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Quòd Christus uelit se huic cœtui adiungere, Matthæi 18. Vbi duo uel tres congregati sunt in meo nomine, ibi sum in medio eorum. Iohannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, et ad eum ueniemus, et mansionem apud eum faciemus. Adfert spiritum sanctum, Iohannis 14. Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum inæternum: spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia nõ uidet eum, nec nouit eum. Adfert conuersionem, Iohannis 6. Omnis qui audiuit & didicit à patre, uenit ad me. Adfert pœnitentiam & remissionem peccatorũ, & salutem: Lucæ 24. Marci 16. Regenerationem: Iohan. 3. Defensionem in omnibus aduersitatibus: Matthæi 7. Qui audit uerba mea, & facit ea, assimilabitur uiro prudenti, qui ædificauit domũ suam super petram, & descendit pluuia, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Adfert facultatem bene operandi, Iohan. 15. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Declarat autem ista his uerbis: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in mea dilectione, sicut & ego præcepta patris mei seruaui. Idem parabola de semine monet, Matth. 13. Adfert hoc bonum, ut possi-

possimus recte Deum inuocare & glorificare. Iohan. 15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. Adfert uitam æternam, Iohan. 5. Amen amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam. Iohannis octauo: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternũ. Sed hæc in loco de Verbo Dei, de Euangelio, ac uicinis alijs copiosius declarantur.

Contraria huic ministerio publico sunt, Ministeriũ docendi in mundanum regnum conuertere, ac maioritatem affectare. id quod Christus seriò ac sæpe reprehendit: Matth. 18. 20. Marci 10. Lucæ 22. Non docere, non lucere, non confiteri: Marci 5. 10. Serere zizania, seu falsa dogmata: Matthæi 13. Furari oues Christo, aut præstigijs latrocinium in oues exercere, & eas enecare: Iohannis 10. Esse mercenarium, lupo ueniente & grassante oues deserere. Excommunicare & persequi tum ministros pios, tum alios synceram Euangelij uocem amplectentes: Iohannis 16. Sanctum dare canibus, aut margaritas ad porcos proijcere: quod seuerè ne fiat, prohibet Christus Matthæi 7. Impia & dedecorosa uita ministrorum, Matthæi 18. Væ homini per quem uenit scandalum. Aspernari uerbum, quo Deus offert sua bona: Matthæi 22. Lucæ 14. Audire, & non amplecti: Matthæi 7. 13. Spernere ministros simul cum uerbo, Lucæ 10. Qui uos spernit, me spernit: qui autem me spernit, eum qui me misit, spernit. Non fouere rebus necessarijs pios Euangelij ministros, Matth. 25. Fameli cus fui, et non pauistis me, &c. Amen dico uobis, quic= quid non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Alienos pastores sequi, Iohan. 10.

Postremò appendicis uice hæc adijciemus, Opera mala à doctrina bona esse discernenda, neq; ob mala opera personæ doctrinam quoq; sanam esse reijciendã: sed audita doctrina, opera mala fugienda esse: Christus docet Matthæi 23. Super cathedram Mosi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint uobis ut seruetis, seruate & facite: secundum opera uerò eorũ nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.

De communi sorte docentium in Ecclesia, in loco de Cruce dicetur.

DE LIBERTATE CHRIstiana.

Doctrina de libertate Christiana ex locis de Lege, de Iustificatione, & de Traditionibus humanis constat. Principales igitur partes hic paucis repetere satis erit, cum uberiorem declarationẽ suis proprijs locis Lector inueniat.

Libertatem autem Christianam non consistere in magistratus, iudiciorum, onerum politicorũ, aut proprietatis possessionum abrogatione, Christus euidenter docet, et factis demonstrat. Interrogatus enim de censu, quem Iudæi Romanorum imperatori cogebantur pendere, non ambiguè, sed diserte respondet Christus: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris: Matt. 22. Quo dicto testatur, se Euangelio suo non abolere politicum Magistratum, & probare omnia quæ ad eius gubernationem & conseruationem politiarum pertinent: nempe obedientiam, reuerentiã, pensiones, iudicia, rerum proprietates, pœnas aduersus contumaces, turbatores ordinis politici, & grassatores. In horto ad Petrum, præter uocationem suam affectantem magistratum, Christus inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit, Matthæi 26. Manifestè igitur magistratũ approbat, et uult eum uti gladio aduersus homicidas & grassatores. Nequaquam igitur permittit, ut pij sese obedientiæ magistratus ac legitimis ipsorum pœnis subtrahant. Nam ad apostolũ Petrum omnes q; pios ea uox editur. Legimus insuper Christum habitasse Capernaum, ibiq; magistratui staterem pro se & Petro absque reluctatione persoluisse, Matthæi 17. Neque in licentia uitæ consistere libertatem Christianam, quasi liberè et impunè peccatis sese polluere possent Christiani, absque iactura gratiæ Dei, aut salutis, palàm est. Nam Matth. 7. inquit Christus: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ. Item: Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. item: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Matth. 18. Seruus non præstans misericordiam erga conseruũ, post acceptam remissionẽ culpæ & pœnæ, retrahitur, & æternis pœnis subijcitur. Iohan. 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Iohannis 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Sicut in loco de Bonis operibus fusius tractatum est. Restat igitur, res esse longè sublimiores, nempe spirituales, in quibus libertas Christiana consistat. Gradus autem isti ex concionibus Christi & ipsa historia patent.

Primus ac præcipuus gradus libertatis Christianæ est, liberatio à peccato, ira Dei, damnatione, remissio peccatorum gratuita, persolutio legis per Christi passionem pro hominibus præstita, iusticia, quam ex merito Christi fide accipimus. Iohannis 8. Amen amen dico uobis, omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Matthæi 5. Veni implere legem. Iohannis primo: Ex eius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Iohannis tertio: Qui credit in eum, non iudicatur. Lucæ 1. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Item: Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionẽ peccatorũ. Matth. 1. Ipse saluũ faciet populũ suum à peccatis suis. In his rebus amplissimis, credentiũ libertas consistit omniũ maximè, sicut in doctrina de Euangelio & iustificatione expositum est.

Secundus gradus est, libertas à lege Moysi, iuxta Christi sententiam: Lex & prophetæ usque ad Iohannem. Quod autem ad legem moralem attinet, Christus nos ab eius execratione immunes fecit: & liberauit etiam nos ab eo iure legis, quo obligati eramus, ad comparandam nobis salutem operibus nostris, integerrima impletione legis pro nobis præstita: qua nobis priuilegium commeruit, ut ob alienam iusticiam, nempe Christi, absoluamur & iustificemur. Sed iustificatos tamen uult iuxta eam, obedientiã exercere, propter alias causas, suprà in doctrina de Bonis operibus commemoratas. Verùm hæc ad istum gradum non pertinent proprie, sed ad primum. A forensibus autem & ceremonialibus in uniuersum nos liberauit Christus, nisi quatenus cum lege naturæ, quæ ad Decalogum pertinet, consentiant. Nam lex & prophetæ usq; ad Ioannem, Matthæi 11. Politia Moysi, & illa ceremoniarũ pompa, de-

bebat tantũ usq; ad Christum durare, eumq; typis quibusdam repræsentare. Eam autẽ ipsam ob causam Matthæi 24. Christus prophetat, templum Hierosolymitanum dirutum iri, imò totam gentem excisum iri, in testimonium, quòd & politia & ceremoniæ Iudaici populi, Christo exhibito, corruerint. Et Iohannes baptista de facto & de iure abrogat cæremonias Mosaicas. Nam reiectis ac neglectis illis, ipse nouam, nempe Baptismi ad Iordanem orditur: uescitur locustis contra legem, & à sacrificijs deducit homines ad exhibitũ Messiam. Ecce, inquit, hic est agnus Dei, tollẽs peccata mundi. quasi diceret, Aliæ victimæ iam omnes cessant.

Tertius gradus libertatis Christianæ est, libertas à traditionibus humanis, seu rebus sua natura medijs, ita ut non sint alligandæ conscientiæ, neque iusticia in eis quærenda. Lucæ 17. Non uenit regnum Dei cum obseruatione. Matth. 9. & Marci 2. defenduntur à Christo discipuli, quòd non tam frequẽter ut discipuli Iohannis ieiunent. Matthæi 15. eisdem patrocinatur, illotis manibus contra traditiones Iudæorum cibum capienti bus: ac pronunciat clarè, illotis manibus manducare, non coinquinare hominem. Allegat & Esaiæ dictum: Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Lucæ 10. inquit, Edite & bibite quæ apud illos sunt. Sed hæc in doctrina de Traditionibus, suum proprium habent locum.

DE CRVCE ET AFFLICTIONibus Ecclesiæ.

QVòd Ecclesia Christi in hac uita sit cruci ac uarijs ærumnis, miserijs ac calamitatibus exposita & subiecta, Christus passim docet, & sæpius inculcat. Matth. 7. comparat Ecclesiam domui in petram extructæ, in quam descendant imbres, ueniant exundationes, & uenti tempestuosi impetum in eam faciant, et maneat tamen immota. Matthæi 10. inquit: Ecce ego mitto uos sicut oues in medium luporum. item: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. item: Si patremfamilias Belzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? item: Non ueni pacem mittere in terram, sed gladium. item: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matthæi 11. Tollite iugum meum super uos. Matth 16. Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matthæi 22. in parabola ostendit Christus, seruos Dei ad nuptias uocantes, hoc est prædicantes Euangelium Christi, contumelioseq; tractari, & occidi. Matt. 24. Marci 13. Lucæ 21. Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus, propter nomẽ meum. Lucæ 12. Putatis quòd pacem ueni dare in terram? Dico uobis, non, sed separationem. Lucæ 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autem et animã suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Et prolixè admonet, hæc statim initiò credentibus meditanda esse. Quis enim, inquit, ex uobis, uolens ædificare turrim, non prius sedens computat, qui sumptus necessarij sint? et num habeat tantũ unde eam possit perficere? ne iacto fundamento, cum non potuerit perficere, omnes qui uident, incipiant ei illudere, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Aut quis rex, iturus ut committat bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, an possit cum decem milibus ei occurrere, qui cum uiginti milibus uenit ad se? Alioqui adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Iohannis 15. Si mundus uos odit, scitote quòd me prius uobis oderit. item: Non est seruus maior domino suo: Si me persecuti sunt, & uos persequentur: Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Iohannis 16. Absq; Synagogis facient uos: & ueniet hora, ut omnis qui interficiet uos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Item: Hæc locutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiscamini. Item: Plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Item: In mundo pressuram habebitis. Lucæ primo, uaticinatur Simeon: Ecce iste positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Exemplum & declaratio huius partis etiam Christus est, Ecclesiæ suæ caput, & omnes eius temporis credentes.

Definitio crucis ex hac tota tractatione sumenda est, nempe quòd crux Ecclesiæ, sint omnis generis afflictiones quæ pijs accidunt: præcipuè uerò, quæ propter nomen Christi inferuntur, ut probentur, erudiantur ac innotescant ueri Christiani, ac Deus in ipsis celebretur.

Sunt autem, ut in formis postea narrandum erit, afflictiones uarij generis. aliæ internæ, ut mœror animi, Iohan. 14. Tentationes diabolicæ, Matthæi 4 16. Lucæ 22. Luctationes internæ cum morte, quales Christus in horto sudans sanguinem sustinuit. Aliæ externæ, ut flagellationes ac lacerationes corporum, interfectiones, Matthæi 10. Iohannis 16. rapinæ bonorum ac possessionum, profligatio in exilium, Matth. 10. Lucæ 14. Vel, aliæ sunt spirituales, ut excommunicatio, damnatio, Iohannis 16. Aliæ corporales, ut occidere corpus: Matthæi 10. Iohannis 16.

Quæ uerò causæ sint, quare Ecclesia affligatur, ipse Christus exponit Matth. 5. Beati estis, etc cum dixerint omne malũ aduersus uos, mentientes propter me. Matthæi 10. Ad reges ducemini propter me. item Matth. 10. 24. Marci 12. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Item Matth. 10. 16. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Matthæi 19. Qui reliquerit, &c. propter nomem meum. Matthæi 22. serui trucidantur propter uocem qua homines ad nuptias regales inuitant. Lucæ 14. in Christum persecutio suscipitur, eo quòd pharisæorum superstitiones taxat, & ueram doctrinam tradit. Matthæi 12. 21. increpans Nazarethanos, odium incurrit, & persecutionem. Matthæi 12. Iohannis 5. Iudæi persequuntur Christum, quia Sabbatho infirmum curauerat. Iohannis 7. Me odit mundus, quia ego testimoniũ perhibeo de illo, quòd opera eius mala sint. Iohannis 7. 10. IESVM confitentem se esse Meßiam, idq; probantem euidentißimis argumentis, uolunt lapidare. Ioh. 15. Si de mundo fuissetis,

setis, mundus quod suum erat diligeret. Quia uerò de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Item: Hæc omnia facient uobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. Iohannis 16. Et hæc facient uobis, quia non norunt patrẽ, neq; me. Iohannis 17. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habet, quia non sunt de mundo, sicut & ego nõ sum de mundo. Infantes Bethlehemitici trucidantur, Christus in Aegyptum infans portatur, eo quòd Magi attulerant nuncium de nato Iudæorũ rege, seu Messia: Iohannes baptista capite plectitur, eo quòd Herodis incestum taxauerat.

Confingunt autem alias causas hostes, coram uulgo plausibiles: ut Violationem sabbathi, Matthæi 12. Marci 2. Lucæ 6. Quòd citra uocationem à pontificibus peritam doceret Christus, Matthæi 21. Quia blasphemaret, se Christum & filium Dei profitens: Matthæi 26. Quia primates reprehendit, Lucæ 4. Articulos accusationum coram Pilato proferunt sacerdotes cõtra Christum, Lucæ 23. Hunc, inquiunt, inuenimus subuertentẽ gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Item falsi testes dicunt, se ex eo audijsse, quòd uelit destruere templũ Dei, & in triduo ædificare illud. Matthæi 26. Iohannis 8. dicunt, eum habere dæmonium. Ex hac commemoratione apparet, causas persecutionum erga Christum et eius membra, non esse furta, adulteria, rapinas, neq; etiã falsas & blasphemas opiniones et doctrinas: sed sanam de Christo & eius beneficijs doctrinam, & confessionem, et necessarias reprehensiones peccatorum primæ & secundæ tabulæ Decalogi.

Hostes uerò persecutionem exercentes: non infima tantum de plebe sex describitur, sed omnium summi, ad clauum Ecclesiæ ac politici regiminis sedentes, loco, eruditione, sapientia, uirtutibus, autoritate, potentia illustres, titulo Ecclesiæ fungentes, præterea & ipsi domestici inter sectatores ipsius Christi existentes. Matthæi 10. ait, eos qui conciliorum potestatem habent: hoc est, à summis Ecclesiastici regiminis gubernatoribus, & à præsidibus ac regibus immanem persecutionem oriri. Matthæi 2. Herodes Christum & infantes persequitur. Matthæi 12. Pharisæi conspirant, ac consilium ineunt de Christo è medio tollendo. Matthæi 14. Herodes Antipas Baptistam interficit, Herodias & filia eius meretricis eam rem impetrant à rege. Matthæi 21. Pontifices & seniores populi accusant Christum, tanquam falsum doctorem. Matthæi 22. Pharisæi et Herodiani callidè insidiantur Christo. Matthæi 26. principes sacerdotum et seniores populi de Christo capiendo & occidendo decernunt: Iudas Iscariotes Christum triginta argenteis prodit: Item sacerdotes IESVM ut blasphemum damnant, ministri eius simul sæuitiam exercent, accedit & reliqua turba: Matth. 27. Principes sacerdotum seniores populi, Pilatus præses, populus, milites, persecutionem contra Christum adiuuant. Nam populus qui paulo antè clamauerat, Hosianna filio Dauid: nunc persuasus à sacerdotibus, uociferatur, Tolle tolle. Lucæ 12. Hierosolymitani dicuntur fore crucifixores Christi. Iohannis 15. Mundum ait odio flagratum erga discipulos. Ipsi igitur Iudæi, qui debebant esse custodes doctrinæ ueræ de Messia, eumq; obuijs non tantum ulnis, quod dicitur, sed totis pectoribus amplecti, ac uoce sua corã toto mundo celebrare, sunt osores ac persecutores Christi, & omnium qui in eum credũt. Sunt autem ipsi imago falsæ Ecclesiæ omniũ temporũ.

Formæ afflictionũ Ecclesiæ passim recitantur. Christus infans in exilium pellitur, usq; in Aegyptum. Bethlehemitici infantes nefariè ob natum Christum Iudæorum regem trucidantur. Matthæi 10. Marci 13. inquit Christus: Tradent uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabũt uos, & ad præsides & reges ducemini propter nomen meum. Iohannis 16. dicit: E' synagogis eijcient uos: sed ueniet hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ioannes baptista primùm in carcere maceratur: postea in eodem, capite truncatur: Matthæi 11. 14. Matthæi 19. Lucæ 14. indicat Christus, domum, fratres, sorores, patrem, matrem, uxorem, filios, agros, propter nomen suum deserendos: hoc est, credentes bonis suis ob cõfessionẽ exutum iri. Matthæi 22. ait, seruos uocantes ad nuptias, hoc est doctores, ignominiosè tractatos et occisos. Matthæi 26. Osculo ac blanda salutatione Iudas Christum prodit, ac tradit Iudæis. turba uiolentas manus injicit, ac captiuum ad sacerdotes adducit. Hi quærunt falsa aduersus ipsum testimonia, & contra conscientiam, mortis sententiam in eum proferunt: ministri contecta eius facie, colaphos ei impingunt, ac iubent diuinare quis fecerit. Matthæi 27. ducunt eum ad Pilatum: & uulgus indomitum & furiosum instigant, ut postulent Christum interfici, Barrabam autem latronem dimitti: tandem blanditijs & minis Prætor ille impulsus contra suam conscientiam, lauans etiam manus in conspectu omnium, militibus eum crucifigendum tradit: & quomodo hostes suspensum in cruce sarcasmis exagitarint, suo loco exponetur. Matthæi 10. Marci 13. Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Lucæ 4. Nazarethani Christum in præcipitium ducunt, inde eum deturbaturi, nisi manus ipsorum euasisset. Lucæ 14. Omnis ex uobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Lucæ 23. uinctus Christus Herodi mittitur, & fiunt amici Pilatus & Herodes. Iohannis 10. Iudæi uolunt Christum lapidare, ac dicunt eum habere dæmonium, insanire, blasphemare. Iohannis 16. Plorabitis & flebitis uos, mundus contrà gaudebit.

Quomodo crux seu afflictiones ferendæ sint, multis in locis Christus docet: ut, quòd statuendum sit, nõ casu eas accidere, seu Deo ignorante: Matthæi 10. Non ne duo passeres asse ueneunt? Et unus ex illis non cadet super terram, sine patre uestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis. Iohan. 10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. Secundò, quòd nihil insoliti nobis usuueniat, ideo suum exemplum uult nos considerare. Matth. 10. Iohan. 15. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus eius. Si patremfamiliãs Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? ne ergo timueritis eos: sic persecuti sunt prophetas, & qui fuerunt ante uos. Tertiò, uult nos Christus causam, quare persecutionem

patimur, considerare: nempe quòd ea nõ sit nostra, sed ipsius Christi. Matthæi 10. Ad reges ducemini propter me. Iohan. 15. Hæc omnia facient uobis propter nomen meum. Lucæ 10. Qui uos spernit, me spernit. Plura eius generis testimonia suprà recitata sunt. Quartò, promissiones uult nos in conspectu habere, quòd crucem uelit moderari Christus missione & auxilio Spiritus sancti. Matthæi 10. Marci 13. Lucæ 12. Cum autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo et quid loquamini. dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Lucæ 21. Ego dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri. Iohannis 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Quintò, promissiones etiam de sua præsentia et defensione proponit Christus, Matth. 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Lucæ 21. Capillus de capite uestro non peribit. Iohannis 10. Non rapiet eos quisquã de manu mea: pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest eos rapere de manu patris mei. Iohannis 19. Non relinquam uos orphanos. Iohannis 16. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego uici mundum. Matthæi 28. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Sextò, amplissimam retributionem promittit in hac & æterna uita, Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Matthæi 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Matth. 16. Qui uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inuenict eam. Item: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opus suũ. Lucæ 12. Noli timere pusille grex, quia complacitum est patri uestro dare uobis regnum. Lucæ 6. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum uos oderint homines, et cum separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum, propter filium hominis: gaudete et exultate in illa die, ecce enim merces uestra multa est in cœlo. Iohannis 16. Tristicia uestra uertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristiciã habet, quia uenit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit angustiæ, propter gaudiũ, quia natus est homo in mundum. Et uos nunc quidem tristiciam habetis. Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Proponuntur & exempla miraculosarum liberationum. Matth. 1. Ioseph in somnis per angelum monetur de persecutione ingruẽte ab Herode: & locus quò se debeat cum Maria & infantulo IESV recipere, nempe Aegyptus nominatur, cum quidem antè Magi munera IESV tanquam uero Messiæ obtulissent. id quod diuino consilio factum est, ut inde uiaticum necessarium haberent. Magi etiam ipsi, angelo monente, manus Herodis effugiunt. Septimò, Modicum, inquit, & iam non uidebitis me: & iterum modicum, & uidebitis me, quia uado ad patrem. Iohan. 16. Etsi autem ad passionẽ Christi hæc uerba propriè pertinent, tamen hæc generalis doctrina omnibus ætatibus ad Ecclesiam spectat, quòd tribulationes credentium non sint in perpetuum duraturæ, sed modico tantum tempore. Octauò, monet Christus, non nimium esse pertimescẽdos persecutores, cum in corpus tantum sæuire queant, citra iniuriam animæ: Matthæi 10. Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonò, qui non sustinẽt tribulationes propter Christũ, non possunt esse discipuli eius, & punientur etiam in extremo iudicio. Matth. 10. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, nõ est me dignus. Lucæ 14. Si quis uenit ad me, & nõ odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem animam suam, non potest meus esse discipulus: & qui nõ baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Matthæi 10. Lucæ 9. Qui negauerit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo cœlesti. Matth. 13. Qui super petrosa seminatus est, is est qui uerbum audit, et continuò cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta enim tribulatione et persecutione propter uerbum, cõtinuò scandalisatur. Matthæi 16. Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Loquitur autem Christus de ijs, qui ob metum crucis et rerum corporalium se non sequuntur.

Virtutes quæ in cruce & tribulationibus exerceri debeant, partim ex iam commemoratis, partim ex alijs quoq; testimonijs patent: ut, noticia Dei & uoluntatis eius, statuens Deum scire nostras ærumnas, ijsq; affici, & mitigationem atq; auxilium præstiturũ esse. Matthæi 6. Nouit pater uester, quibus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo. Matt. 28. Ecce ego uobiscũ sum. Oratio: Matthæi 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Mansuetudo erga ipsos hostes, Matthæi 5. Lucæ 6. Ego dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri finit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Patientia, Lucæ 21. In patientia uestra possidete animas uestras. Matthæi 5. Lucæ 6. Ego dico uobis, ne resistatis malo (hoc est, priuatos non uult uiolenter propulsare iniurias illicito modo, sed patientiam exercere) sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram: & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Humilitas, Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde. Constantia, ac perseuerantia: Matthæi 10, 11. Marci 13. Qui perseuerauerit usq; in finem, is saluus erit. Iohannis 16. Confidite, ego uici mundum. Tolerantia moræ, Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere. Iohan. 11. Christus moratur, donec Lazarus ui-

ta fungatur: uerùm postea miraculosius & potentius ei opem fert, ex sepulchro eum uocans & resuscitans. Prudentia, Matthæi 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: Cauete autem ab hominibus. Spes æternæ glorificationis, Matth. 5. Merces uestra copiosa est in cœlis.

Fines crucis multi sunt, nempe ut credentes Christo fiant consormes. Matth. 10. Lucæ 6. Iohannis 15. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister. itē: Si me persecuti sunt, et uos persequentur. Vt discernantur pij et impij, uerè credentes & hypocritæ. Matthæi 7. ait Christus, conspici domus firmitatem, quæ tempestatibus iactata non concidit: econtrà uerò imbecillitatē ædificij patefieri, quando irruunt turbines ac flumina, & fit ruina eius magna. Matth. 13. Sole splendente ait probari frumentum, an habeat radicem. Nam satum supra petram, flacescere statim, at quod in bono agro nascitur, omnem ardorem solis sustinere. Lucæ 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Vt notum fiat tam ipsis sanctis, quàm etiā alijs, eos adhuc habere peccatum, & esse imbecilles: & quòd non sustententur suis uiribus, sed Dei misericordia & potentia. Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Vt omnes calliditatem & potentiam Diaboli animaduertant. Lucæ 22. Ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Vt preces ardentiores in ærumnis & miserijs excitentur, quæ rebus ad uoluntatem fluentibus ualde languidæ sunt. Matth. 8. naucula submergente clamitant discipuli: Domine salua nos, perimus. Matth. 14. Petrus in aqua ambulans, ac sentiens uim uentorum, ac pedes suos in undas mergi, exclamat anxiè, Domine saluum me fac. Vt dilectionem erga inimicos etiam, ac patientiam credentes discant. Matth. 5. Vt desideriū æternæ uitæ excitetur: ac norint pij, suam se gloriā in altera uita habituros esse. Matth. 5. Merces uestra copiosa est in cœlis. Vt discernatur regnum Christi à regno mundano: & planum fiat, credentes habere bona spiritualia, quæ nullis persecutionibus eripi queant. Matth. 22. Calicem meum bibetis, & baptismate quo ego baptisabimini: sedere autem ad dexteram meam, aut sinistram, non est meum dare uobis. Vt hac occasione Euangelium propagetur, et impij etiam illud audiant. Quoties Christus coactus est fugere, toties alibi sparsit uocem Euangelij, ac miraculis se patefecit. Matthæi 10. ait Christus, persecutionem etiā eò spectare, ut sit testimonium gentibus: hoc est, ut ea occasione audiant piorum confessiones, nec possint ignorantiam coram Deo prætendere.

Est autem differentia crucis Christi & Apostolorum, seu totius Ecclesiæ Christi. Ille enim sua passione peccata totius generis humani expiauit, Iohannis 6. Caro mea est mundi uita Iohannis 10. Animam meā pono pro ouibus meis. Iohannis primo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quò ego uado, nunc non potes uenire, sequēris autem postea. Piorum autem afflictiones non sunt expiationes neque suorum neq; aliorum peccatorū, & habent alios fines, de quibus modò dictū est.

Contraria huic doctrinæ sunt: Spontaneam sibi crucem imponere. Matthæi 9. Non uult Christus præter necessitatē ieiunio affligi discipulos: Nunquid possunt, inquit, filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. In cruce deficere, & relinquere confessionem uerbi. Matth. 13. Facta tribulatione & persecutione propter uerbū, continuò scandalisatur. Propter pecuniā Christum prodere, ut Iudas. Esse temerarium & confidentem, quasi tuis uiribus possis præstare constantiam, sicut Petrus.

Postremò Christū fugisse sæpe legitur. infans tum adhuc, gestatur in Aegyptū, fugiens Herodis immanitatem. Matth. 14. Iohanne capto discedit. idem facit crebrò aliàs, Iudæis contra se furētibus, & necem ante suū tempus machinantibus. Iubet etiam suos discipulos fugere, Matth. 10. Cum uos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliam. Item: Quicunq; non receperit uos, neque audierit sermones uestros, exeuntes fòràs è domo uel ex ciuitate illa, excutite puluerem de pedibus uestris. Quod autem ad Christū attinet, ideo fugit, quia nondum uenerat hora eius. Iohannis 7. Statuto autem tempore non reformidat aut uitat crucem, sed sponte obuiam procedit persecutoribus. Quòd uerò etiam Apostolis fugam præcipit, ideo facit, quia non in uno tantum loco, sed in pluribus debebant Euangelium prædicare. Aliàs Iohannis 10. discernit mercenarium periculistam, deserentem oues ob pericula: & bonum pastorem, etiam uitam profundentem pro ouiculis.

DE MIRACVLIS.

Miracula Euangelistæ uocant θαυμάσια, mirabilia. Matth. 21. Videntes principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit. Et σημεῖα, signa. Marci 16. Iohannis 20. & alibi sæpius. Iohannis 4. σημεῖα καὶ τέρατα coniunguntur. Nisi, inquit, signa & prodigia conspexeritis, nō creditis. Iohan. 9. uocantur opera Dei: Vt manifestentur, inquit, in eo opera Dei.

Abundare autem historiam Christi plurimis insignibus miraculis, ex Euangelistis apparet.

Definitio è rebus ipsis talis potest colligi: Miracula sunt, facta præter communem naturæ cursum, aut ordinem, testificantia de Messia & eius doctrina.

Duplicia miracula Euangelistæ meminerūt: ea nimirū, quæ à Christo eiusq; discipulis suo iussu fiebant: & falsorū doctorū falsa miracula, de quibus Christus inquit Matthæi 24. Marci tertio: Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

Causa efficiens miraculorū est Deus, nempe pater, filius, & spiritus sanctus. Iohan. 10. Facio opera in nomine patris. Iohan. 5. Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Item: Quæcunq; ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Item: Sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Matthæi 12. Ego in spiritu Dei eijcio dæmonia.

Catalogum miraculorum ipsa historia Christi suppeditat. Sanat autem plerunq; ægrotos, ac malè habentes, uerbo duntaxat: cosq; aliàs præsentes, aliàs absentes: interdum uerò, quando tantum eum attigerūt. Ad leprosum dicit, Mundus esto, & confestim mundata est lepra eius. Paralyticum Centurionis restituit absens sanitati, hac ratione, quòd ad Centurionem inquit: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: & sanatus est puer illa hora. Socrum Petri febricitātem, tangendo manum cu-

rat. Imperat uentis & mari, ac mox mitescunt. dæmones expellit uoce. Item Matth. 8. paralyticum his uerbis sanat: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Hæmorrhoissa tangens saltem fimbriam uestimenti Christi, euadit sana. Cæcis uisum tribuit, tangens ipsorum oculos, ac dicēs: Secundum fidem uestram fiat uobis. Matth. 9. aridam habentem manum iuuat, inquiens: Extende manum tuam. quæ extensa, restituta est sanitati, sicut altera. Matth. 12. quinq; millia hominū pascit quinq; panibus, & duobus piscibus. Graditur in mari IESVS, & Petrum mare sustentat, in eo incedentem. In Genesareth & alij, uel fimbriam tantum uestimenti Christi attingentes, sanantur. Matth. 14. Canaanæ filiam absens à dæmonio liberat, hæc uerba proferens: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis: et sanata est filia eius in hac ipsa hora. Quatuor millia hominum Christus septem panibus, et quibusdam pisciculis pascit: Matthæi 15. Increpando dæmonium ejcit. iubet piscari Petrum, & prædicit eum in ore capti piscis staterem inuenturum. Matth. 17. Tangit oculos duorum cæcorum, & mox uident. Matth. 20. Ficui maledicit, & ilico aresci t. Matth. 21. Surdum et mutum curat, ducens eum seorsim, imponens digitos in aures, & expuens tangit linguam, dicens, Hephathah: & statim audit et loquitur: Marci 7. Verbo ac iussu Christi, Petrus ingentem piscium multitudinem capit. Lucæ 5. Incuruā imponēdo manus erigit: Lucæ 13. Malcho hostium seruo amputatam auriculam tangendo restituit: Lucæ 22. Aquam mutat in uinum arcana ui, tantum dicens, Implete hydrias aqua: & adijciens, Haurite nunc, et ferte architriclino: Ioh. 2. Reguli absens filium à febri liberat, his uerbis: Vade, filius tuus uiuit. Ioh. 4. Infirmus ad probaticam piscinam restituitur sanitati in momento, quòd ad eum dicit IESVS, Surge tolle grabatum tuum, & ambula: Ioh. 5. Cæco ita uisum donat: expuit in terram, & facit lutum è sputo, & illeuit illud super oculos eius, dicens: Vade & laua in natatoria Siloha. quod ubi feciss et, uisum accepit: Ioh. 9. Iussu Christi capiuntur pisces, Iohan. 21. Defunctam principis filiam resuscitat hisce uerbis, Puella surge: & confestim surgit, Matthæi 9. In porta Naim filium uiduæ restituit uitæ, sic dicens: Adolescens, tibi dico surge, mox adolescens in loculo resedit. Lucæ 7. Lazarum è morte resuscitans, inquit, Lazare ueni foras: & statim prodijt qui fuerat mortuus, Ioh. 11. Fecit & alia plura signa IESVS, quæ non sunt ab Euangelistis omnia descripta, Iohannis 20.

Accidunt & alia miranda facta. Verbum fit caro, Iohannis 1. Lucæ 1. Matthæi 2. Elisabetha sterilis in extrema senecta, iuxta uerbum Domini parit Iohannem, Lucæ 1. Zacharias fit mutus, & Iohanne nato rursus ab hac plaga liberatur: Lucæ 1. In passione Christi sol eclipsin patitur absq; naturalibus causis, uelum templi scinditur per medium, terra tremiscit, petræ rumpuntur, monumenta aperiuntur: prodeunt multa sanctorum corpora, & apparent multis. Deniq; & Christus ipse mortuus reuera in cruce, tertia pòst die resurgit uiuus, sese q; discipulis conspiciendum præbet per dies quadraginta, & tandem absq; scala ipsis spectantibus ascendit ad cœlos. Actor. 1.

Finis miraculorum diligenter sunt obseruandi. Primus est, ut de Messia euidenter testimonia ferant, ac luculenter probēt, hunc IESVM esse Messiam. Matthæi 8. Obtulerūt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus uerbo, & omnes malè habentes curauit, ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portauit. Non igitur temerè facta sunt miracula, sed prædicta fuerunt à prophetis, quòd Messias talibus mirandis factis sese esset declaraturus. Matthæi 9. turbæ conspectis miraculis Christi, dicunt: Nunquam apparuit sic in Israel. Ioannis 9. A seculo non est auditum, quòd quis aperuerit oculos cæci nati. Matth. 11. discipulis Iohannis quærentibus, Tu ne es qui uenturus est, an alium expectamus? respondet IESVS: Ite renūciate Iohanni, quæ auditis et uidetis: cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelisantur. Hæc igitur opera ostendit manifestè testari, qui sit uerus Messias. Matthæi 12. Si in spiritu Dei ejcio dæmonia, igitur peruenit in uos regnum Dei Matth. 21. ingressus templum iuxta Zachariæ uaticinium, postea et cæcos claudosq; sanat, acclamantibus pueris, Hosanna filio Dauid. Iohannis 2. Postquam ex aqua uerbo suo uinum creasset, hunc epilogum Euangelista attexit: Manifestauit gloriā suam, & crediderunt in eum discipuli: hoc est, Declarauit se esse uerum Messiam. Ioannis 4. Venite & uidete hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: nunquid ipse est Christus? Iohannis 6. Homines cum uidissent quod fecerat IESVS signum, dicebant: Hic est uerè ille propheta, qui uenturus est in mundum. Iohannis 10. Opera quæ ego facio in nomine patris, testimonium perhibent de me. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Iohannis 11. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Iohannis decimoquarto: Propter opera ipsa credite. Ioh. decimoquinto: Si opera non feciss em, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Secundus finis est, ut simul probent, Christum diuina potentia præditum ac uerum Deum esse. Iohannis 3. Scimus quòd à Deo ueneris magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Iohannis 9. Neque hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Et postea ad eum cui uisum donarat, inquit: Credis in filium Dei? Hisce uerbis quis sit miraculi usus ostendit, nempe ut cognoscat, se esse uerè Dei filium. Iohannis 10. Vos dicitis me blasphemare, quòd dixi, Filius Dei sum. Si nō facio opera patris mei, nolite credere. Si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis quia pater in me est, & ego in patre. Iohannis 1. ait Nathanael: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel. respondit IESVS: Quia dixi, uidi te sub ficu, credis, maiora his uidebis. Matth. 27. Marci 15. Centurio, & qui cum eo erant custodientes IESVM, uiso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt ualde, dicētes: Verè filius Dei erat iste. Huc pertinet, quòd ipse potestatem ac facultatem præstandi miracula impertiat: Matth. 10. Tertius finis miraculorum est, ut testificentur de officio Messiæ. Ideo enim ejcit diabolum, ut ostendat se eum uicturum: sanat malè habentes, ac mortuos resuscitat, ut doceat se restaturarum ac uiuificaturum esse homines. Quartus, ut con-

ut confirment doctrinam Christi, ac de efficacia uerbi ipsius testentur. Obseruat enim Christus eum ordinem, ut ex eius historia manifestum est, ut prius doctrinam de regno Dei tradat: quo facto, adijcit & miracula tanquam doctrinæ testimonia. Marci 16. Illi profecti prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Iohan. 14. Propter opera ipsa credite. Omnes deniq; istos fines Iohannes comprehendit cap. 20. Multa, inquit, & alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia IESVS est Christus, filius Dei: & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius. Prædicit Christus signa in sole & luna futura, & fore testes de aduentu suo & fine mundi: uerùm hæc prodigia huc non uidentur pertinere.

Contraria sunt, calumniari ista miracula Christi. Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 11. Pharisæi dicebant: Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Non esse contentum his signis Christi, sed alia de cœlo flagitare. Matthæi 16. Marci 8. Pharisæi & Sadducæi tentantes, rogauerunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis. Falsa signa & prodigia. Matthæi 24. In miraculis nomine Christi præstitis, spem salutis ponere. Matthæi 7. Multi dicent mihi in illa die, Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? et tunc confitebor illis, quia nunquã noui uos. Lucæ 10. Nolite in hoc gaudere, quòd spiritus uobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Incredulitas: Matthæi 13. Non fecit in patria sua multas uirtutes, propter incredulitatem illorum.

Differunt falsa miracula à ueris, in præcipuis causis. Vt efficiente. Hæc enim à Deo, et pijs organis: illa uerò à diabolo, & falsis prophetis fiunt. Formali: Hæc fiunt potentia Dei, & sunt inimitabilia Diabolo: illa uerò sunt illusiones. Finali: Hæc fiunt ad manifestandum Christum, & confirmandam doctrinã eius: illa, ut homines in errores abducantur.

DE ANTICHRISTO.

HActenus locos quosdam recensuimus, pertinentes ad doctrinã de Ecclesia. nunc adhuc aliquot uisum est adijcere, quæ ratione contrariorum, ad Ecclesiam quoq; pertinent: ut de Antichristo, de Traditionibus humanis, de Scandalis.

Etsi autem appellatio Antichristi in Euangelistis nõ extet, tamen rem ipsam exprimunt, imò appellationes similes habent. ut falsi prophetæ, Matthæi 7. Pseudochristi, pseudoprophetæ, Matth. 24. Fures, latrones, Iohannis 10. Est autem Antichristus, regnum falsorum doctorum, Christi doctrinam obscurantiũ & persequentium, & mundanum regnum arripientium, sicut ex notis Antichristi perspicuum fiet.

Quòd Antichristus, hoc est eiusmodi regnum falsæ Ecclesiæ esset exoriturum, Christus diserte prædicit Matthæi 24. Marci 13. Cum uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (Marcus, ubi non debet) qui legit intelligat. Ipse igitur Daniel quoq; uaticinatus est, Antichristum grassaturum esse in Ecclesia: & Christus prophetiam exponit, & accommodat ad tempora se secutura. Præterea Matthæus & Marcus concionẽ Christi de excidio Hierosolymorum, & de fine mundi, non separatim, sed coniunctim & mixtim singulari consilio recensent, proculdubio Christi rationem sequentes: ut nõ obscurè indicetur, eadem signa cladem Iudaicam & mundi exitum portendere. Non igitur tantum de idolo Caij, abominatio illa desolans accipienda est: uerumetiam de regno pestifero, post Christum in Ecclesia horribiliter dominaturo. Latius autem & expressius ista paulo pòst à Christo exponuntur. Dicent, inquit, Ecce hic Christus, aut illic. Item, Ecce in deserto, ecce in penetralibus. Item: Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Et præcedit hæc uox Christi: Multi uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent. In medio igitur harum sententiarum, prophetia de abominatione desolante collocata, lucẽ inde accipit. Multos præterea eius abominationis ministros esse significat. Pertinet etiam huc præmonitio Christi Matthæi 7. de falsis prophetis, & Iohannis 10. de furibus & latronibus ouile Christi uastantibus. Sunt enim ministri status Antichristi.

In loco sancto, inquit Matthæus: ubi non debet, inquit Marcus, stabit. Itaq; in Ecclesia Christi prædicitur tale quoddam portentum futurum esse.

¶ Notæ huic abominationi seu Antichristo tribuuntur. Primùm, falsa doctrina, & quidem tali forma, ut affirmet se esse Christum: monstret diuersa loca, Ecce hic, ecce illic: imò & tali ratione, ut doceat, Ecce in deserto est Christus, ecce in penetralibus aut cameris aut cellulis est. hoc est, quòd articulum de Iustificatione sit corrupturus, quòd uarijs operibus humano arbitrio inuentis iusticiam coram Deo adscripturus, eaq; omnia sub eo prætextu, quòd Christus quæratur, & salus, si quis in deserto solus degat, & ibi sanctè uiuat: aut abdat se in cameras, ibiq; duris exercitijs sanctimoniam præstet. Iohannis 10. Ante me, inquit Christus, uenerunt: hoc est, non me monstrarunt propitiatorem & mediatorem. Item ait, alienos uocem, quam non cognoscunt oues, afferre solere.

Secundò, idololatria: Matthæi 4. Si procidens adoraueris me, hæc omnia tibi dabo. Non dubium est, quin hic Antichristi status ad uiuum depingatur, quòd in eo sit idololatria, seu adoratio et cultus creaturarum quarundam futura: quæ quidem nihil aliud est quàm adoratio humilis & deuota ipsissimi diaboli, contra hoc diuinum præceptum, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruies: Matthæi 4. Deut. 6.

Tertiò, transformatio regni Christi spiritualis in corporale. Matthæi 4. Lucæ 4. Diabolus ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum (Lucas potestatem dicit) & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Hisce uerbis Antichristi status describitur, quod regnum Christi Diabolus sit mutaturus in regnũ mundi & gloriam mundanam, & suis cultoribus ea omnia largiturus. Nec temerè scriptum est, quòd diabolus tum dixerit, Mihi tradita sunt, & cui uolo do illa: Lucæ quarto. Subindicatur enim, permissione Dei hæc ita geri. Non etiam frustra fit, quòd Christus

toties Apostolis inculcat: Reges gentium dominantur eis, uos autem non sic. ut suprà de regno Christi est commemoratum.

Quartò, signa & prodigia falsa, quæ tamen magna coram hominibus apparent. Matthæi 24. Dabunt, inquit, signa magna & prodigia. Docet igitur, Antichristi regnum multis signis falsis suas res confirmaturum, & homines fascinaturum esse.

Quintò, persecutio. Marci 13. Tradent uos in concilia, & in synagogis uapulabitis, & ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. item, Eritis odio omnibus propter nomen meum. Iohan. 10. Fur non uenit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Nec abs re uocatur abominatio desolans. Est enim impia doctrina, idololatria, regni Christi immutatio, & persecutio piorum, abominatio horrenda coram Deo. Desolans autem est, quòd spiritualiter corpora et animas perdit, ac simul temporaliter pios iugulat, sibiq; ipsi deniq; exitium accersit.

Quòd multos sit seducturus, uerbis Christi clarè indicatur Matth. 24. Marci 13. Multos, inquit, seducent. Additur etiam, quo modo? nempe quòd in nomine Christi uenient, & dicent: Ego sum Christus. Item: Ecce hic Christus, ecce illic. Hæc omnia speciosissimam faciem repræsentant, nempe iactationem uocationis ordinariæ, ueræ doctrinæ, &c. Item: Dabunt signa & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Matth. 7. Venient ad uos in uestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces.

Esse autem eam abominationem, regnum Antichristi, & deceptiones multiplices fugiendas, seuerè & clarè præcepit Christus Matthæi 24. Marci 13. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Item, Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Item: Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet usq; ad occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunq; autem fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ. Lucæ 17. Dicent uobis, Ecce hic, & ecce illic: nolite ire, neque sectemini. Iohannis 10. Alienum non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

DE TRADITIONIBVS HVMAnis, & rebus adiaphoris.

TRaditiones humanæ sunt, ritus non uetiti, nec mandati uerbo Dei expresso, ab hominibus instituti propter bonũ finem, non repugnantem uerbo Dei. Duplices autem describuntur. primùm, palàm impiæ: & sua natura adiaphoræ, id est mediæ, ut liceat eas seruare, siue non.

De impijs traditionibus humanis clarè pronunciatur, quòd uiolari debeant. ut traditio erat, non esse homines ægrotos in sabbatho sanandos, non uellendas spicas. & Christum Iudæi uelut sabbathi uiolatorem accusant, eo quòd auxilium quibusdam ægrotis præstabat. Sed refutat eos Christus, & asserit se rectè facere. Matthæi 12. Significat etiam Christus, Matth. 24. pseudochristos docturos esse: Ecce Christus est in deserto, in cameris: hoc est, uita monastica & exercitijs peculiaribus, Christum seu iusticiam ac remissionem peccatorum nos consequi. Verùm præmonet diligenter, ne credamus, ne sectemur eiusmodi traditiones.

De ijs quæ sua natura adiaphoræ, hoc est nec prohibitæ, nec mandatæ sunt certo uerbo Dei, docet Christus liberè ijs utendum esse, Lucæ decimo: Edite & bibite quæ apud illos sunt. Iohannis discipuli frequenter ieiunabant, Christi uerò non item. Quòd non sint alligandæ conscientiæ, Matth. 15. Illotis manibus manducare non coinquinat hominem. Tradit et hanc regulam Christus, nõ esse traditiones humanas æqualiter habendas, aut præferendas mandatis Dei: Matth. 15. Quare, inquit, uos transgredimini mandatum Dei propter traditionem uestram? Item: Irritum feciſtis mandatũ Dei propter traditionem uestram. Docet etiam, non esse ex ijs cultus faciendos. Matthæi 15. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem longè est à me. Frustra autem colũt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Lucæ 17. Non ueniet regnum Dei cum obseruatione. Matth. 17. Petrus illustrem Christi transfigurationem cernens, suggerit mox de tribus ibi tabernaculis erigendis: uerùm iubetur diuinitùs hunc filium Dei agnoscere & audire. Qua re significatum est, Deum alium cultum requirere: nempe non illum quem homines somniant, sed fidem in Christum. Matthæi 23. Alligant, inquit Christus, onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Præmonuerat autem, ne secundum opera ipsorum facerent.

DE SCANDALIS.

SCandalum significat offensionem à σκάζω, claudico. Matth. 13. etiam pro autoribus scandalorum, seu impijs ponitur: Colligent omnia scandala. Quòd autem scandala facta sint tempore Christi, eius historia testatur: ac prædicit Christus, ea nunquam defutura esse. Matt. 9. Lucæ 12. Nolite putare quòd uenerim pacem mittere in terram, sed gladium: Lucas separationem habet. Veni enim hominem separare aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, et nurum aduersus socrum suam. Matthæi 18. Necesse est ut ueniant scandala. Intellige necessitatem consequentiæ, quia Diabolus & mundus non quiescunt. Ideo Luc. 17. dicitur: Impossibile est ut non ueniant scandala. Matt. 24. Tunc scandalisabuntur multi. Simeon quoque eadem de re commonefacit, Lucæ 2. Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur.

Est autem scandalum, ut ex testimonijs planum fiet, doctrina seu factum, quod alium offendit, ac deteriorem facit.

Duplex esse scandalum, ex historia liquet. Aliud enim est, quo impij, ut pharisæi & cæteri increduli, offenduntur: quod Pharisaicum, ideo quòd Pharisæis erat peculiare, seu acceptum, uocari potest. Aliud, quo boni ac pij offenduntur: quod datum appellari potest. Non autem uocabulis, sed rebus ipsis in Euangelistis distinguuntur. Pharisaicum igitur esse, offensionem incredulorum ad sanam doctrinam, & facta necessaria ac pia, qua mouentur ut non apprehendant ueritatem, nec probent facta, sed abhorreant, damnent, crimimentur, ex historijs cerni potest. Iohannis quinto, Iudæi

Iudæi ſcandaliſantur, quòd Chriſtus doceret ſe eſſe æqualem Deo. Iohan. 6. offenduntur, quòd Chriſtus aſſeuerat ſe eſſe panem qui de cœlo deſcendit. Item, quòd dicit, Videbitis filium hominis aſcendentem ubi erat prius. Additur ergo, Ex hoc multi diſcipulorum abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Cauſa huius offenſionis eſt uera, doctrina de Chriſto, quòd ſit filius Dei. item, quòd uerus etiam homo, & quòd carnem pro mundi uita daturus: & quòd omnes carne & ſanguine eius potiri neceſſe ſit, qui uelint uitam æternam conſequi. Iam perſonæ iſtius aſpectus non uidebatur tam eximius, & pugnabat hæc doctrina cum uſitata forma. Quapropter impingunt, ac ita fiunt deteriores, ut habeant Chriſtum pro ſeductore, ab eoq; deficiant. Iohannis 7. Chriſtus declarat ſe, quòd ſit Meſsias: uerùm multi ſcandaliſantur in eo, quòd dicunt ſe noſſe eum unde ſit: id eſt, ex familia obſcura ortum. Item dicunt, Num quid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Iohannis 8. offenduntur Iudæi, quòd diceret ſe ex Deo proceſsiſſe: doceret, Iudæos non eſſe filios Abrahæ ueros, ſed Diaboli. Hac doctrina tantopere offenduntur, ut criminentur ac blaſphement eum eſſe Samaritanum, & habere diabolum. Item, cum diceret, Abraham diem ſuum uidiſſe, et lætatum eſſe: offenduntur, quia doctrinam de Meſsiæ ſubſtantia ignorabant: ut obijcerẽt, Quinquaginta annos nondum natus es, & Abraham uidiſti? Chriſto autem in aſſeueratione ſua perſiſtente, & addente: Amen amen dico uobis, antequam Abraham foret, ego ſum: lapides tollunt, ut in eum proijcerent, ueluti in hominem blaſphemum. Matth. 9. Chriſto abſolutionem impartiente paralytico his uerbis, Remittuntur tibi peccata tua, offenduntur ſcribæ, & uocant blaſphemiã: & cogitant, neminem poſſe dimittere peccata præter ſolum Deum. Matth. 9. 11. Lucæ 15. offenduntur Iudæi, quòd Chriſtus cum publicanis & peccatoribus rem habet, cibum cum eis capit, eſt ipſorum amicus. Verùm Chriſtus defendit ſe, ſuum officium ad quod miſſus erat allegans. Item ſcandaliſantur Iudæi, propter exempla libertatis in traditionibus humanis. Matthæi 21. ſcandaliſantur Iudæi, quòd Chriſtus templum purgat: quòd tamen teſtantur eſſe ſuam domum, taliq; purgatione plurimum indigere. Marci 6. ſcandaliſantur in perſona Chriſti: Non ne, inquiunt, hic eſt faber, filius Mariæ?

Non tantum autem increduli ac hypocritæ peruerſi ac pertinaces ſcandaliſantur hoc pacto, ſed & ij qui cœperunt eſſe pij ac credentes. Matth. 13. facta tribulatione & perſecutione propter uerbum, continuò ſcandaliſantur. Matth. 24. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. & ſtatim additur: Et tunc ſcandaliſabuntur multi, & inuicem tradent. Matth. 26. Omnes uos ſcandalum patiemini propter me. Non eſſe autem hoc ſcandalum curandum, ſed pergendum in doctrinæ ſynceræ confeſsione, & neceſſarijs factis, licet crepent Phariſæi, & quædam alia incommoda ſequantur, Chriſtus ſuo exemplo docet. Acriter enim refutat phariſæos, et in cœpta doctrina ac factis ſtrenuè pergit. Matthæi 10. inquit: Qui perſeuerauerit uſq; in finem, is ſaluus erit. Item: Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Item: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Matth. 22. Date Deo, quæ ſunt Dei. Amanter etiam præmonet Chriſtus, ne quis eo modo ſcandaliſetur, Matthæi undecimo: Pauperes euangeliſantur: Et beatus qui non fuerit in me ſcandaliſatus. Iohannis decimo ſexto: Hæc uobis dico, ne ſcandaliſemini.

Scandalum datum eſt, quando impia doctrina, aut facto impio, ſeu non neceſſario, alij offenduntur, & ad defectionem ſeu peccata irritantur. ut Matth. 16. Quando Petrus Chriſtũ de atroci ſua paſsione ſeorſim abducit, et dicit: Abſit à te Domine, nõ erit tibi hoc: IESVS mox reſpõdet ei, Abi poſt me ſatana, ſcandalũ es mihi: nõ ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominũ. Matth. 17. Chriſtus ait, ſe didrachma cum Petro ſoluturũ, ne quẽpiam ſcandaliſet. Tale etiam eſt Matth. 18. Marci 9. Lucæ 17. Qui ſcandaliſauerit, inquit Chriſtus, unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Eſſe igitur hæc ſcandala ſummo ſtudio uitanda, ex hac ipſa ſententia manifeſtum eſt. ac ſequitur ibidem: Væ, inquit, mundo à ſcandalis. neceſſe eſt enim ut ueniant ſcandala: ueruntamen uæ homini, per quem ſcandalum uenit. Si autem manus tua uel pes ſcandaliſat te, abſcinde eum, et proijce abs te: bonum eſt tibi ad uitam ingredi debilem uel claudũ, quàm duas manus, uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Bonum eſt tibi, cum uno oculo in uitam intrare, quàm duos habentem mitti in gehennã ignis. Eadem ferè Matthæi quinto etiam habentur. Matthæi 13. Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.

DE CONIVGIO.

NVnc, aſpirãte Deo, ad alios locos progredimur: ac primùm quidem de matrimonio dicemus, quia uelut ſeminarium eſt omnium ſtatuum, & proximè ad Eccleſiam accedit.

Eſt autem coniugium ordinatio Dei, qua unus mas, & una fœmina, legitimè & indiſſolubiliter copulantur, propter generis humani propagationem, & uitandas uagas libidines. Hæc definitio ex concionibus Chriſti conſtat.

Deum eſſe primũ autorem coniugij, manifeſtè Chriſtus docet Matth. 19. Marci 10. Ab initio creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus. Debet autem de creatione & copulatione intelligi. et pulchrũ eſt, quòd ipſam creationem allegat Geneſis 1 & 2. Adhuc autem Deum coniungere homines in matrimonio, his uerbis ibidem teſtatur: Quos Deus, inquit, coniunxit, homo non ſeparet. Matth. 15. recenſet Chriſtus quartum Decalogi præceptum, Honora patrem tuum & matrem tuam: & Matthæi quinto, ſextum: Non mœchaberis. Itaq; docet coniugium eſſe ordinationem Dei.

Eſt igitur coniugium uitæ genus pium, Deoq; in primis charũ. Ad quam partem & hæc referenda ſunt, quòd Chriſtus & Maria, cæteriq; diſcipuli nuptijs interſunt. Honorantur nuptiæ, hoc eſt coniugium, egregio dono Chriſti: imò etiam initio miraculorum, quæ in ſua ampliſsima functione exhibuit Chriſtus, Iohannis 2. Comparat regnum cœlorum nuptiali ac regali

conuiuio, Matthæi 22. Amplexatur pueros, et iubet eos ad se uenire, Matth. 18. 19. Mar. 10. Luc. 18. Vtitur comparatione de mulieris partu, Iohannis 16. Denique ipse Christus uoluit in coniugio nasci. nam Maria erat desponsata Iosepho, & uocatur eius coniunx, Matthæi 1. Materialis sunt, mas & fœmina. Ibidem.

Porrò coniugium esse copulationem unius maris & fœminæ, ibidem Christus docet. nam indicat, sic esse homines à Deo conditos, ut sint masculus & fœmina: hoc est, simul uiuant. Et singulariter de utroque loquitur Christus, Adhærebit uxori suæ. item: Qui dimiserit uxorem. Præterea diserte duorum facit mentionem Genesis 1. Erunt, inquit, duo in carnem unam. Non igitur uult, unum masculum plures habere uxores, nec fœminam plures habere maritos. Arctissima etiã coniunctio, & quasi unitio omnium summa, his uerbis indicatur: Erunt duo in carne una. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Item: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Docet esse indissolubilem coniunctionẽ, usq; ad mortem: Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Externos ritus usitatos & honestos in contrahendis matrimonijs, non improbat Christus. Nam Iohannis 2. commemoratur, quòd ipsemet unà cum Maria matre, & discipulis, conuiuio nuptiali interfuerit: quod proculdubio præcessit quædam inuitatio, quædam ceremoniæ copulationis sponsi ac sponsæ, postea & conuiuium subsecutum est. Id quod etiam ex parabola Matthæi 22. apparet, ubi regnum cœlorum comparatur nuptijs, in quibus per seruos, homines prius inuitantur: nec accedit quisquã nisi uocatus. Donaria autem quædam nouis coniugibus fuisse usitatum dare, ex dono Christi licet colligere. Deficiẽte enim uino, sex hydrias uino optimo plenas donat Christus, idq; miraculosè, immutata aqua in uinum. Porrò parabola Matth. 22. testatur, homines uestibus etiam mundioribus in conuiuijs nuptialibus usos esse.

Vult autem sanctè hoc coniugium celebrari, ne adulteria committantur. Matth. 5. Non mœchaberis. ac permittit separationem in adulterij casu. Dilectionẽ etiam, omniaq; humanitatis officia cõtinet hoc dictum: Erunt duo in carne una.

Fines coniugij simul subindicantur: nempe parêre ordinationi Dei, qui fecit & coniunxit masculum & fœminam. Esse in carne una, hoc est, officia dilectionis mutua exhibere. Item liberos procreare. Non frustra enim dicitur, Honora patrem & matrem: Matthæi 15. Vult igitur Deus, ut pater & mater liberos educent. Vitare fornicationem, quam adeò execratur Deus, ut solutionem coniugij esse pronunciet. Vult igitur, quemq; sua coniuge esse contentum. Matthæi 19. Marci 10.

Contraria legitimo coniugio recitantur, adulteria & flammæ libidinis seu concupiscentiæ, Matthæi 5. Audistis quòd dictum sit antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico uobis, quòd omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Matthæi 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Dimissio uxoris ex qualibet causa. Non adhærere uxori, Matthæi decimonono. Adulteram legitimè dimissam ducere, Matthæi quinto: Qui dimissam duxerit, adulterat. Propter coniugium non uenire ad cœnam magnam: hoc est, uerbum Dei segniter curare, relinquere, immergi curis huius uitæ, confessionem fugere, metu ne uxor & liberi sint deserendi. Lucæ 14. Vxorẽ duxi, & ideo uenire non possum. Item: Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem animam suam, non potest esse meus discipulus.

Pertinet ad hanc doctrinam de coniugio, officium parentum erga liberos, & uicissim. Parentes debere liberos in pietate instituere, & ad publicum Ecclesiæ congressum deducere, exemplum Ioseph & Mariæ docent. Lucæ secundo: Qui & ipsi quotannis proficiscebantur Hierosolymam ad festum Paschatis, iuxta institutionem Dei. & unà IESVM puerulum adducebant, postquam ad firmiorem aliquanto ætatem uenisset. Matthæi decimonono, Marci decimo. Lucæ decimo octauo: Pueri deferuntur ad Christum, qui ipsos suauiter amplexatur, & benedicit eis: id quod parentes eorum fecisse, credibile est. Liberos debere parentibus honorem & obedientiam, etiam IESV exemplum docet. Deinde monet de quarto præcepto, Honora patrem & matrem: Matthæi decimo quinto. Improbat superstitionem, quòd plus sumptuum confertur in templum, quàm in parentes alendos. Vos, inquit, dicitis: Quicunq; dixerit patri seu matri, Munus quodcunque ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suũ, aut matrem suam. propter ueram tamen doctrinam Christi sectandam & confitendam, iubet Christus relinquere patrem & matrem: Lucæ 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, et matrem suam, &c. non potest esse meus discipulus. Liberantur igitur obedientia erga parentes liberi, quoties Christus uerè est sequendus, nec habent parentes potestatem cogendi liberos ad impietatem.

DE DIVORTIIS.

QVæstio de diuortijs Matthæi 5. 19. Mar. 10. tractatur. Proponunt enim Pharisæi quæstionem, an liceat homini dimittere uxorem suam qualibet ex causa? Verùm Christus diserte respondet, quòd non. Quod Deus (inquit) coniunxit, homo non separet. ac rationes grauissimas exponit. Prima, quòd Deus ab initio fecerit masculum et fœminam: hoc est, coniugium esse ordinationem diuinam. Secunda, quia dictum sit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Tertia, quia sit arctissima copulatio. Erunt, inquit, duo in carne una. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. hinc intelligitur, quòd Diuortium sit quasi fissio unius carnis. Quarta, quia Deus non tantum initiò condidit masculum & fœminam, sed adhuc coniungit: ideo fas non est disrumpere, quod Deus iunxit. Quinta, Iudæorũ separationem fuisse peculiarem permissionem, quam nunc rursus abroget. Dicentibus enim pharisæis, Cur igitur Moses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Respondet IESVS: Moses propter duriciem cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras, ab initio autem non fuit sic. Posthæc reuocat priorem legem Christus, & sancit regulam de diuortijs. Dico, inquit, uobis: Quicunq;

cunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Certum igitur casum perspicuè exprimit, nempe fornicationem. Marcus casum non exprimit, adijcit autem de uxore: Si uxor, inquit dimiserit uirum suum, & alij nupserit, mœchatur. Matthæus cap. 5. etiam huius casus tantummodo meminit: Dico, inquit Christus, quicunq; dimiserit uxorem, det ei libellum repudij. Ego autem dico uobis: Quòd omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam ducit, adulterat. Apertè hic de parte nocente docet Christus, quòd ea pœnam sustinere debeat: innocenti autem nequaquam similes pœnas irrogat, sed libertatem rursus contrahendi matrimonium, eo ipso quòd ad nocentem uerba sua dirigit, permittit.

DE CASTITATE.

TRiplices recitat Christus Matthæi decimonono, qui ad castitatem sint idonei. Primùm eunuchos, qui de utero matris sic nati sunt. Secundò, eunuchos castratos ab hominibus. Tertiò, eunuchos qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum: hoc est, qui habent peculiare donum, ut uerè casti possint uiuere, ac regno Dei seruire. Occasio huius concionis est, quòd discipuli audientes Christum affirmare, non licitum esse repudiare coniugem, nisi ob manifestum adulterium commissum, mox subijciunt: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere. Ibi Christus docet, qui sint ad castitatem apti. Et præmittit hanc generalem sententiam: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Deinq; de castis doctrinam rursus sic concludit: Qui potest capere, capiat. Docet igitur, castitatem ueram esse raram uirtutem, ac peculiare Dei donum. Non igitur regulam uniuersalem hic sancit Christus, quòd illi omnes debeant abstinere à coniugio. Præterea munit prius, & approbat uiam coniugalem.

DE MAGISTRATIBVS.

CHristum suo Euangelio non abolere Magistratum politicum, sed eum relinquere, confirmare & honorare, conciones eius testantur Matth. 22. Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Matth. 20. Principes gentium dominantur. Iohannes baptista nõ abolet status ad politicam gubernationem necessarios. Lucæ 3. publicanis & militibus concionatur, ut contenti sint constitutionibus iustis, ac stipendijs suis: nec præcipit, ut eas uocationes deserant.

Comprobat etiam ea quæ ad Magistratus officium pertinent. Iudicia & pœnas sancit, Matth. 5. Qui occiderit, reus erit iudicio. Matth. 26. Similiter homicidas gladio rursus esse puniendos dicit: Omnes, inquit, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Iohan. 7. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Matth. 17. Capernai exigitur à Christo didrachma, & ipse staterem soluit pro se et Petro, idq; miraculo quodam. Iubet enim Petrũ capere piscem, ac prædicit eum in primo pisce, quem capturus esset, inuenturum staterem, magistratui pendendum. Additur etiam causa: Ne, inquit, scandalisemus eos. Probantur igitur pensiones Magistratibus debitæ. Idem docet Matth. 22. interrogatus, An iustum sit Cæsari dare censum, nec ne? Vbi expeditè dat responsum: Date, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Simulq; debitum honorem & obedientiam præcipit. Ioseph & Maria edicto Cæsaris Augusti parent, ac nomen suum in Bethlehem profitentur.

Licere homini Christiano, etiam ethnico aut impio magistratui, in rebus externis, et non pugnantibus cum uerbo Dei, parêre, itidem Christus & exempla docent. inquit enim: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: hoc est, suam debitam obedientiã & pensiones: quia imperium tum in Iudæos tenebat, licet esset prorsus à Iudaica religione alienus. Staterem soluit Capernaitis Dominus, quorum plerique non crediderunt in Christum. Ioseph & Maria paruerunt Augusto, & suis præfectis prorsus impijs. Baptista cum Herode Antipa uersatur.

Præterea docet Christus, Magistratibus politicis non esse infinitam potestatem: Date, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & Deo, quæ sunt Dei. Habet igitur suas metas, quæ iure suo possit exigere à subditis, nempe quæ sua sunt. At quæ Dei sunt, non debet sibi rapere. iuxta eam regulam, subditorum quoq; obedientia limitata intelligitur, nempe quòd nequaquam debeãt Cæsari aut Magistratui dare, quæ sunt Dei: nec parêre in illis quæ ad Deum pertinent, ut contra ea quid faciant: sed tribuere Magistratui, quæ sunt eorum, siue iure naturæ, siue consuetudine, siue iustis legibus.

Magistratuum officium est, discere uerbum Dei, excipere & adorare Christum. Sicut Herodes Matth. 2. simulabat tantum, se id facturum: uerùm postea gladio cruento Christum quærit. Sic Herodes Antipas, Baptistam aliquandiu in aula fouebat, audiebat docentem de Messia, eiusq; consilia sequebatur. Marci 6.

Contra officium magistratuum est, Christum in cunis persequi, & propter eum innumeros infantes iugulare: Matth. 2. Non uelle audire concionatores, de atrocissimis peccatis commonefacientes. Iudicare secundum faciem, Iohan. 7. Nolite iudicare secundum faciem. Impia iuramenta seruare, incestum committere, scortari, meretrici impia & illicita petenti citra moram præbere. Indulgere proprijs liberis in rebus iniustis. Indicta causa capitis supplicio afficere, optimos & serios concionatores occidere. Hæc omnia ex Iohannis baptistæ historia sunt perspicua: Matthæi 14. Marci 6. Lucæ 9. Impijs sacerdotibus ac turbæ in persecutione piorum doctorum gratificari & colludere, innocentes uirgis cædere, damnare ad crudelia supplicia contra conscientiam. Plus gratiæ Cæsaris, quàm iusticiæ rationem habere: nocentes impunè dimittere, innocentes interficere: concedere seruis licentiam immaniter in pios doctores sæuiendi, ridere regnum Christi, et ueritatem: quæ quidem omnia ex historia passionis Christi patent. Verùm uberiorem de hoc toto loco tractationem secundus Liber suppeditabit.

DE APPARITIONIBVS Defunctorum hominum.

NEminem à mortuis redire & concionari, narratio Christi de diuite & Lazaro testatur. Diues enim ait: Rogo te pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, ut testificetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus. At illi Abraham: Habent Mosen, inquit, & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si

quis

quis ex mortuis iret ad eos, resipiscent. Ait autem illi: Si Mosen et prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Matthæi 17. Moses & Elias apparent quidem in monte, uerùm nõ cum hominibus, sed cum Christo colloquentes: nec petunt sibi uel fana extrui, uel auxilium præstari. Christo in cruce extincto, prodeunt è sepulchris sancti: uerùm ea est resurrectio. Præterea non petunt ab hominibus uel honorem, uel auxilium, contenti morte atque expiatione Christi.

Porrò animas piè defunctorum beatas quidem esse in sinu Abrahæ, & in Paradiso, Lucæ decimosexto & uicesimotertio indicatur. Damnatas uerò in Tartaro in tormentis esse, parabola monet Lucæ 16. Plura de hac parte in historia Christi nõ sunt literis prodita.

DE FINE SECVLI, ET SIgnis præcedentibus.

FInem tandem aliquando seculi præsentis futurum esse, Christus perspicuè docet Matthæi 28. Ecce, inquit, ego sum uobiscum usq; ad consummationem seculi. Matth. 13. Sic erit in consummatione seculi. Matthæi 5. 24. Cœlum & terra transibunt. Et discipuli quærunt, Quod erit signum aduentus tui & consummationis seculi?

Quòd nemini certum tempus eius finis sit notum, Christus clarè indicat Matthæi 24. De die autem illa, inquit, & hora, nemo scit, neq; angeli cœlorum, nisi solus pater. Marcus 13. addit, Neq; filius. Actorum 1. cum interrogarent, qui ad Christum congregati erant, Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israel? dixit eis: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Matth. 24. Nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Marci 13. Nescitis quando tempus sit.

Signa quædam præcessura seculi consummationem et aduentum Domini ad iudicium, Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. à Christo prædicta, descripta sunt. non enim tantum ad excidium Hierosolymorum, sed etiam ad mundi huius finem respiciunt. Sunt autem, Primùm doctrinæ de Christo adulteratio per falsos doctores, & seductio. Multi, inquit, uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent. Secundum, bella, & rumores bellorum. Audituri, inquit, estis prælia, et rumores præliorum. Tertium, motus imperiorum & regnorum. Consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum. Quartum, pestes. Quintum, fames: Sextum, terræmotus per loca. Septimũ, persecutio doctorum Ecclesiæ. Tradent uos, inquit, in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Octauum, defectiones in Ecclesia, & persecutiones domesticæ. Et tunc, inquit, scandalisabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebũt inuicẽ. Et additur rursus quasi ratio quædam: Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducẽt multos. Item Marci 13. Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. Nonum, peccatorum multitudo, & charitatis præsertim extinctio, seu inhumanitas & crudelitas, rapacitas. Abũdabit (inquit) iniquitas, refrigescet charitas multorũ. Decimum, collectio Ecclesiæ per omnes gentes. Prædicabitur, inquit, Euangelium regni in uniuerso orbe. Vndecimum, abominatio desolans: de qua à Daniele prophetа est prædictum, Stans in loco sancto. Duodecimum, falsorum doctorum copia: Surgent, inquit, pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Nec temerè est, quòd toties hoc signum Christus inculcat: igitur nec nos pœniteat denuò legere. Ac prædicitur forma doctrinæ falsorum doctorum: Ecce hic Christus, ecce illic, ecce in deserto est, ecce in penetralibus. Lucæ 17. Veniet dies, quando desiderabitis uidere unum diem filij hominis, & non uidebitis. Decimumtertium, prodigia in cœlo: Sol, inquit, obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, et uirtutes cœlorum mouebuntur. Lucæ 21. Terrores de cœlo & signa magna erunt. Item, Et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ superuenient uniuerso orbi. Decimumquartum: Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ. Decimumquintum, Summa hominum securitas. Sicut, inquit, in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usq; ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec uenit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. Item Lucæ 17. Similiter sicut erat in diebus Loth, edebãt & bibebant, emebant et uendebant, plantabant & ædificabant. Qua autem die exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, et omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur. Lucæ 18. Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra?

DE RESVRRECTIONE mortuorum.

QVòd certò sit futura mortuorum resurrectio, Christus luculenter docet Ioh. 5. Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audient, uiuent. Item: Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius, & procedent. Iohannis 6. Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioh. 11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Matth. 22. Mar. 12. Lucæ 20. De resurrectione mortuorum non legistis, quòd dictum est à Deo, dicente uobis: Ego sum Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est autem Deus mortuorum, sed uiuentium: omnes enim ij uiuũt. Iohannis 12. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit, multum affert fructum. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animã suam in hoc mundo, in uitam æternam custodiet eam. Matth. 10. 11. inquit, iudicium fore de Sodomitis, Gomorritis, Capernaitis, & alijs. Lucæ 14. Retribuetur tibi in resurrectione iustorũ, Mat. 16. Reddet unicuiq; secundum opus suum. Loquitur autem de suo aduentu ultimo. Matth. 19. affirmat, discipulos suos in regeneratione iudicaturos duodecim tribus Israel. Matthæi 5. Merces uestra copiosa est in cœlis. Matt. 25. Congregabuntur omnes gentes. Iohannis 14. Ego uiuo, & uos uiuetis. & postea: Iterum ueniam, & recipiam uos ad me. Quapropter euidenter sequitur, oportere fieri

fieri resurrectionem. Imò cœpta est resurrectio, hoc Christi tempore, & toti Ecclesiæ exempla resurrectionis monstrata sunt. Non enim tantum Christus resuscitat puellam defunctam, Matthæi 9. filium uiduæ, Lucæ 7. Lazarum, qui dies penè quatuor in sepulchro mortuus iacuerat, Iohannis 11. sed ipso in cruce defuncto, statim monumenta aperiuntur, ac prodeunt inde multa sanctorum corpora, ac post resurrectionem Christi se patefaciunt plurimis Hierosolymæ. Christus ipse tertio die resurgit ex morte, insigni potentia. Et postea Christus et hi sancti resuscitati, integros 40. dies commorantur cum credentibus, ac cum ipsis colloquia dulcissima habent. Tam glorioſos dies nulla hominum ætas uidit, quàm hæc. Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. ait Christus: Neq; scripturas, neq; uirtutem Dei scitis.

Habemus igitur Mosen & Christum, hoc est uetus & nouum testamentum, qui articulum de resurrectione egregiè confirmant. Estq; dulcis uox, quòd Christus mortem appellet somnum. Matthæi nono: Puella non est mortua, sed dormit. Iohannis undecimo: Lazarus amicus noster dormit. In hac etiam uoce inclusa est resurrectio.

Quando sit futura resurrectio, indicat Christus Iohannis 6. Resuscitabo eum in nouissimo die. & Iohannis 11. Martha, haud dubiè in schola Christi edocta, ait: Scio quòd resurget in resurrectione, in nouissimo die. Si igitur resurrectionis dies erit nouissimus, utiq; & regna corporalia tunc omnia cessabunt.

Resuscitabit autem mortuos ipse Christus, sicut inquit Iohannis sexto: Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Iohannis quinto: Sicut pater suscitat mortuos, & uiuificat, ita & filius quos uult uiuificat. Item: Qui mortui sunt, & qui in monumentis, audient uocem filij Dei, & procedent. Iohannis 11. Ego sum resurrectio et uita: hoc est, ego resuscito homines, et uitam impertio. Sicut declarat exemplis, resuscitans plures homines eo tempore, quo ministerio suo fungitur. Iohan. undecimo inquit Christus: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem eum. Peperit etiam Christus resurrectionem salutarem suæ passione, qua mortem, eiusq; causam, nempe peccatum, sustulit. Matthæi 22. de resurrectione loquens, ait, uirtute Dei fieri. Neq; scripturas, inquit, neq; uirtutem Dei scitis.

Fiet autem resuscitatio uoce, seu uerbo filij Dei. ideo inquit Matthæi undecimo: Qui in monumentis sunt, audient uocem eius. Erunt & angeli ministri cum tubis, Matthæi uigesimoquarto: Et mittet (filius hominis) angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorũ usq; ad terminos eorum.

Omnes autem homines resurgent, tam pij quàm impij. Iohannis 5. Venit hora, in qua OMNES qui in monumentis sunt, audient uocem eius. Et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem uitæ: qui mala, in resurrectionem iudicij. Matthæi 13. 25. iudicium de pijs atq; impijs latum iri declarat: Congregabũtur, inquit, ante eum omnes gentes. Matthæi 16. Reddet unicuiq; secundum opus suum. Porrò resurgent corpora, & animæ redibunt in corpora. Matthæi 27. Multa corpora sanctorum surgunt. Matth. 25. De totis hominibus, hoc est, non de anima uel de corpore solummodo iudicium ferendum esse docet. Matthæi 19, Christus resurrectionem appellat regenerationem.

Finis resurrectionis erit, sisti ad tribunal Christi. Matthæi 25. Audire sententiam siue damnationis, siue æternæ saluationis. Iohannis quinto: Et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem uitæ: qui uerò mala, in resurrectionẽ iudicij. Matthæi uigesimoquinto, possidere regnum patris, uel in ignem æternum cum diabolis præcipitari.

Contraria sunt: Sadduceismus, hoc est, negare atq; irridere resurrectionẽ mortuorum, Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. Nescire scripturas, & uirtutem Dei: Ibidem. Non tribuere Christo potentiam resuscitandi mortuos: Marci quinto, Lucæ octauo. ubi nuncij archisynagogæ, mortua eius filia, postulant, ut dimittatur Christus: iam enim puellam esse extinctam, et frustrà eum molestari.

DE EXTREMO IVDICIO, & secundo Christi aduentu.

DE omnibus hominibus iudicium quoddam futurum esse, Christus aperte docet Matthæi decimo: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. & Matthæi uigesimoquinto, integer actus & processus eius iudicij describitur.

Tempus eius iudicij erit, nouissimus dies. Verùm quando is sit uenturus, non est expressum. Matthæi 25 inquit Christus: Nescitis diem & horam. Et Matthæi 24. De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus pater. Item, Nescitis qua hora filius hominis uenturus sit. Subitò autem, & ex improuiso aderit. Matthæi uigesimoquarto: Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usq; in occidentẽ, ita erit & aduentus filij hominis. Marci decimotertio: Nescitis quando dominus domus ueniet, serò, an media nocte, an galli cantu, aut mane. Matth. 25. Parabola de uirginibus ait, sponsum nocte uenisse.

De loco primùm in genere docet Christus Lucæ decimoseptimo. Nam scisciantibus discipulis, Vbi Domine? respondet: Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. Deinde et paulo expressius locum indicauit, quod dixit: Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cœli. Matth. 24. 26. Marci 13. Lucæ 21.

De omnibus hominibus iudicatum iri, his uerbis Christus monet Matth. 25. Congregabuntur ante eum omnes gentes. Item de diabolis: Ignem qui paratus est diabolo & angelis eius.

Iudex istius iudicij erit Christus, sicut ipse sæpe docet. Iohannis quinto: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Matthæi 16. Filius hominis uenturus est, &c. & tunc reddet unicuiq; secundum opus suum. Matth. 25. ait, ante se congregationem futuram, se pronunciaturum sententiam: & uocat se filium hominis, item regem. Itaq; Christus, uerus Deus & homo, erit iudex: sicut etiam angeli testantur Actor. 1. Hic IESVS, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum.

Veniet autem cum singulari maiestate. Matth. 16. Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis. Matthæi uigesimoquarto: Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute multa,

& maiestate. Matthæi uigesimoquinto: Cum uenerit filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Matthæi uigesimosexto: Amodò uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Marci decimotertio: Cum uirtute multa et gloria. Lucæ uicesimoprimo: Cum potestate magna, et claritate. Aderunt igitur & angeli, ut dictum, & quidem cum tuba, & ministrantes Christo in hoc iudicio. Matthæi uicesimoquarto: Mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, et congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum. Et Apostoli, Matthæi decimonono: Amen dico uobis, quòd uos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Erunt igitur angeli & Apostoli assessores in hoc iudicio Christi.

Forma iudicij, & eius processus, Matthæi uicesimo quinto ab ipso Christo exposita est: Et congregabuntur, inquit, ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidē à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi cibum: sitiui, & dedistis mihi potum: hospes eram, & recepistis me: nudus, & operuistis me: Infirmus, et uisitastis me. In carcere eram, & uenistis ad me. Tunc respondebunt iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus te? Sitientem, & dedimus tibi potum? Quando te uidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te uidimus infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico uobis, quicquid fecistis uni de his fratrib. meis minimis, mihi fecistis.

Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum: Sitiui, & non dedistis mihi potum: Hospes eram, & non collegistis me: Nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere eram, & non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quicquid non fecistis uni de iunioribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Eôdem pertinet illud Matthæi 10. Marci 4. Lucæ 9. Omnis qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Item Matth. 13. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Matthæi 12. Dico uobis, de omni uerbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddēt rationē de eo in die iudicij.

Regula igitur iuxta quam id iudicium feretur, iam à Christo prolata & promulgata est, Iohannis tertio: Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia nō credidit in nomine unigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quòd lux uenit in mundū, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Item: Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Iohannis quinto: Qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit. Iohannis duodecimo: Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Non igitur alia sentētia in extremo iudicio sonabit, quàm ea quæ ab ipso iudice est patefacta: nempe quòd credētes in Christum sint iusti. Item, quòd in iudicium non ueniant: hoc est peccata ipsorum sint tecta. Quòd nemo ibi suis operibus uel posit uel debeat fidere, certò Christus indicat Matthæi uicesimoquinto, ubi inquit, pios tam non posituros fiduciam in propria merita, ut etiam dicturi sint: Domine, quando uidimus te famelicum, & pauimus te? Deinde & Deum, nitentes suorum operum iusticia, in iudicio suo abiecturū esse, palàm testatur Matthæi septimo. Lucæ sexto inquit: Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam noui uos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatē. Non ibi prosopolepsian ualituram esse, Lucæ duodecimo declarat comparatione de seruis. Accusatio etiam ibi contra impios ab alijs fiet, Matth. 12. Lucæ 11. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabūt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Item: Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Commemorabuntur etiam alij aliorum bona opera, Lucæ 17. Facite uobis amicos de iniusto mammona, &c. ut recipiāt uos in tabernacula æterna.

Finis huius iudicij in genere erit, cuilibet reddere secundum opus suum. Matthæi decimosexto: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opus suum. Deinde, quo ad bonos, finis extremi iudicij erit redemptio ipsorum. Lucæ uigesimoprimo: Appropinquat redemptio uestra. Vindicta piorum. Lucæ 18. Deus faciet uindictam suorum citò. Frui iucundo Christi aspectu, Compensatio & celebratio bonorum operum. Matthæi 25. Tunc dicet: Esuriui, & dedistis mihi potum, &c. Possessio regni promissi, ibidem. Vita æterna, Iohannis 3.

Quo ad malos, erit, Aspectus irati Christi, & ira Dei perpetua, patefactio & exprobratio peccatorum, abiectio & separatio à Deo, & damnatio ad ignem æternum unà cum angelis: fletus, stridor dentium, tenebræ. Matthæi 7. 10. 13. 22. 23. 24. 25. Lucæ 13. Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraham & Isaac & Iacob & omnes prophetas in regno Dei, uos autem expelli foràs.

Instruit insuper Christus, quomodo se quisq; ad eum diem præparare debeat: Matthæi 24. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Illud autem scitote, quoniam si scisset paterfamiliâs, qua hora

hora uenturus fur fuisset, uigilasset utiq; , et non fluisset perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati, quia qua hora non putatis, ea filius hominis uenturus est. Quis nam est fidelis seruus & prudens, quem præfecit dominus familitio suo, ut det illis cibum in tempore? Beatus seruus ille, quẽ, cum uenerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus uenire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs: ueniet dominus serui illius in die qua non expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & stridor dentium. Marci 13. Videte, uigilate, nescitis enim quando dominus domus uenturus sit, serò an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo: ne si uenerit repentè, offendat uos dormientes. Cæterùm quæ dico uobis, omnibus dico: Vigilate. Lucæ 12. Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quãdo reuertatur à nuptijs, ut cum uenerit ac pulsauerit, cõfestim aperiant ei. Beati serui illi, quos, cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, et si in tertia uigilia uenerit, atq; ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quod si sciisset paterfamilias, qua hora fur uenturus fuisset, uigilasset utique, nec passus fuisset perfodi domũ suam. Et uos igitur estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis istam parabolam, an etiam ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis nam est fidelis dispensator, ac prudens, quem constituet dominus super familitium suum, ut det illis in tempore demensum cibum? Beatus ille seruus, quem, cum uenerit dominus, inuenerit ita facientem: uerè dico uobis, quòd omnibus quæ possidet, præficiet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, Differt dominus meus reditum, cœperitq; percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari: ueniet dominus serui illius in die quo non sperat, & hora qua nescit, & dissecabit eum, partemq; eius cum infidis ponet. Item Matthæi 25. Tunc simile est regnum cœlorum decem uirginibus, quæ sumptis lampadibus suis exierunt in occursum sponso. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus suis, non sumpserant oleum secum. prudentes uerò sumpserant oleum in uasis suis, unà cum lampadibus. Tardante uerò sponso, dormitauerunt omnes, ac dormierunt. Porrò media noctis clamor factus est: Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades suas. Fatuæ autem prudẽtibus dixerũt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguũtur. At responderũt prudẽtes, dicẽtes: Nequaquã, ne non sufficiat nobis & uobis: sed ite potius ad eos qui uendunt, & emite uobis ipsis. Porrò dum irent emptum, uenit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Postea uerò ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico uobis, non noui uos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam, in qua filius hominis ueniet. Sicut enim homo quidã peregrè proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et huic quidem dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij uerò unum, unicuiq; secundum propriam facultatẽ: & profectus est statim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & negociatus est per eas, et confecit altera quinq; talenta. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est & ipse altera duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terrã, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum uerò temporis uenit dominus seruorum illorum, & ponit rationem cum illis. Et accedens is qui quinq; talẽta acceperat, attulit altera quinque talenta, dicens: Domine, quinq; talenta tradidisti mihi, ecce altera quinq; talenta lucratus sum per ea. Ait illi dominus eius: Euge serue bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem et qui duo talẽta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum per ea. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, noueram te quòd homo durus sis, metens ubi non seminasti, & inde congregans ubi non sparsisti: ac territus abij, absconditq; talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue malè & piger, sciebas quòd metam ubi non seminaui, & congregem illinc ubi non sparsi: oportebat ergo te committere pecuniam meam mensarijs, & ueniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: qui uerò non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et inutilem seruum mijcite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentiũ. Item Lucæ uicesimoprimo: His fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redẽptio uestra. Item: Cauete autem uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ: subitusq; uobis ingruat dies ille. tanquam laqueus enim superueniet, in omnes qui sedent super faciem totius terræ. Vigilate itaq; omni tempore, deprecantes, ut liceat uobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

DE INFERNO, SEV LOCO ac pœnis damnatorum.

APpellationes loci, in quo damnati æternis pœnis subijciẽtur, à Christo quidem usurpatæ, primò percurrendæ sunt. Vocatur autem ᾅδης, infernus: Matthæi undecimo, Lucæ decimo: Et tu Capernaum, quæ usq; in cœlum exaltata es, usq; in infernum descendes. Lucæ decimosexto: Sepultus est in inferno. Christo itaque hoc uocabulum nihil aliud significat, quàm locum destinatum supplicijs abiectorum. Deinde utitur de ea re plerunque uocabulo Gehennæ. ut Matthæi decimo: Timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Lucæ 12. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Fuit autem Gehennom uallis in tribu Beniamin, ab impijs possessa, in qua filij uiui cremabantur, et

immolabantur dæmonio Moloch. putatur autem Moloch fuisse Saturnus. Fit eius mentio Iosuæ 18. Et uocatur uallis filiorum Hinnom. Postea & Israelitæ ad eum gentilem ritum defecerunt, sicut de Achar scriptum extat 2. Paralip. 28. Ipse est qui adoleuit incensum in ualle Ben Hinnom, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium, quos interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Vocatur is locus et Topheth, à tympanis, quæ pulsabantur, ne eiulatus puerorum exaudiretur. 2. Regum 23. Sed hæc aliò pertinent. Abijt autem in consuetudinem, ut uulgari loquendi modo Gehenna pro loco ac tormentis perpetuo in damnatione futuris deputato acciperetur. Eodem igitur modo & Christus est locutus. Sic & Matthæi uigesimotertio inquit: Serpentes, progenies uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Matthæi quinto: Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Marci nono, Ire in gehennam. His sententijs de loco æternorum suppliciorum docet. Item Matthæi uigesimotertio: Hypocritæ, circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ (hoc est, in æternos cruciatus abijciendum) duplo magis quàm uos estis. Per circumscriptionem uocatur caminus ignis, Matthæi decimotertio: Mittent eos in caminum ignis. Ignis æternus, Matthæi decimooctauo, & uigesimoquinto. Ignis inextinguibilis, Matthæi tertio, Marci nono, Lucæ tertio. Supplicium æternum, Matthæi uigesimoquinto. Perditio, Matthæi septimo: Spaciosa uia est, quæ ducit ad perditionem. Tenebræ exteriores, Matthæi octauo, uigesimosecũdo, & uigesimoquinto capitibus. Abyssus uidetur Lucæ octauo uocari, ubi deprecantur diaboli, ne iubeantur ire in abyssum. Baptista Matth. 3. uocat uenturam iram.

Quòd autem locus aliquis torquendis damnatis sit destinatus, manifestè Christus docet, sicut testimonia sequentia declarabunt, quæ non necesse est toties repeti: in primis uerò hæc pars ex processu ultimi iudicij, qui Matthæi uigesimoquinto describitur, patet.

Vbi uerò locus ille sit, non est à Christo expressum.

Quis in inferno sit futurus, Christus Matthæi uigesimoquinto indicat, nempe diaboli & homines: Discedite, inquit, à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et quales homines, nempe qui nõ crediderũt in Christum, Iohannis tertio: Qui non credit, iam iudicatus est, quia nõ credidit in nomen unigeniti filij Dei. Item: Qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Non confitentes Christum, apostatæ: Matthæi decimo: Qui me non confessus fuerit coram hominibus, non confitebor eum coram patre cœlesti. Impœnitentes, polluentes sese peccatis omnis generis, Matthæi primo, Lucæ duodecimo: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matthæi decimooctauo: Seruus oblitus acceptorum beneficiorum, & immanitatem erga conseruum exercens, traditur pœnis. Matthæi uigesimotertio: Si dixerit malus seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus uenire, & cœperit percutere conseruos, manducet autem & bibat cum ebrijs: ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis. Matthæi uigesimoquinto, uirgines fatuæ destitutæ oleo & facibus, excluduntur à sponso, dicente, Nescio uos. De seruo ignauo, qui talentum non collocarat, nec reportauit fructum ad Dominum, dicit Christus: Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. Item: Esuriui, & non dedistis mihi cibum: Sitiui, & non dedistis mihi potum, &c. Item, Et ibunt hi in supplicium æternũ. Et discrete maledictos tantum iubet in æternũ ignem abire, Matthæi tertio. Lucæ tertio: Paleas comburet igne. Hypocritæ, non agentes pœnitentiam. Non habens uestem nuptialem, eijcitur in tenebras exteriores. Confidentes propriæ iustitiæ, ut pharisæi: Matthæi quinto, Lucæ decimooctauo. Impij doctores, Matthæi uigesimotertio: Væ uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, quia claditis regnum cœlorũ ante homines: uos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, quia comeditis domos uiduarũ, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudiciũ, &c. Blasphemi, Matthæi duodecimo, Lucæ duodecimo: Spiritus blasphemiæ non remittetur. Item: Qui dixerit uerbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Diuites lurcones, non iuuantes pauperes Lazaros: Lucæ decimosexto. Crapulæ, ebrietati, & curis huius uitæ indulgentes: Lucæ uigesimoprimo. Contemptores & persecutores uerbi Dei, & ministrorum eius: Matthæi uigesimosecundo, Lucæ decimoquarto. Adorantes diabolum, hoc est Antichristum, ob regna huius mundi, et gloriam eius: Matthæi quarto.

Animam autem cum corpore maledictorum in inferno futuram, Christus hoc dicto monet Matthæi decimo: Timete potius eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Plurimos autem in infernum præcipitandos esse, Matthæi septimo docet, inquiens: Lata porta & spaciosa uia est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Nec prærogatiua generis aut loci ibi pondus habebit. Matthæi octauo inquit Christus: Filij regni (hoc est, Israelitæ, non credentes: item, qui in cœtu Ecclesiæ fuerunt, sed non crediderunt) eijcientur in tenebras exteriores. Et Matthæi uigesimosecundo, Lucæ decimo quarto, in parabolis idem declaratur.

Pœnæ, quas sustinebunt maledicti in loco suppliciorum, erant multiplices: ut, Iræ Dei sensus. Iohannis tertio, Ira Dei manet super eum. Matthæi tertio: Quis demonstrabit uobis, fugere à uentura ira? Separatio atque abiectio à Deo æterna. Matthæi septimo, & uigesimoquinto: Discedite à me, maledicti. Societas cum diabolo et angelis eius, Matthæi uigesimoquinto: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Ignis æternus, quem credibile est non tantùm spiritualem, sed & corporalem futurum, cùm tam sæpe sic loquatur Christus, Matthæi tertio, Lucæ tertio: Paleas comburet igni inextinguibili. Marci nono: Bonum est tibi debilem introire in uitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Matthæi uigesimoquinto: Discedite in ignem æternum. Fletus et stridor dentium. Mattthæi octauo, decimotertio, uigesimosecundo, uigesimoquinto capitib. Lucæ 13. Ibi erit fletus

fletus & ſtridor dentium. Tenebræ exteriores, Matthæi octauo: Filij regni eijcientur in tenebras exteriores. Matthæi 22. Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Matthæi uigeſimoquinto: Inutilẽ ſeruum eijcite in tenebras exteriores. Torqueri, & in perpetuo carcere uerſari. Matthæi octauo: Veniſti huc nos torquere ante tempus. Matthæi 18. Tradidit eum tortoribus. Videre iuſtos in regnum Dei transferri, ſe autem expelli. Lucæ 13. Ibi erit fletus & ſtridor dentium, cùm uideritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, uos autem expelli fòras. Lucæ decimoſexto, de epulone in inferno exiſtente, inquit Chriſtus: Eleuans autem oculos, uidit Abraham eminus, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ac refrigeret linguam meam, qui crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham: Fili recordare, quòd receperis bona tua in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic ſolatio fruitur, tu uerò cruciaris. Et ſuper hæc omnia, inter nos & uos hiatus ingens firmatus eſt, ut ij qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſſint, neque inde huc tranſcendere.

Gradus ſuppliciorum fore, Chriſtus indicat Matthæi decimo & undecimo: Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm uobis. Item: Terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi. Matthæi uigeſimotertio: Orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Lucæ duodecimo: Seruus qui cognouit uoluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum uoluntatem eius, uapulabit multis. Qui autem non cognouit, et fecit digna plagis, uapulabit paucis.

Pœnas æternas & nunquã ceſſaturas, inſecuturas eſſe eos qui ſemel in infernũ, ſeu locum ſupplicij uenerint, ex hiſce Chriſti dictis planũ efficitur, Matthæi 25. Diſcedite in ignem æternũ. Item: Ibunt hi in ſupplicium æternum. Marci nono: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur. Lucæ 16. ait, eſſe chaos firmatum inter locum beatorum & damnatorum, ut neutra pars ad alteram poſſit tranſcẽdere. Item, negatur diuiti in flammis infernalibus exiſtenti, omnis recreatio. Matth. 16. inquit Chriſtus: Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Negat hîc Chriſtus, ullo precio animas damnatas redimi poſſe: loquitur enim de animabus detrimentum paſsis. Matth. 12. negat Chriſtus peccata remitti in inferno, ſi non in præſenti ſeculo contingat remiſsio.

Obſeruatione dignum eſt, tantùm duo loca à Chriſto deſignari, quò perueniant homines poſt mortẽ: nempe ſinum Abrahæ, & infernum. Lucæ 16. Item Matthæi 25. unus cœtus recipitur in regnum patris, alter ad ignem æternum damnatur, nec ullius purgatorij mentionem Chriſtus uſquam facit.

DE VITA AETERNA, SEV ſtatu beatorum poſt hanc uitam.

STatus beatorum poſt hanc uitam frequentiſsimè appellatur uita æterna, Iohannis 3. 6. & alibi. Aliàs uerò regnum patris, Matthæi 25. Regnum cœlorum, Matthæi quinto, ſexto, ſeptimo, decimonono cæpitibus. Regnum Dei. Matthæi 21. Regnum Domini, Matthæi uigeſimo quinto. Sinus Abrahæ, Lucæ decimoſexto. Paradiſus, Lucæ 23. Aeternum tabernaculum, Lucæ decimoſexto. Domus patris Chriſti, Iohannis 14.

Quod autem alia poſt hanc uitam ſit ſecutura, promiſsiones Euangelicæ, loci de reſurrectione, de extremo iudicio, & alij plures teſtantur. Matthæi uigeſimoquinto inquit Chriſtus: Iuſti ibunt in uitam æternam. Reliqua teſtimonia in cæteris huius loci partibus recitantur.

Locum ubi pij ſunt uicturi poſt hanc uitam, Chriſtus uocat regnum cœlorum. Matthæi quinto: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Item, Merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Item: Niſi abundauerit iuſticia ueſtra, etc. non intrabitis in regnum cœlorum. Matthæi octauo: Multi, & c. recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob, in regno cœlorum. Matthæi 19. Talium eſt regnum cœlorũ. Aliàs regnum cœlorum, Eccleſiam Dei in terris uerſantem ſignificat, ut Matthæi decimo tertio, & alibi. Sed in citatis locis, ſignificat ſedem beatorum poſt hanc uitam.

Qui uerò in æterna uita ſint futuri, ex Chriſti conciionibus manifeſtum eſt. Matthæi ſeptimo inquit: Qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Iohan. 3. 5. 6. Qui credit in me, habebit uitam æternã. Item: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Marci 16. Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui bonis operibus declarauit ſuam fidem: Mathæi 25. Quod autem ex omnibus gentibus ea congregatio ſit futura, Chriſtus hac ſententia commonefacit, Matthæi octauo: Dico uobis, quòd multi ab Oriente & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cœlorum. Lucæ decimotertio: Videbitis Abraham & Iſaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei. Item: Et ueni ent ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Auſtro, & accumbent in regno Dei. Nulla hic prærogatiua locum habet, ſicut teſtatur Matthæi uigeſimoprimo: Publicani & meretrices (ſcilicet, qui egerunt pœnitentiam) præcedent uos in regno Dei. Non tam multos in uita æterna quàm in inferno futuros, Matthæi ſeptimo teſtatur: Anguſta porta & arcta uia eſt quæ ducit ad uitam, & pauci ſunt qui inueniant eam.

Bona eius ſtatus poſt reſurrectionem erunt, Vita æterna: Iohannis tertio. Item, poſſeßio regni patris, Matthæi uigeſimoquinto: Poßidete regnum, quod uobis paratum eſt, ab orig. &c. Eſſe cum Chriſto, & uidere eius claritatem: Iohannis decimoſeptimo: Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut uideant claritatem meam. Iohannis duodecimo: Vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit. Ioannis decimoquarto: Iterum ueniam, & accipiam uos ad meipſum: ut ubi ſum ego, & uos ſitis. Ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoſcetis, quòd ego ſum in patre meo, et uos in me, & ego in uobis. Gaudium æternum, Iohannis decimoſexto: Gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis. Matthæi uigeſimo

quinto: Intra in gaudium Domini tui. Societas æterna cum Abraham, Isaac, Iacob, & omnibus sanctis, Matthæi octauo, Lucæ decimotertio: quæ testimonia paulo antè commemorauimus. Merces operum & laborum. Matthæi quinto: Merces uestra copiosa est in cœlis. Erunt autem & corpora beatorum clariora & ornatiora, quàm nunc sunt. Matth. decimotertio: Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum. Item Matthæi uigesimosecundo: In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli de cœlo. Lucæ uicesimo sic effertur: Illi uerò qui digni habebuntur seculo illo, & resurgent ex mortuis, neque nubent, neque uxores ducent, neque ultrà mori poterunt: pares enim sunt angelis, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.

CAPVT QVINTVM
DE HAERESIBVS, SEV sectis Iudæorum.

GRASSABANTVR in populo Iudaico, hoc tẽpore quo exhibitꝰ est Christus, suumq; munus administrabat, duæ quædam factiones seu sectæ, utpote Pharisæorum et Sadducæorum: quarum quidem passim in historia Euangelica fit mentio, eo quod Iohanni baptistæ, & ipsi Christo, eiusq; discipulis sese aliquoties opposuerunt. Ac fuit præterea adhuc una, Essæorũ uidelicet. uerùm ea certo loco, ab Hierosolymis per aliquot milliaria remoto, sedem suam habebat, nec erat ita passim ciuitatibus immixta, ut superiores. ideoq; non est memoriæ traditum, quòd cum Christo Essæi sint congressi, sua nimirum tantum curantes, & istas nouitates (ut putabantur) quasi ex alto despicientes ac fastidientes.

Quando autem primùm in populo Dei ista zizania sint exorta, ex historijs non potest satis liquidò haberi: nisi quòd ex Iosepho appareat, tempore Iohannis Hyrcani, hoc est ante Christum annis circiter 125. istas tres factiones innotuisse & inualuisse. Ait tamen Iosephus de Antiq. Iudaic. libro decimooctauo, capite secundo, à multis seculis Iudæos in istas tres sectas fuisse diuisos. Occasionem uerò ad eam scissionẽ proculdubio dederunt ethnici reges, religionem Iudaicam misere turbantes, euectis ad summos gradus, & ad ipsa gubernacula Ecclesiæ collocatis pro arbitrio, indignis & improbis hominibus, uel gratia uel muneribus illectis. Præterea societate ac familiaritate gentilium, philosophica studia & peregrinæ religiones paulatim imbibebantur à Iudæis, sicut fieri solet: quibus postea uera Iudæorum religio & sincera doctrina à Deo tradita, artificiosè diluebatur. Verùm de singulis quædam dicenda sunt.

DE PHARISAEIS.

PHarisæorum creberrima in historia Euangelica mentio fit, eo quòd plurimos habuerunt assecias, ac uoluerunt custodes cœlestis doctrinæ, & extirpatores falsorum dogmatum uideri: deniq; etiam gratia & potentia præstabant.

Nominis rationem acceperunt uel à phares, id est à separatione, quòd ab alijs profanis hominibus uoluerunt esse distincti: unde Hieronymus dicit, eos à diuisio sic appellari, in scripto aduersus Luciferianos, & in quæstionibus Hebraicis. Vel, quod magis est consentaneum, ab expositione seu interpretatione Scripturarum, quam præcipuè profitebantur: ac si diceres, expositores, seu doctores. Sederunt in cathedra Moysi, Matthæi uigesimotertio: hoc est, officium eorum fuit docere. Libros ueteris Testamenti omnes studiosè amplexi sunt. Etsi autem in genere quædam capita doctrinæ retinuerunt, ut esse Deum, esse Deum unum, uenturum esse Messiam, ac ingentia beneficia allaturum, hanc politiam & legem in populo Iudaico esse à Deo, posteritatem Abrahæ esse Ecclesiam Dei, animas post mortem superstites esse: futuram esse resurrectionem, in qua impij & scelerati pœnis, iusti uerò præmijs afficientur: tamen horrendos habuerunt næuos, & profanas atque impias opiniones in plerisq; articulis doctrinæ cœlestis conceperunt, ac mordicus defenderunt. Quo autem res fiat magis perspicua, ordine ipsorum falsa dogmata enumerabimus.

Vnum tantum esse uerum Deum, eumq; unicam tantum, iuxta philosophiam, esse personam, et non plures, asseruerunt Iohannis octauo: Vnum patrem habemus Deum. & uehementer offenduntur, quòd Christus asse uerare auderet, se esse uerum Dei filium, & ipsos se aspernantes etiam patrem ipsum repudiare. non enim patrem Deum esse absq; hoc filio.

Messiam tantum habiturum humanam naturam. nam Matthæi uigesimosecundo, Marci duodecimo, Lucæ uigesimo, ad interrogationem Christi, cuius filius sit Christus? respondẽt, Dauid. Sed Christus è Dauidis Psalmo 110. demonstrat, eum non modò filium Dauid, hoc est hominem futurum, sed habiturum insuper sublimiorem, nempe diuinam naturam. Quomodo, inquit, Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est?

Messiam tantum regnum corporale Iudæorum restauraturum esse. Nam ex schola pharisæorum eum errorem proferunt, mater filiorum Zebedæi et discipuli, Matthæi uigesimo. Imò & post Christi resurrectionem solicitè quærunt discipuli de regno mundano: Domine, inquiunt, num in hoc tempore restitues regnum Israel? Adeò altè ipsorum animis hæc uulgaris Pharisæorum opinio insederat. Illud Malachiæ 4. Ecce mittam uobis Heliam prophetam, antequam ueniat dies Domini magnus: non rectè intelligentes, somniarunt eundem illum Heliam, qui igneo curru ascẽderat in cœlum: ante Messiæ aduentum rediturum. Matthæi decimoseptimo: Et interrogauerunt eum discipuli sui, dicentes: Cur igitur Scribæ dicunt, quòd Heliam oportet uenire prius? Iesus autem respondens, dixit illis: Helias quidem uenit prius, & restituet omnia. Cæterùm dico uobis, Heliam iam uenisse, & non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque uoluerunt. tunc intellexerunt discipuli, quòd de Iohanne baptista dixisset ipsis.

Legem de disciplina seu externa obedientia duntaxat exponebant, quam opinionẽ Christus refutat Matthæi 5. perspicuè legem declarans, quòd non modò externa

terna facta, sed etiam interiorem, & quidem absolutissimam obedientiam flagitaret.

Prauos affectus sentiebant non esse peccata, id quod ibidem diligenter Christus refutat.

Docebant legem diuinam potestate liberi arbitrij, seu naturalibus uiribus impleri posse. Hinc sunt illæ inanes gloriationes: Non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri: Lucæ 18. cum tamen uacarent dilectione erga proximum, & omni pœnitentia.

Iusticiam coram Deo, esse externam legis obedientiam, qualem ipsi præstare possent. Verùm Matthæi quinto Christus eam damnat: Nisi abundauerit, inquit, iusticia uestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non poteritis intrare in regnum cœlorum. Docet item Christus, sese ad hoc uenisse, ut legem exactissimè impleat, ne iota quidem aut apice uno relicto. Et Matthæi undecimo inquit: Venite ad me, &c. ego reficiam uos.

Sabbatho adeò strictè ab operibus abstinendum esse docebant, ut sanationem ægroti uel in momento factã, aut uellicationes spicarum ob urgentem famem, censerent grande aduersus Sabbatum peccatum esse. Matth. 12. Marci 3. Lucæ 6. 14. Iohan. 5. 7. 9. ubi Christus solidis argumentis eam superstitionem refellit.

Diuortia licitum esse facere qualibet ex causa. Matthæi 19. Verùm confutantur à Christo, qui dicit, ab initio non sic fuisse. Item regulam sancit: Quos Deus coniunxit, homo non separet. in uno tamen adulterij casu repudium concedit.

Cum publicanis & peccatoribus (cum tamen ad Christum se conuertissent) non esse capiendum cibum, Matthæi 9. Sed Christus docet, hoc suum esse officium, ut peccatores ad pœnitentiam uocet.

Melius esse de facultatibus aliquid templo conferre, id quod uox Corban sonat, quàm egenos patres alere, Matthæi 15. ubi & grauiter eos increpat Christus: Cur uos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem uestram? Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem. Docuerunt igitur Pharisæi, opera electicia, seu non mandata, à sanctis uerò tradita, longè præstare operibus Decalogi. Lucæ 11. Christus ijs exprobrat, quòd putarent se suis eleemosynis peccata sua emendare. Cumularunt autem traditiones humanas, & eas tanquam necessarias ad salutem postulauerunt: quæ quidem res nihil aliud quàm conscientiæ dira carnificina fuit. Matthæi 23. Christus inquit: Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Iosephus Antiquitatum Iudaicarum libro decimotertio, ca. 18. testatur, Pharisæos plurimas constitutiones non scriptas à Moyse, sed per manus à maioribus acceptas, populo tradidisse.

Rituum superstitiosa obseruatione singularem sanctimoniæ speciem præ se tulerunt. Sicut Matthæi 23. Lucæ 11. Christus recenset, nempè quòd orationes longas dixerint, peregrinationes terra mariq; susceperint ad faciendum unum proselytum, non iurarint, decimarint mentam & anethum & cyminum & rutam, & omne olus, mũdarint pocula et patinas: ædificarint sepulchra prophetarum, & ornarint monumenta iustorum, & dixerint, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nõ fuissemus socij eorum in sanguine prophetarum. Lucæ 18. Sic pharisæus describitur, quòd ingenti oris hiatu iactet, se ieiunare bis in sabbatho, & decimas dare omnium quæ possideret. Matthæi 15. Marci 7. Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. Et à foro uenientes, nisi baptisentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt eis seruare, lotiones calicum & urceorum, & æramentorum, & lectorum.

Abusi sunt clauibus. nam excommunicarunt Christum & eius sectatores, rectè docentes: Iohan. 12. Clauserunt alijs cœlum, Matthæi 23.

Vestes gestabant longas: fimbrias faciebant maiores quàm alij, quibus præcepta Dei erant inscripta. Dilatabant etiã phylacteria sua, quæ Epiphanius dicit fuisse purpurea.

Omnia deniq; eò retulerunt, ut ab hominibus magnifierent, & laudibus summis ueherentur: sicut Matthæi 23. Christus docet.

Animas docuerunt esse quidẽ incorruptibiles: transire autem in alia corpora solas bonorum, improborũ uerò animas interminabili supplicio cruciari. Iosephus de bello Iudaico, libro 2. capite 7.

Falso legis zelo flagrabant, & Iohannem ac Christum peius angue & cane rabioso oderunt. Criminabantur, Iohannem sine uocatione suo ministerio fungi: Iohan. 1. Doctrinam & miracula Christi miris calumnijs carpebant ac lacerabant. dicebant eum habere diabolum, ac per incantationes eiusmodi res efficere, Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 11. Iohannis 8. Decretum quoque fecerant, è Synagoga esse eijciendum, quicunq; IESVM pro Messia acciperet & confiteretur. Iohan. 12. Cæco conantur persuadere, eum hoc beneficium non à Christo accepisse: Iohannis 9. Leprosos nouem ad defectionem à Christo hortati sunt, ac perfecerunt: nec dubium quin plurium aliorum fidem euerterint.

Erant persecutores acerrimi & cruentissimi ueorum doctorum. Hieronymus in 17. capite Matthæi inquit, in Iohannis necem pharisæos consensisse. Christo etiam indesinenter insidias struunt, ac non desinunt conferre consilia, donec eum comprehensum morti tradãt: Matthæi 15. Marci 3. Iohan. 11. 18.

Erant arrogantes: tum quia sibi uendicabant legis iusticiam, seu perfectionem, quam proprijs suis operibus assecuti fuissent: Lucæ 10. tum quia honores maximos captabant, Matthæi 23. Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi.

Auari. Lucæ 16. Pharisæi erant auari, Matthæi 23. Comeditis domos uiduarum. Significat ipsos confictis & superstitiosis cultibus uiduas & alios simpliciores pecunia emungere. Inde est, quòd uendentes, ementes ac numularij in ipsum templum Hierosolymitanum consederant, ac id spelunca latronum à Domino uocetur, Matthæi 21.

Erant potentes, & popularem aurã habentes: eaq; sæpe abutebantur, siue in perniciem siue commodum aliorum. Patet id ex historia Passionis, cum populum instigant ut clament de Christo, Crucifige, & petant Barrabam dimitti. Iosephus etiam scribit, Antiquitatum Iudaicarum lib. decimotertio, capite 23, Pharisæos

apud Iudæos plurimum posse, siue exosum aliquem cupiant lædere, siue amicum iuuare. Valde enim his fidem habere uulgus, etiamsi per inuidiam de quopiam malè loquamur. Et libro 17. cap. 3. scribit: Pharisæos esse genus hominum astutum, arrogans, & interdum regibus quoque infestum, ut eos etiam apertè impugnare non uereatur. Nam cum tota gens Iudæorũ fidem suam iureiurando obligassent regi et Cæsari, hi soli non iurarunt, excedentes sex millium numerum. Scribit etiam Iosephus Antiquitatũ Iudaicarum libro 17. cap. 3. eos sibi quandã futurorum præscientiam ex Dei colloquijs tribuisse, quod fortè cabalisticum quiddam fuit.

Postremò, quia superbi, præfracti ac malicioſi erãt, ideo Christus malo (quod dicitur) nodo robustum addebat cuneum: Væ, inquit, uobis scribæ, hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim nõ intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Comeditis domos uiduarũ, et facitis filios gehennæ. Duces cæci, excolantes culicem, camelũ autem deglutientes. A foris quidem apparetis hominib. iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Serpentes & genimina uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Vocat eos etiam stultos, Matthæi 23. Et Iohannes baptista acerrimè in eos inuectus inquit: Progenies uiperarum, quis demonstrabit uobis fugere à uentura ira? Ac seuerè præcipit Christus, eos uitari: Matthæi 16. Attendite, inquit, & cauete uobis à fermento Pharisæorum.

DE SADDVCAEIS.

Sadducæi magnificum sibi nomen à iusticia imposuerunt (zaddikim enim iusti dicuntur) cum tamen omnium essent scelestißimi. Videtur inde hæc secta enata, quòd Pharisæi immodicè homines cæremonijs onerabant: ipsi igitur hæc uincula nonnihil laxare uolebant. præterea ex philosophia deprauata ethnicas & Epicureas opiniones hauserãt, quas simul religioni miscebant. Etsi autem Pharisæorum secta existimatione uirtutis ac sanctimoniæ excellebat, ac plurimos habebat admiratores ac sectatores: tamen apparet hoc Christi tempore, Sadducæos quoq; haud paucos habuisse adstipulatores. nam hi quoq; Ioannem baptistam, Christum, eiusq; discipulos, disputationibus suis insidiosis adoriebantur. Compendio autem studentes, & ocio, imò etiam ut effugerent plurium confutationes, abiectis & abolitis omnibus prophetarũ libris, solos quinque Moisi receperũt ac professi sunt. hinc est, quòd Mosen tantum citant, congredientes cum Christo: Matthæi uigesimo secundo.

In dogmatis falsis plerisq; cum Pharisæis consensere: uerùm habuerunt tamen adhuc quædam peculiaria, utpote, Non esse mortuorum resurrectionem. Argumentantur autem sic, Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. Moses dixit: Si quis mortuus fuerit, nõ habens filios, ducat frater eius uxorem eius, ut suscitet fratri suo semen. Sed apud nos fuerunt septem fratres, quorum quilibet unam eandemq; habuere uxorem. Absurdum autem & inconcinnum fuerit in resurrectione, unam mulierem septem legitimos maritos habere: Ergo non erit resurrectio. Verùm Christus eos egregiè refutat, & inquit: Erratis, neq; scripturas neq; uirtutem Dei scientes. in resurrectione neq; nubent, neq; ducentur, sed sunt sicut angeli in cœlo. De resurrectione autem mortuorũ non legistis quod dictum est à Deo: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est autẽ Deus mortuorum, sed uiuentium. Sic illi confusi discedunt.

Sequuntur autem ex hoc errore, sicut est natura sua fœcundus, alij multi: nempe, Corpora & animas simul post mortem interire: Pios bonorũ operum nullam retributionem, scelestos & pessimos homines nullas pœnas accipere, quàm in hac uita: Nullum esse infernum: Nullum cœlum, in quo æterna sit futura uita: Honestè uiuendum, & sacrificia præstanda, tantũ propter hanc momentaneam & caducam uitam. Deletur confessio doctrinæ, ac uera inuocatio. Quibus portentis quid potest esse furiosius ac tetrius?

Dicunt, neq; angelum neque spiritum esse: Actorum 23. quæ quidem è priori fonte promanant.

Assueuerant, in nostra ipsorum esse potestate, ut tam felicitatis nobis ipsi autores simus, quàm infortunij. Iosephus Antiquitatum Iudaicarum libro 13. cap. 9. & de bello Iudaico lib. 2. cap. 7.

Etsi autem infensi erant Pharisæis, tamen simul suas contra Christum coniungunt operas, eiq; exitium machinantur. Matthæi 16. Pharisæi & Sadducei contulerunt Christum tentant. item Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. Pharisæi sociales fuere, mutua se dilectione cõplectentes: at Sadducæi etiam inter se feris moribus discreparunt. Iosephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 7.

Pugnarunt autem Iohannes baptista & Christus, et Zacharias & Simeon, ac alij pij, contra illos seductores, tum refutando eorum falsa dogmata, tum alios dehortando ut ab ijs sibi cauerent. Sic Christus Matthæi 16. dicit ad suos discipulos: Videte & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

DE ESSAEIS.

Tertia in Iudaico populo secta erat, Essæorum, seu ut aliàs uocantur Essenorum: quasi dicas, operatorum. Volebant enim factores, & non tantum doctores aut simulatores legis haberi. Orta est hæc factio inde, quòd in Pharisæis hypocrisin, fucosamq; pietatem, ambitionem, liuorem, dominandi libidinem, & alia quædam à uera pietate aliena cernerent. Deinde etiam à crasso ac prophano Sadducæorum Epicureismo abhorrebant. Quod igitur in hisce desiderabant, ipsi operibus præstare & declarare conabantur, tituloq; suam professionem notam esse cupiebant. Quo autem expeditius hoc quod moliebantur effectum darent, in extremam Iudææ oram, ad lacum Asphaltiten, haud procul à Iericho, ubi erant fragrantes balsami horti, se contulerunt: sicut Plinius libro 5. cap. 17. de ipsis scripsit. Cum autem non fiat eorum mentio in historia Euangelica, fortè quòd in secessu habitarint, & à communi doctrina Pharisæorum nihil discrepabant, mirisq; eos uehat Iosephus laudibus, narrationem eius de Essenis hic recitare uisum est. Is autem libro 2. cap. 7. de bello Iudaico, sic scribit: Tertium philosophiæ genus Essæi colũt, gente quidem Iudæi, uerùm inter se mutuo amore coniunctißimi: et qui præter cæteros, uoluptates quidem quasi maleficia uitarent: continentiam uerò seruare, neq; cupiditati succumbere, uirtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt: alienos uerò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt: non quia con-

iugia

iugia uel humani generis successionē censeant perimendam: sed quia cauendā putent intemperantiā fœminarum, nullā earū uni uiro fidē seruare credentes. Quin & diuitiarū contemptores sunt, rerumq; apud eos communicatio admirationi habetur, neq; inuenias alteri alterū opulentia præstare. legemq; sibi dixerūt, ut qui disciplinā suam sectari uellent, bona cōtubernio publicarent. Ita enim fore, ne uel paupertatis humilitas, uel diuitiarū dignitas appareret: sed permixtis facultatibus, uelut inter fratres, unum esset omniū patrimoniū. Pro bro autē ducunt oleū, etsi quis uel inuitus unctus fuerit, mundicijs corpus abstergēs: quoniā squalorē decorem putāt, dummodo semper in uestē sint candida. Deputos autē communiū rerū procuratores habent, et ad usus omniū singulos indiuisos. Non est autem illis una ciuitas certa, sed in singulas multa domicilia transferūt: et aliunde aduenientibus sectæ suæ professoribus, quicquid habent promptum exhibent, quasi propriū. Denique tanquam consuetissimi ad eos ingrediuntur, quos unquam antè uiderunt. Hinc est quòd, cum peregrinantur, propter latrocinia tantū armantur, neq; præterea quicquam ferunt. In singulis autem ciuitatibus, ex eodem collegio specialis curator hospitum constituitur, qui eorū uestimenta, cæteraq; usui necessaria tueatur. Amictus autem cultusq; corporis omnibus, pueris in metu & sub cura magistri agentibus, par est. Nec uerò uestitum siue calceos mutant, nisi aut omnino consissis prioribus, aut longi temporis usu consumptis. Nihil autem inter se mercantur, aut uendunt: sed egenti quisq; quod habet præbens, refert ab eo quod ipse non habet: quamuis etiam sine permutatione cunctis libera sit facultas, à quibus libuerit accipiendi quod opus sit. Præcipuè circa Deum religiosi sunt. Namq; ante solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam uota celebrant, quasi ut oriatur precantes. Deinde ad quas uenerūt singuli artes, à curatoribus dimittuntur. Cumq; ad horam quintam studiose fuerint operati, rursus in unum congregantur: linteisq; præcincti uelaminibus, ita corpus aquis frigidis abluunt. Atq; hac lustratione facta, in eadē secreta coeunt, quò neminē alterius sectæ hominē aspirare concessum est: ipsiq; purificati, uelut in sanctū quoddam templū, in cœnaculū ueniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidē panes ordine, unum autem uasculū ex uno pulmento singulis cocus apponit. Deinde uoce cibum sacerdos anteuenit: neq; gustare quenquā fas est, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finē quoq; prandij, uota repetunt. Nam & cum incipiunt, & cum desinunt, quasi datorem uictus, Deum laudibus canūt. Tunc ueluti sacris illis depositis uestimentis, in opere usq; ad uesperā uersantur. Similiterq; inde reuersi cœnant, cōsidentibus etiā hospitibus, si quos fortè interuenisse repererint. Neq; uerò clamor unquā tectū illud, neq; tumultus inquietat: quū etiam loquendi ordine alijs alij cedāt, eorumq; silentiū extra tectum constitutis arcanū quoddā uideatur uenerabile. Cuius quidem rei perpetua sobrietas causa est, quodq; apud eos edendi aut potandi modus saturitate definitur. Sed quamuis aliarum rerum nihil sine præcepto faciunt curatoris, tamen in his duobus, hoc est, iuuando & miserendo, sui iuris sunt. Nam & subuenire dignis, cum opus est, suo arbitrio cuiq; licet: & indigentibus alimenta porrigere. Sanè cognatis dare aliquid, siue curatoribus, interdictum. Iidem iracundiæ moderatores iusti sunt, indignationem cohibent, fidem tuentur, paci obsecundant: & omne quod dixerint, iureiurando fortius habent: Ipsum autē iusiurandū quasi periurio deterius uitant. Iam enim mendacij cōdemnatum arbitrantur, cui sine Deo non creditur. Summū autem studium ueterū scriptis adhibent: ea maximè inde, quæ animæ & corpori expediant, eligētes. Hinc illis morborū remedia, stirpes medicæ, quamq; uim propriā singuli lapides habeant, rimantibus conquiruntur. Sectæ uerò suæ studiosis, non statim cum eis una collectio, sed per annum integrū extrinsecus cōmorati cuiq; eundem uictus ordinem tribuunt: dolabellā quoq;, & quod prædictū est perizoma, et albam uestem tradentes. Cum uerò processu temporis experimentū cōtinentiæ dederit, accedit etiam ad cōmunem cibum: & purioribus, ob castificationē scilicet, aquis participat: neq; tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippe cōtinentiæ, duobus annis alijs mores eius probātur. Cumq; dignus apparuerit, tunc demum in cōsortium assumitur. Prius uerò quàm incipiat communem habere cibum, magnis execrationib. adiurat, se primùm quidē colere Deum, deinceps quoq; erga homines seruare iusticiam: & neque propria sponte nocere cuiquam, neq; ex præcepto obesse: quin immò iniquos omnes odisse, & collaborare semper iusticiæ sectatoribus fidē omnibus seruare, maximè uerò principibus. Neq; enim absq; uoluntate Dei cuiquā posse principatus potentiā contingere. Si uerò ipsæ cæteris præsit, nunquā se abusurū uiribus potestatis ad contumeliā subiectorū, sed neque uestе aut ambitioso aliquo ornatu reliquis eminere: ueritatem semper diligere, et habere propositum conuincere mentientes. Manus uerò à furto, & animā purā seruare ab iniustis cōpendijs: & neq; aliquid de mysterijs confectaneos celare, neq; profanis eorū quippiā publicare, etiam si intentata quispiā morte cōpellat. Super hæc autē addūt, nihil se de dogmatib. aliud quàm ipsi susceperint, tradere. Fugere autē latrocinia: et conseruatū ire simul & dogmatis sui libros, et angelorū nomina. His quidē execrationibus explorant, & quasi præmuniunt accedentes. Deprehensos uerò in peccatis, à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerunq; morte cōsumitur. Illis quidē sacramentis ac ritibus obligatus, neque carpere ab alijs oblatū cibū potest: herbas uerò pecudū more decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plerunq; miserati, extremū spiritū agentes receperunt: sufficientem pro peccatis eorū, quæ usq; ad mortem adduxerit, pœnā luisse censentes. In iudicijs uerò sunt diligentissimi ac iustissimi. Disceptant autē non minus quàm centum in unū coacti: quod autē ab his decretū fuerit, immobile manet. Veneratio quoq; apud eos post Deum magna legislatoris est: ita ut si quis eum blasphemauerit, morte damnetur. Senibus uerò obedire, & pluriū quorumq; decreto, probabile arbitrantur officiū. Cum simul deniq; federint decē, nullus unus nouem loquitur inuitis. Expuere quoq; in mediū eorum, uel in dextram sui partē, quisq; deuitat. Sabbatis quoq; operationē aliquam contigisse, omnib. Iudæis diligentius cauent: neq; cibum sibi solum pridie præparant, ne uidelicet illo die

ignem

ignem accendant: sed neq; uas aliquod transponere audent, imò nec aluum purgant. Alijs autem diebus fodientes foueam uno pede altam σπιθαμὴν, hoc est dolabella, quam tradi nuper accedentibus diximus, demissa ueste sese diligentissimè contegentes, ne scilicet splendori diuino iniuriam faciant, in eadem fouea ab onere uentris leuantur, ac deinceps terram quam effoderant reducunt: idq; ipsum faciunt in locis secretissimis. & cum naturalis sit ista purgatio, nihilominus tamen solenne habet, ut quasi ab immundicia diluatur. Discernuntur autè inter se, secundũ susceptæ abstinẽtiæ tempora, in ordines quatuor: tantumq; hi qui iuniores sunt, inferiores præcedentib. æstimãtur, ut si aliquos eorũ cõtigerint, quasi à cõtactu alienigenæ diluantur. Viuunt autè quàm longissimè, ita ut plurimi eorũ usq; ad centenariã proferãtur ætatẽ, propter simplicitatẽ uictus, ut equidẽ puto, & institutionẽ bene in omnibus ordinatã. Sunt etiam cõtemptores aduersorũ: cruciatus siquidẽ uincũt firmitate cõsilij. Mortẽ uerò, si cum decore obeunda sit, iudicant etiã immortalitate meliorẽ. Prodidit autẽ eorũ in omnib. negocijs animos, bellũ quod gestũ est cum Romanis. Tunc siquidẽ per artuũ cõfractiones et ignes, ac per tormenta omnigena transeuntes, ut uidelicet uel in legislatoris aliqd loquerentur iniuriã, uel ciborũ quippiam quod nõ solent ederent, ad neutrũ horũ potuerũt cõpelli: sed neq; deprecari suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia. in medijs quimimo cruciatib. subridẽtes, & eis qui tormenta admouerãt illudentes, cõstantes animas cum quadã hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eas essent denuò recepturi. Opinio quippe apud illos firmata cõstitit, corruptibilia quidẽ esse corpora, materiamq; eorũ nõ esse perpetuã: animas autẽ immortales semper manere, & de æthere subtilissimo commeantes, quasi carceribus, ita corporibus implicari, uelut quas illecebra naturalis attraxerit. Quum uerò fuerint à carnalibus releuatæ uinculis, quasi de seruitute longissima liberatas, ita ilico lætari eas, sublimesq; ferri. Et quidẽ bonas (cõcinentes in hoc Græcorũ sententijs) pronunciãt ultra Oceanũ degere, ubi eis sit reposita perfruitio: illic quippe esse regionẽ, quæ neq; imbribus, neq; niuibus, neq; æstibus aggrauetur: sed quam Oceano oriens Zephyrus, & leniter aspirans amœnet. Malis autẽ animabus procellosa loca & hyberna delegant, plena gemitibus exercendarũ sine fine pœnarũ. Sunt autẽ in eis qui etiã futura nosse promittant, sacris uidelicet libris, et uarijs sanctificationib⁹, prophetarumq; dictis à primis ætatib. adhærentes: rarò autẽ accidit, ut prædictiones eorũ frustratio cõsequatur. Est autẽ aliud etiã Essenorũ collegiũ, cibos quidẽ & mores legesq; similes cũ priorib. habens, distãs uerò opinione de cõiugio. Maximam siquidẽ uitæ hominũ partẽ, succeßionẽ scilicet, amputare eos qui abstineãt nuptijs, arbitrantur: quippe si in eandẽ uelint omnes ire sententiã, defecturũ cõfestim genus humanũ. Nihilominus autẽ cum tanta ipsi moderatione cõueniunt, ut per trienniũ explorẽt ualetudinẽ fœminarũ: & si cõstanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia asciscũt. Nemo tamẽ eorũ cum prægnãte cõcumbit: ut ostendant, quòd nuptias nõ uoluptatis, sed liberorũ causa inierint. Lauantibus autẽ fœminis, ita ut uiris, perizomatũ inest amictus. Tales sunt mores huius collectionis. Meminit Essenorũ quoq; lib. 18. cap. 2. Antiquitatum Iudaicarũ, ubi dicit: Essenorũ placitũ uniuersitatis regimẽ citra exceptionem Deo asserit, immortalitatem animis: nec aliud quicquã æquè ac iusticiã, omni cõtentione expetendum existimat. ad templũ autẽ donaria mittẽtes, sacra ibi nõ faciũt, quod sanctiorib. utãtur ceremonijs. quapropter excluſi à cõmuni fano, seorsim sacrificãt. moribus alioqui sunt probatißimis, agris colendis in totum dediti. Miranda etiam est eorũ iusticia, qua omnes Græcos & Barbaros longè superant, multis etiam seculis triti in eius continuis studijs. Apparet ex ista narratione, Essenorum collegium nihil aliud quàm monachatũ fuisse.

DE THEVDA.

Gamaliel in Actis cap. 5. dissuadẽs Iudæis, ne uiolenter in Apostolos Christi sæuirẽt, cõmemorat duos præstigiatores seu hæreticos, qui non multo antè extiterint. Ante hos, inquit, dies extitit Theudas, dicens se esse aliquẽ, cui adhæsit numerus uirorũ circiter quadringentorũ: qui occisus est, & omnes quicunq; credebant ei, dißipati sunt, et redacti ad nihilũ. Verum Iosephus nõ parum ab hac narratione discrepare uidetur. nam Antiquit. Iudaic. lib. 20. cap. 1. refert, hunc Theudam in Iudæa fuisse, Cuspio Fado eam procurante. qui & ex improuiso in eam congregationem equitibus immißis, plurimos interemerit, ac Theudæ caput amputatum Hierosolymam detulerit. Genus doctrinæ fuisse, quòd se prophetam uenditarit, ac promiserit se Iordanem sciſſurum uerbo, siccumq; transitum præbiturum. Perſuaſiſſe igitur magnæ uulgi multitudini, naturæ curiosæ & rebus nouis cupidæ, ut facultatib. suis assumptis ad Iordanem conflueret. Verùm cum Gamaliel dicat, Iudam Galilæũ fuisse post hunc Theudam, & quidem Cyrenio censum exigente: Fadus autẽ multo post, nempe circiter annum Domini 47 Iudæam administrauerit: potius Lucæ fides habenda uidetur, neq; nos illud tempus in magno ponimus discrimine.

DE IVDA GALILAEO.

Post Theudã (inquit Gamaliel in Actis 5. capite) extitit Iudas Galilæus, eo tempore cum census ageretur, et auertit populũ post se, & ipse periit, & omnes quotquot obsecuti fuerãt ei, dispersi sunt. De hoc turbatore Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 18. cap. 1. Extitit quidã Iudas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala: qui adiũcto sibi pharisæo Sadduco, sollicitabat ad defectionem populos: censum nihil aliud quàm manifestã seruitutis professionẽ esse dictitans, & uniuersam gentem ad tuendã libertatẽ adhortans. Fore enim, ut re bene gesta fortunis suis fruantur feliciter, & confirmati in earum possessione laudẽ quoq; sibi parent fortitudinis: nec sperandum auxiliũ cœlestis numinis, nisi ipsi quoq; rebus suis consulant. Item libro eodem, capite 2. Hi, inquit, cæterà cum pharisæis consentiunt, nisi quòd constantißimo libertatis amore flagrant, credentes solũ Deum dominum habendum ac principem: & facilius uel exquisitißima pœnarum genera laturi, unà cum cognatis suis ac carißimis, quàm mortalem aliquem appellaturi Dominum. Idem de bello Iudaico lib. 2. cap. 7. inquit: Coponio disceptante, Galilæus quidam Simon nomine defectionis arguebatur, quia indigenas increparet, si tributũ Romanis pendere paterentur, dominosq; post Deum ferrent mortales.

Cæterum

Cæterùm recenſet Epiphanius tomo 1. lib. 1. adhuc alias quaſdam hæreſes, quæ hoc tempore in Iudæa graſſatæ ſint: ut Sebuæi, Gortheni, Doſithei, qui Eſſenorum uidentur factiones fuiſſe: & ſcribæ, Hemerobaptiſtæ, Nazaræi, Oſſeni, & Herodiani. Verùm cum in Euangeliſtis eorum memoria non extet, nec ſit exploratum quando uel cœperint, uel deſierint, prolixè eorũ furores hoc loco commemorare noluimus.

CAPVT SEXTVM.

DE CEREMONIIS QVAE IN populo Iudaico hoc tempore fuerunt uſitatæ.

INCIDIT Chriſtus in religionẽ Iudaicam, adhuc qualitercunq; ſtantẽ. Itaq; et ceremonijs quibuſdã cõmunicauit, præſertim à Deo per Moſen inſtitutis: quibuſdã uerò non, ut traditionibus ſeniorũ, quæ aliquid ſuperſtitionũ habuere. Priuſquam igitur ritus nouos & inſignes à Chriſto inſtitutos recenſeamus, quorũ paucißimi ſunt, receptas atq; uſitatas ceremonias populi Iudaici commemorabimus.

DE TEMPLO HIEROSOLYmitano, & quid in eo ſolitum ſit fieri.

FVit adhuc Hieroſolymis templũ, quod templum Dei Matthæi 21. appellatur, quodq; unum uniuerſa gens Iudaica habebat, quadraginta ſex annis ædificatum, ſicut Iudæi affirmant Iohannis ſecundo. Id uerò ſic ſe habet: Nabuchodonoſor ſpoliauerat & accenderat magnificum Salomonis templum, ac reliquam ciuitatis partem ſolo æquauerat per Nabuzardan militiæ principem, abductis reliquijs Babylonem in ſeruitutem. Verùm Cyro primo Perſarum rege imperium tenente, ſingulari Dei beneficio Daniel regi perſuaſit, ut captiuis Iudæis libertatẽ edictis publicis reſtaurandi templũ & Hieroſolymã cõcederet. Inchoatur igitur extructio templi anno Cyri ſecundo. Verùm faceſſunt ædificantibus negotiũ, & operas impediunt Samaritani et alij uicini, ueriti ne ſi eo loco rurſus ciuitas muniretur, ſibi de dignitate ac cõmodis plurimũ decederet: religio etiã quã habebãt, præ Iudaica uileſceret. Cyro autẽ bellis implici to uarijs, ac poſtea etiã à Scythis interfecto, aliquandiu operis ſuis abſtinere coacti ſunt Iudæi, deſtituti defenſore. Cyro Cambyſes ſuccedit, impietate & tyrannide celebris: qui & ſuapte malicia & prauis inſtigatoribus accenſus, edicta promulgauit, ne ædificatio templi continuaretur. Poſtea ſub Longimano, ſeu ut alij uolunt Dario Hiſtaſpe, opus templi publica regis autoritate, iußu et impenſis additis, conſummatũ eſt. Etſi autẽ & Herodes quædã renouarat et ornarat, teſte Ioſepho: tamẽ de ueteri inſtauratione in hiſtoria Euangelica loquuntur Iudæi, quæ facta eſt circiter 556 annos, ſi initium computetur, ante Chriſti natiuitatem.

Mirantur autẽ Apoſtoli ſtructurã templi, eamq; & corã Chriſto prædicãt. Magiſter, inquiunt, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. Et dona, quibus ornatũ erat, laudãt Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. Maximus igitur fuit eius domus ſplendor & magnificentia, ſicut Ioſephus lib. 15. cap. ultimo prolixè deſcribit. Situs templi fuit in loco edito, ſicut ea locutio teſtatur Lucæ 18. Duo homines aſcenderunt in templum. et in Actis cap. tertio dicitur, Petrũ & Iohannẽ aſcendiſſe in templũ.

Iohan. 10. fit mentio porticus Salomonis in templo, in qua Chriſtus ambularit: ac Iudæis ſciſcitantibus, declarauerit ſe eſſe Meßiam. Templi pinnæ mentio fit Matthæi 4. Portæ templi quæ Speciosa uocata eſt, mentio fit in Actis Apoſtolorum cap. 3. Intus autem qualis ædificiorũ ratio fuerit, Paulus Hebr. 9. exponit. Tabernaculũ, inquit, primũ in quo erãt candelabra, & menſa & propoſitio panũ, quæ dicitur ſancta. Poſt uelamentũ autem, ſecundũ tabernaculũ, quod dicitur ſancta ſanctorũ, aureũ habens thuribulũ, et arcã teſtamenti, circumtectã ex omni parte auro: in qua urna aurea, habens manna, & uirgã Aaron, quæ fronduerat: et tabulæ teſtamenti, ſuper quæ erant Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatoriũ. Velũ ante ſanctũ ſanctorũ pependit, quod Chriſto in cruce mortuo ſponte per mediũ eſt diſruptũ. Diſtinguuntur & Lucæ 1. in hiſtoria Zachariæ, templi loca. nam populus foris ſtat, hora incenſi orans: at ſacerdos Zacharias intus incenſum ponit in altare. Panum propoſitionum meminit Chriſtus Matthæi 11. & hoc tempore quoq; collocatos fuiſſe in menſa, Paulus Hebræ. 9. teſtatur.

De altari, in quo incenſto fiebat, Lucæ 1. dicitur, & Matth. 23. Lucæ 21. Zacharias inter templum & altare eſt occiſus. Fuit & gazophylacium in templo, Marci 12. Lucæ 21. Iohan. 8.

Nunc quid in templo factũ ſit, uideamus. Hebræ. 9 ſic ſcriptũ eſt: In prius tabernaculum ſemper introibãt ſacerdotes, ſacrificiorũ officia cõſummantes: in ſecundum autẽ, ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia: hoc ſignificante ſpiritu ſancto, nondũ propalatã eſſe ſanctorum uiã, adhuc priore tabernaculo habente ſtatũ. Quæ parabola eſt temporis inſtantis, iuxta quam munera et hoſtiæ offeruntur, quæ nõ poſſunt iuxta conſcientiam perfectũ facere ſeruientẽ: ſolũmodo in cibis, & in potibus, & in uarijs baptiſmatibus, & iuſticijs carnis, uſq; ad tempus correctionis impoſitis. Item ſanguis hircorũ & taurorũ, & cinis uitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, purificans carnẽ. Lucæ 1. Zacharias in altare poſuit incenſum. Erat in ſancto ante ſanctũ ſanctorũ altare, in quo quotidie mane & ueſperi thymiama incendebatur, fiebantq; preces matutinæ et ueſpertinæ, ac populꝰ ſolebat ad eas cõuenire. Exodi 30. Facies altare de lignis Setim. itẽ, Adolebit incẽſum ſuper eo Aarõ, ſuaue fragrãs: mane, quãdo cõponet lucernas, incendet illud: et quando collocabit eas ad ueſperum, uret thymiama. Sanctificãtur Paulus & cæteri cũ eo, in tẽplo Hieroſolymitano: id quod fiebat ſacrificijs ſeu oblatione pro unoquoq; eorũ, Act. 21. Purgabãtur in templo puerperæ. ita Maria dieb. à Moſe præſcriptis, quib. debebãt ſe à partu domi cõtinere, uenit in templũ, offerens ſicut aliæ pauperiores, fortè par turturũ, unum in holocauſtũ, & alterũ pro peccato: & ſacerdos pro ea orauit. Leuit 12. Lucæ 2. Siſtebãtur in eo primogeniti, ac redimebantur certo ritu. Sic Maria Chriſtũ primogenitũ in templũ obtulit, eumq; redemit: Exodi 13. 34. Numeri 8. Hæ ceremoniæ, quia à Deo erant præceptæ, ideo à pijs omnib. hoc adhuc tẽpore religioſè obſeruabantur.

Erant

Erant in templo uendentes ac ementes, mensæ numulariorum & cathedræ uendentium columbas, idq; in usum sacrificiorum. Nam peregrè aduenientibus, interdum etiam inquilinis, non erant ad manum uictimæ. Isti igitur mercatores ibi uenalia habebant omnis generis animalia, oues, boues, colũbas, ad sacrificia idonea. aderant & numularij, monetas mutantes, et mercantes ea quæ adferebantur seu à peregrinis, seu à sacerdotib. Eam profanationem non modò graui concione taxat Christus, quod inquit: Scriptum est, Domus mea domus orationis uocabitur, uos autem feciſtis ſpeluncã latronum: sed etiam ui mensas & æs euertit, ac flagello uendentes ac ementes è templo exturbat, Matthæi 21. Marci 11. Lucæ 19. Iohan. 2.

Offerebant ad altare munera: nec licebat eos hoc facere, qui inimicitias cum alijs habebant. ideo Matth. 5. Christus inquit: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum.

Docuerunt in templo sacerdotes populum, de uero usu ac fructu sacrificiorum, deq; alijs articulis doctrinæ cœleſtis. Sic non frustra populus Zachariam uictimas comburentem expectant, sed hauddubie et conciunculam quandam & benedictionem ex ipso priusquam exirent, cupiebant audire: Lucæ 1. In templo inter medios doctores sedet Christus, audiens & interrogans: Lucæ 2. Solenne igitur fuit, doctores in templo turbam erudire. Lucæ 2. Simeõ docet de IESV, quòd sit uerus Meſſias, ab omnibus pijs hactenus expectatus. Hanna quoque ibi concionem habet de IESV Meſsia, exhibito ad eos qui redemptionem Israel expectabant: quorum numerũ aliquem ibi præsto fuisse, consentaneũ est. Christus etiam postea munus suum auspicatus, frequentius ipse in templo docuit: ut est annotatum Matthæi 21. Marci 12. 13. Lucæ 22. Iohan. 5. 7. 8. 18. Docuit autem Christus in templo sedens, Iohan. 8. ex aduerso gazophylacij, Marci 12. Vel etiam in ipso gazophylacio sedens, Iohan. 8. Consentaneum est, ibi fuisse sedilia quædam, tum ad docendũ, tum ad audiendas conciones constructa. Sederunt enim doctores, quando Christus in medio ipsorum inuentus est: Lucæ 2.

Orabant in hoc templo. Lucæ 1. Zacharia incendente uictimas, populus interea foris orat. Lucæ 24. Erãt credẽtes, à resurrectione Christi, semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Matthæi 21. Iohannis 2. Esaiæ 56. Ieremiæ 7. Domus mea domus orationis uocabitur. Lucæ 18. Publicanus à longè stat, suas ad Deum preces fundens. At phariſæus sua inani operum iuſtitia inflatus, in altiori templi loco siue gradu siue dignitate, orat, aut blaſphemat potius. Vſitatum fuisse, certis horis preces facere in templo, historia in Actis declarat cap. 3. ubi Petrus & Iohannes ascendunt in templum, ad horam orationis nonam.

Solebant offerre munera in gazophylacium: Marci 12. Christus enim aſpicit, quomodo turba mitteret æs in gazophylacium, & multi diuites mittebant multa. Cum uenisset autem uidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico uobis, quoniam uidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc uerò de penuria sua, omnia quæ habuit, misit totum uictum suum.

Foris in porticibus soliti sunt ambulare, ac conferre de rebus ad pietatem pertinentibus. Sic Christus in porticu Salomonis, ut suprà dictum est, ambulans, docet alios, quòd sit Meſsias.

Ante portas templi quotidie soliti sunt ægroti iacere, mendicantes, ob hominum frequentiam ingredientium, ab eisq; stipem petere. Sic claudus mendicans ante Speciosam portam, à Petro & Iohanne, cum usitato more tantum aliquid æris petijsset, in nomine IESV Christi sanatur, ita ut exiliret, & incederet quòcunq; uellet: Actorum 3.

Solitæ sunt uiduæ circa templum habitare, sicut de Hanna narratur Lucæ secundo: Non discedebat à templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens noctu ac die.

Quo in loco leprosos contemplati sint et iudicarint sacerdotes, non est manifestum. Eum tamen ritum adhuc durasse, Christus testatur. nam Matthæi 8. dicit ad leprosum quem mundauerat: Vade, ostende te sacerdotibus, & offer munus tuum, quod præcepit Moses. & ad decem leprosos ait: Ite ostendite uos sacerdotibus, Lucæ 17. Abstinuerunt etiam, ut hoc obiter moneamus, leprosi ab hominum congreſsibus: ideo procul stant, auxilium à Christo petentes.

DE SYNAGOGIS.

SYnagoga, significat congregationem. & usu receptum est, ut etiam locus cœtus Eccleſiastici sic uocatus sit, in quo nimirum sacræ conciones ad populum habitæ, ac prophetæ lecti & explicati sunt. Eiusmodi synagoga Hieroſolymis, præter templum, adhuc fuit: ut Christus testatur Iohannis 18. Ego semper docui in synagogis, & in templo, ubi omnes Iudæi conueniunt. Christus enim Hieroſolymis existens, de ipsorum synagogis hæc dicit. Ioan. 2. Non confitebantur, ne è synagoga eijcerentur. & Ioan. 9. Iam enim conſpiraverant Iudæi, ſ. Hieroſolymitani, ut ſi quis eum confiteretur esse Christum, è synagoga eijceretur. Vtrum autem in templo, aut propè, locus seu auditorium aut lectorium tale, ut nunc uocare possemus, fuerit, non est clarè indicatum. Porrò in cæteris locis Iudææ paſsim synagogæ fuerunt, templis uerò in uniuersum caruerunt, uni eo Hieroſolymitano (iuxta Dei mandatum) contenti. Sic scriptum est Matthæi 4, IESVM totam circuisse Galilæam, & docuisse in synagogis eorum. Matthæi 9. Circuibat IESVS omnes ciuitates & castella, docens in synagogis. Sic synagogæ in Capernaum mentio fit Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 6. in Nazareth, Matthæi 13. Marci 6. Lucæ 4. Habuerunt autem in synagogis cathedras, quarum aliæ superiores, aliæ inferiores habebantur. & taxat Christus scribas et Phariſæos, qui ambitione ardentes, affectarunt in synagogis primas tenere cathedras: Matth. 23.

In synagogis igitur publici cõgreſsus celebrati sunt. Fuit autem usitatum, Sabbato maximè in ea loca conuenire: id quod ex historia Christi perſpicuum est. Legerunt in eis scripta prophetica, eaq; exposuerunt. Concesſum etiã est, præter ordinarios doctores, (quorum gradus quidam fuerũt, sicuti archisynagogus quidam

dam appellatur, Marci 5.) peregrinis aut notis uenientibus in synagogas, ut ex sacra scriptura aliquẽ locum modestè explicarẽt. Ita Christus in synagoga Nazarethana surgit, ut legeret: & traditus est ei liber Esaiæ prophetæ, quem postquam reuoluit, inuenit locum ubi scriptum extat: Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me, ad euangelisandum pauperibus misit me, &c. Complicato autem libro, reddidit ministro, et sedit. Omnium uerò in synagoga oculi erant intenti in eum, cœpitq; dicere ad illos: Hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris. Et omnes testimonium ei dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius. Data etiam potestas est interrogãdi placidè & uerecundè, de ijs quæ non satis intellecta erant: ac respondebant non tantum archisynagogæ, sed & cæteri qui uolebant, ordine. Sic in templo Christus quærit de quibusdam rebus in publico congressu: & explicantibus graues controuersias, attentè auscultat. Idem & in synagogis factum est. Et hinc est quòd Paulus ait: Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior. 1. Corinth. 14. Imò & ex hoc Pauli loco forma illorum congressuum sumi potest. Nam usitatos ritus describit, nisi quòd abusus reprehendat, & ad uerum usum reuocet. Cum conuenitis, inquit, unusquisq; uestrûm psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet. Omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, per binos fiat, aut ad summũ per ternos, idq; uicißim, ut unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur, & Deo. Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Item: Mulieres in Ecclesia taceant. non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: sicut & lex dicit. Si quid autem uolunt discere, domi uiros suos interrogent. Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia. Orationes etiam factæ sunt in synagogis, Matthæi 6.

Vsus est autem Christus ipse locis illis publicis, ad docendos homines destinatis. Sicut Iohan. 18. dicit, se in templo ac synagogis suam doctrinã professum esse, neq; in occulto quicquam dixisse. Addidit autem ad confirmandam atque ornandam suam doctrinam Christus miracula, quæ in synagogis ac conspectu omnium edidit. Sic aridam habentem manum, in ipsa synagoga sanat, Matthæi 12. Dæmonium eijcit, Marci 1. Lucæ 4.

Præterea decreta quædam Iudæi in synagogis, contra eos quos putarunt errores seminare, fecerunt & promulgarũt: Iohan. 9. 12. Comprehensos autores hæresium. flagellarunt: Matthæi 10.

Cæterùm Christus, eiusq; synergi, nõ tantum in templo ac passim in synagogis Euangeliũ regni annunciarunt, sed etiam in alijs locis: ut in domibus, in quas diuertit Christus: in montibus: ex nauicula etiam concionem habuit ad homines in littore stantes, sicut ex historia patet: idq; pro libertate Euangelica, & ut notum fieret, Christum iam in omnes partes orbis terrarũ uerbum Dei propagaturum esse, seq; potestatem habere ubiq; imperitos erudiendi.

DE CIRCVMCISIONE, ET purgatione puerperarum.

OBseruarunt adhuc communiter circumcisionẽ, de qua Genesis 17. scriptum est, ut apparet ex historia Iohannis et Christi Lucæ 1. 2. Masculi enim octauo die uterq; circumciduntur. Facta autem est quædam piorum congregatio: & simul soliti sunt imponere infantibus nomina, eaq; uel à parẽtibus, aut familia sumpserunt. Iohanni autẽ & IESV diuinitus ista nomina facta sunt. Nec prohibebat Sabbati festiuitas, quin eo, si ita res tulisset, circumcisio fieret. Iohannis 8. In Sabbato, inquit Christus, circumciditis hominẽ. Fortè etiam notat Christus ritum Iudæorum, quòd proselytos Sabbato circumciderint: uerùm ea res in historia Euangelica non habet clariorem explicationem.

Puerperæ autem iuxta legem Moysi se cõtinuerunt domi, edito masculo dies 40. fœmella uerò, 80. Postea uerò à sacerdote expiatæ sunt, oblato agno, & pullo columbæ, seu turture: altero in holocaustum, altero pro peccato, & oratione pro ipsis facta. Pauperioribus, duos turtures aut pullos columbarum in eundem usum substituere fas fuit. Leuit. 12. Eum ritum et Maria cum ipso Christo, ut diuinitus institutum, seruauit: nondum enim abrogatus erat. Vterque autem ritus significabat, homines naturali ordine conceptos & natos, peccato obnoxios esse. In primis uerò circũcisio simul indicabat, sanguine seminis benedicti & Abrahæ promißi peccata expianda esse. Subijcitur autem Christus biscè legibus, etsi omni immũdicie carebat, propter totum genus humanum, ut legem omnem impleret.

DE FESTIS POPVLI IVDAici, quorum in historia Christi fit mentio.

PEsah, siue (ut usitatè loquimur) Pascha, significat transitum, præteritionem, transilitionẽ. Fuit uerò insigne festum, quod Christus ad suam passionem usq;, unà cum Iudæis reuerenter obseruauit. Soliti autem sunt propter legis præceptum, quotannis ex uniuersa Iudæa, Hierosolyma ad celebrandum Pascha confluere: sicut de parẽtibus Christi Lucas memoriæ prodidit, capite 2. Et ibant parentes eius per singulos annos Hierosolymam in die solenni Paschæ. Ita legimus Christum ascendisse Hierosolymam ad id festum, Iohannis 2. 5. 6. 12. Et de alijs Iohannes inquit: Ascenderũt multi Hierosolymam de regione, ante Pascha: Iohan. 11.

Ritus ipse prolixè describitur Exodi 12. Decima die, inquit Deus, mensis huius tollat unusquisq; agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere posßit ad uescendũ agnum, assumet uicinum suum, qui coniunctus est domui eius, iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eum usq; ad quartamdecimam diem mensis huius. Immolabitq; eum uniuersa multitudo filiorum Israel ad uesperam, et sument de sanguine eius, ac ponent super utrunque postem, et in superliminaribus domorum in quibus comedent illũ. Et edent carnes nocte illa assatas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudũ quid, nec coctũ aqua, sed assatum tantũ igni. Caput cum pedibus eius & intestinis uorabitis, nec remanebit quicquam ex eo usq; mane. Si quid residuum fuerit, igne cõburetis. Sic autem comedetis illum: Renes uestros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculum in manibus, & comedetis festi-

nanter. Est enim phase, id est transitus Domini. Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usq; ad pecus: & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autem sanguis uobis in signum, in ædibus in quibus eritis: & uidebo sanguinem, & transibo uos, nec erit uobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti. Habebitis autem hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solennem Domino in generationibus uestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentatum in domibus uestris. Quicunq; comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die usq; ad diem septimum. Dies prima erit sancta atq; solennis, & dies septima eadem festiuitate uenerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad uescendum pertinent, & obseruabitis azyma. In eadem enim ipsa die educam exercitum uestrum de terra Aegypti, & custodietis diem istũ in generationes uestras ritu perpetuo. Primo mense, quartadecima die mensis ad uesperã comedetis azyma, usq; in diem uicesimamprimam eiusdem mensis ad uesperam. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus uestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima eius in cœtu israel, tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Eratq; huius ritus celebratio certo loco alligata, ut patet Deuter. 16. Non autem is ritus tantum ob memoriã eductionis ex Aegypto, atq; aliorum beneficiorum, quæ tum Israelitico populo præstiterat Deus, celebrabatur: sed omnium maximè, quia typus erat Messiæ, qui suo sanguine genus humanum à captiuitate & tyrannide peccati, mortis, diaboli & inferni erat liberaturus. Sicut Baptista agnum declarans, monstrato Christo inquit: Ecce hic est agnus Dei, tollens peccata mundi. Abrogabat autem Christus eam solennitatẽ tum institutione alterius cœnæ, in qua corpus suum iubet comedi, & sanguinem bibi: tum propria sanguinis profusione in ara crucis. Nec post Christi resurrectionem credentes, Iudaico ritu amplius Pascha comederũt. Iohan. 11. extat, multos è regione Hierosolymam ascendisse ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. unde constat, homines solitos quibusdam oblationibus seu sacrificijs ante Pascha sese expiare. Vocabatur dies Parasceues, qui proximè diem esus agni præcedebat, eo quòd necessaria ad festum præparabantur: Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. Iohannis 19. Dies azymorum uocantur, quòd nõ in ijs licebat fermentatum quid comedere, Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22.

Habuerunt etiam Iudæi cõsuetudinem (quæ unde sit nata, incertum est) ad diem Paschæ quotannis maleficum ex uinculis dimittendi: id quod exemplum Barrabæ testatur.

Pentecostes non fit mentio ab Euangelistis. Erat autem festum, in quo memoria legis diuinæ promulgatæ in monte Synai recolebatur, die nimirum quinquagesimo à Pesah festo. Nam totidem ab egressu populi Israelitici, donec ad eum montem uenissent, dies intercesserant: unde & nomen accepit. Obseruatum autem esse magno studio, apparet ex historia Actorũ 2. ubi etiam nouam Pentecosten Christus cum discipulis suis, effuso in ipsos spiritu sancto, uisibiliter, & accensis linguarum ac miraculorum donis, celebrat. Actestatur ea historia, plurimos tum homines Hierosolymis fuisse. Vocatur autem festum hebdomadarum, ac præcipitur obseruandum à Deo: Leuit. 23. Deuteronom. 16.

Solennitatis Scenopegiorum, seu tabernaculorum, fit mentio Iohannis 7. in qua & Christus Hierosolymæ fuit. Ita enim à Deo cõstitutum erat, ut ex Mose patet, ut quotannis hæc tria festa Hierosolymis celebrarẽtur: nempe Pesah, Pentecoste et Scenopegia, ac reliqui passim ex Iudæa ibi conuenirent. Ritus describitur Leuit. 23. A' decimoquinto, inquit, die mensis huius septimi (Septembris latinè) erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus uocabitur celeberrimus atq; sanctissimus, omne opus seruile non facietis in eo. Item Exodi 23. Erat autem memoria beneficiorũ, quæ Deus in deserto populo Israelitico exhibuit.

Encænia festiuitas fuit, quam Iudæi die uigesimoquinto Nouembris obseruarunt. Significat autem uocabulum renouationẽ, seu dedicationem. Alij putant, hoc festum initiũ sumpsisse à tempore Iudæ Machabæi, qui templo insigni uirtute recuperato, dedicationem eo die maxima læticia fecit: ac deinceps communibus suffragijs statuit, ut eo die quotannis ἐγκαίνια seu recordatio istius dedicationis ac mirandæ recuperationis templi perageretur: 1. Machabæorum quarto. Alij festum esse antiquius asserunt, nempe quod à reditu ex Babylone, templi fundamentis iactis, celebratum sit die uigesimoquarto Nouẽbris: Zachariæ 2. Tempus enim perpulchrè coincidit. Sed utut sese res illa habeat, plenum est, lætissimum fuisse festum, in quo beneficia Dei de instaurato templo & conseruato ministerio, deniq; etiam de patefacta & defensa doctrina cœlesti, prædicata sunt. Obseruat id festum unà cum Iudæis Christus, ut Iohannis 10. scriptum est.

Sabbatum septimo quoq; die obseruarunt Iudæi, ac habet nomen à quiete. Sicut enim Deus structura totius mũdi sex diebus absoluta, die septimo feriatur: ita eum diem sanctificauit, ac tum in memoriam conditæ à Deo machinæ mundi, tum etiam ut eo die Deus coleretur, alijs quotidianis operis intermissis, deinceps obseruari uoluit: Gen. 2. Exodi 20. Deuteron. 5. & creberrimè eius sanctificatio inculcatur. Eundem autem diem & Christus studiose coluit, ita ut plerunq; sabbato in synagogis doceret, ac miraculis se patefaceret. Porrò fit & plurium Sabbatorum mentio, ut Matthæi 28. Vesperæ Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati: Marci 16. Lucæ 24. Iohan. 20. Vna Sabbati, seu sabbatorum. Ea uerò loquendi consuetudo inde est exorta, quòd per catachresin etiam cæteri dies sequentes sabbatum, Sabbata sint dicti. Sic Pharisæus ait se ieiunare bis in Sabbato: hoc est, hebdomada. ita prima Sabbati nobis Dominicus est dies, proximè sabbatũ sequens: secũda Sabbati, secunda feria, dies Lunæ est: tertia Sabbati, tertia feria, seu dies Martis: & sic consequenter. Lucæ 6 extat: Factum est autem in sabbato secundoprimo, cum transiret per sata. Id ita explicatur, quòd magnæ solennitates in plures dies extendebantur, ac proximus sabbato dies eadem penè festiuitate colebatur. ita erat secundum sabbatum, hoc est alter festiuitatis dies, & primus ea ratione, de qua suprà diximus. nam prima dies septimanæ erat. Addebant autem Iudæi suas quasdam superstitiones, sicut & in cæteris rebus. Assueuerabant enim,

enim, non licere in Sabbato hominem ſanare: ideo contra Chriſtũ, tanquam ſabbati uiolatorem, acriter et ſæpe diſputant. Verùm retundit eos Chriſtus ſolidis argumentis, oſtendens, ſuas miraculoſas opitulationes eſſe ipſiſſimos Sabbati cultus, & ipſos legẽ de Sabbato non intelligere: Matthæi duodecimo, Iohannis quinto, & alibi. Nata etiam erat traditio de itinere ſabbati, cuius mentio fit Actorum 1. quod continebat duo millia paſſuum. Nam Oliuetum tam procul ab Hieroſolymis abfuiſſe, narrat Lucas. erat autem prope eum montem Bethania, quam ait Iohannes ſtadijs quindecim ab Hieroſolymis abfuiſſe: quod ſpacium duo millia paſſuum cõprehendit.

RITVS CIRCA ORATIONES.

HYpocritarum, qui in populo Iudaico præcipuã ſanctitatem affectabant, ritus in orationibus, Matthæi 6. recitantur: quòd ament in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, ut uideantur ab hominibus. Eam uerò hypocriſin Chriſtus improbat, ac prohibet: nec dubium, quin Zacharias, Simeon, et cæteri quoq; eam hypocriſin ſemper abhorruerint & uitarint. Deſcribuntur & in phariſæo ac telone geſtus orationis. Orant in templo: id quod ſolenne erat propter arcam, ſiue ipſius Domini præſentiam. Telo in primis conſcientia peccatorum humiliatus, nõ audet oculos in cœlum leuare: ſed tundens pectus, cum gemitu non ſimulato, effundit hæc uerba: Deus, eſto mihi peccatori propitius. Magi ad cunas Chriſti diuinitus adducti, ſtatim procidentes adorant Chriſtum: Matthæi 2. Iairus procidit ad pedes Chriſti, eumq; deprecatur, ut filiæ ſuæ iam animam agenti auxilium præſtet. & hæmorrhoiſſa prolabitur ante Chriſtum, confitens quid ſibi accidiſſet: Marci 5. Lucæ 8. De cæco per Chriſtum ſanato narrat hiſtoria, quòd accepta luce per Chriſti conciones, eum eſſe filium Dei, ſtatim procidens eum adorarit. Iohannis nono, publicanus, leproſi, & alij ſtantes orationes ſuas exponunt. Marci undecimo inquit Chriſtus: Cum ſtabitis ad orandum. In agni Paſchalis eſu accumbens, benedixit & gratias egit Chriſtus. Item eleuatis ſurſum oculis orat, & gratias agit: Iohannis undecimo, decimoſeptimo.

Formulas certas precationum habuiſſe uidentur. Iohannes enim docuit ſuos diſcipulos orare. Item Chriſtus orans, diſcedit à multitudine ſolus in montẽ: Matthæi 14. Marci 6. Abit in deſertum ad orandum: Marci primo, Lucæ quinto: Pernoctauit in oratione: Lucæ ſexto. In Oliueto inchoans ſuam paßionẽ Chriſtus, paululum ab Apoſtolis ſecedit, & poſitis genibus orauit. item procidit in faciẽ ſuam, orans ter: Pater, ſi eſt poſsibile, tranſeat à me calix iſte. Matthæi uigeſimo ſexto, Marci 14. Lucæ 22.

RITVS CIRCA VOCATIONES.

Quomodo Iudæi ſoliti ſint eccleſiaſticas ſuas perſonas uocare & ordinare, non eſt in hiſtoria Chriſti traditum. De ordinatione ſummi Pontificis, in Moyſe habetur. Ipſe autem Chriſtus initiationem, ordinationem ſiue unctionẽ ſuam, iſtis ceremonijs accepit, quòd à Iohãne ſuo præcurſore eſt in Iordane baptiſatus. Aperiũtur cœli, et pater è cœlo alta uoce hæc uerba protulit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum eſt. Spiritus ſanctus uerò columbæ ſpecie deſcendens, uenit in Chriſtũ. Hæc magnifica unctio ab Eſaia 61. capite erat prædicta, & Meßiæ conueniebat. Habuit igitur uocationẽ ſuam ac publicam ordinationem Chriſtus, uerus epiſcopus, non à Papis Hieroſolymitanis, ſed immediatè à Deo. Iohannes uocationem atque ordinationẽ ſuam breuibus indicat, quòd ait ſe miſſum eſſe à Deo ad inchoandum baptiſmum: Iohannis primo. Chriſtus ſimul uocat & ordinat ſuos Apoſtolos abſq; alijs ceremonijs, tantum dicens: Venite, ſequimini me, faciam uos piſcatores hominum. Matthæi quarto, Marci primo, Lucæ quinto, Matthæi nono, Iohannis primo.

EXORCISATIO OBSESSORUM.

Chriſtus eijciens dæmonia, non utitur peculiaribus ceremonijs: ſed ſimpliciter mandat ut egrediantur, eiusq; uoci parêre coguntur. ut Marci nono dicit: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exeas ab eo, & amplius non introeas in eum. Et exclamans (ſpiritus) & multum diſcerpẽs eum, exiuit ab eo. Sic Lucæ quarto, octauo, & alibi facit. Interdum etiam abſens arcana ratione propulſat diabolum: id quod in Chananææ filia fecit, Matthæi 15. Dat Chriſtus etiam ſuis Apoſtolis & Septuaginta poteſtatem eijciendi diabolos: Matthæi decimo, Lucæ decimo. Formam uerborum, qua uſi ſunt, conſentaneum eſt fuiſſe, ut in nomine Chriſti præciperent diabolo, ut exiret. Nam Marci decimoſexto inquit Chriſtus: In nomine meo dæmonia eijcient. Imò & alij non omnino ſequentes Chriſtum, tamen nomine eius uſi, diabolum expulerunt. Nam Lucæ nono, Iohannes ueniens ad Chriſtum dicit: Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Et ait ad eos IESVS: Nolite prohibere. Qui enim non eſt aduerſum nos, pro nobis eſt. Et Matthæi ſeptimo commemorat Chriſtus, multos hypocritas in illo die dicturos: Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & multas uirtutes fecimus?

RITVS CIRCA IEIVNIA.

Sæpe ieiunarunt Iudæi, præſertim autem Phariſæi & hypocritæ. ſicut Lucæ decimooctauo Phariſæus dicit, Ieiuno bis in Sabbato: hoc eſt, hebdomada. & Matthæi nono, dicunt ipſi: Nos Phariſæi ieiunamus frequẽter. Ratio ipſorum Matthæi ſexto à Chriſto deſcribitur, nimirum quòd exterminent facies ſuas, ut appareant hominibus ieiunantes. Sed pronunciat Chriſtus: Amen dico uobis, receperunt merdem ſuam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui eſt in abſcondito, reddet tibi in manifeſto. Ieiunabant & Iohannis diſcipuli ſæpe, Chriſti uerò non: & quærunt phariſæi, quì hoc fiat? At Chriſtus reſpõdet, eſſe iam rem liberam. Sed in unctione quam breui ſubituri eſſent, ipſos ex neceſsitate ieiunaturos ſatis. Nunquid poſſunt, inquit, filij ſponſi lugere, quàm diu cum illis eſt ſpõſus? Veniet autem tempus, quando auferetur ab eis ſponſus, et tunc ieiunabunt. Matthæi 9. Marci ſecũdo, Lucæ quinto. Miraculoſum ieiunium Chriſtus in deſertum à ſpiritu ductus præſtitit, cõtinuos quadraginta dies ac noctes à uictu abſtinens: Matthæi quarto, Marci primo, Lucæ

quarto. Et sicut humanæ naturæ talis abstinentia per tot dies est impossibilis: ita etiam nulli præcepta est. Ieiunauit et Moyses, uerùm is quoq; miraculose, nec potest inde exemplũ commune ad omnes pertinẽs statui.

RITVS CIRCA NVPTIAS.

Commemoratur à Sadducæis lex Moysi, quæ adhuc obseruabatur, quòd uiro extincto sine liberis, frater eius cogatur relictam uiduam accipere, ac semen fratris suscitare: Matthæi uigesimosecundo, Marci duodecimo, Lucæ uigesimo. Ea autem lex, sic habet, Deuteronomij uigesimoquinto: Quando habitauerint fratres simul, & unus ex ijs absq; liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei in lege debetur, perget mulier ad portã ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetq;: Non uult frater uiri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in coniugium sumere. Statimq; accersiti eum facient, & interrogabunt. Si responderit, Nolo eam uxorem accipere: accedet mulier ad eum corã senioribus, & tollet calciamentum de pede eius, spuetq; in faciem illius, & dicet: Sic fiat homini, qui non ædificat domũ fratris sui. Et uocabitur nomen illius in Israel, domus discalceati.

Habuerunt & quosdam nuptiarum ritus, quòd non eàm concurrerunt, sed quendam publicum actum seu ceremoniam celebrarũt. Habuerũt cõuiuia, ubi quisq; pro facultatibus inuitarunt homines: ornarunt se ueste mundiori seu nuptiali, id quod parabola Matthæi 22 à ritu usitato nuptiarum desumpto declarat. et exemplũ pulcherrimum Iohannis secundo commemoratur, cui cum interfuerit Christus, mater eius et discipuli, & nõ alibi initium miraculorum fecerit quàm in nuptijs, ad immortalem coniugij honorem: ideo integram historiam non pigebit adscribere. Die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater IESV ibi. uocatus est autem & IESVS, & discipuli eius, ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater IESV ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei IESVS: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quocunq; dixerit uobis, facite. Erant autẽ lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationẽ Iudæorum, capientes singulæ metretas binas uel ternas. Dicit eis IESVS: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum. Et dicit eis IESVS: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam uinum factum, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, uocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum uinum usq; adhuc. Hoc fecit initium signorũ IESVS in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Virgines solitæ sunt lampadibus expectare sponsum ac sponsam, eisq; præire: Matthæi 25. uidetur enim ab usitato ritu illa parabola sumpta. Testatur parabola de nuptijs, tauros & altilia in nuptijs mactata esse. Typus de receptione filij perditi, dicit de saginato uitulo mactando, ad conuiuium lætum celebrandum.

RITVS VISITANDI AEgrotos.

Aegrotos uisitari solitos, exemplum Christi probat, qui socrum Petri febri laborantem adit, eamq; attacta manu liberat: Matthæi octauo. Ac monet Christus, se puniturum in extremo iudicio hoc peccatũ, quòd ægroti ac captiui non sint uisitati: Matthæi 25. Apostoli solebant oleo ægrotos inungere, sicut Marci sexto scribitur: Vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Pertinuit autem ea ipsa res ad miraculorũ donum, quo erant præditi: & gignebat ea terra balsamũ, quo corpora ægra mirificè recreabantur.

RITVS EORVM QVI SOLITARIAM uitam egerunt.

Qualis fuerit monastica uita Essenorum, suprà de sectis populi Iudaici exposuimus. Cum autem in historia Christi de ijs nihil extet, nolumus in repetendo longiores esse. Iohannes autem baptista, etsi in eremo ad Iordanem uixerit, tamen monachus non fuit, nec monasticam uiuendi rationem instituit. Liberè enim circa ea loca, quò uoluit, iter fecit: ac turbis quotidie ad se confluentibus, doctrinam de Messia proposuit, & baptismũ circa Iordanem administrauit. Estq; synecdochicῶs dictum, Iohannes prædicabat in deserto Iudææ: hoc est, in oppidis ad desertum adiacentibus.

RITVS SEPVLTVRAE.

Mortuo homine aliquo, soliti sunt Iudæi flere & plangere: sicut storgæ in hominibus naturaliter hoc adferunt. Marci quinto, Lucæ octauo. Habuerunt & tibicines, tristi cantu indicantes, in ea domo extinctum hominem esse: ac prouocantes alios ad commiserationem et lachrymas, fortè etiam ad funeris deductionem. Eijcit enim eos Christus è domo Iairi, Matthæi nono. Cadauera ipsa linteamine inuoluerunt, ligatis pedibus & manibus, sicut de Lazaro prodeunte è sepulchro, Iohannis undecimo refertur: Et prodijt manus & pedes habens reuinctos fascijs sepulchralibus, et facies eius sudario erat ligata. ac dicit Iesus: Soluite eum, & sinite ire. Aromatis etiam istas hominis exuuias unxerunt. Sic de Christo Iohannis 19 scriptum est: Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt id linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Habuerunt autem cœmiteria extra ciuitates: id quod historia Christi, Lazari, filij uiduæ Naimitanæ, & commemoratio obsessorum in monumẽtis in regione Gergesenorum, testatur. Deductio funeris fuit honesta & frequens, parentum, cognatorum & uicinorum, qui secuti sunt funus, quod gestatum est loculo ante eos. Lucæ septimo, defunctus efferebatur (ex Naim) filius unicus matris suæ, quæ erat uidua, & turba ciuitatis multa cum ea. Monumenta autem, præsertim opulentiorum, fuerunt in lapidem excisa: ac potuerunt lapidibus impositis claudi, sicut de eo quod Ioseph ab Arimathia sibi in hortum fecit, & Christum defunctum in illud collocauit, commemoratur in historia passionis Christi: ac idem de Lazari monumento narratur. Reliqui tenuioris fortunæ homines, haud dubiè tantum fossis in terram contenti fuere. Apparet ex historia mulierum, quæ tertio die aro

mata

mata ad sepulchrum Christi ferunt, quasi etiam in monumentis altero aut tertio post tumulationem die, cadauera soliti sint unguentis perfundere. Fuit etiam consuetudo, propinquos interdum ad sepulchra suorũ excurrere, ibiq; plorare: Iohannis undecimo. Accesserunt cognati, & alij boni homines, ad eos, qui in tali fuerunt luctu, ob mortem eorum quos charos habuerunt, ac consolationes suggesserunt. sic quarto die post Lazari sepulturã multi ex Iudæis ad Martham & Mariam uenerunt, easq; de fratre suo consolati sunt. Fuit & peculiaris locus destinatus sepulturæ peregrinorũ: sicut Iudæi pro triginta argenteis, quibus emerunt per proditionem Christum, eumq; crucifixerunt, reportatis à Iuda Iscariote, emerunt agrum ad eum usum: ac dictus est is locus deinceps Acheldama, hoc est, ager sanguinis, Matth. 26.

MORES ALII IN EO POPVLO tum usitati.

Lætati sunt cognati & amici, quoniam à sterilibus Deus abstulit opprobrium. Lucæ 1. Lotionibus crebris usi sunt, Marci 7. Pharisæi & omnes Iudæi nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenẽtes traditionem seniorum. Et à foro uenientes, nisi baptisentur, nõ comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare: lotiones calicum & urceorum, & æramentorum & lectorum. Lotionis huius etiam mentio fit Matthæi 15. 23. Hinc est, quod in historia nuptiarũ quæ in Cana Galilææ factæ sunt, recitatur: Erãt lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas uel ternas: Iohannis 2. Continet autem metreta, teste Dioscoride libro 5. decem congios, circiter triginta cantharos nostrates. Cæterùm discipuli Christi liberè hac ceremonia usi sunt, interdũ omittentes: ac defendit eos Christus Matthæi 15. Singulare quandam lotionẽ celebrat Christus à cœna. nam surgens, deponit uestimẽta sua, & accepto linteo præcinxit se. deinde missa aqua in peluim, cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Postea addit: Si ego laui pedes uestros, Dominus et magister uester, et uos debetis alter alterius pedes lauare. Exemplum dedi uobis, &c. Iohannis 13. Haud dubiè, ut in ueteri Testamẽto est, & hoc tempore hospitibus lauerunt pedes: inde & ista lotio manauit. sed hac ceremonia de suo beneficio, nempe de peccatorum ablutione, in præsentia suos discipulos uolebat commonefacere: ac simul inculcare humilitatem & dilectionem erga alios, excussa affectatione principatus.

Habuerunt inter se conuiuia, nec admiserunt ad ea quos manifestè pro peccatoribus habuerũt: ut publicanos, facinorosos. Idcirco pharisæi Christum criminantur, qui eam consuetudinem non seruaret: Marci 2. Lucæ 5. Manifestum igitur est, Christum cum publicanis et pharisæis cibum sumpsisse uerùm non cum contumacibus, quibus propter offam adulatus fuisset: sed qui se ad ipsum conuerterant, seu adhuc paulatim proficiebant, licet quidam nõ boni subinde erant intermixti. Nec uetetur Christus ibi in ipsorum arrogantiam & scelera acriter inuehi, Lucæ 14. taxat ipsorum superstitiosam Sabbati obseruationem, & citra ipsorum suffragium hydropicum sanat. Postea cum uideret, quomodo primos accubitus diligerent, inquit ad eos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, nõ discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum. et tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascẽde superius. Tunc erit tibi gloria corã simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autẽ & ei qui se inuitauerat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos diuites, ne fortè & ipsi te reinuitẽt, et fiat tibi retributio. Sed cum facis cõuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. In conuiuijs autem lauerunt se, ut dictum est. Item orauerunt, & quidam præ cæteris honoratior fregit panem, et reliquis distribuit. porrexit & calicem, ac sumpto cibo dixerunt hymnũ: Matthæi uigesimosexto, Marci decimoquarto, Lucæ uigesimosecundo, Iohannis decimotertio. Panibus usi sunt hordeaceis, præsertim (ut uidetur) tenuioris fortunæ homines. In cœtu sequẽte Christum, quidam habebat quinq; hordeaceos panes, quibus quinq; millia hominum pascuntur: Iohannis sexto. Pisces comederunt, & fauum mellis: sicut eo cibo Christus resuscitatus adhuc utitur, Lucæ uigesimoquarto. Iohannis baptistæ esca erat, locustæ, & mel syluestre. Fuerunt autem illæ locustæ species cancrorum, terrestrium locustarum aliquam speciem repræsentantes: siquidem chelis carent, habent tamen quasi spinas quasdam in crusta, et cornua longiora quàm cæteri cancri. his fortè usus est Iohannes, quia piscatores Iudaici eos abiecerunt tanquam prohibitos pisces: Iohannes uerò, pro libertate Euangelica eos comedit.

Exercuerunt cõtractus, emptiones ac uenditiones. Fit mentio quarundam mensurarum, Lucæ decimosexto. Nam unus debitor dicit se debere centũ batos olei. Continet autem batus, sextarios Atticos septuagintaduos. Ioseph. Antiquit. Iudaicarum libro octauo, capite secundo. eyn halber Leiptziscber eymer. Alter inquit, se debere centum coros tritici. Continet autem corus, decem medimnos Atticos: Iosepho id testante Antiquit. Iudaic. libro decimoquinto. Medimnus Atticus cõtinet septuagintaduos sextarios. cõgruit cum Epha, eyn Leiptziscber scheffel. Corus igitur habebat circiter decem Leyptziscber scheffel. Matthæi decimotertio, Lucæ decimotertio, dicitur de tribus satis farinæ. Satũ autem cõtinet sextarios quatuor uiginti. Tria sata sunt medimnus, seu epha: Eyn scheffel meels. Ac emisse Christum necessaria ad uictum, uidere est Iohannis quarto. Discipuli abeunt ad emendos cibos. Iohannis decimotertio, apparet Iudæ præcipuam eius rei curam commissam fuisse, ut coemeret quæ Christo ac cæteris condiscipulis erant necessaria.

Paruerunt magistratui, etiam ethnico, ut Romano imperatori, & eius procuratoribus. Christus ipse Capernaitico magistratui pẽdet didrachma. Probat Christus iudicia & pœnas erga maleficos, Matthæi 5. 26.

Die Sabbati nõ patiebantur corpora supplicio affectorũ manere in cruce. ideo Iudæi Pilatũ orant, ut Christi & latronum corpora de cruce tollantur. Ioan. 19.

Mendici ad fores petierũt eleemosynas, ut in Lazari historia uidere est. Dedit et Christus egenis, Ioh. 13. Item aliàs cæcus sedit secus uiã mendicãs, Lucæ 18. Marci 11.

Diem ita supputarunt Iudæi, ut à uespera acciperẽt usque ad uesperam, sicut Moses etiam loquitur. Sic festum Paschatis à uespera initium habebat. Horis diei usi sunt νυχθημέροις, ac quilibet habebat horas duodecim: ita ut sexta fuerit meridianum tempus, quæ nobis est duodecima: nona, nobis tertia: & sic de cæteris.

Vsi sunt monetis uarijs: Matth. 22. Marci 12. Lucæ 20. Porrigitur Christo moneta habens impressam imaginem Cæsaris Romani, & circumscriptionem eius nominis. Quare sui Magistratus, licet ethnici, moneta usi sunt. Vocatur autem denarius. ualebat autem quaternis sestertijs nummis, circiter dimidio quadrante aurei Rhenani. Ac Denarius & drachma idem ueteribus significabat. ac fuit usitatũ, operarijs pro uno die dare denarium: Marci 14. Iohannis 12. scriptum est, Quare hoc unguentum non uenijt trecentis denarijs, et datum est egenis? Facit autem ea summa, Rhenanos aureos triginta septem & dimidium. Marci 6. dicunt discipuli: Euntes emamus ducẽtis denarijs panes. Faciunt autem circiter aureos Rhenanos uigintiquinq; Hæ communes opes discipulorum tum fuisse uidentur. Iohannis 6. ait eos deliberasse, quòd ducentorum denariorum panes non sufficiãt tantæ multitudini. Lucæ 10. de duobus denarijs sermo est. Lucæ 15. dicitur de drachma perdita. Est autem drachma, pondus tribus scrupulis constans, eynn quint. deinde & genus numismatis argentei est, ac indicat pondus quantum ualeat. Matthæi 17. didrachma à Christo exigitur Capernai, & ipse iubet staterem ex ore piscis solui pro se & Petro. Stater igitur significat nummum, ualentẽ quatuor drachmas. Didrachma autem ualebat circiter quartam aurei Rhenani partem. Octo drachmæ ualent ferè aureo Rhenano. Stater igitur ualebat ferè dimidio aurei Rhenani.

Quadrãs nominatur Matth. 5. Non exibis inde, donec reddas nouissimũ quadrantem. Et Marci 12. Vidua pauper misit duo minuta, quod est quadrans. Lucæ 21. æra minuta duo. Quadrans autem sunt unciæ tres, hoc est quarta pars aßis. circiter anderthalb Meißnischer heller. Aliàs terũcius dictus fuit. Hinc etiam precium istorum minutorum æstimari potest. Matth. 26 narratur, quòd Iudas pro triginta argenteis, quos ei pontifices Hierosolymitani numerarũt, Christum prodiderit: quos tamen (ut Matthæi 27 refertur) postea pœnitentia ductus, reportauit: et ijs nolentibus recipere, in templum proiecit, quibus ad peregrinorum sepulturam agrum mercati sunt. Valuit autem argenteus unus, ut putatur, siclo aut statere seu quatuor drachmis. nam tales monetæ tum erant in usu. Integra igitur summa eius pecuniæ, ad aureos Rhenanos computata, fuit quindecim Rhenani. Matth. 18. 25 mentio fit talenti, quod continebat minas seu libras sexaginta, seu sexcentos coronatos. Decem millia talentorum, quæ seruus debebat, faciunt sexies centena millia coronatorum, seu (ut uulgò loquimur) sex tonnas auri. Quinque talenta data seruo, faciunt tria millia coronatorum. Duo talenta, faciunt mille ducentos coronatos. Lucæ decimonono, ponitur in eadem parabola, Mina: ea dicebatur aliàs et libra Romana, ac habebat centenas drachmas seu denarios. Valebat igitur circiter decem coronatis.

Scribæ ac Pharisæi stola usi sunt: Marci 12. Lucæ 20. Fimbrias dilatarunt, ac phylacteria: Matth. 23. Vnde consentaneum est, reliquum uulgus non tam longas uestes, nec latas fimbrias habuisse. Christi tunica erat inconsutilis, contexta per totum: Iohan. 19. Discipulus Christi in horto, sindone tantum fuit indutus super nudum: qua abiecta, cum prehenderetur, nudus se fugæ mandauit: Marci 14. Iohannes habebat uestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos: Matth. 3. Eos qui in domibus regum sunt, Christus dicit mollibus uestiri: Matth. 11. Typus de receptione filij perditi, dicit de primaria stola, & anulis in manu. Fuit igitur earum rerum tum usus. Lucæ 15.

Rem blasphemam audientes, abominatione & indignatione uestes suas lacerabant. Sic Cayphas, audiens Christum profiteri se esse filium Dei, & Meßiam, præ nimia hypocrisi uestem disrumpit.

Magi offerunt IESV, tanquam Regi Iudæorum, aurum thus & myrrham: Matthæi 2. Solenne igitur uidetur fuisse, nouis regibus donaria exhibere.

Non habẽt Iudæi cõsuetudinẽ cũ Samaritanis: Ioh. 4.

Vocarunt se inuicem fratres. id quod ex concione Matth. 6. patet: Quomodo dicis fratri tuo, Frater sine eijciam festucam de oculo tuo?

Licet Iudæi lege prohibebantur, ne suilla carne uescerentur: tamen aluisse eos porcos, quos proculdubio uicinis gentibus uendiderunt, uel ex Gergesenorum exemplo colligi potest, quorũ greges à diabolis in mare per præceps acti sunt. nisi fortè gentilium porcos illos fuisse dicamus. Matthæi 8.

DE CEREMONIIS INSIGNIBVS ET peculiaribus in nouo Testamento institutis, ut in tota Ecclesia Christi usurpantur.

DE BAPTISMO.

BAptismũ Deo iubente primùm est auspicatus Iohannes: Iohan. 1. Administrauit autem eum extra Hierosolymam, ad ripam Iordanis. Neminem admisit, nisi prius peccata sua fuisset confessus: & explorasset, an ualedicto Iudaismo, Meßiam præsentem fide apprehenderet. Apparet, baptisandos in fluuio Iordanis constitisse. Nam Christus baptisatus, ex aqua ascendit, & orat: Lucæ 3. Forma licet non sit expressa, tamẽ ex concionib. Iohannis manifestũ est, eum in præsentem Meßiam, eiusq; nomine baptizasse. Admisit autem omnium ordinũ homines, modò agerent pœnitentiam, et doctrinam de præsente Christo amplecterentur. Habuit circa baptismum cõciones: Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Iohan. 1. Aliæ eius ceremoniæ, quæ nõ fuerunt magnificæ, nõ sunt in literas relatæ. Iohan. 4. mentio fit, quòd discipuli Christi baptisarint: uerùm quib. cæremonijs usi sint, non exprimitur. Marci 16 certis uerbis forma traditur à Christo, ut baptismus fiat in nomine patris & filij et spiritus sancti. Alias ceremonias nullas præscribit, sicut etiam de baptismi substantia non sunt.

DE COENA DOMINI.

In uerbis cœnæ, quæ Mat. 26. Marci 14. Lucæ 22. extant, simul quædã actiones exprimũtur: nẽpe gratias agere, frangere ac distribuere elemẽta certa, ac corpus et sanguinem Christi comedere et bibere: cõmemorare Christum,

Christũ, eiusq; passionẽ. Aliæ ceremoniæ nullæ præscribuntur à Christo, nec conscientiæ ad eas obligari possunt, præsertim superstitiosas & impias, quales Antichristus posterioribus temporibus, ut suo loco dicetur, adiecit. Præter hasce duas sacras actiones seu ceremonias, publicas nullas disertè Christus ordinauit. Ac lector obseruet, quàm prodigiosè ceremonias in Ecclesia postera ætas accumularit: & expendat, quàm longè à primitiua Ecclesia degeneratum sit.

CAPVT SEPTIMVM.

DE POLITIA SEV REGIMINE Ecclesiæ in populo Iudaico.

QVAE gubernationis ratio in religione atq; Ecclesia populi Iudaici hoc tempore fuerit, explicandũ est, ut qualem Christus politiam et administrationẽ Ecclesiæ, postea cœperit, rectius intelligi possit: & simul lectori notũ fiat, quomodo in religionis Iudaicæ statu omnia fuerint peruersa atq; collapsa, spõteq; reformationẽ Messiæ quasi desideraverint.

PERSONAE.

Ecclesiastici regiminis personæ plures adhuc, Moysi institutionem utcunq; æmulantes, supererant. Qui ad clauum Ecclesiæ Iudaicæ sedebant, autoritate & dignitate præstantes, erant ἀρχιερεῖς, hoc est, principes seu antistites sacerdotum, uulgò Pontifices appellantur. Sic in ueteri Testamẽto periphrastice nominatur summus sacerdos: item, princeps domus Domini, 1. Para. 9. Erat autem à Deo constitutum, ut unus tantum in hoc eminẽtissimo gradu collocaretur. Ab initio usq; ad obitum in eo fastigio manebat, ac postea demum alius subrogabatur. Exodi 29. Numeri 20. Verùm ea ratio temporе Christi prorsus sublata & immutata erat. Nam plures ea dignitate fungebantur per uices. Iohannes enim cap. 11. & 18. testatur, Caypham fuisse pontificem illius anni: ac de pluribus principibus sacerdotum, qui cõsilia contra Christũ dederunt, ac postea eum damnarunt ad mortẽ, in historia passionis, & passim aliàs narratur. Quando autẽ cœperit ea consuetudo, ut plures simul essent ac uocarentur Pontifices, uno tantũ per annũ rerũ potiente, ac postea ordine alio succedente, certum nõ est: uidetur tamen non diu ante Christi aduentũ eum morẽ inualuisse. Ad Asmonæorũ, hoc est posterorum Simonis familiã, sacerdotiũ translatũ est anno ante Christum natum 165. Postea Antipatri familia sacerdotium cœperunt pro arbitrio alienigenis distribuere, eumq; Ecclesiastici regiminis gradũ prorsus contaminare. Hæc calamitas cœpit circiter 44. annos ante Christi natiuitatẽ: ac eò usq; processerat, ut iam complures simul pontifices existerẽt, quolibet in suũ annũ inhiante, qui per uices ad se rediret, ubi quæstũ quàm maximũ facere posset. Habuerunt autem pontifices uxores, sicut ipsorum liberi ac successiones testantur: ac de Caypha narratur, quòd fuerit Hannæ gener. Iohannis 18.

Sacerdotum postea caterua non parua erat, & ipsi inter se distincti. Lucæ 1. de Zacharia dicitur, quòd fuerit sacerdos de uice Abia. Nam Dauid tribum sacerdotalem in uigintiquatuor ordines seu uices distribuit, inter quas octaua sors cecidit super Abiam. 1. Par. 24. Habuit & is coniugem Elisabethã, sanctissimã fœminã.

Leuitarũ fit mentio Iohan. 1. Miserunt Iudæi à Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Iohannem. & Lucæ 10, sacerdos & Leuita prætereunt saucium.

Erant scribæ. Matth. 2. Herodes congregat principes sacerdotum, & scribas populi, γραμματεῖς. Mentio eorũ fit etiam Matth. 5. 8. 13. 15. 21. 23. Marci 2. 3. 11. 12. Iidem sunt quoq; appellati νομοδιδάσκαλοι, legis doctores: Lucæ 5. & νομικοὶ, Matthæi 22. Lucæ 7. 10. 11. 14. quos interpretes, legisperitos uerterunt. Lucæ enim quinto, in eadẽ historia, pro ijsdẽ ponuntur legis doctores & scribæ. ait enim: Erant pharisæi sedẽtes, & legis doctores. & paulo pòst: Cœperunt cogitare scribæ & pharisæi. Matth. 22, habetur legis peritus. Marcus aũt eandem historiã recitans, appellat eos scribas: cap. 12.

Archisynagogus, erat primarius in synagoga doctor: Marci 5. Lucæ 13. Inde autem apparet, plures in ministerio synagogarũ personas fuisse, qui ordine suo distincti fuerunt.

Rabbi, seu διδάσκαλος, Magister, uidetur fuisse usitata & uulgaris appellatio, omniũ qui munere docendi functi sunt. Matth. 3. Es tu Magister in Israel, & hæc ignoras? Inde et Christus Rabbi seu διδάσκαλον se nominari permittit, tum à suis discipulis, tũ ab alijs: imò & seipsum sic uocat, Iohan. 13. Vos uocatis me Magistrum & Dominũ, & bene dicitis, sum etenim. & Matthæi 21. Marci 14. Lucæ 22. Ite in ciuitatẽ ad quendã, et dicite ei: Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Vocati etiam sunt isti doctores πρεσβύτεροι, hoc est seniores: et ipsorum decreta in ceremonialibus, traditiones seniorũ, Mat. 15.

Seniores populi uidentur fuisse, aliquot è populo lecti uiri ætate, doctrina et uitæ probitate spectati, qui simul cum Ecclesiasticis personis, templi, iudiciorum, & aliarũ rerũ quæ ad Ecclesiæ gubernationẽ pertinebãt, curã habuerũt. Nam purgato per Christũ templo, postridie accedunt principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes, qua potestate hæc faceret? Matthæi 21. In faciendo decretum aduersus Christum, in accusando & damnando simul cum principibus sacerdotum & scribis, sunt seniores populi: Matthæi 16. 26. 27. Marci 14.

Erant & στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, magistratus tẽpli, seu duces. Apparet autẽ, eos fuisse duces eorũ qui ad custodiẽdum templũ dati erant, et quibusdã deliberationib. et factis externis ad templũ pertinentib. intererãt. Lucæ. 22.

Hi autem omnes, sicut & reliquus populus, in sectas quasdam scissi erant: qua de re suprà diximus. Plurimi autem professionem Pharisæorum, quæ uidebatur omnium optima ac specioſissima, sectabantur.

DE RATIONE AC FORMA gubernationis.

QVAE fuerint officia pontificũ, non narratur in historia Euãgelica. siquidẽ iam ad finẽ suũ cuncta peruenerãt, et abrogationi propinqua erãt, et aliàs satis erãt nota: possunt autẽ ex libris Mosi cognosci. Nihilominꝰ iam adhuc illæ externæ actiones in templo ab eis administrabãtur. Erant aũt tria, ut cõpendiò narremꝰ, quæ præcipuè põtifici cõueniebant: nẽpe docere, sacrificare, et orare p populo. Non tantũ aũt ipsi docebant populũ, sed & alios legis pfessores gubernabant,

& attendebant, ne quis peregrina dogmata fereret. Sic etiam Christum adoriuntur in templo, & reprehendũt eius conciones & facta: Matthæi 21. Responsa dabant quærentibus de Messia, alijsq; religionis controuersijs: Matthæi 2. Iudicabant dogmata, et promulgabant eorum damnationes, unà cum personis. quæ quidem res nihil aliud quàm publica excommunicatio erat: Iohan. 9.11.12. Solus pontifex in sancta sanctorum per annum semel ingrediebatur, uictimas offerens, ac preces fundens pro toto populo: Hebr. 9. Præter hæc uerè Ecclesiastica opera, adhuc aliquam exiguam portiunculam politicæ gubernationis ac iurisdictionis retinebant. Licebat enim eis capere homines, ac flagellare in synagogis: Matthæi 10. Apparet autem, quòd hoc tantũ potestatis habuerint in eos, qui contra Ecclesiastica aliqua iura deliquissent, præcipuè uerò qui falsa dogmata disseminassent: & non in eos, qui in cæteris prophanis rebus facinus aliquod animaduersione dignum commisissent. Non autem habebant ius aliquem interficiendi. ideo coram Pilato dicunt: Non licet nobis interficere quenquam. Iohan. 18.

Sacerdotes, ut gradu & dignitate proximè Pontifices sequebantur, nisi quòd hi essent summi quasi monarchæ in regimine Ecclesiastico, ac soli in sanctũ sanctorum introibant: ita & in actionibus propemodum eis erant similes. Nam docebant populum, offerebantq; quotidie uictimas, et orabant pro populo: idq; iuxta uices suas, sicut Zacharias in ordine uicis Abiæ incensum in templo ponit. Lucæ 1. Disputabant cum ijs qui uidebantur noua dogmata adferre. sic Iohan. 1. missi à pontificibus cum Baptista disceptant, quare à templo ordinario discederet, & nouam ceremoniam extra uerbum Dei traderet. Sed retundit eos Iohannes, indicans suam uocationem esse diuinam: & quidem à prophetis, quos ipsi debebant nosse, prædictam: iamq; adesse Messiam, quem ipsi ignorent & fastidiant. Inspexerunt ac iudicarunt unà cum pontificibus leprosos, eosq; certis ritibus cognita euidenter mundicie expiauerunt. Matth. 8. Vade ostende te sacerdotibus, & offer munus tuũ, quod præcepit Moyses. Leuit. 14. Marci primo, Lucæ quinto: Ostende te sacerdoti. Lucæ decimo: Ite, ostendite uos sacerdotibus. Reliqua sacerdotum officia in Mose copiosè recitantur.

Leuitæ fuerunt diaconi seu ministri in templo ac rebus diuinis: ut Num. 3. Deut. 10. & alijs locis in Moyse prolixè recensetur. Nam tribum Leui pro primogenitis ad hæc Ecclesiastica ministeria delegerat Deus. Sustinuerunt autem aliquam partem docendi, & obseruarunt eos qui ab usitata docendi forma discesserunt. Quod uel inde patet, quòd unà cum sacerdotibus Leuitæ ad Iohannem mittuntur, ut ex eo quærant, cur audeat inconsultis pontificibus & sacerdotali ordine, nouos cœtus facere, nouam doctrinam spargere, nouas cæremonias ordiri, repudiato etiam templo: ac denique eum de manifesta hæresi accusent, ac conuincant. Ac Leuitæ uidentur fuisse, omnes qui in Synagogis passim in uniuersa Iudæa, docẽdi munere functi sunt. Reliqua ex Mose patent.

His accensemus & scribas, ac legisperitos seu doctores, quos consentaneum est fuisse Leuitas, ingenijs, eruditione, facundia et dexteritate cæteris præstantes. Alij rudiores, etiam uiliora habuerunt officia.

Archisynagogi, & reliqui synagogarum ministri, proposuerunt & enarrarunt Moysen & prophetas, ac propositas quæstiones explicauerunt: reliquis quoque dissentibus de religione auscultauerunt. Fuerunt autem rectores precum publicarum, sicut de Synagogis suprà dictum est.

Gubernationem Ecclesiæ adiuuerũt & seniores populi, ut est paulo antè indicatum.

DE SYNODIS.

HAbuisse ipsos congressus quosdam, quoties res aliqua grauis deliberationem flagitauit, etiam historia Euangelica indicat. Magis enim Hierosolymã adferentibus de exhibito Messia famam, hortatu ipsius Herodis, principes sacerdotũ et scribæ populi coeunt, sententias de loco ubi Messias esset nasciturus conferentes: ac diserte indicant ex Michea, Messiæ natiuitati Bethlehem esse destinatam.

Iohanne ordiẽte baptismũ in Iordane, templo posthabito, et palàm docente singulari autoritate Messiam esse præsentem, ac IESVM eum ipsum esse: peccatorum remissionem non ex alijs uictimis, sed tantum ex passione & merito IESV Christi, fide gratis expectandam & acquirendam esse: conueniunt, ac re deliberata decernũt, legationem honestam ad Iohannem mittendam esse, qui eum ab hoc instituto abducerent: aut errores exploratos & cognitos ab ipso autore, ad synodum referrent, ut legitimè dijudicari ac damnari possent. Hæc ex historia, quæ Iohan. 1. extat, perspicua sunt.

Postea uerò, cum Christus ministerium suum publicum cœpisset docendo, faciendo miracula, & collectione Ecclesiæ ex tota Iudæa, ac gentibus quoq;, sæpe synodos celebrant. Fascinati autem falsis opinionib. de Christo, de remissione peccatorum, deq; tota Mosaica religione, denig; etiam sua ambitione & commodis moti, Christum tanquam hæreticum, impostorem, blasphemum ac seditiosum damnant: ac decretum faciunt, quod publicè proponunt, si quis IESVM confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret: hoc est, excommunicaretur, sicut expressè recitatur Iohannis nono, & duodecimo. Synodalis actio & Iohannis undecimo narratur: Collegerunt, inquit, pontifices & phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus? Nam hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et uenient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipsis, Cayphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quòd expediat uobis, ut unus moriatur homo, pro populo, & non tota gens pereat. Matth. uigesimosexto refertur, quòd congregati fuerint principes sacerdotum & seniores populi, in atrium principis sacerdotũ, qui dicebatur Cayphas: & consilium fecerint, ut IESVM dolo caperent, & occiderent. Postea apud Cayphã rursus capto Christo, confluunt pontifices, scribæ & seniores, accusantes & damnantes innocentem Christum: Matthæi 26. Marci 14. Manè rursus congrediuntur ijdem: ac plures fuisse, Marcus 15. testatur. nominat enim summos sacerdotes, seniores, scribas, & uniuersum consessum: qui omnes definiunt, Christum esse morti tradendum, & adducendum ad Pilatum. Denique postquam Chri-

Christus resurrexisset, et hoc nuncium à suis uigilibus, quibus sepulchri custodiã demandauerant, accepissent: illicò principes ac seniores concurrunt, ac consilium ineunt, uigiles pecunia esse compescendos, et inuertendos, ut rumorem spargant, ipsis dormientibus Christum furto esse ablatum. Matth. 28.

DE BONIS ECCLESIAE.

Ciuitates quadragintaduas sacerdotib. ac Leuitis fuisse attributas, similiter et quos reditus, & decimas & partes ex uictimis habuerint, ex Moyse patet. Pendebatur & quotannis uiritim templo dimidium sicli, seu didrachma: ut Exodi 30 dicitur. De hoc censu quidam intelligunt, Pharisæos & Herodianos interrogare Christum, Num liceret censum dare Cæsari? Matthæi 22. Nam peregrini Imperatores hoc commodum templi intercipiebant, & sibi uendicabant. Collecta præterea est eleemosyna in gazophylacium, Marci 12. Lucæ 21.

DE SCHOLIS.

Scholam aliquã fuisse Hierosolymis, in qua iuuenis tus, in studijs præsertim sacrarum literarum, informabatur, uel inde potest colligi, quòd Pharisæi etiã suos habuerunt discipulos: & in Actis capite 22, Paulus commemorat, se ad pedes Gamalielis legis doctoris, diligenter in patria lege institutum esse. & Actorũ 6. fit mentio eorum, qui fuerunt ex synagoga Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Ciliciũ, & Asianorum, disputantium cum Stephano. unde apparet, diuersa scholarũ genera fuisse Hierosolymis.

DE CONSOCIATIONE ECclesiarum.

IN Ecclesia populi Iudaici, unus tantum erat lege diuina sacerdos summus: quem omnes cogebantur agnoscere, eiq; parêre. Et is reliquas ecclesias omnes gubernabat, quæ in Iudæa uniuersa sitæ erant. Id quod uel hæc facta declarant, quòd ad Iohannem concionantem in regionibus circa Iordanem mittunt, et rationem suæ uocationis ab eo requirunt: Iohannis primo. Præterea uniuersus populus mandato Dei cogebatur, ter ad festa solennia quotannis Hierosolymam uenire, seseq; certis ritibus sanctificare. Verùm de his partibus, non putarunt Euangelistæ multa narranda esse. Erant autem pleraq; in tota gubernatione Ecclesiæ populi Iudaici, adulterata & corrupta: paucis, ijsq; contemptissimis, rectè sentientibus: ut erat Nicodemus, & alij. Quo autem hæc fiant luculentiora, non pigebit earum rerum quæ corruptionem summam declarabant, & non obscurè præsagiebant, opus iam esse omnino reformatore summo, ipso nimirum Messia, à Deo iam olim per prophetas promisso, mentionem aliquam facere.

DE CORRVPTISSIMO ET maximè lamentabili statu Ecclesiæ in populo Iudaico.

PRimùm, quod erat omnium maximum in ea Ecclesia, nempe doctrina diuinitus tradita, in pleriq; summis capitibus erat labefactata, obscurata, & penè extincta: sicut de Pharisæis suprà expositum est. Nam ij hoc tẽpore uidebantur optimè sentire, eorumq; sententias pleriq; sequebantur. Sed operæprecium uidetur, rursus quædam hoc in loco repetere. Amiserant doctrinã de Deo. nam docebant, unum Deum, unamq; eius personam esse. ideo propemodum rumpuntur indignatione, & lapides præhendunt, quoties audiunt Christum dicere, se esse filium Dei, ac patri æqualem: et Iudæos ignorare Deum, & esse ex Diabolo. Iohannis 5. 8. Cayphas audiens, quòd IESVS uinctus audaret se profiteri & filium Dei & Christum esse, uelut amens, existimans intolerabilem blasphemiam prolatam esse, uestimenta scindit: & pronunciat, eam uocem non alia re quàm morte mulctandam.

De Messiæ substantia amiserant ueram doctrinam. Nam docebant & credebant, Messiam tantum excellentem hominem futurũ esse. quòd autem esset filius Dei, prorsus erroneum putabatur. sicut Matth. 22. fatentur, & Cayphæ historia testatur.

Amiserant doctrinam de officio Christi: nempe de passione Christi: & de iusticiæ seu remissionis peccatorum, per ipsius mortem, reparatione: de uictoria aduersus peccatũ, mortem, diabolum. id quod toties prophetæ inculcant. Hæc uel ex sola Petri historia manifesta sunt, qui ad Christum de sua passione prædicentem, inquit: Absit hoc à te Domine. Hauserat enim hoc in synagogis, & ex sermonibus aliorum, Christum fore magnificum, cui omnia splendidissima ac felicissima essent cessura. Et exibilatur Christus in cruce suspensus, ab omnibus. Quin & discipuli Emmahum euntes, communem de Messia opinionem fatentur: Nos, inquiunt, putabamus eum redempturũ esse Israel: hoc est, feliciter & prosperè acturum, non subiturum tam diros cruciatus, & mortem: nunc uerò omni spe propemodum deiecti sumus.

Amiserant doctrinam, quòd ex stirpe Iesse esset uenturus Christus. Inde Iudæi dicunt Iohan. 7. Christũ, cum uenerit, nemo sciet unde sit.

Amiserant doctrinam de regno Christi spirituali et æterno. Docebant enim, Christum corporale regnum instauraturum: Matthæi 20. Actorum 1. Quòd enim discipuli proferunt, id ex communi Iudæorum doctrina imbiberant.

Amiserant doctrinam de miraculis Messiam declarantibus, omnesq; eius patefactiones in prophetis clarè prædictas. Nam IESV Christo hac in parte omnes prophetias complente, tamen ut eum pro Messia amplectantur, adduci nulla ratione possunt. Factidiunt signum in Zacharia, stellam Magorum, angelorum nuncia, uocem patris è cœlis, spiritum sanctum uisibili specie exhibitum, sanationes claudorum, surdorum, cæcorum, mutorum, paralyticorũ, leprosorum, & aliorum ægrotorũ, quæ tantum uerbi uirtute à IESV fiebant: deniq; & resuscitationes mortuorũ. talia signa & tam multa breui tempore, tamq; illustria nunquã antea in eo populo facta fuerant. Iohan. 12. cum Christus in turba dicit, Pater illustra nomen tuum, uenit uox de cœlo dicens: Et illustraui, & rursus illustrabo. Turba autem quæ stabat & audierat, diebat tonitruum esse factum. alij dicebãt, Angelus ei loquutus est. Sed nihil prorsus ea re mouentur. Deniq; IESV moriente in cruce, obscuratur contra naturæ ordinem ipse sol, uelum templi sponte finditur, terra concutitur, petræ rumpuntur, mortui resurgunt: & Christus ipse tertio die reuiuiscit, custodibus omnibus fugatis. Sed non afficiuntur istis omnibus. Item petunt signum in cœlo: Matthæi 12.

Non

Non perpendebant tempus, quo Meßiæ exhibitio prædicta erat: Geneſis 49. Etſi enim premebantur imperio Cæſaris, qui eis regnum ademerat, & gubernatores ciuiles quos uolebat dabat, tamen de Meßiæ aduentu non ſunt ſoliciti.

Amiſerant doctrinã de lege. Docebãt enim, lege Dei tantum externa opera præcipi, ac interiores prauitates non eſſe peccata. Matth. 5.

Hominem legem Dei implere ſuis uiribus poſſe, eáq; legis impletione coram Deo iuſtificari. Matthæi uigeſimo ſecundo, Lucæ 18.

Amiſerant doctrinam de ceremonialibus. Nam ſentiebant, ceremonialia anteferenda eſſe moralibus, ut uocantur. Sic ſentiebant, non licere ſabbato hominem curare uel in momento. & damnabant Chriſtum iſta facientem: Matthæi 12. & Matth. 23. Decimatis, inquit Chriſtus, mentam & anethum, & cyminum: & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium et miſericordiam & fidem.

Traditiones ſeniorum, ſiue humanas, anteferebant mandatis Dei. ut non lauare manus ante ſumptionem cibi, iudicabant inquinare hominem: hoc eſt, eſſe peccatum, quo conſcientia uulneraretur: Matth. 15. Item docebant, maiorem eſſe cultum Dei, ſumptus in ſacrificia facere, aut templo aliquid dare, quàm egenos parentes alere: Ibidem. Traditiones humanas ſupra omnem modum coaceruabant: Matth. 23. Alligant onera grauia & importabilia.

Amiſerant doctrinã de fine Eccleſiaſtici ſtatus, nempe quòd omnia eſſent ad Meßiam directa, eoq; exhibito ceſſare deberent. Itaq; oderunt Iohannem et Chriſtum, nouum ſtatum molientes & inſtituentes.

Amiſerant prorſus doctrinam de Euangelio, ac de iuſticia imputatiua & gratuita per fidem in Meßiam, qua Abraham eſt iuſtificatus, ut Moſes ſcribit. Docebãt enim, & ſentiebant, externis operibus legis & ſacrificijs ſe coram Deo iuſtos eſſe: Matth. 5. Lucæ 10. & 18. Item confidebant carnali propagationi, Lucæ 3. Ne dicatis, Patrem habemus Abraham: Iohan. 1.

Perſuadebant ſibi, ſe eſſe filios Dei, quia filij Abrahæ eſſent: Matth. 3. Iohan. 8.

Non intelligebant doctrinam de regeneratione: Iohannis tertio.

Amiſerant doctrinam de libertate ſpirituali. Nam impatientißimè ferebant, ſceptrum ſibi ablatum, & alienis ſe dominis ſubiectos eſſe. id quod non obſcurè ſignificant quæſtione de cenſu: Matth. 22.

Amiſerant doctrinam de cõiugio. Nam dimittebant uxores qualibet ex cauſa, utpote propter rerum abundantiam libidine luxuriantes. Matthæi 19. Hactenus de doctrina.

¶ Secundò, ipſe ſtatus ſacerdotum, qui ad clauum Eccleſiæ ſedebant, erat corruptißimus & deprauatißimus. Turbatus enim erat ordo ſummorum ſacerdotum, ita ut non eſſet unus tantum pontifex, uſque ad obitum ſuum: ſed plures ſimul id nomen obtinerent, & per uices annuatim eo munere fungerentur. Iohan. 11.

Non à populo Iudaico, aut conſulto Deo eligebantur põtifices: ſed ab Ethnicis & idololatricis dominis, qui imperium ciuile in Iudæos tenebant. ſicut Ioſephus & alij hiſtorici teſtantur.

Alieni quoq;, qui nõ erant ex ſacerdotali genere, & qui apud Ethnicos reges aut præfectos largitionibus et gratia plurimum poterant, expulſis, aut etiam interfectis prioribus, creabantur pontifices: ita uenalis erat Pontificatus, & non rarò cæde et ſanguine parabatur, ſicut ſuo loco indicabitur. Ioſephus libro 18. cap. 3. Euſebius libro 1. cap. 6.

Stola Pontificalis, cum reliquo ornatu ad eam pertinente, ab Herode primo Iudæorum rege in turri Antonia, Hircani olim ſede, & ab eodem eò repoſita, aſſeruata eſt. idem Archelaus ac poſtea Romani fecere, ita ut Iudæi non amplius eius poteſtatem haberent, raroq; eius uſus concederetur. Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum libro 18. capite 6. Euſeb. libro 1. cap. 6.

Tales Pontifices, ut erant ἀθέοι & impij, tantum ſuos reditus & magnificentiam curabant: & ut erant Ethnicorum dominorum mancipia, ita in ipſorum gratiam cuncta faciebant.

Sacerdotes reliqui, domini ſimiles erant ambitione, auaritia, luxu inter ſe certantes: ſinceram Dei doctrinam, ac ueros Dei cultus prorſus negligentes, ſicut ex hiſtoria Euangelij patet.

Frigidißimè ſcribas ſeu doctores huius populi ſolitos eſſe docere, inde manifeſtum eſt, quòd Matth. 7. narratur, turbam admiratam eſſe doctrinam Chriſti. Docuiſſe enim eum, ſicut qui poteſtatem haberet, et non ſicut ſcribæ. Item Matthæi nono: Meßis quidem copioſa eſt, operarij pauci. Imò Matthæi 16. doctrinam ipſorũ uocat fermentum, quod ſit cauendum.

Pontifices et ſacerdotes ipſi criminantur doctrinam Iohannis et Chriſti. dicunt Chriſtum eſſe Samaritanum, habere dæmonium: Iohannis 8. Virtute Beelzebub facere miracula: Matthæi 12.

Abutebantur clauibus, excommunicantes Chriſtum rebus omnibus ſe declarantẽ ut Meßiam, & omnes qui ei adhærebant: Iohannis 9.

Tanta rabie in Chriſtum, qui ægros omnis generis uerbo ſanarat, qui mortuos reſuſcitarat, ferebantur, ut ad diem Paſchæ Barraban homicidam manifeſtum peterent dimitti, innocentem uerò Chriſtum contumelioſißimo mortis genere interfici.

Pontifices ac ſacerdotes perpetuas inſidias Chriſto ſtruebant. deferebant etiã ad politicos dominos, eumq; inuiſum faciebant: deniq; Iudæ auxilio, pecunia corrupti, adſcitis Herodianis, Chriſtũ armata cohorte inuadebant, in innocentem mortis ſententiam ferebant, tradebant Pilato præſidi: nec deſinebant rogando, minando, & obtũdendo, donec & ille, quamuis ſæpe de innocentia Chriſti teſtificaretur, carnificibus eum crucifigendum tradidiſſet. ſuſpenſum in cruce ſarcaſmis exagitarunt: extinctum et in ſepulchro iacentem infeſtabant, armatam circa eum cuſtodiã collocantes: reſuſcitatum deniq;, mendacijs & tyrannide rurſus infeſtabant. Trahebant autem hi duces ſecum, reliquum uulgus indomitum, qui etiam ſine iudicio contra Chriſtum furebat.

¶ Tertiò, Templum ipſum fœdißimè quotidie profanabatur, & polluebatur.

Numularij ac mercatores cum bobus, ouibus, columbis, & alijs rebus in ipſo templo, nõ ſecus ac in prophano loco conſpiciebantur: Matth. 21. Iohan. 2. inde Chriſtus meritò appellat ſpeluncam latronum.

Regna-

Regnabant in templo aucupia pecuniarum: nempe superstitio sacrificiorum, et operum humanorum, quibus homines fascinabãtur, quasi ijs salutem coram Deo comparare possent. Ea res erat sacrificulis quæstuosissima. ideo Christus inquit, ipsos deuorare domos uiduarum: ac uæ in ipsos doctores aliquoties pronunciat, Matthæi 23.

Pontifices alieni, non educati in lege, sed subitò quæ peragenda essent edocti, sanctum sanctorum non uerebantur introire, nõ habentes ueram Dei cognitionem, non tenentes rationem inuocandi Deum.

Anno Christi XII, in die azymorum, cum interdiu in templo docuisset Christus, omnibus stupentibus & admirantibus, noctu sacerdotes inuenerunt per totum templum et omnes porticus ossa mortuorum hominum dispersa esse: quæ quidem res insignem templi profanationem prodebat, quæ falsa doctrina & superstitiosis cultibus in templo fiebat, ad perniciẽ plurimorum æternam. Iosephus Antiquit. Iudaic. libro 18. cap. 3. Samaritanis suspicione quadam adscribit: uerùm non casu tanta res accidit.

Iohannes & Christus discedunt à templo, ita ut plurimas actiones extra templum expediant: imò Christus etiam destructionem templi horribilem prædicit, Matthæi 24.

¶ Quartò: populus ipse sacerdotum impietates & exempla sequebatur, superstitiosis opinionibus prorsus dementatus: nihil de Messia, nihil de ueris cultibus sciens: fastidiens Christum, cum omnibus suis miraculis: sine fine eius sanguinem sitiens.

Ignorabant regem Messiam. ideo clamant: Regem non habemus, nisi Cæsarem.

Omnis Hierosolyma turbatur, non minus quàm Herodes, accepto nuncio à Magis, quòd natus iam esset Rex Iudæorum, seu Messias: Matthæi 2.

Alij prorsus sese Ethnicis magistratib. dedebant, propter sua quædam commoda, patria religione abiecta.

Totus populus in sectas tres, sibi inuicem cõtrarias & infensas, erat distractus. alij erant Pharisæi, alij Sadducæi, alij Essei.

Indicat Christus, obstinatiam Iudæorum à Prophetis esse prædictam: Matthæi 13. Ideo, inquit, in parabolis loquor eis, quia uidentes nõ uident, et audientes non audiũt, neq; intelligũt, & adimpletur in eis prophetia Esaiæ dicẽtis: Auditu audietis, & nõ intelligetis: et uidẽtes uidebitis, & nõ uidebitis. Incrassatũ est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, et oculos suos clauserũt, ne quãdo uideãt oculis, et aurib. audiãt, et corde intelligãt, & conuertãtur, & sanem eos. Item Matthæi 15. inquit: Hypocritæ, bene de uobis propheta uit Esaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Iohannis 12. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebãt in eum, ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorum, ut non uideant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo. Et cõminatur insuper æternam damnationem, Matthæi 8. Filij regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Christus præfert gentes Iudæis: Non inueni, inquit, tantam fidem in Israel. Et eam ob causam prædicit eis cladem & interitum.

Multi dæmoniaci tum temporis in Iudæa sunt, quos eijcit Christus: quæ res argumento esse potest, Diabolum propter impietatem in ijs locis Dei permissione grassatum esse.

Et ut summatim omnia dicamus, dominabãtur horribiliter hypocrisis seu superstitio, & Epicureismus.

¶ Quintò: reliquiæ ueræ Ecclesiæ ualde erant exiguæ et oppressæ. Nam Christo exhibito, tantùm fit mẽtio Iosephi, Mariæ, pastorũ, Zachariæ, Elisabethæ, Simeonis, Hannæ: quibus annumerandi sunt, qui in horũ familia fuere, expectantes redemptionem Israel. Reliqua turba omnis in tristissima caligine, uelut profundo mari erat submersa. Postea Iohanne & Christo, eorumq; discipulis palàm doctrinam de præsenti Messia tradentibus, pauci se illis adiungunt: qui tamen subinde affliguntur. Denique Christo in crucem acto, deficiunt rursus plurimi: qui uerò resuscitato Christo, spacio quadraginta dierum, donec in cœlum ascenderet, iterum colliguntur, admodum pauci sunt. In Actis numerantur 120 homines, qui post ascensionem Domini conuenerunt.

Pessimum Iudaici populi statũ, quod quidem ad religionem attinet, etiam typis quibusdã, quasi uiuis (quod dicitur) coloribus depingit Christus. ut Matth. 21. Homo, inquit, habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili uade hodie, operare in uinea mea. Ille autem respondens ait: Nolo. postea autem pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. at ille respondens ait, Eo domine: & nõ iuit. Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis IESVS: Amen dico uobis, quia publicani & meretrices præcedent uos in regno Dei. Venit enim ad uos Iohannes in uia iusticiæ, et non credidistis ei. publicani autem & meretrices crediderunt ei: uos autem uidentes, neq; pœnitentiã habuistis postea, ut crederetis ei. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, et peregrè profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos, plures prioribus: & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur fortè filium meũ. Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, uenite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum, eiecerunt extra uineam, et occiderunt. Cum ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Aiũt illi: Malos malè perdet, & uineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Item Matthæi 22. in typo nuptiarũ: Simile, inquit, factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruum suum, uocare inuitatos ad nuptias: & nolebant uenire.

Iterum

Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandiũ meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in uillam suam, alius uerò ad negotiationem suam. reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est: et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, cõgregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentiũ. Intrauit autem rex, ut uideret discumbentes. Et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialẽ? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus et manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Multi autem sunt uocati, pauci uerò electi.

¶ Sextò: politicum Imperiũ in populo Iudaico penitus erat euersum, ut paulo pòst exponendum erit.

CATALOGVS PONTIFICVM Hierosolymorum, à nato Christo usque ad eius ascensionem.

PROpter labefactatum pontificum Hierosolymorũ ordinem, historici quoq; nõ putarunt sibi in hanc operam aliqua diligentia incumbendum, ut huius præsertim ætatis pontifices accuratè assignarent. Ex Iosepho autem, satis languidè in hac parte uersante, indicem summorum sacerdotum recensebimus. Is libro 17. capite ultimo sic scribit: Archelaus iam Ethnarcha in Iudæam reuersus, Ioazaro Boethi filio pontificatum abrogat, instimulato quòd seditiosis consenserit: eamq; dignitatem in Eleazarum illius fratrem collocat. Item, neo Eleazarus diu sacerdotio potitus est, subrogato in uiuentis locum Iesu Siæ filio. Mox, quasi sui oblitus Iosephus, libro 18. capite tertio, aliter rem narrat: Quirinium, sicut ipse appellat, Ioazarum priuasse dignitate pontificis, & Ananum Sethi filium substituisse. Et paulo pòst: Valerius Gratus, adempto Anano sacerdotio, Ismaelem Fabi filium iussit esse pontificem: quo paulo pòst deiecto, in Eleazarum Anani pontificis filium, eum honorem transtulit. Elapso deinde anno, & hunc redegit in ordinem, & Simoni Camithi filio pontificatum tribuit. Is quoq;, anno in hac dignitate exacto, iussus est eam cedere Iosepho qui cognominabatur Cayphas.

Encomia pontificiũ, scribarũ, et qui ex ijs pendebãt, sunt: Progenies uiperarum, Matthæi 3. 12. Generatio praua, adultera, pessima: Matthæi 12. Plantatio non plantata à patre, cæci & duces cæcorum: Matthæi 15. 16. 23. Esse eos similes dealbatis sepulchris, foris quidem speciosos apparentes, intus uerò plenos esse iniquitate & rapina: serpentes: Matth. 23. Generatio peccatrix: Marci 8.

DE EXTERNO SEV POLItico statu populi Iudaici.

PRædictum erat à Iacob, sicuti Geneseos 49. extat, non recessurum sceptrum de tribu Iuda, donec uenturus esset Siloh. Operæprecium itaq; est expendere, an hoc tempore, quo IESVS natus, suoq; ministerio functus est, Iudæi regibus è suo sanguine oriundis usi sint. Est autem ex ipsa historia, quam non tantum Euangelistæ, sed etiam Iudæi & Ethnici literis memoriæ tradiderunt, manifestum, autonomiam politici regni populo Iudaico tempore IESV Christi prorsus ademptam fuisse. Nam baptista Iohãnes nascitur diebus Herodis regis Iudæ, ut Lucas capite 1. testatur. Idem de natiuitate Christi Matthæi 2. affirmatur, ac eandem rem pluribus Lucas capite 2. exponit, singulari studio recensens, Augustum Cæsarem per Cyrenium Syriæ præsidem censum egisse etiam in Iudæa: cui Maria & Ioseph quoq; obtemperantes, Nazaretha in suam ciuitatem Bethlehem, eo quòd ex familia Dauid essent, profecti sunt. Fit & successorum Herodis, & magistratuũ Romæ missorum, qui nomine Imperatoris ciuili gubernationi Hierosolymis præerant, mentio, ut suo loco dicetur. Quoties Iudæi Christo insidias & exitium machinantur, plerunq; adiũctos habent Herodianos. Matthæi 22. & in narratione passionis Christi, palàm quoque Iudæi coram Pilato fatentur, sese regem non habere præter Cæsarem. Iohannis 19. Vtebantur uulgo moneta imaginem & inscriptionem Cæsaris habente, eiq; tributum pendebant. Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. Iurisdictio illa superior, quam uocant, seu potestas homines maleficos afficiendi capitali supplicio, prorsus erat ipsis erepta. eamq; ob causam Christum ad Pilatum, magistratum ex urbe Roma missum, adducunt, ac postulant ut uirum innocentem cruci affigat: libereq; fatentur, sibi non licere quenquam interficere. Hoc tamen reliquum habebant iuris, ut sceleratos capere, in carcere detinere, ac leuioribus quibusdam pœnis afficere liceret. uidetur tamen ea potestas fuisse restricta ad eos, qui contra ipsorum ecclesiasticas leges deliquissent, falsis dogmatibus aut blasphemijs sparsis. Eò uidetur pertinere, quod Christus suis prædicit: In Synagogis flagellabunt uos. Matth. 10. 23. Verùm paulo altius istas res repetemus, ut iste fidei articulus fiat euidentior et illustrior: regno nimirum Iudaico penitus fracto & euerso, Christum uenisse, & perfecisse omnia quæ in prophetis de eo prædicta erant.

Quando Pompeius Hierosolymam ui occupauit & spoliauit, sceptrum, hoc est politicum regimen Iudaici populi, ualde cœpit inclinari. Nam tum Iudæi primùm Romanis subiecti sunt, teste Iosepho libro 14. capite 2. et sequentibus aliquot. Item libro 1. belli Iudaici, capite 5. Estq; hoc factum anno mundi 3903, ante Christum uero 60. Etsi autẽ tum Hircano sacerdotij administratio concessa sit, tamen Antipater Idumæus, paulatim se in politicum Iudæorum regnum insinuauit: donec tandem à Iulio Cæsare, propterea quòd in bello Aegyptiaco strenuam operã nauauerat, multisq; egregijs facinoribus eius animum sibi obstrinxerat, tutor Iudææ esset constitutus. Hic Antipater gratia Romanorum fretus, & potentia crescens, duos quoq; filios paulatim euehere studet: eoq; rem dirigit, ut ipsi, se extincto, administrationem Iudææ retinerent. Nam Phaselium natu maximum politicis rebus Hierosolymis præficit, motus etiam Hircani ignauia. Herodem uerò Galilææ ducem fecit. aberat tamen adhuc regium nomen: & iudi-

cium ſummum ac grauiſsimum, quod Sanhedrim uocatur, ex corrupto Græco συνέδριον, nondum audebant uiolare. Ioſeph. Antiq. Iudai. libro 14. Capite 17. Anno mundi 3919. ante Chriſtum natum, 44.

Poſtea Antigonus, attracto Pacoro Parthorũ rege, qui horribiliter cædibus & ſpoliationibus, Hieroſolymis & in tota Iudæa graſſabatur, regnum ſibi rapuit: capto nimirum Phaſelo, ac fugato & profligato Herode. Hac calamitate motus Herodes, auxilio Cleopatræ, ad quam, ſuis mulieribus ægrè in loca munitiora traductis, profugerat, iniquiſsimo tempore mari ſe cõmiſit, ac Romam uenit. ubi poſtquam Antonio iniurias, et ſcelera Antigoni, ſuaſq; miſerias expoſuiſſet, & auxilium implorauiſſet, miſericordia motus, rem ad Auguſtum tumq; ſenatum refert. Habita deliberatione, Herodẽ totius Iudææ cõmunibus ſuffragijs regem declarãt: anno mundi 3926, ante Chriſtũ 33. Ioſephus libro 14, capite 21. De bello Iudaico libro 1. capite 11. Hoc igitur tempore prorſus ſublatũ ſceptrum Iudaicũ, & ad alienigenã translatum, & armis obtentum eſt.

Dum autẽ regno præeſſet Herodes, multa inſolenter perpetrauit. More Græcorum certamẽ Olympiacũ inſtituit: aurea aquila ſupra fores templi magnificè extructa, domũ Dei prophanauit: crudeliſsimè quadraginta ſcholaſticos qui zelantes pro patria lege & religione, id idolum deſtruxerant, uiuos concremauit: in proprium ſanguinem immani crudelitate ſæuijt, licet ſubinde animos Iudæorũ certis officijs delinire, ac ignominiam quibuſdam egregijs factis eluere conaretur.

Eſt & hoc maximè crudele & atrox facinus quod Philo recitat: eum triceſimo anno ſui regni, Sanhedrin, græcè συνέδριον, hoc eſt ordinarios iudices LXX, ex domo Dauidis cõſtitutos, penes quos ſumma autoritas in cognoſcendis & dirimendis controuerſijs erat, occidiſſe: ſubſtitutis alijs ſuo arbitrio, & quos in ſua poteſtate futuros ſciebat. Hoc pacto penitus omnes reliquiæ Iudaici regni delebantur.

Nec prætereundum eſt, quod refert Euſebius capite nono: Herodem genealogias familiarũ Iudaicarum cremaſſe, inuidens eis generis antiquitatem, cum ipſe de ea gloriari non poſſet.

Tenebat autem Herodes adhuc regnũ, cum Chriſtus iuxta promiſsiones naſceretur in Bethlehem: quamuis res eius in deterius ſubinde iam magis magisq; uergerent, & inuiſus non tantum Iudæis, ſed etiam ſuæ familiæ eſſet, cunctis eius obitum exoptantibus.

Videtur autem ad hiſtoriã Euangelicã intelligendũ nõ parum momẽti allaturũ, ſi Herodis genealogiã, breuibus hoc loco recenſeamus: quæ ex Ioſepho huiuſmodi colligitur.

Herodes primus ignobilis, in fano Apollinis apud Aſcalonem ciuitatẽ miniſter erat. eius filius fuit Antipater, à latronibus raptus, & educatus: tutor Iudææ à Cæſare factus. huius filius fuit Herodes, primus Iudææ rex ab Antonio & Auguſto deſignatus. Is autẽ habuit uxores decem, quarum duæ ſteriles fuere.

Ex prima coniuge, quæ fuit DORIS, habuit Antipatrum. is à patre necatus, reliquit filium Antipatrum.

Ex ſecunda cõiuge MARIANNE, nati ſunt ei liberi, Alexander & Ariſtobulus, uterq; à patre necati. Filiæ uerò, Cypris Antipatro, Salome regiæ ſororis filio nupta, & Salome iuncta Phaſelo patrueli. Et Alexander quidẽ reliquit filiũ Alexandrũ. is porrò habuit Tygranem, qui à Nerone deſignatur rex Armeniæ. Tigranes filiũ habet Alexandrũ, qui à Veſpaſiano cõſtituitur rex in Cilicia. Ariſtobuli uerò ex Berenice liberi ſunt: Agrippa prior, à Caio Cæſare rex Iudææ creatus. eius fit mentio Act. 12. Herodes quartus, rex Chalcidis. Ariſtobulus, qui Iotapam regis Emeſorũ filiam habuit coniugẽ. Herodias, mariti deſertrix. Marianne. Agrippa prior, filiũ habuit Agrippam poſteriorem, cuius mentio fit Act. 25. 26.

Ex tertia coniuge MARIANNE, Simonis Pontificis filia, natus eſt ei Herodes ſecundus, maritus Herodiadis: ex quibus Salome ſaltatrix genita eſt, nupta deinde Philippo, poſtea Ariſtobulo regi Chalcidis. à Ioſepho autem Marcus cap. 6. diſcrepat, aſſerens Herodiadem Philippo iunctam fuiſſe.

Ex quarta cõiuge MARTHACA naſcitur Archelaus, ab Auguſto ethnarcha conſtitutus: Herodes tertius, qui et Antipas, tetrarcha Galilææ et Perææ, Herodiadis raptor, Baptiſtæ carnifex, uulpes à Chriſto nominatus: Olympias, Ioſippi iunioris uxor. Horũ filia Marianne, Herodi quarto regi Chalcidis nupta, peperit Ariſtobulũ regẽ Armeniæ, maritũ Salomæ ſpuriæ.

Ex quinta CLEOPATRA procreauit Philippum tetrarcham Trachonitidis: & Herodem, de quo nihil extat.

Ex ſexta PALLADE, Phaſelum habuit.

Ex ſeptima PHEDRA, Roxanem. Ex octaua, Salomen filiam. Poſteriores has duas filias, Auguſtus poſt obitum patris elocauit, & dote ornauit.

Nunc porrò quæ ad ciuile imperium in hoc populo pertinent, proſequemur. Anno quo Chriſtus naſcitur in Bethlehem, à mundi creatione ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo tertio, Cyrenius, qui Syriæ præfectus erat, cenſum agit, iuſſu Auguſti Cæſaris. Lucæ 2.

Nato Chriſto, Herodes ſtatim accepta fama, Iudæorum regem in lucem editum eſſe, nefandum facinus audet. Nam odio eius noui regis flagrans, & iniquiſsimè ferens Magos ad ſe non reuerſos eſſe, ſuſpicans id quod res erat, uerè regem Iudæorum natũ eſſe, pueros Bethlehemiticos et in uicino agro bimulos, et infra eam ætatem iubet immaniter trucidari, ſperans ſe eum regem certò ſublaturũ. & quo magis Iudæos ab omni ſpe deijceret, plures innocentes infantulos diabolica tyrãnide iugulat. Imò nec ſuis parcit, ſuo regno metuẽs: nam Salomæ maritum ex tribu Iuda, ac filium qui ſibi è cõiuge ex eadẽ tribu natus fuerat, aſtorgos ille teterrimus interficit. Sed eripitur ex ea laniena diuinitus IESVS Chriſtus, Matthæi 2. Hoc ſcelere perpetrato, magis in ipſum ultio diuina ſæuit. Nam morbis pluribus ac uehementiſsimis, non aliter quàm à tortoribus & carnificibus miſerrimè torquetur, donec tandem animam efflaret. In tale igitur politicũ regimẽ aduentus IESV ueri Meſſiæ incidit.

Herode mortuo, Iudæi impatiẽtes peregrini regni, ſeditiones moliuntur: ſed ab Archelao repreſsi, ſub iugo retinentur. Romæ altercantibus poſtea Archelao & Herode Antipa, rurſus alij motus in Iudæa exiſtũt. Sperabant enim Iudæi, ſe in hac rerũ mutatione ſuam autonomiam recuperaturos. Sed Sabinus Cæſaris procurator

curator & Quintilius Varus, magna ui turbatores oppresserunt. Tandem Augustus Herodis regnum diuisit: Archelaum quidem Ethnarcham faciens unius partis, nempe Idumææ, Iudææ & Samariæ, quarum reditus annuatim erant sexcenta talenta, hoc est, trecenta et sexaginta millia coronatorum. alteram uerò partem in duas tetrarchias distribuit: Herodi Antipæ commendans Galilæam & Peream, quæ annuatim pendebant ducenta talenta, hoc est centum uiginti millia coronatorum: Philippo uerò Bataneam, Trachonitidem, Auranitidem, & Chalcidem, quarum reditus annui erant talenta centum, hoc est sexaginta coronatorum millia.

Præfuit gubernationi Iudææ Archelaus annos nouem. Anno Christi undecimo apud Augustum accusatus ac conuictus, Viennam Galliæ relegatur, ubi etiam expirat. Fit Archelai mentio Matth. 2.

Hic iam rursus administratio regni in Iudæa uariatur. Præfectum enim Roma miserunt Coponium, qui Iudæam regeret, anno Christi undecimo. Et hoc tempore referunt alterum censum per Iudæam actum esse, à Cyrenio Syriæ præside, qui & priorem egerat. ac de secundo intelligendam esse historiam apud Iosephum libro 18. capite 1. Antiquitatum Iudaic. siquidem Coponij mentio fiat, qui Herode uiuo & tempore Archelai nondum erat Iudææ administrator.

Coponio post biennium reuerso Romam, Ambiuius succedit. is quoq; post duos annos prouincia decedens, Annium Rufum in Iudææ administratione habuit successorem. is quoq; tantum duorum annorum spacio in eo magistratu fuit. Postea à Tiberio Cæsare Valerius Gracchus Iudææ præficitur. is præest annos undecim. Anno deniq; Christi uigesimooctauo Pontius Pilatus Iudææ præfectus datus, præfuit annos decem. Multa autem superbè et crudeliter fecit. Narratur Lucæ decimo tertio de Galilæis, quorum sanguinem miscuerat Pilatus cum sacrificijs eorum. Anno autem suæ administrationis septimo, Christi trigesimotertio, Saluatorẽ mundi, contra suam ipsius conscientiam, morti ignominiosissimæ adiudicauit. Lucæ tertio, mentio fit Pilati procuratoris Iudææ, Herodis tetrarchæ Galilææ, Philippi tetrarchæ Iturææ et Trachonitidis, et Lysaniæ tetrarchæ Abylenæ. Ex hac narratione sole meridiana, quod dicitur, clarius est, sceptrum Iudaicũ prorsus fuisse sublatum, ac præstituto tempore Christum esse exhibitum. Quantis præterea in angustijs ac mœroribus, istis impijs & palàm ethnicis dominantibus, & omnia pro libidine audentibus, fuerit Christus cum sua Ecclesia, cuiuis iudicare promptum est.

DE GVBERNATIONE Ecclesiæ per Iesum Christum.

ETsi IESVS Christus, posteaquam cœpit munere suo publicè fungi, non penitus politiam Ecclesiastici regiminis in populo Iudaico usitatã, euestigiò abrogauit, sed in quibusdam ea usus est, ut diximus: tamen & ipse nouam Ecclesiæ gubernationem mox inchoauit, non quidem ita splendidam ut erat Mosaica, propagationi tamen Euangelij, collectioni Ecclesiæ, suisq; conatibus omnibus idoneam & utilem. Quamuis autem pleraq; in uita Christi paulo pòst exponentur: tamen hic qualemcunq; eius formam proponere, et iucundum & utile est.

DE PERSONIS.

Personæ in hoc regimine Ecclesiæ, hoc quidem tempore constitutæ, sunt: Iohannes, Zachariæ filius, nullo alio gradu eminens, nisi quòd erat nuncius & uox clamans de Messia præsenti.

IESVS, qui eum habet gradum, quòd erat Christus, seu Messias ipse. uocatur autem Rabbi, Διδάσκαλος, hoc est Magister, seu præceptor, aut Dominus.

Duodecim discipuli, quorũ unus fit apostata et proditor, nempe Iudas Iscariotes.

Septuaginta alij discipuli, Lucæ 10. Et hi quidem publicum ministerium eo tempore, quo omnium maximè Messias erat reuelandus, gessere: sub Mosaico autẽ regimine, & Zacharias, Simeon, Pastores, Magi, Ioseph, Maria, & alij doctrinam de Christo tradiderũt: alij priuatim, alij in publico ministerio, ut Zacharias.

De actionibus harum personarum.

Diuinitus Iohannes in prophetis prædictus, et nunc excitatus erat, ut circiter semestre ante Christum ordiretur ministeriũ Euangelij: quod quidem ità fecit. Est autem is ex sacerdotali familia esset natus, tamen prorsus à templo Hierosolymitano discessit: & inconsultis pontificibus alijsq; Iudaicam religionẽ administrantibus, contentus iussu diuino, incipit in regionibus circa Iordanẽ sitis peregrinari, ac palàm docere, regnũ Dei iam appropinquare, Messiam esse exhibitũ iuxta prophetias. et quidem mõstrat eum digito, dicens, Ecce hic est: & commendat eius potentiã et beneficia omnibus. Orditur quoq; nouam ceremoniã, cõferens baptismum in Iordane, in remissionẽ peccatorũ, propter Messiam. Taxat corruptelas doctrinæ cœlestis, & superstitiosos cultus: Pharisæis ac Sadducæis iram diuinã & pœnas secuturas denunciat: nec mouetur iniquis uel uulgi, uel etiam pontificũ ac sacerdotũ iudicijs, non frangitur minis ac periculis. & omnino Iohannes cunctis suis actionibus testatur, iam Mosaicam politiam in religionis statu ad terminum suum præfinitum decurrisse.

IESVS uerò momenta rerum gerendarũ, sibi à patre præscripta, accuratissimè obseruans, licet interdum quædam indicia rerum futurarũ de se præberet, tamen publicam docendi prouinciã prius non suscepit, quàm trigesimũ suæ ætatis annũ attigisset. Hic primùm initiatus est à patre in Iordane, uoce cœlitus prolata, & spiritu sancto uisibiliter eum ungente, ut erat prædictum. Deinde etiam à Iohanne, ueluti suo prodromo aut tubicine, per baptismum uoluit testimoniũ accipere: prorsus neglectis & posthabitis sacerdotibus, Hierosolymis dominantibus. Postea, etsi uerè esset summus sacerdos, (ut erat Psal. 110. prædictũ, quem in memoriã Iudæis Matthæi 22. reuocat) tamen titulum sibi arrogare noluit, ne externam dignitatem & potentiam uideretur affectare: sed res ipsas ad pontificem pertinentes, imò toto Mosaico statu designatas, omnes exequitur.

Primùm enim tradit cœlestem doctrinam, non sicut scribæ & Pharisæi, sed puram, et ab omni ipsorum fermento repurgatã: imò illustrius eam proponit, quàm ullo seculo in toto terrarũ orbe factum erat. Etsi enim Adam, patriarchæ, & prophetæ didicerant à Deo doctrinã de Messia, eius beneficijs, ac ueris Dei cultibus: tamen hactenus pleraque adhuc typis ac umbris, quasi nebulis quibusdam, obscurata & inuoluta fuerant. Ab

nunc

nunc Christus, tanquã unigenitus Dei filius, omnẽ caliginẽ prorsus tollit & abolet. Clarius docet quàm unquã antea auditũ erat, Deum esse unũ, & tamẽ personis tribus distinctũ: nempe patrem, filium, & spiritum sanctum. Clarius docet quàm unquã factum fuerat, se esse Meßiam prædictum, se paßione sua deleturũ peccatum & mortem. Illustrius quàm antea docet, de iustitia coram Deo: nempe quòd ipsemet iam legem Dei loco totius generis humani uelit implere, & quòd fide in ipsum habeamus uitam æternã. Sic docet preces in suo nomine faciẽdas, bona opera se auxiliãte præstanda, & propter se placere: se resuscitaturum mortuos, ac eos qui crediderunt traducturũ in regnũ patris, alios uerò in æternas pœnas abiecturũ: Mosaicũ statum non tantum docendo, sed etiam horribili uastatione destructũ iri. Explicat prophetias de Meßia, & doctrinam de lege & similib. rebus: nec gignit nouam doctrinã, sed ueterem illustrat. Vtitur autem crebrò parabolis ac figuris, tum quia usitatißima erat ea ratio docendi in populo Dei, sicut & prophetas fecisse legimus: tum ut ornatius & suauius suas conciones, imò etiam interdũ uehementius & acrius proponeret, resq; propositas ueluti pingeret. id quod non tantum ad memoriã rerum prodest, quæ facilius quasi pictæ percipiũtur: sed ut altiores quasi stimuli in cordibus hominũ relinquerẽtur. solet enim florida oratio, non tamen inanis, sed neruosa, plurimum animos hominũ afficere. Verùm ipsa doctrinæ capita suprà fusius exposita sunt.

Docet autẽ Christus, nõ tantũ in uno loco: sed tamquam Meßias, ad omnes pertinens, per totam Iudæam, usq; ad fines Tyri et Sidonis, iter facit, ubiq; fragrantiã suæ doctrinæ spargẽs. Sæpe docet Hierosolymis publicè in templo, auditorio frequenti: sæpe in synagogis, ipßis diebus Sabbati, quando solebãt fieri cõuentus, passim per Galilæam et alias Palæstinæ regiones. Sæpe etiam in locis opportunis, in mõtibus, in littore instruit turbas: quæ cupiditate audiẽdi & uidendi Christũ, ad eum cõfluxerant. nec tantum interdiu, uerùm etiam noctu in hoc opus incũbit: sicut Nicodemus noctu uenit ad Christum, salutarem ab eo doctrinam percipiens.

Cæterùm doctrinã suam insignibus miraculis, quæ erant à prophetis prædicta, confirmat et ornat: sese q; uerum esse Meßiam, ipßis factis declarat.

Administrat claues regni cœlorũ: palàm enim & apertè annũciat remißionẽ peccatorũ. Matt. 9. Confide fili, remittũtur tibi peccata tua. Deinde et ligat Pharisæis & cæteris obstinatis peccata, quòd inquit in genere: Qui non crediderit, & baptisatus fuerit, cõdemnabitur. & in specie, scribas ac Pharisæos excõmunicat, Væ in ipsos, quasi diuinæ iræ fulmẽ cõijciẽs. Matth. 23.

Taxat seueriter corruptelas & corruptores doctrinæ: nec parcit ipsorũ titulis, autoritati aut sanctitati, neq; metuit ipsorum minas & pericula.

Monet suos auditores de falsis doctoribus, ac caueri iubet: Matthæi 7. 24. Iohannis 10.

Quæstiones perplexas & obscuras non tantũ Apostolis, sed & aduersarijs suis insidiosè interrogantibus, maxima dexteritate soluit.

De pœnis, propter contemptum Meßiam & eius ministerium uenturis, de excidio templi, ac uastatione populi Iudaici, indubitanter prædicit.

Paruulos iubet ad se uenire, eisq; impositis manibus benedicit.

Iudicia ciuilia detrectat. Nam cuidã petenti, ut hortaretur fratrem suum de hæreditatis diuisione, respondet, Quis me cõstituit iudicem inter uos? Genus tamen tractat, nempe non esse auaritiæ studendum: Lucæ 12.

Alios quoq; ad iuuandum ministerium docendi, è reliquo cœtu adsciscit: nempe duodecim discipulos, et septuaginta, quos ante se binos ablegat.

Discipuli ac septuaginta iussu Christi salutarem ac repurgatam Dei doctrinam tradebant, et miraculorũ facultate à Christo accepta declarabant.

Prohibet autem ministris uerbi, cauponationẽ doctrinæ, & constituit eis stipendiũ dicens: Dignus est operarius mercede sua.

Secundò, iuxta pontificis ueri & unici officiũ, orat pro toto mundo. Iohannis 17.

Tertiò, sacrificiũ præstat pro toto mundo, ita quidẽ ut ipse sit uictima quæ mactetur, non in templo Hierosolymitano, sed in cruce, ut erat prædictũ. Hanc ob causam Iohannes dicit: Hic est agnus Dei, tollens peccata mundi. & ipse inquit: Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita. Iohannis 6. Item: Animã meã pono pro ouibus. Huc pertinet tota paßionis historia.

DE BONIS ECCLESIAE.

Christus nullos reditus, nullos fundos, nullos thesauros habuit, fungens suo ministerio: nihilominus eleemosynis, quas ab alijs accipiebat, frugaliter utebatur. idq; ex historia constat, quòd Iudæ asseruatio & expositio earum demandata erat: Iohannis 13. Narrat Lucas capite 8. quòd Magdalena et Iohãna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ Christo ministrauerint de facultatib. suis. Præcipit etiã discipulis, ne se auaritiæ & cumulandis opibus dedant: Matt. 10. Stipendijs tamẽ et mercede eos fouẽdos docet.

DE SCHOLIS.

Non abrogauit Christus alias scholas usitatas, in quibus iuuentus rudimenta artiũ didicit: sed Theologicam scholã ipse tamen penes se habuit, distinctam ab auditoribus, quibus aliàs sinceram Dei doctrinam tradebat: peculiariter enim uocabat duodecim, quos et Apostolos propter officiũ, quod gesturi erant, nominabat. Lucæ 6. aliàs etiam Discipuli dicuntur: eos uerò nõ habebat uno in loco, sicut nec ipse in uno loco cõmorabatur. nam per totã Iudæã innotescere debebat. Sed quócunq; iter faciebat, secum ducebat: ita ut neglectis suis uocationib. prioribus, tantũ Christo adhærere cogerẽtur. Erudit autẽ eos in doctrina cœlesti, & adhibet ad omnia facta quæ edebat. Nonnihil imbutos & instructos doctrina, deinde mittit, ut in quibusdam Iudææ locis cõcionentur: & impertit eis miraculorũ donum, quo plures ad amplectendũ Christũ, eiusq; doctrinam mouerẽtur. Verùm subinde ad Christũ reuerti cogebantur, nec quóquã sine eius mandato excurrere licebat, donec post resurrectionẽ in schola Christi per dies quadraginta bene confirmati, ac deniq; Spiritus sancti donis instructi, iussu eius in uniuersum terrarũ orbem prodirent, pœnitentiam & remißionẽ peccatorum omni creaturæ annunciantes.

Præter hosce duodecim, etiam septuaginta eligebat discipulos, qui in sua schola enutriti, et donis miraculo-

rum ornati & instructi, ablegabantur, ut passim in Iudæa Euangelium Christi prædicarent.

Habet Iohannes quoq; scholã, in qua præ alijs quosdam discipulos habuit, quos in uera doctrina instruxit. Patet id ex Ioannis 1. ubi duob. discipulis, quorum unus erat Andreas, frater Simonis Petri, Iohãnes cõcionatur de Christo: Ecce agnus Dei. Idem testatur historia, quòd duo Iohannis discipuli sint ad Christũ missi, quæsitum, an IESVS esset Messias? Matth. 11.

DE PRIMATV.

CHristus ipse docet, se unum esse magistrum: factisq; declarauit, se Oecumenicum esse episcopum, sicut nunc loquimur. neque tantum, dum in terris uersatus est, solus in Ecclesiæ regimine primatũ iure habuit: sed etiam se eum deinceps retenturũ testatur, inquiens, Ecce ego sum uobiscũ usq; ad cõsummationem seculi. Apostoli autem, uocãtur & sunt tantum eius serui. Inter Apostolos porrò nullam prorsus maioritatem, ut sic dicamus, nullum principatũ constituit: Omnes eodẽ modo uocati sunt, idem omnib. uerbũ traditũ, omnes miraculorũ donis ornati sunt: omnib. potestas data, ut ubiq; cõcionarentur. Imò principatũ affectantes, docet de calice & baptismate: docet eam prærogatiuam & magnificentiã mundanis imperijs competere: docet, Quicunque uoluerit inter uos maior esse, sit uester minister: et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus, Matth. 20.

Sed de hisce omnibus, quæ ad gubernationis formã, qua Christus usus est, pertinent, in eius uita prolixius commemoranda erunt. Præterea quibus in partibus Iudaismo adhuc communicarit, suprà commonefecimus.

CAPVT VIII. ET IX.

DE SCHISMATIBVS ET Concilijs.

SCHISMATA in populo Iudaico sectæ sunt, de quibus in capite de Hæresibus dictum est. Fuerunt autem ij qui sinceram Dei doctrinã professi sunt, in odio reliquorũ, ac pro schismaticis iudicati sunt: ut Zacharias, Simeon, Christus, Apostoli, & reliqui. Cum autem historia Christi uberiorem istarum rerum explicationem contineat, ideo non putauimus hic multa uerba facienda esse. Concilia uerò hic nulla sunt celebrata: nisi quis congressus piorum, statuentium de Messia exhibito, concilia uelit appellare, quæ in uita Christi exponentur.

DE PERSONIS.

CAPVT X.

HISTORIA DE VITA ET GESTIS IESV CHRISTI.

OMNES credentes, omnibus ætatibus sciuisse certò, idq; ex diuinis promissionibus, uenturũ esse aliquem Messiam, summisq; uotis ac desiderijs eum expectasse, notius est quàm ut longa explicatione ac demõstratione indigeat. Suprà autem in capite de doctrina, articulo de Christo, quædam huc pertinentia exposita sunt. Vt autem dulcior fiat narratio de Christo, quædam testimonia partim immediate ab ipso Deo prolata, partim uerò per suos seruos, ipsos nempe prophetas, de Messia tradita, in genere paucis perstringemus. Nam quomodo actiones Christi ad prædictiones illas, quæ in prophetarum monumẽtis de Christo cõtinentur, cõgruant, in ipso rerũ contextu uisum est interspergere. Omniũ autem prima et luculentissima prophetia seu promissio de uenturo Messia, in paradiso uoce ipsius Dei manifestata est, statim cũ peccatũ primi isti homines & se & totam suam posteritatem in mortis imperiũ demersissent: Inimicitias inquit Deus, ponam inter te & mulierẽ, et semen tuum et semen illius: ipsum cõteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Gen. 3. Benedicẽtur in semine tuo omnes gentes terræ: Gene. 12. 18. 22. 26. 28. Non auferetur sceptrũ de Iuda, &c. donec uenerit Siloh, & ipse erit expectatio gentiũ: Gen. 49. Ecce uirgo cõcipiet, et pariet filiũ, & uocabitur nomẽ eius Immanuel: Esaiæ 7. Paruulus natus est nobis, et filius datus est nobis: Esaiæ 9. Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: Esaiæ 11. Ac pertinet huc totum 53 caput eiusdẽ prophetæ. Creabit Dominus nouũ super terram, fœmina circũdabit uirum: Ierem. 31. LXX hebdomades abbreuiatæ sunt super populũ tuum, & super urbem sanctam tuam, ut cõsumatur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, et deleatur iniquitas, & adducatur iusticia sempiterna, et impleatur uisio & prophetia, & ungatur sanctus sanctorũ. Ab exitu sermonis, ut iterũ ædificetur Hierusalẽ, usq; ad Christum ducem, hebdomades 69. Et tu Bethlehẽ Ephrata, &c. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Mich. 5. Ecce rex tuus uenit tibi iustus, & saluator: Zachariæ 9. Psalm. 2. 22. 110 & alijs. 2. Reg. 7. Satis autẽ huic quidẽ nostro instituto esse putamus, saltẽ hæc illustria promissionũ capita uoluisse obiter attigisse: et promptissimum est cuilibet, è sacris libris ingeniẽ talium sententiarum aceruum cõscribere. Hæc autẽ sequẽtis historiæ quasi fundamenta sunt, ut pia pectora considerent, nihil temerè à Deo gestum esse: ac rem tam magnã omnibus pijs, omnibus seculis notam fuisse.

DE AETERNA CHRISTI substantia.

ANtequam carnẽ humanã in utero Mariæ uirginis assumeret, imò priusquã creaturæ fierent, extitit Christus. Fuitq; æterni patris uerus & æternus filius, coessentialis, coæternus, coæqualis: persona uerò distincta, sicut Ioh. 1. exponitur: In principio, inquit, erat uerbum, quo quidem uocabulo, persona, ipse nimirum filius Dei, designatur. Et uerbũ erat apud Deũ, et Deus erat uerbum. hoc erat initio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. Cæterũ quomodo ex solo patre cœlesti, absq; omni principio, sit generatus hic filius, omnẽ omnium hominum et angelorũ captum exuperat: ac fide solum hæ sententiæ, quòd sit filius generatus ex patre, eiq; coæternus existat, apprehendendæ sunt. Cum etiã tam sublima non sint à Christo, Prophetis aut Apostolis perspicuè indicata et tradita: pietatis certè est, metas patefactionis non transilire irreligiosius. Si qui autem comparationes à rebus creatis sumunt, modestiæ & timoris

moris Dei ut uel imprimis meminerint necesse est.

Vnigenitus uocatur filius à Iohãne, qui sit in sinu patris: Ioh. 1. Profitetur etiam Christus, se habuisse claritatem apud patrẽ, antequã fundamẽta mundi iacerẽtur.

Quomodo autem patriarchæ, prophetæ, ac reliqui ante Christi exhibiti tempora, hunc Dei filium cognorint, uel ex his Christi uerbis manifestũ est, quòd inquit: Abraham desiderauit diem meum uidisse, et lætatum esse. Offendunt Iudæi, amissa iam luce de uera Dei cognitione: sed subinde inculcat Christus se et patrem unũ esse, idemq; operari quod pater, seq; esse filiũ Dei. Excellentissima igitur hoc loco persona describenda uenit, cuius nullũ imitiũ iuxta diuinitatẽ dari potest, neq; extat in rebus creatis similis generatio. A` solo enim patre solus filius, et quidẽ ab æterno gignitur. Sed non persequemur ista prolixius, cum suprà quædã ea de re cõmemorata sint.

DE NATIVITATE CHRISTI ex uirgine Maria.

INstante tempore, quod ipse Deus suo filio præfinierat, ut homo nasceretur, non omnino clàm aut sine miraculis res illa omnium maxima, & ad totum genus mortaliũ pertinens, suscipitur, aut geritur. Sicut enim mirando Dei consilio non tantũ populus erat electus, in quo filius Dei carnẽ humanã assumpturus esset: sed & templi locus destinatus erat, in quo sub ipsum tempus quoq; Meßiæ exhibendi, posteaq; exhibiti, testimonia spargenda essent: ita iam omnium primò per angelum propinquitas Meßiæ, iussu Dei exponitur, non hominis plebeio aut impio, sed sacerdoti Zachariæ, pietate, doctrina, cæterisq; uirtutibus clarißimo. Is enim dũ sacra in templo facit, subitò conspicit angelũ ad altare consistentem, qui nunciat, iam tempus nascituri Meßiæ instare. deinde Zachariã, è sterili & sene coniuge filiũ accepturũ: eum futurũ præcursorẽ Meßiæ, iuxta prophetias, præsentemq; monstraturũ esse. Ad hæc duo miracula, nempe angeli apparitionẽ, & mulieris sterilis ac proiectæ ætatis conceptionem, accedit tertiũ: quòd ob incredulitatem, uenerandus iste senex obmutescit, stupidusq; auditũ amittit. sicut ex eo colligi potest, quòd ubi de nomine infanti imponẽdo disceptãt mulieres, ei innuitur, gestuq; significatur quomodo uellet filiũ appellari. Cum autem nõ fuerit literarũ ignarus, utpote sacerdos, quos necesse fuit in lege peritos esse, eamq; maxima attentione aßiduè uoluere & reuoluere, fideliterq; alijs tradere: scriptis eam mirandã Dei patefactionẽ cõiugi, cæterisq; anxiè Meßiam expectantib. declarauit. sicut etiã postea in circũcisione palinxestũ seu tabulam ad aßignandũ nomen, quod Iohanni erat dandũ, poscit.

Exactis sex mensib. à cõceptione Elizabethæ, quæ quidẽ mox prædictionẽ Euangelij comitata est, fit etiã ipsius Meßiæ conceptio, miraculis Dei amplißimis omnino referta. Mittitur enim angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ Nazareth, ad uirginẽ Mariam, desponsatã quidẽ uiro, sed non nuptã. uiro nomen erat Iosepho, ex domo & familia Dauid. Patet igitur, & Mariã ex eadẽ familia ortũ habuisse. Erat autẽ promißio hoc modo facta, quòd è domo Dauid Meßias uenturus esset, 2. Regum 7. Cæterũ quòd Nazarethæ habitaret, facilè potuit accidere, ut propter crebras uastationes, quæ circa Hierosolymã factæ sunt, in Galilææ oppidulum, tanquã locum tutiorẽ, se receperint ad cognatos suos. Matthæus cap. 2 memimit, diuinitus hæc ita accidisse, quod à Deo sit prædictũ, Christum uocatũ iri Nazarenum. Iudic. 13. Numeri 6. Præterea propemodum extincta erat familia Dauid, & ad inopiã redacta, ut erat prædictũ Esaiæ 11. Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Nicephorus lib. 1. cap. 13. dicit Mariam ac Iosephũ & Nazarethæ & Bethlehem interdũ pro cõmoditate suarũ rerum habitasse: ac cõsentaneũ esse, quòd utrobiq; adhuc aliquos reditus habuerint. Verùm unde eam habeat opinionẽ, certum non est: & pugnare uidetur, quòd postea Bethlehem profecti in dicto censu, nõ inueniũt in diuersorio locũ. Angelus ingressus in domũ ubi uirgo uiuebat, blanda eam salutatione affatur: simul indicans, se nõ esse tristẽ nuncium: Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus. Maria tam insolita uisione ac salutatione obstupefacta, quid hoc rei sit, & quare tam magnificè, imò etiam mirificè salutetur, secum perpendit. Sed turbatã uidens angelus, pergit: Ne timeas, inquit, Maria, inueniſti gratiam apud Deum. Ecce cõcipies in utero, & paries filium, & uocabis nomẽ eius IESVM. Hic erit magnus, & filius altißimi uocabitur. & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Hoc est, paries Meßiam. Alludit autem angelus forma orationis ad promißionem luculentam, quæ Esaiæ septimo extat: Ecce uirgo concipiet, &c. Maria ista audiens, & res tantas ratione sua non capiens, statim objcit: Quomodo hoc sit futurum, cum uirum non cognoscat? quasi diceret, neminem absq; uiro unquam peperisse. Angelus igitur modũ ei singularẽ patefacit: Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & uirtus altißimi obumbrabit tibi. ideoq; quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Multa maximi momenti his uerbis cõplectitur angelus: nempe, filiũ Dei ex Maria nasciturũ, fore cõceptionẽ in utero Mariæ, ex ipsius sanguine, absq; ullius carnalis uiri cõmixtione, superuẽtu spiritus sancti, & obumbratione altißimi: fore sanctum, hoc est, nõ fœdatũ labe peccati originalis: Deum ipsum obumbratione sua protecturũ, ne in tanta maiestatis diuinæ propinquitate exanimetur. Pulchrè aũt, iuxta morem Dei in patrũ historijs obseruatũ, signum quoddã euidẽs & arduũ adijcitur, ut uerbis Dei maior adhibeatur fides. Et ecce, inquit, Elisabetha cognata tua (unde patet, & ex tribu sacerdotali aliqua ex parte esse Mariam: permixta enim erant sacerdotalis tribus & regia, sicut Aaron uxorem habuit de Iuda Elisabeth, sororẽ Naason) & ipsa cõcepit filiũ in senectute sua, iamq; hic mẽsis sextus agitur. Additq; elegans epiphonema: Nam nõ erit impoßibile apud Deum omne uerbũ. Etsi aũt arcanas Dei operationes nõ perspicere poterat acie sui ingenij Maria, tamen uidens hanc esse diuinã ac mirabilẽ Dei uolũtatẽ, uerbis huius nuncij acquieſcit pulcherrima subiectione, reuerẽtia & timore Dei, adijciẽs: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbũ tuũ. His peractis, angelus rursus discedit. Vtrum aũt statim angelo has uoces mandato Dei profẽrente, simul admiranda ista cõceptio sit facta, an uerò post digreſsũ angeli, curiosum est inquirere: nisi quòd ex ipsa oratione angeli, & postremo dicto Mariæ appareat, post hoc colloquiũ nõ longo interuallo interpo-

sito factam esse. Est aũt opinio uulgaris, octauo Calendarum Aprilis, hoc est uigesimo quinto Martij, hanc cõceptionem esse factam. Proteuangelium ait, 16 ætatis anno Mariam cõcepisse. Ineptũ est, ut hoc obiter attexamus, quod Augustinus & alij hoc loco affirmant, Mariam castitatis uoto obstrictam fuisse: atq; ideo dixisse, Virum nõ cognosco. Sed testatur Lucas, eam desponsatam fuisse uiro: quæ res nequaquam per iocum aut simulatè fieri potuit.

His ita gestis, Maria ipsa re angeli nunciũ experta, ac sentiens se Meßiã concepisse, iter ad domũ Zachariæ instituit, excita uoce angeli: qua non obsurè iussa fuerat, ut stupẽda Dei facta in effœta ac sterili anu coràm inspiceret. Deinde norat, Meßiam ad omnes homines pertinere. norat, Zachariæ familiam ingenti desiderio eius aduẽtus teneri. ac naturales quoq; storgæ urgent, ut quisq; res lætas suis amicis atq; cognatis referre gestiat. imò & in fide sua cupiebat magis erudiri, & confirmari: proinde cũ festinatione proficiscitur per montana. erat enim circa Hierosolymam ualde montosa regio. Abit autẽ ad quandã ciuitatẽ Iudææ. Quod uerò eius nomẽ fuerit, non legitur. Comestor ait quosdam dicere, Zachariã tum quarto miliario Hierosolyma habitasse. Solam autẽ uirginẽ nubilẽ tam longinquo & latronibus infesto itineri se commisisse, nõ est ueri simile: licet nõ exprimantur comites, ac uulgari orationis forma ex aliquo cœtu unus tantum nominetur præcæteris celebrior, ac de quo præcipuè agitur.

Vbi autem Maria ad locum, quò tendebat, uenisset, uixq; pedem in hospitiũ tulisset, suamq; cognatã more solito salutasset, ecce statim mirandæ reuelationes de iam concepto Meßia eduntur. Nam ad salutationẽ Mariæ, suiq; Domini aduentũ ac præsentiã, arcana quadã Spiritus sancti operatione & instillatione, infantulus Iohannes, nondum partui maturus, præ gaudio exilit. id quod Elisabetha statim patefacit, ac peculiariter à Spiritu sancto illustrata fide in Maria perspicit, quod acie oculorum penetrare non poterat. Nondũ turgebat Mariæ uterus, ut quæ recens conceperat: attamen lucu lenter & certò uidit Elisabeth, Mariã esse matrẽ Domini, Meßiã in ea conceptũ, præsentemq; ad esse. Gaudio igitur ardenti exclamat alta uoce: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus uentris tui. Vnde mihi hoc, quòd mater Domini uenit ad me? Beata quæ credidisti: perficiẽtur enim in te omnia, quæ tibi à Domino dicta sunt.

Cognouerat fortè Elisabetha ex suo marito muto per quasdam scriptiones, aliasq; notas, Meßiæ tempus iam aduentasse. Sed personam certè hactenus ignorauerat. Nunc uerò priusquã hæc puella exponit, quid sibi acciderit, aut quale nunciũ à Deo habuerit: Elisabetha subitò tanta luce donatur, ut rem omnem norit ac testetur, quòd Dominus sibi indicarit, hanc esse matrẽ Domini.

Hisce mirandis reuelationib. & testimonijs, quæ statim in limine cognatæ audit, planè & egregiè cum suis rebus cõgruentia, tanta etiam lætitia accẽditur Maria, ut in ardentẽ confessio.. ẽ ac celebrationẽ beneficiorum Dei erumpat, ac dicat: Ego quoq; tota anima ac spiritu lætor, ac gratias ago Deo. Ratio prima est: Quòd tam humilẽ ac uilem puellam tantis donis iam Deus ornat, quæ nihil tale erat promerita. Secunda: Hæc iam innotescẽt toti mundo, quòd sim mater Domini, et hoc beneficium celebrabunt. Tertia: Multo maxima sunt, quæ iam in me Deus operari cœpit, secundũ omnipotẽtiam suam, quæ naturæ aliàs erant impoßibilia, & sanctus sanctum fœtũ in me creauit. Quarta: Nemo hoc meritus est, sed mera & inenarrabilis est misericordia Dei, quæ quidẽ cõmunis est toti posteritati usq; ad finẽ mundi. Quarta: Præclaras res efficiet per suum brachium, ut Esaias cap. 53. prædixit, ac potẽter hostes omnes uincet: peccatũ nempe, diabolũ, mortẽ ac infernũ. Quinta: Talis erit ratio ipsius doctrinæ ac dispẽsationis suorũ bonorũ, humiles exaltabit, esuriẽtes implebit bonis: hoc est, remissionẽ peccatorũ, iusticiã & uitam æternã, quæ sunt omniũ amplißima bona, gratis distribuet peccatorib. agentibus pœnitentiã, ac fide hunc Dominum apprehẽdentibus. at superbos, mente cordis sui disperget. Deponet potẽtes de sede, diuites dimittet inanes: hoc est, hypocritas, iusticiarios & tumidos pharisæos, persuasione propriæ iusticiæ, quam operib. se consecutos esse autumãt, turgẽtes, auersabitur ac puniet. Simul autem prophetat Maria, de clade Iudæorũ, & receptione gentiũ. Sexta: Israel primùm suscipietur, idq; ex misericordia, iuxta promißionem, non ex merito aliquo, aut sanguinis prærogatiua. Septima: Hæc omnia iam gerũtur et fient iuxta promißiones Abrahæ factas, ad cuius familiã omniũ primò, promißio de semine benedicto alligata erat. Tam luculento encomio, & tam præstanti doctrina Maria cognatæ ædes ingreditur: nec dubium est, postea Zachariæ totiq; domui eadem sæpius ac prolixius exposita, et summa cum gratulatione accepta & celebrata esse.

Mansit autem in hac pia schola, seu Ecclesia Dei, integrum anni quadrantem Maria, menses nimirum tres: ac spectauit partum anus effœtæ, inspexit & audiuit coràm miracula.

Nam exactis nouem mensibus, formationi hominis naturaliter à Deo destinatis, Iohannes in lucem ab Elisabetha editur, summa cum omniũ uicinorũ et cognatorum admiratione & cõgratulatione. Die octauo, cum circũcidendus esset puer iuxta legem Dei, eiq; nomẽ imponendum, oritur de nomine disceptatio. Mater, uel ex scriptione mariti, uel peculiari instinctu Spiritus sancti, uult puerulũ uocari Iohannẽ. Mulieres quæ aderãt, contrà pugnãt, dictitãtes neminẽ in ipsorũ cognatione hoc nominis habere. Puerpera in sua sententia immobiliter persistẽte, res ad parentẽ defertur: nutuq; ac gestibus ei significatur, quomodo uellet filiolũ nominari. At is postulata tabula, admotaq; manu, simul scribit & loquitur, Iohannes est nomẽ eius. Omnes aũt obstupescũt tam repentina linguæ solutione. Postea, quod nõ minus mirandũ est q̃ ipsa sermonis restitutio, lætißimo pectore & ardenti fide gratiarũ actionẽ ad Deum cunctis audientib. instituẽs, non priori loco de suo filio dicit, licet ardẽtißimis storgis filiolũ complecteretur: sed summis encomijs uelut præsentẽ Meßiam celebrat, prophetans ac docẽs, iam factã esse diu desideratã & exoptatã uisitationẽ & redemptionẽ Israelitici populi: hoc est, præsentẽ esse Meßiam. Indicat aũt quale regnũ Meßias iam sit auspicaturus: nempe salutis, & quidem in populo Iudaico. Non temerè ista geri, sed per prophetas singula esse prædicta. Opera Meßiæ fore, eripere et uindicare

dicare homines ab hostibus immanissimis, quorũ tyrannide oppressi eramus: à peccato, morte, diabolo et inferno. Fieri autẽ ex misericordia: prædictiones omnes Abrahæ datas, iam implendas esse. Fructũ quẽ ex operibus Messiæ sumus accepturi, fore primùm liberationem ex inimicis nostris: hoc est, imputationẽ gratuitã iustitiæ, seu remissionẽ peccatorũ gratis per Messiã fide acceptã, deinde renouationẽ: seu cultus ueri Dei. Ita primùm de Messia, eius regno ac factis, præconẽ agit Zacharias: postea de filio prophetat, eum fore præcursorẽ Messiæ, docturum de remissione peccatorum ex misericordia per Messiã accipienda. Maria his peractis, Nazaretham reuertitur. Lucæ 1.

Hæc omnia cum eo fine acciderint, ut miraculis & testimonijs summorum hominum inclaresceret Messias, iam conceptus in utero Mariæ, rectè hoc loco commemorari debuerunt.

Apparet autẽ, adhuc non multis ciuibus Nazarethæ notã fuisse Messiæ conceptionẽ: sed postquàm Mariæ, tribus elapsis mensibus, uterus cœpit intumescere, res non potuit latêre diutius sponsum Ioseph. Ignarus autẽ rerum omniũ, hauddubiè magno dolore initiò affectus est, tacitusq; uersauit in animo cogitatiões uarias. Prohibebatur enim lege, ne grauidã ex alio duceret in uxorem. Tradere autem ad publicã pœnam, ob eximiã, qua præditus erat, pietatem abhorrebat: ut extat præceptũ Deut. 22. Tandem statuit, occultè eam dimittere. Dum autem anxius animi fluctuat cogitationibus, ipse Deus remediũ inuenit. Nam in somnis angelus Domini Iosephò apparet, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam, cõiugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. pariet autem filium, et uocabis nomen eius Iesum. ipse enim saluũ faciet populũ suum, à peccatis suis. Huic diuinæ uoluntati, cum audiat Messiam ex Maria nasciturum, quem toto pectore exoptabat, lætus acquiescit Ioseph, & Mariam ad se recipit. Non autem dubiũ est, hæc ita consilio Dei gesta esse, ne durius Iudæi in Mariã animaduerterẽt, sicut erant iam prauis opinionibus imbuti: & Messiam longè magnificentiorẽ, quo ad externã speciem, expectabãt. Studiosè autem omnia deflectuntur eò, ut appareat, Iosephũ non esse naturalẽ Christi patrem, & ex ipsius substantia nihil prorsus accepisse. ideo tanta diligentia cõmemoratur, Mariam tantũ fuisse Iosepho desponsatã, Iosephũ uoluisse eam tanquã adulterã ante legitimã cõiunctionem manifestã deserere. & Lucæ 3. scribitur, Putabatur filius Ioseph. Sola igitur Maria est mater Domini, ex ipsius sanguine iam nascebatur, et habet eum fœtum ex spiritu sancto arcana & miranda operatione. Monet etiã Matthæus, ista omnia facta esse iuxta Domini prophetiã, Esaiæ cap. 7. Ecce uirgo cõcipiet, & pariet filium, et uocabitur nomen eius Immanuel: quod est interpretatũ, nobiscũ Deus. Matth. 1. In Proteuangelio Iacobi narratur, etiam sacerdotes cõperisse Mariã esse grauidã: ac iuxta legem Numeri 5. tam Mariæ quàm Iosepho aquas redargutionis præbuisse, ac mississe ad montana, uerùm utrunq; redijsse mundũ. Verùm cum ibi nõ pauca recitentur ualde suspecta, et ab alijs Euangelistis aliena, non putauimus huc copiosius inserenda esse.

Nunc ubi & quomodo IESVS Christus ex utero Mariæ natus sit, uidendũ est. Cuncta enim miraculis Dei omniũ maximis ornantur, & accuratè narrãtur: ut hoc arduum Dei opus, in gratiam totius humani generis factum, nempe quòd filius Dei uerè factus sit homo, magis illustretur. Nouẽ mensibus iam ferè præteritis, ac tempore, quo maturus fœtus partu edendus esset, ualde propinquo, commodùm per totum orbem grata pace fruentem, edicto Augusti Imperatoris Romani census agitur. Habet igitur & Cyrenius Syriæ præses in mandatis, ut per Palæstinam, eam rem exequeretur. Notabantur autem & capita hominum, & facultates. Vtq; expeditius id fieret, ac meliori ordine, quilibet iubebatur ad suam se ciuitatem conferre, quò uidelicet cuiusq; familia pertineret. Erat autem ista descriptio prima à Cyrenio facta: nam alterius infrà mentio incidet. Testatur autem hæc ipsa historia, Romanis iam in Iudæos imperium habentibus, sceptrum Iuda corruisse. Hæc igitur necessitate excitati, Ioseph quoque unà cum desponsata sibi uxore Maria, proficiscuntur ex Nazaretha in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem: quæ quidem duæ ciuitates circiter uiginti miliaria Germanica inter se distabant. Eò autem uenientes, non habent in diuersorio locum: quòd frequentes confluxerant homines, & commodas habitationes occuparant. Itaque in stabulum pecorum, tanquam pauperculi ac uiles homines, deducuntur. Dum autem ibi agunt, implentur dies partus, ac parit Maria in stabulo primogenitum. Infantulus recens natus, panniscq; inuolutus, in præsepe uicinum ponitur: nec attendit quisquam, ibi Messiam et saluatorem totius mundi ex uirgine natum esse.

O stupendam & ô indignam rem. Mundi dominus & creator, propter mundum nascitur: & nemo curat. imò nec locum habet in domo mediocrem: in fœno quiescit, inter bruta reponitur, tenuibus pannis implicatur. At Herodis aut Cæyphæ fœtus magnificè tractatur, tenerrimè fouetur, pannis preciosis uestitur, plures ad ministerium sunt parati. Sed eiusmodi humilitate uolebat in hunc mundum ingredi, qui maledicto legis se iam tum subiecerat, omniaq; implere constituerat. Cæterùm quòd in Bethlehem Christus nascitur, non casu fit, sed peculiari diuina gubernatione. Nam Michææ 5. hic locus Messiæ natiuitati erat præfinitus.

Cum hac Lucæ narratione non conuenit Proteuangelion Iacobi, quod refert, in media itineris uia à Nazareth uersus Bethlehem, Mariam ad speluncam quandam diuertisse in agro Salomæ, ibiq; peperisse filium suum, diuinitùs obstetrice quadam Hebræa aduentante, & interueniente etiam post partum Salome. Nam Lucas testatur, in Bethlehem, & quidem in stabulo, iuxta præsepe, hunc partum esse factum. Et obseruandum est, quod Proteuangelion abducat à prophetia Micheæ, & propemodum studio id agat, ut lectores natiuitatis Christi locum amittant. quo nam autem ea spectent, non difficile est considerare.

Temp° natiuitatis annotat Eusebi° in historia Ecclesiastica & Chronico, 42 Augusti anno, Aegypti subiectæ et mortis Antonij et Cleopatræ 82. Epiphani° libro 3. Tomo 2. Hæres. 78. ait, 42 Augusti, Herodis 33. Sic Hæresi 51. Vrspergensis et cætera diligẽter cõputat: Anno, inquit, ab initio creationis mũdanæ, secundũ Hebraicã ueritatẽ, 3962: secundũ Septuaginta duos interpretes, eorumq; sectatores, quinquies millesimo ducentesimo

primo: à diluuio, bis millesimo trecentesimosexto: ab Abrahæ natiuitate, 2014. à Mose & egressu filiorũ Israel de Aegypto, 1509. à Solomone & prima templi ædificatione, 1031. à reædificatione, quæ sub Dario facta est, 519. ab urbis Romanæ conditione, 751. Olympiadis 194. anno 3. Lutherus in Supputatione: Nascitur anno mundi 3962, Herodis 30. Olymp. 194 anno 4.

DE GENEALOGIA IESV Christi.

VOluit Deus cùm Iudæis, tum gentibus, quàm notissimum ac exploratissimũ esse, IESVM ex Maria natum, Dauid & Abrahæ filium esse: hoc est, eum ipsum de quo factæ erant magnificæ promissiones, quiq; benedictionem toti humano generi, sublata execratione diuina, esset allaturus. Habebãt enim aliàs plures filios hi duo uiri, sed unicus tantum huic amplissimæ rei destinatus erat. Iam ut iste articulus in nouo Testamento extaret, recitantur à Matthæo cap. 1. & Luca capite 3. genealogiæ, quæ quidẽ ad eum ipsum scopũ tantummodo tendunt: id quod prorsus extra omnẽ est controuersiã. Sed in eo iam nascuntur disceptationũ semina, quòd neuter eorũ palàm quidẽ & manifestè Mariæ genealogiã texat, sed Iosephi potius cum quidẽ expresse testificentur, non ex Iosepho, uerùm ex sola Maria prognatũ esse IESVM Christũ, et Iosephũ patrem eius duntaxat putatiuè perhiberi. Est autẽ manifesta et comprobata sententia, ideo Euangelistas Iosephi genealogiam recensuisse, quòd non fuerit usitatũ mulierum familias enumerare, publicis præsertim scriptis: deinde, quòd simul, et quidẽ omniũ præcipuè, comprehendatur Mariæ: ac demonstretur, eam ex familia Dauid natam. Nam lege Dei, ex ijsdẽ tribubus cõtrahenda erant matrimonia. id quod Ioseph, iusticia & pietate clarus, cui Maria erat desponsata, uel præcipuè obseruauit. Et hoc quidem ex euangelista Matthæo pulchrè elucet. proponit enim, priusquã recitet genealogiã, IESVM Christũ esse filiũ Dauid. Deinde eam cõcludit his uerbis: Iosephũ fuisse Mariæ uirũ, ex qua natus sit Christus. quib. rebus Matthæus suã exprimit intentionẽ, nempe quòd hoc habeat propositi, ut ostendat, Mariã et filiũ eius ex familia Dauid, ex qua et sponsus erat, fuisse. Narrat etiã Lucas cap. 1. angelũ nunciasse Mariæ, quòd ei Dominꝰ Deus sedẽ Dauid patris sui esset daturꝰ. Si igitur Dauid est pater IESV Christi, necesse est Mariã ex eadẽ familia ortã esse: et eò Lucas proculdubio suã genealogiã direxit. Prius autẽ genealogias utrasq;, quæ in Euangelistis extant, uerùm cõiunctim referemus: postea de rebus quibusdam huc pertinentibus commonefaciemus.

Lucas certo consilio prolixior est Matthæo, & inde ab Adam usq; genealogiã Christi repetit. Recensetigitur solus hasce personas: Adam, Genes. 1. Seth, Henos, Cainã, Mahalaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech, Noe, Sem, Gen. 1. 1. Para. 1. Arphaxad, Chaiman, Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Sarug, Nachor, Thare. Sequentes Matthæus et Lucas simul exprimũt: Abrahã, Genes. 11. 1. Para. 1. Isaac, Genes. 21. Iacob, Genes. 25. Iuda, Genes. 29. Phares, Genes. 38. Esrom, Arã, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obed, Iesse, Dauid, Ruth. 4. 1. Para. 2. Hic iam incipiunt hi duo Euangelistæ uariare. nam Matthæus lineã Salomonis, Lucas uerò Nathã pertexit. Personæ à Matthæo positæ sunt, Salomõ, Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Iorã, Osias, Ioathã, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias, Iechonias. Lucas has sce recensetpersonas à Dauide: Nathan, 2. Reg. 15. 1. Para. 3. Matthata, 3. Reg. 4. Mainan, Melea, Eliacim, Ionas, Ioseph, Iudas, Simeon, 4. Reg. 11. Leui, Matthã, Ierim, Elieser, Iose, Er, Ehnadã, Cosam, Addi, Melchi, Neri. Inde rursus coeunt Matthæus & Lucas in duobus, ut Salathiel & Zorababel. Mox iterum digrediuntur: & Matthæus quidẽ recitat, Abiud, Eliacim, Azor, Sadoc, Achim, Eliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioseph uirum Mariæ, ex qua natus est Iesus Christus. In Luca uerò hi cõmemorantur, Rhesa, Iohanna, Iudas, Ioseph, Semei, Matthatias, Maath, Nagge, Esli, Naũ, Amos, Matthatias, Ioseph, Ianne, Melchi, Leui, Matthat, Heli, Ioseph, Iesus putabatur filius Ioseph.

Nunc de quibusdã proprietatibus singulorũ, deinde etiam de concordantia eorum, quæ in utroq; dissonare uidentur, pauca uidentur adijcienda esse. Et Matthæus quidẽ hæc habet peculiaria. Primùm, quòd clarè proponit se demonstraturũ, IESVM esse Abrahæ et Dauidis filium. ideo ultra Abrahamũ non egreditur. idq; propterea, quòd promissio Messiæ ad hasce duas familias erat alligata: ut certò constaret, unde expectandus esset saluator, nec posset aberrare fides. Genes. 12. 18. 22. 2. Samuel. 7. Psalmo 132. Deinde tessaradecades tres enumerat. prima est patrum, secunda regum, tertia ducũ: non tantũ memoriæ ea in re seruiens, quæ rectè et prudenter distributa, ac insignibus notis proposita facilius amplectitur ac retinet: sed quia res maximæ in capitibus horum ordinum acciderunt. Nam Abrahæ posteritas fuit à Deo, ut dictũ, expressa ac definita, ex qua certò Saluator mundi esset expectandus: & ad eius rei confirmationem ornatur miraculis, seu diuinis testimonijs multis. Nascitur ei ex sterili coniuge filius, datur ei circumcisionis sacramentũ, accenduntur ei uiæ clarissimæ cœlitus: fundit exigua manu hostes, ac liberat fratrem Loth: deinde etiam è flammis Sodomiticis, precibus suis eum eripit. defenditur contra gentes, locupletatur in ipso exilio, sicut Moses copiosè exponit. Dauidi quoq; multa miranda accidunt. Rursus enim eius familiæ Messias alligatur, ac singulari consilio Dei à gregibus abstractus, rex cõstituitur. defenditur aduersus Samaritanos, ornatur pluribus uictorijs aduersus potentissimos hostes, amplificatur eius regnũ: plurima ei reuelantur, quæ secuturis seculis debebant euenire. Vehementer quoq; status populi Dei immutabatur post transmigrationẽ Babylonicã. Regia enim maiestas extincta propemodum erat, exigua tantũ regni umbra relicta. Necesse enim erat paulatim inclinare regnũ, appropinquante Siloh, ut Iacob prædixerat. Tertiò, huic breuitati prudenter studens, quasdã personas, numerũ auctoras, scienter amputauit: & de rebus suo tempore notis disserẽs, sciuit eam rem sibi crimini dari nõ posse. Hinc etiam est, quòd tres proximè iorã sequentes omisit, ut Ochoziã, Ioas, Amasiã: tum quia propositæ distributioni seruire uoluit, ut dictũ: tum quia, ut putant nõnulli, in Ochozia stirps Salomonis defecit. Quarto, de industria quarundã tantũ mulierũ facit mentionem: ut Thamar, Rahab, Ruth, Bathsceba qua de re elegãter Hieronymꝰ: Notandũ, inquit, in genealogia Saluatoris nullam sanctarũ assumi mulierũ, sed eas quas scriptura reprehen-

prehendit: ut qui propter peccatores uenerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Fuit autem Ruth etiam gentilis mulier, ex Moab: id quod monet, genealogiam Christi aliqua ex parte ex gentibus trahi, qui & ipsi ad beneficia Christi pertineant.

Cæterùm, quòd Ioas dicitur Ochoziæ filius, ideo fit, quòd gradu esset proximus, et iure censeretur regni hæres. Porrò quòd in tertia Tesseradecade tantũ tredecim reperiuntur personæ, inde est, quòd alter Iechonias siue Ioacim, uicio fortè scriptorũ est omissus. Duo enim fuere, quorũ alter pater, alter filius extitit. 4. Reg. 23. 24. 2. Paralip. 36. Et annotarũt quidã, in uetustissimis quibusdã Græcis codicib. legi: Iosias genuit Ioacim, Ioacim autẽ genuit Iechoniã. Idẽ cõfirmat Epiphanius, primo libro cõtra hæreses sic scribẽs: Aliqui Iechoniã cũ altero Iechonia reperiẽtes, numerũ duplicatũ esse putauerũt. Non erat autẽ duplicatio, sed numer⁹ clarus. Ex nomine enim patris filius nominatus fuit, Iechonias Iechoniæ. Irenæus lib. 3. cap. 30. inde probat, Christũ nõ esse filiũ Ioseph, quòd nõ potuisset esse Rex sedens super solio Dauidis, si Ioseph filius fuisset. Dictũ enim esse Ieremiæ 22. de Iechonia, de cuius posteris sit Ioseph: Non erit de semine eius uir qui sedeat super thronũ Dauid.

Lucas habet peculiare, quòd plures recenseat personas, ac genealogiam ad ipsum usq; Adamum extendat. Huius aũt consilij tres causæ adferri poßunt. Primùm, quòd uoluit euidenter monstrare, Christũ uerum fuisse hominẽ. Secundò, quia Adæ statim à lapsu promittitur semen, cuius beneficio ipse ac omnes posteri sint liberãdi ex potestate diaboli & mortis. ideo ceu digito uoluit indicare Lucas, hunc Mariæ filium esse illud mulieris semen. Tertiò, ut testatum faceret, omnium ætatum homines ad hunc IESVM Christum pertinere, ac fide in ipsum esse coram Deo iustificatos.

Nunc cõciliationis ratio paucis attingenda potius, quàm nimis curiosè et subtiliter explicanda à nobis est. Primùm ordine retrogrado catalogũ personarũ texit Lucas, Matthæus uerò ab ipsa origine procedit. Verùm ea res nullam parit dissonantiã, cum eòdem res redeat. Deinde, cum uterq; concordent in primarijs totius genealogiæ personis, utpote Abrahã & Dauide, ad quorum familiã Deus natiuitatẽ Meßiæ alligarat. Secundò, pauciores Matthæus, plures Lucas cõmemorat: Verùm neq; id in magno ponendũ est discrimine, præsertim cum in fundamentis uterque concurrant. Matthæus enim suam distinctionẽ spectans, quosdã præcidit: cõtrà Lucas liberius genealogiã, & fusius persequitur. Ambrosius ait: Potest fieri, ut alij longæuã transegerint uitam, alterius uerò generationis uiri immatura ætate decesserint. Tertiò, à Dauide in primis & enormiter incipiunt discrepare. nã Matthæus Salomonẽ sequitur: Lucas uerò Nathan, Salomonis è Bethseba fratrem. Sed rursus in Salathiel & Zerobabel, ut suprà monuimus, coeunt. Ea uerò diuersitas non est in fundamentis, ut dictum, sed in ramis quibusdã: ubi nõ fuit magni momenti, nõnihil uariare. Deinde tradunt, in Ochozia Salomonis regnum, quo ad stirpem defecisse. Quod autem ferunt ex Iudæorũ cõmentarijs, Dauidẽ ita constituisse, ut cessante Salomonis stirpe, regnũ transferretur ad posteros Nathan: id certò affirmari nequit. Hoc igitur consilio aiunt Lucam mox à Dauide deflexisse, ut hanc insignẽ mutationẽ ostenderet, non ut è genealogia Salomonẽ penitus excluderet, quem magnificis testimonijs Deus ornarat: sed ut, quid in posteris eius factũ esset, moneret, iusto Dei iudicio, ob grauia & atrocia Salomonis delicta. Quin & Matthæus à Ioramo tribus omißis regibus, eo quòd linea Salomonis defecerit, transtulit: ut Lucidus annotat. Hac de re Ambrosius in Lucã cap. 3. scribit: Quod uerò per Salomonẽ Matthæ⁹ generationẽ deriuandã putauit, Lucas uerò per Nathã, alterã regalẽ, alterã sacerdotalẽ Christi familiã uidetur ostendere: quod non ita accipiendũ, quòd alterũ altero uerius, sed alter alteri pari fide & ueritate concordet.

Post Zorobabel quoq; discrepant: ut Matthæus per Abiud, Lucas uerò per Rhesa enumeret personas, qui duo fratres putantur & filij Zorobabel, & uterq; binomines: ita ut Rhesa Misciollã, et Abiud Ananias sit nominatus, 1 Para. 3. Hoc igitur remedio maximam dissonantiã saluant, nimirum quòd pleriq; fuerint binomines. Etsi autẽ ea res à nõnullis parũ firma habeatur: tamen apparet, tempore Babylonici exilij eosdẽ homines uarijs nominibus recitari solitos. Eiusmodi solent recenseri Simeon, qui & Ioas et Heli. 4. Reg. 11. Leui, qui & Amasias. 4. Reg. 14. Mattha, qui & Azarias & Ozias. 4. Reg 15. Iorim, qui & Ioathan. 4. Reg. 15. Eliezer, qui & Achaz. 4. Reg. 16. Iose, qui Ezechias 4. Reg. 18. Er, qui et Manasses 4. Reg. 21. Elmadã, qui & Amon 4. Reg. 21. Cosam, qui & Iosias 4. Reg. 22. Addi, qui & Ioachas 4. Reg. 23. Melchi, qui et Ioakim, uel Eliacim 4. Reg. 23. Neri, qui & Ioachim, & Iechonias, & Heli 4. Regi 24. Salathiel, qui & Mesezebeel 1. Para. 3. Neem. 3. Zorobabel, qui & Barachias. Rhesa, qui & Misciollam. Abiud, qui et Ananias, 1. Para. 3. Heli, qui & Ioachim, pater Mariæ. Hæc ex Philone maximè petuntur, qui tamen ipse fide laborat: ita ut pleriq; docti dubitent, an ille de genealogia liber sit Philonis. Ostander dissentit, ac existimat cõmentum esse, in sacris literis nequaquã receptũ & usitatũ, quod de pluribus nõminibus uni personæ attributis narratur. et ostendit, 4. Reg. 24. Ioachas esse Ioachimi fratrẽ, Addi uerò esse patrem Melchi, secundũ Lucam. Item, si Simeon filius est Ochosiæ, quomodo est filius Iudæ? Legalis esse non potest, cum non fuerint germani.

Iam & hoc additur in hac parte, Lucam Mariæ genealogiam texere, Matthæum Iosephi. Ea uerò res plurimas quæstiones uideretur abrumpere. Occasionem ei rei præbuit, quòd Lucas non ait Iosephum filium fuisse Heli, sed simpliciter, Qui fuit Heli. Verùm ista non satis liquent, ideo quòd solenne fuit uirorum familias exponere. deinde quòd uerba sic habent: Iesus putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli. Promptißimum autem fuisset Lucæ dicere, Qui fuit gener Heli: aut Mariam pro fundamento collocare, & inde per maiores ascendere.

Hinc natæ sunt de patre Iosephi disputationes. Verùm nos Aphricani de concordia genealogiæ fragmentum, quod Eusebius libro primo capite septimo refert, adscribemus, lectori iudicium relinquentes. Nomina, inquit, generum in Israele aut natura sunt, aut lege recensita. Natura, per successionẽ germani feminis: lege, per uicẽ eius qui in defuncti sterilis fratris nomẽ prolẽ excitabat. Etenim quia nondũ data erat perspicua resurrectionis spes, futurã promißionẽ mortali resurrectiõe

imita-

imitabantur, ne defuncti nomen intercideret. Quoniam igitur eorum qui generationi isti inserti sunt, alij tanquam germani filij patribus suis successerunt: alij uerò per alios quidem generati, alijs autem nuncupati sunt: facta est utrorumq; mentio, & eorum qui uere, et eorum qui nominetenus generati sunt. Et ad hunc modum neutrum Euangeliorum falsum est, siue quod secundum naturam, siue quod pro legis consuetudine numerat. Sunt enim genera hæc cùm Salomonis, tum Nathan, resuscitationibus eorum qui sine liberis discesserunt, secundisq; nuptijs & seminum excitatione ita inter se connexa, ut meritò ijdem alijs atq; alijs, his tanquã putatiuis, istis tanquã ueris patribus sint deputati: atq; ita utræq; narrationes proprie ueræ, in Iosephũ uarie quidẽ, attamen exactè determinatæ sint. Vt autem perspicuũ sit, quod dico, generũ consequentiã exponã, facta generationũ recensione à Dauide per Salomonẽ. Tertius à fine reperitur Mathan, qui genuit Iacobũ, Iosephi patrem. A Nathan uerò filio Dauidis secundũ Lucam descendẽdo, tertius à fine est Melchi, cuius filius est Heli, Iosephi pater. Ioseph enim filius est Heli, filij Melchi. Iosepho itaq; nobis scopi uice posito, ostendendum est, quomodo uterq;, illinc Iacob à Salomone, hinc Heli à Nathã, generatione deducta, pater ipsius fuisse scribatur: & primùm, quomodo Iacob et Heli duo fratres fuerint: deinde, patres horũ Mathã et Melchi, cum diuersis sint orti generibus, aui Iosephi fuisse probentur. Mathã itaq; et Melchi, eadem ducta uxore, fratres genuerũt ex eadẽ matre, lege nõ prohibente, mulierem uiduã, siue à marito dimissam, siue post obitũ mariti, alteri cõiungi marito. Primus igitur Mathan, ex Estha (id enim nominis ei mulieri fuisse traditũ est) genere à Salomone ducto, Iacobũ genuit: post obitũ uerò Mathan, Melchi, cuius genus ad Nathan refertur, cum ex eadem quidẽ tribu, alio tamen genere, sicut prædiximus, esset, uidua in uxorem ducta, filiũ Heli genuit. Ad hunc modũ reperiemus, Iacobũ & Heli ex diuerso genere, eadem tamen matre, fuisse fratres: ex quib. Iacob, cum Heli frater sine liberis decessisset, uxore illius accepta, tertiũ ex ea Iosephum genuit, secundũ naturã quidem & generationis narrationem sibijpsi, unde & scriptũ est, Iacob uerò genuit Ioseph: secundum legem uerò, Heli fratri defuncto, cuius filius fuit Ioseph. Illi siquidem Iacob, cum frater esset, semen suscitauit. Quapropter neq; ea generatio quæ ipsum concernit abrogabitur, quam Matthæus euangelista recensens: Iacob autẽ, inquit, genuit Ioseph. Lucas uerò, Qui erat filius, inquit, sicuti putabatur, (nam & hoc addit) Iosephi, qui fuit Heli, qui fuit Melchi. Generationẽ enim quæ secundũ legem erat, non licebat significantius exprimere. Et generandi uerbũ in huiusmodi susceptione liberorũ, ad finem usq; silentio pressit, relatione ad Adamum usq;, qui Dei fuit, retexendo facta. Eadem succinctius in fine eiusdẽ epistolæ exprimuntur: Mathã, inquit, qui à Salomone descendit, genuit Iacob. Mortuo Mathan, Melchi, qui à Nathã originẽ ducit, ex eadem muliere genuit Heli. Fuerunt igitur ex eadem matre fratres, Heli & Iacob. Heli sine liberis mortuo, Iacob illi semen excitauit nato Iosepho, ipsi quidem, secundũ naturã, secundũ legem uerò Heli. Hoc pacto utriusq; filius erat Ioseph. Hæc Aphricanus. Lucidus, de emendationibus temporũ, ait, Lucam generationes prosequi iuxta naturã procedentes, directè secundum lineã Nathan: et cœpisse à patre Mariæ, qui dictus est Heli seu Ioachim: idq; ex traditionib. Iudæorum asserit, qui dixerint, patrẽ Messiæ oportere esse binominem, nempe Heli & Ioachim. Item, Iosephũ ait fuisse eiusdem Ioachim generum, et ob eam causam filiũ legalẽ ex affinitate. Sed difficile admodũ est, nimis scrupulose genealogiã rimari & excutere, posteaquã iam genealogiæ interierunt: & non omnino exploratũ est nobis, qualis earũ tum fuerit ratio. Nec ignotũ est, quod Paulus modestiæ nos omnes in hoc negocio cõmonefaciat, ad Titũ 3. Non tamẽ dubitandũ est, Apostolos suo tempore exploratissima et certissima literis mandasse: ac cõtenti simus principali istarũ genealogiarũ intentione, quæ manifesta & indubitata est: licet in aliquib. partibus, quæ parui sunt momenti, aliqui adhærescant et maneant scrupulosis scrupuli, nempe quòd liquidò demonstretur, tum in hac personarũ serie, tum extra eã in aliis concionib. Euangelicis, angelorũ, Christi, Apostolorũ et aliorũ credẽtiũ, Christũ ex Maria natũ, esse filiũ Dauid: idq; fuerit adeò notũ ea ætate omnibus, ut neq; Christi neq; Apostolorũ tempore quisquam in dubiũ uocare ausus sit. Quòd autẽ posteriorib. temporib. hæretici in scirpo, quod dici solet, nodũ quæsierint, et in genealogijs hisce quædã in ignominiã Christi carpserint: id Diabolico furori potiꝰ, q̃ ueræ sentẽtiæ, imputandũ est.

Nato iam Christo, patefactiones paßim eximiæ incipiunt fieri. Debebat enim beneficium Dei inclarescere. Stertentibus igitur pontificibus, totoq; ordine sacerdotali, Leuitis, scribis, legis doctoribus, archisynagogis, imò uniuerso populo Israelitico, Deus nihilominꝰ rem tantã testimonijs mirandis ornat. Nam illa ipsa nocte, qua natus est Christus, admiranda res accidit. Erant in ea regione haud procul à Bethlehẽ pastores, noctu uigilantes, et custodientes suũ, quem habebant, gregẽ. Apparet autem fuisse homines pietati deditos, nec leuitatibus, sceleribus, conuicijs aut blasphemijs tum tempus suum triuisse: sed fortè de Messia sermones pios contulisse, expendisse prophetias, miscuisse & uota, considerasse miserabilẽ iam et calamitosum in religione statũ, quòd caligo tristis, securitas, superstitio, & Epicureismus iam horribiliter regnarent, & sceptrũ quoq; corruisset, & omnia ab Herode crudeli & impio pro libidine fierent, paßimq; sæuiretur contra bonos et pios uiros. Ecce ibi ex improuiso angelus Domini penes eos cõsistit, & claritas Domini circũfulget ipsos. Hiscere bus uisis, magno timore corripiũtur. Sed angelus mox amanter eos affatur: Nolite, inquit, timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnũ, quod futurũ est toti populo: quia natus est uobis hodie seruator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signũ: inuenietis infantem fascijs inuolutũ, positũ in præsepi. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudãtiũ Deum, et dicẽtiũ: Gloria in excelsis Deo, ac in terra pax, hominib. bona uolũtas. Et factũ est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlũ, & homines pastores loquebãtur inter sese: Transeamus in Bethlehẽ usq;, et uideamꝰ hoc quod audiuimꝰ accidisse, quod Dominꝰ aperuit nobis. Et uenerũt festimãtes, & inuenerũt Mariã & Ioseph, et infantẽ positũ in præsepi. Cũ uidissẽt aũt, diuulgauerũt de uerbo quod dictum erat ipsis de puero hoc.

Et om-

Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

Mox autem iste rumor sparsus in Bethlehem, rursus conticuit. Regnabant enim passim densissimæ tenebræ: tamq; uilis natiuitas, & infimorum hominum concio, pro logis & fabulis (quod dicitur) habebantur, præsertim cum ex collegio sacerdotũ Hierosolymitanorum nihil tale audiretur.

Elapsis octo diebus, infantulus more Israelitici populi circumciditur, ac Ecclesiæ isti inseritur. Appellatur autẽ IESVS, sicuti angelus ex mandato Dei prius iusserat. Debebat enim fatidicum, quod uocant, nomen esse, ac monere de huius infantis officio omnium maximo: nempe quòd saluator mundi esset futurus. Non indigebat autem pro se circumcisione IESVS: erat enim præter communem naturæ legem conceptus, carebat omni labe originis: sed legem nolebat detrectare, qui ad eam subeundam uenerat. Deinde, innocenti profusione sanguinis uolebat modum, quo redempturus erat genus humanum, ostendere: nempe quòd patiendo cuncta esset præstiturus. Præterea cupiebat notam istam publicam recipere, quòd uerè esset filius Abrahã. Hæc omnia proculdubio diligenter perpendit Maria, cumq; suo marito contulit.

Obseruat et Maria communes populi Israelitici leges, idq; propter filiolum. Etsi enim non genuerat ex naturali uiro, neq; immundum ediderat fœtum, sicuti reliqui homines nascuntur: tamen non recusat, constitutum purgationis tempus, ut reliquæ puerperæ, domi se continere. Leuit. 12. Tandem exactis diebus purgationis, primogenitum defert Hierosolymam in templum, eumq; sistit Domino: offerens simul hostias, ut erat à Domino præceptum. Leuit. 12. Exo. 43. Causæ erant, quòd Christus legi se deberet subijcere, quòd esset futurus Deo consecratus, ac uerus Sacerdos in æternum. ac uidetur tota lex de oblatione primogenitorum, tantum propter hunc IESVM lata esse. Debebat enim in hoc templo Messias concionari, seseq; exhibere.

Accidunt autem ibi rursus diuina gubernatione illustres quædam patefactiones, ne tam excellens munus, nempe Messiæ exhibitio, tanquam in obscuro latèret. nec offenditur Deus, licet surdi ac ingrati maneant Pontifices, sacerdotes, & reliquum uulgus. Nam dum ritus purgationis ac oblationis primogeniti in publico isto loco peragitur, Simeon uir iustus, summo desiderio Messiam expectans, sicut antea promissionem à Deo acceperat, eum non moriturum priusquàm Christum Domini conspexisset: ita nunc peculiari instinctu Spiritus sancti uenit in templum, eiusq; luce accensus, mox filiolo Mariæ conspecto, non sat habet oculis sese recreare: sed protinus accipit infantulum in suas ulnas, ac cygneam planè cantionem sonat, plenam præclara luce & fide in hunc Messiam. Non reformidat alios aliter iudicantes, non reijcit cognitionem rei ad pontifices & sacerdotes: sed læta uoce determinat, hunc infantem esse Christum. Nunc, inquit, dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace. Nam uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Isto tam præclaro testimonio tantopere afficiuntur parentes IESV, ut tanquam attoniti assisterent. Dum autem ita hærent, pergit bonus Simeon, benedicens, ac bene eis precans: ac conuersus ad Mariam, tanquam ueram ueri Messiæ genitricem, prophetat ei de rebus futuris: ne sit ignara, qualis hic sit Messias, quomodo saluaturus sit omnes gentes, nempe passione: ac monet, ut ipsa sese ad mœrores firmis cõsolationibus sustinendos paret. Ecce, inquit, hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Interea etiam Hanna prophetissa ardenter Christum expectãs interuenit: quæ quidem citra ullam tergiuersationem et ipsa istum infantulum pronunciat esse Messiam, ac egregias ibi confessiones ad alios facit: ut non iniuria hunc in templo Dei congressum, pro concilio publico et maximè authẽtico habeas. Sunt enim hic, Spiritus sanctus, Christus Deus & homo, Maria, Ioseph, qui fortè è suis cognatis aliquos secum adduxerant, Simeon, Hannas, & aliquot alij rectè de Messia sentientes, & à pharisaico fermento abhorrentes. Deciditur autem hæc controuersia non temerè, sed spiritu sancto dictatore et magistro: ac res ipsa postea testatur, non fuisse uana, quæcunq; ibi proposita sunt. His ita gestis, Lucas inquit, parentes cum filio reuersos esse in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Lucæ 2.

Postea & alia patefactio, sanè miranda & præclara, accidit. Nam in oriente noua et mirabilis stella exorta fuerat, qua haud dubiè singulari reuelatione diuinitùs accedente, Magis quibusdam innotuerat, natum esse regem Iudæorum: eosq; iam euocari, ut actutum quantis possint itineribus ad eum contendant, & reuerenter eum excipiant. Dicti autem sunt Magi Persis & Chaldæis, philosophi, seu doctores, qui simul de temporibus anni homines cõmonefecerunt: quam ob causam astrorum noticiã eos necesse fuit habere. Vnde etiam ex Persia eos fuisse consentaneum est: neq; inepta est coniectatio, eos fuisse reliquias scholæ Danielis, qui inter captiuos in ea loca abductus, & ad maximos honores & dignitates euectus, doctrinam de Messia summa fide & dexteritate tradidit: additis etiam quibusdã præsagijs, quo tempore expectandus esset Messias. Solet citari ex prophetia Bileam, Num. 24. Orietur stella ex Iacob. Sed utut sese ea res habeat, palàm est, hosce uiros Deo imprimis charos, & singulari luce præditos fuisse. Non igitur moras nectunt, stella, cuius uoluntatem certò perspexerat, exorta: sed dedunt se itineri. ac cum nõ ignorarẽt, Hierosolymis religionem Dei uel in primis uigere, atq; ibi Messiam sese patefacturum, sicut prophetarũ oracula docebant: ideo ad eum locum primùm deflectunt. Ingressi urbem, præcones Messiæ agunt, & gratam de eo famam spargunt, quærentes ubi nam sit Rex Iudæorum iam natus? Se enim tam longum iter emensos esse, ut eum adorarent: nec temerè aduenisse, sed in oriente eius stellam conspexisse: & diuinitùs iussos, ut Messiam exciperent. Proculdubio autem non tantum imperitum uulgus, sed etiam ipsos sacerdotes adierunt, seriò inuestigantes Messiam. Tetra autem & alta nox hoc tempore Hierosolymis regnabat, ac metus tyrannidis Herodis omnes peruaserat. Apparet igitur, sacerdotes Magorum inquisitionem nihil iuuisse, fortè

etiam

etiam tanquam ægrorum somnia aut fanaticorum deliria irrisisse. Sed quia de Rege nouo rumor diuulgabatur, res ad Herodis aulam defertur: & uehementer tam Herodes, suo regno ægrè timens, non ignarus prophetiarum in populo Iudaico uulgatissimarum: quàm ciues Hierosolymitani, nouos motus formidantes, turbantur. nihilominus Herodes non prorsus famam sibi contemnendam esse ratus, conuocat sacerdotum & scribarum concilium, proposita in medium quæstione, ubi Christus nasciturus esset? At ipsi ex Micheæ capite 5. indicant, in Bethlehem Iudeæ. Sic enim scriptum est: Et tu Bethlehem terræ Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exibit mihi dux, qui reget populum meum Israel. Sic enim Matthæus refert. Hoc accepto responso, Herodes clam ad se uocatis Magis, diligenter sciscitatur, quo tempore ipsis stella illuxisset? quo indagato, religionem & clementiam simulans, ablegat eos in Bethlehem, mandans ut fideliter de puero quærant: & eo inuento reuertantur, sibiq; rem omnem referant, ut & ipse eum adoraret.

Commonstrato autem sibi loco, Magi, licet crassissima caligine, quæ tum regnabat Hierosolymis, non parum mouerentur, iter instituunt: freti diuina reuelatione, quam in oriente acceperant. Egressi autem porta, eccè ea ipsa stella, quam in Oriente uiderant, rursus se clara luce conspiciendam præbet, ac recto itinere Bethlehem usq; eos comitatur. Eò cum ueniunt, supra domum, in qua erat puer, fixa manet stella, seu flammula in aere fulgens: radijsq; suis ita luculenter eum locum commonstrat, ut Magi ingenti gaudio & fiducia ingrediantur. moxq; inueniunt puerum, cum Maria eius matre: nec absterriti tam contempta specie, statim procidentes, Christum adorant supplices. Postea apertis thesauris, quos è suis terris attulerant, offerunt aurũ, thus & myrrham. In ea uerò Academia sacra sine dubio aliquandiu substiterũt Magi, ac studiosè didicerunt, quæ ante conceptionem, quæ in partu acciderant. conferunt sententias de prophetijs. Satis deniq; rebus necessarijs imbuti, cogitant redire domum, Euangelium de Messia suis auditoribus allaturi, prius tamen, ut cõuenerat, Herodẽ adituri. Sed in somnis Deus eis præcipit, ne ad Herodem reuertantur: qua de causa per aliam uiam in regionem suam proficiscuntur.

Iam qualis res ea stella fuerit, & quando Magi ad Christum uenerint, præcipuè ambigitur. Fabulosas et stolidas ineptias, in tenebris regni Antichristi natas, nulla confutatione putamus indigere: ut quòd fuerint reges, & quidem numero tres: & nominati, Balthasar, Caspar, Melchior. quamuis Tertullianus in libro aduersus Iudæos dicat, Magos reges ferè habuisse orientem, quòd diuersis itineribus uenerint, & ante portam Hierosolymitanam casu coinciderint. Carent enim omni testimonio in sacris aut profanis literis, et omni solido argumento. Futilius uerò est, quòd fuerint professione incantatores, quos Deum summopere execrari cõstat. Licet Iustinus in colloquio cum Tryphone scribat: Magi, quos Dæmon sibi uindicarat ad omnia maleficia, postquam uenerunt ut adorarent Christum, uidentur ab eo defecisse, redacti in huius potestatem. Et Hieronymus eôdem alludat in Esaiam cap. 19. Neq; ea opinio fusius confutanda est, quòd quidam dicunt, Magos ignorasse doctrinam de Messia penitus, antequam eam lucem ad cunas Christi & in schola Mariæ haurirent: ac tantum quasi ad ciuilem ac mundanum regem aduenerint, ut eius fauorem maturè captantes, pacem cum eo colerent. Sed nimis gentiles ac profanæ sunt istæ cogitationes. Nam si ita se res habuisset, cur non potius expectassent donec adoleuisset, & regni gubernationem accepisset: præsertim cum scire potuerint, Herodem eius terræ regnum possidere? Sed quòd stella excitati, nouerunt Iudæorum regem non uulgarem natum, sed Messiam, sicut etiam sacerdotes de eo locum Micheæ citant: nec absterriti tenebris eius populi, aut metu Herodis, desistunt ab inquisitione, & alacri pectore Bethlehem proficiscuntur: ea certè omnia satis illustria testimonia præbent, eos excellenti luce ac noticia Messiæ præditos fuisse: ac firmiter statuisse, eum Messiam sibi quoq; contra serpentis imperium opem laturum esse.

Qualis autem res fuerit hæc stella, in dubio est. Non enim fuit una ex ijs quæ in firmamento fixæ sunt, aut aliàs suas in superiori mundi parte certas periodos habent. Oportuisset enim antea quoq; eam conspici totis seculis, iam à mundi initio elapsis. Deinde differt proprietatibus ab alijs stellis, nimirum loco primùm. nam in aere, & quidem regione eius inferiori seu propinqua apparet homini. cognoscunt enim Magi, sibi etiam iter ab hac stella demonstrari: & testatur textus, quòd supra eam domum constiterit, ac indicis certissimi uice fuerit, ubi IESVS tum egit. Aliæ stellæ naturales propter ingentem à terris distantiam, non possunt aliquam domum ita exactè ostendere. Deinde, motu. Nam cæteræ stellæ suum habent motum, à quo non aberrant. Cometæ quoq; sequuntur illud sidus, à quo maximè excitati & accensi sunt, & plerunq; tandem ad septentrionem feruntur. Sed hæc stella accõmodat se Magis iter facientibus, non celerius properat, non tardius subsequitur: non declinat à certa uia. sed quasi fax quædam ratione prædita Magis prælucet, ac deducit ad eum ipsum locum, quò tendunt: monstrat eum, quem toto pectore uidere optant. Tertiò, reliquæ stellæ noctu sole gent, interdiu radijs solis oppressæ latitant lumine cassæ. At hæc stella Magorum comes, nihil obfuscatur solis radijs, sed interdiu lucem clarissimã fundit. Quartò, significatione. Nam nulla alia stella, præter hanc, significauit unquã, Messiam promissum esse natum. Egregiam quæ planum faciunt, non fuisse quoddam Meteoron, in aere temerè generatum. Nam ea citò disparet, aut alios habent motus ac significationes. Non temerè igitur à Chrysostomo in 2. cap. in Matthæum affirmatur, consentaneum esse, quandam inuisibilem uirtutem in specie sideris figurata, seu ut paulo pòst planius loquitur, uirtutem quandam plenam rationis fuisse. Talia enim sunt huius flammulæ opera, ut non inconueniens sit existimare, angelũ stellæ specie, iussu diuino Magis præluxisse. Testantur enim historiæ sacræ, aliàs quoque angelos flammarum specie conspectos fuisse. Non tamen fuit impossibile omnipotenti Deo, & autoritotius machinæ mundi, in honorem IESV Christi nouam stellam cõdere, eiq; peculiare hoc officium demandare, ut tali ratione Magos ad Messiam deducat: eoq; peracto, eam postea rursus subtrahere. Verùm prior sententia probabilior uidetur.

De tempore, quando primùm hæc ſtella ſit exorta, & Magi Bethlehem aduenerint, uariæ ſunt opiniones: nec ſanè multum refert ignorare, cum Euangeliſtæ, ut rem parui momenti, adſignandam non putarint. Locus quidem clarè exprimitur. nam in Bethlehem infantem IESVM inueniũt, et adorant. An tempore puerperij, uel quoto tempore pòſt aduenerint, dubium eſt. Item, an tranſacta purificatione Hieroſolymis, Maria cum infante redierit Bethlehem, incertũ eſt. Sicut neq; hoc expreſſum clarè eſt, ubi poſtea Ioſeph mandatũ de fuga in Aegyptum facienda acceperit.

Vſitata opinio eſt, decimotertio die poſt natiuitatẽ Chriſti Magos adfuiſſe. Epiphanius libro 1. capite 20. & lib. 2. cap. 51. aſſerit, ſecundo natiuitatis anno Magos Chriſtum uiſitaſſe: idq; ex Herodis facto, qui bimulos interfecit. Verùm ea res in medio, abſq; fidei iactura, relinqui poteſt. Haud dubiè autem hoc inſigni & memorabili facto, Deus euidẽter oſtẽdere uoluit, etiam gentes ad ſocietatem Meſſiæ pertinere.

Dona attulerũt Magi talia, qualia Oriens produxit: & uſitatiſſimũ erat apud omnes gentes, regibus nouis honoris & reuerentiæ ergò offerre munera. In primis uerò huic Regi regũ aliquid exhibendũ pro facultatib. ſuis putauerũt: præſertim cũ in ea ſchola ſe non mediocriter profecturos credebãt, ideo et διδακτρα pendere uoluerũt. Allegoriæ donorũ etſi fundamẽto carẽt, tamẽ piæ ſunt: nempe quòd aurũ tanquã regi, thus tanquam ſacerdoti, myrrham tanquam paſſuro mortẽ, ſed non corrumpendo in ea, attulerunt. & eleganter uerſu complexus eſt allegoriam non ineptam Iuuencus:

Thus, aurum, myrrham, regiq;, hominiq;, Deoq;.

Alij aurum, pro doctrinæ ſynceritate: thus, pro uera inuocatione: myrrham, pro cruce Eccleſiæ Chriſti interpretati ſunt. Fortè Deus uoluit exilio IESV conſulere his donarijs, ut haberent pauperes parentes, unde ſe & hunc infantem inter peregrinos alerent.

DE PRIMA EXTERNA PERſecutione IESV CHRISTI.

PRædictum erat in prima promiſſione de Meſſia, Geneſ. 3. inimicitias fore inter ſerpentẽ & ſemen mulieris. Id uerò etſi ad omnes ætates referri debeat, tamen præcipuè de eo tempore, quo in terras ueniebat, intelligendum eſt. Statim itaq; nato Chriſto, ſerpens per ſua organa, odium et rabiẽ ſuam contra ipſum exeruit. Nam Herodes ab eo tempore, quo famam à Magis acceperat, natum eſſe Iudæorũ regem, ſemper occultè de eo necando cogitationes in animo ſuo agitabat, et in occaſiones intentus erat. Verùm inſignis uirulenti et cruenti animi in ipſo trepidatio cõſpicitur, quòd neminẽ adiunxit Magis, qui unà proficiſceretur, quiq; rem probè exploratã ei referret: nec uel clàm expiſcatorem & obſeruatorẽ rerum omniũ ſubſtituit, cum tamẽ aliàs ad proditores ſubordinãdos in ſua domo totoq; regno uerſutiſſimus eſſet. Non igitur dubitandũ eſt, diuinitùs eius rationes fuiſſe perturbatas, ne quid tam ſubitò cõtra recens editum infantulũ, & puerperã auderet: ut ea ratione quaſi Halcyonia quædã matri cum filio concederentur. Elapſo aliquo tempore, animaduertens Magos nõ ad ſe reuerti, & ex cõmuni rumore alia quædã de eo rege percipiens, ut de paſtorũ concionibus, de teſtimonio Simeonis, Hannæ et aliorũ, prorſus animũ ad ſæuiendũ contra innocentẽ Chriſtum adijcit. Sed priuſquam ſtringeret gladios, Deus arcanorũ cognitor, & modũ ac terminũ certum tyrannis graſſandi ſtatuens, rem Ioſepho patefacit, miſſo cœlitus angelo, qui in ſomnis Ioſephum doceret, Herodem machinari exitiũ infantulo IESV: & moneret, ut cum matre & filio fugam in Aegyptũ quamprimùm capeſſeret: ſe poſtea rurſus indicaturũ, quando tempus opportunum ſit reuertẽdi. Qua quidẽ re Deus clarè oſtẽdit, ſe huius infantis ac parentũ curam eſſe acturũ. Ioſeph accepto nuncio, ilico Dei uolũtati paret, ac noctu etiam fugã arripiẽs, in Aegyptum proficiſcitur. Accommodat aũt Matthæus dictum prophetæ, Ex Aegypto uocaui filiũ meum: Oſeæ 11. Num. 24. Eſt aũt hæc ſentẽtia phraſi quadã ſcripturæ per ſimilitudinẽ aut comparationẽ intelligẽda. nam Propheta de Iſraelitarũ liberatione ex Aegypto diſſerit. Eſt autem ea hiſtoria typus hiſtoriæ Chriſti. Sicut igitur tum filius Dei, hoc eſt Iſraeliticus populus, à Deo adoptatus, ingẽti Dei miſericordia ex Aegypto, domo ſeruitutis, & tyrannorum captiuitate liberabatur: ita nunc quoque filius Dei homo factus, exilium ſuum in Aegypto habens, quaſi denuò inde rurſus extrahitur, & in Iudæam reducitur.

IESV iam in tutũ locũ recepto, cum quidẽ Herodes nihil tale opinaretur, infandũ facinus audet. Conductis enim lictoribus, haud dubiè magna pecunia, & paratis ad quæuis facinora in gratiam cruentiſſimi regis perpetranda, dat in mandatis, ut omnes infantulos Bethlehemiticos, & in uicino agro, bimulos, et infra eam ætatẽ, ab uberibus et cõplexu parentum abreptos, immaniter trucidarẽt, nullius prorſus reſpectu habito. Nec parcit hoc tetrũ & aſtorgon diaboli portentũ, ſuo ipſius ſanguini. Ait autem Matthæus, impletam eſſe Ieremiæ concionem, quæ extat cap. 31. Vox, inquit, in Rama audita eſt, luctus, ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia nõ ſunt. Manifeſtum autem eſt, Ieremiam de captiuitate Babylonica eo in loco docere: idq; quaſi per parabolã aut ſimilitudinem, exponẽs luctum eius loci. Nam Rachel uxor Iacob fuit doloribus partus extincta, & tumulata prope Bethlehẽ. Ab hoc aũt monumẽto Rachelis, locus ille etiam Rachel interdũ nominatus eſt. Et quia planctus ibi, ob puerperam, quæ quidẽ mater fuit præſtantis patriarchæ Ioſephi, mortuam fuit: propheta luctũ quoq; acerbũ, eo quòd ciues terræ Iudæ in captiuitate Babylonica detinerẽtur, uocauit eiulatũ Rachel et filiorũ eius. Eadem figura ſeu ſimilitudine Matthæus, ingentem dolorem, quem percipiebant parentes in Bethlehem & finitimis locis habitantes, ob interemptos chariſſimos liberos, appellat planctum Rachel & liberorum.

Porrò Herodis crudelitatem plus quàm diabolicam, mox ultio diuina comitatur. Decebat enim, ſæuum tyrannum ſæuo mortis genere interire. Patri defuncto Archelaus in Iudæa ſuccedit, dempta tamẽ regia dignitate. Sublato igitur immaniſſimo portento Herode, angelus Domini mox Ioſepho eam rem denũciat, iubens eum in terram Iſrael reuerti. Cognoſcens autem Archelaum patri ſucceſſiſſe, et nuper crudelitatis ſpecimen edidiſſe, anxius animi quid ſibi faciendum eſſet, hæſitat. Rurſus igitur reuelationem accipit, ut in partes Galilææ commigret: & hac ratione Nazareth proficiſcitur.

tur. In hac quoq; re prophetiam esse cõpletam, scribit Matthæus, quæ sic sonet: Nazaræus uocabitur. Iud. 13. Num. 6. Arbitrantur autem quidam, Christum Nazaræum dici, alluſione quadam ad nomen ciuitatis, in qua educabatur, facta. nam Nazir significat separatum, sanctum. Alij opinantur, Nazaræos Num. 6. præcipuè uerò Simſonem, hoc nomine celebrẽ, fuisse typum Christi.

De loco, ubi initiò iussus sit Ioseph fugam arripere, certò affirmari non potest. Probabile est, Hierosolymis nõnihil fuisse retẽtos parentes Christi, apud Simeonẽ et alios pios, propter IESVM Meßiam: et inde mox increbescente rumore de Meßia, monitos esse, ut in Aegyptum descenderẽt. Si quis Nazarethã mox facta purgatione reuersos esse putet, textu Lucæ motus, ei nõ magnopere refragabimur: præsertim cum hac in parte nõ agatur de articulo fidei. Verùm cõmonefecimus, Euangelistas sepe eiusmodi sentẽtijs, multa silentio prætereuntes, saltũ facere. De tempore persecutionis, ac reditu Christi ex Aegypto, suprà in cap. de Persecutionibus dictum est. Numerus occisorũ infantiũ non est expressius: nisi quòd recentes et obscuri quidã scriptorum, crescẽte superstitione, ausi sunt etiam indicare numerum: nempe centũ quadragintaquatuor millia, ut colligunt ex Apoc. cap. 14. Iosephus hoc Herodis facinus omisit. Sed nihil mirum est: cum & alterũ, de iudicum ordinariorũ deletione, in historias non retulerit.

DE GESTIS INFANTIAE, puericiæ & adolescentiæ Christi.

PRincipales tantum articuli de Christo, quos reserebat cunctos mortales nosse, propter suam salutem, singulari Dei consilio ab Euangelistis descripti, et ad posteritatẽ transmissi sunt: quales sunt, de cõceptione & natiuitate Christi, de patefactionib. quæ ibi diuinitùs acciderũt, de eius humilitate, exilio & diuina liberatione. Necesse est enim, omnes homines istos articulos fidei exactè tenere, quòd filius Dei sit homo factus, quòd hic infans Mariæ sit uerus Meßias: quòd uenerit, ut humilitate et afflictionib. expiaret totius mundi peccata: quòd Deus habeat Ecclesiolam, cui sese manifestet, quæq; uerbum & patefactiones Dei non ridet, non fastidit, sed magnifacit & celebrat: quòd Deus, Ecclesia, Verbum, nõ sint ad prærogatiuas carnales, ordinariam successionẽ, potentiã & dignitates alligata: quòd summi in hoc mundo plerunque aspernentur & persequantur Christum, eius Verbum & assectas: quòd gentes ad beneficia Christi pertineant. Hæc hactenus in historia, quantũ Spiritui sancto uisum fuit satis esse, sunt recitata. Reliqua uerò curiosa & uana, nihilq; huc facientia, data opera alto silentio prætereunt Euangelistæ: nobisq; quasi legem statuunt, ne in illis scrupulose inuestigãdis occupemur, sed potißima & principalißima toto pectore amplectamur, & in ijs discẽdis ac perpendendis operã studiumq; omne collocemus, nihil dubitantes fructus inde ad nos ingentes & quamplurimos redire. Hinc igitur factũ est, ut Euangelistæ de infantia Christi nihil memoriæ tradiderint. & cum præfinita tempora rerum gerendarũ Christus obseruarit, credibile est, eum in tam tenera ætate quoq; suas diuinas uires nõ admodũ exeruisse, sed cæteris infantib. fuisse parem, suxisse ubera, pulmenta auxilio matris comedisse, creuisse: fleuisse, si quid aduersi accidit: arrisisse: mox bos uerò proculdubio, cum absq; peccato fuerit natus, nullos sensisse. & propter eam causam quoq; probiorẽ & tractabiliorem cæteris infantibus peccato infectis fuisse. Verùm ea omnia fuerunt ea ratione contecta, ut uideretur aliquid miraculosum præ cæteris infantibus in eo existere.

Pueritiæ tamẽ unum exemplũ, quod ætatẽ eam excedit, recitat Lucas cap. 2. Fuerunt parentes Christi omnis pietatis studiosißimi: ideo publicos congressus, præsertim lege Dei præceptos, summa animi alacritate frequentabant. Ardebant enim cupiditate discendi quæ à Deo in sacra Scriptura erant proposita: idq; nunc omnium maximè, quando secum habebãt uerum Meßiam. Nec dubium est, quin ipsorũ fides hac ipsa in re uarijs quasi procellis tentationum agitata & cõcussa fuerit. Commemorat igitur Lucas, ipsos quotannis ad solennitatẽ Paschæ ascẽdisse, quæ quidẽ uel præcipuus erat typus Christi. Idem factitarũt anno Christi duodecimo. Commendatur autem ipsorũ pietas, quòd unicũ filiolũ, qui paulatim ad iter faciendum idoneus fiebat, una Hierosolymam ad tam celebre festum adduxerint. Forte et priùs id fecerant, sed nõ est in historiam relatũ. Fungebantur isto piorũ parentũ officio, non tantum quòd filiolum ad sacros cœtus à teneris annis adsuescere uolebant: sed qua erant præditi fide, perpendebãt animo, hunc filiolum esse Meßiam, significatũ ritu Paschatis: ideo paulatim eum suo loco sistere cogitabant, utq; ibi quoq; doctrinam de suis rebus expediẽdis audiret. Fortè etiam hoc eos mouit, quòd familia Zachariæ, Simeonis, et aliorum credentiũ id flagitabant, quibus summæ erat uoluptati, coràm contemplari Meßiam paulatim succrescentem: crescebat quoque ex illis collationibus, quæ priuatim maximè hisce quidem annis fiebant, numerus credentium.

Rebus aũt in eo festo ritè peractis, parentes Christi cum sodalitio noto rursus se dedũt itineri, domũ uersus proficiscẽtes. Nazarethæ enim, ut dictũ est, habitabãt. Hic res noua eis accidit. Iter diei ab Hierosolymis digressi, nõ reperiũt filiolũ IESVM inter cognatos et notos. Putarant, eum in comitatu cognatorũ & amicorũ semper subsequi: & ideo minus de eo fuerunt soliciti. Fortè adfuerũt plures pueri, quorũ sodalitio credebant eum delectari. Et apparet, antea IESVM quoq; soliũ ea ratione sequi. Quanto uerò dolore parentes, & in primis Maria, in qua tanquã matre naturali storgæ erga filiũ fuerũt longè uehemẽtiores, affecta sit amisso filio, de quo tam mirandas patefactiones acceperat, & quem nõ nesciebat sacerdotib. inuisum esse, dici non potest. præterea nox ingruebat, ut recurrere non liceret. Manè igitur summo festinanter se recipiunt Hierosolymam, nec eo die eum inueniũt. Tertio demum die, cum eum solicitè pluribus in locis quæsiuissent, ingressi templum, ubi magna hominũ multitudo solebat cõuenire, ecce inueniũt IESVM in templo, non inter pueros nugantem: sed in medio Doctorum, annis, dignitate, eruditione, autoritate uenerandorum sedentem: neq; id temerè, sed puerili modestia ipsos audientem, quomodo sacram Scripturam enarrarẽt: neq; id modò, uerùm etiam puerili atq; bauddubiè decora uerecundia interrogantẽ eos de rebus grauißimis, & suam de propositis

tis quæstionibus explicantem sententiam. Ac mirum sanè est, quomodo tam arrogantes homines puellum in suum consessum admiserint. Sed diuinitùs hæc regebantur, ut specimen sapientiæ in hoc puero audirent. Etsi autem non sit expositum, quid ibi sit tractatum: tamen non friuola coniectatio est, de Messia, eiusq; operibus fuisse sermones. Addit Lucas, omnes quotquot audierunt puerum, tanta uerecundia, tantaq; dexteritate de summis rebus quærentē & disputantem, seu (ut uocat Euangelista) respondentem (fuerūt autem Doctores, & alia multitudo non parua) obstupuisse super tanta istius intelligentia.

Parentes igitur interuenientes, & spectantes filiolum inter Doctores considere, ualde admirantur. & soluto cœtu, adeunt IESVM, cum eo expostulantes, quare in tantum mœrorē suos parentes cōiecisset, qui eum ubique quæsiuissent? Sed duriusculè eis respondet IESVS, commonefaciens tamen eos de maximis rebus. Non, inquit, opus erat, ut tanto dolore macerаremini. Nesciebatis, quòd in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Significat igitur, se habere patrē altiorē ipsis: & hoc templū ad se pertinere: & se ideo uenisse, ut ibi se manifestaret docendo, & alijs operibus Messia dignis. At parentes licet excusationi acquiescāt, & gaudeant se filiolum recepisse, tamen responsionem eius non assequuntur. Maria tamen hæc uerba obseruabat, & longius spectare cogitabat: ut uideas, ipsos nō fuisse omnino perfectos.

Voluit itaq; Christus hoc factum edere, primùm ut parentes sui discerent, se non ipsorum tantum cura educari ac defendi, sed patris cœlestis. Deinde, uolebat eos præparare ad futuram crucem, ne nimium afflictarentur, quando uiderent eum prorsus sua passione ab ipsis diuelli. Tertiò, uolebat in populo Iudaico renouare de nato Messia rumorē: & hoc facto eis reuocare in memoriam, quæ ante annos duodecim ex Magis Hierosolymis audiuissent. Sed surdis, quod dicitur, sermo fit. Quartò, cupiebat innotescere Messiæ officium: nempe, quòd egregius Doctor huius populi & totius orbis terrarum esset futurus.

Cæterùm non prorsus sese à parentibus, quibus erat à Deo commendatus, auellit: sed ista reuelatione peracta, sponte se eis rursus subijcit, & unà Nazaretham proficiscitur.

Quid autem porrò egerit toto adolescentiæ tempore, non est expositum. Tantum uerò Lucas narrat, quòd fuerit parentibus subditus. O egregium obedientiæ exemplum. Item, quòd profecerit sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Eiusmodi autem oratione Euangelista tot annos quasi uno saltu transilit: proinde neq; nos curiosius ea quæ non scripta sunt, indagare decet. Non est tamen consentaneum, IESVM adolescentiæ suæ annos ignauo ocio transegisse: sed probabile est, ipsum, ut in omnibus singularem humilitatem præstaret, Iosephum, qui erat architectus, diligenter in faciendis operis iuuisse. ideo dicitur fabri filius, Matt. 13. Marci 6. Emicuit in eo quoque peculiaris iudicij & sermonis dexteritas, et rerum maximarum peritia. Etsi autem non susciperet publicum docendi munus, tamen inter eos quibus cum uixit, sæpe de grauissimis rebus conferebat: moribus quoque honestissimis suam uitā ornabat, ut charus esset bonis. Verùm, sicut antea quoq; monuimus, omnia huius IESV facta, quæ quidē in adolescētia egit singulari humilitate, quasi nube quadā erant tecta, ut nō omnino manifestè diuinas uires exereret: nec uideretur ante tempus docendi munus sibi uendicare, aut res nouas moliri.

Potest fortè de arcanis quibusdā factis adolescentiæ, monere historia memorabilis, quæ Ioh. 2. describitur: ubi Maria petit à Christo donationem uini in nuptijs: ac mandat ministris, ut fiat quicquid ipse iussisset. Non autem temerè Ista protulit Maria: sed fortè aliàs arcana quædā eius miracula, quando inopiam ipsorū miraculosè subleuauit, habuit cognita. Verùm temerarium est inquirere, quod spiritus sanctus noluit scribere, & absq; iactura fidei ignoratur.

Solet autem hic etiam de peccato Mariæ, ob amissionem filij Messiæ, facta collatione ad peccatū Euæ, quæ salutem hominū initiò euertit & amisit, quæri. Exaggeratur factum Mariæ, quia circa maius obiectum uersatur: nempe mundi Saluatorē. Sed cum ea res alterius fori sit, & in commentarijs explicari talia soleant, contenti simus in præsentia breui explanatione, quòd utraq; delicta non sint exigua: sed tamen non tantum secundū obiecta discernūtur peccata, uerùm magis principaliter etiam secundum interiores causas, nempe iudicium & assensum uolūtatis. Eua sciens & uolens facit contra mandatum Dei: Maria insciens & contra uoluntatē amittit filium, sed nihilominus grauiter peccat.

Libri de infantia Christi conficti, futiles et superstitiosi sunt: ideoq; meritò ab omnibus sano iudicio præditis repudiantur. Amplectamur autem potius ea quæ perspicuè sunt descripta. Nam in ijs solis fides potest tutissimè acquiescere: & utinam ea quæ certis testibus nobis tradita sunt, satis diligenter perdiscceremus. Nihil enim quod ad salutem nostram, ueramq; pietatem pertinet, omissum est.

Præterea & hoc rursus hic attingendū est, quòd nocte huius diei, quo Christus publicè in templo docuit, memorabilis res accidit, ut Iosephus retulit. Noctu enim sacerdotes pro more ingressi templum, reperiunt ossa humana passim in eo dispersa esse: id quod propha nationē templi, quæ à sacerdotib. tum temporis fiebat, haud dubiè significabat. Sed hac de re suprà dictum est.

DE PVBLICO MINISTERII Christi officio, eiusq; gestis ante primum Pascha.

CVm instaret iam tempus, IESV Christo à patre præfinitum, quo in publicum prodire, & maximum opus redemptionis generis humani, ad quod erat missus, palàm aggredi & absoluere deberet, non quidem subitò id suum ministeriū exorsus est: sed præco quidam excellēs pietate, sanctitate & doctrina, ipse nimirum Iohannes Zachariæ filius, excitatus est, accepto mandato immediatè à Deo, ut initium Euangelici status faceret. Quod ad hanc ipsam causam fuerit mirando Dei consilio creatus Iohannes ex sterili anu, suprà est suo loco dictum: nunc uerò neq; ipse temerè suum munus auspicatur, sed mandato Dei accepto, ingenti fiducia & successu per Spiritum sanctum inchoat Euangelij ministerium, idq; tali ratione. Digreditur à templo Hierosolymitano, in testimonium, quòd Mosaici ri-

tus nunc ad finẽ ſuum decurriſſent. In deſerto, hoc eſt in regionibus circa Iordanẽ (quæ ob uicinos montes Deſerta uocabantur : cum tamen in eo tractu circa Iordanem, utpote piſcoſo loco, pratis irriguo & paſcuoſo, plurimi homines habitarint) commoratur. Docet expreſſe & perſpicuè, hoſce articulos præcipuè, Meßiam iam eſſe exhibitum, eumq; eſſe filium Mariæ : quod ad ſubſtantiam eius pertineret, priorem eum ſe ipſo eſſe, et quidem unigenitũ filium patris cœleſtis, hoc eſt, habere naturam diuinã : & tamen ſe poſteriorẽ, hoc eſt, habere etiam naturam humanã, cuius reſpectu ætate eum præcedat. Officium eius fore, ut fiat agnus : hoc eſt, uictima ad mactationẽ deſtinata, tollens peccata mundi. quam quidem orationis formam Iohannes proculdubio ex Eſaiæ cap. 53. mutuatus eſt. Legem, inquit, per Moſen eſſe datam, gratiã uerò & ueritatẽ per Chriſtum factam. Docet de pœnitẽtia : Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorũ. De iuſtificatione: Ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. De fructibus iuſtificationis ſeu de bonis operibus, faciẽdos eſſe fructus pœnitẽtia dignos, &c. ut quilibet in ſua uocatione, quæ decet, agat. De pœnis nõ agentiũ pœnitentiam : Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum, excidítur, & in ignem mittitur. Taxat Phariſæorum & Sadducæorũ impias ſentẽtias, de perſuaſione propriæ iuſticiæ : ideo uocat eos genimina uiperarum. &, Nolite (inquit) dicere, Patrem habemus Abrahã. Taxat etiã peccata Herodis cõſtanter. Ordiebatur quoq; nouã ceremoniã, baptiſandi extra templũ Hieroſolymitanũ, in præſentẽ Meßiã, & quidẽ in remiſſionẽ peccatorũ. Locus erat prope Iordanẽ. Cætera in uita Iohãnis, infrius.

Iohanne uerò, famam de Meßia exhibito, tanta autoritate diuulgante, non debuit Chriſtus diu in occulto manere. Abeſt iam igitur exoptatiſſima hora, qua Chriſtus ad publicũ miniſteriũ accederet : & nouit exactè tempus ſibi à patre cœleſti præfinitũ. Sed celebri teſtimonio ampliſſimã functionẽ debebat ordiri, et quaſi publicè inungi, & (ſicut nunc loquimur) ordinari. Id uerò qua ſit ratione & magnificẽtia factum, operæpreciũ eſt cognoſcere. Venit IESVS, ex conſilio patris ſui, è Nazareth, ubi diu habitauerat, ad Iohannem circa Iordanem uerſantẽ, baptiſari ſeſe poſtulãs. Iohannes uerò optimè IESVM noſcens, ignarus diuini propoſiti, negat hoc ipſi eſſe cõueniens: ſe potius à Chriſto baptiſandum eſſe. Sed docet Chriſtus, eſſe rem nõ temerariam : & ſuam quemq; iuſticiam, hoc eſt obedientiã Deo debitam, ea in re præſtare debere. Quo cognito, Iohannes non diutius reluctatur, Chriſtumq; baptiſat. Aſcendẽte aũt Chriſto ex aquis, et orante, ecce cœli deſuper patefiunt : et Spiritus ſanctus corporali ſpecie columbæ deſcendẽs, in Chriſtũ reſidet. & uox clara de cœlo ſonat : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitũ eſt. Mat. 3. Marci 1. Lucæ 3. Ioh. 1. Tali pacto inũgitur et initiatur Ieſus Chriſtus : neq; unquã in mũdo illuſtrior trium perſonarũ facta eſt patefactio, q̃ in hoc baptiſmo. Voluit enim Deus, hac ipſa re, filij ſui dilecti officiũ ornare. Acceperat quoq; Iohannes reuelationẽ à Deo, eiuſmodi præclarã unctionẽ, quæ uiſibili ſpecie Spiritus S. fieret, Meßiã habiturũ eſſe. Etſi autẽ Chriſtus nõ indigebat baptiſmo in remiſſionẽ peccatorũ, ſicut cæteri homines peccatis ſordidati: tamẽ plures cauſæ ſunt, quare eũ uoluerit ſuſcipere: nimirũ, ut ea ceremonia à Deo et hominibus ad ſuã functionẽ initiaretur. Secundò, ut ferret teſtimoniũ baptiſmo, totiq; miniſterio Iohannis. Tertiò, ut declararet ſe eſſe eũ, qui effectũ baptiſmo daret, et in eo quaſi cõcluderetur nẽpe, qui ſanguine ſuo peccata totiꝰ generis humani eſſet abſterſurꝰ ac mundaturus, ſicut aqua corporis ſordes abluuntur. Quartò, uoluit docere, totã Trinitatẽ, hominis baptiſmo ſeu regenerationi mirãdæ, quæ mediante uerbo et baptiſmo fieret, adeſſe. Quintò, ut honore ꝓpetuo baptiſmũ cõſecraret. Sextò, ut ſignificaret, ſe ad baptiſmũ, ut aliàs loquitur, hoc eſt, ad paßiones iã accedere.

Sic igitur Chriſtus miniſteriũ ſuum aggreditur, cum inciperet eſſe annorũ quaſi 30, ut Lucas refert. id quod Irenæus lib. 2. cap. 39 ſic intelligit, quòd nondũ 30 annos tum impleuerit, ſed in trigeſimũ ſuæ ætatis annum iam currentẽ ingreſſus eſſet. Epiphanius lib. 2. to. 1. cap. 51. ita ſcribit : Erat reuera annorũ 29, & menſiũ 10, quando ad baptiſmũ uenit. Triginta quidẽ annorũ, ſed nõ plenè. Quapropter dicit, Incipiẽs eſſe annorũ ferè 30. Ibidẽ et ſic tempus baptiſmi Chriſti deſcribit: Baptiſatus eſt Chriſtus in Iordane fluuio, 30 anno natiuitatis in carne : hoc eſt, ſecundũ Aegyptios, Athyr menſis duodecima, ante 6. Id. Nouemb. iuxta Græcos, Dij menſis octaua : iuxta Salaminos, qui & Conſtantiæ, tertij Choeæ ſexta : iuxta Paphios, Apogonici 16. iuxta Arabas, Angathalbaith 22. iuxta Macedonas, Apellæij 16. iuxta Cappadoces, Aratata 15. iuxta Athenienſes, Metagitnionis 7. iuxta Hebræos, Moreſouam, &c.

Variant hic, ut in re obſcura, ſentẽtiæ, quanto tempore poſt inchoationẽ miniſterij Iohãnis, iſte baptiſmꝰ Chriſti factus ſit. Qui tubarũ feſto Iohannẽ miniſteriũ ſuum exorſum autumãt, baptiſmũ Chriſti in decimum, proximè ſequentẽ diẽ, ſeu feſtũ expiationis referũt. Videmus etiam aliàs in feſtis Iudæorũ, quæ à Deo originẽ habebant, plerunq; eximias res eſſe geſtas. Sed poteſt etiam fieri, ut ſicut ætate ſemeſtri Iohãnes Chriſtũ antecedebat : ita eodẽ etiam tempore, aut circiter, miniſterio publico præcurrerit. Veriſimile quoq; eſt, initia Iohannis primùm fuiſſe, ut qui res arduas tentaret, tenuiter et paulatim incremẽta feciſſe, donec longè lateq; ſermo de ipſo diffunderetur, & ex omni Iudæa ad eum cæteratim cõfluerent. Verùm hic tutò licet aſſenſum ſuſpendere, cum nõ agatur de articulo fidei Iucundũ hoc eſt, quòd cum ætate Chriſti et Iubilæorũ numerus cõuenit. Nam uſq; ad annũ prædicationis Chriſti, qui fuit trigeſimus ætatis, 30 quoq; Iubilæi numerãtur, nec poſt eum ullus alius eſt celebratus. Eſt aũt cõputatio Iubilæorũ ab eo anno ſumẽdus, qui primus fuit introitus in terrã promiſſam. Quid aũt aliud erat totũ miniſteriũ Chriſti, quàm diu deſideratus & iucũdiſſimꝰ Iubileus? Sicut Eſaiæ 61 erat prædictũ. Excuſſi eramus ex hæreditate æterna, per peccatũ: iam uerò Chriſtus nos gratiæ Dei et uitæ reſtituebat, parta remiſſione peccatorũ per ſanguinem ſuum. His de rebus hoc tempore euangeliſant, buccinant & perſonant, pater cœleſtis, angeli, ſanctus Dei homo factus, Iohãnes, et plures alij cõminiſtri.

Nunc actiones Ieſu Chriſti ſequũtur, quæ cũ in Euangeliſtis probatis fideliter explicatæ ſint, non proſequemur fuſius: ſed quaſi ſummis tantũ digitis perſtringẽtes, ordinẽ ac ſeriẽ paucis Chriſto ipſo iuuante indicabimus.

Primꝰ

Prima est, quòd in desertũ à spiritu sancto ducitur: nõ sci licet sponte se in tantũ certamẽ conijciẽs. In eo autem lo co ieiunat 40 totis diebus ac noctibus, omni cibo abstinens. Deinde cõflictus acerrimos cum diabolo sustinẽs. Prima tentatio est, ut in gratiã diaboli obedientiã, quam Deus ibi ab ipso flagitabat, uiolaret, ac de lapidibus panem faceret. Altera, ut de pinna templi se præcipitẽ age ret, neglectis gradibus, quibus patebat descẽsus: hoc est, in gratiã diaboli, res nõ mandatas à Deo moliretur. Tertia, ut procidẽs ante diabolũ, eum adoraret: qui promit tit se ei daturũ regna mundi, & gloriã eius. hoc est, ut ar riperet Ecclesiasticũ et politicũ regimẽ, ac honores mundi affectaret, seu (ut clarius nostro seculo loquamur) ut fieret Papa. id quod nulla alia re fieri posset, nisi diabolum, qui aliàs princeps mundi dicitur, adoraret: hoc est, idololatriã stabiliret. Sed Christus fortiter in sua obediẽtia, quã Spiritus sanctus præscribebat, perseuerabat: & Satanæ insultus nõ manu aut gladio, sed uerbo Dei efficacissimè retũdebat. Præmiũ uictoriæ est, quòd angeli accedentes ei administrant. Finis huius historiæ fuit, ut probaretur Christus: hoc est, ut statim uires et potentiã diaboli experiretur Christ⁹, et Sathanas uicissim Christi. Erat enim in paradiso prædictũ, semẽ mulieris monomachiã cum serpẽte cõmissurũ esse. Deinde, ut hac uictoria specimẽ præberet secuturæ in sua passione et morte. Tertiò, ut toti Ecclesiæ Christi typus cõstitueretur, quòd diabolus eam esset oppugnatur⁹: et quib. modis, item qua ratione insidijs et uiolentiæ diaboli obsistendum, in quo nostræ uictoriæ spes sit reposita, quod præmia legitimũ certamẽ sint cõsecutura. In Exodo legimus, Mosen 40 dierũ spacio in Synai, legem à Deo accipientẽ, fuisse. Hoc fortè exemplũ respiciẽs Deus, in promulgatione Euãgelij, omnium illustrissima, per suũ filiũ, atq; adeò in legis impletione per Christũ perficiẽda, uoluit eũ eodẽ modo initiũ facere. Solent hic disputationes agitari, in animo ne an aliàs istas pugnas cũ diabolo inierit Christus. Verùm cõsentaneũ est, coràm diabolũ inuasisse Christũ, & periculum fecisse, an in primo, ut dicitur, limine eũ posset euertere, sicut Adamo et Euæ fecerat. Tempo huius historiæ nõ potest exactè tradi, quoto nimirũ uel die uel septimana, à baptismo, ista gesta sint. Marcus præponit Statim, Matthæus Tunc: uerùm istæ uoces in Euãgelistis, nõ denotant tẽpus cõtinuũ. Desertũ uerò inter Hierosolymã et Iericho fuisse, quidam, utpote loco nõ longè à Iordane disito, opinãtur. Historiã narrãt Mat. 4. Mar. 1. Luc. 4.

Interea temporis dũ in officina ꝓbationis Christ⁹ uersatur, uidentur ea facta esse, quæ Ioh. 1: describũtur, quòd Iudæi ad Iohannẽ legatos mittunt, sacerdotes et Leuitas, quæstũ quis esset, & quare baptisaret? nam in flore tũ erat Iohãnis ministeriũ. Negat aũt se esse Christũ, uel Eliam, uel prophetã: sed uocem clamantẽ, ab Esaia cap. 40 prædictã. baptisare aũt, ut et ea uoce et signo præsentem demonstraret Christũ. Peracta sua tentatione Christus redit ad Iohannẽ, qui tum suis auditorib. palàm Christi personã proponit, hunc esse Messiã. & de opere eius dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mũdi. significans agnũ, hoc est uictimã fore, eo fine, ut peccata totius generis humani auferret, et iusticiã pararet ac largiretur. Fuit igitur in hoc Iohãne planè mirabilis lux, et noticia essentiæ & officij Christi. Proinde cohortatur, ut omnes eum amplectãtur. Fuit autem proculdubio congressus talis, in quo de grauissimis rebus inter se contulerunt, quæ ad Christi actiones spectabant. Altero die rursus Christum suis discipulis monstrat Iohannes.

Hoc in loco Christus mox duos discipulos Iohannis, ex quibus erat Andreas, secum abducit domum, ac proculdubio de regno Dei instruit. Andreas è Christi schola prodiens, fratri suo Simoni Petro lætus nunciat, se inuenisse Messiam, eumq; ad Christum adducit.

Paulo pòst reditũ in Galilæã instituit Iesus. in eo aũt itinere, incipit subinde magis magisq; concionari. Vocatur igitur Philipp⁹ hac uoce, Sequere me. Philippus porrò narrat Nathanaeli, Iesum esse Messiam. & is audiens Christum longius posse prospicere, quàm humani oculi assequantur (sicut dicebat, se Nathanaelẽ sub ficu uidisse, priusquã Philippum crearet apostolũ) egregiã confessionẽ præstat: Tu, inquit, es filius Dei, tu es rex Israel. Christus prædicit, eum maiora miracula uisurum. Ioh. 1.

Quia autem nuptijs interfunt unà discipuli Christi, uidentur in hoc reditu plures uocati.

Hoc comitatu reuersus Nazarethã, unà cũ discipulis uenit ad nuptias in Cana Galilææ, haud procul à Nazaretha distãte oppido, minore dicta ob alterã, quæ intra Tyrum & Sidonẽ sita est, maior nuncupata. Tertio die id factũ esse, Ioh. 2. scribit. Sed unde cõputationis initiũ sumendũ sit, incertũ est. Alij à discessu à Iohãne numerãt: alij ab eo tempore, quo in patriam redierat: id quod uidetur ueri similius. Adsunt aũt & mater & fratres eius: ut uideatur aliquis ex cognatis Mariæ fuisse, cui⁹ nuptias uoluerint ornare. Non abũdasse facultatib. sponsum ac spõsam, ex defectu uini animaduerti potest. Accidit aũt ibi memorabile quiddã. Nam in his nuptijs primũ miraculũ Christus edit, mutata aquæ natura, arcana & omnipotẽti uirtute, in generosum uinũ: iubẽs tantũ hydrias, astãtes more Iudæorũ, propter crebras ipsorũ lotiones, impleri aqua, et postea architriclino degustandã portari. qui ignarus rerum omniũ, fatetur esse meli⁹ uinũ, quàm prius appositũ fuerat. Multa in ea historia cõcurrũt, digna cõsideratione: sed omissis alijs, singulari hauddubiè cõsilio Deus conjugium, omniũ primũ filij sui miraculo cõprobare & honorare uoluit, quòd sciebat Antichristũ magna ignominia afficturũ. Donũ fuit mediocre. nam singulæ hydriæ, ut inquit Iohãnes, capiebãt metretas binas aut ternas. Cõtinet aũt metreta congios 10. hoc est, circiter 30 cantharos, ut nos usitatè uocam⁹: eaq; ratione quælibet hydria circiter urnam cõtinuit. Est aũt satis honestum nuptiale mun⁹, in tam paupere cõuiuio: & fortè etiã post nuptias mansit aliquid residuũ, unde se noui cõiuges sustẽtarunt. Fines huius miraculi cõmemorantur, patefactio gloriæ Christi, & excitatio atq; confirmatio fidei in Apostolis.

Peractis nuptijs, Capernaum descẽdit, ducens iam secum comites discipulos quosdam, fratres & matrem: uerùm ibi non diu substiterunt, ob propinquitatẽ festi. Docuit autem ibi proculdubio, ac miraculis magis magisq; cœpit inclarescere. Iohan. 2.

DE PRIMO PASCHATE, FACTISque consecutis usq; ad alterum.

CVm nemine de exacta temporis cõputatione, quo quælibet gesta sint, contendimus: sed utcunq; res recitamus, sicut ex circũstantijs quibusdã uidentur accidisse. Iohãnes præ cæteris diligẽter paschata annotauit, quib. Christus Hierosolymis fuit, quando ministerio suo

publico fungebatur. Eas notas, quantũ in nostra imbecillitate poterimus, sequemur. Instãte igitur Paschate, Hierosolymam ascẽdit: ibiq; ut erat à Deo cõstitutũ, sese iam luculẽter incipit patefacere, & uerum Messiã declarare.

Primùm templũ nundinationibus profanatũ purgat, etiam ui corporali adhibita, tanquam rex istius populi, flagelloq; istos mercatores expellẽs. Deinde cõcionatur ac docet, eam domũ esse sui patris, ac ad se pertinere: ac commonefacit de præsenti profanatione. Indicat ista Euangelista, iuxta dictũ psalmi 98 esse facta: Zelus domus tuæ comedit me. Prædicit de sua passione, ac ostẽdit, hoc signũ esse omniũ maximũ, quòd moriturus, & post tres dies resurrecturus esset. Deinde fecit ibi et plura miracula, ita ut multi in eum crediderint. Ioh. 2. Hisce rebus motus Nicodemus, Iudæorum princeps, noctu ad IESVM uenit, testificãs de sua fide. Sed ibi porrò audit Christum docentẽ de regeneratiõe, de peccato, de iustificatione, de Deo quòd sint tres distinctæ personæ, de Messia, de fide, de passione, de iudicio, de uita æterna, de bonis operibus: quæ quidem ibi discit longè aliter habere, quàm antea ex pharisæis didicerat.

Ab Hierosolymis in reliquã Iudæam iter facit, docẽs, & per discipulos baptismum conferẽs: quibus proculdubio accesserũt miracula diuina. Ideo autem passim docet, quòd ubique uolebat, quòd esset Messias, innotescere, ne quis ignorãtiæ prætextũ captare posset. Interea discipuli Iohannis cum Iudæis de purificatione disputant, & ad eum referũt, quòd Christus cœtus quosdã colligat, & baptismum per suos administret. Iohannes testatur, ista nõ fieri temerè, sed ordinatione ac dispositione Dei: seq; ipsius præcursorem agere: iamq; tempus adesse, quo ipse crescat, se uerò oportere minui: præsagiẽs spiritu suam necem. Docet etiam, tantum fide in Christũ uitam æternam contingere, Iohan. 3.

Fama iam passim concitata de Christo, eiusq; actionibus, & mirandis factis, pharisæis indignãtibus, ex Iudæa iterum se in Galilæam recepit. In hoc itinere per Samariam proficiscitur, ubi memorabilis historia accidit prope Sichar. Digressis enim discipulis ad emendos cibos, Iesus ad fõtem Iacob, Gen. 48. fatigatus consedit. Aduenit quædam mulier, haustura aquam, & quidẽ meretricula. eam Christus conuertit, arcana eius patefaciens: nempe quòd non haberet legitimũ uirum. Deinde docet eam de uita æterna per Christũ: item, se esse eum qui sit promissus: uocatũ iri gentes: quòd in spiritu & ueritate Deus sit inuocandus. Mulier statim in oppidũ currẽs, nunciat cæteris Messiam, foris ad fõtem Iacob sedere. Magna igitur multitudo, istius tam arduæ rei cognoscendi studio, cõfestim excurrũt, ac rogãt ut secũ in oppidũ eat. Nõ difficulter eis morẽ gerit Christ⁹. ac totũ ibi biduũ degit, docens de regno Dei, et miracula adiungens. Itaq; præclarã edunt confessionem, Iesum uerè esse saluatorem. Ioh. 4.

Nazaretham, ubi erat nutritus, cum uenisset, docuit in synagoga, legens locũ Esaiæ 61. Spiritus Domini super me, &c. eumq; explicans, prorsus ad se accõmodat. Hæc, inquit, iam facta sunt. Deinde taxat ipsorũ peccata, quòd se contemnant: docet etiam, alios uocari, ipsis reiectis. Huius autem reprehensionis impatientes, eum è synagoga exturbant: & tractum in sublimem montem, per præcipitium deiecturi erant, nisi miraculosè se ipsorum furoribus subtraxisset. Lucæ 4.

Circa hoc tẽpus Iohãnes in carcerẽ ab Herode cõiectus est, eo quòd regis incestũ coràm et manifestè taxaret. Hactenus igitur unà cum Christo est ministerio functus: ac dedit ea res Christo occasionẽ, ut in Galilæam regredere tur, ne Herodes in ipsum quoq; ante tempus sæuiret.

Pulsus Nazaretha, uicimiã gratissima Euangelij fama & miraculis cõplet: & gratus fuit plurimis in Galilæa, qui Hierosolymis ipsius miranda facta aspexerãt. Denuò etiam uisitat Canã Galilææ, in quo primũ miraculũ ediderat. In ijs aũt regionib. dum cõmoratur, regulus quidam accepto nuncio, Christũ ex Iudæa in Galilæã uenisse, Capernao excurrit, fortè unius diei itinere: obnixè rogans, ut Christus filio suo, iam animã agẽti, auxiliũ præstaret. Christus aũt hominis fidem exercẽs & excitans, graui oburgatiũcula innuit, eum in miraculis & præsentia Christi fixum solummodo esse. At eo instante, Christus absens uerbo suo filium curat. Regulus ita proficit, ut firmiter credat, absentis Christi uerba tam efficacia esse, quàm si præsens adesset. Postridie occursu seruorum de euentu certior fit, & tota eius familia in Christum credit. Pulchrè autem Christus deducit ad uerbum, & uult nos eo inniti: ac non dubitare, quin ipsius uerbum sit efficax. Iohan. 4.

Paulo pòst Capernaũ cõmigrat, ibiq; ius ciuitatis adipiscitur. id quod Matthæus Esaiæ 9 prædictũ esse ait, ubi sic scriptũ est: Terra Zabulon, & terra Naphthalim, uia maris trans Iordanẽ, Galilæa gentiũ, populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magam: et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Matth. 4.

Transiẽs enim ripam laci Galilææ, piscantes Petrũ et Andreã fratres uocat. Deinde etiam Iacobũ & Iohannẽ filios Zebedæi, resarciẽtes retia, uocat: qui extemplò relictis retibus, obtẽperantes eum sequuntur. Mat. 4. Mar. 1.

Circumit autem passim totam Galilæam, prædicãs Euangeliũ regni, cuius hæc fuit summa: Pœnitentiã agite, appropinquat enim regnũ cœlorũ. eaq; omnia cõfirmat & ornat factis miraculosis, nõ inanibus, sed quibus iuuabantur homines in corpore & anima: ac colligitur hac ratione Ecclesia non mediocris, passim è Galilæa, Decapoli, Hierosolymis, Iudæa et Iordane cõfluẽtibus. Mat. 4.

Cum autem nõ moliretur seditiosos tumultus, aut innouationem regni politici Christus, tantum id unum habet sibi studij, ut rudem et pharisaicis fermentis fascinatã plebeculam dextrè instituat, de ijs potissimũ quæ ad cõuersionem ueramq; pœnitentiam pertinerent concionatur.

Turba itaq; præsente, in monticulũ ascendit. ac inde, ut ab omnib. uox audiri posit, uerba facit. sicut Matth. 5. 6. 7. capitib. prolixè describit. Ac uerisimile est, non una tantũ hora, sed sæpius interiectis uicibus Christum hunc cœtum erudijsse, multaq; copiosius explicasse. Capita præcipua sunt: De ueris bonis operibus, quæ flagitat Deus, ceremonialibus, quæ sola sacerdotes exaggerabãt, quàm longissimè præponẽdis: ut de humilitate, seu timore Dei, de mansuetudine, de studio pietatis, de misericordia, de castitate interiori, de pacis studio, de cruce & tolerantia. Attexuntur autem hisce paræneſibus magnificæ promissiones, quibus animi piorum ad præstanda bona opera excitantur. De confessione, de fine bonorum operum. Hæc in primam partem reponi possunt. Altera pars huius concionis, habet doctrinam de lege, quòd necesse sit eam impleri: de beneficio Christi, quòd ideo uenerit,

uenerit, ut legem ipse impleat. qua quidem re haud obscurè declarat, nullum hominem potuisse id præstare. de iustitia Pharisæorum, ut quæ non sit impletio legis: de iustitia uera, quæ longè excedat Pharisæorum iustitiam, ut quæ sit impletio totius legis, præstita per solum Christum, sicut inquit: Non ueni soluere legem, sed adimplere. Tertia pars est declaratio Minoris, seu eius sententiæ, q. Pharisæi nõ possint perfectè legẽ Dei implere. Legem enim plura requirere, quàm ipsi uel opinentur, uel doceant: nempe non tantũ exteriorẽ, sed & interiorẽ, & quidẽ omnibus numeris absolutã obedientiã. Exponit igitur aliquot Decalogi præcepta, ut legis sententia germana pateat, & Pharisæi tanquã falsi doctores confundantur: Populus etiã rectè de lege instituatur, & cupidius beneficiũ Christi amplectatur, qui hominũ uice legẽ adimpleat. Explicat autẽ quintũ præceptũ, quod ait nõ tantũ homicidia iniusta prohibere, sed etiã uerba iracũda, et gestus maleuolentiã præ se ferentes, & inuidiã aut simultates. Et sextũ, in quo dicit prohiberi non tantũ adulteria, & manifestas uagas libidines & contaminationes corporum, sed etiã interiores prauos motus, etsi nõ in opus externũ erumpant, occasiones impudicitiæ, repudia illicita & iniusta. Octauũ, quod ita enarrat, quòd & periuria & alia iuramenta illicita prohibeat. Postea et septimum declarat, quod præcipiat de patientia in iniurijs, officijs erga alios, eleemosynis & liberalitate, beneficentia erga immeritos, frenatione iræ & uindictæ. Et grauissimam proponit rationẽ, ab exemplo Dei erga omnes, qui Solis luce patitur & malos et bonos frui: & quòd mansuetudo erga inimicos nostros, præmia apud Deum consequatur. Matth. 5. Quarta pars est, in qua taxat hypocrisin in operibus: ac docet, quomodo sint facienda bona opera, nempe ut non manis ostentatio corã hominibus quæratur, aut præmia secularia: sed in timore Dei ea præstanda, et Deo cõpensationẽ dignã relinquendã esse. Tractat autẽ de eleemosyna, de oratione. et quidem integrã formã orationis tradit, in quã includit et doctrinã de inuocatione, & res petẽdas. Primùm quis sit inuocãdus: nẽpe pater cœlestis, nõ creatura: et pater, nõ tyrãnus odiosus ac metuendus: in cœlis, nõ qui absit, & nihil curet inferiora, aut uni tantũ loco sit alligatus, sed qui ubiq; sit: & simul potẽs fie dare omnis generis bona, siue temporalia, siue æterna. Deinde res exprimit, & quidẽ ordine collocat. Priores et omniũ amplissimæ sunt spirituales, ut uidelicet nomẽ Dei innotescat, ac sanctificetur in cunctis hominibus. Nomen autem Dei in uerbo expressum est: ideoq; totum uerbum ab ipso Deo patefactum & traditum complectitur: ac sine uerbo Dei homo ignorat Deum, et est quauis bestia furiosior. Petimus igitur uerbi illustrationem: et simul, ut ea omnia quæ in nobis & extra nos cõspurcant nomen Dei, ut sunt falsæ opiniones & hæreses, uel illustrentur, uel auertantur.

Cum autem caro nostra reluctetur, Diaboli præstigiæ sint horrendæ & potentes: ideo petimus, ut Deus regat suũ uerbi ministeriũ, nosq; totos regeneret, & uires subministret, quæ in nobis sine ipsius numine non existunt.

Petimus etiã, ut ea quæ Dei uoluntati resistũt, siue in nobis, siue extra nos, coherceat & immutet. Inde de effectu uerbi, eiusq; regiminis solicitamus, ut uoluntatẽ Dei exequamur, tum spiritualiter, tum corporaliter: sicut beati angeli in cœlis, ne simus hic uasa iræ, mancipia Diaboli, sed organa misericordiæ. Posthæc transcendimus ad corporalia, uno uocabulo panis, omnis generis bona corporalia, ad hanc præsentẽ uitam necessaria, petentes: qualia sunt, ualetudo, sensuum rectitudo, uictus, benedictio frugum omniũ & animantiũ, aer salubris, conseruatio coniugiorũ, liberorũ, familiæ, magistratus, pax, amicorũ coniunctio. Petimus, ut Deus contraria auertat. Ineptũ est, panẽ ad Eucharistiã transferre, licet id plurimi fecerint. Mox autẽ rursus inijcitur mentio rerũ spiritualiũ, ut meminerimus omnia nobis ex gratuita Dei misericordia cõtingere: ideoq; etiã in rebus corporalibus debere præluce re fidem in Christũ, petentẽ remissionẽ peccatorũ gratis, propter mediatorẽ. Attexitur præterea admonitio, ut nos quoq; dilectionis erga proximũ simus memores, non exerceamus inimicitias aut uindictas. Porrò petimus, ne Deus frena laxet Diabolo, nobis indesinenter insidias & exitiũ struenti: et alioqui nos gubernet, ne in tetra pec cata ruamus, ne ue in periculis aut afflictionib. succumbamus. Deniq; omnia in unũ cumulũ colligentes, petimus, ut à cunctis malis siue corporalib. siue spiritualibus, nos miseros homines in ista miseriarum ualle perpetuò infestantibus, clementer liberet, & in uitam æternam uereq; beatam collocet. Hæc confirmantes, concludimus: Tuum enim est regnum & potentia & gloria in secula, Amen. Hæc in historia Christi, non alienum est recitare et discere. Commonefacit etiam Christus hac in parte de ieiunio.

Quinta pars est grauis adhortatio et doctrina, ut uera bona, nempe spiritualia & æterna, comparentur potius, quàm temporalia. Hæc enim caduca esse, & auferre cor, quod soli Deo debebat adhærere. Et monet, res scandalosas uitãdas esse, illa uerò bona esse æterna. Ait impossibile esse, duobus dominis simul uacare, aut addictum esse. Deinde, quo magis ostendat non esse pietatis, tantopere rerũ corporaliũ cura teneri: proponit consolationũ argumenta, primùm à maiori: Animã seu uitã dedit Deus, Ergo & uictũ ad eam sustentandã. Secundũ à prouidentia Dei, eiusq; cura erga uiliora animalcula, quàm sunt homines: ut uolucres, quæ omnes cõseruantur & aluntur, licet nõ conuehant uictus copiã. Tertiũ, quòd inani solicitudine nos excruciemus, à cõparatione trahit argumentum: Staturã nos nõ possumus mutare, sed à Deo est: itaq; credamus, eum quoq; uictũ præbiturũ esse. Quartũ, ab exemplo florum & herbarũ, quæ mirificè exornantur à Deo, ac prouidentiæ diuinæ testimoniũ ferunt. Quintũ, gentes, ignaros Dei, ita anxios esse de sustentatione. Sextum, esse frustraneã macerationẽ. Non autẽ prohibet labores, nõ curã parandi uictũ ordinariã, sed diffidentiam, & nimiũ rerũ corporaliũ desideriũ & amorem. Deniq; pulcherrima sententia, ordinem rerum expetendarũ tradit: Quærite, inquit, primùm regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Matth. 6.

Sexta pars, est doctrina de forma iudiciorum, ne iniquè iudicemus. Ratio, ne idem nobis eueniat. Deinde, posse fieri, ut magis simus culpandi, quàm alij: ideo quemlibet à se debere initium iudicij sumere. Hac nimirum ratione fore, ut temperantius & mitius simus proximum tractaturi.

Septima pars, est admonitio ad ministeriũ uerbi pertinens: cuius res uocat sanctum & margaritas, ne indignis seu impœnitentibus prostituantur. Rationes sunt: Primùm, ne contumelioſe uerbũ Dei tractent, quasi pedi-

bus margaritas cõculcantes. Altera, ne inflammati odijs, persecutiones exasperent, sicut canes lacessiti mordent.

Octaua pars, rursus continet doctrinam de oratione: nempe quòd ea sit Dei uoluntas, ut in nostris necessitatibus eum inuocemus. Deinde attexuntur promissiones, quòd Deus certò sit exauditurus & largiturus bona nobis necessaria. Eam uerò promissionem amplificat à collatione: Parentes rogati à liberis, non denegant petita: multo uerò minus pater ille cœlestis.

Nona pars, est præceptum generale de dilectionis operibus, ac summa legis.

Decima, est adhortatio ad sectanda pietatis studia, & consectandam uitam æternam: & monet, ne periculis absterreamur, item multitudine pereuntium. esse enim uiam angustam, & paucos eam inuenire.

Vndecima, est præmonitio de uenturis falsis doctoribus. Docet, quali specie sint uĕturi: nempe honestissima. quo fine, ut rapiant ac lanient, nõ aliter grassantes ac uoraces lupi. Tradit præceptum, quòd uitandi: quam quidem ad rem iudicium falsorum dogmatum necessariũ est. Præscribit regulam: A fructibus eorum cognoscetis eos. et monet, tam impossibile esse, eos bonos fructus gignere, quàm spinas uuas, aut tribulos ficus producere. ac minatur eis interitum, quòd non sint diu duraturi.

Duodecima, hac occasione docet de hypocrisi, quòd nemo debeat ea seduci, uel etiam externa alicuius specie, quamuis ille sit eximiè doctus, aut miracula etiam faciat. Ratio est; Deum enim in extremo iudicio non habiturũ istorũ donorũ rationẽ: & eos omnes qui operati sunt iniquitatẽ, absq; pœnitentia, à se repulsurũ esse. Ista iam, & quæcunq; hactenus tradiderat, cõcludit generali adhortatione et institutione, ut et audiantur uerba ipsius, & fiãt. Ratio est: Nam tali modo in aduersitatibus consisti posse. Verùm eam rationem cõparatione effert, sumptã à domo in petrã collocata, quæ aduersus omnes tempestates firma consistit. Deinde ponit antithesin: eum qui tantũ audiat uerbũ, & non faciat, hoc est, sit securus, esse similem domui positæ in arena, quæ uentis & inundationibus facilimè moueri & euerti posit.

Hisce concionib. auditis, uehementer eius doctrinã admirantur. Non enim tam frigidè docebat, sicut scribæ, opinionib. falsis dementati: Matt. 7. Aliqui sentiunt, hunc montem uix duobus miliaribus à Capernao abfuisse. Verùm incerta, nullius q; momenti, missa facimus.

Finita cõcione, quæ maioris erat momẽti, adiungit miracula, tum ut ornarent suam doctrinã, tum etiã cõfirmarent: & præterea ostenderent euidentissimè, Christũ non modò hominẽ: sed et Deũ, uerumq; Messiã esse: omnia mala, quæ peccatũ tanquã diluuio in gen⁹ humanũ inuexit, ablaturũ esse. Hic autẽ primũ se offert leprosus, in itinere fortè occurrens. Nam quia contagioso laborabat morbo, & alioqui lege ab hominũ frequentia arcebatur, consentaneũ est eum uel concioni nõ interfuisse, aut à longè auscultasse. Præclarã autẽ fidẽ prodit, in eo quòd à Christo liberationẽ à lepra expetit, eiq; facultatem attribuit, quam norat neminẽ aliũ habere: nempe in momento tantam corporis corruptionẽ tollere. Interea tamen, ut in re corporali, sese uoluntati Christi subijcit: paratus eam crucem longius ferre, si nõ uideatur Christo, sibi opem ferre. Delectatus aũt Christus tam præstãti fide, promptissimè respõdet: Imò uolo, mũdus esto. Dictũ ac factũ homo mundus ac sanus existit: eumq; ad sacerdotes ablegat, nõ tantũ p more Iudæorũ, sed ut hæc miracula Christi expenderẽt.

Doctrinas in hac historia propositas excutere, nõ quidem huius instituti est: sed tamẽ insignis Christi promptitudo ad ferendũ auxiliũ, rectè inuocantibus, fidem nostrã excitare debet. Et certè potẽtia Christi immensa, qua ostendit se peccati uires destruere, digna est consideratione. Constituitur autem à quibusdam circa hæc tempora, finis primi anni prædicationis Christi.

Ingressus rursus Capernaũ, centurionẽ quendã habuit obuiũ, qui rogat auxiliũ paralytico seruo: & tam præstanti fide præditus est, ut ostendat se uerbis Christi eam uirtutẽ tribuere, ut quicquid dicat, id certò sit euenturũ. Qua quidẽ cõfessione motus Christus, egregiè eius fidem celebrat, & præfert eum filijs Israel, docens ita de uocatione aliarũ gentiũ. Deinde conuersus ait: Sicut credidisti, fiat tibi. quo dicto, æger seruus conualescit. Matth. 8. Deinde Sabbatis in synagogam se confert, ibiq; palàm docet tanta dexteritate & autoritate, ut omnes in sui admirationem trahat.

Accidit aũt quodã tempore, ut post quã Sabbato in synagoga docuisset (sæpius enim id eũ fecisse, ex uerbis Euangelistarũ apparet) ut in synagogã ueniret homo immundo spiritu obsessus. is uociferabatur de IESV, quòd uenisset ad Diabolos perdendos: et se scire, q, esset sanctus Dei. Sed nolens recipere testimonium à Diabolo IESVS, ilico præcepit, ut cacodæmon taceret, & ab homine exiret: id quod factum est. Omnes autem tum magis admirabantur, & fama eius per totam Galilæam diuulgabatur.

Synagogam egressus IESVS, socrum Petri uisitat, febri conflictantem. quam simulac tetigit, pristinæ sanitati reddidit. Marci 1. Lucæ 4.

Sub uesperam plurimi ægroti et dæmonibus obsessi ad Christum perducti sunt: quos quidem omnes uerbo, imposita manu curauit. Et huc applicat Matthæus Esaiæ dictum cap. 53. Ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portauit. Matth. 8. Marci 1. Lucæ 4.

Altero die summo mane in locum desertũ secedit, preces suas ad Deum quàm ardentissimè fundens. & apparet eum sæpius id facitasse, ut oraturus ab hominũ frequentia sese parumper auelleret. Sequuntur autem eum Simon & cæteri sodales, hominumq; caterua nõ parua, miraculis eius excitata. Verùm Christus ibi in uicinas regiones excurrit, in synagogis Galilææ palàm doctrinã cœlestem spargens, & dæmonia potenter ejciens. Marci 1. Luc. 4.

In hac peregrinatione, ait Marcus cap. 1. leprosum uerbo Christi sanatum esse. Admodum autem similis est hæc historia, ei quam Matth. cap. 8. ante centurionẽ cõmemorat. Sed non dubium est, similes historias plurimas accidisse. Hæc autem facta, per omnia loca iam celebrata, tantam acciuerunt hominum multitudinem, ut ciuitatem ingredi non posset: fortè ueritus, ne à magistratibus politicis alicuius seditionis insimulari posset. Ideo foris se aliquandiu cõtinet, in locis minus frequentib. degens. Mar. 1.

Accidit autem quodam tempore, ut turbis & multitudine concionum defatigatus, iuberet discipulos trajicere. Priusquam autem nauim conscendunt, Scriba deferens suam operam, ait: Magister, sequar te quocunq; ieris. At ille ei prædicit: Se esse pauperẽ, nec posse apud se magnas diuitias uenari. Alij rursus roganti, ut saltem Dominus ei concedat mortuum parentem terræ mandare: dicit, ut se se-

se sequatur, & mortuos sinat suos sepelire mortuos: nõ prohibens quidẽ Stoicè affectus humaniores erga suos, sed ostendens hanc uocationẽ cæteris rebus anteponendam esse. Posthæc IESVS stipatus discipulis, nauim ingreditur, seq; mari committit. Fit autem, ut exorto uento sæuissimo, nauicula propemodũ fluctibus obrueretur. IESVS uerò quasi rebus omnibus saluis & tranquillis, dulcem capit somnum. Discipuli mortis periculum adesse cernentes, excitato Christo clamant: O salua nos, perimus. IESVS eos de fidei infirmitate increpat: & confestim surgens, mari ac uentis imperat, ut sedentur. neque irrita uox est, sed parent creaturæ inanimatæ, summaq; efficitur tranquillitas. Cum appulisset autem ad regionem Gergesenorũ, duos dæmoniacos in monumentis habitantes, sæuitiã in prætereuntes immanem exercentes, à Diabolis liberat: ac permittit Diabolis, uti rogabant, ut in porcorum gregem (erant autem fermè bis mille) impetu facto, ad unum omnes in mare præcipitarent. Hac re nunciata per pastorem in ciuitatem, egressi ciues rogant IESVM, ut ab ipsorum finibus discederet: metuentes fortè & reliquis suis porcis, ne præsente Christo eos amitterẽt. Malũt igitur Christi quàm suorũ porcorũ iacturam facere. Prohibitum erat Iudæis, ne suilla uescerentur: nihilominus hic porcos alunt, proculdubio lucri gratia, ut uicinis gentib. uenderent. Ideo Christus eos hic punire uidetur, Matthæi 8.

Hinc rursus transfretat. et cum aliquãdo ad mare Genesaret staret, & turba undiq; non exigua colligeretur ad audiendũ uerbũ Dei, nauiculam Simonis ascendit, ac turbã in littore stantẽ docet. quo pfecto, præmiũ locati suggesti redditur, iubet Simonẽ explicare retia in alto mari. Simõ, etsi sentiebat ista cum piscatoria arte minimè quadrare: tamẽ uerbo Iesu se pariturũ ait. Quid fit? mox immissis retibus, tantus piscium numer° cõcluditur, ut rete rumperetur: et aduocatis socijs, duæ nauiculæ piscib. implerentur. Hoc miraculo Petr° motus, ad genua IESV prouoluitur. Sed Christus ait, eum posthac piscatorem hominũ fore. Spectatores huius rei sunt Iacobus et Iohannes: qui et ipsi postea Dominũ sequũtur. Luc. 5.

In hoc itinere, priusquã Capernaũ ingreditur, rursus leprosum sanat. Etsi autẽ propemodũ uidetur cõuenire cũ ea historia quæ Matt. 8. descripta est, tamẽ nõ est dubiũ eadẽ sæpi° accidisse. Fortè tamẽ et Lucas nõ tã accurate tẽpus historiarũ ab alijs cognoscere potuit. Luc. 5.

Ingressus ciuitatẽ Capernaũ, latère diu haud potuit. Mox igitur fama de eius præsentia diuulgata, caterua-tim ad eum accurrunt, partim ut docentẽ audirent, partim ut curationes morborũ ab ipso impetrarẽt. Accidit autem, ut quatuor paralyticũ apportarent: quem cum ad Christũ ferre non possent, tectũ ædium patefaciunt, inde hominẽ demittentes. Prædicat autem fidem eorum Euangelista. Iesus uerò ostendẽs palàm, qualis esset Saluator, aut auxiliator, aut medicus, initiò ei remissionem peccatorũ claris uerbis annunciat: qua quidẽ re monebat, morbos ex peccatis scaturire, quæ omnes homines iam peruasissent: seq; eum fontem morborũ, hoc est peccata ablaturũ. Scribæ ac Pharisæi audientes, tam manifestè remissionẽ peccatorũ annunciari, blasphemiã indicant esse: uerùm effari non audent. Hic Christus ipsorũ etiã cogitationibus, tanquã uerus Deus, perspectis, sine pauore eos obiurgat. & mox iubet paralyticum surgere, lectumq; proprium leuare, absolutionem hanc suam illustri miraculo confirmans, uocationemq; suam egregiè ornans. Matth. 9. Marci 2. Lucæ 5.

Egressus rursus ad mare, docet multitudinem. Deinde præteriens, conspicit Matthæũ, (quem Leui Alphæi Marcus nominat, Lucas tantũ Leui) ad teloniũ sedentem. eum mox uocat, iubens se sequi: idq; protinus facit. Matthæus IESVM conuiuio excipiens, alios quoq; suæ professionis homines, nẽpe publicanos, inuitarat: quos cæteri Iudæi ob quæstũ et exactiones, pro peccatoribus habebant. Id pharisæi & Scribæ uidentes, criminantur: quasi nefas esset, cũ peccatorib. cibũ capere. At IESVS palàm affirmat, se Pharisæorũ iusticiã auersari, & peccatores agentes pœnitentiam promptissimè accipere.

Paulo pòst discipuli Iohannis quærunt, quare ipsi et pharisæi ieiunẽt, Iesu aũt discipuli nõ ieiunẽt, eaq; re uideãtur alijs esse scandalo? Sed Christus respõdet, nullam nũc eis necessitatẽ incũbere, ac ieiunaturos postea Christo sublato. quo quidẽ responso etiã hoc subindicare uoluit, spontaneã ieiunationẽ nõ esse cultũ Dei. Lucas hãc interrogationẽ tribuit pharisæis, quæ statim in cõuiuio sit facta. Verùm cæteri diuellũt, Matt. 9. Mar. 2. Lucæ 5.

Interim dum hæc aguntur, princeps quidã ad Christum uenit, querula uoce exponens, suam filiam esse defunctam: ac rogare, ut imposita manu, eam uitæ restituat. Quisquis ille fuit, illustris sanè in eo fides fuit, tribuens Christo & misericordiã, & potentiam infinitam. IESVS mox comitatur principem. Dum autem sunt in itinere, hæmorrhoissa attactu uestimenti IESV mirabiliter sanatur. Deinde domum principis ingressus, extinctam eius filiam uirtute uerbi sui, absq; mora in uitã reuocat: quæ res præclaram de Christo famam excitat.

Discedens inde, duos cæcos sese inclamantes uera fide, ut recipiant uisum, iuuat. Non multo pòst & dæmoniacũ mutũ sanat. Turbæ tantis miraculis obstupefactæ, liberè profitẽtur, nunquã sic in Israel apparuisse. At Pharisæi calumniabantur, sine fronte & contra conscientiam dictitantes, esse diabolicas impostoras et illusiones. Non tamen absterreri se tam iniquis iudicibus et traductionibus patitur: sed passim castella & ciuitates adit, in synagogis, ipsis Sabbathis, palàm docens, & innumeris miraculis sese declarans. Videns præterea populum ueris doctorib. destitui, et horrendas tenebras in doctrina grassari, monet, ut Deus de mittẽdis salutarib. doctorib. interpelletur: subindicãs, peculiaria et magna Dei dona esse, doctores ueraces esse, & idoneos contrà, pœnã Dei ingentem esse, quando doctores ipsi cæcutiãt, & falsis opinionibus sint quasi fascinati. Matth. 9.

DE SECVNDO PASCHATE À baptismo Christi.

ADuenit interea rursus dies Iudæorũ festus, qui putatur esse Pascha: eo quòd in Samaria Ioh. 4. Christus dixerat, quattuor menses abesse ad messem, quæ inter Pascha & Pentecosten in Iudæa fiebat. Alij Pentecosten opinantur fuisse. sed nos sententiã de Paschate sequimur. Ascẽdit igitur IESVS Hierosolymã, ibiq; hominẽ uigintiocto annos ægrotantẽ, ad Probaticam piscinã, quæ Bethseda cognominatur, uerbo sanat. Postea in templo eum docet, ne ruat in peccata, & maiores pœnas sibi accersat. Erat autem tum dies Sabbati.

Iudæi igitur uidentes, eum hominem tollere lectum

ſuũ, dementati ſuperſtitione, conantur prohibere eum, ne id propter ſabbathi obſeruationem faciat. At ægrotus recuperata ſanitate, ait: ſibi hoc à ſuo benefactore eſſe præceptum. Iudæi poſtea IESVM, tanquam uiolatorem Sabbathi, grauiter incuſant. Sed IESVS reſpondet, ſe facere hoc iure, tanquã Deũ, & mandato patris. Cum autẽ iſti magis offenderentur, incipit eos grauiſſima concione erudire, quòd miſſus ſit à patre, ut uoluntatem patris exequatur: quòd ſit æqualis patri: quòd ſint ſua opera, nempe uiuificare, omnia iudicare, uitam æternã dare, reſuſcitare mortuos: quòd fide in Chriſtũ contingat remiſſio peccatorum, et uita: quòd habeat teſtimonia patris cœleſtis, & Iohannis baptiſtæ, & propria opera. Taxat ipſorũ cæcitatẽ et obſtinatiã. Deducit eos ad Scripturam, & ait eam de ſe teſtificari. Ioh. 5.

Sabbatho, quod Lucas δευτεροπρωτον nominat, per ſata tranſeũte IESV, diſcipuli eius auulſis ſpicis comederunt. quod conſpicati Phariſæi, mox exclamant, Sabbatum eſſe uiolatum. Sed Chriſtus eos defendit, primùm ab exemplo Dauidis. 1 Reg. 21. qui coactus neceſſitate, ſacros panes, qui propoſitionis panes appellabantur, comederit. Deinde à fine ſabbati, quod propter homines eſſet inſtitutum. Tertiò, à ſua autoritate, quòd eſſet Sabbathi Dominus. Marci 2. Lucæ 6.

Alio Sabbatho ingreſſus ſynagogam IESVS, docendi gratia, contra Phariſæorum reliquorum ſuffragia, quendam aridam habentem manum ſine mora ſanat, docens, non eſſe prohibitum ſabbato benefacere. Et erant eius miraculoſæ & repentinæ ſanationes ipſiſſimæ & religioſiſſimæ ſabbati obſeruatiões, quib. Meſſias uerus ſeſe patefaciebat, & ornabatur eius doctrina. Plurimi etiã ea occaſione conuertebantur: nec impediebant iſtã ſubita miracula, ullas actiones ſabbati. Mar. 3. Luc. 6.

Phariſæi impatienter reprehenſiones Chriſti ferentes, inuidebant eius factis, quibus ſubinde maiorem ſibi autoritatem & gratiam conciliabat: quæ res Phariſæorum autoritati plurimùm derogabat. Itaq; cum Herodianis aduerſus Chriſtũ conſpirant, ac de nece eius conſilia clàm agitant. IESVS autem inſtidijs animaduerſis, ad mare ſecedit: ac magnus hominũ numerus à Galilæa, à Iudæa, Hieroſolymis, Idumæa, trans Iordanẽ, circa Tyrum & Sidonem, ad eum accurrit. Docet autem eos ex naui, ſanat plagas, & dæmoniacos liberat. Marci 3.

Poſtea montem aſcendit, & integram noctem orando tranſigit. Erat enim Apoſtolos delecturus in miniſterium Euangelij, propediem in uniuerſum orbem terrarum propagãdi. Cum autem illuxiſſet dies, duodecim uiros ex reliquorũ multitudine diſcipulorũ ſuorũ, peculiariter euocauit ac delegit. Traductos aũt in montẽ, Apoſtolos eos creauit atq; cõſtituit, data poteſtate, ut et ipſi miſſi à ſe prædicarent. cõtulit eis quoq; donũ faciendi miracula, quibus & ornaretur doctrina Euangelij, ac confirmaretur, & plures Chriſto lucrifierent.

Nomina Apoſtolorum hæc ſunt: Petrus, & Andreas frater eius: Iacobº Zebedæi, et Iohannes eius frater: Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Lebbæus cognomento Thaddæus (Lucas nominat eum Iudam Iacobi) Simon Cananæus, & Iudas Iſcariotes poſt factus proditor.

Obſeruandũ autem eſt, hic tantum peculiarem uocationem Apoſtolorum deſcribi: nempe ut ſolummodo in Iudæa Chriſtum in plantanda & propaganda Eccleſia iuuarent. à reſurrectione demum uniuerſales præcones conſtituuntur. Ideo expreſsè mandatur, ne in uias gentium & ciuitates gentium abeant. Debebat enim omnium primò Iſrael uocari. Ipſe tantum Chriſtus gentes adit, ac recipit, & beneficijs afficit. Duodecim leguntur, fortè ad patriarcharum ſeu duodecim tribuum populi Iſrael numerum. Sed hæc incerta ſunt. Etſi autem rudes homines initiò uocauerat, tamen in ſua ſchola cæſti doctrina imbuerat, et deinceps quoq; inſtituit: nec ſinit eos, articulos fidei pro arbitrio fingere: ſed accepta et tradita tantum ex ore Chriſti, alijs fideliter proponere iubet. Matth. 10. Marci 3. Lucæ 6. Formam etiam doctrinæ præſcribit, ut annuncient, regnum Dei iam appropinquare. Aliquanto autem prolixius eos ad munus tam arduum inſtruit: Ne cauponentur uerbũ Dei, et eius dona: ne auariciæ ſtudeant, ipſos habituros eſſe corporalem ſuſtentationem ex hac functione: ne temerè contemptoribus Euangelium prædicent: ſalutem precentur, ubi eſſent concionaturi: faſtidientes uerbum Dei, relinquant. Norint ſe in odio propter miniſterium uerbi futuros etiam deinceps, & perſecutionem laturos tum à doctoribus falſis, tum à potentibus huius ſeculi: ne propterea abijciant ueræ doctrinæ profeſſionem. Sciant Spiritum ſanctum ipſis affuturum in confeſſionibus: item aliàs erga pios, impios ſæuituros, etiã cognatos in cognatos. Monet, ut perſeuerẽt. Dat eis poteſtatẽ fugiendi in alias ciuitates. Accipiebant enim Apoſtoli peculiare mandatum poſtea, ut ubiuis gentium docerent, nec in una ciuitate perpetuò immorarentur. Prædicit Chriſtus, perſecutiones non ceſſaturas erga omnes credentes, uſq; ad extremum diem. Proponit ſuum exemplum, ne tantopere abhorreant à cruce, ſed palàm Euangelium prædicent. Deinde etiam docet, ipſos ſibi curæ fore, & habituros præmia in altera uita. Contra hoſtes uerbi, & abnegatores, conſecuturas etiam ſuas pœnas. Hæc aliquanto prolixius inculcat, ut omnes externam ſui regni formam agnoſcant: deinde, ne diſcipuli, aut quiſquam alius, ſibi perpetuam ac florentem ſecuritatem in eo fingat. Deniq; docet, ſe remuneraturũ beneficia, quæ in ſuos doctores fuerint collata. Matth. 10.

Cum iterum à monte deſcendiſſet, turbæ maximæ ad eum colliguntur: & ægroti uel ſaltem eum attingentes, ualetudinem recuperant. Dehinc ipſos docet de cruce, quòd non ſit futura perpetua, & quòd ampliſſima præmia debeant expectare. De uita æterna, de pœnis impiorum & perſecutorum: licet hic aliquandiu floreant, & rerum omnium copia affluant. De tolerantia in afflictionibus, & ne uindicta priuato affectu illegitimè expetatur: de eleemoſyna, de condonãdis offenſis, de ordine iudicandi alios: de bonis operibus, et qui poſſint ea præſtare, nempe prius effecti boni, ſumpta comparatione ab arboribus: quomodo ſit uerbum Dei audiendum, & de præmijs eius rei: de exitijs eorum qui ſunt ſecuri. Repetitur autem cõparatio de domo, quæ Mat. 7. recitata fuit. Non enim potuit aliter fieri, quin crebrò ijſdẽ ſententijs & cõparationibus uteretur. Luc. 6.

Finita cõcione, Capernaũ intrat: ubi Centurio quiſpiã, habens ſeruũ iam animã agentem, ſeniores Chriſto obuiã mittit, obſecrãs, ut hunc ſeruũ à morbo liberaret. Sed cum ferè domui appropinquaret, iterũ alios amicos ad ei-

ad ipsum Dominum ablegat, qui indicarent se non esse dignum, ut IESVS sub tectum suum ueniret: se credere, eum uerbo absentem posse seruũ seruare. Hanc præstantem fidem Christus admiratus, euestigiò seruo sanitatem reddit. Testantur autem circumstantiæ, hunc alium fuisse ab eo qui Iohan. 4. describitus est.

Alio tempore ciuitatem Naim, non ita procul à Capernao distantẽ, ingressurus erat IESVS, stipatus tum discipulis suis, tum alijs quoq; hominibus. ibi uiduæ unicum filium, qui modò cum maximo luctu efferebatur mortuus, suo loco humandus, potentia sua in uitã reuocat: quæ res longè sparsa fuit, & maximam de Iesu famam concitauit. Lucæ 7.

Dum ista geruntur, Iohannes in carcere ab Herode detinetur: quæ tamẽ captiuitas est eiusmodi, ut discipuli eius, fortè etiã alij homines, liberũ ad eum haberent accessum, ac posset inde quoq; docere. Miraculorũ itaq; magnitudine & copia moti, qui à Iohanne adhuc tanquã eximio doctore pendebant, ad eum deferunt, quanta iam IESVS passim efficiat. Iohannes non ignarus Messiæ, eiusq; operum, neq; etiam sui finis nescius, discipulos suos ad ipsum IESVM ablegat, ut coràm ex ipso discãt, quod esset Messias uerus. Sciebat enim, quòd difficulter à se diuelli possent. Consentaneum certè nõ est, quod aliqui opinantur, Iohannem ipsum dubitasse. Non potuit enim suarum rerum & demonstrationum, item mirandæ patefactionis, quæ in Iordane accidêre, tam citò obliuisci. Discipuli Iohannis ad Christum uenientes, & exponentes quæstionem, sicut à suo præceptore acceperant, deducuntur ad præsentia miracula: ut quæ prorsus eo modo, quo iam fiebant, erant prædicta Esa. 35. & alibi. Digressis rursus discipulis, IESVS Iohannem cõmendat, quòd sit uerus & constans doctor: quòd prædictus fuerit à Malachia cap. 3. quòd inter natos mulierũ nõ fuerit maior, officio nimirũ, præsentẽ Messiam uoce & digito cõmonstrans: legem & prophetas in eo terminari: esse Eliam alterũ. Miscet tantum tristes gemitus, quòd ista summa beneficia, quæ iam Deus cõferat, nihili ducantur: minatur etiam pœnas. Matth. 11. Lucæ 7.

Aliò autẽ tempore considerans beneficia, quæ misso iam saluatore toti mundo contingerent, gratias agit Deo patri suo: & significat, apud paruulos tantum ea locum habere, docet, omnia sibi tradita: nullum patrem nosse, nisi filium, & cui ipse uelit reuelare. Docet, se peccatoribus adferre & largiri refectionem, hoc est remissionem peccatorum, & iusticiam. Addit & commonefactionem de cruce. Matth. 11.

Interea inuitatus à Pharisæo, à quadam muliere ad mensam ungitur: quæ & lachrymis eius pedes rigans, capillis exiccat, eosq; exosculatur. Pharisæis offensis hoc facto, eo quòd peccatricem norant hanc mulierem esse, ex effectu declarat, eam uerè egisse pœnitentiam, ac fide consecutam remissionem. Annunciat etiam publicè Christus ei remissionem peccatorum. Nequaquam autem dilectioni, tanquam merito, remissio peccatorum hic tribuitur: sed Christus testatur, dilectionem eius indicium esse, quòd peccata ei plurima sint remissa. Quæ autem fuerit hæc mulier, incertum est. Lucæ 7.

Alio tempore transit rursus per sata: ubi Apostolis fricantibus spicas, pharisæi criminantur eos, quasi commune sabbatũ fecissent. Sed Christus docet, eos non peccasse. Ac primùm allegat exemplum Dauidis 1. Reg. 21. Secundò, exemplum sacerdotum, qui mactatione uictimarum, ipso die sabbathi, nõ peccent. Tertiò, citat testimonium Oseæ 6. Misericordiam uolo, & non sacrificium. Quartò inquit, sese dominum esse Sabbathi. Similem historiam etiam suprà commemorauimus.

Inde cum in quandã synagogã uenisset, cuiusdã aridam manũ curat: ac probat, se, licet sabbathũ esset, rectè fecisse: idq; à minori ad maiꝰ. Brutũ animal illapsum in puteũ, licet inde extrahere: ergo & hominem sanare. Hanc quoq; diuersam à superiore credimus. Nam certis temporũ interuallis, plurima similia inter se acciderũt.

Pharisæi accensi odio erga Christum, tum propter doctrinam & necessaria facta, tum quia subinde audiebant se perstringi et damnari, consilia clàm inter se cõferunt, quomodo eum de medio tollere possent. Ob hæc insidias Iesus paulisper secedit, non intermittens ea quæ ad suum ministerium pertinebant: subinde docens, ac miracula præstans. Allegat autem Euangelista Esaiæ locum ex cap. 40. Ecce puer meus, &c. Matth. 12.

Defatigatus Christus assiduis concionibus, nonnihil secedit. Sui uerò eum sequuti, retinere conantur, ac si mente perturbatus esset.

Dæmoniacũ autem quendam liberat. quod pharisæi mox criminantur, dicentes hæc per Beelzebub diabolorum principem fieri. Sed eam calumniam grauissimis causis retundit Christus. Primùm, quòd impossibile sit ita esse, cum inuitum ac reluctantem Diabolum eijciat, nec colludat cum eo. Secundò, ab exemplo reliquorum Iudæorum, quos non ita criminantur Pharisæi. Tertiò, se spiritu Dei eijcere. Quartò, se tanquam uictorem, Diabolum expellere. Deinde peccata ipsorum exaggerat, quòd peccent in Spiritum sanctum, et æternas eis prædicit pœnas. Docet etiam, ociosa uerba Deum seueriter puniturum esse. Quærentibus signum de cœlo, respondet se passurum, & tertia die resurrecturum: sicut in typo Ionæ esset expressum. Comminatur æternũ exitium. præterea et hanc pœnã eis indicat, quòd sint futuri mancipia Diaboli. estq; grauissima cõminatio, de spiritu, adsumptis alijs septem, reuertente in domum.

Interuenientibus matre sua & fratribus, palàm docet, omnes esse matres suas & fratres, qui uerbum suum audiant, & faciant. Matt. 12. Marci 3.

Non diu in uno loco subsistit IESVS, sed adit uaria loca, spargens doctrinam suam saluificam, & miraculis comprobans. Habebat autem in comitatu discipulos duodecim. Sequebantur eum & mulieres quædã: ut Maria Magdalena, de qua septẽ cacodæmones expulerat: Iohãna uxor Chusæ, procuratoris Herodis: Susanna, et aliæ, IESV de suis facultatibus ministrantes. Lucæ 8.

Cum autẽ aliquando esset ad mare egressus, nauicula ascensa, inde turbã docuit. ubi parabolã de seminãte & semine proponit, quam postea discipulis edisserit: et causas reddit, quare parabolis utatur, allegata prophetia Esaiæ cap. 6. & Psalm. 77. Docet de confessione, comparatione à lucerna sumpta. Addit & alias parabolas, de zizanijs, sinapi, fermento: & ait, similem eis esse Ecclesiam, seu regnũ cœlorũ. Vbi domũ uenisset, parabolam de zizanijs discipulis interpretatur: adiunctis similitudinibus de thesauro, de margarita, de sagena piscium. Matth. 13. Marci 4. Lucæ 8. Hic rursus mã-

tcy

ter & fratres eius ad ipsum ueniunt: ac denuò docet, omnes credentes se prò cognatis habere. Lucæ 8.

Vesperi ascendens nauim uult transfretare, & erant unà plures naues. exorta autẽ tempestate, ipse dormit. Sed excitatus, mare & uentos uerbo suo compescit.

Venit in regionẽ Gadarenorũ. ibi dæmoniacũ legione diabolorũ obsessum, uerbo liberat: qui emissi in porcos, eos suffocarunt in stagno. Qua de re certiores facti Gadareni, metu perculsi, IESVM, ut inde discederet, rogãt.

Iairus archisynagogꝰ, ubi IESVS rursus mare nauigio transisset, rogat Christũ ut filiolã unicã, iam luctantem cum morte, iuuaret. Inter eundũ, quædam mulier profluuio sanguinis laborans, cõtacta ipsius ueste sanatur. Mortuã deinde puellã uerbo suo resuscitat. Lucæ 8. Etsi aũt suprà similes historiæ recitatæ sunt, tamẽ, quod sæpe iam admonuimus, non est absimile uero, sæpius talia recurrisse: in quibus admodum paucæ circumstantiæ uariarunt. Si cui alia sententia arridet, tantum meminerit, hic non esse conflictionem de articulo fidei: & eum, cum nostra gratia, suo sensu posse delectari.

Inde reuersus in patriam, in Synagoga sabbati die præclarè docuit, ita ut omnes obstupescerent. Sed scandalisantur, quòd tam à tenuibus parentibus originem haberet. Pauca ibi miracula Christus fecit, propter incredulitatẽ ipsorũ. Matth. 13. Marci 6. Hic quidam secundi anni prædicationis Christi finem statuunt.

Ex hoc tempore è duodecim numero, quos in Apostolos cooptauit, cœpit binos mittere ad prædicandum regnum Dei, seu pœnitentiam, & miracula facienda. Hactenus enim, licet delecti essent, nondum inchoauerant prædicationem. Præcepit autem, ut sint expediti, non grauent se uel uestibus, uel pecunia. Rectè homines erudiant: nec ab eis discedant, donec fundamenta perceperint: à contemptoribus discedant. Hoc mandatum summa fide & diligentia executi sunt Apostoli, docentes homines, & oleo seu balsamo ægrotos ungentes, ac sanantes. Marci 6. Lucæ 9.

Circa hæc tempora, Iohannem baptistam, ob reprehensum eius incestum, crudelis tyrannus nefariè iussit in carcere, in quo eum circiter sesquiannum tenuerat, interfici. Paulo pòst ex suis comperit, IESVM stupendis miraculis sese patefacere, & incredibilem hominum ad eum concursum fieri. ideoq; uarias suspiciones concipit, et occasiones eum uidendi solicitè quærit. Sed Christus non ignarus insidiarum, accepta per Apostolos talium rerum fama, assumptis illis in desertum ciuitatis Bethsaidæ, seorsim etiam quietis gratia concedit. Sed eo cognito, turbæ agminatim sequuntur. Videns autẽ hominum multitudinem, eorumq; misertus, docuit eos, curauitq; infirmos. & facto uespere, cum inedia plerisq; laborare inciperent, eo quòd procul aduenissent, quinq; hordeaceis panibus et duobus piscibus, millia hominum quinq; ita miraculosè pauit ac exaturauit, ut fragmentorum duodecim cophini superessent. Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9. Iohan. 6.

Postea cum populus illectus his miraculosis epulis, meditaretur Christum regem declarare: Christus ea re cognita, ocyus iussit discipulos nauicula trans fretum ire. ipse uerò dimissis à se turbis, abijt in montem ad orandum. Interea discipuli medio mari, ingenti tempestate, ob uentum quem habebant cõtrarium, iactantur. Circa quartam autem noctis uigiliam IESVS mari incedens, tanquam in plana & solida terra, naui paulatim fit propinquior. Discipuli id cõspicati, uehementer consternantur, putantes phantasma quoddam apparere. Sed affatur eos Christus, ac iubet animum recipere. Petrus autem petit, ut & ipse possit super undas ambulare. quod ubi impetrauit, initiò præclarè, & (ut ita dicamus) superbè super aquas graditur. Sed haud procul processerat, ubi uenti uiolentiam experitur, ac spumas procellasq; maris quasi hostes uidet in se irruere. ibi cadit eius animus ac fides, & mox in aqua incipit subsidere, & simul clamare: Domine salua. Extractus igitur, de fidei pusillanimitate accusatur, & uterq; nauim conscendunt. quo facto, tempestas ilico cessat. Iohannes ait, cum uellent IESVM in nauim recipere, iam appulerat in eum quem petebant locum. unde confitentur, eum uerè filium Dei esse.

Venit autem in terrã Genesareth, ubi facto concursu docet, & sanos facit infirmos: et tangentes etiam fimbriam uestimenti eius, liberantur morbis. Matth. 14.

Postridie quæsitus, inuenitur trans mare. & ingressus Capernaum in synagogam, monet eos ne miraculis præcipuè inhæreant, sed quærant uitam æternam: ac docet, quomodo eam debeant consequi, nempe per fidẽ in ipsum. Cum autem occasione miraculosæ cibationis, per quinq; panes factæ, figuratè uitam æternam ac remissionem uocaret panem fide apprehendendum, auditores parum dextrè ista intelligentes, mentionem mannæ injciunt. Christus igitur in eadem metaphora manens, ait se esse panem Dei, ac dare uitã mundo. Docet præterea, quomodo uelit hæc intelligi: nempe quòd credens in Christum, habeat uitam æternam. Item, se resuscitaturum mortuos. Damnat etiam omnes qui non sint in se crediturí. Iudæi uerò audientes ipsum de cœlo uenisse, indignantur, tantum hominem eum esse dictitantes. At Christus pergit docere, se patrem habere in cœlis. Deinde, ab opere uult ipsos coniecturã facere, quis sit. Dicit enim, se in nouissimo die homines resuscitaturum esse. Tertiò dicit, patrem homines conuertere, ut Christum agnoscãt. Quartò, se patrẽ perfectè nosse. Quintò, se dare uitam æternam. Sextò, se carne redempturum esse mundum. Iudæi rursus pro ipsorum crassicie offenduntur, crudele & horrendum existimantes, quod ipsius caro deberet comedi: tantum talem comestionem somniantes, qualis in mensa carnis coctæ aut assæ fit. Christus uerò suam sententiam clarius asseuerat, suam carnem comedendã, et suum sanguinem bibendum esse. atq; effectum insignem addit, quòd uitam æternam ille cibus applicet: quòd Christus in eis qui carnem suam manducent, uelit manere. Postea rursus eos compellat, ista omnia ratione humana metientes: & monet, uerbis suis credendum esse, licet ratio humana capere ea non possit. & confirmat alia sententia, nempe quòd filius hominis esset in cœlum ascensurus. id quod etiam ratio humana consequi non posset, sed fide tantum esset percipiendum. nam uerba Dei certa atq; efficacissima esse. Præterea hæc credere, dicit peculiare donum Dei esse. Nam carnales semper offenduntur, carnalia tantũ sapientes. Fit igitur discessio ab ipso magna. Sed discipuli profitentur, eum esse filium Dei. Ipse autem monet de suo proditore. Iohan. 6.

PASCHA

PASCHA TERTIVM, A BAptiſmate Chriſti.

INcidit interea tertium à baptiſmo Chriſti Paſcha, ad quod non uidetur Chriſtus Hieroſolymam profectus. Metuebat enim Iudæorum inſidias, qui molieban tur eum interficere, tanquam qui religionem ipſorum turbaret. Iohan. 6.

Non potuit tamen à Iudæis immunis eſſe. Sed Hieroſolymis ueniunt ſcribæ & phariſæi, qui uidentes quòd Apoſtoli illotis manibus, contra morem Iudæorum, cibum caperent, mox Chriſtum adoriuntur, traditiones ſeniorum uiolari affirmantes. Chriſtus contrà, ipſorum maiora delicta imitiò reuelat: & dicit ipſos Dei mandata uiolare, ob ſeniorum decreta. deinde Eſaiam cap. 29. de ipſis prophetaſſe, & taxare hypocriticos cultus.

Deinde conuocatis turbis, palàm doctrinam de cere monijs humanis tradit: quòd iſtæ externæ res, quales ſunt omiſſiones lotionũ, aut ſimiles, non coinquinẽt hominem: hoc eſt, non ſint peccata. Grauiora autem eſſe peccata, quæ è corde ſcaturiant. Concionatur etiam de cæcitate phariſæorum, & ipſorum exitio.

Profectus inde eſt in fines Tyri & Sidonis. hic Cananæa, aut (ut Marcus habet) Syrophœniſſæ filiam, dæmonio uexatam, abſens uerbo liberat, probata prius & aucta matris fide: quæ tantã præſtat in fide & oratione perſeuerantiam, omnibus impedimẽtis refutatis, ut Chriſtus ipſe cupidiſſimè ſe uinci paſſus, dicat magnam eſſe eius fidem.

Regreſſus ad mare Galilææ, in finibus Decapoleos, ſurdũ ac mutũ iuuat, reſtitutis ſenſibus. Conſidet in mõte, ibiq; plurimos alios ægrotos ſanat. Mat. 15. Mar. 7.

Cum triduum apud ſe hominũ turbam habuiſſet, ac uerbo ſalutari pauiſſet, tandẽ etiam de ipſorũ uentre ſollicitus eſt, ne in media dimiſſi cõficiantur. Itaq; ſeptẽ panibus, quatuor milia hominũ miraculoſe paſcit, ſupermanentib. reliquijs, quibus ſeptẽ ſportæ replẽtur: teſtificans hoc exemplo, ſe ſuis auditorib. mediocrem etiam corporis ſuſtentationẽ daturũ eſſe. Acciderunt autem iſta haud procul à Capernaum. Matth. 15. Marci 8.

Dimiſſa turba, nauigio traijciens, in fines Magdala & Dalmanutha peruenit. ibi Phariſæi & Sadducæi eum tentantes, orant ut ſignum de cœlo oſtenderet. Sed IESVS eos uocat hypocritas. Deinde ait, ſignum Ionæ ipſis datum iri, de ſua paſſione & reſurrectione typum proponens. Rurſus naui transfretans, docet diſcipulos, monens ut ſibi caueant à fermento Phariſæorum & Sadducæorum & Herodis. Matth. 16. Mar. 8.

Veniens ad Bethſaidam, cæco educto extra uicum, expuens in eius oculos, & manibus impoſitis, uiſum reſtituit integrum. Marci 8.

Inde aſcendens uerſus Cæſaream Philippi, & in eo itinere, cum ſolus oraſſet, ac penes ſe haberet diſcipulos, quæſiuit ex eis, pro quo haberetur inter homines? At illi reſpondent, ſententias uariare. alios eum pro Ioanne baptiſta, alios pro Elia, alios pro Ieremia, alios pro propheta inſigni eum habere. Deinde addit, Vos autẽ quem me eſſe dicitis? ibi, cum ſimul reſpõdere non eſſet decorũ, Petrus nõ ſuo tantũ, ſed & reliquorũ, hoc eſt cõmuni nomine, ſicut etiam nõ ſolus erat interrogatus, reſponſum dat: Tu es Chriſtus, filius Dei uiui. Hac cõfeſſione & fidei luce Chriſtus delectatus, inquit: Petrum & alios hæc ex reuelatione diuina habere, nõ ex propria ratione. Deinde ad nomẽ Petri alludẽs, petram uocat hanc ipſam cõfeſſionem, cõmuni nomine editam. & inquit: ſe ſuper eam ædificaturũ eſſe Eccleſiam, & portas inferorum contra eam non præualituras. Toto cœlo aũt aberrãt, qui ſupra perſonam Petri, eiusq; ſucceſſores, Eccleſiam ædificatã eſſe, craſſiſſimè et inſulſiſſimè ſomniãt: præſertim cum poſt hanc hiſtoriam aliquoties fœdè et horribiliter Petrus collapſus ſit. Declarant et reliqua ſacræ Scripturæ teſtimonia, doctrinam de Chriſto, quod ad eſſentiã ac uoluntatẽ eius attinet, eſſe Eccleſiæ Dei baſin et fundamentũ immotũ: ac Chriſtum ſolum, caput eius, non ullam ullius hominis perſonam. Sed hæc teſtimonia alibi locum habebunt.

Deinde & claues regni cœlorũ, ſoluendi atq; ligandi peccata, cum promiſſione, quod in cœlis ea rata ſint futura, non tantũ Petro, ſed et cæteris omnibus, adeoq; toti Eccleſiæ ſuæ cõfert. Nam nõ ſolus Petrus credebat Ieſum eſſe Chriſtum filiũ Dei uiui, nec pro ſe ſolus reſponſum dederat. Ideo aũt Petrũ affatur Ieſus, quia ipſe os reliquorum, atque adeò totius Eccleſiæ fuerat. Certè Mat. 18. ea poteſtas omnib. Apoſtolis ex æquo cõfertur.

Præcepit aũt, ne hæc cuiquã dicant: id quod fortè, ne in eo loco facerent, prohibuit. nam aliàs certè debebant innoteſcere. Mox uerò adiecit concionẽ de ſua acerba paſſione, quòd moriturus, & tertia die reſurrecturus eſſet: idq; propterea indicat, ne fœlicitatẽ perpetuam ſomniẽt, ac ſeſe ad hoc ſcandalũ munirent. Sed hic inſignis Petri lapſus accidit, proculdubio diuino cõſilio, ut toti poſteritati notũ fieret, Petri perſonam minimè columnam ac baſin Eccleſiæ eſſe. Nam ueriſimile eſt, nullum Apoſtolorũ concionẽ de paſſione Chriſti aſſecutum eſſe. Sed Petrus etiam hic erumpit, increpans Chriſtum, & diſſuadens paſſionem. Eam rem iurè Chriſtus indignè fert. Niſi enim pateretur, non ſe poſſe redimere genus humanũ, iuxta decretũ Dei. Grauiter igitur eum obiurgat: Vade, inquit, poſt me Sathana, ſcandalum es mihi: nõ ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Vbi tum erat fides Petri? hic à diabolo eſſe gubernatum & euerſum Petrum, Chriſtus ipſe teſtatur: & ex miſericordia tantum recipitur.

Poſtea etiam de afflictionibus totius Eccleſiæ, Chriſtum ſequentibus uaticinatur, ne quis ſibi ſecuritatẽ fingat. Promittit autem præmia in altera uita, & confert cõmoda huius & æternæ uitæ. Concionatur de ſuo aduentu in extremo iudicio. Matth. 16. Marci 8. Lucæ 9.

Poſt dies circiter octo, ut Lucas ſcribit (nam Matthæus & Marcus inter medios ſex tantum cõputant, id quod nullam diſcrepantiã gignit) memorabilis accidit hiſtoria. Nam è reliquo Apoſtolorũ cœtu, Chriſtus deligit, ſuo quodam cõſilio, Petrum, Iacobum, & Iohannẽ fratrẽ eius: quos in montẽ excelſum traductos, ſuæ gloriæ facit ſpectatores. Nam dum oraret, ſubitò coram ipſis transfiguratus eſt, ita ut facies eius ueluti ſol reſplenderet, & ueſtimẽta eius candeſcerẽt ſicut nix. Acceſſerũt & uiſibiliter Helias & Moſes, cum Chriſto loquentes de ijs quæ Hieroſolymis cõpleturus eſſet. Noctu hæc accidiſſe conſentaneũ eſt. Nam initiò dormiũt Apoſtoli. poſtea expergefactis, & cõſpicientibus tantã gloriã, Petrus Chriſtum alloquitur: hoc in loco tria tabernacula, in memoriã tantæ rei, extruenda eſſe. Rurſus

ſus autẽ hic lapſus Petri deſcribitur, qui neſcierit quid dixerit, cultũ nimirũ extra uerbum Dei uolẽs ſtabilire. Dum uerò iſta profert, ecce nubes lucida eos timore perculſos obumbrat, et uox de nube clariſsima promulgatur: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite. Hac edita, diſcipuli cadũt in faciẽ, magis etiam timẽtes. Verùm iuſsi à Chriſto ſurgere, & metu poſito, neminẽ præter Ieſum amplius uidẽt. Montẽ hunc opinãtur quidã eſſe eum qui Thabor dictus eſt, haud procul à Capernao. Tota aũt hiſtoria facta eſt, ut & Chriſtꝰ in ſuo ampliſſimo munere confirmaretur, & homines etiam noſſent Chriſtũ uerum eſſe Dei filiũ ac Meſsiã: nec manſurũ in morte, ſed recuperaturũ ſuam gloriam, & eſſe aliam uitam poſt hanc præſentẽ. Matth. 17. Mar. 9. Lucæ 9.

Deſcendentibus autem à monte, prohibet ne cui hæc patefaciãt, niſi poſt reſurrectionẽ. Non enim erat ignarus, quòd Iudæi iſta fuiſſent ingenti faſtu quaſi fabulas ſubſannaturi. Diſcipuli quærũt, quid ſit ſentiendũ de Elia, quem Scribæ & Phariſæi affirment ante Meſsiam uenturum? Ipſe reſpondet, Iohannem baptiſtam eum ipſum fuiſſe. Matth. 17. Marci 9.

Poſtero die lunaticum curat, quem diſcipuli ob incredulitatem ſuam, à dæmonio liberare non poterant: qua de cauſa Chriſtus etiam ſeueriter eos obiurgat, ac docet de fidei potentia ac uirtute.

Inde profectus, & tranſiens Galilæam, diſcipulos inſtituit de ſua paſsione & reſurrectione: ſed ipſi non intelligebant. Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9.

Venientes Capernaum, ab exactoribus appellantur de didrachma. nam in ea ciuitate cum ſuis habitabat. Primùm autem docet ſuos Chriſtus, ſe quidem eſſe liberum, tanquam terræ Dominum: ſed tamen ne cuiquam ſcandalũ daret, ſoluit ſtaterem ſeu tetradrachmam pro ſe & Petro, idq; miraculo. Nam pecunia deſtitutus, iubet Petrum piſcari: ac prædicit, primum quem capturus eſſet piſcem, ſtaterẽ in ore ei ad hunc uſum allaturũ eſſe. id quod etiam ita euenit. Matth. 17.

Domi cum eſſent, quærit Chriſtus, quales inter ſe diſceptationes in uia habuerint. Nam inter ſe cõtulerãt, quis inter ipſos maximus futurus eſſet. Ipſis uerò præpudore ſilentibus, Chriſtus omnes ipſorũ cogitationes exploratas habens, nodũ hunc eis ſponte ſoluit. Apprehenſum aũt puerũ, in mediũ ſtatuit, et clarè pronũciat, Omnes oportere effici ſicut eſſet iſte puer: nec de principatu cõtendendũ: recipiẽdos eſſe hoſce pueros et præmium promittit. Iohanni indicãti, quòd quidã dæmonia in nomine Chriſti eijceret, cum tamen non eſſet ex Apoſtolorũ numero: reſpondet Chriſtus, nõ eſſe ei hoc prohibendũ. Docet de ſcandalis, et eorũ pœnis: de præſidio angelorũ, quòd paruos cuſtodiãt: de ſuo officio, et quales ſaluẽtur: de caſtigatione fraterna, & excommunicatione: de clauibus, de oratione, de remiſsione, de offenſione. Proponit typum iuſtificationis, aut remiſsionis peccatorũ, quòd ſit gratuita donatio & remiſsio immenſi debiti, nempe decem millium talentorum, & remiſsio ſimul pœnæ. Deinde, quòd hac ratione gratis iuſtificati, debeant bonis operibus fidem declarare. Ruentes autem in peccata, citra pœnitentiam excutere & amittere omnia dona accepta: de confeſsione & pace. Matth. 18. Marci 9. Lucæ 9.

Circa hæc tempora Scenopegia ſeu tabernaculorũ feſtum incidit. Compellatus itaq; à ſuis, qui nondũ omnes in ipſum credebant, ait ſuum tempus nondum aduenisſe: deinde, mundũ ſe odiſſe. Moratus autem in Galilæa nõnihil, in ipſo feſto nihilominus Hieroſolymam proficiſcitur, licet Iudæi inſidias ei ſtruerent. In medio autem feſti templum ingreſſus, palàm docet tanta auctoritate & dexteritate, ut omnes, unde literarũ peritiam haberet tantam, mirarentur. Docet autem, ſuam doctrinam ex cœlo eſſe: ipſos legem non implere: innocentẽ uelle trucidare. Turba nihil penſi habens, uociferatur eum dæmonium habere. Reſpondet, ſe iniuſtè traduci, quòd Sabbato hominem curarit. nam & circumciſionem licere ſabbato adminiſtrari. Cum autem quidã in eius perſona offenderẽtur, quaſi nõ poſſet eſſe Meſsias, quia ex tenuibus parẽtibus eſſet ortus: in templo manifeſtè aſſeuerat, ſe eſſe Meſsiam. Ibi Phariſæi & principes et ſacerdotes, mittunt qui eum cõprehenderent. Sed Chriſtus, in ipſorũ conſpectu docet de ſua paſsione. Et iterum nouiſsimo die feſti, de ſe ac ſuis beneficijs apertè docet, ita ut etiam miniſtri eum capturi mirarentur, & manus cõtinerent: ac reuerſi ad ſuos, teſtarentur, nunquam ſe talem concionatorẽ audiuiſſe. Principes oppo nunt, neminẽ in ſuo ordine in Chriſtum credere: haud omiſſuri, ſi uerus eſſet Meſsias. Deinde, turbam hanc ignaram eſſe ſcripturarũ, ac temerè applaudere. Nicodemus tamen conſulit, non eſſe eum damnandũ, niſi cauſa probè cognita, idq; iuxta legem. Sed duriter excipitur, & concilium diſsipatur. Iohan. 7.

Finito feſto, egreditur Chriſtus in montem Oliuorum: proculdubio, ibi ſuas preces ad Deum fundens. Manè redit Hieroſolymam in templum, & in maxima frequentia docet. Adulteram abſoluit, poſteaquàm ipſi Iudæi pudore ſuffuſi, ei parcerent. Non tamen ipſorũ legem, de corporis pœna, abrogat. Docet ſe eſſe lucem mundi, uenisſe à patre, habere teſtimonia ſufficiẽtia. Taxat ipſorum peccata, & pœnas denunciat: concionatur de ſua paſsione & miniſterio, de efficacia uerbi, de uera libertate, de ueris Abrahæ filijs. Rurſus ipſorum cæcitatem reuelat. ait ex diabolo ipſos eſſe, quia ſe & uerbum ſuum aſpernentur: ac ſimul de diabolo et eius proprietatibus uerba facit. Iudæi conuicia in ipſum euomunt, ac obijciunt eum eſſe Samaritanum, & diabolo agitari. Chriſtus negat, quia honoret patrem, & eius gloriam quærat, non propriam: ſuo uerbo mortem æternam adimi. Rurſus obgannientibus reſpondet, ſe gloriam habere à patre. Deinde Abraham ſui habuiſſe noticiam, adeò ut ex ſe læticiam acceperit. Hac abſurditate, ut iudicabant, tantopere inflammantur Iudæi, ut lapidibus ſublatis, manibus certaturi eſſent. Sed Chriſtus ipſorum furori cedit. Iohan. 8.

In eo diſceſſu ex templo, hominem cæcum à natiuitate, in quem fortè ante fores templi aut in platea ciuitatis incidit, luto ipſius ſputo madefacto, & oculis impoſito, ablegatum ut in natatoria Siloha lauaret, uiſu integro donat: ac finem eius operis docet eſſe, ut opera Dei manifeſtarentur. Phariſæi indignantur, & ſabbatũ uiolatum eſſe, & Chriſtum eſſe impoſtorem clamitant & conantur homini perſuadere, ne hoc beneficium Chriſto imputet. Sed fortiter is perſeuerat. Significat autẽ Iohannes, nuper Iudæos decretũ feciſſe ac promulgaſſe, quòd omnes aſſeclæ Chriſti deberẽt è ſynagoga excludi,

cludi, seu excommunicari. Redit autem Christus ad eum hominem, cui uisum donarat, ac fidem eius illustriorem facit, ut iam firmiter statueret, IESVM esse Christum. Postea rursus de cæcitate Iudæorum conqueritur. Ioh. 9. Discernit pastores, seq; bonũ pastorem esse docet, ac beneficia sua cõmemorat erga oues, hoc est Ecclesiã, quæ ibi sub typo describitur: quòd uerbo suo pascat & regat oues, quòd largiatur salutẽ & uitã, quòd animam suam pro ouibus ponat, quòd gentes etiam sit uocaturus. Ouiculas, id est Ecclesiam describit, quòd sit cœtus audientiũ suam uocem, se sequentiũ, fugientium falsos doctores & impia dogmata: quòd det eis omnis generis bona. Reliquos uocat fures & latrones, qui non adferant sanam doctrinam, & sint pernicioſi: & mercenarios, qui tempore persecutionis ab ouibus audiant, suæq; tranquillitati consulant, licet oues præda fiant lupis. Ea quoque concione plurimi offensi, calumniantur, eum diabolo obsessum esse. non desunt tamen quidam rectius iudicantes. Iohan. 10.

Circa hoc tempus quidam tertij anni terminum ponunt, eo quòd Renoualia Iudæorum uigesimoquinto Decembris peragebantur, quod tempus natiuitati Christi est uicinum.

Quò autem nunc, peracto festo tabernaculorum, secesserit Iesus, annotatum non est. Aduenit deinde festum Iudæorũ, quod Encænia nominat Iohannes, quasi diceret Renouationes, eo quòd templum à Iuda Macha bæo rursus cõsecratum erat, cuius rei memoria quotannis peragebatur. Ascendit autem & Christus, & hominum frequentia in porticu Salomonis stipatus, diserte fatetur se esse Messiam, & opera sua testimonium sibi perhibere. docet, ipsos nõ esse suas oues: describit quales habeat oues, quæ eis beneficia conferat: quòd sit eos defensurus, quòd ipse cum patre sit unũ. Iudæi iudicantes eum blasphemare, lapidationem ei minitantur. Sed cum rursus doceret, ex operibus suis faciendũ esse iudicium, quis nam esset: ita eos exacerbauit, ut nisi declinasset ab eis, impetũ in eum fuissent facturi. Proficiscitur igitur trans Iordanem, ubi Iohannes initiò baptisabat: ibiq; aliquandiu commoratur, plurimos ad se uenientes salutari doctrina imbuẽs, et beneficijs afficiens. Iohannis decimo.

ITER CHRISTI POSTREMVM uersus Hierosolymam.

Appropinquante autem nunc tempore, quo sciebat se passurum esse, iuxta decretum æterni patris, obfirmat animũ, ac se dedit itineri, tanquã agnus pro peccatis totius mundi mactandus, sese oblaturus. Mittit aũt nuncios ante se in ciuitatẽ quandam Samaritanorum, qui pararent ei hospitiũ, uel nunciarent Messiam aduentare. Sed repulsam passi sunt, eo quòd Samaritani Iudæis parum æqui essent. Iacobus aũt & Iohannes indignitate rei ira accensi, quærũt, an debeant ignẽ de cœlo uocare, ut eos consumeret, sicut Elias fecerat? Verùm cohercet eos Christus, eo quòd iam non ad perdendum quenquam, sed ad saluandos omnes adesset. Necessitate igitur coacti, in aliud castellum se conferunt.

In ea profectione quidam sponte promittit, se Christum secuturum: uerùm prædicit ei inopiam, quam ea professio adferat. Vocat & alium quendam, quem neglecto parente mortuo, iam se iubet comitari. Lucæ 9.

Similes historiæ Matth. 8 etiam recitantur.

Post hæc Septuaginta designat, præter duodecim quos antea legerat Apostolos: eos binos ante se mittit, quocunq; erat uenturus. Aderat enim iam tempus opportunũ, quo inclarescere & innotescere omniũ maximè debebat. Tradit autẽ eis mandata propemodũ similia, quæ duodecim dederat. Primùm docet, uocationes à Deo fieri: & eum rogandũ, ut salutares doctores mittat. Deinde monet de periculis ministerij, ne patiantur se in uia diu detineri, sed festinent. ideo nõ prohibet salutationẽ, sed ea formula maturationẽ mandat, ut prudenter dispẽsent ministerij bona. Vescãtur rebus appositis, doceant de regno Dei, à contemnentibus discedant. Comminatur pœnas contemptoribus: præcipuè tamen ciuitatibus, Corazin, Bethsaidæ, Capernao. Ratio additur, quia ministerium sit ipsius.

Septuaginta reuersi, prædicant successum læti. Christus monet ipsos, de insidijs Sathanæ: ac docet, suo ipsos patrocinio fuisse tutos: à se esse miraculorũ uirtutes: & quòd præcipuè gaudere debeãt, ob certam uitæ æternæ spem & expectationẽ. Christus tamẽ ipse quoq; spiritu exultãs, gratias agit Deo: & docet, omnia sibi tradita, se patrẽ reuelare. Simili gratiarũ actione antè quoque usus fuit, ut suo loco dictum est. Iubet discipulos, suam fœlicitatem & præsentia bona grato pectore considerare.

Accedit autem nõ longè pòst legisperitus quispiam, persuasione propriæ iusticiæ inflatus. is tentandi gratia quærit à Christo, quid faciendo uitam æternã consequatur? Christus de faciẽdis interrogantẽ ad legẽ dedu cit, & integræ obedientiæ ait uitã esse promissam, iam ipsum hæc debere præstare. Legisperitus indignè ferens, nihil suis operib. tribui, sed ut incipiat primùm iuberi, fastu & indignatione plenus: Ecquis, inquit, est meus proximus? Christus typũ uiatoris à latronib. uulnerati proponit, qui à prætereuntib. sacerdote & Leuita relictus, animã erat efflaturus: nisi Samaritanus misericordia erga saucium motus, uulnera alligasset, & impositum iumento in diuersorium deduxisset. Volebat enim homini statum omnium mortaliũ depingere. Exuti enim donis, & sauciati sumus à diabolo, latrone immanissimo, mortiq; destinati. Nulla autem erga nos misericordia lex afficitur, quæ in prætereuntibus ijs qui ad legis ministeriũ deputati erant describitur. Sed alius quispiã, nempe ipse Christus, gratis nos à faucibus mortis liberat, suo ministerio nos recreans, et in Ecclesiam traducens. Iubet autem legisperitum similiter facere: quare non obscurè significat, eum longissimè ab integra legis impletione abesse. Siquidem neq; dilectionem erga homines præstitit, nedum erga Deum.

Venit autem Bethaniam, ibi Martha eum hospitio excipit. ea uerò sororem habebat Mariam, quæ eius cõciones attentè audiebat: idq; præfert Christus officio Marthæ, quæ præparabat ad cibum necessaria. Lucæ decimo.

Postea, ut apparet, iterum in alia uicina loca excurrit. interea Lazarus ægrotat: & sorores eius, de quibus modò facta est mentio, ad Christum ob contractam familiaritatem mittunt, ut ei opem ferret, quem aliàs singulari amore cõplecteretur. Sed eo nuncio accepto, Christus triduum adhuc cunctatur, absensq; nouit

uit Lazarum mortem obijsse. Verùm ad discipulos dicit, eum dormire. Venit autem IESVS Bethaniã, cum iam quatriduum Lazarus esset sepulturæ datus. Vnde licet conijcere, eum procul abfuisse Bethania, ut biduò aut longiori spacio uix potuerit eò iter facere. Priusquam uerò Lazarum resuscitat, pulcherrimè de resurrectione disserit: Ego sum, inquit, resurrectio & uita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternũ. Præterea eis aliquam spem, quamuis obscuriorẽ, de uiuificatione Lazari facit. Sublato lapide, quo monumẽtum obstructum erat, fœtere iam inceperat: sed IESVS prius gratias agit Deo: deinde uoce Lazarum compellat, ut egrediatur: id quod etiam statim fit. Prodit Lazarus uiuus ac sanus. Quidam ex Iudæis, qui ad sorores Lazari cõuenerant ad leniendos luctus, quos ex obitu fratris recens cœperant, ex tam illustri Christi miraculo fidem concipiunt. Alij autem ex Pharisæorum secta, rem ad Pontifices deferunt. Iohan. 11.

Hac fama moti põtifices & pharisæi, cõueniunt frequentes, ac decernunt, IESVM Christum esse de medio tollendum. Rationes sunt, ne omnes seducat. Deinde, ne Romani ueniant, & tollant locum & gentem. quia cum se IESVS pro Messia uenditaret, & prædictum esset eum fore regem, metuũt ne regnum politicum affectans, attrahat Romanorum exercitus, quorũ tyrannidem antea quoq; erant experti. Cayphas etiam sententiam fert: Expedire, ut unus pro populo moriatur. Hisce dolis cognitis, Christus secedit in ciuitatem Ephraim, ibiq; aliquandiu commoratur. Ioh. 11.

Accidit autem, ut quodam tempore oraret IESVS. quo perfecto, discipulis rogãtib. orationis formam tradit. Fortè autem initiò nondum omnia uerba perceperant: aut plures iam accesserãt, quàm antea habuerat, Matthæi sexto, cum eadem ipsis uerba dictaret. Excitat autem porrò precationis studium, dulcissimis promissionibus & exemplis: simulq; monet, instandũ esse.

Paulo pòst, dæmonium mutum expellit. & quibusdam crimmantibus, quasi per Beelzebub ista faceret: respondet, & utitur ijsdem planè argumentis sicut supra Matthæi 12 & Marci 3 exposita sunt. nam sæpe ei ad eiusmodi calumnias respondendum fuit: ut quòd Satanas non sit contra Satanam. Secundò, ab exemplo Iudæorum, quos ipsi iudicent peculiari dono eijcere cacodæmones. Tertiò, se inuitum diabolum propulsare. Postea de neutralibus, & de pœna securorum & contemnentium uerbum Dei docet, quòd diabolus alijs assumptis reuertatur. Hæc ipso differente, mulier quædam beatam ipsius genitricẽ prædicat: sed ipse reuocat ad uerbum potius. Deinde turbam docet, de peruersitate Iudæorum, quòd ipse plus sit quàm Salomon & Ionas: quòd Deus hunc contemptum sui grauissimè sit ulturus. monet etiam de confessione ac uera luce.

Inuitatur deinde à quodam Pharisæo. Cum autem ille offensus esset, eo quòd non ipsorum cõsuetudine ante prandium lauisset, seriò in ipsos inuehitur Iesus, indicans ipsos esse meros hypocritas, & scatere interiori immundicie, uacare charitate, esse ambitiosos, superstitiosos, deprauatores uerbi Dei & clauium: ac uæ in ipsos pronunciat. Hac seuera cõcione inflammati pharisæi, struunt ei insidias. Lucæ 11.

Non multo pòst, turbam concurrentem monet, ut pharisæorum fermentum & hypocrisin caueant: iam ueritatem cœlestem, ipsis inuitis, erumpere in lucem. Docet de cruce, quam adfert ueritatis confessio. & non esse tantopere metuendos homines: ratio, quia non habeant ius in animã Deum potius formidandũ esse. Deinde, Deum pios defendere: nihilq; ipsis aduersi posse accidere, sine Dei permissione. Tertiò, confessionem habituram æterna præmia, abnegationem uerò pœnas. Et hic de peccato in Spiritum sanctum quædam inspergũtur. Quartò, Spiritum sanctum confessoribus adfuturum esse.

Interea quidam rogat Dominum, ut præcipiat suo fratri, ut hæreditatem secum diuidat. Verùm id detrectat, significans, ad aliud forum ista pertinere. Deinde præcipit, auariciam esse fugiendam: causa est, quòd uita hominis non cõsistat in opibus, aut rebus mundanis. Recitat etiam historiam de quodam auaro, amplificante horrea sua: qui ne bonis suis frueretur, mox uita functus sit.

Postea conuersus ad discipulos, docet, ne solliciti nimium sint de rebus temporalibus: ac ijsdem planè uerbis utitur, sicut Matth. 6. Nam sæpe de ijsdem rebus eodem modo disseruit: & præcipuè, cum magna sit infirmitas hominum hac in parte, eadem argumenta subinde ipsis inculcare uoluit. Iterum autem repetit admonitionem de cruce, & quòd uera ac cœlestia bona sint expectanda: de extremo iudicio, & præparatione, quæ eius ac præmijs quæ sequentur: de separatione, quæ fiet in Ecclesia: de recõciliatione fraterna. Lucæ 12.

Nunciantibus quibusdam de immanitate Pilati, qui miscuerat sanguinẽ Galilæorum cum sacrificijs Iudæorum, applicat doctrinam de pœnitentia, quò hæc exempla ipsos moneant de cõuersione. Proponit typum de ficu, quòd Deus moram pœnitentibus concedat: quam si nõ agant, postea sicut ficus sterilis pœna afficiantur.

Eo tempore & synagogam quandam intrat, docet, & incuruam erigit ipso sabbato. quod factum, contra archisynagogum defendit, primùm ab ipsorum exemplo, qui bruta sabbato curent: ergo multo magis licitũ esse, homines iuuare. Recitat similitudines de sinapi, de fermento. Hortatur, ut per angustam portã ingrediãtur, ne postea excludãtur: & prophetat de ipsorũ externo exitio, deq; uita futura, item de uocatione gentiũ.

Perferũtur autem & sermones ad Iesum, de insidijs Herodis: uerùm ipse respondet, se habere suum certum terminum, ac se interea ab Herode tutum esse futurũ. Rursus deinde cladem Hierosolymorum prædicit, indicata causa, nempe persecutione piorum. Lucæ 13.

Sabbato quodam Iesus apud Pharisæum cibum capit, ibiq; hydropicum uerbo curat, factum defendens à minori: quòd asinus aut bos in puteum illapsus, ipso sabbato citra peccatum extrahatur. Taxat autem pharisæorum arrogantiam, ac docet de humilitate, de eleemosynis erga egenos, ac uera facultatum collocatione.

Postea typum proponit de uerbo Dei & Ecclesia. Hominem quendam cœnam instruxisse magnificam, et uocasse conuiuas, uerùm ipsos omnes propter negocia ciuilia se excusasse. Postea uerò pauperes, mendicos & ægrotos uocatos, & deniq; extra sepes alios collectos.

cæcitatem adumbrat, qui prorsus Euangelij cõcionem de Iesu Christo fastidierunt. Altera depingit reliquias eius populi, Christum amplectentes. Tertia, describit gentium uocationem. Deniq; pœnas comminatur Iesus contemptoribus uerbi æternas. Pergit autẽ Iesus præmonere de cruce, quæ maneat omnes pios: ac comparatione de ædificaturo turrim, docet, hæc tẽpestiuè præcogitanda esse, ne quid præter spem eueniat: & ut animus rectè muniatur, ne deficiat. Addit etiam de confessione præceptum, & minatur pœnas negantibus. Lucæ decimoquarto.

Recipiente Christo peccatores & publicanos, agentes pœnitentiam, scribæ ac Pharisæi murmurant: sed iucundissimis exemplis seu comparationibus eos refutat: ac docet, eam Euangelij esse proprietatem, & hoc suum officium, ut peccatoribus adferat remissionem gratuitã. Pastorem ait perditam ouiculam quærere, & drachmã amissam lumine accenso recuperari. Ipse autem Christus se omnium maximè in pastore fido, et errantem ouiculam reportante, describere uoluit. Egregiè autem de pœnitentia docet, quòd illa & Deo & angelis gratissima sit.

Declarat autem rationem iustificationis & acceptationis corã Deo, alio exemplo: nempe de filio perdito, qui cum abligurisset omnem hæreditatem, postea tamen gratis recipiatur à benigno patre, agens pœnitentiam. & taxatur frater, operum iusticia confidens, & inuidẽs fratri eam fœlicitatem, quòd in gratiam præter suum meritum reciperetur. Lucæ 15.

Discipulos suos cohortans, ut res spirituales atq; cœlestes sibi studiosè cõparent: proponit exemplũ de iniquo dispensatore, prudentissimè sibi ingruente inopia cauente ac prospiciente. Non autem furtum probatur, sed comparatione quadam diligentia, ut ea magis homines excitet ad solida bona comparanda. Docet & de facultatum dispensatione, & quòd nemo duobus possit seruire dominis.

Pharisæi ista audientes, risu omnia excipiebant. Sed Christus rursus ipsorum falsam persuasionem de propria iusticia reprehendit: ideo quòd Deus aliter, quàm homines, iudicet. Deinde, quòd lex et Prophetæ usq; ad Iohannem: & nihilominus oporteat legem fieri. Lucæ decimosexto.

Pergunt tamen Pharisæi, quærentes tentationis gratia, de repudio, an qualibet de causa fieri posset. Sed Christus respondet, initiò non ita fuisse: ac reuocat eos ad primam coniugij institutionem. Deinde fert sententiam: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Obiecti onem de permissione, à Moyse factam, diluit: quòd ob duriciem cordis ipsorum ista fuerint concessa. & pronunciat, Quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Domi rursus eam quæstionem discipulis declarat, quòd etiam is qui dimissam duxerit, mœchetur. Cum autem discipuli putarent, eam ob causam difficile esse uxorem ducere, discernit Christus eunuchos, nemini legem ferens. Matthæi 19. Marci 10. Lucæ 16. Postea rursus pharisæis imaginem de diuite & Lazaro proponit, in qua ipsorũ fastum reprehendit: & monet, etiam tenuiores Deo curæ esse. ac docet de uita æterna, & de pœnis inferni. Lucæ decimosexto.

Rursus monet de scandalis, & eorum pœnis: de reconciliatione fraterna, seu priuata. Apostoli orant, ut sibi fides augeatur. Consolatur igitur eos de exigua fide: ac de potentia eius dicit, quòd etiam arbores iussu suo transplantare possit. Docet insuper, quòd suis operibus, etiam dignissimis, minimè debeant confidere.

Dum ibi peregrinatur IESVS, decẽ leprosos uerbo sanat, quorum unus tantum reuertitur, gratias agens, cæteri omnes à sacerdotibus euertũtur. quæ quidem res insignem hominum ingratitudinem, post accepta beneficia à Deo, depingit.

Interrogatus à Pharisæis, quando regnum Dei ueniat? respondet, id non uenire cum obseruatione. iamq; in propinquo adesse, ipsos uerò iam fastidire, ideoq; hæreses uenturas. Addit & concionem de nouissimo iudicio, et qualis hominũ uita præcessura sit: nempe perfimilis ei quæ ante diluuium & conflagrationem Sodomæ fuit. ac monet, ne securitati indulgeamus: neue ob crucem, quæ est ueritatis comes, deficiamus. Lucæ decimoseptimo.

Alio tempore monet, orationem urgendam esse, ne deficiamus: proposito simili de uidua, etiam iniquũ iudicem, instantia & perseuerantia implorationis auxilij obtundente, ut denique opem ei tulerit. Deum autem multo magis orantes & instantes auditurum. Monet, tantum paucos in terris credentes futuros, ubi postrema tempora aduenerint.

Habebat penes se quosdam confidentes propria operum suorũ iusticia, & fastidientes alios. ijs parabolam de Pharisæo tumidè in templo iactante sua opera, & de publicano peccatore tantum misericordiam Dei implorante, proponit: manifestè pronuncians, operum iusticiam à Deo damnari: & contrà doceri, iusticiam gratuitam tantùm in Messia propitiatore fixam. Lucæ decimooctauo.

Offeruntur hic & paruuli, quos iubet contra uoluntatem discipulorũ ad se adduci: ac ostendit, talium esse regnum Dei: & nemini aliter contingere regnum cœlorum, quàm hisce pueris. deniq; eos amplexatur, et benedictionem impertit.

Obuiam paulo pòst Iesu uenit quidam princeps. is quærit, quid faciendo uitam æternam possit accipere? Iesus, quia de faciendo interrogarat, ad Decalogũ eum deducit: & ait, perfectam eius impletionẽ habere promissionem uitæ. Ille audacter sibi eam impletionem arrogat. Iesus in crassa parte, quàm procul absit, admonet: iubens, eum omnibus uenditis, sese sequi. His auditis, conscientia propria tactus, quòd nimium bonis temporalibus inhæreret, tristis discedit. Est autem hæc sententia personalis, qua hunc iusticiarium retundit Iesus: in eo uerò uniuersalis est, quòd præcipit, ne simus auari, aut rebus huius uitæ nimium dediti.

Conuersus autem ad discipulos, monet, opes magnã esse remoram plurimis, ne credant, aut sequantur Christum: sed tamẽ Deo omnia esse possibilia. Indicat etiam, discipulis restare præmia, quia aliquid suo nomine reliquissent. In primis autem docet de nouissimo iudicio, & uita æterna: & apertè affirmat ibi, credentes præmia amplissima cõsecuturos. Sed plurimos nouissimos, futuros esse primos, & econtrà. Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. Hæc declarans, parabolam Christus recitat

de operarijs uocatis ad laborandum in uinea, planè diuersis temporibus: qui tamen postea æquale precium accipiant, ex mera gratia. ac reprimũtur indignantes, ac plus exigentes. Matth. 20.

In propinquo autem erat Pascha: plurimi autẽ ante festum se Hierosolymam conferebant, ut ibi sanctificarentur. Ediderant interea põtifices & pharisæi mandatum, ut si quis resciscceret Iesum aduentasse, confestim sibi indicaret, ac apprehenderetur.

Eius uerò decreti non est IESVS nescius: eamq; ob causam, dum est in eo itinere, palàm discipulis rem omnem, et diserte exponit, quòd iam esset passurus Hierosolymis, ea ratione, quòd se cõsputuri, flagellaturi, irrisuri, crucifixuri & interfecturi essent: sed tertia se die resurrecturum. uerùm discipuli res tantas non assequuntur. Iohannis undecimo, Matthæi uigesimo, Marci decimo, Lucæ decimooctauo.

Accedit autem mater filiorum Zebedæi, adhuc magnificam de ciuili regno Messiæ opinionẽ, sicut ex Pharisæis hauserant, fouens: & obnixè petens, unà cum suis filijs, ut IESVS suos filios peculiari honore dignaretur, ita ut alter ad dexteram, alter ad sinistram sederet. IESVS respondet, ipsos nescire quid petant. suum regnum esse pati, nõ politicè ad imperia huius mũdi subuehi. Reliqui decem ista audientes, indignantur sibi dignitates eripi. Eos igitur quoq; compescit Christus, discernens suum regnũ à mundanis: & diserte ipsis prohibens, ne affectent imperia huius mundi. Docet ipsos, debere esse seruos: ac proponit suum exemplum, quòd sit moriturus. Matthæi 20. Marci 10.

Appropinquans Iericho, cæco uisum aperit. Deinde in ciuitate ad Zachæum publicanorũ principem diuertit, eiq; Euangelium adnunciat. Proponit etiam parabolam de elocatione talentorum, & præmijs rectè collocatorũ, pœnisq; eorum qui non adferunt fructũ. Lucæ 19.

Egrediens Iericho, Bartimæo uisum donat: Marci 10. Indeq; nonnihil progressus, rursus duobus cæcis uisum restituit. Matthæi 20.

Sex dies ante Pascha IESVS est exceptus conuiuio in domo Marthæ, accumbente etiam Lazaro, recens in uitã reuocato. à Maria unguento nardi pistice preciosæ inungitur circa pedes, & extergitur capillis. Iudas auaricia ardens, factum improbat, pulchra hypocrisi: quasi satius fuisset, id unguentum uenditum fuisse, & pauperibus datum. Sed Christus eius auariciam cohercet, tantum indicans, eam unctionem propter suam sepulturã iam instantem, factam esse: deinde, sese iam uisibiliter quidem discedere.

Præsentia Christi cognita, plurimi Iudæi cõueniunt, uisuri Lazarum resuscitatum ex morte: & nonnulli in IESVM credebant. Iohannis 12.

Altera die, hoc est quinta ante pascha, à monte Oliueto, asino commodatò sumpto, Hierosolymam, circũdatus magna hominum multitudine, ingreditur, cum singulari pompa. nam uestes alij substernunt, alij frondes spargunt: reliqua turba læto pectore acclamat, Hosianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini, Hosianna in excelsis: idq; ex Psalm. 118. Fatentur igitur apertè & intrepidè, eum esse Messiam, de quo Dauid prædixisset, eiq; fausta & felicia cuncta precantur. Nec temerè iste ingressus factus est, sed erat à Deo per Zachariam cap. nono prædictus, ut esset peculiaris & honorifica patefactio Messiæ. Ab oliueto initium sumit, ut ostendat, se postea ibi uictoriam obtenturum esse, etiamsi luctaturus sit cum morte. Matthæi 21. Marci 11. Lucæ 19. Iohannis 12.

Pharisæi id indignè ferentes, IESVM alloquũtur, ut populi clamores tanquam temerarios coherceret. Sed respõdet Christus, lapides clamaturos, si ipsi tacuerint.

Appropinquans autem ciuitati, lachrymas fundit, proter horrendam cæcitatem: quòd tempus uisitationis per Messiam non cognoscerent. et prædicit ipsorum cladem. Lucæ 19.

Veniens in ciuitatẽ, rectà in templum proficiscitur, ibiq; uendentes atq; ementes è templo pellit, subuersis ipsorum mensis. addita insuper grauissima concione, quòd è domo Dei fecissent speluncam latronum. Postea cæcis & claudis ibi sanitatem largitur.

Principes & sacerdotes ista omnia intuẽtes, & puerorum clamores, Iesu esse filium Dauid, audientes: excandescunt, & uolunt ut ipse eas prohibeat. Sed Iesus ait, hæc fieri iuxta Psalmũ 8. Ex ore infantiũ & lactentium perfeciſti laudem. Matth. 21. Marci 11. Lucæ 19. Iniunt igitur consiliũ de Christo interficiendo: sed neq; causam habebant iustam, neq; audebant, metuentes populum ei adhærentem. Lucæ 19. Iohan. 12.

Gentes cupiunt uidere Christũ: ac rogant Philippũ, ut eum sibi cõmonstret. Christus eo audito, iam ait tempus glorificationis adesse. Docet de resurrectione, de cruce, de præmijs æternis. Orat à Deo, ut clarificetur. Mox uerò de cœlo uox sonat: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Verùm alij tonitru putant esse, alij angelum cum Iesu locutum. Docet porrò de sua passione, et fructibus eius: nimirum quòd principem huius mundi eiecturus sit foràs, quòd omnes sit ad se pertracturus: item de suo ministerio, quòd uenerit ut saluos faciat: de suo uerbo, eiusq; autoritate. Sed istis nihil mouentur ad credendum Iudæi, sicut Esaias prædixerat cap. 53. Quis credidit auditui nostro? &c. & cap. 6. Excæcauit oculos eorum, &c. Iohan. 12.

Sub uesperam rursus in Bethaniam redit. Matth. 21. Marci 11.

Mane, hoc est quarto die ante Pascha (qui Lunæ dies aliàs nominatur) reuertitur Hierosolymam. In eo itinere, ficui nullos habẽti fructus, unde suam famẽ sedaret, maledicit, ne in ea ullus posthac fructus nasceretur.

Ingressus templum, rursus eijcit uendentes & ementes è templo: repetens cõcionem, quòd è domo Dei speluncam latronum fecissent: ut pridiè fecerat. Principes autem sacerdotum & scribæ, subinde agitant consilia de perimendo Christo: sed turbam coguntur formidare, quæ doctrinã Iesu admirabatur. Vesperi iterum extra ciuitatẽ secedit. Mane seu tertia die ante Pascha (die Martis) petentes Hierosolymam discipuli, et ficum intuentes, uident eam prorsus exaruisse. Significauit autem, ut quidam existimant, synagogæ sterilitatem: deinde pœnam eorum qui non proferũt bonos fructus. eaq; occasione de fidei potentia docet, & de inuocatione quæ in fide debeat fieri: & quòd oraturus, primùm debeat cum fratre suo redire in gratiam.

In templo cum esset Iesus, populũ docens, pontifices, scribæ, seniores eum adorti, quærũt quis ei hanc dedis-

set

set potestatem: non obscurè stimulantes, eum sine uocatione docere. IESVS uicißim interrogat, unde sit baptismus Iohannis? nam tota Iohannis functio, Christi actiones comprobabat. At illis negantibus se scire, detrectat etiam indicare, tanquam obstinatis, unde suam haberet uocationem. Matth. 21. Marci 11. Lucæ 20.

Proponit autem eis typum, in quo ipsorũ maliciam taxat, de duobus filijs: quorum alter promittit, se iussa patris executurum, sed nõ facit: alter initiò reluctatur, postea uerò pœnitentia ductus, quæ prius denegauerat, præstat. & apertè pronunciat, publicanos & meretrices pœnitentiam agentes, ipsos in regnum cœlorum præcessuros esse. Matthæi 21. Rursus alio typo summa scelera ipsorum describit, quòd hæredem uineæ, filium patrisfamiliâs occisuri sint, & graues Deo pœnas daturi. Accommodat ad se psalm. 118. Lapidem, quem reprobarunt ædificantes, factus est in caput anguli. dicit de ipsorum reiectione, & electione gentiũ. Hæc audientes, moliuntur eum apprehendere: sed rursus absterretur iudicio turbæ, quæ Christum habebat pro prophetа. Matth. 21. Marci 12. Lucæ 20.

Addit porrò & tertium typum, quo Ecclesiæ formam describit, sumptam à nuptiali conuiuio, à rege suo filio apparato. Vocatos autem primò contempsisse, alios etiam seruos cõtumeliose tractasse & occidisse. eos uerò summa regis indignatione punitos, bello, cædibus, incendio. Secundò, uocationem & collectionem extraneas factam, malorum et bonorum, & regem ingressum ad uisitandos hospites, quendam sine uestitu nuptiali illapsum, cum summa ignominia eicisse, et in tenebras exteriores iußisse præcipitari: addito epiphonemate, Multos quidem uocatos, paucos uerò electos esse. Matthæi uigesimo secundo.

Prior pars Iudæos arguit, & eis pœnas, & quidem modum quoq; prædicit. Altera de collectione Ecclesiæ ex gentibus, docet: & minatur ijs quoq;, qui non sunt ornati uestе nuptiali. Variant autem sententiæ, quæ sit ea res, quæ hic ornamentũ nuptiale appelletur. Commodißimum autem fuerit, intelligere pro iusticia imputatiua per fidem in Christum, seu gratuita donatione obedientiæ ac meriti Christi, ac remißione peccatorum. Nullum enim aliud est ornamentum, quo regi regum placeamus, quàm meritum Christi, nobis donatum ex ingenti misericordia: sicut Rom. 8. & 2. Cor. 5. docetur. Qui fidem asserunt eam esse uestem, ab hac sententia nihil discrepant. Qui uerò opera asseuerant eam uestem dici, quasi ijs homines coram Deo constitere, eumq; placatum habere queant: nimium operibus arrogant, ac tale uestimentum consuere tentant, quod in hac mortali uita non habebunt integrum: ideoq; nec poterunt hic in regno cœlorum esse, in altera uerò uita minus futuri.

Cæterùm quòd manifesta ui non possunt obtinere, astu tentant aggredi. Callido igitur consilio Pharisæi quosdam è suis discipulis, adiunctis ministris Herodis, ad Christum ablegãt, cum spinosa & captiosa quæstione, an liceret censum dare Cæsari, nec ne. Quod si negasset, Herodis serui eum tanquam seditionis autorem inuasissent, & suo regi tradidissent, qui absq; mora crudeliter in eum animaduertisset: sin affirmasset, Pharisæi eum, tanquã suæ libertatis impugnatorem, liberius uoluissent damnare. Sed Christus ipsorum corda perspicit, et intrepidè eorum cogitationes reuelat, uocans eos hypocritas & insidiatores. Postea postulato denario, & ipsorum testimonio accepto, tanquam antecedenti, quòd imago et circumscriptio esset Cæsaris, qui iam imperium in Iudæos teneret, consequẽtiam texit: Date ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Ita rubore suffusi, discedunt.

Hinc Sadducæi eum adoriuntur, doctrinam de resurrectione exibilantes: adducto exemplo unius mulieris, quæ septem habuisset maritos: & absurdum fore, si resurrectura essent corpora, & omniũ futura esset uxor. IESVS respondet, ipsos ignorare scripturas, et uirtutẽ Dei: in resurrectione, nõ fore procreationẽ liberorum. Deinde dicto Exodi capite 3. Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob, eos refutat. Nam Deum non esse Deum mortuorum, sed uiuentium.

Inde legis quidam peritus IESV quæstionem proponit, quod sit mandatum omnium maximum? IESVS eum deducit ad summam, quæ Deut. 6. recitatur, eamq; clarius exponit: Diliges, inquit, Dominũ Deum tuũ, toto corde tuo, et tota anima tua, et tota mente tua. Secundũ est simile huic, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum.

Ipse autem uißim eis quæstionem de Christo proponit, ac declarat ex psalm. 110, eum non tantũ esse filium Dauid, sed habere adhuc aliam superiorem naturam. Matth. 22. Marci 12. Lucæ 20.

Postea seriò turbas ac discipulos monet, ut sibi diligenter à scribis & Pharisæis caueãt. rationes sunt: quia dicant, & non faciant. Secundò, quòd cumulent humanas traditiones. Tertiò, quòd sint meri hypocritæ, ambitione flagrantes. Interspergit autem doctrinã, quòd Deus summus magister existat, qui omniũ maximè sequendus sit. Et mox iusto zelo accensus, pro suo ministerio excommunicationis fulmina in scribas & Pharisæos, tanquam hæreticos et animarum pestes, promulgat, uæ in ipsos clamãs: subiectis eorũ criminibus, q; regnum cœlorũ ante homines claudãt, hoc est, corrũpant doctrinã de remißione peccatorũ per fidem in Meßiã: quia domos uiduarũ uorent, hoc est, superstitiosis cultibus homines emungant pecunia: quòd seducãt homines specie conuersionis: quòd hypocrisin homines in iuramentis doceãt: quòd tantũ cæremonialia opera exigãt, reliquis neglectis: quòd externã tantũ speciem affectẽt: quòd intus pleni sint iniquitate: quòd etiam in posterũ sint occisuri saluos doctores: q; sint contemptores Dei. Deniq; prædicit eis uastationẽ huius loci: & præmonet, se rediturũ ad iudicium. Matth. 23. Marci 12. Lucæ 20.

Sedens in templo, uiduam duo minuta in gazophylacium mittentem præfert omnibus opulentis, qui ex abundantia iniecerant. Marci 12. Lucæ 21.

Egredienti de templo, quidam ex discipulis admirabundus, iubet IESVM etiam magnificentiam structuræ & lapidum in templo intueri: sed IESVS ait, lapidem non mansurum super lapidem. Mox alij accedunt, coram Christo multa de ædificijs templi gloriantibus. Sed rursus ait, quòd omnia sint diruenda.

Cum uenisset in montẽ Oliuarũ, ibiq; cõsedisset, discipuli seorsim accedũt, scisitantes quãdo hæc essent futura, et quod signũ sui aduẽtus, & cõsummationis seculi? Recitat igitur cõiunctim quædã præcessura, pdigia, & indicia tũ exitij Iudaici, tũ iudicij sui postremi. Coniun-

git autem utraq; ob similitudinem. Primum est, falsos doctores seducturos esse plurimos. Secundum, seditiones et bella frequentia. Tertium, pestilentiæ. Quartum, fames, sterilitas rerum. Quintũ, terræ motus. Sextum, immanis persecutio ministrorum uerbi Dei. Septimum, scandalum multorum. Octauum, odia et mutua proditio & traditio. Nonum: Pseudoprophetæ, falsa prædicentes, plurimos fascinabunt. Decimum, fœcunditas & incrementa scelerum. Vndecimum, charitatis extinctio. Duodecimũ, defectiones plurimorum à fide. Decimumtertium, Euangelij sparsio et diffusio per totum orbem terrarum. Decimumquartũ, abominatio desolans, stans in loco sancto: quã de idolo Caligulæ, illato in templum Hierosolymitanum, quidam intelligunt. Inserit autem hic admonitionem, ut omnes fugiant: & orent, ut tempore opportuno fugere possint. ingentem enim & horrendam uastationem futurã esse, qualis antè nunquam fuerit. Et tempus propter electos fore breuius, nec recuperaturos esse Iudæos suam terram & gloriam, sicut in Luca refertur: Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Decimumquintum: doctores, qui homines Christum quærentes, hoc est, remissionem peccatorum per Christum, in uaria opera ac loca sint deducturi, quasi hic uel illic esset, in deserto, in camera: item uarijs signis & prodigijs homines dementaturi, quòd Christos & Prophetas se uenditabunt: hoc est, se uicarios Christi esse in terris, se prophetarum autoritate instructos, ut et doctrina ipsorum sit irrefragabiliter audienda: & politicam se quoq; habere potestatem, nec possint errare. Sed uetat Christus, ne eis obtemperent. nam subitò adsuturum iudiciũ. Decimumsextum: Eclipses solis & lunæ, casus stellarum, commotio uirtutum in cœlo. Decimumseptimum, signum filij hominis in cœlo. Decimumoctauum, planctus omnium tribuum in terra. Tum, ait, se rediturum in maiestate, & angelos collecturos esse uoce & tuba electos. Solatur autem suos, ne contristentur, sed lætentur potius: comparatione à ficu exerente folia, quæ sit ueris nuncia, sumpta: ita ista prodigia quasi præcones esse aduentus Christi. Deinde uult, ut uerbis suis insistant firmiter, quæ sint rata atq; perpetua. Diem autem & horam neminem, præter patrem, scire: hac uoce eos prorsus à scrupulosiori inquisitione auocans. Decimumnonum adijcit: Securitas summa, sicut ante diluuium erat, Noe concionante. In fine hortatur ad uigilantiam. horam enim esse incertam: & plurimum referre, quomodo quisq; inueniatur. Declarat autem Christus eam adhortationem à simili, quòd prudens seruus cogatur uigilanter obseruare heri reditum: sin minus, quòd securus aut maleficus postea daturus sit pœnas. Matthæi 24. Marci 13. Lucæ 21.

Vt autem magis torporem excutiat, præmia ac pœnas proponit, idq; per simile: quòd uirgines quinq; prudentes, instructæ oleo & lampadibus, sponsum comitentur: reliquæ quinq; fatuæ dormitantes, & oleo destitutæ, excludantur. Qui typus admonet, non esse conuersionem procrastinandam. Proponit & simile de elocatione talentorum. ubi ij qui fructum adferunt Domino, præmijs ornantur: qui uerò desoderat, spoliatur, & punitur. Hæ similitudines extra institutum Christi non debent extendi. Intentio autem Christi est, ut uigilantiam inculcet, singulis momentis præstandam. Matthæi uigesimoquinto.

Monet etiam, ne patiantur crapula, ebrietate & curis huius uitæ, grauari corda: et ut ardenter orent, ut et fugere imminentia mala, & ante filium hominis stare queant. Lucæ 21.

Huic grauissimæ concioni adiungit Christus patefactionem de forma, processu & fine extremi iudicij, in quo ipse futurus sit iudex in maiestate, stipatus angelis. Quòd omnes gentes sit congregaturus ante se: quòd protinus futura sit segregatio, aliquot à dextris, aliquot à sinistris consistentibus. quòd duplicem laturus sit sententiam: unam in benedictos sui patris, hoc est credentes, quorum etiam opera sit celebraturus & cõpensaturus: alteram in maledictos, hoc est incredulos, quorum peccata manifestaturus & puniturus sit. Prior cœtus in regnũ Dei transferetur, alter in ignem æternum cum Diabolis præcipitabitur. Et quòd ibi nulla excusatio locum sit habitura: quòd ut iustorum uita & beatitudo erit æterna, ita & impiorum supplicia æterna.

Hisce consummatis, clarè prædicit, in eo Paschate, quod post biduum esset futurum, se captum & crucifixum iri. Matth. 26.

Interea temporis Hierosolymis apud Pontificẽ Caypham frequentissima synodus reliquorum Pontificum, scribarum & seniorum cogitur: qui omnes in eam sententiam pedibus, quod dicitur, eunt, IESVM Christum esse interficiendum, doloq; capiendum: idq; maturè, adhuc ante celebrationem festi paschatos, ne res noua pariat tumultũ in populo, si ipso festo eum trucidare uellent. Apparet autem, aliàs ipsos non habituros fuisse istius festi rationem, modò Christũ tollerent, tanquam suæ religionis hostem pernicioſissimum. Nam quid ante paucos dies in templo egisset, omnibus notissimum erat. Matthæi uigesimosexto, Marci decimoquarto, Lucæ uigesimosecundo.

Aberat autem tum IESVS in Bethania, in domo Simonis Leprosi: sic cognominati, quia lepra primùm infectus, à Christo sanatus erat. Ibi & hoc memorabile accidit, quòd mulier ad IESVM accedens, unguento precioso, fracto etiam alabastro, caput eius perfundit: quod discipuli uidentes ægrè ferunt, quasi esset inutilis profusio, & minus grata ipsi Christo, ut qui antea non cõsueuerat tam prècioſe ungi. æstimabant enim unguentum tercentis denarijs. Sed Christus probat factum, & addit interpretationem: quòd sepulturam suam denotet, iam instantem, nec sit eius memoria in Ecclesia peritura. Matthæi 26. Marci decimoquarto. Est autem hæc tertia Christi inunctio, à cæteris euidentibus circumstantijs diuersa.

Hoc autem tempore & Iudas Iscariotes, unus ex discipulorum numero, clàm discedit, & cum principibus sacerdotũ pacisci tur, de proditione IESV Christi magistri sui, certo stipendio. Ac conueniunt utrinq;, de argenteis triginta. Fortè Iudas resciuit decretum Pontificum Hierosolymitanorum, quòd IESVM uellent de medio tollere, nec ei licentiam concionandi, sibiq; insultandi amplius promittere. audiebat etiam, Christũ nihil aliud q̃ mortem ignominioſissimã sibimet præsagire: ac pertæsus iam erat paupertatis, periculorũ & odiorũ, sibiq; in tempore amicos & opes parare cogitabat: non

non obscurè augurãs, discipulos Christi in maximis angustijs deinceps futuros. Læti autem iam sunt pontifices, ac tantum non triumphant, accepto uno ex Christi schola & collegio, qui suis iam partibus accederet, & pecunia sibi esset addictus, suasq; machinationes omnes strenuè esset adiuturus. Neq; est ignauus Iudas, sed opportunum tempus tradendi callidè obseruat. Testatur autem historia sequens, quòd perfricta fronte, rursus se adiunxerit Christo familiariter, quasi omnium fraudum expers.

DE QVARTO ET VLTIMO PASCHATE, IN QUO IESUS CHRISTUS AGNUS DEI PECCATA TOTIUS GENERIS HUMANI PORTAUIT, AC FELICITER RESURREXIT, UICTOR PECCATI, MORTIS & DIABOLI, PARTA IUSTICIA QUÆ OMNIBUS IN CHRISTUM CREDENTIBUS DEBET COMMUNICARI.

ANte diem Paschæ, ut Iohannes ait, seu primo azymorũ die, scilicet instante (nam ipso Paschatis festo azymi dies inchoabantur, seu die parasceues, quem Latini modò Iouis nominant) IESVS ablegat discipulos Petrum & Iohannem, Hierosolymã, ut præparent Pascha, nec hominem nominat, sed eis signum proponit, ut hominem quem conspexerint lagenam aquæ portare, sequantur, & ei exponant mandatum IESV, quòd uellet apud eum pascha comedere, ut commodum locum ei rei in sua domo daret. Abeunt autem discipuli: occurrit talis homo, promptè conceditur locus, agnus à discipulis præparatur ritu à Deo præscripto. Nicephorus asserit libro primo, capite uigesimooctauo, in domo Iohannis euangelistæ, sita ad montẽ Sion, eam cœnam fuisse peractam. Sed Euangelistæ non meminerunt.

Vespere iam facto, & præparato agno (nam ut à uespere diem ordiebantur Iudæi, ita & festum Paschatis ab eo tempore initium habebat) hoc est, uespera die Veneris, ut uocamus hodie, præcedente, IESVS Christus cum duodecim (ecce Iudas adest) discumbit. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ uigesimosecundo. Non autem dubium est, quin ritu Iudaico eam ceremoniam Christus peregerit stando, accinctus, & baculum tenens. Vsi autem sunt Euangelistæ uocabulo discumbendi, pro ad mensam accedere: & peractis ritibus præceptis, haud dubiè consedit.

Initiò autem habet concionem, exponens, se summo desiderio hoc paschate cum suis uesci. Causas exponit, quia hoc sit postremum: quia iam sit passurus. Deinde poculum præbet, & dicit se posthac non amplius usurum tali cœna et potu: & subinde inserit doctrinam de regno æterno, suoq; aduentu in nouissimo die. Lucæ uigesimosecundo.

Deinde inter edendum clarè monet, unum ex suis discipulis hic secum uescentibus, se proditurum. & atrocissimas pœnas prædicit, ut erga hostem etiam suam benignitatem declararet, si fortè ad pœnitentiam reuocari posset. Quo audito, cõtristantur omnes uehementer: ac quilibet solicitè quærit de se. deniq; & Iudas ipse erumpit, nullam pudoris significationem præ se ferens, latêre Dominum credens quod clàm peregerat: Nunquid ego sum, inquit, Rabbi? Iesus respondit, Tu dixisti. Verùm eam responsionem quasi ambiguã sustinet adhuc, fortè & cæteri discipuli nõ satis intellexerunt. Matthæi 26. Marci 14.

Dum autem ita simul comedunt, IESVS testamentum suum condit, & ceremoniam nouam orditur atq; instituit, abrogans priorem illam agni paschalis comestionem, et nouam præcipiens, idq; tali modo. Sumpto enim pane, benedicit & frangit, ac dat discipulis suis, inquiens: Accipite, comedite, hoc est corpus meũ, quod pro uobis datur: hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem accipiens, gratias egit, et dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes. hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro uobis effunditur in remissionẽ peccatorum. Ac monet se iam passurum, & regnum æternum inchoaturum. Matth. 26. Marci 14. Lucæ uigesimosecundo.

Sicut autem uerba testamenti humani, à sanis hominibus ante mortẽ prolata, sunt certa, euidentia, & perspicua: sic nullum debet esse dubium, quin Christus, fons sapientiæ, etiam à sermone nomen habens, diserte & propriè & planè sit in hac actione locutus, neq; indigeat interpretibus, qui cogitationibus ex ratione humana sumptis ei succurrant. Corpus suum comedi pane, & sanguinem suum bibi uino, affirmat & ordinat, non figuram aut umbram. Verbo eius et omnipotentia nostra inuitatur fides, sicut pater è cœlo eum audiri iubet: licet omnis philosophia hic, sicut & in cæteris fidei articulis, reclamet. Copulantur autem, & promissio de remissione peccatorum per meritum Christi, & sumptio panis, de quo ait, Hoc est corpus meum: & uini, de quo ait, Hic est sanguis meus: ac simul ore ac fide percipi debent. Verùm hæc alibi copiosius. Ideo autẽ hoc testamentum cõstituit, ut Ecclesia omnibus temporibus euidentem & illustrem applicationem haberet suorum beneficiorum.

Magna cœnæ parte peracta, surgit: & accinctus linteo, peluiq; accepta, incipit discipulis lauare pedes. Ad Petrum cum ordo uenisset, renuit: sed necessitatem exponit Christus, adeò ut non sit secum habiturus partem, nisi lotionem à se acceperit. Postea totus lauari cupit: uerùm monetur, ut contentus sit lotione pedum. Lotione absoluta, rursus considens, docet hoc factum esse exemplum, ut & ipsi similiter facerent, mutuis charitatis officijs. & rursus quædam meminit de proditore, et significat id Psalmo 41 prædictum esse: Iohan. 13.

Repetit autem sermonem de proditore suo, quòd sedeat in mensa secum: quo audito, discipuli inter se quærunt, quis nam sit. Lucæ 22. Iohan. 13.

Hinc apparet, quòd Iudas cœnæ interfuerit. ac mirum est, eum tot admonitiones potuisse absq; rubore ac lachrymis audire. Mira etiam Christi mansuetudo & patientia, deniq; etiam pietas erga suum hostem elucet, quòd non tractat eum acerbius, non repellit palàm, sed summis etiam beneficijs eum adhuc afficit. quibus satis testatum facit, se non delectari eius interitu, & ex animo cupere ut agat pœnitentiam. neq; dubium est, quin etiam propterea cumularit sua in hunc miserum hominem beneficia, ne postea agnoscens peccatum, desperationi se totum dederet, sed ad clementissimum ac mitissimum Christum se reciperet.

Innuit aũt Petrus Iohanni, in sinu Christi recũbenti, ut ex Domino diserte, quis nã ille proditor esset, quæreret:

reret: id'que facit Iohannes. Respondet autem Christus: Is est, cui intinctam panis buccellam porrigo. Et statim accepto panis fructulo, Satanas in hominem, quem prius etiam fascinauerat, prorsus intrat. quod Christus perspiciens, addit: Quod facis, fac citius. Iudas igitur accepta illa buccella, continuò egreditur. Discipuli autem reliqui nondum omnia assequuntur.

Hymno dicto, contentio inter discipulos exoritur, quis ipsorum maximus futurus esset: animaduertebant enim, rerum maximarum mutationes iam instare. Sed Christus prorsus eis eximit cogitationes de regno mundano, ac spem præcidit, prohibens ipsis imperia politica, & discernens ab ipsorum officio. Deinde inculcat, ipsos futuros esse ministros: idq; à suo exemplo. Tertiò, ipsorum regnum & gloriam in altera uita secuturam, ac in nouissimo die primùm reuelandam esse. Lucæ 22. Rursus mentionem injicit de suo transitu: & ipsos discernit à sua actione, quòd iam se non possint ei socios præbere. monet, ut se mutuò diligant: idq; etiam professionem ipsorum postulare. Iohan. 13.

Postea dicit, omnes in se scandalum passuros, idq; iuxta prophetiam Zachariæ 13, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Consolatur tamen, quòd resurrecturus sit, & placidè ipsos uelit recipere, seq; ipsis manifestare. Postea etiam peculiariter affatus Petrum, inquit: Satanam expetiuisse, ut eos cribraret: uerùm se oratione obtinuisse, ne Petri fides deficeret: & ipsum aliquando conuersum, debere fratres suos confirmare: sed Petrus confidenter respondet, se non defecturum esse à Christo, uel si reliqui omnes scandalisentur: imò se paratũ esse pro Christo uitam profundere. Christus respondet, eum aliquando id facturum: Sed iam in hac nocte, priusquam gallus bis cecinerit, ter me negabis. Sed Petrus constanter pernegat, se id facturum esse: & adstipulantur cæteri omnes. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Iohan. 13.

Post hæc rursus monet, certaminibus nunc opus esse, & iam oportere scripturam impleri Esaiæ quinquagesimotertio: Cum iniquis deputatus est. Discipuli id quod de gladio prouerbialiter Christus dixerat, non intelligentes, duos gladios aiunt in parato esse. Sed Christus respondet, Satis est: subindicans, res istas, quas nunc moliatur, non esse corporalibus armis gerendas. Lucæ 22.

Cum iam discipuli mœsticiã aliquam præ se ferrent, Christus eos erigere atque solari incipit, ne propterea turbentur nimiũ: sed credant in se, ut in uerum Deum. Secundò, quod eis paraturus sit hac sua passione locum in cœlo. Tertiò, quòd eos sit recepturus aliquando prorsus ad se in uitam æternam.

Thomas cõmuni nomine, ipsorum iusticiam & imbecillitatem prodit: libereq; profitetur, se nescire quò sit abiturus. Christus docet, ad patrem se iturum: ac non patêre cuiquam ad patrem accessum, nisi per se: imò in se patrem cognosci. Mox Philippus coràm patrem intueri gestiens, rogat ut patrem sibi cæterisq; commonstret. Sed Christus docet, ipsos debere esse contentos, quòd se uideant: propterea quòd ipse in patre, & pater in ipso sit: nec alia magis arcana inuestigent. Deinde: Verba, ait, se ex uoluntate patris proferre: Deniq; opera de se testimoniũ perhibere, quòd sit uerus Deus. & prophetat de operibus Ecclesiæ. docet de oratione in suo nomine facienda, de sua intercessione apud patrem, de donatione Spiritus sancti, et quòd mundus non sit eius capax: de perpetua defensione suorum, de suo discessu, de uita æterna, & plena cognitione Dei: de uerbo Euangelij, eiusq; fructu.

Interpellat autem & Iudas, concionem Christi non satis intelligens, quomodo sese esset manifestaturus. Christus respondet: uerbo se id facturum. & prædicat uerbi sui efficaciam, dignitatem & autoritatem,

Pollicetur peculiarem Spiritus sancti missionem, cuius auxilio omnia rectius sint intellecturi, quæ à Christo audiuissent.

Rursus autem monet de passione sua, & eius fructibus, quòd pacem cordium esset impetraturus. Quapropter ipsos non debere nimium mœrere. Se enim iuxta patris cœlestis consilium, & propter amorem mundi subiturum ista omnia: ac principem huius mundi superaturum, nec succubiturum esse.

Hac concione absoluta, nocteq; ingruente, monet ut iam surgant, & excedant ciuitate, rectà ad montem Oliuarum ituri. Iohan. 14. Cæterùm quoto die hoc paschà celebrauerit, inferius attingemus, ubi simul de tempore passionis differendum erit.

In itinere porrò salutari doctrina discipulos imbuit Christus, docens de bonis operib. in genere, qui ea præstare possint, quomodo fieri debeant, et quo fine: de dilectione in specie, primæ & secundæ tabulæ. Causæ recitantur: primùm suum exemplum, deinde ipsorum nocatio, de oratione, de persecutione toleranda. rationes sunt, à suo exemplo: à causa, quòd non sint de mundo, et tantum nomen Christi sonent: quòd cæci sint, quòd contra ipsum Deum sæuiant. de spiritu sancto, & eius officio, de ministerio Apostolorum. Iohan. 15.

Admonet etiam, quantæ tempestates sint excepturæ Apostolos: quòd excommunicabuntur, & interficientur, singulari cum triumpho, quasi blasphemos homines iugularẽt: idq; tamen ait facturos esse homines, qui Deum non recte norint. Docet rursus de sua passione, & eius meritis, quòd Spiritum sanctum sit impetraturus. De ministerio Spiritus sancti, quod taxaturus sit mundum de peccato, iusticia & iudicio: quòd Spiritus sanctus ipsos in percipienda doctrina, quam nondũ plenè assequebantur, sit adiuturus.

Iterum autem inculcat de suo discessu. quod cum nõ intelligerent, pergit eis explicare, quòd in maximo sint futuri luctu, mundo contrà triumphante. Sed ipsos rursus consolationem & gaudium accepturos. idq; amplificat à pariẽte muliere, quæ dolores initio partus habet: sed infante nato, præ gaudio omnium laborum obliuiscitur. Sic promittit se rursus eos uisurum, & æternam læticiam ablaturum esse. Commemorat & fructũ passionis suæ, orationem: & commendat patris in ipsos amorem et beneuolentiam, quam quidem propter fidem in Christum consequantur. Subijcit autem rursus commonefactionem, quòd discipuli sint eum deserturi. & mox addit, quòd in toto curriculo uitæ suæ aduersitates sint habituri: quibus non debeant frangi, sed in Christo confidere, qui mundum uicerit. Iohan. 16.

His finitis, ad orationem ardentissimam se conuertit, sublatis in cœlum oculis. Petit autem, ut nunc clarificetur

rificetur. ac docet simul de uita æterna, de uera Dei cognitione, de suo officio: de sua æterna gloria, quam ante mundi conditionem apud patrem habuerit: de uerbo suo. Applicat suum meritum cunctis credentibus, & discernit mundum non credentem. Orat pro Ecclesia, ut nomen Dei in ea sanctificetur: & ut Deus in credentibus habitet, atque ad uitam æternam transferat. Non autem magis seria hactenus oratio à Christo recitata est, quàm hæc: & ita gratior debet cunctis esse, quia applicationem uniuersalem meritorum Christi continet.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI pro peccatis totius mundi.

ACTA IN HORTO.

VEniunt tandem Christus & discipuli trans torrentem Cedron, in uillam Gethsemane, in hortum, quem simul ingrediuntur. Frequenter autem antea quoq; in eo loco fuerat Christus, non ignarus ibi se initium passionis suæ facturum esse. Iubet autem discipulos considere: & peculiariter assumpto Petro, Iacobo & Iohanne, paulo longius à cæteris abducit: fortè ut, quia prius suam gloriã in monte cõspexerant, nunc etiam ingentem eius humilitatem coràm intuerentur. ac cœpit cohorrescere, ac mœstus esse: idq; clarè significat, animam suam dicens esse perturbatam usq; ad mortem. Hortaturq; ut secum uigilent, & preces ad Deum faciant, ne in tentationem incidant. Mox ab ipsis ad iactum lapidis progressus ac segregatus, in faciem suã se prosternens, orans claraq uoce: Pater, inquit, si est possibile, transeat à me calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Ex istis angustijs surgens, uenit ad discipulos, quos offendit dormitantes. Simon autẽ alloquitur, blandè increpans, quòd ne una quidem hora secum posit uigilare: et omnes cohortatur, ut iam orent, ne in tentationem cadant: spiritum quidem in se promptum esse, sed carnem infirmam. Abit autem iterum ad orandum, & eadem precatur. & rursus ad discipulos redit: sed ipsi altùm dormiunt, & ut somnolenti non habent quod Christo respondeant. Tertiò ad locum orationis reuertitur, eadem petens. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ uigesimosecundo.

Dum autem ita luctatur, ecce angelus è cœlo apparet, eum confortans. Pergens autem in sua acerrima luctã, prolixius & ardentius inuocat: ita etiam, ut iam sanguinis guttæ ex eius corpore erumperent, & in terram decurrerẽt. Lucæ 22. id quod de nullo unquã homine compertum est. Testantur autem isti pauores, luctæ cum morte, et cruenti sudores, immensum esse peccatorum pondus totius humani generis, propter quæ tantos cruciatus IESVS Christus sustinet: item, quanta sit ira Dei: ac quantæ pœnæ nobis omnibus incubuissent, nisi is Mediator uenisset. Declarant etiam immensum amorem filij Dei erga genus humanum, qui ut nostræ saluti consuleret, tam acerbos & tristes cruciatus non abhorruit. Probant, Christum uerum esse hominem, ac patiendo nostram salutem parare ac recuperare.

Etsi autem nulla creatura angustias, quas hoc in loco Christus perpessus est, explicare potest: tamen considerari eas necesse est, quantum in hac imbecillitate naturæ nostræ fieri potest.

Existimant autem docti, in istis atrocissimis pauoribus, et consternationibus, sicut alijs hominibus naturaliter usuenire solet, in Christo uero homine sanguinẽ ad cor recurrisse, idq; propemodũ suffocasse. Sed Christum, accepta diuina consolatione per angelum, fortissimè pauores retudisse, adeò ut sanguis rursus à corde repulsus, etiam exteriora ruperit, ac per poros effluxerit. Verùm rem tantam ritè explicari non posse, antea sumus testati.

Absoluta sua precatione, redit ad discipulos, qui somno oppressi iacent. Excitat autẽ eos, familiariter obiurgans, quòd omnes in tantis periculis somno indulgerẽt. In propinquo enim esse, ut filius hominis tradatur in manus peccatorũ. & cohortatur eos, ut ocyus surgant: iam in propinquo suum proditorem cum hostibus adesse. ac monet, ut amplius orent, ne intrent in tentationem. Ingens autem hic discipulorũ stupor describitur: ut toti generi humano constaret, solum IESVM Christum in sua passione & expiatione peccatorũ relictum, & discipulos uehementer fuisse imbecilles: quos tamen, quia paulatim proficiebant, tolerat.

Adhuc Christo cum discipulis loquente, ecce aduenit hostium multitudo, missa à pontificibus, magistratibus templi & senioribus, armati gladijs & fustibus, lateranis & facibus instructi: & antesignanum atq; ducem agit Iudas Iscariotes, unus ex Apostolis & conuictoribus Christi: quem non dubũ est, antea cum Christo docuisse, gratam Euangelij uocem & miracula iussu eius edidisse Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Iesus Christus autem ipsis uisis, non consuluit sibi fuga: uerùm omnia exactissimè præsciens, quæ sibi erant euentura, sponte obuiã eis progressus, placidè affatur: Quem nam quærant? Et confessus se esse IESVM, statim omnes ea uoce ueluti fulmine perculsi ac prostrati in terram cum Iuda corruunt, suarum minarum & armorum obliti. Voluit autem Christus hoc miraculo eos monere, de pœnitentia: item ut manifestum fieret, se sponte sese dedere passioni, nec inuitum ad eam hostium solummodo ui ac furorib. pertractum esse: præterea ut constaret, quid iratis uerbis ac manu posset, qui blanda responsione & confessione tam iratos hostes prosterneret.

Cum iam rursus humo se erexissent, nondum in eum impetum facere possunt. Denuò igitur Christus quærit, quem uelint? At ipsi, IESVM se dicunt quærere. Ibi iterum respondet, se esse: ac præcipit eis, ut se solũ capiãt, & discipulos suos liberè dimittant. Iohan. 18. Mira autem res est, quòd hostes sæuissimi hic coguntur ad inermem uirum consistere, et aspectu eius tantopere terrentur, ut quasi effœminati, ibi armorum & manuum suarum usum, nescirent. Iohan. 18.

Tandem Iudas etiam, hisce miraculis nihil motus, impudentissima fronte accedit, ac oculo uocẽq; IESVM salutat: Aue, inquiens, rabbi. Hoc enim signum eis dederat, ut eum cui oculum fixisset, quem que Rabbi appellasset, comprehenderent, & cautè ducerent. Cogitent uerò omnium piorum pectora, quàm tetra res sit, organum fieri Diaboli, siue ambitione, siue auaritia. IESVS placidè Iudam alloquitur, Amice

ad quid

ad quid ueniſti? num oſculo tradis filiũ hominis? Tunc demum cateruatim in IESVM irruunt, ac uincula inijciunt. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Diſcipuli iſta uidentes, quærũt, an gladio uim illam propulſare debeant? Petrus uerò non expectato reſponſo, Malcho pontificis miniſtro dextram auriculam gladio extracto amputat. At Chriſtus non probat factum, ac iubet eum gladium in uaginam recondere, grauiſſimas adijciens rationes. Primùm: quòd omnes gladium præter uocationem uſurpantes, gladio debeant perire. Secundò: quòd nõ indigeat patrocinio hominum. nam ſi auxilium uellet, poſſe ſe aliquot legiones angelorum impetrare à patre cœleſti. Tertiò: oportere ſe iam pati, ſicut à patre ſit præfinitum. Quartò: alia ratione, niſi profuſione ſanguinis, Scripturas impleri nõ poſſe. His ita expoſitis, in momento auriculam ſeruo reſtituit: etiam hoſtibus benefaciens: & ne quis diceret ſe uiolenter in ulla re egiſſe, ſed tanquam ouis ad mactationem ſuam accederet.

Dum autem conſtrictus uinculis in harpyiarum manibus hæret, infracto hoſtis ſuos animo compellat, expoſtulans cum eis, quare armati progreſſi ſint, tanquã latronem publicum capturi: cum intrepidè hactenus in templo Hieroſolymis, cæteriſq; publicis locis docuiſſet, nec inuaſiſſent ſe tanquam hoſtem. Sed ipſos iam horrendis tenebris iactari: atq; hoc modo ſcripturas impleri. Sic etiam hoſtes monet de Scripturis, ſua innocentia, ipſorum tetris peccatis: ſed fruſtrà pergunt enim furenter. Diſcipuli autem, paſtore capto, in fugam ſe conijciunt: & unus apprehenſus ab hoſtibus, reiecta ſindone nudus auſugit. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioh. 18.

ACTA CORAM PONTIFICIBVS, ſeu Magiſtratu Eccleſiaſtico.

Ingreſſi urbem cum captiuo IESV, primùm eum ad Hannam deducunt, quod fortè in itinere ea domus primùm occurreret: tum quòd Cayphæ pontificis ſocer eſſet, gratificaturi utriſque. Ibi arctius uincitur. Inde autẽ rectà in domum Cayphæ, qui eo anno ſummi pontificis munere fungebatur, pertrahitur: ubi et cæteri ſacerdotes, ſcribæ & ſeniores conuenerant.

Sequebatur autem IESVM Petrus ẽ longinquo, & alius quidam diſcipulus: qui cum notus eſſet pontifici, intromiſſus eſt. Petro autem ad oſtium pauliſper expectante, impetrauit ille alter diſcipulus ab oſtiaria, ut & ipſi ingredi liceret.

In inferiori aulæ parte, miniſtri congeſtis & accenſis prunis, propter nocturnum frigus ſe calefaciunt. Ad eos Petrus rerum finem expectare uolens, accedit calefaciendi ſui gratia. Eum conſpicata ancilla, tanquã ignotum, procaciter eum alloquitur: Et tu Ieſu Galilæi es diſcipulus? Petrus negat, & ſe neq; noticiam eius hominis habere ait, nec ſcire quid dicant. Paululumq; in atrium excedit, ibi galli cantũ audit. Sed redit intrò, peccato dormiente in ſua conſcientia.

Interea coram toto cœtu princeps Sacerdotum inquiſitionem doctrinæ Chriſti inſtituit, non obijciens ei falſa dogmata: ſed iubens eum indicare, quid'nam docuerit? IESVS de iniquo eum proceſſu redarguens, quòd uinctum iudicio ſiſterent, nec haberent quod obijcerent, ait: Se palàm in templo, in ſynagogis ac cœtibus Iudæorum ſemper docuiſſe, nihil uerò in angulis egiſſe. et prouocat ad ipſos auditores, à quibus quid docuerit, eſſet audiendum, cum manifeſta ſit ſua doctrina. Hoc reſponſo dato, miniſter aſsiſtens, audiens negligentiam ſacerdotũ & iniquum proceſſum carpi, alapam in gratiam dominorum IESV impingit, dicens: Siccine te oportet Pontifici reſpondere? At IESVS, quia de doctrina agebatur, indicat, teſtimonijs ſe conuincendum eſſe, ſi malè reſponderit: ſin bene, debere eum continere manus.

Nihil autem abſterriti ſacerdotes et reliqui, ſtudioſe cauſas inueſtigant, ob quas eum morti tradere poſſent: ſed uel comminiſci nullas queunt. Anxiè autem teſtimonia inquirunt: quæ tamen proferuntur eiuſmodi, ut ipſiſmet non ſatisfaciant. Denique quidam prodeunt in medium, qui affirmant Chriſtũ docuiſſe, ſe poſſe ac uelle templũ hoc manu factum deſtruere, & in triduo reſtaurare ſine manibus factum. Verùm neq; in eo teſtimonio cõſentiebant. Princeps tamen ſacerdotum urget IESVM: uerùm ipſe tam craſſa & manifeſta mendacia non dignatur ulla reſponſione.

Tum princeps ſacerdotum ſeriò rem aggreditur. Adiuro, inquit, te per Deum uiuum, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus, filius Dei benedicti. IESVS clarè & diſertè reſpondet: Tu dixiſti, ego ſum. et addit teſtimonium: Veruntamen, inquit, dico uobis, A modò uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis Dei, et uenientem in nubibus cœli. Hæc certè nulli quàm filio Dei cõuenire poſſunt. Sed princeps ſacerdotum, tantum abeſt ut longius iſta cum IESV diſputaret, ut continuò teſtimenta diſrumpens exclamet: Blaſphemias dicit, nullis amplius teſtibus eſſe opus, uel ſolam hanc blaſphemiam morte eſſe dignam. Conſuluntur et reliqui. hi omnes uno ore decernunt, eum mortis reum eſſe. O cæcũ, peruerſum & iniquũ iudicium. Fatetur hic uir ſe eſſe Meſſiam ac filium Dei. inde mox infertur, eum occidendum eſſe. An non decebat eum de errore conuinci? Atqui uerè deſtinatus erat morti Meſſias: uerùm hanc Iudæorũ iniquitatem & rabiem minimè probabat Deus.

Iſta cernentes miniſtri, nullum non contumeliæ genus in innocentem uirum exercent, illudentes ei, & in faciem expuentes, ac colaphis cædentes. Alij etiam contecta eius facie, pugnis eum in faciem percutiunt, ac iubent eum uaticinari, quis eũ percuſſerit: diraq; in eum conuicia congerunt. Tales nimirum ſunt ſatellites, miniſtri ac ſocij Pontificum ac ſacerdotũ: partim manifestè, partim occultè, cõfeſſores ueritatis, præſertim uerò concionatores, cõtumelioſiſſimè tractantes, nullis non probris uexantes, & Diabolicis ſarcaſmis exagitantes.

Dum iſta peraguntur, alia ancilla Petrum uidet, & dicit eum cum IESV Nazareno fuiſſe. Idem alij ei obijciunt. ſed Petrus iterũ negat, ſe non eſſe, neq; hominem nouiſſe, addito etiam iuramento. Poſt horæ interualli, alij de eadem re inſimulant: idq; ex ſermone manifeſtũ eſſe. Cognatus etiam Malchi aſſeuerat, ſe ipſum in horto conſpexiſſe. tunc etiam ſe deteſtari & iurare incipit, ſe non eſſe eius diſcipulum, neq; eum nouiſſe. Et continuò gallus ſecundò cantauit. Et cõuerſus Ieſus, Petrum eſt intuitus. tum primùm cœpit agnoſcere lapſum ſuum horrendum: nec potuit amplius hominũ conſpectũ ſuſtinere, ſed fòràs ſe conferens, amarè fleuit. Sic quæ Chriſtus

stus prædixerat, omnia complebantur: & in aula pontificis Petrus abnegat, id quod mysterio nõ caret: sicut etiam Iudas in aula sacerdotum triginta argẽteis Christum uendit ac prodit. Matth. 22. Marci 14. Lucæ 22. Iohannis 18.

Sub crepusculũ rursus coeunt pontifices, seniores et scribæ: & rursus sistitur Christus cõcilio. nam interea inter impios ministros uariè exagitatus fuerat. Denuò autem interrogatur, an sit Meßias? Iesus respondet: Nihil apud uos proficio: siue confitear uobis, non creditis: siue interrogem, non respondetis, nec me dimittitis. Ac repetit, quòd eum posthac uisuri sint, sedentem à dextris uirtutis Dei. Inferunt igitur: Num tu ergo es filius Dei? respondet: Vos dicitis, ego sum. Abrumpitur igitur actio, omnesq; iudicant, se nullo amplius testimonio indigere. Lucæ 22.

ACTIO CORAM PILATO, SEV magistratu politico.

Lata iam sententia in Iesum, quòd supplicio capitali afficiendus esset, è domo Cayphæ ad prætoriũ, in quo Pilatus ex urbe Roma missus ius dicebat, tanquã politicus magistratus, ducebant, ut confestim Iesus occideretur. Matth. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Iohan. 18.

Iudas autem rabiem Pontificũ uidens, & audiens Iesum nullius criminis esse reum, incipit iudicio Dei peccatum suum considerare: et repentè adeò augescit, ut agnoscat, se Meßiam sceleratè tradidisse, nec potuisse ullum maius peccatum cõmittere. Euestigiò igitur triginta argenteos ad sacerdotes reportat, clarè testificans se peccasse, quòd iniustum sanguinem tradidisset. Sed ipsi detrectant eam pecuniam recipere: et occimunt, ea se eius conscientiæ relinquere. Iudas igitur properè in templum currit, eò abijciens proditionis argenteos: & peccatorum pondere, terroribusq; diaboli uictus, uitam suam fœdè laqueo finit: crepansq; medius, intestina effundit. Sacerdotes hypocritæ pecuniam nolunt in corbonam mittere, eo quòd esset preciũ sanguinis: ac communi consilio, postea agrũ figuli in sepulturã peregrinorum emunt. Idq; iuxta prophetiã Zachariæ factum est, cap. 11. Et acceperunt, inquit, triginta argenteos, precium æstimati, quem æstimatum emerunt à filijs Israel, et dederũt eos in agrum figuli, sicut cõstituit mihi Dominus. Matth. 27. Act. 1. Eiusmodi nunc pœnas luit, qui ob pecuniam cum impijs sacrificulis colluserat, nec ueniam à Christo precabatur. Quales uerò pœnas dabunt, qui posteriorib. temporibus, longè maiori precio Iesum, impijs sacrificulis produnt atq; prostituunt?

Vide autem rursus insignem persecutorum hypocrisim. Iudæi enim in prætorium nolebant ingredi, ne aliquid impuritatis cõtraherent, ob festũ Paschatis, quod sub uesperam comedendũ erat. Pilatus igitur egressus, quærit, qualia contra hunc captiuũ crimina proferrẽt? Pontifices & eorum socij superbè respondent: Nisi is esset maleficus, non eum tibi huc adduxissemus. Apparet igitur, Iudæos initiò prorsus nullam causam protulisse: sed tantũ superciliosè postulasse, ut iste quem uinculis constrinxissent, morti traderetur.

Pilatus autem eorum impudentiam coarguens & ridens, inquit: Vos igitur eum punite. Sed ipsi mox confitentur, sibi eam potestatẽ ademptã esse: idq; sic futurũ esse Iacob prædixerat, ut Gen. 49 scriptũ est. Iohan. 18.

Ne autem crudeles sanguisugæ haberẽtur, proferũt tandem crimina ægrè extorta: ut quòd iste sit seductor populi, hoc est hæreticus: et prohibeat censum dare Cæsari, hoc est sit seditiosus: & profiteatur se Christum regem, id quod utrumq; complectitur. Lucæ 23.

Hisce criminationibus motus Pilatus, in prætorium ingreditur, & uocatũ ad se Iesum quærit, an sit rex Iudæorum? Iesus respondet, se esse. uerùm mox discernit suum regnum à mundano: Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo. & certißimi argumenti loco recitat, quòd nemo pro eo pugnet: hoc est, sit rex destinatus morti. Imò ulterius se declarat, quòd sit rex ad hoc missus, ut ueritatẽ publicè traderet: atque omnes se debere audire. Pilatus tam mirabilem regem, nempe uerbalẽ tantum, ut qui gloriaretur solummodo in cõfeßione ueritatis, ridet & exibilat.

Nullo crimine deprehenso, prodit iterum ad populum Pilatus, de innocentia Iesu publicè testimoniũ perhibens. At principes et sacerdotes pergũt obijcere alia. Verùm Iesus tacet ad ea omnia, præsertim cum manifestè falsa essent, adeò ut Pilatus ipse miraretur. Matth. 23. Matth. 15. Ioh. 18. Lucæ 23. Deniq; clamitãt, eum seduxisse populum in Iudæa & Galilæa.

Pilatus autẽ audita Galilæa, & quòd Christus etiam Galilæus esset, mox occasionem cæpit eum dimittendi: & iußit eum unà cum tota turba Iudæorum, ad Herodem abduci, qui tum cõmodè Hierosolymis erat. Is uiso Iesu, lætabatur, ac sperabat se ab eo signum uisurũ. Verùm Iesus quæstionib. Herodis, & criminationib. sacerdotum, ne uerbum quidem respõdit. Herodes igitur unà cum suis satellitibus Iesum spernit, & indutũ ueste alba remittit ad Pilatum: et hac ratione isti duo reconciliantur, qui antè inimicitias inter se aluerant. Lucæ 23.

Postquã redissent ad Pilatum, clarè testatur coram omnibus, neq; se, neq; Herodem ullum crimẽ in Iesu deprehendere morte dignũ. Se igitur eum castigaturũ, ac dimissurũ. idq; etiam dicebat eam ob causam, quòd pro more Iudæorũ, non tradito sibi à Deo, sed spõtè instituto, singulis annis ad festum quendã maleficũ cogeretur dimittere. Debebat aũt esse recordatio liberationis Aegyptiacæ: uerùm maleficos nõ punire, contra Dei præceptum est. Erat aũt tum in uinculis etiam Barrabas, ob seditionẽ et homicidiũ carceri traditus. Proponit autem hosce duos, Iesum & Barrabam: datq; optionem, utrum debeat dimittere. Sacerdotes ac seniores populum instigant, ut Barrabam postulent: quod et faciunt. Instat Pilatus: Quid igitur cum Iesu Christo agam? At illi omnes uno ore altum uociferantur: Crucifige, crucifige eum. Pilatus respondet, Iesum nihil tale cõmeruisse: ideo se eum castigatum dimissurũ. Sed ipsi urgent eius crucifixionem. Matth. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Ioh. 18.

Dum ista peraguntur, cõiunx Pilati ad eum mittit, monens maritum, ne quid in hunc iustum uirum crude le statuat: se enim in somno hodie propter eum plurima perpessam. Matth. 27.

Duxit aũt Pilatus Iesum intrò, et iußit flagellari. Milites uerò insuper coronã de spinis contextã imponunt eius capiti, ac genu flexo irrident, dicentes: Aue rex Iudæorum. et alapis in faciem cædũt, ac purpura induũt. Hoc tam miserabili ornatu Iesum Pilatus rursus foras ad turbam educit, testificans se nihil in eo culpæ deprehendere.

hendere. & cõmiseratione motus, dicit: Ecce homo. Verùm saturari sacerdotes & eius ministri nõ possunt, & rabiosè clamant: Crucifige, crucifige eum. Pilatus dicit: Vos igitur eum crucifigite. Ipsi respondent: Habemus legem, iuxta quam debet mori. Fecit enim se filium Dei: hoc est, blasphemus est. Leuit. 24.

Rursus Pilatus ingreditur, ac seorsim interrogat Iesum, unde sit. Verùm Iesus nihil dat responsi. quæ res Pilatum malè habet, ut expostulans dicat: Qua de causa nihil respondeat, cum penes se sit ea potestas, uel dimittendi, uel crucifigendi eum. Iesus ait: Non haberes eam potestatem, nisi tibi esset è cœlis modò permissa ac Iudæos grauius peccare.

Egressus iterũ tentat Iesum liberare. Verùm Iudæi clamãt: Si hunc dimiseris, nõ eris amicus Cæsaris. Nam qui se regẽ facit, Cæsari cõtradicit. Pilatus hisce auditis, quòd etiã de gratia Cæsaris periclitari deberet: productо Iesu in publicum locum, qui Lithostrotos dicitur, Gabbata Hebraicè, cõsedit, circiter horam sextam: hoc est, ipsa meridie, quæ apud nos est duodecima, ac dicit: Ecce rex uester. Sed omnes clamant: Tolle, crucifige eum. et cũ Pilatus urgeret, Num uestrũ regẽ crucifigã? respondẽt, se præter Cæsarẽ nullũ habere regẽ. Ioh. 19.

Postremò uidens Pilatus augescere tumultus, seq; nihil proficere, in cõspectu omniũ manus abluit: adijciẽs, se innocentem esse à sanguine istius iusti uiri. Iudæos rationẽ debere Deo reddere. At uniuersus populus hoc ingens peccatũ in se recipiẽs, clamat: Sanguis eius sit super nos, et super filios nostros. Tunc dimittit eis Barrabam: Iesum uerò flagellatũ tradit, ut cruci affigatur. Sic licet plurima innocẽtiæ testimonia Iesu ferret impius et iniustus iudex, tamẽ tandẽ gratificatus cruẽtis & sceleratis sacerdotibus, adiuuat et perficit Iesu internecionẽ.

Milites autem Iesum, qui in ipsorum potestatẽ iam prorsus uenerat, reductum in prætorium, liberius iam & crudelius exagitant. Omnes enim illi lictores et carnifices congregantur, & quilibet in eum aliquod sæuitiæ genus exercet.

Rursus coccinea chlamyde eum induũt, spinis coronant, arundinẽ porrigũt, irridẽt eum, quasi bellus esset Iudæorũ rex: expuũt in eũ, percutiũt. Mat. 27. Mar. 15.

ACTA POST PVBLICAM CONdemnationem Iesu, in loco supplicij.

Deniq; cum iam omnẽ suam libidinẽ in eo cõpleuissent, indutum suis uestibus, eduxerũt in locum publici supplicij. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Iohan. 19.

Propriã autẽ crucem, in quam suspẽdi debebat, baiulat Iesus: et cum penè uiribus destitueretur, ob uarias iniurias et uexatiões, quas tota nocte ac maxima iam diei parte pertulerat: milites Simonẽ quendã Cyrenæũ, Alexandri et Ruffi parentẽ, fortè prætereuntem apprehendunt, eumq; ui cogunt, ut Iesum in portanda cruce iuuaret. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

In hac uia Iesum sequitur ingens turba, & mulieres quædam, deplorantes tam immanem huius uiri tractationem. Sed Iesus sub cruce ad eas conuersus monet, ut sese suosq; liberos defleant: subindicãs, sese iam propter peccata generis humani ista perferre. Deinde prædicit cladem & interitum populi Iudaici, & monet de pœnitentia. Educebantur autem simul duo latrones, eadem pœna afficiendi. Lucæ uigesimotertio.

Ventum est ad supplicij locum, quem Golgatha, hoc est calueariæ seu craniorũ locum appellauerũt: ibi milites Iesum uestibus spoliatũ, crudelissimè expansum ad crucem, & clauis perforantes manus ac pedes, affigunt. Matth. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Ioh. 19. sicut Psalm. 22. Foderunt manus meas, ac pedes meos. Præbent autem Christo uinũ myrrhatũ, ac felle permixtũ, ut biberet: uerùm eo gustato, noluit bibere. Mat. 27. Mar. 15. Crucifixerũt autẽ simul latrones, et statuerũt alterũ à dextris Christi, alterũ à sinistris, ac si omniũ sceleratissimus foret medius ille. Facta & hæc sunt iuxta Esaiæ prophetiam cap. 53. Cum iniquis deputatus est. Mar. 15. Luc. 17. Iohannis 19.

Marcus ait cap. 15. crucifixionẽ hora tertia accidisse. Iohannes scribit cap 19. quòd fuerit circiter horam sextam. Id uerò nihil discrepat. Diem enim integrum in 12. horas distribuerũt, & postea rursus in quadrantes diuiserunt, ternas horas cõplectentes. Primus quadrans erat, à prima usq; ad tertiam: secundus, à tertia usq; ad sextam: tertius, à sexta usq; ad nonã: ultimus, à nona usque ad duodecimam. Iam totum illud tempus cuiuslibet quadrantis, ab initio nominarũt. Sic tertiã uocarũt tempus illud, quod erat inter tertiam & sextã: sextam uocarunt, tempus totũ usq; ad nonã. Sic tertia Iesus crucifixus est: hoc est, eo tempore quod uocabatur tertia, eratq; illud (ut Iohannes) fere completum, ut instaret sexta, quæ est tempus meridianũ, apud nos duodecima.

Scripserat autem Pilatus titulum, qui impositus est cruci Iesu, complectentem mortis causam: idq; Hebraicis, Græcis & Latinis literis.

ישוע נוצרי מלך יהודים

ΙΗΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΑΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

Contendentibus autem Iudæis, ne sic inscriberet crucem: Pilatus in sua sententia persistit, & inuitis Iudæis titulum poni iubet. Mat. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Iohan. 19.

Iesu iam in crucem acto, milites eius uestimenta sibi rapiunt, ac distribuunt. De tunica autẽ, cum esset inconsutilis, sortiti sunt, quis acciperet. Est et hoc factum iuxta prophetiam Psal. 22. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Populus uerò adstabat, expectans rei euentũ. Matth. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Iohannis 19.

Iesus in cruce suspẽsus, orat pro suis hostibus: Pater, inquit, dimitte illis, quia nesciunt quid faciãt. Lucæ 23.

Stabat autẽ iuxta crucẽ mater eius, spectatrix horrendi supplicij & tormentorũ in filio. Ac sanè mirabile est, quod non præ doloribus maternis exanimata sit: ac necesse est excellentem in ea fidem flagrasse, ut statueret eum ista omnia superaturum esse. Aderant simul, soror matris IESV, Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Adest & Iohannes, quem diligebat, cui matrem suam commendabat. Iohannis 19.

Prætereuntes autem conuicia in Iesum iaciebant, et sarcasmis diabolicis exagitabant, dicentes: Vah, qualis templi destructor: si filius Dei es, de cruce iam te libera. Idem obganniunt ei Pontifices, scribæ, seniores, & reliqui: ut iam seipsum seruaret, qui alijs opẽ tulisset. Iam scilicet

ſcilicet uenturũ Deum, et eum liberaturũ. Illudebant Ie ſu acerbis dicterijs et milites, et oblato aceto eum potãt.

Vnus autẽ de facinoroſis, qui ſimul erat crucifixus, et ipſe inter ſuum ſupplicium Chriſtum ridet, dicens: Si tu es Chriſtus, libera te & nos. Sed alter pendẽs ex cruce, increpat eum, quòd non timeat Deũ: ſe quidem iuſtè puniri, ſed Chriſtum nihil mali feciſſe. & conuerſus ad Ieſum: Domine, inquit, memẽto mei, cum ueneris in regnũ tuũ. Hæc eſt præclara fidei lux, flagrans in corde latronis, quòd agnoſcit hũc IESVM eſſe Meſſiã, nec offenditur eius ſupplicio, uel iudicio Pontificũ: nouit & credit, Chriſtũ etiam poſt mortẽ regnaturũ eſſe. Audit aũt mox à Chriſto: Hodie mecũ eris in paradiſo. Eſtq; hoc exemplũ ueræ cõuerſionis, & fructus paſſionis Chriſti, toti mundo exhibitũ. Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioh. 19.

Et hora ſexta repẽtè tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terrã, uſq; ad horã nonam: et obſcuratus eſt ſol. De hac eclipſi, in loco de Miraculis plura. Et circa horam nonam, quæ apud nos tertia eſt, Chriſtus in cruce clamat: Eli Eli lamma aſabthani: hoc eſt, Deus meus Deus meus, quare me dereliquiſti? quaſi incipiens Pſalmum 22, qui totus de ipſius paſſione ſcriptus eſt. Senſit autẽ proculdubio horribiles mortis morſus, quos peccata totius generis humani merita erãt, iamq; in ipſum ſolum erant reiecta. Neqquaquã autẽ deſperabat, qui patrem inuocabat, & poſtea ſe ei totum cõmendabat. Cohorreſcãt aũt cuncti mortales, quòd tantos cruciatus ob noſtra peccata Chriſtus pertulit: et pondera peccatorũ iræ Dei ac mortis cõſideremus: hoc etiã beneficiũ Chriſti fide amplectamur, magnificiamus & prædicemus.

Quidam autẽ his auditis, putarunt eum Heliam inclamare, & eum irrident. Matth. 27. Marci 15.

Cum iam finẽ ſuum inſtare animaduerteret IESVS, dicit, ſe ſtitire. quo audito, mox quidam ſpongiam arundini impoſitam, aceto ac hyſſopo implet, eiq; porrigit. Matth. 27. Mar. 15. Ioh. 19.

Guſtato aceto, dicit: Conſummatũ eſt. et iterũ uoce magna clamauit: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Lucæ 23. Ioh. 19. Et inclinato capite, tradidit ſpiritũ ſuum. Matth. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Ioban. 19.

Et uelum templi per medium eſt ſciſſum: in teſtimonium uidelicet, iam pontificẽ uerum in ſanctum ſanctorum ingreſſum: et typos iſtos abrogari, ſuo accepto termino. Matth. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Et terra cõtremiſcit, petræ diſrumpuntur: & quod omnium maximum eſt, ipſa monumenta ſe aperiunt, multaq; ſanctorum corpora reuiuiſcunt, qui egreſſi de ſepulchris à reſurrectione Chriſti, uenerunt in ſanctam ciuitatem, plurimiſq; apparuerunt. Matth. 27. Hic iam ſummus Dominicæ paſſionis fructus emicuit, nempe quòd à morte liberaret. In ſermone de reſurrectione Chriſti apud Cyprianum, ut hoc obiter inſpergamus, narratur, credi à pijs, ſanguinem Chriſti in cruce ſuſpenſi, in caluariam Adæ defluxiſſe, qui in eo loco fuerit ſepultus.

Centurio autẽ cum ſuo ſatellitio aſtans, ac maleficos cuſtodiens, iſta conſpiciens, teſtimonium Ieſu ferebant, quòd uerè Dei filius & homo iuſtus eſſet. alij etiam pectora ſua tundebant, idem agnoſcentes.

Stabant aũt à longè noti ipſius Ieſu, et mulieres quæ ipſum miniſterij gratia ſuerãt ſecutæ: inter quas erant Maria Magdalene, Maria Iacobi minoris, & Ioſe mater, et Salome mater filiorum Zebedæi. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

Veſpera iam appropinquante, Iudæi accedunt Pilatum, rogitantes ut, quia iam paſcha deberent comedere, ac ſabbathum aduentaret, corpora facinoroſorũ de crucibus leuari permitteret. idq; fiebat iuxta legẽ Deuteronomij 21. Miſſis igitur militibus, latronibus quidẽ crura ſunt cõfracta, & ipſi malè tractati, donec extinguerentur. Ad Chriſtũ autem ueniẽtes, comperiunt eum prorſus eſſe mortuum. Relinquunt igitur eum integrũ. Vnus tamen lancea latus aperuit, ac cõtinuò ſanguis et aqua effluxit. Hæc autem iuxta ſcripturam facta ſunt, Exod. 12. Os non comminuetis ex eo. Et Zachar. 12. Videbunt in quem transfixerunt. Iohan. 19.

Inclinata igitur iam die, & Iudæorum petitione accepta, Ioſeph de Arimathia, fidem in Chriſtũ etiam extinctum retinens, animoſè Pilatum adijt, rogitans ut ſibi corpus eius traderetur: eoq; impetrato, cum prius à centurione Pilatus cognouiſſet, Ieſum eſſe uerè mortuum, abit ad locum ſupplicij. Aduenit & Nicodemus, adferens centum libras mixturæ myrrhæ & aloes. Ioſeph uerò ſindonẽ mundam erat mercatus. Leuato autem corpore de cruce, inuoluerũt linteis, cum aromatibus, more Iudaico, & collocarunt eum in monumentũ nouum, in quo nemo iacuerat, quod erat in horto propinquo in petra exciſum, ſibiq; Ioſeph fieri curauerat. Et obſtructo monumẽto ingẽti ſaxo, diſcedũt, propter feſtum feſtinãtes. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioh. 19.

Erant autem ibi Maria Magdalene, & Maria Ioſe, & aliæ mulieres, eregionè ſedentes, diligenter ſpectantes ubi & quomodo corpus Chriſti ſepeliretur. ac poſtea domũ reuerſæ, parant aromata et unguenta. Diem autem ſabbathi, ſecundum legem quieſcunt.

Poſtero die Iudæi redeunt ad Pilatum, et impetrant, ut monumentum circundet fòrti cuſtodia, ne furto corpus abripiatur. Datis autem militibus, ipſimet ſimul egrediuntur: ac ſignantes lapidem, miniſtris diligenter aſſeruationem mandant. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

Cæterùm deſcendiſſe Chriſtum in infernum, articulus fidei eſt. Verùm qua'nam ratione ibi omnia ſint geſta, non eſt expreſſe traditum. 1. Petri 3 ſcriptum eſt, quòd Chriſtus et his qui in carcere erant, ſpiritu ueniẽs prædicarit. Fortè et ſatis nobis eſt, genus nos tenere: exactã explicationè huius myſterij in altera uita audituri.

DE TEMPORE PASSIONIS Chriſti.

Naſcitur hic quæſtio, an Chriſtus uero die celebrauerit Paſcha, agnum comedens cum diſcipulis, & tanquam uera uictima in cruce portans atq; expians peccata totius mundi? Conſtat enim, Chriſtum citius quàm Iudæi, nempe pridie, eum ritum peregiſſe. Nam clarè affirmat Iohãnes cap. 19. fuiſſe paraſceuen, quãdo Chriſtus in crucem actus erat. Et Mar. 19. Lucæ 13. dicitur, in paraſceue, ante ſabbathũ, corpus Chriſti è cruce depoſitum eſſe. Hæc etiam cauſa fuit, quare Iudæi nollent prætoriũ ingredi, ne uidelicet polluerentur, & Paſcha manducare poſſent: neq; fas fuiſſet, de quoquã ipſo die feſto ſuppliciũ ſumere. Cauſa autem uariationis hæc eſt, quòd Iudæi habebant iam antiquatam conſuetudinem, ut Paſchatis celebrationẽ, quando pridie ſabbathi incidiſſet, ipſo die ſabbathi obſeruarent, ac ſic duo feſta

coniungerent:idq; propterea,ne duo insignia festa tam propè se inuicem sequerẽtur,& populus eorũ obseruatione nimium defatigaretur. Idem etiam in reliquis festis factum est. Eam porrò consuetudinẽ etiamnum nõ negant Iudæi,& affirmãt à Rabbinis suis fuisse ordinatam,cum ex Babylonico exilio domum fuissent reuersi. Patet aũt ex temporũ supputatione,quam accuratè Lucidus & alij persecuti sunt,tum temporis in diem Veneris uerũ Paschatis diem incidisse:ideoq; à Iudæis in posteriorem esse reiectum. At Iesus, tanquã uerus Messias, exactissimè legem à Deo traditã obseruare atq; implere uoluit. Itaq; iuxta legem Exodi 12. decimaquarta luna primi mensis, qui Nisan Hebræis, nobis Martius dicitur,circa æquinoctiũ uernale Pascha comedit, et simul figuram impleuit, factus in cruce uictima:sicut Esaias & Baptista prædixerant.

Anno autem uitæ Christi ista cõtigerũt 33,inchoato per tres menses, & paulò amplius,anno Tyberij 18 currente:ut Eusebius,Hieronymus,Augustinus,Eutropi⁹, Beda et alij referũt. Alij affirmãt,34 inchoato factũ esse. Verùm prior sententia probabilior uidetur. Reijcitur aũt Africani & Tertulliani opinio,quòd 15 Tyberij hæc facta sint. Nam Lucas perspicuè affirmat,baptismum Christi decimoquinto Tyberij accidisse:et inde, sicut ex paschatibus in Iohanne annotatis colligitur, tribus annis ministerio suo publicè functus est,& aliquot insuper mensibus.

ACTA RESVRRECTIONIS IESV Christi,& quæ patefactiones eius acciderint.

TErtio autem die Iesus Christus rursus diuina uirtute,sicut prædictũ erat,reuiuiscit in monumento,ac uictor mortis euadit:ac surgẽs è monumẽto liberrimè discedit, persoluta nimirũ integra legi obedientia. Computatio uerò trium dierũ est talis, ut diei Veneris pars,qua in cruce extinctus,& in monumentũ positus est,pro die cõputetur. Deinde sabbatho integro,complectente noctẽ et diem,in monumẽto fuit: de tertia die, noctem propemodũ integrã in sepulchro mansit,mane surgens. Sic tertio die, quam ab hoc opere Dominicam uocam⁹,resurrexit:nec habuit rerũ natura ullũ tale miraculũ, quale hoc est. Erat aũt hæc res in Psal.16 etiam prædicta:Nõ derelinques animã meã in inferno,nec dabis sanctũ tuum uidere corruptionẽ. Historia aũt talis est. Mulieres cum iam sabbathũ præteriisset,et propter noctẽ sequẽtis diei,quæ uocatur prima sabbati, quia ordine dierũ hebdomadis prima sabbathũ sequitur,egredi nõ possent:statim summo mane festinant adire monumentũ Iesu, tũ ut ungerẽt cadauer paulò tempestiuius, tum ut explorarẽt quid ageretur de Iesu Christo,quem tanquã Messiã fuerant amplexæ. Ac ueristimile sanè est, ex diuersis apparitionibus,quòd aliæ citius, aliæ paulo tardius sint egressæ. Nominantur autẽ in primo cœtu, Maria Magdalene,& Maria Iacobi. Dum aũt in itinere sunt,uarios inter se sermones cedũt:ac recordãtes lapidis, quo monumentũ erat obstructum, solicitæ sunt, quanam ratione amoueri posset. Improuiso aũt ingens terræmotus oritur, in quo angelus Domini de cœlo descendens,aspectu sicut fulgur,& ueste candidissima indutus, et nihil ueritus armatos custodes,lapidem de monumẽto aufert, seq; in ipsum collocat. Milites obstupefacti,propemodũ metu exanimantur: & reuersi ad se, fugam quantũ possunt capessunt. Consentaneũ est, paullo antè quàm angelus lapidẽ amoliretur,Iesum è sepulchro abijsse. Sed debebat ea res manifestari. ideo mox angelus uacuũ monumentũ ostendit,et pellit custodes. Sentserũt tremorẽ terræ mulieres, & hauddubiè percussæ, timidius processerunt: ignaræ prorsus,quomodo ipsis aditus ad monumentum diuinitus pararetur: nihilominus tamẽ cœptum iter,spiritu sancto hauddubiè impelente,pergunt. Matth.28.

Cum iam propius ad monumentũ ueniũt, cõspiciũt lapidem esse reuulsum. quo uiso, mox Maria Magdalena,prius quàm omnia diligentius exploret,in pedes se cõijcit,Simoni et Iohanni rei nouitatẽ denunciãs: quòd in monumento amplius nõ sit Dominus, neq; sciat quò sit positus. Nam suspicabatur aliò translatum esse,ignara adhuc resurrectionis. Ioh. 20.

Reliquæ aũt mulieres,rem aliquanto certius explorare conãtur,præsertim cum omnia uiderẽt patère. Ingressæ igitur, subitò uident ibi angelum iuuenili specie sedentẽ,amictũ stola candida: & expauerũt. Angelus aũt statim alloquitur mulieres,Ne timeãt,se scire quòd Iesum Nazarenũ quæritẽt: uerùm eum surrexisse: Venite,cõtemplamini locum, ubi iacuit. Ite etiam,& hoc Petro ac Iohanni euangeliũ adferte, quòd Iesus à mortuis resurrexerit, & præcessurus sit eos in Galilæam,sicut prædixit. Mat.28.Mar.16. Mulieres uerò perterrefactæ,& simul tamẽ gaudio magno affectæ,statim se ex monumẽto recipiũt,et domũ properãt, tantã reuelationẽ indicaturæ. Quòd aũt mulierib. primùm nunciatur Christi resurrectio, hauddubiè eò factũ est,ut quia initiò lapsus per mulierem cõtigit, pleniorẽ haberent cõsolationẽ. Est & hoc obseruatione dignũ,quòd stertentibus sacerdotib. Hierosolymitanis, discipulis quoq; Christi cõsternatis,angeli tamen,uoluntate Dei,lætam resurrectionẽ patefaciunt, & gratissimam de Iesu Christo resuscitato & regnante famam spargunt.

Paulo pòst aliæ mulieres egressæ domo, ad sepulchrũ perueniunt:& cum reuolutũ uiderent lapidẽ,ingressæ sunt,nõ inuẽto corpore Domini. Dum igitur quasi attonitæ ibi cõsisterẽt,ecce duos angelos specie uiri et fulgurantib. uestibus uidẽt astare,qui cõsternatas & paui das mulierculas alloquuntur. Christũ uiuere,à mortuis resurrexisse,neq; esse deinceps inter mortuos quærendum. debere eas in mentẽ reuocare,quod prædixerit in Galilæa,quòd oporteat filium hominis tradi in manus peccatorũ,& crucifigi,et tertia die resurgere. Hæc iam omnia esse cõpleta. His auditis,& istæ mulieres celerrimè abeũt,cæteris credentib. tam lætũ nunciũ allaturæ. Erant aũt mulieres,quæ ad eum locum ubi degebãt Apostoli,cõueniebant, eadem nunciantes,Maria Magdalena,Iohanna,Maria Iacobi,& cæteræ quæ unà erant. Non enim longo interuallo se inuicem subsecutæ sunt. Vndecim uerò,cæteriq; omnes,non potuerunt ista mente capere,& quasi pro deliramentis habent. Lucæ 24.

Excitati tamẽ hac relatione Petrus ac Iohannes, ad monumentum celerrimè properant, rem ipsam certius cognituri. & Iohannes quidem Petrum anteuertit. & cum se inclinasset, uidit quidem linteamina, uerùm pauore correptus, ingressus non est.

Petrus uerò sequens cum, monumentũ quoq; intrat, &

& uidet linteamina reposita: sudariũ quoq;, quo caput erat circumligatũ, seorsim collocatũ. Resumpto animo et Iohãnes accedit, omnia diligẽtißimè cõtemplãs. Obstupescũt aũt, ac mirãtur, quid hoc rei sit. Nam articulũ resurrectionis nondũ poterãt assequi. Luc. 24. Ioh. 20.

Subsecuta aũt erat rursus Maria Magdalena, quæ discipulis digreßis uenit ad monumentũ, lugens ac flens. Suspicabatur enim Dominũ aliò translatũ, ac cupidißima erat cognoscendi rei ueritatẽ. Inclinans autem se in monumentũ, ecce uidit duos angelos albis uestitos, in eo sedentes: alterũ ad caput, alterũ uerò ad pedes, qui eam alloquuntur: Quare sic ploret? Ipsa respondet: Dominum suum ablatũ, nec scire quò repositus sit. Respicien te aũt retrò, ecce IESVS astat: uerùm non agnoscebat eum. is etiam quærit quare ploret? respondet: Domine, num tu Iesum alio transtulisti? quæso mihi indices. Opinabatur enim hortulanũ esse. Iesus uolens se omnium primò ei manifestare, compellat eam nomine: Maria, inquit Ex hac uoce Iesum agnoscit: & læta exclamat, Magister. et gestib. ita se gerit, quasi eum esset exceptura. Verùm prohibet eam Christus, et addit: Se nõdum ascendisse, uerùm postea uisibiliter ascensurũ esse ad suũ & ipsorũ patrẽ. Nam de uisibili ascensione hic prophetat, & iubet hæc suis fratrib. renunciari. Rursus igitur discedit Maria Magdalena, à qua septẽ dæmonia ciecerat, ista discipulis ingenti cum gaudio referens. Sed discipuli nondum possunt credere. Iohan. 20. Marci 16.

Interea & aliæ mulieres rursus ad monumentũ reuertũt: ac digredientibus, prorsusq; ignaris quid accidisset Magdalenæ, Iesus occurrit, easq; salutat. Mulieres Iesum agnoscentes, accedunt: et in genua ruentes, eius pedes apprehendũt ac tenent, ipsumq; adorant. Iesus hortatur, ut omnem pauorem ex animo eijciant, & abeant ad fratres suos, ista eis exponentes: & simul indicantes, quòd in Galilæa se ipsis manifestaturus esset, de ascensione sua gloriosa eos instruens. Matth. 24.

Simoni etiam apparuit Iesus, sicut refertur Luc. 24. ubi discipulis reuersis ab Emahus, credentiũ cœtus hoc narrat. & postea uicißim, qui fuerant Emahus, quid ipsi uidissent, cœtui reliquo exponunt. Quin et Paulus 1. Cor. 15. ait, quod uisus sit Cephæ: quem esse Petrum, ex cap. 2. epistolæ ad Galatas patet. Verùm ubi hæc apparitio contigerit, non est expressum.

Dum hæc ita geruntur, custodes ueniunt in ciuitatem, principibus sacerdotum omnia commemorantes, sicut acciderant. Illi autem mox conuocata synodo, cum militibus numerata pecunia copiosa agunt, ut rumorẽ fabulosum spargant, ac si Iesus, sese dormitantibus, furtò surreptus esset. ac pollicentur eis, se etiam satisfactu ros Pilato, ne in eos animaduertat. Milites pecunia cõducti, mendacium paßim diuulgant. Matth. 28.

Accidit autem, ut eo die duo ex discipulis Iesu iter facerent Emahus, quod castellũ erat sexaginta stadijs ab Hierosolymis distans. Inter eundum autem, dum de rebus quæ Hierosolymis acciderant conferunt, ipsemet Iesus propius accedit, & cum ipsis eandem uiam pergit, ac statim quærit de quibus rebus cõfabulentur, et quare tantam mœsticiam præ se ferant? Respondet Cleophas, An ipse solus sit peregrinus, qui ignoret ea quæ Hierosolymis sint facta? Et Iesu percunctãte, quænam ista essent? rem omnem narrant, quòd Iesus Nazarenus fuerit propheta sermone & operibus potens, qui Hierosolymis à pontificibus & principibus sit crucifixus: quòd ipsum pro Meßia ac redẽptore Israel habuerint: quòd tertius iam sit dies: quòd mulieres dixerint se angelorũ apparitiones cõspexisse, qui affirment eum uiuere: & quosdam etiam ad monumentum acceßisse è suis, et nõ inuenisse Iesum. His cõmemoratis amicè et familiariter, eos Iesus, quem tamẽ non agnoscebant, obiurgat, quòd tardi essent ad credendũ, quæ prophetæ præ- dixissent. et copiosè ex Mose ac pphetis testimonia ,pfert, atq; ad hanc paßionẽ Iesu tanq̃ ueri Meßiæ accõmodat. Iamq; ad castellũ appropinquãtes, Iesus simulat se iturũ lõgius: uerùm ipsi precib. impetrãt, ut, quia iam dies inclinata esset, secũ diuerteret. habebãt enim ipsum pro pio uiro, ac facũdo, et iucũdo itineris comite. Dum aũt recumbũt, Iesus, sicut ante paßionẽ sæpenumero facere solitus erat, panẽ accipit, & gratijs actis frangit, eisq; distribuit. quo facto, oculi ipsorũ aperiũtur, ut agnoscerẽt eum esse Iesum: uerùm mox euanescit rursus. Discipuli lætitia pleni, commemorãt, quòd in uia ex ipsius sermone quandã lucem ac flammulã in corde senserint, dum ipsis scripturam aperiret. nec morantur ibi diu, sed mox quanta possunt festimatione Hierosolymã eadem uespera reuertuntur. Marci 16. Iohan. 20.

Discipuli aũt, et reliqui qui ibi erant cõgregati, læto animo cõmemorãt, quòd Simoni Dominº apparuisset. Qui aũt Emahus fuerãt, rursus narrãt, quòd in uia accíderat, et quomodo ex fractione panis eum agnouisset. Dum aũt talia expendunt, et ianuæ essent clausæ, ecce interuenit Iesus, in medio ipsorũ cõsistens, & mox alloquitur: Pax uobis, ego sum. Ipsi uerò expauefacti et cõterriti, putant se spiritum uidere. Iesus igitur eos increpans familiariter, quare tantopere trepidẽt? iubet uidere, palpare et cõtrectare manus, pedes ac latus. Spiritũ enim ossa & carnẽ nõ habere, qualia se uideant habere.

Nondũ aũt plenè credentibus, et nihilominus gaudẽtibus tanta manifestatione, Iesus postulat cibũ: ac prolato asso pisce, & fauo mellis, coràm ipsis comedit. Deinde addit pulcherrimã cõcionẽ, in qua docet, se prius illa omnia ipsis indicasse. Ea quæ in Mose, Prophetis & Psalmis de se essent prædicta, iam omnia esse cõpleta: nihil temerè accidisse: sic fuisse scriptũ, & sic oportuisse Christum pati, tertiaq; die à mortuis resuscitari: iamq; prædicandã esse pœnitẽtiã & remißionẽ peccatorũ in suo nomine, in omnes gẽtes, incipiẽdo à Hierosolymis: ipsos fore testes horum omniũ. Præterea de peculiari S. sancti mißione uaticinatur: ac iubet eos cõmorari Hierosolymis, donec eo ornati fuerint. Deniq; iterũ pacem eis precatur, et palàm ministeriũ Euãgelij instituit, effuso spiritu sancto, et clauiũ administrationẽ concedit. Clarè enim inquit: Sicut me mĩsit pater, ita et ego mitto uos. Et his dictis, flauit in eos dicens: Accipite S. sanctũ: quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorũ retinueritis, retenta erunt. Marci 16. Lucæ 24. Iohan. 20.

Hic iam magis magisq; fructus paßionis Christi emergunt: nempe institutio ministerij uniuersalis, donatio Spiritus sancti, & clauiũ administratio. Hæc in ueteri Testamento fuerũt prædicta, sed hic iam præstita.

Non aũt aderat Thomas, cum ista fierent. & reuersus ista audiens, dicebat: se credere nõ posse, nisi manus suas in clauorum uestigia poneret, remq; omnẽ clarißi

mè cognouisset. Exacto igitur octiduo, ianuis clausis iterũ uenit Iesus, ac mediũ sese inter ipsos ingessit, dicẽs: Pax uobis. Postea iubet Thomã, ut cupiuerat, inferere manus in eas partes quæ in Christo uulneratæ fuerãt. id cum fecisset Thomas, ait: Dominus meus et Deus meus. Verùm Christus docet, Beatos deinceps futuros, qui credant, etiamsi corporalib. oculis nõ sint se uisuri. Ioh. 20.

Tertia manifestatio, discipulis quidẽ facta in Galilæa, ad mare Tyberiadis, accidit Simoni, Thomæ, Nathanaeli, filijs Zebedæi, et alijs duobus discipulis. Abeũt aũt Petrus & cæteri piscatum, neq; potuerunt ea nocte quicq̃ capere. Mane facto Iesus in littore stetit, nec fuit à discipulis agnitꝰ. Interrogauit aũt, nunquid haberent ad edendum? Cumq; id negassent, iubet in dexterã nauigij partẽ mittere rete. quod cum fecissent, cæperũt grandes pisces 153. Hac re motꝰ Iohãnes, ait esse Dominũ. ac Petrus mox transiliẽs in mare (nõ procul enim à littore aberant) ad Dominũ properat. Reliqui ad littus nauem & rete trahunt. Veniẽtes in terrã, uident prunas & piscem impositum: iubet tamen etiam de suis afferre.

Postea iubet ad prandendum discumbere, eisq; distribuit panem & piscem. nec audebat quisquã eorum interrogare, quis esset?

A prandio ter Petrũ interrogat, num se diligat? & ter præcipit, ut suas oues pascat. Fortè etiã Dominus uoluit innuere, eos qui posteriorib. seculis iactaturi essẽt se Petri successores esse, admodũ perfidè tractaturos oues suas. Deinde de persecutionib. monet, quas erat toleraturus. Postremò rursus dicit ad Petrũ, ut se sequatur. Petrus quoq; respiciẽs ad eum quẽ Iesus diligebat, quærit, Quid de ipso debeat fieri? Sed Iesus respondet: Si uolo hunc manere, donec ueniã, quid ad te? qua de re discipuli postea multa disputant. Ioh. 21. 1. Cor. 15. Paulus narrat, etiam Iacobo peculiariter uisum esse. Verùm cõsentaneum est, Paulum in ea commemoratione non obseruasse exactissimum ordinem.

Euocatos undecim Apostolos in montẽ quendã Galilææ, peculiariter adhuc instruit, & ministeriũ uniuersale ordinat, & inquit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ite in mundũ uniuersum, et prædicate Euangeliũ omni creaturæ, baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus S. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluꝰ erit: qui uerò nõ crediderit, condẽnabitur. Et mandat, ut doceant ea quæ Christus ipsis præcepit omnia. Pollicetur etiam, se eis affuturũ semper, usq; ad seculi consummationem. Monet præterea, miracula eam doctrinã secutura esse. Matth. 28. Marci 16. Postea Hierosolymam sunt reuersi.

Totos autẽ 40 dies apparuit, docens suos de regno Dei. Act. 1. Noluit enim tam subitò ascẽdere, nisi prius Apostoli, qui erant mittendi in uniuersum orbẽ terrarum, in omnibus articulis fidei, præcipuè uerò de resurrectione Iesu Christi, satis eruditi & confirmati essent.

DE VISIBILI AC GLORIOsa ascensione Iesu Christi in cœlum.

DEniq; exactis 40. dieb. à resurrectione, uisibiliter uoluit in cœlũ ascendere: idq;, ut cõfirmaret magis articulũ de sua resurrectione, uita & regno: nec dubitaret cœtus credentiũ, Iesum Christiũ redemptionẽ generis humani peperisse, ac patère ei omnes cœli portas, et subuehere etiam simul humanã naturã, tanquam Deo reconciliatã, ut omnes credentes statuant, se quoq; in regnũ Dei subsecuturos esse. Educit aũt ipsemet Christus credentiũ cœtũ in Bethaniã, in montẽ Oliueti, qui aberat Hierosolymis itinere sabbati: hoc est, circiter dimidiũ miliare Germanicũ: ut in eo loco, quo cum morte luctatus, & à Iudæis captꝰ fuerat, gloriosa sua uictoria magis cõspiceretur. ibi uerò priꝰ de regno Dei suos copiosè docens. Memorabile est, quòd adhuc iste cœtus quoddã corporale regnũ Messiæ somniãt, & quærunt, num iam illud uelit auspicari in Israel? Verùm Iesus docet de æterno regno, ac de nouissimo die: indicans, Non esse curiosè tempus inquirendũ, quod ipse Deus nõ reuelarit. Ipsos potius iam alias debere cogitationes mentes uersare. Accepturos ipsos peculiarem Spiritus sancti donationẽ, & futuros doctores Hierosolymis, in Samaria & Iudæa, imò & in uniuersa terra.

Dum ista concionatur, omniumq; oculi in ipsum directi sunt, tandem eleuatis manib. eis benedicit tanquam discessurus: et ecce sustollitur sensim in altum, nubesq; eum excipit, ac fertur sursum in cœlum, ita ut iam humani oculi eum amplius consequi non possent. Susceptus autem cœlo, consedit à dextris Dei.

Cum autẽ fixis in cœlũ oculis, sibi aspiciẽdo nõ possent satisfacere, & pergerent adorare Iesum: ecce duo angeli uirili specie assistunt, qui iubent ipsos uisum retrahere: satis eos spectasse, Iesum esse in cœlum assumptum. et uaticinãtur, hunc ipsum Iesum sic suo tempore reuersurũ è cœlis. His auditis, Hierosolymã omnes lætitia pleni, iuxta præceptũ Domini, redierunt. Actorum 1. Marci 16. Lucæ 24.

Paulus Colos. 2. triumphũ huius ascensionis præclarè describit: Deleuit, inquit, quod aduersus nos erat chirographũ, decretis cõstans, quod erat cõtrariũ nobis: & sustulit illud è medio, affigẽs cruci: & expolians principatus & potestates, ostentauit palàm triumphans de illis per se.

Suprà dictũ est, plurimos sanctos unà cum Iesu resuscitatos è sepulchris prodijsse, & istis 40 diebus se manifestasse. Etsi autẽ nõ satis literis expressum, tamen credibile est, eos non regressos esse in sepulchra: sed simul cum Christo in hoc admirabili triumpho in cœlũ subleuatos, & glorificationem consecutos esse.

Opera uerò Christi, quæ nunc deinceps habeat, collocatus ad dexteram Dei, sequenti libro exponentur. Non enim deseruit suam Ecclesiam: sed nunc adeptus regnum, magis atq; potentius ei adest, & non desinit esse Rex atq; sacerdos noster.

Versatus igitur in ministerio suo Iesus est, annos integros tres, menses præterea tres, ac decẽ dies: ac initiũ à 30 eius anno sumitur. Siquidẽ Lucas cõmemorat cap. 3. Iesum fuisse quasi annorũ 30. Irenæus lib. 2. cap. 39. sic quoq; explicat: Nondũ, inquit, triginta annos impleuerat, sed incipiebat esse tanquam triginta annorũ. Ac uixit annos triginta duos, menses tres, et dies tres: sicut ex præcedẽtibus colligitur. Sic etiam Lucidus de Emendatione temporum, computat.

Obiter & hoc Lectorem monemus, Nicodemi Euangelion nos inserere noluisse, eo quòd nana tantum somnia uideatur recitare, & rectè inter apocrypha numeretur.

DE

DE SEPTVAGINTA HEBDOmadibus Danielis.

EXacta fortaſis ſupputatio hebdomadũ Danielis huc pertinere proprijſſimè uidetur: uerùm cum ea paſsim in chronologijs, et enarrationib. Danielis extet, breuiter lectorẽ admonuiſſe ſatis eſt. Vaticiniũ Danielis ſic habet, cap. 9. Animaduerte ſermonẽ, & intelge uiſionẽ. Septuaginta hebdomades determinatæ ſunt ſuper populũ tuũ, et ciuitatẽ tuã ſanctã, ut cõſummetur præuaricatio, et obſignẽtur peccata, et deleatur iniquitas, et adducatur iuſticia ſempiterna, et adimpleatur uiſio & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo & animaduerte, ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Hieruſalem, uſq; ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexagintaduæ erunt: & rurſus ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexagintaduas, occidetur Chriſtus. Item: Confirmabit autẽ pactũ multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis ceſſabit hoſtia & ſacrificiũ.

Hæc prophetia manifeſtè de Meſsia, eius officio, actionib. & beneficijs docet: tempuſq; certũ præfinit angelus, quãdo poſt exiliũ Babylonicũ debeat redemptio generis humani promiſſus Chriſtus perficere & abſoluere. Duo aũt in controuerſiã ueniũt: unũ, de qualib. hic dieb. differat: alterũ, unde ſit initiũ huius cõputationis ſumendũ. Prior pars minus eſt intricata. Etſi enim ſacra Scriptura uſitatè hebdomades dierũ deſcribit, tamẽ & interdũ hebdomades annorũ exprimit. Sicut Leuit. 25: Numerabis tibi ſeptẽ hebdomades annorũ, hoc eſt, 49 annos, &c. Daniel autem de diebus hebdomadarũ, qui facerent 4 menſes & dies 14, non loquitur: nimis enim citò hoc tempus præteriiſſet, nec tamen euentus uaticinio reſpondiſſet, ſicut hiſtoria teſtatur: ſed de annis. ac faciunt 70 hebdomades, 490 annos.

Sentiũt præterea Doctores, ſolares hic annos intelligendos eſſe. Nam & Iudæi ſic ſoliti ſunt annorũ circuitus ſupputare, ac lunaribus annis tantũ ad ſua feſta uti.

Altera pars, ut difficilior eſt, ita & ſententiæ magis in ea uariant. Initium ſupputationis non à tempore uiſtationis, ſed ab edicto quo permittatur Iudæis rurſus ædificare Hieruſalem, Daniel ipſe monet faciendum eſſe: ac terminum certum conſtituit, quod in ultima hebdomada Chriſtus ſit interficiendus.

Commoda uidetur eorũ opinio, qui exiſtimãt à ſeptimo Darij Artaxerxis Longimani anno, initiũ cõputationis faciendũ eſſe. Nam tum Eſdras à rege edictũ accepit publicũ, ut rempub. Hieroſolymitanã reſtauraret, ſicut uerba eius regij mandati Eſdræ 1. cap. 7. extãt: Tu autẽ Eſdra, ſecundũ ſapientiã Dei tui, quæ eſt in manu tua, cõſtitue iudices et præſides, ut iudicẽt omni populo qui eſt trans flumen, his uidelicet qui nouerũt legẽ Dei tui. Sed & imperitos docete libere: & omnis qui nõ fecerit legẽ Dei tui, et legẽ regis diligẽter, iudiciũ erit de eo. Antea quidẽ de templo facta erat aliqua permiſsio, nunc uerò publica totius Reipublicæ reſtauratio conceditur. Eodem tempore Haggai & Zacharia concionati ſunt, de reſtauratione Hieroſolymorum.

Diſtribuit aũt angelus hebdomades in tres partes, idq; nõ temerè. Prima, ſeptẽ hebdomades cõtinet: hoc eſt, annos 49, in quib. ciuitas rurſus eſt cõſtituta. in quãtis aũt tum anguſtijs fuerit, ex Eſdra et Nehemia uidere eſt. Altera, ſexaginta duas habet: hoc eſt, annos 434. quib. urbs habitari debet. Tertia, unã hebdomadã cõfirmatum, in qua Chriſtus debeat necari, ſuumq; opus perage re. Sic autem & hanc partitur, quòd multis ſit pactum ſuum confirmaturus, et in dimidio hebdomadis oblatio & ſacrificium ceſſatura. Patet igitur, angelum tempus ad prædicantem Chriſtum, & ipſam adeò paſsionẽ uſq; deducere. Iam ſi annorum facta eſſet diligens annotatio, hauddubiè exactiſsimè omnia quadrarent.

Supputatio autem patet ex probatis & emendatis Chronologijs.

Alij à ſecũdo Longimani cõputationem ordiuntur: quia tum proceſſerunt opera, quæ antea fuerãt interrupta: & continuã hebdomadarũ ſeriem, uſq; ad Chriſti baptiſmũ et prædicationẽ texunt. Extat in Ptolemæo, in fine libri tertij, tempus annotatũ à morte Alexãdri, uſq; ad primũ annũ regni Auguſti, poſt Antonij mortem, uidelicet anni 294. Detrahendi aũt ſunt 12 anni, ut Auguſti principiũ poſt interfectũ Cæſarẽ habeas. Hac ratione à morte Alexandri, ad interfectũ Cæſarẽ, erunt 282. His addantur 42 Auguſti, & emergent anni 324, à morte Alexãdri uſq; ad natũ Chriſtũ. quibus ſi 30 anni Chriſti ad baptiſmũ ſuũ adijcientur, fient 354. Iſtis porrò adſcribantur, iuxta Græcã ſupputationẽ, anni 136, uſq; ad ſecundũ Longimani, qui omnes ſimul iuncti efficient annos 490, quib. reſpondẽt 70 Danielis hebdomades. Si à Cyri monarchia initiũ peti debet, tum ad natiuitatẽ Chriſti ſolummodo ſe extendunt hebdomades.

Viſum aũt eſt ſuccinctã enarrationẽ Lutheri adſcribere, qui in præfatiõe in Danielẽ ſic ſcribit: Hæ 70 hebdomades, quas Angel⁹ præfinit, cõmuni et unanimi omnium ueterũ Doctorũ cõſenſu, non ſunt dierũ ſeptimanæ, ſed annorum, ita ut una hebdomas hic faciat & cõtineat ſeptẽ annos, nõ ſeptẽ dies. Et experiẽtia, ipſeq; rei euẽtus cogit, annorũ hebdomadas nos intelligere. Nam 70 hebdomades, ex diebus conſtantes, nondum duos faciunt annos. Hi duo anni non eſſent ſatis longũ aliquod tempus, ad tantã tam inſignem uiſionem & reuelationem. Non eſt itaq; dubium, quin annuæ ſint hebdomades. Faciunt autem hæ ſeptuaginta annuæ hebdomades, annos 490. Tot anni tum ad Chriſti aduentum, & ad regnum quod Chriſtus inchoaturus erat, reſtabant.

Hic nunc inquirendum nobis, quo tempore ordienda ſit ſupputatio harum hebdomadarum. Angelus interpretans eas, orditur ab eo anno quo uerbum exit, ut reædificetur Hieruſalem. Sic enim ait: Ab exitu uerbi, aut ab eo tempore quo exierit uerbum, ut iterum ædificetur Hieruſalem, &c.

Hæc uerba alij aliter, quidam etiam coactius ſunt interpretati. Noſtra autem ſententia de his uerbis eſt, initium harum ſeptuaginta ſeptimanarũ capiendum eſſe à ſecundo anno Darij regis, qui dictus eſt Longimanus. Nam eo anno factum eſt uerbum Domini ad prophetam Haggæum & Sachariam, iuſſuſq; Zorobabel ædificare templũ, ut inuenies in cap. 1. utriuſq; prophetæ. Idem iubebat ipſe Darius, eiuſq; edictum ea de re exiſt Eſd. 6. Nam à primo anno Cyri, qui captiuos Iudæos, libertate donatos, paſſus eſt in Iudæam redire, uſque ad hunc ſecundum Darij annum, ſunt anni 46, in quibus nihil poterãt, nec audebant ædificare, propter edictum Cambyſis filij Cyri, ita ut etiam de reædificatione

templi spem penè omnẽ posuerint, dicẽtes Haggei cap. 1. Nondum uenit tempus domus Domini ædificandæ.

Et hi anni possunt etiã intelligi de 46 illis annis, de quibus Iudæi dicunt Iohan. cap. 2. Quadraginta & sex annis ædificatum est templũ hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Hoc est, annos 46 summo studio in hoc laboratum est, & nihil non tentatum, ut reædificaretur templum, & uix tamen tandem post annos illos 46 cœptũ est ædificari. Tantæ difficultates, tot remoræ, tot impedimenta inciderũt. nam postea intra annos quatuor, magna celeritate atq; feruore ædificatum est. Esd. 6.

Partitur autẽ angelus septuaginta illas septimanas in tres partes. In primis septem hebdomadibus, hoc est, ab anno 2 Darij usq; in 46 annũ, restaurandi erant urbis muri & plateæ, sed in angustia tẽporis. nam magna difficultate et cum periculo id fecerũt, quòd circũiacentes et affines populi uehemẽter illorũ labores impedire conarentur, ueluti Nehem. cap. 1. scribitur. qui anno 20 Darij, hoc est, anno 18 ab exitu uerbi Haggai, illis subuenit, et auxilio fuit è Persia à Dario missus, aut potius singulari clementia et gratia regis facultate in Iudæam redeundi impetrata. Nam & Daniel cap. 10. queritur, q. princeps in Persia ipsi restiterit in aula dies uiginti & unũ. significãs fortassis angelicos dies, hoc est, annos 21.

Hinc, post hebdomadas 62, occidetur Christus. Hæ 62 hebdomades, cũ 7 illis superioribus, faciũt 69 hebdomadas: hoc est, annos 483. Superest igitur una & ultima illa hebdomas, hoc est 7 anni, de 70 illis hebdomadibus. Nam diserte dicit angelus, Christũ passurũ esse non in medio ultimæ hebdomadis (in qua sentẽtia ego aliquãdo fui) sed post 62 hebdomadas: hoc est, anno primo ultimæ hebdomadis, aut initio ultimæ hebdomadis. In hac dicit, ipsum multis etiã cõfirmaturũ esse pactũ. Nam in ultima illa hebdomade, aut 7 illis annis, Euãgeliũ inclaruit, et propagatũ est potẽter & fœliciter, miraculis et signis per Spiritũ S. multaq; millia Iudæorũ et gentium ad Christum cõuersa sunt, sicut testatur Lucas in Actis: ut uerè dici possit uera et ipsissima paschalis hebdomas, quæ cœpit à die Paschæ, hoc est, à resurrectione Christi.

In media autem illa hebdomade casurũ & cessaturũ erat sacrificium & hostia. Nam post tres fermè annos à resurrectione Christi, habitũ est Apostolorũ conciliũ, Act. 15. & lex Moysi palàm abrogata, omnesq; gentes, imò & Iudæi inde liberati sunt: decretumq;, nõ esse necessariã legis obseruationẽ, nec eam ad salutẽ prodesse, nec eã portari aut impleri à quoquã posse: ut in eo loco Paulus cõcionatur. Ita ritè 70 illæ hebdomades finẽ habent in eo anno, qui post Christi resurrectionẽ septimus fuit. Ibi desperatur de deploratis & induratis Iudæis, & præfractis Hierosolymitanis, ita ut Apostoli ad gentes coacti sint sese cõuertere, ueluti D. Paulus ait Act. 13.

Sed nos hic nõ instituimus, neq; omniũ opinionũ recitationẽ, neq; exactissimã huius prophetiæ explicationẽ: ac cõtenti sumus hoc genere, quod luce meridiana omniũ cõfessionib. clarissimũ sit, ipso tempore, quo Iesus Christus suum officiũ executus est Hierosolymis, hebdomades Danielis terminũ suum cõsecutas esse: nec posse ulterius extendi, licet rumpãtur obcæcati Iudæi. estq; inexpugnabile argumentũ: Oportuit iuxta hanc diuinam prophetiã Christũ uenire, exactis 70 hebdomadibus, & stante atq; durante adhuc templo, sacrificijs & politia Mosaica: sed nunc illæ hebdomades elapsæ sunt, ciuitas ac templum deleta sunt: iamq; hoc anno 1558, quo ista scribimus, integris 1483 annis post deletionem ultimã per Titum factam, nihil aliud quàm rudera ibi conspecta sunt.

In fine, Africani narrationẽ adijcere libuit, de qua pones lectorẽ iudiciũ esto. Extat autẽ in Hieronymo, cap. 19. Danielis, ubi sic scribit: Africanus in quinto Temporum uolumine, de 70 hebdomadibus hæc locutus ad uerbum est: Capitulũ quod in Daniele de 70 hebdomadib. legimus, multa et mirabilia cõtinet, quæ nunc longũ est dicere: ergo quod ad præsens opus pertinet, de temporibus differendũ est. Nulliq; dubiũ, quando de aduentu Christi prædicatio sit: qui post 70 hebdomadas mundo apparuit, post quẽ cõsummata sunt delicta, & finẽ accepit peccatũ, & deleta est iniquitas, & annunciata iustitia sempiterna, quæ legis iusticiã uinceret: & impletis est uisio & prophetia, quia lex & prophetæ usq; ad baptistã Ioannẽ: & unctus est sanctus sanctorũ. quæ omnia, priusquã Christus humanũ corpus assumeret, sperabantur magis q̃ tenebantur. Dicit autẽ ipse angelus, 70 annorũ hebdomadas, id est annos 490, ab exitu sermonis, ut respondeatur, & ædificetur Hierusalẽ, uicesimũ Artaxerxis regis Persarũ annũ habere principiũ. Necessitas quippe huius pincerna, sicut in Esdræ libro legimus, rogauit regẽ: accepitq; responsum, ut ædificaretur Hierusalẽ. Et iste egressus est sermo, qui extruendæ urbis, et circundandæ muris daret licentiã: quæ usq; ad illud tempus uicinarũ gentiũ patebat incursibus. Siquidẽ ad Cyri regis imperiũ, qui uolentibus reuerti Hierosolymã dederat potestatẽ, Iesus pontifex, et Zorobabel, et postea Esdras sacerdos, & cæteri qui cum eis proficisci uoluerant, templũ & urbẽ & muros eius ædificare conati sunt: prohibentib. in circuitu nationibus, ne impleretur opus, quasi hoc rex nõ iussisset. Mansit itaq; imperfectũ opus, usq; ad Neemiã, & uicesimũ annũ regis Artazerxis: quo tempore regni Persarum, 115. anni fuerant euoluti: captiuitatis autẽ Hierusalẽ CLXXV annus erat: et tunc primũ Artaxerxes iussit muros extrui Hierusalem, cui operi præfuit Neemias: et ædificata est platea, & muri circundati. Et ex illo tempore si numerare uelis, 70 annorũ hebdomadas usq; ad Christũ poteris inuenire. Quod si harũ principiũ ab alio tempore uoluerimus sumere, & tempora nõ cõcurrent, et multa reperiemus cõtraria. Nam si à Cyro & prima eius indulgentia, qua Iudæorũ laxata est captiuitas, 70 numerentur hebdomadæ: centum, & eo amplius inueniemus annos, qui statutum septuaginta hebdomadarum excedant numerũ: et multo plus, si ex qua die locutus est Danielis angelus, additurq; amplior numerus, si captiuitatis exordiũ uolueris hebdomadarũ habere principium.

Permansit enim regnũ Persarũ, usq; ad initiũ Macedonum, annis 230. & ipsi Macedones regnauerũt annis 300. atq; exinde usq; ad annũ 15 Tyberij Cæsaris, quãdo passus est Christus, numerãtur anni 60. q̃ simul faciũt annos 590, ita ut 100 supersint anni. A uicesimo aũt anno Artaxerxis regis, usq; ad Christũ, cõplentur hebdomadæ 70, iuxta lunarẽ Hebræorũ supputationẽ: q̃ mensis nõ iuxta solis, sed iuxta lunæ cursum numerãt. Nam à 115 anno regni Persarũ, quãdo Artaxerxes rex eiusdem imperij 20 regni sui habebat annũ, et erat 83 Olympiadis

piadis annus quartus, usq; ad 202 Olympiadē, & secundum eiusdē Olympiadis annū, Tyberij Cæsaris annū 15. colliguntur anni 475, qui faciūt annos Hebraicos 490 iuxta lunares, ut diximus, menses. Qui secundū illorum supputationē, possunt facere per singulos menses, dies 29 & semis: ita ut solis circulus per annos 490 plus habeat dies 365, & quartā diei partē: et per 12 menses singulorū annorū 11 dies, & quarta diei pars amplius reperiatur. Vnde Græci et Iudæi, per octo annos triū mensiū ἐμβολισμὸν faciūt. Si enim octies undecim et quartam partē uolueris supputare, 90 dies, hoc est tres menses efficies: & in 475 annis octonarij, reperientur anni 59, & menses tres: qui simul faciunt plus minus ue annos 15. quos si quadringentis septuagintaquinq; annis uolueris addere, septuaginta annorum facies hebdomadas: hoc est, simul annos 490. Hæc Africanus ijsdem uerbis, quibus expressimus, locutus est.

¶ Postremò, quædā alia subijcienda nobis uisa sunt, quæ ab autoribus illustribus annotata sunt. Ac primùm Eusebius lib. 1. cap. 13. commemorat, in grammatophylacio urbis Edessæ, hasce Epistolas asseruari, quarum exempla adscribimus.

EXEMPLAR EPISTOLAE AGBARI ad Seruatorem nostrum.

Agbarus Toparches Edessenus, IESV seruatori bono, in regione Hierosolymitana comparenti, χαίρειν. Relatū est ad me, quomodo tu, unà cum tuis, sanitatem absq; pharmacis & herbis mortalibus cōferas. Etenim sicut fama refert, cæcis ut respiciant, claudis ut ambulent præstas, leprosos etiam mundas, spiritus impuros ac dæmoniacos eijcis, eos qui diutinis ac prolixi temporis morbis torquentur curas, ac mortuos excitas. Et ubi hæc omnia de te audiui, alterū ex his duobus esse cogitaui: nimirum quòd aut Deus sis, cœlitusq; delapsus ista facias: aut filius Dei existēs, hæc operaris. Quapropter his ad te literis scriptis precor, ut molestiā hanc uenien di ad me suscipias, passionemq; qua premor cures. Nam & hoc percepi, quòd Iudæi aduersum te murmurent, teq; adfligere conentur. Est autem mihi ciuitas admodū exigua, & honesta, quæ tamen utriq; sufficiet. Hæc ille ad hunc modū, parumper adhuc diuina luce illustratus, scripsit. Dignum autem fuerit, & literas IESV audire, quas Agbaro per eundem tabellionem rescripsit.

EXEMPLAR LITERARVM, QVAS Seruator Agbaro rescripserit.

Agbare, beatus es, quòd in me credidisti, cum non uideris me. Scriptū enim est de me: Non credituros in me, qui uiderint me, ut qui non uiderint, credant et uiuant. De quo uerò ad me scripsisti, ut ad te ueniam, scias mihi cuncta, quorum gratia missus sum, hoc loco esse adimplenda: & postquam ea cōpleuero, mox ad eum redeundū, qui me misit. Vbi autem assumptus fuero, mittam tibi aliquē ex discipulis meis, qui passioni tuæ medeatur, uitamq; & tibi & ijs qui tecum sunt præstet.

IOSEPHI TESTIMONIVM DE Christo Antiq. Iudaic. lib. 18. cap. 4.

Eodem tempore fuit IESVS, uir sapiens, si tamen uirum eum fas est dicere. Erat enim mirabiliū operū pastrator, et doctor eorū qui libenter uera suscipiūt pluri mosq; tam de Iudæis, q̄ de gentibus, sectatores habuit. Christus hic erat quem accusatū à nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus nō destiterūt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die uiuus, ita ut diuinitus de eo uates hoc & alia multa miranda prædixerūt: & usq; in hodiernum Christianorū gen⁹, ab hoc denominatū, nō defecit.

PONTII PILATI EPISTOLA AD Imperatorem Tyberium, ex Anacæphaleosi Egesippi.

Nuper accidit, et quod ipse probaui, Iudæos per inuidiā se suosq; posteros crudeli cōdemnatione punisse. Deniq; cū promissum haberēt patres eorū, q̄ illis Deus eorū mitteret de cœlo sanctū suum, qui eorū rex meritò diceretur, & hunc se per uirginē promiserit missurū ad terras: istū itaq; me præside in Iudæā Deus Hebræorum cum misisset, & uidissent eū cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominib. fugasse, mortuos etiā suscitasse, imperasse uētis, ambulasse siccis pedib. super undas maris, & multa alia feciſſe: cū omnis populꝰ Iudæorū, eum Dei filiū esse diceret, inuidiam contra eū pasi sunt principes Iudæorū, & tenuerunt eum, mihiq; tradiderūt: et alia pro alijs mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum magū esse, & contra legem eorū agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatū tradidi illum arbitrio eorū. Illi autem crucifixerunt eum, et sepulto custodes adhibuerunt. Ille autē, militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit. intantum autē exarsit nequitia Iudæorū, ut darēt pecuniā custodibus, & dicerent: Dicite, quia discipuli eius corpus ipsius rapuerūt. Sed cum accepissent pecuniā, quod factum fuerat, tacere nō potuerūt. Nam et illū surrexisse, testati sunt se uidisse, et se à Iudæis pecuniam aecepisse.

LENTVLI EPISTOLA AD IMPEratorem Tyberium, quæ apud Eutropium in annalibus Senatorum Romanorum extat.

Apparuit his temporibus, & adhuc est, homo magnæ uirtutis, nominatus CHRISTVS IESVS, qui dicitur à gentibus propheta, quem eius discipuli uocant filium Dei: suscitans mortuos, & sanans omnes languores: homo staturæ proceræ, mediocris & spectabilis, uultum habens uenerabilem, quem intuentes possunt formidare & diligere. Capillos habet coloris nucis auellanæ præmaturæ, & planos ferè usq; ad aures. Ab auribus cuntanos crispos aliquanto, cæruleores & subgemiores ab humeris uentilantes, discrimen habens in medio capitis iuxta morem Nazaræorum, frontem planam et serenissimam, cum facie sine ruga aut macula aliqua, quam rubor moderatus uenustat. Nasi et oris nulla reprehensio. Barbā habet copiosam & impuberē, capillis concolorē, nō longā, sed in medio bifurcatā. Aspectū habet simplicē & maturū, oculis claris existentibus. In increpatione terribilis, in admonitione blandus & amabilis, hilaris seruata grauitate. Qui nunquā ridere, flere autē sæpe uisus est. In statura corporis propagatus, rectus. manus habet & brachia uisu delectabilia. In colloquio rarus et modestus, speciosus inter filios hominū.

Nicephorus lib. 1. cap. 40.

Vt ex antiquis descriptionibus accepimus, figura Christi talis fuit. Formosa species corporis fuit: statura septem

septem integras spithamas exceßit. Capillũ habuit nõ nihil flauescentẽ, non densum, & in extrema parte aliquantulũ crispũ: nigra supercilia, non multũ curua, nec sine interuallo. Oculos suluos, qui nominãtur charopi: non luscioſos, nulla deformitate insignes, non uagabundos. naso erecto: barba flaua, non prolixa. Capilli uerò capitis prolixi fuerunt: quia nunquã nouacula, aut ullius hominis manu tonsi fuerũt. Collum leuiter inflexũ fuit, ne prorsus erectº incederet. Color faciei subfuscus, tritico similis: facies nõ rotunda, sed qualis fuit matris, aliquantulum demissa, paululum rubescens: & uultus ipse significabat hominem intelligentem, & mores graues & placidos, & prorsus ab iracundia alienos. Prorsus autem similis erat purißimæ matri suæ.

DE IOHANNE BAPTISTA.

SI quis alius, certè Iohannes Baptista nõ tantum ab alijs, sed etiam ab ipso IESV Christo, illustribus testimonijs ornatus & commendatus est: neq; uerò id temerè, sed propter insigne ministeriũ, quo functus est: cuius etiam dignitas & fructus ad uniuersam omniũ seculorũ Ecclesiã Christi pertinet. Cum itaq; omnia quæcunq; ad Iohannem pertinent, admirandas & salutares Dei actiones cõtineant, historiã tanti organi Dei nosse atq; expendere, non tantũ iucundũ, sed etiam utilißimũ est. Etsi autem pro dignitate à nobis tractari minimè potest, tamen res præcipuas, maximiq; momenti, breuiter ac uerè complectemur.

Natus est Iohannes, patre Zacharia, & matre Elisabeth, non obscuris parentibus. Nam parens sacerdos erat in populo Dei, de uice Abia: quæ quidem dignitas summa erat. Etsi enim regius splendor magis incurrebat in hominũ oculos, tamen ista functio, in qua cultus à Deo præcepti administrabantur, et animæ hominum uera de Deo doctrina imbuebantur, longè erat præstantior. Mater trahebat originẽ inde ab ipso Aarone, socio ac fratre Moysis qui & res maximas olim gesserãt, & miraculis atq; testimonijs plurimis à Deo decorati fuerant. Vetustas igitur generis in istis parentibus emicuit, quæ non postremum in uita humana decus est.

Cumq; uirtutes parentũ ad liberos quoq; aliqua ratione pertineant, & credantur earum semina quædam, præsertim Deo peculiariter benedicente, in eos propagari: magnã sanè isti Iohannis parentes laudẽ ac singulare testimoniũ habuerunt, quòd iusti ante Deum, hoc est, uera noticia Dei ac luce fidei in Meßiã præditi fuerint, nec aluerint falsas persuasiones de operũ iusticia, quales tũ in Pharisæis & reliquo uulgo grassatæ sunt: quòd studioſe ritus à Deo præscriptos obseruarint, quòd morum & uitæ honestate alijs præfulserint.

Solet autem Deus, quoties præstantes heroas, in sua præsertim Ecclesia excitare uult, miracula quædam addere, quibus moneantur de rebus secuturis. Sic Iohannes, ex senibus parentibus, & quidem ex effœta et sterili matre natus est, idq; insigni reuelatione Dei. Ad Zachariã enim sacra in templo Hierosolymitano facientẽ, angelus Gabriel à Deo mittitur: qui à dextris altaris, cui impositũ erat incensum, subitò apparet, et obstupefactũ blandis uerbis alloquitur. Ne quid trepidet, se iam ei hoc Euangelium ex mandato Dei annunciare, quòd preces eius sint exauditæ, ac suscepturus sit filiũ ex Elisabetha. Nomen quoq; diuinitus ei imponi, ut Iohannes uocetur. Postea exponit, hunc filiũ, etiam in utero existentem, Spiritu sancto repletũ iri, & fore organon salutare, et præstantẽ atq; fœlicem doctorẽ, qui quidem coràm sit monstraturus Meßiã spiritu & uirtute Eliæ, & repurgaturus doctrinã cœlestẽ, & collecturus Deo Ecclesiã ueram. Vitæ genus fore non ad delicias compẽratum, sed sobriũ, & ad tale ministeriũ aptũ. Hæc cum Zacharias, ratione humana metiens diuina opera, eo quòd ipse eius q; cõiunx senes proiectæq; ætatis essent, crederc non satis posset: additur & hoc signũ, quòd angelus prædicit eum mutũ fore, donec uiderit hæc omnia cõpleri. & mox euentus est subsecutus. Prodiens enim Zacharias ad populum, uerbum non potuit ullum facere. sed gestu significauit, sibi magnum quiddã accidisse.

Hæc historia plena est miraculis diuinis, quæ testantur, Deum Ecclesiæ suæ curam agere, et pijs doctrinam de Meßia reuelare, atq; ad ministerium uerbi pias personas excitare.

Celebratur Astyagis somniũ, cui dormienti talis species oblata est, ac si è corpore filiæ nasceretur uitis, tota Asiam obumbrans. ex qua re coniecturarunt sapientes, eius filium potentia & uirtutibus celebrem futurũ esse. Sed longè potiores sunt istæ diuinæ reuelationes de Iohanne Baptista, qui præcursor fuit Meßiæ, destructor religionis Mosaicæ, quo ad eam partem quæ ritibus & umbris rerum futurarum constabat, & inchoator noui testamenti.

In aluo autẽ materna adhuc existens infantulus, admirandũ specimẽ suæ sanctitatis et officij ostẽdit. Nam post sex menses, Maria gestans in utero Meßiã, recens cõceptũ, ad Elisabethã cognatã uenit: idq; angeli iussu, qui ei nunciarat de cognatæ fœtu. ibi statim facta salutatione, Iohãnes in matris uentre præ gaudio subsilit, honorem atq; reuerentiã tam propinquo Saluatori exhibens. ac Elisabetha Spiritu sancto accensa, ibi fidei luce mox cognoscit, quod neq; ex Maria audierat, neq; oculis cõprehendere adhuc poterat, Meßiã nimirũ esse præsentẽ, ac in Maria eũ iam nasci. cõfirmatq; eam, ne dubitet, Deũ omnia in ea perfecturũ esse, quæ prædixisset.

Tempº postea aduenit, quo Elisabetha filiũ enititur. ubi rursus alia miracula fiũt. Nam cum, ut moris erat, in circũcisione nomen infanti esset imponendũ, ac mulieres suaderẽt, patris nomẽ ei dandũ esse: puerpera cõtẽdit uehemẽter, eũ Iohannẽ uocandũ esse: id quod ipsa quoq; ex reuelatione sine dubio habebat. Sed dũ utrinq; disceptant, mulieres patri nutibus & gestibus rem deferunt. is pugillari accepto, simul dicit & scribit, non alio eum nomine quàm Iohannis oportere insigniri. & postea statim in laudes Dei soluitur.

Proculdubio et etymologiã nominis exposuit, quod ut erat à Deo indicatũ, ita etiã totũ officiũ huius personæ comprehenderet. Nam יוחנן gratiosum significat, quẽ Græci Euchariũ, Germani Huldrich appellãt. Erat autẽ officiũ Ioannis, gratiã Dei per Christũ annunciare: hoc est, doctrinã tradere de remißione peccatorum gratuita, per fidem in Christum: qua quidẽ doctrina nihil est gratiosius, nihil iucundius.

Parens recuperato sermonis usu, luculenter de præsenti Meßia, eiusq; operibus prophetat: & testatur, hunc suum filiolum fore Meßiæ præconem, & in toto ministerio salutarem.

Præbue-

Præbuerunt istæ patefactiones multis pijs occasiones, aliquanto accuratius de promissionibus diuinis cogitandi: & proculdubio præclaras de hoc puero spes conceperunt, & bene ei precati sunt.

Natus autem est Ioannes semestri ante IESVM Christum, Herode in Iudæos regnum obtinēte. quæ ipsa res, iuxta uaticinium Iacob, rerum mutationem omnium maximam portendebat.

Adolescentiæ & iuuentutis studia non sunt literis tradita. commemorat tantum Lucas, puerum in deserti⁹ usq; ad tempus suæ ostensionis permansisse. id quod nequaquā de aliquo antro, omnino ab hominū conuersatione remoto, accipiendū est: quasi ibi ueluti ursus et misanthropos delituisset, ab omni humanitate alienus: sicut posterioribus temporibus Eremitæ, & id genus homines, superstitiosos sibi finxerunt cultus. Sed in œconomia suorum parentum est educatus, qui habitarūt in loco ad regionem montosam sito, quæ uulgo Deserta uocabatur: sicut etiam nunc uulgo loquimur, ad sylua Hercyniam habitare, am harze wohnen: hoc est, in oppidis prope montes habitationē suā habere. Ita postea in deserto baptisat, hoc est, in locis prope Iordanē, ubi nō procul montes aberant, ac pascua tamē oppida ac pagi erant. Præterea addit Euangelista, cum creuisse, ac confortatum esse spiritu: quibus uerbis, ueluti punctis, indicat, eum in primis annis fideliter in sacra doctrina imbutum, & fœliciter in ea progressum esse, ita ut egregium pietatis specimen de se præberet.

Habuit autem domesticā scholam sanè præstantem. Nam parentes rectè & dextrè intelligebant articulos fidei, & ardebant amore erga præsentem Messiam, paulatim succrescentem. Non ignorabant, in quanta functione filiolus Iohannes futurus esset. Quapropter summa pietate & diligentia tenellum etiam puerum erudierunt & exercuerunt, neq; mediocriter eius ingenio & profectu delectati sunt. Postea paulatim ad intelligenda uaticinia prophetarum eum instruxerunt. Etsi autem non scimus, an parentes eum alijs quoq; præceptoribus instituendum præbuerint, præsertim cum publicè multæ praue opiniones, quæ summos articulos fidei obscurabant, dominarentur: tamen ueri simile est, Iohannem in bonorum uirorum scholis literarū semina percepisse. Facilè autem tantū ingeniū, gubernatorē habens Spiritū sanctū, omnes alios coætaneos in studijs superauit, & admirationem sui peperit. In moribus quoq; ab ineunte ætate, grauitatē & sanctitatē præstitit. Ritus Mosaicos amauit, atq; doctiores enarratores sacrarū literarū proculdubio, annis atq; iudicio cōfirmat⁹, attētè audiuit, ac genuinā uerbi diuini sententiā scrutatus est.

Fortè & alios postea, propemodū ad maturā ætatē accedens, priuatim & modestè docuit. Nequaquā enim ocios⁹ & ignarus tot annos uitæ suæ fuit, præsertim cum nō sit ignotus Hierosolymitanis sacerdotibus, functionē suā exordiens. Si de rebus nō præscriptis aliquid affirmare liceret, fortè non esset à uero absonū, eum in parentis sui, senio confecti et demortui locū, ubi ad soliditatē ætatē peruenisset, et ob insignē pietatē, industriā, uitæq; sanctitatē celebris, cunctisq; gratus factus esset, successisse: in eaq; functione usq; ad tempus, quo religio Mosaica publicè abroganda esset, summa cum laude uixisse. Nec dubiū est, Mariā crebrò ad Elisabethā excurrisse: & IESVM etiam in pueritia sanctā atq; pulcherrimam, cum Iohanne adhuc puero, ac postea etiam in reliquis ætatum gradibus, amicitiam coluisse.

Proficit tamen uterq; paulatim, & cum ætate accreuit quoq; sapientia, & cæteræ uirtutes. Sed quia hæc nō sunt literis prodita, satis sit parcè attigisse. Nam uocationē, ad quā præcipuè à Deo conditus & excitatus erat, Euangelistæ in primis describendā sibi putarunt.

Didicerat Ioannes ex pijs parentibus, ex Maria, adlijsq; pietate sinceriori deditis, sese præconē ac præcursorem fore Messiæ. Cum enim reuelationes quæ acciderunt Zachariæ & Elisabethæ, & parentis cōcio, etiam ab alijs obseruatæ & annotatæ sint: nō dubitemus, quin ipse quoq; hæc ex ore parentū sæpissimè audierit. Deinde ubi in Prophetarum libris uersari ipsemet potuit, sedulò plura est scrutatus: ac Spiritu sancto lucem præbente, res maximas solerti ingenio considerauit. Fortè & quædā peculiares reuelationes accesserūt. Sed tamē nihil sibi publicè esse audendū ratus est, nisi etiā momenta rerum agendarū ab ipso Deo manifestè indicarētur.

Agebat iam 29 annum Iohannes, atq; uirilē ætatem attingebat, anno 15. Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudææ, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo eius fratre tetrarcha Ituræ & Traconitidis, & Lysania Abilenæ tetrarcha, sub principib. Hanna & Caypha: ibi uocationi omnium amplissimæ præficitur. Vocatur autem immediatè ab ipso Deo, qui mandata certa tradit, quæ debeat proponere & exequi. Lucæ 3. & Iohan. 1. ait se à Deo missum esse. Pontifices & sacerdotes Hierosolymitani ocio atq; auaritiæ studebant, prorsus abiecta cura ueræ doctrinæ. ideo ipse Deus hunc excellentem ministrum eligit, atq; sua autoritate ordinat.

Summā ministerij eius Gabriel & Zacharias complexi sunt, nimirū quòd præcursor ac præco seu tubicē præsentis Messiæ debeat esse: & hortari omnes, ut eum agnoscant et cōplectantur. qua de causa parens eum uocat Prophetā altissimi: uerùm talem, qui ante faciē Domini seu Messiæ sit præcessurus, et uias eius paraturus: hoc est, uoce totoq; ministerio eum declaraturus.

Commendat huius ministerij & personæ maiestatē, quòd etiā in prophetis omnia prædicta fuere. Nam in Esaia cap. 40. de Iohanne dictū est: Vox clamans in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. Et Malachiæ 3. Ecce mitto angelū meum ante faciē tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Quæ quidem testimonia, non tantum Euangelistæ, sed & Christus ei applicat, & Iohannes ipse indubitāter ad se accommodat. Matth. 3. 11. Marci 1. Lucæ 3. Iohan. 1.

In tribus autē rebus eius functio consistebat potissimum: in doctrina, in baptismi administratione, in actis necessarijs. Primùm igitur articulos doctrinæ ordine colligemus. Est enim pijs pectoribus suaue, tanti uiri doctrinā cognoscere, suamq; ex ea fidem confirmare.

De Deo perspicuè docuit, tres esse personas diuinitatis: sicut in baptismo Christi, reuelationem omniū pulcherrimā & illustrissimā acceperat. ac monet, per filiū esse patrem cognoscendū: Iohan. 1. Deum nemo uidit unquam. unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Hoc dicto personas etiam distinguit: alterā patrem appellans, alteram unigenitum à patre. Paulo pòst etiam distinctè de Spiritu sancto loquitur.

IESVM *diserte docuit esse filium Dei, et quidem unigenitum: et prius se extitisse, patrem dare ei spiritum non ad mensurã: deinde, etiam hominem, quia esset uir passioni destinatus. Et in primis uoce ac digito, omnibusq; actionibus monstrauit ac declarauit, hanc ipsam personam esse Christum, seu promissum Messiam. Recte docuit de officio Christi, quòd esset agnus Dei, qui tolleret peccata mundi: hoc est, hostiam mactationi deputatam, sanguineq; proprio reconciliaturam non unam tantum gentem, sed totum mundũ, cum Deo. Estq; hæc concio ex Esaia cap. 53. sumpta, ubi de hoc agno eiusq; sacrificio præclara patefacta sunt, quæ quidẽ omnia Iohannes indubitanter applicat. Et hic articulus omniũ erat præcipuus. Cupiebat enim Deus, priusquã* IESVS *redemptionẽ totius generis humani aggrederetur, rem tantam nõnihil innotescere. Ideo tubã hanc præmittit, præsertim cum hoc tempore uera de Messia doctrina falsissimis & crassissimis opinionibus Pharisæorum, ueluti altis tenebris sepulta esset: ac nemo patientem Christum expectaret, nemo putaret peccata generis humani per eum expianda esse: sed gloriosum omnes somniarent, qui facultates & splendorem atq; potentiam gentis Iudaicæ esset aucturus. Addidit præterea, Messiam fore doctorem ueracem: & gratiam, hoc est gratuitam remissionem peccatorum donaturũ esse, effusurum Spiritum sanctum in Apostolos et credentes. Iohan. 1. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3.*

De Spiritu sancto, docuit esse personam à patre & filio distinctam: Vidi, inquit, spiritum sanctum, descendentẽ quasi columbã de cœlo, & mansit super eũ. Ioh. 1.

De uiribus humanis docuit, quòd nemo possit sibi sumere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. Loquitur autem præcipuè de uocatione Christi Iohannes: & id quod prius diximus, simul includit.

De peccato docuit, totum mundum peccato obnoxium: adeò ut cum nemo potuerit suis uiribus reluctari, necesse fuerit filium Dei fieri pro eis hostiam. Iohannis 1. Qui de terra est, inquit, terrena loquitur. Iohan. 3.

De discrimine Legis et Euangelij præclaram sententiam profert. Lex, inquit, per Mosen data est: gratia autem et ueritas, per IESVM *Christum facta est. Iohan. 1. Et constat præterea ex hoc dicto, eum legem seriò ursisse, sicut etiam Pharisæos & Sadducæos de suis peccatis grauissimè admonet. Matth. 3.*

De causis iustificationis dextrè et luculenter docuit Iohan. 1. Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Singula uerba emphasim habent. Iusticia nostra tantum est gratia, hoc est, gratuita acceptatio, & donatio remissionis peccatorum. Qui eam parit & conficit, non est angelus uel homo, sed IESVS *Christus solus. Modus parandi est, quòd sit uictima, omnibus omnium creaturarum meritis & adiumentis explosis. Oportet autem nos à Christo accipere, et id quidem fide. Deniq; pertinet hoc beneficium ad totum mundum: nec debet se quisquam inde excludere, nisi qui detrectat accipere & ex hoc salutari fonticulo gratis haurire.*

Idem in hac pulcherrima sententia docuit: Qui credit in filium, habet uitam æternam. Qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Taxat opinionem Pharisaicam, qui & suis operibus, & prærogatiuæ generis confidebant, quasi essent filij Abrahæ.

De necessitate bonorum operum docuit, quòd omnis arbor non faciens fructum, debeat excindi, & in ignem conijci. Opera autem tantum moralia proposuit: ut iuuare inopes: ut quisque in sua uocatione debita officia præstet: publicani non exigant plus quàm eis constitutum sit: milites neminem iniuria afficiant, & stipendijs suis contenti sint.

Opinionem de iusticia operum acriter taxauit, iram Dei ac pœnas æternas Pharisæis propterea certò denuncians. Matthæi 3. Lucæ 3.

Pœnitentiæ seu conuersionis doctrinam aptè complexus est: Pœnitentiam, inquit, agite. approquinquauit enim regnum cœlorũ. De fructibus pœnitentiæ, seu noua obedientia dicit: Facite fructus dignos pœnitentia. Matth. 3.

Non pœnitentibus & aspernantibus Christum grauissimas pœnas prædicit, quòd arbor infrugifera tanquã sit igni tradenda, quòd paleæ igni inextinguibili sint cremandæ, quòd securis iam sit admota radici arboris. Matthæi 3.

De collectione Ecclesiæ & uita æterna, quòd Deus mundet aream, & triticum in horreum suum congreget. Item, quòd non consistat in generis prærogatiua: sicut Pharisæi, ideo se putabãt esse Ecclesiam Dei, quia essent filij Abraham.

Docuit de baptismo, quòd sit à Deo. Iohan. 1. quòd adferat remissionem peccatorum, quòd agentibus pœnitentiam prosit. Marci 1. Lucæ 3. Quòd baptismus manifestet Christum. Iohan. 1.

Tradidit doctrinam de inuocatione, etiam formula quadam suis præscripta, sicut Christi discipuli fatentur Lucæ 11.

In doctrinæ negocio, primùm habuit scientiam indubitatam & illustrem earum rerum quas alijs proposuit: & prælucente Spiritu sancto, omnes præstigias & corruptelas eorum qui autoritate summa & potentia excellebant, solerter discernebat, ac toto pectore oderat & execrabatur. id quod certè in tanta doctrinæ confusione & caligine non fuit res parua.

Arduas quæstiones, quales tum temporis plurimæ mouebantur, maxima dexteritate iudicij discernebat: neq; mutabat doctrinam in gratiam ullius hominis: nõ metuebat iniusta iudicia, odia, minas & pericula. sicut Christus eum celebrat, quòd non sit arundo, nec uestitus mollibus. Matth. 11. Lucæ 7.

Fuit modestus & humilis. Nam sæpe testatur, se longè inferiorem Christo, adeò ut ne corrigiã quidem calceamentorum eius dignus sit soluere. Et legatis missis Hierosolymis diserte respondet, se non esse Messiam. Præstitit fidem ministerio dignam. nam nequaquã margaritas ante porcos proiecit, non quoslibet temerè ad baptismum admisit, sed confitentes peccata sua: hoc est, exploratos, & agentes pœnitentiam tantum. Contumaces uerò, ac defensores suarum impietatum aut scelerum, reprobauit.

Certamina sustinuit maxima et acerrima. Sæpe enim cum pharisæis et Sadducæis luctatus est, præsertim cum doctrinæ genus, quod profitebatur, uideretur esse nouum et horridum, et nouam religionis formam extrue-

rel,

ret, cum tamen Moysi non putaretur esse par. Offendebantur magnopere omnes, decorem atq; splendorem ueteris status ac tranquillitatem amantes, quòd omnia uideretur demoliri: idq; sine expressa, ut putabant, uocatione. Hoc igitur ariete eum adoriuntur Iohannis 1. Tu non es Messias, neq; Elias, neque propheta. idcirco non debes baptisare: hoc est, res nouas moliri. et conuinceris esse hæreticus, es pestis religionis à Deo sancitæ: es ingratus tuis parentibus, qui in ea religione uixerunt, teq; educarũt. Et testatur Christus Matth. 11. quòd uociferati sint Iohannem dæmonio agitari. Sed Iohannes opponit, non tantum se modò peculiarem à Deo ipso habere uocationem, sed etiam in Esaia de se suisq; actionibus prædictum esse: Iohan. 1. Confutauit Pharisæos, qui inani fastu turgebant, quasi ideo Deo essent acceptiores, quia ex Abraham, ut dictum, traherent originem: & quòd suis operibus legem implere, ac iusticiam coram Deo posent cõsequi: ac propterea acrimoniam quandã adhibuit, uocans eos uiperarũ progenies.

Non exiguos habuit labores in aula Herodis, ubi regis tetrum factum acriter taxauit: & iram Dei denunciauit, nisi ageret pœnitentiam. Id uerò uidebatur esse crimen læsæ Maiestatis, labefactatio existimationis regiæ, conatus seditiosi. Proculdubio & alia peccata, quæ in aulis plerunq; uagantur, reprehendit: quæ res, sicut aliàs semper, ita hic quoq; admodum ingrata fuit. Sed non est fractus siue palpationibus, siue truculento uultu & minis aulicis, donec tandem in carcerem abriperetur, ne suis clamoribus omnia turbare pergeret. Fuisset autem hauddubiè acceptior, si nonnihil temporisare, atque adiaphorisare, simulare atq; dissimulare, idem pro loco atq; personis laudare atq; uituperare potuisset: id quod plurimorum in aulis & ad aulicos est aucupium ualde fructuosum.

Ad doctrinam nouam ordiebatur ceremoniam, nempe baptismum, non ex priuato arbitrio, sed uoluntate Dei, & quidem in remissionem peccatorum: nec admittebat quenquam, nisi prius peccata sua fuisset cõfessus: hoc est, egisset pœnitentiã agnoscendo peccata, & credendo in Messiam, & damnãdo priores errores & peccata, in quibus fuisset perditus: deniq; etiam promittendo, in fide & operib. bonis perseuerantiã. Ideo autẽ uocatur baptismus in remissionẽ peccatorũ, quia promissio de remissione peccatorũ isti actioni annectebatur: perq; ea media, nimirũ uerbum Euangelij de Christo, & ablutionẽ per aquam, remissionẽ peccatorum certò cõferebat, & cõfirmabat Deus. Discernit autem Iohannes se & Christum, in tribus maximè partibus. Primùm in personis. fatetur enim Christum se priorẽ, hoc est, uerũ Deũ esse: se uerò tantùm esse hominẽ, indignũ qui corrigia calciamentorũ eius solueret. Deinde officio: Iesum esse Christũ, expiaturũ peccatamundi: se uerò tantũ esse uocem testificantẽ de hoc Christo, eiq; ministerio seruientẽ. Tertiò, externa administratione baptismatis. Se enim tantum aqua & uerbo baptisare: at Christum Spiritu sancto & igni baptisaturũ. id quod tum de effusione miranda, quæ postea in Pentecoste & in collatione baptismi per Apostolos accidit, intelligendum: tum etiam ea de re, quòd Christus effectũ baptismo, nempe Spiritum sanctum & lucem internã impertiat: se uerò tantum esse externũ ministrum. Inscitè igitur faciunt, qui effectu baptismũ Iohannis seu Apostolorum discrepare cõtendunt: cum clarè scriptum extet, Iohannẽ prædicasse & administrasse baptismum pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ. Erat inter alios et iste finis noui huius sacramẽti, ut quodã externo signo magis innotesceret Christus in Israel: præterea effectus operum Messiæ quasi depingeretur, nempe quòd à peccatis homines esset loturus & purgaturus.

Baptisabat autẽ Iohannes initiò in Bethabara, trans Iordanem: Iohan. 1. idq; non sine mysterio. Nam in eo loco quasi porta in terram promissam Iosuæ, totiq; populo, insigni miraculo aperta olim fuit, Iordane cedente undis, ac siccum transitum præbente, donec ad unum omnes ad alterã ripam emersissent: postea confestim in se redierũt aquæ, ac uidetur inde nomen habere locus. Bethabara enim, domus transitus, seu traiectum nuncupatur. Iam uerò Iohannes in eo ipso loco baptismum ac ministerium inchoans, quasi applicat historiam, ac finem declarat, quare Deus tantis miraculis hunc populum in eam terram, pulsis gentibus collocarit: nempe ut Messiam agnoscerent, qui tutum præbiturus esset iter in uitam æternam, patefacta per sanguinem suum porta cœli. Neq; tantum in hoc loco mansit Iohannes, sed etiam in Aennon, iuxta Salem: Iohan. 3. & passim in omnibus locis circa Iordanem, propter aquæ commoditatem, baptismum administrauit: & Messiam præsentem non tantum uocè, sed etiam digito commonstrauit.

Tempus, quo rem tam arduam cœpit Iohannes, qua Mosaicus status prorsus abolebatur, & nouus Messiæ cõueniens instituebatur, Lucas indicat, ita scribẽs: Anno decimoquinto imperij Tiberij Cæsaris, Pontio Pilato præside Iudææ, tetrarcha uerò Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, & Lysania Abylenes tetrarcha, sub pontificibus Anna & Caypha. Anni mundi 3992, Eusebius in Chronico ait, computantur in præsentem annum: id est 15 Tiberij Cæsaris, à secũdo anno instaurationis templi, quæ facta est sub altero anno Darij regis Persarum, anni 548. A' Solomone autem & prima ædificatione templi, 1060. à Mose & egressu Israelis ex Aegypto, anni 1538. Ab Abraham et regno Nini & Semiramis, anni 2044. A' diluuio usq; ad Abraham, 942.

Opinio est non incõcinna, Iohannem ipso tubarum festo, administrationem publicam suæ functionis mandato Dei auspicatum esse, prima die mensis septimi. Erat autem, sicut Leuitici capite uigesimoquinto describitur, quædam celebris ac læta Iubilei, hoc est quinquagesimi anni, quo facultates redibant ad ueros ac proprios possessores, promulgatio ac denunciatio. Erat autem Iohannes, insignis Iubilei præco, & uox clamãs, ut prophetæ prædixerant, indicans iam redemptionem totius generis humani futuram esse.

Factis quoque Iohannes erat insignis. Primùm erat egregius doctrinæ repurgator, quæ à doctoribus Hierosolymitanis horribiliter obscurabatur & corrumpebatur. Deinde, à templo Hierosolymitano, & synagogis Iudæorum, palàm & publicè discedebat: et in regionibus prope Iordanem sitis nouos congressus, non quidem alligatos loco, faciebat, reipsa abrogans totum religionis statum à Moyse institutum: finiens umbras omnes in lege propositas, & inchoans nouam religionis

formam, tempori Meßiæ congruentem. Inde est, quòd assueuerat hunc Iesum esse agnum Dei, tollentem peccata mundi: haud obscurè docens, iam oportere ritus de mactandis agnis pro peccatis cessare, siquidem hostia ab alijs significata iam adesset, neque diutius tam angustis terminis cultus Dei concludendos esse: sed iam patefieri religionis portas, ut liberè ad omnes gentes effluat. Et Christus pronunciat, Matth. 11. Omnes prophetas & legem usque ad Iohannem prophetasse. Terminabat igitur Testamentum uetus, & ordiebatur nouum doctrina, ceremonijs, & ipsa separatione. Propter hoc officiũ, insigni insuper encomio ab ipso Christo ornatur.

Baptisauit ipsum Meßiam in Iordane, & quasi consecrauit & ordinauit ad ministerium suum. Non enim futurus erat Christus Rex mundanus, sed spiritualis & æternus. Itaq; non imponit ei auream coronam gemmis radiantẽ: sed baptismo seu undis perfundit, idq; iuxta Dei consilium, sicut Christus inquit, Ea re quenq; suam præstare iusticiam. Significabat autem ea actio, Iohannẽ tum doctrina, tum ceremonia hac noua, Christum ostendere & complecti, eumq; semper deinceps isti Euãgelio & baptismo adsturũ: Christi officiũ hoc esse, ut undis istis uerbo suo copulatis, homines à peccato abluat & regeneret. Neq; debere quenquam hanc ceremoniam uilem ducere. siquidem ipse eam sua præsentia ac maiestate ornarit. Volebat etiam Christus monere, se iam subiturum crucem, & hac ipsa ratione redemptionem & salutem allaturum esse.

Pharisæis & Sadducæis iram Dei apertè denunciauit, ac peccata ipsorum ligauit, neque ipsorum indignationem aut bruta fulmina, quæ rursus in ipsum conijcie bant, curauit quicquam. Genimina, inquit, uiperarum, quis uobis monstrauit, fugere à uentura ira?

Herodis incestum taxauit, id quod reliqui sacerdotes aut Leuitæ non audebant facere: neque absterritus est furore impij regis, aut meretricis, quam non dubitauit uitæ suæ insidiaturam esse.

Hæc facta etsi non tanti fiunt à profanis hominibus, quanti res gestæ Alexandri Magni, aut Iulij Cæsaris: tamen coram Deo, eiusq; Ecclesia, longè sunt præstantiora. Moyses Dei uoluntate formam religionis composuit, ijs temporibus aptam, quæ aduentũ Meßiæ debebant præcurrere. Sed Iohannes Mosaicum statum prorsus sustulit, & alium præsenti Christo eiusq; futuro regno, iussu Dei erexit ac stabiliuit, quẽ postea Christus ampliauit atq; confirmauit.

Reuelationes diuinas plures habuit, quàm memoriæ proditæ sint. Iohannis primo ipsemet Iohannes narrat, se à Deo missum esse: & ab eo immediatè accepisse, quòd esset baptisaturus ipsum quoque Christum, & quòd uisurus esset spiritum sanctum descendentem in eam personam. Postea etiam distinctam Trinitatis patefactionẽ accepit, qualis nunquam antea in toto mundo facta fuerat. Audit enim patrem de cœlis sonantem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placitum est. Videt spiritum sanctum in specie columbæ descendere, atq; in Christum se collocare. Videt filium Dei factum hominem, quem etiam aqua tingit. Nouit Esaiam de se suoq; officio uaticinatum esse. Habet ex ore Dei, quod de rebus futuris præsagit: nempe quòd se oportet minui, Christum uerò crescere: hoc est, restare iam suum finem, Christum uerò etiam patiendo incrementa amplißima sui regni consecuturum. Quòd Christus suo sanguine sit satisfacturus pro peccatis generis humani. Quòd Christus uisibiliter spiritu sancto & igne sit baptisaturus: id quod in festo Pentecostes accidit, ubi Spiritus sanctus effusus est in Apostolos, & apparuerunt flammæ in linguis. Quòd extremus interitus populi Iudaici immineat: Iohan. 1. 3. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3.

Porrò non tantum promiscuam erudiuit multitudinem, sed scholam quoq; more prophetarum penes se aluit, tanquam seminarium doctorũ ueræ Ecclesiæ. Nec fuerunt eius discipuli ocioſi, sed propagationem Euangelij & ipsi iuuerunt: ac disputarunt sæpe cum alijs de rebus maximis, quæ tum controuertebantur. Sic cum Iudæis conferunt de purificatione: Iohannis tertio. Deducit autem Iohannes suos discipulos studiose ad agnitionem Christi, & id quoq; incluſus carceri facit. Neq; uerò dubitauit Iohannes, cum discipulos deniq; è carcere ablegaret ad Christum, quæsitum an Christus esset? Sed maluit suos, quia nimium à sua persona pendebant, coràm potius audire Christum, atque ex ore Christi, ac intuitu miraculorum euidẽtißimorum conuinci, ut hac ratione omnis dubitatio discipulis ex animo eximeretur. Transierunt itaq; postea discipuli Iohannis in scholam Christi, ibiq; omnia plenius cognouerunt.

Miracula quidẽ Iohannes edidit nulla, qualia Christus, sicut Iohan. 10 scriptum est: sed tamen satis sunt ea facta, quæ hactenus nonnihil perstrinximus, miracula. Nam repurgatio doctrinæ, commonstratio Meßiæ, abrogatio ueteris Testamenti, plurimorum conuersio, & alia eius generis non sunt uulgaria facta.

Fuit & uestitus et uictus ratio peculiaris, quæ sicut in Prophetis interdum res maximas designauit, ita & in hoc Iohanne uestis è pilis cameli fuit contexta. Neq; est consentaneum, crudas tantum pelles sic fuisse conxas, ut quidam opinantur: sed usitato genere uestitus, quali illi qui ad montosa loca habitabant, induebatur, uili nempe et agresti, & ipse usus est, ne quis suspicaretur eum maximos honores aut uitæ splendorẽ affectare. Camelus animal est ad gestandos homines, & imposita onera, ipsa natura comparatũ, ac uiribus ualet, neq; unguibus aut acutis dentibus ad nocendum est instructum: sic Iohannes uenerat, non ut cuiquã iniuriam inferret, sed labores maximos sustineret, ad seruiendum hominib. doctrina & baptismo. Horridior quidem paulo fuit uestitus è pilis camelorum, sed tamen firma et durabilis: sic doctrina Iohannis primo aspectu horridiuscula uidebatur, (nam Pharisæi mollißimam & maximè blandientem rationi humanæ proponebant) sed tamen firma atq; perpetua. Zonam etiam pelliceam ferebat, non ut alij preciosam: ut manifestũ fieret, iam non regnum mundanum, aut uitæ magnificentiam à se aut Meßia, quem monstraret, quæri. Cibus erat mel syluestre, quod uicinæ syluæ copiose gignebant, 1. Samuelis 14. Et locustæ. Sed quale animal hoc fuerit, interdoctos ambigitur. Alij sentiunt, cancri genus fuisse, nonnihil forma locustis simile, quod piscatores Iudaici ad Iordanem in ripam coniecerint, tanquam cibum à Deo interdictum, Leuitici undecimo. Tales sunt etiam quidam cancri, qui mari generantur, mediocri magnitudi-

dine,

dine, habentes crustam plurimis acutis spiculis munitã, & carentes chelis, pedibus aliquanto longioribus. Id si ita se habet, Iohannes etiam exemplam libertatis Euangelicæ exercuit eo cibo, qui prohibitis piscibus usus sit: ut omnibus constaret, eam quoq; Mosaicam legem nunc abrogari. Alij de terrestri animali intelligunt, cuius esus Leuitici undecimo expresse est permissus. Dioscorides lib. 2. cap. 44. scribit, esse quoddam locustæ genus, quod Astracos aut Onos dicitur, quo Aphei abundè uescantur, qui Leptin incolũt. Plinius lib. 11. cap. 29. ait, locustas Parthis in cibo gratas, & alicubi reperiri trium pedum longitudine. Tendebant autem ea omnia huc denique, ut constaret, Iohannem non captare imperia huius mundi, neq; Christum: et ut hæc uitæ simplicitas & austeritas testaretur, non ob corporalia huius uitæ commoda Christum accipiendum, qui spiritualia & æterna bona largiretur.

Familiaritatem habuit cum sanctissimis hominibus, præter parentes suos: Iosepho, Maria, ipsoq; Christo. imò uirtutem eius etiam cæteri Iudæi, & ipse Herodes, admirati sunt. Herodes certè eum initiò libẽter audiuit, & eius consilia secutus est, ut refert Marcus capite 6.

Ornauit autem hunc Iohannem Christus egregijs encomijs, Matthæi undecimo: Quòd sit uerus doctor, non arundo cuilibet uento cedens & indulgens: non attemperans sese aularũ uoluntati, sicut ministri aulici etiam ipso uestitu faciũt. Item, plus esse quàm prophetã. nam ipse corám monstrabat Christum: uetustiores de uentro omnes prædixerant. In Ioanne lex & prophetæ exibant: deinde incipiebat nouum Testamentum. Iuramẽto etiam asseuerat Christus, inter natos mulierum non surrexisse maiorẽ Iohanne baptista. Id uerò totum propter officium dicitur, quòd præco erat præsentis Messiæ, atque regno ipsius uiam pararet. Se tamen ei præfert, licet se minorem uocet, propter summam humilitatem, quam erga patrem suum cœlestem præstat. Clarè pronunciat, Iohannem esse Heliam: de quo dictum sit in Malachia, eum uenturum esse ante Messiam. Sic & Matthæi decimoseptimo idem confirmat. Angelus Gabriel, ut Lucæ 1. scriptum est, propemodum eadem iussu Dei exponit, & Euangelistæ Iohannis ministerium diligenter descripserunt.

Fuit & magna eius autoritas apud omnes, idq; ob insignes uirtutes, dexteritatẽ in docendo, fidem, seueritatem, constantiam, uitæq; sanctitatem, adeò ut cuncti publicè eum pro propheta haberent.

Postremò, non admodum diu, posteaquàm Christum baptisasset, & is iam passim docendo inclarescerat, Iohannes ab Herode in carcerẽ cõijcitur. Causa erat, quòd Herodes rex fratris sui Philippi uxorem rapuerat, & cum publico scandalo retinebat. Eum uerò incestum Iohannes liberè reprehendit, sperans regem ad pœnitentiam flecti posse. Sed Aethiopem, quod dicitur, lauat: uincit meretrix, & gnathones aulici, qui regi persuadent multis calumnijs, ut tandem Iohannẽ carceri inclu serit, tanquã crimen læsæ maiestatis cõmisisset, & seditiosa quædam moliri uideretur. Habuit autem locum, ubi captiuus detentus fuit, ad quem discipulis, & alijs qui Iohannẽ audire uoluerunt, accessus patuit. Tandem bestia Herodias sitiens eius sanguinẽ, regem expugnat, ut callidè & cum prætextu quodam, hunc concionatorem interficiãt. Rex celebrabat natalicia, præsentibus suis ducibus, splendidissimo apparatu. ibi cum meretricis filia, aut portentũ potius, saltando Herodis animũ cæpisset, statim accipit optionem, pro præmio saltationis, ut quicquid uelit, petat: eam nõ passurã repulsam, uel si dimidiã regni partem peteret. Puella mox ad matrem accurrit: quæ portentũ hoc instituit, ut postulet, in patina iam sibi donari resectum Iohannis caput. nec mora interponitur, accipit. Rex simulat dolorẽ: uerùm tam nefandam cædem nõ ueretur in cõspectu omnium conuiuarũ facere. Discipuli uerò eius ueniunt, & cadauer sepeliũt. Matth. 14. Marci 6. Eiusmodi exitum tam præstans uir habuit: sed præmia sua in æterna uita recepturus est. Tyrannus uerò paulo pòst atroces pœnas luit. Strictius ista hic cõmemoramus, quòd etiam superius, de Persecutione, quædã huc pertinentia sint exposita. Habuit igitur curriculũ breue, quo ministerio functus est: nempe uix biennium, in quo tamen res omnium amplissimas perfecit, quæ non sine magno fructu à pijs pectoribus considerantur.

DE MARIA MATRE IEsu Christi.

MAria mater Domini ex familia Dauid fuit. id quod inde liquet, quòd Ioseph uir fuit desponsata, qui ex eadem originem duxit. Erat enim in eo populo à Deo sic constitutum, ne in cõiugijs incundis tribus permisceretur: & quidem propter Messiam ipsa lex lata fuerat. Deinde expresse Christus tum ab angelo iussu Dei, tum ab alijs uocatur filius Dauid. Manifestũ igitur est, Mariam unam ex posteritate Dauid fuisse. Qui fuerint autem eius parẽtes, certũ non est: quia disertè in sacris literis expressum nõ legimus. Quidam autumãt, à Luca genealogiã Mariæ texi: uerùm id non est omnino clarum. & iuxta eam rationẽ, Eli, quem et Ioachim dici uolunt, constituunt patrem Mariæ: & Annam, eius coniugem, matrem. Videmus Proteuangelion Iacobi propemodum hanc unam ob causam constructum esse, ut ortum Mariæ indicet, & summis uehat laudibus: quomodo nimirum à sterili matre nata sit, angelo eius natiuitatem prædicente: quòd Deo cõsecrata, quòd sex mensium infans stare & ambulare potuerit, quòd trienis (non aliter quàm moniales iam sub Papatu) in templum introducta, & ibi enutrita fuerit. Verùm ista non conueniunt cum historijs ueteris Testamenti: & alioqui hic liber iure apocryphi titulum habet, ut suo dicetur loco. Nicephorus tamen & hæc & alia multa arripuit & coaceruauit, satis quidem temerè.

Fuisse Mariam Ioseph desponsatam, Euangelistæ perspicuè testantur. Quanto hoc miraculo factum sit, Iacobi Proteuangelion exponit: nimirum quòd è Iosephi baculo columba euolarit, et in eius caput resederit. Nam ea ratione fiebat sortitio, ut cuius baculus signum ederet, ei cederet in uxorem: ita tamen, ut eam inuiolatam, sicut etiam Nicephorus asseuerat, custodiret. Verùm istas lusiones de coniugio, monachatũ resipientes, Euangelistæ ignorant: & certò affirmant, Mariam Iosepho in cõiugem fuisse desponsatam. unde liquidò constat, ita utrumq; fuisse affectum, ut statuto tempore more aliorum cõiugum uoluerint liberos dante Deo procreare. alioqui et Euangelistæ, certissimi talium rerum testes, aliter fuissent locuti.

Factum autem est singulari Dei consilio, ut Maria uiro cuidam pio desponsaretur: ut postea concepto Saluatore, eoq; edito, haberet quendam defensorem, et adiutorem, ne tanquam impudica mulier ab omnibus damnareretur.

Versata autem est Nazarethæ: an uerò tanquam hospes, an ibi nata, incertum est. sicut etiam neq; ij indicantur, apud quos uixerit: neque eius conditio, ancilla ne cuiuspiã fuerit, an liberalius habita, exprimitur. Nihil enim in hisce rebus situm est. Verisimile est, eam Bethlehemiticam fuisse, quandoquidem ibi debebat nasci mundi Saluator: ob grassantes uerò & passim uagantes exercitus hostiles, Nazaretham ad propinquos, tanquam in tutiorem locum, profectam. Verùm de incertis nemo facilè affirmarit.

Dum autem Nazarethæ uiuit inter pios homines, et ueram de Messia doctrinam rectè percipit, eumq; unà cum reliqua piorum Ecclesia ardenter petit exhiberi: ecce res admiranda, ipsiq; & cæteris improuisa accidit. Venit è cœlo angelus Gabriel, uisibili specie assumpta, ipsamq; Mariam placidè compellat: ac, ne quicquam mali timeat, monet, nunciat, Deum ei propitiũ esse: atque hoc eam nunc dignari honore, quòd debeat iuxta uaticinium Esaiæ Messiam párere. Maria uerò, quia ista suum captum excedebant, hæsitante: angelus docet, rem istam omnipotentem Deum perfecturum esse. Signum additur euidens, quòd etiam Elisabetha cognata, sterilitate celebris, filium conceperit. Quare ipsam tantum debere uerbo inniti. Nec disputat ulterius Maria, sed promptissimè sese uoluntati Dei subijcit: sicut suprà in historia Christi est expressum. Nec interuallum longum interponitur, sed mox euẽtus uerba angeli comitatur.

Hoc accepto tam læto nuncio, Maria ad Elisabetham quamprimùm contendit (quos uerò comites habuerit, non scribitur) uisura coràm signum ab angelo indicatum, & narratura Euangelium de Messia, & collatura sententias pias, tanquam cum hominibus quibus promissiones diuinæ cordi essent. Acciderunt autem ista, cum iam sex menses grauida fuisset Elisabetha. Vix limen attingit Maria, salutata tantum Elisabetha: ueneranda anus Spiritu sancto plena, dulcissimas effundit uoces, prius quàm à Maria quicquam cognouisset. Exclamat enim præ gaudio, quòd Maria sit benedicta, quòd fructus etiam uentris eius sit benedictus. uocat matrem Domini, & miraculum reuelat, quòd suus infans in utero præ gaudio, ad Messiam tam propè aduenientem exilierit. ac iubet eam confidere, quòd Deus quicquid prædixisset, indubitanter perfecturus esset.

Hanc prophetiam Maria ingenti cordis lætitia amplectitur, & mox etiam ipsa Deum pro tantis beneficijs ardenti spiritu celebrauit. uerba sunt: Magnificat anima mea Dominũ, & exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo. Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magnifica qui potens est, & sanctum nomẽ eius. Et misericordia eius in progeniem & progeniem, timentibus ipsum. Præstitit robur per brachium suum, dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum. Detraxit potentes de sedibus, & erexit humiles. Esurientes impleuit bonis, et diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, ut memor esset misericordiæ. Sicut locutus est ad patres nostros, ipsi Abraham & semini eius in æuum.

Mansit autem Maria in domo Elisabethæ & Zachariæ, tres menses: & tanquam in sancta Academia, didicit & considerauit plurimas promissiones ex Prophetis. Spectauit quoq; miracula, quòd anus peperit, quòd Zacharias receperit usum linguæ. Postea rursus se Nazaretham contulit.

Interea uerò, dum uterus Mariæ intumescceret, Iosephus rem comperit, ac suspicatur suam spõsam fidem uiolasse. Dum uerò in maximis doloribus iactatur, & ueluti in scopulis quibusdam hæreret: (nam neque dicere audebat, neq; libenter eam uolebat infamare, atque supplicio tradere) ecce Deus remedium opportunum adfert. Nam angelo misso docetur, Mariam è Spiritu sancto concepisse Messiam. & iubetur, eam in fidem suam recipere: id quod citra tergiuersationẽ facit.

In Proteuangelio Iacobi recitatur, utrosque iuxta legem aqua redargutionis potatos, & innocentiæ testimonia accepisse: id non absimile uero uidetur. Sed quia in Euangelistis non extat, affirmari non potest.

Venit interea tempus, quo edicto Imperatoris Romani Augusti, omnes iubentur in sua quisq; ciuitate, qua ortum trahebat, aut facultates habebat, censui se subijcere. Hac lege ciuili excitati Ioseph & Maria, Bethlehem sese conferunt. ibi cum omnia hominibus essent occupata, uix in stabulo locum inueniunt. & appropinquante partu, Messiam ibi Maria in lucem edit, in summa paupertate: nemine agnoscente, quòd mundi saluatorem enixa esset. Iacobi commenta, tanquam non conuenientia historiæ quam Lucas nobis reliquit, omittimus.

Adueniunt tamen pastores, reuelationem diuinam annunciantes, & parentes confirmantes. Sed cæteri bo spites omnia fastidiunt.

Obseruat deinde Maria tempus purgationis, non quidem ex necessitate: sed ut testaretur, filium suum sese legi subijcere. & exactis sex septimanis, primogenitum Deo in templum sistit, ubi audit Simeonis & Hannæ illustria testimonia.

Paulo pòst ob sæuitiam Herodis, unà cum paruo fratriolo cogitur in Aegyptum profugere, & in exilio aliquandiu uiuere. Postea redit cum Iosepho Nazareth, ubi infantem nutriunt, educant, et in pietate informant.

Cum iam duodecim annorum factus esset IESVS, deducunt eum secum Hierosolymam ad Pascha. Fortè prius quoque id factum fuerat. Hic cum inconsultis parentibus remansisset Hierosolymis IESVS, magno in luctu fuit Maria et Ioseph. Verùm post triduum eum in templo inter doctores inueniunt. & cum dolorem suum exponeret Maria, Iesus testatur, se alium adhuc habere patrem, cui iam in hoc facto obtemperandum fuerit.

Nequaquam autem perfectissima fuit Maria, sed habuit & ipsa imbecillitates quasdam. & clarè inquit Lucas, ipsos non assecutos esse quæ Iesus dicebat.

Postea mater in nuptijs in Cana Galilææ à filio impetrauit nuptiale munus egregio miraculo, & concionibus atque miraculis filij interfuit. Adstitit & postremò cruci: ac necesse est insignem fidei lucem in Maria arsisse,

arsisse, quòd istorum dirissimorum cruciatuum, quos dilectissimus filius sustinuit, potuerit esse spectatrix. cum non sit dubium, storgas in ipsa præstantissimas fulsisse. Sed postea uidit etiam resurrectionem, affuit gloriosæ ascensioni in cœlos. Permansit in ecclesia Apostolica, & electioni Matthiæ interfuit. Hæc sunt, quæ sacra pagina nobis de Maria Dei genitrice suppeditat. Lucæ 1, 2. Iohannis 19. Actorum 1. & alijs in locis.

Quid autem porrò de Maria factum sit, diuino forte consilio, silentio pressum est, ne superstitioni materia daretur. Consentaneum tamen est, Iohannem euangelistam, cui tanquam mater erat à Christo cõmendata, eius curam egisse, donec extremũ suum diem clauderet.

Virginem usq; ad finem uitæ suæ permansisse, consentaneum est: idq; in honorem Messiæ, qui & dona ei concessit ad eam rem necessaria.

Narrat Nicephorus, Mariam undesexagesimum annum uixisse, & in domo Iohannis euangelistæ ad montem Sion sita, defunctam esse, cum prius multa miranda circa eam accidissent. conuenisse omnes Apostolos quoq; miraculose, atque exequias ei fecisse: & in Gethsemane perlatam, & postea assumptam in cœlum. Citatur Dionysius Areopagita, & Iuuenalis episcopus Hierosolymorum. Sed exequiæ defunctorum, res est recentior, quàm quòd fuerint ab Apostolis celebratæ: & pleraque ad cultum Mariæ superstitiosum sunt comparata. Quare nos illa prolixius huc inferere noluimus.

Libet tamen huc adscribere narrationem de figura corporis Mariæ, quæ apud Nicephorum extat libro secundo, capite uigesimotertio. Species Mariæ & mores pleni grauitatis erant. pauca & necessaria loquebatur, placidè audiebat alios. Statura corporis media erat. Sine risu, sine iracundia, & sine incomposito gestu, homines intrepidè alloquebatur. Facies erat subfusca, tritico similis: capilli flaui. oculi sului, qui charopi nominantur: non luscioſi, nulla deformitate insignes, non uagabundi: supercilijs nigris, interuallo distinctis: recto naso, labris rubentibus, & ad dulcedinẽ sermonis motu aptissimo. facies erat nõ rotunda, sed longiuscula, manus & digiti longiusculi. Incessus erat sine fastu, & gestu natiuo: non arte ficto, nec ad humilitatem simulato, nec leuitatem ullam significans.

Habetur & epistola quædam Mariæ ad Ignatium, sed non sit ab alijs autenticis scriptoribus eius mentio. estq; eius locutio à Christi et Apostolorum uerbis alienа. Dicit enim de Christianitatis uoto, mores & uitam uoto confirmari debere. Fortè & historia Ignatij recentior est, quàm ut literas ad eum dare potuerit. Consentiunt autores, eum sub Traiano passum. Ne tamen curioso lectori desimus, formulam apponimus.

Ignatio dilecto discipulo, humilis ancilla Christi Iesu. De Iesu quæ à Iohanne audisti, & didicisti, uera sunt. Illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis uoto tum firmiter teneas, & mores et uitam uoto confirmes. Veniam autem unà cum Iohanne, te & qui tecum sunt uisura. Sta, & in fide uiriliter age: nec te commoueat persecutionis austeritas, sed ualeat & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

DE IOSEPHO, CVI ERAT desponsata Maria.

QVæ ad Iosephum pertinent, pleraq; in superioribus locis exposita sunt. itaq; breuem hic summam repetimus. Natus fuit patre Iacob, ex familia Dauid: sicut Matthæi primo genealogia recitatur. Viduum eum fuisse, ac plures habuisse liberos, antequã Maria ei desponsaretur, & quædam alia miraculosa, fabulamq; re sipiẽtia, Proteuangelion Iacobi narrat: uerùm in Euangelistis nihil ea de re extat. Vir fuit sinceræ pietati deditus, ac cõiugium tanquam ordinationem Dei amans. Fuit autem ei desponsata Maria uirgo: & priusquam conuenirent, res mirabilis accidit. Nam comperit certò, sponsam suam prægnantẽ esse. Cum autem ipsemet reus non esset, ut qui legitimam copulationem expectaret, & iuxta legem Moysi abhorreret adulteram, uarias in animo uoluit cogitationes. Mouebatur enim misericordia erga puellam, & nolebat eam infamare, ne ad supplicium raperetur: ac tandem cogitat, eam clàm deserere. Sed cum scrupulum Deus ipse eximit. Misso enim angelo, in somnis Iosepho rem aperit: Mariam nempe ex nullo uiro, sed è Spiritu sancto concepisse: & parituram Messiam, quem ab officio debeat appellare IESVM, eo quòd saluum facturus sit populum suum à peccatis suis. & iubetur eam accipere, ac tueri. Acquiescit autem Ioseph mandatis Dei, & Mariæ defensionem atque curam suscipit. Nolebat enim Deus, puellam solam rabiei Iudaicæ exponere.

Tempore quo census agebatur, cum Maria tanquã coniuge Bethlehem sese confert: ubi Christus nascitur. postea accipit reuelationes per angelos, quòd Herodes machinetur necem infanti IESV: & quòd fugere debeat in Aegyptum. id quod sine mora facit: & postea rursus ab angelo admonitus, Nazaretham reuertitur.

Fuit autem ille honor, quo Deus eum affecit, ut pater putatiuus (ut Lucas capite tertio loquitur) Christi esset, longè maximus. Spectauit enim & audiuit coràm plurima Dei miracula, quibus fidem suam in Messiam confirmauit. neq; dubium est, eum in uita æterna pro suis curis & laboribus summa accepturũ præmia.

Fidelitatem et diligentiam in puero educando, haud dubiè, quantum potuit, præstitit: & non paruos mœrores sensit, quando unà cum Maria puerulum amisit, duodecim annorum.

Fuit autem faber, ut Matthæi decimotertio, Marci sexto scribitur. Vnde Christus, filius fabri dictus fuit. Hilarius in Matthæum, canone decimoquarto, uidetur sentire, quòd Ioseph fuerit faber ferrarius. ita enim inquit: Sed planè hic fabri erat filius, ferrum igne uincentis, omnem seculi uirtutem iudicio decoquentis, massamq; formantis in omne opus utilitatis humanæ. Verùm plerique alij existimant, eum architectum seu οἰκοδομικὸν fuisse. Quando diem suum postremũ clauserit, non est literis annotatum. Cum autem non fiat eius mentio, postquam Christus ministeriũ suum inchoauit, apparet eum antea extinctum fuisse.

DE SIMEONE.

EX quibus parentibus fuerit natus, aut quali functione usus Simeon, certum non est. Fortè tantum priuatus quispiam fuit: quo magis illi, qui sibi magnificos titulos uendicabant, pudefierent.

Prædicatur autem excellenter, quòd ueræ pietatis studiosus fuerit, ac promissiones de Messia dextrè no-

rit,& intellexerit:nihilq; magis desiderarit,quàm eum breui aduenire. Ea de re hauddubiè ardentes quotidie ad Deum preces fecit,præsertim cum iam uideret tempus instare: & cum maximo dolore cerneret, omnia in populo Dei indies in deterius ruere. Regnabant enim horrendæ corruptelæ & præstigiæ in templo, & in politia tyrannide cruenta omnia complebantur.

Accepit autem à Deo singularem patefactionem, quòd diem suum postremũ obire non deberet,nisi prius Christum oculis suis conspexisset. id beneficium omnibus bonis corporalibus prætulit, & proculdubio tam lætum nuncium suæ familiæ & alijs quibusdam bonis consecrauit. Reliquis uerò pertinacibus, & fascinatis superstitiosis opinionibus & cultibus, fabulam (quod dicitur) narrauit,& ludibrio fuit.

Fuit autem nihilominus templum Spiritus sancti, eiusq; peculiari instinctu uenit in templum,ea ipsa hora qua Iesus Christus lege primogenitorum à suis parentibus Domino sistebatur. ac tanta luce diuinitùs incenditur, ut sine mora hunc infantulum, è Maria progn atum, in ulnas suas arriperet, & pronunciaret palàm et intrepidè ingenti cordis gaudio,hunc esse à Deo promissum, neque expectandum alium. Verba eius memoratu atque consideratione digna sunt: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium,& gloriam plebis tuæ Israel. Non autem tantum de præsentibus rebus dilucidè docet, sed & de futuris: de toto officio Christi, deq; collectione Ecclesiæ ex omnibus gentibus prophetat, uereq; cantionem cygn æam edit. Mirantur Ioseph & Maria tam illustre testimonium,à tam sancto uiro,dari Iesu. non enim exposuerant ei res suas. Proculdubio autem & alij sacerdotes affuerunt, qui talia uerba audierunt. Sed nihil mouentur: fortè ista tanquam deliramenta senis irrident. Nihilominus tamen quasi in concilio, & ante arcam conspectumq; Domini, hæc sententia de Messia promulgatur.

Postea uerò prophetando pergit Simeon,ac uice sacerdotis fungitur, eis benedicens, ac omnia fausta ac læta ad Messiæ officium precans,& insuper addens: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel,et in signum cui contradicetur. Non somniat Simeon aurea tempora,sicut reliqui tantum corporalia commoda à Messia expectabant: sed nouit, Messiã passurum esse. Deniq; Mariam contra ærumnas secuturas munit: Quin & tuam,inquit,animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Non metuit autem indignationes & odia summorum hominum, neq; expectauit ipsorum determinationem: sed contentus fuit reuelatione diuina. Quando autem mortuus sit, ignoratur. Consentaneum est, eum paulo pòst ex hac ærumnosa uita in cœlestem patriam commigrasse. Lucæ 1.

DE HANNA.

Fuit Hanna filia Phanuel,de tribu Aser,prophetissa,annos nata octogintaquatuor. Dederat se totã pietati,non discedens à templo nocte atq; die,ieiunijs et orationi uacans, & ingenti desiderio Messiam expectans. Venit autem eadem hora, qua Simeon, in templum:& uidens IESVM, audet & ipsa, Spiritu sancto lucem accendente,apertè definire et confiteri, hunc infantulum esse illum ipsum Messiam, quem omnes prophetæ prædixissent.eaq; & in præsentia,et postea,alijs quoq; denunciat. Plura de ea non referuntur Lucæ 2.

DE NICODEMO.

Nicodemus è secta Pharisæorum fuit,et princeps Iudæorum,seu (ut Christus eum uocat) Magister in Israel.is motus doctrina & miraculis Christi,no ctu eum accedit, ac fidem suam exponit, quod IESVM pro præstanti doctore habeat. Neminem enim tanta signa,quanta ipsum,facere. Deinde à Christo,de regeneratione,de Messia, eius operibus, de iustificatione gratuita per fidem in Christum, deq; uita æterna eruditur ac confirmatur: ut iam hunc IESVM pro uero Messia amplectatur. ac uerisimile est, eum sæpius cum Christo priuatim contulisse. Iohan. 3.

Non tamen prorsus suam sententiam celauit Nicodemus: sed cum Pontifices & Pharisæi Christum cum sua turba maledictum pronunciarent, ipse modestius tamen quàm par erat eos cohercet. Nunquid,inquit, lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso,& cognouerit quid faciat? Sed ipsi cõtumaciter et superbe eum reprimunt, Num ipse quoque deficeret ad Galilæum? In Scriptura non posse dari exemplum, quòd ex Galilæa aliquis propheta uenisset. Iohannis 7.

Non patitur autem sibi fidem in Christum excuti, uel Iudæorũ minis,uel etiam turpitudine supplicij,quo eum affecerant. Sed cum esset suspensi corpus de cruce deponendum, accessit & ipse,non iam amplius latère uolens, adferens mixturam myrrhæ & aloes ad libras centum, quibus more Iudaico corpus Christi inunxit, & cum Iosepho Arimathiensi tumulo tradidit. Iohannis 19.

Nec dubium est, quin à resurrectione,unà cum cæteris fidelibus, Christum sæpe uiderit,& subinde in fide creuerit.

De eius obitu, in fide dignis nihil extat. Circumfertur adhuc liber Nicodemi, de passione Christi. Verùm cum is pro apocrypho semper habitus sit, nihil attinet hic de eo prolixè dicere. Et infrà ea de re quædam referenda erunt.

DE IOSEPHO DE ARIMATHIA.

Iosephus ex ciuitate Iudææ Arimathia ortus, Hierosolymis uiuebat. facultates habebat magnas, ac autoritate ad honores ascẽderat,ut esset decurio, seu senator. Is quoq; doctrinam de Messia rectè perceperat, eumq; ueris gemitibus desiderabat. Adiunxit autem se Iesu,eiusq; institutionem amplexus est: licet adhuc ex imbecillitate,id tantum clam auderet facere. Lucas uigesimotertio testatur,eum non cõsensisse in Iudæorũ decreto & consilijs Christo consiliũ. Vnde apparet,eum in deliberationibus simul fuisse. Defuncto autẽ Christo in cruce, palàm declarat Iosephus, sese eum pro Messia habere: nec offenditur eius cruce ac morte. Adit igitur confidenter Pilatũ,ac rogat,ut sibi liceat Christi corpus de cruce leuare,ac sepelire: id quod ei haud grauatim concedit.

dit. Empta autem sindone munda, adiuuante Nicodemo, qui unguenta adfert, collocat Christum in monumentum quoddam lapideum nouum, quod sibi in horto uicino Ioseph⁹ recens excidi curauerat: & rebus omnibus perfectis, grandem lapidem aduoluunt.

Narrat quædam de Iosephi carcere, & miraculosa eius liberatione, Euangelion Nicodemi: sed apocrypha mittenda censemus. quamuis non sit dubium, Iosephum pontifices, & eius farinæ homines hoc ipso facto uehementer contra se irritasse. Sed quamdiu postea uixerit, aut quas pertulerit afflictiones, affirmare certò non possumus. Matthæi uigesimoseptimo, Marci decimoquinto, Lucæ uigesimotertio, Iohannis decimonono.

DE NATHANAELE.

NAthanael familiaris fuit Philippo: qui agnito Messia, Nathanaeli gaudens nunciat, se uerum Messiam inuenisse, prædictum in lege & Prophetis: ipsum nempe IESVM, filium Ioseph à Nazareth. Primùm autem, etsi loci ignobilitate nonnihil offenditur, quasi à Nazareth non posset tantum bonum esse: tamen hortante Philippo, ut rem ipse exploret ac uideat, unà ad IESVM iter arripiunt. Appropinquantem IESVS alloquitur: Ecce uerè Israelita, in quo dolus non est. Nathanael quærit, unde sui habeat noticiam? IESVS respondet: Priusquam te uocaret Philippus, cum esses sub ficu, te uidi. Ex hac re Nathanael intelligebat, diuina IESVM potentia præditum, ut qui nosset etiam abscondita, latiusq; uideret quàm humani oculi capere possent. & statim accensus luce Spiritus sancti, in præclaram confessionem erumpit: Rabbi, inquit, tu es filius Dei, tu es rex Israel. Complectitur autem personam & officium. At IESVS eum monet, quòd maiora esset uisurus: nempe cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Iohan. 1.

Fortè autem alludit ad scalam Iacobo in somno exhibitam, Geneseos 28. Sæpe autem Christo hoc accidit, ut angeli circa eum, tanquam ei ministrantes, apparuerint: in conceptione, in natiuitate, in deserto, in horto, in resurrectione, & ascensione in cœlos.

Christo resuscitato, Nathanael quoq; inter discipulos eius uersatur, & adest reuelationi quæ accidit ad mare Tyberiadis, ubi iuxta uerbum Christi centum quinquaginta tres grandes pisces capiuntur: ac cibum cum IESV capit: audit, quomodo Petro commendentur ouiculæ. Iohannis uigesimo primo. Plura de eo non habentur.

DE SYMONE CYRENAEO.

CElebris factus est Symon Cyrenæus, Alexandri et Rufi pater, quòd præteriens casu, in suis negocijs, eductionem Christi ad supplicij locum, apprehensus est à carnificibus, & coactus, ut, quandoquidem uiribus propemodum destitueretur Christus ad baiulandam propriam crucem, eo quòd indignis modis tractatus & excarnificatus fuerat, in gestatione Christum adiuuaret. id quod & fecit: Matthæi uigesimoseptimo, Marci decimoquinto, Lucæ uigesimotertio. Vsi sunt autem isti petulantes & crudeles homines tyrannide erga Symonem, nihil tale meritum: fortè quia simpliciorem & pauperculum existimarunt, quem pro ludibrio habere impunè possent. Sed haud dubiè coram Deo summus honor fuit, quòd Messiæ officium hoc qualecunq; præstitit: & non parua recepit præmia. Hac enim occasione audit Christum, de rebus maximis docentem: uidet miracula, & filij eius postea ad ministerium Euangelij uocantur.

DE MARIA MAGDALENA.

FVit Maria Magdalena septem dæmonijs obsessa: quos ubi propulsasset ab ea Christus, secuta est eum, ministrans ei de facultatibus suis. idq; non tantum gratitudinis ergò: sed multo magis, ut salutari doctrina IESV, quem pro uero Messia habebat, imbueretur. Lucæ octauo.

Mira autē fidei lux in ea, sicut & in cæteris quibusdam mulieribus, fulsit: quòd dirum hoc spectaculū, quomodo ipsorum Dominus IESVS Christus in cruce, in atrocissimis doloribus hæreret, & deniq; animam exhalaret, sustinere potuerunt. Nam perspicuè testantur Euangelistæ, ipsam cum alijs quibusdam mulieribus à longe stetisse, ac rei euentum expectasse.

Curiosè etiam obseruant, quò denique corpus Christi reponatur.

Sabbatho elapso, Maria Magdalena inter primas est, quæ unguento comparato, summo mane ad monumentum properat. Ibi uidet angelos, quos audit de resurrectione Christi euangelisantes. & Christus omnium primò huic se patefecit prope sepulchrum, & docet eam de sua ascensione in cœlum, mandatq; has res ad cœtum Apostolorum perferri: Matthæi uigesimosexto, uigesimooctauo: Marci decimoquinto, Lucæ 23. Iohannis 19. 20.

Postea haud dubiè fuit spectatrix gloriosæ ascensionis Christi in cœlum. Tantum ex sacris habemus libris.

DE MARIA ET MARTHA.

SOrores fuerunt Maria ac Martha, & fratrem habuerunt Lazarum, & habitarunt in Bethania. Iohannes uocat castellum Mariæ & Marthæ. Delectatus est autem IESVS horum hominum pietate, ut sæpe ad eos diuerteret, & eos erudiret: sicut Lucæ decimo narratur. ubi Martha circa parandos cibos fuit occupata: Maria uerò studiosè audiebat Christum, de rebus grauissimis docentem. Eam rem indignè fert Martha, quasi ignauiæ suæ consuleret soror. & alloquitur Dominum, ut iubeat sororem conferre operas: At Christus faciens operarum collationem, pronunciat, Mariam optimam elegisse partem. Multo enim magis necessariū esse, uerbum Dei discere, quàm adornare cibum: se tamen Marthæ quoq; officium non improbare.

Postea fratre suo ægrotante, mittunt ad Christum: eoq; extincto, & iam tumulato, ad Christum aduenientem celeriter accurrunt, & fidem suam profitentur: quòd si tempestiuius adfuisse, potuisset fratrem à morte liberare: se tamen etiamnum credere, quòd sit Christus filius Dei, & omnia posit impetrare, quæcunque à Deo posceret. Ornat igitur eas miraculo Christus, fratrem resuscitans è sepulchro, in quo iam quatriduum mortuus iacuerat, & fœtere cœperat. Iohannis undecimo.

Sexto die antè quàm pateretur Christus, cœnam ei instruunt hæ sorores, Lazaro etiam unà accumbente. Ibi Maria flagrans uera in Christum fide, libram unguenti nardi pisticæ preciosæ sumit, & pedes IESV inungit, capillis'que rursum extergit: ex quo quidem odore tota domus fuit repleta. Iudas autem eam rem, tanquam inanem perditionem unguenti, quam IESVS non expeteret, reprehendebat. Verùm IESVS eum compescit, & unctionem interpretatur, quòd significet sepulturam suam prope iam instantem. Iohannis duodecimo.

Non autem assentimur ijs, qui hanc Mariam putant eam esse, de qua Christus septem dæmonia expulerat. Nam illa accuratè ab Euangelistis ipso cognomine describitur, quod Maria Magdalena uocata fuerit. Hæc uerò non sic appellatur. Et quia toties Christus has sorores in propria domo uisitat, consentaneum est, ipsas domi suæ remansisse: nec, sicut aliæ mulieres, Dominum secutas esse.

Opulentiores fuisse, dubium non est: id'que ex unguento apparet, & alijs quibusdam rebus. Nobilemq; eam familiam fuisse, ut quidam putant, certò affirmari non potest. Et hic ipsorũ historia deficit: quamuis non dubitemus, ipsas & ascensioni interfuisse.

DE MARIA IACOBI, ET alijs quibusdam mulieribus.

CRebrò mentio fit Mariæ, matris Iacobi & Ioseph. Marcus habet Ioſe. Ea quoque una est ex mulieribus Galilæis, Christum comitantibus, & ei ministrantibus. Astat cruci, uenit ad sepulchrum, uidet angelos, & patefactionum simul est particeps. Iohannis decimo nono legimus, Mariam Cleophæ, sororem Mariæ uirginis, etiam astitisse cruci. Eam uerò opinantur docti illam ipsam esse, quam cæteri Iacobi & Ioseph matrem uocant: Cleophæ dictam, quia uel eius filia uel coniunx fuerit.

In numero mulierum, quibus hæc quæ modò diximus etiam competunt, sunt: Salome, quam aliàs matrem filiorum Zebedei uocari asserunt: Iohanna, uxor Cusæ procuratoris Herodis: Susanna, Matthæi uigesimo septimo, uigesimo octauo. Marci decimoquinto, decimosexto. Lucæ octauo, uigesimotertio, uigesimo quarto. Iohan. 19.

DE IVDA ISCARIOTE.

IVdas, Simonis cuiusdam filius (sic enim Iohannis sexto, duodecimo & decimotertio nominatur) Iscariotes (uel à uico ubi natus fuit, uel à tribu Issachar sic dictus, uel etiam à facto: nam Iscariotes uicum occisionis significat) quid prius egerit, incertum est. Christo uerò suum ministerium inchoante, lectus est in numerum duodecim Apostolorum. Fuit autem is gradus apud Christum summus. nam hi erant intimi Christi discipuli, quotidie eum eo conuersantes, & discentes ueram de regno Dei doctrinam. Spectabant miracula, & alebantur ad eum finem, primùm ut ibi cum Christo simul docerent, & miracula ederent, iussu ac uoluntate Christi, qui ipsis hanc facultatem uerbo suo omnipotenti concedebat: deinde ut & post resurrectionem in totum orbem Euangelij uocem spargerent. Nec quilibet ad eum gradum recipiebatur, sed tantum duodecim ex omni numero auditorum Christi. neque uerò tales in eum locum sumebantur, qui manifesti hostes & persecutores erant Christi: sed qui doctrinã Christi amplectebantur. Ex his liquet, Iudam initiò non postremum Christi auditorem fuisse: & statuisse, hunc uirum esse Messiam, doctrinam eius esse ueram. Declarauit etiam Christus suum erga ipsum amorem, quòd in Apostolorum numero eum cooptauit. ac licet non ignoraret, eum futurum esse proditorem suum: tamen ideo uocat, tantisq; beneficijs obruit, ut testatum faceret, se ex animo cupere eum saluatũ: nec probari sibi perditionem, imò nec desperationem peccato iam perpetrato.

Vnà igitur Iudas cum cæteris Apostolis aliquandiu iuxta Christi mandatum concionatus est, & eruditus homines, quod IESVS Mariæ filius esset Messias, per quem hominibus salus contingeret: et non minus quàm alij, in nomine ac uirtute Christi miracula fecit. Matth. 10. Marci 3. Lucæ 6.

Concrediti etiam sunt, in ea quasi œconomia, quam IESVS in sua functione propter peregrinationes obseruabat, Iudæ loculi, seu thesaurus pecuniolæ, quam pij ad sustentationem Christi liberali animo conferebant, tanquam primario Apostolo, aut certè non postremo, ut tanquam promus condus (ut sic dicamus) procurator Christi, ac suæ familiæ esset. Iohannis duodecimo, & decimotertio. Etsi autem initiò aliquam fidem præstitisse uideatur, tamen postea auariciæ sese magis magisq; dedit: adeò ut Iohannes non uereatur dicere, eum furem fuisse, qui mala fide thesaurum illum communem tractarit, & in suum commodum quædam uerterit. Iohan. 13.

Cum Maria unguento precioso Christum inungeret, Iudas præ cæteris tantam profusionem improbat: idq; prætextu quodam honesto, quasi diuendi potuisset trecentis denarijs, & dari pauperibus. quasi dicere, Christo quoq; eam rem non placere. Sed reprimitur à Domino: & Iohannes indicat, eum, ut hominem auaricia perditum, locutum esse, & sua commoda uenatum, ac doluisse sibi hic quædam perijsse. Iohannis duodecimo.

Tempestiuè autẽ Iudas agitauit consilia in sua mente, quomodo diuitias sibi comparare posset. Erat enim pertæsus & paupertatis & periculorum, quæ apud Christum sustinere cogebatur. Cogitat quàm pulchra res sit, habere pecuniam: & habere homines summæ autoritatis, quales erant Pontifices & sacerdotes, omnium rerum copia affluentes & abundantes, sibi amicos. Proinde de rationibus circumspexit, quibus hæc duo consequi posset. Verùm non statim quid soueret in corde, prodidit. Cordium tamen inspector IESVS Christus, etiam arcanas eius cogitationes & machinationes perspexit: ac ius habuisset statim eum, tanquam apostatam parum sibi usui, pellendi: sed pro sua immensa benignitate eum tolerat, & amicè cum præmonet, ut à tam impijs conatib. desistat. Verùm omnia frustrà: ut uideas, quàm pestilens res sit, animũ adijcere ad diuitias parandas, & summorũ hominũ, præsertim impiorũ Ecclesiasticorũ, amicitiam & fauorem conciliandã. Iohan. 6. Christus inquit: Nonne ego uos duodecim elegi, & ũ-

& unus ex uobis diabolus est? Grauis sanè admonitio. Quid enim tetrius, quàm Diaboli organum aut mancipium esse?

Tandem quod secum diu constituerat Iudas, in effectum quoq; deducit: idq; non tantũ per se, sed etiam nactus erat instigatorem atq; impulsorem Satanam, qui spiritu sancto profligato, miserrimum hominem cupiditate pecuniæ & honorum quasi stimulis urgebat. Clã igitur Pontifices ac sacerdotes, aliàs odio erga Christum inflammatos, quosq; norat iam necem Christo cictra ullam dilationem moliri, accedit: operam suam in tradendo eo, cui alioqui insidias struerent, si pecuniã et fauorem promitterent, deferens. Se enim domesticum & familiarem esse Christi, & omnia secreta nosse, & ad conatus pontificum plus conferre posse quàm quenquam alium. Pontifices cupidè & gaudio singulari hominem audiunt & complectuntur, triumphantes se talem apostatã accepisse ex schola Christi: iamq; sibi certam pollicentur uictoriã, præsertim nacti Apostolum Christi talem, qui cum ipso concionatus erat, qui hactenus pro ciue Ecclesiæ Christi, imò ipsius intimo haberi uoluerit. Pacisc untur itaque de triginta argenteis: & proculdubio liberalissimas de alijs commodis, pro hoc officio subsecuturis, spes ei faciunt. Accepta pecunia, uelut arrepta præda quam uenatus erat, Iudas discedit, occasiones tradendi suum Magistrum studiosè captans: non aliter sibi persuadens, quàm Christum hæc omnia latère, seq; impunè omnia patraturum esse. Redit igitur perfrictissima fronte ad Christum, egregiè dissimulans omnia. Accumbit simul ad esum agni Paschalis. Hic Christus omnia ista arcana exactissimè sciens, seuerius quàm unquam antea eum monet: Amen, inquit, dico uobis, unus ex uobis me proditurus est. & postea eum designat: quòd ille sit, qui secum in patinam intingat. Item pœnas prædicit: Væ homini, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Insuper cum Iudas etiam non uereretur quærere, num ipse esset? diserte respondet Christus, Ipsum dixisse. A cœna audit, quòd non omnes discipuli sint mundi: et rursus denotatur, quòd Christus ait eum esse, cui bucellam intincti panis porrigat. Item alloquitur eum denique Christus: Quod facis, fac citius. Mirum autem est, Iudam ista fulmina omnia potuisse floccipendere, ac ne rubore quidem aut una lachrymula pudorem indicasse. imò his rebus transactis discedit, Diabolo eum iam prorsus occupante: ut magis iracundia iam æstuet, & uindictæ cupiditate erga Christum, quàm de pœnitentia cogitet.

¶ Consistant autem hoc loco pij lectores, & attento animo perpendant, quàm atrox peccatum sit, Ecclesiasticis hominibus, uti uocantur, potentia & autoritate pollentibus, et Christum eiusq; doctrinam plusquam Caimico odio infestantibus (sicut semper fit, & nunc in Antichristi regno solenne est) adulari, colludere cum eis, ipsorum uel gratiam, uel ab ipsorum bonis aliquam portionem captare: quòd nimirum ea res constet proditione Christi, eiusq; regni: quòd Spiritus sanctus profligetur, quòd tales fiant mancipia Satanæ: quòd tanta obstinatia in cordibus talium hominum naseatur, ut audientes uerbum Dei contumaciter repellant, oderint, & non desinant ueros doctores persequi: imò ut prætextus manifestissimorum & teterrimorum facinorum quærant, & enormi, imò prorsus Diabolica impudentia defensent.

Disputant quidam, Iudam cœnæ Dominicæ non interfuisse, sed ante eam egressum esse. nam Matthæum, Marcum, Lucam, non facere discessus Iudæ diserte & certo tempore mentionem. Lucam ordinem interuertere. Iohannem uerò affirmare, Iudam accepta offula, continuò egressum esse: id quod ante cœnam factum uideatur. & Christum dicere, Quod facis, ocyus facias: nec expresse dici, duodecim cœnam esse datam: neq; conuenire etiam Iudæ, quod additur, Donec bibam uobiscum in regno patris mei. Verùm interruptionem tam insignem conuiuij, proculdubio etiam cæteri Euangelistæ essent indicaturi. Et cum enormi impudentia Iudas omnes admonitiones pertulerit, ac dissimularit suum factum: ueri simile est, eum usq; ad finem perseuerasse. Iohannes etiam cœnæ institutionẽ intermittit, ut qui breuior esse uoluerit: ideoq; potius de eo hoc sentiendum, quod noluerit ordinem exactissimè seruare. Habet certè & Lucas testimonium, quòd ordine historias contexat, licet non fuerit spectator, ut Iohannes. Verùm constat, Iohanni non fuisse hoc propositum, nisi quod ad passionem attinet, quæ peracta cœna sequitur, omnes historias ordine annotare. Sunt & reliquæ rationes prioris sententiæ tales, quæ non prorsus dilucidè hanc quæstionem explicant.

Vbi igitur iam certò cognouisset Iudas, IESVM in Oliuetum iturum esse, id quod peracta cœna intellexit: ipse à reliquo Apostolorum cœtu sese subducit, & rem totam Pontificibus, sicut prius receperat, prodit. Hi in procinctu habent ministros, quos armatos mittunt, duce Iuda traditore: qui diligenter suam cohortem instituit, dat eis certum signum, ne aberrent à persona, se eum, quem deberent comprehendere, & osculaturum. & præmonet, ut cautè & accuratè IESVM ducant, ne elabatur.

Venit igitur in hortum Iudas, cateruam suam adducens, lampadibus, hastis & gladijs, ac truculento uultu terribilem. Verùm nihil istorum latet Christum, qui peracta sua lucta, quam sustinuerat acerrimam, sponte suis hostibus obuiam procedit, eisq; sese sistit. & priusquam unum uerbum mutire ausint, id quod mirum dictu est, homo inermis cum autoritate quærit, Quem? nam hic quærant? respondent, Iesum Nazarenum. Iesus aperte inquit: Ego sum. qua confessione audita, mox Iudas cum suis in terram supini corruunt, non aliter ac si fulmine ingenti prosternerentur. Debebat proditor saltem ex eo miraculo coniecturam facere, quòd res processura esset. Verùm resurgit cum cohorte. rursus quærit IESVS, Quem quærant? & præcipit, tanquam superior, ne, præter se, quenquam corripiant. Tum demum Iudas adhuc audet, non tantum impudentissimam frontem Iesu obuertere, sed etiam osculum præbere tanquam amico, & salutare, Aue Rabbi, & inspicere quomodo suus Magister à lictoribus & carnificibus crudeliter abripiatur, quasi re bene acta. Hic rursus pia cordà expendant etiam atrocissima peccata aliquandiu in organis Diaboli, uelut altum somnum dormire posse: & quàm tetra res sit, tradi in reprobam mentem.

Videtur

Videtur aũt & postea, omnib. actionib. quib. Iesus coram pontificum cõsessu examinatus fuit, interfuisse. Deniq; cum iam uideret, causam quidẽ supplicij in IESV nullam euidentem et sufficientem inueniri posse, & nihilominus hoc à pontificibus totoq; illo cœtu decretum, ut interficiatur, iudicio Dei stimulis conscientiæ exagitatur, & iam magis magisq; peccati sui atrocitatem considerare incipit: proculdubio cogitat, se Messiã prodidisse, se iram Dei infinitam commeritum. confert se cum alijs, & sentit suum peccatum omnium aliorum peccata excedere. Ea res eum tandem perpellit, ut pecuniam pontificibus reportet: ac palàm testetur, se innocentem sanguinem prodidisse. Verùm ipsi eum superbè excipiunt, culpam in ipsum reijcientes: nec mouentur quicquam eius palinodia, ut innocentem dimittant.

Nec potest miserrimus homo quiescere. currit ad templum, & triginta argenteos, quos antea tam charos habuerat, ut suum Magistrum pro ijs uenderet, in templum proijcit: sperans se, abiecta hac proditoria pecunia, leuationem aliquam sensurum. Sed doloribus crescentibus, abrumpendos sibi istos dolores putauit. ac facinus infandum ausus, suis semetipsum manib suspendit ac strangulat, ac insuper disruptus intestina sua fœdè effudit.

Hæc pœnitentia, etiamsi fuit sæuissimus dolor ob admissa peccata: tamen quia sese non erexit fide in Christum, sed turpiter desperatione fractus est, integra non est censenda. Lapsus est & Petrus, sensit etiam ipse maximos dolores: sed ueniam per Christum sperauit ac petijt. Si Iudas Apostolos accessisset, suggessissent ei cõ solationes de misericordia Dei. Sed cum apud sacerdotes ignaros gratiæ quærat leuamen, prorsus sine omni consolatione dimittitur.

Pontifices recepta pecunia, nolunt eam in corbonã mittere, eo quòd esset precium sanguinis: & habito consilio, inde agrum figuli mercantur, in sepulturam peregrinorũ. Vnde & postea Acheldama, hoc est ager sanguinis nominatus est, in perpetuam rei memoriã, quòd tanti Messiam emissent ac trucidassent. Idq; iuxta prophetiam Zach. 11. factum est. Hæc tandem pœna fuit proditi Christi: sed grauior in altera uita sequetur. Iohan. 17. uocatur filius perditus.

Est autem Iudas imago plurimorum, qui ob præmia impijs sacerdotibus colludunt, et Christi regno nocent. Matthæi 27. Marci 14. Luc. 22, Iohannis decimotertio, Act. primo.

CAPVT XI.

DE MIRACVLIS ET prodigijs.

QVAE miracula in historia Christi comprehensa sunt, et ab Euangelistis optima fide enumerata, hoc loco non repetemus: sed ea tantũ adnotabimus, quæ ab alijs commemorantur, & tempore Christi acciderunt. Solent autem res miraculosæ, quæ circa natiuitatem Domini factæ sunt, plurimæ recitari. Pax in uniuerso orbe, quasi Halcyonia quædam extitit, ac nascenti Christo quasi famulata est, cum quidẽ prius omnia bellis arsissent, et constitutio recens Monarchiæ maximas rerum mutationes attulisset. Eutropius & Paulus Diaconus narrant, cum nasceretur Christus, Romæ trans Tyberim olei quandam scaturiginem è terra prorupisse, ac largißimo riuo totum diem manasse. Erat Romæ Imperij monarchici sedes. ibi igitur miracula fiunt, quæ testimonium ferant nascenti Regi, qui regnum, oleo Euangelij, seu gratuita remißione peccatorum exuberans, erecturus erat. Orosius inquit, eo tempore hoc factum, cum Augusto perpetua tribunicia potestas esset decreta. Templum Pacis Romæ corruit: ne alibi quàm in Messia, quem Esaias principem pacis nominat, ulla pax quæreretur: Comestor, & alij. Verùm apud probatiores hoc non repetitur. Martinus inquit: Hoc tempore nineam Engaddi, quæ balsamum ferebat, flores, fructum & liquorem simul protulisse: & iridem circa solem conspectam. uerùm unde transierit, certum non est. Hermannus scribit, tres soles in oriente conspectos, qui paulatim in unũ corpus coierint. Orosius inter hæc signa etiam refert, quòd Augustus circa hæc tempora indignè tulerit, se in ludo dominum à mimo adulatione quadam appellari: & edicto prohibuit, ne quis siue ex domesticis, siue ex alijs, deinceps se dominum nominaret. Verùm hæc omnia longo interuallo, ea quæ Euangelistarum habent testimonia, sequuntur.

Circa quintum Tyberij, Christi autem uigesimum annum, ut Eusebius in Chronico refert, tredecim Asiæ urbes terræmotu corruerunt: Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Megæchiero, Cæsarea, Philadelphia, Himolus, Tenus, Cumæ, Myrthina, Apollonia, Diahircania.

Eclipsin illam miraculosissimam, quæ tempore Passionis accidit, etiam Ethnici obseruarũt: sicut Origenes in tractatu 29 in Matthæum, & Eusebius in Chronicis annotant. Phlegon, inquit, qui Olympiadum egregius supputator est, in 14 libro ita dicit: Quarto autem anno 202 Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem uersus, ut stellæ in cœlo uisæ sint: terræq; motus in Bythynia, Niceæ urbis multas ædes subuerterit. Hæc ille. Nequaquam enim naturalis fuit eclipsis Solis, quandoquidem in plenilunio accidit, quo tempore Pascha Iudaicum lege Dei obseruari oportebat: & illa duo cœlestia corpora sibi inuicem, terra in medio collocata, opposita sunt. Habetur epistola sub Dionysij Areopagitæ nomine, qua de re nibil habemus affirmare, in qua hæc eclipsis ita describitur: Eramus, inquit, tunc ambo (Dionysius et Apollophanes) apud Heliopolim, amboq; simul incidentem mirabiliter soli lunæ globum notabamus: non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus: ipsamq; rursus, ab hora nona ad uesperam, ad solis diametrum, supra naturæ uires restitutam. In memoriam autem illius reuoca & aliud quiddã. nempe enim, ut ipse non ignorat, eam lunæ incidentiam ab oriente cœpisse, & usque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resilijsse notauimus. Neq; uerò eadem ex parte, ut assolet, & incidentia illa & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. Pugnat uerò cum eo, quod Comestor recitat: tum inter philosophos Athenis fuisse disceptationẽ de hac eclipsi: & Dionysium Areopagitam affirmasse, Deum

Deum naturæ pati: (alij adijciũt eum dixisse, Aut mundi machina collabetur.) Et eo tempore aram positam cum inscriptione, Ignoto Deo: cuius in Actis Apostolicis mentio fit.

CAPVT XII.

DE ETHNICISMO.

QVIA non fit mentio in Euangelistis, quales Deos habuerint hoc tempore gentes, ac quomodo eos coluerint: ideo sequenti libro, Deo dante, colligemus de hoc loco plura. Matth. 6. Christus tantum in genere dicit, gentes in oratione esse batologos & prolixos, maximeq; sollicitos de rebus corporalibus. & Matthæi 14. mentio fit nataliciorum, quæ Herodes splendido conuiuio & nece Iohannis Baptistæ celebrat.

CAPVT XIII.

DE MVTATIONIBVS IN Imperijs politicis.

ANTE natiuitatem Christi circiter 47 annos, C. Iulius Cæsar, oppressis alijs Romanis, Monarchiam quartam constituit. Erat enim à Deo per Danielem prædictum, Christum in quarta Monarchia nasciturũ esse. Successit autem Iulio Augustus, nepos eius ex sorore, & ab ipso adoptatus. Is deinde ucto Antonio, summa cum dignitate atq; potentia imperio præfuit, ac pacem in uniuerso imperio Romano firmauit. Sed non est nostri instituti, quæ ante Christũ gesta sunt, prolixius exponere.

Anno Domini nono, Augusti quinquagesimo, totã Illyriam Augustus occupauit, Tyberio duce, intra spacium trium annorum: Suetonius. Cæpit circa eadem tempora Phrisiæ regnum, Phristo, unde gens ea nomen accepit, à patre Clogione rege Francorum, collatum.

Anno Domini duodecimo, Augusti quinquagesimo secũdo, Quintilius Varus cum tribus legionibus à Germanis, Hermanno, seu, ut ab historicis appellatur, Arminio duce, fusus deletusq; est. quã cladem Augustus adeò grauiter tulit, ut capite in parietẽ illiso clamarit: Quintili Vare redde legiones. Orosius lib. 6. cap. 21.

Cum annos 56 imperio præfuisset Augustus, eo defuncto Cl. Tyberius Nero priuignus Augusti successit, ac regnauit 23 annos. Sub eo quædam bella contra Cheruscos, Cattos, et alios gesta sunt. Tandem autem negligentiæ & uoluptatibus se tradidit Tyberius totũ, adeò ut per iocum Caldius Biberius Mero diceretur. Hispaniam & Syriam absq; consularibus legatis per aliquot annos reliquit, ac passus est Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis et Sarmatis, Gallias à Germanis uastari: Suetonius in Tyberio. Lata est sub eo lex, Mathematicos & magos Italia pellendos esse: Tacitus. De Iudaici populi statu, rebusq;, in Cap. de Politia, quantũ quidem ad nostrum institutum pertinere uidebatur, satis est dictum.

FINIS PRIMI LIBRI, PRIMAE Centuriæ, Historiæ Ecclesiasticæ.

LOCORVM SCRIPTVRAE SVQVI IN PRIMO LIBRO PRIMAE CENTVRIAE *explicantur*, INDEX.

Primus numerus paginam, secundus uersum significat.

Genes.3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius 272.12 & 289. 40
12 Benedicentur in semine tuo 272.15 Semini tuo dabo terram hanc 3.42
15 Credidit Abraham DEO, & imputatum est ei ad iustitiam 106.25
49 Non auferetur sceptrum à Iuda 272.16
¶ Exod. 3. Ego sum Deus Abraham 426. 14 Ero, qui ero 56.10
12 Decima die mensis huius tollat unusquisque agnũ 242.42 Decimaquarta luna primi mensis 333.12 Os non cominuetis 332.13
30 Facies altare de lignis Setim 238. 46
¶ Leuit. 23 A decimoquinto die huius mẽsis erunt feriæ tabernaculorum 244.10
¶ Num. 6 Nazaræus uocabitur 291.2
24 Orietur stella ex Iacob 286.43
¶ Deut. 4 Iericho ciuitas palmarum 7.50
6 Diliges dominum Deum tuum 426.20
27 Maledictus qui non manserit in omnibus quę scripta sunt in libro legis 109.44
25 Lex de fratribus ducẽtibus defuncti uxorem 247.12
¶ Iudic. 13 Nazaræus uocabitur 291.2
¶ 2 Reg. 7. Promissio de Messia 273.58
¶ Psal. 16 Non relinques animam meam in inferno 333.43
22 Deus meus, quare me dereliquisti 44.15. & 46.33
69 Zelus domus tuæ comedit me 46.30. & 299.10 In siti mea potauerunt me aceto 46.35
78 Aperiam in parabolis os meum 46.25
110 Dixit Dominus domino meo 33. 6 & 46. 14. & 50.17
118 Lapidem quem reprobauerunt ædificantes 174.56 Hosianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini 45.51
147 Qui dat iumentis escam 141.44
¶ Esa. 1 Cognouit bos possessorem 4.21
6 Auditu audietis, & non intelligetis 46.24
7 Ecce uirgo concipiet 42. 37 & 43. 12 & 45. 40 & 46.2 & 272.18 & 274.27 & 277.51
9 Terra Zabulon & terra Naphthalim 300. 26 Paruulus natus est nobis 272.20
11 Egredietur uirga de radice Iessæ 272. 22 & 274.5
40 Vox clamans in deserto 45. 45 & 348.42
41 Ecce seruus meus 310.20
53 Quis credidit auditui nostro? 424. 37 Brachium Domini cui reuelatum est? 58.12 Ipse infirmitates nostras accepit 46.39 Notitia sui iustificabit seruus meus multos 89. 29 Cum iniquis deputatus est 46. 36 & 330.13 & 431.39
61 Spiritus Domini super me 48.45 & 52.38 & 60.53 & 299.54 εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με 85.34
¶ Iere. 31 Creabit Dominus nouum super terram 272.23 Vox in Rama audita est 290.34
¶ Dan. 9 Septuaginta hebdomades determinatæ sunt 339.8 & inde
¶ Oseæ 2 Sponsabo te mihi in sempiternum 58.32
11 Ex Ægypto uocaui filium meum 13.34 & 290.13
¶ Mich. 5 Et tu Bethlehem 45.42 & 272.31 & 278.41 & 287.11
¶ Zach. 9 Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus 45.49 & 46.49 & 272.33
13 Percutiam pastorem 431.22
¶ Malach. 3 Ecce ego mitto angelum meum 45.47 & 65.38 & 348.44
4 Ecce mittam uobis Heliam prophetam 228. 48
¶ 1 Machab. 4 Encæniorum institutio 244.20
¶ Matth. 1 Genealogia Christi 279. 18 Filij Dauid, filij Abrahæ 43.2 Ex qua natus est Iesus 43.19 Priusquam conuenirent, gra uida erat de spiritu sancto 43.14 & 61.48 Ioseph uir erat iustus 94.32 & 360.9 & 277. 20 Angelus Domini apparet Iosepho in somnis 67.20 Quod in ea natum est, de spiritu sancto est 42.35 & 43.9.42 Ipse sal uũ faciet populũ suũ à peccatis suis 50.56 & 55.30 & 96.57 & 98.10 & 99.31 & 194.41 Ecce uirgo concipiet 45. 39 Emanuel 42.2
2 Magorum historia 286. 27 Infanticidium ab Herode factum 290.24
3 Prædicans in deserto Iudęę 248.26 Pœnitentiam agite uitæ prioris 105. 22 & 147. 46 Baptisabantur in Iordane, confitẽtes peccata sua 154. 47 & 161.14 Facite fructus dignos pœnitentia 84. 27 & 123. 58 & 132.54 & 134.41 & 147. 47 & 149. 10 & 350. 16 Securis ad radicem posita est 124. 41 Ego baptiso aqua 153. 48 Baptisabit spiritu sancto 41. 45 et 63. 4 Baptismi Christi historia 245.60 et 252.43 et 295.40 Decet implere omnem iustitiam 94.50 et 156.
7 Hic est filius meus dilectus 35. 1 & 36. 15.47 & 38.34. 40 et 39. 5 & 40. 34 et 41. 38 et 47.53 & 59.57 Hunc audite 29. 5 & 38. 42 & 52.20
ISTORIAM Domini nostri IESV Christi, inde à cunabulis ipsius usq; ad gloriosam eius ascẽsionem in cœlũ, hactenus complexi sumus, digestis atq; cõmemoratis ijs rebus, quas speramus pio lectori non tantum uoluptatem aliquam, sed etiam fructum haud pœnitendum allaturas esse. Nam ea quæ consideratione atq; obseruatione digna sunt, mediocri diligentia (ut aliud de nobis nihil affirmemus) conati sumus inuestigare, & quasi in ipsum conspectũ producere atq; proponere: quæ quidem in tanto rerum cumulo fortassis non cuiuis promptum est, ingenij acie & cogitationibus duntaxat colligere, atq; expendere. Nunc, Deo dante, simili ratione ea quæ ab eo tempore ministerio Apostolorum, eorumq; discipulorum gesta sunt, usq; ad Traianum Imperatorem, hoc est, donec id sæculum effluxerit, pertractabimus. Est enim operæprecium considerare, quæ incrementa Ecclesia, Christo in cœlum sublato, fecerit: ut notum fiat omnibus pijs, nequaquam ociosum in cœlis degere Christum: sed regnũ suum in hoc maximè administrare, quòd in terris uirtute uerbi sui ac Spiritus sancti, sibi æternam colligat & sanctificet Ecclesiam, contra furores Diaboli & omnium impiorum. Mirabiliter enim, & summa potentia, suos ministros seu cursores, ut sic dicamus, protexit, gubernauit & adiuuit, ut in omnes orbis terrarũ partes Euangeliũ suũ spargeretur.

CAPVT II.

DE LOCO ET PROPAgatione Ecclesiæ.

Inisterium Euangelij, Christus, donec in terris uisibiliter uersari, ac redemptionem generis humani, iuxta promissiones diuinas absoluere uoluit, intra eas metas continuit, ut in Iudæa tantùm illud unà cum suis administraret: idq; ob causas, quas alibi copiosius exposuimus, longè grauissimas: nimirum, ut certò in omnem æternitatem constaret, in hoc populo esse Messiam exhibitum, partamq; omnium hominum salutem, ac ante omnes gentes Israelitas uocatos esse. Nihilominus tamen subinde admonebat Christus, fore ut ex omnibus gentibus totius orbis terrarũ, sibi uoce Euangelij colligeretur Ecclesia sancta, quam omnibus bonis, præsertim spiritualibus, replere, & in societatem æternæ uitæ cooptare uellet. Postquam uerò à mortuis resurrexit, delectis quibusdam personis, uidelicet Apostolis, quibus tamen etiam alij nonnulli sunt adiuncti, uerùm inferiori gradu, expressè & publicè demandauit, ut deinceps non tantum in finibus Iudææ seu Palæstinæ docerent: sed in totum mundum excurrerent, adnunciantes Euangelium, & impertientes Sacramenta gratiæ ab ipso Christo instituta. Sic enim uerba Christi habent: Ite docete omnes gentes, baptisantes eos: Matth. 28. Ite in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur: Mar. 16. Et Act. 1. cum iamiam in cœlum ascensurus esset, inquit: Vos eritis mihi testes in Ierusalẽ, & in omni Iudæa & Samaria, & usq; ad extremũ terræ. Id nunc qua ratione ad actum sit productum, exponendum uenit. Nam Apostoli, eorumq; socij, omnem penè terrarũ orbem peragrarunt. Quod etiam Paulus testatur, Rom. 10. An non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarũ uerba illorum. Idem Coloss. 1. affirmat, Euangelium prædicatum esse apud uniuersam creaturã, quæ sub cœlo est. In Apocalypsi etiã dicitur: Redemisti nos per sanguinem tuum, ex omni tribu & lingua, & populo & natione. Cap. 5.

2

De Ecclesijs, earumq; propagatione per Asiam.

SIcut eum honorẽ Deus habuit terræ Canaan, ad quam promissiones de Messia alligarat, ut in ea IESVS Christus mirando modo nasceretur, doceret, ac morte sua salutẽ generi humano æternam pararet: ita etiam post lætam & gloriosam ascensionem Christi in cœlum, adhuc aliquandiu in ijs regionibus Euangelij sui uocem retinere, ac publicè spargi atq; propagari, ex immensa clementia uoluit. nec dubium est, licet innumera hominum multitudo furenter Christum & eius Euangelium fastidiret, in quibus etiam hi erant qui potentia & autoritate præcellebant: tamen egregiam ac præstantem in ea terra, quam Palæstinam uulgò appellamus, fuisse Ecclesiam. Sed tamen paulatim alia loca Deus uerbo suo adijt, postquam iræ dies in eum populum, ob neglectum tempus uisitationis, iusto iudicio aduenit. Præcipuè autem post Palæstinam, hoc seculo Asia minor ecclesijs Christi plurimis floruit.

Fuit igitur uera & præclara Ecclesia Christi, etiã post eius ascensionem, in urbe Hierosolymorũ, ad quã continuò uisa ascensione omnes se receperant, iuxta mandatum Christi. In eo cœtu nõ tantum erant Apostoli & mater Domini, sed etiam plures alij: ac numerum

rum eorum circiter centum & uiginti fuisse, Lucas commemorat Act. 1. Propagatio autem, seu ampliatio potius Ecclesiæ Christi, eiusmodi ibi accidit.

Prædixerat Iohannes, & in primis ipse Christus, sorè ut igni & Spiritu sancto credentes in Christum baptisentur. Idcirco tempus expectant: interea tamen de articulis fidei inter sese conferentes, & simul orantes. Ex diuina insuper inspiratione, in locũ Iudæ proditoris Matthiam sorte substituunt, qui unà cum cæteris undecim, ad hoc officiũ præ alijs in primis esset deputatus, ut in toto orbe Euangelium Christi annunciaret. Actor. 1.

Adest post dies decem festum Pentecostes, in quo Christus, regnans ad dexterã patris in cœlis, sicut promiserat, effundit in suum cœtum, qui commodum tunc erat congregatus, uisibiliter & sensibiliter Spiritum sanctũ. uehementis enim uenti sonus & auditu & tactu percipitur: deinde oculis cernuntur ardentes ac dispartitæ linguæ, sentit quilibet Spiritum sanctũ sibi insidere: ac mox tanti hospitis dona, nempe cognitio linguarum uariarum, quæ erant ad propagationem Euangelij per omnes nationes necessaria, & incrementa fidei in omnibus articulis, ipsaq; adeò confessio emergunt.

Mandato igitur IESV Christi, quod ante ascensionem acceperant, & nunc parastate Spiritu sancto addito, tantisq; donis inspiratis, felix Euangelij propagatio protinus per Apostolos, eorumq; socios suscipitur. Non enim diutius sese intra parietes cunctabundi continent: sed liberè in publicum prodeuntes, non tantum ipsis Iudæis, sed & peregrinis gẽtibus, qui partim eò confluxerant propter festum, partim religionis gratia ibi habitabant, nunciabant, IESVM Mariæ filium esse promissum Messiam, qui sua morte peccata generis humani deleuerit: idq; nõ tantum Iudaica lingua, sed prout in quenq; cœtum incidebant, ita ea lingua utebantur, quæ illis peregrinis patria atq; nota erat. Recensetautem Lucas, Parthos, Medos, Elamitas, Mesopotamianos, Cappadoces, Ponticos, Asianos, Phryges, Pamphylianos, Aegyptios, Libyes, Cyrenenses, Cretes, Arabes. Fatentur enim hi auditores, sese audiuisse eos loquẽtes magnifica Dei, suis linguis, quæ cuiq; nationi erat uernacula. quibus uerbis eorum opinio diluitur, qui sentiũt, Apostolos tantum Iudaica lingua concionatos, quæ cunctis peregrinis non callentibus eam, ita sonuerit, ac si uernaculam audiuissent. Attulit autem ea res initiò ingentẽ plurimis stuporem & admirationem, qui haud obscurè diuinabant, res omnium maximas consecuturas esse. Alij tamen diabolico risu ista excipiunt, & cauillantur, ac si temulenti homines meras nugas obblatterassent.

Eam calumniam Petrus nomine reliquorum Apostolorum, qui unà aderant, grauissima concione retundit. Negat se esse ebrios: rationem addens, quòd hora tertia sit diei: hoc est, nimis mane, quo inusitatum sit, contraq; naturam, poculis se replere. Vocatur autem in Scriptura more Iudaico tertia hora, quadrans primus diei, tres horas complectens: potest tamen hoc loco de ultima eius quadrantis hora accipi, quæ apud nos est octaua, aut nona, aut circiter. Deinde expo-
nit, ea quæ iam fieri uideant, non temerè accidere, sed impleri prophetiam Ioelis 2. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, &c. Qua quidem in parte ostendit, nihil iam geri, quinsi antea per prophetas indicatum. Tertiò docet, IESVM Nazarenum ab ipsis crucifixum, esse uerum Messiam: idq; miraculis euidentissimis, & omnium maximis, in ipsorum conspectu per eum editis, demonstratum esse: resurrexisse à mortuis, iuxta uaticinium Dauidis Psal. 16. ubi scriptum est: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Copiosè autem eam prophetiã illustrat, ab autoritate Dauidis, & promissione ei facta, quòd Messias ex eius posteritate sit uenturus. Addit etiam, sese testes esse, uerè IESVM à Deo resuscitatum esse. Quarto, hunc ipsum IESVM ascendisse in cœlum, iuxta Dauidem psalmo 110. ubi inquit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: & iam Spiritum sanctum è suo cœlesti regno, sicut antea promiserat, effudisse, ipsosq; linguarum dono ornasse. Huic concioni interspergit bis, admonitionem de ipsorũ peccato, quòd Messiam uerum interfecerint.

Ex hac concione intelligunt isti auditores, se in grauissimis tenebris & peccatis constitutos: ac trepidante conscientia quærunt, quid nunc porrò debeant facere? Petrus uerò docet, eos oportere pœnitentiam agere, & initiari sacramentis à Christo traditis: Promissionem esse uniuersalem, tam ad ipsos, quàm ad cunctas reliquas gentes pertinentem. Relinquendam esse falsam Iudæorum religionem. Eo igitur die conuersi sunt & baptisati circiter ter mille homines. Hac tempestiua & frequenti conuersione, Christus docere uoluit de effectu sui Euangelij, & Apostolos in suo ministerio confirmare.

Post hæc singulis diebus Hierosolymis docuerunt in templo, alijsq; locis: & factæ sunt plurimæ ad Christianam religionem accessiones, Domino per suum ministerium cooperante, adeò ut apud uniuersum populum gratiam Apostoli consequerentur. Et hic iam plurimæ historiæ silentio obruuntur, quæ non sunt memoriæ traditæ.

Apparet autem, cœtum Christianorum qui Hierosolymis collectus fuit, inopia laborasse, eo quòd Pontifices & sacerdotes, eisq; adhærentes, non desierint eos persequi, affligere, & bonis spoliare. Proinde necessitas summa eos coegit, ut facultates communicarent: Act. 2.

Quodam die Petrus & Iohannes, hora nona ascendunt in templum, oraturi: ubi Petrus ad portam templi, Speciosam uocatam, claudum natum, & quadraginta annorum, in nomine IESV Christi sanat. id quod ille statim in templo prædicat: & rei nouitate permotus populus, cateruatim ad eos Apostolos in Salomonis porticu confluit, rem tam stupendam eius spectatores uisurus. Hac occasione Petrus docet, hoc miraculum se non propria, uerùm ipsius IESV uirtute fecisse: qui nunc sit à Deo glorificatus, quippe filius Dei. Taxat eorum facinus, quòd Messiam in conspectu Pilati abnegarint, & innocentem trucidarint, affirmat, eum diuinitus à morte resuscitatum:

& nunc

& nunc ita regere, ut etiamnum stupenda apud ipsos miracula, per hoc Apostolicum ministerium faciat: IESVM non fortuito casu, sed iuxta Prophetarum ora cula, & iuxta diuinum consilium, inter ipsos reuelatũ, passumq; esse. Hortatur eos ad pœnitentiam, & ueniam promittit. Monet, à Mose, Deut. 18. de IESV prædictum esse: Prophetam suscitabit uobis Dominus Deus uester, de fratribus uestris, tanq; me: hũc audite, iuxta omnia quæ locutus uobis fuerit. Omnis autem anima quæ non audierit eum prophetam, exterminabitur de populo. Omnes etiam reliquos Prophetas, à Samuele et deinceps, hæc omnia quæ iam gererentur, annunciasse. Ad ipsos omnium primò pertinere beneficium IESV, iuxta promissionem Genes. 12. In semine tuo benedicẽtur omnes familiæ terræ: sicut apud ipsos Deus suscitarit filium suum. Act. 3. Docet de resurrectione mortuorum per IESVM. Hac concione conuersi sunt circiter quinq; hominum millia: Act. 4.

Concursu aũt populi Sacerdotes ac Magistratus excitati, manus in Apostolos illos tanq̃ seditiosos hæreticos mijciũt, ac custodiæ tradũt. Postridie aũt frequenti coacta synodo, cui Pontifices Hannas, Cayphas, Iohannes, Alexander, seniores, scribæ, & quotquot erãt de genere sacerdotali, intererant, Iohannes & Petrus iudicio sistuntur. Fit inquisitio, cuius uirtute claudũ sanatus esset? Petrus repletus Spiritu sancto, intrepidè respõdet: In nomine IESV Christi Nazareni, quẽ ipsi crucifixissent, quiq; à Deo suscitatus à mortuis esset, hoc factum esse: uerũ Messiam eum esse, de quo scriptũ sit Psal. 118. Lapidẽ quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus est in caput anguli: per eum solummodo constare & donari salutem, idq; sic à Deo constitutum esse.

Est aũt etiam hostibus admirationi & formidabilis cõsidentia istorũ hominũ, & doctrinæ excellẽtia. Porrò regit Christus istorũ persecutorũ pectora, ne quid in his ipsis Euangelij initijs durius contra hos Apostolos statuant. Pudefacti igitur persecutores, paululũ remotis Apostolis, cõsilium ineunt, se honestè eos delere nõ posse: sed sub graui pœna interdicturos, ne amplius ad populũ in nomine IESV concionẽ habeant: putantes, se diris minis eorum conatus infringere posse. Verùm Apostoli respondẽt, potius Deo q̃ hominibus obtemperandũ: & sic cũ sæuis minis dimittũtur. Cogebãtur enim hostes illi nõnihil populũ metuere, q̃ miraculũ hoc tanquam diuinũ summis uehebant laudibus.

Reuersi ad suum cœtũ Apostoli, cuncta referunt: & simul preces faciunt, commemorantes ista iam fieri iuxta Psalmũ 2. Quare fremuerunt gẽtes. ac petũt, ut Deus minis Pontificũ frena injciat: suaq; pectora accẽdat, ut cũ omni fiducia uerbũ loqui possint, & miracula comitẽtur. Precibus recitatis, locus ubi erant unà commouebatur, ac Spiritu sancto magis replebantur.

Pergunt itaq; doctrinã de IESV Christo constantissimè propagare: Act. 4. Sæpe aũt docẽt in porticu Salomonis, & quotidie numerus credentiũ augebatur: præsertim cum omnes uiderẽt miraculorũ ubertatẽ & potentiã. nã uel umbra solum Petri erat plurimis salutaris. Nec iam tantum Hierosolymis ea innotescunt, sed passim ex uicinis regionibus plurimi conueniunt, adferentes ægros atq; obsessos: qui curabantur omnes.

Iterum autem Pontifices ira ac furore æstuantes, cum suis, instigante eos Diabolo, Apostolos comprehendunt, ac in carcerem conijciunt: rati, eos homines suæ religioni ac rebus omnib. plurimùm nocere. Ac noctu angelus Domini apertis ianuis è carcere eos ducit, ac iubet publicè in templo concionari: id quod summo diluculo faciunt. Manè Pontifices, magistratus templi, & seniores populi coeunt, sententias collaturi, quid de Apostolis statuendum esset: ignari operum diuinorum. Missis autem ministris, qui Apostolos accerserent, rescisciunt, carcerem summa cura clausum & custoditum fuisse: uerùm eos, quos uellent, homines non adesse. Dum autem attoniti hærent, quid de ipsis accidisset: ecce quidam interueniens, nunciat eos esse in templo, ibiq; docere populum. Confestim igitur magistratus stipatus suis ministris abit, educens Apostolos absq; ui è templo, idq; ob metum populi: eosq; concilio sistit. Crimina quæ objciuntur, sunt: quòd cõtra decretũ & interdictum Pontificũ & aliorũ, penes quos erat summa gubernationis Ecclesiasticæ potestas, in nomine IESV docuissent: hoc est, quòd essent seditiosi. quòd totam ciuitatem sua doctrina replerint: hoc est, quòd sint hæretici. quòd uelint inducere sanguinem IESV super ipsos: hoc est, quòd sint maledici, qui conentur ipsorum conscientiam grauare, ubi nihil mali sibi essent conscij.

Petrus autem intrepidè communi Apostolorum nomine respõdet: Oportere se Deo magis obedire quàm hominibus. Deinde IESVM ab ipsis crucifixum, uerè è mortuis resuscitatum. Tertiò, eum esse Messiam. Quartò, hæc omnia se certò testari, & Spiritu sancto cæterisq; miraculis omnium maximis confirmari.

Hac ratione tantũ abest ut cõuertantur isti hostes, ut etiã magis excandescãt, & meditẽtur Apostolis necem. Haud dubiè ibi fuerunt, qui speciosè declamitarint, more sapientiũ in hoc mũdo, enormem hãc esse petulantiã: omnia dicta & facta istorũ hominũ spectare ad seditionẽ & pestiferos tumultus: initijs occurrendũ esse, ne postea nimis sera medicina adhibeatur: satius esse paucos aliqua seueritate cohercere, q̃ deinde ingẽs & horribile incendiũ totius Iudaici status experiri. Sed eũ furorẽ Dei mirabiliter restinguit, & quasi freno iniecto cohercet. est enim inter eos egregiæ autoritatis & doctrinæ Gamaliel: is retrahit eos à sæuitia, propositis exẽplis eorũ quæ res nouas impiè molientes, diuinitus oppressi sint: quales fuerint Theudas & Iudas Galilæus. Quare & horũ hominum conatus Deo permittẽdos esse: ac breui euentũ declaraturũ esse, an temerè uel diuino instinctu ista tentẽt. Memorabilis aũt sentẽtia est: Si est ex hominibus, inquit, consiliũ aut opus hoc, dissoluetur: sin ex Deo est, nõ poteritis dissoluere illud, ne fortè & Deo repugnare uideamini. Assentiũtur reliqui, quãuis (ut apparet) ægrè. Nam ne nõ suis cruentis pectoribus satisfaciant, cædi Apostolos iubẽt. deinde rursus atrocissimis minis inhibent, ne in nomine IESV in posterum doceant. Sic tractati Apostoli, quasi ex luporum manibus euadunt.

At Apostoli nequaquam minis aut supplicijs franguntur: sed quasi beneficijs excellentibus ornati, gaudent se propter IESV Christi nomen cõtumelia affectos esse: nec desinunt quotidie in templo & in domibus docere & euangelisare IESVM Christũ. Actor. 5.

Crescebat autem uerbum Domini ac numerus discipulorum Hierosolymis plurimùm. Magna etiam sacerdotum turba fidem in Christum amplectebatur.

Neq; uerò tantum Apostoli doctrinæ Euangelicæ præerant, sed operas suas simul diaconi & alij conferebant. In primis uerò Stephanus, qui insigni fide præditus, in synagogis nõ tantũ simpliciter tradebat Euangelium: sed etiã cum ijs qui ex alijs regionibus se Hierosolyma contulerant, ibiq; suas peculiares habebant scholas, disputabat, confirmans ex Prophetarum monumentis doctrinam de IESV, & refutans errores in populo Dei grassantes. Actor. 6.

Accusatur aũt Stephanus ab obtrectatoribus, apud Pontifices, seniores, scribas, & ipsum populũ: q confestim eũ abripiunt, & sistunt cõcilio. Crimina à falsis testibus prolata sunt: Stephanũ docuisse blasphema in Deũ, Mosen, & locũ istũ: nimirum quòd IESVS esset filius Dei: quòd operib. legis nemo posset iustificari, sed tantũ fide in Christũ, qui legẽ pro nobis impleuisset: q Mosaicæ cæremoniæ iam essent abrogatæ: quòd religionis formã, quã IESVS instituisset, esset sequenda: q IESVS ob cõtemptum suæ uisitationis tẽpus, esset eum locũ funditus deleturus. Act. 6. Princeps sacerdotũ truculẽto uultu quærit, an hæc ita se habeant? Stephanus, facta sibi potestate loquẽdi, longa concione ipsos commonefacit, Abrahæ & Moysi factas esse promissiones de uẽturo Messia, eoq; tẽdere uniuersam constitutionẽ religionis & politiæ Israelitici populi. Denicq; ea omnia applicat, IESVM Christũ eũ ipsum esse, q sit prædictus. Tertiò grauiter ipsorũ facinus reprehẽdit, q proditores & homicidæ Messiæ fuerint. et addit, ipsos peruicaces esse, spirituiq; sancto cõtumaciter reluctari, more maiorũ suorũ, q Prophetas occidissent.

Eam uerò concionem summa cũ indignatione excipiunt: quæ quidẽ etiam magis accẽditur, postq audiũt Stephanũ affirmare, se iam suis oculis in aperto cœlo aspicere IESVM, stantẽ ad dexterã Dei. His auditis, quasi in rabiem aguntur, obturãtes aures, & horrẽdis clamoribus eũ execrãtes. Nec mora interijcitur, omnes in eũ impetũ faciunt, & extractũ ante portas inter precandum lapidib. crudeliter feriunt, & obruunt. Act. 7.

Quæ hactenus recensuimus, uidentur eo anno facta esse, quo Christus est crucifixus: anno nimirum Christi 33. Tiberij 18.

¶ Anno Domini 34. Tiberij 19. hoc iam scelere patrato, atrociores psecutiones Hierosolymitani aduersus Christi Ecclesiã moliuntur Pontifices cũ suis: præcipuè uerò Saulus, haud dubiè à cæteris delectus, ut inquisitor hæreticorũ (ut quidẽ putabãtur) esset. Is falso zelo flagrãs, inauditã crudelitatẽ in Ecclesiã Christi exercet, singulas domos explorans, & in carcerem quoscunq; poterat pertrahens. Apparet autem plurimos hac ratione horribiliter interfectos esse. Quapropter hac immanitate moti pleriq;, in uicinas regiones coacti sunt sese conferre: eaq; ratione propagatio Euangelij latius diffusa est. Remanserunt tamen adhuc Apostoli Hierosolymis, proculdubio in summis periculis, Actor. 8. Ac mirandum Dei consilium hic deprehenditur, quòd & hoc tempore, & posterioribus, donec excinderentur, soloq; adæquaruntur Hierosolyma, semper aliqui Apostoli in eo loco, tanquàm principali ecclesiæ Christi sede, remanserint: ac licet interdum aliqui Apostoli inde excurrerint, tamen subinde eò reuersi fuerint.

Circa annũ Domini 45. post resurrectionem circiter duodecimũ, Claudij uerò tertiũ, Herodes Agrippa mouet persecutionẽ in Christianos, & Iacobũ Iohannis fratrẽ gladio interficit. Videns aũt se rem gratã Iudæis facere, corripit & Petrũ, carceriq; tradit. Sed orante Ecclesia pro Petro, noctu Angelus Petrũ è carcere educit saluũ & incolumem. Quĩ ob causam manè custodes, tanquam mala fide egissent, supplicio afficiuntur. Herode autem digresso, & paulo pòst diuinitus punito, nonnihil cessat persecutio. Actor. 12.

¶ Reuersus est Paulus post suã conuersionem quinquies Hierosolymã: & cum postremò eò uenisset, in cœtu seniorũ apud Iacobũ historiã sui ministerij recensset. deinde ibi uotum quoddam in gratiã Iudæorũ suscepit. Tandem persecutionẽ cõtra eum cõcitant quidam Iudæi, ex Asia eò profecti: q cum in templo Paulũ conspicerent, plebem cõcitant istis criminationibus: quòd ipse esset hæreticorũ signifer, doceret leges Mosaicas cæremoniales abolitas esse, Iudæos Messiã nefariè occidisse, cultũ in templo Hierosolymitano cessaturũ, & iã prophanasse templũ sacrum introducto homine gentili. Iniectis aũt manibus, hortãtur ut omnes adiuuent, & iamiam pugnis interfecturi erant, ni Tribunus cohortis Claudius Lysias, accepto nũcio de tumultu, cum militibus accurrisset, & ui Paulum eripuisset. Act. 21. Facta aũt potestate loquendi, Paulus narrat historiam suæ conuersionis, qua doctrinã de IESV Messia probat. & exponit uisionem, qua diuinitus ad hoc suum ministeriũ uocatus esset. Sed Iudæi furentes, non passi sunt eum orationem pertexere: nihilq; aliud clamant, quàm nõ esse fas talem hominẽ uiuere. Tribunus iubet Paulum flagellari. Sed cum Paulus se Romanum ciuem profiteretur, parcitur ei. Actor. 22.

Postridie sistit eũ Tribunus in sacerdotũ cõcilium, siue synedrion. hic orationẽ habet, in qua primùm dicit, se pietatis semper studiosissimũ fuisse. Ananias ea uoce edita, iubet ei alapam impingi, ut qui egregiè mentitus esset. Sed Paulus respondet, sibi iniuriã fieri: ac uocat Pontificem parietem dealbatum, irãq; ei diuinam minitãs. Deinde animaduertens sacerdotes sectis diuisos, ait, disceptationem esse de resurrectione mortuorum, se Pharisæum esse. Hac confessione, quasi strategemate quodam, discordia excitata est inter sacerdotes, adeò ut iam Pharisæi ipsi cum Sadducæis iungere inciperent, ac profiterentur se nihil culpæ in Paulo deprehendere. Ab eo tumultu cum rursus uitæ periculum Paulo immineret, Tribunus per milites iubet Paulum ex ipsorum manibus eripi.

Nocte confirmatur uoce diuina Paulus: ac reuelatur ei, quòd Romæ oporteat eum adhuc docere.

Manè quadraginta Iudæi conspirãt, se non ussuros cibo, priusquam Paulum è medio tulissent: idq; ut commodius fieret, iubẽt rursus ad sacerdotes Paulum accersi. Hæ insidiæ Paulo per nepotem ex sorore patefiunt, qui eadem per adolescentem curat tribuno annunciari. Tribunus noctu, Iudæis inscijs, Paulũ Cæsaream ad Felicem, Iudææ præsidem, allegat, stipatum ducentis militibus, equitibus septuaginta, & lanceatis

cearijs ducentis: literis etiam Paulo innocentiæ testimonium perhibens. Custoditur autem Cæsareæ in prætorio Herodis. Actor. 23.

Quinto die Cæsaream ueniunt Iudæi, inter quos est Ananias pontifex: adducto et Tertullo oratore, qui nomine Iudæorũ Paulum de his criminibus accusauit, q̃ esset princeps sectæ Nazarenorũ, quòd seditiones erga Iudæos in uniuerso orbe cõflaret & excitaret, quòd templũ profanaret. Paulus respondet, se ante duodecim dies Hierosolymam uenisse, adorandi causa: nihil publicè tentasse, patrium Deum colere, docere de resurrectione mortuorum, abstinere ab enormibus pectatis, eleemosynam tulisse Hierosolymam. Hac oratione tãtopere est permotus præses, ut Iudæos in aliud tempus reiecerit, & Paulo mitiorem custodiam cõcesserit, ita ut liberè patêret amicis ad eum accessus.

Habuit aũt Felix uxorẽ Iudæam, nomine Drusillã: cum ea audiuit Paulũ de iusticia, de temperãtia, de iudicio futuro disserẽtem: ac sæpe Paulo concionãti attentè auscultarũt. Verùm cum pecuniã speraret ab eo, qua se redimeret, diutius eum in custodia reliquit.

Biennio ibi detento Paulo, Felix decedit prouincia, relinquens Paulum in captiuitate, gratiam Iudæorum aucupans. Actor. 24.

Festum autem successorem Felicis, ubi Hierosolymam uenisset, mox adeunt Iudæi, petentes, ut Paulus rursus ad se traduceretur. Denegat hoc Festus, ac promittit se Cæsareæ ipsos auditurũ esse. ac post dies paucos Cæsaream reuersus, dat Iudæis potestatem accusandi Paulum. hi multa proponunt, uerùm nihil probant. Paulus uerò copiosè ostendit, se neq; contra legem, neq; contra templum Iudæorum, neq; contra Cæsarem quicquam deliquisse. Festus tamen colludens Iudæis, quærit num uelit Hierosolymam rursus perduci. sed Paulus ait, se prouocare ad Cæsarẽ, se esse innocentẽ. Ità rursus infecta re Iudæi domũ redire cogũtur.

Elapsis aliquot diebus, Agrippa rex & Berenice, Cæsaream ad Festũ salutãdi gratia proficiscuntur: ibi præses de captiuo Paulo indicat, testimoniũ innocẽtiæ ei tribuẽs. Fama aũt Pauli adductus Agrippa, cupit hominem audire. Act. 25. Paulus in mediũ productus, copiosa oratione cõmemorat, sese in Iudaica religione educatum, ac professionis Pharisaicæ esse: se accusari de Messia, de quo magnificæ promissiones isti populo sint factæ. Recitat historiã suæ cõuersionis & uocationis, se docuisse de pœnitentia, se tantum ea proponere quæ in Prophetis tradita sint, uocationẽ uniuersalẽ esse prædicãtã. Festus hac cõcione audita, dicit Paulum nimia literarũ scientia insanire. Sed Paulus respondet, se ueritatẽ dicere. ac cõuersus ad Agrippã, eum tanq̃ testem appellat. ac significat Rex, se nonnihil oratione Pauli pmoueri. Denicq; omnes seorsim innocentẽ esse pronunciãt Paulum, attamen oportere eũ Cæsari sisti. Act. 26.

Facto decreto traditur Paulus Iulio centurioni, deportandus Romam. atq; nauigio primùm appellũt Sidonem, ubi Iulius clementer Paulum tractat, facta potestate conueniendi amicos, seq; curandi. Habet autem secum Aristarchum Paulus. Inde ueniunt Myram, oppidum Lyciæ: ibi in nauem Alexandrinam centurio Paulum transponit. & contra uentum nauigantes, magno labore uix adnauigant Cretæ, ad Pulchrum portum, prope Lasæam ciuitatem. Quærentes autem commodiorem portum, ad Phœnicem meridionalem Cretæ portũ conãtur nauẽ traducere: uerùm spe frustrati, ad paruã insulam Claudam ferũtur. Paulus, cum iã in media tempestate iactarẽtur, ex reuelatione diuina exponit, nullũ hominem q̃ in naui esset, periturũ esse. Posteà fit naufragiũ: omnes tamen partim natãdo, partim tabulis inhærentes, euadũt ad terram (Act. 27.) insulæ Melitæ. hic uipera mordens Paulũ, quæ inter sarmenta iacuerat, nihil ei damni infert. Princeps insulæ Publius, triduò naufragos reficit: pro quo beneficio, parentẽ eius ægrotũ, Paulus oratione & impositis manib. sanat. & hoc beneficio princeps delectatus, discessuris in nauem necessaria suppeditat. Inde naui Alexandrina Syracusas ueniunt, & porrò Rhegium, et Puteolos, ubi Paulus Christianos reperit: & deniq; Romam.

Romæ obuiam Paulo fratres procedũt. Deinde habet custodiã clementem. Conuocat aũt Iudæos, & eis sui aduentus causam exponit. Præterea docet IESVM Christũ, ac plurimi conuertuntur. Quibusdã aũt reluctãtibus, Paulus ex propheta Esaia cap. 6. grauiter eorum pertinaciã taxat: et palàm annũciat, propter hoc ipsorum peccatũ magis ex gentibus Ecclesiam colligi.

Docet aũtem Romæ biennio integro Euangelium Christi, licet captiuus ibi detineretur: Actor. 28.

¶ In Samaria fuit Ecclesia. nam Christus ibi concionatus erat: & iam eò ueniunt, qui ob persecutiones post interfectum Stephanum Hierosolymis fugerunt: ac passim eius regionis loca peragrantes, euangelisant uerbum Dei. Descendit in Samariam ciuitatem etiam Philippus, qui cum ad conciones miracula adijceret, plurimosq; obsessos à Diabolo, paralyticos & claudos sanaret, plurimi Euangelium cũ gaudio sunt amplexi, tum uiri tum mulieres, ac baptismo initiati. Fuit inter eos homines & quidam Simon, insignis magus, qui prius multos suis præstigijs dementauerat. is quoq; miraculis Apostoli motus, Euangelium & baptismum accepit.

Apostoli autem qui adhuc Hierosolymis se continebant, accepto nuncio, quòd Samaria ministerio Philippi conuersa esset: mittunt eò adiutores, Petrum & Iohannem: quibus orantibus & imponentibus manus, uisibiliter Spiritus sanctus ijs hominib. datur. & hac ratione magis cõfirmantur tum doctrina, tum miraculis, qui à Philippo prius conuersi fuerant.

Peragrãt hi Apostoli & alias Samaritanorũ regiones, Euangeliũ de Christo, priusq̃ reuertertentur Hierosolymã, disseminãtes. Samariæ etiã mẽtio fit Act. 15.

In Iudæa quoq; à dispersis fratribus regnũ Dei euangelisatur, & crescit Ecclesia. Memorabilis enim historia Philippi est, quòd ab angelo Domini iussus abire in uiam, quæ à Hierosolymis Gazam uersus tenderet, ibi uidet Aethiopem eunuchũ, præfectum Candaces reginæ Aethiopum, Hierosolymis reuerti: iussúq; spiritus ad currũ accedens, audit Aethiopem legentem Esaiam prophetam cap. 53. Mox percontatur, num intelligeret ea quæ legeret? Aethiops negat, seseq; interprete indigere affirmat: & rogat Philippum, ut currum ascendat. Philippus aũt, ista omnia de IESV dici asserit, non de alio quoquam. Ea uerò narratione tantopere afficitur, accenditur, & eruditur Aethiops, uir-

tute Spiritus sancti, ut mox, postquam ad aquam uenissent, petat se à Philippo in nomine IESV Christi baptisari: id quod edita confessione, quòd crederet filium Dei esse IESVM Christum, mox impetrauit. Baptismo perfecto, rapitur Philippus à spiritu ex conspectu Aethiopis, & Azotum peruenit.

Azoti igitur quoq; Philippus Ecclesiã Christi colligit, & inde peragrat reliquas ciuitates maritimas.

¶ Lyddæ & Assaron fuit Ecclesia. nam Philippus ibi docuit: Actor. 8. & Petrus paralyticum Aeneam in eo loco sanitati restituit, in nomine Christi: eaq́ue occasione plures in ijs ciuitatibus cõuersi sunt. Act. 9.

¶ Ioppe: Fuit & hic Philippus, maritimas ciuitates percurrẽs: Act. 8. & Petrus eò accersitur à discipulis, ut puellã Thabeam seu Dorcan, bonis operib. & eleemosynis celebrem, resuscitaret à morte. hoc miraculo plurimi ad credendũ moti sunt. Deinde multos dies in ea ciuitate apud Simonem coriariũ commoratur, haud dubiè cum maximo Euãgelij profectu. Act. 9.

¶ Cæsaream, quæ Stratonis appellatur, in sua peregrinatione uenit Philippus: ibi etiã in regno Dei ampliando, ministerio fungens: Act. 8. fit eius loci etiam mentio Actor. 9. quòd Paulus eò deductus sit.

Postea uenit eò Petrus, idq́; miraculo insigni. Nam Cornelius per angelum iubetur accersere Petrum, qui tum Ioppe agebat. Petrus aũt in ecstasi uisionem habet, de mactandis & comedendis, etiam non concessis lege Mosaica: & audit, Deum ista nunc purificare. Mox interueniunt tres nuncij à Cornelio, rem omnem exponentes. ac paret Petrus diuinæ uoluntati, iter uersus Cæsaream faciens. Eò cum uenisset, in domo Cornelij, præsentibus cognatis & amicis eius, præclaram habet concionem, docens diuino miraculo se edoctum, gentes ad Ecclesiam Christi pertinere. Deinde asserit, IESVM esse uerũ Meßiam: idq́; præter Iohannis baptistæ testimonia, etiam miracula ab ipso edita manifestũ facere: & se quoq; eius rei testem esse, IESVM passum & resuscitatũ esse tertia die, ab eo ministerium Euãgelij esse institutum, eum futurũ iudicem uiuorum & mortuorũ, omnes fide in Christum accipere remißionem peccatorũ. Postea & baptisati sunt plurimi in nomine Domini, ac mãsit in ea ciuitate plures dies. Exacto aliquo tempore, Petrus Hierosolymã redit: & accusatus à Iudæis, quare gentiũ cõsuetudine usus esset, ostẽdit, expositis rebus omnibus, se diuinitùs monitũ esse: Act. 11. Venit Cæsareã & Paulus, in suo quarto itinere aduersus Hierosolymã: Act. 18. Proficiscẽs etiam postremò Hierosolymam, Cæsareæ diuertit apud Philippum euangelistam, ubi Agabus ei prædicit captiuitatem. Actor. 21.

¶ Ptolemaidi fuit Ecclesia. Paulus enim in ultima sua profectione Hierosolymam uersus, ibi fratres uisitat, ac die una manet. Actor. 21.

¶ Pellæ, quod oppidũ fuit trans Iordanem, Ecclesiæ Christi floruit. nam eò diuina admonitione, ante cladem Hierosolymorũ, credentes in Christũ migrarunt. Eusebius lib. 3. cap. 5. Nec dubium est, quin antea quoq; ibi Euangelium Christi fuerit plantatum.

¶ Fuit Damasci ecclesia: fortè enim se eò quidã ob necem Stephani, & crudelem persecutionem quæ Hierosolymis grassabatur, contulerunt. Act. 8. Paulus aũt flagrans odio Christi, sumptis literis ad synagogas Iudæorũ, quæ erãt Damasci, eò proficiscitur. Verum in uia tam cruentus persecutor à IESV Christo prostratus, & obcæcatus, semianimis ducitur in urbem. ubi Ananias fide in Christũ præstans, iubetur à Domino Saulum rectius edocere, ac liberatũ cæcitate & aegritudine baptisare. Hæc beneficia Dei Paulus cupidissimè accipit: & qui uenerat ad delendum omnes Christo addictos, iam à Christo cõuersus, statim ingressus synagogam, publicè atq; intrepidè confitetur, Christum esse filium Dei, ualidis etiã rationibus confutans Iudæos. Tandem moti Iudæi ista Pauli cõfidentia, insidias ei struunt, & ad suppliciũ rapere tentãt, diligentißimè obseruatis portis, ne elaberetur. Verùm Paulus à discipulis noctu per murum in sporta demittitur, eaq́; ratione crudelißimorum hominum manus effugit. Act. 9. Galat. 1. Narrat ipse 2. Corinth. 11. Damasci præpositum gentis, Aretæ regis nomine custodisse ciuitatem, seq́; ea ratione (ut dictum) liberatum.

Inde Paulus in Arabiam profectus, uerbo Euangelij siue plantauit siue ampliauit Ecclesiam Christi. ac denuò reuersus est Damascum, & hæc quidẽ triũ annorum spacio peregit: Galat. 1. Tum demum redit Hierosolymam: uisoq́; Petro & Iacobo, exactis quindecim diebus, rursus discedit. Actor. 9. Galat. 1.

¶ In Osroenorũ regione, mox post Christi ascẽsum, ministerio Euangelij Ecclesia est uocata. narrat enim Eusebius, idq́; ex archiuis, Thomam instinctu diuino Thaddæũ quendã è septuaginta Edessam misisse. Verba eius adscribemus, lib. 1. cap. 13. Cum assumptus esset IESVS, misit ei Iudas, qui & Thomas, Thaddeũ apostolum, unum ex Septuaginta: qui cum uenisset, manisset apud Tobiã, Tobiæ filium. Vbi autem auditum esset de eo, manifestatusq́; esset per miracula quæ perfecerat, significatũ est Abgaro, dictumq́;: Venit huc Apostolus IESV, sicut ad te scripsit. Cœperat igitur Thaddæus in uirtute Dei, quemuis curare morbum & languorem, ita ut cuncti admirarentur. Auditis aũt Abgarus magnificis & admirãdis operibus quæ faciebat, & quòd curaret in nomine ac uirtute IESV Christi, suspicari cœpit, hunc eum ipsum esse, de quo scripsisset IESVS dicens: Postquam assumptus fuero, mittã tibi aliquem ex discipulis meis, qui passioni tuæ medeatur. Itaq; uocato ad se Tobia, ad quẽ Thaddæus diuerterat, dixit: Audiui, uirum quendam potentem Hierosolymis huc profectũ, manere in ædibus tuis, ac multos in nomine IESV curare. Ille uerò respõdit, dicens: Et iam, domine, uenit huc peregrinus quidã, diuertitq; in ædes meas, ac multa admiranda perficit. Cui rex: Duc eũ, inquit, ad me. Regressus Tobias ad Thaddæũ, dixit ei: Abgarus toparcha uocauit me, iussitq; ut te ad se ducam, quo morbum ipsius cures. Thaddæus respondens: Ascendo, inquit. propter ipsum enim hac præditus uirtute missus sum. Sequenti itaq; die Tobias manè expergefactus, accepto ad se Thaddæo, uenit ad Abgarum. Cum autem ascendisset, mox Abgaro, præsentibus & adstantibus optimatibus, ostentũ magnum in ipsius apostoli Thaddæi uultu, ad ipsius ingressum apparuit. Quo uiso, Abgarus Thaddæum adorauit: id quod cuncti adstantes admirabantur. ostentum enim illi non uiderant, quod soli Abgaro apparuerat, qui & Thaddæum

Thaddæum interrogabat aiens: Vere'ne discipulus es IESV filij Dei, qui hoc mihi dixit? Mittam tibi aliquem discipulorum meorũ, qui passionem tuam curet, ac uitam tibi tuisq; omnibus præbeat. Cui Thaddæus: Quoniã magnificè in Dominum IESVM, qui me misit, credidisti, ob eam ad te causam missus sum. Quod si adhuc in eũ credis, quod corde petis, sicuti credis, consequêris. Ad quem Abgarus: Vsq; adeò, inquit, credidi in eum, ut Iudæos qui cruci eum adfixerunt, uiribus acceptis trucidare uoluerim: nisi ab hoc proposito, propter Romanorũ regnum, impeditus fuissem. Thaddæus uicissim: Dominus, inqt, noster ac Deus IESVS Christus, uoluntatẽ patris sui adimpleuit: qua perfecta, ad illũ receptus est. Dicit ei Abgarus: Et ego in eum, & patrem eius credidi. Cui Thaddæus: Ob eam itaq; causam, inquit, in nomine ipsius Domini IESV, manum hanc meam tibi impono. Quod cum fecisset, mox ille à morbo ac passione sua, qua laborabat, curatus est. Admiratus est hoc Abgarus, quòd quemadmodum ipsi de IESV narratũ fuerat, ita re ipsa per discipulũ eius & apostolum Thaddæum, sine pharmacis & herbis curatus esset. nec ipse modò, sed & Abdus Abdi filius, podagra laborãs: qui etiam ipse ad pedes Thaddæi prouolutus, per manus eius impositionem uoti compos effectus est. Quin & multos alios istorũ cõciues, idem hic Apostolus, miracula ac magnalia perpetrans, ac sermonem Dei prædicans, curauit. Ad quẽ postea Abgarus: Tu, inquit, Thaddæe, per uirtutem Dei ista facis, nosq; admirationẽ tui accepimus. Verùm oro te, ut præterea exponas mihi aduentum IESV, quomodo ille sit factus, & uirtutẽ eius, quaq; uirtute quæ audiuimus perfecerit. Cui Thaddæus: Nunc quidẽ silebo, inquit, ad hoc missus, ut sermonẽ hũc prædicem: Verùm crastino mihi die ad cõcionem cunctos ciues tuos cõuocabo, & ad illos sermonem Dei prædicabo, seminaboq; inter eos sermonem uitæ, ac docebo de aduentu IESV, quomodo is factus sit: deq; apostolatu eius, & ob quam causam à patre missus uenerit: ad hæc, & de uirtute operũ eius, ac mysterijs quæ in mũdo hoc loquutus est, quaq; ista uirtute perfecerit. præterea etiam de noua eius prædicatione: & q̃ diminutus ac tenuis, quamq; in externo hominis cõspectu humilis fuerit: & quomodo seipsum humiliauerit, mortuusq; sit, ac diuinitatem suam diminuerit: & quãta à Iudæis perpessus, ac quomodo crucifixus sit, & ad inferos descenderit, sepemq; illam antea nunquam diruptam sciderit: resurrexerit etiã, ac mortuos, qui à seculis dormierant, unà excitarit: & quomodo solus quidẽ descenderit, multa uerò turba comitatus ad patrẽ ascenderit: quomodo etiã ad dexterã Dei ac patris cum gloria in cœlis sedeat: ac postremò, quomodo rediturus sit cũ gloria & potentia ad iudicandũ uiuos & mortuos. Iussit igitur Abgarus, orto mane congregari ciues suos, Thaddæiq; concionẽ audire. Quo facto, præcepit ei dare aurũ et argentum. Ille uerò nõ accepit, dicens: Cum nostra reliquerimus, quomodo aliena accipiemus? Acta sunt hæc anno quadragesimo tertio, quæ nõ sine utilitate ad uerbum è Syriaca lingua translata, hoc mihi loco uisa sunt inserenda. Et lib. 2. cap. 1. affirmat Eusebius, in eo loco præclarã ecclesiã Christi, usq; ad sua, seu Constantini tempora mansisse, & proculdubio etiam postea.

¶ Fuit & ecclesia Christi in Babylone, sicut Petrus in epistola 1. cap. 5. testatur: unde illis qui in Ponto, & alijs Asiæ regionibus erant, scribebat.

¶ In Phœnicia & Syria fuit ecclesia Christi. nam credẽtes in Christũ, ob necẽ Stephani in eas quoq; regiones discesserant: Act. 2. Et Paulus reuersus ex Arabia, Syriã trãsit: Galat. 1. Syriæ mẽtio fit Act. 15. 20. 21.

¶ In Tyro. Paulus enim in ultima profectione uersus Hierosolymam, eò nauigio uenit, ac septem diebus cum discipulis commoratur: Actor. 21.

¶ Sidon quoq; habuit Christianos. nam Paulus ibi amicos uisitat: Actor. 27.

¶ Antiochia uerò tum temporis celebris fuit ecclesiæ Christi sedes. Initio quidem dispersi fratres, tantùm Iudæis Euangelium annunciarunt. Verùm quidã Cyprij ac Cyrenenses, etiã ad Græcos Antiochiæ de IESV uerba fecerunt. cooperante autem Domino, numerus credentium plurimùm auctus est.

Perlata hac re ad ecclesiam Hierosolymitanã, Barnabas mittitur, qui eos in agnita ueritate magis cõfirmat, suisq; concionibus non paucos conuertit. Postea Tarsum profectus, Paulum adducit, cum quo integrum annum manet Antiochiæ: ac tantus Euangelio hominum numerus accessit, ut primùm Antiochiæ discipuli sint cognominati Christiani.

Agabus, & quidã alij prophetiæ donis clari, Antiochiam Hierosolymis ueniẽtes, famem prædicunt, quæ sub Claudio accidit. Act. 11. Petrus quoq; Antiochiæ à Paulo reprehẽditur: Galat. 2. Fit mentio Antiochiæ Actor. 15. & redit eò Paulus: Actor. 18.

¶ Seleuciæ. nam eò uenerunt Paulus & Barnabas, segregati ad hoc ministeriũ, oratione & impositis manibus, iussu Spiritus sancti, ut quàm lõgissimè inter gentes colligerent ecclesiam Domino. Actor. 13.

¶ Neq; uerò dubium est, in Mesopotamia quoq;, uicinisq; regionibus, collectam & propagatã esse ecclesiam. Nunc in Asiam minorem ascendamus.

¶ In Cilicia fuit Ecclesia. nam Paulus tertio post suam cõuersionem anno, haud dubiè patriæ amore ductus, Tarsum proficiscitur: Act. 9. Et Barnabas eũ inde euocat Antiochiam, Act. 11. Ciliciæ mentio fit Act. 15.

¶ In Pamphilia, regnum Christi fuit. nam è Cypro redeuntes Paulus & Barnabas, Pergæ docent: Act. 13. Fit & Pergæ mentio Actor. 14. 15.

¶ In Pisidia habuit etiam ecclesia Christi locum. nam Perga discedentes Apostoli, de quibus modò dictum, Antiochiam Pisidiæ ueniunt: ibiq́ue Paulus in sabbatho elegantem habet concionem, quòd Christus sit promissus Messias, quòd passus in cruce resurrexerit, & se manifestarit per aliquot dies. ac probat eius resurrectionem ex Psalmo 2. quòd per Christum fide contingat remissio peccatorum: monet, ne contumacia sibi pœnas accersant, iuxta prophetiam Abacuc 1. Rogatus à Iudæis, sequenti etiam sabbatho in synagoga docet: multiq́ue Iudæorum & proselytorum Euangelio accedunt, immò penè uniuersa ciuitas doctrinam de Christo amplectitur, & passim in uicinas quoq; regiones dulcissima Euangelij uox diffunditur.

Sed cum ibi Diabolus adhuc quædam sua organa ex Iudæis retineret, instigauit eos prauo zelo, ut Paulo

contradicerent, eiusq; doctrinam calumniarentur. Verùm Paulus & Barnabas non absterriti istorum canum allatratu, ingenti fiducia pergunt, & palàm asserunt, Iudæis primùm deferri doctrinam de Messia: sed quia eam fastidiant, gentes uocari. idq; iuxta Esaiæ prophetiam cap. 49. Posui te in lucem gentibus, ut sis ad salutem, usq; ad extremum terræ.

His admonitionibus tantum abest ut desistant Iudæi, ut etiam magis odio atq; ira inflammati, mulieres religiosas & honestas, primoresq; ciuitatis incitarint: ac denq; perpulerint, ut excitato tumultu Paulus & Barnabas ciecti sint ciuitate ac finibus illis. Actor. 13.

¶ Attaliæ, quæ est Pisidiæ ciuitas. nam & hic Paulus & Barnabas docent: Actor. 14.

¶ In Lycaonia quoq; efflоruit Ecclesia Christi. nã Apostoli Antiochia ciecti, Iconium se cõferunt. Actor. 13. Plurimi aũt tum Iudæorum tum Græcorum ibi conuertuntur. Obstinati tamen quidam Iudæi, subinde accendebant gentes cõtra Apostolos, uariè ipsorum doctrinam criminantes: sed diuino clypeo protecti, longo tempore ibi degunt, singulari fiducia Euangeliũ tradentes. Huc accedebãt plurima miracula, quæ doctrinam efficiebant illustriorem. Exoritur autem improborum Iudæorum insidijs & machinationibus schisma in ciuitate: quidam Apostolorum, quidam uerò Iudæorum partes sequuntur. ac tandem instigati furijs Iudæi, cum suis principibus, & ipsæ gentes incredulæ, uno impetu in Apostolos ruunt, ac cõtumelia affectos lapidibus iaciunt, & è ciuitate pellunt.

Nec procul inde discedũt Apostoli: sed in Lystram & Derben, eiusdem Lycaoniæ oppida, proficiscuntur, Euangelium de IESV Christo proponentes, & in uicinas quoque regiones excurrentes. Ac Lystris quidem memorabile miraculum per Paulum est editum. nam claudum ex utero matris natum, uerbo sanat, ut statim exilierit & ambulauerit. Eo facto tantopere commouentur turbæ, ut Paulum pro Mercurio, Barnabam pro Ioue habere, eisq; sacrificare constituerint. Verùm Apostoli seuerè prohibent, ueram de Deo doctrinam proferentes.

Repentina aũt populo mutatio accidit. nam paulò ànte indignis modis eos, quos pro dijs parati erãt suscipere, tractãt. Faces eius motus sunt Iudæi, Antiochia & Iconio aduenientes, q turbã calumnijs accendebãt: & persuadebãt, ut imitati ipsorũ exemplum, lapidibus Paulum & Barnabam è ciuitate exigerent.

Non autem labefactatur in Apostolis studium propagandi Euangelij, licet ingentem Diaboli & suorum membrorum furorem experirentur: sed Derben abeunt, multosq; salutari doctrina Christo lucrifaciũt. Postea ad ipsas ingratas ciuitates non dubitãt reuerti, Lystram nempe, Iconiũ & Antiochiam, in quibus reliquias Ecclesiæ Christi solidius cõfirmant: palamq; docẽt, per multas tribulationes oportere credentes in regnũ Dei intrare. Et quod miraculi loco est, nõ uerentur ibi presbyteros constituere, qui pastores in ijs locis agant. Derbæ & Lystræ mentio fit Act. 14. 15. 16.

Inde redeunt per Pisidiam & Pamphyliam, Antiochiam Syriæ, exponentes Ecclesiæ suam historiã. quæ quidem omnia eò spectant, Deum etiam gentes uocare ad societatem sui filij. Actor. 14.

Ibi orto schismate, cum quidã Iudæi è Pharisæorum secta cõtenderent, gentes quoq; oportere ritibus Mosaicis parêre: alioqui non posse eas saluari: uisum est cõmuni Ecclesiæ, ut ea res cũ Apostolis ac senioribus Ecclesiæ, quæ Hierosolymis adhuc agebat, cõferretur. eamq; ad rem legati Paulus & Barnabas destinantur. Expositа autem causa Hierosolymis decernitur, absq; obseruatione legalium Moysi, sola fide in Christũ, tam gentibus q̃ Iudæis donari remissionem peccatorum, & salutem. Ac literæ ad fratres Antiochiæ in Syria & Cilicia dantur. Antiochiæ recitatur epistola, Act. 15.

Facta autem contentione inter Barnabam & Paulum, ille Marco assumpto in Cyprum traiecit, Paulus cum Syla peragrabat Syriam & Ciliciam, ustantes & confirmantes ecclesias: Actor. 15. Redeunt & Derben & Lystram, ubi & Timotheum legit in ministerium: ac reliquas uicinas ciuitates inuisunt magno cum fructu & incremento.

¶ Pataræ. Eò appulit Paulus in ultima sua professione Hierosolymitana. Actor. 21.

¶ In Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, Mysia, Phrygia, fuit ecclesia Christi. nã ad eos scribit Petrus, 1. Pet. 1. Etsi aũt in Actis cap. 16. spiritus Paulum ad breue tempus prohibuerit loqui in ijs locis uerbum Dei (uocabatur enim in Macedoniã, quã ob causam nolebat eũ Deus ibi diutius morã facere) tamen consentaneũ est, alios discipulos eò excurrisse. ac certè Petrus uidetur omnes eas regiones perambulasse.

¶ In Troade uisionem habet Paulus, ut in Macedoniam transeat: id quod facit, ut suo loco dicetur.

In Troadem deinde etiam uenit Paulus, in postrema profectione Hierosolymã uersus: ibiq; septem dies inter fratres manet. Docet aũt ibi in sabbato, extrahens sermonẽ usq; ad mediã noctẽ. Hic Eutychus quidam somno grauatus, & ex fenestra delapsus, expiravit: quem Paulus resuscitauit. Ac deinde totam eã regionem peragrauit Paulus, Actor. 20. 2. Corinth. 2.

Galaticam regionem & Phrygiam Paulus peramбulat, postquam fuit Hierosolymis: Act. 18. confirmãs discipulos. 1. Corinth. 16. Paulus ait, se per Ecclesias Galatiæ ordinasse eleemosynas colligi. Roma Paulus ad Galatas scribit, eosq; obiurgat seueriter, quòd pseudoapostolis aures præbuerint: & clarè significat, se ipsos docuisse. Galat. 1. 3. 4. Etiam Crescens in Galatiam abijsse dicitur, 2. Timoth. 4.

¶ Assi. nam ibi socij Pauli eũ expectant, ac haudãquaquàm non fuerunt ociosi. Est autem Assus oppidum in Troade, ad littus meridianum situm. Actor. 20.

Septem ecclesijs Asiæ Iohannes Apocal. 1. scribit, nempe Epheso, Smyrnæ, Pergamo, Thyatiræ, Sardibus, Philadelphiæ & Laodiceæ.

¶ Ephesi fuit ecclesia Christi. nam eò appulit Paulus, Corintho Hierosolymam proficiscens, ac disputat ibi in synagoga cum Iudæis. Verum non manet diu, licet fratres hoc rogarent: Act. 18. Venit Ephesum & Priscilla & Aquila: item Apollo quidam Iudæus, non tantũ ibi in doctrina fidei rectè eruditus, sed qui etiam acriter in synagogis contra Iudæos disputaret. Ibidem. Rediens etiã Hierosolymis, Ephesum reuertitur Paulus, quosdam ibi discipulos rectius instruens de baptismo: & ijs quidem ritè baptisatis, datur Spiritus sanctus,

ctus, donisq; linguarũ ornantur. Deinde per tres menses in synagoga, singulari confidentia docet. Cum aũt quidam se opponerent, & maledicerent ueræ doctrinæ, in schola Tyranni cuiusdã publicè docet integrum biennium: ac creuit Euangelium in tota Asia. nam in uicinas regiones subinde propagatio fiebat. Mouebantur autem plurimi etiam miraculis Pauli, quæ tam erant frequentia, ut etiam sudaria & cingula Pauli imposita ægrotis & obsessis, liberationem adferrent. Peperit quoq; alius quidam euentus autoritatẽ Paulo, eiusq; ministerio. Nam quidam Iudæi, à religione tabolos, adhibito tamen nomine IESV, sperantes se hac ratione suis rebus aliquam existimationem parituros, & Apostolis adempturos: uerùm Diabolus eos incantatores malè mulctauit & uulnerauit, ut ægrè inde aufugere possent. quæ res ubi innotuit, plurimùm pios confirmauit: quosdam etiam ad conuersionem permouit, ac reliquis terrorem incussit. ultro quoq; Magi libros suos cremandos obtulerunt.

Seditionẽ tandem & persecutionem excitauit quidam argentarius, Dianæ Ephesinæ templũ extruens. is animaduertens de suo lucro aliquid per Euãgelij uocem decedere, suos opifices, qui ex ijsdem rebus lucrũ captabant, inflammat cõtra Paulũ. ij totam cõmouent ciuitatẽ, & Caium atq; Aristarchũ comites Pauli trahunt ad iudicium. Paulo uolenti prodire ad populum, dissuadetur, ne se furiosæ multitudini cõmittat. Producitur & Alexander Iudæus, tanq; reus. Verùm scribatumultũ populi sedat, monens ne quid seditiosè molian-tur: sed in iudicijs legitimis, si quid habeant, proponãt. Act.19. Scribit Paulus 1. Cor.16. sibi Ephesi ostium esse apertum, magnũ & efficax, simulq; multos aduersarios sustinere. Roma deinde Ephesijs scribit.

Postea & Iohannes apostolus, perlustrata Asia, Ephesum quasi commigrat: in eaq; ciuitate plurimos annos, ac proculdubio omnes uicinas Ecclesias, suo ministerio iuuat. Potuit etiam inde commodissimè Euangelium Christi, in insulas ac uicinam Europam propagari.

¶ Mileti fuit Ecclesia Christi. nã in ultima profectione Hierosolymã uersus, Paulus in ea ciuitate seniores ad se uocat, & prolixè hortatur, ut suo officio fideliter & gnauiter fungãtur, & caueant falsos doctores, eisq; quasi non ad eos rediturus ualedicit. Act.20. Est autem Miletum, urbs maritima Ioniæ, infra Ephesum.

¶ Colossis, ad Lycum fluuium. nam ad Colossenses Paulus epistolam scribit, indicans, ab Epaphra eos Euangelium didicisse. Coloss.1.

¶ Laodiceæ. nã huius Paulus Coloss.2. facit mentionẽ, q; pro ijs solicitus sit. & cap.4. att, Epaphram pro ipsis precari. Iubet & salutari fratres: & epistolam ad Colossenses scriptam, etiam in ecclesia Laodicensium legi. Et Christus Apoc.3. ad angelum Laodicensium scribi curat epistolam, per Iohannem.

¶ Hierapoli. Paulus enim Coloss.4. scribit, Epaphram pro ipsis quoq; solicitum esse.

¶ In Parthia Ecclesiam Christi fuisse, inde colligitur. nam in Pentecoste discipulis miraculosè uarijs linguis loquentibus, etiam Parthi, Medi & Elamitæ sunt auditores. Et scribit Eusebius lib.3. cap.1. ex Tomo 3. Origenis expositionum in Genesim, Thomam Parthis esse missum, posteaquam Apostoli in uarias sese terras conferrent. Nicephorus addit, eum in Taprobana insula docuisse. lib.3.cap.1.

Brachmanis concionatũ esse Bartholomæum, Hieronymus testis est.

In Indiam Thomam uenisse, Hieronymus in epistola ad Marcellam scribit.

In Scythia Andreas prædicasse fertur Euangelium Christi. Eusebius lib.3.cap.1.

DE ECCLESIIS PER Aphricam.

ETsi multarum ecclesiarum, hoc quidem seculo quæ in Aphrica fuerint, non fiat mentio: tamen uerosimile est, eò quoq; statim à nece Stephani quosdam excurrisse, & Euangelium IESV plantasse.

In Aegyptum fortè statim pertulerunt gratiũ Euangelij nuncium, qui ipso die Pentecostes stupendum miraculum in Apostolis conspexerunt, donis uariarũ linguarum ornatis. Testatur enim Lucas Actor.2. fuisse quosdam de auditoribus illis ex Aegypto & partibus Libyæ, quæ sit circa Cyrenen.

Aphricam totam penè percurrisse Simonem Zelotẽ, Nicephorus lib.2.cap.40. asserit.

Alexandriæ hospitium Christi fuisse, cõsentaneum est. Scribit Eusebius lib.2. cap.16. Marcum primùm in Aegyptum missum, ibiq; Euangelicã historiam à se compositã tradidisse, primumq; ecclesias Alexandriæ constituisse. Nicephorus scribit, Marcum imperante Tiberio, Aegypto, Libyæ, & uniuersæ Barbariæ, Cyreneis quoq; & Pentapolitanis Euangelium annunciasse. lib.2.cap.43. Quod autem Eusebius ex Philone commemorat de Christianis circa Alexandriam, id magis uerisimile est de Essenis, Iudæorum celebri secta, referri. nondum enim Christiani talia exercitia habuerunt. Matthæum quoq; in ijs regionibus docuisse, Vincentius refert: lib.9.cap.74.

In Aethiopiam Eunuchus præfectus reginæ Candaces, à Philippo cõuersus & baptisatus, haud dubiè doctrinam de Christo propagauit: Act.8. Euseb. lib.2. cap.1. Narrat & Nicephorus lib.2. cap.40. Matthiã in Aethiopia concionatum, & plurimos conuertisse.

DE ECCLESIIS IN INSVLIS maris Mediterranei.

IN Cyprũ, mox occiso Stephano, per fratres dispersos factam esse Euangelij propagationem, Lucas in Actis 11. narrat. Est enim ea insula prima, quæ respectu Palæstinæ in mari occurrit, inter Ciliciam & Syriam media. Postea Paulus & Barnabas, assumpto Iohanne omnium primo, ad uocationem gentiũ publicè Antiochiæ ordinati, in Cyprum proficiscuntur: ac Salaminæ, quæ in littore ad Orientem sita fuit, & posterioribus temporibus à Constantio, Constantia uocata est, in synagogis docent: totamq; insulam circumeũt usq; Paphum, quæ fuit ciuitas ad littus occidentale sita. in ea Procõsulem egit Sergius Paulus. qui cum audiret ex Apostolis uerbum Dei, Elymas quispiam Magus eis resistebat. Paulus autem Spiritu sancto repletus, grauiter Magum increpat, & uerbo eum punit,

punit, ut cæcus extemplò fieret. Quo miraculo proconul motus, fidē doctrinæ Apostolicæ tribuit. Act. 13.

Post conciliū Hierosolymitanū rursus in Cyprū uenit Paulus, comitatus Marco, uisitans & confirmans Christi ecclesias. Act. 14. Mentio eius fit etiā Act. 21.

In Cretam quoq; tempestiuè Euangelium IESV Christi perlatum constat. nam Cretes die Pentecostes Apostolos uarijs linguis miraculosè loquētes audierūt. Actor. 2. Et ad Titum cap. 1. Paulus scribit, se in Creta fuisse, atq; cōstitutionem Ecclesiarum ei cōmendasse.

In Samothraciā applicuit Paulus, proficiscēs in Macedoniā: Act. 16. Sed nū ibi substiterit, ac docuerit, incertū est. est aūt insula in mari Aegæo, ad orā Thraciæ

Transijt Paulus in postrema sua pegrinatione Hierosolymam uersus, à Troade soluēs, insulas in pelago Aegæo sitas: Lesbon, (nā Mitylenæ appulit) Chion, Samon, Trogylliū: Act. 20. Coon, Rhodum: Act. 21.

In Pathmo, insula maris Aegæi, Iohannes apostolus aliquandiu in exilio egit, neq; fuit ibi ociosus: uidit ibi quoq; Apocalypsim. Cap. 1. Apocal.

In Sicilia, scribit Vincentius Papinum quendam à Bartholomæo relictum: lib. 9. cap. 87.

In Melita, collecta est Ecclesia Christi per Paulū: quando ex naufragio emersi, Publij principis hospitio usi sunt: cuius patrem, precibus & impositione manuum, à febri ac dysenteria liberabat. Actor. 28.

DE ECCLESIIS PER Europam.

PRopagatio Euangelij, singulari reuelatione Dei in Europam facta est. Nam cum in Troade esset Paulus, uir Macedo noctu ei adstitit, uehementer eum obtestans, ut in Macedoniam traijceret, & ipsos iuuaret. Nec moram sibi faciendam esse putauit Apostolus, sed mox se mari commisit.

In Macedonia igitur per Paulū plurimæ Ecclesiæ collectæ sunt: & egregio encomio ecclesias Macedoniæ Paulus ornat 2. Cor. 8. q, liberaliter cōtulerint elee mosynas, ad alēdos afflictos sanctos. Dederūt & Paulo sumptus, ut gratis in Achaia docere posset: 2. Cor. 11.

¶ Neapoli in Thraciæ finibus, fuit Ecclesia. nam ad eam primùm appulit Paulus: Actor. 16.

¶ Philippis, in Macedonia. ad eam enim mox properauit Paulus, ut quæ fuerit primaria Macedoniæ, in ea quidem regione, ciuitas: diuq; in ea subsistit. In loco ubi solebāt precationes fieri, Lydia Thyatirena purpuraria conuertitur, & baptisatur: ac deinde gratitudinis ergò, Paulum excipit. Puellā postea in hac urbe Pythonico spiritu obsessam, in nomine Christi liberat Paulus. Solebat enim ea Apostolos sequi, ac clamare, eos esse seruos Dei, ac uiam salutis annunciare. Peperit autem hæc ipsa res Paulo suisq; cooperarijs periculum. nam puellæ domini, quasi quæstu suo defraudati, quem ex eius spiritu perceperant, Paulum & Silam ad magistratum in forum abripiunt, crimina obijciunt, quòd ad seditionem concitent ciuitatem: deinde, quòd nouam religionem cum Romana pugnantem introducant. Furente multitudine, Magistratus quoq; quasi auditis blasphemijs, tunicas scindunt, ac iubent Apostolos uirgis cædi. Postea & in carcerē mandāt conijci; id quod ilicò fit, pedibus insuper ligatis, ne quà effugerent. Media nocte Apostolis orantibus, & laudantibus Deum, subito terræmotu fundamenta carceris quatiuntur, solutis non modò suis uinculis, quibus erant constricti, sed etiā apertis ostijs, & seris omnibus. Custos carceris tantis fragoribus expergefactus, uidet patentem carcerem: & suspicans captiuos sue fidei commissos aufugisse, mox stricto gladio, dominorum iram & pœnas ueritus, mortē sibi illaturus erat. Sed Paulus ijs uisis, mox exclamat, Omnes adhuc adesse, ne quam sibi uim inferat.

Sumpto lumine custos carcerem ingreditur: & diuinis miraculis permotus, tremebundus ad pedes Apostolorum se abijcit: & productis ipsis in suam domum, quærit, quid debeat facere? Apostoli iubent credere in Christum: & baptismum impertiunt, tam ipsi, quàm toti eius familiæ. Vicissim igitur custos lauat eis plagas, & mensa apposita benignè tractat. Mànè per lictores Magistratus custodi carceris indicant, ut captiuos dimittat. Paulus dicit, se esse ciues Romanos, & insigni iniuria affectos, nec fas esse urbe expelli. Magistratus ea uoce territi, ueniunt & deprecantur factum: & educentes eos rogant, ut urbe excedant. Salutatis aūt fratribus, & Lydia, discedunt: Actor. 16. Postea iterū uenit eò, Actor. 20. Commendat Paulus Philippēses, propter summā in Euangelio constantiā, adeò ut & parati fuerint pati pro eo: ca. 1. epistolæ ad eos scriptæ. Mittunt etiam Philippenses Epaphroditū, ut captiuo Paulo ministraret: Philip. 2.

¶ Amphipoli. nam eò proficiscitur Paulus cum Sila, exacti Philippis, in suo primo in Macedoniam itinere. Actor. 17.

¶ Apolloniæ. Huc deinde ueniunt eodem itinere. Actor. 17.

¶ Thessalonicæ, quæ est maritima ciuitas, ad Thermaicum sinum posita. Hic Paulus in Iudæorum synagoga tribus sabbatis disputat, ac docet Euangelium IESV Christi. Plures autem conuertūtur tum Iudæi tum gentes, & mulieres nobiles non paucæ. Sed hic quoq; fortis atrium suum tenens, odio atq; furore suos Iudæos extimulat: qui plebe concitata irruunt in domum Iasonis, Paulo & Silæ, qui ad eum hominem diuerterant, uim illaturi. Iis autem non præsentibus, ipsum hospitem Iasonem & alios quosdā pios rabiosè ad Magistratum ciuitatis pertrahūt, criminantes, ipsos esse seditiosos, & quidem totius orbis conturbatores: alium regem, quàm Cæsarem, nempe IESVM Christum, proponentes. Sed Magistratus re cognita, dimittunt eos: Actor. 17. Prædicat Thessalonicenses plurimùm Paulus in epistola ad eos scripta, quòd fide & constantia cæteris exemplo fuerint. Docuit etiam Thessalonicæ Demas. 2. Timoth. 4.

¶ Berrhœæ. nam huc uenit Paulus cum socijs, relicta Thessalonica. Docent autem in synagoga, ac plurimi è Iudæis Euangelium de Christo amplexi sunt magna alacritate animi, quotidie inuestigantes rei ueritatem in monumentis prophetarum. Crediderunt & plurimi gentiles ac honestæ matronæ. Sed inde rursus Diaboli uirulentia pulsus est. nam Iudæi Thessalonicenses ubi resciuerunt, Berrhœæ Paulum ecclesiam Christo frequentem colligere, mox eò ueniunt, & instigata plebe, persecutionem in Apostolos excitant.

citant. Remanent tamen ibi, Paulo tantum discedente, Silas & Timotheus. Actor. 17.

¶ Athenis, in Achaia, loco celeberrimo, Ecclesia quædam Christo collecta est. nam Berrhœa Paulus Athenas perductus est. Fortè & in locis intermedijs semina Euangelij sparsit. Docet aũt Paulus in synagogis, ac foro: ac disputat de Messia, hominumq; salute, cũ Iudæis & gentibus. Mox philosophi Epicuræi & Stoici incipiunt erga Paulum mouere persecutionem, arreptumq; trahunt ad Areopagũ: criminati aũt sunt, cum esse scurram, adferre nouam doctrinam, annũciare nouos Deos, affirmare resurrectionem. Paulus in Areopago concionem orditur, in qua primùm redarguit eos superstitionis. Deinde docet de uero Deo, de creatione & sustentatione rerum omnium, de pœnitentia, de iudicio, de fide, de Messia Christo. Hac audita concione, alij conuertuntur: inter quos est Dionysius Areopagita, & Damaris mulier. alij rursus eũ de hac re audire cupiunt: alij prorsus rident, quòd resurrectionẽ tanquam rem certam asseueraret. Act. 17.

¶ Corinthi, quæ in Peloponneso ad Isthmum condita fuit, celebris Ecclesia collecta est. nã Athenis huc profectus Paulus, singulis sabbatis in synagoga disputabat, docens tum Iudæos, tum Græcos. Aduenunt etiam ex Macedonia Silas & Timotheus, operas fideliter conferentes. Contradicunt autem Paulo quidã Iudæi, à quibus discedit, & habitat apud quendam Iustum. Conuertitur etiã archisynagogus Crispus, cum tota sua domo: ac plurimi Corinthij recipiũt uerbum Dei, & baptismo initiantur.

Nocte quadam à Domino Paulus confirmatur, ne formidet, sed confidenter in colligenda Ecclesia pergat. Dominum enim eum cõtra furores hostium protecturum, & cum ipso futurum, qui & magnam hominum multitudinem in ea ciuitate decreuerit uocare. Hac consolatione erectus Paulus, sesquiannum ibi commoratur, & sex menses, docens uerbum Dei.

Tandem Iudæi seditioso impetu in Paulum feruntur, eumq́ue ui ad tribunal Gallionis proconsulis Achaiæ trahunt. Verùm is dicit, se facinorosos tantum iudicare & plectere: iam cum de doctrina quæstio sit, se nolle eius iudicium suscipere. ac iussit omnes dipem synagogæ, qui partes Pauli secutus fuerat, acriter uerberabant, proconsule prorsus conniuente. Postea Paulus discedit, Actor. 18. Docuit ibi & Iudæus Apollo: ibidem. & Syluanus, & Timotheus: 2. Corinth. 1. Et Cephas: 1. Corinth. 1. Item Stephanus, & Fortunatus, & Achaicus: 1. Corinth. 16. & Titus: 2. Corinth. 7. 8. Egregiè prædicat Corinthiacam ecclesiam Paulus, 2. Corinth. 8. quòd abundarit fide, sermone, scientia, diligentia, charitate.

¶ Cenchreis fuit Ecclesia. nam Paulus Corintho egressus, Cenchreis, iuxta suum uotum, caput rasit: ac haud dubiè ibi docuit. Fuit oppidum in littore, ad ortum situm, ubi fuit Corinthiorum nauale. Actor. 18. Ecclesiæ Cenchreensis meminit Paulus Rom. 16. eamq; commẽdat egregiè, quòd Phœbe ibi fuerit διάκονος, quam & sororẽ suam appellat, & cui literas Romam perferendas tradit.

Rursus uenit in Macedoniam, & ecclesias uisitauit quando rediit Hierosolymã. uenit & in Græciam, ibiq; tres menses docet. Actor. 20.

¶ Thebis. ibi Lucam à Paulo conuersum esse, narrat Nicephorus lib. 2. cap. 43.

¶ Byzantij Andream docuisse, Sozomenus lib. 8. cap. 6. scribit.

¶ In Italia, ante Pauli aduentum propagatio facta erat. nã quãdo captiuus Romã deducebatur, Puteolis, quæ ciuitas in sinu Neapolitano sita est, Christianos reperit, ac septem dies apud eos mansit. Act. 28.

¶ Romæ quoq; congregatio fidelium erat, priusq; Paulus eò adduceretur: idq; testatur eius epistola ad Romanos perscripta, circiter ultimum Claudij. Nominat aũt plures, qui tum Romæ fuerunt: ut Priscam, Aquilam, Epænetum, Andronicum, Iuniam, Ampliam, Vrbanum, Stachyn, Apellem, Aristobuli domum, Herodionem, Narcissi domum, Rufum, Asyncritũ, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Hermam, Philologum, Iuliam, Nereum, & Mariam, Triphenam, Tryphosam, Persidam, Olympã, tum uiros tum fœminas Euangelij propagationẽ adiuuantes. Porrò fratres accepto nuncio Paulum aduentare, ei usq; ad forum Appium & tres Tabernas obuiam procedunt, eumq; excipiũt. Deinde concionatur è carcere paulo liberiori, integro biennio: & plurimos tam Iudæos quàm gentes cõuertit. Sic in ipsis uinculis Paulus ministerio Euangelij fungitur, & hostibus à Deo modus statuitur, quatenus in hoc suum electũ organon sæuire debeant. Act. 28. Scribit Paulus ad Philippenses, quòd sua uincula etiã in prætorio sint manifestata, & quidã è familia Cæsaris uerbo Christi se adiunxerint: Philip. 1. & 4.

Scripserat statim post Christi crucifixionem Pilatus ad Tiberium, de Christo, eiusq; miraculis, & resurrectione: ac rem ad Senatum Tiberius referebat, postulans ut inter Deos referretur. Sed incertũ, an ea fama aliqui Romæ moti sint, ut in Christum uerè crederent. Videtur Eusebius lib. 2. cap. 14. asserere, Petrum sub Claudio Romam uenisse, ibiq; contra Simonem magum uerbo dimicasse. Libro primo Recognitionũ Clementis, Barnabas primus Romam uenisse, & ibi Ecclesiam plantasse refertur.

¶ Rauennæ Apollinarem docuisse, Nauclerus scribit. Barnabam etiam Lombardiam circuisse, & Mediolani uixisse, Bergomensis narrat. Hermagoras Aquileiæ docuit: Sabellicus Ennead. 7. lib. 4.

¶ In Dalmatia. nam Titũ eò profectũ, ad Euangelij plantationem, Paulus scribit 2. Timot. 4.

¶ In Illyrico. Paulus enim ait, se ab Hierosolymis usque ad Illyricum, repleuisse omnia loca Euangelio Christi. Rom. 15.

¶ In Galliam facta est tempestiuè propagatio uerbi. Euseb. lib. 3. cap. 4. affirmat, Crescentem in Galliam à Paulo missum: quamuis secunda ad Timotheũ, cap. 4. habeat Galatiam. Quædam historiæ de sanctis affirmant, Nathanaelem docuisse apud Bituriges in Gallijs, & apud Treuiros. & Lazarum resuscitatum Massiliæ: Saturninum Tolosæ.

¶ In Hispaniam Paulus se promittit iturum esse, Rom. 15. Verùm an eò peruenerit, incertũ est. Sunt qui affirment, postquam Romæ à Nerone dimissus esset, eò profectum esse.

Scribit

Scribit Auentinus, antiquitatis diligentißimus inuestigator, in Annalibus Boiorum, Lucium Cyrenensem, Pauli commilitonem & cognatum, in Vindelicia, Rhetijs, prouincijsq; Histro conterminis, Christianæ pietatis sementem feciße. Item se in actis sanctorum & Pontificum Laureacensium legere, sanctum Marcum (quẽ Paulus suum collegam uocat, eiusq; mentionem in epistola ad Timotheũ & Philemonem facit) in Norico Laureaci Euangeliũ docuisse, Christoq; ecclesiam aperuisse: quæ & diu ibi mãserit, & ampliata sit.

In quibusdam historijs sanctorum legitur, Crescentem Moguntiæ, Clementem Meti, Trophimum Arelati, Euangelium Christi tradidisse. Vitæ Tungrensium episcoporũ testantur, Maternũ, Eucherium & Valerium, à Petro missos esse, ut Treueris & Coloniæ docerent. Petrũ in Germaniam misisse Egistum, unum de septuaginta Christi discipulis, qui in Bardewick ad fluuium Elmenow, non procul ab eo loco ubi nunc Luneburga sita est, unà cum Mariano docuerit, & quòd ibi martyrij corona sint decorati, Henricus de Erphordia refert.

In Britanniam Simonem Zelotem uenisse, Nicephorus scribit lib. 2. cap. 4. Ioseph um Arimathiensem à Philippo apostolo post dispersionem ex Gallijs in Britãniam missum esse, circa annũ Domini sexagesimum tertium, eumq; toto uitæ suæ tempore in ijs terris doctrinã Christi tradidisse, Balæus ex Anglicis quibusdã scriptoribus, inter quos & Gildam nominat, asseuerat.

In Hibernia Iacobum unà cum alijs quibusdam docuisse, Vincentius scribit lib. 8. cap. 7.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONIBVS Ecclesiæ Christi, eiusq; tranquillitate.

QValem Ecclesia habitura esset statum, se interfecto, haud obscurè docet Christus, quòd inquit: Si me persecuti sunt, & uos persequentur, idq; postea euentus comprobauit. Ita tamen persecutionem cõtra suos fideles hoc seculo moderatus est Christus, ut propagatio in omnes fines orbis terrarũ iuxta promißiones fieri posset: licet paßim magistratus & alij impij, crescenti Euangelio se crudeliter opposuerint. Cum autem præcedenti capite, quæ cuilibet Euangelij ministro persecutiones propter uerbi Dei propagationem paßim acciderint, expositum sit, hic breuiores erimus.

De persecutione sub Tiberio.

QVomodo Iudæi contra Meßiam Hierosolymis grassati sint, superiori libro expositum est. eo aũt interempto, nondum erga credentes persecutio sedata est. nam Pontifices ac præcipui gubernatores Ecclesiastici regiminis, Hierosolymis insidiabantur cunctis qui Christo nomen dederant, & eius sectatores uidebantur. In primis tamen Apostolos cupiebant deletos, quos & in carcerem conijciebant: senatusconsulto promulgato, ne in nomine Christi prædicarent. Tantum aũt populi metu cohercebantur, ne quid crudelius contra eos susciperẽt. Tandem Stephanum diaconum, præstantem uirũ, lapidibus obruunt, & in alios quoq; Christianos faciunt inquisitionem, ac horrendis cædibus sæuiunt, ita ut cogerentur Christiani in alia loca confugere. Neq; uerò tantum Hierosolymis se continent, sed Christianos in alijs ciuitatibus habitantes, explorant Iudæi. Ducem aũt ea in re se præbet Saulus, is prauo legis zelo inflammatus, à sacerdotibus literas ad Iudæos Damascum habitantes, neq; in parua ibi auctoritate existentes, accipit, ut ipsorum auxilio omnes Christianos comprehenderet, & uinctos Hierosolymam traduceret. Conniuet aũt Pilatus, cæterìq; prosani homines, præsertim à Iudæis persuasi, non esse pestilentius hominum genus Christianis.

In hoc furore falsæ Ecclesiæ, texit tamen Apostolos suos Deus, qui remanebant Hierosolymis, & sublimbe excurrebant etiam in alia loca. Reprimebatur fortè etiam Iudæorum rabies, quòd ubi Pilatus ad Tiberium de Christo, eiusq; factis perscripsisset, Imperator Romæ à Senatu petebat, ut inter Deos Christus referretur. Fastiditus aũt Tiberius, ideo quòd non à Senatu primùm ea res proposita fuisset: rursus ægrè ei ferens uoluit, ac per edictum accusatoribus Christianorum cõminatus est mortem: id quod etiam Tertullianus refert in Apologetico aduersus gentes. Id edictum proculdubio etiam Pilato ac Iudæis habitantibus Hierosolymis notum fuit. Acceßit & hoc, quòd singulari maiestate insignis inquisitor Saulus, ante Damascum fuerat prostratus: quamuis pleriq; tanquam fortuitum quiddam irriserint. Acto. 9. scribitur, Ecclesias in Iudæa, Galilæa & Samaria, pacem habuisse: id quod triennio post Stephani necem, aut circiter, factum est.

Crimina quæ fuerint, superiori capite diximus: nempe quòd Christiani essent autores nouæ doctrinæ, euerterent ueterem religionis statum, crederent IESVM esse Meßiam, essent seditiosi, & agitarent peccauliares conuentus: essent maledici, taxarent peccata summorum hominum, & uaticinarentur de interitu Hierosolymorum, totiusq; Iudaici populi.

Modus persecutionis erat, quòd Christianos synagoga sua indignos iudicabant, pellebant in exilium, in carceres conijciebant, compellebant blaßphemare, uirgis cædebant, capite plectebãt, & lapidibus obruebãt.

Etsi autem Iudæi radicitùs conabantur extirpare Christianiſmum: tamen occasione huius persecutionis latius doctrina Christi est propagata. Nam Stephano occiso, undiq; diffunduntur Christiani, aliàs diutius mansuri Hierosolymis. Saulo maximè sæuiente, eius conatus ita infringitur, ut maximè potẽtiam suam declaret erga eum Christus, & ita eum conuertat, ut mox præclarè in ampliando regno Christi operam nauet. Facta autem hæc sunt primo post resurrectionem Christi anno, & aliquot sequentibus.

Memorabile & hoc est, quòd Iustinus, antiquus autor, in colloquio cum Tryphone de Iudæis memoriæ prodidit. Postquam, inquit, crucifixistis illum, solum innocentem iustumq; hominem, per quem sanantur ubices eorum qui per ipsum ad patrem accedunt: & cognouistis eum rediuiuum ascẽdisse in cœlum, sicut Prophetæ prædixerant: non solum non egistis scelerum pœnitentiam, sed selegistis certos homines Hierosolymis,

lymis, quibus per omnes terras dimißis, rumores sparsistis de Christianorum secta impia, confictis aduersus nos criminibus, quæ ab ignaris audiuimus. Hæc ilpaßim in ciuitatib. synagogas suas habebant: sed etiam ad ipsos reges ac magistratus, Iudæos scripsisse, ac Christianis inuidiam conflasse.

DE PERSECVTIONE SVB Caio Caligula.

FOedum portentum fuit Caligula, stupratis sororibus & cruentis cædibus clarus, Cæsar cõstituitur, anno Domini 39. regnauit annos 3. menses 10. Is secũdo imperij sui anno, Christi uerò 40 (ut Eusebius in Chronicis annotauit) Iudæos uehementer afflixit: & inter eos non dubium est, Christianos quoq; plurimos persecutionẽ tulisse. Occasio erat, q, non modò Hierosolymis statuã suam collocari, adorariq; præcipiebat, (quãuis ex Iosepho appareat, Iudæos acriter restitisse, & impedijsse ne templũ profanaretur) uerùm etiã paßim in alijs imperij Romani locis, ubi pleræq; gẽtes Cæsaris uolũtati obtemperauerũt. Referũt Iosephus, Eusebius, Egesippus & Philo, Alexandriæ hanc ipsam ob causam ingentes motus exortos, repugnantibus Iudæis, ne tam horribilis idololatria ibi publicè statueretur: Græcis uerò contrà nitentibus, Cæsari in hac parte gratificandũ esse. neq; res tantum uerbis, sed armis ac multo sanguine intrà ciuitatẽ acta est. Postea uix sedatur bellũ hoc inteſtinũ, facta cõuentione ut res ad Cæsarem deferretur, utrinq; certis mißis legatis. Verùm Caius Romæ Iudæos, qui inter alios & Philonẽ eò miserãt legatũ, acerbè tractauit. In istis furoribus, proculdubio Christiani quoq; plurimi, qui ex Iudæa Alexandriam uenerant, ac reliqui ex gentibus cõuersi, uehementer sunt afflicti & uexati. Huc accesserunt aliæ quasi priuatæ Apostolorum, & aliorum qui uel propagatum Euangelium IESV Christi cupiebant, uel illud amplexi sunt, persecutiones in ciuitatibus. Paßim enim & Iudæi & gentes, acriter se regno Christi opposuerunt. Morte autem repentina huius portenti, impiæ machinationes impeditæ sunt.

De persecutione sub Claudio.

CLaudius imperium accepit anno Domini 42. regno præfuit annos 13. menses 9. & admodum fuit uæcors. Etsi aũt ipse publicis edictis nullam aduersus Christianos moueret persecutionem: tamen quo minus per alios sub suo imperio fieret, non impediuit.

Circa tertium eius annum, Domini uerò quadragesimum quintũ, Herodes Agrippa regnum Iudææ ex liberalitate Caij & Claudij tenẽs, reuersus Hierosolymam Româ, in primis hoc egit, ut uideretur Iudaicæ religionis quàm studiosissimus. Cum autem Apostoli, cæteriq; Christiani docerent, totum Mosaicæ religionis statum exhibitione Meßiæ, qui Christus esset, nefarieq; à sacerdotibus crucifixus, iam abrogatum esse: neq; cõtingere remißionem peccatorum, obseruatione legalium, sed sola in Christũ fide: quasi zelo flagrans, ac simul sacerdotibus, qui proculdubio & suas quasdã faces subministrarũt, gratificans, aliquot Christi discipulos, ac simul Iacobum maiorem fratrem Iohãnis, Zebedæi filium, decollauit. Deinde & Petrum, diebus Azymorũ in uincula conijcit, eodẽ supplicio eũ affecturus exacto festo. Sed reliqui Christiani, ardentes pro eo preces faciũt. & noctu diuinitus ab angelo è carcere ducitur, tyrannidemq; regis, euadit, ut etiã antè cõmemorauimus. Repressa aũt est ea persecutio ultione diuina, quæ mox Herodem secuta est. Actor. 12. Eusebius lib. 2. cap. 9.

Anno sui imperij nono, Domini uerò 52. Claudius Iudæos Roma edicto publico exegit: Actor. 18. Orosius lib. 7. cap. 6. Suetonius in uita Claudij ait, Claudium Iudæos, impulsore Christo aßiduè tumultuãtes, Roma expulisse. Licet autem inde conijcere, Christianos simul exilio mulctatos esse. & fortè ea fuit hu ius sæuitiæ occasio, quòd Iudæi Romæ degẽtes, ita ferociter se opposuerunt Christianis: à quibus se fãlsitatis coargui, & uniuersam suam religionem destrui cernebant, ut seditiones etiam quasdam non sine ueriti contra eos concitare. cui rei uolens Claudius obuiam ire, ex urbe omnes remouendos esse censuit.

Priuatæ uarijs in locis, ubi uel Apostoli, uel alij synergi, doctrinam Christi sparserunt, persecutiones plurimæ factæ sunt: sicut in cap. De loco & propagatione, ex Actis Apostolicis commemorauimus. Primùm enim de persecutione Asiatica, quæ tamen singulis in locis absq; edicto imperatoris, tantum ab Iudæis obstinatis mota est, in genere Paulus loquitur, 2. Corinth. 1. Nolumus uos ignorare, fratres, de tribulatione, quæ accidit nobis in Asia: quoniam supra modum grauati sumus, supra uires, ita ut desperaremus & de uita. Etsi aũt de morbo aliquo, quo cũ conflictatus sit Paulus, etiam ista oratio accipi poßit: tamen quàm uarijs quasi tempestatibus in Asiaticis ecclesijs, Antiochiæ, Pisidiæ, Iconij, Lystris, in Galatia, Ephesi, alijsq; locis iactatus sit, ex historia liquet. Videtur etiam, crimina quædam, cõmuniter tam ipsi Paulo, quàm cunctis alijs Christianis obiecta, breuiter perstringere: ut quòd fuerint impostores, ignoti, pauperes, nihil habentes. De persecutione in Iudæa sic scribit Hebr. 10. Redeant uobis in memoriam superiores dies, in quibus illuminati, ingens certamen sustinuistis afflictionum: partim quidem, dum & probris & pressuris affecti, spectaculo fuistis omnibus: partim, dum consortes ita conuersantium facti estis. Siquidem & afflictionum quæ ex uinculis meis contigerunt, parcipes fuistis: & direptionem facultatum uestrarum cum gaudio accepistis, scientes uos habere in uobis potiorem substantiam in cœlis, ac manentem. Hierosolymis denique ipse Paulus à Iudæis Asianis magistratui traditus, & in uincula coniectus est, donec tandem Romam fuerit deportatus: ut suprà diximus.

In Macedonia aũt, Philippis, Thessalonicæ, Berrhœæ, Corinthi & Romæ, uarias sustinuit afflictiones Paulus cum socijs: de quibus cum præcedenti capite dictum sit, non est necesse hoc loco repetere.

Narrat Lucas in historia Pauli, Actor. 24. Felicem Iudææ præsidem à captiuo Paulo pecunias expectasse, qua se redimeret. Vnde apparet, interdum Christianos solutos esse à tyrannis sese pecunia liberare.

Diuinitùs itaq; Ecclesiam suam sub hoc imperatore gubernauit Deus: idq;, quo crescere felicius posset, ut tantum particulares in eam tyrannides sæuierint.

De persecutione sub Nerone.

CLaudius Domitius Nero, anno Domini quinquagesimo septimo nactus est imperium, quod administrauit annos 14. Primo quinquēnio bonus fuit: uerùm postea incestibus, cædibus, & omnis generis turpitudinibus ita creuit, ut uix quisquā eo flagitiosior inter Cæsares unquam fuerit.

Sicut autem Hierosolymis in IESVM Christum persecutio infausta cœperat, ita & deinceps ab ea non destitit. Anno enim Domini circiter sexagesimotertio, Neronis uerò septimo, Iacobus frater Domini ibi nefariè est interfectus. id uerò sic se habet. Ananus pontifex uir fuit supra modum sæuus, sectæ Iudaicæ addictus. is odio in Christianos æstuans, & unà cum alijs indignans, non succeßisse ex uotis suis, quod contra Paulum moliti fuerant, alios Apostolos adoriri statuit. Erat autem Hierosolymis Iacobus, ob insignem pietatem, grauitatem, doctrinæ dexteritatem, ac uitæ sanctimoniam cunctis gratus & charus, quasi Episcopum Christianorum ibi agens. ei iam diu insidias struxerant, quomodo optimum uirum de medio tollerent. Mortuo autem Festo præside, & Albino successore diutius in itinere hærente, ucluti interstitio regni, se opportunitatem & facultatem nactum esse ratus, Iacobum unà cum alijs Christianis arripuit. Crimina in iudicio tam Iacobo quàm cæteris obiecta fuere, quòd legem esset transgressus: hoc est, factus esset patriæ religionis apostata. & persuadere conantur, ut fidem Christi abneget. Iacobo autem perseuerante, & doctrinam Christi defendente, unà cum alijs ad lapidationem condemnatus est. Eusebius lib. 2. cap. 23. eandem historiam commemorat, & Iosephus libro Antiquitatum 20. cap. 8. Ex Egesippo refert Eusebius, Iacobum de pinna templi præcipitatum, deinde lapidibus ictum, & ad postremum fullonis instrumēto prorsus necatum esse.

Alexandriæ Marcus euangelista interfectus dicitur, circa annum Domini 64, Neronis autem 8.

Primus autem inter Cæsares fuit Nero, qui publicis quidem edictis, per prouincias, Christianos mandauit excruciari: sicut Tertullianus scripsit in Apologetico. Consulite, inquit, commentarios uestros: illic reperietis, primum Neronem in hāc sectam, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio sæuiisse. sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Idem in Scorpiaco, aduersus Gnosticos meminit. Occasio fuit, quod Nero clàm urbem iusserat accendi, ut spectaret formam Troiani incendij: arsitq; Roma sex integros dies. ea calamitas summam ei apud populum inuidiam conflauit, quam cum cæteris beneficijs eluere non posset, finxit Christianos eius cladis esse authores, & statim in eos horribiliter furere cœpit. Refert ista Tacitus lib. 15. hoc modo: Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitißimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos, uulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius CHRISTVS, qui Tiberio imperāte, per procuratorem Pontium Pilatū supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat non modò per Iudæam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quò cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturq;. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Acciderunt ista circiter sexagesimum sextum Domini, Neronis uerò decimum imperij annum: ac duravit ea persecutio annis quatuor, usq; ad huius bestiæ interitū.

Sub finem suum Nero præstantißimos duos apostolos, Petrum ac Paulum, Romæ scribitur interfecisse: quorum prior crucis, alter gladij supplicio est affectus. Eusebius lib. 2. cap. 25. Nonnulli affirmant, eodem die factum: alij uariant, diuersos quidem annos, sed eundem mensis diem constituentes. Refert Nicephorus lib. 2. cap. 36. Neroni ad hos uiros trucidandos occasionem præbuisse, quòd ingens hominum multitudo miraculis ipsorum stupendis accita, quotidie ad ipsos congregaretur: unde fortè seditiones timuit. Deinde, quia Simon magus, qui hominum animos adeò fascinauerat, ut pro Deo haberetur, ab eis diceretur peremptus: oratione nimirum ipsorū impeditus, ne dementaret homines, quasi in cœlum subuolaturus esset.

Grassata est hæc persecutio etiā in alijs locis. Nam circa hæc tempora Barnabas, Pauli comes initio, in Cypro martyrio coronatus est. Platina in uita Petri & Pauli.

DE PERSECVTIONE SVB Domitiano.

FLauius Domitianus, Vespasiani filius, Titiq; frater, Neroni potius quàm patri similis fuit. Imperium accepit anno Domini 83, & rexit annos quindecim. Vespasianus ac Titus quidem in Christianos nihil publicè asperius moliti sunt, fortè bello Iudaico, aliisq; molestijs occupati: nisi quòd in regiam Iudæorum gentem diligentiùs inquisiuerunt, politico partim fine, ne motus aliqui timendi essent: partim Diaboli instinctu, qui familiam Christi extremè oderat, atque efficax erat in filijs incredulis. Fortè hæc ipsa inquisitio aliquot Christianis, qui erant ex ea familia, mortem attulit. Superbia & crudelitate elatus Domitianus, Deum se, Dominumq́e à suis uocari uoluit: & circa 14. sui imperij annum, Domini uerò 97. atrocem publicis edictis cōtra Christianos persecutionem, alter à Nerone, promulgauit & exercuit. Romæ adeò sæuijt in Christianos, ut etiam Flauiæ Domicillæ, Flauij Clementis Romanorum consulum unius ex sorore nepti, non parceret, eamq; propter fidem in Christum in Pontianam insulam relegaret. Eusebius libro tertio, cap. 19. Eutropius lib. 9. Ephesi ex sua ecclesia excussus, & in Patmon insulam Iohannes euangelista est condemnatus. Eusebius lib. 3. cap. 18. Affirmat Nicephorus lib. 3. cap. 11. sub Domitiano Timotheum, Onesimum, & Dionysium Areopagitam, martyrio coronatos esse. Iussit præterea & ipse, sicut pater, interfici: ac dæos è regio Dauidis genere conquiri, & interfici: de quibus recitat Egesippi narrationem Eusebius lib. 3. cap. 20. quam & nos adscribemus. Supererant autem adhuc quidam de genere Domini, nepotes Iudæ, qui frater dicitur secundū carnem dicitur: quos detulerunt, tanquam ex stirpe

existentes

existentes è genere Dauidis. Hos iocatus ad Domitianum Cæsarem duxit. timebat enim ille aduentũ Christi, sicut & Herodes. Et interrogauit eos, num ex Dauide essent? Quod cum fassi essent: rursus interrogauit, quantas possessiones haberent, aut quantum pecuniarum possiderent? Illi dixerunt, ambobus tantum esse nouem denariorum millia, ita ut cuique dimidia eius summæ portio competat: & hanc summam non habemus in argento, sed in æstimatione telluris, quæ non amplius continet quàm triginta nouem iugera, ex quibus & tributa pendimus, & nos ipsos labore nostro sustentamus. Deinde manus etiam suas illi in testimonium, quòd ipsi per se operarentur, & corporis quoq; duriciem, & callos in manibus ex assiduis laboribus contractos, ostenderunt. De Christo etiam, & regno eius, quale nam illud, & quando, & ubi apparitурum esset, interrogati, responderunt: Non esse regnum eius mundanum, aut terrenum, sed cœleste & angelicum: futurumq; in consummatione seculi, quando aduenies in gloria, iudicaturus sit uiuos & mortuos, & redditurus unicuique secundum studia sua. His dictis, Domitianum eos non condemnasse ferunt, sed tanquam uiles homines contempsisse, ac liberos dimisisse: persequutionem quoque cõtra Ecclesiam motam, edicto suo sedasse. Dimissos uerò, ecclesijs præfuisse, ut qui simul & martyres essent, & de stirpe Domini descendissent: denique eos, pace facta, ad Traiani usque tempora in uita superstites fuisse. Hæc Egesippus. Tertullianus in Apologetico sic inquit: Tentauerat & Domitianus, prænomine Neronis: sed quia & homo, facilè receptum repressit, restitutis etiam quos relegauerat. Tales semper nobis insecutores, iniusti, impij, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, & à quibus damnatos restituere soletis.

DE TRANQVILLITATE sub Nerua.

NErua imperium suscepit anno Domini 99. regnauit anno uno, menses quatuor. de quo sic Dion Cassius scribit: Nerua omnes qui impietatis in deos rei fuerant, absolui uoluit: Christianos intelligens. Eusebius ad senatum Romanũ refert, quòd Domitiani decreta abrogarit, & exules iusserit reuocari: & hac data mitigatione, Iohannem Ephesum ad suam ecclesiam redisse. libro tertio, cap. 21. & in Chronicis. Etsi igitur tyranni, & reliqua Diaboli organa, subinde exitium intentarint Ecclesiæ Christi, tamen diuinitùs afflictiones interdum lenitæ sunt, & pij inter medias tribulationes permanserunt, ac latius Euangelium Dei sparserunt.

DE POENIS SEV VLTIONIBVS DIVINIS ADVERSVS PERsecutores & persecutiones Christianorum.

De Herode Antipa.

NVlli mortalium unquam fœliciter cessit rabies contra Deum, eiusq; uerbum suscepta: atque iram suam Deus in illustribus personis declarauit, & literis mandari uoluit, ut posteritati exempla iræ atq; ultionis diuinæ nota essent: tum ut impij nonnihil sese retraherent, neque pro temeritate atq; malorum stimulis iniustam erga cultores Dei ueros sæuitiam exercerent, nisi easdem sibi calamitates obstinatè accersere uellent: tum ut pij hac consolatione se erigerent & sustentarent, quod habeant protectorem uigilem atque acrem, qui suo tempore grauissimas de tyrannis cruentis atque superbis pœnas sumere & uelit & possit. Memorabilia igitur quædam huius temporis exempla Lectori commemoranda sunt.

Herodes Antipas, præstantissimum uirum ac peculiarem Messiæ præconem, præter fas & æquum, in gratiam suæ meretriculæ, indicta causa, capite truncauerat. Deinde & ipsi Christo insidias tetenderat, & postea à Pilato sibi exhibitum aulicè irrisserat, & cum contumelia à se dimiserat. Etsi autem ipse, omni timore Dei prorsus uacans, nullos inde conscientiæ terrores aliquandiu senserit, tamen postea ultio diuina eum corripuit. Nam cum anno secundo Caij Caligulæ, Domini uerò 40, Herodiadis frater Agrippa, Roma rediret, dignitate regia ornatus, à meretricula excitatus est, ut & ipse regium titulum ab Imperatore flagitaret: eamq; ob causam Herodes unà cum Herodiade Romam iter faciunt. Agrippa factus ea de re certior, Caio scribit, ne fidem Herodi habeat, quem constet arma ad bellum præparare, fœdere inito cum Persarum rege: easq; literas celerrimè perferri curat ad Cæsarem, ita ut unà cum Herode ad Cæsarem peruenirent. Caius cum nulla alia re magis q̃ seditionis affectatione permoueri posset, Herodẽ initio blandè suscipit: ac deinde percontatur, nunquid armorum in promptu haberet? Herodes respondit, se regio apparatu instructum esse. His auditis, putauit Caius, satis insidias esse probatas: ac Herodem in perpetuũ exilium, Lugdunum in Galliam, condemnauit, donatis omnibus eius bonis Agrippæ per literas. Herodiadi uerò, propter Agrippam fratrem, quasdam possessiones decreuit relinquere, unde se uitæ suæ tempore sustentaret. sed mulier significauit, se pro cõiugali amore, maritum in hac sua calamitate deserere honestè non posse, cum quo antea rebus secundioribus usa fuisset. Caius magnanimitate cognita, simul eam in exilium abire præcipit. Hac ratione arrogantis meretriculæ instigationibus obtemperans Herodes, cum ipsa, bonis, gloria ac patria exutus, miserrimè in Gallia uitam finijt. Iosephus Antiquitatum lib. 18. cap. 9. Eusebius libro 2. cap. 4.

De Pontio Pilato.

QVàm iniustè Pilatus in Christum innocẽtem, in gratiam Iudæorum, iram Cæsaris ei minitantium, sententiam tulerit, quamq; crudeliter eum tractarit, superiori libro expositum est. Fecit præterea alia multa tyrannicè in Iudæos: & ad quælibet mãdata Cæsaris, quantumuis impia, expediẽda promptus ac paratus, etiam Caij Caligulæ idolum molitus est in templum Hierosolymitanum collocare. Vltio igitur diuina tandem eum, sub annum Domini 42, Caij ucrò tertium, inuasit. Nam de iniusta crudelitate à Iudæis accusatus, Romam ire à L. Vitellio Syriæ præside iussus est, responsurus ad obiecta. dumq; est in itinere, Tiberius expirat, ut narrat Iosephus Antiquit.

lib. 18. cap. 5. Scribit porrò Eutropius lib. 7. Tantis eum, irrogante Caio, angoribus coartatum esse, ut sua se transuerberans manu, malorũ compẽdium mortis celeritate quæsierit. De his Græcos quoque in historijs testari, Eusebius dicit lib. 2. cap. 7. Narrat insuper Nicephorus lib. 2. cap. 10, Pilatum ideò maximis Romæ affectũ esse contumelijs, quòd Maria Magdalena Romam adierit, & Seruatoris res ibi retulerit. Verùm hæc non habent alium certiorem autorem.

De Herode Agrippa.

NOn diu tulit inultam cædem, quam erga Iacobum, fratrem Iohannis, Hierosolymis perpetrauerat, Herodes Agrippa. Nam paulo pòst Cæsaream profectus, horribili morte periit. Historiam recenset Lucas, certißimus testis, Actor. 12. his uerbis: Statuto die Herodes uestitus uestε regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei uox, & nõ hominis. Confestim autem percußit eum angelus Domini, eo quòd nõ dedisset honorem Deo: & consumptus à uermibus expirauit. Prolixior aliquanto narratio in Iosepho Antiquitat. lib. 19. cap. 7. extat, quàm, ut Lectori gratificemur, adscribemus. Iamq; tertium, inquit, Iudææ totius regni annum exegerat (Herodes) cum peruenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est: ubi solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris. ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia. Eius celebritatis die secunda processit manè in theatrum, amictus uestε tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radijs orientis solis perculsa, & diuinum quendam fulgorem emittens, uenerationem cum horrore incutiebat spectantibus. moxq; adulatores pernicioſi alius aliunde acclamantes, Deum consultabant, rogantes ut faueret propitius. hactenus enim ut hominẽ reueritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigauit, nec repulit: pauloque post suspiciens, uidit supra caput suum bubonem funi extemo insidentem: moxq; ut sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim fœlicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit. secuta sunt uentris tormina, statim à principio uehementia. conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille uestra appellatione Deus, uitã relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente uestrum mendacium: & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferẽda est uolũtas cœlestis numinis, neq; enim malè uiximus: imò tanta fœlicitate, ut omnes me beatum prædicent. Hæc locutus, crescente dolore discruciabatur. Properè igitur relato in regiam, rumor sparsus est, breui esse moriturum. quamobrem confestim totus populus, unà cum uxoribus atque liberis, saccum indutus more patrio, supplicabat Deo, pro salute regis, omnia miscens lamentis & eiulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, et in faciem stratos humi prospiciens, non temperabat sibi à lachrymis. Cruciatu deinde, per continuos quinq; dies nihil se remittente, confectus uitam finijt, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium. Quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnũ: primùm in Philippi tetrarchia per trienniũ, cui quarto demum anno accessit & Herodis tetrarchia: tribus deinde annis sub Claudio Cæsare, præter iam dictam ditionem, in Iudæa quoq; regnauit, & Samaria, simulq; Cæsarea. Eadem ex Iosepho cõmemorat Eusebius lib. 2. cap. 10. Facta sunt hæc anno Christi 45, Claudij tertio.

De pœnis Cæsarum, qui Christianos afflixerunt.

FVerunt proculdubio plurimæ calamitates tũ publicæ in imperio Romano, tum etiã priuatæ uitio nes diuinæ, quas Deus non tantũ propter alia tetra facinora, quibus Cæsares præ alijs hominib. fœdũ in modum se polluerũt, sed omniũ maximè propter afflictiones atroces Christianorum irrogauit. Præcipuè tamen hoc in loco tragicos ipsorũ exitus paucis attingemus.

Caius Caligula, ob tyrannidem, & alia diabolica facinora, cunctis honestis erat inuisus. Tandem autem contra eum coniuratio facta, & in ipso palatio pluribus uulneribus est confossus. Cadauer eius clam est in hortos Lamianos asportatum, & semiambustum leui cespite obrutum, ut scribit Suetonius.

Claudius ueneno interijt, quod ipsa coniunx Agrippina, fratris Germanici filia, præbuerat. Eutropius libro octauo.

Neronis turpitudinem & scelera, ipse populus Romanus tolerare diutius non potuit, & exercitus Galbam in Hispania imperatorem creauit. De exitu eius sic Eutropius lib. 8. scriptum reliquit: Sententia senatus constitutum est, ut nudus per publicum ductus, furca collo eius inserta, uirgis usque ad mortem caederetur, atq; ita è saxo præcipitaretur: igitur desertus nutdiq;, è palatio fugit, noctis medio urbem egressus, sequentibus eum Phaone, Epaphrodito, Neophytoq; & spadone Sporo, quem quondam exectum formare in mulierem tentauerat: & in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariam & Nomentanã uiam, ad quartum urbis miliarium, ictu gladij transegit: adiuuante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho: quum sanè prius nullo reperto, à quo feriretur, exclamaret, Ita ne nec amicum nec inimicum habeo? Decoroſè uixi, turpius pereã. Describit eadẽ et Suetonius.

Domitianus quoque non sine sanguine occubuit. nam in cubiculo à suis proprijs ministris, conscia etiam uxore Domitia, multis uulneribus trucidatus est. Sepultus autem Romanus cadauer eius populari fauore, pila per uestibulum, contumelioſè more gladiatorio efferri iußit. Suetonius. Eutropius.

Visum est & hoc subijcere. Anno Christi 66, Neronis 10, (ut in Chronicis assignauit Eusebius) Hierapolis, interfectrix Philippi, terræmotu concidit, una cum uicinis ciuitatibus Laodicea & Colossis.

De pœnis Iudæorum.

QVantæ clades in toto populo Israelitico, propter fastiditum tempus uisitationis suæ, Messiam interfectum, Apostolos & reliquos Christianos, diuina ultione consecutæ sint, infrà in cap. De rebus Iudaicis, fusius Deo dante exponetur. Hannam, Caypham, cæterosq; Pontifices, Scribas & Pharisæos, qui persecutionem contra Christum, & credentes in eum uel mouerant, uel adiuuerant, graues uariasq; pœnas Deo de-

Deo dedisse, Nicephorus lib. 2. cap. 10. asseuerat. Fuerunt aũt priuatæ calamitates, quòd subinde Pontifices ab impijs regibus dignitate deiecti, ac facultatibus spoliati sunt. Deinde publicæ, quòd crudelitate Ethnicorum præfectorum & bellis uehementer oppressi sunt. Tandem miserabiliter & funditùs sunt per Vespasianum ac Titum deleti. Hæc modò breuiter attingere uisum fuit: integram uerò huius loci explicationem infrà, de rebus Iudaicis, Lector expectet.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

DE toto genere doctrinæ à Domino nostro IESV Christo, filio Dei, et Spiritu sancto doctore traditæ, dictũ est libro superiori: nũc quid Apostoli de ijsdem capitibus senserint & docuerint, eodem modo commemorabimus. Non enim inutile fuerit, considerare totam doctrinæ Apostolicæ formam, quam in schola Domini nostri IESV Christi ex ipsius ore perceperunt, & misso cœlitus spiritu sancto exactius intellexerunt, & confidentius per totum orbem terrarum euulgarunt. Nam ita fiet, ut perpetuus & unanimis Christi et Apostolorum de doctrina cœlesti agnoscatur cõsensus, ad quẽ oporteat Ecclesiam omnium temporum esse alligatam: & à quo discedẽtes, certissimum sit, à ueritate diuina, magis quàm à toto cœlo, quod dicitur, aberrare.

De uerbo Dei.

Λόγος & ῥῆμα, Verbum & Sermo, crebrò in Apostolorum scriptis usurpantur, ferè pro eodem. Plures aũt habẽt significationes. Nam interdum significat eloquentiã, aut etiam garrulitatẽ. 1. Cor. 4. Veni ad uos uenam, si Dominus uoluerit, ut cognoscam, non quidem sermonem eorum qui inflati sunt, sed uirtutẽ. Non enim in sermone regnũ Dei consistit, sed in uirtute. 1. Corinth. 2. Cum uenirem ad uos, fratres, non ueniebam cum eminentia sermonis aut sapientiæ. Nonnunquam orationem & colloquium. Colossen. 3. Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat uos unicuique respondere. Ephes. 4. Omnis sermo spurcus ex ore uestro non procedat: sed si quis est bonus, ad ædificationem. Interdum significat prædicationem & doctrinam. 1. Corinth. 2. Sermo meus, et prædicatio mea, nõ erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus, & potentia. Et paulo pòst: Loquimur non sermonib. quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus sanctus. Act. 13. Rogabãt gentes, ut sequẽti sabbatho loquerentur sibi uerba. 1. Iohan. 2. Præceptum uetus est sermo, quẽ audistis ab initio. Act. 15. Conuenerũt Apostoli ac presbyteri, ut disputarent de hoc uerbo: id est, de doctrina Pharisæorũ. Nonnunquã etiam pro doctrina hæretica accipitur, sed addito aliquo epitheto. Ephes. 5. Nemo uos seducat inanibus uerbis. 2. Pet. 2. Per auariciã fictitijs sermonib. negociabũtur de uobis. Et cum fastuosa uanitatis uerba fonuerint, &c.

Significat etiã sententiam, seu summam. Galat. 5. Nam tota lex in uno uerbo completur, nempe hoc, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

In solius autem Iohannis scriptis, in duobus locis, Iohannis 1, & 1. Iohan. 5. λόγος, uerbum seu sermo, significat filium Dei.

Porrò uerbũ Dei aliàs significat diuinã illam potentiam & uirtutẽ, qua Deus cõdidit & cõseruat creaturas, easq; iterum quãdo placet destruit. Autor epistolæ ad Ebr. cap. 1. Qui cum sit splẽdor gloriæ, expressa imago substãtiæ illius, & ferat omnia ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, uerbo potẽtiæ suæ, p semetipsum, purgatione facta peccatorũ nostrorum, cõsedit in dextera maiestatis in excelsis. Idem Ebræ. 11. Fide intelligimus aptata esse secula uerbo Dei. 2. Pet. 3. Nam illud uolentes nesciũt, quòd cœli iã olim fuerint, et terra, ex aqua, & per aquã cõsistentes, τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ, sermone Dei, per quæ is q tunc erat mũdus aqua mundatus periit. At qui nũc sunt cœli ac terra, αὐτοῦ λόγῳ, eiusdẽ sermone repositi sunt, & seruãtur igni in diem iudicij & perditionis impiorũ. Vnus est locus Apoc. 19. ubi uerbum Dei uidetur notare filiũ Dei. inquit enim: Equò albo insidẽs, uocatur Verbũ Dei, &c. & ipse calcat torcular uini, & iræ Dei omnipotentis. Sed propter mysticum sensum q in eo libro est, hæc quoq; phrasis obscurior est, et uidetur sentẽtia huius capitis cõgruere cum Pauli dicto 2. Thess. 2. q. Christus spiritu oris sui, hoc est, doctrina uerbi Dei, Antichristum sit confecturus.

Aliàs significat sententias, doctrinã, & præcepta, quæ Deus siue immediatè, siue mediatè, siue per prophetas & patriarchas, siue per Christũ, siue per Apostolos locutus est, tũ de sua essentia, tum de sua uoluntate, tũ de operib. suis, seu præteritis, seu præsentibus, seu futuris. Quia uerò ea Dei doctrina libris ueteris et noui Testamenti inscripta est, ideò tota sacra scriptura Verbum Dei rectè appellatur: & quocunq; tempore ea doctrina Dei ab hominibus repetitur, siue cogitando, siue legendo, siue scribẽdo, siue concionãdo, siue canendo, siue alio quocũq; modo, est & manet uerbum Dei, estq; Deus per eam efficax in ijs qui saluantur.

Ea uerò quæ Deus in ueteri Testamento loquutus est, uel immediatè, uel mediatè per patriarchas & prophetas, Verbum Dei seu Domini appellari, hîc nõ est opus docere, cum toties prophetæ repetãt: Audite uerbum Domini, Videte uerbũ Domini, Sic Dominus locutus est, Factũ est uerbũ Domini ad me, & similia. Et Paulus dicit Rom. 2. Iudæis cõmissa sunt oracula Dei.

Sed Verbum Dei significare doctrinam à Deo per Christum, eiusq; Apostolos, misso spiritu sancto propagatam (qua quidẽ significatione hoc loco nos accipimus) hæc probant testimonia. Loquebantur sermonem Dei cũ fiducia: Act. 4. Non est placitũ, ut nos derelicto sermone Dei, ministremus mẽsis: Act. 6. Illi dispersi peragrabant, annunciantes sermonẽ Dei: Act. 8. Cum audissent Apostoli, q. Samaria recepisset sermonẽ Dei: ibid. Annunciauerunt sermonẽ Dei in synagogis eorũ. Act. 13. Procõsul Sergius desiderabat audire sermonem Dei. Et paulo pòst: Admirans super doctrinã Domini. Item, Vobis oportebat loqui sermonem Dei. Item, Vniuersa ciuitas conueniebat audire uerbũ Dei. Item, Diuulgabatur sermo Domini per uniuersam regionem: Act. 13. Fuit Paulus in Corintho annum & sex menses, docens eos sermonem Dei: Acto. 18. Crescebat sermo Dei, & confirmabatur: Act. 19. Sermo Domini multiplicabatur: Act. 12. 1. Pet. 1. Verbũ Domini ma-

net in æternum. Hoc aũt est uerbum, quod per Euangelium delatum est ad uos. Idem, 1. Petri 4. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. 1. Thessal. 1. A' uobis personuit sermo Domini, non solum in Macedonia & Achaia, sed etiam in omni loco fides uestra, quæ est in Deum, dimanauit. Apocal. 1. Cum misisset mandatum suum seruo suo Iohanni, qui testificatus est sermonem Dei, & testimoniũ IESV Christi. Et paulo pòst: Fui in insula quæ appellatur Patmos, propter sermonem Dei, & testimonium IESV Christi.

Sunt autem & alia epitheta, quæ uerbo subijciũtur. nam Verbum Christi, Coloss. 3. & Sermo Domini, Act. 12. 13. Verbum ueritatis, Coloss. 1. & Ephes. 1. & Iacobi 1. Veritatis & uirtutis, 2. Cor. 6. & Verbũ uitæ, 1. Ioh. 1. & Philipp. 2. Act. 5. Sermo crucis, 1. Cor. 1. Sermo salutis, Act. 13. Sermo gratiæ, Act. 14. Verbum solatij, Ebr. 13. Verbum Euangelij, Act. 15. appellatur.

Vtuntur etiam alijs notationibus, quales sunt: Erãt perseuerantes in doctrina Apostolorum, Actor. 2. Ecce replestis Hierosolymam doctrina uestra: Act. 5. Doctrina Christi: 2. Iohan. 1. Obedistis ex animo in eam, in quam traducti estis, formam doctrinæ, Rom. 6. Doctrina sana, Tit. 1. Testimonium Dei, 1. Corinth. 2. 1. Iohan. 5. Testimoniũ IESV Christi, Apoc. 1.

Docent aũt constanter omnes Apostoli uno ore, se doctrinæ suæ non esse inuentores, sed eius autorem esse Deũ patrem, Dominũ nostrum IESVM Christum, & spiritum sanctũ. Act. 4. Petrus & Iohannes respõdent cõcilio Iudæorum: An iustum sit in conspectu Dei, uos potius audire q̃ Deum iudicate. Non enim possumus, quæ uidimus & audiuimus, nõ loqui. Et Act. 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Et paulo pòst: Hunc principem & seruatorẽ Deus exaltauit dextera sua, &c. & nos sumus ei testes horum quæ dicimus, & spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus ipsi. 2. Pet. 1. Non enim arte cõpositas fabulas sequuti, notam uobis fecimus Domini nostri IESV Christi uirtutẽ & aduentũ, sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Paulus Roman. 1. Resurrexit è mortuis IESVS Christus Dominus noster, per quẽ accepimus gratiam, ac muneris Apostolici functionẽ, ut obediatur fidei inter omnes gẽtes. 1. Corint. 2. Nobis aũt reuelauit Deus per spiritũ suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, &c. Nos aũt mentem Christi tenemus. 2. Cor. 2 Ad hæc quis idoneus? Non enim sumus, ut pleriq; cauponãtes sermonẽ Dei: sed uelut ex synceritate, uelut ex Deo, in cõspectu Dei per Christũ loquimur. 2. Cor. 5. Deus posuit in nobis sermonẽ recõciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquã Deo obsecrante uos per nos, rogamus pro Christo, recõciliamini Deo. Gal. 1. Notũ uobis facio fratres, Euangelĩ quod prædicatum est à me, nõ esse secundũ hominem: neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationẽ IESV Christi. Autor epistolæ ad Ebræ. Salus primùm enarrari cœpit per ipsum Dominum, ab ijs qui audierãt, & in uos cõfirmata est, attestante Deo, & signis & prodigijs simul, uarijsq; uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus. 1. Ioha. 1. Hæc est annũciatio, quã audiuimus ex ipso, & annunciamus uobis, q̃ Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.

Sed tamen nõ negant se esse causam instrumẽtalem, seu organa à Deo præparata, per quæ Deus doctrinam suam doceat & spargat. Act. 4. Et nunc Domine aspice in minas eorum, & da seruis tuis, ut in omni fiducia loquantur sermonem tuum, manum tuam porrigendo in hoc, ut sanatio & signa & prodigia edantur per nomen sancti filij tui IESV Christi. Christus Act. 9. dixit ad Ananiam: Vade, quoniam organum electum est mihi iste, ut portet nomen meũ coram gentib. & regibus, ac filijs Israel. Act. 15. Petrus inqt: Vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, ut per os meũ audirent gentes uerbũ Euãgelij, crederent q̃. Rom. 15. Non enim ausim loqui quicquam eorum quæ non effecit Christus per me, in obedientiã gẽtium, uerbo & facto, per potentiã signorũ ac prodigiorũ, per potentiã Spiritus Dei. 1. Cor. 3. Quis igitur est Paulus? quis aũt Apollo? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit. Ego plãtaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incremẽtum. Paulo pòst: Etenim Dei sumus cooperarij: Dei agricolatio, Dei ædificatio estis uos. iuxtà gratiã Dei, quæ data est mihi. 2. Cor. 3. Non q̃ idonei simus, ex nobis ipsis cogitare quicquã, tanquam ex nobis ipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui fecit nos idoneos ministros noui Testamẽti, non literæ, sed spiritus. 2. Corinth. 4. Habemus autem thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis.

Non tantum iactitãt, sed etiã demõstrant, suam doctrinã cõsentire cum doctrina patriarcharũ et prophetarũ. Petrus enim & Iohãnes Act. 3. inquiũt: Quin & omnes prophetæ, à Samuele, atque deinceps, quotquot locuti sunt, etiã annunciauerũt dies istos. Act. 10. Huic omnes prophetæ, &c. Iacobus Act. 15. in cõcilio inquit: Simeon narrauit, &c. & huic consonãt uerba prophetarum, sicut scriptũ est, &c. Et Paulus Act. 18. exponebat, testificãs regnũ Dei, suadẽsq; eis de IESV ex lege Mosi & prophetis, à mane usq; ad uesperã. 1. Pet. 1. Quibus & illud reuelatũ est, q̃ haud sibi ipsis, imò nobis ministrarẽt, hæc quæ nũc annũciata sunt uobis, per eos q uobis prædicauerũt Euangeliũ, per Spiritũ sanctũ emissum è cœlo, in quæ desiderãt angeli prospicere.

Vbi aliquid dicũt ex se ipsis, & non ex uerbo Dei, non pudet eos id fateri palàm & ingenuè, ne laqueos cõscientijs ponãt. Petrus Act. 15. in concilio Apostolorum: Nunc ergo quid tentatis Deũ, ut imponatur iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Rom. 9. Non aũt hæc loquor, quòd exciderit sermo Dei. Non enim omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel. 1. Cor. 7. Hoc aũt dico iuxta indulgentiã, non iuxta præceptũ. Et paulo pòst: Ad coniugatis præcipio, non ego, imò Dominus: Vxori à uiro ne separetur. Et paulo pòst: Reliquis aũt ego dico, nõ Dominus. Et iterũ: De uirginib. præceptũ Domini nõ habeo, consiliũ tamen do, tanquam misericordiam cõsequutus à Domino, in hoc ut sim fidelis. 2. Corinth. 11. Quod dico, nõ dico secundum Dominum, sed uelut per insipientiam, in hoc argumento gloriationis. 1. Thess. 4. Dicimus uobis hæc in uerbo Domini.

Ad doctrinã suã adeò uolunt omnes alligatos esse, ut dissentientes, & aliud docentes, prorsus damnent, execrẽtur, & audiri uetent. 2. Pet. 3. Memores sitis uerborum, quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, et mandati nostri,

nostri, q sumus Apostoli Domini & seruatoris. 1. Iohan. 4. Charissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint: quoniã multi pseudoprophetæ exierũt in mundũ, &c. Omnis spiritus qui non cõfitetur IESVM Christũ in carne uenisse, ex Deo nõ est, & hic est ille spiritus Antichristi. 2. Iohã. Si quis uenit ad uos, & hãc doctrinã nõ affert, ne recipiatis eum in domũ, nec aue ei dixeritis. Gal. 1. Si nos, aut angelus è cœlo aliud Euangeliũ prædicauerit uobis, q̃ no prædicauimus, anathema sit. Colos. 1. Nec dimoueamini à spe Euãgelij, quod audistis, q̃ prædicatũ est apud uniuersam creaturã quæ sub cœlo est. Hinc sunt illa certamina Pauli, Petri & Iohãnis cõtra pseudoapostolos, Antichristũ, Epicureos, & id genus erroneos spiritus.

Docent aũt, duo uerbi Dei, seu suæ doctrinæ summa esse capita, Legem seu concionẽ pœnitentiæ, & Euangelium uel concionẽ de remissione peccatorũ. Nam in omnibus concionib. suis quæ à Luca in Acta sunt relatæ, et in Epistolis suis, hæc duo tractãt: Delictorũ pœnitentiã agite, & baptisetur unusquisq; uestrũm in nomine IESV Christi, in remissionẽ peccatorũ. Actor. 2. Pœniteat uos igitur, & cõuertimini, ut deleantur peccata uestra. Act. 3. Petrus ad Simonem magũ ait: Pecunia tua tecum sit in perditionẽ, &c. resipisce igitur ab ista malitia tua, et roga Deũ, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui. Act. 8. Et Paulus ipse in synodo quã in Mileto congregauit, accersitis ex Epheso presbyteris, testatur suæ doctrinæ capita fuisse Legẽ & Euangeliũ, &c. Vt nihil suffugerim eorũ quæ essent in rem uestrã, quin annunciarẽ uobis, et docerem uos publicè, ac per singulas domos, testificãs Iudæis simul & Græcis eam quæ erga Deũ est pœnitentiã, ac fidem quæ est erga Dominũ nostrum IESVM. Act. 20. Idem in concione corã Festo & Agrippa inquit: Vnde, rex Agrippa, non fui inobediens cœlesti uisioni, sed his qui sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & per omnem Iudææ regionem, deinde & gentibus annũciabam, ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, opera facientes digna his qui resipuissent. Actor. 26.

Quòd uerò in Epistolis suis eadem capita, scilicet concionem legis & Euãgelij tradiderint, atq; ita totam hominis conuersionem complexi sint, non est necesse multis declarare. In literis Pauli, præsertim ad Romanos, & Galatas, & Ephesios, conspicuum est omnibus, eũ primùm demonstrare, omnes homines esse peccatores. Deinde docere, peccatores gratis, sola fide, absq; operibus legis iustificari. Tertiò, iustificatis præscribere bona opera ex lege diuina. In alijs uerò Epistolis, ubi quasi ex professo ad bona opera renatos hortatur, nihilominus tamen subinde doctrinã de iustificatione aut præsupponit, aut repetit loco argumenti, cur facienda bona opera. Idem artificiũ in Epistolis Petri & Iohannis facile est cernere. Et epistolæ Christi ad septem ecclesias Asiæ, quas Iohanni dictitauit, quæ extant Apocal. 2. & 3. ad eundem sunt cõpositæ modum.

Verbũ Dei, seu doctrinã Apostolorũ non esse rem inanem & mortuã, sed habere diuinã et efficacem uirtutem, cùm Apostoli affirmãt, tum experientia testata est. Angelus Domini è carcere euocãs Apostolos, inquit: Ite, & stãtes loquimini in templo, populo, omnia uerba uitæ huius. 1. Pet. 1. Petrus uerbũ Dei, euangelisatum per Apostolos, appellat semen immortale uiuentis Dei, & manentis in æternum. Stephanus Act. 7. legem etiã uocat uiuum sermonem. Paulus Rom. 1. Euangeliũ uirtus Dei est, ad salutem omni credẽti. Euangelium nostrũ fuit erga uos, nõ per sermonẽ solum, uerùm etiã per uirtutem, & per spiritũ sanctũ, perq; certitudinem multã, 1. Thess. 1. Euangeliũ quod puenit ad uos, in toto mundo fructificat, Coloss. 1. Autor epistolæ ad Ebræ. 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quouis gladio utrinq; incidẽte, ac pertingens usq; ad diuisionẽ animæ simul ac spiritus, cõpagumq; & medullarũ, & discretor cogitationũ & intentionũ cordis.

Tribuũt aũt uerbo Dei duplices effectus: alios quos præstat in ijs q saluãtur. alios in ijs qui damnãtur: alios itẽ legi, alios euãgelio, ut distinctim in suis dicetur locis.

In ijs qui saluantur, Deum per uerbum Dei seu doctrinã Apostolorum, & ministerium, hæc operari, docent: Regenerationem. 1. Pet. 1. Renati nõ ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem uiuentis Dei, & manentis in æternũ. Gal. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. 1. Cor. 4. Si quidem in Christo IESV per Euangelium uos genui. Autor Epistolæ Iacobi 5. Genuit nos uerbo ueritatis. 1. Iohan. 3. Qui natus est ex Deo, peccata non cõmittit, quoniã semen ipsius in eo manet. Agnitionem Dei & Christi. 1. Pet. 1. Sperate in eam, quæ ad uos defertur, gratiã, dum uobis patefit IESVS Christus. 1. Iohan. 3. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, nõ audit nos. Ephes. 3. Mihi minimo omnium sanctorũ data est gratia hæc, ut inter gentes euãgelizem imperuestigabiles diuitias Christi: & in lucem proferã omnibus, quæ sit cõmunio mysterij, quod erat absconditũ à seculis in Deo, qui uniuersa condidit per IESVM Christũ ut nota fiat nũc principatib. in cœlestib. per Ecclesiã, uehemẽter uaria sapiẽtia Dei. ad Titũ 1. Deus patefecit sermonem suum, id est, promissionẽ de uita æterna, per prædicationem, quæ cõmissa est mihi, iuxta delegationẽ seruatoris nostri Dei. Paulus 1. Thess. 2. Cum acciperetis sermonem à nobis, quo Deũ discebatis, accepistis nõ sermonẽ hominũ, sed (sicut uerè erat) sermonem Dei, qui & agit in uobis credẽtibus. Donationem Spiritus sancti. Petrus in prima concione Act. 2. Pœnitentiã agite &c. & accipietis donũ spiritus sancti. Act. 8. Petrus & Iohãnes missi ad Samaritanos, q sermonẽ Dei receperãt, imponebãt eis manus, accipiebãtq; spiritũ sanctũ. Act. 9. Ananias ad Saulũ inquit: Saul frater, Dominus misit me, q apparuit tibi in uia qua uenie bas, ut uisum recipias, & implearis spiritu sancto. Act. 10. Adhuc loquẽte Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebãt sermonẽ. Et Petrus Act. 9. in apologia sua aduersus Iudæos, inter cætera inqt: Cum exorsus essem sermonẽ, illapsus est spiritus sanctus in illos, quemadmodum & in nos fuerat illapsus ab initio. 2. Pet. 1. Postquam eius diuina uirtus omnia nobis largita est, quæ ad uitam & pietatem pertinent, per agnitionem eius qui uocauit nos per gloriam & uirtutem, per quæ preciosa nobis ac maxima promissa donata sunt, ut per hæc efficerenini diuinæ consortes naturæ. 1. Ioh. 3. Qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo: & per hoc scimus, q manet in nobis, è spiritu quẽ nobis dedit. Idem cap. 4. Ex hoc cognoscimus

in eo nos manere, & ipsum in nobis, quòd de spiritu suo dedit nobis. Et Paulus 2. Corinth. 1. Nam Dei filius, qui per me & Syluanum & Timotheum inter uos prædicatus est, nõ fuit etiã & non, sed etiam per ipsum fuit. Et paulo pòst: Qui etiam obsignauit nos, deditq; arram spiritus in cordibus nostris. Gal. 3. Hoc solum cupio discere à uobis, utrum ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Et rursus: Qui igitur uobis subministrat spiritũ, & operatur uirtutes in uobis, utrum ex operib. legis, an ex prædicatione fidei id facit? Ephes. 1. Per quẽ audistis uerbũ ueritatis, nempe Euangeliũ uestræ salutis: per quem etiã, postq; credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto. Conuersionẽ & fidem. Act. 2. Prima cõcione Petri, ad fidẽ conuertũtur animæ circiter ter mille. Acto. 8 Samaria per concionẽ Philippi credit in IESVM: & eunuchus interpretante Philippo locum Esaiæ, agnoscit Christũ, & credit in eũ, & baptisatur. Act. 11. Viri Cyprij & Cyrenenses Antiochiã ingressi, Græcis prædicãt Dominũ IESVM, & erat manus Domini cum eis, multusq; numerus credentiũ cõuersus est ad Dominũ. Act. 14. Deus aperuit ostiũ fidei gentibus. Act. 16. Lydia audit Paulũ, & Dominus cor eius aperuit, ut intenderet his quæ dicebãtur à Paulo, & postea baptisatur cum domo sua. Acto. 18. Multi Corinthiorũ audientes baptisabãtur. Act. 26. Christus inquit ad Paulum: Ad hoc apparui tibi, ut constituã te ministrũ ac testem, & eorũ quæ uidisti, & eorũ in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus in quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorũ, ut conuertãtur à tenebris ad lucẽ, & à potestate satanæ ad Deũ, ut accipiãt remissionem peccatorũ, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidẽ quæ est erga me. Et Paulus Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus aũt per uerbũ Dei. 2. Tim. 2. agnitionem ueritatis, & pœnitentiã, dicit Deũ per doctrinam operari. Coniunctionẽ seu societatem cum Deo. 1. Iohan. 1. Quod uidimus & audiuimus, annunciamus uobis, ut & uos societatẽ habeatis nobiscum, & societas nostra sit cũ patre & filio eius IESV Christo. 2. Ioh. Omnis q transgreditur, & nõ manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet. 1. Iohan. 2. Si in uobis permanserit quod audistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis: & hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam. Colossen. 1. Christum annuncianus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo IESV. Salutem: Act. 13. Vobis sermo salutis huius missus est. 1. Corinth. 1. Nam postquam in sapientia Dei non cognouit mundus, per sapientiam, Deum: uisum est Deo, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.

Verbũ Dei etiam docent prodesse ad refutationem eorũ qui sese opponunt. 2. Corinth. 10. Siquidem arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad demolitionẽ munitionũ, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuã ducimus omnem cogitationem ad obediendũ Christo: & in promptu habemus uindictã aduersus omnẽ inobedientiã, cum impleta fuerit uestra obedientia. Et ad uincendũ diabolum, & omnis generis tentationes. Ephes. 6. Induite totam armaturã Dei, ut posßitis stare aduersus assultus Diaboli, &c. State igitur lumbis circũcincti baltheo p ueritatẽ, & induti thoracẽ iusticiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis, super omnia assumpto scuto fidei, quo posßitis omnia iacula mali illius ignita extinguere, galeãq; salutis accipite, & gladium spiritus, q est uerbũ Dei. Et Paulus 1. Tim. 4. cibos & alias res à Deo cõditas, sanctificari sermone Dei, & precatione, docet.

Econtrà impijs, qui pereunt, sentiunt uerbũ esse stultitiã. 1. Cor. 1. Nam sermo crucis, ijs quidẽ qui pereunt stultitia est: at nobis, qui salutem cõsequimur, potentia Dei est. Scandalũ. 1. Cor. 1. Prædicamus Christũ crucifixũ, Iudæis quidẽ offendiculũ, Græcis uerò stultitiã, sed ijsdẽ uocatis Iudæis pariter & Græcis Christũ Dei potentiã, & Dei sapientiã. Item afferre mortẽ. 2. Cor. 2. Quoniã Christi bona fragrãtia sumus, in his q saluã fiunt, & in his qui pereũt: his quidem odor mortis ad mortẽ, illis uerò odor uitæ ad uitã. Et Petrus, 1. Pet. 2. Vobis igitur precios us est, qui creditis: cæterùm ijs qui nõ credũt, lapis, quẽ reprobauerũt ædificantes, his cæpit esse caput anguli, & lapis in quẽ impingitur, & petra ad quã offendant: nempe his qui impingũt in sermonem, neq; credũt in id ad quod instituti sum. Idem etiã experiẽtia testata est. nã ubicunq; prædicatũ est uerbum Dei ab Apostolis, ibi quidã receperũt & selecti sunt, quidã uerò indurati & excæcati sunt: ut patet ex Actis Apostolorũ, 3. 4. 5. Actor. 7. de efficacia cõcionis Stephani dicitur: Audientes aũt hæc, dissecabantur cordib. suis, & stridebãt dentibus suis in eũ, &c. Act. 19. Concionãte Paulo in Epheso, quidã indurãtur, nec credũt, malè loquentes de uia Domini ad multitudinẽ. Sed tamen nõ per se, uerùm per accidẽs hunc effectum uerbo Dei tribuunt, dum docent indurationis & excæcationis impiorum causam esse Diabolũ, & repulsionem Spiritus sancti, contemptum uerbi, impœnitentiã, & iustum Dei iudicium. 2. Timoth. 2. Si adhuc uelatum est Euãgelium nostrum, in his qui pereunt uelatũ est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Stephanus Act. 7. Vos semper spiritui sancto resistitis, sicuti & patres uestri, ita & uos. 2. Thess. 2. pro eo quòd dilectionẽ ueritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent: propterea mittet Deus illis efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui nõ crediderũt ueritati, sed approbauerũt iusticiã. Huc pertinet disputatio Pauli Rom. 9. 10. 11. de excæcatione & reiectione populi Iudaici, cuius causam ostendit esse incredulitatem Iudæorum. Idẽ Paulus in concionib. suis ad Iudæos Act. 13. & 28. pœnã excæcationis propter contemptũ uerbi Dei ex prophetis, Abacuc 1. cap. & Esaiæ 6. prædicit.

Vnde ad fidem, studiũ & amorem uerbi Dei sedulò cohortãtur omnes. Coloss. 3. Sermo Christi inhabitet in uobis opulenter, cũ omni Sapientia: docetéq; & cõmonete uos inuicem cantionibus & laudibus, & cãticis spiritualibus. 2. Timoth. 1. Formã habeto sanorũ sermonũ, quos à me audisti, cum fide & charitate, quæ est in CHRISTO IESV. Egregium depositũ seruato per Spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis. 2. Timoth. 2. Stude teipsum probatum exhibere Deo operarium, non erũ-

non erubescendũ, rectè secantem sermonem ueritatis. 1. Timoth. 6. Præcipio tibi in conspectu Dei, qui uiuificat omnia: & IESV Christi, qui testatam fecit sub Pontio Pilato bonam professionem: ut serues præceptum immaculatus, irreprehensibilis, usque ad apparitionem Domini nostri IESV Christi. Philipp. 2. Inter quos lucete tanquam lumina in mundo, sermonem uitæ sustinentes. Autor epistolæ ad Ebræos: Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus, Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis, &c. Ebræis 3. & 4. idem: Videte, ne aspernemini eum qui loquitur. nam si illi non effugerunt, qui auersabantur eum qui loquebatur in terra, multo magis nos, si eum qui de cœlis est, auersemur. Ebr. 12.

Vetant etiam, extra uerbũ Dei aliquid de articulis fidei statuere. 1. Pet. 4. Qui loquitur, loquatur ut eloquia Dei. 2. Pet. 1. Habetis firmiorẽ sermonem prophe ticũ. 2. Ioan. 1. Omnis qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Galat. 1. Si nos aut angelus, &c. 2. Thessal. 2. State, & tenete institutiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ephes. 4. Vt nõ amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ, &c. sed ueritatem sectantes in charitate, adolescamus in illũ per omnia qui est caput, nempe Christus. Autor epistolæ ad Ebræos 13. Doctrinis uarijs ac peregrinis ne circumferamini.

Verbo Dei opponunt uerba hominum. Sermonem adulationis, 1. Thessalon. 2. Inania uerba, Ephes. 5. Persuasibilia humanæ sapientiæ uerba, 1. Corinth. 2. Sublimitatem sermonis, ibid. & Colossen. 2. Dulces sermones, Rom. 16. Stipulas, 1. Corinth. 3. Quemuis uentũ doctrinæ, Ephes. 3. Doctrinas peregrinas, Ebr. 13. Doctrinas dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Pugnas uerborũ, 1. Timoth. 6. Fabulas Iudaicas, præcepta hominum auersantium ueritatem, Tit. 1. Fastuosa uanitatis uerba, 2. Petri 2. Ficticios sermones, 2. Petri 2. Spiritum Antichristi, 1. Ioan. 3. 4. & 2. Ioan. 1.

De Scriptura ueteris Testamenti.

TEstamentum Paulo aliàs significat extremã uoluntatem hominis, qua legitimè adhibitis testibus disponit res suas, & distribuit hæredibus suas facultates, quas è uiuis excedens relinquit: Galat. 3. Fratres, secundum hominem dico: hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo reijcit, aut addit aliquid. Et Ebræis 9. Siquidem ubi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris. nam testamẽtum in mortuis ratum est: quandoquidem nondum ualet, cum uiuit testator.

Aliàs significat promissionem, quã Deus populo suo dedit, de bonis siue corporalibus, siue æternis, suo tempore certis rationibus & conditionibus distribuendis. Gal. 3. Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, tanquam de multis: sed tanquã de uno, & in semine uno, qui est Christus. Hoc aũt dico, Testamẽtum antè comprobatum à Deo erga CHRISTVM, lex quæ post annos quadringentos et triginta cœpit, nõ facit irritũ, ut abroget promissionẽ. Quia uerò duo sunt præcipua genera promissionum, ideò duo testamenta, alterum uetus, alterũ nouum appellatur. Vetus, quod Deus fecit populo suo in monte Sinai, cum legem promulgauit: Nouum, quod in Domino nostro IESV Christo factum est. Gala. 4. Nam hæc sunt duo Testamenta: unum quidem à monte Sina, in seruitutem generans, &c. at quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omniũ nostrũm.

Aliàs significat scripturam sacram à Mose, & Prophetis & alijs iussu Dei exaratam, continentem patefactiones & promissiones Dei, & miraculosam populi Israel defensionem, gubernationem, & cõseruationem, & omnis generis beneficia, in eos à Deo profecta, usq; ad exhibitionem Messiæ. 2. Corinth. 3. Nam usq; ad hodiernum diem, idem uelamen in lectione ueteris Testamẽti manet, nec tollitur uelum quod per CHRISTVM aboletur. Et hac quidem significatione hoc loco utimur. Cæterùm scripturam ueteris Testamenti interdum simpliciter appellant Scripturam. Galat. 3. Præuidens autem scriptura, &c. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, &c. 1. Corinth. 15. Quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris secundũ scripturã. 1. Pet. 2. Quapropter continet scriptura, Ecce pono in Sion lapidem, &c. Interdum uerò addũt aliquod epitheton. Paulus Roman. 1. Scripturas sanctas uocat: & Rom. 15. Scripturas propheticas: & Petrus, Sermonem propheticum, & Scripturam propheticam, 2. Petri 1. Nonnunquam periphrasi utuntur: ut Paulus Rom. 1. Scripturam uocat oracula Dei: & 2. Timoth. 3. Sacras literas appellat. Aliquãdo per synecdochen, sub uoce Legis, aut Mosis, aut Prophetiæ notatur. Paulus 1. Corinth. 14, citans ex primo Geneseos, de obedientia mulierum erga maritos: & Esaiæ 28. Varijs linguis & labijs loquar, ait. In lege sic scriptum esse, Act. 15. Moses ab ætatibus antiquis, in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbathũ legitur. Et 1. Timoth. 1. Hoc præceptum tibi commendo, iuxta prophetias, in quibus antea instructus es. & Rom. 12. Siue prophetiam iuxta ἀναλογίαν fidei. Vnde 1. Corinth. 14. prophetare, pro scripturam sacram exponere accipitur.

Approbare se scripturam ueteris testamenti, eo testantur, quòd inde citant testimonia, & suam extruunt doctrinam, ut postea dicetur. Et Paulus Cæsareæ ab Anania, per Tertullum coram Felice accusatus, in sua Apologia inquit: Colo patrium Deum, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt: Actor. 24.

Ea uerò quæ in approbatis libris ueteris Testamenti continentur, non esse ex proprio cerebro hominum fallacium & mendaciũ nata & tradita, sed à Deo ipso siue mediatè, siue immediatè per Spiritum sanctum reuelata & proposita, uno ore cum præceptore suo, Domino nostro IESV Christo, Apostoli docuerũt. Act. 1. Petrus in Apostolorum cœtu inquit: Oportuit impleri hanc scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda qui fuit dux his qui cõprehenderunt IESVM. Et Act. 3. Petrus & Ioannes in templo Hierosolymitano cõcionantes, inquiunt: Deus aũt quæ prænunciauerat per os omnium prophetarũ suorum, Christum passurũ, sic impleuit. Et Stephanus Act. 1. in prolixa sua concione satis euidẽter ostẽdit, historiarũ in ueteri Testamẽto scriptarũ autorem Deum esse, per Spi-

per Spiritum ſanctum: Duri ceruice, & incircumciſi corde & auribus, uos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non ſunt perſequuti patres uestri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti illius, cuius uos nunc proditores & occiſores facti estis. Et 1. Pet. 1. Qui in illis, ſcilicet prophetis, erat ſpiritus Chriſti, q priuſquàm acciderent, teſtabatur uenturas in Chriſtum afflictiones. 2. Petri 1. Si illud prius noueritis, quòd omnis prophetica Scriptura non ſit priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis olim allata eſt prophetia, ſed à Spiritu ſancto impulſi, loquuti ſunt ſancti Dei homines. Et Paulus Rom. primo: Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiſerat per prophetas ſuos, in Scripturis ſanctis, de filio ſuo. Et Roman. 3. Nam primum quidem illud, quòd cõmiſſa ſunt illis oracula Dei. Quid enim, ſi quidam fuerunt increduli? num incredulitas illorum fidem faciet irritã? Abſit: imò ſit Deus uerax, omnis aũt homo mendax.

Idem Paulus Romæ conſtitutus, inquit ad Iudæos: Bene ſpiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiam ad patres noſtros, Vade ad populum iſtum, & dic, &c. Et 2. Timoth. 3. Scripturam θεόπνευστον, inſpiratam à Deo appellat. Autor epiſtolæ Iacobi ait, Prophetæ locuti ſunt in nomine Domini: Iacobi 5.

Duo autem præcipua Scripturæ ueteris Teſtamenti capita, alterum legem, alterum promiſſionem Abrahæ datam de benedicto ſemine, faciunt. Nam & legem & Euangelium ex ſcriptura ueteris Teſtamenti paſſim extruunt & prædicant, ut patet ex concionibus Petri Actor. 2. Petri & Ioannis, Act. 3. Et ex concione Stephani, Act. 7. Et Petri apud Cornelium, Act. 10. Et ex concione Pauli ac Barnabæ Antiochiæ, Piſidiæ habitæ, Acto. 13. Et ex Actis concilij Hieroſolymitani, Acto. 15. Et ex epiſtola ad Romanos 3. Per legem agnitio peccati. Nunc abſq; lege, iuſticia Dei manifeſtata eſt, dum comprobatur teſtimonio legis & prophetarum. Et Galat. 3. & 4. & ex alijs Pauli epiſtolis, & ex epiſtola utraq; Petri. Summam autem Scripturæ, breui ſententiola Paulus complexus eſt Galat. 3. Concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide daretur credentibus.

Ipſum uerò, ut uocatur, ſubiectum ſacrarum literarum docẽt, eſſe Meſſiam, morte et paſſione ſua λύτρον pro peccatis generis humani ſoluentem, & reſurgentem ex mortuis, & annũciantem remiſſionem peccatorum cùm Iudæis, tum gentibus, & regnantem in æternum, & donantem in ſe credentibus uitam æternã. Indeq; probãt & demonſtrant, IESVM Chriſtum eſſe illum promiſſum Meſſiam, in Scriptura ueteris Teſtamenti. Siquidem tota Meſſiæ deſcriptio, quantum ad perſonam, & opera, & regnũ eius, & alias eius res attinet, in eum ſolum exactiſſimè cõpetit. Nam Petrus & Ioannes in templo cõcionantes, inter alia inquiunt: Deus aũt quæ pronunciauerat per os omnium prophetarum ſuorũ, Chriſtũ eſſe paſſurum, impleuit ſic. Pœniteat uos igitur, & conuertimini, ut deleãtur peccata uestra: ut cùm uenerint tempora refrigerationis à conſpectu Domini, & miſerit eum qui antè prædicatus eſt uobis, IESVM Chriſtum, quem oportet quidem cœlum accipere uſq; ad tempora reſtitutionis omniũ quæ loquutus eſt Deus per os omnium ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum. Moſes quidem ad patres dixit: Prophetam ſuſcitabit uobis Dominus Deus uester, de fratribus uestris, mei ſimilem. audietis eũ iuxta omnia quæcũq; locutus fuerit uobis. futurum eſt aũt, ut omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. Quin & omnes prophetæ à Samuele, & deinceps quotquot loquuti ſunt, etiam annunciauerũt dies iſtos. Vos estis filij prophetarũ, ac teſtamẽti quod teſtatus eſt Deus erga patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedictionẽ conſequẽtur omnes familiæ terræ. Vobis primùm Deus, cùm ſuſcitaſſet filium ſuum, miſit eũ benedicentẽ uobis, ita ut unuſquiſq; uestrûm conuerteret ſe ab iniquitatibus ſuis. Actor. 3. Idem facit Stephanus Act. 7. Quem prophetarum non occiderunt patres uestri? Et occiderũt eos qui prænunciabant de aduentu illius iuſti, cuius uos nunc proditores & occiſores fuiſtis. Et Philippus aperiens os ſuum & incipiens à ſcriptura Eſaiæ 53. Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, &c. prædicabat IESVM eunucho Candaces reginæ Aethiopũ: Acto. 8. Saulus poſt conuerſionẽ Damaſci, in ſynagogis prædicabat Chriſtum, quòd is eſſet filius Dei: Act. 9. Et Petrus Act. 10. in domo Cornelij: Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eũ. Idem Paulus in cõcione Antiochiæ Piſidiæ aſſerit: Huius ſcilicet Dauidis è ſemine Deus, ita ut promiſerat, addixit Iſraeli ſeruatorem IESVM, &c. Et paulò poſt: Viri fratres, filij generis Abrahæ, et qui inter uos timent Deũ, uobis ſermo ſalutis huius miſſus eſt. Qui enim habitabãt Hieroſolymis, & principes eorũ, cùm ignorarent illum, & uoces prophetarũ quæ per omne Sabbathum legũtur, cõdemnato eo impleuerũt: nullaq; cauſa mortis inuenta, petierunt à Pilato, ut interficeret illum. Cumq; cõſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta erant, depoſitum de ligno poſuerũt in monumento. Deus aũt ſuſcitauit eum à mortuis: qui uiſus eſt per dies multos, his qui ſimul aſcenderãt cum eo à Galilæa Hieroſolymam, qui ſunt teſtes eius apud plebem. & nos uobis annunciamus, quòd eã repromiſſionem quæ ad Patres facta eſt, Deus adimpleuerit filijs illorũ, nimirum uobis, reſuſcitato IESV. Actor. 13. Idem Theſſalonicæ per tria Sabbatha diſſerebat eis, è Scriptura adaperiens & allegans, quòd Chriſtum oportuiſſet pati, & reſurgere è mortuis. Item: Berrhœæ accipiebant ſermonẽ cum ſumma animi promptitudine, ſcrutãtes ſcripturas, an hæc ita ſeſe haberent: & crediderũt multi. Acto. 17. Apollo potens in ſcripturis, oſtendebat per ſcripturas, quòd Ieſus eſſet Chriſtus: Acto. 18. Et Paulus in oratione quã coram Feſto & Agrippa habet, inquit: Auxilium aũt Dei nactus, uſq; in hodiernũ diem ſto, teſtificãs tum paruo tum magno: nihil aliud dicẽs quàm ea quæ Prophetæ predixerũt futura eſſe, et Moſen, q paſſurus fuerit Chriſtus, & q primus ex reſurrectione mortuorũ lumen annũciaturus fuerit populo & gẽtib. Act. 26. Tradidi enim uobis in primis, quod & acceperam, q Chriſtus mortuus fuerit pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas: & quòd ſepultus ſit, & q reſurrexerit tertio die, ſecundũ ſcripturas. 1. Corinth. 15. Idem paſſim in ſuis epiſtolis, Chriſtum impleuiſſe promiſſiones

promissiones Dei ostendit. Roman.15. Illud autem dico, IESVM Christum ministrũ fuisse circumcisionis pro ueritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum. 2. Corinth.1. Quotquot enim promissiones Dei, per ipsum sunt Etiam, & per ipsum Amen, Deo ad gloriã per nos. Et Petrus eleganter inquit: De qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de futurâ in uos gratia uaticinati sunt, scrutãtes ad quem, aut cuiusmodi articulum temporis significaret is, qui in illis erat Spiritus Christi: qui prius quàm accideret, testabatur uentura in Christum afflictiones.

Prophetias quæ in sacra Scriptura extant, ad res quæ in nouo Testamento euenerunt, aut euentura sunt, eleganter accõmodant: & impletas esse, aut adhuc implendas ostendũt. Quòd unum oportuerit tantùm esse Messiam, & non plures, ex semine Abrahæ & Dauidis, Paulus Galat. 3. expromissione eruditè extruit: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, Et seminibus, tanquam de multis: sed tanquam de uno, Et in semine tuo, qui est Christus. Et Petrus Act.2. ex promissione Dauidi facta 3. Regum 2. & repetita Psal.131. Et ex Deuteronomij 18. Prophetã suscitabit uobis Dominus Deus uester, de fratrib. uestris, mei similem, &c. Quòd Messias filius Dei sit futurus, Paulus probat ex Psalmo 2. Filius meus es tu, hodie genui te, Actor.13. Quòd etiam uerus homo sit, autor Epistolæ ad Hebræos probat ex Psal. 8. Quid est homo, &c. Et Psalmo 22. Annũciabo nomen tuũ fratribus meis. Et Esaiæ 8. Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus: Ebræis 2. Quòd esset non pro suis, sed pro nostris peccatis in cruce moriturus, & nos redempturus, & summam patientiã præstiturus, Petrus probat ex Esaiæ 53. Qui peccatum non fecerat, nec inuẽtus est dolus in ore eius: qui cùm maledictis incesseretur, nõ regessit maledicta: cùm malus afficeretur, non minabatur, &c. Cuius eiusdem ubicè sanati fuistis. Nam eratis uelut oues errãtes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & curatorem animarum uestrarum. 1. Pet. 2. Idem Philippus Actorum 8 absque dubio fecit, cùm ex eo Esaiæ loco annunciauit Christũ eunucho Aethiopi. Et Pau. Rom. 15. ex Psal. 63. Opprobria opprobrantium tibi inciderunt in me. Et Galat.3. ex Deutero. 21. Execrabilis omnis qui pendet in ligno. Autor epistolæ ad Ebræos, ex Psalmo 39. Sacrificiũ & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata & pro peccato non comprobasti. Tunc dixi: Ecce adsum. & in capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam Deus.

Interfectores Messiæ fore ædificantes, hoc est, sacerdotes & principes populi Iudaici, probat Petrus ex Psalmo 118. Actor.4. Hic est lapis ille, qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est caput anguli, nec est in alio quoquam salus.

Messiam nõ in morte manere, sed resurgere debuisse à mortuis tertio die, Petrus Actor. 2. ex Psalmo 15. demonstrat: Prouidebã Dominũ coram me semper, quoniam à dextris est mihi, ne cõmouear. Propter hoc lætatum est cor meũ, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniã nõ derelinques animam meã in inferno. Et Paulus Act.13. ex Esa. 55. Dabo uobis sancta Dauid fidelia. Ideo & aliàs dicit, Non permittes ut sanctus tuus uideat corruptionẽ. Et 1. Corinth.15. ait, Christũ resurrexisse à mortuis die tertio, iuxta Scripturam: intelligens absq; dubio dictum Oseæ sexto, Viuificabit nos post biduum, & tertio die faciet nos resurgere à mortuis, & coram ipso uiuemus.

Ascensionem Messiæ, & effusionẽ Spiritus sancti, & donorũ largitionem ad ædificationem Ecclesiæ, Paulus colligit ex Psalmo 68. Ascendisti in altum, & captiuam duxisti captiuitatem, & accepisti dona pro hominibus. Et Petrus Actorum 2. missionem Spiritus sancti ex Ioelis 2. demonstrat: Sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus, dicit Deus, effundam de spiritu meo super omnem carnẽ, & prophetabũt filij uestri, & filiæ uestræ: iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabũt: & quidem super seruos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt, &c.

De Iudæ miserabili historia, & subrogatione alterius in locũ eius, Petrus Act.1. allegat Psal.69. Fiat habitatio eorũ deserta, & in tabernaculis eorũ nõ sit qui inhabitet. & Psal.109. Episcopatũ eius accipiet alter.

De ablegatione Apostolorum, & aliorum piorum doctorum, ad prædicandum pœnitentiam, & remissionem peccatorum, Paulus ex Esaiæ 52. Quàm speciosi pedes annunciantium pacem? Rom.10.

Et de propagatione doctrinæ Euangelij in totum orbem terrarum, ex Psalmo decimooctauo: In omnem terram exiuit sonus eorum. Rom.10.

De dono linguarum, ex Esaiæ 28. Varijs linguis & labijs loquar. 1. Corinth.14.

Ex Iudæis quosdam doctrinam Euangelij suscepturos, & in Christum credituros, quosdam uerò offensum iri. Rom.9. Et 1. Petri 2. Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & non pudefiet. Et ex Esaiæ 10. Si fuerit numerus filiorũ Israel ut arena maris, reliquiæ saluæ erũt. Et Esaiæ 1. Nisi Dominus Sabaoth nobis reliquisset semen, ut Sodoma facti essemus, & Gomorrhæ assimulati fuissemus. Rom.9. Vt non omnes obedierũt Euãgelio. Esaias enim inqt: Domine, quis credidit sermonib. nostris? Rom. 10. Idẽ ex promissione, Genes.21. Per Isaac nominabitur tibi semẽ. Et Genesis 22. Maior seruiet minori: colligit, non omnes Iudæos conuersum iri, sed eos tantùm qui promissionem Abrahæ de Christo amplexuri essent. Et Esaiæ 65. Toto die expandi manus meas ad populũ non credentem, & contradicẽtem: Rom.10.

De excæcatione & reiectione populi Iudaici, allegat Paulus Actor.13. dictum Abacuc 1. Videte contemptores, & admiramini, & euanescite: quia ego operor opus in diebus uestris, quod non credetis, si quis enarrauerit uobis. Et Esa.6. Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non perspicietis: incrassatum est enim cor populi huius, & aurib. grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quãdo uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Act.28. Et Rom.11. ex eodem: Dedit eis Deus spiritum cõpunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut nõ audiant. Et ex Psalmo 69. Vertatur mensa illorũ in laqueum, & incaptionem, & in offendiculum, & in retaliationem ipsis. Obtenebrentur oculi eorum ut nõ uideant: & tergum illorum semper incurua. Rom.11.

De toto Israele saluando post plenitudinẽ gentium,

citat

citat Esa 59. Adueniet ex Sion ille qui liberat, & auertet impietates à Iacob. Et hoc illis à me testamentũ, cùm abstulero peccata ipsorum. Rom. 11.

Vocationem gentium Paulus comprobat ex Esaiæ 49. Posui te lucem gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ: Act. 13. Et ex Oseæ 2. Vocabo populum qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta nõ erat, dilectam. Et erit, in loco ubi dictũ fuerat eis, Non populus meus uos, ibi uocabũtur filij Dei uiuẽtis: Rom. 9. Ad eandẽ Prophetæ sententiam Petrus alludit: Qui quondam non eratis populus, nunc populus Dei. 1. Pet. 2. Et ex Deut. 32. Primus Moses dicit: Ad æmulationem prouocabo uos, per gentem quæ non est gens, per gentem stultam ad iram commouebo uos. Rom. 10. Et ex Esaia: Inuentus fui his qui me non quærebant, cõspicuus factus sum his qui de me non interrogabant. Rom. 10. Et ex Psalmo 17. Et 2. Regum 22. Cæterùm & gentes ex misericordia glorificant Deum, sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Et rursum dicit: Gaudete gentes cum populo eius. Et rursum Psalmo 117. Laudate Dominum omnes gẽtes, & collaudate eũ omnes populi. Et rursum Esaias dicit 11. Erit radix Iesse: & qui exurget ad imperãdum gentibus, in eo gentes sperabunt. Et ex Esaiæ 52. Quibus non est annunciatum de eo, uidebunt: & qui nõ audierunt, intelligent. Rom. 15. Et Iacobus minor in concilio Hierosolymitano, uocationem gẽtium ex Amos 9. probat: Posthac reuertar, ac rursus ædificabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est, & diruta eius instaurabo: & erigam illud, ut requirant, qui reliqui sunt homines, Dominum, & omnes gentes super quas inuocatũ est nomen meum: dicit Dominus, qui facit hæc omnia. Actorum decimoquinto.

Ad persequutionẽ Hierosolymis ortam contra Apostolos, referunt Psalmum 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Actor. 4.

Quòd Christum oporteat regnare usque ad destructionem mortis, Paulus ex Psal. 110. colligit: Donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ. 1. Corinth. 15. Et quòd oporteat mortem aboleri, & mortuos resurgere, ex Oseæ 13. Absorpta est mors in uictoriã: Vbi tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? 1. Corinth. 15.

De statu post resurrectionem mortuorum, 2. Pet. 3. ex Esaiæ 65. Sed cœlos nouos & terram nouam, iuxta promissum illius expectamus.

Ad Christum, & res noui testamenti, sacerdotium, oblationes, ceremonias, & pleraq; historias ita referunt, ut ostendant, typos rerum futurarum fuisse ea pleraq; omnia, quæ in Scriptura ueteris Testamenti proponuntur. Paulus 1. Corinth. 15. pascha seu agnum paschalem, Christũ præfigurasse indicat, cùm inquit: Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Et celebrationem paschatis in azymis, exponit de nouitate & synceritate uitæ eorum qui in Christum crediderũt. Et Petrus uidetur etiam ad agnum paschalem respexisse, cùm Christum appellat agnum immaculatum & incontaminatum, qui nos sanguine suo redemerit. 1. Pet. 1. Et Paulus, petram de qua biberunt Iudæi in deserto, & manna, de Christo exponit: 1. Corinth. 10. Et Petrus sacerdotium, templum, lapides templi & oblationes, de Christo, Ecclesia, & cultu spirituali noui Testamenti allegoricè interpretatur: quod etiam Paulus Rom. 12. 1. Cor. 6. Ephes. 2. & 4. & alibi passim facit.

Transitum maris rubri, typum baptismi fuisse Paulus innuit, 1. Corinth. 10. Et circumcisionem, Coloss. 2. Per quem & circumcisi estis, circumcisione quæ fit sine manubus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum. Et Philipp. 3. Nos sumus circumcisio, qui spiritu Deum colimus, & gloriamur in Christo IESV, & non confidimus in carne. Petrus uerò, diluuij historiam eò refert.

Duo testamenta, & duplicem cœtum ueræ & falsæ Ecclesiæ, in historia Abrahæ, generantis ex ancilla Ismaelem, & ex libera Isaac, Paulus ostendit, Galat. 4.

Typum & similitudinẽ hæreticorũ gerere Balaam filiũ Bosor, q mercedẽ iniquitatis dilexit, Petrus innuit, 2. Pet. 2. Autor epistolæ Iudæ, Cain & Core addit.

Legem de nõ obturãdo ore boum, exponit allegoricè, de reddenda mercede operarijs, Paulus 1. Corinth. 9.

Autor epistolæ ad Ebræos, ex illo dicto Psalmi, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech: probat, aliud sacerdotium esse promissum, & alium summum Pontificem, & aliud testamentum, quam sacerdotium Leuiticum: propterea quòd per sacerdotium Leuiticum, & per legem, & per iustificationes & cultus legis Mosaicæ, non esset consummatio: Ebr. 7. & quòd nõ possent iuxta concupiscẽtiam perfectum reddere cultorem, sed tantùm sanctificabant ad carnis purificationem: Ebr. 9. Et non possent auferre peccata: Ebr. 10. Typum autem illius promissi pontificis, Domini nostri IESV Christi, gessisse Melchisedech. Nam eo quòd Melchisedech dicitur rex iustitiæ, & rex pacis: est q; ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis: nec initium dierum, nec uitæ finem habet, & manet sacerdos in æternũ, significatum est, Messiam fore filium Dei, & habiturum æternum sacerdotium. Deinde eo quòd Abraham decimas obtulit Melchisedech, significatum est, Christum Messiam non fore legalem Pontificem, secundum ordinem Leui, aut Aaronis, hoc est ueteris Testamenti, sed noui. Ebræis 7.

Docet etiam, pontificem sacerdotij Leuitici, typum Messiæ Domini nostri IESV Christi gessisse. Nam sicut summus Pontifex nullus à seipso fiebat, sed à Deo uocabatur, ut Aaron: ita Christus non seipsum glorificauit, ut fieret põtifex: sed is qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et alibi: Tu es sacerdos in æternum, secundũ ordinem Melchisedech. Ebr. 5. Deinde, sicut Pontifex ex hominibus assumitur, & constituitur pro hominibus, in his quæ apud Deum aguntur, ut offerat donaria & uictimas pro peccatis, qui placabilis esse posit ignorantibus & errantibus, quandoquidẽ & ipse circundatus est infirmitate: & propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita & pro seipso immolare pro peccatis: Ebræis 5. ita Christus Abrahæ semen, & non angelos assumit, & per omnia fratribus est similis factus: Ebræis 2. Et tentatus per omnia iuxta similitudinem, absq; peccato, ut posset affici sensu nostrarum infirmitatum: Ebr. 4. Tertiò, lex homines constituit pontifices, habentes infirmitatem. Porrò sermo iurisiurandi, qui supra legẽ fuit, filium constituit in æternum con-

num consummatũ: Ebræis 7. Quartò, illi quidem citra iusiurandũ sacerdotes facti sunt, hic verò cum iureiurando per eum qui dixit: Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinationem Melchisedech. Quintò, illi Pontifices erant peccatores, & cogebãtur pro suis & populi peccatis offerre, Ebræis 5. & 7. Christus verò est innocens & impollutus, & sine peccato, nec necesse habet pro suis peccatis offerre, sed tantùm pro populi peccato obtulit seipsum semel: Ebræis 5 & 7. Pontifices illi erant administratores tabernaculi manufacti, & in Sanctum sanctorum summus Pontifex quotannis ingrediebatur semel, per sanguinem hircorũ & uitulorũ: at Christus est administrator ueri tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo: & ingressus est in ipsum cœlũ, per proprium sanguinem, ut appareat in conspectu Dei pro nobis. Ebræis 8. & 9. Illos oportebat iterare sacrificia sua: at Christus unica oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Ebræis 9 & 10. Sacrificia pontificum non tollebant peccata, nec poterant iuxta conscientiam perfectos reddere cultores, Ebræis 9 & 10. sed tantùm sanctificabant ad carnis purificationem, Ebræis 9. At sanctificati sumus per oblationem corporis IESV Christi, semel peractam, Ebræis 10. Et sanguis Christi purgat conscientiam à mortuarijs operibus, Ebræis 9. Illi offerebant uictimas & donaria: at Christus obtulit corpus suum, Ebræis 10. Pontifices Leuitici moriebantur, & alij surrogabantur: at Christus manet in æternum, & habet perpetuum sacerdotium, unde saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum. semper enim uiuit ad hoc, ut interpellet pro illis: Ebræis 7. Hic una pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius: Ebræis 10.

Idem autor typicè etiam alia ueteris testamenti exponit. Tabernaculum, typum cœli: sanguinem hircorũ & taurorum & uictimarum, sanguinem & oblationem Christi gessisse: & per sanctum sanctorum uelatum, Spiritum sanctum indicasse, nondum esse manifestatam sanctorum uiam. Librum ueteris testamenti, & tabernaculum, & populum à Mose ideo sanguine esse aspersa, ut significaretur, nouum testamentum sanguine Christi confirmandum esse, eodemq; peccata populi expianda. Ebræis 9. Corpora animalium, quorũ sanguinem pontifex pro peccato ferebat in sancta, crementa extra castra, significasse Christum extra portã passurum esse. Ebræis 13. Hierusalem terrenam, figuram esse Hierusalem cœlestis, Ebræis 12. Oblationes hostiarum significasse bona opera renatorum, Ebræis 13. Offeramus hostiam laudis Deo, &c.

Et alia præcipua suæ doctrinæ capita, ex scriptura ueteris testamenti extruunt, & confirmãt. Quòd Deus sit uerax, Paulus Ro. 3. probat ex Psalmo: Vt iustificeris in sermonibus tuis. Quòd Deus habeat filium, & is sit Dominus noster IESVS Christus, autor epistolæ ad Ebræos ex Psal. 2. Filius meus es tu, hodie genui te. Et 2. Reg. 7. Ego ero ei pater, & ipse erit mihi filius. Quòd Deus excelsissimus non habitet in manufactis templis, probat Stephanus Act. 7. ex Esaiæ 66. Cœlũ mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. De angelis idem autor citat Psal. 104. Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. De lapsu & pœnis angelorum, 2 Pet. 1. & autor epistolæ Iudæ, uidentur alludere ad Iob 4. & Esa. 14. Quòd omnes homines sint peccatores coram Deo, probat Paulus ex Psal. 13. 52. Non est iustus, ne unus quidem. Ro. 3. De uanitate hominis autor epistolæ Iacobi, Esaiæ 40. usurpat: Exortus est sol cum æstu, & exaruit herba, & flos illius decidit, et decor aspectus illius perijt. Iac. 1. Quòd ex misericordia, gratis, absq; operibus legis, credentes in Christum, sola fide iustificentur, probat Paulus ex Psalmo 32: Beati quorum sunt remissæ iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum. Rom. 4. Et ex historia Abrahæ Geneseos 15. Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam, Rom. 4. Galat. 3. Et ex Genesi 22. Benedicentur in te omnes gentes. Et ex Habacuc: Iustus ex fide uiuet. Gal. 3. Rom. 1. Ex Ioel. 2. Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Rom. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur, ex Ierem. nono. 1 Corinth. 1. Miserebor cuiuscunque misereor, & commiserabor quemcunque commiseror. Exodi 30. Rom. nono.

Patriarchas & Prophetas habuisse fidem in Christum, & sub corporali promissione æternã amplexos esse, autor epistolæ ad Ebræos prolixè probat. Et Petrus ex Esaiæ 28. Ecce pono in Sion lapidem, in summo ponendum angulo, electum, precios um: & qui crediderit in illo, non pudefiet. 1. Petri 2. & Rom. 10. Quòd Euangeliũ sit arcana Dei sapientia, mundo ignota, ex Esaiæ 64. Quæ oculus nõ uidit, et auris nõ audiuit, & in cor hominis non ascendit. 1 Cor. 2. Et ex Iob 5. Qui comprehendit sapientes in sapientia sua. Item ex Sapient. 9. Esaiæ 40. Quis cognouit mentẽ Domini? quis consilium daturus sit illi? 1 Corinth. 2. & Rom. 13. Quòd doctrina Euangelij non sit negligenda, sed suscipienda, ex Psalmo 94. citatur in epistola ad Ebræos 3. Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra. De certitudine & efficacia uerbi Dei, Petrus ex Esaiæ 40. Verbum Domini manet in æternum. 1. Petri 1. Discrimen legis & Euangelij extruit ex Deutero. 27. Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Ex Habacuc 1. Iustus autem ex fide uicturus est: Galat. 3. Doctrinam de ueteri & nouo testamento, & quòd uetus per nouum sit abrogandum, autor epistolæ ad Ebræos usurpat ex loco Ieremiæ 31. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non iuxta testamentum quod feci patribus illorum, in die cùm apprehenderem manũ illorum, ut educerem eos ex Aegypto: quoniam ipsi nõ perstiterunt in testamento meo, & ego neglexi eos habui, dicit Dominus. Nam hoc est testamentum, quòd disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscribam illas: & ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebunt quisq; proximum suum, & unusquisq; fratrem suum, dicentes, Cognosce Dominum: quòd omnes cognituri sint me, ab illo qui pusillus fuerit inter eos, usq; ad eum qui magnus est inter illos: quoniam placatus ero super iniusticijs illorum, et peccatis eorum, & iniquitatem illorum non recordabor amplius.

plius. Per hoc quod dicit Nouũ, antiquauit prius. Porrò quod antiquatur ac senescit, in propinquo est ut euanescat. Ebr. 8.

Quòd res ueteris Testamenti umbra & figura fuerint rerum futurarũ, idem autor probat ex dicto Exodi 25. Quemadmodũ oraculo responsum est Mosi, cùm esset absoluturus tabernaculum: Vide, inquit, ut facias omnia secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte. Ebr. 8.

Doctrinam de noua obedientia refert Paulus 2 Corinth. 6 ex Esaiæ 49. In tempore accepto exaudiui te. &c. Et Petrus Leuit. 19. Estote sancti, sicut ego sum. 1 Petri 1. & Psal. 33. Qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos: 1. Petri 3.

De pœnis malorum operum, allegat historiã Loth & Noe, 2 Pet. 2. & dictum Prouerbiorũ 11. Si iustus uix saluus efficitur, impius ubi comparebit? 1. Petri 3. Et autor epistolæ Iudæ, in eam sententiam applicat historiam populi Iudaici, pereuntis in deserto, & Sodomæ & Gomorrhæ.

De oratione, eiusq; effectu, autor epistolæ Iacobi exemplum Eliæ allegat: Iacobi 5. Autor epistolæ ad Ebræos, doctrinam de cruce piorum, quòd ea cedat in commodum eorum, probat ex Prouerbiorũ 3. Fili mi, ne neglexeris correctionẽ Domini, neq; deficias cùm ab eo argueris. quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Autor epistolæ Iacobi, ad tolerantiam ab exemplo prophetarum Iob & Christi, hortatur. Iacobi 5.

Quòd mundus & falsa Ecclesia propter iusticiam persequatur ueram, Ioannes ex historia Geneseos 4. colligit. 1. Ioann. 3. De indifferenti usu ciborum citat dictũ Psalmi 23. Domini est terra, et plenitudo eius. 1 Cor. 10.

De fine mundi, autor epistolæ ad Ebræos citat ex Aggæi 2. Adhuc semel ego concutio non modò terram, uerùm etiam cœlum: Ebræis 12. De extremo iudicio, autor epistolæ Iudæ, ex uaticinio Enoch hæc allegat: Ecce uenit Dominus in factis millibus suis, ut faciat iudicium aduersus omnes, & redarguat omnes ex eis qui sunt impij, de factis omnib. quæ impiè patrarunt, deq; omnib. duris quæ locuti sunt aduersus eum peccatores impij. Cæterùm scripturã ueteris Testamenti cõmendarunt, omnibus pijs legendam, & maximè in Ecclesia exponendam, & diligenter discendam. Vt enim ipsi ex scriptura fidei articulos proposuerunt, ita quoq; alios ad eam respicere iusserunt, ne extra scripturã sacram & uerbum Dei speculantes, noua dogmata excogitarent. Habemus firmiorem sermonem propheticũ, cui dum attenditis ceu lucernæ apparenti in loco obscurio re, benefacitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. 2 Petri 1. Vt quisq; accepit donum, ita alius in alium illud ministrantes, ut boni dispensatores uariæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. 1 Pet. 4. Paulus Episcopum uult esse aptum ad docendum. 1 Timoth. 3. Et tenacem eius qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam adhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere. Tit. 1. Et præcipit, ut attendat lectioni, exhortationi & doctrinæ, 1 Tim. 4. Et 1 Timoth. 1 præcipit, ut Timotheus doctrinam Euangelij ex prophetis confirmet, seq; in ijs exerceat: Hoc præceptum tibi commendo iuxta prophetias, in quib. antea instructus es, ut milites in eis bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Et 1. Cor. 14. ostendit Paulus, præceptum Domini esse, ut in publicis congressibus Ecclesiæ prophetent: hoc est, propheticas scripturas legant & exponant ad ædificationem, exhortationẽ, & consolationem. Et Coloss. 3. Docete & commonete uos inuicem, cantionibus & laudibus & cantilenis spiritualibus, cum gratia, canentes in corde uestro.

Regulam exponendæ scripturæ, Paulus docet esse ἀναλογίαν fidei: Rom. 12. Et potestatem enarrandi scripturam, & iudicandi de enarratione, non uult penes unum esse, sed penes plures. 1. Cor. 14. Prophetæ rò duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Porrò si alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat. Potestis enim sigillatim omnes prophetare, ut omnes discant, et omnes consolationem accipiant, & spiritus prophetarum prophetis subijciantur. Non est enim confusionis author Deus, sed pacis, ut in omnibus congregationib. sanctorum.

Senserunt etiam, sine Spiritu sancto, & interprete, scripturam non posse intelligi. Paulus 1 Cor. 12. Nemo potest dicere Dominum IESVM, nisi per Spiritum sanctum. & paulo pòst: Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uerò sermo scientiæ secundum eundem spiritũ, &c. Et 2 Tim. 3. Sed ad hunc usq; diem, cum Moses legitur, uelamen cordibus illorum impositum est. at ubi conuersi fuerint ad Dominum, tollitur uelamen. Vnde Eunuchus rectè respõdet Philippo, Act. 8. Quidnã posim, nisi aliquis dux uiæ mihi fuerit?

Postremò, etsi numerus librorum authenticorũ ueteris Testamenti, ab Apostolis ex professo nominatim non est expressus: tamen haud obscurè ex citationibus coniectari potest, quòd eos pro certis & probatis habuerint, de quibus antiquitas Iudaica nunquam dubitauit. citantur enim ab eis testimonia tum expressò, tum dissimulato nomine, ex Mose, libris Regũ, Psalmis, Prouerbijs, Esaia, Ieremia, Ezechiele, Hosia, Ioele, & alijs.

Iosephus in 1 Antiquitatum libro inquit: Non sunt nobis innumeri libri discordes inter se, ac pugnantes, sed duo tantum & uiginti, omnium temporum cõmentarios continentes, quibus meritò fides adhibetur. Horũ quinq; Mosis sunt, qui & leges, & hominis conditionẽ complectuntur, & ad mortem usq; illius extenduntur. Tempus illorum tria annorũ millia, paulò minus, continet. A' morte uerò Mosis ad Artaxerxem, postea Xerxem Persarum regem, usq; Prophetæ qui post Mosen uixerunt, suorum temporum res gestas tredecim libris conscripserũt. Reliqui quatuor hymnos ad Deũ, & admonitiones ad corrigendam hominum uitam continent. Ab Axtaxerxe autem ad nostra usq; tempora, sunt quidem singula scripta, non tamen ita fide digna, sicuti præcedentia: propterea quòd non est habita accurata prophetarum successio. Reipsa uerò patet, quo modo nos scripturis nostris afficiamur. Cùm enim tantum interea sit temporis elapsum, nemo tamen illis uel adijcere quicquam, uel adimere, uel mutare ausus fuit. Omnib. autem Iudæis ex primæua ætate confestim hoc inseritur, ut arbitrentur, hæc scripta Dei esse dogmata, inq; illis permaneant, ac pro illis cupidè (si ita necesse sit) moriantur.

DE

DE SCRIPTVRA NOVI TESTAMENTI: hoc est, de scriptis Euangelistarum & Apostolorum.

VT memoria doctrinæ & mirandorum operum Domini nostri IESV Christi cõseruaretur, & tot uiuorum testium autoritate Ecclesiæ & posterita ti commendaretur, utile et necessarium uisum est Deo, & Domino nostro IESV Christo, & Spiritui sancto, per sua organa ea de Euangelica historia simplici sty lo cõsignare capita, quæ rei totius præcipua essent fun damenta, & scitu summè necessaria. Excitauit itaq; Euangelistas quatuor, qui sigillatim literis historiam Christi sunt complexi.

Inter quos Matthæus primus suũ Euangelium conscripsit, & Ebræis reliquit, cum ad gentes prædicatũ proficisceretur. Eusebius lib. 3. capite 24. factum id est circa tertium Caij Caligulæ annum, Christi uerò quadragesimumprimum, in Chronico annotat. Marcum idq; à Petro approbatum, & Ecclesijs legendum sua autoritate confirmatum esse, autores sunt, Clemens Hypotyposeon 6. & Papias Hierapolitanus, referente Eusebio lib. 2. cap. 15. Irenæus tamen in hoc à Clemente & Papia dissentit, quòd post obitum Petri & Pauli, Marcum Euangeliũ suum edidisse scribit, libro 3. capite 1. Lucas, se ex traditione eorũ qui ab initio suis oculis res Christi uiderint, eiusq; discipuli fuerint, cunctis diligenter perue stigatis, suum Euangeliũ scribere, in Proœmio affirmat. Sunt qui putent, Paulum dicentem, Secundum meum Euangeliũ, Rom. 2. & 2 Tim. 2. euangelium à Luca conscriptum denotare. Apparet sanè, Euangelium Lucæ in Ecclesia notum probatumq; fuisse iam tum sub Claudio, cum Paulus ex Macedonia tenderet Hierosolymam: inquit enim 2 ad Cor. 8. Misimus cum Tito fratrem eum, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias.

Cum trium Euangelistarum scripta ad cunctos iam, & ad ipsum quoq; Ioannẽ peruenissent, probauit quidem, et testimonium ueritatis eis dedit: sed desiderauit narrationem earum rerum, quæ initio prædicationis gesta sunt à Christo. Omnes enim tres ab incarceratione Ioannis baptistæ exordiuntur. Quare rogatus à fratribus, cœpit ea quæ ante in carcerationem Ioannis gesta sunt à Christo, & quæ aliàs ab alijs Euãgelistis præterita sunt, contexere. Refert Eusebius ex communi sententia libro 3. cap. 24. Certum ergo est, libros quatuor Euangeliorũ, pro uera et sacra scriptura rerũ in nouo Testamento à Christo gestarum, ab ipsis Apostolis & eorum discipulis habitos, Ecclesiæq; cõmendatos esse. Quibus nobis debent esse pretiosissimi et antiquissimi, quòd in ijs cœlestem Doctorem, Dei & hominis filiũ, Dominum nostrum IESVM Christum, audimus, arcanum Dei consilium de genere humano saluando reuelantem, & totum opus redemptionis perficientem.

Nec uoluit Deus omnino obliuioni tradi ea, quæ per Apostolos misso Spiritu sancto cœlitùs, mirabilia fecit in propaganda doctrina Euangelij per totum orbem terrarum. Quare factum est diuinitus, ut quædam literæq; Ecclesiæ cõmitterentur, ut discere & cognoscere omni tempore pij possent, quod doctrinæ genus, Spiritus sanctus de cœlo missus à Domino nostro IESV Christo, per orbem terrarum promulgarit, & signis prodigijsq; confirmarit. Huius uerò generis scripta sunt: Acta Apostolorum, à Luca edita: Epistolæ Pauli omnes, præter eam quæ ad Hæbræos est scripta: prima Ioannis, & prior Petri. Hæc pro indubitatis semper habita esse, Euseb. lib. 3. cap. 25 affirmat. Ex his fundamenta de articulis fidei tutò peti possunt. Sunt autem & alia quædam hoc seculo scripta, per Ecclesias nomine Apostolorum, aut eorum discipulorum sparsa: quorum quædam in medio, propter quorundam dubitationem, sunt aliquandiu relicta, postea uerò in numerum catholicorum scriptorum recepta: quædã uerò prorsus pro apocryphis reiecta. Prioris generis sunt: epistola Iacobi, epistola Iudæ, posterior Petri, & altera ac tertia Ioannis: epistola ad Ebræos, & Apocalypsis Ioannis. Eusebius de suo tempore loquens, epistolã Iacobi primam inter septem catholicas, & Iudæ epistolam quoq; inter eas unam, & publicè in plurimis Ecclesiis legi dicit: sed tamẽ eas adulterinas esse ex eo affirmat, quòd non multi ex ueteribus mentionem earum faciant. Eusebius lib. 2. cap. 23. Præter hoc uerò argumentum à testimonio antiquitatis sumptũ, alia quoq; sunt haud obscura indicia, unde colligi potest, earum autores non esse Apostolos Iacobum & Iudam. Nam epistola Iacobi ab analogia doctrinæ Apostolicæ haud mediocriter aberrat, dum iustificationem non fidei soli, sed operibus adscribit: & legem appellat legem libertatis, cum lex sit Testamentum generans in seruitutem, Gal. 4. Deinde nec modum docendi Apostolicum obseruat. Cum enim alijs Apostolis solenne sit, licet tractent doctrinam de bonis operibus, tamen de beneficio Christi, & fide in Christum subinde aliquid loco argumenti interijcere: hìc uerò uix semel atq; iterum nominis Christi meminit, de opere autem eius prorsus mutus est. Præterea sententijs quibusdam Petri & Pauli utitur: nec se appellat Apostolum Christi, sicut Paulus & Petrus faciunt, sed tantum seruum Christi. Non igitur est absimile uero, eam epistolam à quodam discipulo Apostolorum sub finem huius seculi, aut inferiori tempore scriptam esse. Iudæ epistolam etiam hæc arguunt non esse genuinam, quòd non Apostolũ, sed seruum se appellat: quodq; ipse se post Apostolos uixisse prodit, quum inquit: Vos autem dilecti, memores estis uerborum quæ antehac dicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri IESV Christi, quòd dixerunt uobis, &c. Quòd quædam de uerbo ex posteriori Petri describit, & quòd citat sententiam de certamine Michaelis archangeli aduersus diabolum, de corpore Mosi, & ex uaticinio Enoch, quæ in probatis ueteris scripturæ libris non habentur, &c. Et quòd Iudam nõ in Græciã, sed in Persiam ueniße, memoriæ proditum est, ubi Persicè potius quàm Græcè scripsisset.

De Petri posteriori epistola Eusebius inquit: Eam non esse legitimam accepimus: & tamen quia multis uidetur esse utilis, cum alijs est usurpata scripturis. Eusebius lib. 2. cap. 3. Præter hoc unum, quòd testimonio antiquitatis carere dicitur, aliud nihil ei deesse uidetur, quo minus pro genuina Petri habeatur. nam stylus & compositio à priori nõ admodũ discrepat. Deinde

testatur, se cum Christo in monte sancto fuisse, & oculis suis maiestatem illius aspexisse, & uocem audijsse: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. & se certò asserit Apostolum Domini nostri IESV Christi, 2 Pet. 1. & 3. Approbat etiam epistolas Pauli, secũ; cum eo eadem sentire ostendit: & prophetico spiritu hæreticos, Antichristũ, & Epicureos extremi temporis depingit. Duabus posterioribus epistolis Ioannis contradictum esse à ueteribus, Euseb. indicat lib. 3. cap. 25. Et quum ex Papia probet, duos eiusdem nominis fuisse Ioannes, alterum Euangelistam Apostolum, alterum Ioannem seniorem, qui etiam in Epheso fuerit: uidetur innuere, dubitatum esse utri Ioanni eas epistolas tribuerent. Euseb. lib. 3. cap. 39. Verùm stylus non admodum à priori discrepat. Epistolam ad Ebræos non esse Pauli, quosdam ante se inde asseruisse, quòd Romana Ecclesia eam non amplecteretur, Euseb. lib. 3. cap 3. dicit: sed tamen eam non esse nouam, aut recẽs scriptã, probat, eo quòd Clemens Romanus, comes Pauli, in epistola ad Corinthios sentẽtias quasdam ad uerbum inde sumpserit. Et ait, eam non immeritò reliquis Apostoli accenseri scriptis. Cùm enim Ebræis Paulus hoc scripto patria lingua locutus sit, alios Lucã euangelistã, alios Clementem Romanum, epistolam istam interpretatum esse, putare. Et hoc quidem eo nomine ueritati magis consentaneum uideri, quòd & cõsimilem characterem utraq; & Clementis, & ea quæ ad Ebræos est epistola, contineat, & ipsi utriusq; sensus non adeò procul inter se distent. Euseb. lib. 3. cap. 37. Nicephorus lib. 2. cap. 46. causam dubitationis fuisse dicit, quòd non esset adiectum nomen Pauli, pro more aliarum epistolarum eius. Sed uidetur antiquitas grauiores habuisse rationes. Nam eam phrasin Pauli non referre, facile fiat animaduertere: quemadmodum & Origines, ut infrà dicetur, scribit, referente Euseb. lib. 6. cap. 25. Nec latére potuit legẽtes id, quod cap. 2. dicitur: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm primum enarrari cœperit per ipsum Dominum, ab ijs qui audierant, in nos confirmata fuit, attestante Deo & signis & prodigijs simul, uarijsq; uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus, iuxta ipsius uoluntatem. Ex his quis nõ colligat, epistolam hanc Pauli non esse, cùm Paulus Galat. 1. testetur, se non ab homine suum Euangelium accepisse, neq; didicisse, sed per reuelationem IESV Christi? Præterea non fuit difficile iudicare, quòd ea quæ in cap. 7. & 10. apertè in eam proferuntur sentẽtiam, quòd semel ad Christum conuersi, si iterum labantur, per scriam etiam pœnitentiam non possint recuperari: neq; doctrinæ Pauli, neq; aliorum Apostolorum, multo minus Christi, dicentis, Venite ad me omnes, &c. cõsentiant. His et similibus rationib. mota prudẽs uetustas, quæ omnia ad ἀναλογίαν fidei examinare solita est, de epistola ad Ebræos iurè dubitasse uidetur.

Euseb. de suo seculo loquẽs, ait, Apocalypsin Ioãnis alios certis & authenticis sacræ scripturæ libris adiudicare: alios uerò eis non annumerare. lib. 3. cap. 25. Et libro eodem, cap. 39. postquam ex Papia probauit, duos Ephesi fuisse Ioannes, addit: etenim uerisimile est, alterum, nisi quis primũ malit, Apocalypsin illam uidisse, quæ sub nomine Ioãnis circũfertur. Verùm si ijs habetur fides, qui propius ad hoc acceserũt seculũ, quales sunt Iustinus, Tertullianus, Irenæus, Apollonius, Theophilus Antiochenus, Eusebius lib. 4. cap. 24. quorũ testimonia sua loco referentur: affirmari poterit, eã prò Ioan. apostoli hoc nostro seculo esse habitã. Cur enim hi tã certò, Ioãnis apostoli esse cõfirmarent, si dubias de ea extitisse sentẽtias suorũ anteceſſorũ cognouisset? Nec quenquam insignis autoritatis testẽ, ex doctoribus huius aut sequẽtis seculi producit, qui eam Ioãnis apostoli esse neget. Nec quidẽ ex tertio ab hoc seculo, quenquam alium, præter Dionysiũ Alexandrinũ, citare potest. Sed neq; testimonium eius, neq; rationes, quas affert, tanti uidentur esse momenti, ut ex numero probatorũ noui Testamenti librorũ, Ioannis Apocalypsin excludant. Nam quòd ab opinione suorum anteceſſorũ, & quòd Cerinthus inde uisus sit extruere suum dogma de Christi uoluptuoso regno in terram per mille annos, & quòd phrasis non congruat cum alijs Ioannis epistolis, argumẽtatur, nõ esse Ioannis Apostoli: nõ omnino fidem certam nobis facere potest, siquidem anteceſſores diuersum ab eo sentientes, ut Tertullianus & Origines, citari possunt: & nõ tantum ea scriptura, sed etiam alijs abusi sint hæretici: & phrasis non admodũ abhorreat à stylo Ioannis, si illud cogitetur, alio genere sermonis uisiones, alio uerò historias describi oportuisse: & Ioannem potius ea uerba quæ in uisione audiuit, consignare uoluisse, quàm suo sermonis genere cõtexere. Imò ipse Eusebius in Chronico inquit, 14 anno Domitiani, Christi uerò 97. secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur: & sub eo Apostolus Ioannes in Pathmũ insulam relegatus, Apocalypsin uidit, quam Irenæus interpretatur.

Videntur aũt ueteres nõ sine rationib. Apocalypsin pro Ioãnis apostoli habuisse. nam circa finẽ imperij Domitiani, quo tẽpore Ioannes ex Pathmo reuersus dicitur, eã prodijsse meminerũt: et testes ecclesias Asianas, quib. dedicata est, habuerũt. Irenæus enim in fine lib. 5. numerum illum bestiæ Græcè scriptum χξϛ, corrigit auctoritate eorũ qui Ioannem uiderunt, indicans esse χξϛ, hoc est 666. Deinde non potuit, legẽtes eam cum attentione, præterire illa periphrasis, qua se in titulo Ioannes notat: quòd is sit, qui testificatus sit sermonẽ Dei, et testimoniũ IESV Christi, & quæcunq; uidit: quæ in nemine alium congruunt, quàm in Ioannẽ euangelistã, qui in fine Euangelij sui de se ait: Hic est discipulus ille, qui testimoniũ perhibet de his, qui scripsit hæc. Et in epistola 1. cap. 1. Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de sermone uitæ, & uita manifestata est, & uidimus, etiam testamur.

Præterea si ad ἀναλογίαν fidei eam examinarunt, non potuerunt aliquid inuenire doctrinæ Apostolicæ contrarium. Etsi enim quædam præter morem reliquarum scripturarum dici uidebantur, (qualia sunt, quòd gratiam precatur à septem spiritibus, capite primo: & quòd Christus appellatur α & ω, passim & principiũ creaturæ Dei, cap. 3. & de mille annis, quib. regnaturi sint pij cum Christo, cap. 20. quod Cerinthus, Papias, Iustinus, Irenæus, & alij intellexerunt fore post resurrectionem) tamen facilè potuerunt existimare, phrases illas esse mysticè, ut in sermone prophetico, intelligẽdas.

Nec

Nec difficile fuit animaduertere, multos articulos doctrinæ Apostolicæ in ea illustrari: quales sunt, de iustificatione per sanguinem agni, de pœnitentia, de resurrectione mortuorũ, de uita æterna: maximè uerò doctrinam de Ecclesia, cuius quidẽ integrum statũ describit, quòd persequutores, hæreticos, & alios oppugnatores habitura sit, & tamen unà cum ministerio permansura. In primis uerò antichristũ, de quo Daniel, Christus, Apostoli, alij, & ipse Ioannes in suis epistolis aliàs etiã agit, uiuis quasi colorib. depingit, exprimens nomẽ eius & locũ, idolomaniã, confusionẽ regni Christi & mundi cultores, persequutiones, durationem, reuelationem & ultimam destructionem.

Deinde ex collatione haud obscurè cernere potuerunt, Apocalypsin nõ procul à natura uisionũ prophetas illustrare, quales sunt de quatuor animalibus & de Gog & Magog, de dimensione templi, & similibus.

Postremò, si ad præsentes Ecclesiæ res aut præteritas attenderunt, ab euentu coniectare potuerunt, eam à Spiritu sancto esse profectã, nec Apostolo Ioanne indignam. Ea enim quæ in primis septem epistolis, ad Ecclesias illas septem in Asia scribũtur, earum præsentẽ, aut paulo pòst futurũ depingunt statũ, qui cuilibet hoc tempore notus fuit: unde declarationes de sequentib. peti potuerunt. Nam quòd in illis episcopi Ecclesiarũ uocãtur angeli, loco declarationis fuit: per alios quoq; angelos, doctores bonos & malos significari. Habent etiam sequentia, quæ de antichristo, eiusq; statu agunt, suas quasdã notas, quæ imagines illas monstrosas declarant: ut quòd meretricem ait esse ciuitatem, quæ habet imperiũ in reges terræ, ubi tanquã digito urbẽ Romam monstrat. Vnde hoc & sequenti & alijs seculis, ut patet ex Irenæo & alijs, urbs Roma seu Romanum imperium de hospitio antichristi suspectũ fuit. Et hæc quidẽ de ijs libris, qui dubitationi obnoxij fuerunt, dixisse satis sit: progrediamur ad reliqua.

In catalogũ adulterinorũ hos libros collocat Euseb. lib. 3. cap. 25. acta Pauli, liber dictus Pastor seu Hermæ, Apocalypsis Petri, epistola Barnabæ, apostolorũ doctrinæ, Euangeliũ secundũ Ebræos. In numerũ uerò absurdorũ, & prorsus abiectorũ refert, illa quæ sub nomine Apostolorũ, siue uelut Petri, siue Thomæ, uel Matthiæ, uel aliorũ: præterea Euangelia, aut ueluti Andreæ & Ioannis, & aliorũ Apostolorum acta continentia, ab hæreticis proferantur. Probat aũt, non esse eorum, his argumentis: quòd destituantur testimonio omnium Ecclesiasticorum scriptorum, & quòd character phraseos à consuetudine Apostolorũ uariet, & quòd ab ἀναλογίᾳ fidei, & ueritate sanæ doctrinæ discrepent, & autores suos hæreticos non obscurè prodant.

Porrò utrum hi libri hoc nostro seculo à seminatore zizaniorum sparsi sint, an uerò sequenti in lucẽ prodierint, affirmare non possumus, destituti testimonijs autorum, qui hoc tempore uixerunt.

Hactenus commemorauimus, qui libri in scriptura noui Testamenti habeantur, qui uerò non: & qui prorsus sint certissimi, qui uerò dubitatione aliqua laborarint. Nunc uerò restat exponendum, quid Apostoli de Scriptura noui Testamẽti senserint, et quid in ijs tracta minis. Quemadmodũ suæ doctrinæ, quam prædicãt, non seipsos, aut alios homines autores faciunt, sed Deũ & Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctũ: ita quoq; eandẽ epistolis suis inscriptã, sentiunt esse uerbum Dei. Non enim aliud doctrinæ genus ore sparserunt, & aliud literis suis mandarunt: sed ea quæ aliàs docuerũt de singulis capitibus doctrinæ cœlestis, si ita tulit occasio, & postulauit necessitas, literis suis repetierunt, quibus etiam eundem cum uerbo Dei attribuunt effectum. 1. Ioan. 1. Quod uidimus, & audiuimus, annunciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscũ, & societas nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo: & hæc scribimus uobis, ut gaudium uestrum sit plenũ, &c. Ioan. 2. Charissimi, non præceptũ nouũ scribo uobis, sed præceptum uetus, quod habuistis ab initio. Et 1. Ioan. 5. Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomine filij Dei, ut sciatis quòd uitam habetis æternam, & ut credatis in nomine filij eius. Et Petrus, 2 Pet. 1. Quapropter haud negligam uos semper commonere de his, tametsi sciatis, & confirmati sitis in præsenti ueritate. Attamen iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare uos per commonitionem, &c. Et paulò post: Quin & dabo semper operam, ut post exitum meum, horum mentionem facere possitis. Et 2 Petri 3. Hasce iam alteras uobis, charissimi, scribo literas, in quibus extimulo uestram per commonitionẽ sinceram, mentem, ut memores sitis uerborũ quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, et mandati nostri, qui sumus Apostoli Domini & seruatoris. Et Paul. Rom. 15. Persuasum enim habeo, fratres mei, & ipse ego de uobis, quòd & ipse pleni estis bonitate, impleti omni scientia, ualentes etiam inuicem alius alium admonere. Sed tamen audacius scripsi uobis ex parte, ueluti commonefaciens uos, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, in hoc ut sim minister Iesu Christi in gentes, administrans Euangeliũ Dei, ut fiat oblatio gentium accepta bilis, sanctificata per Spiritum sanctum. Et 1. Cor. 14. Si quis uidetur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quòd Domini sint præcepta. Cæterùm si quis ignorat, ignoret. Et 2. Cor. 1. Nam gloriatio nostra hæc est, testimoniũ cõscientiæ nostræ, quod cum simplicitate & sinceritate Dei, non sapientia carnali, sed per gratiam Dei, conuersati fuerimus in mundo, abundantius autem erga uos. Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ agnoscitis, si legitis. Et 2 Cor. 10. Hoc reputet qui eiusmodi est, quòd quales sumus sermone per epistolas cum absumus, tales sumus & dum adsumus facto. 2. Corinth. 3. Quandoquidẽ experimentum quæritis in me loquentis Christi. Ephes. 3. Siquidẽ audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in uos, quòd secundum reuelationem notum mihi fecit mysterium, quemadmodum antè scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Et Phil. 3. Eadem scribere uobis me quidem haud piget, uobis autem tutum est. 1 Thes. 4. Hoc uobis dicimus in uerbo Domini, quòd nos qui uiuimus. &c. 1. Thess. 5. De temporibus & articulis temporum non est opus ut uobis scribam: ipsi enim planè scitis, quòd dies ille Domini, ut fur in nocte, ita ueniturus sit. 1 Timoth. 4. Hæc tibi scribo, sperans fore ut ueniam ad te citò: quòd si tardius uenero, ut noris quomo

do oporteat te in domo Dei uersari. 1 Corin. 2. Loquimur non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus. Apocal. 19. Et dicit mihi: Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarũ agni uocati sunt. & dicit mihi: Hæc uerba, uera sunt Dei uerba.

Præceperunt etiam suas epistolas in alijs legi ecclesijs. Coloss. 3. Cùm recitata fuerit à uobis epistola, facite ut & in Laodicensium ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est ex Laodicæa, ut uos quoq; legatis. Et 1. Thess. 5. Adiuro uos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnib. sanctis fratribus. Et Petrus, 2 Pet. 3 haud obscurè significat, se uidisse & legisse epistolas Pauli.

Vt uerò conciones suæ doctrinæ non cõgruentes, suscipi omnibus modis uetuerunt (Galat. 1. Cæterùm etsi nos, aut angelus è cœlo, prædicauerit uobis Euangeliũ, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit:) ita etiã epistolas suo nomine scriptas, si dissentiant à uera doctrina, recipi Paulus intercidit. 2 Thess. 2. Rogamus uos fratres, per aduentũ Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregationem ad illum, ne citò dimoueami ni à mente, neq; turbemini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam tanquam à nobis profectam, quasi instet dies, ne quis uos decipiat ullo modo: Vnde etiam in eadem epist. cap. 3. monet eos de nota suarum literarũ: Salutatio mea manu Pauli, quod est signũ in omni epistola, sic scribo: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis, amen.

Vt scripturæ ueteris Testamenti subiectũ est, Messias exhibendus: ita scripturæ noui Testamẽti est, Iesus Christus Messias exhibitus, cum omnibus operibus & beneficijs suis. Christus Act. 1. ad discipulos ait: Accipietis uirtutem, posteaquam Spiritus sanctus aduenerit super uos: & eritis mihi testes, non solum Hyerosolymis, uerùm etiam in uniuersa Iudæa, Samariaq;, deniq; usq; ad extrema terræ. Et Petrus & Apostoli in concilio sacerdotũ Hierosolymis dixerũt, Act. 5. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem uos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principẽ & seruatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, remissionemq; peccatorum. ac nos sumus ei testes horum quæ dicimus: insuper autem & Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus ipsi. Et Act. 10. Et nos testes sumus omnium quæ fecit & in regione Iudæorũ, & Hierosolymis: quem occiderunt, suspensum de ligno. Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo: nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo, posteaquã resurrexit à mortuis: & præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, quòd ipse sit ille qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum ac mortuorũ. Huic prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Et Paul. Act. 13. Et nos uobis annũciamus, quòd eam repromissionem quæ ad patres facta est, Deus adimpleuerit filijs illorum: nimirum nobis, resuscitato Iesu, &c. Et paulò post, Notum sit igitur uobis, uiri fratres, quòd per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, et ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Et 1. Cor. 2. Ego cùm uenirem ad uos, fratres, nõ ueniebã cum eminentia sermonis aut sapientiæ, annuncians uobis testimoniũ Dei: nõ enim iudicaui me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christũ, & hũc crucifixum. Et 2 Cor. 5. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos per nos obsecrante, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Eum enim qui nõ nouit peccatũ, pro nobis peccatũ fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illũ. Et 1 Ioan. 4. Et nos uidimus, et testamur, quòd pater misit filium seruatorem mundi.

Cæterùm etsi in libris noui Testamẽti nõ omnes conciones, nec omnia miracula, nec omnes aliæ Christi & Apostolorũ aliorumq; piorũ huius temporis historiæ sunt memoriæ proditæ: tamen nihil eorum desiderari, quod ad salutẽ nobis scitu necessariũ est, Ioan. affirmat 20. cap. Multa quidẽ & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorũ suorũ, quæ nõ sunt scripta in libro hoc. hæc aũt scripta sunt, ut credatis, quòd Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Et Paulus 1 Cor. 3. Fundamentũ aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positũ est, Iesus Christus. Et 1 Cor. 15. Notũ uobis facio fratres, Euangeliũ quod euangelizaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciarim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Et Galat. 1. Cæterùm etiamsi nos, aut angelus è cœlo, prædicauerit uobis Euãgeliũ, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Et 1 Pet. 5. Per Syluanũ, nobis fidelem fratrẽ, ut arbitror, paucis scripsi, adhortans & testificans, hanc esse uerã gratiam Dei, in qua statis. Et Actorum 20, Paulus in concione ad presbyteros Ephesianos inquit: Annunciaui uobis, & docui uos, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga Deum est pœnitentiam, & fidem quæ est erga Dominum nostrũ Iesum Christum. Et paulò post: Non enim subterfugi, quo minus annunciarim omne consilium Dei uobis.

Quæ autẽ doctrinæ capita in libris noui Testamenti tradantur ab Apostolis, non est huius loci commonstrare. Id enim ex sequenti capitum descriptione patebit. Sic etiam superuacuum esse censemus hoc loco demonstrare, quòd doctrina in probatis libris noui Testamenti, in singulis capitibus exactissimè sibi consentiat, & reuera nihil discordiæ aut contrarietatis admittat. Sed tamen Pauli testimonium de consensione in doctrina Euangelij omniũ apostolorum et fratrũ qui Christũ uiderunt, & de eo testati sunt, nihil obest adscribere. 1 Cor. 15. ubi inter alia inqt: Siue ego, siue illi, sic prædicamus, et sic credidistis, scilicet q, Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris secundũ scripturas, & q, sepultus sit, & quòd resurrexerit tertio die secundũ scripturas. Inter Euãgelia et alios noui Test. libros hoc interest, q, Euãgelistæ historiã Christi prolixius cõmemorant: Apostoli uerò in cõcionib. quarũ aliquot in Actis annotãtur, & in epistolis suis, historiã tantũ summatim perstringũt, sed de fructu operũ Christi, deq; applicatione ad nostrã salutẽ, & de nouitate uitæ, de resurrectione mortuorũ & uita æterna, enucleatè & prolixè docti.

Si cum scriptura ueteris Testamenti scripta Euangelistarum & Apostolorum conferantur, nemini non obuium est, utrisq; communem esse autorem Deum, & idem subiectũ, scilicet Messiam generis humani redemptorem per mortẽ et resurrectionem: eadem præcipuas capita,

capita, legem & Euangelium: eandem in utrisq; tradi uiam ad salutem, per fidem in semen benedictũ, qui est IESVS Christus, ut in superiorib. ostensum est, & Petrus eleganter testatur Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes prophetæ, quòd remissionem peccatorũ accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Et in concilio Act. 15. Nũc ergo quid tẽtatis Deũ, ut imponatur iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi, credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi.

Autor epist. ad Ebræos citat multas historias ueteris Test. ut, Cain et Abel, Gen. 4. Enoch Gen. 5. Noe Gen. 6. Abrahæ, Gen. 12. 13. Sarai, Gen. 21. Abrahæ & Isac, Gen. 22. Isac, Iacob & Esau, Gen. 27. & Ioseph, Gen. 48. 49. 50. Mosis, Exod. 2. Paschatis, Exod. 12. Transitus per mare rubrum, Exod. 14. Vastationis Hierichuntis, Ios. 6. Rhaab, Ios. 2. 6. Gideonis & aliorum, Iud. 4. 6. 12. 13. Daniel. 14. item 3. Reg. 1. 2 Paral. 24. Vnde probat, omnes patriarchas & prophetas, cæterosq; pios homines in ueteri Testamento, habuisse fidẽ, & per eam res magnas gessisse, & assequutos esse promissiones, Deoq; placuisse. Ebr. 11. Vetus & nouum Testamentum prophetias etiam de extremorum temporum statu, de antichristo, de Gog & Magog, de extremo iudicio & resurrectione mortuorum, & uita æterna piorũ, & morte æterna impiorũ, habent cõmunes: nisi quòd in nouo apertius et clarius omnia describũtur, quàm in ueteri.

Sed tamen nonnullas utramq; etiam habere differentias, non est difficile animaduertere. Nam in ueteri Testamento. Deus locutus est per prophetas: in nouo uerò, locutus est per filium suum Dominum nostrum Iesum Christũ, & per Apostolos. Stephanus Act. 7. Quẽ prophetarum nõ sunt persequuti patres uestri? Et occiderũt eos qui pronunciabãt de aduẽtu iusti illius, cuius uos nũc proditores & occisores fuistis: qui accepistis legẽ per dispositiones angelorũ, nec seruastis. Petrus 1 epist. 1. Prophetæ de uẽtura in uos gratia uaticinati sunt. Autor epist. ad Ebr. Deus olim multifariã, multisq; modis locutus patrib. per prophetas, extremis hisce diebus locutus est nobis per filiũ. Ebr. 1. Idẽ etenim, si is q̃ per angelos dictus fuerat sermo, fuit firmus, & omnis trãsgressio & obediẽtia iustã præmij repensationẽ accepit, quomodo nos effugiemus, si tantã neglexerimus salutẽ? quæ cũ primũ enarrari cœperit per ipsum Dominũ, ab ijs qui audierãt, in nos cõfirmata fuit. Ebr. 2.

In scriptura ueteris Testamẽti, prophetæ reuelata diuinitus commemorant: in noua uerò, Apostoli uisa & audita proponũt. 1 Ioã. 1. Quod uidimus & audiuimus, annũciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscũ, & societas nostra sit cũ patre & filio eius Iesu Christo. 2. Pet. 1. Nõ enim arte cõpositas fabulas secuti, notã uobis fecimus Domini nostri Iesu Christi uirtutẽ et aduentũ, sed q̃ oculis nostris aspeximus illius maiestatẽ.

In Scriptura ueteri pleraq; doctrinæ capita obscurius proponũtur: in noua uerò omnia clarissimè explicãtur. Et dictio prophetica plus habet figurarũ, quàm sermo Christi et Apostolorum, qui planior est, & apertior. In scriptura ueteris Testamenti umbræ rerũ futurarum propositæ sunt, cum in sacerdotio, tẽplo & cerimonijs, tum etiam in historijs, ut suprà ostensum est.

In noua uerò res ipsæ habẽtur. Col. 2. Ne quis igitur uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut noui lunij aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerũ futurarũ, corpus aũt Christi. 1. Cor. 10. Hæc aũt figuræ nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes rerum malarũ. Autor epistolæ ad Ebræos: Nam lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, his hostijs, quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam potest accedentes perfectos reddere. Ebr. 10. Idem: Qui offerunt iuxta legem donaria, quæ quidem exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium, quemadmodum oraculo responsum est Mosi, cùm esset absoluturus tabernaculum. nam, Vide (inquit) ut facias omnia secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte.

In scriptura ueteri externum sacerdotium, templũ, Hierosolyma, certi cultus, ceremoniæ, oblationes, et certæ leges, successio ordinaria sacerdotum, regnũ etiam politicum, & similia describuntur. In noua autem, ad spirituale & æternum Christi sacerdotium & regnũ, & cultus spirituales omnia referuntur, figuris illis antiquatis & abolitis. Autor epistolæ ad Ebræos: Omnis sacerdos adsistit quotidie sacra peragens, & easdẽ sæpius offerens hostias, quæ nunquã possunt auferre peccata. Hic uerò una pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectãs, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Item: Porrò ubi peccatorũ remissio est, non est amplius oblatio pro peccato. Idem ad Ebr. 13. Offeramus hostiã laudis semper Deo: hoc est, fructum labiorum, confitentium nomini eius. Cæterum beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini. Talibus enim uictimis res grata præstatur Deo. Et Paulus ad Romanos 12. oblationes exponit de noua obedientia: Obsecro uos fratres, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum. Et Petrus 1 epist. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum acceßit, ut uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilem suam lucem. Et Apocalypsis 1 & 5. Lauit nos à peccatis nostris, per sanguinẽ ipsius, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo.

In scriptura ueteri numerus annorum à cõdito mundo usq; ad Christum Messiã exhibitũ, & tribuũ Israel distinctiones seu genealogiæ sedulò & diligenter annotantur: quod singulari Dei consilio factũ est, ut sciretur quando Messiæ aduẽtus expectãdus esset. In noua uerò scriptura successionũ series nõ assignatur, nisi q̃ status extremorũ tẽporũ per prophetias quasdã describitur.

Sacrificia ueteris Testamenti ad tempus sunt imposita, & tantùm sanctificarunt homines ad carnis purificationem, sed nõ potuerunt iuxta conscientiã perfectũ reddere cultorem: Ebræ. 9. Nec sanguis taurorum potuit tollere peccata: Ebræ. 10. Sed unicum sacrificium Christi, aboleuit omnia illa sacrificia uetera, & expiauit omnia nostra peccata: Ebræ. 9 & 10.

Vetus Testamentũ per nouũ est antiquatũ & sublatum, sed nouũ Testamentũ manet usq; ad finẽ seculi. 2. Cor. 3. Etenim si id quod aboletur, fuit in gloria, multo magis id quod manet, est in gloria. Ebræis 8. Per hoc quod dicit nouum, antiquauit uetus. & Ebræis 10. Tol-

lit prius, ut statuat posterius. Vbi etiã ostendit, Spiritum sanctum in ueteri Testamento nouum prædixisse. Huc pertinet tota historia concilij Hierosolymitani, in quo lex Mosi abrogatur, communi Spiritus sancti & Apostolorum sententia.

In ueteri Testamento Iudæi pro populo Dei habentur, estq; Ecclesia quasi angustis metis terræ Chanaan inclusa: in nouo uerò fit collectio Ecclesiæ ex Iudæis et gentibus, & propagatur doctrina Euãgelij per omnes fines orbis terrarũ. Ephes. 2. Quapropter mementote, quòd uos quondã gẽtes in carne uocabamini præputiũ, ab ea quæ uocatur circũcisio in carne, quæ circumcisio fit manibus: quòd inquã eratis tẽpore illo sine Christo, abalienati à repub. Israelis, & extranei à Testamẽtis promissionis, spẽ nõ habẽtes, Deoq; carẽtes in mundo. Nunc aũt per Christũ Iesum, uos qui quondã eratis longinqui, propinqui facti estis per sanguinẽ Christi. ipse enim est pax nostra qui ex utrisq; fecit unũ, & interstitium maceriæ diruit, &c. 1. Pet. 2. Qui quondam eratis nõ populus, nunc populus Dei: qui quondã eratis nõ cõsecuti misericordiã, nunc estis misericordiam cõsecuti.

Patefactionũ claritate, & miraculorũ multitudine, nouũ Testamentũ antecellit ueteri. Nã præter id quòd in baptismo Christi sese patefecit trinitas, & Christus uerbo sanat omnia genera morborũ, & resuscitat mortuos, & ipse Christus mortuus tertio die resurgit, & ascendit ad cœlos, ut dictũ est libro superiori: etiã post ascensionẽ Christi ad cœlos, patefactiões illustres fiũt. Mittitur enim spiritus sanctus de cœlo, solẽni et sensibili modo, quo antea nunquã erat factũ. nã uehemẽti soni tu & fragore, instar turbinis procellosi, per aerẽ delabitur in domum ubi erãt Apostoli Hierosolymis, eamq; implet totam, ibiq; spirat et collocat sese per singulos, in dissectis flãmeis linguis sese conspiciendũ præbet: & in momẽto timidos & rudes Apostolos, cœlestis doctrinæ, omniũq; linguarũ facit peritissimos, & ad propagãdam doctrinam Euangelij animosissimos: Act. 2. Christus ad dexterã Dei, patefacit sese Stephano: Act. 5. Et Saulũ prope Damascũ ex equo deturbat, cũq; in tertiũ cœlũ raptũ docet doctrina Euangelij, & ablegat eũ ad prædicandũ Euangeliũ gentibus: Act. 9. Edũtur signa & miracula plurima, ad confirmandã doctrinã Euangelij per Apostolos. Act. 3. Petrus & Ioannes claudum ex utero matris, in nomine Iesu Christi Nazareni sanant. Act. 5. uoce Petri arguente Ananiã & Sapphirã, quòd mentiti sunt spiritui S. extinguũtur ambo: & umbra Petri infirmos in plateis positos curat, & ægri & uexati à spiritib. immundis ex uicinis ciuitatib. Hierosolyma ad Apostolos adducti sanantur omnes. Orantibus Apostolis mouetur locus, Act. 4. Ioanne & Petro imponente manus in Samaria baptisatis, datur Spiritus sanctus: Act. 8. Ioppe Tabitha mortua, à Petro in uitã reducitur: Actorum 9. Petro per uisionem reuelatur uocatio gentium & concionante eo, Spiritus sanctus uenit super gentes in domo Cornelij congregatas. Act. 10. Petrus per angelum Domini educitur ex carcere: Act. 12. Paulus Elymam magum sua imprecatione priuat oculis, Act. 13. In Lystris sanat claudũ: Act. 14. Eijcit Spiritum Pythonis è puella Philippis: Act. 16. Orante Paulo & Sila in carcere, fit terræmotus magnus, et concutitur fundamentum carceris: Act. 16. Deus edebat in Epheso miracula per manus Pauli, ità ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali: Act. 19. Vipera adhærens brachio Pauli, nihil ei nocet. Curat patrem Publij febricitantem, in insula Melite: Act. 27. Eutychum resuscitat ex morte: Act. 20. Hæc similia plurima edita sunt signa & prodigia, ad confirmationem doctrinæ Apostolorum, sed tam crebra in ueteri Testamento non sunt facta.

Sacramentorum quoq; in nouo Testamento euidentior est ratio, quàm in ueteri. Hæ enim umbræ erant rerum futurarum, illa uerò res ipsas habent. & promissiones sacramentis noui Testamenti additæ, sunt magis perspicuæ, quàm ueteris, ut patet ex suo loco.

In ueteri Testamento plures fuerant sacerdotes, qui fiebant sine iuramento: in nouo uerò unus in æternum manet sacerdos, Dominus noster Iesus Christus. Ebræis 7. Nam illi quidem citra iusiurandum sacerdotes facti sunt, hic uerò iureiurando, per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundũ ordinem Melchisedech. Tanto potioris Testamenti sponsor factus est Iesus, & illi quidem plures facti fuerunt sacerdotes, propterea quòd per mortem non sinerentur permanere. At hic, quòd idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium. Vnde & saluos facere ad plenũ potest, qui per ipsum adeũt Deum, semper uiuens ad hoc, ut interpellet pro illis. Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus: cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel, cum semetipsum obtulit.

In ueteri Testamẽto terribiliora omnia sunt, quàm in nouo. Ebræis 12. Non accessistis ad contactum monte, & incensum ignem ac turbinem, & caliginem & procellam, tubæq; sonitum, & uocem uerborum: quam qui audierant, deprecati sunt, ne his adiungeretur oratio. Non enim ferebant quod edicebatur. Si bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo configetur: & adeò terribile erat uisu quod apparebat. Moses dixit: Exterritus sum ac tremebundus. Sed accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem, & ad innumerabilium angelorũ cœtum, & ad concionem primogenitorũ, qui conscripti sunt in cœlis, & ad iudicem uniuersorum Deum, & ad spiritus iustorũ perfectorum, & ad noui Testamenti conciliatorem Iesum, & ad sanguinẽ aspersionis meliora loquentem quàm sanguis Abel.

De usu sacræ scripturæ eleganter docent, quòd propter nos scripta sit, ut nos eruditi de fidei articulis, & alijs rebus scitu necessarijs. Paulus 1 Cor. 10. Hæc autẽ omnia figuræ contigerunt illis: scripta uerò sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Et Rom. 15. Omnia quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem spem haberemus scripturarum. Et 2 Timoth. tertio: Omnis scriptura diuinitus inspirata, est utilis ad doctrinã, ad redargutionẽ, ad correctionẽ, ad institutionẽ, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonũ apparatus. Et

1 Cor.

1 Cor.14. Qui prophetat hominibus, loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

Senserunt etiã, ex S. scriptura refutandos esse hæreticos, & decernendũ de rebus cõtroversis. Apollo uehementer reuincebat Iudæos, ostendens per scripturas, q̃ Iesus esset Christus: Act.18. Et 1 Pet.4. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Gal.1. Si q̃s aliud Euangeliũ, etc. 1 Thes.5. Spiritũ ne extinguatis, prophetias ne aspernemini: omnia probate, quod bonum fuerit tenete.

Quòd Deus distribuat dona discentibus scripturã, & operetur salutẽ per fidẽ in Iesum Christũ 2. Tim.3. At tu persistito in his quæ didicisti, & quæ tibi cõcredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditũ reddere ad salutẽ per fidem, quæ est in Christo Iesu. Et 1 Tim.4. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, ne neglexeris quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum, autoritate presbyterij.

Sacræ scripturæ Paulus opponere uidetur philosophiam. Col.2. Videte ne quis sit qui uos deprædetur per philosophiã, & inanem deceptionẽ, iuxta cõstitutionẽ hominũ, iuxta elemẽta mundi, & nõ iuxta Christum. Item: Si mortui estis cum Christo ab elemẽtis mundi, quid quasi uiuẽtes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neq; cõtrectaris: quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominũ, quæ uerbotenus quidẽ habent speciẽ sapientiæ per superstitionem ac humilitatẽ animi, & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis. Et prophanas ac aniles fabulas, de genealogijs nunquam finiendis. 1 Timoth.1 & 4. Prophanas uocum inanitates, & oppositiones falso nominatæ scientiæ. 1 Tim.6. 2 Tim.2. Iudaicas fabulas, & præcepta hominũ auertentium ueritatem: Tit.1. Stultas quæstiones & genealogias, & cõtentiones ac pugnas legales: Tit.3. Et abusum scripturæ, 2 Pet.3. Traditiones patrũ, 1 Pet.1.

Dicuerunt etiã, sacræ scripturæ nihil esse addendũ aut detrahendum: Gal.1. Si quis aliud Euangelium præ dicauerit, quàm nos prædicauimus, anathema sit. Idem Gal.3. Hominis testamentum, si tamen sit probatum, nemo reijcit, aut addit aliquid. Rom.15. Paulus non audet quicquã eorum proloqui, quæ per se non fecit Christus. Apoc.22. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in hoc libro.

DE SYMBOLO Apostolico.

Summa doctrinæ Apostolorũ, & quidẽ totius scripturæ ueteris & noui Testamenti, mira cõcinnitate et breuitate in Symbolo cõprehensa est. Quare loco argumẽti capitũ sequentiũ, id hic assignandũ duximus.

Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Iesum Christum, filium eius unicũ, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Ascẽdit ad cœlos, sedet ad dexterã Dei patris omnipotentis: inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Credo in Spiritũ sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æternam; Amen.

Instar symboli, Pauli esse potest confessio, quam Cæsareæ in iudicio coram Felice, accusatus à Iudæis, edit: Confiteor aũt hoc tibi, quòd iuxta uiam quam uocant hæresin, sic colo patrium Deũ, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in Deũ, fore, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum, iustorum simul & iniustorũ. Quin in hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere erga Deum, & erga homines semper. Act.24.

Quamuis autẽ symbolum ad uerbum in libris noui Testamenti non reperitur scriptũ, nec Lucas in Actis, aut quisquam Apostolorum in suis Epistolis, eius compositionis mentionem faciat: tamen communi patrum sententia, duodecim Apostoli eius architecti et autores perhibentur. nec quidem iniuria, cum nemini non sit apertum, ad singula capita doctrinam Apostolorum & totius scripturæ eleganter congruere. Nam etsi Ignatius, Irenæus, Iustinus, sequentis seculi doctores, nõ expresse, cũ in Symboli mentionẽ nõ incidant, testentur Apostolorum esse: tamen quum quædam ipsius uerba aliquoties repetant, haud leuem coniecturam præbent, suo tempore, quod ad Apostolos proximè accedit, compendium doctrinæ inde ab Apostolis adhuc in usu & memoria doctorum mansisse: ut in historia de doctrina sequentis seculi dicitur.

Quarti uerò abhinc seculi doctores non dubitarũt affirmare, se ex traditione maiorum accepisse, Symbolum ab Apostolis esse factum. Sic enim Ruffinus Aquileiensis, cui tribuitur Symboli expositio, quæ hodie inter opera Cypriani extat, & Hieronymi, inquit: Tradunt maiores nostri, quòd post ascensionem Domini, cum per aduentum sancti spiritus super singulos quosq; Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diuersis uarijsq; loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nullæ linguæ barbaræ inaccessæ uiderentur: & in uia præceptũ eis à Domino datum, ob prædicandum uerbũ Dei ad singulas quasq; proficisci nationes. Discessuri itaq; ab inuicẽ, normã prædicationis in cõmune constituunt, ne fortè alius ab alio abducti, diuersum aliquid, his qui ad fidem Christi mutabantur, exponerent. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breue istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis iudicium, conferendo in unum quod sentiebat unusquisq; componunt, atq; hanc credentib. dandam esse regulã statuunt. Huic etiam Hieronymus adstipulari uidetur, cum in epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani ait: In Symbolo fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem trinitatis, et ueritatẽ Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentũ carnis resurrectione includitur. In sermone etiã 38 de Ieiunijs & quadragesima, apud Ambrosium, hæc extant uerba: Ista aũt ipsa clauis quã fidẽ dicimus, uideamus quemadmodum constet, quemadmodum solida sit: arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apostolorum Symboli fides sancta concepta est, qui uelut periti artifices in unum conuenientes, clauẽ suo consilio conflauerunt: clauem enim quandam, ipsum Symbolum dixerim.

Augustinus quoq; in lib.1. ad Catechumenos, de Symbolo ait: Ista uerba quæ audistis, per diuinas scripturas

sparsa

sparsa sunt: sed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominũ memoria laboraret, ut omnis homo posśit dicere & posśit tenere quod credit. Et lib. 3. ad eosdem: Sacramentum symboli quod accepistis, memoriæq; mandatum pro uestra salute retinetis, noueritis hoc esse fidei catholicæ fundamentum, super quod ædificium surrexit Ecclesiæ, constructũ manibus Apostolorum & Prophetarum.

Apud Epiphanium Marcellus quidam episcopus, in literis ad Iulium episcopum Romanũ, Symboli uerba recitat, & addit: Se hanc fidem ex diuinis scripturis accepisse, & à maioribus secundũ Deum edoctum esse, & eandem se in ecclesia Dei prædicare. Et hæc quidem de Symbolo monuisse sufficiat.

DE DEO.

VOcabulum Deus & Dominus, aut creatori aut creaturis attribuitur, in scriptis Apostolorum. Creatorẽ eo nomine paśim denotant omnes. Petrus Act. 2. Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius nos omnes sumus testes. Act. 4. Petrus & Ioannes respondentes dixerunt ad eos: An iustũ sit in conspectu Dei, uos potius audire, quàm Deũ, iudicate. Act. 5. Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et Act. 4. Domine tu es Deus, qui fecisti cœlũ & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et Stephanus Act. 7. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cũ esset in Mesopotamia, priusquã moraretur in Charran. Stephanus clamauit uoce magna: Domine, ne statuas illis peccatũ hoc. Paulus Act. 13. Is quem Deus suscitauit, nõ uidet corruptionẽ. Idem Act. 20. Seruiens Domino cũ omni humilitate animi. Rom. 1. Deus enim illis patefecit: siquidẽ quæ sunt inuisibilia illius ex creatiõe mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur. Idem 2 Thes. 2. Dominus dirigat corda uestra. Et 1 Tim. 6. Dominus dominantiũ. 1 Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiã. 2 Petri 2. Deus angelis non pepercit, qui peccauerant. 2 Pet. 2. Nouit Dominus pios è tentatione eripere. Ioannis 4. Deum nemo uidit unquam. Autor epistolæ Iudæ: Soli sapienti Deo, seruatori nostro, gloria & magnificentia, & imperiũ, & potestas, nunc & in omnia secula. Autor epist. Iacobi 4. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à uobis.

Creaturas etiam deos & dominos dici, Paulus 1 Corinth. 8. affirmat. Nam etiãsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodũ sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen unus est Deus, &c. Deos & dominos in terra absq; dubio magistratus putat, in cœlo uerò angelos: quos thronos, dominationes, principatus & potestates, Coloss. 1. appellat. Sic 2 Thess. 2. Effertur aduersus omnem qui dicitur Deus: quidã non malè accipiunt de magistratu. Ephes. 6. Serui obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem. Tit. 2. Seruos hortare, ut suis dominis pareant. Rom. 14. Seruus suo domino stat aut cadit. 1 Pet. 3. Sara Abraham appellasse dicitur dominum.

Nomen etiã Dei idolis & ficticijs gentiũ numinib. tribuitur. Act. 19. Demetrius inquit: Paulus hic persuasit & auertit multã turbam, dicens, quòd nõ sint dij qui manibus fiunt. Gal. 4. Sed tum quidẽ cum ignoraretis Deũ, seruiebatis ijs qui natura non sunt dij. Act. 17. Athenienśibus concionans inquit: Præteriens enim & contemplans culturas uestras, inueni & ará, in quas iuscriptũ erat, Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuncio uobis. Philip. 3. Quorum deus uenter: hoc est, summũ bonum in cura uentris ponũ. Etiam diabolus, deus huius seculi appellatur, 2 Cor. 4.

Porrò cum creatorẽ notant hæ duæ uoces, Deus & Dominus, attribuuntur etiam singulis personis, patri, filio, & spiritui sancto. In his & similibus, Deus et Dominus patrẽ significat. Petrus & Ioannes in tẽplo concionantes inquiunt, Act. 3. Vobis primũ Deus, cũsuscitasset filiũ suum Iesum, misit eum benedicentem uobis. Actorũ 2. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et Stephanus Act. 7. Ecce uideo cœlos apertos, & filiũ hominis stantẽ à dextris Dei. Paulus Philip. 2. Quapropter Deus illũ in summam extulit sublimitatem. 1 Cor. 8. Christus tradet regnũ Deo. 2 Thes. 2. Deus & pater noster. 2 Tim. 1. Det ei Dominus, ut inueniat gratiã apud Dominum. Ephes. 1. Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ. 1 Pet. 1. Qui per illum creditis in Deum.

In sequentib. dictis & similibus, Deus & Dominus Christo tribuuntur. 1 Tim. 3. Deus manifestatus est in carne. Et Tit. 2. Expectantes apparitionẽ gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi. 1 Ioan. 5. Scimus quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illũ qui uerus est, & simus in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus, & uita æterna. Stephanus Act. 7. Domine Iesu, suscipe spiritũ meũ. Ananias Act. 8. Domine, audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymis. Et rursus: Abijt Ananias, & introiuit in domũ, & imponens ei manus dixit: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in uia, qua ueniebas, ut uisum recipias. Et Petrus ad Corneliũ, Act. 10. Iesus Christus est omnium Dominus. Idẽ in cõcilio Act. 15. Per gratiã Domini Iesu Christi, credimus nos saluos futuros, quemadmodũ & illi. 2 Pet. 2. Dominũ qui illos mercatus est, abnegantes. Ioannes apostolus uoce Domini in epistolis suis nõutitur. Sed Apoc. 11. Corpora corũ iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ uocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est. Paulus uerò in epistolis suis ferè ubiq; Christũ appellat Dominũ, sicut patrem Deũ. 1 Cor. 2. Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, &c. Ibid. 8. Vnus Dominus Iesus Christus. Et 11. Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est. Et 12. Nemo potest dicere Dominũ Iesum, nisi per spiritum sanctum. 2 Thes. 2. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.

Sæpe aũt Domini nomen absolutè positũ, significat Christũ. Act. 9. Dixit aũt Dominus: Ego sum Iesus, quẽ tu persequeris. Item, Dominus per uisum Ananiæ dixit: Anania. at ille ait: Ecce Domine. Item: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in uia.

Appellatur etiã Spiritus sanctus, Deus. Act. 5. Non hominibus, sed Deo mentitus es. Et 1. Corin. 15. appellatur Deus & Dominus: Diuisiones donorum, sed idẽ spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & diuisiones operationũ sunt, sed idẽ est Deus, efficiens omnia in omnibus. Nisi quis tamen per Dominum, intelligi uelit Christum: & per Deum, patrem.

Esse

Esse autem Deum, hoc est essentiam quandam æternam & omnipotentem, opificem omnium rerum, omnes præse ferunt, & probant, eo ipso quòd quis sit ille uerus Deus, dilucidè expediunt. nec necesse habuerũt apud Iudæos, an Deus sit, demonstrare, cum ij ex tot patefactionibus sibi factis inde ab Abraham usq;, Deũ esse nossent. Quare Apostoli in suis cõcionibus Act. 2. 3. 4. 5. & Stephanus 7. Philippus 8. Paulus 13. et autor ra & patefactionibus diuinis per uerbũ & miracula. Et hunc Deum esse patrem Domini nostri Iesu Christi, liquidò ex Scriptura probant. Verùm cũ gentibus concionati sunt, oportuit eos aliquid ad confirmandã eam quæstionẽ afferre. Sumunt aũt argumenta à creatione & sustentatione omniũ rerum, Paulus & Barnabas Act. 14. Vt ab istis uanis conuertamini ad Deum unum, &c. Quanquam nõ expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret de cœlo, nobis dans pluuias ac tẽpora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Idem Act. 17. ad Athenienses inquit: Deus qui fecit mundũ, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo: cum ipse det omnib. uitã & halitũ per omnia, fecitq; ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ: præfinijtq; præstituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorum, ut quærerent Deum, si fortè palpent eum, & inueniant, quamuis non longè absit ab unoquoque nostrûm: per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus. Rom. 1. Id quod de Deo cognosci potest, manifestũ est in illis. Deus enim illis patefecit. Siquidẽ quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur: ipsaq; æterna eius potentia ac diuinitas, in hoc ut sint inexcusabiles.

A noticia innata singulis hominibus. Rom. 2. Gentes sibijpsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis, simul attestante illorũ conscientia, et cogitationib. inter se accusantibus, aut etiã excusantibus.

A studio gentium, quo singuli aliquos sunt prosequuti deos. Rom. 1. Mutauerunt gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerumetiam uolatilium, & quadrupedum, & reptilium. Et Gal. 4. Cum ignoraretis Deum, seruiebatis ijs qui natura non sunt dij. Et 1 Corinth. 12. Scitis quòd gentes fuistis, & ad simulachra muta utcunq; ducebamini sequentes.

A testimonijs poetarũ. Act. 17. Sicut et quidã poetarũ uestratiũ dixerũt: Nam huius progenies etiã sumus.

A testimonio Scripturæ sanctæ. Rom. 1. Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat in Scripturis sanctis, de filio suo. Et 1 Cor. 15. etiam indicat suam doctrinam de Deo & Christo, niti fundamento Scripturæ sacræ. Et Petrus 1 epist. 1. dicit, Prophetas exquisiuisse, & scrutatos & uaticinatos esse de uentura gratia.

Ab operib. Christi, ut potè resurrectione, ascensione ad cœlos, & missione Spiritus sancti, & signis ac miraculis in nomine Christi editis. Act. 2. Dextra igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus S. accepta à patre, effudit hoc quod nunc uos uidetis & auditis. Non enim Dauid ascendit ad cœlos, &c. Act. 4. Per nomen IESV Christi Nazareni, quem uos crucifixistis, quem Deus suscitauit ex mortuis, per hunc iste adstat coram omnib. uobis sanus. Rom. 1. Qui declaratus fuit filius Dei cũ potentia, secundũ spiritũ sanctificationis, ex eo quòd resurrexit è mortuis Iesus dominus noster.

A suo ipsorũ testimonio. Petrus 2 epist. cap. 1. testatur, se in monte sancto uocẽ ad Christũ delatã, Hic est filius meus dilectus, audisse. Et Act. 2 & 3 dicunt Apostoli, se testes esse resurrectionis Christi. Et Act. 10. Petrus dicit, se et alios Apostolos testes prius ad hoc delectos à Deo, comedisse & bibisse unà cum Christo, posteaquã resurrexit à mortuis: sibiq; præceptũ esse ut prædicarẽt populo, & testificarentur, quòd ipse sit ille qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Stephanus Act. 7. testatur, se filium hominis uidere stantem à dextris Dei. Paulus etiam Act. 22. testatur, sibi Deum patrum nostrorum apparuisse. Et Gal. 1. dicit, se doctrinã suã per reuelationẽ Iesu Christi accepisse. Et 2 Cor. 12. haud obscurè indicat, se raptum usq; in tertium cœlum esse, & in paradisum, & audiuisse arcana uerba, quæ fas non sit homini loqui. Ioannes quoq;, 1 Ioan. 4. Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium seruatorem mundi.

Definitionem Dei eandem, quam Dominus noster Iesus Christus, præceptor & magister ipsorum & noster, tradunt, ut ex testimonijs demonstrabimus: estq; huiusmodi. Deus est spiritualis essentia, uiua, sapiens, æterna, uerax, bona, misericors, iusta, sancta, excelsissima, omnipotens, & liberrima: Pater æternus, qui filium suum ab æterno genuit: filius ab æterno à patre genitus, & qui præfinito tẽpore homo factus est: Spiritus sanctus, à patre & filio procedens: trinus in personis, unus essentia, creator & conseruator omnium creaturarũ, & ministerio uerbi omnibus ætatibus sibi colligens & sanctificans Ecclesiam, à qua iste unicus & uerus Deus & in hac & in futura uita agnoscatur & celebretur, impios in hoc & futuro seculo puniens.

Testimonia quæ hanc definitionẽ suppeditant, sunt hæc. 2 Cor. 3. Dominus aũt spiritus est. Idẽ fermè notatur alijs epithetis, qualia sunt: Deus habitat lucem inacceßam, quã nemo hominũ uidit, nec uidere potest. 1 Tim. 6. Deus est inuisibilis. 1 Tim. 1. Qui est imago Dei incõspicui: Col. 1. Deus lux est, & tenebræ in eo nõ sunt ullæ. 1 Ioan. 1. Deũ nemo uidit unquã. 1 Ioã. 4. Et rursus: Deũ, quem nõ uidet, quomodo potest diligere? 1 Ioan. 4. Omnis donatio bona, & omne donum perfectũ, è supernis est, descendens à patre luminũ, apud quẽ non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio: autor epist. Iacobi 1. Ex epistola ad Ebræos 1. colligi potest, Deum esse substantiam splendentem & gloriosam. Ex 2 Petri 1. colligi potest, Deũ esse uirtutem diuinam, seu naturam diuinam. inquit enim, Diuina uirtus nobis omnia largita est.

Est aũt essentia uiua. Paulus & Barnabas Act. 14. Et ab istis uanis cõuertamini ad Deum uiuum. 1 Thessalon. 1. Quomodo conuersi fueritis ad Deum à simulachris, ut seruiretis Deo uiuenti & ueraci. 1 Tim. 3. Ecclesia est domus Dei uiuentis. 1 Timoth. 4. Qui spem fixam habemus in Deo uiuente. 1 Petri 1. Per sermonem uiuentis Dei, & permanentis in æternum.

Ebr.

Ebr.3. Videte ne sit in uobis cor malum incredulitatis, discedere à Deo uiuo. Et 12. Acceßistis ad ciuitatem Dei uiuentis.

Quòd Deus sit æternus, & immortalis, & beatus: Rom.16. Secundum præceptum æterni Dei. Rom.1. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsáque æterna eius potentia & diuinitas, &c. Tit.1. Vitã æternam promisit is qui mentiri nescit Deus, ante tempora æterna &c. 1 Tim.1. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honor, gloria, in secula seculorum. 1 Tim.6. Ille beatus, qui solus habet immortalitatem, &c. Et 1 Tim.1. Secundũ Euangelium gloriæ beati Dei, quod concreditum est mihi. 1 Pet.5. Deus omnis gloriæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Christum Iesum. 2 Pet.1. Ad hunc modum abundè subministrabitur uobis introitus in æternũ regnũ Domini nostri & seruatoris Iesu Christi. 2 Pet.3. Vnus dies apud Dominũ perinde est ut mille anni, & mille anni ut dies unus. Autor epist. ad Ebr. cap.7. At hic quòd idem maneat in æternũ, perpetuum habet sacerdotium. Ebr.9. Per spiritum æternum seipsum obtulit. 1 Ioan.5. Et hoc est testimonium, quòd uitam æternam dedit nobis Deus, & hæc uita in filio eius est.

Quòd Deus sit intelligens & sapiens, ex operibus eius constat, & quidem hæc etiã dicta probant. Rom. 11.O profunditatem diuitiarũ & sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à consilijs? Ro.16. Et aũt, &c. soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui gloria in secula, Amen. 1 Tim.1. Soli sapienti Deo gloria & honor. 1 Cor.1. Stultitia Dei sapientior est quàm homines. 1 Cor.2. Loquimur sapientiam Dei in mysterio. Ephes.3. Vt innotescat uehemẽter uaria sapientia Dei. Col.1. In Christo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ reconditi. 1 Cor.14. Non enim est autor confusionis Deus, sed ordinis. Act.1. Tu Domine corda nosti omnium. Rom.8. Ille qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus. 1 Ioan.3. Maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.

Deum esse ueracem, ex his patet. Rom.3. Num incredulitas illorũ, fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus uerax, omnis aũt homo mendax, quẽadmodũ scriptũ est: Vt iustificeris in sermonib. tuis, & uincas cũ iudicaris. Tit.1. Deus nescit mẽtiri. 2 Tim.2. Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsum nõ potest.

Deum bonum, clementem, misericordem & tolerantem esse, docent his sententijs. Rom.3. An diuitias bonitatis illius, ac tolerantiæ lenitatis q; contemnis, ignorans quòd bonitas Dei te ad pœnitentiã inuitat? Ro.9. Deus multa animi lenitate tulit uasa iræ, apparata in interitũ, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ, quæ præparauerat in gloriam. Ephes.2. Deus diues est in misericordia. Et Rom.11. Ecce igitur bonitatẽ & seueritatẽ Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te, bonitatẽ, si permanseris in bonitate. 1 Tim.2. Nam hoc bonũ est, & acceptũ coram Deo seruatore nostro, qui cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1 Tim.4. Deus est seruator omnium hominũ, maximè fideliũ. 2 Pet.3. Haud tardat Dominus, etc. uerùm patiẽs est erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. Autor epistolæ Iacobi 5. Tolerantiam Iob audistis, & finẽ Domini uidistis, quòd ualde misericors sit Dominus, & cõmiserans. Huc etiã pertinẽt hæc & similia epitheta Dei: Deus omnis gratiæ, 1 Pet.5. Deus pacis, Philip.4. Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui est pater misericordiarum, & Deus omnis cõsolationis. 2 Cor.1. 2 Cor.3. Deus charitatis & pacis erit uobiscũ. Deus est charitas. 1 Ioan.4.

Deum iustũ esse, & improbare ac punire peccata, docent. Rom.1. Palàm fit ira Dei de cœlo, aduersus omnem impietatem & iniusticiã hominũ, qui ueritatem in iniusticia detinent. Ro.2. Iuxta duritiã tuam, et cor pœnitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudiciũ Dei, qui redditurus est unicuique iuxta facta sua. Rom.3. Si iniusticia nostra Dei iusticiam cõmendat, quid dicemus? Num iniustus est Deus? &c. 2 Thess.1. Siquidem iustũ est apud Deum, reddere ijs qui affligunt uos afflictionẽ, & uobis qui affligimini relaxationẽ. 1 Pet.2. Sed tradidit uindictã ei qui iudicat iustè. Huc etiam pertinet uox Sanctus. 1 Pet.1. Quemadmodum is qui uos uocauit sanctus est, ita ipsi quoq; sancti in omni conuersatione reddamini: propterea quòd scriptum est, Sancti estote, nam ego sanctus sum. Apocalyp.4. Quatuor animalia dicunt, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.

In hoc etiã iustũ esse, quod iusticiã donet credentibus in Christũ, & peccata remittat, patet ex his dictis: Rom.3. Nunc absque lege iusticia Dei manifestata est. Item, ut ipse sit iustus, & iustificans eum qui est ex fide IESV. 2 Cor.4. Eum qui non nouit peccatũ, fecit peccatũ, ut nos fieremus in eo iusticia Dei. 1 Ioan.1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 Ioannis 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum.

Docent etiã, Deũ non esse προσωποληπτην, seu acceptorẽ personarũ, sed æqualiter omnes in fidele & peccatores odisse & execrari: & econtrà, omnes ad Christũ mediatorẽ cõfugientes, & in eo spem suã ponentes, recipere, & iustos pronunciare, et uitã æternã donare. Petrus Act. 10. in domo Cornelij, sic inquit: Reipsa cõperio, quòd nõ sit personarũ respectus apud Deum: sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iusticiã, is acceptus est illi. Et Paul. Rom.3. Non enim est personarũ respectus apud Deum. Quicunq; enim sine lege peccarunt, sine lege & peribũt: & quicunq; in lege peccauerũt, per legẽ iudicabuntur. Colloss.3. Cæterũ qui peccarit, reportabit peccatũ suũ, & non est personarũ respectus. Ro.10. Dicit enim Scriptura: Omnis qui fidit illi, nõ pudefiet. Non enim est distinctio uel Græci, uel Iudæi. Ro.11. Cõclusit enim Deus omnes sub incredulitatẽ, ut omniũ misereretur. Gal.2. Personã hominis Deus non accipit. Ephes.6. Scitis quòd et ipsi Dominũ in cœlis habeatis, nec est respectus personarũ apud eũ. 1. Pet.1. Si patrẽ inuocatis citra personarum respectũ iudicantẽ, iuxta cuiusq; opus, uidete ut in timore cõuersantes, incolatus uestri tẽpus transigatis.

Huc pertinet etiã, quod autor epist. ad Ebræos 12. cũ Mose inquit: Etenim Deus noster ignis consumens est.

Deum

Deum infinitum & excelsißimum esse, Stephanus Acto. 7. ex Esaiæ 66. asserit. Sed excelsißimus ille non in manufactis tẽplis habitat, sicut Propheta dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus. aut quis locus requietionis meæ est? Et Paulus Acto. 17. Per ipsum uiuimus, mouemur & sumus. Tit. 2. Expectantes illam beatam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi. Autor epistolæ ad Ebræos 7. Pontificem nostrum sublimiorẽ cœlis esse oportuisse.

Deum omnipotentem & liberrimum esse, nec alligatum causis secundis, constat ex tot miraculosis actionibus, quòd cœlũ et terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, fecit. Act. 2, 14. 17. Quòd filium suum misit in mundum, & per eum reconciliauit cuncta erga se pacificans, per sanguinem crucis eius, per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Colossen. 1. Quòd Christum resuscitauit à mortuis, & exaltauit usq; ad dexteram suam, subiectis ipsi omnibus: Act. 2. 3. 4. Philip. 2. 1 Pet. 3. Quòd misit Spiritum sanctum è cœlo, & collegit ac porrò colligit sibi Ecclesiam per ministerium uerbi & sacramentorum: Act. 2. 4. Quòd uarijs signis & prodigijs & miraculis in nomine Christi editis, doctrinam Apostolorum confirmauit: Act. 3. 4. 5. &c. Quòd reiectis Iudæis propter incredulitatem, gentes propter fidem in Christum recepit: Rom. 9. 10. 11. Et quòd plurima alia opera, quæ omnem facultatem creaturarum & captum excedunt, operatus est in defendendis & liberandis suis Apostolis, reprimendis & puniendis hostibus suis. His etiam adstipulantur communia illa dicta, Ephes. 3. Ei uerò qui potest cumulatè facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus, iuxta uim agentem in nobis, sit gloria in Ecclesia per Christũ IESVM, in omnes ætates seculi seculorum, Amen. Roman. 4. Deus uocat ea quæ non sunt, tanquam sint. Et paulo pòst: Tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Apoc. 1. Ego sum & ω, principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui uenturus est omnipotens. Et 15. Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens, uiæ tuæ iusticia & ueritas sunt, ô Rex sanctorum. Et 16. Domine Deus omnipotens, iusta sunt iudicia tua. Pertinent huc etiam illa, 1 Tim. 6. Ille beatus & solus princeps, Rex regnantium, & Dominus dominantium. 1 Tim. 1. Rex seculorum. Apoc. 7. Throni adorãtes Deum dicunt: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & uirtus & fortitudo, Deo nostro in secula seculorum. Autor epistolæ Iudæ: Deum, qui solus est herus, ac Dominum nostrum IESVM Christum negant.

Deum esse patrem, filium, & Spiritum sanctum, atq; adeò trinum in personis, probant ea quæ postea subijcientur testimonia de Trinitate.

Vnum uerò, & non plures esse deos, in his docent locis. Paul. 1 Cor. 8. Scimus quòd nullum est simulachrum in mundo, & quòd nullus sit Deus alius nisi unus. Nam etiamsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra, quemadmodum sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen unus est Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus IESVS Christus, per quẽ omnia, & nos per illũ. Gal. 3. Intercessor autem unus non est, at Deus unus est. Eph. 4. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis. 1 Tim. 2. Vnus enim Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus IESVS, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Et Ioan. 1. epistola, cap. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Autor epist. Iacobi 2. Tu credis quòd Deus unus est? rectè facis. Idẽ 4. Vnus est legislator, qui potest seruare et perdere.

Deum esse creatorem & conseruatorem omnium rerum, Apostoli omnes Acto. 4. in oratione sua confitentur: Domine tu es Deus, qui fecisti cœlũ ac terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et Stephanus Acto. 7. Nónne manus mea fecit hæc omnia? Et Paulus & Barnabas in concione ad Lystrenses Act. 14. & ad Athenienses, Act. 17. & alibi passim, ut infrà de creatione dicetur.

Deum istum unicum & uerum sibi ministerio uerbi colligere & sanctificare Ecclesiam, constat tum ex historia Apostolorum in omnem terram exeuntium, & propagantiũ doctrinam Euangelij, tum ex eorum testimonijs. Act. 2. Vobis facta est repromißio, & filijs uestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus Deus uester. Idem Act. 10. Nunc reipsa comperio, quòd in qualibet gente qui timet ipsum, & operatur iusticiam, is acceptus est illi. Et Lucas ibidem inquit: Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Paul. Rom. 1. Non pudet me Euangelij. uirtus enim Dei est, ad salutem omni credenti. Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. 2 Cor. 2. Deo autem gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, & odorem noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco. 2 Corinth. 5. Posuit in nobis sermonem reconciliationis. 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo. Et paulo pòst: Dominus dedit nobis potestatem in ædificationem, & non destructionem uestri. 1 Tim. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri. 2 Petri 3. Patiens est erga nos, cùm non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. 1 Ioan. 1. Quod uidimus & audiuimus, annunciauimus uobis, ut & uos habeatis societatem nobiscum, & societas nostra sit cum patre, & filio eius IESV Christo. Apoc. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit uocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

Quòd Deus sit pijs daturus uitã æternam, impios uerò puniturus, passim inculcant. Roman. 2. Patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuique iuxta facta sua, his quidem qui perseuerantes in bene faciendo, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, uitam æternam: his uerò qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, afflictio & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetrantis malũ, Iudæi primùm, simul & Græci. Gloria uerò & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo

primùm, simul & Græco. 2 Tim.4. Superest mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solum aũt mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. 1 Pet.5. Cum apparuerit ille pastorũ princeps, reportabitis immarcessibilẽ gloriæ coronam. 1 Ioan.3. Nunc filij Dei sumus, & nondũ apparuit quod futuri sumus: scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus. Christus in Epistola ad episcopũ Smyrnensem, Apocalypsis 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ.

Breues & succinctæ Dei descriptiones passim proponũt, quibus tamẽ præcipua rei capita cõplectuntur: huiusmodi sunt, Act.3. Deus Abrahã & Isaac & Iacob, Deus patrum nostrorum, glorificauit filium suum IESVM, quẽ uos tradidistis. Paulus Act.14. Conuertamini ad Deum uiuum, qui fecit cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis sunt, &c. 1 Tim.1. & 6. Regi seculorũ immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor & gloria in secula seculorum. 2 Cor.12. Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui est laudãdus in secula, nouit quòd nõ mentiar. 1 Pet.1. Laudandus est Deus, & pater Domini nostri IESV Christi, &c. 2 Ioan.2. Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Domino IESV Christo, filio patris. Autor epist. Iudæ: Soli sapienti Deo, seruatori nostro, gloria & magnificentia, & imperiũ & potestas, nunc & in omnia secula.

De uoluntate Dei sentiunt, aliam esse reuelatam, & in uerbo Dei patefactam: aliam uerò non esse reuelatam. De non reuelata Paulus dicit Rom.9. Atqui ô homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Et Rom. 11. O altitudinem profunditatẽ diuitiarũ & sapientiæ & cognitionis Dei, q̃ inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à consilijs? aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniã ex illo, & per illum, & in illum omnia, ipsi gloria in secula, Amen. 1 Ioan.4. Deum nemo uidit unquam. De reuelata & patefacta ita loquũtur, ut non obscurè doceãt, eam duplicẽ esse. aliam nempe cordibus hominum inscriptam, & postea lege enucleatius repetitam: aliam in Euangelio.

De uoluntate Dei, quam in lege patefecit, in his & similibus sententijs loquuntur: Rom.2. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uoluntatem, ac probas eximia instituta ex lege, confidisq; teipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac ueritatis per legem. Rom.7. Scimus quòd lex spiritualis est, ego uerò carnalis sum, uenditus sub peccatum. Gal.3. Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Scriptũ est enim, Execrabilis omnis qui non mãserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et paulo pòst: Qui fecerit ea homo, uiuet in eis. Ro.12. Probetis quæ sit uoluntas Dei, quod bonũ est, acceptumq; & perfectũ. Ephes.5. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit uoluntas Domini. 1 Thes.4. Hæc est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione. 1 Pet.2. Quoniam sic est uoluntas Dei, ut benefaciendo obturetis os hominib. stultis & ignorantibus. De uoluntate Dei in Euangelio patefacta, Paulus inquit 1 Cor.2. Quis cognouit mentem Domini? Quis consiliũ datur⁹ est illi? Nos aũt mentẽ Christi tenemus. Et Ephes.1. Christus redemptos reddidit nos per dilectũ, per quem habemus redemptionem, per sanguinẽ ipsius remissionem peccatorũ, iuxta diuitias gratiæ, de qua ubertim nobis impertiuit in omni sapientia et prudentia, patefacto nobis arcano uoluntatis suæ. 1 Tim.2. Nam hoc est bonum & acceptum coram seruatore nostro Deo, qui cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1 Ioan.5. Scimus autem quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentẽ, ut cognoscamus illũ qui uerus est. 1. Ioan. 3. Hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius IESV Christi, & diligamus nos mutuò. Cæterum de utraq; uoluntate Dei, legali & euangelica, in sub lo cis dicetur prolixius.

Actiones seu opera Dei innumerabilia recitãt. Horum uerò alia sunt ante creationem, & ab æterno facta. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Act.13. Lucem habitãs inaccessam. 1 Tim.6. Rom.8. Quos præscitos, & præfiniuit, & elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi. Item: Prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per IESVM Christum, iuxta beneplacitum uoluntatis suæ. Item, Iuxta beneplacitũ suum, quod proposuerat in seipso, usq; ad dispensationem plenitudinis temporum, ut summatim instauraret omnia per Christum, & quæ in cœlis & quæ in terra sunt. Ephes.1. Coloss.1. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, cum accepissetis per manus iniquorum, crucifixũ interemistis. Act.2. Alia uerò in tempore facta. Coloss.1. Per illum creata sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Et 1 Pet.4. Apud fidelem cõditorẽ deponãt animas suas, benefaciendo. Autor epist. ad Ebr.1. Per filiũ etiã secula condidit. Apocalyp.4. uigintiquatuor seniores inquiunt: Dignus es Domine accipere gloriã & honorem & uirtutẽ, quia tu creasti omnia, & propter uoluntatẽ tuam sunt, & creata sunt. Eadem etiã conseruat suo uerbo, 2 Petri 3. Act.17. Ebræ.2. Patefecisse Abrahæ. Act.7. Rom.4. Gal.4. Promulgauit legem in monte Sinai: Act.7. Galat.3. Eduxit populum ex Aegypto per mare & desertum. 1 Corinth.10. Iudæ 1. Loquutus est per prophetas de Messia, Actorum 3. Misit filium suum, Gal.4. Redemit nos per sanguinem filij sui preciosum, 1 Pet.1. Effudit spiritum sanctum, Act.2.8.10. Instituit ministerium Euangelij, idq; confirmauit multis prodigijs & miraculis, ut patet ex Actis, & 2 Cor.12. Dat Ecclesiæ suæ doctores: Ephes.4. Rom.9. Vocat, iustificat impium: Rom.3 & 8. Scrutatur corda: Rom.8. Peccata peccatis punit, Rom.1. & 2. Thess.2. Nouit & audit gemitus piorum: Rom.8 & 9. Cui uult miseretur, quem non uult indurat: Rom.9. Perdit sapientiam sapientum. 1 Corinth.1. Facit ut uelimus, & ut perficiamus: Philip.2. Instillat bonas cogitationes, 2 Corin.8. Probat corda nostra: 1 Thes. 2. Dirigat Dominus corda uestra in dilectionem Dei, & expectationem Christi: 2 Thess.3. Seruat omnes homines, maximè uerò fideles. 1 Timoth.2 & 4. Deus nos diligit in Christo IESV. 1 Ioan.4. Sanctificat nos, 1 Thess.5. Ipse autem Deus pacis sanctificet uos totos. Dat pacem, 2 Thes.2. Ipse autem Dominus pacis det uo-

det uobis pacem semper omnibus modis. Deus nemi-
nem tentat: Iacobi 1. Deus liberat suos ex uarijs pericu
lis, 2 Tim. 4. Deus consolatur suos in rebus aduersis, 2
Cor. 1. Resistit superbis, humilibus dat gratiam. 1 Pet. 5.
Omnia adimplet, Eph. 1. Deus nõ irridetur. Gal. 6. Con-
terit satanam sub pedes piorum. Rom. 16. Veniet iu-
dicare uiuos & mortuos, 2 Tim. 4. Creabit nouos
cœlos & nouam terram, 2 Pet. 3. Dabit uitam æternã
credentibus, & infliget pœnas æternas diabolo & im-
pijs: Rom. 2. 2 Thess. 1. 2 Pet. 2. Abolebit mortem,
& erit omnia in omnibus. 1 Cor. 15. Sed de his in suis lo-
cis explicatius dicetur.

Porrò hanc ueram Dei cognitionem de essentia &
uoluntate Dei, non natura notam esse, experientia cùm
populi Iudaici, tum gentium probat. Nam etsi gentes,
ratione sua duce, ex opificio cœli & terræ utcunq; ra-
tiocinari possunt, esse Deum, eumq; iustum esse, & pec
cata odisse, & punire: sicut Paulus docet Rom. 1. genti-
bus manifestum fuisse, id quod de Deo cognosci potest
ex creatione mundi: eosq; iusticiam Dei nouisse, quòd
scelerati digni sint morte: tamen Deum unum esse, &
tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ, &
uoluntatem Dei de iustificãdis peccatoribus gratis ex
fide IESV, & donanda uita æterna in Christum creden
tibus, & mulctandis impijs æterna morte, nihil sciunt.
Vnde idola & ignotum Deum colunt Atheniẽses. Act.
17. Et mutauerunt gloriam immortalis Dei per imagi-
nem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effi
ctam, uerùm etiam uolatilium & quadrupedũ & re-
ptilium, &c. & uenerati sunt, coluerunt q; ea quæ con-
dita sunt, supra eũ qui cõdidit: Rom. 1. Et Galatæ tum
cùm ignorabant Deum, seruiebant ijs qui natura non
erant dij. Gal. 4. Et Ephesij gentes spem non habe-
bant, & Deo carebant in mundo: Ephes. 2. Et Thessa
lonicenses à simulachris ad Deum conuersi dicuntur,
ut nunc seruiant Deo uiuenti & ueraci, & expectent
filium eius de cœlis. 1 Thes. 4.

Cæterum nec Iudæos eam Dei noticiam ueram ha-
buisse, Paulus testatur Act. 13. Qui enim habitabant
Hierosolymis, & principes eorum, cùm ignorarent il-
lum, & uoces prophetarum, quæ per omne sabbathum
leguntur, condemnato eo impleuerunt. 1. Cor. 2. Lo-
quimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondi-
ta, quam præfinierat Deus ante secula in gloriam no-
stram, quam nemo principum seculi huius cognouit.
nam si cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ
crucifixissent. 1 Pet. 1. Non accommodetis uos pri-
stinis concupiscentijs, quibus dum adhuc ignoraretis
Christum, agebamini. Idem cap. 4. Sat enim est nobis,
quòd anteacto uitæ tempore uoluntatem gentium pa-
trauerimus, cum uersaremur in lasciuijs, concupiscen-
tijs, uinolentijs, comessationibus, compotationibus, &
nefarijs simulacrorum cultibus.

Nec quenquam alium hominem ex sua sapientia &
ratione Deum, eiusq; res capere & inuestigare posse
extra patefactionem Dei, quæ per uerbum fit, & fide
apprehenditur, Paulus docet 1 Corinth. 2. Animalis
homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia qui
dem illi sunt, nec potest cognoscere, quòd spiritualiter
dijudicãtur. At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse
uerò à nemine dijudicatur. Ephes. 1. Deus Domini
nostri IESV Christi, pater gloriæ, det uobis spiritũ sa
pientiæ & reuelationis, per agnitionem sui, illumina-
tos oculos mentis uestræ, ut sciatis quæ sit spes ad-
quam ille uocauit, &c. Coloss. 1. Non desinimus pro
uobis orare, & poscere, ut impleamini agnitione uo-
luntatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali.
Et 1 Petri 2. E tenebris uocauit uos, in admirabilem
suam lucem. 1 Ioannis 2. Per hoc scimus quòd cogno-
uimus eum, si iussa illius obseruamus. Et iterum:
Vos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Au-
tor epistolæ ad Ebræos: Nam qui accedit ad Deum,
eum credere oportet esse Deum, & esse remunerato-
rem quærentibus se.

Deo uerò opponunt simulachra & idola & dæmo
nia, auaritiam, Antichristum. Act. 14. & 17. & 19. Pau
lus dicit, quòd non sint dij, qui manibus fiunt. Rom. 1.
Gal. 4. At nunc posteaquã cognouistis Deum, quin po-
tius cogniti estis à Deo, quomodo conuertimini denuò
ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruire
uultis? dies obseruatis, & menses, & tempora, & an-
nos. 1 Cor. 8. & 10. Quæ immolant gentes, dæmonijs
immolant, non Deo. Et 1. Cor. 12. Ad simulachra mu-
ta ducebamini. 2 Cor. 4. Deus huius seculi excæcauit
sensus incredulorum. Auaritia, est simulachrorũ cul-
tus. Colos. 3. Auarus, est simulachrorũ cultor. Ephes.
5. Antichristus in templo Dei sedet, ostentans seipsum
esse Deum. 2 Thes. 2. & 1. Pet. 4. Voluntatem gentium
patrauerimus, &c. nefarijs simulachrorum cultibus.
1 Ioan 5. Filioli, cauete uobis à simulachris. Idem 1.
Ioan. 2. Hic est antichristus, qui negat patrẽ & filium.
Apoc. 14. Si quis bestiam & imaginem eius adorauerit,
& acceperit characterem in fronte sua, aut in manu
sua, & hic bibet de uino iræ Dei.

DE TRINITATE.

Diuinitatis non plures, nec pauciores quàm tres di-
stinctas personas coessentiales & coæternas, ut à
præceptore suo, Domino nostro IESV Christo, accepe
runt: ita Spiritus sancti inspiratione, firmo cõsensu o-
mnes professi sunt, & Ecclesiæ tum uiua uoce tradide-
runt, tum literis mandarunt. Petrus Acto. 2. in pri-
ma concione trinitatem complectitur his uerbis: Dex-
tra igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti
accepta à patre, effudit hoc, quod nunc uidetis & audi
tis. Idem 1 Petri 1. Dilectis iuxta præfinitionẽ Dei
patris, per sanctificationem spiritus in obedientiam,
& aspersionem sanguinis IESV Christi. Et Ioannes,
1. cap. 5. Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo,
Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.
Idem 1. cap. 4. Ex hoc cognoscimus, quòd in eo mane-
mus, & ipse in nobis, quoniam de suo spiritu dedit no-
bis: & nos uidimus, & testamur, quòd pater miserit fi-
lium seruatorem mundi. Et Paulus 2 Corinth. 2.
Nos in Deo, ex Deo, coram Deo loquimur. & 2 Co-
rinth. 13. Gratia Domini nostri IESV Christi, & cha-
ritas Dei, & communicatio spiritus sancti, sit cum om
nibus uobis, Amen. Galat. 4. Quoniam estis filij, emisit
Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem Ab-
ba pater. Ephes. 3. Flecto genua mea ad patrem Domi-
ni nostri IESV Christi, &c. ut fortitudine corrobo-
remini per spiritum suum. Tit. 3. Apparuit bonitas,
& erga homines amor seruatoris Dei nostri, &c. per

lauacrum Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter. Apocalyp. 1. Gratia uobis & pax, ab eo qui est, & qui erat, & qui uenturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum. Obscurius quidem hoc uidetur esse testimonium: sed sciendum est, illa phrasi notari Spiritum sanctum, ut patet ex quinto capite, ubi adijcitur, septem illos spiritus missos esse in omnem terram: quo Spiritus sanctus per Christum effusus ad colligẽdam Ecclesiam per uerbum & Sacramenta significatur. Autor Epistolæ Iudæ 1. Per Spiritum sanctum orantes, uos inuicem in charitate Dei custodite, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in uitam æternam.

Seorsim etiam plurima testimonia de singulis personis passim in concionibus Apostolorum, & epistolis eorum extant. Cùm enim de præcipuis Dei operibus loquuntur, ut sunt, creatio & conseruatio naturæ, redemptio generis humani, & sanctificatio, plerunque omnium trium mentionem faciunt personarũ. Actorum 5. Apostoli in confessione, quam edunt in concilio Hierosolymitano, meminerunt omnium trium personarum. Et Paulus Rom. 8. meminit filij & patris: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et Spiritus sancti: Vos non estis in carne, sed Spiritus Dei habitat in uobis. Idem Ephes. 1. & Coloss. 1. facit. & Petrus epist. 1. capite 1. meminit patris & filij: Laudandus est Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui iuxta copiosam suam misericordiam regenuit nos, &c. Et Spiritus sancti: Prædicauerunt uobis Euangelium per Spiritum sanctum, emissum è cœlo. Et 1. Ioãnis 2. Quisquis negat filium, is ne patrem quidẽ habet. Et de Spiritu sancto inquit: Vos unctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia. Lucas in Actis, in plerisq; historijs, trium personarum meminit: ut in historia de electione Matthiæ in locũ Iudæ, Actorũ 1. Prædixit Spiritus sanctus per os Dauid: Dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinem egit nobiscum, & tu Domine qui nosti corda omnium. Et Act. 5. Conuenerunt uerò aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem unxeras. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto. Et Acto. 7. in historia Stephani, & Act. 8. in historia Philippi & Eunuchi, credit filium Dei esse Iesum Christum, & dixit Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currũ istum. item Act. 10. in historia centurionis.

Ex patefactionibus etiam testimonia de trinitate peti possunt. nam Petrus Act. 10 meminit patefactionis ad Iordanem factæ, cùm ait: Vt Iesum Nazarenum unxerit Deus Spiritu sancto & uirtute, &c. Idem 2. Petri 3. meminit patefactionis in monte sancto, ubi audita est uox patris: Hic est, filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est Actor. 2. Spiritus sanctus promissus à Christo exhibetur, qui statim reipsa probat se uerum Deum esse, dum in uno momento Apostolos omnium linguarum efficit peritissimos. Et Acto. 8. datur Spiritus sanctus Samaritanis. Acto. 10. Cadit super eos qui sunt in domo centurionis, & loquuntur linguis, & magnificant Deum. Idem fit Ephesi, Acto. 19. Stephanus intuens in cœlum, uidet filium hominis stantem à dextris Dei. Acto. 7. Videtur etiam Paulus hac phrasi notare trinitatem, Rom. 11. Quoniam ex illo, & per illũ, & in illum sunt omnia, ipsi gloria in secula.

DE PATRE.

Si uox Patris ad homines refertur, latè patet usus in scriptis Apostolorũ. Nam eum significat, unde quis naturaliter natus est. 1 Corinth. 5. Omnino auditur inter uos stuprum, et huiusmodi, quod nec inter gentes nominatur, ut aliquis uxorem patris habeat. Ephes. 6. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et rursus: Patres, ne prouocetis ad iram liberos uestros. Interdum etiam significat doctores & magistros. 1 Cor. 4. Etiamsi innumeros pædagogos habeatis in Christo, nõ multos tamen habetis patres. Significat etiam maiores. 2 Petri 3. Ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis.

Si uerò ad Deum, ne tunc quidem unius est notio rei. Nam interdum nomen est essentiæ, & significat eundem quod Deus. 2 Corin. 1. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis. 1 Cor. 8. Nobis unus est Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Ephes. 1. Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ. 1 Petri 1. Patrem inuocatis citra personarum respectum iudicantem. 2 Ioannis: Ambulantes in ueritate, sicut præceptũ accepimus à patre. Autor epistolæ ad Ebr. 12. Itaq; cùm carnis nostræ patres habuerimus castigatores, & reueriti simus eos, an nõ multo magis subijciemur patri spirituũ, & uiuemus? Autor epistolæ Iacobi 1. Omnis donatio bona, & omne bonum perfectũ è supernis est, descendens à patre luminũ. Interdum uerò nomen est gratiæ, quo Deus appellatur ab ijs qui credunt in Christum, eo quòd in Christo in filios adoptati sunt. Rom. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem: sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Galat. 4. Emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Galat. 1. Iuxta uoluntatem Dei, & patris nostri, cui gloria in secula seculorum. Ephes. 1. Gratia & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Philip. 4. Deo autem & Patri nostro gloria in secula seculorũ, Amẽ. 1 Thes. 3. Confirmet corda uestra irreprehensibilia, in sanctimonia, coram Deo & patre nostro. 1 Ioannis 2. Scribo uobis filioli, quoniam cognouistis patrem.

Nonnunquam significat personã in diuinitate primam, quæ ab æterno genuit filium. 2. Petri 1. Laudandus est Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi. 1 Ioannis 2. Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. 2 Timoth. 1. Gratia, misericordia & pax à Deo patre, & Christo Iesu Domino nostro. Apocalyp. 1. Fecit nos sacerdotes & reges corã Deo & patre suo.

Cæterùm in hac significatione hoc loco uocem patris accipimus, relaturi quid de eo Apostoli in suis literis Ecclesiæ tradiderint. Ita autem de patre passim loquuntur, ut manifestè eum personam esse, hoc est substantiam indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem, per se subsistentem, indicent. Actorum cap. 2. Hunc Iesum excitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promis-

sione spiritus accepta à patre, effudit hoc, quod nunc uidetis. 1 Petri 1. Laudandus est Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi. 1 Ioannis 1. Annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifestata est nobis. 1 Ioannis 4. Et nos uidimus, & testamur, quòd pater misit filium, seruatorem mundi. 2 Ioann. Qui manet in doctrina Christi hac, & patrem & filium habet. Paulus in omnibus suis Epistolis hac formula salutationis utitur: Gratia uobis & pax à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo. Galat. 1. Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est laudandus in secula, nouit quòd non mentiar. 2 Corinth. 12. Deus loquutus est per filium. Ebræis 1. Fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Coloss. 2. Vt consolationem accipiant corda illorum, cùm fuerint compacti in charitate, &c. in agnitionem mysterij Dei, & patris, & Christi. Huc etiam sequẽtia pertinent testimonia.

Deinde apertè hoc de patre affirmant, quòd sit persona à filio & Spiritu sancto distincta. Petrus Actor. 2. in prima concione eleganter docet, Deum patrem excitasse Iesum Christum filium suum, & Christum exaltatum accepisse à patre Spiritum sanctum, eumq; super Apostolos effudisse. Sic non esset loquutus, si patrem, filium, et spiritum sanctum eandem personam esse sensisset. Idem Petrus & Ioannes, in concione quam in templo habent, faciunt: Vobis primùm Deus, cùm suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentem uobis. Acto. 3. Idem in precibus communibus faciunt Acto. 4. Conuenerunt enim uerè aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem unxeras. Sic Acto. 7. Stephanus plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, uidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et Petrus in concione ad Cornelium Acto. 10. ait, Deum unxisse Iesum Nazarenum Spiritu sancto. Vbi ad patefactionem in Iordane respexit, cuius etiam facit mentionem 2 Petri 1. Acceperat enim à Deo patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica gloria: Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et hanc uocem nos audiuimus, cùm essemus unà cum illo in monte sancto. Ioannes etiam patrem peculiarem personam à filio & Spiritu sancto distinctam docet, 1 capite 1. Vt societas nostra sit cum patre, & filio eius Iesu Christo. 1 Ioann. 2. Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum. 1. Ioan. 3. Hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, &c. & per hoc scimus quòd manet in nobis, è spiritu quem nobis dedit. & 2 Ioann. Erit nobiscum gratia, misericordia, pax à Deo patre, & à Domino Iesu Christo, filio patris, in ueritate & charitate.

Et Paulus Rom. 1. dicit, Deum promisisse Euangelium per prophetas suos, in Scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus est ex semine Dauid secundum carnem: qui declaratus fuit filius Dei, cum potentia secundum Spiritum sanctificationis. Rom. 8. Deus proprio filio non pepercit, sed illum tradidit pro nobis. Ibidem, patrem etiam à Spiritu sancto separat: Quòd si Spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis, is qui excitauit Iesum à mortuis, uiuificabit mortalia uestra corpora, propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis. Item: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. 1 Corinth. 11. Omnis uiri caput Christus est, caput autem mulieris uir, caput uerò Christi Deus. 1 Corinth. 15. Cùm tradiderit regnum Deo & patri, &c. Item: Cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui illi subiecit omnia. Gal. 4. Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Ephes. 5. Gratias agentes semper de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri. Ephes. 6. Pax fratribus & charitas cum fide, à Deo patre, & Domino Iesu Christo. Coloss. 3. Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & patri per illum. Autor epist. ad Ebræ. 1. cap. dicit, Deum per filium loquutum esse. Item, Per eundem secula condidisse. & citat dictum Psalmi 3. Nam cui dixit unquam angelorum, Filius meus es tu, hodie genui te? Et 2 Regum 7. Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius. Item: Ad filium aũt dixit, Thronus tuus Deus in seculũ seculi, uirga rectitudinis uirga regni tui, &c. Autor epistolæ Iudæ: His qui in Deo patre sanctificati sunt, quiq; in Iesu Christo seruati sunt, uocatis. Apocal. 3. Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego uici, & consedi cum patre meo in throno eius.

Triplices autem proprietates seu actiones huic personæ attribuunt: nempe singulares, & communes cum alterutra persona, & communes cum utrisq; personis. Singulares & tantùm Patri conuenientes, eamq; à cæteris distinguentes, sunt, quòd in ordine personarum trinitatis, ubi de eo agitur, semper patri primum locum tribuunt. 1 Corinth. 8. Nobis unus est Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Iesus Christus, per quẽ omnia, & nos per illum. Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, &c. Galat. 4. Cum uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c. 1 Ioannis 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, sermo, & spiritus sanctus. Huc & cætera testimonia de Trinitate, suprà recitata pertinent. Deinde, quòd hanc personam tantùm appellant patrem, idq; sic explicant, quòd respectu filij sui sit pater, quem ab æterno coæqualem & coessentialem & coæternum sibi genuerit. Actorum 2. Petrus personam illam quæ Christum exaltarit, eiq; promissum Spiritum sanctum super Apostolos effundendum dederit, patrem appellat. Acto. 3. Petrus & Ioannes in templo profitentur, Deum suscitasse filium suum. Idem Apostoli faciunt Acto. 4. Conuenerunt aduersus sanctũ filium tuum Iesum. Et Paulus Acto. 13. in synagoga Antiochena Pisidiæ, ex Psalm. 2. citat dictum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Rom. 15. Vt unanimiter uno ore glorificetis Deum, ac patrem Domini nostri Iesu Christi. 1 Ioan. 2. Si in uobis permanserit, quod audistis ab initio, & uos in filio & in patre manebitis. 2 Ioan. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet. 1 Ioan. 2. Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Autor epistolæ ad Ebræ. Nam cui dixit unquam angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?

Præterea nunquam patri attribuunt quòd genitus sit, aut quòd ex filio & Spiritu sancto procedat: neque

quòd Spiritum sanctum gignat, aut plures filios sibi coessentiales & coæternos, præter unicum Dominum nostrum Iesum Christum.

Attribuunt etiam patri hæs actiones, quæ tamen ei uidẽtur cum Spiritu sancto esse cõmunes: quales sunt, Benedicere nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, Christo: eligere nos in Christo antequam iacerẽtur fundamenta mundi: prædestinare nos, ut adoptet in filios per Iesum Christum: reddere nos charos in dilecto: patefacere arcanum uoluntatis suæ, quod proposuerat in semetipso: instaurare omnia per Christum: in sortem adsciscere. Col. 1. Gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sibi dilecti. Coloss. 3. Per filium omnia cõdere: Omnia per illum creata sunt, Coloss. 1. Ephes. 3. Deus condidit uniuersa per Iesum Christum, &c. secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, per quem & secula condidit. Ebr. 1. Per filium complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare. Coloss. 1. Mittere filium in mundum. 1 Ioan. 4. Nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium saluatorem mundi. Ibid. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. Gal. 4. Cùm uenit plenitudo tẽporis, misit Deus filium suum, factum de muliere. Testificari de filio: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. 2 Pet. 1. Non párcere filio suo, sed tradere illum in mortẽ pro nobis. Rom. 8. In hoc est charitas, nõ quòd dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationẽ pro peccatis nostris. 1 Ioan. 4. Vocare in consortium Domini nostri Iesu Christi. 1 Cor. 1. Christus Iesus factus est nobis à Deo sapientia, iustitiaq; & sanctificatio, & redemptio. Resuscitare filium à mortuis. Act. 3. Cùm suscitasset filium suum. Rom. 6. Quemadmodum excitatus est Christus per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Glorificare filium suum. Acto. 3. Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum. Philip. 2. Omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Ephes. 1. Cùm suscitaret eum ex mortuis, sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum ac potestatem, & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur non solùm in seculo hoc, uerum etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit super omnia caput Ecclesiæ. 1 Corint. 15. Cùm subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei qui illi subiecit omnia, & erit Deus omnia in omnibus.

Communes cum filio tantùm sunt, quòd uterq; emittit Spiritum sanctum. Act. 5. Ac nos ei sumus testes horum quæ dicimus: insuper autem & Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus ipsi. 1 Ioan. 4. Ex hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Rom. 8. Vos non estis in carne, sed in spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in uobis. Item: Spiritus eius qui excitauit Christũ ex mortuis, habitat in uobis. Item: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Gal. 4. Quoniam estis filij, emisit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, clamantẽ Abba pater. 1 Cor. 6. An nescitis quòd corpus uestrum, templum est habitantis in uobis Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris? 2 Cor. 1. Porrò qui confirmat nos unà uobiscum in Christum, & qui iuxta nos Deus est, qui etiam obsignauit nos, & dedit arrã spiritus in cordibus nostris. Hæc phrasis, quòd Spiritus sanctus à patre & filio procedat, non extat in scriptis Apostolorum, sed tamen alijs uerborum formulis rem eandem haud obscurè notare uidentur. Nam Paul. Rom. 8. Spiritum sanctum, spiritum Dei, & spiritum Christi uocat. Item, Spiritum eius qui excitauit Iesum à mortuis: hoc est, Spiritũ patris. Et Gal. 4. uocat eum spiritũ filij Dei, quem Deus emittat in corda credentium. Et 1 Cor. 2. appellat eum spiritum qui ex Deo est, & spiritũ Dei. His nihil aliud uoluit innuere, quàm Spiritum sanctum à patre & filio procedere.

Communes cum Spiritu sancto sunt, quòd Deus uocauit filium suum. Act. 4. & 10. Quòd Deus excitauit Iesum tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis. Item, quòd Iesus à Deo constitutus est iudex uiuorum & mortuorũ. Act. 10. Sed in his locis uoce Deus utuntur Apostoli, ut ostendant, nõ soli patri, sed pluribus personis eas actiones cõpetere.

Cõmunes cum filio & Spiritu sancto proprietates & actiones sunt illæ omnes, quæ suprà in loco de Deo recitatæ sunt, quib. & hæc accẽseri possunt. Præfinire. 1 Pet. 1. Dilectis iuxta præfinitionẽ Dei patris. Esse autorẽ omniũ creaturarũ. Eph. 3. Flecto genua mea ad patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à communi patre cognatio in cœlis & in terra nominatur. Regenerare nos in spem uiuã. 1 Pet. 1. Citra personarũ respectũ iudicare iuxta cuiusq; opus. 1 Pet. 1. Diligere nos. 1 Ioan. 4. Ipse dilexit nos, & misit filiũ suũ propitiationẽ pro peccatis nostris. Facere nos filios Dei. 1 Ioã. 3. Videte qualẽ charitatẽ dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur. Testificari de Christo, quòd in eum credentes habeãt uitam æternã. 1 Ioã. 5. Qui nõ credit Deo, mendacẽ facit eum, quia nõ credidit in testimoniũ quod testificatus est Deus de filio suo. Dare gratiã, misericordiã & pacem. 2 Ioannis. Rom. 1. & in omnibus salutationibus epistolarum Pauli. Iustificare. Rom. 8. Cõsolari corda nostra, & stabilire in omni sermone et opere. 2 Thes. 2. 2 Cor. 1. Audire inuocantes. Ephes. 2. Per illum habemus aditum utriq; in uno spiritu ad patrem. Sanctificare. Iudæ 1. His qui in Deo patre sanctificati sunt. Hæc etsi in citatis locis soli patri adscribuntur, tamen synecdochicè intelligenda sunt: reliquis enim etiam personis conueniunt.

Ex his quæ hactenus de patre dicta sunt, huiusmodi definitio constitui potest: Pater est prima persona diuinitatis, quæ genuit unicum filium sibi consubstantialem, quem misit ut saluaret mundum: & quæ unà cum filio ex se emittit Spiritũ sanctum, & eodem obsignat credentes in Christum: & quæ unà cum filio & Spiritu sancto condidit & conseruat omnia, & salutem generis humani procurat, & confugientibus ad mediatorem & aduocatum Christum peccata remittit gratis, eosq; sanctificat & consolatur, & stabilit in omni sermone & opere, quos à morte excitatos æterna & immortali donabit uita.

Postremò

Postremò & hoc notandum uidetur, quòd sæpe Pater generali nomine Deus notetur. Acto. 2. Deus patrũ nostrorum glorificauit filium suum Iesum. Idem Act. 5. & alibi passim in Actis. Eph. 1. Deus Domini nostri Iesu Christi. Apocal. 3. Qui uicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, &c. & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.

DE FILIO DEI ET HOMINIS, DOMINO nostro Iesu Christo.

Filium Dei esse personam, & non ipsum Patrem, aut duntaxat cogitationem Patris, sed peculiarem hypostasin, communi consensu docent Petrus & Ioannes Act. 3. Deus patrum nostrorum glorificauit filiũ suum Iesum, quem uos tradidistis, &c. Autorem uitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis. Item: Vobis primùm Deus, cùm resuscitasset filium suum Iesum, misit eum, benedicentem uobis. Act. 8. Eunuchus inquit, credo Iesum esse filium Dei. Et Act. 9. Paulus prædicabat Christum, quòd is esset filius Dei. Acto. 13. Filius meus es tu, ego hodie genui te. 1. Ioan. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. 1 Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. 1 Ioan. 5. Qui habet filium, habet uitam: qui nõ habet filiũ Dei, non habet uitã. Item: Scimus quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentẽ, ut cognoscamus illum qui uerus est. Apoc. 2. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes chalcolibano: Noui opera tua, & charitatem, & ministerium, &c. 1 Thes. 1. Vt seruiretis Deo uiuenti & ueraci, & expectaretis filium eius de cœlis, quẽ excitauit à mortuis, Iesum, qui liberat nos à uentura ira. Ebr. 7. Melchisedech ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis, nec initiũ dierũ, neq; uitæ finem habens, sed assimilatus filio Dei manet sacerdos in æternum. Ebr. 2. Tametsi filius erat, tamen didicit ex his quæ passus est, obedientiam.

Sentiunt etiam filium Dei personam esse, à patre & Spiritu sancto distinctam. Ideo enim hanc tantùm filium Dei uocant, ut patet ex testimonijs antecedentibus. Deinde huiusmodi ei attribuunt opera, quæ Patri & Spiritui sancto non congruunt. Actorum 2. Petrus nomine aliorum Apostolorum concionem habens, asserit, Iesum à Patre accepisse promissionem Spiritus sancti, eumq; effudisse. 1 Ioan. 4. Et nos uidimus, & testamur, quod Pater misit filium seruatorẽ mundi. Rom. 1. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, secundũ spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit à mortuis Iesus Christus. 1 Cor. 15. Cùm tradiderit regnum Deo & Patri. Galat. 4. Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem, Abba Pater.

Tertiò, haud obscurè repetũt patefactiones in Iordane, & in monte sancto factes, ubi filius distincta à Patre & Spiritu sancto demonstratur persona. Act. 10. Rumore primum orto à Galilæa, post baptisma, quod prædicabat Ioannes, ut Iesum Nazarenũ unxerit Deus Spiritu sancto, & uirtute. Ad candẽ Ioannes alludere uidetur 1 Ioannis 5. Quoniam tres sunt qui testimonium dãt in cœlo, Pater, Sermo, et Spiritus sanctus. Patefactionis in monte meminit Petrus 1 epistola cap. 1. Huc & aliæ patefactiones pertinent. Stephanus Act. 7. plenus spiritu sancto, intuens in cœlum, uidet gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et Paulus Act. 9. cum audit Christum secum loquentem, eumq; postea in synagoga Damascena prædicat esse filium Dei: non patrem, nec spiritum sanctum, sed Christum, quem persequebatur, audisse dicitur. Ergo necesse est, cum distinctã à Patre et Spiritu sancto esse personam.

Quartò, & proprietates singulares, ut sunt gigni, & assumere naturam humanam, et persoluere λύτρον, & agere mediatorem inter Deum & hominem, item esse fontem unà cum Patre Spiritus sancti, probant, filium esse distinctam personam à Patre & Spiritu sancto: de quibus paulo pòst dicetur.

Hunc uerò Dei filium non esse essentia Patri & Spiritui sancto dissimilem, aut minorem, sed coessentialem, apertè profitentur. Nam appellatione Dei & Domini eum ornant, qua essentia & ipsa diuina natura seu diuinitas significatur. Act. 2. Non enim Dauid ascendit in cœlos, sed dicit ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Act. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Act. 9. Aenea, sanet te Dominus Iesus. 2 Petri 1. Cùm sciam breui futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum, quemadmodum & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Item: Ad hunc modum abundè administrabitur uobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Seruatoris Iesu Christi. 1 Ioan. 5. Filius Dei uenit, & dedit nobis mentem ut cognoscamus illum qui uerus est, & simus in uero, in filio eius Iesu Christo: hic est uerus Deus, & uita æterna. Paul. Rom. 9. Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, & cognatis meis secundum carnem, qui sunt Israelitæ, &c. & hi ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnem, qui est in omnibus Deus laudandus in secula, Amen. Col. 2. In quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. 1. Cor. 15. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo, ipse Dominus de cœlo. 2 Thes. 1. Cùm reuelabitur Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, &c. 1. Tim. 3. Deus manifestatus est in carne. Philip. 2. Qui cùm esset in forma Dei, non rapinã arbitratus est, esse æqualẽ Deo. Autor epistolæ Iacob. 5. Tolerantiã Iob audistis, & finẽ Domini uidistis, quòd ualde misericors sit Dominus, et cõmiserans.

In sententijs, in quibus Dei aliqua descriptio continetur, primo loco generale uocabulum Deus, quod diuinam essentiam significat, ponunt: subiecta postea Patris & filij Domini nostri Iesu Christi mentione: nonnunquam & Spiritus sancti, ut communis essentia istarum personarum notetur. 1 Pet. 1. Laudandus est Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi. 2 Pet. 1. Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi, his qui æquè preciosam nobiscũ sortiti sunt fidem, per iusticiam Dei nostri & seruatoris Iesu Christi. Paulus 2 Thess. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit, & dedit cõsolationẽ æternã, et spem bonã.

Deinde ita eum filium Patris esse, sese declarant, quòd ex Patre ita natus sit, ut eiusdem cum ipso sit naturæ. Huc faciũt testimonia, quibus probatur, filiũ

esse personam. quibus hæc accensenda sunt, quòd Paulus 2 Corint. 4. Christum uocat imaginem Dei. Et Colos. 1. imaginem Dei inconspicui, & primogenitum uniuersæ creaturæ: hoc est, genitum ab æterno. Et autor epistolæ ad Ebræos 1. Loquutus est nobis per filium, quem constituit hæredem omnium, per quem etiam secula condidit: qui cùm sit splendor gloriæ, expressa imago substantiæ illius, moderetuŕq; omnia uerbo potentiæ suæ. Et quòd Ioannes 1 epist. 4. unigenitũ filium Dei appellat.

Quòd Spiritui sancto sit coessentialis, inde patet, quòd Spiritum sanctum uocant spiritum Domini: Act. 5. Cur conspiraſtis inter uos, ut tentaretis spiritum Domini? Et spiritum filij Dei, Galat. 4. Spiritus Christi, Rom. 8. 1 Petri 1.

Tertiò, apertè asserunt, eum cum patre & Spiritu sancto unum esse: hoc est, unius essentiæ. 1 Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium perhibent, Pater, λόγος, Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Ephes. 4. Vnus Dominus, &c. unus Deus, & pater omnium, qui est super omnia. 2 Timoth. 2 Vnus Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Galat. 3. Intercessor unius non est, at Deus unus est. Si unus Deus est, hoc est una essentia diuina, et filius Dei etiam uerus est Deus, necesse est filium Dei unius esse essentiæ cum Patre & Spiritu sancto. Huc etiam illud facit, quòd Ioannes 1 & 2. & 2 Ioannis, adeò arctè Patrem & filium coniungit, ut eum qui negat filium, etiam patrem negare: & eum qui maneat in doctrina Christi, & Patrem & filium habere dicat.

Quartò, eo ipso quòd filio Domino nostro Iesu Christo adscribunt actiones & proprietates Patri & Spiritui sancto communes, & soli diuinæ naturæ competentes, comprobant, filium Dei Patri & Spiritui sancto esse coessentialem. Sed de his paulo pòst testimonia referemus.

Quintò, parem filio Dei cum Patre & Spiritu sancto tribuunt gloriam & honorem: quod non fieret, si non unius eiusdeḿq; esset essentiæ. 2 Petri 3. Crescite in gratia & cognitione seruatoris Domini nostri Iesu Christi, ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis. 1. Pet. 5. Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam, per Christũ Iesum parumper afflictos, idẽ instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat: ipsi gloria, imperium, in secula seculorum, Amen. Galat. 1. Gratia uobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsenti seculo malo, iuxta uolũtatem Dei & patris, cui gloria in secula seculorum. Ebr. 13. Efficiens ut quod agitis, acceptum sit in conspectu suo per Iesum Christum, cui gloria in secula seculorũ, Amen. Apoc. 4. Vigintiquatuor seniores dicunt de Christo: Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & uirtutem, quia tu creaſti omnia.

Filium Dei Patri & Spiritui sancto esse coæternum docẽt. Nam Deo in genere attribuunt, quòd sit æternus & immortalis, ut suprà ostensum est. Deinde de filio Dei dicũt, quòd sit uerus Deus, & ipsa plenitudo Deitatis, ut paulo antè retulimus. Vnde quid aliud sequitur, quàm filium Dei etiam æternum esse, & coæternum Patri & Spiritui sancto? Deinde Paulus Acto. 13, ex 2 Psalmo asserit, hodie filium à Deo Patre genitum. Id uerò Hodie, quia Deus extra tempus est, æternitatem significat. Non ergo fuit tẽpus, quando Pater non fuit Pater, aut filius non fuerit filius æterni Patris. Autor epistolæ ad Ebr. 1. ex eodem Psalmi 2. dicto, filiũ coæternum Patri esse probat: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et ex 2 Reg. 7. Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius.

Tertiò asserunt, filium Dei ante creationem fuisse, & omnia per illũ esse creata. Vnde colligi potest, cum præter Deum ante creationẽ mundi nihil fuerit, filium Patri & Spiritui sancto esse uerè coæternum. 1 Pet. 1. Cùm sciatis uos redemptos, &c. precioso sanguine, uelut agni immaculati & incontaminati, Christi, qui præordinatus quidem fuerat antequàm conderetur mundus, sed manifestatus fuit extremis temporibus. 1 Ioan. 2. Scribo uobis patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Eph. 1. Quemadmodum elegit nos in ipso, antequàm iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo. Colos. 1. Omnia per illum, & in illum creata sunt, et ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt. Autor epistolæ ad Ebræos 1. ad filium Dei accõmodat Psalmum centesimum primum: Et tu ab initio Domine, terræ fundamenta iecisti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes. & omnes ut uestimentum ueterascẽt, ac uelut amictum circumuolues eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient. Ebr. 13. Iesus Christus heri & hodie, idem est etiam in secula. Item Ebr. 7. At hic quòd idem maneat in æternum, perpetuũ habet sacerdotium. Apoc. 1. Ego sum primus & nouissimus: & uiuus, & fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorum, & habeo claues inferorum & mortis. Ibidem: Ego sum alpha & omega, principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui uenturus est omnipotens. Huc etiam illa referri possunt, quod 1 Ioan. 5. dicitur, Deum nobis dedisse uitam æternam, & hanc uitam esse in filio eius: & quod Petrus Act. 2. Christum appellat autorem uitæ. & Paulus 1 Corinth. 2. Dominum gloriæ. Et 2 Timoth. 1. Secundum gratiam quæ data quidem nobis est per Iesum Christum, ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per apparitionẽ seruatoris nostri Iesu Christi. Et 2 Petri 1 dicitur, Christum æternũ habere regnum. Quòd uerò Colos. 1. filius Dei primogenitus uniuersæ creaturæ appellatur: non in eam accipiendum est sententiam, quòd fuerit tempus quo filius non fuerit filius. Existere enim ante creaturam, æternitatis certũ argumentũ est. Illa uerò, primogenitus ex mortuis, Rom. 8. Col. 1. Apoc. 1. & principiũ creaturæ dei, Apoc. 3. de humana in Christo natura dicũtur.

Proprietates singulares filio Dei ante incarnationem has attribuunt, quòd sit filius patris. 2 Petri 1. Hodie, id est ab æterno, à patre genitus. Act. 13. Ebr. 1. Et unigenitus patris. 1 Ioan. 4. Et primogenitus uniuersæ creaturæ, & imago Dei. 2 Corinth. 4. Imago inconspicui Dei. Colos. 1. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ eius: & quòd fuerit persona destinata ad assumendum naturã humanã, & redimendum genus humanum. 1. Petri 1. Præordinatus quidẽ fuerat ante-

antequam conditus esset mundus. Act. 2. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, cùm accepistis per manus iniquorum crucifixum interimistis. Rom. 2. Quem proposuit Deus reconciliatorem. 1 Cor. 1. Qui factus fuit nobis sapientia à Deo, iusticia q; et sanctificatio & redemptio, ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gal. 4. Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filiũ suum, factum ex muliere, &c. Ephes. 1. Prædestinauit nos ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, iuxta bene placitum uoluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos nos reddidit per dilectũ, &c. in seipso, usq; ad dispensationem plenitudinis temporum, ut summatim instauraret omnia per Christũ. Col. 1. Quoniam in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga sese, pacificans per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Autor epistolæ ad Ebræos 7. Porrò sermo iurisiurandi, qui supra legem fuit, filium constituit in æternum consummatũ. Apoc. 13. Quorum nõ sunt scripta nomina in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi: hoc est, filius Dei Dominus noster Iesus Christus destinatus est ut fieret uictima, quæ expiaret peccata generis humani.

Tribuunt etiam filio Dei communes cum patre proprietates: ut sunt, Effundere spiritum sanctum, Act. 2. Effudit hoc quod uidetis, & auditis. Tit. 3. Per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum seruatorem nostrum. 1 Ioan. 3. & 4. De spiritu suo dedit nobis. Huc & cætera testimonia pertinent, in quibus Deus dicitur spiritum sanctum dare. Voce enim Dei, & pater & filius comprehenditur. 1 Cor. 6. Spiritum sanctum habetis à Deo. 2 Corinth. 5. Porrò qui parauit nos in hoc ipsum, Deus est, qui idem dedit nobis arrabonem spiritus. Filium etiam cum patre fontem spiritus sancti esse, haud obscurè notant, quòd spiritum sanctum, spiritum Christi (Rom. 8. 1 Pet. 1.) & Domini (Act. 5) & Dei (Rom. 8. 15. & 1 Cor. 6) & ex Deo (1 Corinth. 2.) uocant, ut dictum est suprà.

Communes patris & filij & spiritus sancti actiones suprà in loco de Deo commemorauimus, quæ huc etiam pertinent. Nam ante incarnationem filio cum patre & spiritu sancto commune fuit, habitare lucem no bis inaccessam. 1 Timoth. 6. Creare cœlum & terram, & sustentare omnia: Ebræ. 1. Colosse. 1. Actor. 17 Tractare de generis humani recuperatione: Ephes. 1. Adorari ab angelis: Ebræ. 1. Rursum autem cùm inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei. Reuelare promissionem, seu patefacere arcanum decretum uoluntatis diuinæ, de remissione peccatorum & redemptione generis humani: Ephes. cap. 1. Diligere genus humanũ, Tit. 2. Ephes. 5. Populum Iudaicum educere ex Aegypto, eiq; exhibere beneficia, 1 Corinth. 10.

Filium Dei hominem factum, & officium mediatoris gerentem, Apostoli interdum unica uoce Iesum, nõnunquam Christum, aliquando uerò utraque coniuncta Iesum Christum appellant.

Primi exempla sunt, Act. 1. Hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Item: Iudas fuit dux his qui comprehenderunt Iesum. Item: Quo Dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinem egit nobiscum. Act. 2. Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Ibidem: Certò sciat ergo tota domus Israel, quòd Dominũ & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Act. 16. At illi dixerũt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & tota domus tua. Acto. 7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Estq; hæc phrasis Lucæ in Actis apostolorum usitatissima. 1 Petri 1. Per agnitionem Dei, & Iesu Domini nostri. 1 Ioan. 5. Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Rom. 3. Vt ipse sit iustus, & iustificans cum qui est ex fide Iesu. 1. Corinth. 11. Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est. Apocal. 22. Veni Domine Iesu.

Secundi exempla sunt, Act. 9. Paulus in synagoga prædicabat Christum, quòd is esset filius Dei. Act. 24. Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christũ. 1 Petri 1. Spiritus Christi, priusquam acciderant, testabatur uenturas in Christum afflictiones. 1 Petri 2. Et Christus afflictus est pro uobis, relinquens uobis exemplum, ut insequeremini uestigia eius. Estq; hæc phrasis in epistolis Petrinis frequentissima. 2 Ioannis. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filiũ habet. Rom. 5. Christus, cùm adhuc essemus infirmi, iuxta temporis rationem, pro impijs mortuus est. Roman. 6. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo. Similia exempla passim in singulis epistolis Paulinis obuia sunt lectori Ebræ. 3. Christus tanquam filius administrauit domum.

Tertij exempla sunt, Actor. 3. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Acto. 15. Per gratiam Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. 1 Petri 1. Sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam, dum uobis patefit Iesus Christus. 1. Petri 4. Et in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen. 1 Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi, filij eius, emundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 2. Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Similia extant 1 Ioan. 4. 5. Et Paulus 1 Timoth. 1. Christus Iesus uenit in mundum saluare peccatores. Gala. 6. Ego uerò absit ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Infinita huius generis in Epistolis Paulinis extant exempla, qualia nec in Epistola Iudæ, Iacobi, ad Ebræos, & Apocalypsi desiderantur.

Quòd IESVS CHRISTVS sit uerus Deus, & Dei patris filius.

Affirmant autem de IESV Christo, quòd post assumptam humanam naturam non desierit esse, quod antea semper fuit: sed adhuc sit in una persona uerus Deus, & uerè Dei patris filius. Nam Petrus 2 epist. 1. testatur, se in monte sancto uidisse maiestatem Christi, & uocem audijsse, qua Christus accepit honorem & gloriam à patre: Hic est filius meus dilectus. Et Apostoli passim in suis concionibus & scriptis, Iesum Christum filium Dei nominant: quod utique non facerent, si sentirent, Iesum Christum Deum et Dei patris filiũ esse desijsse. Haud enim dicerent falsum testimo-

testimonium. Act.2.Petrus asserit,IESVM à Deo excitatum et exaltatum,accepta promissione spiritus sancti à patre,effudisse spiritum sanctum. Act.3. Petrus & Ioannes affirmant, Deum suscitasse filium suum IESVM: Acto.4. Tota ecclesia recens ab Apostolis collecta,in sua oratione inquit: Cõuenerunt uerè aduersus sanctum filium tuum IESVM,quem unxeras,Herodes simul & Pontius Pilatus. Act.8. Eunuchus à Philippo Euangelium edoctus,inquit: Credo filium Dei esse IESVM Christũ. Act.9. Paulus conuersus,continuò in synagogis prædicabat Christũ, quòd is esset filius Dei. 1 Ioan.1.sanguis IESV Christi, filij eius, emundat nos ab omni peccato. 1 Ioan.5. Quis est qui uincit mundũ, nisi qui credit quòd IESVS est filius Dei? Et Paulus Rom.8.Quod lex præstare nõ poterat,&c.hoc Deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit. 2 Corinth.1. Nam Dei filius IESVS Christus,qui inter uos per nos prædicatus est,per me et Syluanum ac Timotheum, non fuit Etiam & non, sed etiã per ipsum fuit. Ebr.4. Habentes igitur Pontificẽ magnum,qui penetrauit cœlos,IESVM filium Dei,teneamus professionem.

Deinde etiam eo monent Christum uerum Deum esse, quòd eum ante incarnationem extitisse docent. Nam 1 Cor.10.Paulus ostendit,Christum populum Iudaicum per mare rubrũ traduxisse,et in deserto cibum & potum dedisse,eosq; Christum tentasse. Et Ebr.11. Moses probrum Christi præ omnibus Aegyptiorũ thesauris elegisse dicitur. Et Ebr.13. IESVS Christus heri & hodie,idem est etiam in secula.

Præterea opera IESV Christo adscribunt,quæ solius Dei sunt:unde constat, eos non dubitasse,quin IESVS Christus sit uerus Deus,& filius Dei.Vt quòd iubent in nomine eius baptisari:Act.2. Delictorũ pœnitẽtiam agite,& baptisetur unusquisq; uestrũm in nomine IESV Christi,in remissionẽ peccatorũ,& accipietis donum Spiritus sancti. Act.8. Baptisati erant in nomine IESV Christi.Act.10.Iussit eos baptisari in nomine Domini.Act.19.His auditis,baptisati sunt in nomine Domini. Quòd det remissionẽ peccatorũ,& salutem:Act.16.Crede in Dominum IESVM,& saluus eris tu & domus tua.Act.10.Huic testimonium,&c.remissionẽ peccatorum accipere omnes qui credunt in nomen eius. Quòd aperiat corda hominũ: Act.16. Cuius Dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Quòd in nomine IESV Christi sese miracula edere testantur:Act.4.Notum sit omnibus uobis,&c.quòd per nomen IESV Christi Nazareni,quem uos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis,per hunc iste adstat coram omnibus uobis sanus.Acto.10 Petrus ait: Aenea,sanet te Dominus IESVS Christus: surge,& sterne tibi ipsi.& continuò surrexit.Paulus Rom.1. ex resurrectione dicit constare,IESVM Christum esse filiũ Dei. Sed de operibus IESV Christi postea prolixius.

Quòd IESVS CHRISTVS sit uerus homo.

IESVM CHRISTVM non solum uerè filium Dei, sed & uerum & naturalem hominem esse factum, conceptum & natum,sicut alij homines,excepta originali labe, ut à Christo & Spiritu sancto edocti,certò asserunt.Paulus Gal.4.Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui erant legi obnoxij, redimeret. Rom.1. Segregatus in Euangelium Dei, &c. de filio suo,qui genitus fuit ex semine Dauid secundũ carnem. 1.Timoth.2.Vnus conciliator Dei & hominum, homo IESVS Christus. 2 Timot.2.Memento IESVM Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum. Eo loco si Paulus, ut quidam intelligunt, de Euangelio quod ex eius ore Lucas scripsit,loquitur,ad genealogiam Christi,quæ Lucæ 3. extat,Timotheum remisit.Et Philip.2. IESVS Christus cùm esset in forma Dei,&c.seipsum exinaniuit,formã serui accipiens,in similitudinem hominum natus,& figura inuentus ut homo. Col.1.Reconciliauit uos in corpore carnis suæ. Præterea idem Paulus,passim in suis epistolis,ubicunq; passionis Christi meminit, ita de IESV Christo loquitur, ut apertissimè ostendat, eum uerum esse hominem. Rom.3.4.8. 1 Corinth.15. 2 Cor. 5.Gal.3.4.Ephes.1.2. 1 Timoth.1.Tit.3.Philip.2.Coloss. 1. 1 Thess.4. Ebræ.2. Posteaquam igitur pueri communicium habent cum carne & sanguine,& ipse similiter particeps factus est eorundem: non enim angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi,ut misericors esset & fidelis Pontifex. Idem cap.4.Non habemus pontificem, qui non possit affici sensu nostrarum infirmitatum,sed tantum per omnia iuxta similitudinem, absq; peccato. Petrus 1 epist.4.dicit,Christũ passum pro nobis carne. quo quid aliud uult,quàm Christũ hominem esse? Idem Act.1.in concione de electione alterius Apostoli,qui in locum Iudæ Iscarioth surrogetur,testatur,se & alios quàm plurimos uiros, à baptismo Ioannis, usq; ad eum diem quo receptus est in cœlum, cum IESV perpetuã uitæ consuetudinẽ egisse. Et Act.2.dicit,ipsos Iudæos scire, IESVM Nazarenum multa edidisse miracula, eumq; crucifixũ & interemptũ esse. Act.4.Principes & seniores & scribæ Hierosolymis,et Annas princeps sacerdotum,& Caiphas, & Ioannes & Alexander,& quotquot erant de genere Pontificio in cõcilio congregati, agnoscebant Petrum & Ioannẽ, quòd cum IESV fuissent. Idem Actor.5. ad Apostolos inquiunt: Ecce replestis Hierosolyma doctrina uestra,& uultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Fatentur ergo principes sacerdotum,IESVM uerum hominem fuisse. De Stephano Act.7.dicitur: Vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei, & ait: Ecce uideo cœlos apertos,& filium hominis stantẽ à dextris Dei. Act.10.Petrus Cornelio Christum uerum hominem esse affirmat,eo quòd dicit,eum ambulasse, & benefecisse, & sanasse omnes oppressos à diabolo in regione Iudæorum & Hierosolymis:& occisum esse,& suspensum de ligno,& reuixisse tertio die: & à discipulis suis usum esse, & cum ijs comedisse & bibisse: & se & cæteros Apostolos ab eo missos esse ad prædicandũ & testificandum, quòd sit à Deo constitutus iudex uiuorum & mortuorũ. Et Paulus Act.13. historiã de passione & resurrectione Christi perstringens, nihil aliud facit, quàm ut ostẽdat Christum uerum hominẽ fuisse, quem condemnarint innocentem ciues & principes Hierosolymitani,& prodiderint Pilato,postulantes ut eum interficeret. Idẽ Act.17. Christũ appellat uirũ,quẽ Deus excitarit

excitarit ex mortuis: quo nomine aliàs Paulus & alij homines appellantur. Act. 24. Nacti sumus uirum hunc pestiferũ, & concitantẽ seditionẽ omnib. Iudæis in uniuerso orbe. Ioan. 1. epist. 1. testatur, se & alios IESVM Christũ, quem uocat uitam æternã, oculis uidisse, audiuisse, manibus cõtrectasse, & sanguinẽ IESV Christi filij Dei nos emundare ab omni peccato: quod quid aliud est, quàm Christũ uerum hominem esse, qui habeat sanguinẽ, ut alij homines? Idem 1 Ioan. 4. & 2 Ioan. spiritum Antichristi esse dicit, qui neget IESVM Christũ in carne uenisse. Idem 1 Ioan. 5. dicit, IESVM Christum per aquam & sanguinem uenisse. Apocal. 1. dicit, IESVM Christum lauisse nos à peccatis nostris, per sanguinem suum. Omnes ergo Apostoli, & plures quàm quingenti fratres, & totus populus Iudaicus, qui hoc seculo uixit, testantur, IESVM Christũ uerum hominem, & nõ phantasma fuisse. Idem confirmant opera, quæ à Christo ut homine sunt facta: qualia iam recensuimus, & postea prolixius commemorabuntur. Adstipulantur etiam ueteris Testamenti & propheta rum testimonia, quibus prædictum est, IESVM Christũ semen mulieris, semen Abrahæ & Dauidis futurum. De quibus suo loco paulo pòst dicetur.

Quòd IESVS CHRISTVS, filius Dei & hominis, sit una persona, duabus naturis diuina & humana, unione hypostatica unitis.

Quòd uerò doceant, IESVM Christum filium Dei & hominis, ante glorificationem, unam, & non duas aut plures, esse personam, inenarrabili & imperuestigabili modo duabus diuersis naturis arctissimè unitis, & tamen non confusis: constat ex præcedentibus, ubi demonstratum est eos sentire, filium Dei ita hominem esse factum, ut non desierit esse quod antea erat, nempe uerus Deus, & ueri patris æternus filius: & ita filium Dei mansisse, ut uerus homo corpore & anima, & alijs omnibus, similis nostri, excepto peccato, esset. Huc ergo pertinent illa testimonia, quæ de IESV Christo, quòd sit uerus Deus, & quòd sit uerus homo, paulò antè recitauimus. Nam in ijs omnibus non aliter de Christo loquuntur, quàm de una tantùm persona. Maximè uerò hæc notanda sunt, quòd Paulus Galat. 4. dicit, Deum misisse filium suum natum ex muliere. Et Philip. 2. IESVM Christum in forma Dei, & æqualem Deo existentẽ, sese exinaniuisse, forma serui assumpta, natum in similitudine hominum. Et 1 Ioan. 4. Omnis spiritus qui confitetur IESVM Christum in carne uenisse, ex Deo est. Et 2 Ioã. Multi seductores sunt ingressi in mundum, qui non confitentur IESVM Christum uenisse in carne. His enim palàm testantur, in una illa persona IESV Christi duas naturas, humanã & diuinã, esse unitas. Et phrasis Pauli, Deus misit filiũ suum natum ex muliere: congruit cum illa Ioan. 1. Verbũ caro factum est. Rom. 8. dicitur, Deum proprio filio, misso sub specie carnis, peccato obnoxiæ, præstitisse ea quæ lex præstare non poterat propter imbecillitatẽ. 1. Tim. 3. Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria.

Porrò & opera quæ Christo IESV post incarnationem tribuuntur, testantur, eum uerum Deum & hominem in una persona esse. Sed de ijs suprà aliquid dictũ est, & infrà plura dicentur.

Causas uerò huius mirandæ hypostaticæ unionis has commemorare uidentur Apostoli. Primùm, quòd talis Messias & pontifex & mediator sit promissus, qui semen Abrahæ, Galat. 3. & filius Dauidis & Dominus esset, Act. 2. & filius Dei, Act. 13. Ebræ. 1 & 5. Testimonia infrà de Messia recitabuntur. Deinde, quòd Deo placuerit, eo modo filium suum, hominẽ factum, generi humano mederi. Rom. 8. Gal. 4. Col. 1. Ephes. 1. Tertiò, quòd necessitas nostræ salutis talem postularit mediatorem, qui homo & Deus in una persona esset & permaneret. Quoniã enim homines erant lapsi in peccatum & mortem, & iram Dei, & indigebant iusticia & uita: eratq; ijs præscriptũ ut & pro peccatis satisfacerent, & ad uitam acquirendam legi Dei integrã præstarent obedientiã, quorum neutrum perficere ijs possibile erat: oportebat ergo hominem aliquem, qui absq; peccato esset, & in quem Deus consentiret, aliorum in sese deriuare peccata, & pro ijs satisfacere obeundo mortem, & pro acquirenda iusticia legi integrã præstare obedientiã, quæ alijs imputari posset, ut propter eam, uitam æternam acciperent. Verùm quia tollere mortem, & reddere uitam nulla creatura potuisset, oportuit non solum purum huiusmodi hominem esse, sed etiam uerum Deum, qui iusticiæ Dei, pro hominibus patiendo, pro peccatis eorum satisfaceret, & implendo legem integrè iusticiam compararet, & uicta mortè resurgeret, & ad cœlos ascenderet, & suam iusticiam credentibus donaret & imputaret, & effuso spiritu sancto nouitatem inchoaret, & resuscitando mortuos uitam æternam conferret credentibus, & pœnas insligeret incredulis. Hominem igitur uerum & purũ, absq; peccato, Christum esse oportuisse docent: quia debebat non quidẽ sua, sed aliorum hominum expiare peccata, & iusticiam hominib. applicabilẽ parare, & ad uitam æternã homines adducere. 1 Petri 1. 2. Christus afflictus est pro nobis, &c. Qui peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore eius, &c. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui, iusticiæ uiueremus: cuius eiusdem ubice sanati estis. Idem 1 Petri 3. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo. 1 Ioannis 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, IESVM Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et Paulus Romanis 5, in collatione Adæ & Christi, eleganter docet, quòd sicut per unum hominem peccatum & mors introierit in mundum, ita oportuerit per obedientiam unius iustos constitui multos. Et Rom. 8. ostendit, Christum ideo indutum carnem humanam, præstitisse ea quæ caro, hoc est homines non poterant præstare, ut iustificatio legis in nobis impleretur: hoc est, ut eius impletio imputaretur ad iustificationem credenti. Et 2 Corinth. 5. inquit: Deus eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos in eo fieremus iusticia Dei. Autor epistolæ ad Ebræos, ex professo hæc capita tractat: Ideo oportuisse nostrum pontificem hominem esse, quia debebat hominum expiare peccata, & hominum causam apud Deum agere, & suum sacrificium

sacrificium & meritum non angelis, sed hominibus applicare. Inquit enim cap. 2. posteaquam pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum: & liberos redderet eos quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti: non enim uidelicet angelos assumit, sed semen Abrahæ. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset, & fidelis pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi contigit, tentatum esse, potest & ijs qui tentantur succurrere. Idem repetit cap. 4. Et cap. 7. docet, eam ob causam oportuisse hominẽ pium, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, & absq; peccato esse, ut non necesse haberet pro proprijs peccatis offerre, sed unica oblatione sui ipsius posset expiare populi peccata.

Filium uerò Dei etiam Christum esse oportuisse, docent, has ob causas, ut cum Deo agere, eiusq; uoluntatem cognoscere, & nobis reuelare posset. tantùm enim homo existens, Deum uidere non potuisset. 1 Ioan. 3. Deum nemo uidit unquam. Et 1 Tim. 6. Quem uidit nemo hominum, neq; uidere potest. 1 Cor. 2. Quis cognouit mentem Domini? Quis consilium daturus sit illi? Nos autem mentem Christi tenemus. 1 Ioan. 5. Scimus quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est. Deinde, ut iusticiæ Dei, quæ erat per peccata generis humani offensa, æquiualens precium persolueret: quod homo tantum existens præstare non potuisset. 2 Pet. 2. Etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes. 1 Ioan. 1. Sanguis IESV *Christi, filij eius, emundat nos ab omni peccato. Et 1. Ioan. 4. Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et Paul. Rom. 8. & Gal. 4. & Philip. 2. & alibi passim docet, ideo filium Dei missum esse, ut plenè Deo pro peccatis nostris satisfaceret. Ebr. 2 Vt per gratiã Dei pro omni gustaret mortem. Idem 9. Per propriũ sanguinem ingressus est semel in sancta sanctorum, æterna redemptione reperta. Idẽ 5. Tametsi filius erat, tamen didicit ex his quæ passus est obedientiã, ac perfectus redditus omnibus qui sibi obedierunt, fuit causa salutis æternæ. Ebr. 10. ex Psal. 39. docet, Christũ uoluntatẽ Dei fecisse, & peccata plenè expiasse, ut non amplius opus sit offerre pro peccato. Tertiò, ut uinceret mortẽ & diabolũ. 1 Ioan. 3. In hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Act. 2. Quatenus impossibile erat teneri illũ à morte. Rom. 4. Traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri. Quartò, ut nos faceret filios Dei, & hæredes Dei. Homo enim tantùm existens, nõ potuisset alijs ius filiorũ Dei dare. 1 Ioan. 3. Videte qualẽ charitatẽ dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur. Ephes. 1. Prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per* IESVM *Christum. Galat. 4. Vt adoptione ius filiorum acciperemus. Roman. 8. Hæredes Dei, cohæredes uerò Christi. Quintò, ut esset æternus pontifex, qui ad dexteram Dei sederet, & Deum pro nobis interpellaret, & cuius meritum omni tempore efficax esset ad contegenda peccata pœnitentiam agentium. Ebræis 7. At hic, quòd idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium, unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens ad hoc, ut interpellet pro illis. Talis enim decebat ut esset nobis pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel, cum seipsum obtulit. Siquidem lex homines constituit pontifices, habentes infirmitatem. Porrò sermo iurisiurandi, qui supra legem fuit, filium constituit in æternum consummatum. Sextò, ut ubiq; Ecclesiam colligere, eiq; adesse, corda hominum scrutari, & gemitus & preces fidelium in quouis loco audire, peccata remittere, Spiritum sanctum donare, & omnibus adimplere posset. Hæc enim Christum mediatorem nostrum facere, constabit ex proprietatibus & actionibus, quas paulo pòst commemorabimus. Postremò, ut in uitam reducere mortuos, & abolere mortem, & exercere iudicium, & iustos in hæreditatem immortalem & incontaminabilem atq; immarcescibilem restituere: iniustos uerò, qui suo Euangelio non obedierunt, æternis pœnis affligere posset. Act. 10. 1. Pet. 1. 4. 5. 1. Cor. 15. 2 Thes. 1. 2 Timoth. 4. Atque ita per eum instaurarentur omnia, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. Ephes. 1. & ipse primas teneret in omnibus. Colos. 1.*

Non tantùm post incarnationem, sed etiam post glorificationem, duas in una Christi persona naturas, humanam & diuinam, agnoscendas nobis proponunt. Nam Lucas Act. 1. testis est, angelos Christo discedente coràm adstantes dixisse: Viri Galilei, quid statis, intuentes in cœlum? Hic IESVS, *qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodũ uidistis eum euntem in cœlum. Et Paul. 1. Cor. 15. testatur, Christũ à se uisum esse. Et Act. 22. ad se dixisse: Ego sum* IESVS *Nazarenus, quem tu persequeris. Quid aliud* IESVS *Christus iam ad dexteram Dei sedens testatur, quàm se adhuc eundem* IESVM *Christũ esse, filium scilicet Dei, & uerum hominẽ, in una persona? Petrus & cæteri Apostoli Act. 2. statim in prima concione diei Pentecostes testãtur,* IESVM *Christũ filium Dei, & uerum hominem, crucifixum & interfectum à Iudæis, corpore & anima absq; corruptione à Deo resuscitatum esse: & hunc* IESVM *(utuntur enim uocem demonstratiua, ut hanc ipsam personam seu individuã notent) dextra Dei exaltatũ, & promissione Spiritus sancti accepta à patre, effudisse Spiritum sanctum, & à Deo Dominum & Christũ factum esse. Idem Petrus & Ioannes altera eõcione quam super sanato claudo habent, Act. 3. affirmant, dum* IESVM *Christum unam & eandem personam appellant filium Dei, autorem uitæ, sanctum & iustum, quem Iudæi prodiderint & negarint coram Pilato, & interfecerint. Deus uerò suscitarit ex mortuis & glorificarit, et quem oportet cœlum accipere usq; ad tempora restitutionis omniũ, quem Deus miserit pòst resuscitationem, ut benedicat Iudæis, ita ut unusquisq; conuertat se ab iniquitatibus suis. Iidem Act. 4. in confessione sua quam edunt coram concilio, profitentur* IESVM *Nazarenum crucifixum, & resuscitatũ à mortuis, sanasse claudũ: & non*

in alio quoquam esse salutem, quàm in illo: nec aliud nomen datũ esse hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Nec Ecclesia recens collecta in oratione sua contra persequutores, aliud sentit quàm IESVM Christum etiam post glorificationem, filiũ Dei & uerum hominem esse, quem Deus unxerit. Act. 4. Apostoli omnes in concilio sacerdotum & seniorum omnium filiorũ Israel accusati, quòd repleuerint Hierosolymam sua doctrina, contra edictum eorum, et uellint inducere super eos sanguinem hominis istius, respondent: se testes esse, quòd Deus suscitarit hunc IESVM, quem ipsi interemissent, suspensum de ligno: & quòd per eum Deus uelit dare pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorũ. Stephanus Act. 7. non alium, sed eundem IESVM, filium Dei scilicet & hominis, uidet stare à dextris Dei, quem etiam inuocat, & cui spiritum suum commendat.

Nec Petrus in cõcione in domo Cornelij Act. 10. nec Paulus Act. 13. & concilium Hierosolymitanum Act. 15. alium Christũ post glorificationẽ, quàm uerum Deum & hominẽ in una persona prædicant. Nec in epistolis suis aliam profitentur sententiam. Petrus enim 1. Pet. 1. de eodẽ IESV Christo affirmat, quòd Deũ habeat Patrem, quòd resurrexerit ex mortuis, quòd reuelandus sit in extremo die. Et 1. Pet. 2. quòd spirituales hostiæ oblatæ per eum, sint acceptabiles Deo: & quòd sit pastor & curator animarum fidelium. & 1. Petri 3. quòd Christus iustus pro iniustis passus sit, mortificatus carne, & uiuificatus spiritu: quòd sit ad dexterã Dei, profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus ac uirtutibus. Et Ioannes 1. epist. cap. 2. eundem IESVM Christum, qui propitiatio pro peccatis nostris et mundi factus est, adhuc agere aduocatũ apud Patrem dicit. Paulus uerò in singulis suis epistolis testimonia plurima habet, IESVM Christum etiam post glorificationem duplicis naturæ esse in una eademq; persona. 1. Corinth. 15. Oculatos testes producit quingentos fratres & Apostolos, quibus & suum addit testimonium, qui IESVM Christum post resurrectionem uiderunt humanam adhuc gestare naturam. Rom. 6. dicit eundem Christum, qui mortuus est, resuscitatum esse per gloriam Patris, & non amplius mori, eiq; mortem non amplius dominari. Rom. 8. Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis. Roman. 14. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit, ut mortuis & uiuentib. dominetur. 1. Corinth. 2. Non iudicaui me quicquam scire inter uos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. Ephes. 1. Vt sciatis quæ sit spes, &c. qui credimus secundum efficaciam fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum ac potestatem & uirtutem & dominium, &c. Ephes. 4. Qui descẽdit, idem ille est qui etiam ascẽdit supra omnes cœlos. Ephes. 4. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma. Et 1. Cor. 8. Vnus Deus, &c. et unus Dominus IESVS Christus. Et 1. Corinth. 1. Num diuisus est Christus? Si Paulus à spiritu sancto edoctus esset, Christum non esse unam tantùm personã, haud sic loqueretur: sed diceret, Duo sunt Domini, alter est IESVS filius Dei, alter est Christus filius hominis. Idem Philippen. 2. IESVM Christum filium Dei hominem factum, forma serui assumpta factum obedientem usque ad mortem crucis, à Deo in summam sublimitatem exaltatum esse, ut in nomine IESV sese flectat omne genu: & omnis lingua cõfiteatur, quòd Dominus sit IESVS Christus, ad gloriam Dei patris. Coloss. 2. Quoniam in illo (Christo) inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & estis in illo completi, qui est caput omnis principatus & potestatis. Idem 1. Tim. 6. eundem IESVM Christum esse ostendit, qui sub Pontio Pilato testatam fecit bonam professionem, & qui suo tempore iterum apparebit. Autor epist. ad Ebr. ubique ferè hoc agit, Christum hominis & Dei filium, etiam post glorificationem, esse nostrum Pontificem, qui intercedat pro nobis apud Patrem. Ebr. 4. Habẽtes igitur Pontificem magnum, qui cœlos penetrauit, IESVM filium Dei, teneamus professionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum: sed tentatum per omnia, iuxta similitudinẽ, absq; peccato.

Idem 7. At hic quòd idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium: unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deũ, semper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis. Idem cap. 9. Christus semel oblatus, ut multorũ peccata tolleret, rursus absq; peccato cõspicietur ijs qui illum expectant in salutem.

Et IESV Christo post glorificationem duæ naturæ, humana & diuina, attribuuntur. Apocal. 1. Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt: & plangent se omnes tribus terræ, etiam, Amen. Ego sum α & ω, principium & finis: dicit Dominus qui est, & qui erat, & qui uenturus est omnipotens.

Postremò, nusquam Apostoli uel etiam minimo indicio subindicant, se in Christo duas agnoscere personas, siue ante, siue post glorificationem.

Proprietates & actiones quæ IESV Christo attribuuntur, diuersi sunt generis. Aliæ enim ei ante glorificationem, aliæ post glorificationem, aliæ utraque uice competunt.

Proprietates & actiones quas Christo IESV filio Dei in et post assumptionẽ carnis ante glorificationem ascribunt, hæ ferè sunt: Non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, & formã serui accepit. Philip. 2. Natus ex muliere: Gal. 4. Ex semine Abrahæ: Gal. 3. Et Dauid secundũ carnem: Rom. 1. & 2. Tim. 2. ex Iudæis, Rom. 9. In similitudine hominum constitutus, figura repertus ut homo: Philip. 2. Per omnia similis fratribus redditus est: Ebr. 2. Tentatus per omnia iuxta similitudinẽ absq; peccato, Ebr. 4. Iustus est, 1. Pet. 3. Peccatum nõ fecit, nec dolus repertus est in ore eius. 1. Petri 2. Non nouit peccatum. 2. Corinth. 5. 1. Ioan. 3. Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatũ in eo non est: factus est peccatum, ut nos fieremus in eo iusticia Dei. 2. Corinth. 5. Humilem sese præbuit. Philipp. 2. Cùm diues esset, propter nos pauper factus est. 2. Corinth. 8. Venit in mundum saluare peccatores. 1. Tim. 1. Subiectus est legi. Gal. 4. Factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. 2. Factus est minister circumcisionis, Roman. 15. Vnctus est Spiritu sancto, Actor. 4. & 10.

Prædicauit pacem his qui propè & longè sunt, Ephes. 2. Act. 10. Fuit Apostolus & pontifex confessionis nostræ, Ebr. 3. & 4. Et conciliator noui Testamẽti. Ebr. 12. Obambulauit, sanauit omnes oppressos à diabolo, & fecit multa miracula in regione Iudæorum & Hierosolymis: Act. 10. A baptismo Ioannis usq; ad ascensionem secum habuit discipulos, Actor. 1. Ordinauit, ut qui Euangeliũ annunciant, de Euangelio uiuant: 1. Corinth. 9. Instituit cœnam in ea nocte qua traditus est: 1 Cor. 11. Iudas Iscarioth eum prodidit Iudæis: Acto. 1. Iudæi eum comprehenderunt: Acto. 1. Et tradiderunt Pilato, Acto. 3. Et nulla causa mortis in eo inuenta, tamen condemnarunt eum: Acto. 13. Cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta: cùm malis afficeretur, nõ minabatur, sed tradidit uindictã ei qui iustè iudicat: 1. Pet. 3. Sub Pontio Pilato IESVS Christus fecit testatam bonã professionem. 1. Tim. 6. Pilatus iudicauit eum iustũ & innocentẽ esse, & absoluendũ censuit: Act. 3. Iudæi sanctũ & iustum negarũt, & postularũt ut uirũ homicidã ijs donaret, autorẽ uerò uitæ interficeret: Act. 3. & 13. Et sic iusti illius proditores & occisores facti sunt: Act. 7. 1. Thess. 4. Suspẽsus est de ligno, Act. 10. 1. Cor. 2. Crucifixus est ex infirmitate: 2. Corinth. 13. Pependit in ligno: Galat. 3. In die carnis suæ, precationes & supplicationes obtulit cum clamore ualido & lachrymis, & exauditus est pro reuerentia, Ebræ. 5. Mortuus est, Rom. 5. 8. 1. Corinth. 8. 1. Thess. 4. 1. Cor. 15. Secundum scripturã immolatus est, ut pascha, 1. Cor. 5. Vt agnus immaculatus, 1. Pet. 1. Per proprium sanguinem ingressus est in sancta sanctorum: Ebr. 9. Et obtulit seipsum per Spiritum æternum: ibid. De ligno ablatus, in monumentum positus est, Act. 13. Et secundũ scripturam sepultus, 1. Cor. 15. Mortificatus quidẽ carne, sed uiuificatus spiritu, in quo etiam abijt: & spiritibus qui erant in carcere prædicauit, qui inobedientes fuerant quondam, cum semel expectabatur Dei lenitas in diebus Noe, cum apparabatur arca in qua paucæ, hoc est, octo animæ seruatæ fuerunt per aquam: 1. Pet. 3. Descendit in infimas partes terræ, Ephes. 4. Non est in inferno derelicta anima eius, neque caro eius uidit corruptionem: Acto. 2. & 13. Hunc IESVM Deus suscitauit, solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab ea: Acto. 2. 3. 4. 5. Idem IESVS Christus resurrexit tertio die secundum Scripturã, 1. Corinth. 15. Roman. 1. 4. 8. 1. Thess. 4. 1. Pet. 1. Impleuit legem pro nobis: Rom. 8. & 15. Redemit nos ab execratione legis: Galat. 3. & 4. Deleuit quod aduersus nos erat chirographum, quod erat contrarium nobis per decreta, idq; sustulit è medio, & cruci affixit: Coloss. 2. Per carnem suam legem mandatorũ in decretis sitam abrogauit, & reconciliauit ambos, scilicet Iudæos & Gẽtes, in uno corpore Deo, per crucẽ, perempta inimicitia per eam. Item fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceriæ diruit, Eph. 2. Parauit nobis libertatẽ à maledicto legis moralis, & lege Mosaica, ut in Christo IESV neq; circumcisio quicquã ualeat, neq; præputiũ, Gal. 5. & 6. Neq; iudicandi simus in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij aut sabbathorum: Coloss. 2. Et cessarint oblationes, Ebr. 10. Ideo apparuit, ut dissoluat opera diaboli: 1. Ioan. 3. Per mortem aboleuit eũ qui habebat mortis imperiũ, hoc est diabolum: Ebr. 2. Expoliauit potestates & principatus: Coloss. 2. Factus est nobis à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio: 1. Cor. 1. Deus IESVM Christũ proposuit reconciliatorem, interueniente ipsius sanguine, Rom. 3. Christus est propitiatio pro peccatis nostris, & nõ nostris tantùm, sed pro peccatis totius mũdi: 1. Ioan. 2. & 4. IESVS Christus perduxit nos in gratiam: Rom. 5. Emit nos precio, 1. Cor. 6. Precioso sanguine nos redemit: 1. Pet. 1. Dedit seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsenti seculo malo, Galat. 1. Sanguine suo parauit nobis redemptionẽ & remissionem peccatorũ, Eph. 1. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ, Eph. 5. Dilexit Ecclesiã, & exposuit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, &c. Ephes. 5. Habemus per Christũ redemptionem, per sanguinẽ ipsius remissionem peccatorum: Col. 1. Per sanguinẽ crucis Christi pacificata sunt omnia, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis sunt: Coloss. 1. Reconciliauit nos in corpore carnis suæ, per mortem: ibid. IESVS Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate: Tit. 2. Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret, Ebr. 9. Sanctificamur per oblationẽ corporis Christi, semel peractã: Ebr. 10. Per propriũ sanguinẽ sanctificauit populum suum: Act. 13. IESVS liberauit nos ab ira uẽturã, 1. Thes. 1. Mortẽ aboleuit, uitã in lucem produxit, et immortalitatem per Euangeliũ: 2. Tim. 1. Christus afflictus est pro nobis, &c. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iusticiæ uiueremus, ipsius uibice sanati fuistis: 1 Petri 2. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, 1. Pet. 3. Ro. 5. Christus passus pro nobis carne, & in carne, 1. Pet. 4. Sanguis IESV Christi filij Dei, emundat nos ab omni peccato: 1 Ioã. 1. Proprietates & actiones IESV Christi post resurrectionem, hæ ferè recensentur. IESVS Christus seipsum exhibuit Apostolis uiuentem, posteaquã suplicio affectus fuisset, idq; complurib. argumentis, dum per dies 40 cõspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno Dei: Act. 1. Et uisus est per dies multos his qui simul ascenderãt cũ illo, à Galilæa Hierosolymã, qui sunt testes eius apud plebẽ: Act. 13. Primogenitus ex mortuis: Col. 1. Comedit & bibit cum eis: Actor. 10. Visus autẽ post resurrectionẽ Cephæ, deinde duodecim illis, postea uisus est plusquàm quingentis fratrib. simul. deinde uisus est Iacobo, postea Apostolis omnib. 1. Cor. 15. Præcepit eis ut prædicarent populo, & testificarẽtur, quòd ipse sit ille qui cõstitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuorum: Act. 10. Congregans eos in idem loci, scilicet ad montem Oliueti, præcepit eis, ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum Patris, de quo (inquit) audistis ex me: Quoniã Ioannes baptisauit quidẽ aqua, uos aũt baptisabimini Spiritu sancto, post dies hosce nõ multos: illi aũt cum conuenissent, percontabãtur illum dicentes: Domine, num in tẽpore hoc restitues regnũ Israeli? Dixit aũt ad illos: Non est uestrum nosse tempora, et articulos temporũ, quos Pater in sua ipsius cõstituit potestate. Sed accipietis uirtutẽ posteaquã Spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes non solũ Hierosolymis, uerum etiam in

etiam in uniuersa Iudæa, Samariaq;, deniq; usq; ad extrema terræ. Atq; hæc locutus, uidentibus ijsdem in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum, Act. 1. Ibidem & angeli testantur, IESVM assumptum esse in cœlũ. Dextera Dei exaltatus est: Act. 2. Et Deus Dominum & Christum fecit hunc Iesum: Act. 2. Oportet eum cœlũ accipere, usq; ad tẽpora restitutionis omniũ quæ locutus est Deus, per os omnium sanctorum suorum à seculo prophetarum: Acto. 3. Filium hominis stantem à dextris Dei, Stephanus uidet: Acto. 7. IESVS Christus est ad dexteram Dei, profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus & uirtutibus, 1 Petri 3. Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei: Rom. 8. Deus Christũ sedere fecit ad dexterã suam in cœlestibus, super omnem principatũ ac potestatem & uirtutem & dominiũ, & omne nomen quod nominatur non solùm in seculo hoc, uerumetiã in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius: Eph. 1. Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia: Ephes. 4. Cum ascendisset, captiuam duxit captiuitatem: ibid. Expoliauit principatus & potestates, ostentauit palàm triumphans de illis per semetipsum: Col. 2. Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine IESV omne genu sese flectat, cœlestium, terrestrium & infernorum: omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus sit IESVS Christus ad gloriam Dei patris: Philipp. 2. Superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei, Col. 3. Receptus est in gloria: 1. Timo. 3. IESVS penetrauit cœlos: Hebr. 4. In die Pentecostes uisibili & sensibili modo super Apostolos effudit Spiritum sanctum: Actor. 2.

IESVS Christus aduocatus noster est apud Patrẽ: 1 Ioan. 2. Intercedit pro nobis, Rom. 8. Vnus mediator Dei & hominum, homo IESVS Christus: 1 Tim. 2. Per illum habemus aditum utriq; in uno spiritu ad patrem: Ephes. 2. & 3. Et nomen Domini nostri Iesu Christi, inuocatur in quouis loco: 1 Corint. 1. IESVS Christus adest suæ Ecclesiæ, estq; eius fundamentum: 1 Corinth. 2. Et caput. Ephes. 1. 4. 5. Et angularis lapis, Ephes. 2. 1. Pet. 2. Estq; architectus Ecclesiæ, cõpingẽs totum corpus: Eph. 4. Aedificans per Spiritũ sanctum fideles in habitaculum Dei: Ephe. 3. Et tanquã caput, totũ corpus per commissuras & compagines compingit, ut augescat augmento Dei: Col. 2. Vt aũt ministeriũ uerbi instituit ante ascensionem, ita post glorificationem in actum producit, gubernat & conseruat, & per id est efficax. Idoneos enim fecit ministros: 2. Corinth. 3. Dat dona hominibus: & dedit alios quidem Apostolos, alios uerò Prophetas, alios Euangelistas, alios uerò pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi: Ephes. 4. Donis uarijs exornat membra sui corporis, id est, fideles: Rom. 12. & 1 Corint. 12. Odorem noticiæ suæ per Apostolos manifestauit, in omni loco: 2 Corinth. 2. Per Christum aboletur uelum Mosi: 2. Corinth. 3. Et hic quòd idem manet in æternum, perpetuum habet sacerdotium: unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis: Ebr. 7.

Edidit miracula ad cõfirmandam doctrinam Apostolorum, Act. 3. In nomine IESV Nazarenus claudus sanatur, Actor. 9. Dominus Iesus Christus sanat Aeneam paralyticũ: conuertit Paulũ persequutorem & blasphemũ, eumq; facit Apostolũ gentium: Act. 9. & 22. 1 Tim. 1. Tit. 1. Per ministerium Pauli diuitias suas gentibus euãgelizat, Ephes. 3. Est per eum adeò efficax uerbo & facto, per potentiam signorũ ac prodigiorum, per potentiam spiritus Dei, ut ab Hierusalem & circumiacentibus regionibus, usq; ad Illyricum, impleuerit Euangelium Christi: Roman. 15. Confirmat Paulum, assistens ei: Acto. 18. & 23. Et prædicatus est gentibus, & fides illi est habita in mundo: 1. Timoth. 3.

Dominus noster IESVS Christus etiam per administrationem sacramentorum à se institutorum efficax est. Nam per baptismum abluit nos à peccatis nostris: Act. 2. Delictorũ pœnitentiã agite, et baptizetur unusquisq; uestrûm in nomine IESV Christi, in remissionẽ peccatorũ, & accipietis donum spiritus sancti: Act. 22. Ananias inquit ad Paulum: Exurge & baptisare, & ablue tua peccata, inuocato nomine Domini. 1 Corint. 6. Hæc eratis quidẽ, sed abluti estis, sed iustificati estis per nomen Domini IESV, & per spiritum Dei nostri. Ephes. 6. Mundatam lauacro aquæ per uerbum. Item, baptismo credentes sibi inserit: Rom. 6. Et filios Dei facit, seipso indutos: Gal. 3. Effundit spiritum sanctum per lauacrum regenerationis: Tit. 3.

Deinde per cœnam, ubicunq; locorum ab Ecclesia iuxta institutionem eius administratur, communicat manducantibus suum corpus & sanguinem. 1. Corint. 10. Panis quem frangimus, non ne communicatio corporis Christi est? poculum benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio sanguinis Christi est? 1 Corinth. 11. Indignè uerò hunc panem edentes aut indignè de poculo Domini bibentes, reos corporis & sanguinis sui iudicat, eamq; ob causam punit.

IESVS Christus uiuit in renatis: Galat. 3. Per fidem inhabitat in cordibus: Ephes. 3. Apprehendit credẽtes, Philip. 3. Non sinit nos à dilectione Dei auelli: Rom. 8. Omnia possum per Christum, qui me corroborat: Philip. 4. Inhabitat in infirmis uirtute sua: 2. Corinth. 12. Dominus noster IESVS Christus consoletur corda uestra, & stabiliat uos in omni sermone & opere: 2. Thessal. 2. Custodit corda nostra & sensus: Phil. 2. Omnia in omnibus Christus: Coloss. 3. Impleti fructu iusticiæ, quæ contingit per Iesum Christum, ad gloriam & laudem Dei: Philip. 1. In Christo piè uiuitur: 2 Tim. 2. Christus non amplius moritur: Rom. 6. Viuit Deo, ex uirtute Dei: 2. Corinth. 13. Siue uigilamus, siue dormimus, cum illo uiuimus: 1 Thessal. 5. Habet corpus glorioſum: Philip. 3.

Hostiæ spirituales, acceptabiles sunt per IESVM Christum: 1 Pet. 2. Per Christum offerimus laudis hostiam: Hebræ. 13. Per Christum accepta sunt quæ agimus: ibid. Gratiæ agendæ in nomine Domini nostri IESV Christi, Deo & patri. Ephes. 5. Christus iam nõ uidetur: 1 Petri 1. Sed apparebit suo tempore: 1 Petri 5. Si apparuerit, similes ei erimus: 1 Iohan. 3. Veniet in die extremo: Philippen. 1. Christus uita nostra manifestabitur: Colossen. 3. Conuersatio nostra in cœlis est, unde expectamus Dominum nostrum IESVM

Christum: Philipp. 3. Christus aduenict cum omnibus sanctis: 1 Thessal. 3. Ipse Dominus cum hortatu ac uoce archangeli, ac tuba Dei descendet: 1 Thess. 4. Reuelabitur Dominus de cœlo cum angelis potentiæ suæ: 2. Thessal. 1. Aduenict Dominus post defectionem: 2. Thessalon. 2. Dominus conficiet Antichristum spiritu oris sui, & abolebit eũ glorioso suo aduentu: 2 Thessal. 2. IESVS Christus apparebit suo tempore: 1 Tim. 6. Tit. 2. Absque peccato cõspicietur ijs qui illum expectant in salutem: Hebræ. 9. Viuificabit mortuos: 1. Corinth. 15. Immutabit in ictu oculi uiuentes: 1 Thess. 4. Iudicabit uiuos & mortuos: Actor. 10. Omnes statuemur apud tribunal Christi, Roman. 14. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; in corpore suo, iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum: 2 Corinth. 5. Vltionem infliget ijs qui nõ nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio IESV Christi, qui pœnã luent interitum æternum, à facie Domini & gloria fortitudinis eius. Cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus: 2 Thessal. 1. Corpus nostrum humile transfigurabit, ut cõforme reddat corpori suo glorioso: Philippen. 3. Reddet coronam iusticiæ omnibus qui diligunt aduentum illius: 2 Timoth. 4. Coronam gloriæ: 1 Pet. 5. Coronam uitæ, Apocal. 2. Tradet regnum Deo & patri, & abolebit omnem principatum & omnem potestatem & uirtutem, &c. Tunc & ipse filius subijcietur ei, qui illi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus: 1 Corinth. 15.

IESVS Christus dominatur uiuentibus & mortuis, Rom. 14. Regnabit donec ponantur inimici eius scabellum pedum suorum: 1 Corinth. 15. Domino Christo seruitis, nec est personarum respectus apud illum: Coloss. 3. Illucescit expergiscentibus à somno, & surgentibus à mortuis, id est pœnitentiã agentibus: Eph. 5. Et donat in se credentibus iusticiam suam, quæ ex Deo est: Philipp. 3. Iustificat in se credentes, Galat. 3. Acto. 15. Frustra mortuus est ijs qui per opera uolunt iustificari: Galat. 3. Et fit otiosus ijs qui per legem uolunt iustificari: Galat. 5. & 6.

Proprietates IESV Christi incarnati, ante & post glorificationẽ cõmunes sunt, quòd uerus est & manet homo & Deus in una persona, sicut suprà dictum est. Sed tamen post glorificationẽ exuit mortalitatem, & gerit corpus incorruptibile, glorioſum, potens, spirituale. Vnde et cœlestis homo appellatur, 1 Corinth. 15. Et sedet ad dexteram Dei, Acto. 7. Et ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia: Ephes. 4. Et omnia in omnibus adimplet: Ephes. 1. Item, in Christo IESV ante & post glorificationem, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi: Coloss. 2. Et in Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, Col. 2.

Ante & post glorificationem colligit & habet Ecclesiam, estq; caput Ecclesiæ & Pontifex: sed tamen non amplius seipsum offert pro peccatis, sed unica oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur: Heb. 9. & 10. Non moritur amplius, mors illi non dominabitur, Rom. 6. Ante & post glorificationem dat spiritũ sanctũ, & remittit peccata: Coloss. 3. Quemadmodum Christus condonauit uobis, ita & uos. Ante & post glorificationẽ corpus suum et sanguinem suum in cœna iuxta suum uerbum distribuit: 1 Cor. 10. & 11.

Obseruatu dignæ sunt formulæ prædicationũ, quibus Apostoli utũtur, cum de Iesu Christo loquuntur. Nam de una persona, scilicet IESV Christo, prædicantur ea quæ sunt solius diuinæ naturæ, & ea quæ sunt solius humanæ, & quæ sunt utriusq; simul. Exempla primi generis sunt. Eph. 3. Deus uniuersa cõdidit per IESVM Christum, ut notum fiat nunc principatib. ac potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiã, uehementer uaria sapientia Dei secundũ præfinitionẽ seculorum, quã fecit in Christo IESV Domino nostro. Idem Colossen. 1. fit.

Secundi generis exempla sunt. 1 Petri 3. IESVS Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo mortificatus quidem carne, sed uiuificatus spiritu. Idem 4. Christus passus pro nobis carne. Ibidem, Patiebatur in carne. Idem 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. & Paulus Ephes. 2. Reconcilians ambos in uno corpore per crucem. Ephes. 1. Coloss. 1. Per sanguinem Christi habemus redemptionem, &c. Item, Per sanguinem Christi pacificata sunt omnia. Item: Reconciliauit nos in corpore carnis suæ per mortem: Col. 1. Per proprium sanguinem sanctificauit populũ suum: Act. 13. Sanctificamur per oblationem corporis Christi, semel peracta: Heb. 10. In his cautè admodum loquuntur, ne dirimentes Christum, nec naturas confundentes. Non enim inquiunt, diuinitas passa est, aut humanitas passa est: sed Christus passus est, nõ in diuinitate, sed in carne.

Tertij generis sunt, 1 Ioan. 2. Aduocatum habemus apud patrem IESVM Christum, iustum. Rom. 8. IESVS Christus est ad dexterã Dei, & intercedit pro nobis. Huc & alia testimonia de proprietate Christi post glorificationem pertinẽt: ut sunt, esse supra omnes cœlos, implere omnia, inhabitare per fidem in cordibus, redire ad iudicandum uiuos & mortuos.

Deinde occurrunt etiam exempla, ubi ea quæ sunt propria unius naturæ, tribuũtur alteri in concreto seu in persona. Et hæc per communicationem idiomatum fieri notum est, propter admirabilem duarum naturarum unionem. Huiusmodi sunt, Actor. 3. Autorem uitæ interfeciſtis. 1 Corinth. 2. Dominum gloriæ crucifixerunt. 1 Thessal. 2. Dominũ occiderunt IESVM. 1 Iohan. 1. Sanguis Iesu Christi, filij eius, emundat nos ab omni peccato.

Nonnunquam etiam ea quæ utriusq; naturis in Christo conueniunt, uni adscribuntur: quod per synecdochen fieri certum est. 1 Timo. 2. Vnus conciliator Dei & hominũ, homo IESVS Christus. 1 Ioan. 4. In hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Act. 7. Stephanus inquit: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Hebræ. 3. Iesus filius Dei pontifex penetrauit cœlos.

Postremò sunt etiam illa obseruanda, quæ bifariam actiuè & passiuè de Christo ducuntur: ut sunt, IESVS Christus traditus est, Roman. 4. Et filius Dei tradidit semetipsum pro me: Galat. 2. Dedit seipsum, Galat. 1. Tit. 2. Exposuit seipsum pro Ecclesia, Ephes. 6. Obtulit seipsum, Hebr. 9. Et semel oblatus est: Ibidem. Deus excitauit Christum ex mortuis: 1 Pet. 1. Rom. 4. 6. 8. Actor. 2. 3. 4. 10. Et Christus resurrexit à mortuis: 1. Pet. 1. Rom. 1. 6. 1 Corinth. 15. 1 Thessal. 4.

DE MESSIA.

MEßiam seu Christũ in sacra scriptura prædictum esse, docent Actor. 3. Quin & omnes prophetæ à Samuele & deinceps, quotquot locuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos. Act. 7. Stephanus inquit: Patres uestri occiderũt eos qui prænunciabãt de aduentu illius, cuius uos nũc proditores & occisores fuistis. Et Petrus 1. epist. 1. dicit, Prophetas exquisiuisse de salute, & scrutatos esse de uentura gratia. Et Paulus Gal. 3. eleganter colligit, ex promißione ad Abraham dicta, In semine tuo: unum prædictum esse Meßiam, & non plures. Et auctor epist. ad Hebræos nihil aliud agit, quàm ut ostendat, Meßiam in sacris literis promissum.

Docent etiam, qualis sit promissus Meßias, nempe qui sit uerus homo, & uerus Deus. Quòd uerus homo, probant ex promißione facta Abrahæ: In semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ: Actor. 3. Et ex promißione Dauidi facta, Actor. 2. Propheta cum esset, & sciret quòd iureiurando iurasset sibi Deus, futurum ut de fructu lumbi ipsius, quantum ad carnem, Christus exoriretur. Et Actor. 13. Paulus idem facit. Quòd etiam uerus Deus, Paulus Acto. 3. ex dicto Psalmi 2. probat: Filius meus es tu, ego hodie genuite. Et autor epistolæ ad Ebræ. 1. & 5. Philippus, qui prædicauit eunucho IESVM, ex Esaiæ 53, absq; dubio probauit inde, Meßiam filium Dei esse debuisse: quod colligi potest ex confeßione eunuchi dicentis, Credo filium Dei esse IESVM Christum: Actor. 9. Et Paulus conuersus, in synagoga Damascena prædicabat Christum, quòd is esset filius Dei.

Quale officium sustinere, & qualia opera Meßias perficere debuerit, in suis concionibus demonstrarunt prolixius, et in scriptis suis repetunt frequentius. Nam doctorem eum fore, qui ueram doctrinã de Deo, eiusq; uoluntate reuelet, quem audire oporteat omnes, Petrus & Ioannes Actor. 3. docent ex Deuter. 18. Prophetã suscitabit uobis Dominus Deus uester, de fratrib. uestris, mei similem: audietis eum, iuxta omnia quæcunq; locutus fuerit uobis: futurum est autem, ut omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. Et autor Epistolæ ad Ebræ. 2. ex Psalm. 22. Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Idem 3. & 4. ex Psal. 94. Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra, sicut in exacerbatione in die tentationis in deserto, ubi tentauerũt me patres uestri, probauerũt & uiderunt opera mea. quadraginta annis. Idem 5. ex Psal. 110. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Pati & resurgere eum oportuisse, & annunciare remißionem peccatorum Iudæis & gentibus, Paulus in omnibus suis concionibus se demonstrasse testatur. Actor. 26. Testificans tum paruo tum magno, nihil aliud dicens quàm ea quæ Prophetæ prædixerunt esse futura, & Moyses: an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus. Idem Lucas de Paulo affirmat Actor. 17. Et Pet. 1. epist. cap. 1. dicit, spiritum Christi, qui in Prophetis fuit, priusquàm acciderent, testatum esse uenturas in Christum afflictiones, & inde consequuturas glorias. Quibus uerò testimonijs 60 ueteris Testamenti ad hæc declaranda usi sint, dictum est suprà in loco de Scriptura ueteris Testamenti.

Illa uerò omnia de Meßia prædicta, ad IESVM Christum Nazarenũ accommodãt, & ad unguem congruere ostendunt. Ideoq; eum uerißimũ Meßiam esse, olim quidẽ promissum, iam uerò exhibitum, nec ullum alium expectandum, certò affirmãt. Act. 2. Certò sciat ergo tota domus Israel, quòd Dominũ & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Idem cum Ioanne Act. 3. inquit: Et nũc fratres scio, quòd per ignorantiã fecistis, sicut & principes uestri. Deus aũt qui prænunciauerat per os omnium prophetarũ, Christum passurum, impleuit sic. Idem cum eodem Actor. 4. Hic IESVS Nazarenus est lapis ille, qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est caput anguli, nec est in alio quoquã salus. Nec est aliud nomen sub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Stephanus Act. 7. in sua prolixa cõcione nihil aliud agit, q̃ quòd ostẽdat Iesum esse Meßiam à Deo promissum: quam doctrinã etiã sanguinis sui profusione obsignat. Et Philippus Act. 8. locũ Esaiæ 53. ad Iesum Christum accõmodauit, eiũq; Meßiã esse eunucho persuasit.

Et Paulus pridem cõuersus, cõfundebat Iudæos Damasci, affirmãs quòd is esset Christus: Act. 9. Et Petrus Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimoniũ ferunt, quòd remißionem peccatorũ accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eũ. Paulus Act. 13. in eleganti & prolixa concione ostendit, omnia in Christo esse consummata, quæ erãt de eo scripta. Et postea definitiuè concludit, Et nos uobis annũciamus, quòd eam repromißionem, quæ ad patres facta est, Deus adimpleuerit filijs illorum, nimirum nobis, resuscitato IESV, &c. Acto. 17. Paulus ingressus synagogam Thessalonicensem, per tria sabbatha edisserebat eis è scripturis, adaperiens & allegans, quòd Christum oportuisset pati, & resurgere à mortuis: & quòd hic esset IESVS Christus, quẽ ego, inquit, annũcio uobis. Act. 18. Apollos uehemẽter reuincebat Iudæos, publicè ostendẽs per scripturas, quòd Iesus esset Christus. Acto. 28. Paulus Romæ Iudæis testificabatur regnum Dei, & suadebat eis de Iesu ex lege Mosi & Prophetis, à mane usq; ad uesperam. Idem in suis Epistolis faciunt. Petrus enim 1. epistolæ, cap. 1. IESVM Christum eum esse docet, de quo Prophetæ uaticinati sunt, & q̃ præordinatus fuit. ut agnus fieret, & genus humanũ redimeret antequam mundus conderetur, manifestatus uerò temporibus æternis. Et Ioannes 1. epist. 5. inquit: Omnis qui credit Iesum esse Christum, hoc est Meßiam, ex Deo natus est. Et 1 Ioan. 2. Quis est mendax, nisi is qui negat Iesum esse Christum? Et Paulus 2 Corinth. 1. Quotquot sunt promißiones Dei, per ipsum sunt etiam, & per ipsum Amen. Et Roman. 16. Illud autem dico, IESVM Christum ministrum fuisse circuncisionis pro ueritate Dei, ad confirmandas promißiones patrum. Cæterùm & gentes pro misericordia glorificent Deum. Autor epistolæ ad Hebræos ex professo hoc argumentũ tractat, quòd IESVS Christus sit ille promissus sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Ad Apostolorũ testimonia, IESVM Christum esse Meßiam, etiam alia pertinent: ut Ioannis baptistæ, cuius meminit Paulus Act. 13. Et angelorum testantium, Iesum assumptum in cœlum, reuersurum ad iudicium

exercendum. Act.1. & ipsius Dei patris: Hic est filius meus dilectus. 2 Pet.1. & Domini nostri IESV Christi, Apocal.22. Ego Iesus misi angelum meum, ut hoc testaretur uobis ecclesijs, Ego sum de tribu & progenie David, stella splendida & matutina.

Porrò opera quæ IESV Christo Messiæ attribuũt, recitata sunt paulo antè, in loco de Actionibus & proprietatibus Christi ante & post glorificationem.

Cæterùm ex his quæ hactenus de IESV Christo filio Dei dicta sunt, hæc definitio constitui potest: Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, est secunda diuinitatis persona, à patre genita, quæ unà cum patre emittit spiritum sanctum, estq; coessentialis & coæterna patri & spiritui sancto: quæ satisfacturam sese pro peccatis generis humani spopondit, idq; Dei consilium patefecit, et præfinito tempore naturam humanam assumpsit, & opus redemptionis perfecit.

De appellationibus Christi, quæ in scriptis Apostolorum occurrunt.

Apostoli Christum ferè ijsdem nominibus denotãt, quibus in Euangelica historia nuncupatur: quorũ alia substantiam, alia officiũ personæ declarant, alia uerò utrunq; complectuntur. Iesum Christũ Deum & Dominum dici, suprà est cõmemoratum. Filius Dei passim appellatur ab Apostolis, maximè uerò Actor. 8. 9. 13. Rom.1. 8. Gal. 4. 1 Ioan.1.5. 2 Pet.1. Heb.1. 4.5. Estq; hoc nomen substantiæ. Vocantur etiam credentes in Christũ, filij Dei. 1 Ioan.3. Videte qualem charitatẽ dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur. Item: Nunc filij Dei sumus. Item: In hoc manifestati sunt filij Dei & filij diaboli. Et Rom.8. Gal.4. Sed id fit propter adoptionẽ, qua Deus nobis ius filiorũ suorum dedit, & dilectos in dilecto reddidit. Gal.4. & Eph.1. Vnigenitus. 1 Ioan.4. dicitur, eo quòd plures nõ habeat Deus pater filios cõsubstantiales. Primogenitus inter multos fratres, à Paulo Ro. 8. Et primogenitus omnis creaturæ, ab eodẽ. Col.1. Et principiũ creaturæ, Apoc.3. Et primogenitus ex mortuis, Col.1. Et primitiæ mortuorũ, 1. Corinth.15. appellatur. Imago Dei, 2 Cor.4. Et imago inconspicui Dei, Col.1. dicitur: quòd si ad substantiam refertur, ὁμοούσιον filij cum patre notat. Si uerò ad officiũ, significat IESVM Christũ nobis mentem Dei inconspicui reuelare, seu in homine IESV Christo Deum ipsum manifestari. 1 Timoth.3. Deus manifestatus in carne. Autor epistolæ ad Ebræos, filium Dei appellat splendorẽ gloriæ, & characterem uel expressam imaginem substantiæ eius: quod quis non animaduertit de substantia filij Dei dicit? Ebræ.1. Λόγος, seu uerbum, 1 Iohan. 5. dicitur: & uidetur eam ob causam sic dici, quia testificetur de uolũtate Dei, inquit enim: Tres sunt qui testimonium perhibent, Pater, λόγος, & Spiritus sanctus. Autor epistolæ ad Ebræos, uidetur huc alludere uoluisse, dum 1. cap. dicit, Deum loquutum esse per filium: & Ebræ.2. salutem enarrari primùm cœpisse per ipsum Dominum. Idem autor Ebr. 12. hac periphrasi Iesum notat, quòd is sit qui loquatur. Vbi uidetur explicare uoluisse, cur Christus λόγος dicatur: nempe quia sit ὁ λέγων, aut ὁ λαλῶν. Accessistis, &c. ad noui Testamenti conciliatorem IESVM, & ad sanguinem aspersionis, meliora loquentem quàm loquebatur sanguis Abel: uidete, ne aspernemini eum qui loquitur. Nam si illi non effugerunt qui auersabantur eũ qui loquebatur in terra (scilicet Moysen) multo magis nos si eum qui de cœlis est (Christum) auersemur. Porrò λόγος in hac significatione, reliquis Apostolis non est familiare. Sunt etiã qui illud Ebræ.4. Viuus est sermo Dei & efficax, & quouis gladio utrinq; incidente penetrantior: de Christo intelligãt. Sed textus ipse si consideretur, facilè docet, se de uerbi ministerialis efficacia loqui, quod neglectum, & non fuit acceptum, pœnas secum affert certissimas. Eiusmodi etiam illud est Actor.20. Commendo uos Deo, & sermoni gratiæ eius. Filius hominis, Actor.7. Et homo IESVS Christus: 1 Timoth.2. Semen Abrahæ, Galat.3. & Iesum & Christum separatim, & Iesum Christum coniunctim eum dici, suprà est probatum. Pro Messiæ appellatione, Græca uoce Christi utuntur Apostoli.

Iesus Nazarenus, Act.2.7.10. Et, Iesus Christus Nazarenus, Act.4. Dominus noster Iesus Christus, passim in initijs & epilogis Epistolarum dicitur. Autor uitæ, Actor.3. Princeps & seruator, Actor.5. Seruator noster, Philipp.3. 2 Timoth.1. ad Titum 3. 2 Pet. 1.2.3. & alibi passim. Sanctus & iustus, Actor.3. Iustus, Actor.7. 1 Iohan. 2. Sanctus & uerax, qui habet clauem Dauid: Apocal.3. Testis fidelis & uerus, Apocal. 3. Sanctus Dei, Actor. 13. Minister circumcisionis, Rom.15. Lux gentium, Actor.13. Fundamentũ Ecclesiæ, 1 Corinth.3. Ephes.2. Lapis angularis, Ephes. 2. Lapis uiuus in Sion positus, & lapis offensionis, 1. Pet.2. Et, Lapis reiectus ab ædificantibus: Actor. 4. Caput Ecclesiæ, Ephes.1. 4. 5. Colossen.1. Pontifex, Heb.1. & passim. Apostolus & Pontifex confessionis nostræ, Hebr.3. Sponsor testamenti, Hebr.7. Nouitestamenti conciliator: Hebr.9. Dux fidei & consummator: Hebr.12. Reconciliator, Rom.3. Propitiatio nostra: 1 Ioan.2. & 4. Conciliator Dei & hominum: 1 Timoth.2. Aduocatus noster, 1 Iohan.2. Paschanostrum, 1 Corinth.5. Agnus incontaminatus & immaculatus: 1 Pet.1. Agnus ab origine mundi occisus, Apocal.13. Agnus occisus, Apocal.5. Agnus Dominus Dominorum, & rex regum, Apocal.17. Princeps regum terræ, Apocal.1. Dominus omnipotens, Apocalyp.1. Iustitia, Sapientia, Redemptio, Sanctificatio, & Resurrectio: 1 Cor.1. Pastor & curator nostrarum animarũ: 1 Pet.2. Princeps pastorum, 1 Pet.5. Magnus pastor ouium, Hebr.13. Iudex uiuorum & mortuorum, Act. 10. Paratus ad iudicandum uiuos & mortuos: 1 Petri 4. Iustus iudex: 2 Timoth.4. Secundus homo ipse Dominus de cœlo: 1 Corinth.15.

Christo opponunt diabolum: 1 Ioan.3. Ebr.2. Antichristum, 1 Ioan.2.4. & 2 Ioan. 2 Thessal.2. Meretricem Babylonicam, ebriam de sanguine sanctorũ: Apocal.17. Bestiam quæ portat meretricem, ibid. Et reges terræ, Apocal.19. Et pseudoprophetam, Apoc. 19. Gog & Magog, Apoc.20.

DE SPIRITV SANCTO.

VOcabulo spiritus uariè utuntur Apostoli, id enim tum Deo, tum creaturis attribuũt. Nam omnem incorpoream naturam spiritum appellãt. Cùm creaturis nomen spiritus imponitur, significat uel angelos bonos: ut Ebræ. 1. Ad angelos quidem dicit, Qui creat angelos

angelos suos spiritus, &c. Et paulo pòst, Nonne omnes sunt administratorij spiritus? Actor. 8. Angelus Domini loquutus est ad Philippum, surge, &c. Et postea spiritus Domini rapuit Philippum. Vel angelos malos, Ephes. 2. Iuxta principem cui potestas est aeris, qui est spiritus nunc agens in filijs cõtumacibus. Eph. 6. Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Actor. 16. Puella quædam habens spiritum Pythonis, occurrebat nobis. Actor. 19. Spiritus mali egrediebantur. Apocal. 16. Vidi de ore draconis, bestiæ, & pseudoprophetæ, exire spiritus tres immundos. Vel animas corporibus humanis exutas. Actor. 7. Domine Iesv suscipe spiritum meum. 1 Pet. 3. Christus mortificatus carne, sed uiuificatus spiritu, in quo etiam abijt, & spiritibus qui erant in carcere prædicauit. Actor. 23. Sadducæi dicunt, neque angelum neq; spiritum esse. Vel animam hominis, & intima et subtilissima quæq; in homine. 1 Corinth. 2. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Ebræ. 4. Sermo Dei pertingens usq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagumq; & medullarum. Vel animam & mentem & conscientiam, & motus interiores, & affectus hominis, per Spiritum sanctum regenerati. Roman. 8. Si Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustificationem. Et paulo pòst: Idem spiritus, scilicet sanctus, testatur, unà cũ spiritu nostro, quòd simus filij Dei. 1 Thessal. 5. Deus pacis sanctificet uos totos, & integer uester spiritus & anima & corpus, &c. 1 Corinth. 6. Glorificate Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro quæ sunt Dei. 1 Corinth. 5. Absens corpore, præsens spiritu: id est, cogitatione. Ephes. 4. Renouari spiritu mentis uestræ. Actor. 19. Proposuit Paulus in spiritu. Roman. 1. Testis mihi est Deus, quem colo spiritu meo, in Euangelio filij ipsius. Actor. 17. Cùm Paulus Athenis esset, incandescebat spiritus eius in ipso, cum uideret simulachrorum cultui deditam ciuitatem. Et Actor. 20. Ecce nunc ego alligatus spiritu, proficiscor Hierosolymam. 1 Pet. 3. Vt spiritus placidus sit, & quietus, qui spiritus in oculis Dei magnifica & sumptuosa res est. Vel animam & mentem & affectus hominis non regenerati, & tunc quidem epitheton addi solet: ut, Spiritus compunctionis. Roman. 11. Spiritus seruilis, Roman. 8. Spiritus timoris, 2 Timoth. 1. Vel dona spiritus. 1 Thess. 5. Spiritum ne extinguatis. et 1 Corinth. 14. Sectatores estis spirituum. Vel doctrinam, seu doctores. 1 Iohan. 4. Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum, per hoc cognoscite spiritum Dei, &c. Item: Hic est ille spiritus Antichristi. Item, spiritus erroris, & spiritus ueritatis. Et 1 Timoth. 4. Attendentes spiritibus impostoribus. 1 Corinth. 14. Spiritus prophetarum prophetis subijciuntur: hoc est, ea mens & sensus ita a prophetis, id est interpretibus scripturæ est suscipiendus, ut si cui aliud melius reuelatum sit, ille protinus meliori & firmiori cedat sententiæ. Ibidẽ: Canere spiritu, et benedicere spiritu, idem est quod aliena lingua, quã non intelligũt alij. 2 Thess. 2. Spiritus oris doctrinam Euangelij significat. 2 Cor. 3. Doctrinam Euangelij spiritũ appellat, eò quòd per eam detur & efficax sit Spiritus sanctus. In præcedentib. enim dicit, Corinthios suam epistolã esse, à se scriptã non atramento, sed spiritu Dei uiuẽtis. Gal. 3. Adeò stulti estis, cum spiritu cœperitis, nũc carne cõsummamini? Spiritus, gratiam Euangelicã significat: caro uerò, legem & merita humana. Vel sapientiam & disciplinã. 1 Cor. 2. Verùm non spiritum mundi accepimus. Vel uisionem aut reuelationẽ. Apoc. 1. Fui in spiritu Dominica die. Et 21. Sustulit me in spiritu. 2 Thes. 2. Ne turbemini, neq; per spiritũ, neq; per sermonem, neq; per epistolã, tanquam à nobis profectam. Vel consensionem & cõcordiam. 2 Corinth. 12. Non ne eodem spiritu ambulauimus?

Cùm uerò Deũ creatorem nomine spiritus designãt, tum aut nomen est generis, & spiritualem naturam seu essentiam diuinam significat: ut 2 Cor. 3. Dominus aũt spiritus est. Et 1 Cor. 6. Qui adglutinatur Domino, unus spiritus est. Aut est nomen tertiæ personæ Trinitatis: & tum quidem aut absolutè sola uox spiritus ponitur, aut epitheta adduntur: ut sunt, Spiritus sanctus, Spiritus Domini, Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ, &c. Sed de epithetis infrà testimonia recitabimus. Exempla, ubi absolutè ponitur, hæc ex multis annotare libuit. Act. 10. Petro cogitanti de uisione, dixit Spiritus: Ecce uiri quærũt te, surge & descende cum eis. Act. 18. Spiritus cogebat Paulũ, ut testificaretur Iudæis Iesum esse Christũ. 1 Pet. 4. Spiritus super uos requiescit. 1 Iohan. 3. & 4. De spiritu suo dedit nobis. 1 Corinth. 2. Spiritus scrutatur arcana Dei. Gal. 3. Vtrum ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Apocal. 2. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs. Autor epistolæ Iudæ: Hi sunt qui segregant animales spiritum non habentes.

De Spiritu igitur sancto hoc loco agimus, de quo Apostoli eadem docent, quæ Christus: quòd sit in ordine tertia persona Trinitatis, distincta à Patre & filio: & sit Spiritus patris & filij, & mittatur ut in Ecclesia ministeriũ docendi sustineat, & in cordibus hominum habitet, eosq; regeneret, sanctitatem & spirituales motus, consolationem & uitam impertiat, & in fide eos usq; ad finem uitæ conseruet. Hanc Spiritus sancti descriptionem sequentia probabunt.

Quòd Spiritus sanctus sit persona diuina, & non agitatio quædã creata, his probant. Primùm quòd Lucas Act. 2. testatur, Spiritum sanctum esse Apostolis de cœlo missum in die Pentecostes, cum ingenti sonitu, ueluti uenti uehementis flatu, seq; in dissectis linguis flammantibus conspiciendũ præbuisse, & omnes repleuisse, & sedisse super singulos. & omniũ linguarũ peritia in uno momento homines rudes ornasse, & per eos prout placuerat eloquutiũ esse magnalia Dei. Et Petrus unà cum undecim, ibidem ex Ioele citat testimoniũ: Sed hoc est, quòd dictum est per prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et Actor. 5 Apostoli inquiunt: Spiritum sanctum, quem Deus dederit obedientibus sibi, esse testem, quòd Christus resuscitatus sit à mortuis. Huc etiã pertinet, quòd Petrus 1 epistola, cap. primo, dicit, Apostolos prædicasse Euãgelium per Spiritum sanctum, emissum è cœlo. Et quod Iohannes 1 epist. 5. Spiritum sanctum perhibere testimonium dicit.

Deinde, quòd in Actis passim historiæ extãt de Spiritu sancto per concionem Euãgelij & baptismum ita sensibiliter exhibito, ut statim alijs linguis loqui cœperint. Act. 8. illabitur spiritus sanctus in Samaritanos, Petro & Ioanne baptisatis manus imponentibus. Act. 10. concionante Petro in domo Cornelij, cecidit Spiritus sanctus super gentes: loquebanturq; linguis, et glorificabant Deũ. Act. 19. Paulus inquit ad Ephesios discipulos: Num Spiritum sanctum accepistis postquàm credidistis? respõdent illi: Imò neq; sit ne Spiritus sanctus, audiuimus. His auditis, baptisati sunt in nomine IESV: et cùm imposuisset eis manus, uenit Spiritus sanctus super eos, & loquebãtur linguis, & prophetabãt.

Tertiò, quòd Spiritui sancto attribuant opera quæ personæ diuinæ competunt. Act. 7 Stephanus inquit: Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & patres uestri. Acto. 13. dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabã & Saulũ in opus ad quod accersiui eos, &c. Ipsi quidem emissi à Spiritu sancto, abierunt, Acto. 20. Spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur, dicens, quòd uincula & afflictiones me maneãt. Et Agabus Act. 21. Hæc dicit Spiritus sanctus, uirum cuius est cingulum hoc, alligabũt Hierosolymæ Iudæi, &c. 2. Petri 1. A' Spiritu sancto impulsi, locuti sunt homines sancti. Rom. 8. Spiritus sanctus intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Ephes. 2. Coædificamini in habitaculum Dei, per Spiritum. 1 Cor. 12. Nemo potest dicere Dominũ IESVM, nisi per Spiritũ sanctum. 2 Tim. 4. Spiritus certò loquitur, quòd in posterioribus temporibus descisc ent qu dam à fide. Sed de operibus Spiritus sancti, postea plura dicentur.

Quòd sit persona à Patre & filio distincta, docet ipsa historia de missione Spiritus sancti. Non enim Patrem & filium illo sensibili & uisibili modo descendisse, seq; super Apostolos collocasse, & in linguis igneis dissectis conspiciendum, & eloquio uariarum linguarum audiendum præbuisse affirmant: sed solùm Spiritum sanctum. Actor. 2. 5. 19. 1 Petri 1.

Deinde idem confirmant illis formulis, quibus Spiritus sancti mentionẽ faciunt, ut personæ à Patre & filio distinctæ. 1 Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlis, Pater, λόγος & Spiritus sanctus. Actor. 15. Qui nouit corda Deus, testimonium præbuit illis dans illis Spiritũ sanctum, sicut & nobis. Rom. 15. Paulus gloriatur, Christũ per potentiam Spiritus sancti, per uerba & signa ac prodigia per se facta, adeò efficacem fuisse, ut multas gentes ad obedientiam Euangelij perduxerit. Idem asserit 1 Cor. 12. Christum neminem Dominum dicere posse, nisi per Spiritum sanctum. Ebr. 9. Christus per spiritum æternum, seipsum obtulit immaculatum. Huc pertinent etiam testimonia de tribus personis suprà recitata. In ijs enim ita mentio fit Spiritus sancti, ut liquidò apparcat aliam personã esse, quàm est Pater, aut filius. Petrus Acto. 10. historiam de baptismo Christi paucis uerbis complectitur: Deus unxit IESVM Nazarenum Spiritu sancto: quod illustre testimonium est, Spiritũ sanctum non esse patrem, aut filium, sed distinctam personam.

Proprietates etiã, quas Spiritui sancto attribuunt, eum distinctam à Patre & filio esse personam coarguunt. sed de ijs paulo pòst.

Quòd sit Patri & filio coessentialis, his docẽt. Primùm, quòd testantur unum esse cum Patre & filio. 1 Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c. & hi tres unum sunt: hoc est, unius essentiæ. Deinde, quòd Spiritum sanctum Deum appellant, & diuinam naturam. Acto. 5. Anania, non mentitus es hominibus, sed Deo. 2 Pet. 1. Preciosa nobis & maxima promissa donata sunt, ut per hoc efficeremini diuinæ consortes naturæ: id est, accipiamus Spiritum sanctum.

Tertiò, quòd spiritus Dei: 1 Ioannis 3. & 4. Rom. 8. 1 Corinth. 2. 7. 1 Thessalon. 4. Et spiritus Domini: Actor 5. Et spiritus ex Deo: 1 Corinth. 2. Et spiritus à Deo: 1 Corinth. 6. Et spiritus filij Dei: Galat. 4. Et Christi: Roman. 8. 1 Pet. 1. appellantur. Quod quidem diuinam notat essentiam, cum ex Deo nihil sit quod non eiusdem cum eo sit naturæ.

Quartò, quòd opera Patri & filio communia, Spiritui quoque sancto adscribuntur: ut sunt regenerare, illuminare, fidem operari, peccata dimittere, uiuificare, consolari, inhabitare per fidem in cordibus renatorum, & similia, de quibus paulo pòst.

Quòd uerò coæternus sit Patri & filio, & non tum primùm esse cœperit, cùm missus est in die Pentecostes, aut cùm conditus est mundus, non obscurè indicat. Nam autor epistolæ ad Ebræos, Spiritum sanctum, spiritum æternũ appellat: Ebr. 9. Et ante conditum mundum eum fuisse, inde constat, quòd unà cum patre & filio, opifex creaturæ habetur. Ante missionem uerò illam solennem, quæ in Pentecoste facta est, cum extitisse, inde patet, quòd Petrus Acto. 1. dicit: Oportuit scripturam impleri quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda. Acto. 28. Bene Spiritus sanctus loquutus est per Iesaiam prophetam, ad patres nostros, dicens, Vade ad populum, &c. 1 Pet. 1. Spiritum Christi in Prophetis prædixisse, uenturas in Christum affectiones: & 2 Pet. 1. Spiritu sancto impulsos loquutos sanctos Dei homines, dicit. Ebr. 9. Illud significante spiritu, nondum manifestatam esse sanctorum uiam.

Præterea etiam illa testimonia, quòd Spiritus sanctus sit Deus, & quòd sit Spiritus ex Deo, & spiritus filij Dei, probant, Spiritum sanctum Patri & filio coæternum esse. Nam si Deus est, æternũ esse necesse est: Si spiritus Dei, scilicet Patris & filij, oportet eundem Patri & filio esse coæternum.

Discernunt autem Spiritum sanctum à Patre & filio, primùm ipso nomine. Non enim patrem aut filium, Spiritum sanctum appellant. Deinde proprietate singulari, quæ est, esse spiritum Dei: 1 Iohan. 3. 4. Rom. 8. 1 Cor. 2. 7. 1 Thes. 4. Et esse spiritum Domini, Act. 5. Esse spiritum ex Deo: 1 Corinth. 2. Et esse spiritum à Deo: 1 Cor. 6. Esse spiritum filij Dei: Galat. 4. Esse spiritum Christi: Roman. 8. 1 Pet. 1. His enim indicat, Spiritum sanctum habere suam essentiam ex patre & filio: & absque dubio uoluerunt Apostoli hac phrasi, Christi sententiam exprimere, qui dicit, Spiritum sanctum ex Patre procedere.

Tertiò, officio. Hanc enim personam ad id destinatam esse docent, ut ministerio docendi in Ecclesia fungeretur, ante & post exhibitum Messiam. Maximè uerò, ut postquã Messias suũ perfecisset opus, solenniter do effunderetur in Apostolos, & credentes in Christũ.

Nam Lu-

Nam Lucas Actor. 1. testatur, ipsum Dominum nostrum IESVM Christum, sic de Spiritu sancto loquutum esse: Præcepit (inquit) eis, ut Hierosolymis expectarent promissum Patris, de quo (inquit) audistis me: quoniam Ioannes baptisauit quidem aqua, uos autem baptisabimini Spiritu sancto. Item: Accipietis uirtutem, postquàm Spirtus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes. Idem postea capite 2. recitat historiam sensibilis & solennis exhibitionis Spiritus sancti. Et Petrus unà cum alijs Apostolis, in prima concione ex Ioele probat, Deum promisisse, quòd uelit de suo spiritu effundere super omnem carnem, eamque promissionem iam impletam esse: Christum enim exaltatum dextera Dei, accepta promissione à Patre effudisse Spiritum sanctum. Idem etiam affirmat, pœnitentiam agentes, & in nomine Christi baptisatos, donum Spiritus sancti accepturos.

Huc etiam pertinet historia Actor. 8. 10. 19. Vbi Spiritus sanctus cecidisse & missus esse in baptisatos dicitur. Non enim Pater, nec filius, sed tantùm Spiritus sanctus effusus & exhibitus esse dicitur. Idem etiã in suis epistolis de Spiritu sancto affirmant. Nam Ioannes 1. epist. cap. 3. & 4. dicit, Deum de spiritu suo nobis dedisse. Et Petrus 1 Petri 1. prædicatum esse Euangelium per Spiritum sanctũ, emissum è cœlo. & Paulus Gal. 3. Vt promissionem spiritus acciperemus per fidem. Gal. 4. Emisit Deus spiritũ filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Tit. 3. Saluos nos fecit, &c. per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem EFFVDIT in nos opulenter, per IESVM Christũ seruatorem nostrũ. Non Patrem aut filium effusum, sed Spiritũ sanctum effusum dicit.

Proprietates igitur Spiritus sancti singulares sunt, quòd ex patre & filio procedit: & q. ab utroq; emittitur, & effunditur in corda eorum qui ipsi obediunt.

Commune spiritui sancto cum patre est, ungere IESVM Nazarenum: Acto. 10. Commune uerò cum patre & filio ei est, nouisse ea quæ Dei sunt: 1 Cor. 2. Docere pios, ut sciant quæ donata ijs sint à Deo: 1 Corinth. 2. Habitare in sanctis: 1 Corint. 3. & 6. 2 Cor. 1. 2 Timoth. 1. Esse effectorem bonorũ operum in renatis: Galat. 5. Reuelare futura: 1 Timoth. 4. & 2 Tim. 3. 1 Pet. 1. 2 Pet. 1. Efficacem in ministerio: Rom. 15. Gal. 3. Ebr. 2. Vnà operari in baptismo: Tit. 3. Testimonium dare de Christo: Actor. 5. 1 Iohan. 5.

Officia atq; opera Spiritus sancti plurima passim cõmemorant Apostoli, quorũ pleraq; ordine referemus.

Spiritum sanctũ gubernasse Prophetas, eosq; luce & cognitione ueri Messiæ ac rerum futurarũ scientia accendisse, & per eos futura prædixisse, Petrus 1 epist. cap. 1. & 2 epist. cap. 1. Act. 1. 2. 3. 7. 10. 28. Ebr. 9.

Vnà cum Patre Christum unxisse, Petrus Acto. 10. testatur: eiq; adfuisse in suo officio, patet ex Ebræ. 9. Per spiritum æternum obtulit seipsum. Et Roman. 1. Declaratus fuit filius Dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis.

In die Pentecostes sensibili modo sup Apostolos effusus, sese in linguis igneis dissectis conspiciendũ, et sonitu uehemẽtis flatꝰ audiendũ, & prædicatione Euãgelij in omni linguarũ genere agnoscendũ præbuit: Act. 2.

Est gubernator ministerij. nam id à Christo institutum, & Apostolis mandatũ, ipse exornat & promouet per Apostolos: super eos enim sese collocat, et idoneos noui Testamenti ministros facit, mentes eorũ uera agnitione doctrinæ cœlestis à Christo traditæ illuminat, donis linguarũ & prophetiæ & miraculorũ eos ornat: corda eorum uera fide adeò corroborat, ut absq; omni trepidatione in publicum prodeant, & constantissimè Euangelium annũcient, tum Iudæis tum gentibus, nihil neque edicta concilij seniorum Israel, neq; plagas, neq; mortẽ ipsam formidantes: ut patet ex Act. 2. 3. 4. 5. 7. & ex alijs capitibus.

Per Apostolos docet Euangelium. 1 Pet. 1. Testis est, Christũ resuscitatum esse à mortuis: Act. 5. Testimoniũ perhibet de Christo: 1 Iohan. 1. Ita Apostolis in ministerio adest, ut ubi debeant prædicare Euangeliũ, præcipiat: ubi uerò non debeant, uetet. Actor. 18. cùm Paulus & Silas & Timotheus peragrassent Phrygiam et Galaticam regionem, uetitiq; essent à Spiritu sancto loqui sermonem in Asia, profecti in Mysiam, tentabãt ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus: Act. 13. dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod accersiui eos, &c. Et ipsi quidem emissi à Spiritu sancto, abierunt. De negotijs controuersis, & minus explicatis, eos quid faciendum sit monuit. Act. 10. Cùm adhuc Petrus dubitaret, an etiam ex gentibus Deus uellet sibi colligere Ecclesiam, uisione eum primùm erudit: & cùm legati à Centurione uenissent, dixit Spiritus ad Petrum: Ecce uiri quærũt te: surge, descende, & uade cum eis, nihil hæsitans, propterea quòd ego misi illos. Et Paulus Ephes. 3. inquit: Quòd in alijs ætatibus nõ innotuit filijs hominũ, quemadmodum nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & prophetis, per Spiritum, ut sint gentes cohæredes & eiusdem corporis, consortesq; promissionis eius in Christo, per Euangelium. Act. 15. Apostoli autoritate Spiritus sancti in concilio decernunt, gentibus non esse iugum legis Mosaicæ imponendũ: Visum est, inquiunt, nobis & Spiritui sancto, &c.

Per Apostolorũ ministeriũ plantauit passim in orbe terrarũ Ecclesias, ut ex Actis patet. Paulus Roman. 15. Per potentiam Spiritus Dei, auxilio Christi ab Hierusalem & in circumiacentibus regionibus usq; ad Illyricum, Euangeliũ se plantasse dicit. 1 Thes. 1. Quoniam nostrum Euangelium fuit erga uos, non per sermonem solùm, uerùm etiam per uirtutem & Spiritum sanctum. Autor epistolæ ad Hebræos 2. dicit: Deũ signis & prodigijs, & uarijs uirtutibus, & Spiritus sancti distributionibus confirmasse doctrinã Euãgelij.

Adest baptismo, & in baptisatis suam exercet uirtutem: Actorum 2. Delictorum pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; uestrùm in nomine IESV Christi, in remissionem peccatorũ, & accipietis donum Spiritus sancti. Et Tit. 3. Baptismum lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti appellatur.

Adest clauibus regni cœlorũ, cum peccatoribus pœnitentiã agentibus, & in Christũ credentibus annũciatur in nomine IESV Christi remissio peccatorum. Sic Act. 10. cùm Petrus in domo Cornelij annunciat omnibus in Christum credẽtibus remissionem peccatorum, cadit Spiritus sanctus super omnes qui audierãt sermonem. Ita quoque Spiritus sanctus efficax fuit in Paulo

cùm An-

cum Ananias ei remissionem peccatorum & uoluntatem Dei annunciaret, Actor. 9. & 22. Idem factum est Actorum 16, cum Apostoli custodi carceris, quærenti quid se oporteat facere ut saluus fiat, respõdent: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris, & tu & domus tua. Galat. 6. Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis.

Etiam cum per ministeriũ impœnitentibus denunciatur ira Dei, & traduntur homines impij sathanæ, donec resipiscant, Spiritus suã exercet uim, ut aut resipiscant, aut indurentur. Nam Act. 5. cum Petrus Ananiam & Sapphiram impœnitentes obiurgat, spiritus sancti potentia extinguuntur. Et ex 2 Cor. 2. apparet, incestuosum Corinthium ab Ecclesia obiurgatum, & sathanæ traditum, agnouisse peccatum, & pœnitentiã egisse. Actor. 7. cum Stephanus spiritu sancto plenus, grauiter obiurgat Iudæos, dissecãtur cordibus suis impœnitentes, & stridենt dentibus suis, & furore perciti Stephanum innocentem lapidibus obruunt.

Ecclesijs pios & salutares uocat & præficit ministros: idq; tum immediatè facit, & sic uocauit Apostolos: aut mediatè per Apostolos & Ecclesiam, quæ cum oratione et manuum impositione, idoneis hominib. ministeriũ uerbi cõmendat. Act. 20. Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos, ad regendum Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo. 1 Tim. 4. Ne neglexeris donum, quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum, autoritate sacerdotij. 2 Timo. 1. Suscites donum Dei quod est in te, per impositionem manuum mearũ. Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis, sed potentiæ, & dilectionis, & sobrietatis.

Varijs donis cùm alios homines, tum maximè Ecclesiæ ministros ornat. 1 Cor. 12. Nam huic quidem per spiritũ datur sermo sapientiæ, alij uerò scientiæ secundum eundem spiritum, alij uerò dona sanationum per eundem spiritũ, alij uerò efficaciæ potentiarũ, alij uerò prophetia, alij uerò discretiones spirituũ, alij uerò genera linguarũ, alij uerò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, diuidẽs peculiariter unicuiq; sicut uult. Conseruat etiam eos in puritate doctrinæ. 2. Timoth. 1. Egregium depositum seruato per spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

Prædicit futura. Act. 11. Agabus significabat per spiritum, famem magnam futuram in toto terrarũ orbe: Act. 20. Spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur, dicens, quòd uincula & afflictiones me maneant.

Deinde cum per ministeriũ uerbi, & uerum usum sacramẽtorum, uim suã exercet, uaria quoq; eius Apostoli enumerãt opera. Nam aperit corda hominum, ut attendãt ijs quæ dicũtur. Act. 16. Dominus aperuit cor Lydæ. Illuminat mentes, uerã agnitionem Dei & Domini nostri IESV Christi, eiusq; beneficiorum in eis accendens. Ephes. 1. Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis, per agnitionem sui, illuminatos oculos mentis uestræ, ut sciatis quæ sit spes ad quam ille uocauit, & quàm opulenta gloria hæreditatis illius in sanctis, & quæ sit excellens magnitudo potentiæ illius in nos, qui credimus, &c. 1 Cor. 2. Nos uerò nõ spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Christo donata sint nobis, quæ et loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus sanctus, spiritualib. spiritualia cõparantes.

Operatur ueram contritionem, ut patet Act. 2. ubi Iudæi compuncti corde dicunt ad Petrum & reliquos Apostolos, Quid faciemus uiri fratres?

Operatur ueram fidem, & in ea corroborat & confirmat pios. Act. 15. Dans illis spiritum sanctum, sicut et nobis: nihilq; discreuit inter nos & illos, cùm fide purificauerit corda illorum. Ephes. 3. Det uobis diuitias gloriæ suæ, ut fortitudine corroboremini per spiritum suum, in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iacto, ut ualeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & profunditas & sublimitas, cognoscereq; præeminentem cognitionis dilectionem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Galat. 5. Fructus spiritus, est fides. 2. Thessal. 2. Nos debemus gratias agere Deo semper de uobis, &c. quòd elegerit uos Deus ab initio in salutem, per sanctificationem spiritus, & fidem ueritatis.

Iustificat. 1 Cor. 6. Sed iustificati estis per nomen Domini IESV, & per spiritũ Dei nostri. Inhabitat in regeneratis. 1 Cor. 3. An nescitis quòd templũ Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? 1 Cor. 6. An nescitis, quòd corpus uestrum templum est habitantis in uobis spiritus sancti? Ephes. 1. 2 Timoth. 1. & Rom. 8. Vos non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in uobis. 1 Iohan. 2. Vnctio quam uos accepistis ab eo, manet in uobis. sic enim appellat spiritum. 1 Ioan. 3. & 4. De suo spiritu dedit nobis. 1 Petri 4. Gloria & spiritus Dei super uos requiescit.

Certificat fideles, quòd habeant propitium Deum, propter meritũ Domini nostri IESV Christi, & placeant Deo, & sint filij Dei. 1 Ioan. 3. Per hoc scimus quòd manet in nobis spiritus, quẽ nobis dedit. 1 Ioan. 4. Et hoc cognoscimus quòd in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Rom. 5. Spes non pudefacit, quòd dilectio Dei effusa sit in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis, per quẽ clamamus Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Ephes. 1. Obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitæ possessionis, in laudem gloriæ ipsius. Ephes. 4. Ne contristetis spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. 2 Corinth. 1. Porrò qui confirmat nos unà uobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, deditq; arram spiritus in cordibus nostris.

Testatur de libertate quam pij in Christo IESV habent. 2 Corinth. 3. Vbi est spiritus Domini, ibi libertas. Gal. 5. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Operatur gaudium in cordibus hominum. 1 Thess. 1. Roman. 14. Regnum Dei non est cibus ac potus, sed iusticia & pax & gaudium in spiritu sancto.

Est autor, effector & gubernator totius nouæ obedientiæ. Spiritus enim Dei ducit filios Dei. Roman. 8. Et adiuuat eos, ut non secundum carnem uiuant, sed facta corporis mortificent. Rom. 8. Spiritus concupiscit

aduersus carnem, & caro aduersus spiritum. Hæc sibi mutuò aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Galat. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudiũ, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Galat. 5. & Ephes. 5. Fructus spiritus, situs est in omni bonitate & iusticia & ueritate.

Veram inuocationem adiuuat. Roman. 8. Galat. 4. per quem clamamus Abba pater. Auxiliatur infirmitatibus nostris. Siquidem hoc ipsum quod oraturi sumus, ut oportet non nouimus, uerùm ipse spiritus intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. At ille qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus: quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis. Romanus 8. & 2. Timoth. 1. Spiritus sanctus appellatur spiritus dilectionis & sobrietatis, eo quòd dilectionem & sobrietatem operatur. Autor epistolæ Iudæ, Orantes per spiritum sanctum, &c.

Confessionem quoq; idem spiritus sanctus promouet primæ Corinth. 12. Nemo potest IESVM Christum dicere Dominũ, nisi per spiritum sanctum. Adest afflictis & persequutionem patientibus, eosq; consolatur: 1. Pet. 4. Stephanus plenus spiritu sancto, edit cõfessionem: Act. 7. Reformat nos ad imaginem Dei: 2. Cor. 3. Nos omnes retecta facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriã, tanquam à Domini spiritu. Sanctificat: 1. Pet. 1. Rom. 1. 1. Corinth. 6. 1. Thes. 4. Vocauit nos Deus ad sanctificationem. Proinde qui reijcit, nõ hominem reijcit, sed Deum, qui dedit spiritũ sanctum in uos. 1. Pet. 1. Purificastis animas uestras obediendo ueritati per spiritũ, cum charitate fraterna, &c. Cõædificat nos in habitaculũ Dei. Eph. 2. Conseruat nos in fide. 1. Pet. 1. Virtute Dei custodimini per fidem ad salutẽ. Est quasi cõdimentum nostris corporibus, ad uificationem. Rom. 8. Si spiritus eius q excitauit IESVM à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Christũ ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius spiritũ inhabitantem in uobis. Gal. 6. Qui seminat per spiritum, metet de spiritu uitam æternam.

Spiritum sanctum dari à Deo patre & Domino nostro IESV Christo, docent Act. 2. Erit in nouissimis, dicit Deus, effundam de spiritu meo super omnem carnem. Act. 5. Deus dedit Spiritũ sanctum obedientibus ipsi. Idem Acto. 15. Petrus in concilio Hierosolymitano affirmat. Huc testimonia suprà recitata pertinent. 1. Ioan. 3. & 4. Gal. 4. 1 Thes. 4. 2 Cor. 1. 1 Cor. 3. & 6.

Dominum nãt nostrum IESVM Christũ sua morte & resurrectione meruisse, ut Spiritus sanctus mitteretur in corda fideliũ, Paulus docet Gal. 3. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptũ est enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in gẽtes benedictio Abrahæ ueniret per Christũ IESVM, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Ephes. 4. Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona homnib. Idem Petrus Act. 2. cap. confirmat, Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc quod nunc uos uidetis & auditis.

Docent etiam, quibus detur spiritus sanctus: nempe pœnitentiam agentibus. Act. 2. Pœnitentiã agite, &c. & accipietis donum spiritus sancti. Datur gentibus & Iudæis, uerbum Dei audientibus, & sacramentis à Deo institutis utentibus. Act. 10. 15.

Deus Acto. 5. Spiritum sanctum dedit obedientibus ipsi. Gal. 3. Datur iustificatis, & credentibus in Christum. Galat. 4. Rom. 8. Datur orantibus & petentibus. Act. 4. Cum orassent, motus est locus, & impleti sunt omnes spiritu sancto.

Impœnitentibus uerò, & hypocritis, & persequutoribus spiritũ sanctum non dari, constat ex Actis. Illi enim qui non agunt pœnitentiã, nec credũt in Christũ, non accipiunt spiritũ sanctum: nam spiritui sancto resistunt. Act. 7. & 8. Petrus ad Simonem magũ, pecuniã potestatem conferendi spiritũ sanctum cui uellet, redimere ab Apostolis cupientem, grauissimè alloquitur: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunijs parari: non est tibi pars, neq; sors in parte hac: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Hæc datur ijs q carnales sunt, & tantùm ea quæ carnis sunt curant. Rom. 8. Nec ijs qui proprijs operibus legis & meritis iustificari præsumunt: Galat. 3.

Monent etiam, per quæ media spiritus sanctus exhibeatur: nempe per ministerium Euangelij, per baptismum, claues Ecclesiæ, impositionem manuum, seu orationem. De ministerio Euãgelij testimonia sunt. 1 Pet. 1. Postquam diuina eius uirtus largita nobis est omnia quæ ad uitam & pietatem pertinent, per agnitionem eius qui uocauit nos, per gloriam & uirtutem, per quæ preciosa nobis ac maxima promissa donata sunt, ut per hæc efficeremini diuinæ naturæ consortes. Idem 2 Petri 1. Attendentibus sermoni prophetico, diem illucescere & lucifer ũ exoriri in cordibus asserit, eo quòd prophetica scriptura sit à spiritu sancto inspirata. 1. Ioan. 2. Ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & non est mendacium: & sicut docuit uos, manete in ea. Galat. 3. Qui subministrat uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis, utrum ex operibus legis, an ex prædicatione fidei id facit? Et, Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Rom. 10. Et uos audita uerbo ueritatis, Euangelio salutis uestræ, in quo etiam, posteaquam credidistis, obsignati estis spiritu sancto. Ephes. 1. Euangelium nostrum non fuit erga uos per sermonem solùm, sed per uirtutem & spiritũ sanctum. 1 Thessal. 1. Huc pertinent illa testimonia omnia, quæ de efficacia uerbi Dei loquuntur, de quibus suo loco.

De baptismo testimonium extat ad Tit. 3. & Act. 2. Accipietis donum spiritus sancti. Ad claues accommodari potest historia. Acto. 10. ubi spiritus sanctus cadit super omnes qui audiebant concionẽ Petri, quæ denunciabat remissionem peccatorum omni credẽti in Christum. Et Act. 9. & 22. ubi Ananias Paulo annunciat, se missum esse à Domino, ut uisum recipiat, & impleatur spiritu sancto. De exhibitione spiritus sancti per orationem & impositionem manuum. Act. 8. Orauerunt pro ipsis, ut acciperent Spiritũ sanctum: nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat, &c. Tunc imponebant manus suas super illos, accipiebantq; spiritum sanctum. Act. 19. Baptisati sunt in nomine IESV, & cum imposuisset eis manus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis. 2 Tim. 1. Suscites donum quod in te est, per impositionem manuum mearũ, &c.

Haud obscurè etiam monent, duplici modo spiritum sanctum

ſanctum exhiberi: nempe ſolenni & ſenſibili, ſicut eſt exhibitus in die pentecoſtes. Actor. 2. 8. 10. 19. Et cõmuni ſeu inſenſibili, quo exhibetur per uerbũ & uſum ſacramentorũ. Senſibili modo primùm exhibitus eſt, ſicut & alia miracula, ut eſſet teſtimonium, Deum per miniſterium Euãgelij uelle ſibi obedientibus, inſenſibili modo, uſq; ad finem mũdi, ſpiritũ ſanctum donare.

Porrò dona ſpiritus ſancti, cuiq; ſecundum menſuram fidei, & prout placet ſpiritui ſancto, & expedit, dari, Paulus Rom. 12. & 1. Cor. 12. docet. Et Rom. 8. eleganter inquit, nos tantùm primitias ſpiritus habere.

Dona etiam ſpiritus ſancti creſcere & augeri in renatis, hoc eſt, ſpiritum ſanctum ſubinde magis magisq; in ijs eſſe efficacem, ſi ſibi non repugnent, affirmant. 1. Pet. 1. & 2. Pet. 1. Gratia uobis & pax multiplicetur. 1. Pet. 2. Lac illud non corporis, ſed animi, &c. appetite, ut per illud ſuboleſcatis. Et Paulus 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. iubet eum ſuſcitare, & non negligere donum, quod acceperit. Idem Epheſ. 2. & Coloſ. 2. Et Epheſ. 4. elegãti imagine de corpore creſcente, & ædificatione templi docet, dona ſpiritus ſancti paulatim in membris Eccleſiæ augeri. Sed tamen etiam hoc monent, in hac uita, ea ad perfectionem ſummam non peruenire, uerùm in uita futura. 1. Cor. 3. Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nũc cognoſco ex parte, tunc uerò cognoſcam, ſicut cognitus ſum. Idem Philippen. tertio cap. docet.

Tradunt etiam, quibus rebus ſpiritus ſanctus eijciatur: nimirum peccatis contra conſcientiam, ſi ei non obediamus, ſed repugnemus. Rom. 8. Si ſecundum carnem uixeritis, morte moriemini. 1. Theſſ. 4. Non uocauit nos Deus immundiciæ cauſa, ſed ad ſanctificationẽ: proinde qui reijcit, non reijcit hominem, ſed Deum, qui dedit Spiritum ſanctum in uos. Non tenere fundamentum IESVM Chriſtum, aut ſuper id fãlſas opiniones extruere, dicit eſſe prophanationem templi Dei, in quo debebat ſpiritus ſanctus habitare. 1. Cor. 3. An neſcitis, quòd iniuſti, regni Dei hæreditatem nõ conſequentur? Ne erretis: neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorum, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui cõcumbunt cũ maſculis, neq; fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. 1. Corinth. 6.

Docent etiam, quomodo agnoſcendum, qui habeant ſpiritum Dei, & qui non. Roman. 8. Quòd ſi ſpiritu, facta corporis mortificaueritis, uiuetis: etenim qui ſpiritu Dei ducuntur, filij Dei ſunt. Item: Qui non habet ſpiritum Chriſti, non eſt eius. Galat. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, &c. contrà fructus ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, &c. Qui uerò ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs. Si uiuimus ſpiritu, ſpiritu & incedamus. 1. Ioan. 3. Qui exercet iuſtitiam, iuſtus eſt: qui committit peccatũ, ex diabolo eſt, &c. In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non facit iuſticiam, ex Deo non eſt: & qui non diligit fratrem ſuum. 1. Pet. 4. Si probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis, quoniam gloria & ſpiritus Dei ſuper uos requieſcit: iuxta ipſos quidẽ maledictis afficitur, iuxta uos autem glorificatur.

Appellationes Spiritus ſanctus in ſcriptis Apoſtolorũ multas habet: aut enim abſolutè tantùm Spiritus uocatur, ut ſuprà exemplis probauimus: aut epitheta adjicuntur, quibus uel eſſentia, uel officiũ eius declaratur.

Appellatur Spiritus ſanctus, Act. 1. Accipietis uirtutem ſuperuenientis ſpiritus ſancti in uos. Act. 2. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Et alibi paſſim, Actor. 8. 10. 13. 15. 16. 19. Et 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. Ioan. 5. Et in Epiſtola Iudæ. Et ſpiritus ſanctificationis, ad Roman. 1. Secundum ſpiritũ ſanctificationis. Appellatur ſpiritus Dei, 1. Ioan. 3. & 4. Rom. 8. Rom. 15. 1. Corinth. 2. & 7. 1. Theſſal. 4. Et ſpiritus Dominẽ, 2. Corinth. 3. Et ſpiritus ex Deo. 1. Cor. 2. Spiritus filij Dei. Gal. 4. Spiritus Chriſti. Rom. 8. & 1. Petri 1. Non dubium eſt, quin propter ſubſtantiam & propter officium ſic appelletur. Nam cõmunem cũ patre et filio habet eſſentiã, & ex utroq; procedit: & à patre & filio mittitur, ad colligendã & ſanctificandam Eccleſiam.

Vocatur ſpiritus adoptionis, Rom. 8. eo quòd teſtatur nos eſſe filios Dei, in IESV Chriſto adoptatos. Spiritus ſapientiæ & reuelationis, Epheſ. 1. ab officio dicitur, quòd uera agnitione Dei Eccleſiam ornat. Eodem modo 2. Timoth. 1. Spiritus potentiæ, dilectionis & ſobrietatis, nominatur. Nam in pijs uirtutes, dilectionem & ſobrietatem operatur. Similiter arra. 2. Corinth. 1. Et arrabo hæreditatis, Epheſ. 1. nuncupatur, propterea quòd certiores nos facit de donatis nobis in Chriſto hæreditate, & uita æterna.

Reperiuntur etiã periphraſes quædam, quibus Spiritus ſanctus notatur. Acto. 1. Præcepit ut expectarent promiſſum patris. Galat. 3. promiſſio ſpiritus, ſeu ſpiritus promiſſus dicitur, eo quòd ſpiritus ſancti effuſio nem ſuper omnem carnem Deus promiſit per prophetas. Idem Act. 8. donum Dei dicitur: Exiſtimaſti donum Dei pecunia parari. Ita uerò appellatur, nõ quòd ſpiritus ſanctus & dona ſpiritus idem ſint: ſed quòd ſpiritus ſanctus gratis donetur. 1. Ioan. 2. unctio appellatur: Vos unctionem habetis à ſancto illo, & noſtis omnia. Et paulo pòſt: Vnctio, quam accepiſtis ab eo, manet in uobis: & nõ neceſſe habetis, ut quiſquam doceat uos: ſed ſicut ipſa unctio docet uos de omnibus, & uerax eſt, & non mendacium, & ſicut docuit uos, manete in ea. Dicitur aũt unctio, quia Chriſtianos facit Reges & Sacerdotes Dei, eisq; adeſt, & in habitaculum Dei coædificat. Apoc. cap. 1. Gratia uobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui uenturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, & à IESV Chriſto, & cætera. Apocalypſis 3. Hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Apocalypſ. 5. Septem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram. Hæ peculiares phraſes ſunt, uſurpatæ propter uſiones. Significari autem ijs ſpiritus ſanctus uidetur, eo quòd tam per ſeptem ſpiritus, quàm per Deum, & IESVM Chriſtum, gratiam & pacem eccleſijs precatur, quod non faceret Ioannes, ſi aliud quàm Spiritum ſanctum ſeptem ſpiritibus denotaret.

Poſtremò, pSpiritui ſancto ſpiritus mundi, 1. Corinth. 2. Spiritus impoſtores, 1. Timoth. 4. Spiritus pythonicus, Actor. 16. Spiritus nequam, Actor. 19. Spiritus immundi, Apocalypſis 16. Spiritus ſeruitutis, Roman. 8. Spiritus timiditatis, 2. Timoth. 1. Spiritus erroris, & ſpiritus Antichriſti, 1. Ioan. 4. opponuntur.

DE CREA-

DE CREATIONE.

QVia in hoc loco frequẽs usus est uocabuli mundi, uisum est, eius significationes primo loco annotare. Interdũ enim hoc totum Dei opificium, cum omnibus creaturis, significat. Actor. 17. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt. 1 Petri 1. Præcognuit ante mundi constitutionem. 1 Iohan. 3. Mundus transit. Ephes. 1. Elegit nos antequàm iacerentur fundamenta mundi. 1 Corinth. 7. Præterit figura huius mundi. Interdum uerò synecdochicôs tantùm cœlum seu ætheream regionem significat. Philippen. 2. Inter quos lucete sicut luminaria in mundo. Aut terram. 1 Iohan. 4. Deus misit unigenitum filium suum in mundum: id est, in terram. Ibidem: Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Idem in 2. epistola repetitur: Multi seductores exierunt in mundum. 2 Petri 3. Mundus quà mundatus, periit. 1 Timoth. 1. IESVS Christus uenit in mundum, saluare peccatores. 1 Timoth. 6. Nihil intulimus in hunc mundum. Colossen. 1. Prædicatum est in uniuerso mundo.

Interdum significat totum genus humanum, seu omnes homines. 1 Ioan. 2. Christus est propitiatio, non tantùm pro nostris peccatis, sed totius mundi. 1 Ioan. 5. Totus mundus in maligno est positus: hoc est, omnes homines non renati, sunt peccatores & perditi. 2 Corinth. 5. Deus erat in Christo mundum sibi recõcilians.

Aliquando tantùm significat homines mundanos, impios, & persequutores. 1 Iohan. 3. Nolite mirari, si uos odit mũdus. 1 Ioan. 4. Ipsi de mundo sunt, ideò de mũdo loquuntur, & mũdus audit eos. 1 Cor. 1. Non cognouit mundus per sapientiam suam Deum. 1 Cor. 6. Sancti mundum iudicabunt. 1 Cor. 11. Vt non cum hoc mundo damnemur. Eph. 6. Diaboli rectores mundi, hoc est impiorum dicuntur. Ebr. 11. Quibus non erat dignus mundus. Interdum significat uitæ bona, ut gloriam, opes, et diuitias, et rerum terrenarũ ambitionem. 1 Ioan. 2. Nolite diligere mundũ, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundũ, nõ est charitas patris in eo: quoniam omne quod in mundo est, uelut concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, nõ est ex patre, sed ex mundo est. 1 Ioan. 3. Qui habet substantiam huius mundi: id est, bona corporalia. Galat. 6. Per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. ubi mundum intelligit, res temporales. 2 Tim. 4. Demas me reliquit, amplexus præsens seculum. Rom. 12. Ne accommodetis uos ad figuram huius seculi: hoc est, ne imitemini corruptos impiorum hominũ mores.

Significat & congeriem & capacitatem quandam, ut Iacobi 3. Lingua ignis est, mũdus iniusticiæ: hoc est, congeries & capacitas omnium uitiorum. Significat etiam res mundanas, seu externas: ut sunt leges & ceremoniæ. Sic Paulus Gal. 4. & Col. 2. decreta, præcepta, & doctrinas hominum, & ceremonias, elementa mundi appellat. Verùm nos hoc loco mundum pro machina & opificio creaturarum accipimus.

Porrò etiam uox Creatura uariè usurpatur. Interdum enim significat totũ hoc Dei opificium rerũ creatarum, uisibilium & inuisibilium. Rom. 1. & Rom. 8. Creatura uanitati subiacet. Coloss. 1. Primogenitus omnis creaturæ. 1 Tim. 4. Omnis creatura Dei bona. Ebræ. 4. Nec est ulla creatura quæ non sit manifesta in cõspectu illius. Hac significatione hoc loco accipitur. Interdum etiam significat hominem fide in Christum regeneratũ. 2 Cor. 5. Porrò si quis est in Christo, noua creatura est. Galat. 6. In Christo IESV neq; circumcisio ualet, neque præputium, sed noua creatura. Autor epistolæ Iacobi: Progenuit nos sermone ueritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum.

Significat etiam ordinationem. 1 Petri 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ: id est, legitimo magistratui, eiusq; statutis & legibus.

Hunc aũt mundum, & omnes quæ in eo sunt creaturas, non ab æterno extitisse, sed aliquando cœpisse, sicut à Christo edocti sunt, ipsi quoq; Apostoli tradunt. 1 Pet. 1. Præordinatus quidem fuerat, antequam conditus esset mundus. Ephes. 1. Elegit nos in ipso, antequã iacerentur fundamenta mũdi. Autor epistolæ ad Ebr. 9. Alioquin oportuisset eum sæpius passum esse, ab origine mũdi. Apoc. 13. Agnus occisus est ab origine mũdi.

Autorem etiã & opificem mundi, et rerũ omnium, testantur esse Deum. nam Act. 4. Apostoli & Ecclesia Hierosolymis collecta, in precatione cõmuni inquiunt: Domine tu es Deus, qui fecisti cœlum & terrã, mare et omnia quæ in eis sunt. Act. 7. Stephanus ex Esa. 66. allegat locũ: Cœlum mihi sedes est, terra aũt scabellum pedum meorũ. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est? Non ne manus mea fecit hæc omnia? Act. 14. Paulus & Barnabas inquiunt: Annunciãtes uobis, ut ab istis uanis conuertamini ad Deum uiuum, qui fecit cœlum & terrã et mare, & omnia quæ in eis sunt. Idem Paulus Acto. 17. Deus qui fecit mundũ, et omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dominus, &c. Et 1 Pet. 4. Qui affliguntur iuxta uoluntatem Dei, tanquã apud fidelem conditorem, deponãt animas suas. Apoc. 14. Adorate eum qui fecit cœlum & terram. Apocal. 4. Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & uirtutem: quia tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuã sunt, & creata sunt. Ebr. 13. Qui creauit omnia, est Deus.

Comprehendit aũt uocabulum Deus in huiusmodi testimonijs, omnes tres personas, Patrem, Filiũ & Spiritum sanctum, qui simul res omnes condiderunt. De Christo passim obuia sunt testimonia. Ephes. 3. Deus uniuersa condidit per IESVM Christum. Colossen. 1. Per filium Dei creata sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. Ebræ. 1. Deus per filium secula cõdidit.

De Patre, Symbolũ inquit: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. quod non exclusiuè intelligendum est. Creatio enim, totius Trinitatis opus est. Quòd uerò soli Patri in Symbolo adscribitur, aut ratione ordinis, aut ministerij, seu qualiscũq; differentiæ causa fit. Cum enim Pater sit prima persona, & creatio primum opus, quo sese Deus patefecit nobis: & cum filio officium redemptionis, & Spiritui sancto munus sanctificationis tribuatur, patri ergo iurè munus creationis adscribitur.

Creaturas aũt à Deo conditas, alias uisibiles, alias inuisibiles esse, Paulus Coloss. 1. docet. Idem Philip. 2. cœlestium, terrestrium, & infernorum meminit. Et Apoc. 5. Dignus est agnus q occisus est, accipere, &c. et omnem creaturã quæ in cœlo est, & quæ supra terrã, & quæ sub terra & in mari, & quæ in eis sunt omnia.

Creaturarum autem, quarum Apostoli in suis scriptis meminerunt, catalogũ contexere prolixum foret. Sed hæ tamen sunt præcipuæ. Angeli, de quibus Ebræ. 1. Angeli, potestates, & uirtutes. 1 Petri 3. Ephes. 1. Cœlum, Actor. 4. 14. 17. 1 Petri 4. 2 Petri 3. 1 Ioan. 5. Col. 1. Philip. 3. Ebræ. 4. & 8. & alibi passim. Corpora cœlestia, sol, luna. 1 Cor. 15. Act. 2. Iac. 1. Oriens, Apoc. 4. 7. Vidi angelum ascendentem ab ortu solis. Occidens, Eph. 4. Sol non occidat super iram uestram.

Lux & tenebræ. 2 Cor. 4. Qui iussit nubes è tenebris lucem splendescere. 2 Cor. 6. Quæ societas lucis et tenebrarũ? Dies, Act. 22. 2 Pet. 3. Vnus dies apud Dominum. Elementa, ignis, aqua, terra, mare. 2 Petri 3. Act. 4. 14. 17. Aer, Ephes. 2. Princeps aeris. 1 Cor. 9. Non quasi aerem uerberans. 1 Thes. 4. Rapiemur obuiam Christo in aera, Apoc. 9. & 16. Nubes, Actor. 1. Suscepit eum nubes ab oculis eorum. 1 Cor. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt. 1 Thess. 4. Rapiemur in nubibus obuiam. Autor epistolæ Iudæ: Nubes quæ sine aqua, quæ uentis circunferuntur. Apoc. 1. Ecce ueniet in nubibus. Pluuia, Act. 14. Dans pluuias & tempora fructifera. Iacobi 5. Non pluit annos tres. Apoc. 11. Potestatem habet claudendi cœlum ne pluat. Nix, Apoc. 1. Caput eius & capilli tanquam nix. Ventus, Act. 27. Misit sese contra ipsam uentus Typhonicus. Eph. 4. Ne circumferamur omni uento doctrinæ. Iacobi 1. Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à uento mouetur. Idẽ 3. Naues cum magnæ sunt, & à uentis ualidis mouentur. Apoc. 7. Vidi quatuor angelos, tenentes quatuor uentos. Auster, Act. 27. 28. Apoc. 21. Aquilo, Apo. 21. Procella, 2 Pet. 3. Cœli in morem procellæ transibũt. Fulgura, Apo. 4. De throno procedũt fulgura. Apoc. 11. Facta sunt fulgura & uoces. Tonitrua, Apo. 16. Fulgura & uoces & tonitrua. Grando, Apo. 8. Grando & ignis cõmixti. Apoc. 11. Facta sunt fulgura & grando. Volatilia, Rom. 1. Non solùm ad mortalis hominis similitudinẽ effictam, uerumetiã uolatiliũ. 1 Cor. 15. Alia caro uolucrũ. Act. 10. Vas in quo erant uolatilia cœli. Autor epistolæ Iacobi 3. Omnis natura uolucrum, &c. domita est. Apoc. 18. Cecidit Babylon, & facta est custodia omnis uolucris immundæ & inuisæ. Apoc. 18. Omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum. Aquila, Apocal. 4. & 8. Pisces, 1 Cor. 15. Non omnis caro eadem, &c. alia piscium. Iacobi 3. Natura marinorũ domatur. Quadrupedia animantia: Act. 10. & 11. Vas quoddã erat, in quo erant omnia quadrupedia terræ. & Rom. 1. In similitudinem quadrupedum. Pecora, 2 Pet. 2. Velut pecora irrationabilia. 1. Cor. 15. Alia caro pecorũ. Iumenta, Apoc. 18. Oues, Act. 8. Tanquã ouis ad occisionem ductus est. 1 Pet. 2. Eratis oues errantes, &c. Apocal. 18. Boues, 1 Cor. 9. Non alligabis os bouì triturãti. Vitulus, Apo. 4. Vitula seu uacca, Ebr. 9. Taurus, Ebr. 9. & 10. Acto. 14. Hircus, Ebræ. 9. Equi, Iacobi 3. Equis frena in ora mittimus. Apoc. 6. 19. Ecce equus albus. Bestiæ, Acto. 28. Bestiã excutiens in ignẽ. 1 Cor. 15. Cum bestijs pugnaui. Tit. 1. Malæ bestiæ. Ebræ. 12. Si bestia tetigerit montem. Iac. 3. Omnis natura bestiarũ domari potest. Apo. 11. Bestiã de mari ascendentem. & alibi passim, 17. & 19. Leo, 2 Tim. 4. Liberatus sum de ore leonis. 1 Pet. 5. Aduersarius uester circuit sicut leo rugiens. Apo. 4. Animal simile leoni. Apo. 5. 10. 15. & Ebr. 11. Obturauerunt ora leonũ. Reptilia, Act. 10. & 11. Ro. 1. Serpentes, 1 Cor. 10. A serpentibus perierũt. Act. 28. Serpens perdet de manu Pauli. 2 Corint. 11. Serpens Euam seduxit. Apoc. 9. 12. 20. Draco, Apo. 20. Vermis, Act. 12. Consumptus à uermibus. Herba, Ebr. 6. Germinans herbã optimam. Flos, 1 Pet. 1. Gloria tanquã flos graminis. Iac. 1. Flos eius decidit. Fœnum, 1 Pet. 1. 1 Cor. 3. Fœnum, stipulã. Iac. 1. Apo. 8. 9. Semen, 2 Cor. 10. Granum, 1 Cor. 15. Hordeum, Apo. 6. Triticum, 1 Cor. 15. Act. 27. Apo. 6. 18. Arbores, epistola Iudæ: Arbores autumnales. Apo. 8. 9. Lignum, 1 Cor. 3. Pomum, Apocal. 18. Poma tua desiderij animæ tuæ recesserunt à te.

Flumen, 2 Cor. 11. In periculis fluminũ. Apocal. 9. 12. 22. Euphrates, Apoc. 16. Insula, Apo. 1. Insula quæ appellatur Patmos. Apoc. 6. 16. Asia, Act. 16. Vetiti sunt à Spiritu sancto loqui uerbum Dei in Asia. & Acto. 19. Aethiopia, Act. 8. Aegyptus, Ebr. 11. Act. 7. Apo. 11. Græcia, Act. 20. Italia, Act. 14. 27. Hispania, Ro. 15.

Aurum, 1 Pet. 1. & 3. 1 Cor. 3. Iac. 5. Apoc. 18. 1 Timoth. 2. Ebr. 9. Argentum, Acto. 3. Argentum & aurum non est mihi. 1 Pet. 1. 1 Cor. 3. Aes, 1 Cor. 13. Sicut æs sonans. Ferrum, Apoc. 8. Aeramento & ferro.

Lapis, Act. 4. Hic est lapis angularis. Ephes. 2. 1 Pet. 2. Apoc. 15. 18. Gemmæ seu lapides pretiosi, 1 Corint. 3. Apoc. 18. Margarita, 1 Tim. 2. Apoc. 17. 18. & 21. Iaspis, Apoc. 4. 21. Smaragdus, Apo. 21. Hyacinthus, ibid. Chrysolithus, ibid. Chrysopassus, ibid. Crystallus, Apoc. 4. 21. 22. Amethystus, Apoc. 21. Saphirus, ibid. Chalcedonius, ibid. Sardonyx, ibidem. Sardius, ibid. Beryllus, ibid. Topazius, ibid. Marmor, Apoc. 18. Sulphur, Apocalyp. 6. 14. 19. 21.

Adam, Roman. 5. 1 Corinth. 15. Eua, 1 Corint. 11. Homines, Rom. 5. 1 Timoth. 2. Masculi, Rom. 1. 1 Corinth. 6. Galat. 3. Apocal. 12. Fœmina, Roman. 1. Galat. 3. Partes hominis, corpus & anima: 1 Thessal. 5.

Nullius materiæ, unde conditus sit mundus, usquam meminerunt: imò omnem materiam eo excludunt, quòd solo uerbo Dei omnia condita esse affirmant, cui quidem uim omnipotentem tribuunt, ea uocandi quæ non sunt, tanquã sint: hoc est, ex nihilo faciendi quæ uelit, scilicet modò uerbo suo ea denominet, & fieri & præstò esse iubeat. Rom. 4. Deus uitæ restituit mortuos, et uocat ea quæ non sunt, tanquam sint. Ebræ. 1. Portat omnia uerbo potentiæ suæ. Ebr. 11. Per fidem intelligimus perfecta esse secula. Apocal. 4. Tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam sunt, & creata sunt.

Nec uerò Deum tantum creasse omnia, sed etiam adhuc rebus creatis adesse, easq; fouere & conseruare usq; ad finem mundi, tradunt. Petrus enim 2 Petri 3. docet, Sermone Dei cœlum & terram condita esse, & in diluuio eodem uerbo Dei perdita, & nunc iterum seruari usque ad diem iudicij & perditionis impiorum. Et Paulus Act. 14. Deus non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret de cœlo, dans nobis pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Idem Actor. 17. In concione quam Athenis habet, inquit: Ipse dat omnibus uitam, & halitum per omnia, fecitq; ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ: præfinijtque præstituta tempora, præfixitq;

fixitq; terminos habitationis eorũ, ut quærerẽt Deum, si forte palpent eum, & inueniant, quamuis non longè abſit ab unoquoque noſtrũm. per ipſum enim uiuimus, et mouemur & ſumus. Idem 1 Tim.4. dicit, Deũ concedere cibos. & 1 Tim.6. dicit, Deum uiuificare omnia, & nobis præbere omnia affatim ad fruendum, & nos nihil intuliſſe in mundum, nec quicquam inde efferre poſſe: ideò uictum & amictum habentes, contentos eſſe debere. Et 2 Corinth. 10. citat Pſalmũ 23. Domini eſt terra, & plenitudo eius. & 2 Cor.10. aſſerit, Deum ſuppeditare ſemen ſeminanti, & panem in cibum, & ſementem multiplicare. & 1 Corinth. 5. dicit, Deũ ſemina in terram coniecta uiuificare, & unicuiq; dare ſuum corpus, prout ſibi placuit.

Non autem ſentiunt, Deum ad rerũ à ſe creatarum ordinarium curſum ita alligatum eſſe, ut liberrimè id quod uelit, agere non poſſit. Sed apertè docent, Deum liberrimè & ſine cauſis ſecundis & etiam contra eas, pro ſuo arbitratu, omnia facere poſſe. Epheſ. 1. Cuius ui fiunt uniuerſa, iuxta decretum uoluntatis illius. Roman. 4. Deus uocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint. Vbi exemplum Abrahæ tractat, qui contra ſpem in ſpem credidit, cui Deus contra cauſarum naturalium facultatem, cùm eſſet natus annos ferè centum, ex ſterili & effœta uxore Sara, procreauit filium: Epheſ. 3. Et uerò qui poteſt cumulatè facere, ultra omnia quæ petimus aut cogitamus, iuxta uim agentem in nobis, ſit gloria. Ebræ.1. Moderatur omnia uerbo potentiæ ſuæ. & 2 Pet.3. Oſtenditur præter rerũ naturalium ordinẽ, mundũ aqua inundatum, periiſſe. Et 1 Pet. 3. octo animas in arca ſeruatas eſſe. & 2 Pet. 2. Loth ex Sodoma ereptum eſſe, Deumq; noſſe pios è tentatione eripere, dicitur. Huc etiam miracula faciunt, quæ ab Apoſtolis præter ordinem cauſarũ ſecundarum in nomine Ieſu Chriſti eduntur. Teſtãtur enim Deũ liberrimè agere poſſe, & uelle, tum ſine cauſis ſecundis, tum contra eas. Huiuſmodi ſunt, reſurrectio, & aſcenſio Chriſti: Actor.1. Et miſſio Spiritus ſancti, Act.2. Et claudi ex utero curatio, Act.3. Ananiæ & Sapphiræ ad uocem Petri internecio, Actor.5. Tabithæ mortuæ reſuſcitatio, & Aeneæ paralytici ſanatio, Act.9. Petri per angelum ex carcere eductio, Act.12. Elymæ magi excæcatio, per ſolam increpationem Pauli, Actor.13. Conſeruatio Pauli & nautarum in naufragio, Act.27. Et ſerpens Paulo innoxius, Actor.28. & ſimilia.

Eandem rem quoque teſtimonia de mundi huius & creaturarum immutatione, & noui cœli & terræ creatione, comprobant: quæ paulo pòſt ſubijciemus.

Docent aũt, mundum & totam creaturarũ compagem, à Deo ideò factam eſſe primùm, ut eſſet habitaculum Dei & creaturarum: Act. 7. Excelſiſsimus ille nõ in manufactis templis habitat, ſicut Propheta dicit: Cœlum mihi ſedes eſt, terra aũt ſcabellum pedum meorum. & Actor. 17, Paulus dicit: Deum, cœli & terræ Dominũ, non habitare in manufactis templis, eumq́ue fecisse ex uno ſanguine omne genus hominum, ut inhabitaret ſuper uniuerſam faciem terræ. Et non longè ab unoquoque noſtrũm abeſſe, cùm per ipſum uiuamus, moueamur & ſimus.

Deinde, ut mundus creaturis, angelis & hominibus oſtenderet æternã Dei potentiam & diuinitatem: hoc eſt, quòd Deus ſit ille qui creet, regat & conſeruet omnia. Et hũc finem etiã poſt lapſum Paulus Roman.1. creaturis tribuit. Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtũ eſt illis. Deus enim illis patefecit. Siquidem illa quæ ſunt inuiſibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelligũtur, peruidentur, ipſaq́; æterna eius potentia ac diuinitas, in hoc ut ſint inexcuſabiles. Eph.3. Deus uniuerſa cõdidit, per Ieſum Chriſtum, ut notum fiat nũc principatib. ac poteſtatibus, in cœleſtibus per Eccleſiã uehementer uaria ſapientia Dei, ſecundũ præfinitionem ſeculorũ, quã fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Act. 14, dicit Deũ ipſum, eo teſtimoniũ de ſe tuliſſe, quòd beneficia de cœlo cõtulerit generi humano, dando pluuias & tempora fructifera, &c. Et Act. 17. ideò dicit homines pro creatos eſſe, & in terrã collocatos, ut quærerẽt Deum. Huc uidentur etiam illæ phraſes pertinere: Rom.11. Ex illo, & per illum, & in illum omnia. 1 Cor.8. Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Ieſus, per quem omnia, & nos per illum. Coloſ.1. Omnia per illum & in illum creata ſunt. Ebræis 2. Decebat eum, propter quem ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, &c.

Tertiò, ut homines ex creaturis Deum agnoſcentes, Deum quoque glorificarent & colerent, eiq; pro ſuis beneficijs gratias agerent. Rom.1. & 1 Timoth.4.

Quartò, ut aliæ creaturæ ſeruirent utilitati hominum fideliũ. 1 Tim.4. Iubentiũ abſtinere à cibis, quos Deus creauit, ad ſumendũ cum gratiarũ actione fidelibus, & ijs qui cognouerũt ueritatem: q, quicquid creauit Deus, bonũ ſit, & nihil reijciendũ, ſi cum gratiarũ actione ſumatur. Nam q, impij et infideles ſine omni iure abutãtur creaturis Dei, et quòd eæ aliquãdo exturbatis impijs, filijs Dei tantùm ſeruituræ ſint, Paulus Rom. 8. docet: Etenim ſolicita creaturæ expectatio, expectat ut palàm fiãt filij Dei. Quippe uanitati ſubiacet creatura, nõ uolens, ſed propter illum qui ſubiecit eam ſub ſpe. Quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura congemiſcit, ſimulq; nobiſcum parturit, uſque ad hoc tempus.

Poſtremò etiã hoc apertè docent, hunc mundũ non perpetuò ſic duraturũ, ſed interiturũ ſub aduẽtum Domini noſtri Ieſu Chriſti. 2 Pet.3. At qui nũc ſunt cœli et terra, eiuſdẽ ſermone repoſiti ſunt, & ſeruãtur igne in diem iudicij & perditionis impiorũ hominum, &c. Venit aũt dies Domini, ſicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem tranſibũt, elementa uerò æſtuantia ſoluentur, terraq́; & quæ in ea ſunt, opera exurentur, &c. expectantes aduentũ diei Dei, per quẽ cœli ſoluentur, & elemẽta æſtuantia liqueſcent. Sed cœlos nouos et terrã nouã, iuxta promiſſum illius, expectamus, in qua iuſticia inhabitat. 1 Ioan.2. Mundus tranſit, & cõcupiſcentia eius. 1 Cor.7. Præterit figura huius mundi. Apoc. 21. Vidi cœlum nouum, & terrã nouam. Primum enim cœlum & prima terra abijt, & mare iam non eſt, &c. Et dixit: Facio noua omnia. Autor epiſtolæ ad Ebr.1. Et tu in initio Domine terræ fundamẽta iecisti, et opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanes. & omnes ut uestimentum ueteraſcent, ac uelut amictum circumuolues eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.

DE ANGELIS.

Apostoli in scriptis suis uoce angeli uariè utuntur. Aut enim ministros, seu doctores Ecclesiæ, qui sunt legati & nũcij, Dei uoluntatẽ annunciãtes, significat: ut Apo. 2. & 3. Episcopi Ephesinus, Smyrnensis, Thyatirensis, Sardicus, Philadelphiensis & Laodicenus, Angeli uocãtur: quo pacto etiã in alijs locis angeli tum boni, tum mali, qui in Apocalypsi producũtur, doctores Ecclesiæ significãt. Sunt etiã qui illud 1 Cor. 11. Mulier uelamen habeat in capite, propter angelos: accipiãt pro hominib. iustis, seu ministris Ecclesiæ, eo q; ipsi doceãt, esse cõtra decorum, mulieres non uelari. Sed nihil refert etiã de angelis intelligi. Nam ordinem & decorum etiam angelis placere, nõ est dissimile uero. Aut spirituales creaturas significat, tum bonas, tum malas. 1 Cor. 6. Angelos iudicabimus. 2 Pet. 2. Angelis peccantibus nõ pepercit. In his angelus pro diabolo ponitur. 2 Cor. 12. Datus fuit mihi stimulus per carnem, angelus satanæ, ut me colaphis cæderet: Angelum satanæ pro collega satanæ, aut pro tentationibus diabolicis dixit. Testimonia, ubi angelus de bonis spiritibus intelligitur, postea subijciemus.

Esse autem angelos, multis argumẽtis Apostoli produnt. Primùm, quòd docent angelos à Deo cõditos esse: Ebr. 1. Deinde, quòd cõmemorant, angelos quosdam lapsos esse, quosdã uerò in sua iusticia & innocentia perstitisse: 2 Pet. 2. Tertiò, quòd recitant historias ueteris Testamenti, quæ tum angelos cõspectos esse, tum Deum per eos sua opera perfeciisse, testantur.

Quartò, quòd ipsi affirmant à se angelos uisos & auditos nõ rarò esse. Lucas Act. 5. narrat, angelũ Domini aperuisse ianuam carceris, & Apostolos eduxisse, illisq; dixisse: Ite, & stantes in templo, loquimini populo omnia uerba uitæ huius. Act. 12. Petrus uidet & audit angelũ, sese ex carcere educentem. Act. 10. Cornelius testatur, angelũ sibi præcepisse, ut Petrũ ad sese accerseret, & ex eo audiret Euangelium. Actor. 27. Paulus narrat, angelum Domini sibi adstitisse, & dixisse, Ne timeas Paule, Cæsari te oportet fisti. Et Ioãnes in Apocalypsi testatur, angelum secum loquutum esse, quem etiam uoluit adorare: Apocalypsis 19. & 22.

Duplices aũt eos spiritus esse sentiunt: alios bonos, qui originem suã seruarunt: alios malos, qui sese à Deo auerterũt, & propter peccatũ ex uita beata in pœnas inciderũt æternas. De bonis, iam produximus testimonia eorũ qui tum uiderunt, tum audierũt eos, Dei mandata denunciãtes, tum eorũ opera experti sunt. Quod uerò etiam mali sint spiritus, probant historiæ de immundis spiritibus, per Apostolos expulsis. Lucas Act. 5. inquit: Conueniebat multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferens ægros & uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes. Act. 16. Paulus spiritum Pythonicum ex puella eijcit. Actor. 19. Spiritus mali egrediuntur ab ijs, super quos sudaria et semicincta, à corpore Pauli detracta, imponebantur. Et spiritus malus Iudæis exorcistis, in nomine Iesu, quem Paulus prædicat, dæmones adiurantibus, inquit: IESVM noui, & Paulum scio: uos autem qui estis? & insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, inualuit contra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa. Præterea, ea quæ sequuntur, satis probabunt, Apostolos sensisse & docuisse, bonos & malos esse spiritus.

De Angelis bonis.

Angelos bonos interdum absolutè uoce Angeli notant. Act. 7. Cœpistis legem per dispositionem angelorum. Act. 23. 1 Pet. 1. 2 Pet. 2. Gal. 3. Ebr. 1. 2. 13. Interdum epitheta differentiæ causa addunt, ut sunt: Angelus Domini. Actor. 5. 8. 12. Angelus Domini adstitit. Item, Angelus Domini percussit Agrippam. Angelus Dei, Act. 10. Cornelius uidit angelũ Dei ad se introeuntem. Act. 12. Deus misit angelũ suum. Act. 27. Adstitit mihi hac nocte angelus Dei. Angelus sanctus, Act. 10. Oraculo admonitus est ab angelo sancto. Angeli electi, 1 Cor. 5. In conspectu angelorum electorum. Angelus lucis, 2 Corint. 11. Angeli potentiæ suæ: 2 Thes. 1.

Ex doctrina quam Apostoli de angelis tradũt, hæc definitio colligi potest: Angeli boni, sunt spirituales substantiæ, à Deo conditæ, intelligentes, liberi arbitrij, iustæ, lucidæ, fortes, quæ insitam sibi à Deo iusticiam & innocentiam adhuc tenent, & in ea confirmati sunt in omnem æternitatem, & Deo inseruiunt, & monstrant hominibus pijs, ad quos à Deo mittuntur.

Quòd sint spirituales substantiæ, autor epist. Ebræ. 1. ex Psalm. 103 probat: Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. Quòd uerò à Deo sint conditi, idem autor epistolæ ad Ebræos 1. ex Psalmo 103 docet: Qui creat angelos suos spiritus. Et Paulus Colossen. 1. dicit, Per Christũ omnia esse creata, quæ in cœlo sunt, et quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Et angelus Apocal. 19. & 22. prohibet sese adorari, & dicit se conseruum Ioannis esse: & monet, Deum esse adorandum: quo quid aliud indicat, quàm se creaturam Dei esse?

Quando uerò conditi sint Apostoli, apertè nusquam commemorant. Non irrationales, sed mente & sapientia præditos esse, ex operibus eorum apparet. Nam Dei uolũtatem angelus Domini annunciat Apostolis, Actor. 15. Petrum ducit ex carcere, Act. 12. Paulum monet de naufragio, Actor. 27. Ioanni reuelat res in Ecclesia usq; ad finem mundi futuras. in Apocalypsi. Libertatem uolũtatis ijs in creatione inditã esse, ex eo apparet, quòd quidã ex eis sese à Deo auerterũt, alij uerò suam seruarũt originem. 2 Pet. 2. Et in Iudæ epist. Iustos à Deo conditos esse, non est dubiũ, cùm Deus sit fons iusticiæ, & omnia opera eius bona & iusta, & cùm propter peccatũ & iniusticiã diabolos reiecerit. 2 Pet. 2. Hanc ob causam angeli Domini, & Angeli sancti uocantur. Patet etiam ex operibus eorũ. Non enim peccatis delectantur, nec iniusta perpetrant, & sunt iusticiæ Dei executores, si à Deo iubeantur. Angelus enim Domini percussit Herodem Agrippam, eo quòd non dedisset gloriam Deo. Act. 12. & Petrus 2 Pet. 2. asserit, angelos non ferre aduersus sese apud Dominum maledicum iudicium. Quod autor epistolæ Iudæ uel imitaturus, uel declaraturus, dicit Michaelem archangelum, certantem aduersus diabolũ de corpore Mosis, non ausum esse illi impingere notam maledicti.

Lucidas naturas esse, nomen spiritus innuit, quo appellantur, Ebr. 1. Et Paulus 2 Cor. 11. angelos lucis eos appellat, Psalm. 103 uocat eos flãmam ignis, non quòd igneæ &

igneæ & adurentes corporeæ & uisibiles sint naturæ: sed q; diaphonia, pulchritudine, puritate, ui, agilitate & celeritate flāmam referant. Præterea etiā, cum sese cōspiciendos, assumpta uisibili forma, hominib. præbuerunt, nunquā tenebrosi & nigri, sed semper albi & lucidi apparuerūt. Act. 2. Duo uiri amicti uestibus albis, adstantes cōcionantur Apostolis, de ascēsione Christi, & prædicūt eius reditū. Act. 10. Vir ueste splendida, quem appellant angelū sanctum, ad Cornelīū ingreditur, eiq; uoluntatem Dei exponit. Act. 12. Angelus educes Petrū ex carcere, suo fulgore illuminat habitaculū.

Robore & fortitudine præditos esse, Petrus 2 Petri 2. monet, & Paulus 2 Thessal. 1. Angelos potentiæ uocat. Idem etiam opera eorum cōfirmant, de quibus postea dicetur. Non esse superbos, sed animis demissos, ex Colossen. 2. apparet, ubi Paulus dicit, Pseudapostolos incedere in humilitate & religione angelorum.

In iustitia & innocentia sibi in creatione à Deo indita perstitisse eos, apparet ex 2 Pet. 2. & ex Epistola Iudæ, ubi non omnes, sed tantùm diabolos, non seruasse suam originem dicunt, ideoq; eos abiectos esse.

Confirmatos eos in beatitudine esse, Paulus monet, cum angelos electos dicit, 1 Timoth. 5. electum enim significat. Quòd Deo seruiāt, & ab eo ad ministrandum fidelibus mittantur, postea probabimus.

Quantus angelorū Dei numerus sit, nō explanant: sed nō paucos, uerum plurimos esse, eo monent, q; autor epistolæ ad Ebr. 12. dicit: Accessistis ad innumerabilium angelorū cœtum. Et epist. Iudæ: Veniet cum sanctis myriadibus suis. Apoc. 5. Et uidi & audiui uocem angelorum multorum in circuitu throni & animalium & seniorum, & erat numerus eorum millia millium. Verum hic numerus certus pro incerto poni uidetur.

De ordinibus & hierarchia angelorum, admodum parum explicatè dicūt. Autor epist. ad Ebræ. omnes uidetur ordinis facere, dū omnes à Deo creatos esse, & uno nomine spiritus ministratorios uocat. Alij uerò uidētur nō omnino negare, distinctos esse angelorū ordines: sed tamen utrum substātia, an claritate seu donis, an uerò tantùm officijs differāt, non explicant.

Nam archangeli, Paulus 1 Thes. 4. & epistola Iudæ, Michaelis archāgeli meminerūt. Petrus 1 Pet. 3. dicit, Christū profectum esse in cœlū, subiectis sibi angelis & potestatibus & uirtutibus. Paulus Col. 1. asserit, omnia per Christum creata esse, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia et inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Idem Eph. 1. Sedere fecit (Iesum) ad dexterā suam in cœlestibus, super omnem principatum ac potestatem & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur non solùm in seculo hoc, uerùm etiam in futuro. His uocibus distinctis, utrum distinctos ordines angelorum putent Paulus et Petrus, an uerò eiusmodi phrasi summā Christi potentiam super omnes creaturas, quā dicit sibi datam esse, Matth. 28. non satis planum est. Paulus certè in epistola ad Ephes. 6. & Colossen. 2. per easdem illas uoces, principatus & potestates, ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, diabolos, eorumq; robur & potentiam notat. Et Rom. 13. ἐξουσίαι, potestatem magistratū uocat. Ephes. uerò 3. ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, significant uel angelos, aut certè Ecclesiæ gubernatores. 1 Cor. 15. dicit, Christum abolitūrum omnem principatū & potestatem & uirtutem, & denicq; mortem ipsam. Vbi uoces illæ, ἀρχὴ, ἐξουσία, ἀλύσεις, non de angelis bonis admodum cōmodè intelligi possunt. Et Philip. 2. Vbi etiam de exaltatione & regno Christi loquitur, uidetur illas phrases per uerba hæc explicare uoluisse: Donauit illi nomē, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestiū, scilicet angelorum, qui eum adorant, Ebræ. 1. terrestrium, scilicet hominum potentium & pauperum, cuiuscunque sint conditionis: & infernorum, scilicet diabolorum, qui etiam principatus & potestates, sed à Christo expoliati, & in triumphum ducti, appellantur: Colossen. 2.

De officijs angelorū hæc docent: primùm quòd celebrent Deum, et Dominum nostrum Iesum Christum, Apocal. 5. Et uidi, & audiui uocem angelorum multorū in circuitu throni, &c. dicentiū uoce magna, Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem & diuitias & sapientiā. Et epistola ad Ebr. 1. ex Psalm. 96. Adorēt eū omnes angeli Dei. Et subditos esse angelos Christo mediatori nostro, ex 1 Petri 3. & Ebræ. 2. apparet.

Quòd Deus ministerio angelorum, sit usus in patefactionibus ueteris Testamēti, Stephanus ostendit Act. 7. Hunc Mosen Deus principem & redemptorem miserat per manum angeli, qui illi apparuerat in nube.

Quòd lex angelorum ministerio sit promulgata, Stephanus Actor. 7. docet: Accepistis legem per dispositiones angelorum. & Paulus Galat. 6. Lex ordinata per angelos in manu interpellatoris. Hebræ. 2. Sermo per angelos dictus fuit firmus.

Quòd ministrent hominibus saluandis, autor epistolæ ad Ebræ. 1. docet: Non ne omnes sunt administratorij spiritus, qui immittuntur in ministerium propter eos qui hæredes erunt salutis?

In eo aūt hominibus ministrant, quòd ministerium uerbi et magistratui & œconomiæ, & singulis hominibus adsunt, & secundū Dei uoluntatē sua exercēt opera, ad utilitatem hominū & salutē proficientia. Nam ministerio uerbi eos delectari, Petrus 1. epist. 1. indicat, ubi dicit angelos desiderare prospicere in res noui testamēti, seu doctrinā Euangelij. Paulus Eph. 3. dicit, principatibus & potestatibus notā fieri per Ecclesiā, uehemēter uariā sapientiā Dei. Et q; ministerium uerbi promoueant, docēdo de rebus scitu necessarijs, apparet ex historia. Angeli enim Act. 2. docēt Apostolos de reditu Christi. In Apocalypsi angelus Ioāni reuelat futurū Ecclesiæ statum. Et Apoc. 19. & 22. angelus Ioannem monet de adorando Deo, & se adorari omnino prohibet, ubi etiā se cōseruum Apostolorū & Prophetarū appellat. Deinde cōfirmando doctores, eosq; ex periculis liberādo. nam Act. 5. angelus Domini ex carcere Apostolos liberat, & in templo porrò docere iubet. Act. 12. Angelus Petrū è carcere educit, ne interficiatur ab Herode Agrippa. Act. 27. angelus Paulo naufragiū & liberationem prædicit. Tertiò, deducendo doctores ad homines, ut ijs concionentur Euangelium. Act. 8. angelus domini Philippū ad Eunuchū præfectū Candaces adducit, ut eum cōuertat. Quartò, denūciando hominib. uoluntatē Dei. Act. 10. angelus Domini Cornelio mādatum Dei de accersendo Petro reuelat.

Angelos bonos pro defensione Ecclesiæ pugnare contra diabolos multis modis eã infestantes, nimirum falsa doctrina, persecutione, telis ignitis, mundi illecebris, & similibus astutijs spiritualibus, ex Apo. 12. constat: Factũ est prælium magnũ in cœlo, Michael & angeli eius præliabantur cũ dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & non ualuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo. Et epistola Iudæ dicit, Michaelem archangelum pugnasse contra diabolum.

Adesse etiã angelos singulis hominib. pijs, eosq; contra diabolorũ furores tueri, et ex periculis eripere, patet ex Ebræ. 1. & Actor. 12. Ioannes, Marcus, & alij pij uiri, congregati in domo Mariæ, & orantes pro liberatione Petri, cùm ancilla Rhode uenit & nunciat, Petrum præ foribus adstare, seq; eum uoce sua agnouisse, respondent: Angelus eius est. Vnde colligi potest, sensisse eos, quòd pij habeant suos angelos.

Quòd Deus in perdẽdis impijs opera quoq; angelorũ utatur, cõstat ex historia Act. 12. ubi angelus Domini Herodem Agrippam Ecclesiæ persequutorem interfecit, propter superbiam, qua sibi diuinũ arrogabat honorem. In extremo die, unà cum Christo angelos aduenturos, Paulus 2 Thessal. 1. indicat: Cùm reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cũ angelis potentiæ suæ. & 1. Thess. 4. Quoniã ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo. Et epistola Iudæ: Veniet Dominus cum sanctis millibus suis, &c.

Huic doctrinæ de angelis repugnãt Sadducæi, qui dicunt, neque angelum neque spiritum esse: Actor. 23. Nec rectè sentiunt, qui angelos adorãdos esse censent. nam angelus Apocal. 19. & 22 se adorari uetat.

De Angelis malis, seu diabolis.

Diabolus calumniatorẽ significat: estq; interdũ uocabulũ generale, & etiã hominibus tribuitur. Ephes. 4. Ne detis locũ calumniatori. 2 Tim. 3. Erũt homines sui amãtes, auari, &c. diaboli seu calumniatores. 1 Tim. 3. Ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris. Tit. 2. Anus itidem, &c. nõ sint calumniatrices: ubi in Græco est, μὴ διαβόλους. Vt plurimũ tamen eo nomine mali angeli appellãtur, de quibus hoc loco nobis sermo est. Malorum autem angelorum descriptio ex Apostolorum scriptis, eadem constitui potest quæ suprà ex doctrina Christi est composita, nimirum huiusmodi:

Diaboli sunt spirituales substantiæ, à Deo primùm bonæ & iustæ, intelligẽtes, & liberi arbitrij cõditæ, ad glorificandũ Deũ: sed quæ libertate uolũtatis suæ abusæ, sese à Deo auerterunt: & amissa originali iusticia & bonitate, immũdæ & iniustæ & hostes Dei sunt factæ, ac Euæ & Adæ autores peccati extiterunt, & genus humanũ suæ tyrannidi subiectũ miserè affligũt, & perdunt peccato & morte. Sed opera eorum Dominus noster Iesus Christus sua passione & morte dissoluit, eosq; deuicit, & captiuauit, iam quidem æternis supplicijs destinatæ. Sed in ea in extremo die conijcientur, ubi æternas suorum scelerum luent pœnas.

Diabolos nõ esse cogitationes malas in hominibus, sed substãtias, tum doctrina quæ subsequetur, maximè uerò cõmemoratio operũ diaboli probat: tũ historiæ, quarum mentio fit in Actis Apostolorum, quas suprà exposuimus, ubi angelos malos esse demonstrauimus.

Esse uerò substãtias spirituales, primùm eo docent, quòd spiritus appellant, Actor. 5 & 16. Puella habens spiritum Pythonis. & 19. Ephesijs 2. Qui est spiritus nũc agens in filijs infidelitatis. Et Ephe. 6. Non est nobis lucta aduersus sanguinẽ & carnẽ, sed aduersus principatus & potestates, &c. aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Vbi Paulus uidetur respexisse ad definitionem spiritus, quam Christus tradidit: Spiritus neque ossa neque carnem habet. Deinde, quòd ea adscribunt eis opera, quæ spiritualem naturam coargunt: ut obsidere homines, prædicere futura, potenter regnare in filijs infidelitatis: & excæcare oculos impiorum, ne agnoscant ueritatem, pugnare contra spiritus bonos, & similia, de quibus postea.

Quòd non à seipsis extiterint, sed à Deo sint conditi, Paulus docet Colossen. 1. Omnia per illum creata sunt, & quæ in cœlis, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia. Et Ebræ. 1. Qui creat angelos suos spiritus. Idem Ebræ. 12. Deum patrem spirituum uocat.

Conditos autem esse bonos & iustos, Paulus generali illâ sententia docet, 1 Timoth. 4. Quòd quicquid creauit Deus, bonum sit, & nihil reijciendum.

Intelligentia & libertate uoluntatis donatos fuisse in creatione, lapsus eorum & astutissimæ fraudes, quas adhuc hodie concinnant generi humano, & blasphemiæ quas in Deum euomunt, satis probant. nam 2. Cor. 11. sese in angelum lucis transformare posse dicitur: quòd intelligentis, & non insipidæ est naturæ.

Quòd uerò libertate uolũtatis abusi, se à Deo auerterint, & amiserint originalem iusticiã & bonitatem, sibiq; iram Dei & pœnas æternas accersierint, docet Petrus 2 epist. 2. Deus angelis qui peccauerant, non pepercit, sed cathenis noctis in tartarũ præcipitatos tradidit, seruatos in iudiciũ: & Ioannes 1 epist. 3. Diabolus ab initio peccat. Autor epist. Iudæ, angelos qui non seruauerant suam originem, sed reliquerant suũ domicilium, ad iudiciũ magni illius diei uinculis æternis sub caligine seruauit. Et Paulus 1 Cor. 6. Angelos iudicabimus.

Quæ uerò fuerit occasio lapsus diaboli, et quale cõmiserit peccatũ, nõ explicãt, quemadmodum nec temere definiunt, nisi q. priusquam hominẽ seducerent, ipsos esse angelos subindicare uidetur Paulus 2 Cor. 11.

Quòd immundi & iniusti hostes Dei & generis humani sint facti, inde apparet, quòd spiritus mali & immundi appellantur Actor. 5. 15. 19. Et quòd nõ amplius angeli lucis, sed rectores tenebrarum dicuntur, Ephes. 6. 2 Corinth. 11. Nec est dubium, quin peccatum naturam diabolorum, iusto Dei iudicio deprauauit, multo atrocius, quàm naturam humanam lapsus originalis. Et quòd homines à Deo abducunt, sibiq; diuinos arrogant honores, ut postea dicetur.

Quòd diabolus Euam seduxerit, Paulus docet 2 Corinth. 11. Adiunxi uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo: sed metuo, ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpãtur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. 1 Timoth. 2. Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni.

Genus humanũ tyrãnidi diabolorũ subiectum esse, & ab ijs miserè affligi docent: Petrus 1 epist. 5. Circuit ut leo rugiens, quærẽs quem deuoret. Et Ioan. 1 epist. 3. Qui cõmittit peccatũ, ex diabolo est. Vbi etiã impios, filios

filios diaboli appellat. Et 1 Ioã. 5. Totus mũdus in malo cõstitutus est. et Paul⁹ Eph. 2. & 6. 2 Cor. 4. 2 Tim. 2. Christũ opera diaboli destruxisse, Ioan. 1 epist. 3. do cet. Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. & Petrus 1 epist. 3. Christus profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus & uirtutibus. quo potius malos angelos quàm bonos intelligit. Et Paulus Colossen. 2. Expoliatos q; principatus & potestates ostentauit, palàm triumphans de illis per semetipsum. Et Ebræ. 2. Vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium: hoc est, diabolum.

Iudicio destinatos iam quidem esse diabolos, sed docet 2 epist. 2. Cathenis noctis in tartarum præcipitatos, tradidit seruatos in iudicium. Et epistola Iudæ: Deus diabolos ad iudicium magni illius diei, uinculis æternis sub caligine seruauit. Et Apocal. 20. Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnũ ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Et hactenus quidem de definitione diabolorum.

Quantus malorum spirituum sit numerus, expressè non tradunt: sed tamen nõ paucos, uerùm plurimos esse, non obscurè indicant. Petrus enim & epistola Iudæ, non angelum, sed angelos peccasse, & lapsos esse affirmant. Et Apocalyp. 12. Non solus sathanas, sed & angeli eius, hoc est, socij eius, pugnare dicuntur.

Quòd aũt scriptura plerunq; singulariter solo nomine sathanæ & diaboli utitur, nõ eo fit quòd unus tantum sit: sed nomen speciei est, complectens plurima in diuiduã. ut uidere est Ephesijs cap. 6. ubi Paulus ait: Vt positis stare aduersus assultus diaboli. Et statim subijcit: Quoniam non est nobis lucta aduersus carnem, &c. sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, & rectores tenebrarum, & c.

Quales uerò sint post lapsum, in superioribus ostensum est: nempe, q; careant originali iusticia, bonitate & luce, seu pulchritudine ac beatitudine, & sint iniusti, immundi, peruersi, & deformes, ac captiui, & ad iudicium destinati spiritus. Sed tamen hæc etiam non prætereunda sunt, q; sint spiritus, agilitate & fortitudine præditi. Id enim Petrus eo indicat, quòd leoni eum comparãt. 1 Petri 5. Et quòd Paulus diabolum, principem cui potestas sit aeris, appellat, Ephesijs cap. 2. Et principatus & potestates, dominos mundi, rectores tenebrarum seculi huius: Ephes. 6. Colossen. 2.

Noticiam etiam eos habere rerũ præteritarum, & maximè articulorũ fidei, de opere Domini nostri Iesu Christi, autor epist. Iacobi docet, cap. 2. Dæmones credunt, & contremiscunt. & Act. 16. Spiritus Pythonicus per puellã clamat: Isti homines serui Dei excelsissimi sunt, qui annunciant uiam salutis: & hæc faciebat multos dies. Et Actor. 19. Spiritus malus dixit, IESVM nouit, & Paulum scio: uos autem qui estis?

Futura etiam quædam, sed nõ omnia diabolos præscire, Deo permittente, posse, ex eodem loco cõstat. Puella enim magnũ quæstum dominis suis præstitisse diuinãdo, dicitur. Et ex Actor. 8. & 19. ubi artium magicarum, quæ nihil aliud sunt quàm officina diaboli, futura hominibus reuelantis, fit mentio. De παρρησίᾳ diabolorum, non explicatè satis dicunt: sed tantùm, eo quòd principatus & potestates appellantur, Ephes. 6. Colossen. 2. Et quòd draco cum angelis suis pugnasse dicitur, Apocal. 12. uidentur innuere, diabolos in suo regimine concordes esse, & suo quenque ordine distributas exercere operas.

Impudẽtissimos esse diabolos, inde constat, quòd in angelum lucis se transformare dicũtur: 2 Corinth. 11. Et quòd non piget eum obambulare: 1 Petri 5. Nec pudet eum ueritatem fateri, modò posśit ea ad suam maliciam abuti: Actor. 16. & 19. Quare testimonium eius non curatur, sed à Paulo prohibetur.

Opera diaboli hæc ferè ab Apostolis recensentur. Diabolus cum suis angelis peccauit. 2 Petri 2. 1 Ioan. 2. Diabolus ab initio peccat. non seruauit suam originem, sed reliquit suum domicilium: epistola Iudæ.

Autor & fabricator peccati & mortis generi humano extitit, dũ Euam seduxit. 2 Cor. 11. & 1 Tim. 2. Ebr. 2. Habet robur mortis. In omnibus hominib. ex naturali modo, ex patre & matre in hac deprauata natura genitis, quos natura filios iræ Paulus appellat, habitat, & in eis agit efficaciter. Eph. 2. Et sensus incredulorũ excæcat, ne illucescat illis lumẽ Euãgelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2 Cor. 4. Suis laqueis captiuos tenet homines, & iuxta suã uoluntatẽ ad resistendũ ueritati impellit. 2 Tim. 2. Vnde fit q; impij, filij diaboli appellantur. Act. 13. Paulus ad Elymam magum inquit: O plene omni dolo & omni uersutia fili diaboli, inimice omnis iusticiæ, non desinis inuertere uias Domini rectas? 1 Ioan. 3. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij Diaboli. Omnis idololatriæ gentiũ autor, promotor & cõseruator est, per quã etiam ipse, & nõ Deus honoratur. 1 Cor. 10. Fugite à simulachrorũ cultu, &c. & paulo pòst: Illud dico, q; quæ immolãt gentes, dæmonijs immolãt, & non Deo: & in potestate satanæ sunt omnes gentes, & ueritatem Euangelij ignorantes, Act. 26. Vnde & Deus huius mundi uocatur. 2 Cor. 4. Et rectores tenebrarum, hoc est, qui per tenebras & falsa dogmata & idololatriã, homines ignaros Dei, eius q; uoluntatis, dementant. Vsi sunt ad hãc rem suis organis, sacrificis, uatidicis, magis, curiosas artes exercẽtibus. Talis fuit Simon magus, Act. 8. Et Elymas magus, qui conatur Paulũ Sergium proconsulem auertere à fide, quem Paulus filiũ diaboli appellat: Acto. 13. Puella spiritu Pythonis obsessa, Act. 16. Et Ephesij, qui curiosas artes exercuerãt, & conuersi ad Christum libros comportatos coram omnibus exurebant: Act. 19.

Ecclesiã & populũ Dei, seu renatos miris modis infestauit semper, & adhuc usq; ad extremũ diem attentabit. Nam primũ singulos circuire ut leo rugiens, & quærere ad deuorandũ dicitur, 1 Pet. 5. Et die ac nocte eos accusare corã Deo: Apo. 12. Assilire & iacula ignita in eos contorquere: Eph. 6. Tentat etiam auertere à fide: 1 Thess. 3. Vt cognoscerem fidem uestrã, ne quo tentasset uos ille, qui tentat, & inanis factus esset labor noster. Deinde impugnat ordines, à Deo institutos, ad Ecclesiæ collectionẽ, & societatis humanæ cõseruationem: ut sunt ministerium Euãgelij, magistratus politicus, œconomia, seu coniugiũ. Hos aut tollere prorsus conatur, aut ita deprauare, ut sint officina omniũ malorum operũ diaboli, ad Deum blasphemãdum, & hominibus nocendum. Ministerium autem Euangelij hoc

modo infestat, sinceros & pios Ecclesiæ doctores impedit: 1 Thes.1. Voluimus uenire ad uos, sed obstitit nobis satanas. Et affligit, ut foris pugnas, intùs terrores sustineant: 2 Cor.7. Et colaphis cædit: 2 Cor.12. Pseudo doctores ex schola et cœtu sincerorũ excitat, & emittit, quos in angelos lucis transformat, ut cùm sint dolosi operarij, tamen sibi sumant personã Apostolorũ Christi, quasi sint ministri iusticiæ: 2 Cor.11. Per eos peruersa loqtur, ut abducant discipulos post se, qui nõ parcunt gregi, Act.20. 1 Ioan.2. Vnde homines desciscũt à fide, & attendunt spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorũ: 1 Tim. 4. Et fascinat homines, ut nõ credant ueritati: Gal.3. Auertit eos à fide: Act.13. Apo.2. Dicunt se esse Iudæos, sed sunt de synagoga satanæ. Autor etiam est & fabricator persecutionis Ecclesiæ. Apocal. 2. Nihil horum timeas, quæ passurus es: ecce missurus est diabolus aliquos ex uobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis afflictionem dierum decem. ex epistola ad Smyrnensem episcopum. Magistratum etiam impugnat, dum bella cõcitat, quibus publicã tranquillitatem turbat: & maximè cum opera impiorũ tyrannorum utitur, ad Ecclesiæ oppressionem, & idololatriæ propagationem & instaurationem. Docent hæc quidẽ exempla Herodis, Act.12. & Neronis, 2 Tim. 4. Sed Apoc.16 eleganter pingitur, quomodo diabolus in Antichristi fabricatione magistratu abutatur: Et uidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudopropheta, exire tres spiritus immundos, in modũ ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorũ facientes signa, ut procedant ad reges totius terræ, ad congregandum illos in prælium diei illius magni Dei omnipotentis. Multa etiam in œconomia, in coniugio, fabricatur mala. Nam spiritus impostores, doctrinam dæmoniorum spargentes, prohibent nuptias & cibos: 1 Timoth.4. Tentat coniuges propter intemperantiam: 1 Cor. 7. Viduas deflectit, ut satanam sequantur: 1 Timoth.5. Diteſcere cupientes laqueis suis capit: 1 Timoth. 6. Satanas Ananiæ & Sapphiræ cor impleuit, ut mentirentur Spiritui sancto, et fraudarent de precio agri: Act.5. Corporaliter etiã obsidet homines, Dei concessu, eorumq; membris miris modis abutitur ad blasphemandũ Deũ, et impia perpetrandum, nocendumq; tum homini obsesso, tum alijs. probant hæc exempla Actor. 5. 16. 19.

Fascinare & dementare homines, non tantùm spiritualiter, sed etiã corporaliter potest: ut patet ex Gal. 3. & Actor.8. & 19. ubi magicarum artium mentio fit. Rectè excõmunicati ab Ecclesia, sunt in potestate satanæ, ad interitum carnis: 1 Cor.5. Si uerò pœnitentiam agunt & recipiuntur, tum à satana liberantur: 2 Corint.2. Pugnant contra angelos bonos, sed uincuntur, Apo.12. & in epistola Iudæ. Vt aliorum hæreticorũ, ita maximè Antichristi pater, eiisq; doctrinæ inuentor, & miraculorũ mendacium effector. 1 Thess.2. Antichristi aduentus est secundũ operationem satanæ, cũ omnipotentia, & signis, & prodigijs mendacibus, cũ omni deceptione iniusticiæ. Diaboli quoq; opera gẽtes, Gog & Magog seducti sunt, & persequũtur Ecclesiam usq; ad extremum Christi aduentum. Apoc.20.

Sub finem mundi, diabolum atrocius suis mendacijs & cædibus grassaturũ, Apo.12, prædicitur: Væ habitatoribus terræ & maris, quia descendit diabolus ad uos, habens iram magnã, & sciens quòd modicũ tempus habet. Idẽ Paulus 2 Tim.3. indicat, ubi postrema tempora periculosissima fore dicit, ob uaria genera scelerum quæ homines perpetrabunt. At Christo, Spiritui sancto, angelis bonis, sanctis qui uerè sunt membra Ecclesiæ, nullo modo cũ diabolo eiusq; operibus, & hominibus impijs, in quibus regnat, cõuenire, sed perpetua inter eos certamina esse, docent. 1 Pet.5. 1 Ioan.3. & 4. Ebr.2. Col.2. Eph.3. Apo.12. Et 1 Cor.10 Paulus elegantèr ait: Non potestis poculũ Domini bibere, et dæmoniorũ: nõ potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorũ. Et 2 Cor. 6. Ne ducatis iugũ cum incredulis. Quod enim consortium iusticiæ cum iniusticia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ cõcordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid cõuenit templo Dei cũ simulachris?

Cùm uerò diabolus suos cœtus & mẽbra in hoc mũdo habeat, et quidem etiã inter eos qui sunt Ecclesia Dei, notis quibusdã discernũt filios diaboli à filijs Dei. 1 Iohan.3. Qui exercet iusticiã, iustus est. Qui cõmittit peccatũ, ex diabolo est: in hoc sunt manifesti filij Dei & filij diaboli. Omnis qui non facit iusticiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. 1 Iohan.5. Qui genitus est ex Deo, seruat seipsum, & malus ille nõ tangit eum. Quia uerò diabolus assiduè Ecclesiam & membra Christi impugnat, Apostoli hortantur pios, ne sese diabolo, eiusq; operibus & organis opponant, & non cedant, sed uiriliter pugnent, & uictoriam obtineant: & insuper quibus armis paratos esse oporteat, & quomodo resistendum, diligenter instruunt. 1 Petri 5. Sobrij estote, & uigilate: quoniam aduersarius uester diabolus, tanquã leo rugiens obambulat, quærẽs quem deuoret: cui resistite solidi fide, scientes uestros fratres eadem in mundo sustinere afflictiones. Et Ephe.6. Induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus assultus diaboli. Quoniam nõ est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Quapropter assumite uniuersam armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circumcincti ueritate, & induti thoracem iustitiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis, super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere: galeamq; salutaris accipite, & gladium Spiritus, qui est uerbum Dei, in omni deprecatione & obsecratione, orantes in omni tempore in spiritu, & ad hoc ipsum uigilantes, cum omni perseuerantia & deprecatione pro omnibus sanctis. Autor epistolæ Iacobi 4. Resistite diabolo, & fugiet à uobis.

Consolationes etiã dulcissimas contra diaboli machinationes proponũt, dum Christũ opera diaboli, scilicet peccatũ & mortem, dissoluisse docẽt: 1 Ioan.3. Et diabolũ qui mortis habebat imperiũ, destruxisse: Ebre. 2. Et principatus & potestates expoliatos, in triumphum captiuos abduxisse: Col.2. Et Deũ nos per Christũ eripuisse ex potestate tenebrarũ, & transtulisse in regnũ filij sibi dilecti: Coloss.1. Eundemq; tanto nos in Christo amplexatum esse amore, ut neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neque instantia,

instantia, neq; futura, neq; altitudo, neque profunditas, neq; ulla creatura alia nos posit separare à dilectione Dei: Ro. 8. Et maiorẽ esse cũ qui in pijs sit, q̃ in mundo: 1 Ioan. 4. Nec quicquã amplius eum facere posse, quàm Deus ei permittat. Id enim eo docẽt, quòd uictũ & captiuum esse monent: 2 Pet. 2. Epistola Iudæ. Col. 2. Ephes. 1. Et Deum propediem cõculcaturum diabolum sub pedes fideliũ: Rom. 16. Angelos quoq; bonos pro piorum defensione pugnare cõtra diabolos: Apocal. 12. Et Christũ in extremo die aboliturum omnem principatum, potestatem & uirtutem, & deniq; mortem ipsam: 1 Cor. 15. Et cõiecturum diabolũ cum impijs in pœnas æternas. 2 Pet. 2. Epistola Iudæ. Apo. 20.

Appellationes, quibus Apostoli malos angelos notant, hæ ferè sunt: Angelus, 1 Cor. 6. Rom. 8. 2 Pet. 2. Epist. Iudæ. Spiritus, Act. 16. Et spiritus Pythonis, ibidem. Spiritus malus, Act. 19. Spiritus immũdus, Act. 5. Apo. 16. Spiritus dæmoniorum, ibid. Malus absolutè: 1 Ioan. 1. Vicistis malum illum: 1 Ioan. 1. Ephes. 6. Dæmonium, 1 Cor. 10. 1 Tim. 4. Doctrina dæmoniorũ, Apoc. 9. Adorarent dæmonium, Apo. 18. Babylon facta est habitatio dæmonum: Iac. 2. Diabolus, 1. Pet. 5. 1 Iohan. 3. Iac. 4. Ebr. 12. 1 Tim. 6. 2 Timoth. 2. Ephes. 6. Apoc. 20. Satanas, Actor. 5. Anania, cur impleuit satanas cor tuum? Act. 26. Vt conuertantur è tenebris ad lucem, à potestate satanæ. Apoc. 2. Sunt synagoga satanæ, &c. ubi sedes est satanæ. Item, Qui oc cisus est apud uos, ubi satanas habitat: Nõ cognouerunt profunditates satanæ, ibid. Ro. 16. Deus cõterat satanã sub pedes uestros breui. 2 Cor. 5. Tradã satanæ ad interitũ carnis. 1 Tim. 1. Quorũ de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discãt non male dicere. 1 Cor. 7. Ne tentet uos sathan. 2 Cor. 2. Vt nõ decipiat nos satan: non enim mentem eius ignoramus. 2 Cor. 11. Satanas transfiguratur in angelũ lucis. 2 Corinth. 12. Datus est mihi angelus satanæ. 1 Thes. 1. Satanas nobis obstitit. 2 Thess. 2. Cuius aduentus secundum operationẽ satanæ. 1 Tim. 5. Retrò cõuersæ sunt post satanam. Serpens, 2 Cor. 11. Serpens Euam seduxit. Serpens antiquus, Apoc. 12. & 20. Idcò aũt sic appellatur, quia forma serpentis in paradiso Euæ apparuit. Draco, Apoc. 12. Draco pugnabat & angeli eius, & non ualuerũt, neq; locus inuentus est eorũ amplius in cœlo, & proiectus est draco ille magnus. Serpens antiquus, qui uocatur diabolus & satanas, qui seducit totum orbem terrarũ: eadem omnia repetuntur, Apoc. 20. Tentator, ὁ πειράζων, 1 Thess. 3. Deus huius seculi. 2 Cor. 4. Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorũ. Eò aũt appellatur Deus, quia diuinos honores sibi arrogat, quos etiã ei mundus tribuit, dum per idolatriã & simulachra diabolũ colit: 1 Cor. 10. Princeps qui potestatem aeris habet: Eph. 2. Domini mundi, rectores tenebrarũ seculi huius, spirituales astutiæ sub cœlo, Ephes. 6. Principatus & potestates, Col. 2. Eph. 6. 1 Cor. 15. In his enim locis apertum est, ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας malos spiritus significare. Eadem etiã nomina extant Ephes. 1. & 3. Col. 1. 1 Pet. 3. Sed ambiguum est, de bonis ne an de malis sint intelligenda.

DE HOMINE.

Quadruplicem hominis statum Apostoli describunt. Nam qualis ante lapsum, & qualis post lapsum & nondum regeneratus, & qualis post regenerationem existat, & qualis in resurrectione futurus sit, docent: ut ex sequentibus patebit.

De homine ante lapsum.

Apostoli in doctrina de homine ante lapsum, sicut & Christus, planè consentiunt cũ Mose, ad quem etiam haud obscurè alludunt, cùm mentionem huius rei faciunt. Nam homines non casu extitisse, aut sua uirtute ex terra natos esse sentiunt, sed Deum primorum hominum Adæ & Euæ creatorem celebrant. 1 Petri 4. 1 Timoth. 2. Coloss. 3. Ephes. 4. 1 Corinth. 15. Quoto autẽ die & quo in loco homines primos creauit Deus, nõ repetunt. Materiæ autem unde conditus sit Adam, Paulus 1 Corinth. 15. meminit: Primus homo de terra terrenus. Idem 1 Corint. 11. mulierem ex uiro esse dicit. Idem etiam ad modum creationis alludit. 1 Tim. 2. Adam prior formatus est, & deinde Eua. Nam non ex nihilo, neque solo uerbo creatum esse hominem, ut cœlum & terram, ostendit, sed formatum esse dicit. Qualem fecerit Deus primum hominem, idem Paulus monet 1 Corinth. 15. Scriptum est, Factus est primus homo in animam uiuentem. Et Colossen. 3. Ad imaginem Dei conditum hominem esse docet. Idem 1 Corinth. 11. repetit, ubi uirum imaginem & gloriam Dei appellat. cui etiam adstipulatur autor epistolæ Iac. 3. cum hominem ad similitudinem Dei conditum dicit. Quid uerò per imaginem Dei intelligi debeat, Paulus Ephes. 4. nonnihil exponit, ubi iubet induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus sit per iusticiam et sanctitatẽ ueritatis. Imago igitur Dei, qua homo primùm conditus est, fuit naturæ integritas, uera iusticia & sanctitate prædita, quæ per omnia cum uoluntate diuina congruebat, eiusq; mandatis satisfacere integrè poterat. Proprietates & actiones hominis ante lapsum constare ex corpore & anima uiuẽte: 1 Corinth. 15. Gestare imaginem Dei. 1 Corinth. 11. Iac. 3. hoc est, habere naturã integram & immortalem, congruentem cum uoluntate diuina. id quod patet ex Decalogo, & lapsu quo sibi accersiuit mortem, & naturæ deprauationem. Idem illa etiam dicta docent, Rom. 5. Per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatũ mors. Item, Stipendium peccati mors est. Nam apertè indicãt, integram naturam mortis expertem fuisse. Esse sapientem, iustũ & sanctũ. Ephes. 4. Habere libertatem uoluntatis obtemperãdi Deo, aut sese ab eo auertendi: ut apparet ex 2 Cor. 11. ubi serpens Euam seduxisse dicitur. Et 1 Tim. 2. ubi Euam transgressioni obnoxiam factam indicat. Fines etiã ad quos primus homo cõditus fuerit, eo ipso docent, quod ad similitudinem Dei eum conditũ esse dicunt. Debebat enim homo nõ tantum ut aliæ creaturæ, ostendere quòd sit Deus, qui sapiẽs, bonus, iustus, omnipotens, liberrimus & æternus existat: sed talis Dei uiuum & uisibile exemplar quoddã esse, in quo proprietatum quæ in Deo immensæ, increatæ, & æternæ sunt, quædã simulachra, quæ à Deo homini in creatione insita sunt, perpetuò lucerent. Deinde debebat homo cum omnibus suis actionibus, cõgruere cũ uoluntate archetypi, eumq; iuxta normam uoluntatis diuinæ sibi insitam, & iuxta præcepta proposita, colere, eiq; obtemperare. Patent hæc ex uoce imago Dei, et ex Decalogo, cuius summam

Apostoli

Apostoli subinde repetunt. Tertiò conditus etiã erat homo in eum finẽ, ut per eũ genus humanũ propagaretur. patet iã ex uerbis, quibus Deus instituit matrimoniũ, quæ Paulus Eph. 5. repetit: Huius rei gratia relinquet homo patrẽ & matrem, & adiungetur uxori suæ.

De lapsu.

Homines primos Adam & Euam ab originali iustitia excidisse, Paulus docet Roman. 5. 1 Cor. 15. Causam aũt lapsus seu peccati, negant esse Deum. Ioannes enim 1 epist. 2. dicit Deum lucem esse, & nullas in eo tenebras reperiri. Et Paulus, Dei bonitatem & longanimitatem, Roman. 2. celebrat: eumq; iustum & ueracem pronunciat, Roman. 3. & 4. & alibi passim. & Rom. 7. dicit legem Dei sanctam esse, & bonam.

Diabolo uerò & liberæ uoluntati hominis lapsum illum horribilem & deplorandũ adscribunt. 1 Ioan. 3. Qui cõmittit peccatum, ex diabolo est, quoniã ab initio diabolus peccat. quæ sentẽtia nõ tantum indicat diabolũ per se peccasse, sed etiã autorem peccati hominibus extitisse. quod explicatius Paulus docet, 2 Cor. 11. Metuo ne qua fiat, ut quemadmodũ serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpãtur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. Et 1 Tim. 2. Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni. Qua sententia etiam causam formalem lapsus indicat esse transgressionẽ mandati diuini, quod & poterant & debebant obseruare. Roman. 5. transgressionem, delictum & inobedientiam uocat.

De effectibus transgressionis, passim tristissimas sententias recitãt, quibus asserunt primos parentes Adam & Euam integritatẽ suæ naturæ et omniũ uirium amisisse, & ex sapientib. & intelligẽtibus, & iustis et sanctis, & uolũtate liberis, & immortalibus & beatis factos esse insipientes, & ea quæ Dei sunt non intelligentes, iniustos, immundos, uolũtate captiuos, & non nisi ad malum procliues, uarijs generibus morborũ et afflictionum, & morti deniq; obnoxios, mancipia diaboli, à Deo condemnatos, & æternis pœnis adiudicatos. Et hæc mala omnia eos propagasse in omnes suos posteros, ut illi nũc natura sint peccatores, mortales & mancipiá diaboli, nec possint per seipsos ullo pacto ab his malis liberari, nisi Dei subueniat auxiliũ. Rom. 5. Propter unum hominem peccatũ in mũdum introijt, et per peccatũ mors, & sic in omnes homines peruasit mors, quatenus omnes peccauimus. imò regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos quoq; qui nõ peccauerũt, ad similitudinẽ transgressionis Adam, etc. Item, Vnius delicto multi mortui sunt. Item, Per unum qui peccauit, uenit mors, &c. Condemnatio ex uno delicto ad cõdemnationem, &c. Item, Per unius delictũ mors regnauit. Item, Per unius delictũ propagatũ est malum in omnes homines ad cõdemnationem, &c. Item, Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi. 1 Cor. 15. Per Adam omnes moriuntur: qualis terrenus, talis & hi qui terreni sunt, &c. Item, Gestauimus imaginem terreni. Verùm de his paulo pòst prolixius.

De homine ueteri.

Sicut Deus ideo condiderat homines primos Adam & Euam, ut per eos genus humanũ ædificaret et propagaret: ita ipsis lapsis, etiã corrupta eorũ natura per peccatũ et mortẽ, tamen placuit ei per ipsos procreare genus humanũ, sed tamen ea ratione, ut peccati & mortis in natura deprauata nõ esset autor aut approbator. Quare etiam homines qui post lapsum naturali modo nascuntur, à Deo procreantur & conseruãtur, donec per mortem iterũ dissoluãtur. Act. 17. Deus dat omnibus uitam & halitũ per omnia, fecitq; ex uno sanguine omne genus hominũ. Item, Per ipsum uiuimus & mouemur & sumus. Homo igitur etiã post lapsum, quatenus ad naturã, Dei creatura est: sed nõ quantum ad peccatum & mortem, quæ in ipsam hominis substantiã adeò penitus infusa sunt, ut plenè ante resurrectionem mortuorum nõ expurgentur. Partes aũt hominis post lapsum, Paulus Ephes. 2. & Rom. 7. carnem & mentem, id est, corpus & animã ponit. & 1 Corinth. 2. Spiritus hominis meminit. 2 Corinth. 6. Glorificate Deũ in corpore uestro, & in spiritu uestro quæ sunt Dei. Easdem partes facit autor epistolæ ad Ebr. 4. Et Petrus 1 epist. 1. animæ mentionem facit: Animas uestras purificastis obediendo ueritati. & 1 Petri 2. dicit, Abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militãt aduersus animam.

Sigillatim etiã meminerunt præcipuarum potentiarum, ut uocant, seu uirium hominis: quales sunt, Rationalis potentia, & appetitiua. Appellãt aũt eas hominis uires, membra. Ro. 7. Video aliã legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ. Iac. 4. Voluptates militãt in membris uestris. Item mentem, Ro. 7. Eph. 1. & 4. Colos. 1. Tit. 1. Conscientiam, Rom. 2. Tit. 1. σὰρξ carnis, Rom. 7. Sensum, 2 Cor. 4. Cor, Rom. 2. Act. 7. 15. 16. Voluntatem, Philip. 2. 1 Pet. 4. Concupiscentiam, 1 Pet. 1. 2. 2 Pet. 1. 1 Ioã. 2. Ephes. 2. 4. Iac. 1.

Proprietates hominis post lapsum, has fere recensent: carere iusticia originali, qua conditus & ornatus erat primus homo. Docent hæc Petrus 1 epistolæ 1. Omnis caro gramẽ, & omnis gloria hominis quasi flos graminis. Et Paulus Ro. 3. Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Idem docet 2 Cor. 3. & Ephes. 4. & Colossen. 3. ubi cùm nouum hominem renouari ad agnitionem & imaginem Dei asserit, haud obscurè indicat, in homine ueteri imaginem Dei, qualem induit Deus primo homini, non amplius esse.

Pro iustitia originali, habere iniustitiam seu peccatum in omnibus suis uiribus, & assiduè internis mẽtis & uoluntatis motibus, & externis membris ea operari, quæ cũ lege diuina nõ congruunt, sed in ea prohibita sunt. Vnde Petrus 1 epist. 4. nõ renatos mortuos appellat: & 1 epist. cap. 1. eos dicit agi concupiscentijs suis, & uanam habere conuersationem. & 1 Pet. 2. eos in tenebris esse, non esse populum Dei, non abstinere à carnalibus concupiscentijs, qui militent aduersus animam, esse homines stultos, ignorantes Deum, oues errantes. & 1 Petri 4. In concupiscentijs hominum uiuere, uolũtatem gentium patrare, uersari in lasciuijs, concupiscentijs, uinolentijs, comessationibus, compotationibus, & nefarijs simulachrorum cultibus: & ijsdem absurdum uideri, quòd Christiani non eadem faciant. Idem 2 Pet. 1. corruptionem in mundo per cõcupiscentiam esse dicit, & non renatos cæcos uocat. Item habere corda obscura, in quibus lucifer nõ sit ortus. Et Ioannes dicit 1 epist. 3. Mundũ, hoc est omnes homines nondum renatos, non nouisse Deum, & in mundo concupiscentiam carnis et oculorũ et fastum uitæ esse. 1 Ioan. 2. Impios in

pios in tenebris esse, Ibidem. Paulus uerò dicit, malum in omnes homines esse propagatum ad condemnationem. Rom.5. Omnes tum gentes, tum Iudæos esse peccatores, non esse iustum, ne unum quidem, non esse intelligentẽ, non esse qui exquirat Deũ: omnes deflexisse, & inutiles factos esse: nõ esse qui exerceat bonitatẽ, ex Psal.13.52. & alijs probat. Rom.3. peccatũ regnare in corpore impiorũ, eosq; per cupiditates ei obedire, & accõmodare membra sua arma iusticiæ peccato: item seruos esse peccati, & præbere membra sua serua immũdiciæ & iniquitati ad aliã atq; aliam iniquitatẽ. Ro. 6. Omnes homines esse mendaces. Ro. 3. esse inimicos Dei, Ro.5. habere obtenebrata corda, & pœnitere nescia. Ro.1. & 2. habere corda incircũcisa, ibidem. ueritatem in iniusticia detinere. Ro.1. securè absq; lege uiuere, peccatũ nõ agnoscere, agnito peccato desperare, carnalem esse, uenundatũ esse sub peccatũ, habere in se inhabitans peccatũ, habere aliã legem in membris suis, rebellantem legi mentis, & captiuum reddentem legi peccati, quæ est in membris eius: Rom. 7. esse sub iure peccati & mortis, esse imbecillem ad satisfaciendũ legi diuinæ, carnalem esse, & ea quæ carnis sunt curare: habere affectũ carnis, quæ est inimicitia aduersus Deũ: legi Dei nõ subijci, nec posse quidem: uiuere secundum carnem. Ro.8. Esse uasa iræ apparata ad interitum, nec rectè uelle, nec rectè currere ad salutẽ. Ro.9. Quærere iusticiã nõ ex fide, sed ex operibus, & impingere ad lapidem offendiculi. Ro.9. 1 Pet.2. Habere studiũ Dei, sed non secundum scientiã: ignorare Dei iusticiam, & propriam quærere: cõstituere iusticiã, iusticiæ Dei non esse subdutũ, nõ obedire Euãgelio, non credere in Deũ, cõtradicere Deo. Ro.10. Excæcati sunt, habent spiritũ cõpunctionis, oculos quibus nõ uident, aures quibus nõ audiũt, habent obtenebratos oculos. Ro.11. Non cognoscunt Deũ in sapientia. Euãgelium habent pro stultitia, & signa postulant, & sapientiã quærunt, & offenduntur doctrina Euãgelij. 1 Cor.1. Homo animalis non accipit ea quæ sunt spiritus Dei, nec potest cognoscere, dum spiritualiter dijudicatur. 1 Cor.2. Idem, in homine nõ renato ostẽdit esse munitiones, cõsilia, celsitudines, aduersus cognitionẽ Dei, quã oporteat captiuam duci, ad obediendũ Christo. 2 Cor. 10. Tum quidẽ cum ignoraretis Deũ, seruiebatis ijs qui natura nõ sunt dij. Gal.4. Eosdem in peccatis mortuos esse, & in ijs ambulare, iuxta seculũ huius mundi, et principem cui est potestas aeris, &c. cõuersari in concupiscentijs, & facere quæ carni & menti libeant, Eph.2. Ambulare in uanitate mentis, mentem habere obtenebratã, abalienatos esse à uita Dei, propter ignorantiã quæ est in illis, & excæcationem cordis eorũ: dolere desijsse, lasciuiæ sese dedidisse, ad perpetrandã omnem immundicitã cũ auiditate. Item ueterem hominẽ corrumpi, iuxta concupiscentias erroris, dicit Ephes.4. esse generationẽ prauam, & tortuosam, cui & uelle & perficere in rebus spiritualibus deficiat. Philip.2. Non esse idoneũ ad participationem sortis sanctorũ, sed esse in potestate tenente inimicum in operib. malis, Coloss.1. Idem ad Titum 1. de non renatis inquit, Pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est mens eorũ & cõscientia: Deum profitentur se scire, sed factis negant, cum sint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne bonum opus reprobi. Et Tit. 3. Eramus quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs ac uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia degentes, odiosi, inuicem odio prosequentes. Autor epistolæ Iacobi, etiã sentit, concupiscentiam in ueteri homine dominari, eumq; abstrahere & inescare, & in eo párere peccatũ, & per peccatũ mortem, Iacob.1. idem uoluptates in membris nostris militare docet. Iac.4. Autor epistolæ ad Ebræos peccatum tenaciter inhærere dicit in hominibus renatis, nedum in non renatis: Ebræ.12.

Esse mancipium diaboli. unde Ioan. 1 epistola 3. non renatos, filios diaboli uocat. Idem 1 Ioan.5. inquit: Totus mundus in malo constitutus est. quod fermè idem est, quod totum mundum seu homines impios esse mancipia diaboli. 1 Ioan.3. Non sicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum, & propter quid occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris aũt eius iusta. Paulus Act.26. recitans formulã suæ uocationis, qua Christus eũ uocarit, testatur Christũ inter cætera dixisse: Nunc te mitto ad gentes, ut aperias oculos eorũ, ut conuertantur à tenebris ad lucem, et à potestate satanæ ad Deũ, ut accipiant remissionem peccatorum, &c. Idem Ephes 2. docet, diabolum agere efficaciter in filijs infidelitatis: hoc est, in non regeneratis. & 2 Corinth. 4. dicit, Deũ huius seculi excæcasse mentes incredulorũ, ne illis illucescat lumen gloriæ Christi. & 2 Timoth. 2. docet, obsistentes ueritati captos esse laqueis diaboli, ad suam ipsius uoluntatem. Et Timoth. 4. & 2 Thes. 2. Apoc. 18. Antichristum eusq; totum regnum, mancipium & domicilium esse dæmoniorum affirmat.

Esse obnoxium iræ Dei, pœnis corporalibus, morti & cõdemnationi æternæ. Ephes.2. Eramus natura filij iræ Dei, sicut & cæteri. 1 Pet.1. Omnis caro gramẽ, & omnis gloria hominis quasi flos graminis: exaruit gramen, & flos decidit. 1 Iohan.2. Mundus transit cum cõcupiscentia eius. Act.14. Nos ijsdem quibus uos obnoxij malis, sumus homines. Vita hominis quid? uapor est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit. Iacobi 4. Et Ro.5. In omnes homines mors peruasit, quia omnes peccauimus: usq; ad legẽ enim peccatũ erat in mũdo, &c. Imò regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos quoq; qui nõ peccauerũt, ad similitudinẽ transgressionis Adam. 1 Cor.15. In Adam omnes moriuntur. Rom.7. Cùm essemus in carne, affectus peccatorum qui sunt per legem, uigebãt in membris nostris, ad fructificandum morti. Rom. 8. iure peccati & mortis homines ante regenerationem obnoxios esse dicit. Idem 1 Cor.15. dicit, Carnem & sanguinẽ regni Dei hæreditatem cõsequi non posse, propterea q, corruptio incorruptibilitatis hæreditatem non accipiat. Ex his definitio cõstitui potest: Homo post lapsum, est animal rationale, constãs corpore & anima, habens uitiosam & corruptã naturã, insipiens, iniustũ, malũ, mendax, mancipium diaboli, quod neq; internã neq; externam legi diuinæ potest præstare obedientiam, obnoxium uarijs calamitatibus, morti, iræ Dei, et æternæ cõdemnationi.

De uiribus hominis ante conuersionem.

Cum de uiribus hominis loquimur, principaliter mentem & uoluntatem, ut gubernatrices reliquarum actionum hominis, hoc loco intelligimus.

Etsi aũt

Etsi aũt Apostoli docẽt, uires hominis horribiliter labefactatas esse, et in ijs peccatũ et mortẽ, & diaboli tyrannidẽ maximè dãnari: tamẽ nõ prorsus destructa omnia, sed reliqas uelut destructa domo ruinosas quasdã materias adhuc extare, haud obscurè præ se ferũt.

Duo aũt genera obiectorum faciunt, circa quæ uires hominis ueteris uersantur: nimirum, res carnis, & res spiritus Dei. Rom. 8. Qui carnales sunt, quæ carnis sunt curant: qui spirituales, ea quæ spiritus sunt. Sunt aũt res carnis, carnalis agnitio Dei, & imperfecta noticia legis, & externa disciplina, & omnis generis peccata contra legem Dei. Res uerò spiritus Dei, sunt regeneratio, seu uera cõuersio ad Deũ, fides uera, agnitio Dei eiusq; uolũtatis iuxta legẽ, Euangeliũ, fides, noui & spiritualis motus, nouitas uitæ, &c. In ijs igitur quæ carnis sunt, homini ueteri tribuũt suas quasdam actiones: quòd nõ uerè quidem, sed carnaliter intelligat esse Deũ, eumq; colendum esse: quòd cupiat & conetur Deũ colere: quòd iudicet iuxta discrimen honestorũ & turpium esse uiuẽdum, sed propter contumaciã cordis neq; illa quæ carnaliter intelligit, & facienda iudicat, præstare posit. Nam Paulus 1 Cor. 1. & 2. mundo, hoc est hominib. etiam nõ renatis, tribuit suam quandam sapientiã & intelligentiã, eruditũ sermonem, disputationem, discrimen inter stulta & rationi consona, eminentiam sermonis & sapientiæ, sermonem persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis cõstantem, spiritũ scrutantem & agnoscentem ea quæ sunt hominis, spiritũ mundi, seu disciplinam & prudentiam qua mundus regitur: sermones quos docet humana sapientia: hominẽ animalem, hoc est ratione præditum, intelligẽtem & cognoscentẽ res sibi subiectas, appetentem ea quæ uidẽtur honesta & utilia, et auersantem turpia & inutilia. Idẽ 1 Cor. 11. & 12. homini tribuit iudiciũ de rebus decoris & indecoris. & idem Ro. 2. dicit gentes legem quidẽ non habere, ita ut Iudæi habebãt promulgatã, & tabulis inscriptam: sed tamen opus legis inscriptum cordibus eorũ esse, et ea quæ legis sunt naturà facere, attestante simul illorũ conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiã excusantibus: hoc est, gentes habere discrimen honestorũ & turpiũ. Idem Rom. 1. dicit, gentes iusticiam Dei nouisse, quòd scelerati sint digni morte. Itẽ, eos cognoscere esse Deũ, eumq; æternum & omnipotentem. Rom. 1. Scire etiam eos Deum colendum esse, ibidem monet: ubi ostendit, gentes studiũ colendi Deum habuisse, sed pro creatore creaturam ueneratos esse. & Rom. 8. sapientiæ carnis meminit, eamq; ea quæ carnis sunt curare dicit.

De Iudæis nondum renatis dicit Paulus Ro. 2. quòd habeant cognitionẽ quidem legis, & posint iudicare alios, sed quòd ipsi non faciãt legem. & Ro. 9. dicit, eos uelle & currere posse. & Ro. 10. dicit, eos habere studium Dei, sed nõ secundum scientiã: & quòd quærant propriã constituere iustitiã, ex operibus legis. Idẽ constat ex Pauli exemplo, qui de externa obedientia, quã legi præstitit ante regenerationem, dicit se fuisse iuxta iusticiam, quæ est in lege, irreprehensibilem: Philip. 3.

Posse igitur hominem ueterem, utcunque carnaliter externa opera intelligere & appetere & præstare, sentiunt: sed tamen in illis ipsis adeò esse imbecillem, tum propter innatam maliciã, tum propter diaboli tyrannidem, ut nõ modò non integram legi præstet obedientiam, internã nempe & externam, sed ne externã quidem, internè & integrè. Nam gentes ueritatẽ in iniusticia detinent: & quamuis esse Deũ sciunt, tamen nõ ut Deũ eum honorant et glorificãt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratũ est insciẽs cor eorũ: cum se crederẽt esse sapientes, stulti facti sunt: mutauerũt quoq; gloriã immortalis Dei, per imaginẽ, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictã, uerumetiã uolatilis & quadrupedũ & reptiliũ. quapropter tradidit illos Deus per cupiditates cordiũ suorũ in immundiciã, ut ignominia afficiãt corpora sua inter se mutuò, &c.

Idem de Iudæis cap. 2 docet, quòd habeant quidem cognitionẽ legis, sed tamen nõ modò non posint internos motus, legi congruentes, præstare, uerumetiam nec externis operib. legi satisfacere: idq; etiã fieri propter incircuncisa eorũ corda. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uolũtatem, ac probas eximia, institutus ex lege, confidisq; teipsum ducem esse cæcorũ, lumen in tenebris uersantium, eruditorem insipientiũ, doctorem imperitorum, habentem formã cognitionis ac ueritatis per legẽ. Qui igitur doces alium, te ipsum nõ doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterãdum, adulterium cõmittis: qui execraris simulachra, sacrilegium admittis: qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deũ dehonestas. Nam nomen Dei propter uos malè audit inter gentes, quemadmodũ scriptũ est. Nam circũcisio quidẽ prodest, si legẽ seruaueris: quòd si transgressor legis fueris, circũcisio tua in præputium uersa est. Ergo si præputium iustificationes legis seruauerit, non ne præputiũ illius pro circũcisione imputabitur? & iudicabit quod est ex natura præputiũ, si legem seruauerit, te, qui per literam & circuncisionem transgressor es legis? Non is qui in manifesto Iudæus est: nec ea quæ in manifesto sit carnis circuncisio, circuncisio est: sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est: & circũcisio cordis, circũcisio est, quæ spiritu constat, nõ litera: cuius laus nõ ex hominib. est, sed ex Deo.

Vt aũt in rebus carnis, aliquid uiribus hominis ueteris tribuãt, ut sunt, habere aliquã carnalem noticiam in mente de Deo, & in uoluntate affectum & studium Dei colendi, & externam utcunq; disciplinam præstare, repugnante licet perpetuò cordis contumacia: ita in rebus, quas spiritus Dei uocat Paulus 1 Corinth. 2. uiribus ueteris hominis omnia derogant. Docent enim, hominem ueterem, seu nondum renatum, res spiritus Dei prorsus ignorare: & si quid de ijs audiat, pro stultitia habere, easq; non modò nõ appetere, sed odisse, auersari & execrari et persequi: et in summa, prorsus fructibus spiritus carere. 1 Pet. 1. Cum ignoraretis Christum, agebamini cõcupiscentijs. 1 Pet. 2. E tenebris uos uocauit in admirabilem suã lucem. Itẽ, Obturetis os hominib. stultis, & ignorantibus. Itẽ, Eratis uelut oues errantes. Et 2 Pet. 1. Nam cui nõ adsunt hæc, cæcus est, & manu uiam tentans, oblitus sese à ueteris peccatis suis fuisse purgatũ. Itẽ, Donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris. quo dicto tenebras in corde esse indicat. 1 Ioan. 3. Mundus non nouit Deũ. Loquitur aũt de uera agnitione Dei. 1 Ioã. 2. Qui odit fratrẽ suũ, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit

& nescit quò eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. Rom.3.Omnis homo mẽdax, Deus autem uerax. Ibidem ex Psalmo Paulus citat: Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum. Rom.8. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum: nõ enim legi Dei subditur, nec potest quidem. 1.Cor.2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stulticia siquidẽ illi sunt, nec potest cognoscere quod spiritualiter dijudicatur. 2 Cor.3.dicit, ludæorum sensus excæcatos esse, et uelamẽ manere impositum cordibus illorum, in lectione uetaris Testamenti: nec prius tolli, quàm ad Christum conuertantur. Vnde patet, ueterem hominem, non tantum Euangelij ignarum esse, sed etiam ne legis quidem sententiam ueram nosse aut intelligere, ante regenerationem. Idem 2 Cor.10. de humana ratione, doctrina Euangelij captiuanda ad obediendũ Christo, ita loquitur, ut apertè ostendat ueterem hominem consilijs suis & cogitationibus extolli, & pugnare aduersus cognitionẽ Dei. Idem Gal.6. ubi de lucta carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem loquitur, satis docet, ueterem hominem ea quæ sunt spiritus Dei odisse & auersari: Gal.4. Tum quidem cum ignoraretis Deum, seruiebatis ijs qui natura nõ sunt dij. Eph.4. Reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis suæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in illis, & excæcationem cordis eorũ: qui postea quàm peruenerunt eò, ut dolere desierint, semet ipsos dediderunt lasciuiæ, ad patrandum immundiciem omnem, cum auiditate. Et 2 Cor.3. Paulus negat hominem ueterem idoneum esse, etiam ad cogitandum quicquam ex seipso in rebus spiritus Dei. Et Philip.2. ostendit Dei opus esse, & non ueteris Adami, tum uelle, tum perficere ea quæ spiritus Dei sunt. Idem Tit.1. dicit, infidelium mentẽ & conscientiam pollutã esse: & quamuis profiteantur se Deum scire, tamen factis eum negare, & abominabiles esse, & dicto inobediẽtes, & ad omne bonum opus reprobos. Porrò quantũ homo uetus carnaliter possit, & quantum non possit, etiam in exemplis proponitur, quorum quædam commemorabimus. Paulus cum adhuc in carne seu uetus homo esset, poterat proficere in Iudaismo supra multos æquales in genere suo, & uehementer studiosus esse institutorum à maioribus traditorum. Gal.1. & iuxta iusticiam quæ in lege est, fieri irreprehensibilis. Phil.3. sed tamen ea quæ spiritus Dei sunt, neq; intelligit, neq; appetit: sed ignorat, aduersatur, persequitur & blasphemat. Nã Rom.7. testatur, se, cum maximè sese in lege exerceret, tamen sine lege uixisse: hoc est, legis mentem, quam spiritualẽ uocat, & suarum uirium impotentiam nõ intellexisse. Et 1 Tim.1. Gal.1. Philip.3. Actor.22. confitetur, se ignorantem per incredulitatem, doctrinam Christi & Ecclesiam Dei blasphemasse, & supra modum persequutum & depopulatum esse, pertrahendo credentes in Christum in carcerẽ, & cædendo eos in singulis synagogis eorum: item se, cum Stephanus interficeretur, adstitisse, & in mortem eius consensisse, & uestimenta interficientium eum custodijsse. Idem Lucas de illo commemorat Actor.9.

Eunuchus Act.8. dum adhuc in carne est, seu ante conuersionem, legere potest scripturam, ac etiam agnoscere, quòd ea sine interprete non possit intelligi. Cupit etiam & petit à Philippo, loci Esaiæ declarationem. Sed per seipsum non carnaliter scripturam intelligit, de Christo eiusq; opere & beneficio nihil nouit: aut si quid fortè de eo Hierosolymis audiuit, neglexit: talisq; domum redijsset, nisi Deus per uerbum & spiritum sanctum & baptismum, in mente eius, & uoluntate, ueram agnitionem & fidem & nouos motus accendisset.

Cornelius etiam ante conuersionem, dum adhuc uetus homo est, potest quidem carnaliter secundum uetustatem literæ, ut Paulus uocat Rom.7 opera externa legis facere, qualia sunt, Deum carnaliter timere, ieiunare, eleemosynas dare, precari: at ea quæ spiritus Dei sunt, neq; nouit, neq; appetit, neq; facit, antequam regeneretur. Nam etiamsi famã de Christo, per totam Iudæam sparsam, orto primùm rumore à Galilæa post baptisma Ioannis, ut Petrus in sua concione refert, audiuit Cornelius: tamen eam floccipendit & neglexit: nec doctrinam Euangelij prius suscepit, neq; uerè sese ad Deum conuertit, & spirituales motus in corde suo habet, nec fructus ueros spiritus profert (carnalia enim opera eius ante conuersionem tantum fuerunt, & sine fide præstita) antequam Deus per angelum ei reuelet, Petrum accersendum, & ex eo ueram uiam salutis esse discendam.

Epicurei & Stoici, philosophi Athenienses, nondũ conuersi, conflictantur cum Paulo: & quidam dicunt, Quid uult spermologus hic dicere? alij uerò, Nouorũ (inquiebant) dæmoniorum uidetur annũciator esse: & apprehensum eum ducunt ad Martium uicum, dicentes, Possumus ne scire, quæ sit ista noua, quæ à te refertur, doctrina? noua enim quædam ingeris auribus nostris. Deinde cum audissent resurrectionem mortuorũ, alij quidem irridebant: alij uerò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. Actor.17.

Cæterùm quòd uetus homo, tantùm ea quæ carnis sunt, curare & præstare possit, & non ea quæ spiritus Dei sunt: in causa est, naturæ deprauatio per peccatũ, & diaboli tyrannis, qui regnat efficaciter in filijs infidelitatis, Ephes.2. et qui excæcat sensus eorũ, 2 Cor.4.

Docent etiam, opera illa quæ uetus homo carnaliter præstat, Deo non placere: multo uerò minus conuersionem ipsam mereri. Rom.8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Item, Affectus carnis, mors est. et Roman.14. Quicquid non ex fide, peccatum est. Ebræ.11. Impossibile est Deo sine fide placere.

Homini post lapsum ante conuersionem uaria nomina Apostoli attribuunt. nam Paulus ueterem hominem appellat, Rom.6. Scientes quòd uetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati. Ephes.4. Deponite uos secundum pristinam conuersationem, ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris. Col.3. Exuistis ueterem hominem cum factis suis.

Carnalis homo, Roman.7 & 8.1 Cor.3. Adhuc enim estis carnales. Et per synechdochen caro, 1 Petri 1. Omnis caro gramen, &c. Rom.3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. 1 Cor.2. Vt non glorietur omnis caro, Gal.5. Desideria carnis ne perfeceritis. Item, Spiritus concupiscit aduersus carnem. Autor epistolæ Iudæ, Odio persequẽtes eã, quæ ex carne est, maculatã

tunicam. Caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt. 1 Corinth. 15. Homo animalis, ψυχικὸς. 1 Corinth. 2. Animalis seu naturalis homo (scilicet qualis nunc est natura, filius iræ, Ephes. 2.) non percipit ea quæ Spiritus Dei sunt. Idem 1 Corinth. 15. Sed non primum spirituale, uerum animale. Autor epistolæ Iudæ: Hi sunt qui sectas faciunt, animales, spiritum nō habentes. Homo terrenus. 1. Corinth. 15. Qualis terrenus, tales etiã hi qui terreni sunt. Coloss. 3. Terrestria membra, ut sunt, adulterium, &c. pro operibus ueteris hominis accipiuntur.

Generatio praua & tortuosa. Philip. 2. Infidelis. 1 Cor. 6. Frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus. 1 Cor. 7. Quòd si incredulus discedit, discedat. Ephes. 2. Agit in filijs infidelitatis. & Ephes. 5. Propter hæc enim uenit ira Dei super filios diffidentiæ. Idem Coloss. 3. 2 Corinth. 6. Quæ pars fideli cum infideli? ad Tit. 1. Infidelibus nihil est mundum. 1 Timoth. 5. Infideli deterior. Filij noctis & tenebrarum. 1 Thessal. 5. Non sumus noctis, neq; tenebrarum, scilicet filij. Filij iræ Dei, Ephes. 2. Filij maledictionis. 2 Petri 2. Filij diaboli. 1 Ioan. 3. Act. 13. Mortui in delictis. Ephes. 2. Mortui. 1 Pet. 4. Mortuis prædicatum est Euangeliũ. Mundus. 1 Corinth. 6. Mundum iudicabimus. 2 Cor. 1. In sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum. & 1 Corinth. 11. Vt non damnemur cum hoc mundo. et 2 Corinth 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. & Galat. 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. & 1 Ioan. 2. Non pro nostris tantũ, sed pro totius mundi. & 1 Ioan. 3. Nolite mirari si uos odit mundus. & 1 Ioannis quinto: Mundus in maligno positus est.

De homine in & post conuersionem, seu de nouo & renato.

Esse aliquem hominem nouum, sequentia demonstrabunt: quæ si contrahantur in summam, hanc constituent descriptionem.

Homo conuersus seu regeneratus, est noua creatura, quæ in hominis ueteris corpore et anima, à Deo per Euangelium & baptismum & fidem conditur, habens gratiam, hoc est imputatiuam iusticiam Christi, seu remissionem peccatorum in fide: et donum per gratiam, hoc est Spiritum sanctum, per quem renouatur ad imaginem Dei, mortificando actiones carnis spiritu, & in nouitate uitæ ambulando, perseuerans in fide, donec corpus & anima per mortem dissoluantur. Hæc descriptio sequenti doctrina probabitur. Nam hominem ueterem in conuersione de nouo quasi condi et regenerari, Petrus docet 1 epist. 1. & Ioannes 1 epist. 5. Et Paulus 2. Cor. 5. Si quis est in Christo, noua creatura est. Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Galat. 6. In Christo Iesu neque circumcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed noua creatura. Eph. 2. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus. Iacobi 1. Is destinata uoluntate, progenuit nos sermone ueritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum. Regenerationem autem illam, non extra hominem, sed in homine, eiusq; corpore & anima, seu in mente & uoluntate & corde fieri, docet Petrus in concilio Hierosolymitano, ubi affirmat, Deum corda gentium fide purificare. Et in epistola priori cap. 1. Animas uestras purificastis obediendo ueritati. & 2 cap. Abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militant aduersus animam. & Ioan. 1. Adhuc in renatis manere peccatum docet. & 1 Ioan. 5. Christum renatis mentem cognoscẽdi Deũ dedisse asserit. & Paulus, qui 1 Cor. 6. renatos ex corpore & anima: & 1 Thess. 5. ex spiritu, corpore et anima: & Ro. 6 et 7. & Eph. 4. ex ueteri et nouo homine, itẽ ex carne & spiritu. & 2 Cor. 4. ex interno & externo: & 2 Cor. 5 ex terreno & cœlesti domicilio: Galat. 5. ex carne & spiritu constare, aperte docet. quod etiam 2 Corinth. 4. ualde eleganter hæc sententia exprimit: Habemus thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis. Deum autem Patrem & Filium & Spiritum sanctum per uerbum & sacramenta in homine operari conuersionem, fidem & nouitatis inchoationem, paulo pòst demonstrabitur. Quòd autem gratiam, hoc est remissionem peccatorum, fide accipiant & teneant, Petrus docet, 1 Petri 1. Qui uirtute Dei per fidem custodimini ad salutem. Item: Perfectè sperate in eam, quæ aduos defertur, gratiam. 1 Petri 2. Vobis preciosus est, qui creditis. Idem Actorum 4 & 10. Et Ioannes, 1 Ioannis 1. Si confiteamur peccata, fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 Ioannis secundo: Scribo uobis filioli, quòd remittuntur uobis peccata, propter nomen eius. & Paulus dictis & exemplis docet, Rom. quinto: Iustificati fide pacem habemus, & per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & contigit nobis, ut fide produceremur ad gratiam hanc, in qua stamus, et gloriamur sub spe gloriæ Dei, Rom. 4. Ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam firma sit promissio uniuerso semini. Galat. 6. Omnes enim filij Dei estis, eò quòd credidistis Christo Iesu. Ephes. 2. Gratia estis seruati, per fidem, idq; non ex uobis: Dei donum est, &c. Plura testimonia infrà de fide, in loco de Iustificatione recitabuntur. Exemplum autem Abrahæ, Rom. 4. Gal. 3 allegat: Credidit, inquiens, Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam. Vnde extruit, omnes qui renascuntur & saluantur, oportere fide accipere & tenere iusticiam imputatiuam. Non scriptum est autem, propter illum tantum imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum. Rom. 4. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Galat. 3. De suo exemplo Paulus Galat. 2. & Philip. 3. agit, ubi se non aspernari gratiam Christi, sed fide apprehendere, & non suam iusticiam, quæ ex lege est, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ est ex Deo, iusticiã super fide, tenere dicit. Autor epistolæ ad Hebræos undecimo docet, pios in ueteri Testamento fidem habuisse, eaq; promissiones amplexos esse, Deoq; placuisse.

Spiritum sanctum in renatis habitare, eos que renouare, & ueteris Adami uitia expurgare, & imaginem Dei in ijs renouare, docent: Petrus Actorũ 2. Accipietis donum Spiritus sancti. Idem 1 Petri 4. dicit, Spiritum Dei super renatis & afflictis Christianis requiescere. Et Ioannes 1 epist. 3 & 4. Deum de spiritu suo nobis dedisse dicit. Et Paulus 1 Cor. 2. renatos spiritũ ex Deo accepisse dicit. Et 1 Cor. 3. 6. & 2 Cor. 6. templũ spiritus

Spiritus Dei esse eosdem docet, quos etiam 2. Cor. 5. à Domini Spiritu ad imaginem Dei reformari asserit. Idem etiam Rom. 8. Galat. 4 & 5. Spiritum sanctum in renatis excitare nouos et spirituales motus, legi Dei cõgruentes, & mortificare actiones carnis demonstrat. Renouationem autem istam in hac uita, non perfici propter carnis imbecillitatem, & luctam aduersus Spiritum. Petrus docet 1 Pet. 2. ubi carnales concupiscentias aduersus animã militare ait. Et 1 Pet. 5. ubi diabolum aduersariũ quærere renatos ad deuorandũ monet. & 2 Petri 2. ubi à uia iusticiæ ut canes ad uomitum reuertentes, & suem ad uolutabrum cœni, quosdam ex ijs qui renati fuerint, relapsuros prædicit. Adstipulatur ei etiã Ioannes, qui 1 Ioã. 1 apertè de renatis dicit, q, oporteat eos fateri, quòd sint peccatores, nisi Deũ mendacem facere uelint. Paulus uerò pluribus in locis eandem doctrinã tradit, præcipuè uerò Rom. 7 & 8 quidem eleganter dicit, renatos tantùm primitias Spiritus habere: & Philip. 1. Paulus cupit dißolui, et esse cũ Christo. 2 Cor. 5. & 1 Cor. 15. Ostendit in altera uita de mum perfectos fore fideles, cum mors fuerit absorpta in uictoria. & autor epist. ad Ebr. 13. docet, pios non habere hic manentem ciuitatem, sed futurã inquirere. Renatorum duo genera Paulus plerũq; facit: alios appellat perfectos, 1 Cor. 2. Sapientiã loquimur inter perfectos. Philip. 3. Quotquot perfecti sumus, sic sentiamus. Eph. 4. Donec perueniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei in uirũ perfectũ. Ebr. 5. Porrò perfectorum est solidus cibus, nempe horum qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos, ad discretionem boni pariter ac mali. Porrò non propter omnibus numeris absolutam perfectionem eos sic dici, ex ijsdem locis patet: sed propterea quòd habeant de capitibus doctrinæ cœlestis mediocrem cognitionem. Paulus enim Phil. 3. negat se in fide iam perfectum esse. & ita apprehendisse Christum, ut ab eo apprehendeadem epist. cap 3 spirituales uocat. Non potui, inquit, sus sit. Idem etiam, quos 1 Cor. 2 perfectos appellat, in uobis loqui ut spiritualibus: qua uoce etiam 1. Cor. 12. utitur, pro ijs qui habeãt dona Spiritus sancti. & Gal. 6. Alios uerò appellat infirmos in fide. Rom. 14. Eum qui infirmatur in fide, assumite. & Rom. 15. Debemus nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare. 1. Cor. 8. Conscientia illorum cum infirma sit, polluitur. Eosdem etiam infantes & carnales appellat 1. Cor. 3. Loquendũ uobis fuit ut carnalibus & infantib. in Christo. & 1. Pet. 2. Vt modò nati infantes, lac illud non corporis, sed animi appetite. Eb. 5. Nam quisquis lactis est particeps, is rudis est sermonis iusticiæ: infans enim est. Et pueros, Eph. 4. Vt non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ. 1. Cor. 12. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: at ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Causam efficientem regenerationis seu hominis renati Deum esse docent, quo quidem omnes tres personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum complectuntur: de quibus etiam nominatim quædam testimonia extant. 1. Pet. 1. Laudandus est Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, qui iuxta copiosam suam misericordiam, regenuit nos in spem uiuam, per hoc, quòd resurrexit Iesus Christus ex mortuis. Idem eodem cap. Renati, &c. Per sermonem uiuentis Dei. & 2. cap. Qui è tenebris uos uocauit, in admirabilem lucẽ suam. 1 Ioan. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. 1 Ioannis 5. Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Item, Scimus quòd omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Sed qui genitus est ex Deo, custodit seipsum, & malus ille non tangit eum. Ibidẽ etiam filio tribuit regenerationem: Scimus quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est. Et Paulus 2 Cor. 1. Deo, Christo, & Spiritui sancto, opus regenerationis adscribit: Qui confirmat uos unà nobiscum in Christum, et qui iuxta nos Deus est, qui etiam obsignauit nos, deditq; arram spiritus in cordibus nostris. Item 2 Cor. 3. Nos autem ereta facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. 2 Cor. 4. Quoniam Deus est qui iußit è tenebris lucẽ illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. 2. Cor. 5. Porrò qui parauit nos in hoc ipsum, Deus est, qui idem dedit nobis arrabonem Spiritus. Eph. 2. Ipsius opus sumus, conditi in Christo Iesu ad bona opera. Eph. 2. In quò & uos coædificamini in habitaculum Dei per Spiritum. 1. Cor. 12. Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi per Spiritum sanctum. Idem Eph. 3. dicit, Deum Patrem per spiritum corroborare pios in æternũ hominem, ut inhabitet Christus. Itẽ uim Dei agere in ijs. Eph. 3. & Col. 1. Decertans secundum efficaciam eius, agentẽ in me per uirtutem. Item, Omni robore corroborati iuxta potentiam gloriæ illius. & paulo pòst, Gratias agẽtes patri, qui idoneos fecit nos ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos ex potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij sibi dilecti. Philip. 1. Deus cœpit in uobis opus bonum. Philipp. 2. Nam Deus est qui agit in uobis, et ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito. Iudas etiã renatos, uocatos appellat, qui in Deo Patre sanctificati sunt, et in Christo Iesu seruati. Causam impulsiuã in Deo docẽt esse misericordiam Dei. 1. Pet. 1. Iuxta copiosam suam misericordiã, regenuit nos. 1 Pet. 2. Qui quondam non consecuti misericordiã, nunc estis consecuti misericordiã. 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatẽ dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur. Rom. 9. Non est uolentis, neq; currentis, sed miserantis Dei. Et Tit. 3. At postquam bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris Dei nostri, non ex operib. quæ sunt in iusticia quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, &c. 1 Tim. 1. Paulus allegat suum exemplum, & inter cætera inquit: Verùm ideo misericordiam consequutus sum, ut in me primo ostenderet Iesus omnẽ clementiã, &c. Alteram, meritũ Christi. 1 Pet. 1. & 1. Pet. 4. resurrectionem Christi causam regenerationis facit. Idẽ cap. 2 inquit: Cuius eiusdem uibice sanati fuistis. Et 1 Ioan. 1. per sanguinem Iesu Christi nos emundari ab omni peccato dicit, ac per nomen eius peccata remitti. Item, cum opera diaboli destruxisse, 1. Ioan 3. Quibus testimonijs Iohannes docet, opus & meritũ Christi esse causam, ob quam Deus homines impios regeneret, seu iustificet. His Pauli testimonia consonãt de opere & beneficio Christi, Roman. 5. Cum inimici essemus, reconciliati

ciliati fuimus Deo per mortem filij eius. Epheſ. 2. 2 Corinth. 5. Plura infrà de Iuſtificatione.

Media autem ſeu inſtrumenta, quibus Deus utitur ad operandum in hominibus conuerſionem & renouationem, docẽt eſſe miniſterium uerbi & ſacramẽtorum: hoc eſt, Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ uerum & ſincerum uſum. De uerbi miniſterio, 1 Pet. 1. Renati nõ ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. Hoc autem eſt uerbum quod per Euangelium delatum eſt ad uos. Idem cap. 2. Vt modò nati infantes, lac illud nõ corporis, ſed animi, quod dolum neſcit, appetite: & per illud ſuboleſcatis, ſiquidem guſtatis quòd benignus ſit Dominus. Et paulo pòſt: Ipſi quoq; ueluti uiui lapides, ædificemini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, &c. Item: Eratis uelut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem et curatorem animarum ueſtrarũ. Et 2 Pet. 1. Qui uocauit nos per gloriã & uirtutem, per quæ preciоſa nobis & maxima promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficeremur participes diuinæ naturæ. Idem: Et habemus firmiorem ſermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco, rectè facitis, donec dies illuceſcat, et lucifer exoriatur in cordibus ueſtris. Idem 2 Petri 2. Satius fuiſſet, illos non cognouiſſe uiam iuſticiæ, quàm ubi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuerat, ſancto præcepto. Et Ioannes, 1 epiſt. 1. de efficacia uerbi Dei loquitur: Quod uidimus & audiuimus, annunciauimus uobis, ut & uos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre et Filio eius IESV Chriſto. Hoc ſcribimus uobis, ut gaudium ueſtrum ſit plenum. Idem capite ſecundo: Vos unctionem habetis à ſancto illo, &c. Si in uobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Idem, 1 Ioan. 4. Nos ex Deo ſumus: qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. Et Paulus Roman. 1. Euangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem omni credenti. Roman. 10. Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Dei. Idem Rom. 15. Per prædicationẽ Euangelij ab Hieroſolyma uſq; ad Illyricum ſe plantaſſe Eccleſias gloriatur. & 1. Corinth. 1. Sermo crucis nobis, qui ſalutem conſequimur, potentia Dei eſt. 2. Corinth. 10. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, & omnem celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionẽ Dei, captiuamq; ducimus omnem cogitationem, ad obediendum Chriſto. Galat. 3. Cupio diſcere à uobis, utrum ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex prædicatione fidei? Epheſ. 1. Et uos audito uerbo ueritatis, Euãgelio ſalutis ueſtræ, in quo etiã poſteaquam credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. 1. ad Theſſalonicenſ. ſecundo: Accepiſtis non ſermonem hominum, ſed, ſicut erat, uerè ſermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Plura teſtimonia ſuprà, in loco de Verbo Dei. Autor epiſtolæ Iacobi, Progenuit nos ſermone ueritatis: Iac. 1. Autor epiſtolæ ad Ebr. 3. ſanctos dicit participes eſſe uocationis cœleſtis, &c. Item: Participes Chriſti facti ſumus, ſi ſanè initium fidei uſq; ad finem firmum tenuerimus, in hoc quod dicitur, Hodie ſi uocem eius audieritis, ne obdurẽtis corda ueſtra, ſicut in exacerbatione.

De baptiſmo Petrus & Apoſtoli, Act. 2. Et baptiſetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſione peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Et Paulus Act. 22. teſtatur, Ananiam ad ſe dixiſſe, Exurge & baptiſare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Domini. & rurſum Petrus in 1 epiſt. 3. Baptiſmus nos quoq; ſaluos reddit. & Ioãnes 1 epiſt. 5. uidetur loqui de regeneratione per baptiſmum: Chriſtus uenit per aquam & ſanguinem. Et Paulus Epheſ. 6. Expoſuit ſemetipſum pro Eccleſia, ut illam ſanctificaret, mundatam aquæ lauacro per uerbum. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos opulenter, per Ieſum Chriſtum. & Ro. 6. per baptiſmum nos Chriſto inſeri docet.

De cœna Domini Paulus 1. Corinth. 10. Poculum benedictionis, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus. nam omnes ex eodem pane participamus. Idem 1 Corinth. 11. Quotieſcunq; comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec uenerit. Porrò teſtantur etiam exempla, Deum per miniſterium uerbi et ſacramentorũ ſalutarem operari hominum conuerſionem: hoc eſt, agnitionem ueritatis, & fidem, & nouos & ſpirituales motus in cordibus hominum, & fructus iuſticiæ. Nam Actorum 2. per concionem Petri & Apoſtolorum, & circiter ter mille, quæ perſeuerabant in doctrina Apoſtolorum, & communicatione & fractione panis, & precationibus: & Dominus addebat quotidie plures. Idem & aliæ hiſtoriæ in Actis teſtantur. Actorum 8, Samaria & eunuchus per prædicationem Euangelij & baptiſmum, conuertuntur & regenerantur. Et Saulus Actorum 9. licet à Domino noſtro Ieſu Chriſto immediatè, per apparitionem & uocem cœleſtem, conuertebatur: tamen per Ananiæ à Chriſto ad eum miſſi miniſterium baptiſatur, & accepto Spiritu ſancto renouatur. Sic Cornelius Actorum 10. per concionem Petri accepit Spiritum ſanctum. Petrus 1. epiſt. 3. dicit, etiam bona exemplа piorum aliquam occaſionem conuertendis impijs præbere: Vxores ſubditæ ſitis uiris ueſtris: ut etiam qui nõ obtemperant ſermoni, per uxorũ conuerſationem abſq; ſermone lucrifiant. Subiectum autem, in quo Deus per uerbum & ſacramenta & Spiritum ſanctum operatur conuerſionem & nouitatem, docent eſſe totum hominem ueterem, etiam in optimis ſuis uirtutibus, ſenſibus tam inferioribus quàm ſuperioribus, intentionib. & cogitationibus, etiam alias in ſpeciem non malis. Teſtimonia ſuprà in declaratione definitionis allegauimus, quibus etiam hæc accenſeri poſſunt. 1 Petri 3. Quarum ornatus non ſit externus, &c. ſed occultus, qui eſt in corde homo, ſi is careat omni corruptela, ita ut ſpiritus placidus ſit atq; quietus. Idem dicit 1 Petri 4. per baptiſmum non corporis ſordes abijci, ſed ut bona conſcientia bene reſpondeat apud Deum. 1 Ioan. 5. Scimus quòd filius Dei uenit, et dedit nobis mentem, ut cognoſcamus illum qui uerus eſt. Epheſ. 2. Vt inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus ueſtris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iacto, ut ualeatis aſſequi, &c. ut impleamini in omnem pleni-

plenitudinem Dei. Eph. 4. Vos autem non sic didicistis Christum: siquidē illum audistis, & in eo docti fuistis, quemadmodū est ueritas in Iesu, deponere iuxta priorem conuersationem, ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta consc ientias erroris: renouari uerò spiritu mentis uestræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iusticiam & sanctitatem ueritatis. 1 Cor. 6. Hæc eratis aliquādo, sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c.

Totum hominem regenerari, Paulus 1 Thess. 5. docet: Ipse autem Deus pacis, sanctificet uos totos, & integer uester spiritus & anima & corpus, ità ut in nullo positis culpari.

De ordine regenerationis et renouationis sic docēt. Primùm, quòd Deus per ministerium uerbi operetur in mente hominis ueteris, rerum quæ spiritus Dei sunt, hoc est, Dei eiusq; uoluntatis, in lege & Euangelio patefactæ, agnitionem & assensum. Petrus enim 1 epist. 1. docet, per doctrinam Euangelij & Spiritum sanctum è cœlo missum, patefieri nobis Iesum Christum, eiusq; gratiam ad nos deferri. & 2 Pet. 1. docet, per sermonem propheticum, luciferum exoriri in cordibus attendentium. & Ioānes 1. epist. 2. dicit, renatos in luce esse: hoc est, habere ueram Dei eiusq; uoluntatis agnitionem. Item, Eos omnia nosse, & ueritatem scire. & 1 Ioan. 5. Christum ijs mentem dedisse, qua cognoscant uerum Deum. & Paulus Rom. 7. docet, Deum operari in renatis uerum legis intellectum, & agnitionem peccati. Idē repetit clarius 2 Corinth. 3. ubi ostendit, nondum regeneratos habere uelum Mosi cordibus suis impositum: hoc est, non rectè intelligere legem, quòd integram & nobis impossibilem requirat obedientiam: at illud uelum tolli, ubi conuersi fuerint ad Dominum. Idem 2 Corinth. 4. Deus est qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. 1 Corinth. 1. In omnibus ditati estis per ipsum in omni sermone, & omni cognitione, quibus rebus testimonium Iesu Christi confirmatum fuit in uobis, &c. 1 Corinth. 2. Nos uerò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Christo donata sint nobis: quæ & loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes, &c. Nos mentem Christi tenemus. Idem Ephes. 1. precatur, ut Deus det Ephesijs spiritum sapientiæ & reuelationis, per agnitionem Dei: & illuminatos oculos mentis, ut sciant quæ sit spes, ad quam ille uocauit, &c. Idem Ephes. 4. ubi de ministerio & doctoribus ad instaurationem & ædificationem ecclesiæ loquitur. Docet demum, per ministerium operari in mentibus hominum agnitionem filij Dei et fidem, &c. Item, spiritu mentis sanctos renouari.

Deindę etiam moneat, & regeneret, et ducat uoluntatem, ut ea uelit, & curet res spiritus, & sibi applicet. Hinc sunt fides & alij motus spirituales uerbo Dei congruentes. Operatur enim Deus per ministerium uerbi, in ijs qui non spiritui sancto per uerbum monenti, furenter & diabolico more obsistūt, nec in peccatis contra conscientiam perseuerant, sed audiunt, & in officina spiritus sancti manent, fidem ut manum seu instrumentum quoddam, quo accipiant oblata beneficia, remissionem peccatorum, & uitam æternam. Sic enim suam declarauit uoluntatem Deus, quòd uelit per uerbum et spiritum sanctum efficax esse in ijs qui non perseuerent in delictis contra conscientiam: & qui spiritum sanctum, per uerbum ipsos trahentem & monentem, non furenter reijciant, spreto ministerio uerbi. Ephes. 5. Omnia, dum produntur à luce, manifesta fiunt, etc. Quapropter dicit, Expergiscere qui dormis, et surge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Iac. 1. Depositā omni immundicia et redundantia malitiæ, cum mansuetudine recipite insitū sermonem, qui potest saluas reddere animas uestras. Act. 15. Deus fide purificauit corda illorum. 1 Pet. 1. Vt uos fidem ac spem haberetis erga Deum, qui animas uestras purificastis obediendo ueritati per spiritum. 1. Pet. 2. Eratis uelut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum uestrarum. 2 Petri 1. Eius diuina uirtus nobis omnia largita est, quæ ad uitam et pietatem pertinent, per agnitionem eius, quæ uocauit nos per gloriam & uirtutem. Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus autē per uerbum Dei. Philip. 1. Is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. Philip. 2. Cum timore & tremore uestram operamini salutem. Nam Deus est is qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut perficiatis, pro bono animi proposito. Rom. 1. Per quē accepimus gratiā, ut obediatur fidei inter gentes super ipsius nomine. Rom. 6. Gratia autem Deo, quòd fuistis quidem serui peccati, sed obedijstis ex animo in eam, in quam traducti estis, formam doctrinæ.

Tertiò, quòd Deus, postquàm per uerbū operatus est fidem, qua homo accipit remissionem peccatorum, sese collocet in cor hominis, & per spiritum sanctum mentem & uoluntatem magis magisq; illuminet, & regat, & ducat, & fructus spiritus perficiat, qui Gal. 6 annotantur, non quidem uiolento aliquo motu, sed per ministerium uerbi, per quod se efficacem futurum promisit, siue id legatur, siue doceatur, siue mente recolatur. Nam Petrus 1 epist. 2. dicit, per uerbum, quod lac animi appellat, renatos subolescere & gustare quòd suauis sit Dominus: & ad eum accedere, & in Christo ædificari, uelut lapides uiuos in domum spiritualem, et sacerdotium sanctum, &c. Et 1 Pet. 4. dicit spiritū Dei super renatis requiescere. & Ioā. 1 epist. 1. dicit se ideo annunciare uerbum, ut auditores secum societatem habeant, & quidē cū Patre, & filio eius Iesu Christo. & 1. Ioan. 3. et 4. dicit, seruantes præcepta Dei manere in Deo, & habere spiritum Dei. Et Paulus Rom. 5. docet, spiritum sanctum effusum esse in corda iustificatorū, ut testetur de dilectione Dei. & Rom. 8, dicit spirituales curare ea quæ spiritus sunt, idq; eo quòd spiritus Dei & Christus in ijs habitet, eosq; ducat, & in ijs actiones carnis mortificet, & testimonium perhibeat quòd sint filij Dei, & imbecillitatibus sanctorum opitu letur. 1 Cor. 3 & 6. et 2 Cor. 6. dicit, spiritū sanctū in sanctis tanquā in tēplo suo habitare. Gal. 4. Quoniā estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Eph. 1. Posteaquā credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis. Eph. 2. Iam non estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorum, ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum,

summo angulari lapide, ipso Iesu Christo, in quo quæcunq; structura coagmentatur, ea crescit in templũ sanctum in Domino, in quo & uos ædificamini in habitaculum Dei per spiritum.

Causam autem, quòd non æquè omnes per ministerium uerbi cõuertantur, non reijciunt in Deũ, quasi is nolit omnes, qui audiunt uerbum Dei, conuerti: docẽt enim, Deum uelle omnes ad pœnitentiam uenire. 2 Petri 3. Patiens est erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiã recipere. 1. Tim. 2. Deus uult omnes saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Nec in ministerij uerbi inanitatẽ, aut impotentiam. Docent enim, spiritum sanctum semper ministerio adesse, te exercere suam efficaciam. Rom. 1. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. 1 Petri 1. Renati ex semine immortali uerbo uiuentis Dei. Heb. 4. Verbum Dei quouis gladio penẽtrantius dicitur, & acutius. Sed causam conferunt in hominum inobedientiam erga uerbum, Rom. 10. At non omnes obedierunt Euangelio. 1 Cor. 1. Iudæis scandalũ, Græcis stultitiam. Rom. 2. His uerò qui sunt contentiosi, & qui ueritati non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uẽtura est indignatio, &c. 2 Thess. 1. Qui infligit ultionem ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi. 2 Thess. 2. Pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt, &c. qui non crediderunt ueritati, sed approbauerũt iniusticiam. Act. 13. Vobis oportebat primùm loqui sermonem: sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita. 1. Petri 1. Purificastis animas obediendo ueritati per spiritum: ergo alij non obedientes, non purificantur. Et in diaboli maliciam, qui excæcat sensus incredulorum, 2. Cor. 4. Et tenet eos captiuos, 2 Timoth. 3. Et Paulus Rom. 9. 10 & 11. disputans de reiectione Iudæorũ, & susceptione gentium, asserit ideo gentes susci pi, quòd Deus promissioni eos inclusit, & quòd apprehenderunt iusticiam ex fide per Euangelium oblatam: non quidem sua ui, sed Deo mentem & uoluntatem eorum captiuante, sub obedientiã fidei. Iudæos uerò reijci, quia Deus minatus sit eis exæcationem, si Euangelium non susciperent, sed reijcerent. Porrò ut in initio regenerationis Deus per uerbum & spiritum sanctum mentem & uoluntatem hominis ueteris immutat, & in ijs nouos motus quos naturaliter non habent, manente tamen ex parte cæcitate naturali, & cõtumacia cordis, aduersus res spiritus Dei operatur: ita ijsdem causis regenerationem sustineri, & exerceri, & conseruari docent: nempe per uerbum, & sacramenta, & spiritum sanctum, & fidem. Huc eadem fermè referri possunt testimonia, quæ hactenus allegata sunt, de causis quib. & hæc addi possunt. Petrus 1 epist. 1. omnes causas conseruantes complectitur eleganti hac sententia: Qui uirtute Dei custodimini per fidem ad salutem. Et 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius (hoc est, uerbum & spiritus sanctus, per uerbum & fidem, regenerationem custodiens et exercens) in eo manet, & non potest peccare, quòd ex Deo natus est. Et Paulus Rom. 7 & 8. Spiritui sancto attribuit, quòd ducat & regat sanctos, & auxilietur imbecillitatibus eorum: quod non fit extra uerbum & fidem, quæ est officina spiritus sancti in cordibus sanctorum. 2. Timoth. 1. Egregium depositum seruato per spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis. 2 Thess. 3. Orate fratres pro nobis, ut sermo Domini currat & glorificetur, sicut & apud eos, ut eripiamur ab absurdis & peruersis hominibus. non enim omnium est fides: sed fidelis est Dominus, qui stabiliet uos & custodiet à malo.

Ad causam formalem hominis renati hæ proprietates referri possunt:

Esse nouam creaturam. 2 Corinth. 5. Gal. 6. Esse corpus Dei. Ephes. 2. Renouari ad imaginem Dei. 2 Cor. 3. & Coloss. 3. Esse indutum nouo homine, habente iusticiam & sanctitatem ueritatis. Ephes. 4. Esse indutum Christo. Gal. 3. Esse conuersum ad pastorem & curatorem animæ. 1. Petri 2 Esse templum et habitaculũ Dei. Ephes. 2. 1 Corinth. 3 et 6. & 2 Corinth. 1 et 6. 1 Pet. 4. Esse habitaculum Christi. Ephes. 3. Vt inhabitet Christus. Habere in se loquentẽ Christũ. 1 Cor. 13. Rom. 15. Non ausim quicquã loqui, quæ per me nõ effecit Christus. Habere captiuatã rationẽ sub fidem. 2 Cor. 10. Habere cor purificatum fide. Act. 15. Et animam purificasse obediendo ueritati per spiritum. 1 Petri 1. Esse participem Christi. Heb. 3. Esse participem cœlestis uocationis. Heb. 3. Esse domum spiritualem, sacerdotium, gentem sanctam. Esse genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam. 1 Pet. 2. Esse reges & sacerdotes. Apoc. 1. Esse uas ad honorem præparatum ad bona opera. 2 Timoth. 2. Esse uas misericordiæ. Rom. 9. Habere thesaurum in uasculis testaceis. 2 Corinth. 4. Esse liberum à iure peccati & mortis. Rom. 8. Habere ius filiorum Dei. Rom. 8. Gal. 4. Habere duplicem iusticiam, aliam imputatiuam, aliam inchoatam, quæ coram hominibus ualet. Rom. 4. Philip. 3. Habere adhuc in se carnem, & inhabitans peccatum, & concupiscentias carnis. Sed non regnat peccatum & caro, uerùm spiritus concupiscit aduersus carnem, & mortificat actiones eius, & abstinet à carnalibus concupiscentijs. Rom. 7 & 8. Galat. 5. 1 Petri 2. Deponere inhærens peccatum. Ebr. 12. Esse obnoxium affectionibus. Iac. 5. In errorem induci & labi poße. Gal. 3. Col. 1. Siquidem permanetis in fide, & nõ dimoueamini à spe euangelij. Iac. 4. Hebræ. 3 & 4. Esse mundatum, eße gloriosum, nõ habere maculam aut rugam, eße sanctum & irreprehensibilem. Ephes. 5. Habere spem uiuam ad hæreditatem immortalem, incontaminabilẽ & immarcessibilẽ, cõseruatã in cœlis. 1 Pet. 1. Expectare Christũ de cœlis. Phil. 3. Futurũ inquirere locũ. Heb. 13. Bona renatorũ superna & cœlestia. Col. 3.

Deum autem ob hos fines hominem uetere regenerare docent: primùm ut immensam suam misericordiam & bonitatem erga genus humanum manifestaret. 1 Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. Ephes. 1. Vt laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos nos reddidit per dilectum. 1 Tim. 1. Ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus omnem clementiam.

Deinde, ut renati faciant bona opera, quibus Deus glorificetur & celebretur. 1 Ioan. 2. Qui dicit se in eo manere, debet sicut ille ambulauit, et ipse ambulare. Ephes. 2. Ipsius opus sumus, conditi ad bona opera quæ præparauit Deus ut in ijs ambulemus. 2 Tim. 2. Si quis se expur-

se expurgarit ab his, scilicet falsis doctoribus, erit uas in honorem sanctificatum, accommodum usibus Domini, ad omne bonum opus præparatũ. Plura testimonia infrà in loco de Fine bonorum operum.

Tertiò, ut renati hæreditate accipiant uitam æternam. 1 Petri 1. Reportantes finẽ fidei uestræ, salutem animarum. Idem 1 Pet. 5. Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam gloriam, per Christum Iesum paululum per afflictos, idem instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat. 2 Pet. 1. Vt per hæc efficeremini consortes diuinæ naturæ. & Iohannes 1 epist. 4. & 1 Iohan. 1. Vt & uos societatem habeatis nobiscũ, & societas uestra sit cum patre & filio eius Iesu Christo. 1 Ioan. 5. Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomine filij Dei, ut sciatis, q; uitam habeatis æternam. & Paulus Coloß. 1. Vt exhibeat uos sanctos & irreprehensibiles, & inculpatos in conspectu suo, siquidem permanetis in fide fundati, ac stabiles, nec dimoueamini à spe Euangelij. Idem Ro. 8. & Gal. 4. renatos hæredes Dei, & cohæredes Christi esse docet. Philipp. 4. Nostra conuersatio in cœlis est, unde expectamus Dominum nostrũ Iesum Christum, qui corpus nostrum humile transfigurabit, & conforme faciet corpori suo glorioso.

Sicut hominem renatum ex ueteri & nouo homine constare docent, ita etiam duplicia opera homini renato attribuunt: alia quæ sunt hominis ueteris, alia quæ sunt hominis noui.

Veteris hominis sunt, quòd concupiscentiæ carnales militant aduersus animam, 1 Pet. 2. & quòd caro concupiscit aduersus spiritum, impediens ne omnia quæ uelimus secundum spiritum faciamus. Gal. 5. & quòd lex in membris rebellet legi mentis nostræ, & captiuos nos reddat legi peccati, Rom. 7. & quòd ignoramus quod petituri simus. Roman. 8. & quòd contentiones & factiones oriantur inter renatos, & quòd secundum hominem ambulent: 1 Corinth. 3. quòd nolint exui, hoc est mori: 2 Corinth. 5. & reliqua opera carnis, tum externa, tum interna: quorum catalogus extat Galatis 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia, de quib. prædico uobis, etc. & 8. Galat. 5. 1 Petri 2. Nam si ijs non repugnant per Spiritum sanctum, sed contra conscientiam indulgent, excutiunt Spiritum sanctum, & amittunt fidem. Rom. 8. Nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. 1 Iohan. 3. Qui committit peccatum, ex diabolo est.

Effectus hominis noui sunt bona opera interna & externa, quorũ catalogum Paulus Gal. 5. enumerat: fructus spiritus est charitas, gaudiũ, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, tẽperantia: aduersus huiusmodi non est lex. Ephes. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc aũt lux in Domino, ut filij lucis ambulate (nã fructus spiritus situs est in omni bonitate, & iusticia, et ueritate) probantes quod sit acceptum Domino. Et 2 Petri 1. Sed & in hoc ipsum omni adhibito studio, submistrate in fide uestra uirtutẽ, in uirtute uerò scientiã, in scientia uerò temperantiã, in temperantia uerò patientiam: rursus in patientia pietatẽ, in pietate aũt fraternam charitatẽ, in fraterna uerò charitate dilectionem. Sed catalogum bonorum operũ, quæ homines renati in fide cooperãte, & ducẽte Spiritu sancto, utcũq; præstant, infrà in loco de Bonis operibus ponemus.

Porrò illa opera quæ à renatis fiunt, secundum legem Dei, non tribuunt principaliter uiribus hominis, sed Deo, Christo, & Spiritui sancto, & fidei. 1 Petri 5. Deus omnis gratiæ instauret uos, fulciat & corroboret. 1 Iohan. 4. Vos ex Deo estis, filioli, & uicistis eos: quoniã maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo. 2 Cor. 3. Nõ quòd idonei simus ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est. 1 Cor. 12. Nemo potest Iesum Christum Dominum dicere, nisi per Spinitũ sanctũ. Philip. 4. Omnia poßum per Christum, qui me corroborat. Philip. 2. Deus est qui agit in uobis, ut uelitis & efficiatis. Ephes. 1. Christus omnia in omnibus adimplet. 1 Cor. 12. Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Autor epist. Iudæ: Vos dilecti, sanctißimæ uestræ fidei superstruentes uos ipsos per spiritum S. orantes, uos inuicẽ in charitate Dei seruate, expectantes misericordiã Domini nostri Iesu Christi in uitã æternam.

Nonnunquam tamen eiusmodi occurrunt sententiæ, quæ uiribus hominis ea adscribere uidentur, sed synecdochicôs sunt intelligendæ. 1 Ioan. 3. Omnis qui habet hanc spem, in eo purificat se, sicut ille purus est. 1 Ioan. 5. Qui genitus est ex Deo, custodit seipsum. 2 Petri 1. Fratres potius operam date, ut in eo uocationem & electionem uestram firmam efficiatis. 2 Cor. 7. Has promißiones cũ habeamus, charißimi, mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam cum timore Dei.

In his & similibus non excluditur Deus, & Spiritus sanctus, uerbũ ac fides: nam sine his nemo se purificare potest, aut uocationẽ suam firmam efficere: etiã externa opera sine Dei auxilio fieri nõ poße docet Iac. 4. Age nunc qui dicitis, Hodie & cras eamus in hanc ciuitatem, etc. qui ignoratis quid futurũ sit postero die, etc. pro eo quòd dicere debueritis, si Dominus uoluerit, & si uixerimus, faciemus hoc uel illud. Et Paul. 1 Thes. 2. Voluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus semel atq; iterum, & obstitit nobis satanas. Et 1 Thess. 3. orat, ut Deus dirigat uiam suam ad illos.

Præterea hominem renatum, etiam à spiritu sancto ductum, integram legi diuinæ præstare obedientiã negãt, propter deprauationem naturæ, & inhærens peccatum. Rom. 7. 8. Gal. 2. Act. 15. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus, 1 Cor. 4.

Nec hominis renati mentẽ & uoluntatẽ ita confirmatam docent, ut nõ poßint cõtra conscientiã labi, & excutere spiritũ S. nam Petrus 1 epist. 2. hortatur sanctos, ut caueant sibi à carnalib. cõcupiscentijs, quæ militant aduersus animã. Et 2 Pet. 2 dicit multos, postquã refugerint ab inquinamẽtis mũdi, per agnitionẽ Domini et seruatoris Christi his rursum inuolutũ & superatũ iri, & postrema peiora primis fieri. Et 2 Pet. 3. inquit: Postquã præmoniti estis, cauete ne simul cum alijs nefariorum errore abducti, excedatis à propria stabilitate. Et Ioannes, 1 Ioan. 1. inquit: Si dixerimus, nõ peccauimus, mendacẽ facimus eum, & sermo eius non est in nobis. Idem etiã renatos hortatur ad nouã obedientiã, & ut caueant sibi ne diligant id quod in mundo est. 1 Ioan. 2.

Idem epist.2.dum monet,ut caueant sibi ab ijs qui falsam doctrinã spargunt,subindicat,eos posse à fide desciscere. Et Paulus,renatos in errorem induci, & labi posse,passim docet,cũ eos monet ut sibi caucant à peccatis.Quod etiam exemplis probat.1 Timoth. 1. Milites in prophetijs, id est in uerbo Dei,bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam,qua repulsi nonnulli circa fidem naufragium fecerunt. de quorum numero est Hymenæus, & Alexander. 2 Timoth. 4.Nosti hoc, quòd auersati fuerint me omnes, qui in Asia sunt,quorum est Phygelus & Hermogenes. Et 2 Timoth. 2. Quorum de numero est Hymenæus & Philetus, qui circa ueritatem aberrarunt,&c.& subuerterunt quorundam fidem. Ebræis cap.2. Ne quis ex uobis indureturseductione peccati.Et paulo antè:Videte fratres, ne quando sit in ullo uestrum cor prauum,obnoxium incredulitati,ut desciscat à Deo uiuẽte,sed exhortemini uos quotidie.

De agnoscendis & probãdis renatis,Ioannes,1 Ioannis 3.Qui seruat præcepta Dei, in illo manet, & ipse in eo:& per hoc scimus quòd manet in nobis, è spiritu quem nobis dedit. Item, Qui exercet iusticiam, iustus est:qui committit peccatũ, ex diabolo est. Romanis 8. Qui spiritu Dei ducuntur,filij Dei sunt. 2 Corinth.13. Non cognoscitis uosmetipsos, quòd Iesus Christus in uobis est? nisi forsitan reprobi estis.

Homines etiam renatos,mori oportere:aut si uixerint, in extremo aduentu ictu oculi immutari, docet Paulus Rom.5.1 Cor.15.1.Thes.4.2 Cor.5. Philip.1.Cupio dissolui,& esse cum Christo.Pugnantia sunt,homo renatus,& non renatus,seu caro & spiritus, fideles et infideles.Rom.8.1 Cor.1.2.Gal.5.Ephes. 4. 1 Pet.1.& 2. 1 Ioan.3.& alibi passim.

Homines renatos sanctos appellãt, tum propter imputatam fide sanctitatem, tum propter inchoatam per spiritum sanctum obedientiam. 1 Pet.3.Sanctæ illæ mulieres sperantes in Deo. Et Paulus in singulis epistolis eo epitheto,renatos notat. Dilectos Dei et uocatos sanctos.Rom.1.Et Iudas: Filios Dei.1.Ioan. 5. Rom.8. Galat.4. Filios promissionis & liberæ,Gal.4.Filios Abrahæ.Rom.4.Filios Dei & lucis. 1.Thess.5.Fideles. 2.Corinth.6. 1 Cor.7. Reges & sacerdotes. Apoc.1. Gens sancta,populus Dei,genus electum,regale sacerdotiũ, 1 Petri 2. Iustos, 1 Timoth.1. Hæredes gratiæ uitæ, 1.Petri 3. Hæredes Dei, Rom. 8. Galat. 4. Cohæredes Christi,Rom.8.

De homine post resurrectionem.

Duo genera hominum in & post resurrectionem futuram,nempe beatos & damnatos,docent.1.Pet.4.et 5.2 Pet.1.2.3. Apoc.1. 1 Cor.15. 1 Thess.5. 2.Thes.2. Et Iudas: Vtriusq; generis homines constabunt ex corpore & anima. 2 Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut unusquisq; reportet in corpore suo,iuxta id quod fecit,siue bonum,siue malum.

Vtrosq;, tum pios tum impios, resuscitaturũ Deũ, & Dominum nostrum Iesum Christum, docent. 2 Pet. 3.1 Thes.4.5. 2 Thes.2. 1 Corinth.15.

Porrò de proprietatibus & commodis seu incommodis utrorunq;, tum beatorum tum damnatorum,dicemus infrà in loco de resurrectione mortuorum.

De discrimine piorum, in hac & futura uita Ioannes 1 epist.3.inquit:Charissimi,nunc filij Dei sumus,& nondum apparuit quòd futuri sumus,scimus autẽ,quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est.Et petrus 1Pet.1. Reperiatur (fides uestra)in laudẽ & gloriam & honorem, tum cum reuelabitur Iesus Christus:quem cum non uideritis,diligitis: in quem in præsentia,cum non uideritis,credentes tamẽ exultatis gaudio ineffabili & glorificato,reportantes finem fidei uestræ salutem animarum.Et Paulus Colos.3.Itaq; si resurrexistis unà cum Christo,supernà quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: supernà curate, non terrestria:siquidem mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo.Quando q; Christus manifestatus fuerit,uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Et Philip.3. Nã nostra conuersatio in cœlis est,ex quo & seruatorẽ expectamus,Dominũ Iesum Christũ,qui trãsfigurabit corpus nostrũ humile,ut cõforme reddat corpori suo glorioso,secundũ efficaciã, qua potest etiã sibi subijcere omnia.1 Cor.13. Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate,tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte,tunc uerò cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Nunc autem manet fides,spes, charitas, tria hæc,sed maxima in his charitas.

DE PECCATO IN GENERE.

CVm de peccato loquuntur, plurib. utuntur Apostoli uocabulis. Nam aut usurpãt uocẽ ἀδικίας, iniusticia.Act.8. In felle enim amaritudinis & colligatione iniusticiæ uideo te esse.1 Ioã.1.Fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniusticia.2 Pet.2. Recipientes mercedem iniusticiæ.Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnẽ impietatẽ & iniusticiam hominum,qui ueritatem in iniusticia detinent.Rom.3.Si iniusticia nostra, Dei iniusticiam commendat,quid dicemus ? Rom.6.Nec; præbete membra uestra arma iniusticiæ peccato. Aut uocẽ ἀνομίας,hoc est, quiddã illegitimũ quod pugnat cum lege. 1 Ioan.3. ad Tit.2.Christus dedit semetipsum pro nobis,ut redimeret nos ab omni ἀνομίᾳ, seu iniusticia. Aut uocem παράβασις, transgressio. Galat. 3. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est. Rom.5. Qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam. 1 Timoth. 2. Mulier obnoxia facta est transgressioni. Iacobi 2.Redarguti à lege tanquã transgressores.Item: Factus est transgressor. Et sunt hæ quasi generales peccati appellationes, à causa formali desumptæ: est enim de forma peccati,esse transgressionem legis, & quidam non congruens cũ regula iusticiæ in lege expressa. Aut ἁμαρτία,id est peccatum: estq; hæc uox in Apostolorum scriptis omnium usitatissima & frequentissima: & non tantum externa scelera, sed totam malam arborem cum omnibus fructibus significat.1 Ioannis 1. 2.3.& 5. 1 Petri 2.3 & 4. Romanis 1.2.5.6 & 7.& alibi passim in epistolis Paulinis.

Singulare tamen illud est, quod peccatum propitiatione,qua expiatur peccatum,ponitur. Ro. 8. Peccatum, id est per hostiam damnauit seu expiauit peccatum in carne.Et 2 Corinth.5.Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, hoc est, hostiam ad expiandum peccatum.

tum. Item quod ad Rom. 7. pro re damnata seu mala, Quid dicemus? num lex peccatum est? absit. Et Rom. cap. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est: hoc est, quiddam Deo non placens. Aequipollet enim illi dicto Ebr. 11. Impossibile est Deo placere sine fide.

Aut ἁμάρτημα. Rom. 3. Propter remissionem præcedentium delictorum, ἁμαρτημάτων. quæ uox apud solum Paulum reperitur.

Aut παράπτωμα. Rom. 4. Traditus est propter peccata παραπτώματα nostra. Rom. 5. Sed nõ ut delictum παράπτωμα, ita & gratia. ubi Paulus non tantum peccatum Adæ, sed etiam posterorũ eius, παραπτώματα appellat. Inquit enim paulo pòst: Gratia uerò ex multis peccatis, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, ad iustificationẽ. Idẽ Eph. 2. Et uos eratis mortui τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις in delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis. Hæc uox Paulo est usitatissima, alijs non itẽ: & præcipuè actualia peccata significat.

Aut ἧττημα. 1 Corinth. 6. Omnino delictum seu defectus in uobis est, quòd lites habetis inter uos inuicẽ, & Roman. cap. undecimo: Si lapsus illorum παράπτωμα sunt diuitiæ mundi, & ἧττημα diminutio illorum seu detrimentum diuitiæ gentium. Interdum etiam appellationes speciales peccatorum generaliter usurpantur pro peccato, quales sunt, κακία, malitia. 1 Petri 2. Deponite omnem malitiam. Idem. Nõ quasi uelamen habentes malitiæ libertatem. 1 Corinth. 14. Sed malitia paruuli estote. Ephes. 4. Omnis amaritudo, &c. tollatur à uobis, cum omni malitia. Iacobi 1. Abijcientes omnem immundiciam, & abundantiam malitiæ. πονηρία. Ro. 1. Pleni malitia & uersutia. 1 Cor. 5. Non in fermento κακίας καὶ πονηρίας.

ἐπιθυμία, concupiscentia. 1. Ioan. 2. Omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis. 1 Pet. 2. Concupiscentiæ quæ militant contra animam. 2. Petri 1. Si refugeritis à corruptione quæ est in mundo per concupiscentiam. Et Paulus ad Tit. 2. Vt abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuamus. Ro. 7. Peccatum nõ agnouissem, nisi per legem: concupiscentiam etiam non noueram, scilicet esse peccatum, nisi lex dixisset, Nõ cõcupisces. & Iac. 2 & 5.

Incredulitas. Nam quod Paulus Galat. 3. dicit, Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide daretur. idem Rom. 11. his uerbis effert: Conclusit Deus omnes sub incredulitatẽ, ut omnium misereretur.

Docent autem in genere de peccato, quòd sit quiddam pugnans cum lege diuina, displicens Deo, & commerens corporales & æternas pœnas, nisi fiat remissio. Nam id probant appellationes illæ peccati, ἀδικία, ἀνομία, παράβασις, iniustitia, iniquitas, transgressio, quibus utuntur, ut paulo antè ostendimus: & maximè insignes sunt sententiæ Ioannis 1, Ioan. 3. Omnis qui facit peccatum, etiam ἀνομίαν (quiddam contra normam & regulam legis) facit: & ἡ ἁμαρτία peccatum, ἐστὶ ἀνομία, est quiddam (ut sic dicamus) illegitimum, seu quiddam contra legẽ, seu quod lex accusat & damnat. & 1 Ioan. 5. πᾶσα ἀδικία, ἁμαρτία ἐστὶν: Omnis iniustitia peccatum est. Patet etiam ex officio legis, quam peccatũ reuelare & arguere, docet Paulus Roman. 3 & 7. Galat. 3. 4. ut suo loco copiosius dicetur.

De causis lapsus primorum parentum, testimonia suprà recitata sunt. De causis uerò peccatorum, quibus omnes homines obnoxij sunt, paulo pòst dicetur. Diuisiones peccatorum hæ ferè in scriptis Apostolorum notari possunt: Aliud est peccatũ originale, aliud est actuale. Patet hæc diuisio ex Rom. 5. & Ephes. 2. ubi Paulus inter naturam uitiatam & fructus inde enascentes discernit.

Aliud est regnans peccatũ seu mortale, ut uocant: aliud non regnans, seu ueniale. Constat hæc diuisio ex Rom. 6. 7 & 8. Aliud ex ignorantia, eáq; aut affecta, aut non affectata, proficiscitur: aliud uerò scienter perpetratur. Manifesta est hæc diuisio ex Actor. 3. Fratres, scio quòd per ignorantiam feciſtis, sicut & principes uestri. Act. 13. Qui habitabãt Hierosolymis, et principes eorum, cum ignorarent illum, & uoces prophetarum, &c. condemnato eo impleuerunt, &c. 1 Tim. 1. Sed misericordiam adeptus sum, quòd ignorans feceram per incredulitatem. 2 Pet. 3. Sed uolentes nescient.

Aliud est peccatum ad mortem, aliud uerò non. 1 Io annis 5. & Paulus ad Titum 3. Hæreticum pòst unam & alteram admonitionem fuge: sciens quòd euersus sit qui eiusmodi est, & peccet per se damnatus. Idem ex 2 Petri secundo, & Hebræis 7 & 10 patet.

Aliud peccatum est in corpus, aliud extra corpus. 1 Cor. 6. Omne peccatũ quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in propriũ corpus peccat.

Aliud nostrum, aliud alienum peccatum. 1 Tim. 5. Manus ne cui citò imposueris, ne cõmunices peccatis alienis. Epist. 2 Ioannis: Quisquis enim aue dixerit illi, communicat operibus eius malis. Apocalyp. 18. Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis.

Aliud est peccatum omissionis. Iacobi quarto: Qui nouit rectè facere, nec facit, peccatum ei est.

Aliud peccatum est manifestum, aliud uerò occultum. 1 Timoth. 5. Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam uerò & subsequũtur. Cõsimiliter & bona opera antè manifesta sunt: & quæ secus habẽt, occultari nõ possunt.

Effectus peccati generales docent esse, amissionem originalis iusticiæ, & deprauationem naturæ. Hæc enim mala lapsum primorum parentum sequuta sunt. Rom. 3. Non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Eam doctrinam Paulus ibidem ex Psalmis probat: Non est iustus, ne unus quidem: non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum: omnes deflexerunt simul, & inutiles facti sunt. Non est qui exerceat bonitatem, non est usq; ad unum. Rom. 8. Paulus docet, carnem per peccatum ita esse deprauatam, ut non possit implere legem Dei. Huc cætera testimonia pertinent, quæ probant, omnes homines esse peccatores.

Et malam conscientiam. 1 Ioan. 3. Si condemnet nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, et nouit omnia. Et Petrus, 1 Pet. 3. monet Christianos, ut piam degant uitam, quo bonam possint habere conscientiam. Item, baptismo ideo ablui peccata, ut bona conscientia bene respõdeat apud Deũ. Et Paulus, ubicũq; conscientiæ siue bonæ siue malæ meminit, docet hanc esse propter peccatũ, illam uerò propter bona opera. Act. 14. Studeo sine offendiculo, inquit Paulus, conscientiam habe-

habere erga Deum & erga homines ſemper. Roman. cap. 1. Simul atteſtante illorum conſcientia, & cogitationibus, inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus, in eo die cum iudicabit Dominus occulta hominum. 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam. ad Tit. 1. Inquinata eſt eorũ mens & conſcientia. ad Hebræos 10. Nullam haberent ultra conſcientiam peccatorum, qui ſanctificaſſent, ac ſemel purgati eſſent.

Irã Dei: cum enim iuſtus ſit Deus, & diligat iuſticiã, peccatis eum offendi neceſſe eſt. Pertinent igitur huc omnia teſtimonia, quibus docent Deum iuſtum eſſe, et de expiatione peccati per filium Dei, Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum. Inde enim conijci poteſt iræ Dei magnitudo aduerſus peccatum, cùm præter filium Dei nemo eam ſedare potuerit. Deinde apud Paulum teſtimonia manifeſta ſunt. Rom. 1. Palàm fit enim ira Dei de cœlo, aduerſus omnem impietatem & iniuſticiam hominum. Epheſ. 2. Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Rom. 4. Lex iram operatur: hoc eſt, oſtendit Deum iraſci peccatis. Apoc. 13. Si quis adorauerit beſtiam, etc. bibet de uino iræ Dei.

Societatẽ & tyrannidem diaboli: docent enim, propter peccatum hominem eſſe diaboli mancipiũ. Pet. 1. epiſt. 5. præcipit, ut caueant ſibi pij, ne peccantes deuorentur à diabolo. Et Ioãnes docet, impios eſſe filios diaboli, & ex eo natos, 1 Ioan. 3. Et Paulus affirmat, diabolum regnare in filijs infidelitatis: Epheſ. 2. & excæcare ſenſus incredulorũ: 2 Cor. 4. & tenere eos laqueis ſuis irretitos, ad ſuam uoluntatem: 2. Timoth. 2.

Omnis generis calamitates, & pœnas, & mortem deniq; ipſam, tum huius tum futuræ uitæ, & æternam condemnationem. 1. Pet. 3. Oculi Domini ſuper iuſtos, &c. rurſus, Aſpectus Domini ſuper eos qui faciũt mala. 1 Pet. 4. Reddituri ſunt rationẽ ei qui paratus eſt ad iudicandum uiuos & mortuos. Item, Tempus eſt ut incipiat iudicium de domo Dei. quòd ſi primùm à nobis incipiat, quis erit finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Et ſi iuſtus uix ſaluus efficitur, impius & peccator ubi comparebit? Idem 1 Pet. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. 2 Pet. 2. Quibus iudicium iam olim nõ tardat, & perditio illorum nõ dormitat. Nam ſi Deus angelis qui peccauerunt, non pepercit, ſed catenis noctis in tartarum præcipitatos, tradidit ſeruatos in iudicium: & priſco mundo non peper cit, ſed octauum iuſticiæ præconem Noe ſeruauit, diluuio in mundum impiorum inducto: & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem redactas, ſubuerſione condemnauit, eoſq; fecit exemplum his qui impiè forent acturi: & iuſtum Loth, qui opprimebatur à nefarijs per libidinoſam conuerſationem, eripuit, &c. Nouit Dominus pios è tentatione eripere: iniuſtos autem in diem iudicij puniendos ſeruare. Idem 2 Petri 3. Is qui tunc erat mundus, aqua inundatus perijt.

Et Ioannes, 1 Ioan. 2. docet, mundum cum concupiſcentia ſua tranſiturum: & eos qui non mancant in doctrina uera, pudefactũ iri in aduẽtu Chriſti. Et 1 Ioan. 3. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Item: Scitis quòd omnis homicida non habet uitam æternam in ſe manentem. 1. Ioan. 5. Qui non habet filium Dei, uitam non habet.

Et Paulus Rom 1. docet, Deum peccata gentium permiſſe, cumulatione peccatorum: Quamobrẽ tradidit eos Deus in cupiditates ignominioſas. Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalẽ uſum, in eum qui eſt præter naturam. Similiter & maſculi relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt per appetentiam ſui, alius in alium, maſculi in maſculos fœditatem perpetrantes, & præmium quod oportuit erroris in ſeſe recipientes. Idem 2 Theſſ. 2. pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut ſalui fierẽt, propterea mittit illis Deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderũt ueritati, ſed approbauerunt iniuſticiam. Idem Roman. 9. 10. & 11. docet, ideo induratos & excæcatos eſſe Iudæos, quòd Euãgelio nõ obedierint. Idem 1 Theſſal. 2 dicit, Iudæos Euangelium perſequentes, explere ſua peccata, & in eos uenire iram finalem. Petrus, 2 Pet. 2. In his quæ non intelligunt maledicentes, in perditione ſua peribunt, reportantes mercedem iniuſticiæ, &c. conuiuantes in erroribus, &c. Docet etiam alias pœnas corporales eſſe effectus peccati, Coloſ. 3. Mortificate membra ueſtra terreſtria, ſcilicet immundiciam, &c. ob quæ ſolet uenire ira Dei in filios intractabiles. 1. Corinth. 11. docet, propter abuſum cœnæ Dominicæ multos imbecilles & infirmos & mortuos in Corintho eſſe. & addit: Etenim ſi nos ipſos dijudicaßemus, haudquaquã iudicati fuißemus. Per peccatum mors introijt in mundũ, & ſic in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccarunt. Item, Imò regnauit mors ab Adam uſq; ad Moſen, in eos quoq; qui nõ peccauerant, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam. Roman. 6. Stipendium peccati mors eſt. item, Finis peccatorũ mors. Roman. 7. Affectus peccatorum, qui ſunt per legem, uigebant in membb. noſtris ad fructificandum morti. Et 1 Corint. 15. Stimulus mortis peccatum. Rom. 7. Peccatum occaſione accepta, per præceptum occidit me. Iacobi 1. Peccatũ ucrò perfectũ progignit mortem. De condemnatione Rom. 5. inquit: Condemnatio ex uno delicto, ad condemnationem. De condemnatione & pœnis æternis, etiã hæc dicta loquuntur. Rom. 5. Multo igitur magis iuſtificati ſanguine eius, ſeruabimur per eum ab ira. Rom. 12. Non uoſmetipſos ulciſcentes, quin potius date locum iræ. ſcriptũ eſt enim: Mihi ultio, ego rependam. Rom. 2. Colligis tibi iram in die iræ, quo pateſiet iuſtum iudicium Dei, qui redditurus eſt unicuiq; iuxta facta ſua, his quidem, &c. his uerò qui ſunt contentioſi, & qui ueritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſticiæ, uentura eſt indignatio & ira, & afflictio & anxietas, aduerſus omnem animam hominis perpetratis malũ. 1 Corinth. 5. An neſcitis, quòd iniuſti regni Dei hæreditatem non conſequentur? Ne erretis: neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorum, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concumbunt cum maſculis, neq; furci, neq; auari, neq; ebrioſi, neq; maledici, neq; rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. Idem Epheſijs quinto repetit, ubi etiam addit: Ne quiſquam uos deciptat inanibus uerbis, propter enim hæc ſolet uenire ira Dei in filios inobedientes. Et Galat. quinto: De quib. prædico uobis, quemadmodum & prædixi, quòd qui talia agũt, regni Dei hæredes non erunt. 1 Theſſalonic. 1. Chriſtus

stus liberat nos ab ira uentura. 1. Thess. 5. Non constituit nos Deus, ut iram nobis concitemus, sed ut salutem consequamur, per Dominum nostrum Iesum Christũ. 2 Thess. 2. Pœnam luent interitum æternum à facie Domini & gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis.

Tribuit etiam Paulus peccato effectus per accidẽs: ut, iustitiam Dei cõmendare, Rom. 3. Nostra iniustitia, Dei iustitiam commendat. Præbere occasionem ut alij suscipiantur, Rom. 11. Per lapsum illorum (Iudæorum) salus contigit gentibus, in hoc ut eos ad æmulandũ pro uocaret. Quòd si peccatũ illorũ diuitiæ sunt mundi, et ἧττημα defectio illorum diuitiæ gentium, quãto magis plenitudo illorum? Nam lapsus Iudæorũ occasionem præbuit Deo, ut gentes susciperet. Idem in epistola ad Philemonẽ inquit: Propterea forsitan secessit ad tẽpus, ut æternum eum reciperes, non tam ut seruum, sed supra seruum, nempe fratrem dilectum.

De peccato originali.

Apostoli appellatione peccati originalis non utuntur, sed rem ipsam habent, dum docent, non tantum dicta aut facta adultorũ peccata esse: sed etiam illam naturæ humanæ deprauationẽ, qua imagine Dei & iustitia originali caret, & ἀδυναμίᾳ seruãdi legẽ, & procliuitate seu inclinatione ad malũ prædita est, ut ex sequentibus patebit. Definitio ferè huiusmodi ex scriptis Apostolorum constitui potest.

Peccatũ originis, est reatus propter lapsum Adæ, & deprauata natura, destituta gloria Dei, uenundata sub peccatum, prædita ἀδυναμίᾳ naturali uerè obediendi legi diuinæ, quæ est mancipium diaboli, fons & scaturigo omnium cogitationum, affectuum & cupiditatum & operũ, contra legem Dei, obnoxia morti & æternæ damnationi, nisi fiat remissio. Nam Paulus Roman. 5. docet, lapsum Adæ imputari omnibus hominibus ex eo natis, ijsq; afferre mortem & condemnationem, licet non ad similitudinẽ transgressionis Adæ peccarint. Inquit enim: Vnius peccato multi mortui sunt. Item: Per unius peccatũ mors regnauit. Item: Per unius hominis peccatum condemnatio in omnes homines. Nec tamen solam imputationem esse, sed etiam deprauatam naturam ab Adam in omnes posteros propagatam, ibidem docet. inquit enim, Per unum hominem peccatũ in mundum introijt: hoc est, Adam, deprauatam & uitiatam naturam, in omnes homines propagauit: & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors inuasit, proptereà quòd omnes peccarunt, hoc est, uitiosæ naturæ sunt facti participes. sic etiam postea dicit, Vnius inobedientia multi peccatores constituti sunt, scilicet propagata in eos uitiosa natura, & imputato reatu ob lapsum Adæ. Idem 1 Corinth. 15. Per Adam omnes moriuntur. Item, Adam talem procreasse alios, qualis ipse fuit, nempe depruatæ naturæ, & damnationi obnoxios, etiam hoc dicto Paulus monet: Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt. Item, Gestauimus imaginem terreni. Idem Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Idem Rom. 7. Noui enim quòd non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum. Item: Non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum.

Docet etiam Petrus, naturam deprauatam, peccatũ esse, eo quòd 1 Petri 1. ostendit, omnem carnem, hoc est totam hominis carnalis naturam, esse sicut gramen, & omnem gloriam eius quasi florem graminis: & oportere per uerbum Dei, hoc est Euangeliũ, quod immortale semen Dei uiuentis appellat, renasci. Et 2 Petri 2. carnales concupiscẽtias contra animam militare dicit. quo quid aliud innuit, quàm deprauatas esse hominis uires? Idem etiam eo probat, quòd Christum iustum pro iniustis passum dicit, 1 Petri 3. Christus enim non tantum pro actualibus peccatis satisfecit, sed etiam pro originali: & uox Iniustus, omnia complectitur, nempe reatum, propter lapsum Adæ, & malũ in omnes homines propagatum, seu naturæ uitium & fructus malos inde prouenientes. Idem 2 Petri 1. dicit, in mundo esse corruptionem, per concupiscentiam: & donatos esse nobis promissiones in Christo, ut efficiamur diuinæ naturæ consortes. Et 2 Petri 2. dicit, falsos doctores carnem sequi, & in pollutionis cõ cupiscentia ambulare. Item appellat eos bruta animantia, natura genita in capturam: item, seruos corruptionis seu peccati, quod hæret in natura corrupta, & perdit homines. Præterea uox ἁμαρτίαι, qua Petrus subinde utitur, satis indicat, eum simul reatũ ob lapsum Adæ, et corruptam naturam gignentẽ, malos fructus comprehẽdere. Id enim uox ἁμαρτίαι in scriptis apostolorum significat.

Ioannes etiam eadem uoce utitur passim. Et 1 epistola Ioannis, cap. 5. satis sese declarat, quòd sentiat etiam deprauatam naturam esse peccatum. Dicit enim, totum mundum in malo esse constitutum. Et 1. Ioannis 3. 4. 5 capitib. ex Deo nasci per fidẽ oportere, nos docet.

Autor epistolæ ad Ebræos cap. 12. tenaciter inhærentis peccati meminit. Idem 11. cap. docet, fieri non posse, ut quis Deo sine fide placeat. Quo indicat, extra fidem, totam hominis naturam ita deprauatã esse in omnibus suis actionibus, ut nihil Deo placeat.

Autor epistolæ Iacobi etiam, Iacobi 1. deprauationẽ naturæ coarguit, dum nos sermone ueritatis progigni oportere docet, ut simus primitiæ quædam suarũ creaturarum.

Naturam autem deprauatam carere gloria Dei, Paulus Rom. 3. docet: Omnes peccauerunt, & destituũtur gloria Dei. Huc pertinẽt testimonia quæ suprà de proprietate ueteris hominis sunt recitata, & uenundatum esse sub peccatum. Rom. septimo: Ego carnalis sum, uenditus sub peccatum.

Non posse uerè legi diuinæ obedire, Paul. Rom. 8. docet: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. nam legi Dei non subditur: siquidem ne potest quidẽ. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Huc pertinent testimonia reliqua, quibus probatur hominem legi diuinæ satis facere non posse. Lex enim non tantum externam, sed naturæ integræ & incorruptæ perfectissimam obedientiam postulat, ut suo loco dicetur.

Naturam deprauatã esse mancipiũ diaboli, Ioãnes 1. epist. 3. eo docet, quòd peccantes ex diabolo esse tradit, & filios diaboli appellat, & quòd Cain ex malo fuisse dicit. Et quòd 1 Ioan. quarto inquit: Maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo. & Paulus Ephes. 2. dicit, diabolum

diabolum agere in filijs infidelitatis. Et 2 Corinth.4. Excæcare sensus incredulorum. & 2 Timoth.2. Captiuos tenere laqueis suis. Gal.3. Fascinare, ne credant ueritati. Hanc etiã ob causam diaboli principatus & potestates, & domini mundi, & rectores tenebrarum appellantur.

Causam peccati originis, lapsum Adæ & Euæ esse, & propagationem deprauatæ naturæ in posteros Adæ, Paulus docet Ro. 5. Per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatũ mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Idem 1 Corinth.15. repetitur, ut paulo antè docuimus. Lapsus autem istius causam fuisse diabolũ, & hominis liberam uoluntatem, suprà diximus de Lapsu.

Subiectum autem peccati originis esse totum ueterem hominem, cum omnibus suis uiribus, mente, uoluntate, & corde, primùm eo docẽt, quòd uocibus, Caro, mundus, homo carnalis, homo ψυχικὸς animalis, utuntur, quæ illa omnia complectuntur. Deinde quòd sigillatim, etiam in his partibus uitium esse ostendunt, nempe in mente caliginem & tenebras, de Deo eiusq; uoluntate: in uoluntate uerò & corde, affectus, concupiscentias, & cupiditates, & contumaciam aduersus legẽ Dei: unde postea sequuntur externa mala opera.

De mente, 1 Pet.2. Vt benefaciẽdo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus. 2 Pet.1. Oblitus sese à ueteribus peccatis purgatum esse. 2 Pet.2. Velut bruta animantia natura genita in capturam, &c. conuiuantes in errorib. suis insultant uobis. itẽ, Qui in errore conuersantur. 2 Petri 3. Volentes nesciunt. Ioan.1. epistolæ 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, &c. quia tenebræ eius obcæcauerunt oculos eius. 1 Ioan.3. Mundus non nouit uos, quia non nouit Deum. 1 Ioannis 4. Deum nemo uidit unquam. 1 Ioan.5. Filius Dei dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est. Si agnitio Dei eiusq; uoluntatis à Christo datur, non potest ei natura inesse. & Paulus 2 Corinth. 5. Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium. & Ephes.1. petit à Deo, ut det Ephesijs illuminatos oculos mẽtis suæ, ut sciant quæ sit spes, ad quam ille uocauit. Idem Eph. 4. dicit, gentes ambulasse in uanitate mẽtis suæ, & obtenebratam mentem habuisse, & abalienatos fuisse à uita Dei, propter ignorantiam quæ fuit in illis. Item, ueterem hominem, id est deprauatam naturam corrumpi, iuxta concupiscentias erroris: & iubet eos renouari spiritu mentis suæ. 2 Timot.3. Resistunt ueritati homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Tit.1. Polluta est eorum mens & conscientia. Rom.8. Sapientia carnis mors est. 1 Corinth.2. Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt: stultitia enim ei est. Coloss.1. Paulus dicit se orare pro Colossensibus, ut impleantur agnitione uoluntatis eius in omni sapientia et prudentia spirituali: quod non faceret, si mens eorum natura, his rebus abundaret. Rom.3. Omnis homo mendax, Deus autem uerax. Ex his & similibus testimonijs patet, uitium originis adeò mentẽ hominis corrupisse, ut non modò uera agnitione Dei, eiusq; uoluntatis careat: sed etiam ad falsas & mendaces opiniones apprehendendas, easq; retinendas, procliuem natura esse, & res spiritus Dei pro absurdis habere, nisi sub fidem captiuetur. 2 Cor.10.

Vitium originis, etiam in uoluntate & corde, & ceteris uiribus esse docent, his sententijs. Act.7. Moses accepit sermonem uiuum, ut daret nobis: cui noluerũt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt corde suo. Item: Duri ceruice, & incircumcisi corde & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis. Actorum 8. Cor tuum non est rectum coram Deo, resipisce igitur ab ista malicia, & roga Deum, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui: in felle enim amaritudinis & colligatione iniquitatis uideo te esse. Act.15. Deus fide purificat corda. Item Act.16. Dominus aperuit cor Lydæ, ut attẽderet his quæ dicebãtur à Paulo. Ita munda igitur & clausa sunt corda hominũ ob uitiũ originis. 1 Pet.1. Ne accõmodetis uos pristinis concupiscentijs, quibus, dum adhuc ignoraretis Christum, agebamini. 1 Pet.2. Abstinete à carnalibus, quæ militant aduersus animam. 1 Pet.4. Qui patiebatur in carne, desistit à peccato, in hoc, ut iam non concupiscentijs hominũ, sed uoluntati Dei, quod superest in carne tempus, uiuat: sat enim est nobis, quòd anteacto tempore uoluntatem gentium patrauerimus, cum uersaremur in lasciuijs & concupiscentijs. 2 Pet.2. Carnem sequẽtes, in concupiscentia pollutionis ambulant. Item: Oculos habentes plenos adulteræ, & à peccando cessare nesciũt, &c. Cor habẽt exercitatum rapinis, execrabiles filij. Item, Venient illusores qui iuxta proprias cõcupiscentias ambulent & dicant, Vbi est pollicitatio aduentus eius? &c. Nam illud uolentes nesciunt. 1 Ioan.2. Omne quod est in mundo, uelut concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex Deo est. 1 Ioan.3. Si condemnet nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro. Rom.1. Non ut Deum glorificauerunt, &c. sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est cor insciens eorum: cum crederẽt se sapientes esse, stulti facti sunt. Rom.2. Iuxta duriciem tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibi iram in die iudicij, itẽ: Circumcisio cordis, circumcisio est quæ spiritu cõstat, non litera: cuius laus non est ex hominibus, sed ex Deo, ne regnet peccatum, &c. ut obediatis illi per cupiditates eius. Idem Rom.7. docet etiam, renatos tantam sentire uirium deprauationem, & inhabitantis peccati efficaciam, ut non quod uelint faciant, sed quod nolint, id agant: & uideant aliam legem in membris rebellantem legi mentis, & captiuum reddentem eos legi peccati, quæ est in membris eorum: hoc est, quòd sentiam cor & uoluntatem carnis procliuiorem esse ad malũ, quàm ad bonum. & Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, &c. Quòd tanta in renatis est uirium humanarum cordis & uoluntatis prauitas, quanta fuerit in non renatis? Idem eodem in loco dicit: Quum essemus in carne, affectus peccatorum, &c. uigebant in membris nostris, ad fructificandum morti.

Ephes.2. Et nos uersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostræ, facientes quæ carni ac mentibus libebant. Ephes.4. Abalienati à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in illis, & excæcationem cordis eorũ: qui posteaquam eò peruenerunt, ut dolere desierint, semet ipsos dederunt lasciuiæ, ad patrandum immunditiam omnem cum auiditate. Gal.5. Qui sunt Christi, carnem crucifixe-

crucifixerunt, cum affectibus & concupiscentijs. Col. 3. Mortificate membra uestra terrestria, stuprum, immundiciam, &c. item. Exuistis ueterem hominem cum factis suis Autor Epistolæ Iac. 1. Vnusquisq; tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur, & inescatur. Deinde concupiscẽtia, posteaquam concepit, parit peccatum, peccatum uerò perfectum progignit mortem. Iacobi 4. Vnde bella & lites in uobis? nónne hinc? nimirum ex uoluptatibus uestris, quæ militant in membris uestris. Item: Emundate manus ô peccatores, & purificate corda, duplices animo.

Ex his testimonijs liquet, etiam omnes homines peccato originis obnoxios esse: quod etiam generales hæ sententiæ docent. Rom. 3. Ostendimus & Iudæos & Græcos, omnes peccato esse obnoxios: sicut scriptum est, Non est iustus, ne unus quidem, &c. Rom. 3. Deus uerax, omnis homo mendax. Gal. 3. Conclusit scriptura omnia sub peccatum. Rom. 11. Deus conclusit omnes sub incredulitatem. Rom. 6. Fuistis serui peccati, præbuistis membra uestra serua immundiciæ & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatem. 1 Ioan. 1. Si dixerimus, Non peccauimus, mendacem eum facimus, & sermo eius non est in nobis. Iacob. 4. Voluptates uestræ militant in membris uestris. Cæterùm, unum tantum hominem, Dominum nostrum Iesum Christum, absque originali labe, natum esse ex uirgine pura, præter naturæ communem morem, & sine peccato uixisse, & mundi peccata expiasse, Apostoli constãter affirmãt. 1. Pet. 1. Christus agnus immaculatus & incontaminatus uocatur. 1. Pet. 2. Qui peccatũ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 1 Ioan. 3. Apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum non est in eo. 2 Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum. Ebr. 4 Tentatum per omnia iuxta similitudinem absque peccato. Idem Ebræ. 7. Peccati originis effectus sunt, peccata actualia tum interna, tum externa, de quibus paulo pòst. Huc pertinent etiam effectus generales, quos suprà recitauimus. Nam peccatum originis etiam iram Dei, malam conscientiam, mortem & damnationem affert, nisi remittatur.

DE PECCATO ACTVALI.

IGnorant & hanc uocem Apostoli, sed tamen discernunt res ipsas, hoc est naturam deprauatam, & fructus inde promanantes. 2 Petri 1. Si refugeritis à corruptione, quæ est in mundo per concupiscentias. 1 Ioan. 1. Si dixerimus, Peccatũ non habemus, nos ipsos fallimus. 1 Ioan. 4. Ipsi è mundo sunt, ideo è mundo loquuntur, et mundus eos audit. Ephes. 2. Facientes quæ carni & menti libebant, & eramus natura filij iræ. Roman. 3. Non est iustus, ne unus quidem: non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum: omnes declexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est usque ad unum.

Appellationes peccati actualis has ferè habent: Opera mala. 1 Ioan. 3. Opera Cain mala erãt, fratris autem eius iusta. Opera infrugifera tenebrarum. Ephes. 5. Rom. 13. Inquinamenta mundi. Item corruptiones quæ sunt in mundo. 2 Pet. 2. Carnalis concupiscentiæ. 1 Pet. 2. Opera carnis. Galat. 5.

Docent autem, actualia peccata esse affectus, cogitationes, dicta et facta, non ex fide, sed ex carne, hoc est uitiatæ naturæ proficiscentia, quæ pugnant contra legem Dei, & merentur pœnas corporales et æternas, nisi fiat remissio. Nam Petrus 1 Pet. 1 & 2 & 4. concupiscentias carnales prohibet, quibus affectus & cogitationes, et mala opera quæ inde sequuntur, complecti tur. & 2 Pet. 2. multa recenset mala opera falsorum doctorum, quæ inquinamẽta mundi appellat. Et Ioann. 1. epistolæ 2. concupiscentiã in mundo esse dicit & aliorum peccatorum internorum, ut erroris, diffidentiæ quæ Deum faciat mendacem 1 Ioan. 5. abnegationis. 1. Ioan. 2. Et timoris sine charitate. 1 Ioan. 4. Et externorum, ut homicidij. 1 Ioan. 3. Et malorum operum. 1 Ioan. 3. & 2 Ioãnis. Et operum diaboli 1 Ioan. 3 meminit. Et Paulus affectus carnis peccata esset docet, Rom. 7. Affectus peccatorum uigebant in membris nostris. Gal. 5. Carnem crucifixerunt cum affectibus. Et cogitationes peccata esset docet Petrus Actorum 8. Si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui. Et Paulus Rom. 1. Euanuerũt in cogitationibus suis. 1. Corinth. 3. Dominus nouit cogitationes sapientum, quòd sint uanæ. Iacobi 2. Facti estis iudices cogitationũ malarum. Dictis etiam peccatum committi docent. 1 Petri 3. Qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur malum. 2. Petri 2. Qui gloria præcellentes non uerentur conuicijs incessere. Item, in his quæ non intelligunt maledicentes. Eph. 4. Omnis sermo spurcus ex ore uestro non procedat. Iacob. 3. Si quis in sermone nõ labitur, hic perfectus est uir, qui possit freno moderari totum corpus. Facta seu opera contra legem, extira fidẽ peccata esse, Paulus Ro. 14 docet: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Eph. 5. Ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius arguite.

Et quòd sint fructus carnis, seu proficiscãtur ex deprauata natura, & pugnent cum lege, docet Galat. 5. Porrò opera carnis manifesta sunt, quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, &c. Vbi non tantum externa, sed etiam interna opera, contra primam tabulam recenset. & addit: Qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.

Causas actualium peccatorum docẽt esse, peccatum originis, seu deprauatam naturam, ut patet ex testimonijs præcedentibus, & hactenus tradita doctrina, maximè uerò ex Rom. 7. & 8. & Galat. 5. Etiam mentem ignaram Dei, eiusq; uoluntatis, & uoluntatem hominis pronam ad malum, causam peccatorum esse, ex superioribus constat testimonijs, quibus ostensum est, peccatum originis esse in mente & uolũtate & corde.

Tertiam actualium peccatorum causam diabolum esse, Petrus 1 Epistolæ 5. docet, & Ioannes 1 Epistolæ 3. Qui peccatum committit, ex diabolo est. & Paulus Ephesiis 2. & 6. 2 Corinthiorum 4. 2 Timoth. 2. Iacobi 5. Etiam mala exempla & scandala, præbere occasionem peccandi, docent, 1 Corint. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Sed de his in loco de Scandalo, prolixius.

Vt uerò Deum peccati originis esse negant autorem, & approbatorem: ita nec actualium peccatorũ effectorem esse docent. inquit enim Paulus Rom. 3. Omnis homo mendax, Deus autem uerax. item. Vt ipse sit iustus, iustificãs eum qui est ex fide Iesu. Rom. 9. Quid

dicemus? num iniusticia est apud Deum? absit. 1. Pet. 1. Quemadmodum is qui uos uocauit sanctus est, ita ipsi quoq; sancti reddamini in omni conseruatione. 1 Ioan. 1. Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo ullæ. 1 Ioannis 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non committit. Iacob. 1. Ne quis quum tentatur (id est sollicitatur ad peccandum) dicat se à Deo tentari. Nam Deus ut malis tentari non potest, ita nec ipse quenquam tentat.

Sed tamen quòd loco pœnæ, impœnitentes subinde in grauiora incidere peccata permittat, haud obscurè docent. Stephanus enim Actorum 7 cap. inquit: Conuertit se Deus, & tradidit eos, ut colerent militiam cœli. Et Paulus & Barnabas Lystris concionantes, inquiunt: Deus præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi uijs suis. Et Paulus Actorum 17. concionans in Areopago Athenienſium ait, Et tempora quidem huius ignorantiæ, cum hactenus dissimularit Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique resipiscant. Idem Actorum 13. ex Abacuc minatur Iudæis excæcationis pœnam: Videte ergo, ne super ueniat uobis, quod dictum est in prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & euanescite, quia opus operor ego in diebus uestris, quòd non credetis, si quis enarrauerit uobis. Idem Paulus facit Romæ Actorum 28. Bene spiritus sanctus loquutus est per Esaiam prophetã, ad patres nostros dicens: Vade ad populũ istum, & dic: Auribus audietis, & nõ intelligetis: & uidentes uidebitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, ut sanem eos.

Idem Rom. 1. Deus tradidit gentes in cupiditates ignominiosas. Item, Deus tradidit eos in reprobam mentem, ut facerent quæ non conueniebant. 2 Thes. 2. Pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent, mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, &c. Ro. 9. Itaq; cui uult miseretur, quem autem uult indurat. hoc est, Deus resistentes uerbo suo, permittit indurari, obedientium uerò Euangelio miseretur. Duo peccatorum actualium genera esse docent, alia uenialia, alia uerò mortalia. Rom. 6. Ne regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis illi, per cupiditates eius. Rom. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si uerò actiones carnis mortificaueritis, uiuetis. 1 Pet. 2. Abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militant aduersus animam. 1 Ioann. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non committit. hoc est, non committit peccatum mortale: sed uenialia eius sunt peccata, seu peccata propter fidem in Christum, ipsi non imputantur.

DE PECCATO VENIALI.

VTimur hac appellatione, propter consuetudinem Doctorum, & quòd res ipsæ in scriptis Apostolorum extant, ut patet ex præcedentibus testimonijs. Docent enim, ueniale peccatũ nullũ quidem per se esse, dum asserunt, omnia peccata pugnare cum lege Diuina, & mereri iram Dei, & æternas pœnas: sed per accidens, hoc est, propter causas aliunde incidentes, nempe propter remissionem peccatorum, quæ contingit fidelibus, propter Christum.

Esse autem uenialia peccata, docent, naturæ imbecillitatem in sanctis, & cogitationes & affectus carnis, qui bus resistunt spiritu: & peccata ignorantiæ, non affectatæ: & omissionis, non malicioſæ, quæ sibi non imputari, sed condonari propter Christum, sancti quotidie petunt & credunt. Hæc manifesta sunt ex 6. 7. 8. cap. ad Roma. & Galat. 5. Nam in sanctis manent naturæ prauitatem, eamq; gignere subinde cogitationes & prauas cupiditates aduersus legem Dei, Paulus Roman. 7. præclarè docet. Sed tamen sanctos ijs resistere debere, monet Roman. 6. Ne regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis illi iuxta cupiditates eius, & ne acommodetis membra uestra arma iniquitatis peccato. Roman. 8. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Galat. 5. Dico autem, spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perficiatis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: & hæc sibi mutuò aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Idem Petrus 1 epistolæ 1 facit: Ne accommodetis uos pristinis concupiscentijs, quibus agebamini, dum Christum ignoraretis. Et 1 Petri 2. Abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militant aduersus animam. & 1 Petri 4. uult sanctos desistere à peccato, & non concupiscentijs hominum, sed uoluntati Dei, quod superest temporis in carne uiuere. & 1 Petri 5. iubet resistere diabolo, pus in fide. Idem 2. epistolæ 1. præcipit, ut fugiamus à corruptione, quæ est in mundo, per concupiscentiam. Et Ioannes etiam de uenialibus peccatis loquitur, quòd maneãt in sanctis. 1 epistolæ 1. Si dicemus Non peccauimus, mendacem facimus eum. Autor epistolæ ad Ebr. 12 Nondum ad sanguinem repugnastis peccato.

Sanctis uenialia peccata non imputari, sed propter fidem in Christum, deprecantibus culpam condonari, docent. 1 Ioannis 1. Si dixerimus, Peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 Ioann. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quòd ex Deo natus est. hoc est, renati non peccant, quia peccata eis non imputantur, sed condonantur. Et Paulus Romanis cap. 6. Peccatũ uobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia. Roman. 7. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore, morti obnoxio? Gratias ago Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum. Itaque idem ego quidem mente seruio legi Dei, carne uerò legi peccati.

Et statim cap. 8. subijcit generalem conclusionem: Nulla igitur nunc condemnatio his qui insiti sunt Iesu Christo, qui non iuxta carnem, sed iuxta spiritum ambulant. & in sequentibus causam addit, cur sanctis non imputentur suæ imbecillitates, nempe eo quòd illis integra obedientia legis, quam Christus præstitit, imputata sit, & quòd ducantur à spiritu Dei, & quòd actiones carnis mortificent spiritu, & quod timentibus Deum oporteat omnia cooperari in bonum. Idem Galat. 5. Si spiritu ducimini, non estis sub lege. hoc est, illa uestræ imbecillitates, uobis non imputantur, dum non carni, sed spiritui obtemperatis. De peccato omissionis non

non affectatè uidetur loqui 2 Timoth.4. In prima mea defensione nemo adfuit mihi, sed omnes me deseruerunt, ne illis imputetur, sed Dominus mihi adfuit.

DE PECCATO MORTALI.

IMpijs & incredulis, non tantùm externa scelera contra legem Dei, afferunt mortem, & condemnationem: uerùm etiam deprauata natura, & interni affectus mali, & opera externa, etiam ciuiliter honesta. Rom. 8. φρόνημα affectus carnis, mors est. Item: Qui carnales sunt, Deo placere non possunt. Rom. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Heb. 11. Impossibile est Deo sine fide placere. 1 Iohan. 5. Totus mundus in malo constitutus est.

Renatis uerò mortem afferunt omnia actualia peccata, siue interna, ut cogitationes & affectus, siue externa, ut dicta & facta contra legem Dei, si non repugnent ijs fide, sed adsentiantur ad efficiendum ea, siue in actum perducantur, siue non. Rom. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Quod si spiritu, facta corporis mortificetis, uiuetis. item: Qui spiritu Dei ducuntur, filij Dei sunt. Ergo qui spiritui sancto ducenti & pugnanti contra carnis concupiscentias, non obtemperant, non sunt filij Dei. Roman. 6. Quid igitur? peccabimus, quòd non simus sub lege, sed sub gratia? absit. an nescitis, quod cui accommodatis uos ipsos seruos, ad obediendum, eius serui estis, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iusticiam? 1. Ioannis tertio: Qui facit iusticiam, iustus est: qui commissit peccatum, ex diabolo est. 2 Petri 2. Quum ipsi sint corruptionum serui: siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem est addictus.

Porrò ob hanc causam Apostoli renatos hortantur, ut sibi caueant à peccatis contra conscientiam, sed contra ea pugnent spiritu & fide, & uerbo Dei. 1 Petri 1. 2. 5. 1 Ioann. 2. 3. 4. 5. Roman. 6. 7. 8. 1 Corinth. 5 & 6. Ephes. 5. Galat. 5. & alibi passim. Causæ efficientes peccatorum mortalium, eædem sunt quæ peccatorum actualium, de quibus suprà.

Effectus etiam generales peccati, suprà enumerati, ad peccata mortalia referendi sunt: quibus & hi annumerandi.

Peccata mortalia excutiunt fidem, & Spiritum sanctum, & bonam conscientiam. Nam Petrus 2. epist. 1. docet, eos qui non ferant fructus fidei, cæcos esse, & manu uiam tentare, & oblitos esse sese ueteribus peccatis purgatos esse. Et Ioannes 1. epistola 3. Qui commissit peccatum, ex diabolo est. Item, Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Item: Si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum. Ergo peccata contra conscientiam, excutiunt fidem. 1 Ioann. 4. Qui timet, non est perfectus in charitate. Roman. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. 1 Timoth. 1. Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam: quam repulsa, nonnulli circa fidem naufragium fecerũt: quorum de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non malè dicere. 1 Timoth. 6. Radix omnium malorum est studium pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & seipsos implicuerunt doloribus multis. 2 Tim. 2. Hymenæus & Philetus circa ueritatem aberrrarunt, &c. subuerterunt quorundam fidem. 2 Corint. 6. Quæ participatio iusticiæ cum iniquitate? Idem 1 Cor. 3 & 6. Spiritum sanctum excuti peccatis, contra conscientiam, docet. Huc etiam exempla pertinent. Ananias & Sapphira consentientes in defraudationem precij, de agro uendito, quòd iam antè donauerant communioni, amittunt Spiritum sanctum. Actorum quinto. Simon Magus baptisatus, prauæ cogitationi de conferendo Spiritu sancto assentiens, & eam ob causam Apostolis pecuniam offerens, excußit fidem & Spiritum sanctum: Actorum 8. Incestuosus Corinthius, no uercam ducens in uxorem, mortali laborat peccato: 1 Corinth. 5. Abutentes cœna Dominica, 1 Corinth. 11.

Turbant orationem. 1 Petri 5. Ne interrumpantur preces uestræ. 1 Iohan. 3. Si cor nostrum, &c. fiduciam habemus erga Deum: & quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta eius custodimus.

Præbent alij malum exemplum. 1 Petri 3. 1 Ioannis tertio: Ne imiteris quod malum est.

Contristant Spiritum sanctum. Ephes. 4. Ne contristetis Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. 2 Pet. 2. Quotidie animam iusti, impijs suis factis excutiebant.

Deformant ministerium uerbi diuini. Roman. 2. Propter uos nomen Dei malè audit inter gentes. Tit. 2. Faciunt homines peiores quàm antea fuerunt, si nõ statim ad pœnitentiam redeant. 2 Pet. 2. eũdo: Nam si post quàm refugerunt ab iniquinamentis mundi, per agnitionem Domini & seruatoris Iesu Christi, tamen his rursus inuoluti, superantur: facta sunt illis posteriora peiora primis.

Merentur excommunicationem. 1 Corinth. 5. Inficiunt etiam alios. 1 Corinth. 5. 2 epistola Ioannis: Communicat operib. eius malis. Apocalyp. 18. Exite ab ea, ne participes fiatis peccatorum eius.

Afferunt pœnas corporales & æternas, ut suprà dictum, Galat. sexto: Qui seminat per carnem, metet de carne corruptionem. 2 Petri 2. Quorum iudicium iam olim non tardat. Idem autor epistolæ Iudæ. Et author epistolæ Iacobi quinto, etiam cõcionatur de pœnis peccatorum. Excludunt ab hæreditate regni cœlorum. 1 Corinth. 5 & 6. Galat. 6.

Catalogus peccatorum, secundum Decalogum instui posset: sed sufficiat, nos iam adscribere eum qui extat Galat. cap. quinto: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: Adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulachorũ cultus, ueneficium, inimicitia, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prædico uobis, quemadmodum prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Et Colossens. 3. Mortificate igitur membra uestra terrestria, stuprum, immundiciam, molliciem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum cultus: ob quæ uenire solet ira Dei in filios intractabiles. inter quos ambulabatis quondam, quum uiueretis in his. Nũc autem deponite uos omnia, iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam, ab ore uestro. Ne mentiamini alius aduersus aliũ, posteaquam exuistis ueterem hominem, cum factis

ſuis. & 1 Corinth. 5. Si quis, cum frater appellatur, fuerit ſcortator, aut auarus, aut ſimulachrorum cultor, aut conuiciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi ne cibum quidem capiatis. Et 1 Corinth. 6. Ne erretis: neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorũ, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concumbũt cum maſculis, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. Roman. 1. Repleti iniuſticia, ſcortatione, uerſutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, ſuſurrones, obtrectatores, Dei oſores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, pactorum haudquaquam tenaces, alieni à charitatis affectu, neſcij fœderis, immiſericordes. Et 2 Tim. 3. Erunt homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes, bonorum proditores, præcipites, inflati, uoluptatũ amantes potius quàm amantes Dei: habentes formam pietatis, ſed qui uim eius abnegarint: & iſtos auerſate.

Docent autem, peccata non potuiſſe alio ſupplicio expiari, q̃ Domini noſtri Ieſu Chriſti: eumq; non originalia modò, ſed etiã actualia peccata totius mundi, hoc eſt omniũ hominũ expiaſſe. 1 Pet. 1. Cùm ſciatis uos non caducis rebus, uelut argento & auro fuiſſe redemptos à uana ueſtra conuerſatione, &c. ſed precioſo ſanguine, uelut agni immaculati ac incontaminati Chriſti. 1 Pet. 2. Qui peccatum non fecerat, nec inuentus eſt dolus in ore eius, &c. qui peccata noſtra ipſe pertulit ſuper lignum. 1 Pet. 3. Quandoquidẽ & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit, iuſtus pro iniuſtis. Et Ioan. 1. epiſt. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ pro noſtris autẽ tantùm, ſed etiam pro totius mundi. 1 Ioan. 3. Scitis quòd ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt. item, Ad hoc apparuit filius Dei, ut diſſoluat opera diaboli. 1 Ioann. 4. Miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Roman. 6. Mortuus eſt pro peccato ſemel. Roman. 8. Deus miſso filio de peccato damnauit peccatum. Roman. 15. Chriſtus eſt impletio legis ad ſalutem omni credenti. 2 Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatũ, fecit peccatũ, hoc eſt uictimam pro peccato. Autor epiſtolæ ad Ebræ. 10: Non poteſt ſanguis taurorum & hircorum tollere peccata, &c. Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui ſanctificantur. Idem docet, Chriſtum filium Dei per ſeipſum purgationem peccatorum noſtrorum feciſſe, Ebræ. 1. & pontificem fidelem eſſe apud Deum, ex piantem peccata. Ebræ. 2. Apocalyp. 1. Lauit nos à peccatis noſtris.

DE PECCATO AD MORTEM SEV IN Spiritum ſanctum.

Sicut Chriſtus docuit eſſe quoddam peccatum quod difficulter remittatur: ita Apoſtoli quoque idem affirmant. Petrus 2 epiſtolæ 2. Ioannes 1 epiſtolæ 5. Paulus Tit. 3. 1 Tim. 4. Autor epiſt. ad Ebræ. 6 & 10. Autor epiſtolæ Iudæ.

Omnia peccata quæ fiunt à non renatis, mortalia eſſe & dici, paulo antè oſtendimus: ſed hoc peccatũ de quo nobis nunc ſermo eſt, κατ' ἐξοχὴν ſic appellatur, quòd præſentiſſimam afferat mortem, ob ſuas cauſas, quas poſtea referemus.

Docent autem, peccatum ad mortem, ſeu ut Chriſtus appellauit, blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe, animo obſtinato, ea quæ Deus ad remiſſionẽ peccatorum nobis & parandã & exhibendam ordinauit (ut ſunt, totum opus ſeu beneficium Domini noſtri Ieſu Chriſti, miniſterium uerbi & ſacramentorum, & Spiritus ſanctus, qui per hoc efficax eſt ad operandum ſidem) reijcere, damnare, & blaſphemare & perſequi. Patet hæc definitio ex 2 Petri 2. Abnegantes Dominũ qui ipſos mercatus eſt. item, Per quos uia ueritatis maledictis afficietur. Et Ioannes 1 epiſtol. 5. dicit, non eſſe orandum pro eo peccato. quo indicat, hoc peccatum tollere media à Deo deſtinata ad remiſſionem peccatorum. Deus enim uult aliâs peccata omnia remittere agnoſcentibus ea: at defendentibus contra conſcientiam, & in errore & infidelitate perſeuerantibus, donec tales manent, non uult remittere, ſicut paulo antè Ioannes dixit: Qui credit in filium, habet teſtimonium de ſeipſo: Qui uerò non credit, Deum mendacem facit. Oportet ergo peccatum ad mortẽ tale eſſe, quod reijcit beneficium Chriſti, idq; blaſphemat & execratur. Autor epiſtolæ ad Ebræos ſexto, etiam ſic uidetur definire peccatum in Spiritum ſanctum, quod ſit, poſt agnitatem ueritatem, iterum crucifigere filium Dei, eumque ludibrio exponere: hoc eſt, beneficium Chriſti abijcere. Nam ubi beneficium Chriſti abijcitur, ibi nulla eſt remiſſio peccatorum. Vnde idem autor Hebræ. decimo inquit, ijs qui uoluntariè peccant, ſcilicet ad mortem, hoc eſt, qui prorſus reijciant beneficium Chriſti poſt acceptam cognitionem ueritatis, non ultra pro peccatis reliquam eſſe hoſtiam: ſed formidabilem quandam expectationẽ iudicij, & ignis uehementiam, qui deuoraturus ſit aduerſarios. Duo autem genera hominum eſſe, qui beneficium Chriſti, & doctrinam Euangelij, & Spiritum ſanctum arguentem peccatorum mundum de pecccato, & adducere ad remiſſionem peccatorum conantem, reijciant & blaſphement, haud obſcurè monent. Alterum eorum eſt, qui nondum illuminati aut conuerſi fuerunt, & audiuerunt quidem aliquid de Euangelio, ſed id oderunt & reijciunt, & proſequuntur, propter ſuum quendam zelum à ſcientia ueri aberrantium: hoc tamen in animo uerſantes, quòd ſi uerè reſciſcant ueritatẽ, ſe eam non contra conſcientiam oppugnaturos.

Huiuſmodi peccator in Spiritum ſanctum fuit Saulus, Actor. 9 & 22. & Galat. 1. & 1 Timoth. 1. Qui prius eram blaſphemus, & perſequutor, & uiolentus: ſed & miſericordiam adeptus ſum, quòd ignorans feci per incredulitatem. Pro hoc genere peccatorum uidetur Stephanus oraſſe, Actor. 7. Domine, ne ſtatuas illis peccatum.

Alterum uerò eorum eſt, qui aut per miniſterium uerbi, opera Spiritus ſancti, de ueritate in ſua conſcientia conuicti ſunt: & tamen contra conſcientiam ueritatem non ſuſcipiunt, ſed auerſantur, blaſphemant, & perſequuntur. aut qui etiam aliquandiu ueritatem amplexi ſunt, ſed in errorem aut peccata prolapſi, ijs contra Spiritum ſanctum ad pœnitentiam per miniſterium uocantem permanent, ſuos lapſus & peccata excuſan-

excusantes, & Spiritum sanctum eiusq; ministros blasphemantes, & persequentes. Tales fuerunt, Iudas Act. 1. Cain, 1. Ioann. 3. Bileam 2 Pet. 2. Et Iudæi qui excæcati sunt. Roman. 11. Act. 28. De talibus loquitur Paulus Tit. 3. Et Ioann. 1 epist. 5. Autor epist. ad Ebr. 6 & 10.

Species peccatorum in Spiritum sanctum, has ferè animaduertere licet in scriptis Apostolorum. Excit, & fidem & Spiritum sanctum excludit. 1 Ioann. 5. Qui non credit, Deum mendacem facit. Act. 4. Non est in quoquam alio salus, nec est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Desperatio gratiæ, exemplum est in Iuda Act. 1. Excusare & defendere errorem, & peccata sua, & ex ijs facere bona opera, Tit. 3. Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem fuge, sciens quòd eiusmodi est, & peccet per se damnatus. In abnegatione agnitæ ueritatis perseuerare. 2 Pet. 2. Dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes. In defectione à ueritate, & peccatis contra conscientiam ita obdurari, ut posteriora fiant peiora primis. 2 Petri 2. Nam si posteaquam refugerunt ab inquinamentis mundi, per agnitionem Domini & seruatoris nostri IESV Christi, tamen his rursum inuoluti superantur, facta sunt illis postrema peiora primis. Satius enim fuisset illis, non cognouisse uiam iustiçiæ: quàm ubi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, præcepto sancto: uerùm accidit illis id quod in prouerbio dici solet, Canis reuersus ad suum ipsius uomitum, & sus reuersa ad uolutabrum cœni.

Esse & manere membrum Antichristi, eiusq; characteres suscipere, & cum eo scortari, Apoc. 14 & 18. 2 Thessal. 2. 1 Tim. 4. Causas efficientes huius peccati esse satanam, Paulus docet. 2 Cor. 4. Et malitiam hominum, ueritatem in iniustiçia detinentiũ. Rom. 1. Stephanus Actorum 7. duritiei cordi attribuit, quòd resistant Spiritui sancto. Non habere amorem ueritatis, etiam aliqua causa est: Deus enim punit cæcitate. 2 Thessalon. 2. Absq; pœnitentia in peccatis, contra conscientiam sponte perseuerare: proficiunt enim tales in peius. 2. Petri secundo. Quibus & accenseri possunt mala exempla, & falsa dogmata. Nam quòd Paulus ministerium Spiritus sancti blasphemat, & persequitur Christianos, id facit prauo zelo, & instinctu & imitatione aliorum Pharisæorum inductus. Hymenæus & Philetus euerterũt sua falsa doctrina de resurrectione, quorundam fidem. 2 Tim. 2.

¶ Proprietates, quas recensere uidentur Apostoli, hæ ferè sunt: primùm, quòd ab ijs à quibus fiunt, non habeantur pro peccatis, sed pro bonis operibus, quæ Deo summè placeant. Paulus enim cum doctrinam Euangelij blasphemat, & Christianos pertrahit in carceres, & cædit eos in synagogis, se cultũ Deo præstare putat, tantùm abest ut se peccare agnoscat. Aut si aliquo modo agnoscantur esse peccata, tamen pro rebus leuissimis ducantur. Acto. 6 & 7. Iudæi agnoscunt quidem Stephanum eße innocentem, sed tamen ira aduersus eum inflammati, putant se non admodum peccare, si talem hominem interficiant, propterea quòd dicat, se uidere filium hominis stare à dextris Dei.

Secundò, quòd sit irremißibile: quia uiam à Deo ad remißionem peccatorum ordinatam reijciat, blasphemet, & persequatur. Nam ad remißionem peccatorum destinata est unica illa hostia, hoc est totum beneficium Domini nostri Iesu Christi, quod per ministerium uerbi & sacramenta à Spiritu sancto offertur, & contritis cordibus per fidem applicatur. Hanc uiam qui non uult ingredi, aut ab ea aberrat, & in deuio permanet: hoc est, qui ministerium Spiritus sancti, quod est arguere mundum de peccato, per concionem legis, & annunciare contritis cordibus remißionem peccatorum, contemnit: atq; ita beneficium Christi respuit, blasphemat & persequitur, maximè cùm de ueritate in sua conscientia est conuictus: ei nullus patet aditus aliunde ad remißionem peccatorũ. Deus enim non uult alio modo remißionem peccatorũ impertiri, quàm per ministerium Spiritus sancti: cui qui atrociter consultò & deliberatò repugnant, excæcantur iusto Dei iudicio, & indurantur. Patent hæc ex Rom. 9. 10 & 11. Ebr. 6 & 10.

Quòd autem non aliam ob causam sit irremißibile, inde patet, quòd Apostoli docent Christum totius mundi peccata expiasse. 1 Ioann. 2. Et quòd omnia peccata credentibus remitti affirmant. Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes, &c. & quòd tantùm illis peccata non remitti dicunt, qui aspernantur gratiam seu beneficium Domini nostri Iesu Christi. Vult igitur Deus peccata omnia remittere omnibus pœnitẽtibus, & beneficiũ Christi fide amplectentibus. at impœnitẽtibus, hoc est, qui nolunt agnoscere sua peccata, & qui Spiritum sanctum arguentem peccata respuunt & blasphemant, & beneficia Christi fide non apprehendũt, donec tales manent, non uult Deus peccata nouo quodam & speciali modo remittere: sed iusto iudicio eos damnat, quia modum & uiam à Deo ad remißionem peccatorum præscriptam, sponte & contumaciter reijciunt, & blasphemant.

Porrò de eis qui peccatum in Spiritum sanctum committunt, non prorsus esse desperandum, sed eos recuparari posse, si ad officinam Spiritus sancti, hoc est ministerium uerbi redeant, idq; non prorsus scientes uolentesq; reijciant, & aures obturent, patet ex Pauli epistо. ad Tit. 3. ubi hæreticum hominem iubet semel atq; iterum admoneri de suo errore: quod non faceret, si prorsus reditum ad gratiam eis præclusum sciret. Idem 2. Tim. 2. dicit, Seruum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse, &c. tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obsistunt. Si quando det illis Deus pœnitentiam, ad agnoscendum ueritatem, & resipiscant ex diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem. Idem Roman. 11. dicit, Deum Iudæos excæcatos posse iterum inserere, si non permanserint in incredulitate.

Quartò, quòd hoc peccatum perpetrantes, crucifigant filium Dei ab integro, eumq; ludibrio habeant: hoc est, beneficium & gratiam Christi aspernentur. Ebr. 6. Quòd resistant Spiritui sancto. Quòd sermonem Dei repellant, & indignos sese iudicent uita æterna. Item quòd sint contemptores Dei, & opus Dei non credant, licet quis eis enarret. Item quòd contradicant, & loquantur blasphemiam. Actorum 13. Quòd auribus audiant, non intelligant: & uidentes uideant,

& non perſpiciant: quòd incraſſata habeant corda, & grauiter auribus audiant, & oculos ſuos comprimant, ne uideant oculis, & audiant auribus, & corde intelligant, & conuertantur & ſanentur à Deo. Actor. 28. Quòd impingant in lapidem offendiculi, Actor. 4. Roman. 9. 1 Pet. 2. Quòd ex operibus legis, & non ex fide quærant ſalutem. Rom. 9. Quòd iuſticiæ Dei non ſint ſubditi, & propriam iuſticiam quærant conſtituere. Rom. 10. Quòd ſint populus non credens, ſed contradicens, Roman. 10. Quòd habeant ſpiritum compunctionis, & oculos quibus non uideant, &c. Rom. 11. Quòd habeant cauterio notatas conſcientias. 1 Tim. 4. Quòd uolẽtes ueritatẽ neſciãt, et ſint illuſores. 2 Pet. 3. Quòd peccent per ſe damnati. Tit. 3. Quòd pro peccato ad mortem non ſit orandum. 1 Ioannis 5. Orare enim pro peccato in Spiritum ſanctum, eſt contrà Dei uoluntatem petere, ut blaſphemantes nomen Dei adiuuet, & impœnitentibus uitam det, quam Deus ſolis pœnitẽtibus promiſit. Eos qui redarguti à Spiritu ſancto, ſecundum Dei uerbum agnoſcunt, & non contra conſcientiam defendunt: & qui in Chriſtum credunt, & propter eum petunt remiſſionem peccatorum, non habere peccatum in Spiritum ſanctum, ſeu ad mortem, patet ex doctrina, quam ſuprà de Peccato ueniali recitauimus.

Quomodo peccatum in Spiritum ſanctum præcauendum ſit, monet autor epiſtolæ ad Ebræos, cap. 3. Videte fratres, ne quando in ullo ueſtrûm ſit cor prauum, obnoxium incredulitati, ut deſciſcat à Deo uiuente. Sed exhortemini uos inuicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex uobis induretur ſeductione peccati. Chriſti participes facti ſumus, ſi ſanè initium ſubſtantiæ uſque ad finem firmum tenuerimus, in hoc quod dicitur, Hodie ſi uocem eius audieritis, ne obduretis corda ueſtra, ſicut in exacerbatione. Nam quidam cùm audiuiſſent, exacerbauerunt, &c. Quibus autem infenſus fuit quadraginta annis? nónne ijs qui peccauerant? &c. Quibus autem iurauit, non ingreſſuros in requiem ſuam, niſi ijs qui non obedierant?

DE LEGIBVS DIVINIS.

Apoſtoli, uoce Legis uariè utuntur: ea enim interdum totam Scripturam ueteris Teſtamenti notant. Nam Paulus 1 Corinth. 14. inquit: Mulieres ueſtræ in Eccleſijs fileant: nec enim permiſſum eſt illis, ut loquantur, ſed ut ſubditæ ſint, quemadmodum lex dicit. Idem citans ſententiam Ieſaiæ, Varijs linguis & labijs loquar, &c. inquit, In lege ſcriptum eſt, &c. 1 Corinth. 14. Roman. 3. Nunc abſque lege iuſticia Dei manifeſtata eſt, comprobata tamen teſtimonio legis & Prophetarum.

Interdum uerò lex omnia decreta cõplectitur, quæ Deus per Moſen populo Iudaico, ad totam illam Moſaicam politiam inſtituendam propoſuit. Act. 7. Accepiſtis legem per diſpoſitiones angelorum, nec ſeruaſtis. Rom. 2. Ecce tu Iudæus cognominaris, ac acquieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti uoluntatem, & probas eximia, inſtitutus ex lege, &c. Rom. 5. Peccatũ non imputabatur, cum non eſſet lex. Et Epheſ. 2. Legẽ mandatorum in decretis ſitam abrogans.

Et in hac ſignificatione interdum per metonymiã, abſolutè Moyſes ponitur. Act. 15. Moyſes enim ab antiquis, in ſingulis ciuitatibus habet qui ipſum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur. Actor. 21. Audiuerunt autem de te, quòd defectionem à Moyſe doceas. Sæpius tamen lex Moyſi. Actorũ 13. A quibus non potuiſtis iuſtificari per legem Moyſi. Actor. 15. Niſi circuncidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis eſſe ſalui. Act. 6. Mutabit inſtituta, quæ nobis tradidit Moſes.

Interdum etiam lex ſpecialiter uſurpatur, pro decretis ceremonialibus. Ebræ. 7. Lex conſtituit homines ſacerdotes. Ebr. 9. Omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur. Ebræ. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum. Aut de ſtatutis forenſibus. Actor. 23. Tu ſedes iudicans me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti. Roman. 7. Mulier uiuente uiro alligata eſt legi. Aut de præceptis legis moralis ſeu Decalogi: qua quidem ſignificatione, omnium creberrimè in Apoſtolorũ ſcriptis legitur, ut patet ex teſtimonijs quæ paulo pòſt de lege morali recitabuntur.

Aliquando etiam lex pro operibus legis ponitur. Galat. 2. Si per legem iuſticia eſt, fruſtra Chriſtus mortuus eſt. per legem, id eſt per opera legis. Vnde Rom. 3. Lex factorum appellatur. Aliquando pro doctrina accipitur. Sicut תורה apud Hebræos. Vnde Gal. 2. pro doctrina Euangelij ponitur: Ego per legem, ſcilicet Euangelij, mortuus ſum legi. id eſt, liberatus ſum à maledicto legis. Et Rom. 3. Euangelium lex fidei appellatur.

Aliquando pro obligatione legis, ad pœnam propter inobedientiam, ſeu pro maledicto legis uſurpatur. Rom. 6. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Galat. 4. Rectum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret. Gal. 5. Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. id eſt, ſub damnatione legis.

Aliquando etiam uindictam ſeu pœnam legis ſignificat. 1 Timoth. 1. Iuſtis non eſt lex poſita, ſed iniuſtis. Rom. 7. Vitium deprauatæ naturæ inclinans nos ad peccandum, lex in mentibus noſtris, ſeu peccatum inhabitans uocatur.

Appellationes etiam legis, & periphraſes multas habent. Lex Dei. Rom. 7. Condelector legi Dei. Ilem, Mente ſeruio legi Dei. Rom. 8. Legi Dei non eſt ſubiecta, nec poteſt quidẽ. Lex mandatorũ in decretis ſitа. Epheſ. 2. Lex mandati carnalis. Ebr. 7. Lex regia & libertatis. Iacob. 2. Præceptum, Rom. 7. Lex ipſa quidem ſancta, & præceptum ſanctum. Ebræ. 7. Abrogatur quod præceſſit præceptũ propter imbecillitatem. Sermo uiuus, Act. 7. Moſes &c. accepit ſermonem uiuum, ut daret nobis. Sermo per angelos dictus, Ebræ. 2. Pedagogus, Gal. 3. Iugum, Actor. 15. Vt imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum. Iugum ſeruitutis, Galat. 5. Agnitio & uirtus peccati, Rom. 1. & 2 Corinth. 13. Elementa mundi, Gal. 4. Coloſ. 2. Ebræ. 5. Adminiſtratio mortis & condemnationis, 2 Corinth. 3. Litera, 2 Corinth. 3. Chirographum, Coloſ. 2. Deleto, &c. chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud ſuſtulit è medio, &c. Teſtamentum à monte Sina in ſeruitutem generans. Gal. 4. Ebr. 8.

Apoſtoli quidem non utuntur his appellationibus, Lex moralis, ceremonialis, et forenſis: ſed tamen in eas ſpecies legem Moſaicam eos diſtribuere, inde patet, quòd

quòd sigillatim quarundam ad illam distributionem pertinentiũ legum meminerunt. Autor epistolæ ad Hebræ. 9. Legem Moysi partitur in iustificationes, cultus, & sanctum κοσμικὸν: quæ partitio non admodum dissentit à uulgari, qua lex Moysi diuiditur in leges ceremoniales, quas ille λατρείας seu cultus, & forenses, quas κοσμικὸν δίκαιον, & morales, quas δικαιώματα, seu iustificationes appellat.

Forenses leges, sunt sententiæ à Deo per Mosen traditæ, de uita politica, & iudicijs atque executione pœnarum, contra externa & enormiter delinquentes.

In actis Apostolorum sæpe fit mentio conciliorum & iudiciorum, quæ exercuerunt in Apostolos, cùm eis interdixerunt, ne docerent in nomine Iesu, & pœnis affecerunt. Vsi autem sunt in talibus iudicijs, legibus forensibus Mosaicis. Sed malè accommodarunt eas ad homines innocentes, & rectè docentes. Actor. 7. Stephanus, ut blasphemus in Deũ, & destructor legis Mosaicæ, lapidibus obruitur, iuxta legem Mosi. Actor. 21. Iudæi Paulum in templo comprehendunt, & punire cupiunt, ut hominem qui aduersus populum & legem & locum ubiq; omnes doceat, & qui Græcos induxerit in templum, & locum sanctum profanarit. Actor. 22. princeps sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi, ut percuterent os Pauli. sed Paulus dicit, Percussurus est te Deus, paries dealbate: & tu sedes, iudicans me secundum legem, & contra legem iubes me percuti. & qui adstabant, dixerunt: Summo sacerdoti Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quòd Pontifex esset. scriptum est enim, Principi populi tui ne maledicas. Actor. 24. Tertullus orator in accusatione Pauli apud præsidem, inter cætera inquit: Nacti sumus uirum hunc pestiferum, & concitantem seditionem omnibus Iudæis, in uniuerso orbe, & autorem sectæ Nazarenorum, qui etiam templum profanare conatus est: quem & apprehensum, uoluimus secundum legem nostram iudicare. Roman. 7. An ignoratis fratres (scientibus legem loquor) quòd lex tãtisper dominetur homini, quoad mulier uixerit. Nam uiro obnoxia mulier, uiuente uiro alligata est per legem: quòd si mortuus fuerit uir, liberata est à lege uiri. Proinde uiuente uiro, adultera iudicabitur, si alteri uiro se iunxerit: sin autem mortuus fuerit uir, liberata est à iure uiri, ut non sit adultera, si iuncta fuerit alteri uiro. 1 Corinth. 9. Etenim in Moysi lege scriptum est: Non obligabis os boui trituranti, &c. propter nos hoc scriptum est, quòd sub spe debeat is qui arat, arare. Idem repetitur 1. Timoth. 5.

Leges cæremoniales, sunt statuta à Deo per Mosen sancita, de personis & cæremonijs, & alijs rebus, ad cultum diuinum à Mose institutum pertinentibus.

Circuncisionis passim fit mentio. Actor. 7. & 15. Roman. 2. 15. Galat. 2. 5. 6. 1 Corinth. 7. Ephes. 2. Philip. 3. Colos. 2. 3. 4.

Legis de non attingendo & comedendo immundo, quæ extat Leuit. 5. 11. & Deut. 14. meminit Petrus Actor. 10 & 11. Pentecostes mentio fit Actor. 2. Ad legem de suffocato & sanguine, alludunt Apostoli Acto. 15 & 21. Alluditur etiam ad legem de uotis, Actor. 18. Et Iacobus persuadet Paulo, ut sese purificet in templo Hierosolymitano, cum uiris quatuor uotum habentibus. Paschatis mentio fit Actor. 2. 1 Corinth. 5. Ebr. 11. Ad leges de discrimine potus & cibi, dierum festorum, & nouilunij, & sabbathorum, respexit Paulus Colos. 2. Ii quidem, qui quòd sint de numero filiorum Leui, sacerdotij functionem sumunt, præceptum habent ut decimas accipiant à populo iuxta legem. Ebræ. 7. Lex homines constituit pontifices, habentes infirmitatem. Ebræ. 7. meminit mandati de extruendo tabernaculo, ad exemplar ostensum in monte, Ebræ. 8. Idem multa ceremonialia de templo & rebus in eo, de oblationibus, de expiatione & purificationibus, quæ fiebant sanguine taurorum, hircorum, uitulorum, cinere iuuencæ, aqua & lana coccinea & hyssopo, commemorat Ebr. 9. Lex umbram obtinens futurorum, &c. his hostijs, quas singulis annis continenter offerunt, nunquam potest accedentes perfectos reddere. Ebr. 10.

Lex moralis est doctrina à Deo tradita, cuius summa in Decalogo est expressa. Legum autem moralium passim meminerunt Apostoli, cum præscribunt opera, quæ à iustificatis fieri debeant. 1 Pet. 1. 2 & 5. Et 2 Pet. 1. 1 Ioann. 2. 3. 4. 5. Roman. 12. 13. Galat. 5. Iacob. 1. 2. 3. 4. & in alijs locis.

Constat etiam illa partitio legum ex Apostolorum scriptis, quòd alia sit lex Diuina & scripta, alia lex naturæ, alia ciuilis, aliæ traditiones humanæ. nam sigillatim harum specierum meminerunt. Legis quidem naturæ Roman. 2. Nam cum gentes, quæ legem non habent, natura quæ legis sunt, fecerint: eæ legem non habentes, sibijpsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia, &c.

Traditionum humanarum. 1 Pet. 1. Colos. 2. 1 Timot. 4. Legum ciuilium Romanarum, Actor. 16 & 22. ubi Paulus se ciuem Romanum esse dicit, quem indemnatum non liceat flagellare. & tribunus respondit, se multa summa pecuniæ ciuitatem illam comparasse. Actor. 25. Paulus inquit: Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet iudicari, &c. Et Festus inquit: Cæsarẽ appellasti, ad Cæsarem ibis. Item: Non est Romanis consuetudo, ob gratiam donare aliquem hominem, ut pereat, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat de crimine. Galat. 3. Fratres secundum hominem dico: hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo reijcit, aut addit aliquid. Galat. 4. Quandiu hæres puer est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usq; ad tempus quod pater præscripserit.

DE ABROGATIONE LEGIS Mosaicæ.

LEges forenses & cæremoniales, aduentu & operib. Christi ita abrogatas esse docent, ut ad eas necessariò obseruandas, neq; Iudæi, neq; gentes, sint amplius obligati. Nam ex Actor. 6. apparet, Stephanum docuisse, de abrogationæ politiæ Mosaicæ per Christum: falsi enim testes eam doctrinam calumniosè exagitantes inquiunt, Audiuimus eum dicentem, Iesus Nazarenus iste demolietur locum hunc, & mutabit instituta quæ tradidit nobis Moses. Actorum 10. Deus per uisionem Petro demonstrat, abrogatum esse discrimen Iudæorum

& gentium, & tam gentibus quàm Iudæis tradendum Euangelium. Is etiam ad Cornelũ diuinitùs accersitus, ea de re concionatur: Vos scitis, non fas esse uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus, ne quem cõmunem aut immundum dicerem hominem: quapropter & incunctanter ueni accersitus. Idem cùm Hierosolymis accusaretur, quòd ad uiros præputium habentes ingressus esset, & cum eis comedisset, se eadem reuelatione & historia tuetur. Act. 11. Et Paulus & Barnabas Actor. 15. publicè redarguunt eos, qui à Iudæa descenderant, & docebant, Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis esse salui. item, Synodus Hierosolymitana collecta ex Apostolis & presbyteris, re deliberata & bene disceptata, suo decreto, legem Moysi abrogatam, & gentibus tam grande iugum seruitutis non imponendũ pronunciat: idq; decretum literis comprehensum, gentibus promulgat. Act. 15. & Gal. 2. Paulus etiam Petrum inter gentes intempestiuè iudaizantem Antiochiæ grauissimè obiurgauit: Galat. 2.

Causas autem eius rei faciunt, aduentum & opera Messiæ, per quẽ lex Moysi abrogari debebat: & quòd ea conditione leges Mosaicæ latæ fuerint, ut essent umbræ futurorum bonorum, quæ exhibito Messia cessarent. 1. Pet. 1. Cùm sciatis, uos non caducis rebus, uelut argento & auro fuisse redemptos, à uana uestra conuersatione, quam ex patrum acceperatis traditione. Et Paulus Ephes. 2. Christus est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum, in decretis sitam, abrogans, ut duos conderet in semetipso in unum nouum hominem. Coloss. 2. Ne quis igitur uos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorũ, quæ sunt umbra rerum futurarũ, corpus autem Christi. Autor epistolæ ad Ebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est ut legis quoque translatio fiat. Ebr. 10. Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, &c. Item: Vbi est remissio peccatorũ, nõ est amplius oblatio pro peccato.

Hinc est quòd leges ceremoniales Apostoli plerunque allegoricè in nouo Testamento exponunt. ut Petrus 1 epist. 2. dicit, credentes esse regale sacerdotium, & gentem sanctam, cosq; offerre hostias spirituales Deo per Iesum Christum. Et Paulus Rom. 12. Bona opera hostias rationales appellat. Et autor epistolæ ad Ebræ. 13. Beneficentiam & communicationem, uictimas Deo placentes uocat. 1 Corinth. 5. Pascha de Christo, & ritus quibus solebat celebrari, ut sunt expurgatio ueteris fermenti, & usus panum azymorum, de noua obedientia exponuntur. Idem etiam fit de circumcisione, Rom. 2. Circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus. Philipp. 3. Nos sumus circumcisio, qui spiritu Deum colimus.

Primis aliquot annis Apostoli ceremonialia quædam Mosaica, ut res indifferentes, propter imbecilles, & nondum de abrogatione legis Mosaicæ plenè edoctos obseruarunt, ut patet ex Actor. 16. ubi Paulus Timotheum, quem uolebat secum abducere ad Iudæos, qui sciebant eum ex Græco patre natum esse, circumcidit. Et Paulus 1 Corinth. 9. dicit, se Iudæis factum esse quasi Iudæum, ut Iudæos lucrifaceret: & ijs qui sub lege erant, quasi esset sub lege, ut eos lucrifaceret: & ijs qui sine lege fuerint, tanquam ipse quoque sine lege sit: cùm tamen non sit sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaceret eos qui sunt sine lege. 1 Corinth. 7. Vnusquisque, ut illum Dominus uocauit, ita ambulet. circumcisus aliquis uocatus est, ne accersat præputium: in præputio quis uocatus est, ne circumcidatur: circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Actor. 16. Paulus in Cenchreis rasit caput ob uotum: & Hierosolymis persuasus à Iacobo, ob Iudæos incredulos, sese in templo purificauit. Actorum 21.

Sed postea cùm uiderunt falsos fratres & obstinatos Iudæos, obseruationem legis tanquam necessariam ad salutem postulare, nequaquam illis cesserunt, sed manifestè contra legem tum egerunt, ut doctrinam de abrogatione legis & libertatem Euangelij tuerentur. Vnde Paulus, cùm Hierosolymis esset, una cum Tito, non est compulsus eum circumcidere ob falsos fratres, qui subintroiucrant ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo, quo nos in seruitutem adigerent. Galat. 2. Et eam ob causam Antiochiæ Petrum in gratiam falsorum fratrum iudaizantem grauiter reprehendit Paulus, Galat. 2. Idem 1 Corinth. 10. legem de discrimine ciborum abrogat. Et Paulus aperte docuit, adeò esse abrogatam legem Moysi, ut si quis ea opinione circumcidatur, aut aliàs obseruet legis cæremonias, quòd sint necessariæ ad iustificationem, non possit saluari. Galat. 5. Ecce ego Paulus dico uobis, quod si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit. Contestor autem omnem hominem qui circumciditur, quòd debitor est totius legis seruandæ. Christus uobis factus est otiosus, quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis.

A legis uerò moralis maledicto, seu condemnatione, sed non ab obedientia liberatos nos esse docent. Et causas allegant, quòd legis impletio nobis fuerit impossibilis, & quòd Christus eam pro nobis præstiterit. Actor. 13. Notum sit uobis fratres, quòd per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur: & ab omnibus, à quibus non potuistis iustificari per legem Moysi, per hunc omnis qui credit iustificatur. Actor. 15. Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi, credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Et in literis synodalibus inquiunt: Visum est spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria. Roman. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia. Roman. 8. Lex spiritus uitæ, per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Etenim quod lex præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat, per carnem, hoc Deus proprio filio, &c. præstitit. Galat. 3. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Gal. 4 Etectum legi obnoxium, ut eos qui erant legi obnoxij, redimeret. Coloss. 2. Condonans nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis, per decreta. Ebræ. 7. Abrogatur enim quod præcesserit mandatum propter imbecillitatem, &

& inutilitatem. Nam nihil ad perfectionem adduxit lex, uerùm erat introductio ad spem potiorem. Ita ergo abrogata est nobis lex moralis, ut quasi priuilegium nobis sit per Christum donatum, ne teneamur iustificiam ex lege, seu operibus legis, quæ nos præstamus, quærere & expectare. Galat. 2. Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, quoniam scimus non iustificari hominem ex operibus legis, si non per fidem Iesu Christi: & nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Philip. 3. Vt reperiar in illo, nõ habens meam iusticiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi. Sed legem nõ prius aboleri, quàm ad Christum conuertantur, Paulus 2 Corinth. 3 docet.

Sed quantum ad obedientiam, legem moralem, quæ est immota sententia diuinæ mentis, non abrogatam, sed perpetuo durare, & omnes obligare docent. Nam synodus Hierosolymitana gentibus interdicit cultum idolorum, & scortationem, quæ certè sunt legis moralis præcepta. Act. 15. Et Paulus Actor. 26. testatur, se annunciasse gentibus, ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, opera facientes digna his qui resipuissent. Quòd si sensisset, liberum esse obedire legi diuinæ, aut non obedire, non præcepisset, ut bona opera facerent. Idem Roman. 3. ad obiectionem, Legem igitur irritam faciemus per fidem, hoc est, cùm docemus nos fide liberari à maledicto legis, nunquid etiam homines ab obedientia erga legem moralem liberamus? respondet: Absit, imò legem stabilimus: hoc est, docemus iustificatos debere nouam instituere obedientiam secundum Decalogum. Idem Roman. 6. eandem repetit obiectionem: Manebimus igitur in peccato, ut abundet gratia? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac uiuemus in eodem? Postea: Quid igitur? peccabimus, quòd non simus sub lege, sed sub gratia? absit. Rom. 8. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Idem in singulis Epistolis suis opera Decalogi inculcat: quod non faceret, si ab obedientia legis moralis liberatos sentiret. Et 1. Corint. 9. eleganter dicit, se non esse sine lege Deo, sed ob nexium legi Christi. Petrus etiam & Ioannes, item auto res epistolarũ Iudæ, Iacobi, ad Ebræos, præcepta Decalogi repetunt, explicant, & iustificatos hortantur ut ijs obediant, & secundum ea uitam suam instituant.

DE LEGE MORALI, SEV Decalogo.

LEgis moralis Deum autorem esse, consentiunt. Paulus enim legem Dei appellat Rom. 7. & Rom. 3. Oracula Dei, autor Epistolæ Iacob. 4. Vnus est legislator, qui potest seruare & perdere.

Ministros uerò promulgationis, angelos & Mosen fuisse asserunt. Nam Stephanus Acto. 7. inquit: Accepi uiuos legem per dispositiones angelorum, nec seruastis. Et Paulus Gal. 3. Lex ordinata per Angelos, in manu intercessoris. Intercessor autem unius non est, at Deus unus est. Autor epistolæ ad Ebr. 2. Is qui per angelos fuerat dictus sermo, fuit firmus. De Mose uerò cap. 3. inquit: Moses quidem fidelis fuit in tota domo illius, uelut minister. & Ebr. 8. & 12.

Meminerunt & loci, ubi lex promulgata est, & earum rerum quæ ibi acciderunt, & temporis quando lex lata sit. Nam de loco Stephanus inquit Acto. 7. Hic est Moses, qui fuit in congregatione, in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai, & cum patribus nostris: qui accepit sermonem uiuum, ut daret nobis. Gal. 4. Nam hæc sunt duo testamenta, unum quidem à monte Sina, in seruitutem generãs, qui est Agar. nam Agar, Sina mons est in Arabia, confinis est autem ei quæ nunc est Hierusalem. Montis meminit autor epistolæ ad Ebr. 8. & 12. De rebus quæ ibidem acciderũt, autor epistolæ ad Ebr. 12. inquit: Non accessistis ad cõtactum montem & incensum ignem, ac turbinem & caliginem & procellam, tubæq; sonitum, & uocem uerborum: quam qui audierant, deprecati sunt, ne his adiũgeretur oratio. non enim ferebant, quòd edicebatur: Si bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo configetur. et adeò terribile erat uisum, quod apparebat. Moses dixit, Expauefactus sum, ac tremebũdus. Et Stephanus Actor. 7. quædam alia attexit: Auersi sunt corde suo in Aegyptum, dicentes ad Aaron, Fac nobis deos qui præcedant nos: Mosi enim huic, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid acciderit, & uitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur super operibus manuum suarum. Et Paulus 1 Corinth. 10. Sedit populus ut ederet, & surrexerunt ad ludendum. Et 2 Corinth. 3. Meminit legis, in tabulas lapideas inscriptæ, & inquit: Moses ponebat uelamen in facie sua, ne intenderent filij Israel in finem eius quod abolebatur.

De tempore Paulus inquit Galat. 3. Hoc testamentum (promissio Abrahæ de semine benedicto) antè comprobatum à Deo, erga Christum, lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promissionem.

Monent etiam, legem hominibus, & non Deo latam esse: eámque homines obligare aut ad obedientiam, aut ad pœnas. & non Deum. Actor. 7 Stephanus inquit, Mosem accepisse à Deo sermonem uiuum, ut traderet eum Iudæis. Roman. 3. Iudæis commissa sunt oracula Dei. item: Scimus quòd quæcunque lex dicit, his qui in lege sunt dicat, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Roman. secundo. Quicunque sine lege peccarunt, sine lege & peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Idem Roman. 9. dicit, Iudæorum esse testamenta, & legis constitutionem, & cultus, & promissionem. Idem Roman. 7 & 8. ostendit, sibi & alijs hominibus, quos carnem uocat, legem esse latam, eosq; ea obligari. Galat. 3. Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Galat. 4. Misit Deus filium, &c. ut eos qui erant obnoxij legi, redimeret. Idem Colos. 2. dicit, chirographum nobis fuisse contrarium per decreta. 1 Timoth. 1. Lex non est iustis posita, sed iniustis. at nos homines fuimus iniusti, Deus uerò iustus est: ergo per se lex non est Domino nostro Iesu Christo lata, sed nobis. Quod autem ipse eam subit pro nobis, facit id non ex debito, sed ex misericordia gratuita. Autor epistolæ ad Ebr. 2 dicit nos per omnem uitam obnoxios fuisse seruituti.

Legum autem moralium duo sunt genera: alterum eorum est quæ immediatè ad Deum spectant, alterum

corum quæ ad proximũ. Solent uulgò illa ad primam, hæc uerò ad secundam referri tabulam. Etsi autem Apostoli non exprimant, in quot tabulas, et qualia præcepta in prima, qualia in secunda fuerint inscripta: tamen leges morales in hæc duo genera haud obscurè distribuunt. 1 Pet. 2. Deum timete, regem honorate. 1 Petri 4. Sitis sobrij & uigilantes ad orãdum, ante omnia uerò charitatem inter uos uehementem habentes. Idem in secunda quoq; Epistola passim, cum hortatur ad bona opera, præcepta tradit, tum ad interiorẽ cultũ erga Deum, tum ad exteriorem erga proximũ pertinentia.

Ioannes 1 epist. 4. Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Paulus etiam præcepta primæ & secundæ tabulæ, inculcat Ephes. 6. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est præceptum primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis longæuus in terra. Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur: consummatio itaq; legis est dilectio. Gal. 5. Per charitatem seruite uobis inuicem. Nam tota lex in uno uerbo completur, nempe hoc, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Docent etiam, legem moralem non tantùm externam quandam postulare obedientiam, sed integram impletionem, proficiscentẽ ex natura integra & incorrupta. Nam ostendunt, legem depravationem naturæ & prauos affectus & opera carnis accusare, & damnare: & incorruptam naturam, & puros affectus, & opera bona, à nobis postulare. Petrus enim in suis epistolis, cùm de bonis operibus concionatur, quòd nihil aliud est, quàm præcepta Decalogi repetere & inculcare, non externa tantum opera, sed etiam interna præcipit: & non tantùm externa mala opera damnat, sed etiam prauitatem naturæ, & affectus malos. 1 Petri 1. Quemadmodũ qui uos uocauit sanctus est, ita uos quoque sancti in omni conuersatione reddamini, propterea quod scriptum est: Sancti estote, nam ego sanctus sum. Idem 2. cap. præcipit fidem, patientiam. & 3. postulat occultum hominem, qui sit in corde, spiritus placidus & quietus, & careat omni corruptela: item timorem Dei, bonam conscientiam: & ecõtrà prohibet concupiscentias carnales, 1 Pet. 1 & 2. Cultum idolorum, 1. Pet. 4. Omnem malitiam, dolum, simulationes, inuidentiam, obtrectationes, 1 Pet. 2. & similia, ut prolixius infrà in loco de Bonis operibus dicetur. Iohannem etiam sic de lege sensisse, quòd non externa tantùm opera requirat, sed etiam interna, & naturæ integritatem, ex eo apparet, quòd totum mundum, id est, omnes homines, in maligno positũ esse dicit. 1 Ioan. 5. Et quòd mundo tribuit concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & factum uitæ, quæ non sint ex Deo, sed ex mundo. 1 Ioan. 2. Item, Quod peccatum definit esse ἀνομίαν πρὰξ ἀδικίαν, hoc est, quiddam quod cum norma legis non congruat. 1 Corinth. 3. & 1 Ioan. 5. Et quod docet, omnes Christianos esse peccatores. 1 Iohan. 3. Et solum filium Dei expiasse peccata mundi. 1 Iohannis 2 & 4. Et quòd quintum præceptum, Non occides, non tantùm de externo opere, sed etiam de odio prohibito intelligit: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Præceptum etiam de dilectione ita exponit, ut non uerbo, neque lingua tantùm, sed opere & ueritate: & ita proximum diligendum doceat, ut indigenti de bonis nostris communicemus, & animam pro fratribus nostris ponamus. 1. Iohan. tertio. Item, quòd perfectam charitatem, quæ foràs eijciat omnem timorem, requirit. 1. Iohãnis quarto. & quòd cultum simulachrorum prohibet, 1 Iohan. quinto.

Et Paulus præclarè mentem legis diuinæ exprimit, quòd integerrimam & perfectissimã, internam & externam requirat obedientiam, & damnet naturæ depravationem, & omnes fructus inde prouenientes. 1. Timoth. 1. Finis præcepti est charitas, ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. Roman. septimo: Concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Item: Itaque lex ipsa quidem sancta, & præceptum sanctum ac iustum & bonum, & Scimus enim, quòd lex spiritualis est, at ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Vocat autem ideo legem spiritualem, quòd motus spirituales postulet, & carnis affectus damnet, ut qui legi Dei non subijciantur. Roman. 8. Idem Galat. 5. Opera carnis, inter quæ etiam recenset cultum idolorum & hæreses, à lege damnari docet. In eodem cap. etiã docet, non impleri legẽ unius cuiusdam præcepti obseruatione, sed oportere totam legem impleri ab ijs qui uelint per legem saluari. Autor epistolæ Iacobi 2. Quisquis totam legem seruauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Nam qui dixit, Ne mœcheris: dixit etiam, Ne occidas. Quòd si non fueris mœchatus, occideris tamen, factus es legis transgressor.

Monent etiã, opera secũdæ Tabulæ tam exigi quàm primæ: & quidem opera primæ tabulæ, & cerimonialia Deo non placere, si opera secundæ tabulæ negligantur. 1 Ioan. 4. Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim nõ diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem non uidet quomodo potest diligere? Rom. 2. Circumcisio quidem prodest, si legem seruaueris: quòd si transgressor legis fueris, circumcisio tua in præputium uersa est.

Opera moralia etiam cerimonialibus præferenda esse, monet Paulus 1 Corinth. 7. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Idem repetit Gal. 5 & 6.

Tradunt etiam, legem ijs qui perfectam præstent obedientiam, promittere iustificationẽ & uitam. Nam Paulus Rom. 2. inquit: Non enim qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum: sed qui legem factis exprimũt, iustificabuntur. Idem Rom. 7. dicit, Legem præceptũ sanctum, iustum & bonum esse, & institutum ad uitam. Idem Rom. 9. legẽ uocat legem iustitiæ, eo quòd integra obedientia legis, habeat promissionem iustitiæ. Et Rom. 10. dicit, Iudæos quæsiuisse per obseruationem legis, propriam iusticiam constituere: hoc est, per opera legis iustificari. ubi & hoc addit: Moses scripsit de iusticia quæ est ex lege, quòd qui fecerit ea homo, uiuet per illa. Gal. 3. Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, uiuet in ipsis. Idem in eodẽ capite dicit:

dicit: Etenim si data fuisset lex, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia. Qua sententia Paulus indicat, si integrè ab hominibus potuisset seruari, et imple ri, uerè eam hominibus conferre iusticiam. Autor epist. Lac. 1. At qui prospexerit in legem perfectam, quæ est libertatis, & permanserit, hic cùm non sit auditor obli uiosus, sed effector operis, beatus facto suo erit.

Huc & aliæ legales promissiones, siue generales siue speciales, referendæ sunt: quales sunt 1 Pet. 3. Qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coerceat lin guam suam à malo, & labia sua, ne loquantur dolum: declinet à malo, & faciat bonum, &c. Quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem eorum. 1 Ioann. 2. Qui facit uoluntatem Dei, manet in æternum. Ephes. 6. Illud scientes, quòd unusquisque quod fecerit boni, reportabit à Domino, siue seruus fuerit siue liber.

Econtrà uerò legem, corporales & æternas pœnas comminari, & inferre omnibus hominibus, qui perfectissimam legi non præstent obedientiam, indicat. nam Paulus Rom. 2. Quicunq; in lege peccauerunt, per legē iudicabuntur. Ro. 4 Lex iram operatur: hoc est, homi nibus qui integram non præstiterunt obedientiam, denunciat iram Dei. Idem Rom. 7. dicit, Legem institutā latam sibi peccatum suum, & denunciarit mortem propter peccatum. Idem 2 Cor. 3. legem literam occidentem appellat, et administrationem mortis, deformatam in saxis, & administrationem condemnationis, ideo quòd mortem & condemnationem denunciet transgressoribus. Gal. 3. Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus his quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Huc pertinent aliæ legales comminationes, siue generales, siue speciales, quales sunt 1. Petri 3. Aspectus Domini super facientes mala. 2 Pet. 2. Quibus iudicium iam olim non tardat, & perditio illorum non dormitat. 1 Ioann. 2. Mundus transit, & concupiscentia eius. 1 Ioan. 3. Qui non diligit fratrem, manet in morte. 3. Ioannis: Qui bene facit, ex Deo est: qui autem malè facit, non uidet Deum. Rom. 2. Reddet tribulationem & angustiam omni animæ hominis operantis malum, inimicis; secundū opera sua, &c. Ventura est indignatio, & ira, & afflictio, & anxietas, aduersus omnem animam hominis, perpetrantis malum. 1 Corinth. 6. Iniusti, regni Dei hæreditatem non consequentur. Idem Ephes. 5. Autor epistolæ ad Ebræos cap. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Deinde cum eam legem accommodant ad genus humanum, quale est post lapsum, docent nullum hominem ei integram & perfectam, qualis à Deo exigitur, præstare posse obedientiam: ideoq; legem non iustificare quenquam, sed accusare & damnare omnes homines unde porrò inferunt, opera legis, seu obedientiam, quam homines præstare possunt, non esse iusticiam coram Deo. nam Stephanus Actor. 7. inquit: Moses accepit sermonem uiuum, ut daret nobis, cui noluerunt obedire patres nostri, &c. Item: Accepistis legem per dispositionem angelorum, nec seruastis. Et Barnabas & Paulus Actor. decimotertio: Per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Et Petrus in synodo Apostolorum, Actor. decimoquinto: Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi, credimus nos saluos futuros. Et Paulus Roman. 1 & 2 probat, neque gentes, neque Iudæos, legi integram præstare obedientiam. Ideoq; utrosque peccato obnoxios esse concludit. Rom. 3. Vbi etiam hoc addit, Vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo: propterea quòd ex operibus legis, hoc est, ob eam, quam nos legi præstare possumus, obedientiam, non iustificabitur omnis caro, in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Idem Roman. septimo, suo exemplo docet, neminem per legem iustum pronunciari: sed omnes damnari, propterea quòd omnes sunt carnales, & habeant in sese inhabitans peccatum, quo impediantur præstare integram obedientiam legi. & Rom. 8. apertè dicit, legem propter carnis imbecillitatem, hoc est propter imperfectam obedientiam, quam omnes homines sibi præstant, non potuisse quenquam iustificare, sed potius omnes accusare ac damnare. Idem Roman. 9 & 10. docet, Iudæos ignaros iusticiæ Dei, propriam iusticiam ex operibus legis constituere uoluisse: & sic non iustificari, sed potius damnari, eo quòd legem neq; ipsi impleuerint, neque impletionem Christi pro ipsis præstitam fide amplexi sint. Idem Gal. 2. suum axioma repetit, Non iustificatur ex operibus legis ulla caro. & 3 cap. inquit: Quotquot ex operib. legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Scriptum est enim: Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et paulo pòst dicit, legem non potuisse uiuificare, ideoq; ex ea non esse iusticiam.

Quod uerò lex non potuit nos uiuificare, seu nobis dare uitam, non culpa legis fit, quæ habet promissionē de uita: sed hominum culpa fit, qui conditionem promissioni de uita additam, hoc est integram & omnibus numeris absolutam obedientiam non præstant. Idem Gal. 6. Nam qui circunciduntur, ne ipsi quidem legem seruant. Autor epistolæ ad Ebr. 7. dicit, Legem abrogari propter imbecillitatem & inutilitatem: hoc est, propter imperfectam obedientiam, quam homines ei præstant, non potuisse iustificare quenquam.

Porrò nullum hominem potuisse legi Dei satisfacere, & uitam æternam per legem acquirere, etiam eo Apostoli monent, quòd Dominum nostrum Iesum Christum peccata generis humani expiasse, & impleta lege pro nobis, iusticiam & uitam in se credentibus comparasse docent. 1 Petri 3. Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo. 1 Ioan. 1. & 2. Rom. 3. Gal. 4. & alibi passim.

Cæterum etiam hoc Apostoli docent, quòd ad recuperandam generis humani salutem, duo lex necessariò postularit: nempe maledicti, hoc est condemnationis æternæ abolitionem. per aliquod æquiualens λύτρον, et integerrimam obedientiam, quæ uitam & iusticiam à lege promissam mereretur: quod utrūq;, per unum mediatorem Dominū nostrum Iesum Christum, pro genere humano præstitū esse, affirmant. nam Paulus Rom. 8. inquit: Etenim quod lex præstare nō poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio

filio misso sub specie carnis, peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Idem Rom. 10. dicit, Christum impleuisse legem, hoc est, legi integram præstitisse obedientiam (sic enim Rom. 5. exponitur) eaq; impletione comparasse iusticiam & uitam, omnibus in se credentibus. Idem Gal. 3. docet, legem postulare à nobis solutionem, pro abolendo maledicto, & integram obedientiam pro acquirenda uita: sed Christũ pro nobis factum maledictum, nos à maledicto, hoc est ab ira Dei & condemnatione redemisse: & benedictionem, hoc est donationem iusticiæ & uitæ æternæ comparasse. quod nullo alio modo fieri potuit, quàm integra obediẽtia legis, quæ promissionem habet uitæ. Idem Gal. cap. 4. inquit: Sic & nos cùm essemus pueri, sub elemẽtis mundi eramus, in seruitutẽ adacti: at ubi uenit plenitudo tẽporis, emisit Deus filiũ sux, factũ ex mulie re, factũ legi obnoxiũ, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret, scilicet à maledictione legis, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Idem Philippens. cap. 2. utraque coniungit, quæ lex à nobis postulabat, à Christo uerò præstita sunt pro nobis, nempe mortem & obedientiã: Humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortẽ, mortem aũt crucis. Huc pertinent omnia testimonia, quæ de parta nobis salute per Christum, passim occurrũt, & suo loco referẽtur. Illa enim omnia docẽt, legem, cui Christus integrè pro nobis satisfecit, obediendo, & moriendo, duo illa postulasse, necessaria ad recuperandam salutem generis humani, nempe mortem & integram obedientiam, quæ meretur mortis abolitionem, & uitæ æternæ restitutionem: nisi quòd synecdochicôs pleraq; tantum earum rerum quæ Christus passus est, mentionem faciant. Sed tamen integram obedientiã, quà pro nobis præstitit, ita ut absq; omni peccato fuerit, qua nobis meruit uitã æternã, non excludãt.

Monent etiam Iudæos, hypocritas, & alios homines securos, hanc Legis moralis sententiam non intelligere, quòd requirat integram obdientiam, quam nemo hominum possit præstare, & quòd eam ob causam omnes homines damnet. Nam Paulus ipse de se inquit Rom. 7. Ego autem uiuebam sine lege quondam: hoc est, eram securus, & putabam, meam qualemcunq; obedientiolam, quam legi præstabam, legi satisfacere, & mereri uitam. Porrò uiuente mandato, peccatum reuixit, ego uerò mortuus sum: hoc est, cùm legem cœpi intelligere, sensi me peccatorẽ esse, & meam obedientiam esse imperfectissimam, & à lege accusari ac damnari: atque ita ego mortuus sum, hoc est, sensi me destinatum esse legis sententia, ad mortem. Idem de alijs securis Iudæis dicit, Roman. secundo: Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis, non adulterandum, adulterium committis: qui execraris simulachra, sacrilegium admittis: qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum dehonestas. Idem secundæ epistolæ Corinth. cap. 3 docet, uelamen faciei Mosi impositum, significasse, Iudæos ueram legis sententiam non intellecturos, quòd requirat integram obedientiam: sed putaturos, legem qualicunque externa obedientia contentam fore, & ob eam dare uitam. ubi etiam id uelum, seu hunc peruersum legis intellectum, non prius ab ijs tolli docet, quàm ad Christum conuertantur.

De legis officio atq; usu, etiã Apostoli eadem cum Christo docent: primùm quòd ideo fuerit inscripta cordibus hominum, & postea in monte Sinai solenni promulgatione repetita & declarata, ut commoneficiat homines, de immota norma iusticiæ diuinæ, iuxta quã Deus homines primùm condidit.

Patent autem hæc ex ipso Decalogo, & sententijs quibus summa Decalogi repetitur. 1 Ioan. 4. Hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat fratrem suum. Deinde ex sententijs quæ de imagine Dei proponuntur. Ephes. 4. Induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iusticiam & sanctitatem ueritatis. Eph. 5. Fructus Spiritus est in iustitia & ueritate. 2 Cor. 3. Nos autem omnes, erecta facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eandẽ imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu. Præterea etiam ex illis dictis patent, quæ de quadam nostri collatione & ἀναλογίᾳ ad Deum loquuntur: qualia sunt 1 Pet. 1. Sancti estote, nam ego sanctus sum. 1 Ioan. 2. Qui dicit se in illo manere, debet, sicut ille ambulauit, ambulare. 1 Thess. 4. Hæc enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Sed hæ sententiæ etiam ad tertium legis usum referuntur.

Secundò, ut moneat de regula iusticiæ, iuxta quam generi humano salus recuperanda erat, siue id per ipsos homines fieret, siue per alium mediatorem. Dum enim lex transgressoribus minatur maledictũ & mortem, & facientibus promittit uitam, Gal. 3. Rom. 10. homines uerò maledicto legis obnoxios esse conuincit Roman. 3. 7. Gal. 3. 4. Et Apostoli docent, Christũ, nos morte sua & obedientia à maledicto legis redemisse, & iusticiam & uitam in se credentibus præparasse: quid aliud his indicant, quàm legem duo illa, ad salutem generi humano recuperandam necessaria requisiuisse, mortem abolitionem maledicti per mortem, & comparationem uitæ à lege promissæ, per obedientiam omnibus numeris perfectissimam.

Tertiò, ut demonstret omnes homines esse peccatores, & iræ Dei obnoxios, nec posse sua obediẽtia legem implere, & iusticiam & uitam cõsequi. Rom. 3. Scimus autem quòd quæcunq; lex dicit, his qui in lege sunt, dicat, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo, propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius: per legem enim agnitio peccati. Rom. 4. Lex iram operatur. Siquidem ubi non est lex, ibi nec transgressio. Rom. 5. Cæterùm lex obiter subijt, ut abundaret delictum. Rom. 7. Lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces: sed occasione accepta peccatum per præceptum, genuit in me omnem concupiscentiam, siquidem absq; lege peccatum erat mortuum. Ego autem uiuebam sine lege quondam. Porrò ueniente mandato, peccatum reuixit, ego uerò mortuus sum. Et repertum est mandatum, quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem: peccatum occasione accepta per præceptum decepit me, & per illud occidit. Itaq; lex ipsa quidem sancta, & præceptum sanctum ac iustum et bonum. Ergo quod bonum erat, mihi factum est mors? Absit. Imò peccatum, ut appareret peccatũ per id quod erat bonum mihi gignere mortem, ut fieret

maiorem in modum peccans peccatũ per præceptum. Scimus enim quòd lex spiritualis est, at ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. 1 Cor.15. Aculeus mortis peccatum, potentia uerò peccati lex. Galat.2. Non iusti ficabitur ex operibus legis omnis caro. Galat.3. Quot quot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Item, Quid igitur lex? propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen. Galat. 4. legem appellat testamentum, in seruitutem generans. Idem 2 Corinth. capite tertio, docet, legem, quam literam appellat, occidere, administrare mortem & condemnationem. Coloss. cap. 3. dicit, Chirographum fuisse nobis contrarium, per decreta.

Quartò, ut sit pædagogus ad Christum, hoc est moneat nos, aliunde quærendam esse salutem, cùm nullus hominum per opera legis posit iustificari coram Deo. Galat.3. Antequam uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ erat reuelanda. itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. At posteaquam uenit fides, non amplius sub pædagogo sumus. Autor epist. ad Ebr.7. Nihil ad perfectionẽ adduxit lex, uerum erat introductio ad spem potiorem, per quam appropinquamus Deo.

Quintò, ut iustificatis ostendat, iuxta quam regulam, noua obedientia sit inchoanda, & exercenda. Roman. tertio: Legem igitur irritam facimus per fidem? Absit, imò legẽ stabilimus. Hinc Apostoli semper cùm iustificatos hortantur ad nouam obedientiam, repetũt præcepta legis moralis, & explicant, ut infrà in loco de bonis operibus dicetur.

Sextò, ut moneat etiam renatorum bona opera ab integra legis diuinæ impletione procul abesse, ne suis operibus, sed obedientiæ & impletioni Christi, sibi per fidem applicari & imputari, confidant. 1 Ioann. 1. Si dixerimus, Non peccauimus, mendacem facimus eum. 1 Cor.4. Nullius rei mihi sum conscius, sed per hoc non sum iustificatus. Rom.4. dicit, Abrahamum non habere quod glorietur apud Deum. 1 Cor.1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Philipp.3. Non habens meam iusticiam ex lege. Idem Gal.5. ubi recensuit fructus Spiritus, seu bona opera renatorum, addit, Aduersus huiusmodi non est lex. quasi dicat, Bona opera renatorum ex fide præstita, lex quidem non prohibet: sed tamen nec ea iustificat, seu pro integra impletione acceptat.

Septimò, ut moneat homines etiã non renatos de externa & politica disciplina, quæ generi humano in communi societate uitæ necessaria est. Rom. 1. Qui cùm Dei iusticiam nouerint, nempe quòd qui talia faciunt, digni sint morte, non solum ea faciunt, sed etiam assentiuntur ijs qui faciunt. Rom.9 & 10. & Philip.2. meminit iusticiæ legis, & quidem talis, secundum quam ipse fuerit irreprehensibilis, sed coram hominibus. 1. Tim.1. Iusto non est lex posita, sed iniustis, & inobsequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, parricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ aduersetur. Ebræ.13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Legem igitur Dei, seu decalogum, in Ecclesia Christi semper sonare debere, etiam Apostoli docent. Primùm suo exemplo. Nam ipsi pœnitentiam concionantur, Act. 2.3.4.6.7.13.16. capitibus, & alibi passim. & Paulus Actorum 20. dicit, se testificatum esse Iudæis & Græcis, eam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem quæ est erga Dominũ nostrum Iesum Christum. Idem 1 Corinth. 1.2.3.4.5.6 & alijs capitibus, arguit & reprehendit Corinthiorum uitia. Deinde bona opera iustificatis præscribunt ex lege, & mala opera prohibent, ut apparet ex omnibus Apostolorum Epistolis. Secundò, quòd docent omnes sanos & fideles uerbi Dei ministros debere peccata hominum arguere, & ad bona opera hortari. 1 Pet.5. Actor.20. 1 Timoth.5. Peccantem argue coram omnibus. 2 Tim.3. ad Titum 1. Obiurga eos grauiter. Tertiò, quòd etiam singulos Christianos iubent arguere et fugere peccata, et peccatis cõtaminatos, quod non potest fieri sine officio legis. 2 Iohan. Qui non affert hanc doctrinã, ne Aue ei dixeritis. Ephes.5. Ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin potius ea etiam arguite. 1. Corinth. 5. Etiam profligate istum, qui malus est, ex uobis ipsis.

Sanæ doctrinæ de lege pseudoapostoli repugnarũt, qui docebant legem Moysi non esse abrogandam, eiusq; obseruationẽ & opera necessaria esse ad salutem, neq; gentes posse saluari sine circuncisione. Acto. 15. Galat. 2.5.6. Qui uolebant esse legis doctores, & non intelligebant legem, nec ea rectè utebantur. 1 Timoth. 1. Qui docebant discrimen ciborum & potus, dies festos, nouilunia & sabbatha esse obseruanda, tanquam necessaria ad salutẽritem, qui tradebant præcepta et doctrinas hominum. Col.2. Calumniatores, qui abrogationem legis & iustificationẽ per solam fidem, de concessa libertate peccandi accipiebãt, quos refutat Paul. Ro.3. & 6.

DE EVANGELIO.

VOx Euangelium in Actis, in epistolis Pauli & Petri, & in Apocalypsi Ioannis, reperitur. In epistolis uerò Ioann. Iacobi & Iudæ & ad Ebr. non extat, sed tamen rem ipsam habent, quam alijs appellationibus et circunscriptionib. exprimũt, ut postea dicetur.

Est aũt triplex huius uobis usus. aut enim εὐαγγέλιον significat historiã de Christo literis mandatã. nã sic uidetur accipi 2. Cor. 8. Misimus autem unà cum illo fratrem eum, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. quod plerique intelligunt de Luca euangelista. Rom. 2. 2 Tim. 2. Memẽto Iesum Christũ resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundũ euangelium meum. Nam & hoc quidem de historica narratione quam Lucas conscripsit, ex Pauli & aliorum Apostolorum concionibus acceptam intelligunt. Huic, euangelistæ nomẽ est. Ephes. 4. Dedit alios Apostolos, alios prophetas, alios euangelistas. Act. 21. Intrantes in domum Philippi euangelistæ. & 2 Tim. 4. Fac opus euangelistæ. Sed ea uox in his locis non tantum euangelicæ historiæ scriptorem, sed etiam doctorem fungentem ministerio euangelij, & propagantem doctrinam euangelij significare uidetur. Neq; enim Timotheum, neq; Philippum euangelicam historiã contexuisse, & literis mandasse, memoriæ proditum est.

Aut significat totum genus doctrinæ seu ministeriũ, per Christum prædicatum, & Apostolis commissum, & ab ijs postea propagatum, de singulis articulis

doctrinæ à Christo traditæ, cuius duo sunt summa capita, concio pœnitentiæ & remissionis peccatorũ. Ro. 1. Testis enim est mihi Deus, quem colo spiritu meo in euangelio filij ipsius. Et paulo pòst: Paratus sum uobis quoq; qui Romæ estis, euãgelizare. Item 1. Rom. 6. Vt sim minister Iesu Christi in gentes, administrans euangelium Dei. 1 Cor. 9. Dominus ordinauit, ut qui euangeliũ annunciant, de euangelio uiuant. Item, Sine sumptu ponam euangeliũ. Philip. 2. Timotheus mecum uelut cum patre seruiuit in euangelio. 2 Tim. 1. Collabora in euangelio. 1 Pet. 4. In hoc mortuis quoq; prædicatũ est euangelium, ut iudicarentur quidem secundum homines carne, uiuerent autem iuxta Deum spiritu.

Aut specialiter significat doctrinam de operibus et beneficijs exhibiti Messiæ, qui annunciat contritis peccatoribus remissionem peccatorum: & opponitur legi, quæ non annunciat remissionem peccatorum gratis, sed postulat λύτρον pro admissis peccatis, & obedientiam integram pro acquirenda uita.

Testimonia in hac significatione extãt passim apud Paulum Rom. 1. Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat. Rom. 10. Non omnes obedierũt Euangelio. 1 Thes. 1. Qui non obedierunt euangelio. 2 Cor. 4. Ne illucesceret illis lumen euangelij gloriæ Christi. Galat. 1. 2. Ephes. 1. Audito uerbo ueritatis Euangelio salutis, &c. Et Ephes. 2. Christus euangelizauit uobis pacem. Colos. 1. Ne dimoueamini à spe Euangelij. 1 Thess. 1. 1 Timoth. 1. Secundum euangeliũ gloriæ beati Dei. 2 Timoth. 1. Vitam in lucem produxit & immortalitatem per Euangelium. 1 Corinth. 15. Admoneo uos Euangelij, &c. Actor. 20. Testificans euãgelium gratiæ Dei. 1. Pet. 1. Hæc quæ nunc annunciata sunt uobis, per eos qui uobis prædicauerũt Euangelium. Item, Hoc est uerbum quod est euangelizatum uobis.

Huc etiam illa priora testimonia referri possunt: semper enim cum euangelium generaliter accipitur, de toto genere doctrinæ, etiam eam quæ est de gratuita remissione per Christum includit: at non ecòntrà. In hac significatione uocem Euangelij hoc loco accipimus, cùm de doctrina, de remissione peccatorum gratuita, legi oppositæ, agimus. Nam de ministerio, quod est concio pœnitentiæ & remissionis peccatorum, infrà suo loco dicetur.

Appellationes autem euangelij uarias, passim licet in Apostolorum scriptis obseruare. Vocatur enim generali quadam periphrasi, Sermo Dei: eo quòd diuinitus hæc doctrina sit patefacta. Actor. 8. Peragrabant, annunciantes sermonem Dei. Item, Samaria recepit sermonem Dei: Act. 10. Sermo quem misit Deus Israel annunciãs pacẽ per Iesum Christũ. Sermo gratiæ Dei, Act. 20. Regnum Dei, Act. 20. Per quos transiui, prædicans regnũ Dei. Promissio, Actor. 2. Promissio Abrahæ facta, de semine benedicto. Gal. 3. Rom. 5. Non enim per legem cõtigit promissio Abrahæ. Rom. 9. Quorum sunt promissiones, Rom. 15. 2 Pet. 1. Promissa donata sunt nobis. 1. Ioan. 2. Hæc est promissio, quam ipse nobis promisit, uitam æternã. Verbum uitæ. Act. 5. Angelus inquit ad Apostolos: Ite & stantes loquimini in templo populo, omnia uerba uitæ huius. Philip. 2. Sermoně uitæ sustinentes. Verbũ fidei, Rom. 10. Sermo salutis, Ebr. 2. Prædicatio fidei, Gal. 3. Verbũ ueritatis, Eph. 1. Veritas, 2 Ioan. Qui cognouerũt ueritatẽ, propter ueritatem quæ permanet in nobis. 3 Ioan. Vt cooperatores simus ueritati. Via ueritatis, 2. Pet. 2. Præceptum. 1 Pet. 2. Satius fuisset illis non cognouisse uiam iusticiæ, quàm ubi cognouerunt, conuerti ab eo quod illis traditum fuit, sancto præcepto. 2. Ioan. 3. Hoc est præceptum eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi. 1 Ioan. 5. Hæc enim est charitas Dei, ut præcepta eius seruemus, & præcepta eius grauia non sunt. 1 Tim. 1. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee. Lex, Galat. 2. Ego per legem, legi mortuus sum. Lex fidei, Roman. 3. Vbi gloriatio? excluſa est: per quam legem? operum? non, imò per legem fidei. Lex spiritus uitæ, Rom. 8. Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum, liberauit me reddidit à iure peccati & mortis. Doctrina Christi. 2. Ioann. Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Testimonium. 1 Ioan. 5. Qui non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Apoc. 1. Testimonium Iesu Christi, Apoc. 12. Habent testimoniũ Iesu Christi. Apoc. 9. Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. 1 Timoth. 2. Vt esset testimonium temporibus suis, in quod positus sum ego præco & apostolus, &c. Doctor gentium cum fide & ueritate. 2 Timoth. 1. Ne pudeat te testimonij Domini nostri. 1 Cor. 2. Adnuncians uobis testimoniũ Dei. Spiritus, & administratio spiritus & iusticiæ. 2 Corint. 3. Virtus Dei ad salutẽ omni credenti. Rom. 1. 1 Cori. 1. Sermo crucis. 1 Cor. 1. Sermo crucis ijs qui pereunt stultitia est: at nobis qui salutẽ consequimur, potentia Dei est. Offendiculum crucis. Gal. 6. Stultitia prædicationis. 1 Cor. 1. Visum est Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Stultitia Dei. 1 Cor. 1. Stultitia Dei sapientior est quàm homines. Sapientia Dei in mysterio. 1 Corinth. 2. Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram. Mysterium. Rom. 16. Ei autem qui potens est uos confirmare, secundum Euangelium meum, & præconium Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, &c. 1 Corinth. 4. Dispensatores mysteriorum Dei. Ephes. 3. Intelligite cognitionem meam, in mysterio Christi, quod in alijs ætatibus non innotuit filijs hominum. Colos. 4. Orantes pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi. 1 Timoth. 3. Habentes mysterium fidei in pura conscientia. Ministerium reconciliationis, & sermo reconciliationis. 2 Corinth. 5. Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium recõciliationis, &c. Item, Posuit in nobis sermonem reconciliationis. Arcanum uoluntatis diuinæ, & beneplacitũ, quod proposuit Deus in seipso, et propositum ipsius, & decretũ uoluntatis Dei, de generè humano, per Christum redimendo & saluando. Ephes. 1. Testamentũ. Galat. 3. Testamentum antè compro batum à Deo, erga Christum. Galat. 4. Nam hæc sunt duo testamenta. Nouum testamentum. Ebr. 7. Noui testamenti conciliator Iesus. Ebr. 9. 2 Cor. 3. Facit nos ministros noui testamenti. Dicitur & crux Christi, Galat. 6. Et lac animi quod dolũ nescit. 1 Pet. 2. Et fides in Christum, Act. 24. Audiuit ab eo fidem quæ est in Christum.

Habet

Habet etiam uox Euangeliũ uaria adiuncta, ut sunt, Euangelium Dei. Roman. 1. 1. Thes. 2. 1 Pet. 4. Euangelium gratiæ Dei, Actor. 20. Euangelium filij Dei. Ro. 1. Euangelium Christi, Rom. 1. Euangelium pacis. Ephes. 6. Adiuuantes decertantem fidem Euangelij, Philip. 1. Euangelium æternum. Apoc. 14. Euangelium salutis nostræ, Ephes 1. Euangelium gloriæ beati Dei, 1 Tim. 1. Audire uerbum Euangelij, Act. 15.

Definitiones Euangelij passim elegantes & concinnas Apostoli tradunt, quas recitabimus. Petrus concionans Cornelio Act. 10. definit Euangeliũ, quòd sit sermo, quem misit Deus filijs Israel, annuncians pacem, per Iesum Christum, qui sit omnium Dominus, & cui testimonium ferant omnes prophetæ, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Paulus Actor. 13 Euangelium sic describit, quòd sit nuncius de impletione promissionis ad patres factæ, per exhibitum & resuscitatum Iesum Christum, & de remissione peccatorum, & liberatione à maledictio legis Mosaicæ per fidem in Christum. Lucas Act. 8. his uerbis Euangelium definit: Cum credidissent Philippo euangelisanti de regno Dei, deq; nomine Iesu Christi, baptisabantur &c. Quòd euangelium sit concio de regno Dei, & de nomine Iesu Christi.

Si conferantur, quæ Pet. 1. Epistol. 1. de euangelio tradit, huiusmodi definitio constitui potest: Euangelium est doctrina, seu uerbum Dei prædicatum per apostolos & spiritum sanctum, emissum de cœlo, annũcians credentibus in Christum salutem animarum, quã Deus promisit per Prophetas se daturum, propter mortem & resurrectionẽ Domini nostri Iesu Christi. Ioannes 1. epist. 2. Euangelium definit esse promissionem uitæ æternæ, propter Christum, qui expiauit peccata totius generis humani. Idem 1. Ioann. 3. dicit, euangelium esse Dei præceptũ, ut credamus in nomen filij eius. Et 1. Ioann. 4. Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium seruatorem mundi. Idem 1. Iohan. 5. Euangelium est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo, &c. quòd uitam æternã dedit nobis Deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium Dei, uitam non habet. Paulus etiã in suis epistolis passim euãgelij descriptiones proponit. Rom. 1. Euangelium est doctrina à Deo per prophetas in scripturis sanctis tradita, de filio Dei, qui genitus fuit ex semine Dauid, secundum carnem, qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit è mortuis Iesus Christus Dominus noster, quæ est potentia ad salutem omni credenti, Iudæo primùm simul & Græco. Rom. 3. Euangelium est lex, id est, doctrina fidei, de gratuita iustificatione per Christum, excludens omnem operum gloriationem. Rom. 10. Euangelium est uerbum, sermo, sonus, hoc est doctrina, quòd Christus sit perfectio legis ad iustificationem omni credenti, quam oportet corde seu fide apprehendi, & ore celebrari. 1 Cor. 1. sic definitur, Euangelium est sermo crucis, seu stulta prædicatio de Christo crucifixo, quòd sit nobis factus à Deo sapientia, iusticia & sanctificatio & redemptio, saluos faciens credentes, efficiens ne ulla caro glorietur corã Domino, ob suas uirtutes, sed ob meritum et beneficium Domini nostri Iesu Christi. 1 Corinth. 2. Euangelium est sermo seu prædicatio, non in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, quæ docet humana sapiẽtia, sed quæ docet spiritus sanctus, de Iesu Christo crucifixo, & bonis ab eo nobis donatis, deq; eius erga nos animo, ignota humanæ rationi, quã etiam animalis homo non percipit, sed pro stulticia habet. 1. Corinth. 15. Euangelium est lætum nuncium seu doctrina, quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quòd sepultus sit, & quòd resurrexit tertio die secundum scripturas, & quòd uisus sit Cephæ, deinde duodecim illis: postea uisus etiam sit pluribus quàm quingentis fratribus, simul: deinde Iacobo, postea Apostolis omnibus: postremò etiam Paulo, per quam salutem consequuntur credentes. 2 Cor. 1. Euangelium est prædicatio seu sermo de Iesu Christo filio Dei, quòd omnes promissiones Dei per ipsum sint etiam & amen. 2 Cor. 3. Euangelium est nouum Testamentum, administrans spiritum & iusticiam. 2 Cor. 4. Euangelium est prædicatio de gloria Christi, qui est imago Dei, afferens lucem cordibus, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Ex 2 Cor. 5. insignis euangelij definitio constitui potest, in hunc modum Euangelium est sermo seu ministerium reconciliationis, quem Deus per ministros euangelij sonat, tum annunciando quòd per mortem & iusticiam Christi, quam ille unus præstitit pro omnibus moriendo & resurgendo, sit mundo reconciliatus, & quòd nolit nobis imputare peccata nostra: tum hortando & obsecrando, ut reconciliemur Deo, hoc est, beneficium Dei fide amplectamur. In epistola ad Galat. Paulus his ferè euangelium describit, quòd sit doctrina in nouo Testamento à Christo immediatè Apostolis tradita. Galat. 1. de Iesu Christo, quòd sit filius Dei et uerus homo, Abrahæ olim promisso, nũc uerò exhibito, qui factus sit execratio legis pro nobis, & redemerit nos ab execratione legis. Galat. 3. Cuius iusticia credentibus imputetur gratis, absque operibus legis, Gal. 2. & 3. Ephes. 1. Euangelium est uerbum ueritatis, hoc est doctrina de patefacto uoluntatis diuinæ decreto, quòd Deus uelit sperantes in Christum, adoptare in filios, per quam credentes obsignantur spiritu sancto.

Colos. 1. Euãgelium est sermo uerax de spe reposita in cœlis, qui in ijs qui audiũt fructificat, ut cognoscant gratiam Dei, & impleantur agnitione uoluntatis eius, & omni sapientia & prudentia spirituali. 1 Timoth. 1. Euangelium est sermo certus, & dignus quem modis omnibus cõplectamur, seu sana doctrina de Iesu Christo, quòd uenerit in mũdum saluare peccatores. 2. Tim. 1. Euangeliũ est doctrina de gratia nobis donata per Iesum Christum, ante tempora æterna quæ palàm facta est per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi, qui mortem aboleuit, & uitam in lucem produxit, & immortalitatem. Tit. 1. Euangelium est prædicatio de sermone Dei, quo Deus ante tempora æterna, promisit uitam æternam. Tit. 2. Euangelium est doctrina seruatoris nostri Iesu Christi, quòd semetipsum pro nobis dederit, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Ebræ. 2. Euangelium est sermo de nostra salute, quæ cùm primùm enarrari cœpit per ipsum

sum Dominum, ab ijs qui audierant, in nos confirmata fuit, attestante Deo & signis & prodigijs simul, uarijsq; uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus, iuxta ipsius uoluntatem. Apoc.14. Vidi angelum uolantem per medium cœli, habentem æternum euangelium, ut euangelisaret habitantibus super terrã, & omni genti & tribui & linguæ & populo, dicentem uoce magna: Timete Deum, & date illi honorem, quia uenit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum. Apoc.1. aliquanto clarius describitur, quòd sit testimonium de Iesu Christo, quòd dilexerit, & laucrit nos per sanguinem suum à peccatis nostris, & fecerit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Cæterùm hæ descriptiones omnes, quas ex Apostolorũ cõcionibus & epistolis depromipsimus, conueniunt in genere, quòd Euangelium sit doctrina, diuinitùs in ueteri & nouo Testamento tradita: in illo quidem, per promissionem Messiæ: in hoc uerò, per exhibitionem Messiæ, & propagationem eius doctrinæ.

Conueniunt etiam in differentia specifica, seu proprio, quòd est gratis promittere remissionem peccatorum, propter solius Domini nostri Iesu Christi beneficium, qui peccata generis humani expiarit, & sua obedientia legem pro nobis impleuerit, atq; ita iusticiam & uitam nobis comparauerit.

Autorem euangelij, non creaturam aliquam, sed solum Deum esse docent, & quidem omnes tres personas complectuntur, scilicet Deum patrem, & Dominum nostrum Iesum, Christum et spiritum sanctum, ut qui promisit in ueteri testamento sese statuto tempore missurum semen mulieris, seu semen Abrahæ, in quo benedicerentur omnes tribus terræ. Nam Petrus, 1 Pet. 4. eam ob causam euangelium Dei appellat. Idem 2 Epist. 1. docet, se non arte compositas fabulas secutos, notum fecisse Domini nostri Iesu Christi aduentum, & uirtutem: sed maiestatẽ eius oculis suis aspexisse, & audiuisse uocem, quæ ad illum delata fuerit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. 1 Ioann. 4. Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium, seruatorem mundi. 1. Ioann. 5. Hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. Roman. 1. Segregatus in euangelium Dei, quod antè promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis. Et 1. Corinth. 2. Annuncians uobis testimonium Dei. Roman. 4. Abraham ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem. Galat. 3. Præuidens autem scriptura, quòd ex fide iustificet Deus gentes, prius rem lætam nunciauit Abrahæ: Benedicentur, inquiens, in te omnes gentes. Item, hoc testamentũ ante comprobatum à Deo erga Christum, lex, &c. non facit irritum.

De Domino nostro Iesu Christo, extant multa passim testimonia. Actor. 3 Petrus & Ioannes inquiunt, Vos estis filij Prophetarũ & testamenti, quod testatus est Deus erga patres nostros, dicens ad Abrahã: Et in semine tuo benedictionẽ consequentur omnes familiæ terræ. uobis primùm Deus, cùm suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentem uobis. Actor. 20 Petrus inquit ad Cornelium. Sermonem quem misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus, ipsi nostis. 1 Ioann. 5. Filius Dei uenit & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est. Ephes. 2. Christus ueniens euangelisauit uobis pacem, qui procul aberatis, & ijs qui propè. Galat. 1. Notum facio uobis fratres, euangelium, quod prædicatum à me est, non esse secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

Huc etiam pertinent illa, quòd Paulus appellat Euangelium, Euangelium Christi, Rom. 1. Sermonem Christi, Colos. 3. Doctrinam seruatoris nostri, Tit. 2. Autor epistolæ ad Ebr. 2 dicit sermonẽ salutis primùm enarrari cœpisse, per ipsum Dominũ: item per τὰς λαλοῦντας, & per eum qui de cœlis est, Ebræ. 12. & Christum appellat conciliatorem noui Testamenti. Ebr. 9. De spiritu sancto, Petrus 1 epist. 1. inquit, Qui nobis prædicauerunt Euangelium, per spiritum sanctum emissum è cœlo. 1 Ioan. 5. Et spiritus est qui testificatur, quoniam spiritus est ueritas. 1 Corinth. 2. Prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra nõ sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Et aliquanto pòst: Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum. Et rursus: Non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus sanctus. Sed spiritum sanctum, euangelium per Apostolos & Ecclesiæ ministros docere & propagare, prolixius in loco de Ministerio dicetur.

Porrò ad reuelandam doctrinam euangelij, & exhibendum Messiam, occasionem præbuisse misericordiam Dei, & bonitatẽ & φιλανθρωπίαν & misericordiam Dei, & promissionẽ patribus factam, passim docent. Paulus Galat. 3. Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Rom. 15. Illud autem dico, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro ueritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum, cæterùm ut gentes pro misericordia glorificent Deum, &c. Ephes. 1. docet Deum propter gloriã gratiæ nos reddidisse sibi dilectos per dilectum. item, Iuxta diuitias gratiæ suæ, & iuxta beneplacitum suum quod proposuerat in seipso, & iuxta decretum uoluntatis suæ. Ephes. 2. Deus qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, &c. Idem ad Tit. 2 appellat salutiferam gratiam Dei. Tit. 3. benignitatem, φιλανθρωπίαν & misericordiam, eleganti sententia complectitur: Postquàm benignitas & φιλανθρωπία apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus quæ sunt in iusticia, quæ faciebamus nos sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Huc faciunt & alia testimonia, quæ infrà de iustificationis causis recitabuntur, & suprà de Messiæ summa commemorata.

Subiectum ucrò & fundamentum euangelij nullum aliud proponunt, quàm Iesum Christum Pontificem & mediatorem inter Deum & homines, cum omnibus suis operibus, ad hoc officium pertinentibus: constat hæc ex omnibus concionibus & scriptis Apostolorum, in quibus nihil aliud agunt, quàm quòd de Iesu Christo docent, quòd reconciliarit nos Deo, & quòd in eum credentes saluentur. Actor. 2 Petrus & Apostoli in prima concio-

ma concione, per longum sermonem, tandem sic concludunt: Certè sciat ergo tota domus Israel, quòd Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Actor. 4. Hic est ille lapis, qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est caput anguli: nec est in alio quoquam salus: nec est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Stephanus Actor. 7 idem facit. Et Philippus Actor. 8 Samaritanis & Eunucho euangelisat, & prædicat de nomine Iesu Christi. Saulus etiã, iam Paulus factus. Damasci prædicabat Christum, quòd is esset filius Dei. Actor. 9. idem facit Actor. 13. & alibi passim. Petrus in 1 epist. 1. precioso sanguine uelut agni immaculati, & incontaminati, nos redemptos docet. Et cap. 2. Christum uiuum lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, electum autem à Deo & honorificatum appellat. & 2 Pet. 1. testatur se de Christo Patris audisse uocem, Hic est filius meus, &c. Ioannes etiam de solo Christo docet, quòd expiarit peccata mundi. 1. Iohan. 2. 4. Et quòd pater de eo solo testimonium perhibuerit. 1 Ioann. 5. Paulus 2 Corinth. 4. Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum. 1. Corinth. 5. Vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat, &c. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Roman. 16. Porrò annitens prædicare Euangelium, non ubi nominatus erat Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem. 2 Corinth. 2. Non enim iudicaui me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 2 Corint. 11. Nam si is qui uenit, alium Iesum prædicat, quem non prædicauimus: aut si spiritum accipitis alium, quem non accepistis: aut Euangelium aliud, quod non accepistis: recte sustinuissetis. Eph. 2. Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, summo angulari lapide Iesu Christo, etc. Philip. 1. Attamen quouis modo, siue per occasionem, siue per ueritatem, Christus tamen annunciatur.

Obiectum uerò seu organon, quo nos oporteat apprehendere doctrinam Euangelij, promittentem remissionem peccatorum in nomine Iesu, docent esse fidem. Actorum cap. decimo: Huic testimonium perhibent omnes prophetæ, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Actorum cap. decimotertio: Per hunc omnis qui credit, iustificatur. 1 Petri 2. Qui crediderit in illum, non pudefiet. 1 Ioannis 5. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei? Roman. 1. Euangelium est uirtus Dei, ad salutem omni credenti. Ebr. 5. Perfectus redditus omnibus qui sibi obedierunt, fuit causa salutis æternæ. Idem etiam inde patet, quòd omnes qui acceperunt doctrinam Apostolorum fide accepisse & credidisse dicuntur. Actor. 2. Qui libenter acceperunt sermonem, &c. Et paulo pòst, Perseuerabant in doctrina Apostolorum. Et rursus: Omnes qui credebant, erant coniuncti. Actorum 8. Samaritani Philippo euangelisanti credidisse, & paulo pòst sermonem Dei recepisse, idem ualenti phrasi dicuntur. Eodem capite Philippus ab Eunucho nihil amplius postulat, quàm ut credat, & credentem baptisat.

Econtrà uerò etiam illud monent, incredulitatem reijcere promissionem Euangelij. 1 Petri 2. Qui non credunt in id ad quod instituti erant. 1 Ioan. 5. Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo. Roman. 10. Non omnes obedierunt Euangelio. Roman. 11. Per incredulitatem defracti sunt, tu uerò fide constitisti. Autor epistol. ad Ebræ. 4. At non profuit illis, audiuisse sermonem, quòd is non esset cum fide coniunctus, ijs qui audierant.

Causam formalem Euangelij rotundis & elegantibus sententijs passim exprimunt, quarum quædam loco definitionis, sunt suprà cõmemoratæ, quædam uerò in loco de Iustificatione recitabuntur. Sed quid prohibet, etiam quasdam huc adscribere? Actorum 10 Præcepit nobis ut prædicaremus populo: ac testificaremur, quòd ipse sit ille qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum ac mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Actor. 13. Et nos uobis annunciamus, quòd eam promissionem, quæ ad patres facta est, Deus adimpleuerit filijs illorum, nimirum nobis, resuscitato Iesu. Notũ igitur sit uobis, uiri fratres, quòd per hunc, uobis remissio peccatorum annunciatur: & ab omnibus, à quibus non potuistis iustificari per legẽ Moysi, &c. 1 Petri 1. Laudandus est Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui iuxta copiosam suam misericordiam, regenuit nos in spem uiuam. per hoc quod resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatem immortalem, & incontaminabilem, atq; immarcessibilem, conseruatam in cœlis erga uos. 1. Ioann. 4. Omnis spiritus qui confitetur, Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est. 2 Ioann. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet. 1 Timoth. 3. Et citra controuersiam magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria. 2 Timoth. 2. Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum Euangelium meum. Ebræ. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Idem Ebræ. 4. Non habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum: sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem, absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium.

Proprietates Euangelij has ferè proponunt. Primùm: quòd Euangelium sit doctrina naturaliter rationi humanæ ignota, & contraria, Paulus docet 1 Corinth. 2. Porrò sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non seculi huius, neque principum seculi huius qui abolentur: sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula, in gloriam nostram, quam nemo principum seculi huius cognouit: nam si cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quemadmodum scriptum est: Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et postea: Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt. Stulticia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter

dijudicatur. Idem 1 Corinth. 1. Sermo crucis ijs quidem qui pereunt, stulticia est. Item: Visum est Deo, per stulticiam prædicationis saluos facere credentes. 1 Corint. 3. Si quis sibi uidetur sapiens esse inter uos, in hoc seculo stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia mundi huius, stulticia est apud Deum. Idem Roman. 8. Affectus seu sapientia carnis, inimicitia est aduersus Deum. Idem 2 Corinth. 4 dicit, Euangelium uelatum esse in ijs qui pereũt, & Deum esse qui iussit è tenebris lucem illucescere. Idem 2 Corinth. 10 docet, consilia & cogitationes hominum extolli aduersus cognitionem Dei. Ephes. 1. Patefacto nobis arcano uoluntatis suæ. Idem Galat. 5. Euangelium appellat offendiculum crucis, eo quòd ratio, Euangelij doctrina offendatur: unde & Christus lapis offendiculi dicitur. Rom. 9. 1 Petri 2. Paulus etiam Euangelium mysterium appellat, Rom. 16. 1 Cor. 4. Ephes. 3. Coloss. 4. 1 Tim. 3. eo quòd rationi humanæ fuerit ignotum.

¶ Huc pertinent etiam testimonia quæ docent, homines per se meras esse tenebras, nisi illuminentur doctrina Euangelij: quæ suprà recitauimus de homine ueteri, res Spiritus Dei non intelligente.

Secundò, quòd Euangelium tantum ad pœnitentes, hoc est, agnoscentes sua infinita peccata, & habentes consternatas conscientias, & abijcientes propositum peccandi, pertineat: eo docent, quòd pœnitentiæ concionem, Euangelij promissioni semper præmittunt. Nam Actor. 2. Petrus inquit: Delectorum pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque uestrûm in nomine Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Actor. 3: Pœniteat uos igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Actor. 16 Paulus & Silas ad custodem carceris, tremefactum, interrogantem quid se oporteat facere ut saluus fiat, respondent: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris, tu & domus tua. Deinde etiam apertis sententijs id affirmant. Ephes. 5. Quapropter dicit: Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Galat. 3. Scriptura conclusit omnia sub peccatum, ut promissio ex fide daretur credentibus. 1. Ioann. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. Huc pertinent testimonia quæ impœnitentibus denegant gratiam, & denunciant iram Dei. 1 Cor. 6. Ephes. 5. Sed de his in loco de Pœnitentia prolixius dicemus.

Tertiò, quòd sit unum & idem Euangelium in ueteri & nouo Testamento, traditum de iustificatione peccatoris, per mediatorem Iesum Christum, quo omnes, quotquot in ueteri Testamento saluati sunt, salutem sint consequuti. Act. 3. Omnes prophetæ à Samuele, & deinceps quotquot locuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos. Idem Actor. 4. 7. 9. 10. 13. 15. 20. 26 agitur. Et Pet. 1 epist. 1. de salute illa quæ annunciata est per euangelium scrutatos esse Prophetas dicit. Et 2 Petri 1. Spiritu sancto impulsos sanctos homines Dei, loquutos esse de Christo. Ro. 1. Segregatus in Euangeliũ Dei, quod promiserat Deus in Scripturis sanctis de filio suo. Huc etiam exemplum Abrahæ Gal. 3. Rom. 4. pertinet. 1 Cor. 10. Patres omnes de spirituali petra bibebant, petra autem erat Christus.

Quartò, quòd Euangelium sit doctrina, certa & firma. 1. Tim. 1. Certus sermo, &c. Tit. 1. tenacem eius qui secundum doctrinam est, fidelis seu certi sermonis. 1. Thess. 1. Quoniam Euangelium nostrum fuit erga uos, non per sermonem solùm, uerùm etiam per uirtutem, & per spiritum sanctum, perq; certitudinem multam. Tit. 1. Secundũ pietatem in spe uitæ æternæ, quam promisit is qui mentiri nescit, Deus ante secula æterna. Ebr. 6. Qua in re Deus cùm eximiè uellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset ut mentiretur Deus, ualidam consolationem haberemus: qui huc confugimus, ut potiamur propòsita spe, quam uelut ancoram tenemus animæ, tum tutam, tum firmam.

Quintò, quòd omnem gloriationem operum nostrorum excludat promissio Euangelij. Rom. 3. Vbi gloriatio? exclusa est. per quam legem? operum? non, imò per legem fidei. 1 Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino gloretur. Eph. 2. Non ex operibus, ne quis glorietur.

Sextò, quòd sit uniuersale ad omnes homines, tum gentes tum Iudæos, pœnitentiam agentes & fide suscipientes. Act. 2. Vobis facta est repromissio, & filijs uestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus Deus noster. Act. 10. Deus uisione docet Petrum, quòd etiam gentes pertineant ad Euangelium, quare etiam Petrus postea uniuersalem sententiã profert: Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionẽ accepturus sit per nomẽ eius, quisquis credit in eum. Act. 13. Vobis primùm oportebat loqui Dei monẽ Dei: sed quoniã repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce cõuertimur ad gentes, sic enim nobis præcepit Dominus. Act. 15. In synodo Petrus inquit: Viri fratres, uos scitis, quòd ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, ut per os meum gentes audirent uerbũ Euangelij, crederentq;. In hac synodo cõmuni Apostolorum decreto statuitur, gentes etiam pertinere ad promissionem Euangelij. 1 Pet. 4. Sat enim est nobis, quòd ante acto uitæ tempore uoluntatem gentium patrauerimus, cùm uersaremur in lasciuijs, &c. Rom. 15. Gentes pro misericordia glorificant Deum. Rom. 3. Vnus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Rom. 4. dicit, Abrahæ fidem esse imputatam ad iusticiam, cum adhuc esset in præputio, ut esset pater omnium credentium, per præputium. item, Idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundũ gratiam firma sit promissio uniuerso semini. Idẽ Rom. 3. docet, non esse distinctionem inter Iudæos & Gentes, quantum ad Euangelium & iustificationem, utrosque esse peccatores, & utrosq; eodem modo gratis per fidem in Christum saluari. Galat. 3. Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina: omnes enim uos unus estis in Iesu Christo. Ephes. 3. In alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, quemadmodum nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & prophetis, per spiritum, ut sint gentes cohæredes, & eiusdem corporis, & consortes promissionis eius in Christo, per Euangelium. Item: Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, ut inter Gentes euangelizem imperuestigabiles diuitias Christi, & in lucem proferam omnibus, quæ sit communio mysterij, quod erat absconditum à seculis

seculis in Deo. Coloſ.1. Myſterium quod reconditum fuit à ſeculis & à generationibus, nunc aũt patefactum eſt ſanctis illius, quibus uoluit Deus notum facere, quæ ſint diuitiæ gloriæ myſterij huius inter gentes.

Septimò, quòd non ob noſtras uirtutes & bona opera, ſed gratis propter fidem in Chriſtum, promittat remiſſionem peccatorum. 1 Pet. 1. Iuxta copioſam ſuam miſericordiam regenuit nos in ſpem uiuam. 2 Pet. 1. Diuinæ eius uirtus nobis omnia largita eſt. Et 1 Ioan. 4. In hoc eſt charitas, nõ quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Romanis 3. Arbitramur iuſtificari hominem, abſque operibus. Epheſ. 2. Gratia eſtis ſeruati per fidem, idq; non ex uobis: Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Tit. 3. Non ex operibus in iuſticia quæ fecimus nos, ſed ſecundũ miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.

Octauò, quòd Euangelium non tollat politicas ordinationes, per ſe non impias: nec diſſoluat debitorum obedientiam ſubditorum erga magiſtratus. 1 Corinth. 7. Vnuſquiſque, ut illum uocauit Dominus, ita ambulet, ſic in Eccleſiis ordino. Circunciſus aliquis uocatus eſt, ne accerſat præputium: in præputio aliquis uocatus eſt, ne circuncidatur. Vnuſquiſque in ea uocatione, in qua uocatus fuit, maneat. Seruus uocatus es, ne ſit tibi curæ: quinetiam ſi potes liber fieri, utere. Etenim qui in Domino uocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini. Similiter & qui liber uocatus fuit, ſeruus eſt Chriſti. Vnuſquiſque in eo, in quo uocatus fuit, fratres, maneat apud Deum. Idem etiam patet ex Eph. 6. Tit. 2. Roman. 13. 1 Pet. 2. ubi præcepta de obedientia ſubditorum erga magiſtratus & dominos traduntur, & non iubentur domini Chriſtiani manumittere ſuos ſeruos. Et Paulus ad Philemonẽ, ſeruum fugitiuum Oneſimum remittit. Quid? quod & Paulus legibus ciuilib. ut appellatione ad Cæſarem, & exceptione de ciue Romano non cædendo uirgis, uſus eſt. Actor. 22 & 25. capitibus. Huc etiam generalis illa ſapientia pertinet Rom. 14. Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed iuſticia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Etenim qui per hæc ſeruit Chriſto, acceptus eſt Chriſto, & probatus hominibus.

Nonò, quòd non omnes Euangelium ſuſcipiant. Roman. 10. At non omnes obedierũt Euangelio. 2 Cor. 4. Velatum eſt Euangelium noſtrum in ijs qui pereunt. 2 Theſſal. 3. Vt eripiamur ab abſurdis hominibus & peruerſis. Non enim omnium eſt fides. 2 Timoth. 4. Nam erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt. 1 Corinth. 1. Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potẽtes, nõ multi claro genere nati, &c.

¶ Effectus uerò Euangelio hos ferè tribuunt. Reuelat Dei erga miſeros peccatores propitiam uoluntatem. 1 Ioann. 5. Filius Dei uenit & dedit nobis mentem, ut cognoſcamus illum qui uerus eſt. 1 Pet. 2. Qui è tenebris uos uocauit in admirabilem ſuam lucem. 1 Corinth. 2. Quis cognouit mentem Domini? quis conſilium daturus ſit illi? nos autem mentem Chriſti tenemus. Epheſ. 1. Patefacto nobis arcano uoluntatis ſuæ.

Affert fidem, eamq; excitat & confirmat: eſt enim concio Euangelij, medium, per quod Deus in cordibus noſtris, ubi natura non exiſtit fides, operatur fidem. 1. Pet. 2. Lac illud non corporis, ſed animi, quod dolum neſcit, appetite, ut per illud ſuboleſcatis. 1 Petri 1. 2 Petri 1. Habemus firmiorem ſermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco, benefacitis, donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus ueſtris. Roman. 10. Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Dei. 2 Corinth. 4. Quoniam Deus eſt, qui iuſſit è tenebris lucẽ illuceſcere, qui luxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Ieſu Chriſti. 1 Timoth. 4. Enutritus in ſermonibus fidei bonæ doctrinæ, quam uſque ſecutus es. Idem etiam exempla teſtantur. Nam per concionem Euangelij, quam Petrus habet Hieroſolymis, Actorum 2. animæ circiter ter mille ad fidem adducuntur. Per concionem Euangelij Philippus conuertit Samaritanos. Actor. 8. Et Deus per concionem Euangelij, operatur fidem in Eunucho. Actor. 8 & 15, Fide purificantur corda gentium à Deo.

Hinc etiam, Euangelium uerbum fidei appellatur, Roman. 10. Prædicatio fidei, Galat. 3. Offert credentibus remiſſionem peccatorum, Actor. 10. 13. Roman. 3. Coloſ. 3. 1 Ioann. 1. 1 Ioann. 2. Scribo uobis filioli, quòd remittuntur uobis peccata propter nomen eius.

Salutem, Roman. 1. Euangelium uirtus Dei eſt ad ſalutem omni credenti. 1 Petri 1. Qui uirtute Dei cuſtodimini ad ſalutem, quæ in hoc parata eſt, ut patefiat in tempore ſupremo. & paulo pòſt, Reportantes finem fidei ueſtræ, ſalutem animarum, de qua ſalute exquiſierunt & ſcrutati ſunt prophetæ. Actor. 2. Quiſquis inuocarit nomen Domini, ſaluus erit. Idem Roman. 10 repetitur. Item Romanis 10. Corde creditur ad iuſticiã, ore fit confeſsio ad ſalutem. Hinc etiam Euangelium uerbum ſalutis appellatur. Actor. 13. & Eph. 1. Gratiam Dei. 1 Pet. 1. Gratia uobis & pax multiplicetur. 2. Pet. 1. Per agnitionem Dei, et Ieſu Domini noſtri. 1 Pet. 1. Sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam, dum uobis patefit Chriſtus. Roman. 1. Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Eadem ſententia in omnibus Pauli epiſtolis repetitur. Roman. 6. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Galat. 2. Non aſpernor gratiam Dei. Galat. 5. Qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Actor. 20. Euangelium gratiæ Dei appellatur, eo quòd denunciet, credentes eſſe in gratia. Iuſticiam Dei. 2 Corinth. 3. Multo magis excellit adminiſtratio iuſticiæ in gloriam. Roman. 4. Qui credit in eum qui impium iuſtificat, imputatur fides ſua ad iuſticiam. Roman. 15. 2. Corinth. 5. 1 Corinth. 1. Chriſtus nobis factus eſt iuſticia. Impletionem legis Moſaicæ. Rom. 8. 15. Galat. 3. Regenerationem. 1. Pet. 1. 1 Ioan. 5. Qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt. Iac. 1. Progenuit nos ſermone ueritatis. Spiritum ſanctum. Actor. 2. Accipietis donum Spiritus ſancti. Actor. 10. Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos. 1 Ioann. 3 & 4. De ſpiritu ſuo dedit nobis. Galat. 3. Vtrum ex operibus legis accepiſtis Spiritũ, an ex prædicatione fidei? Epheſ. 1. Et uos audito uerbo ueritatis Euangelio ſalutis ueſtræ, in quo etiam poſteaquàm credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis. Idẽ 2 Cor. 1. dicitur. Et 2 Cor. 3. Euangelium adminiſtratio Spiritus appellatur, eo q; per id ſpiritus ſanctus donetur. Cõſortiũ diuinæ naturæ.

2 Pet. 1. Preciosa nobis & maxima promissa donata sunt, ut per hæc efficeremini diuinæ naturæ consortes. 1 Ioan. 1. Quod uidimus & audiuimus, annunciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo. Ebræ. 3. Christi participes facti sumus, si sanè initium fidei usq; ad finem firmum tenuerimus. Gaudium & pacem pro afflictis conscientijs. Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus. Rom. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed iusticia & pax & gaudium Spiritus sancti. Actor. 13. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant sermonem Domini, & crediderũt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. 1 Pet. 1. Credentes exultatis gaudio ineffabili & glorificato. Liberationem à iure peccati & mortis, Roman. 8. à maledicto legis, Gal. 3. 4. Præsidium & consolationes aduersus omnis generis tentationes, mundi & diaboli. 1. Pet. 5. Cui resistite solidi fide. 1 Ioan. 5. Hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. Ephes. 6. Super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. 2 Thes. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & c. qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, ac spem bonam per gratiam. Apoc. 12. Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonij sui, & non dilexerũt animã suam usq; ad mortem. Ebræ. 13. Bonum est gratia stabiliri cor, non escis, quæ non profuerunt his qui uersati sunt in illis. Fiduciam in inuocatione. 1 Ioann. 5. Roman. 8. Ebr. 4. Dona spiritus, uirtutes & miracula. Gal. 3. Actor. 2. 1 Thess. 1. 1 Corinth. 4. Non in sermone est regnum Dei, sed in uirtute. 1 Thes. 1. 2 Cor. 1.

Affert certam spem de resurrectione. 1 Corint. 15. 1. Thess. 4 & 5. 1 Pet. 5. 1 Ioan. 3. κληρονομίαν & hæreditatẽ Dei, Rom. 8. Gal. 4. 1 Ioan. 3. 1 Pet. 1. Hæreditatẽ immarcessibilem, immortalem, incontaminabilẽ, conseruatam in cœlis, πολίτευμα in cœlis. Philip. 3. Vitam æternam, & immortalitatem. 1 Ioan. 1. Annunciamus uobis uitam æternam. 1 Ioan. 5. Hoc est testimonium quòd uitam æternã dedit nobis Deus. item, Vt sciatis quòd uitam habetis æternam. Rom. 6. Donum autem Dei uita æterna, per Iesum Christũ Dominũ nostrum. 2 Tim. 2. Qui mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium. Tit. 1. In spe uitæ æternæ. Tit. 3. Hæredes efficeremur, iuxta spẽ uitæ æternæ. Gloriam, & coronam gloriæ. 1. Pet. 5. Reportabitis immarcessibilẽ gloriæ coronam. Item: Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æteruam suam gloriam per Christum Iesum. 2 Thess. 2. Vocauit nos per Euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi.

Effectus Euangelij per accidens sunt, afferre crucem. 1 Petri 2. At cùm bene facitis, & tamen malis afficimini, sustinetis: hæc enim est gratia apud Deum, siquidem in hoc uocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis. 1 Ioann. 3. Propter hoc mundus non nouit uos, quia non nouit Deum. 2 Timoth. 3. Sed & omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persequutionem patientur.

Est occasio scandali & excæcationis impijs & incredulis. 1 Pet. 2. Rom. 9. 1 Corint. 1. Prædicamus Christum, Iudæis offendiculum, Græcis stulticiam.

Affert interitum infidelibus. Roman. 2. 2 Thess. 1. Luẽt pœnas interitũ æternũ, qui nõ nouerunt Deũ, & non obedierunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi.

Sanæ doctrinæ de Euangelio repugnat doctrina pseudoapostolorum, qui legem immiscebant Euangelio: & docebant, nõ sola fide, gratis, propter Christum, annunciandam esse remissionem peccatorũ, sed etiam opera legis aliquid conferre ad salutem. Actor. 15. Gal. 1. 2. 6. 1 Tim. 1. contra quos Paulus Gal. 1. hanc traditionem singulam: Quemadmodum antè diximus, & nunc iterum dico, si quis uobis prædicauerit aliud euangelium, præter id quod accepistis, anathema sit. Item, Opinio eorum qui negabant, gentes pertinere ad promissionem Euangelij. Actor. 10 & 15.

Sententia illorum qui negabant resurrectionem mortuorum, in ecclesia Corinthiaca. 1 Corinth. 15. Et illorum qui existimabant, euangelium prohibere bona opera, & dare licentiam peccandi, quam Paulus Rom. 3 reijcit, et Rom. 6 refutat, qui gratiã Dei nostri trasferebant ad lasciuiam. Autor epistolæ Iudæ, etiam illorum qui negabant, Christum in carne uenisse. 1 Ioannis 2. 4. & 2 Ioan.

DE DISCRIMINE LEGIS & Euangelij.

SI ea quæ hactenus de lege & euangelio sigillatim sunt dicta, conferantur, facilè apparebit in singulis fermè partibus, legem & euangelium ab Apostolis discerni: sed tamen, cum maximè necessarium sit, legis & euangelij in ecclesia extare discrimen, ordine dijserimina ab Apostolis tradita commemoremus.

Primùm autem, legem & euangelium discernunt appellationibus & epithetis. Paulus enim legem appellat legem operum, Rom. 3. Legem mandatorum in decretis sitam, Ephes. 2. Legem mandati carnalis, Ebr. 7. Pædagogum, Gal. 3. Iugum seruitutis, Gal. 5. Actor. 15. Elementa mundi, Gal. 4. Col. 2. Ebr. 5. Literam, 2 Corinth. 3. Administrationem mortis, 2 Corinth. 3. Testamentum uetus, 2 Corinth. 3. Ebr. 8. Galat. 4. Euangelium uerò legem fidei, Rom. 3. Verbum fidei, Rom. 10. Prædicationem fidei, Gal. 3. Legem spiritus uitæ, Rom. 8. Promissionem, Actor. 2. Galat. 3. Roman. 9. 15. 2 Petri 1. Spiritus, administratio spiritus: 2 Corinth. 3. Ministerium reconciliationis, 2 Cor. 5. Testamẽtum nouum. 2 Corinth. 3. Gal. 3 & 4. Ebr. 8. 9.

Secundò, legem & Euangelium discernunt, definitionibus, ut patet ex collatione definitionum legis & euangelij, quas suprà commemorauimus.

Tertiò, discernunt subiectis. legem enim mentibus & cordibus hominum insculptam esse in creatione, & rationi aliquo modo notam esse Paulus Rom. 2 docet, ubi dicit, gentes Dei iusticiam nouisse. & Rom. 2 gentes ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis. Idem Rom. 8 carni tribuit suam curam & φρόνημα. & 1 Corinth. 2. de sapientia huius seculi, quam animalis homo percipiat, loquitur. At contrà euangelij doctrinam non esse naturã notam, nec cum ratione congruere, idem 1. Corinth. 2 docet, ubi sapientiam Dei reconditã, & per spiritum sanctum reuelatam, & principibus huius seculi ignotam appellat.

Quartò, promulgatione et circunstãtijs ad promulgationem

gationem pertinentibus, ut sunt ministri, tempus, locus. Nam ministros legis latæ docent angelos & Mosen fuisse. Stephanus Actor. 7. Accepistis legem per dispositiones angelorum. item, Moses accepit sermonem uiuum, ut daret nobis. Galat. 3. Lex ordinata per angelos in manu intercessoris. Ebr. 2. Is qui per angelos dictus fuerat sermo, firmus fuit. Ministrum uerò euangelij, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, & prophetas & Apostolos esse docent. 1 Pet. 1. 2 Pet. 1. Act. 2. 3. 10. Eph. 2. Veniens euangelizauit uobis. Ebræ. 2. Salus primum enarrari cœpit per ipsum Dominum. Ebræ. 3. Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, Iesum Christum. Idem Ebræ. 7. appellat Christum sponsorem noui Testamenti. Idem 12. Videte ne aspernemini eum qui loquitur. Deinde euangelium 430 annis ante legem promulgatum, docet Paulus Galat. 3. Item in monte Sinai lex est promulgata. Actor. 7. Gal. 4. Euangelium uerò ex Sion & Hierosolymis exiuit in omnem terrarum orbem, Rom. 10. Ebræ. 12. Accessistis ad montem Sion & ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem. Item, Lex est literis in saxa seu tabulas lapideas insculpta. Et 2 Corinth. 3. Euangelium uerò seu promissio dicta est, & non est à Deo tabulis lapideis inscripta. Gal. 3. Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. item scriptura prius rem lætam nunciauit Abrahæ, Benedicentur (inquiens) in te omnes gentes. unde etiam euangelium non litera, sed spiritus appellatur. 2 Corinth. 3. Item: Lex lata est & confirmata, horribili rerum omnium aspectu, scilicet igne, turbine, caligine, procella, tubæ sonitu, uocе uerborum: quam qui audierunt, deprecati sunt ne amplius audiant, ne moriantur. Ebræ. 12. Euãgelium uerò familiari specie enarratum est per filium Dei, & postea per Apostolos: estq; confirmatũ signis, prodigijsq;, uarijsq; uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus, iuxta ipsius uoluntatem. Ebr. 2. Item, Promissio confirmata est iuramento, lex uerò non. Ebr. 5. Deus enim pollicitus Abrahæ, cum non posset per quenquam maiorem iurare, iurauit per seipsum, dicens, Nisi benedicẽs benedixero tibi, & multiplicãs multiplicauero te, &c. Idem Ebr. 7. Sermo iurisiurandi qui supra legem fuit, constituit filium in æternum consummatum.

Quintò, discernunt legem & euangelium obiectis. Nam lex à nobis hominibus postulat naturæ integritatem, & perfectissimam obedientiam: quam cùm in nullo homine inuenit, omnes damnat, nec monstrat factorem legis. Gal. 2. 3. Rom. 3. Nam iusticia absq; lege patefit. At euangelium monstrat factorem, non hominem tantum, sed hominem & Deum in una persona, Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei. Rom. 10. Christus est impletio legis ad salutem omni credenti. Rom. 8. Quod lex præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit: ac de peccato condemnauit peccatum, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Gal. 4. Postquam uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub legem, ut eos qui legi erant obnoxij, à lege redimeret. 2 Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos in eo fieremus iusticia Dei. Iusticia itaq; quam lex postulat, actiua est: euangelium uerò, passiuam seu imputatiuam, nobis per fidem exhibet: quæ quidem iusticia quo ad Christum, non passiua est, sed actiua, integra impletione legis cõparata. Ro. 3. 4. 5. 8. Gal. 2. 3. 4. 2 Cor. 5. & alibi passim.

Sextò, etiam promissiones distinguunt. Nam legem docent promittere uitam, perfectam obedientiam præstantibus. Roman. 2. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur. Galat. 6. Qui circumciditur, debitor est totius legis seruandæ. Galat. 3. Qui fecerit homo, uiuet in eis. Roman. 10. Moyses scribit de iusticia ex lege, quòd qui fecerit ea, uiuet per illa. Iacobi 2. Quisquis totam legem seruauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Euangelium uerò, gratis omnibus per fidem in Christum absque operibus legis, iusticiam Christi donare, seu imputare, & ob eam pro mittere uitam. Actor. 10. Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ, &c. Actor. 13. Per hunc omnis qui credit, iustificatur. Actor. 15. Per gratiam Domini nostri Iesu Christi, credimus nos saluos futuros. Actor. 16. Custos carceris tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes: & productis illis foràs, ait: Domini quid me oportet facere, ut saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Roman. 3. Non est distinctio: omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Iesu Christo, &c. Lex igitur habet promissionem, cum conditione faciendi & implendi eam: euangelium uerò habet gratuitam promissionem, cum conditione credendi. Galat. 3. Rom. 1. Iustus fide sua uiuet.

Septimò, etiam discrimina legis & Euangelij à proprietatibus & effectibus ducunt. qualia sunt: Lex reuelat peccatum, Rom. 7. Concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Et operatur iram, Ro. 4. Facit ut abundet delictũ. Rom. 5. facit ut peccatum maiorem in modum fiat peccans peccatum. Rom. 7. Euangelium uerò reuelat beneficium Domini nostri Iesu Christi, quòd impleuerit pro nobis legem, & docet gratiã Dei exuperare peccatum. Rom. 8 & 10. Gal. 4. Rom. 5. Nam si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum per gratiã, quæ fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberat. item, Vbi exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia. Lex occidit & administrat condemnationem & mortem. 2 Corinth. 3. Nec potest uiuificare. Gal. 3. Euangelium uerò uiuificat, administrat iusticiam & spiritum, liberat à iure peccati & mortis. Rom. 8. Accendit in cordibus nouos motus, & affert dona spiritus. 2. Cor. 3. Rom. 2. Circumcisio cordis, circumcisio est quæ spiritu constat, non litera. Gal. 3. Qui subministrat uobis spiritum, & operatur uirtutẽ in uobis, utrum ex operibus legis, an ex prædicatione id facit? Lex affert ijs qui per opera legis uolunt iustificari, maledictionẽ, & gratiæ amissionẽ. Euangeliũ uerò donat benedictionẽ & gratiã Dei. Gal. 3. Qui ex fide sunt, benedicũtur cum fideli Abraham. Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Galat. 5. Quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis. Galat. 2. Non aspernor gratiam Dei: nam si per legem est iusticia, igitur Christus frustra est mortuus. Galat. 5. Qui spiritu ducimini, non estis sub lege. Roman. 6. Non estis sub

lege,

lege, sed sub gratia. Roman. 11. Quòd si per gratiam, iam non ex operibus: quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, non iam est gratia, quandoquidem opus iam non est opus. Euangelium affert adoptionem seu ius filiorum Dei, & hæreditatem Dei, & cohæreditatem cum Christo: Lex non affert, propterea quòd ei nemo integram præstet obedientiam. Galat. 3. Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione: atqui Abrahæ per promissionem donauit Deus. Roman. 4. Non enim per legem promissio contigit Abrahæ, aut semini eius, &c. etenim si ij qui ad legem pertinent, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. Galat. 4. Vt adoptionem ius filiorum acciperemus, &c. quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Rom. 8. Quòd si filij igitur & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes uerò Christi. Lex affert seruitutem. 2 Corinth. 3. Gal. 3. Vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans. Euangelium affert per spiritum Domini libertatem. Rom. 8. 2 Cor. 3. Lex affert gloriationem. Rom. 4. Si Abrahã iustus est ex operibus, habet quod glorietur. Euangelium excludit gloriationẽ. Rom. 3. Gloriatio exclusa est per legem fidei. Eph. 2. Non ex operibus, ne quis glorietur. 1 Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Lex imputat mercedẽ ei qui operatur secundũ debitum; Euangelium uerò ei qui nõ operatur, sed qui credit in eum qui impium iustificat, imputat fidem suam ad iusticiã. Roman. 4. & 11. Galat. 3. 2 Cor. 5. Lex abrogatur, euangelium manet. 2 Corinth. 3. Abrogatur id quod præceßit præceptum, Ebræ. 7. Lex non potuit præstare requiem, sed euangelium præstitit eam. Ebræ. 4. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nequaquã de alio posthac die loquutus fuisset. itaq; relinquitur sabbatismus populo Dei.

Lex & sacerdotium non potuerunt afferre perfectionem, euangelium uerò attulit. Ebræ. 7. Nihil ad perfectionem attulit lex, uerùm erat introductio ad spem potiorem. Lex cæremonialis habuit umbras & typos, Ebræ. 10. Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: Euangeliũ uerò proponit res ipsas, typis illis præfiguratas. Colos. 2. Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

Lex proposuit sacerdotium externum, secundum ordinem Aaronis & Leui, quod non sustulit peccatum. Ebr. 7. 8. Etenim si illud prius tale fuisset, ut nihil posset in eo reprehendi, haudquaquam fuisset secundo quæsitus locus. Ebræ. 10. Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Nec ipsa quidem lex tollere peccatum & mortem potuit. Rom. 5. Vsque ad legem enim erat peccatum in mundo. Euangelium uerò proponit Christum summum sacerdotẽ, secundum ordinem Melchisedech, qui expiauit peccata generis humani proprio sanguine, semel oblatus, & cuius sacerdotium est perpetuum: qui ad plenum saluos facere potest, qui per ipsum adeunt Deum. Ebræis 7. 8. 9. 10. capitibus.

Octauò, Legem & Euangeliũ etiam comparatione discernunt. Nam Paulus 2 Corinthiorum 3 docet, Euangelium maiorem gloriam habere, quàm legem. Si administratio condemnationis gloria, multo magis excellit administratio iusticiæ in gloria: quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam. Vincit etiam iusticia Euangelij iusticiam legis, dignitate & gloria. Nam Christus Dei filius, multo plenius impleuit pro nobis legem, quàm creatura aliqua, siue humana, siue angelica, etiam integra præstare potuisset. Deinde iusticia Euangelij seu Christi, nobis affert arctiorem coniunctionem cum Deo, ut scilicet filij Dei, cohæredes Christi, similes ei conregnantes, &c. dicamur. Galat. 2. Roman. 8. 1 Ioannis 3. Philip. 3. & epistolæ 2 Timoth. 3. & 1 Petri 4.

De conuenientia Legis & Euangelij, & mutua eorum opera.

Legem & Euangeliũ hoc commune habere docet, quòd utraque autorem eundem Deum, & non diuersos deos habeant. Nam lex, appellatur lex Dei: Roma. vis 7. & Euangelium, itidem Euangelium Dei nocatur, Romanis 1. Segregatus in Euangelium Dei. Autor epistolæ ad Ebræos 8. ex Hieremiæ 31 citat sententiam, quæ docet, Deum utriusque Testamenti, scilicet Legis & Euangelij autorem esse: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda, testamentum nouum, non iuxta testamentum quod feci patribus illorum, in die cùm apprehenderem manum illorum, ut educerem eos ex Aegypto: quoniam ipsi non perstiterunt in testamento meo, & ego neglectui eos habui, dicit Dominus. Nam hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, post dies illos, dicit Dominus: Dans leges meas in mentem illorum, & in corda illorum inscribam illas, & ero illis Deus, & erunt mihi populus. Et non docebunt quisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicentes: Cognosce Dominum, quòd omnes cognituri sint me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos, usque ad eum qui magnus est inter illos: quoniam placatus ero super iniusticijs illorum & peccatis eorum & iniquitatum illorum non recordabor amplius.

Deinde, quòd utraque doctrina, quantum ad genus, eodem modo definiat iusticiã, nempe quòd sit integra impletio legis. Nam de iusticia legis Moses scripsit, Qui fecerit ea, uiuet per illa. Rom. 10. De iusticia euangelij Rom 5 dicitur, quòd sit obedientia unius hominis, Domini nostri Iesu Christi, & impletio legis. Roman. 8. & 15. Sed tamen in illo differunt, quòd lex impletionem nostram postulat: Euangelium uerò mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, unum pro omnibus eam præstitisse, monet: Rom. 5. 8. 10. 2 Cor. 5. Quòd si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui fuerunt: & pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

Tertiò, quòd utraq; doctrina uitam æternam promittat, sed tamen lex facienti, euangelium uerò credenti. Rom. 10. Galat. 3. 1 Tim. 1. 1 Ioan. 5.

Quartò, quòd utraq; uniuersalis sit, pertinens ad omnes homines. Nam Paulus Romanis 1. 2 & 3. ostendit, legem moralem insculptam cordibus gentium, tam accusare

accusare & damnare gentes, quàm Decalogus, promulgatione Iudæis iteratus. Huc faciunt illæ uniuersales particulæ, Vt omne os obturetur, & totus mundus fiat obnoxius Deo. Item, Non est distinctio, omnes peccauerunt. Item, Non est iustus, ne unus quidem. Rom. 3. Non iustificatur ex operibus legis ulla caro. Rom. 3. Galat. 2. Concluſit scriptura omnia ſub peccatum, ut omnium misereatur. Rom. 11.

Quintò, quòd licet ſint diuerſæ & contrariæ doctrinæ, tamen ad uſum hominum applicatæ, ſibi mutuò inſeruiant ſuo ordine & fine. Nam ita ſunt comparatæ, ut lex præcedat, & ſequatur euangelium, quaſi diſpenſatio legis. ubi enim deſinit lex, ibi incipit euangelium: hoc eſt, cùm lex reuelauit peccatum, & occidit, ſeu mortem denunciauit peccatori. Rom. 7. Euangelium ſuccedens, reuelat impletionem legis, per Chriſtũ præſtitam, & liberat hominem à iure peccati & mortis. Rom. 7. Miſer ego homo, quis me eripiet ex corpore morti obnoxio? Gratias ago Deo per Chriſtum Dominum noſtrũ. Et Rom. 8. Nam lex ſpiritus uitæ, per Chriſtum Ieſum, liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Rom. 5. Cæterùm lex obiter ſubijt, ut abundaret delictum: ubi uerò exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia. Rom. 6. Peccatum uobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Galat. 2. Ego enim per legem, legi mortuus ſui: ut Chriſto uiuerem, unà cum Chriſto crucifixus ſum: uiuo tamen iam non ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Galat. 3. Cõcluſit ſcriptura omnia ſub peccatũ, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Idẽ etiã exempla docent. Nam primo loco ad pœnitentiã, hoc eſt ad agnitionẽ peccatorum cohortantur omnes, poſtea conſolationẽ contritis proponũt de remiſſione peccatorũ. Act. 2. Delictorum pœnitentiam agite, & baptiſetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionẽ peccatorũ. Act. 3. Pœniteat igitur uos, & conuertimini, ut deleantur peccata ueſtra. Et Paulus Rom. 1 & 2. legis officio arguit gentes & Iudæos eſſe peccatores: & poſtea ſubijcit de iuſtificatione, cap. 3. & ſequentibus. Sic euangeliũ abſoluti, ſeu fide in Chriſtũ gratis iuſtificati, non ſunt amplius ſub maledicto legis, ſed ſub gratia. Ro. 6. Gal. 5. Itaq; lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide iuſtificaremur. at poſtquàm uenit fides, nõ amplius ſub pædagogo ſumus. Omnes enim filij Dei eſtis, eo quòd credidiſtis Ieſu Chriſto. Gal. 3 & 4.

Sextò, quòd ſe inuicem illuſtrent, & ſtabiliant. Nam euangelium abſq; lege (morali) patefacit iuſticiam Dei, quæ tamen comprobatur teſtimonio legis (ceremonialis) & prophetarum. Roman. 3. Et lex nec abrogat promiſſionem, nec eam irritam facit. Gal. 3. Et econtrà, euangeliũ non facit irritam legem, ſed potius eam ſtabilit, & confirmat. Roman. 3. dum ad nouam obedientiam cohortatur renatos. Non euangelium emines, ſed à iure peccati & mortis, ſeu à debito nõ præſtito: hoc eſt, à maledicto & condemnatione legis nos abſoluit. Rom. 8. Lex ſpiritus uitæ per Ieſum Chriſtũ, liberum me reddidit à iure peccati & mortis, &c. Et poſtea: Fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundũ carnem uiuamus. Lex adfert uelamen, euangelium uerò id tollit per fidẽ in Chriſtũ. 2 Cor. 3. Moſes ponebat uelamen in facie ſua, ne intenderent filij Iſrael in finem eius quod aboletur, &c. Nam uſq; ad diem hodiernum idem uelamen in lectione ueteris teſtamenti manet: nec tollitur uelum, quod per Chriſtũ aboletur: ſed ad hunc uſq; diem, cùm legitur Moſes, uelamen cordibus illorum impoſitum eſt: at ubi cõuerſi fuerint ad Dominum, tolletur uelamen.

Septimò, q, utraq; doctrina in ueteri et nouo Teſtamẽto tradita ſit, & ſic ſemper in eccleſia notæ fuerint. Nã de euãgelio ſuprà citauimus teſtimonia. De lege uerò inde cõſtat, q, inſcripta eſt cordibus omniũ hominũ.

Poſtremò, legem & euangelium non eſſe cõfunden da, ſed bene diſcernenda, Apoſtoli primùm ſuo exemplo monent, qui in ſuis epiſtolis & concionibus utraq; diſtinctè & ſuo ordine docent, & exercent. Nam Act. 2. 3. 4. 6. ſatis acerbis & duris uerbis Iudæos arguunt de interfecto Ieſu Chriſto, deinde ijs qui compũcti ſunt corde: & interrogant, Quid faciemus uiri fratres? ſatis amicè reſpondent: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vobis enim facta eſt repromiſſio, & filijs ueſtris, &c. Item, Seruemini à generatione iſta praua. Stephanus Actor. 7. obſtinatis Iudæis acerbè concionatur legem, & non euangelium. ſic Paulus in epiſtola ad Rom. primo loco oſtendit Iudæos & gentes eſſe peccatores, & poſtea diſtinctè agit de iuſtificatione ſeu doctrina euangelij, & utraſq; benè ubiq; diſtinguit. Idem facit in epiſtola ad Galatas, & in alijs.

Deinde quòd pſeudoapoſtolos, legem & euangelium confundentes, grauiter refutant Paulus & Barnabas Antiochiæ, Actor. 15. & ſynodus Apoſtolorum Hieroſolymis, & literæ ſynodales, Acto. 15. Item quòd Paulus reſtitit Petro in faciem, non recto pede ad ueritatẽ Euangelij incedenti: Galat. 2. Et quòd Galatas, eorumq; pſeudoapoſtolos grauiter eo nomine reprehendit, tradita hac maxima, Quicunq; per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis, Chriſtus uobis eſt factus ociouſus. Gal. 5. Item, ſi per legem eſt iuſticia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt: Gal. 2. Tertiò, quòd legẽ cùm Euangelio miſcentes, docet non legitimè lege uti. 1. Tim. 1. Quartò, quòd Paulus iubet rectè ſecare ſermonẽ Dei. 2. Tim. 2. Et formam habere ſanorum uerborũ, & depoſitum ſeruare per Spiritum ſanctum. 2 Tim. 1.

DE PRAEDESTINATIONE.

Προορίζειν, ſignificat decernere & præfinire. Vtuntur ea uoce Apoſtoli, cùm loquũtur de talibus Dei decretis, quæ quidem ſuo tempore fuerunt occulta: ſed tamen poſtea in uerbo Dei reuelata ſunt. Nam Actor. 5. cùm Apoſtoli uolunt indicare, iam impleri ea quæ in Pſalmo ſcripta ſunt, Quare fremuerunt gentes: dicunt ea nunc fieri, quæ manus Dei & conſilium Dei præfinijt: hoc eſt, quæ Deus reuelauit in uerbo futura eſſe. Rom. 8. Quos præſciuit, illos etiã προέωκε, prædeſtinauit: hoc eſt, decreuit et reuelauit in uerbo ſuo, quòd oporteat eos conformes fieri imaginis filij ſui. 1 Corinth. 2. Loquimur ſapientiam in myſterio abſconditam, quam Deus προώρισεν, hoc eſt decreuit reuelare. Eadem fermè ſignificatione ὁρίζειν uſurpatur Act. 2 & 17. & ἐκλέγεσθαι, Eph. 1. & προγινώσκειν, præor-

præordinare. 1 Petri 1. Synonyma etiam ferè sunt προγνωσις, 1 Pet. 1. Act. 2. & ὡρισμένη βουλή, præfinitũ consilium. Act. 2. χεὶρ καὶ βουλὴ τοῦ θεοῦ, manus & consilium Dei. Act. 5. εὐδοκία τοῦ θεοῦ θελήματος, beneplacitum Dei uoluntatis. Ephes. 1. πρόθεσις, propositum. Ephes. 1. βουλὴ τοῦ θελήματος θεοῦ, consilium uoluntatis diuinæ, Ephes. 1.

Videntur autem Apostoli hanc ob causam huiusmodi phrasibus uti, ut moneant, opera Christi et res in Ecclesia euenientes nõ casu accidere: sed à Deo olim præuisa et decreta, et in uerbo Dei reuelata esse. Nam cùm Paulus Rom. cap. 8. docuit de calamitatibus & cruce piorum, eò progreditur, ut moneat id sic accidere, quia Deus id præuidit, et sic determinauit in suo uerbo, nempe illo, Ponam inimicitias, &c. quòd pij debeant in hoc imagini Christi fieri conformes, scilicet ut cum illo patiantur. Idem cùm Rom. 9. 10. & 11. de reiectione Iudæorũ & receptione Gentium loquitur, ostendit ideo fieri, quia Deus decreuerit, & in suo uerbo reuelauerit, quòd propter contemptum uerbi abiecturus sit Iudæos, & Gentes, quia obtemperent Euangelio, & credant, sit recepturus. Prædestinationem igitur in genere docent esse decreta à Deo facta, & postea in uerbo reuelata, de causis & modo saluandi aut damnandi homines. Res quæ à Deo prædestinatæ, hoc est, decretæ & reuelatæ sunt, quòd euenturæ sint, hæ ferè recensentur ab Apostolis.

Decretum Dei est de genere humano lapso, per obedientiam, passionem & mortem & resuscitationẽ Domini nostri Iesu Christi redimẽdo. de hoc dicitur Actorum 2. 3. 10. & 13. 1 Corinth. 15. Ephes. 1. & alibi passim, cùm indicant ea non temerè inscio Deo facta esse, sed à Deo decreta in arcano consilio ante conditionem mundi, & reuelata in paradiso & per prophetas.

Decretum Dei est de uocandis tam Iudæis quàm Gentibus, per ministerium uerbi, ad æternam suam gloriam: quod etiã reuelatũ est in sacra scriptura. de hoc Act. 2. 10 & 15. Rom. 9 & 15. & alibi passim dicitur.

Decretum Dei est, quòd uelit per auditum uerbi operari in cordibus hominum salutarem conuersionem, scilicet cõtritionem & fidem in Christum, & credentes gratis absq; operibus legis saluare. Aspernantes uerò uerbum, & contumaciter repugnantes, siue Iudæos siue Gentes, excæcare & damnare. & hoc quoq; decretum reuelatum esse in uerbo Dei, Paulus Rom. cap. 10. docet. Idem etiam Rom. 9. 10 & 11. iuxta hoc decretũ Iudæos abijci, & gentes recipi pronunciat. Nam ideo gentes recipi ostendit, quòd Deus reuelarit suam uoluntatem, de uocatione gentium, & receptione earum, si audiant uerbum, & credant in Christum: Iudæos uerò ideo reijci, quia Deus reuelarit in Prophetis, quod Iudæos, si contemnant gratiam per Christum oblatam, uelit excæcare.

Decretum Dei est, quòd uelit gratis, sola fide iustificatos sanctificare, ita ut per Spiritum sanctum in ijs habitet, & inchoet nouam obedientiam, & proferat fructus iusticiæ. & hoc decretum in uerbo Dei patefactum, Petrus 1 epist. 1. & Paulus 2 Cor. 6. monent: & iuxta id decretum hortantur renatos ad bona opera. 1. Thes. 4. 1 Corinth. 6. 1 Pet. 1.

Decretum Dei est, quòd omnes qui in Christo piè uiuere uelint, oporteat pati persequutionem. Hoc reuelatum est in Psalmo: Quare fremuerũt gentes, etc. Apostoli Act. 4 monent, & iuxta hoc decretum accidere Ecclesiæ afflictiones passim docent, eoq; pios consolantur, quòd non inscio, sed sciente Deo, euentũ calamitates: & quòd euitari non possint, quia Deus ita ordinarit. & quòd commoda secutura sint ingentia.

Decretum Dei est, quòd suo tempore debeat Christus reuerti ad iudicium uiuorum & mortuorũ. & hoc decretum reuelatum, Petrus Act. 10. & Paulus Act. 17. & 1 Petri 4 monent.

Ex his patet, quòd Apostoli non de prædestinatione, seu de decretis diuinis, nondum reuelatis, sed de ijs quæ in uerbo Dei reuelata sunt loquantur.

Causam autem, cur Deus eiusmodi decreta fecerit, qualia iam recensuimus, & non alia: cur potius per filium quàm per alium, uoluerit genus humanum redimere: cur tantum credentes saluet, & alios infideles omnes damnet: cur non potius impios, quàm pios, in hac uita affligat: Paulus docet esse Dei præscientiã, liberã uoluntatem, misericordiam, iusticiam & sapientiã, sed tamen in uerbo Dei reuelatam: & quòd nemini fieri ullo iure obligatus, ut aliter decerneret. quæ cùm à nostra ratione inuestigari ac percipi nequeant, monent nos, ut potius admiremur, quàm perscrutari conemur. Nam de præscientia, Rom. 8. dicitur, Quoniam quos præsciuerat, eosdem & præfiniuit. Et Ephes. 1. asserit, Deum iuxta beneplacitum uoluntatis suæ, iuxta diuitias gratiæ suæ, hoc decretum fecisse et reuelasse, decretias gratiæ suæ, hoc decretum fecisse et reuelasse, decretias gratiæ suæ, hoc decretum fecisse et reuelasse, decret

Deus sit iniustus, si quem uelit induret, et cuius uelit mi
sereatur: hoc est, si obedientes Euangelio & credentes
in Christum, gratis saluet, & inobedientes & incredu
los omnes damnet & puniat, proponit & refutat Pau
lus Rom. 9. Dices ergo mihi, quid adhuc conqueritur?
Nam uoluntati illius quis restitit? Atqui ô homo, tu quis
es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmen
tum ei qui finxit, Cur me finxisti ad hunc modum? An
non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fin
giat aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in igno-
miniam? Quòd si Deus uolens ostendere iram, & no-
tam facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate
uasa iræ, apparata in interitum, & ut notas faceret di-
uitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ, quæ præpara
uerat in gloriam, &c.

Effectus prædestinationis, ut Paulus Rom. 8. recen
set, sunt: Vocatio, quæ est uniuersalis. uocantur enim om
nes, tum Iudæi, tum gentes. Rom. 10. In omnem terram
exiuit sonus eorum.

Iustificatio, quæ etiam est uniuersalis & gratuita.
Rom. 3. Non est distinctio: omnes peccauerunt. Iustifi
cantur autem gratis, illius gratia, per redemptionem,
quæ est in Christo Iesu. Ro. 10. Omnis qui fidit illi, non
pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi, uel Græci.
Nam idem dominus omnium, diues in omnes inuocan
tes se. quisquis enim inuocauerit nomen Domini, sal-
uus erit. 1 Timoth. 2. Deus uult omnes homines saluos
fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Sanctificatio, quæ etiam est uniuersalis, & contin-
git absq; respectu personarum, omnibus uerè iustifica-
tis. Act. 15.

Glorificatio, quæ etiam est uniuersalis, & contin-
git omnibus in fide, usq; ad finem perseuerantibus. 2.
Timoth. 3. Reddet coronam iusticiæ, non solum mihi,
uerum omnibus aduentum eius expectantibus.

Docet etiam, meditationem prædestinationis, utrũ
ad uitam, an ad mortẽ æternam ordinati simus, non ex
ratione instituendam esse. Nam animalem hominem in
telligere ea quæ Dei sunt, Paulus negat 1 Corinth. ca-
pite oct. uo. Et Iohannes dicit, mundum non nosse
Deum. Etiam ex lege, seu operibus legis, seu nostra di-
gnitate, cogitandum de prædestinatione negant. Nam
legem à iustificatione excludunt, propterea quòd incer
tam faciat promissionem, & adimat consolationẽ con-
scientijs. Rom. 4.

Sed secundum euangelium quod habet uniuersalẽ
promissionem, & causas prædestinationis, quæ sunt mi
sericordia & gratia Dei, iudicandum esse de prædesti
natione monent. Nam quoties Paulus de prædestinatio
ne ad salutem loquitur, deducit mentes ad uoluntatem
Dei, in euangelio patefactam. Ephes. 1. Patefacto nobis
arcano uoluntatis suæ, iuxta beneplacitum suum, &c. in
quo speramus & nos, audito uerbo ueritatis Euange-
lio, &c. 1 Cor. 1. Fidelis Deus, per quem uocati estis in
consortium filij ipsius Iesu Christi. Idem Galat. 1. de sui
prædestinatione loquens, orditur à uocatione: Ast ubi
Deo, qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uo
cauit me per gratiam suam, &c. 1 Cor. 15. Per gratiam
Dei sum, quicquid sum. 2 Thes. 2 Nos debemus gratias
Deo semper de uobis fratres dilecti à Domino, quòd
elegerit uos Deus ab initio in salutem, per sanctifica-
tionem spiritus, ac fidẽ ueritatis, ad quod uocauit uos
per Euangelium, in acquisitionem gloriæ Domini no-
stri Iesu Christi. Idem 2 Timoth. 2. inquit: Si quis igi-
tur se expurgarit ab his, scilicet impijs doctrinis, &
fuerit amplexus ueram doctrinã, erit uas in honorem
sanctificatum, accommodatum usibus Domini ad om-
ne opus bonum præparatum. Et Petrus 1 epist. 2. Ad uo
cationem, scilicet quæ fit per Euangelium, quo omnib.
credentibus offertur gratis per Christum remissio pec
catorum, deducit pios, qui uocauit uos è tenebris in lu
cem suam admirabilem. Idem 1 Petri 5. Deus, &c. uoca
uit nos ad æternam suam gloriam. Ioannes etiam 1
epist. 1. ad ministerium uerbi & fidem deducit eos qui
cupiant scire an sint prædestinati. Idẽ Apocalyp. cap.
20. cùm meminit libri uitæ, non loquitur de occulta ali-
qua Dei uoluntate, sed de ea quæ reuelata est in uerbo
Dei, quòd uelit omnes credentes saluare, & omnes in-
credulos damnare.

Vsus doctrinæ de prædestinatione est, ut omnes ti-
mentes Deum, & credentes in Christum, certissimi esse
queant, se saluatum & glorificatum iri. Nam senten-
tia illa, Omnis qui fidit illi non pudefiet: ideo certa &
infallibilis est, quia est constans & immobile Dei decre
tum in Euangelio patefactum. nam Paulus Rom. cap.
8. inde infert electos Dei (loquitur de electione quæ fit
per uerbum ac fidem) damnari et separari à dilectione
Dei, quæ est in Christo Iesu, nullo modo posse. Idem
Rom. 11. Dona quidem & uocatio Dei eiusmodi sunt,
ut eorum illum pœnitere non possit. 2 Tim. 2. Solidum
fundamentum Dei stat. nouit Deus qui sunt sui: & di-
scedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi.
Vult ergo Paulus, nos uerè statuere, fieri non posse
ut Deus aliter sentiat quàm sicut se patefecit in uerbo,
quòd omnes credentes in fide perseuerantes, certò uelit
saluare: nec somniemus alium catalogum saluandorũ,
quàm eorum qui uerè credant in Christum.

Deinde ut omnes impij & increduli perseuerantes
in impœnitentia usq; ad finem, nihil aliud sibi persua-
deant, quàm quod Deus in uerbo patefecit, nempe cer-
tissimam abiectionẽ & damnationem. nam hæc etiam
sententia, Dei est decretum immutabile. 1 Ioannis quin
to: Qui non credit, Deum mendacem facit. Item: Qui
non habet filium, non habet uitam. Et Paulus Rom. 9.
Impios Euangelio nõ obedientes, & in impœnitẽtia per-
seuerantes, uasa iræ apparata ad interitum appellat. Nõ
autem eò dicuntur apparata, quòd Deus tales illos con
diderit (ait enim, Deum eos tolerare animi lenitate) sed
quòd Deus propter sua scelera & infidelitatẽ eos dam
net & perdat suo iusto iudicio. Rom. 2. 2 Thess. 1.

Tertiò, ut liquidò constet, non ob nostra merita aut
bona opera, sed gratis ex misericordia Deum saluare
credentes. Rom. 9 & 11. Ephes. 2. Si enim Deus decre-
uit eo modo saluare homines, antequam iacerẽtur fun-
damenta mundi, cùm nondum fuerunt conditi homi-
nes, quid possint de merito & dignitate sua gloriari?

Prædestinationi contraria sunt, uelle eam ratione
humana capere, Roman. nono: & extra uerbum pa-
tefactum de prædestinatione meditari. Item, somniare
aliam esse Dei uoluntatem, de saluandis aut damnandis
hominibus, quàm eam quæ in Euangelio est expressa.
Est enim Euangelium nihil aliud quàm patefactio de-

creti Dei, quos, scilicet omnes, quas ob causas, scilicet ob meritum Christi & gratis, & quomodo, scilicet si credant & in fide perseuerent, ordinarit ad uitam æternam. Eph. 1. Patefacto nobis arcano uoluntatis suæ. Et econtrà: Quos, nempe omnes, sine personarum respectu, ob quas causas, nimirum, quia meritum Christi & gratiam Dei contemnant, quomodo, uidelicet si in impœnitentia & infidelitate perseuerent, apparauerit ad interitum. Rom. 9. & 11.

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS peccatoris coram Deo.

ETiam Apostoli his uocabulis, Iusticia, iustus, iustificatio, iustificare, salus, saluare, gratia, quorum usus est in hac doctrina, uariè utũtur. quare initiò de significationibus eorum lectorem commonefaciemus. Obseruatu autem dignum est, istas uoces non ubiq; æquè reperiri. Nam uoce δίκαιος quidem omnes utuntur, Paulus passim, & Petrus 1 Pet. 3. 4. Ioan. 1 Ioan. 1. 2. 3. Apoc. 22 Lucas Act. 7. Eb. 11. Iac. 5. uocem δικαιοσύνη. Petrus, 2 Pet. 2. Ioãnes 1 Ioã. 3. Paulus passim, Rom. 1. 2. 3. & alibi, Iac. 1. habent. δικαίωμα tantũ Rom. 1. 5. 8. Ebr. 9. Apoc. 19. extat: δικαίωσις tantum Rom. 5. habetur: δικαιόω apud Paulum passim, Rom. 3. 8. Gal. 2. 3. 5. Act. 13. Apoc. 22. Iacobi 2. usurpatur. Petrus, & Ioannes in Epistolis suis eo non sunt usi. Gratia apud omnes in usu est. Vocabulũ σωτηρία, salus, omnes habent, exceptis tribus epistolis Ioannis, in quibus tantum semel, 1 Ioan. 4, σωτὴρ extat: cuius uerbum σώζειν etiã apud alios omnes legitur, in solo Ioãne desideratur.

Iusticia & iustus, cum de Deo dicuntur, aliàs significant essentialem iusticiã, quam ab æterno habet, ad cuius normã cuncta examinat, et congruentia approbat, discrepantia uerò damnat & execratur, & iustissimis pœnis affligit & perdit. Huius essentialis iusticiæ Dei simulachrum quoddam est cordibus hominum in creatione insculptum, & in Decalogo repetitum. In hanc sententiã hæc & similia testimonia accipiuntur. 1 Pet. 2. Tradidit uindictam ei qui iudicat iustè. Rom. 1. Qui cum Dei iusticiam, hoc est iustum Dei iudicium nouerint, nempe quòd ij qui talia faciunt, digni sint morte, non solum ea faciunt, uerùm assentiuntur ijs qui faciunt. Rom. secundo: Colligis tibi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua. Rom. 3. Quòd si iniusticia nostra Dei iusticiam commendat, quid dicemus? num iniustus Deus qui iudicat me? humano more loquor: absit. Nam quomodo iudicabit Deus mundum. 2. Tim. 4. Reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex. Iac. 1. Ira uiri iusticiam Dei nõ operatur: id est, nõ facit ea quæ congruũt ad normam diuinæ iusticiæ.

Aliàs uerò significat illam Dei bonitatẽ, qua Deus iusticiam mediatoris imputat credentibus, & ob quam peccata remittit & iustos pronũciat peccatores. Rom. 3. ad ostensionem iusticiæ suæ propter remissionẽ peccatorum, quæ Deus tolerauit, ad ostendẽdam iusticiam suam, in præsenti seculo, in hoc, ut ipse sit iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu: Rom. 3. Nunc uerò sine lege iusticia Dei manifestata est. Rom. 10. Nam ignorantes Dei iniusticiam, & propriam iusticiam quærentes constituere, iusticiæ Dei non fuerunt subditi.

Cum iusticia & iustus de Domino nostro Iesu Christo dicuntur, significant eam iusticiam, quam ut mediator homo et Deus in una persona, implendo legem pro nobis, tum solutione pœnarum, tum integra obedientia comparauit.

Huc pertinent testimonia Act. 3. Vos autem sanctũ & iustum negastis. Act. 7. Occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti illius, cuius uos nunc proditores & occisores fuistis. 1 Pet. 3. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis. 1 Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, iustũ. Idem: Si scitis quòd iustus est, scitote quòd omnis qui facit iusticiam, ex ipso natus est. 1 Corinth. 1. Qui factus est nobis à Deo sapientia, iusticiaq;, & sanctificatio, & redemptio. 2 Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum. Philip. 3. Vt reperiar in illo, non habens meam iusticiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ est ex Deo, iusticiam super fide.

Sed cum Iusticia & iustus de hominibus dicuntur, tum aut notant originalẽ iusticiam, qua homo antelapsum fuit ornatus. Eph. 4. Induere nouum hominẽ, qui iuxta Deum conditus est, per iusticiam & sanctitatem ueritatis. Aut perfectissimam, internam & externam legis impletionem. Rom. tertio: Non est iustus, ne unus quidem. Galat. 3. Nam si data fuisset lex, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia. Aut iusticiam carnalem, quam non renati utcunq;, uel secundum legem naturæ, uel secundum legem promulgatam in monte Sinai, præstant. Act. 10. Cornelius Centurio uir iustus, actus irreprehensibilis. Tit. 3. Non ex operibus, quæ sunt iniusticia, quæ faciebamus nos.

Aut iusticiam imputatiuam, qua credentes in Christum gratis ornantur, & ob quam iusti pronunciantur in iudicio Dei, & donatur ijs Spiritus sanctus, & uita æterna. Rom. 3. Iusticia uerò Dei per fidẽ Iesu Christi in omnes & super omnes eos qui credunt. Rom. 4. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Item & Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iusticiam absque operibus. Item: Dicimus enim quòd imputata fuerit Abrahæ fides ad iusticiam. Item: Signaculum accepit iusticiæ fidei. Item, Imputaretur & illis iusticia. Item, Resurrexit propter iusticiam nostram. Rom. 5. Per obedientiam unius iusti constituentur multi. Rom. 1. Gal. 5. Iustus sua fide uiuet. Rom. 5. Quemadmodum regnauit peccatum in morte, sic & gratia regnauit per iusticiam ad uitam æternam, per Iesum Christũ. Rom. 14. Regnum Dei est, &c. iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. 1 Corinth. 1. Christus factus est nobis iusticia. 2. Corinth. 3. Si administratio cõdemnationis gloria, multo magis excellit administratio iusticiæ in gloria. 2 Corinth. 5. Efficeremur iusticia Dei. Phil. 1. Repleti fructu iusticiæ. Ebr. 5. Expers sermonis iusticiæ. Ebr. 11. Iusticiæ quæ per fidem est, hæres institutus est. Ebr. decimo: Iustus ex fide uiuet. Ebr. 11. Abel, &c. testimonium

nium meruit, quòd esset iustus, testimonium perhibente de donarijs illius Deo. In hac significatione hoc loco accipitur uox Iusticia, & synonyma sunt interdũ gratia & salus, ut paulo pòst demonstrabitur.

Aut iusticiam bonæ conscientiæ, seu nouam obedientiam, quam renati auxilio Spiritu sancti in hac uita utcunq; præstant. Testimonia quæ in hanc sententiam reperiuntur, nonnunquam synecdochicòs includunt iusticiam imputatiuam. ea enim est causa nouæ obedientiæ, 1 Petri 4. Si iustus uix saluabitur, impius ubi manebit? 2 Pet. 2. Octauum iusticiæ præconem Noe seruauit: hoc est, eum qui concionabatur de imputatiua iustitia, & de noua obedientia, & minabatur grauissimas pœnas, nisi obtemperauerint. Item iustũ Loth eripuit. Item animam iustam iniquis factis excruciabat. 1 Ioan. 3. Qui facit iusticiam, iustus est. Rom. 6. Ne accommodetis membra uestra, arma iniusticiæ peccato: sed accommodetis uosmetipsos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iusticiæ Deo. Quòd autem hoc loco iusticia significet nouam obedientiã, seu iusta opera, sequentia declarãt: An nescitis, inquit, quòd cui accommodatis uos ipsos seruos, ad obediendũ, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iusticiam. Idem, Nunc præbete membra uestra, serua iusticiæ ad sanctificationem. 2 Cor. 9. Deus augeat prouentus iusticiæ uestræ, ut in omnibus locupletemini, in omnem simplicitatem. Item ex Psal. 111. Idem citatur: Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. 1 Tim. 6. Sectare iusticiam. idẽ 2 Tim. 2. repetitur. Sectare uerò iusticiam, fidem, charitatem, pacem, &c. Ebr. 11. Operati sunt iusticiam, id est opera iusta. Iac. 1. Fructus autem iusticiæ in pace seminatur, facientibus pacem. Idem 5. Condemnastis & occidistis iustum, & non restitit uobis. Apoc. 22. Iustus iustificetur amplius.

Aut iusticiã, qua in altera uita beati præditi erunt. 2. Pet. 3. Sed cœlos nouos, & terram nouam, iuxta promissum illius expectamus, in quibus iusticia inhabitat: hoc est, in quibus iusti inhabitabũt. Ebr. 12. Accessistis &c. ad spiritus iustorum, perfectorum.

Iustificare, aut significat liberare ab obligatione qua tenebamur propter aliquam regulam iusticiæ. Rom. 6. Qui mortuus est, iustificatus est à peccato: hoc est, liberatus à iure peccati & mortis, ut Paul. Rom. 7. æquiuocanti hac phrasi uidetur exponere, cùm inquit: Mulier uiuente uiro, alligata est per legẽ: quòd si mortuus fuerit uir, liberata est à lege uiri. & 8. Liberũ me reddidit à iure peccati & mortis. Nam secundum iusticiæ regulam, peccatum meretur mortem: si quis autem mortẽ sustinuit, is ab hac obligatione liberatus est.

Aut significat alicuius obedientiæ tribuere testimonium & laudem, quòd ea sit integra impletio legis, & prorsus ad normã integræ iusticiæ congruat, & digna sit præmio seu mercede, uita scilicet æterna. Rom. 2. Nõ qui audiũt legem, iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabũtur. 1 Co. 4. Nullius rei mihi cõscius sum, sed nõ per hoc iustificatus sum: cæterũ qui me iudicat, Dominus est. ubi Paulus iustificare & iudicare pro synonymis usurpat. Rom. 3. Quemadmodum scriptũ est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris: hoc est, ut tibi testimoniũ et laus iusticiæ tribuatur. 1. Tim. 3. Deus manifestatus est in cărne, iustificatus in spiritu, hoc est Christo. spiritus perhibet testimonium, quòd integrè impleuerit legem pro genere humano. Rom. 3. Gal. 3. Ex operib. legis nõ iustificatur ulla caro. Gal. 5. Qui iustificamini in lege: hoc est, qui ob uestrã obedientiam, quam legi præstatis, iusticiæ laudem et uitam æternam expectatis, atq; ita propriam iusticiã ex operib. uestris cõstituitis, ut Rom. 10. Paulus exponit, à gratia excidistis. Rom. 4. Si Abrahã ex operib. iustificatus fuit, habet quod glorietur, at nõ apud Deũ. Ro. 5.

Aut significat obedientiã seu iusticiã Christi alicui imputare, et propter eam iniustũ seu impiũ non modò à pœnis, sed etiam à culpa absoluere, & laudẽ iusticiæ, eiusq; præmia attribuere. & in hac significatione hoc loco usurpatur, in qua etiam apud Paulũ, cum de iustificatione peccatorum agit, frequentissimè reperitur. In epistolis uerò Petri & Ioannis non quidem legitur, synonymo enim eius saluare Petrus utitur, Ioannes uerò peccata remittere. Lucas etiam in Actis, cum Petri cõciones annotat, plerunq; uoce salutis, & saluare, & peccatorũ remissionẽ accipere, eum usum esse ostẽdit. Act. 4. 10. 15. Cùm uerò Pauli cõciones describit, ostendit eum utraq; uoce usum, scilicet iustificare, ut Act. 13. Per hunc omnis qui credit, iustificatur. Et saluare, Act. 16. Saluus eris & tu & tota domus tua. Testimonia uerò apud Paulũ hæc ferè occurrunt. Rom. 3. Iustificantur aũt gratis per illius gratiã, etc. Itẽ, Vt ipse sit iustus, & iustificãs eũ qui est ex fide Iesu. Itẽ, Arbitramur igitur fide iustificari hominem absq; operibus legis. Item, Vnus Deus qui iustificabit circũcisionẽ ex fide, et præputium per fidem. Rom. 5. Iustificati ex fide pacẽ habemus erga Deũ, per Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Ibid. Multo magis nunc iustificati sanguine ipsius, seruabimur per eũ ab ira. ubi Paulus iustificati exponit, per reconciliati. inquit enim: Nam si cũ inimici essemus, reconciliati fuimus Deo p mortẽ filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per uitã ipsius. itẽ, Per Iesum Christũ reconciliationẽ consecuti sumus. Rom. 8. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Hic iustificare & condemnare, opponuntur sibi inuicẽ: ubi quid aliud iustificare quàm absoluere, propter impletũ legis Δικαίωμα, seu normã iusticiæ in lege præscriptæ, pro nobis à Christo præstitã significare potest? 1. Cor. 6. Hæc eratis quidẽ, sed abluti estis, per nomẽ Domini Iesu, et per spiritũ Dei nostri. Tit. 3. Vt iustificati illius gratia, hæredes efficeremur uitæ æternæ. Gal. 2. Et nos in Christũ Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, et nõ ex operib. legis. Gal. 3. Deus ex fide iustificat gẽtes.

Porrò in hac significatione uerbũ iustificare et iustificari, synonyma habent satis plana et elegantia, ut sunt, imputare iusticiã. Ro. 4. quẽadmodũ et Dauid explicat beatificationẽ hominis cui Deus imputat iusticiã absq; operibus. Ibidẽ, Vt esset pater omniũ credẽtiũ per præputiũ, ut imputaretur et illis iusticia. Sed cuius iusticia imputetur, nempe Christi, declarant alia dicta, Ro. 8. et 10. Et Phil. 3. Nõ habẽs meã, quæ ex lege est, sed Christi iusticiam, &c. Imputare, credere. seu fidere ad iusticiã. Ro. 4. Gal. 3. Iac. 2. Credidit Abrahã Deo, et imputatũ est illi ad iusticiam. Ibidem: Porrò ei qui nõ operatur, sed credit in eum qui iustificat impiũ, imputatur

fides sua ad iusticiam. Non autem fidem ob suam propriam dignitatẽ imputari ad iusticiã, sed eo quòd fides apprehendit iusticiã Christi, ibidem declaratur. Non scriptũ est aũt propter illum tantùm, imputatũ fuisse illi, sed etiam propter nos, quib. imputabitur, credentibus in eum qui excitauit Iesum Dominũ nostrũ à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus propter iusticiam nostram. & Rom. 9. Gentes, quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam, iusticiam aũt eam quæ ex fide est. Et Rom. 10. Christus est impletio, seu impletor legis, ad iusticiam omni credenti: hoc est, impletio legis à Christo præstita, imputatur credentib. ad iusticiam. Non imputare peccatum. Rom. 4. Beatus uir cui nõ imputabit Dominus peccatum. 2. Cor. 5. Deus erat in Christo, mundũ reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua. Constituere aliquem iustum, propter obedientiam Christi, Rom. 5. Quemadmodũ per inobedientiã unius hominis peccatores cõstituti fuimus multi, ita per obedientiam unius iusti cõstituentur multi: hoc est, obedientia à Christo legi præstita, per fidẽ imputatur peccatori, atq; ita pronũciatur iustus aliena iusticia. Donare, seu accipere donatã in Christo iusticiã. Rom. 5. Multo magis hi qui exuberantiã gratiæ & doni iusticiæ accipiũt, per uitã regnabunt, autore uno Iesu Christo. Facere, seu fieri iusticiã Dei per Christũ. 2 Cor. 5. Eũ qui nõ nouit peccatũ, fecit peccatũ, ut nos fieremus iusticia Dei per illũ.

Remittere, seu condonare peccata. Act. 2. Baptisetur unusquisq; uestrũm, etc. in remissionẽ peccatorum: Act. 5. Ad dandã pœnitentiã Israeli, remissionem q; peccatorum. Act. 8. Roga Deum, si fortè tibi remittatur cogitatio cordis tui. Actor. 10. Quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis in illum crediderit. Act. 13. Per hunc uobis remissio peccatorum annũciatur. Act. 26. Vt accipiant remissionẽ peccatorũ & sortẽ inter sanctificatos, fide in me. 1 Ioan. 1. Fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. 1 Ioan. 2. Remittuntur uobis peccata propter nomen eius. Rõ. 3. Propter remissionem peccatorũ. Rom. 4. Beati quorum sunt remissæ iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Ephes. 1. Habemus redemptionẽ per sanguinẽ eius, remissionẽ peccatorũ. Colos. 2. Condonans nobis omnia delicta. Iac. 5. Si in peccatis sit, remittentur ei. Eb. 9. Sine sanguinis effusiõe nõ fit remissio peccatorũ.

Delere peccata. Act. 3. Vt deleantur peccata uestra. Abluere peccata. Act. 22. Exurge, baptizare, & abluere peccata tua, inuocato nomine Domini. Emundare à peccato. 1 Ioannis 1. Sanguinis Iesu Christi emũdat nos ab omni peccato. Item: Iustus est, &c. emundet nos ab omni iniquitate. Benedicere. Act. 3. Misit eum benedicentem uobis. Gal. 3. Itaq; qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Saluare. Act. 2. Dominus addebat qui salui fierent, id est, conuerterentur & iustificarentur, quotidie congregationi. Act. 4. Nec est aliud nomen, &c. in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 15. Pseudoapostoli aiunt, nisi circumcidamini secundũ morem Mosi, non potestis esse salui: id est, iustificari. Ibidem Petrus inquit: Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodũ & illi. Act. 16. Crede in Dominum Iesum, & saluus eris, & tu et domus tua. 1 Cor. 15. Notum uobis facio euangelium, &c. per quod etiam saluamini: id est, per quod nobis annunciatur remissio peccatorum, & donatur iusticia Christi, & uita æterna. Rom. 10. Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quòd Deus illum excitauit à mortuis propter iusticiã tuam: Saluus eris, Rom. 4. hoc est, habebis imputatam iusticiam, ob quam donatur tibi uita æterna. Ibidem ex hoc le citat dictum: Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Tit. 3. Saluos nos fecit per regenerationis lauacrum, &c. Ephes. 2. Gratia saluati estis. Iac. 1. Recipite insitum sermonem, qui potest saluas facere animas uestras. Ebr. 7. Vnde & saluos facere ad plenũ potest, qui per ipsum adeunt Deum.

Eleganter autem uerbum Saluare ad iustificationem transfertur. Significat enim aliàs, liberare captiuum ab hostibus, & pristinæ libertati restituere, quod etiam fit in iustificatione. Liberamur enim à iugo peccati & mortis, et donatur nobis iusticia Christi, ob quam datur spiritus sanctus & uita æterna. Conservo qui salutem. 2. Tim. 2. Omnia suffero propter electos, ut & ipsi salutẽ consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna. Consequi misericordiã. 1 Tim. 1. 1 Pet. 2. Habere uitã æternã. 1 Ioan. 5. Qui habet filiũ, habet uitã: qui uerò nõ habet filiũ Dei, uitã nõ habet. Itẽ: Vt sciatis quòd uitã habetis æternã. 1 Ioan. 3. Translati sumus de morte ad uitã. Synecdochicòs enim effusum tradidit pro ea, ut sanctificaret eam, scilicet ecclesiam. 1 Cor. 6. Hæc eratis quidẽ, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Videntur enim hic abluere & sanctificare et iustificare synonyma esse. Ebr. 10. Per quam uoluntatem sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Idem cautione corporis Iesu Christi semel peractam. Idem cautione consummauit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Verùm sanctificare, aliàs sese expiare cæremonijs Mosaicis significat. Act. 21. Sanctifica te cum illis. Aliàs timere. 1. Pet. 3. Dominum Deum sanctificate in cordibus uestris. Aliàs donare spiritum sanctum, & per eum operari in iustificatis bona opera. Rom. 8. Quos iustificauit, eos & sanctificauit. 1 Thes. 4. Sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; uestrũm uas suum possidere cum sanctificatione & honore, nõ cum affectu concupiscentiæ. 1 Ioan. 3. Omnis qui habet hanc spem, iustificat se. Aliàs significat, aliquid idoneum reddere ad licitum usum. 1 Cor. 7. Sanctificatur uir infidelis per mulierẽ. 1 Tim. 4. Omnis creatura Dei bona est, &c. sanctificatur enim per uerbum & orationem. Aut significat profiteri in faciendo opera iusta. Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc: id est, proficiat in iusticia.

Iustificatio. Tres illæ uoces, δικαιοσύνη, δικαίωμα, δικαίωσις, interpretes uocabulo iustificationis redditi, sed nõnihil differẽtiæ uidetur inter hæc uocabula esse. Nam τὸ δικαίωμα significat ipsam normam seu regulam iusticiæ diuinæ, quam in lege præscripsit, & cordibus hominum in creatione impressit Deus. Rom. 1. οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες. qui cum Dei iusticiam seu regulã iusticiæ diuinæ sciant, quòd qui talia faciant,

faciant, digni sint morte: nõ tantũ ea faciunt, sed etiã assentiuntur facientibus. Idẽ cap. 2. ὄργον τοῦ νόμου γραπτὸν συγγραφῆς καρδίας, Opus legis scriptũ in cordibus. Et ibidem τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ appellat. Eodem modo accipitur Ro. 2. ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, Si igitur præputium seruat ea quæ in lege iuxta normã iustitiæ sunt præscripta et mãdata. Rom. 5. ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα, οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς. Hoc loco Adam & Christus opponũtur: & ostẽditur, alterũ, scilicet Adã, attulisse omnib. hominib. condemnationẽ & mortem, suo peccato, quòd δικαίωμα regulã diuinæ iustitiæ est transgressus. alterũ uerò, scilicet Christũ, attulisse omnibus hominib. iustificationẽ uitæ, hoc est absolutionẽ à cõdemnatione, & imputationẽ iustitiæ, ob quã donatur uita per suũ δικαίωμα: hoc est, eo q, regulã diuinæ iustitiæ in lege nobis præscriptã, ipse pro nobis obseruauit, mortẽ sustinẽdo, & integrã obedientiã præstãdo. Rom. 8. Quod legi erat impossibile, ea parte qua imbecillis erat p carnẽ, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit: ac de peccato cõdemnauit peccatũ per carnẽ, ut τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου iustificatio legis impleretur in nobis. Hoc loco Paulus docet, τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, seu regulã iustitiæ legalis postulasse ab hominibus integrã obedientiam & satisfactionem pro peccato, nempe mortem: sed cùm nullus hominũ ea præstare posset, ideo Deum misisse suũ filiũ, natũ ex muliere, factũ legi obnoxiũ, ut impleret τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου pro nobis: hoc est, præstaret legi integram obedientiam, ad comparandã uitam, & sustineret mortem ad expiandum peccata generis humani, atq; ita nos liberaret à lege: hoc est à iure mortis & peccati, & donaret nobis ius filiorum Dei. Hinc Apocalyp. 19. τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων, iustificationes sanctorũ, de iustitia sanctis imputata & donata dicitur. At Ebr. 9. præcepta à Deo populo Iudaico tradita, δικαιώματα appellantur. δικαιοσύνη uerò, etsi interdum idem quod δικαίωμα τοῦ νόμου significat, tamen præcipuè illam iustitiam notat, quæ cum τῷ δικαιώματι, seu norma legis ad amussim congruit. Complectitur igitur δικαιοσύνη, qualitates & actiões, seu integram obedientiam, qualem & quantam lex postulat. δικαίωσις, quod Rom. 5 extat, absolutionem seu actum iustificandi significat: qui fit per imputationem iustitiæ Christi, seu remissionem peccatorum. Nam κατάκριμα et δικαίωσις ibi opponũtur sibi inuicem. Pro huiusmodi actu iustificandi. sæpissimè δικαιοσύνη ponitur, ut 1 Corinth. 1. Christus factus est nobis à Deo iustitia. 2 Corinth. 3 opponuntur sibi inuicem ministerium condemnationis, & ministerium iustitiæ, hoc est iustificationis. Rom. 10. Christus est impletio legis ad iustitiam omni credenti: hoc est, ad iustificationẽ. Ro. 4. Traditus est propter peccata nostra, resurrexit propter iustitiã seu iustificationẽ nostri.

Saluare, interdũ de corporali liberatione seu beneficio, seu sanatione dicitur. 1 Pet. 3. Cũ apparabatur arca, in qua paucæ, hoc est, octo animæ seruatæ sunt per aquã. Act. 4. Si nos hodie examinamur de eo quòd bene fecerimus homini infirmo, qua ratiõe iste saluus factus sit, notũ sit omnib. uobis, &c. q. per nomen Iesu Christi Nazareni, etc. iste adstat corã omnib. uobis sanus. Vnde Deus dicitur seruator omniũ hominũ, maximè uerò fideliũ. 1 Ti. 4. pro sustẽtatore: et 1 Pet. 4. Si iustus uix seruatur, impius ubi apparebit? hoc est: si Deus bonos affligit pœnis corporalib. multo magis impios punict.

Interdũ uerò de spirituali liberatione seu beneficio, quo liberamur à peccato & morte, & donatur nobis iustitia, & uita dicitur, & complectitur comparationem salutis, & applicationem seu imputationem, & fructus imputatam salutem seu iustitiam sequentes, ut sunt sanctificatio in hac uita, et integra hominis instauratio, seu beatitudo in altera uita. 1 Tim. 1. Iesus Christus uenit saluare peccatores. Ebr. 7. Ad plenũ saluare potest, qui per ipsum adeunt Deum. Hinc Christus dicitur saluator primùm, quia salutem, hoc est necessaria ad salutẽ coram Deo comparauit nobis, nempe λύτρον dedit pro peccatis, & obedientiam integram præstitit propter uitam æternam. Deinde, quia nobis imputat et donat salutem, iustitiã & impletionem legis, & sic nos iustos pronunciat. Tertiò, quia propter imputatam iustitiam donat nobis spiritum sanctum, & inchoat in nobis uitam, quam perficiet in resuscitationem mortuorum, ubi prorsus aboleuerit mortem & peccatum, & corpus nostrum suo glorioso corpori conforme reddiderit. 1 Ioan. 1. Pater misit filiũ saluatorẽ mũdi. 2 Tim. 1. Gratia nobis quidẽ data est per Christũ Iesum ante tẽpora æterna: sed palàm facta est nunc per apparitionẽ saluatoris Iesu Christi, qui mortem quidẽ abolenit, uitã aũt in lucem produxit, & immortalitatem per Euangelium. Hoc dicto eleganter exponitur, quòd saluare sit abolere mortem, & producere uitam & immortalitatem, eaq; per euangelium offerre credentib. ad Tit. 2. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri. ad Tit. 3. Postquã apparuit benignitas & humanitas saluatoris. Eph. 5. Christus caput est Ecclesiæ, & ipse est saluator sui corporis: hoc est, membris ecclesiæ donat & applicat salutem. Philip. 3. Vnde saluatorẽ expectamus Dominũ nostrum Iesum Christũ, qui corpus nostrũ humile reddet, conforme glorioso corpori suo. Hoc loco saluator pro glorificatore accipi uidetur: ut plurimum aũt saluare pro iustificare, hoc est credentes absoluere ab execratione legis, propter λύτρον, quod Christus soluit sua morte, unus pro omnibus. 2 Cor. 5. & imputare obedientiam, quam integerrimè legi præstitit pro omnib. et qua meruit uitã, ut patet ex testimonijs suprà allegatis, quibus etiam hæc accenseri possunt Rom. 8. Spe salui facti sumus: hoc est, fide nobis imputata et applicata est iustitia, cuius effectus, scilicet uita æterna, suo tempore cõspicietur in nobis, cùm resurrexerimus: iam enim nõ uidetur. 1 Cor. 1. Sermo crucis, &c. nobis qui saluamur, potentia Dei est. Ibidẽ: Visum est Deo, per stulticiam prædicationis saluos facere credentes: hoc est, iustitiã donare & applicare credentib. per uerbũ. 1 Cor. 3. Sed cuius opus arserit, detrimẽtũ patietur, ipse aũt saluus erit, sed tanquã per ignẽ, hoc est, qui fundamentum iustificationis, scilicet Iesum Christũ tenuerit, et nihilominus stipulas, humanas opiniones superstruxerit, is in die ignis, hoc est, tentationis, seu in agone detrimentum patietur: hoc est, à conscientia sua affligetur: & tamen, quia fundamentum retinet Iesum Christum, per illos angores animi reducetur ad salutem, ut

abiectis omnibus stipulis, quibus antea confisus erat, solum saluatorem Iesum Christũ, cum suo beneficio amplectatur. 1 Thes. 2. Prohibẽtes nos gentib. loqui, ut salui fiãt: hoc est, ad salutẽ perducãtur per ministeriũ uerbi.

Nonnunquã saluare, ad salutẽ seu pœnitentiã perducere significat, per concionẽ legis & euãgelij. 1. Tim. 4. Teipsum saluũ facies et alios. 1 Cor. 9. Omnia factus sum omnibus, ut omnes saluos facerẽ: scilicet ut ijs salus applicaretur per uerbũ et fidẽ. 1 Cor. 10. Nõ quærẽs meã ipsius utilitatẽ, sed multorũ, ut salui fiãt: hoc est, ut cõuertantur, et fide accipiãt salutẽ. 1 Tim. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire.

Interdũ uerò saluare, pro glorificare, seu in hæreditatem æternæ beatitudinis collocare, sublatis omnibus omnino malis, scilicet peccato et morte & ira Dei, quæ iustificatis in hac uita nõnihil adhuc formidolosa sunt. Rom. 5. Multo igitur magis iustificati in sanguine eius, hoc est, propter eius meritum absoluti ab iniusticia nostra, & ornati iusticia Christi, σωθησόμεθα, seruabimur per ipsum ab ira, scilicet uẽtura super impios, ut Paulus ipse exponit 1 Thes. 1. Iesus liberat nos ab ira uentura. quanquam etiã liberatio ab æterna uentura ira fit per iustificationem, per quam absoluimur à peccatis, & donatur nobis uita æterna per fidẽ. Rom. 11. Et sic omnis Israel saluus erit. 1 Cor. 5. Tradatur Sathanæ ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die Domini Iesu. 2 Tim. 2. Liberabit me Dominus & saluum faciet in regnum suũ: hoc est, transferet me ex hac uita in uitã æternam. 1 Timoth. 2. Mulier seruabitur per generationem filiorum, si permanserit in fide.

Sed tamen in his & similibus testimonijs synecdochicôs includitur iusticia imputatiua, & causa ob quam glorificatio seu salus æterna datur. Salus etiam uariè usurpatur. aliàs enim significat remissionem peccatorũ, & imputatiuam iusticiam. Actorum 4. Non est in ullo alio salus: hoc est, ut Act. 10 exponit ipse Petrus, remissionem peccatorum accipiunt omnes qui credunt in nomen Iesu Christi. 2. Tim. 2. Omnia sustineo propter electos, & ut ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna. Hic duas res distinctas nominat: salutem, quæ est in Christo, scilicet remissionem peccatorum: & gloriam æternam. quorum illud ad actum iustificationis, hoc uerò ad actum glorificationis pertinet. Rom. 1. Virtus enim Dei est, ad salutem omni credenti. 2. Cor. 7. Quæ enim secundum Deum iusticia est, ea pœnitentiã ad salutem haud pœnitendã parit. Rom. 10. Corde creditur ad iusticiã: hoc est, corde seu fide in corde apprehẽditur iusticia imputatiua: & ore fit confessio ad salutem, seu ore confitemur salutem: hoc est, gloriamur de beneficio Dei per Christũ nobis exhibito. Hebraica enim phrasi accusatiuus cum præpositione, pro genitiuo ponitur. Ephes. 6. Galeam salutis accipite. Autor epistolæ Iudæ: Mihi studiũ fuit scribẽdi de cõmuni salute, &c. obsecrans ut uestris laborib. adiumẽto sitis fidei, quæ semel data est sanctis.

Aliàs uerò salus significat glorificationem seu uitã æternam, & nihilominus præsupponit synecdochicôs iusticiam imputatiuã, propter quam uita æterna datur. 1 Pet. 1. Qui uirtute Dei custodimini ad salutem. ubi Petrus hæreditatem immortalem, &c. conseruatam in cœlis, quæ patefieri debeat extremo tempore, cum reuelabitur Christus, appellat salutẽ. et paulo pòst: Reportantes finem fidei uestræ, salutem animarum uestrarum, de qua salute scrutati sunt prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt. ubi Petrus beneficiũ Christi gratiã uocat, & salutem effectũ eius gratiæ, scilicet hæreditatẽ æternã. Phil. 1. Noui enim quòd hoc mihi cedet ad salutem per uestram deprecationẽ, & subministrationem spiritus Iesu Christi, quæ illis est causa perditionis, uobis aũt salutis. Philip. 2. Cum timore & tremore uestram ipsorũ operamini salutẽ: hoc est, perseuerate, Deo auxiliãte, in fide, ut reportetis finẽ fidei uestræ, salutem animarum seu uitam æternam. 1 Thessal. 5. Pro galea spem salutis, &c. nõ ut irã cõcitemus nobis, sed ut salutẽ cõsequamur per Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Ebr. 1. Propter eos qui hæreditatẽ capient salutis. Ebr. 5. Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ. Ebr. 9. Rursus absq; peccato cõspicietur ijs qui illum expectant in salutem.

Aliàs uerò salus significat pacem. Apoc. 7. Salus ei qui sedit super thronũ Dei nostri, et agno. Aliàs etiã uictoriam. Apoc. 12. Nũc facta est salus et uirtus et regnũ Dei nostri, et potestas Christi eius. sed rariora sunt de his exẽpla. Aliàs salus notat causas et occasiones ad salutẽ acquirendã destinatas, et totũ Dei beneficiũ seu opus quod facit ad nos saluãdos. 2 Pet. 3. Patientiã Dei salutẽ uestrã arbitremini: hoc est, occasionẽ uestræ salutis, seu cõuersionis. ut paulo antè dixit Deũ patienter esse erga nos, et nõ statim punire, quia nõ uelit ullos perire, sed omnes ad pœnitentiã recipere. Rom. 11. Per lapsum illorũ, scilicet Iudæorũ, salus cõtigit gentibus: id est, occasio fuit ad salutẽ seu conuersionẽ gentiũ. Rom. 12. Nũc est propior nostra salus, quàm cũ credebamus. Ebr. 2. Si tantam neglexerimus salutem, quæ primùm enarrari cœpit per ipsum Dominum, etc. hoc est, si neglexerimus doctrinam Euangelij, quæ annunciat nobis Dei beneficium de gratuita peccatorum remissione, & donatione uitæ æternæ.

Gratia etiam, quoties de præcipuo Christi beneficio sermo est, significat passiuè: hoc est, gratuitam benevolentiam, et fauorẽ Dei erga peccatores ad Christũ fidelẽ cõfugientes, acceptationẽ gratuitã, absolutionẽ à malefacto legis propter Christũ et totius obedientiæ, simplicitionis legis, meriti, iusticiæ per sanguinem partæ, ipsius uidelicet Christi gratuitã imputationẽ. in hac significatione utuntur communiter græca dictione χάρις: sed Paulus eadẽ significatione etiã χάρισμα et δώρεα et δικαίωσις donũ χάριτι, donũ per gratiã, & δωρεὰ δικαιοσύνης donũ iusticiæ, seu donata iusticia, & τὸ δόγμα usurpare usurpatur: quæ quidẽ egregiè illustrant uocẽ χάρις gratia, quòd significet nõ nudũ Dei fauorẽ, quo nos amplectatur: sed etiã effectũ istius fauoris, nempe donationẽ, seu imputationem iusticiæ Christi, quæ simul etiã causa est, ob quã Deus nobis fauet, et nos gratis absq; nostro merito absoluit, & peccata condonat: ut patet ex Col. 2. ubi Paulus utitur uerbo χαρίζεσθαι, quod significat ex gratia donare: Cõmunicauit nos cũ Christo χαρισάμενος ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, cõdonãs nobis ex gratia, absq; nostro merito, sed ob meritũ Christi, peccata nostra, deleto quod aduersus nos erat chirographo.

Testimonia in quib. gratia hoc modo accipitur, passim extant. Act. 15. Petrus in concilio Hyerosolymitano,

no, inquit: Per gratiã Dõmini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodũ et illi: hoc est, per gratuitam acceptationẽ, propter beneficiũ Christi, qui legem impleuit pro nobis. Opponit enim ibidẽ Petrus gratiam Christi, iusticiæ legis, quam nos nostris uiribus præstare possumus. Act. 20. Euangelium gratiæ Dei: hoc est, quod concionatur de gratuita remissione peccatorum. 1 Petri 1. 2 Pet. 1. Gratia uobis & pax multiplicetur. 2 Ioan. Erit nobiscum gratia, misericordia, pax à Deo patre, et Domino Iesu Christo. Apoc. 1. Gratia uobis & pax ab eo qui est, etc. Hanc formulam salutandi, Gratia uobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo, Paulus in omnib. suis epistolis habet. & 2 Thess. 3. inquit: Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, ita scribo: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnib. uobis. 1 Pet. 1. Sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam, dum uobis patefit Iesus Christus. Item: Prophetæ uaticinati sunt de uentura in uos gratia. 1 Pet. 5. Humilib. dat gratiam. quæ sententia Iac. 4. repetitur. 1 Pet. 5. Testificans hanc esse ueram gratiam Dei, in qua statis. 1. Pet. 3. Impartientes honorem tanquam cohæredibus gratiæ uitæ. Rom. 5. Contigit ut fidẽ perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus. Ibi. Exuberauit gratia super peccatũ, etc. ut gratia regnaret per iusticiã ad uitam æternã per Iesum Christum. Rom. 5. Non estis sub lege, sed sub gratia. Ro. 6. χάρισμα, gratia Dei, uita æterna, per Christum Iesum Dominum nostrũ. Rom. 11. Reliquiæ secundũ electionẽ gratiæ fuerunt. Quod si per gratiam, non iam ex operibus, quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, non iam ex gratia. 2 Cor. 6. Ne in uacuum gratiam Dei, id est, remissionem acceperitis. 2 Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Gal. 2. Non abijcio gratiam Dei. Gal. 5. A gratia excidistis quotquot in lege iustificamini. Eph. 2. Cuius gratia uos estis saluati per fidẽ, & hoc non ex uobis. Tit. 3. Vt iustificati gratia illius, efficeremur hæredes uitæ æternæ. Eb. 4. Accedamus igitur cu fiducia ad thronũ gratiæ, ut accipiamus misericordiã, et gratiã inueniamus ad opportunũ auxiliũ. Eb. 13. Optimũ est gratia stabiliri cor, non escis. Autor epist. Iudæ in salutatione, pro gratia misericordiã usurpat: & posthæc dicit: Qui Dei nostri gratiã transferũt ad lasciuiã.

In hac significatione gratia, synonymũ habet charitatem seu dilectionẽ Dei. significat enim ea ardentissimum Dei patris affectum, quo nos immeritos & indignos propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui nos patri reconciliauit, ita amplectitur, ut absoluat à iure peccati & mortis, & imputet nobis iusticiam, & donet spiritum sanctũ, & uitam æternam. Testimonia extant Rom. 5. Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: hoc est, spiritus sanctus qui nobis datus est, testatur de charitate Dei erga nos. Ibidem: Commendat Deus charitatem suam erga nos, &c. Rom. 8. Quis nos separabit à dilectione Dei? &c. Certus sum q. &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro: scilicet, qua ἐχαρίτωσεν in gratiam acceptauit nos in dilecto filio eius, in quo habemus redemptionẽ per sanguinem eius remissionem peccatorũ. Eph. 1. 2 Cor. 13. Charitas Dei, & communicatio spiritus sancti sit cum omnibus uobis. 1 Ioan. 3. Videte qualem charitatem nobis dedit pater, ut filij Dei nominemur. 1 Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium suum unigenitũ misit Deus in mundũ, etc. In hoc est charitas, non q. nos dilexerimus Deũ, sed quòd ipse dilexit nos.

Synonymũ etiam est ἔλεος, misericordia Dei. exempla sunt Rom. 15. Gentes super misericordia glorificẽt Deum. Rom. 9. Est solius miserentis Dei. Gal. 6. Pax super illos et misericordia. Eph. 2. Diues est Deus in misericordia. 1 Tim. 1. Misericordiam consecutus sum. Eb. 4. Autor epist. Iudæ: Pax & misericordia, &c. Item 1 Pet. 2. Nunc misericordiam consecuti. Deinde χάρις καὶ χάρισμα, καὶ δωρεὰ gratia, significat dona quæ Deus ad ædificationem Ecclesiæ distribuit ijs qui sunt in Ecclesia, siue sint ueꝛa membra, siue hypocritæ. Dona enim illa etiam in hypocritis esse & manere possunt. Sed donata iusticia tantùm fide apprehenditur ab ijs qui non sunt hypocritæ, sed uiua Ecclesiæ membra. Act. 4. Gratia magna erat in omnibus: hoc est, habebant omnes sua dona. Act. 11. Si igitur æqualem gratiam δωρεὰν dedit ipsis Deus, sicut & nobis, cùm credidissemus in Dominum Iesum Christum. Loquitur Petrus hic de sensibili exhibitione spiritus sancti, & dono linguarum, quo ornatus erat Cornelius cum familia sua. Act. 10. & 1 Pet. 2. Hæc enim est gratia, si quis propter conscientiã Dei suffert molestias, passus iniustè. 1 Pet. 4. Vt quisq; accepit gratiam χάρισμα, seu donũ, ita alij in alium illud ministrãtes, ut boni dispẽsatores ποικίλης χάριτος θεοῦ, uariæ gratiæ Dei. & Paulus Rom. 1. Desidero uos uidere, ut impertiar uobis aliquod χάρισμα πνευματικὸν, donũ spirituale, quo cõfirmemini. Ro. 12. Dico aũt secundum gratiam quæ data est mihi, cuilibet uersanti inter uos, ne quis arrogãter de se sentiat. Ibidem: Sed tamen habentes χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν, dona iuxta gratiam, quæ data est nobis, uaria. Idem Rom. 15. Scripsi audacius, &c. propter gratiam quæ data est mihi à Deo, in hoc, ut sim minister Iesu Christi in gẽtes. 1 Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me non fuit inanis, sed magis laboraui quàm ipsi omnes: sed tamen non ego, uerùm gratia Dei, quæ mihi adfuit. 1 Corinthior. 12. Sunt diuisiones χαρισμάτων donorum, &c. Non omnes habent χαρίσματα τοῦ ἰαμάτων, dona sanandi. Ephes. 3. Secundum dispensationẽ gratiæ, quæ data est mihi in uos. Ibidem: Euangelij factus sum minister κατὰ τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ, secundum donum gratiæ Dei, seu donatam gratiam, quod datũ est mihi secundum efficaciã potẽtiæ illius. Eph. 4. Vnicuiq; nostrũm data est χάρις, gratia iuxta mensuram donationis Iesu Christi. propterea dicit, Ascendisti in altum, &c. dedisti δόματα dona hominibus. 1 Tim. 4. Ne negligas χαρίσματος donũ, quod in te est p̃ impositionẽ manuũ mearũ. Iac. 1. Omnis δόσις donatio bona, & omne δώρημα donum perfectũ desuper descendit à patre luminũ. Tertiò, χάρις gratia significat doctrinã Euangelij, quæ annunciat gratiã Dei. Act. 13. Suadebant eis ut permanerẽt in gratia Dei: hoc est, in doctrina Euãgelij: unde Act. 14. euangelium sermo gratiæ Dei appellatur. Quartò, χάρις significat uocationem ad ministeriũ Euangelij. Eph. 3. Mihi minimo omnium sanctorum data est hæc gratia, id est hæc uocatio, ut inter gentes euangelizẽ, &c. Rom. 1. Per quem accepimus gratiam & functionem

nem Apostolicam, &c. Videtur enim hoc posterius exponere uocē χάριν. Quintò, χάρις interdū simpliciter beneficiū aliquod ex fauore, & non ex debito donatum. Hinc Paulus collationem illam, quam contribuebant Ecclesiæ, ad subleuandos & alendos pauperes Christianos in Iudæa, appellat χάριν. 2. Cor. 8. Rogantes nos ut χάριν & beneficium & communicationem, ministrationem in sanctos susciperemus. Et paulo pòst: Vt adhortaremur Titum, ut quemadmodū antè cœpisset, ita & consummaret hanc quoq; in nos χάριν beneficentiā. Et postea: Comes peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia, quæ administratur à nobis ad eiusdē Domini gloriam, &c. Sextò, χάρις etiam uerborum suauitatem & dulcedinem notat. Eph. 4. Sed si quis est sermo bonus ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audientibus. Septimò, fauorem hominum significat, & bonam de aliquo existimationem. Act. 2. Habentes gratiam apud omnem plebem. Particula etiam gratis δωρεὰν digna notatu est. est enim eius usus in loco de iustificatione, et opponitur operibus, seu merito, seu debito, ut patet ex Rom. 3. Iustificantur gratis ipsius gratia. & paulo pòst: Statuimus hominem iustificari fide, absq; operibus legis. Et cap. 4. Operanti imputatur merces, non secundum gratiam, sed secundū debitum. Huc & alia testimonia pertinent, quibus uis uocabuli δωρεὰν gratis, declaratur. Gal. 2. Si ex lege est iusticia, ergo Christus δωρεὰν gratis, seu frustra, seu absq; merito est mortuus: hoc est, Christus non meruit nobis sua morte iusticiam & uitam per λύτρον & obedientiā, quæ legi pro uobis præstitit. 2 Corinth. 11. Quòd δωρεὰν gratis seu gratuitò uobis Euangelium prædicaui. 2 Thess. 3. Neq; δωρεὰν gratis panem accepimus à quoquam. Apocalyp. 22. Accipiat aquam uitæ δωρεὰν gratis, seu sine precio. Hactenus de uocabulorum significationibus: nunc uerò ad res ipsas iustificationis proficiscamur.

In comparanda iusticia, remissione peccatorum, gratia, salute, uita æterna, totam trinitatem, patrē & filiū & spiritū sanctum laborasse, obseruata tamen cuiusq; personæ proprietate, & peculiari officio, Apostoli docent. Nam tradunt, patrem misisse filium suum saluatorem mundi. 1 Ioan. 4. Galat. 4. 8. eumq; fecisse uictimam, eiusq; obedientiam et λύτρον, quæ pro genere humano saluando dedit, approbasse. 1 Ioan. 2 & 4. 1. Cor. 1. Christus factus est nobis sapientia à Deo, iusticiaq; & sanctificatio, & redemptio. 2. Cor. 5. 1 Pet. 2. 3. Ebr. 5. Et testimonium de filio perhibuisse. 1. Ioan. 5. 2 Pet. 1. Eumq; à mortuis resuscitasse, & collocasse ad dexterā suam, & Dominum & Christum fecisse, & constituisse iudicem uiuorum & mortuorū. Act. 2. 3. 5. 7. 10. 13. 1. Pet. 1. Rom. 1. 6. Eph. 1. 4. Philip. 2. Col. 1. 1 Thes. 5.

Filium Dei uerò omnium maximè in redemptione generis humani, & comparanda iusticia, quam Deus à nobis requirebat, occupatum fuisse, docent. Nam eam ob causam ipsum hominem esse factum, & subijsse maledictum legis. Gal. 4. Legem impleuisse præstando obedientiam integram, & soluendo λύτρον, pro peccatis totius generis humani. Rom. 8. Gal. 3. Fudisse sanguinem, mortuum esse. Rom. 4. 1 Pet. 1. Cubasse in sepulchro. 1 Cor. 15. Resurrexisse à mortuis. 1 Pet. 1. Rom. 4. Ascendisse ad cœlos. Eph. 4. Sedere ad dexteram Dei. Act. 7. Atq; ita remissionem peccatorum seu iusticiam sua humiliatione, & obedientia, & morte, quæ unus pro omnib. præstitit, cōparare, dilucidissimè demonstrant. Testimonia adscribimus. 1 Pet. 1. Cum sciatis uos nō caducis rebus, uelut argento & auro, fuisse redemptos, &c. sed precioso sanguine, uelut agni immaculati & incontaminati Christi. 1 Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū, quo peccatis mortui, iusticiæ uiueremus, cuius eiusdem ubicē sanati fuistis. Ibidem: Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo. 1 Pet. 4. Christus carne passus est pro nobis. 1 Ioan. 1. Sāguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. 1 Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nō pro nostris tantū, sed etiā pro totius mūdi. Idē Ioā. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. 1 Ioan. 4. In hoc est charitas, non q; nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Apocalyp. 5. Quoniam occisus es, & redemisti nos per sanguinem tuum ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regem & sacerdotes, & regnabimus super terram. Rom. 3. Iustificantur, &c. per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidē, interueniente ipsius sanguine. Rom. 4. Qui traditus est propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Rom. 5. Christus enim, cum adhuc eßemus infirmi iuxta temporis rationē, pro impijs mortuus est. Rom. 6. Nam quòd mortuus fuit, peccato fuit mortuus semel. Rom. 8. Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam ad dexterā Dei est, qui & intercedit pro nobis. Rom. 14. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. 1. Cor. 15. Christus mortuus fuit pro peccatis nostris, secundū scripturā, & sepultus est, & resurrexit tertio die secundū scripturas. Ibidē: Quòd si Christus non resurrexit, &c. adhuc estis in peccatis uestris. 2 Cor. 5. Quòd si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt, ut qui uiuūt, posthac nō sibi uiuant, sed ei q pro ipsis mortuus est & resurrexit. Et paulo pòst: Omnia ex Deo, q reconciliauit nos sibi per Iesum Christū. 2 Cor. 8. Notas χάριν, beneficentiā Domini nostri Iesu Christi, q propter uos pauper factus sit, cū esset dives, ut uos illius paupertate diteſceretis. 2 Cor. 13. Quāuis Christus crucifixus fuit ex infirmitate, uiuit tamē ex uirtute Dei. Gal. 1. Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsenti seculo malo, iuxta uoluntatē Dei & patris nostri. Gal. 2. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Gal. 3. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Gal. 4. Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filiū suum, factū ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui erant legi obnoxij, redimeret. Eph. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. Ibidem: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illā sanctificaret. Et Philipp. 3. Christus cum esset in forma Dei, nō rapinā arbitratus est, ut eßet æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui assumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humi-

humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatẽ, ac donauit ei nomen, quod est super omne nomẽ. 1 Thes. 5. Christus mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. 1 Tim. 1. Iesus Christus uenit in mundum saluare peccatores. Autor epist. ad Ebr. 1. Per semetipsum purgatione facta peccatorũ nostrorũ, cõsedit in dextera maiestatis in excelsis. Ebr. 2. Vt per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperiũ, hoc est diabolũ: & liberos redderet eos, quicũq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Ebr. 5. Qui in diebus carnis suæ, cum & preçationes & supplicationes apud illũ qui poterat illum à morte seruare, cũ ciamore ualidõ & lachrymis obtulisset, et exauditus est pro reuerẽtia, tametsi filius erat, tamẽ didicit ex his quæ passus est, obedientiam, ac perfectus redditus seu interfectus, omnibus qui sibi obedierunt fuit causa salutis æternæ. Ebr. 9. Per propriũ sanguinem ingressus est in sancta, æterna redemptiõe reperta. Ibidẽ: Nunc aũt semel sub consummationem seculorũ ad profligationem peccati per immolationem sui ipsius apparuit, &c. Ita Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, &c. Ebr. 10. Per quam uoluntatem sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel peractã. Et posteà: Vnica oblatiõe perfectos effecit in perpetuũ eos qui sanctificantur.

Spiritum sanctum etiam suo modo opus redemptionis inuisse docent, cum ostendunt eum prædixisse per Prophetas, q̃ Deo placuerit, per filium suũ Iesum Christum, hominem & uictimam pro peccatis factum, genus humanũ saluare. 1 Pet. 1. De qua salute exquisierũt et scrutati sunt Prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, scrutãtes ad quẽ, aut cuiusmodi articulum tẽporis significaret, qui in illis erat Spiritus Christi: qui priusquam acciderent, testabatur uenturas in Christum afflictiones, & quæ essent consecuturæ glorias, &c. Idem 2 Pet. 1. A Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines. Et Petrus Actorum 10. dicit, Deum Spiritu sancto & uirtute unxisse Iesum Nazarenum. Et Paulus Rom. 1. dicit, Christum declaratum esse filium Dei secundũ spiritum sanctificationis. Et autor epist. ad Ebr. 9. ait, Christum per spiritum æternũ seipsum obtulisse immaculatum Deo.

Iusticiam autem hanc sanguine Christi partã distribuere, communicare & applicare Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, testantur primùm generalibus testimonijs de Deo, qua uoce omnes tres personas complectuntur. 1 Pet. 3. Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Iesum Christum. Rom. 3. In hoc, ut ipse sit iustus, iustificans eum qui est ex fide Iesu. Et paulo pòst: Vnus Deus est, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputiũ per fidem. Rom. 8. Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Act. 5. Hunc principem & seruatorem Deus exaltauit dexterã suã, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.

Deinde specialibus testimonijs, de singulis personis. De Patre. 1 Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur. 1. Ioan. 4. Filium suum unigenitum misit in mundum, ut uiuamus per eum. 1 Ioan. 5. Vitam æternam nobis dedit Deus, & hæc uita in filio eius est. Ephes. 1. Iuxta diuitias gratiæ suæ, de qua uberrimè impertiuit nobis in omni sapientia & prudentia, patefacto nobis arcano uoluntatis suæ. Ibidem, Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo Iesu. Colossens. 1. Gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sui dilecti. 1 Corinth. 1. Fidelis Deus, per quem uocati estis in consortium filij ipsius Iesu Christi Domini nostri.

De Christo Iesu filio Dei, 1 Pet. 1. Perfectè sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam, dum uobis patefit Iesus Christus. 1 Petri 2. Conuersi nunc estis ad pastorẽ & curatorem animarum uestrarum. 2 Petri 1. His qui æquè preciosam nobiscum sunt sortiti fidem, per iusticiã Dei nostri, & seruatoris Iesu Christi. 1 Ioã. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 Ioan. 2. Scribo uobis filioli, quòd remittuntur uobis peccata per nomẽ eius. 1 Ioannis 5. Filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est, & simus in uero, in filio eius Iesu Christo. Rom. 5. Multo magis iustificati nũc sanguine eius, seruabimuur per eum ab ira, &c. gloriãtes in Deo per Dominũ nostrũ Iesum Christũ, per quem reconciliationem assecuti sumus. Item: Per Christũ contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Rom. 15. Christus assumpsit uos in gloriã. 1 Cor. 15. Per Christũ omnes uiuificabuntur: sed uiuificatio nõ potest fieri, nisi præcedat remissio peccatorum. 2 Cor. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata, &c. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquã Deo uos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini ei. 2 Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Gal. 2. Et nos in Christũ Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, et nõ ex operib. legis. Eph. 1. Per quẽ habemus redemptionẽ, per sanguinẽ ipsius remissionẽ peccatorum. Ephes. 2. Christus ueniens euãgelizauit pacem uobis, qui procul aberatis, & ijs qui longè: quoniã per illũ habemus aditum utriq; in uno spiritu ad patrẽ. Ephes. 3. Per Christũ habemus audaciã & aditũ cum fiducia, quæ est per fidem illius. Eph. 4. Christus est caput, in quo totũ corpus, si coagmentetur & compingatur per omnẽ cõmissurã submin istrationis, iuxta actũ in mensura uniuscuiusq; partis, incrementũ corporis facit. Eph. 5. Christus est caput ecclesiæ, & idẽ est qui salutẽ dat corpori. Phil. 3. Si apprehendã, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu. Col. 3. Cõdonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habet querelam, quemadmodũ & Christus cõdonauit uobis, ita & uos. 1. Tim. 2. Vnus Deus, & unus conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Tit. 2. Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarẽ, sectatorem bonorum operum. Ebr. 7. Hic habet perpetuum sacerdotium, unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuẽs ad hoc, ut inter-

ut interpellet pro illis. Act. 4. Non est in alio quoquam salus, neq; est aliud nomẽ datum inter gentes, per quod oporteat nos saluos fieri. Act. 13. Per hũc omnis qui credit iustificatur. Act. 16. Crede in Dominum Iesum, & saluus eris.

De spiritu sancto, quòd is quoq; distribuat & communicet nobis iusticiam Christi. 1 Pet. 1. Dilectis iuxta præfinitionem Dei patris, per sanctificationẽ spiritus in obedientiã & aspersionẽ sanguinis Iesu Christi. Ibidem: Qui animas uestras purificastis, obediendo ueritati per spiritum. 1 Ioan. 6. Tres sunt qui testimonium perhibent, Pater, λόγος, spiritus. Rom. 5. Charitas Dei effusa est in cordib. nostris per spiritũ S. qui datus est nobis. Rom. 8. Spiritus Dei habitat in uobis, &c. spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris. Item: Spiritus testatur unà cum spiritu nostro, q, simus filij Dei. Rom. 16. per potentiã spiritus Dei dicit gentes cõuersas esse. 2 Cor. 3. Nobis aũt Deus reuelauit per spiritũ suũ. Et postea: Nos accepimus spiritũ qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Christo donata sunt nobis. 1 Cor. 6. Sed iustificati estis per nomẽ Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. 1 Cor. 12. Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi per spiritum sanctũ. Gal. 3. Vt promissionẽ spiritus acciperemus per fidẽ. Act. 2. Et accipietis donum spiritus sancti. Act. 15. Et qui nouit corda Deus, testimoniũ præbuit illis, dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis: nihilq; discreuit inter nos & illos, cùm fide purificauerit corda illorum.

Huc etiã alia testimonia pertinẽt, quibus probatur, spiritũ S. adesse ministerio uerbi & sacramentorũ, & per id operari conuersionẽ & pœnitentiã agentibus, donare remissionẽ peccatorũ, et iusticiã sanguine Christi partã, eamq; obsignare et cõfirmare. Eph. 1. 2 Cor. 1.

Occasionem aũt eo modo cõparandæ & applicandæ iusticiæ, seu remissionis peccatorũ miseriam generis humani præbuisse docent: nempe peccatũ, mortẽ, diabolum, iram Dei, & æternas pœnas, quib. omnes homines iacent obruti, ne possint ab ijs sese ullo modo suis uiribus uindicare aut liberare. Act. 3 Petrus & Ioãnes dicunt in nullo alio esse salutẽ: quo apertè testantur, ideo hunc uenisse saluatorẽ, quia aliàs nullus hominũ potuisset saluari. Idem Petrus Act. 10 repetit, cum omnes credentes in eũ, per nomen eius remissionẽ peccatorũ accipere dicit. Sed Paulus Act. 13 aliquanto clarius docet, ideo Christũ esse exhibitũ, ut per eum iustificẽtur credentes, quia nemo potuerit per legem Mosi iustificari: quæ sententia in synodo Hierosolymitana, Act. 15. à Petro etiam pronunciatur, ideo per gratiam Domini Iesu Christi nos saluari, quòd iugũ legis nemo potuerit portare: hoc est, quòd nemo legi Dei potuerit satisfacere, & uitã suis operib. promereri. Eandẽ sententiã etiam Petrus in suis Epistolis proponit. Nam 1 Pet. 1. cũ docet nos nõ argento & auro, sed sanguine precioso Christi redemptos esse, quid aliud innuit, quàm sub dira tyrannide & seruitute nos antea iacuisse? Eam aũt seruitutẽ 1 Pet. 2 & 3 ostendit fuisse peccatũ, & ea quæ peccata consequuntur, iram Dei, tyrannidẽ diaboli, & mortẽ. inquit enim: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo. Item, Eramus sicut oues errantes. &, Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis. 1 Pet. 3. De tyrannide diaboli inquit 1 Pet. 5. Aduersarius uester diabolus circuit tanquã leo rugiens. 2 Pet. 2. de seruitute corruptiõis & inquinamẽtis mũdi loquitur. Ioãnes etiã affirmat. peccata nostra, & iniquitatẽ, & cõcupiscentias carnis. 1 Ioan. 1. 2. & opera diaboli, quæ sunt peccatum & mors. 1 Ioan. 3. & totius mũdi in maligno positi miseriã. 1 Ioan. 5. Deo præbuisse occasionẽ, ut mitteret suũ filiũ, qui opera diaboli destrueret, peccata mundi expiaret, & uitã æternã restitueret. Paulus etiã in singulis epistolis subinde inculcat peccatũ & mortẽ, maledictum legis, ἀδυναμίαν, impossibilitatẽ implendæ legis, & acquirendæ uitæ, tyrannidẽ diaboli, quibus oppressum est totũ genus humanũ, Deũ ad misericordiã cõmouisse, ut ipse per filiũ suũ nostris mederetur malis.

Huc facit primùm collatio Adæ & Christi, Rom. 5. 1 Cor. 15. Deinde pertinẽt huc omnia testimonia quæ de peccato, de morte, de execratiõe legis, de ἀδυναμίᾳ ipsius plẽdæ legis, de tyrãnide diaboli, & de beneficio Christi nos ab his liberantis, loquũtur. Ro. 3. Non est distinctio: omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Ro. 8. Quod lex præstare nõ poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso, sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit, ac de peccato condemnauit peccatũ per carnẽ, ut iustificatio legis impleretur in nobis. 2 Cor. 5. Eum qui nõ nouit peccatũ, fecit peccatũ, ut nos efficeremur iusticia Dei per illũ. Gal. 3. Rom. 3. Non iustificatur ex operibus legis omnis caro. Gal. 3. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Ibidem: Nam si lex data fuisset quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia: sed conclusit scriptura omnia sub peccatũ. Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub incredulitatẽ, ut omniũ misereatur. Gal. 4. Misit Deus filium, &c. ut eos qui erant legi obnoxij redimeret. Idem Ephes. 2. dicit nos mortuos in delictis & peccatis, in cõcupiscentijs carnis nostræ ambulasse, faciẽtes quæ carni libebant, & natura filios iræ Dei fuisse, sed Deũ diuitem in misericordia, etc. Nos cũ Christo cõuiuificasse, idẽ Colossen. 2. dicit, nos fuisse alienatos et inimicos mente. & Col. 2. mortuos in delictis habuisse aduersum nos chirographũ in decretis situm, nec potuisse id chirographũ soluere: ideoq; potestatibus & principatibus, hoc est, tyrãnidi mortis & diaboli nos fuisse subiectos, sed Christum nos liberasse commemorat. Idem Tit. 3. iniquitati seu αὐθαδείᾳ nos fuisse obnoxios, sed Christũ nos ab ea redemisse. Autor epist. ad Ebræos 2 ostendit mortẽ, & eum qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum, præbuisse occasionem Christo, ut ueniret, & per mortem deleret mortem & diabolum, & liberaret nos à seruitute & metu, cui per omnem uitam obnoxij eramus. Idem cap. 8 & 10 eò Christum uenisse docet, quòd sacrificia & oblationes in lege proposita, non potuerunt delere peccata, & iustificare homines coram Deo.

Etiam hoc Apostoli luculenter tradunt, in Deo casam impulsiuam fuisse ingentẽ & inenarrabilẽ φιλανθρωπίαν καὶ χρηστότητα, dilectionẽ & misericordiam erga genus humanum: quibus motus, antequam iacerentur fundamenta mundi, decretũ apud sese fecit, cũ præuideret hominem lapsurum in peccatum & mortem, quòd per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, hominem & uictimam factum, uellit instaurare omnia, & saluare in eum credentes.

De

De gratia & misericordia testimonia sunt, 1 Pet. 1. Laudandus est Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui iuxta suam copiosam misericordiam regenuit nos in spem uiuam. 1 Pet 5. Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Christum Iesum. Rom. 9. Nam Mosi dicit, Miserebor, cui uscunq; misereor: & commiserabor, quemcunq; commiseror: Itaque non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Rom. 11. Concluſit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. Eph. 1. Vt laudetur gloria gratiæ suæ, &c. Item, Iuxta diuitias gratiæ. Ephes. 2. Deus qui dives est in misericordia, propter multã charitatẽ suam, qua dilexit nos, &c. Christus per gratiam Dei gustauit mortem pro omni. Ebr. 2.

De dilectione & charitate Dei, 1 Ioannis 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium suum unigenitum misit, &c. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 1 Ioan nis 3. Per hoc cognoscimus charitatem, quoniam ille animam suam posuit pro nobis. Apoc. 1. Qui dilexit nos, et lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius. Rom. 5. Commendat suam charitatem erga nos Deus, quòd cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Gal. 2. Filius Dei dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me. Ephes. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Et postea: Christus dilexit Ecclesiam, &c. 2. Thes. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, et spem bonam per gratiam, consoletur corda uestra.

De φιλανθρωπίᾳ et χρηστότητος, hoc est, de benignitate seu bonitate Dei, & singulari amore erga homines. Paulus Tit. 3. inquit: Posteaquam apparuit bonitas, & erga homines amor seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt iniusticia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Ephes. 2. Vt ostenderet in seculis superuenientibus eminentem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per Christum Iesum.

Quòd uerò Deo ita uisum sit, & quòd ita decreuerit per Christum parare, & nobis applicare iusticiam, idq; suum decretum reuelarit per promissiones suas, deinde in actum produxerit misso filio suo, Petrus & Apostoli Act. 2. 3. 4. 10. & Paulus 13. & iterum apostoli Act. 15. docent, quam doctrinã etiam in epistolis suis proponunt. Nam Petrus 1 epist. 1. inquit: Qui præordinatus quidem fuerat antequam conditus esset mundus, sed manifestatus fuit extremis tẽporibus propter uos, qui per illum creditis in Deum. 1 Ioan. 1. Annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifestata est nobis. Paulus uerò in epistola ad Ephesios, et Colossenses cap. 1. ex professo hoc tradit, ideo Christũ esse exhibitum, & per eum paratam esse redemptionẽ, & nobis eius iusticiam imputari, ac propter eam peccata remitti, & uitam æternam donari, quòd Deus hoc consilium & decretum antequam conderetur genus humanum, secum inierit, & postea homine lapso promulgarit. Ephes. 1. Elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo, per charitatem, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum uoluntatis suæ. Et Col. 1. Quoniã in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificans per sanguinem crucis eius, per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis.

Huc totum negocium & omnia testimonia de prædestinatione pertinẽt. Nam quoties Apostoli uerbo prædestinationis utuntur, nihil aliud eo indicant, quàm ut inquirentem causas cur ad salutem æternam consequendam nulla alia sit uia, quàm ea quæ à Christo est nobis parata, doceant sic Deo in arcano suo consilio, quo uoluit miserijs generis humani mederi, placuisse, eũq; ut eo modo fieret ordinasse, & uelle ut à se præscriptum ad salutẽ compendiũ agnoscamus & apprehendamus.

Docent etiam, quæ res sit illa iusticia, quam Deus impio imputet, dum eum absoluit à iure peccati et mortis, & donat ei uitam æternam: nempe quòd non sint qualitates aut uirtutes nostræ, neq; ipsa Dei essentia seu diuina & substantialis iusticia, sed quòd sint totum opus, quod Christus homo & Deus in una persona, mediator noster pro toto genere humano præstitit, soluendo λύτρον pro peccatis nostris per passionem & mortem, quo abstulit maledictum legis: & implendo legẽ per integerrimam obedientiam, quo uitam & benedictionem nobis comparauit. quæ quidem utraq; solutio τῦ λύτρου, & impletio legis seu obediẽtia integra legi pro nobis à filio Dei forma serui assumpta præstita, gratis omnibus credentibus applicantur.

Huc pertinent testimonia, quibus suprà demonstrauimus, Christum sua obedientia, quam usq; ad mortem crucis præstitit, nobis comparasse iusticiam, sed quid obest quædam hic repeti? Notatu autem dignum est, quòd pleraq; testimonia tantùm passionis, mortis et resurrectionis Christi faciant mentionẽ, utpote de rebus illustrioribus: sed tamen synechdochicôs, semper obedientia, quam Christus numeris omnibus absolutam, & quidem creator pro creatura præstitit, inclusa debet intelligi. Si enim Christus non fuisset sine peccato, sed in legem deliquisset, quomodo potuisset sua morte nostra peccata expiare? pro suis enim passus esset: & si non præstitisset legi obedientiam integram, quomodo posset eius iusticia seu impletio legis nobis imputata, uitam æternam afferre? cum lex dicat: Qui fecerit ea, uiuet per illa: & maledictus omnis, qui non fecerit omnia quæ scripta sunt in libro legis. Quare synecdochicôs de obedientia & de λύτρῳ, à Christo pro nobis præstitis, dicta Apostolorum intelligi oportet. Sed adscribamus testimonia. 1 Pet. 1. Regenuit nos in spem uiuam, per hoc quòd Iesus Christus resurrexit à mortuis, hoc est, resurrectio Christi, seu totũ opus Christi, quod est obedientia eius usq; ad mortem crucis Deo præstita, ea res est, ob quam nobis donatur salus animarũ per fidem. Idem: Cum sciatis uos nõ caducis rebus, uelut argento & auro fuisse redemptos, &c. sed precioso sanguine, uelut agni immaculati et incontaminati, Christi: mors ergo Christi est res illa quæ imputatur saluandis. Idem 1 Pet. 2 recitat dictũ ex Esaiæ quinquagesimotertio, in quo utraq; comprehenduntur, nempe innocens Christi uita, seu integerrima impletio legis, & passio eius seu mors, quo uelut λύτρῳ peccata nostra expiauit:

Qui

Qui peccatum non fecerat, nec est inuentus dolus in ore eius: qui cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta: cùm malis afficeretur, non minabatur, sed tradidit uindictam ei qui iudicat iustè. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui, iusticiæ uiueremus, cuius eiusdem uibice sanati fuistis. Idem 1 Pet. tertio: Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis: ergo nobis imputatur utrunq; scilicet quòd Christus iustus est, hoc est, integrè legem pro nobis obseruat, & meretur nobis uitam iuxta regulam legis, Qui fecerit, uiuet per illa. Christus pro nobis omnibus fecit: ergo nobis omnibus lex propter Christum debet dare uitam, quam promittit: & q. pro nobis passus est, hoc est, soluit λύτρον pro abolendo maledicto legis, cui eramus obnoxij propter peccata. Ioannes etiam in sententijs suprà allegatis docet, sanguinem Christi, 1 Ioan. 1. & aduentum eius in carnem, 1 Ioan. 4. hoc est, totum opus Christi, quod ut mediator pro nobis præstitit, rem illam esse, quæ nobis imputetur ad iusticiam. Et 1 Ioan. 3. eleganti sententia utrunq; effertur: Scitis quòd ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est. Et 1 Ioan. 2. aduocatum nostrum apud patrem esse dicit, Iesum Christum iustum, & propitiationem pro peccatis non nostris tantùm, sed totius mundi. Iusticia ergo Christi, quam ut aduocatus pro nobis habet, quæ est impletio legis, & propitiatio seu λύτρον quod pro nobis soluit, res illæ sunt, quæ credentibus in Christum imputantur, & ob quæ ijs peccata remittuntur, 1 Ioan. 2. & uita æterna donatur, 1 Ioan. 5. Si hæc obscuriora quadem uidentur testimonia, Paulum fidißimum interpretem, qui omnium diligentißimè & luculentißimè totum negocium de iustificatione in suis epistolis, maximè in ea quæ ad Rom. & quæ ad Galatas extat, adhibeamus. is aliquanto apertius, quæ res illa sit, quam Deus impio, qui non operatur, sed credit in eum qui impium iustificat, imputet ad iusticiam, enarrabit. Nam Rom. 4. dicit. Deum fidem imputare impio ad iusticiam. quam autem fidem intelligat, Rom. 3. declarat, iustificans eum qui est ex fide Iesu: non autem fidem, tanquam opus nostrum imputari ad iusticiam, Rom. 4 docet: cui Deus imputat iusticiam absq; operibus. Ergo fidē imputari ad iusticiā, synecdochicōs seu μεταλημψικῶς intelligit de iusticia Christi, quam fides apprehendit. Iusticia igitur Christi, res illa est, quæ imputatur iustificandis. quod eleganter etiā his uerbis effert: Traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iusticiam nostram. Rom. 4. Ne quis uerò intelligat iusticiam essentialem Dei, Paulus iterum sese declarat Romanis 5. Quòd τὸ δικαίωμα unius hominis, nempe Christi Iesu, seu obedientia, quam unus Iesus Christus pro omnibus præstitit legi, sit illa res, ob quam iusti pronuncientur credentes in eum. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam unius iusti constituentur multi. Idem Rom. 5. Multo igitur magis iustificati nūc sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, per mortem filij eius: multo magis reconciliati, seruabimur per uitam ipsius. Complectitur autem sanguine & morte Christi totum eius opus, quod pro nobis præstitit, scilicet obedientiam legis, & λύτρον solutionem. Idē Ro. 8. etiam docet, impletionem legis, quā Christus pro nobis præstitit, esse materialē causam, ut uocant, iustificationis nostræ. Etenim quod lex præstare nō potuerat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso, sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato cōdemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Eandem sententiam concinnius effert Ro. 10. Christus est perfectio seu impletio legis, ad iustificationem omni credenti. Idem Rom. 8. docet, ob mortem & intercessionē Christi nos accusatos in iudicio Dei absolui: Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quî fieri potest, ut non cum eodem omnia nobis donet? quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam intercedit pro nobis. Idem 1 Corinth. 1. dicit, Christum crucifixum nobis à Deo factum esse sapientiam, iusticiam & sanctificationem, & redemptionē. quod quid aliud est, quàm totū opus Christi mediatoris, esse rem illam quæ imputetur credentibus ad iusticiam, ob quam absoluantur, & accipiant uitam æternam. Et 1 Cor. 6. res illa qua iustificamur coram Deo appellatur nomē Christi: Sed iustificati estis per nomē Domini Iesu. Quemadmodum etiam Actorū 4 & 10. Significat autem nomen Christi, totum eius opus, quod in officio mediatoris pro nobis fecit. Idem 1 Corinth. 15 Christum mortuum esse pro peccatis nostris dicit, eiusq; resurrectionem, expiationem nostrorum peccatorum, adeò arctè annectit, ut dicat: Si Christus non resurrexit, superuacanea est fides uestra, & adhuc estis in peccatis uestris. Idem 2 Corint. 5. asserit, unius Christi mortem, hoc est λύτρον, quod soluit pro peccatis, & obedientiam quam legi præstitit in iustificatione, imputari omnibus. Quòd si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes fuerunt mortui. Et postea: Deus erat in Christo, reconcilians sibi mundū, non imputans eis peccata sua. Et rursus ostendit, quid igitur Deus mundo imputarit, scilicet iusticiam filij sui: Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatū, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum. Idem Gal. 2. docet, iusticiā qua Deus nos iustificat, non esse nostra opera, propterea quòd non iustificatur ex operibus omnis caro. Item: Scimus hominem non iustificari ex operibus legis, sed esse operā, quæ Christus pro nobis legi præstitit, quibus nos ab execratione legis liberauit. Galat. 3. Quotquot ex operib. legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Item, Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. & Galat. quarto: Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Philip. secundo eleganter ostendit, totam humilitionem Christi, & obedientiam eius usq; ad mortē crucis, rem illā esse, quæ imputetur iustificandis. Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus

pertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quatem, & donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium & infernorum: omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei patris. Idem Philip. 3 oſtendit, nõ ſuam iuſticiam, iuxta quam in lege factus ſit irreprehenſibilis, illam rem eſſe ob quam iuſtus pronuncietur (habere enim ſe eam pro reiectamentis, & pro damno) ſed iuſticiam Chriſti, quam etiam iuſticiam ex Deo appellat, ſicut eandem Roman. 3. 10. & 2 Cor. 5. iuſticiam Dei uocat, uel quòd integrè ad normam diuinæ iuſticiæ, ob quam Deus omnibus uult dare uitam, congruit: uel quòd non ab homine tantùm, ſed etiam à Deo, ſcilicet Domino noſtro Ieſu Chriſto, aſſumpta ſerui forma, facta ſit. Idem Coloſ. 2. docet, mortem, ſepulturam, reſurrectionem Chriſti, deletionem chirographi, quod erat contrarium nobis per decreta, & triumphum quem Chriſtus egit, deuictis & ſpoliatis principatibus & poteſtatibus, rem illam eſſe, ob quam Deus condonat credentibus in Chriſtum peccata ſua.

Autor etiã epiſt. ad Ebræos docet, obedientiã Chriſti, & eius paſſionem ac mortem, quæ oblationem corporis Chriſti uocat, iuſticiam illam eſſe quæ imputetur iuſtificandis, & ob quam detur illis æterna ſalus. Ebr. 1. Per ſemetipſum purgatione peccatorum noſtrorum facta, conſedit in dextra maieſtatis in excelſis. Ebr. 2. Vnde debuit per omnia ſimilis fratribus reddi, ut miſericors eſſet & fidelis Pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Ebræ. 5. Tametſi filius eſſet, tamen didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam: ac perfectus redditus omnibus qui ſibi obedierũt, fuit cauſa ſalutis æternæ. Ebr. 9. Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta, æterna redemptione reperta. Idem Ebr. 7 docet, Chriſtum eò ſine peccatis fuiſſe, ut poſſet noſtra expiare peccata, & non neceſſe haberet offerre pro ſuis prius peccatis.

Cauſam formalem iuſtificationis, docent eſſe ipſam applicationem gratuitæ iuſticiæ Chriſti, & meriti eius per fidem. Huc pertinent teſtimonia, quòd noſtra iuſticia coram Deo, ſit remiſſio peccatorũ. Act. 10. [Huic teſtimonium perhibent omnes prophetæ, quòd remiſſionem peccatorũ accepturus ſit per nomen eius, quiſquis in eum crediderit. Act. 13. Notũ ergo ſit uobis uiri fratres, quòd per hunc uobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſi iuſtificari. Actor. 26. Vt (gentes) accipiãt remiſſionem peccatorum, & ſortem inter eos qui ſanctificati ſunt per fidẽ, quæ eſt erga me. 2 Pet. 1. Oblitus ſe à prioribus peccatis purgatum eſſe. 1 Ioann. 1. Iuſtus eſt & fidelis, ut nobis remittat peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 Ioann. 2. Remittũtur uobis peccata propter nomẽ eius. Ro. 3. Ad oſtenſionẽ iuſticiæ ſuæ, propter remiſſionẽ peccatorũ præteritorum, quæ Deus tolerauit. Ro. 4. Quemadmodũ & David beatificationẽ hominis deſcribit, cui Deus imputat iuſticiam abſq; operibus: Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus uir cui nõ imputabit Dominus peccatũ. Eph. 1 Charos nos reddidit per dilectũ, per quem habemus redemptionẽ per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorũ. Col. 1. Per quem habemus redemptionẽ per ſanguinem eius, remiſſionẽ peccatorũ. Idem Col. 2. docet, noſtrã iuſticiam coram Deo, eſſe condonationẽ delictorũ, quæ nobis per Chriſtũ, qui chirographũ deleuit, etc. cõfertur. Autor epiſt. ad Ebr. 9: Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritũ æternũ ſe obtulit immaculatũ Deo, purgabit conſcientiã ueſtrã à mortuarijs operibus ad ſeruiendum Deo uiuenti. Idem Eb. 10 docet, iuſticiam noſtram eſſe remiſſionẽ peccatorũ, propter oblationem unius uictimæ, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti, unica oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos qui ſanctificantur. Teſtificatur autẽ nobis et ipſe Spiritus ſanctus, nimirũ cùm prædixerit: Hoc eſt teſtamentũ quod condã erga illos, dicit Dominus, dans leges meas in corde illorũ, &c. & peccatorũ atq; iniquitatũ eorum non recordabor amplius. Porrò ubi horũ eſt remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccato. Et paulo pòſt, Accedamus cũ uero corde, in certitudine fidei, aſperſi cordib. et de pulſa cõſciẽtia mala, et abluti corpore aqua pura.

Deinde, quòd ſit imputatiua iuſticia, ſcilicet cùm nõ imputantur nobis peccata noſtra, ſed imputatur nobis aliena iuſticia Domini noſtri Ieſu Chriſti per fidem, et propter eam abſoluimur à iure peccati et mortis, ac donatur Spiritus ſanctus & uita æterna. Ro. 4. Credidit Abrahã Deo, ei imputatũ eſt ei ad iuſticiã. Item. Ei qui nõ operatur, ſed credit in eũ qui iuſtificat impiũ, imputatur fides ſua ad iuſticiam. Quemadmodũ & Dauid explicat beatificationẽ hominis, cui Deus imputat iuſticiã abſq; operibus. Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, et quorũ obtecta ſunt peccata. Beatus uir cui nõ imputabit Dominus peccatũ. Et paulo pòſt: Nõ ſcriptum aũt eſt propter illũ tantùm, imputatũ fuiſſe: illi ſed etiã propter nos, quib. imputabitur, credentibus in eum qui excitauit Ieſum Dominum noſtrũ à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, et excitatus eſt propter iuſtificationẽ noſtri. Idẽ 2 Cor. 5. Deus erat in Chriſto, mundũ reconciliãs ſibi, nõ imputãs eis peccata ſua, etc. eũ enim qui nõ nouit peccatũ, fecit peccatũ, ſcilicet per imputationẽ, ut nos per illũ fieremus iuſticia Dei ſimiliter per imputationẽ. Ea enim quæ Chriſtus pro nobis fecit, imputantur nobis per fidẽ, ac ſi nos ipſi obedientiam legi integram præſtitiſſemus, ac λύτρον pro peccatis prioribus æquiualens deduliſſemus.

Tertiò, quòd ſit miſericordia per fidẽ in Chriſtum nobis donata. 1 Pet. 2. Quondam non conſequuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiã conſequuti. 2 Ioann. Erit nobiſcum miſericordia, pax à Deo patre, etc. Ro. 11. Quemadmodum enim & uos quondã increduli fuiſtis Deo, nunc autem miſericordiam eſtis conſequuti, per illorũ incredulitatem: ſic & iſti nunc increduli facti ſunt, ex eo quòd uos miſericordiã eſtis adepti, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. concluſit enim Deus omnes ſub incredulitatẽ, ut omniũ miſereretur. 1 Tim. 1. Verum ideo miſericordiã adeptus ſum, ut in me primò oſtenderet Ieſus Chriſtus omnẽ clementiã ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí eſſent in ipſum, in uitam æternam. Ebr. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut cõſequamur miſericordiam,

& gratiam inueniamus ad opportunũ auxiliũ. Autor pist. Iudæ: Expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in uitam æternam.

Quartò, quòd sit gratia seu gratuita imputatio iusticiæ Christi, absq; operibus legis. Act. 15. Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credim⁹ nos saluos futuros. 1 Pet. 1. Qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt. Item, Sperate in eã quæ ad uos defertur gratiam. 2 Pet. 3. Crescite in gratia & cognitione Domini nostri Iesu Christi. 2 Ioan. & Apoc. 1. Gratia uobis & pax, &c. Ro. 3. 4. 5. 6. Nõ estis sub lege, sed sub gratia. Ro. 11. 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Gal. 2. Non aspernor gratiam Dei. Eph. 2. Ebr. 4. 13. Bonum est cor stabiliri gratia. Iudas, Qui gratiam Domini nostri Iesu Christi transferunt ad lasciuiam.

¶ Quòd ad formã iusticiæ imputatiuæ, qua coram Deo credentes in Christũ iustificãtur, non pertineant qualitates nostræ, aut opera nostra: sed quòd prorsus ab ea sint excludenda, Paulus docet, illis particulis exclusiuis: Absq; lege. Rom. 3. Absq; operibus, Ro. 3. Gal. 2. Gratis, Ro. 3. Donũ Dei est, Eph. 2. Nõ ex operibus, Gal. 2. Ro. 3. Tit. 3. Maximè uerò illustria sunt illa testimonia Pauli, quibus gratiam & mercedem, donum & meritum, opera & gratiam, ita sibi inuicem opponit, ut prorsus contraria, tertiũ non admittentia, quorum alterum tollat & destruat alterum, esse affirmet. Roman. quarto: Ei uerò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei qui non operatur, sed credit in eum qui impium iustificat, imputatur fides sua ad iusticiam. Roman. undecimo: Quòd si per gratiam, iam non ex operibus, quandoquidem gratia iam non est gratia: sin ex operibus, non iam est gratia, quandoquidem opus iam non est opus. Galat. secundo: Iam si per legem est iusticia, igitur Christus frustra est mortuus. Recitat etiã causas, ob quas nostra opera à iustificatione gratuita excludantur. Prima, ut conscientiæ possint firmã habere fiduciam & cõsolationem, quam conditio de operibus nostris ad iustificationem necessarijs irritam faciat. Roman. quarto: Etenim si ij qui ad legem pertinent, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promißio. Nam lex iram operatur. siquidem ubi non est lex, ibi nec transgreßio est: idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiã, ut firma sit promißio uniuerso semini: non ei quòd est ex lege tantum, uerùm etiam ei quod est ex fide Abrahæ, qui est pater ominũ. Deinde, ut Deo suus tribuatur honos, quòd indignos peccatores gratis accipiat, ex mera benignitate & misericordia, & nemo ob sua opera coram Deo gloriari queat. Rom. 3. Vt ipse sit iustus, iustificans eos qui sunt ex fide Iesu. Rom. 4. Si Abraham ex operib. iustificatus fuit, habet quod gloriatur, at non apud Deum. 1 Corinth. 1. Christus est factus nobis à Deo iusticia, &c. ut qui glorietur, in Domino glorietur. Ephes. 2. Gratia estis seruati, per fidem, idq; non ex uobis: Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Huc etiam exempla pertinent. Abrahæ non imputantur sua opera ad iusticiã, sed fides qua credebat in semen promissum, hoc est in Christum, quòd eius operibus iustificaretur. Paulus ipse non suæ iusticiæ operum confidit, sed eam pro reiectamentis habet: at Christi iusticiam fide sibi applicat. Philip. 3. Idem 1 Corinth. 4. dicit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Petrus etiam Actor. 15. in synodo dicit, se gratia Domini nostri Iesu Christi saluari per fidem. Pertinent huc etiã alia testimonia, quæ de imputatiua iusticia & de gratia sunt paulo antè commemorata.

Etiam hoc monent Apostoli, iusticiam qua coram Deo iustificamur, fide, gratis, propter Christũ, non esse uisibilem, nec rationi perceptibilem, sed in uerbo & fide consistere in hac uita, & in futura eam unà cum suis fructibus apparituram in pijs singulis. 1 Ioã. 3. Nunc filij Dei sumus, & nondũ apparuit quod futuri sumus. scimus autem, quoniã si apparuerit, similes ei erimus. Rom. 8. Spe seruati sumus. Porrò spes si uideatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idẽ sperat? Si uerò quod non uidemus, speramus, id per patientiam expectamus. Philip. 3. Nostra cõuersatio in cœlis est, ex quo seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat glorioso suo corpori. 2 Cor. 4. Habemus autem hunc thesaurũ in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis. Gal. 5. Nos enim spiritu, ex fide, spem iusticiæ expectamus. Col. 3. Vita nostra abscondita est cũ Christo. Ebr. 11. Fides est earum rerum quæ sperãtur fiducia, argumentum earum quæ non uidentur.

Sed tamen nihilominus imputatiuã iusticiã plenam & perfectam esse, quæ Deo placeat, et qua coram Dei iudicio ij qui fide eum sibi applicant, cõsistere possint, & ob eam nobis donari Spiritum sanctum & uitam æternam, ijdem docent, primùm illis testimonijs, quibus ostendunt Christum integram pro nobis omnibus legi præstitisse obedientiã usq; ad mortẽ crucis. Rom. 8. 10. Gal. 3. 4. Col. 2. Phil. 2. Deinde ijs, quibus docent Christum expiasse peccata totius mundi. 1 Ioann. 2. 4. 1 Pet. 2. 3. Ebr. 2. Tertiò, etiam illis quibus docent Deum accepturum obedientiam & mortem Christi, eamq; nobis per fidem gratis imputare. Rom. 4. Quartò, ijs quibus tradunt Deum ipsum esse autorem & inuentorem huius iusticiæ, unde etiam iusticia Dei appellatur. Ro. 3. 1 Cor. 1. Christus factus est nobis à Deo iusticia, &c. 2 Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos in eo fiamus iusticia Dei. 1 Ioann. 3. Quintò, ijs quibus fructus imputatiuæ iusticiæ exponunt, quæ paulo pòst allegabimus.

Causas acceptationis, seu iustificationis duas esse docent, gratuitam misericordiam, & meritum Domini nostri Iesu Chuisti. 1 Pet. 1. Deus iuxta copiosam suam misericordiã regenuit nos in spem uiuã, per hoc quòd resurrexit ex mortuis. 1 Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei, quòd filium suum unigenitum miserit in mundũ, ut uiuamus per eum. Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodẽ nobis omnia donet? Plura testimonia suprà recitata sunt, de causis, quibus Deus impulsus, filium suum miserit in mundum.

Gratis autem, quo ad nos, Deum peccatores iustificare, hoc est, eis imputare iusticiam Christi, & propter eam peccata condonare & uitam æternam, proinbant testimonia paulo antè de gratia seu gratuita imputatione

putatione, & exclusione nostrorum operum allegata. Rom.3.4.6.Gal.2.Ephes.2.Tit.2.

Apparet autem, Apostolos grauissimas ob causas usos esse illis particulis exclusiuis, nempe ut Christo suus tribueretur honos, quòd solus sit mediator: & ut conscientiæ haberent firmam cõsolationem. Ro.4. & rectè lex & euangeliũ discernerentur. Gal.3. & discrimen extaret inter doctrinam Christianorum & philosophorum, inter Ecclesiam ueram & hypocriticã, inter orationem ueram & falsam.

Non autem acceptari nos gratis, quo ad Christum mediatorẽ nostrũ, asserunt. eũ enim pro nobis λύτρον soluisse, & integram obedientiam legi præstitisse demonstrant. Petrus 1 epist.1. Cùm sciatis uos non caducis rebus, uelut argento & auro, fuisse redemptos. sed pretioso sanguine uelut agni immaculati & incõtaminati Christi. 1 Pet.2. Qui peccata nostra ipse tulit, etc. 1 Pet. 3.1 Pet.4. Et Ioan.1 epist.1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. 1 Ioan. 2.1 Ioan.4. Et Paulus Rom.3.5.8.10. Christus est impletio legis, ad salutẽ omni credenti. Ro.14. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. 1 Cor.6. Non estis uestri iuris, nã empti estis precio. 1 Cor.7. Precio empti fuistis, nolite fieri serui hominũ. 1 Cor.8. Et peribit frater qui infirmus est, in tua scientia, propter quẽ Christus mortuus fuit. Plura testimonia suprà allegauimus. Inculcant etiam Apostoli uniuersalem, nempe quòd meritum Christi ad omnes pertineat, omnibusq; ex immensa misericordia Dei offeratur, et q omnes id fide amplecti, coq; frui debeant. Act. 10. Reipsa comperior quòd non sit personarum respectus apud Deum, &c. Item, Huic testimonium perhibent, &c. quòd remissionem peccatorum acceptaturus sit, quisquis in eũ crediderit. Rom.13. Per hunc omnis qui credit, iustificatur. 2 Pet.3. Deus non uult VLLOS perire, sed OMNES ad pœnitentiam recipere. 1 Ioan.5. Omnis qui credit Iesum esse Christũ, ex Deo natus est. 1 Ioã. 4. Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium seruatorem MVNDI. 1 Ioan.1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab OMNI peccato. Roman. 2. Gloria uerò & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm simul & Græco. Non enim est personarum respectus apud Deum. Rom.3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Non enim est distinctio: omnes peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei. Ibidem: An Iudæorum Deus tantùm? an non & gentium? certè & gentium. Rom.4. Paulus eleganter ex eo quòd Deus Abrahæ dedit promissionẽ de semine benedicto, ante circuncisionem, ratiocinatur, non tantùm Iudæos, sed etiã gentes ad promissionẽ pertinere, cùm ea sit data anteq; discrimen Iudæorũ & gentiũ existeret. Ro.11. Vt omniũ misereretur. Ro.10. Christus impletio legis ad iustificationem omni credẽti. Ibidẽ: Omnis qui fidit illi, nõ pudefiet. nõ enim est distinctio uel Iudæi, uel Græci. nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. quisquis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Gal.2. Persona hominis non accipit Deus. Gal.3. Benedicentur in te omnes gentes. Ibidẽ: Non est Iudæus neq; Græcus, nõ est seruus neq; liber, nõ est masculus ac fœmina: omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Coloss. 4. Vbi non est Græcus & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia in omnibus Christus. 1 Timoth.2. Deus uult cunctos homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1. Timoth. 4. Deus est seruator omnium hominum, maximè fidelium. Coloss.2. Condonans nobis omnia delicta. Non ergo tantùm originalia aut leuiora peccata condonat nobis Deus, sed omnia etiam atrocissima, si modò agamus pœnitentiam, & in Christum credamus. 2. Cor.5. Vnus pro omnibus mortuus est. Coloss.1. Euangelium prædicatum est apud uniuersam creaturam quæ sub cœlo est. & postea: Christum annunciamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus, omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Autor epist. ad Ebr. 2. Vt per gratiam Dei gustaret pro omni mortem. Plura testimonia in loco de Vocatione gentiũ, & de Ministerio recitabũtur, quæ etiam probant, omnibus credentibus offerri iusticiam Domini nostri Iesu Christi.

Cum autem iustificatio seu remissio peccatorum, sit Dei opus, quo homine impio, & nulla opera habẽti, imputat & applicat alienam iusticiã, nempe Domini nostri Iesu Christi, quam unus pro omnibus comparauit, Apostoli docent, Deum medijs diuinitùs ad hanc rem ordinatis uti, ad dispensandum & applicandum credentibus meritum Christi. Sunt autem, uerbum, hoc est promissiones Euangelicæ, & sacramenta, quæ quidem aliud nihil sunt, quàm promissiones, certa atque præfinita externa ceremonia uestitæ.

Quòd autem Deus per uerbum seu doctrinam Euangelij offerat & applicet iusticiam Christi, Petrus docet Act.2. Vobis enim facta est repromissio, & filijs uestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Act.3. Deus misit filiũ suum benedicentem uobis, ita ut unusquisq; uestrûm cõuerteret se ab iniquitatibus suis. Act.11. Loquetur ad te uerba, quibus saluaberis & tu & domus tua. 1 Pet.1. Sperate in gratiam quæ ad uos defertur, dum uobis patefit Iesus Christus. Item: Animas uestras purificastis obediendo ueritati per spiritum. Ibidem: Renati nõ ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem uiuentis Dei, & manentis in æternũ, &c. Hoc aũt est uerbũ quod per Euangeliũ delatum est ad uos. 1 Petri 2. Appetite lac animi quod dolum nescit, ut per id subolescatis. Ibidem: His qui impingunt in sermonem, neque credunt in id, ad quod & instituti fuerant. 1 Petri 5. Deus uocauit nos ad æternam suam gloriam per Christum. loquitur autem Petrus de uocatione quæ fit per prædicationem Euangelij. 2 Petri 1. Preciosa promissa nobis data sunt, &c. 1 Ioann. 1. Annunciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre, & filio eius Iesu Christo. Rom.1. Iusticia Dei per illud, scilicet Euangelium, patefit ex fide in fidem. Roman.10. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. 1 Corinth.1. Visum est Deo, per stulticiã prædicationis saluos facere crẽdentes. 2 Corinth.2. Deo gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, & odorẽ noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco. 2 Corint.5. Deditq; nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis sermonem reconciliationis: itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconcilie-

mini Deo. Galat. 3. Vtrum ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Ephes. 1. 1 Thess. 1. Euangelium nostrum fuit erga uos non solum per sermonem, uerùm etiam per uirtutem & per spiritum sanctum. 1 Thes. 2. Accepistis non sermonē hominum, sed sicut uerè erat sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. 1 The. 4. Cōsolemini uos mutuò sermonibus. 2 Thes. 2. Quòd elegerit uos Deus ab initio ad salutem, per sanctificationem spiritus, ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per Euangeliū nostrum in acquisitionē gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Plura testimonia in loco de uerbo Dei & de effectu Euangelij, suprà recitata sunt. Huc etiam exempla pertinent Actor. 2. & 8. Eunuchus per prædicationem Philippi, oblatam apprehendit salutem. Et Act. 10. Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super Corneliū, eiusq; familiā.

Quòd per baptismum etiam applicetur & obsignetur remissio peccatorū, Petrus docet Actor. 2. Baptisetur unusquisq; in nomine Iesu, in remissionē peccatorum. Act. 8. Eunuchus baptisatus ibat per uiam suam gaudens. Act. 22. Ananias inquit ad Saulū, exurge & baptisare, et ablue peccata tua, inuocato nomine Domini. 1 Pet. 3. Cuius figuræ nunc respondens baptismus, nos quoq; saluos reddet, etc. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Rom. 6. Quicūq; baptisati sumus in Christū Iesum, in mortem eius baptisati sumus. 1 Cor. 15. Alioqui quid facient ij qui baptisantur super mortuis, seu in cœmiterio, ubi mortui iacēt sepulti? si omnino mortui non resurgent, cur baptisantur super illis? Gal. 3. Quotquot baptisati estis, Christum induistis. Eph. 5. Vt sanctificaret illam, mundatam lauacro aquæ per uerbū, ut exhiberet eam sibijpsi gloriosam.

¶ De Cœna Domini. 1 Cor. 10. Poculū benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Panem quē frangimus, nónne cōmunicatio corporis Christi est? Sanguis aūt Christi emundat nos ab omni peccato. 1 Io. 1. Quare si in cœna corpus et sanguis Christi distribuitur, simul etiam credentibus applicatur & obsignatur remissio peccatorū. Idem etiam ex 1 Cor. 11 constat, ubi communicantes iubet mortem Domini annunciare, donec ueniat: & indignè accipiētes, reos corporis & sanguinis Domini fieri affirmat. Sed de his suo loco plura.

Promissiones ergo Euangelicæ, & baptismus ac cœna Domini, sunt quasi Dei manus, qua nobis beneficia per Christū parta porrigit, dispēsat, applicat, cōfirmat & obsignat. Manum autem nostrā, qua apprehendamus singuli, nobisq; applicemus remissionē peccatorū seu iusticiā imputatiuam, non contritionem, neq; bona opera nostra, sed solā fidē, seu cordis fiduciā innitentē promissioni de gratuita remissiōe peccatorū per Christū esse docēt. Act. 3. Per fiduciā nominis eius hūc, quē uidetis et nostis, cōsolidauit nomen ipsius: & fides quæ per eum est, dedit ei integritatē istā in cōspectu omniū uestrūm. Act. 10. Quisquis crediderit in eum. Act. 13. Per hunc omnis qui credit, iustificatur. Act. 15. Cum fide purificauerit corda illorum. & paulo pòst, Per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros. Act. 16. Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Act. 20. Fidem quæ est erga Dominum nostrum Iesum Christum. Actor. 26. Qui sanctificati sunt per fidem quæ est erga me. 1 Pet. 1. Per illū credidistis in Deum. Ibidē: Qui uirtute Dei per fidē custodimini ad salutem. 1 Pet. 2. Qui crediderit in illo, nō pudefiet. 1 Ioan. 3. Hoc est præceptū eius, ut credamus in nomen filij eius Iesu Christi. 1 Ioan. 5. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei? Ro. 3. Iusticia autem Dei in omnes & super omnes qui credūt. & postea: Concludimus ergo, fide iustificari hominem absq; operibus legis. Gal. 2. Et nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Gal. 3. Qui ex fide sunt, benedicūtur cum fideli Abraham. 1 Tim. 1. Qui crediturī essent per ipsum in uitam æternam. Philip. 3. Paulus iusticiā imputatiuam, iusticiam fidei appellat, eo quòd fide applicatur. Autor epistolæ ad Ebr. 4. non profuit illis audisse sermonem, quod is non esset cum fide coniunctus ijs qui audierāt. Ibidē: Accedamus cum fiducia ad thronū gratiæ. Eb. 10. Accedam⁹ cū uero corde in certitudine fidei, etc. Eb. 11. Impossibile est sine fide deo placere.

Exempla etiam omniū eorum qui iustificati sunt, comprobant, per solam fidem applicari nobis iusticiā. Act. 2. Qui acceperunt sermonem, baptisati sunt. & postea: Omnes qui credebāt, erant coniuncti. Stephanus plenus fidei fuisse dicitur Act. 7. Samaritani cum credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, &c. baptisabantur. & Simon ipse credidit: & cum baptisatus esset, adhærebat Philippo. Eunuchus dicit, Credo filium Dei esse Iesum Christum: Act. 8. Cornelius etiam fide applicat sibi remissionem peccatorum. Act. 10. Viri Cyprij, &c. ingressi Antiochiā, loquebantur ad Græcos, prædicantes Dominum Iesum, & erat manus Domini cum eis, multusq; numerus credentium conuersus est ad Dominum. Actor. 11. Gentes Antiochiæ, Pisidiæ, crediderunt quotquot erant ordinati ad uitā æternam. Act. 13. Claudus ab utero matris audiuit Paulum loquentem Lystris: qui intuitus eū, & uidens quòd fidē haberet, fore ut saluus fieret, dixit, etc. Item, quòd Deus gentibus aperuisset ostium fidei, Act. 14. Custos carceris exultauit, quòd cū uniuersa sua domo credidisset Deo, Actor. 16. Thessalonicæ quidam audita concione Euangelij crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ. Act. 17. Berrhœæ etiam multi credebāt, & Græcæ mulieres honestæ, & uiri non pauci, Actor. 17. Quidam Athenienses adhærebant Paulo, & credebant, Actor. 17. Crispus archisynagogus credidit Domino, cum tota domo sua multiq; Corinthiorum audientes credebant, & baptisabantur.

Hinc etiam patet, quibus iusticia imputetur, seu remissio peccatorum donetur: nempe peccatorib. agenitibus pœnitentiā, & fide ad Christū confugientibus, Iudæis & gentibus. Actor. 10. 15. Rom. 3. 4. Ephes. 2. Omnibus errantibus, 1 Pet. 3. Qui aliquando uixerunt in lasciuijs, concupiscentijs, uinolentijs, comessationibus nefarijs, simulachrorum cultibus. 1 Pet. 4. Confitentibus peccata sua. 1 Ioann. 1. Qui olim fuerunt serui peccati, & præbuerunt mēbra sua serua immundiciæ & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatem: sed nunc ex animo obedierunt in eam, in quam traducti sunt, formam doctrinæ. Roman. 6. Non sectantibus propriam iusticiam, sed apprehendentibus eam quæ est ex fide.

Roman.9. Stultis secundum mundum, imbecillibus, ignobilibus, contemptis, euangelium suscipientibus. 1 Corinth.1. Scortatoribus, idololatris, adulteris, mollibus, arsenocœtis, furibus, auaris, ebriosis, maledicis, rapacibus, pœnitentiam agentibus. 1 Corinth. 6. Hæc eratis quidem, sed abluti estis. 1 Corinth.12. Gentes fuistis, & ad simulachra utcunq; ducebamini sequentes. Insuperabiles, quorum exemplar est Corinthius ille, 2 Corinth.2. Persequutoribus Ecclesiæ & blasphemis, cuius exempli loco Paulus est, Actor.9.22.26.Galat.1. 1 Tim.1.Philip.3. Non recto pede incedentibus ad euangelij ueritatem, qui obiurgati agunt pœnitentiam: exemplū est in Petro, Galat.2. Deficientibus à puritate doctrinæ Euangelij, si agant pœnitentiam: exemplum est in Galatis, quos eo nomine Paulus ad pœnitentiam reuocat. Occupatis aliquo delicto, si ad pœnitentiam redeunt. Gal.6. Apoc.2. Mortuis in delictis & peccatis, filijs contumacibus, mancipijs diaboli, facientibus olim quæ carni et menti libebāt, filijs naturæ iræ Dei, abalienatis à Republica Israelis, extraneis à testamento promissionis, spem non habentibus. Deo carentibus in mundo, sed nunc ad Deum conuersis, & credentibus in Christum. Ephes.2. Olim ambulantibus in uanitate mentis & obtenebrata mente, abalienatis à uita Dei, propter ignorantiam & excæcationem cordis: qui eò peruenerant, ut dolere desinerent, & semetipsos dederunt lasciuiæ ad patrandum omnem immundiciē cum auiditate: sed nunc didicerunt Christum, & in eum credunt. Ephes.4. Expergiscentibus à somno, & surgentibus à mortuis. Ephes.5. Qui quondam erāt abalienati, & inimici mente in operibus malis, nunc uerò conuersi et reconciliati Deo per Christum. Col.1. Qui quondam erant inter filios intractabiles, & stupro, immundiciæ, molliciei, cōcupiscentijs malis & auariciæ, iræ, indignationi, maliciæ, maledicentiæ, turpiloquio, mēdacio studebāt. Col.3. Cōuersis à simulachris. 1 Thessalonicensibus pœnitentiam agentibus. 1 Tim.1. Tranſgressoribus, abnegatoribus, crucifixoribus & interfectoribus Christi filij Dei, pœnitentiam agentibus: quibus exempli loco sunt Iudæi, Act.2.3. Qui magicam artem olim exercuerūt, iam uerò pœnitentia ducti, ad Deum per mediatorem Christum confugiunt: exemplum est in Simone magō, Act.8. & eorum qui libros magicam artem continentes exurunt, Actor.19. Iis qui aliquando restiterunt ueritati, si agant pœnitentiam. 2 Timot.2. Hæreticis, si ab errore suo reuertantur. Tit.3. Iacobi 5. Et in summa, omnib. peccatoribus, peccatum ad mortem non habentib. hoc est, peccata sua agnoscentibus, & petentib. per Christū remissionē, donatur & applicatur per fidē iusticia Domini nostri Iesu Christi, quā obedientia sua usq; ad mortem crucis comparauit.

Econtrà uero peccatoribus impœnitentibus, & in peccatis suis perseuerantibus, et desperantibus iusticiā imputari, seu peccata remitti, negant. 1 Pet.3. Aspectus Domini super eos qui faciunt mala. 1 Pet. 4. Si iustus uix saluabitur, peccator ubi comparebit? 2 Petri 2. lapsos in errores et peccata, si in ijs sine pœnitētia perseuerent, canes reuersos ad suum uomitum, & sues reuersas ad uolutabra cœni, appellat, quibus postrema fiant peiora primis. 2. Pet.3. illusores extremū iudiciū abnegantes, secundum concupiscentias ambulare dicit. Ioannis 1 epist.1. Qui odit fratrem suum, in tenebris est: qui diligit mundum, non est charitas patris in eo. 1. Ioannis 3. Homicida non habet in se uitā æternam manentem. 2 Ioannis: Omnis qui transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deū non habet. Ro.8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. 1 Cor.6. An nescitis quòd iniusti, regni Dei hæreditatem non consequentur? nec erretis, neq; scortatores, neq; cultores simulachrorū, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concūbunt cum masculis, neq; fures, neque auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. Eadem Gal.5. repetit, & 2 Cor.12. Ephes.5.1.Tim.1.& 3. Colos.3. Nec hypocritis et iusticiarijs donatur remissio peccatorum, nisi agant pœnitentiam. 1 Ioann.1. Si dixerimus. Peccatum non habemus, nos ipsos fallimus. Rom.9. Israel qui sectabatur legem iusticiæ, ad legem iusticiæ non peruenit, quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Rom.10. Ignorantes iusticiam Dei, & propriam iusticiam quærentes constituere, iusticiæ Dei non fuerunt subditi. Gal.3. Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Gal.5. Quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis. Nec hæreticis in suo errore perseuerantibus, Tit.3. Nec mancipijs Antichristi, 1 Ioann.2 & 4.2 Ioannis. Apoc.18 & 19.1 Tim.4.2 Thes.2. Nec calumniantibus & contemnentibus doctrinam Euangelij, Rom.3. Quorum condemnatio iusta est. 2 Thessal.1. Qui non obedierunt euangelio. 1 Petri 4. Qui non credunt Dei euangelio. qui negant resurrectionem mortuorum, 1 Cor.15. Nec ijs qui peccant peccatum ad mortem, 1 Ioann.5. Aut qui offenduntur doctrina euangelij, 1 Corint.1.1 Pet.2 Roman.9. Aut persequuntur Euangelium, 1. Thes.2. Iudæi ut Dominum Iesum occiderunt, & proprios prophetas, ita & nos persequuti sunt, & Deo non placent & omnibus hominibus aduersantur, qui obsistunt nobis ne loquamur gentibus, quo salui fiant. Absurdis & peruersis hominibus, & eius generis alijs peccatoribus, in impœnitentia perseuerantibus.

Deum uerò hūc ordinē in iustificatione impij, obseruare docent: nempe quod primùm ministerio legis, in cordibus operetur agnitionem peccatorum, et ueros ob peccata dolores, & humiliationem, abijcientem tum peccandi propositum, tum omnem fiduciam suorum operum, & sentientem ac deplorantem iustam Dei iram & condemnationem.

Deinde, quòd uoce Euangelij proponat gratiam, remissionem peccatorum gratuitam, iusticiam & uitam propter Christum: & operetur per uerbum & spiritū sanctum fidem, apprehendentē remissionē peccatorum. Huc pertinent testimonia & exempla quæ iam recitabimus, de ijs quibus imputetur iusticia, & quibus non. Docent enim, oportere iustificandos agnoscere sua peccata, & ob ea dolere, nec in ijs perseuerare: & postea fide ad mediatorem Christum confugere, & peccatorum remissionem gratis accipere.

Huc etiam pertinet tota doctrina de pœnitentia, quam suo loco commemoramus: ea enim præcipuè & sigillatim doctrinam de ordine, quem Deus in iustificando impio obseruat, exponit. Locus etiā de ministerio, testimonia huc pertinentia habet. Qualis enim est ministerij ratio, talis & iustificationis. Quare sicut mi-

nisterium uerbi primo loco pœnitẽtiam concionatur, & postea remissionem peccatorum: ita iustificandos oportet primùm agnoscere sua peccata, & dolere, & deinde fide in Christum erigi. Sed quid obest, hîc quædam repetere?

De ordine iustificationis Petrus & Apostoli inquiunt Actor. 2. Delictorum pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; uestrûm, &c. in remissionẽ peccatorum. Actor. 3. Pœniteat uos, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Actor. 5. Ad dandam pœnitentiam Israeli, remissionemq; peccatorum. Similia testimonia sunt Actor. 10. 22. 26. & 1 Petri 5. Humiliemini sub potenti manu Dei, ut uos extollat, cum fuerit opportunum. Et Ioannes 1 epist. 1. iustificãdos iubet agnoscere peccata sua, & petere à Deo remissionem propter Christum. 1 Ioann. 4. Etiam eos quos cor suum condemnat, iubet fiduciam habere, & inniti promissioni diuinæ de gratuita acceptatione, propter Christũ mediatorem nostrum, & saluatorem mundi. Paulus uerò in epistola ad Romanos, ordinem iustificationis eleganter demonstrat, ubi primùm gentes & Iudæos docet esse peccatores, gloria Dei carentes, obnoxios iræ Dei & condemnationi: & deinde impios peccatores gratis, fide, absq; operibus, propter obedientiã & mortem Christi, iustificari: hoc est, iustos pronunciari propter imputatam iusticiam Christi.

Huc etiam exempla iustificatorum referenda sunt, quos omnes primùm agnitione peccatorũ & sensu iræ Dei humiliatos, & postea promissione de gratuita imputatione iusticiæ Christi, & fide eam apprehendẽte, erectos & saluatos constat. Act. 2. Circiter tria millia Iudæorum ex concione Petri, agnoscunt sua peccata, & compunguntur corde, & postea accipiunt fide sermonem Dei, annunciantem remissionem peccatorum propter nomen, hoc est mortem & obedientiam Christi. Actor. 9. Saulus primùm humiliatur, & postea consolatione erigitur. Idem Actor. 16 in custode carceris uidere est. Incestuosus etiam Corinthius, obiurgatione Pauli & ecclesiæ Corinthiacæ agnoscit suum scelus, & maximo afficitur dolore: quem Paulus iubet consolari, ne immodico dolore absorbeatur. 2 Corinth. 2.

Omnes homines eodem modo saluari, gratis absq; operibus, fide amplectente obedientiam & mortem Christi sibi imputatam, testimonia quæ de uniuersalibus particulis suprà commemorauimus, probant. Sed etiam illud insuper Apostoli docent, omnibus temporibus unam & eandem perpetuò fuisse, esse, & in posterum fore rationem iustificationis, nempe per fidem in Christum: nec alio modo eos qui in ueteri Testamento uixerunt, quàm qui in nouo degant, saluari. Nam Petrus & Apostoli ostendunt, Ioelem & Dauidem Act. 2. Mosen & omnes Prophetas qui à Samuele ac deinceps fuerunt Actor. 3. & in summa omnes Prophetas, testimonium perhibere de Christo, quòd remissionem peccatorum per nomen eius accepturus sit, quisquis in eum crediderit. Act. 10. Et Paulus disserebat è scripturis, adaperiens & allegans, quòd Christũ opportuisset pati & resurgere: & quòd hic esset Iesus Christus, quem ego (inquit) annuncio uobis. Actor. 17. Et Petrus 1 epist. 1. in prophetis spiritum Christi fuisse dicit, & de uentura gratia uaticinatũ esse, & Christum præordinatum fuisse, antequam conditus esset mundus, sed manifestatum esse postremis temporibus. Et 1 Petri 2 dicit, Iudæos fuisse institutos ad id, ut crederẽt in Christum. & 2 Petri 1 dicit, sanctos Dei homines spiritu sancto impulsos, loquutos esse. quo indicat, doctrinam de gratuita remissione peccatorũ, per fidem in Christum, etiam in ueteri Testamento traditam fuisse. Et Paulus Roman. 4. doctrinam de imputatione iusticiæ, & remissione peccatorum per fidem, ex Dauidis Psalmo 32 extruit: & ex Habacuc, Iustus sua fide uiuet. Roman. 1. & ex Ioel: Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit, Roman. 10. & Esaia: Omnis qui fidit illi, non pudefiet. 1 Pet. 2. Roman. 10. Et eodem modo quo Abrahæ suum credere, seu fides imputata est ad iusticiã, alios omnes credentes iustificari, docet Roman. 4. Galat. 3. Idem 1 Corinth. 10. Bibebant de spirituali petra, petra uerò fuit Christus. Autor epistolæ ad Ebreos: Præterquã quòd in ueteri Testamento, tum expressis promissionibus, tum typis & figuris Dominum nostrum Iesum Christũ, eiusq; beneficium propositũ fuisse prolixè demõstrat, etiam cap. 11. expresse fidem patriarchis & prophetis ac alijs pijs attribuit, qua & saluati sint, & res magnas gesserint. Idem 13 inquit: Iesus Christus heri & hodie, idem est etiam in secula. Apoc. 13. Quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. qua sententia indicat, meritum Christi applicatum esse, & salutem attulisse omnibus qui ab initio mũdi in eũ crediderũt. attulisse omnibus qui ab initio mũdi in eũ crediderũt.

¶ Causas finales iustificationis has ferè recẽsent. Prima, ut Deus immensam suam misericordiam, amorem & gratiam erga nos exerceret, 1 Pet. 1. 1 Ioan. 3. 4. Roman. 5. 8. Proprio filio suo non pepercit, sed tradidit illum pro nobis. Ephes. 2. Deus qui dives est in misericordia, &c. Tit. 3. 1 Timoth. 1. Vt ostendat in me omnem clementiam. Secunda, ut soli Deo tribuatur laus iusticiæ, sapientiæ, ueritatis, & bonitatis, quòd immeritos peccatores, propter filij sui meritũ, in gratiam recipiat. Roman. 3. Omnis homo mendax, Deus autem uerax. Item: Vt iustificeris in sermonib. tuis, & uincas cum iudicaris. Ephes. 1. Vt laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos reddidit nos, per dilectum. 1 Petri 2. Vt prædicetis uirtutes eius. Tertia, ut excludatur gloriatio operum omnium hominum coram Deo. Roman. 3. 1 Corint. 1 Qui gloriatur, in Domino glorietur. Ephes. 2. Donũ Dei est, nõ ex uobis, ne quis glorietur. Quarta, ut summatim instauraret omnia per Christũ, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terra per eundẽ. Ephes. 1. In illo complacitum est patri, uniuersam plenitudinẽ inhabitare. Colos. 1. Quinta, ut Christus sit omnium Dominus, & ei soli tribuatur honos, quòd sit saluator generis humani, et Deus sit omnia in omnibus. Ephes. 1. Omnia subiecit sub pedes illius, & eũ dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, cõplementum eius qui omnia in omnib. adimplet. Col. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principiũ, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens. Col. 2. In quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ recõditi, et postea: Quoniã in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis coporaliter: et estis in illo completi, qui est caput omnis principatus & potestatis. Col. 3. Sed omnia in omnibus Christus. Phil. 2. Vt in nomine Iesu omne genu

sese flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Roman. 14. Christus & mortuus est & resurrexit, ut mortuis et uiuentib. dominetur. Sexta, ut nos exhiberet sanctos & irreprehensibiles et inculpatos in conspectu suo. Col. 1. Vt esse mus sancti et irreprehensibiles coram illo. Eph. 1. Vt simus in laudem gloriæ ipsius. Eph. 1. Vt simus ipsius opus, conditi ad bona opera. Eph. 2. Vt simus in Christo Iesu, noua creatura. 2 Cor. 5. Gal. 5. 6. Vt purificaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. ad Tit. 3. Ibidem: Vt abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuamus in præsenti seculo. 1 Pet. 2. Vt insequamur uestigia Christi. Item: Vt iustitiæ uiuamus. Septima, ut habeamus societatem cum Deo, et filio eius Iesu Christo. 1 Ioann. 1. Vt habeamus uitam æternam. 1. Ioann. 5.

Argumenta quibus Apostoli probant, hominem sola fide absq; operibus legis iustificari.

Apostoli suam doctrinam de iustificatione seu remissione peccatorum, plurimis, ijsq; firmissimis argumentis probant & confirmant, quæ sanè obseruatione & cõmemoratione sunt dignissima. Est autem eorum propositio duplex, negatiua & affirmatiua. Negatiua. Nullus hominum iustificatur suis operib. legis, propterea quòd nemo legi Dei integrè satisfacere potest. Affirmatiua: Omnes homines sibi fide applicantes obedientiam seu opera Christi, quibus unus ille mediator pro omnibus satisfecit legi, iusti pronunciantur, & imputata aliena, Christi scilicet, iusticia. Has propositiones utrasq; Paulus coniungit, Rom. 3. Gal. 2. 3. & Ephes. 2. Petrus Actor. 15. & Ioan. 1 epist. 1 & 2. Argumenta autem hæc ferè sunt præcipua.

Primum, à testimonijs scripturæ. Scriptura ueteris Testamẽti docet omnes homines esse peccatores, & carere gloria Dei. Ergo nullus hominum suis operibus iustificatur. Antecedens probat Paulus his sententijs: Omnis homo mendax, Psalmo 115. Item, Tibi soli peccaui, ut iustificeris in sermonibus tuis, et uincas cum iudicaris. Psalmo 50. Non est iustus, ne unus quidem: nõ est qui intelligat, non est qui exquirat Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, nõ est usq; ad unum. Psalmo 13. & 52. Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt: uenenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os execratione & amarulentia plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinẽ. Contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerũt, non est timor Dei coram oculis eorum. Psalmo 5 & 13. Roman. 3. Idem etiam ex historia lapsus Adæ probat, omnes homines esse peccatores. Roman. 4. Propter unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransijt, quia omnes peccauimus, &c. Ne introeas cum seruo tuo in iudicium, propterea quòd non iustificabitur ex operibus legis ulla caro. Rom. 3. Galat. 2. Omnis caro gramen, & omnis gloria hominis quasi flos graminis: exaruit gramen, & flos decidit, at uerbum Domini manet in æternum. 1 Pet. 1. Item, 1 Pet. 2. alludit ad Esaiæ dictum 53. Omnes sicut oues errauimus, &c. inquit enim, Eratis sicut oues errantes. Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam uanæ sunt. 1 Corinth. 3. Econtrà scriptura testatur, agnoscentes se peccatores esse, & confugientes fide ad mediatorem Christum, eaq; sibi applicantes, iusticiam eius, quæ est integra impletio legis, iustos pronunciari & saluari: ergo fide sola, absq; operibus legis, iustificatur homo. Antecedẽs probant Apostoli his testimonijs, ex Ioelis 2. Et futurum est, ut omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, seruetur. Actor. 2. Rom. 10. ex Esaiæ 28. Omnis qui fidit illi, non pudefiet, Roman. 9. 10. 1 Petri 2. Ad quod etiam Ioannes alludit 1 Ioann. 2. Ne pudefiamus ab eo in aduentu eius: ex Habacuc 2. Iustus ex fide sua uicturus est. Roman. 1. Galat. 3. ex Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputabit Dominus peccatum. Roman. 4. Exod. 33. Miserebor, cuiuscunque miserebor: & cõmiserabor, quemcunque commiseror. Ro. 9. Deut. 30. Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? aut quis descẽdet in abyssum? Rom. 10. ex Esa. 52. Quàm speciosi pedes annunciantium pacem, annunciantium bona. Rom. 10. Esaiæ 52. Domine quis credet sermonibus nostris? Rom. 10. Tãquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se mutus, sic non aperuit os suum: in humilitate ipsius, iudicium eius sublatum est: generationem autem eius quis enarrabit? quoniam tollitur de terra uita eius. Actor. 8. Qui peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum maledictis incesseretur, non regessit maledicta, &c. Cuius eiusdem uibice sanati fuistis. 1 Petri 2. Esaiæ undecimo: Erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo sperabunt gentes. Rom. 15. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. ex Ierem. 9. 1 Corinth. 1. ex Psalm. 115. Credidi, & ideo loquutus sum. 2 Corinth. 4. ex Esaiæ 49. In tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. 2 Corinth. 6. Huc etiam alia testimonia de Christo eiusque beneficijs, quæ passim allegantur ex prophetis, Actor. 2. 3. 4. 7. 13. 15. pertinent, quorum summam Petrus Actor. 10. tradit: Huic testimonium perhibent, &c. Nam ex ijs etiam apparet, obedientiam & mortem, quam pro genere humano sustinuit, credentibus imputari ad iusticiam.

Secundum, à sententia legis. Lex dicit, Maledictus omnis qui non fecerit ea quæ scripta sunt in libro legis. & econtrà: Homo qui fecerit, uiuet per illa. Galat. 3. Rom. 10. Sed nullus hominum perfectè satisfacit legi suis operibus, ut patet ex testimonijs Scripturæ paulo antè recitatis. Ergo nemo hominum per opera sua potest tollere maledictum, quod non seruando legem commeruit: nec potest quisquam mereri uitam, cum legem nemo impleat. quotquot enim ex operibus legis sunt, execrationi obnoxij sunt. Gal. 3. Ecõtrà uerò Dominus noster Iesus Christus, uerus Deus & homo, carens omni labe peccati proprij, assumpta forma serui, unus pro omnibus integrè legẽ impleuit, æquialẽs, imò precioſius quàm lex postulabat, λύτρον soluendo, ad tollendũ maledictũ & obedientiã omnibus numeris perfectissimã, eamq; ampliorẽ quàm lex requirebat à nobis hominibus (creator enim pro creatura, Deo factus est obediẽs usq; ad mortẽ crucis)

præstando, ad acquirendam omnibus uitam, quam lex facienti promisit. Ergo credentes in Christum, pronunciantur iusti, nõ ob suas proprias uirtutes, sed propter impletionem legis, quã Christus pro ijs præstitit. Hoc argumentum in omnibus illis sententijs comprehenditur, quæ de morte & redẽptione, quam in Iesu Christo habemus, loquuntur. 1 Pet. 1. 2. 3. 1 Ioan. 1. 2. 4. Apoc. 1. 13. Rom. 3. 4. 5. 14. 1 Cor. 1. 15. 2 Cor. 5. Eph. 1. 2. 5. Col. 1. 2. Gal. 2. 1 Tim. 2. Ebræ. 1. 5. 9. 10. Maximè uerò illustratur à Paulo in illis locis, ubi de lege pro nobis per Christum impleta agit. Ro. 8 & 10. Gal. 3 & 4. Philip. 2. 3. Col. 2. Docet enim impletionem Christi quam pro omnibus præstitit, omnib. credentibus imputari ita, ut propter eam absoluantur à iure peccati & mortis, & iusticia ac uita in iudicio Dei ornẽtur, accipiantq; Spiritum sanctũ, & fiant templũ Dei: & uirtute Dei per fidem custodiãtur ad salutẽ animarũ, quæ patefiet in extremo die, cum apparuerit Dominus noster Iesus Christus, in quo uita nostra abscondita est.

Tertium, à promissione. Deus promisit Abrahæ semen, in quo benedictionem consequantur omnes tribus terræ. Genes. 22. Et eam promissionẽ etiam repetijt per Mosen, Deut. 18. Prophetã suscitabit uobis Deus, &c. & iterum promisit Dauidi, 3 Reg. 7. Psal. 110. 131. & per omnes prophetas loquutus est de Messia, Act. 3. & 10. Ergo alij homines fuerunt sub maledictione, nec potuerunt sibijpsis suis operibus comparare benedictionem: hoc est, iusticiam & uitam æternam. Si enim alij potuissent suis operibus iusticiam consequi, non opus fuisset promittere & exhibere Messiam. Semen autem illud benedictum est Dominus noster Iesus Christus. Ergo credẽtes in eum, benedictionem, hoc est remissionem peccatorum accipiunt. Tradunt hoc argumentum Apostoli, Act. 2. 3. 13. Gal. 3.

Quartum, à natura promissionis. Si nõ gratis, absq; operibus legis, credẽtibus in Christum imputatur eius obedientia ad iusticiã, sed oportet nostra etiã opera legis et implicari ut aliquota pars aut causa iusticiæ, tum incerta & irrita fit promissio, utpote tantùm ijs promittẽs benedictionem, qui habent sua opera legis. Sed oportet promissionem esse certam uniuerso semini, ut quæ cũctis propter fidem in Christum benedictionem afferat & applicet. Ergo ex fide datur hæreditas, ut secundũ gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini, &c. Hoc argumentum Paulus Rom. 4. tradidit.

Quintum, ab exẽplo Abrahæ, in scriptura maximè insigni. Oportet omnes eodem modo saluari quo Abraham, quia Abraham est pater omnium nostrũm. Sed Abraham non iustificatur ob sua bona opera, sed suum credidit Abrahã Deo, &c. hoc est fides, qua apprehendit semẽ promissum, eiusq; benedictionẽ, imputata est ei ad iusticiã gratis, absq; operibus. Ergo alij etiã homines nõ ob sua opera iustificantur: sed si credãt in Christũ, imputatur ijs iusticia Christi, et propter eã tegũtur & remittuntur peccata eorum, et donatur Spiritus sanctus et uita æterna gratis. Hoc argumẽto utitur Paulus Rom. 4. Gal. 3. Ebr. 11. Quòd autem autor epistolæ Iacobi exemplo Abrahæ abutatur, suo loco dicemus.

Sextũ, à definitione iustificationis. Iustificatio est opus Dei, quo Deus iustus iustificat impium: hoc est, ei qui non habet propria opera legis: sed credit in Christum, qui pro se impleuit legem, imputat iusticiã alienam, nempe Christi, absq; operibus legis. Ergo sola fide, absq; operibus legis quæ nos fecimus, propter opera quæ Christus pro nobis fecit, iustificamur. Ro. 3 & 4.

Septimum, à collatione Adæ & Christi. Sicut inobedientia seu peccatũ Adæ, attulit omnib. hominibus condemnationẽ & mortem: ita obediẽtia & iusticia unius Christi pro omnibus præstita, affert credentibus iustificationem uitæ: hoc est, absolutionẽ à condemnatione & uita. Roman. 5. 1 Corinth. 15. Si per legem est iusticia, Christus frustra est mortuus: hoc est, Christus sua morte non cõparauit nobis iusticiam. Sed Christus non est frustra mortuus: Ergo non iustificamur operibus legis, quæ nos facimus: sed fide in Christum Iesum, qui sua morte nos redemit. Gal. 2.

Octauum, ab exẽplo Apostolorũ. Nos apostoli, qui Iudæi sumus & legem habemus, dum ad Christũ cõfugimus, reprãgimus, & per fidem in Christũ saluari cupimus, reprãtestamur, homines nõ ex operibus legis iustificari, sed sola fide in Christũ: quare si nobis Iudæis lex non prodest ad salutem, sed ea ex negotio nostræ salutis excludat, quæ iam ad fidem sunt adductæ, legem tanquam necessariam ad salutem imponamus? Gal. 2. Act. 15.

Nonum, ab exemplis aliorũ. Iudæi, Act. 2. Samaritani, Act. 8. Eunuchus, Act. 8. Paulus Act. 9. 22. 26. 1 Tim. 1. 1 Cor. 4. Phil. 3. Custos carceris, Act. 16. Corinthius incestuosus, 2 Cor. 2. Ephesij, Ephes. 2. & omnes alij sola fide, gratis, absq; operibus saluati sunt. Ergo, &c.

Decimum, ab autoritate Apostolorum. Apostoli & tota synodus Hierosolymitana in spiritu sancto cõgregata statuit, Act. 15. bona opera non esse necessaria ad salutem: sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credentes, tum gentes, tum Iudæos, saluari. Ergo, &c.

Vndecimum, à cõtrarijs: Docentes opera legis esse necessaria ad salutem, etiam ijs qui in Christum credunt, ij reipsa ostendunt Christum esse ministrum peccati: hoc est, Christum eorum qui credunt, non plenè expiasse peccata, sed oportere legem & bona opera, legis præcepta etiam aliquid conferre ad expiandam peccata: et sic nõ per solum Christum, sed etiam per legem saluabitur homo. Sed Christus nõ est minister peccati, uerùm credentes in Christum liberati sunt à iure peccati & mortis. Gal. 2. Ergo, &c.

Duodecimum, iterum à pugnantibus: Nolentes sola fide iustificari, reijciunt gratiã Dei, & iusticiæ Dei non sunt subditi. Gal. 2. Rom. 9 & 10.

Decimumtertiũ, ab effectibus: Per doctrinã Euãgelij & fidẽ datur Spiritus sanctus, & nõ per legẽ. Ergo, &c. Gal. 3. Simile est Rom. 5. Iustificati fide pacem habent. at lex iram operatur, Rom. 4. occidit, Rom. 7.

Decimũquartũ: Iustus ex fide uiuet. Sed lex nõ est ex fide: sed homo q fecerit, uiuet per illa. Ergo, etc. Gal. 3.

Decimumquintum: Si est ex lege hæreditas, non est ex promissione: sed est ex promissione: ergo lex non iustificat. Galat. 3.

Decimũsextũ: Lex nõ potest uiuificare, propterea quòd infirmata est per carnem: hoc est, quia ei nemo satisfacit. Ergo nõ est ex lege, hoc est, operibus quæ nos secundũ legem facimus, iusticia. Rom. 8. Gal. 3. Ebræ. 7.

Decimumseptimũ: Nullũ hominis testamentũ comproba-

probatum, licet reijcere aut mutare: ergo nec Dei. Sed Deus testamentum Abrahæ fecit, de semine benedicto: Ergo lex quæ post annos 430 cœpit, id non fecit irritum, ut abrogaret promissionem, secundum quam datur hæreditas. Gal. 3.

Decimumoctauum: Scriptura conclusit omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Galat. 3. Rom. 3 & 11.

Decimumnonum: Lex est pædagogus ad Christum: ergo non iustificat ipsa lex, sed fides in Christum. Gal. 3. Roman. 5. Ebr. 7.

Vicesimum: Credentes in Christum, induunt eum, hoc est, applicant sibi eius iusticiam, & fiunt in eo filij Dei, & semen Abrahæ, & iuxta promissionem hæredes: ergo, &c. Galat. 3.

Vicesimumprimum: Christus nos liberauit à maledicto legis, & adoptionem nobis peperit, & spiritum sanctum clamantem Abba, in corda nostra emisit: ergo fide in Christum iustificamur. Gal. 4.

Vicesimumsecundũ: Lex affert seruitutem: promissio uerò de gratuita acceptatione propter meritum Christi fide applicata, affert libertatem. Ergo.

Vicesimumtertium: Duæ sunt tantum uiæ ad salutem, & nulla est tertia: eáq; ita sunt cõtrariæ, ut unam incedens, alteram non possit simul ambulare. una harum est, per opera legis: altera est, per fidem in Christum, qui pro nobis legem impleuit. Sed illa quæ per operа legis est, postulat à nobis integerrimam impletionem: quam quia nemo potest præstare, omnes damnantur à lege. Ea uerò quæ per fidem est, gratis propter opera Christi, donat iusticiam & uitam credentibus. Qui ergo uult per opera saluari propria, is alteram iustitiam tollit: & ecõtrà, qui uult per fidem saluari gratis, is non potest per opera sua iustificari. Galat. 5. Rom. 4. & 10. Ephes. 2.

Vicesimumquartũ: Qui uolunt per legem, hoc est, per sua opera legis iustificari, ij amittunt libertatem à Christo partam, & iugo seruitutis implicantur. Act. 15. Gal. 5. 1 Cor. 7. Coloss. 2.

Vicesimumquintum: In Christo Iesu neq; circuncisio, neq; præputium quitquam ualet: sed noua creatura, seu fides per dilectionem operans. Gal. 5. 6.

Vicesimumsextum: Non est gloriandum in nobis, sed in Domino: Ergo non ex operibus, sed gratis iustificamur, ne quis glorietur. Ephes. 2. 1 Cor. 1.

Vicesimumseptimũ: Qui non credunt se gratis saluari per Christum, qui eam ob causam in carnem uenit, ut destrueret opera diaboli: & de quo Deus testificatus est, quòd in eo dederit nobis uitam æternã, & in cuius nomen mandauit ut crederemus, is negat Christũ in carnẽ uenisse, & nos mercatum esse, & Deum mendacij arguit, eiusq; præcepto non obtemperat, estq; spiritus Antichristi & erroris. 1 Ioan. 3. 4. 5. 2 Pet. 1. Ergo.

Iustificationem aũt hæc bona afferre, Apostoli docent. Imputationem iusticiæ Dei, seu Christi, quæ est solutio λύτρου, & integra impletio legis pro nobis præsti ta. Rom. 3. 4. 5. 10. 2 Cor. 5. Philip. 3. Remissionem peccatorum, seu non imputationem peccatorũ. Act. 10. 13. 26. 1 Ioan. 1. 2. 2 Pet. 1. Rom. 3. 4. Ephes. 1. Col. 2. Ebræ. 1. 9. 10. Apoc. 1. Verba ipsa suprà adscripta sunt. Gratiam, hoc est gratuitam acceptationem coram Deo. Actor. 15. 2 Pet. 3. 2 Ioan. Apoc. 1. Rom. 3. Iustificantur autem gratis, illius gratia per redemptionem, &c. Rom. 4. Ei qui operatur, non imputatur merces secundũ gratiam, sed secundũ debitum, &c. Rom. 5. Vbi exuberauit peccatum, magis exuberauit gratia. Rom. 6. 11. Gal. 2. Non aspernor gratiã Dei. Eph. 2. Eb. 4. Et gratiã inueniamus ad opportunũ auxiliũ. Beatificationẽ. Ro. 4. Liberationẽ à iure peccati & mortis. Ro. 7. 8. Liberationẽ à maledicto legis. Gal. 3. 4. Christus nos ab exe cratione legis liberauit, ipse factus maledictũ. Propitiationẽ pro peccatis nostris. 1 Ioã. 2. 4. Vitã in Christo: nam ut mors Christi, ita uita eius imputatur credentib. Gal. 2. Ego per legem, legi mortuus fui, ut Christo uiuerẽ, unà cũ Christo crucifixus sum: uiuo tamẽ iam nõ ego, sed uiuit in me Christus. Eph. 2. Cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, simulq; cũ eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes. Col. 2. Cõsepulti simul cum illo per baptismũ, in quo etiã simul cum illo resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis. Et uos cum essetis mortui per delicta, &c. simul cum illo uiuificauit, cõdonans nobis omnia delicta. Adoptionẽ. Gal. 4. Vt adoptione ius filiorum Dei acciperemus. Ephes. 1. Prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christũ. Rom. 8. Adoptionẽ expectantes. Gal. 3. Omnes filij Dei estis. 1 Ioan. 3. Videte qualẽ charitatẽ dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur. Item, Filij Dei sumus. 1 Ioan. 4. Nos ex Deo sumus. Societatem cum Deo & Domino nostro Iesu Christo. 1 Ioan. 1. Vt societas nostra sit cum patre, et filio eius Iesu Christo. 1 Cor. 1. Qui uocauit nos in societatẽ filij sui. Hæreditatẽ Dei adfert, & cohæreditatẽ cum Christo. Ro. 8. Quòd si filij, igitur & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi. Galat. 4. Quòd si filius, & hæres Dei per Christum. Tit. 3. Vt iustificati illius gratia, hæredes efficiamur uitæ æternæ. 1 Pet. 3. Tanquã etiam cohæredes gratiæ, uitæ. 1. Pet. 1. In hæreditatẽ immortalẽ et incontaminabilẽ atq; immarcessibilẽ, conseruatã in cœlis erga nos. Ephes. 1. Pignus hæreditatis nostræ. Ebr. 1. Qui capiũt hæreditatẽ salutis. Ebr. 9. Promissionẽ accipiãt æternæ hæreditatis. Pacẽ seu tranquillitatẽ conscientiæ corã Deo: unde in salutationib. quas præfigunt suis epistolis, semper precãtur pijs pacẽ. Petrus 1 epist. 1. & 2 Pet. 1. Iudas, Apoc. 1. Paulus in omnib. epistolis.

Deinde etiã alia testimonia habẽt, quæ huc spectãt. Ro. 14. Regnũ Dei nõ est esca & potus, sed iusticia & pax. Gal. 5. Fructus Spiritus est pax, &c. Phil. 4. Pax Dei quæ superat omnẽ intellectũ, custodiet corda uestra & sensus uestros per Iesum Christũ. Col. 3. Pax Dei palmã ferat in cordib. uestris, in quã et uocati estis. Vt de Deus, pacis Deus, à Paulo dicitur. 2 Cor. 13. 1 Thess. 5. 2 The. 3. siue quia autor est trãquillæ cõscientiæ, siue quia placet ei cõcordia. Ro. 5. Iustificati ergo fide, pacẽ habemus ad Deum. Gaudium cõscientiæ. 1 Pet. 1. Credentes exultatis gaudio ineffabili & glorificato. 1 Ioã. 1. Hæc scribimus uobis, ut gaudiũ uestrum sit plenum. Rom. 14. Gaudiũ in Spiritu sancto. Rom. 15. Repleat uos omni gaudio. Gal. 5. Fructus spiritus, pax, gaudiũ. Philipp. 3 & 4. Gaudete in Domino fratres. Actor. 8. Eunuchus baptisatus, ibat uiam suam gaudens. Actor. 16. Custos carceris exultabat, quòd credidisset cũ

tota domo sua. Sanctificationem, quæ complectitur donationem spiritus sancti, et inchoationem nouæ obedientiæ. Rom. 8. Quos uocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, eos & sanctificauit. 1 Cor. 1. Factus est nobis à Deo sanctificatio. Act. 26. Vt accipiant remissionem peccatorũ, et sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidẽ, quæ est erga me. Act. 15. Fide purificans corda illorum. Donationem & inhabitationem spiritus sancti & Dei. 1 Pet. 4. Spiritus Dei super quos requiescit. 1 Ioan. 3. 4. Ex hoc scimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Gal. 4. Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Eph. 1. Obsignati estis spiritu promissionis sancto. 2 Cor. 1. Dedit arram spiritus in cordibus nostris. Rom. 8. Spiritus Dei habitat in nobis. Si quis spiritũ Christi non habet, non est eius. Item: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater, &c. 1. Cor. 3. An nescitis quòd templum Dei estis? Et spiritus Dei habitat in uobis. 1. Cor. 6. Corpus uestrũ, templũ est habitãtis in uobis spiritus sancti, quem habetis à Deo. 2 Cor. 6. Vos estis templum Dei uiuentis, quemadmodũ dixit Deus: Ero illorum Deus, & erũt mihi populus. Dona spiritus sancti potiora: qualia sunt, fides, spes, charitas. 1. Cor. 12. 13. Dona spiritus sancti ad ædificationẽ Ecclesiæ pertinentia, qualia sunt: sermo sapientiæ, scientiæ, fides, scilicet miracula faciendi, dona sanationum, efficaciæ potentiarum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio linguarum. 1 Cor. 12. Rom. 12. Eph. 4. 1. Pet. 4. Nouam obedientiam, seu bona opera. Act. 26. Facientes opera digna ijs qui resipuissent. 1 Pet. 1. Sicut is qui uos uocauit sanctus est, ita et uos quoq; sancti in omni conuersatione reddamini. 1. Pet. 2. Quo peccatis mortui, iusticiæ uiueremus. 2 Pet. 3. Date operam ut immaculati & incontaminati ab illo reperiamini in pace. 1 Ioan. 2. Qui dicit se in eo manere, debet sicut ipse ambulauit, et ille ambulare. 1 Ioan. 3. Omnis qui habet hanc spem, purificat se, sicut et ille purus est. Rom. 6. Qui sumus mortui peccato, quomodo posthac uiuemus in eodẽ? Eph. 2. Ipsius opus sumus, conditi in Iesu Christo ad bona opera. Philipp. 1. Vt nemini sitis offendiculo in diem Christi, impleti fructu iusticiæ, qui contingit per Christũ Iesum ad gloriam & laudem Dei. Plura testimonia in loco de Noua obedientia.

Inuocationẽ ueram. 1 Ioan. 3. Si cor nostrũ non cõdemnet nos, fiduciã habemus erga Deũ: & quicquid petierimus, accipimus ab illo. 1 Ioã. 5. Petet, & dabit ei uitã. Eph. 2. Quoniã per illum habemus aditũ utriq; in uno spiritu ad patrẽ. Eb. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiã. Confessionẽ & celebrationẽ Dei. 2 Cor. 4. Credidi, propter quod locutus sum. Rom. 10. Ore fit cõfessio ad salutẽ. Patiẽtiam et constantiã in cruce. 1 Pet. 1. Exploratio fidei uestræ, &c. reperiatur in laudem & gloriam & honorẽ. Ro. 5. Gloriamur super afflictionibus. Spem resurrectionis. 1 Thes. 4. Vt nõ cõtristemini, sicut & cæteri, qui spem nõ habẽt. Act. 23. De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. 1 Cor. 15. Si in uita hac tãtum spem in Christũ habemus, miserrimi omniũ sumus. Spem salutis æternæ. 1 Pet. 1. Regenuit nos in spem uiuã. 1 Ioan. 3. Qui habet hanc spem in eo, &c. Rom. 5. Gloriamur sub spe gloriæ Dei. Eph. 1. Vt sciatis quæ sit spes, ad quã ille uocauit, & quàm opulenta gloria hæreditatis illius. 2. Thess. 2. Qui dedit consolationẽ æternã & spem bonã. Tit. 1. In spe uitæ æternæ, quã promisit is qui mentiri nescit. Victoriã contra diabolũ & mundũ, eorumq; oppugnationẽ. 1 Pet. 5. 1 Ioã. 5. Omne natũ ex Deo, uincit mundum. Eph. 6. Rom. 8. Neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, etc. neq; ulla creatura alia, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. Angelorũ custodiã & ministeriũ. Eb. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministeriũ emittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis. Resuscitationem à morte. 1 Thes. 4. Nam si credimus quòd Iesus Christus mortuus est, & resurrexit: sic et Deus eos qui obdormierunt per Iesum, adducet cum eo. Idem i Corinth. 15. Liberationem ab ira & pœnis æternis. Rom. 2. 5. 1 Thes. 1. Christus liberat nos ab ira uentura. Glorificationem. Ro. 8. Quos iustificabit & glorificabit. 1 Pet. 4. Vt in reuelatione quoq; gloriæ eius dẽ gaudeatis exultãtes. 1. Pet. 5. Vocauit nos ad æternam suam gloriã per Iesum Christũ. 1 Ioã. 3. Si apparuerit, similes ei erimus. Phil. 3. Transfigurabit corpora nostra, &c. 2 Tim. 2. Conregnabimus. Ro. 8. Regnũ æternum, ubi Deus erit omnia in omnib. 1 Cor. 15. Vbi semper erimus cũ Domino. 1 Thes. 4. Vbi iusti habitabunt in nouo cœlo, & noua terra, & fruentur dulcissima cõsuetudine Dei patris, filij et spiritus sancti, et angelorũ & piorum in omnem æternitatẽ. 2 Pet. 3. De his suo loco plura testimonia recitãtur. Vitam æternã. 1 Pet. 1. Reportantes salutẽ animarũ. 1 Pet. 5. Reportabilis immarcessibilẽ gloriæ coronã. 1 Ioã. 2. Hæc est promissio, quã pollicitus est nobis, uitã æternã. 1 Ioan. 5. Qui credatis in nomine filij Dei, quòd uitã habetis æternã. Rom. 6. Habetis fructũ uestrum in sanctificatione, finẽ uerò uitam æternã. Rom. 5. Gratia regnaret per iusticiã ad uitã æternã, per Iesum Christũ. Gal. 6. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet uitã æternam. 1 Tim. 6. Vt apprehendant uitam æternã. Apoc. 2. Vincenti dabo edere de ligno uitæ. Iudas: Expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in uitam æternam. Abolitionem diaboli, eiusq; operum, scilicet peccati & mortis, et instauration em immortalitatis. Ioan. 3. Ebr. 2. Vt per mortem aboleret cum qui mortis habebat imperiũ, hoc est, diabolum. 1 Cor. 15. Cùm corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem; nunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoriam: ubi tuus mors aculeus: ubi tua inferne uictoria? aculeus autem mortis, peccatũ: potentia uerò peccati, lex, &c.

Iusticiæ imputatiuæ & gratuitæ, quæ sola fide credentibus in Christum donatur, opponit Paulus iusticiã operum seu legis, quam homines ignari de Christo utcunq; præstare possunt: & docet ea neminem saluari, propterea quòd nemo legi satis faciat. Roman. 9 & 10. Quærentes propriam iusticiam constituere, iusticiæ Dei non fuerũt subditi. Deinde etiam iusticiã operum seu bona opera, quæ secundum legem præstant renati & in Christum credentes, si immiscentur gratuitæ iusticiæ, adeò pugnare cũ ea monet, ut gratiã & beneficiũ Christi prorsus tollat. Gal. 5. Ego Paulus dico uobis, quòd si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit. Contestor aũt, omnẽ hominẽ qui circũciditur, quòd debitor

bitor est totius legis seruandæ: Christus uobis factus est ociosus: quicunq; per legẽ iustificamini, à gratia excidistis. Idem Rom. 4. gratiam & debitum opponit. & Rom. 11. opera et gratiã, et legẽ ac promissionẽ. Gal. 3. 4. Phil. 3. iusticiã Christi, quæ ex fide est: & iusticiã legis, quæ nostra est. Quia uerò pseudoapostoli docebãt obseruationẽ legis esse necessariã ad salutẽ, & nõ sufficere solã gratiã Christi sola fide applicatam, ideo Paulus & Barnabas, cõtra eos sese opposuerũt Antiochiæ, Act. 15. et synodus Hierosolymitana statuit gratis absq; operib. legis fide iustificari hominẽ, Act. 15. Eandẽ opinionem etiã Paulus refutat in epistolis ad Romanos, ad Corinthios, Galatas, Colossenses, ad Timotheum. Reprehendit etiam Petrũ Antiochiæ, nõ recto pede ad ueritatem Euangelij incedentẽ. Gal. 2. & Titum ob falsos fratres non circumcidit. Gal. 2.

Pugnat cum doctrina de iustificatione, Gloriari coram Deo, ob iusticiã suorũ operum. Rom. 4. Eph. 2. 1. Cor. 1. Negare Christũ in carnẽ uenisse, hoc est, negare Christũ ideo factũ hominẽ, ut nos redimeret à maledicto legis, & in se credẽtes iustificaret. quod facit Antichristus. 1 Ioan. 2. 4. 2 Ioan. Abnegare Dominum, qui nos mercatus est. quod faciunt falsi doctores. 2 Petri 2. Calumniari doctrinã de iustificatione, quòd prohibeat bona opera, et concedat immunitatẽ omniũ scelerũ et peccatorũ. Rom. 3. Desperare propter peccata sua. exemplum est in Iuda Act. 1. Et Paulus inquit Rom. 5. Gratia exuberat super peccatũ. Securũ & impœnitentem esse, & gratiã Domini nostri Iesu Christi trãsferre ad lasciuiã. autor epistolæ Iudæ. Abuti libertate Christiana ad prætextum maliciæ. 1 Pet. 2. Gal 5. Fieri seruos hominum. 1 Cor. 7. Implicari iugo seruitutis, & à libertate per Christũ cõparata deficere. Gal. 5. Trãsferri in aliud euangelium, Gal. 1. Non credere ueritati, Gal. 3. Cõuertere sese ad infirma & egena elemẽta mundi, ijsq; iterum seruire, dies obseruare et mẽses & tempora & annos: Gal. 4. Non pugnare contra carnẽ, sed eius opera perficere. Ro. 8. Gal. 5. Nolle ob crucẽ Christi persequutionã pati, Gal. 6. A' cognita ueritate discedere, & ulam ueritatis maledictis afficere: 2 Pet. 2. Esse illusorem doctrinæ de extremo iudicio. 2 Pet. 3. Scortari cum meretrice Babylonica, eiusq; characteres suscipere: Apoc. 14. 17. 18. Decipi per philosophiã & inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominũ, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum. item, Iudicari in cibo ac potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorũ. ibidem, Palmã inuertere per humilitatem & superstitionem angelorum, sequi præcepta & doctrinas hominum: Col. 2. Hæc & similia testimonia, etiam hoc monent, quòd peccata contra conscientiam, iusticiam fidei excutiãt. Nam simul esse non possunt fides & peccata contra conscientiã. Lapsos aũt agentes pœnitentiam, recipi à Deo fide in Christũ, suo loco dictum est. Aduersatur etiam sanæ doctrinæ Apostolorum de gratuita iustificatione, per fidem, absq; operibus: quod autor Epist. Iacobi 2. contendit, Abrahã non ex fide tantum, sed ex factis iustificatum esse, quomodo etiã alios per fidẽ & opera iustificari oporteat.

DE FIDE.

Πίστις fides, & uerbum eius πιστεύω credo, apud omnes in frequenti est usu. πεποίθησις persuasio seu confidentia. 2. Cor. 3. & Philip. 3. Fiduciam habeo in carne. & Eph. 3 extat παῤῥησία fiducia, à Paulo & Ioanne & Luca in Actis usurpatur.

πίστις autẽ, id est fides, uariè accipitur. Nam interdum significat totam doctrinæm Euangelij. Rom. 1. Vt obediatur fidei inter omnes gentes: hoc est, ut suscipiatur doctrina euangelij. Ibidem, Ex fide in fidem: id est, docendo seu prædicando propagatur doctrina euangelij. Phil. 1. Adiuuantes decertantem fidem euangelij. 1. Thess. 3. Orantes ut uideamus uestram faciem, & suppleamus quæ desunt uestræ fidei: hoc est, tradamus uobis articulos fidei seu doctrinam euangelij. Iudas: Vestris laboribus sitis adiumento fidei, quæ semel data est sanctis. Iacobi 2. Ne cum personarum respectu habeatis fidem Domini nostri Iesu Christi. Ebræ. 11. Respicientes in autorem fidei: id est, doctrinæ euangelij, eiusq; efficaciæ.

Interdum significat opinionẽ seu noticiam alicuius rei. Iac. 2. Dæmones credunt, & contremiscunt. Item, Fides sine operibus mortua est. Rom. 14. Tu fidem habes: hoc est, habes noticiam de indifferenti usu rerum.

Interdũ fides pro ueritate & constantia in seruãdis dictis & promissis accipitur. Rom. 3. Infidelitas eorũ, fidem Dei, hoc est, ueritatẽ seu promissionem Dei, non facit irritam. 1 Corinth. 12. Alijs datur fides: hoc est, donum ueritatis & constantiæ, ut quidam exponunt.

Interdum confessionem significat, & constantiam in agnita doctrina euangelij. Rom. 1. Annunciatur fides uestra in toto mundo. 1 Thess. 1. Fides uestra quæ est ad Deum, dimanauit in omni loco. 1 Thess. 3. Cùm uenisset Timotheus ad nos à uobis, & annunciasset nobis fidem ac dilectionem uestram. Ibidem: Consolationem accepimus per fidem uestram. Apoc. 2. Tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.

Interdum significat donum faciendi miracula. 1 Corinth. 13. Si habeam omnem fidem, adeò ut montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

Interdum pactum, seu promissionem, seu obligationem aliquam significat. 1 Tim. 5. Habentes condemnationem, quòd primam fidem reiecerint: hoc est, primũ pactum, quod cum Christo in baptismo fecerunt: ut Athanasius lib. 6 de Trinitate exponit, & Gallus Lyrinensis & Hieronymus.

Interdum pro pietate & fidelitate accipitur. 1 Tim. 5. Quòd si qua suis, & maximè familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Tit. 2. Fidem omnem ostendentes bonam, id est fidelitatem. Gal. 3. Metalepticôs fides pro semine benedicto, ut Ambrosius exponit, accipitur: Antequam uenisset fides, id est Messias, sub lege custodiebamur.

Propriè autem fides significat fiduciam innitentem promissioni et uerbo Dei. Act. 3. Per fidem, hoc est fiduciam nominis eius, hunc quem uidetis ac nostis, consolidauit nomen ipsius: & fides quæ per eum est, dedit ei integritatem. Act. 20. Fides quæ est erga Dominum nostrum Iesum. Ibidem: Sanctificati per fidẽ, quæ est erga me. 1 Pet. 1. Qui uirtute Dei per fidem custodimini ad salutem. 2 Pet. 1. His qui æquè preciosam nobiscum sortiti sunt fidẽ. 1 Ioan. 5. Fides nostra uincit mundũ. Ro. 4. Ex fide datur hæreditas, ut secundũ gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini. Ibidem: Non infirmatus fide,

fide, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, &c. uerùm ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatẽ, sed robustus factus fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Iac. 1. Postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Huius significationis testimonia hoc loco recitabũtur, ubi de ea fide agimus, quæ est fiducia in promissiones diuinas.

Verbo credere πίστευειν etiam uariè utũtur. Interdum enim significat fidem adhibere, & pro firmo, uero & certo habere id quod dicitur. Act. 13. Non credetis, si quis narrabit uobis. 2 Cor. 13. Omnia credit charitas. 1. Thess. 4. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, id est, si pro uero & certo habemus. Fides habita est testimonio nostro: Ibidem. & 2 Thess. 2. Vt credant mendacio, & iudicentur omnes. 1 Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere. Ebræ. 11. Qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum, & esse remuneratorem quærentibus se. Iacobi 2. Dæmones credũt, & contremiscunt.

Interdum significat alicuius fidei aliquid committere, in qua significatione ferè apud Paulum reperitur, paßiuè usurpatum. 1 Cor. 9. Dispensatio mihi credita est. Rom. 3. Credita sunt illis eloquia Dei. Gal. 2. Cùm uidissent mihi concreditum esse euangeliũ præputij. Tit. 1. Per prædicationem quæ mihi commissa est.

Vt plurimum autem credere significat, non tantùm agnoscere, & pro uera & certa habere doctrinam euangelij, seu promissiones Dei: sed etiam eas ad sese firma fiducia applicare, & in ijs spem suam ponere. Act. 8. Si credis ex toto corde, licet: respondens ait, Credo filium Dei esse Iesum Christũ. Act. 13. Crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Act. 6. Crede in Dominum Iesum. 1 Pet. 1. In quem non uidẽtes creditis. 1 Pet. 2. Qui crediderit in illo, non pudefiet. 1 Ioann. 5. Qui credit, quòd Iesus est filius Dei, ex Deo natus est. Ibidem: Qui credit in filium, habet uitam. Ro. 4. Contra spem credidit. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiã. Philip. 1. Vobis datum est, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro eo patiamini. 2 Tim. 1. Scio cui credidi. 2 Tim. 2. Si non credimus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest. In hac significatione synonymũ est uerbum fidere & confidere, quo Prophetæ & uetus Testamentum utplurimum utuntur. Sed in apostolorum scriptis nõ adeò crebrò usurpatur. Rom. 2. Confidis te ipsum esse ducem cæcorum. 2 Cor. 1. Non simus fidentes in nobis. 2 Cor. 7. Gaudeo quòd in omnibus cõfido θαῤῥῶ uobis. 2 Cor. 10. Ne præsens confidam seu audeam ea fiducia, qua existimor audax fuisse in quosdam, si quis de se ipso πέποιθεν confidit quòd Christi sit. Gal. 5. Ego πέποιθα εἰς ὑμᾶς, cõfido in uobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis. Philip. 2. πέποιθα confido in Domino, quòd & ipse statim uenturus sim. 2. Thess. 3. Confidimus de uobis in Domino, quòd quæ præcepimus fãcturi sitis. Ebr. 2 Ego ero fidens in illis. Ebr. 6. Confidimus autem de uobis dilecti.

Fidei synonymon est παῤῥησία fiducia. 1 Ioann. 2. Cùm apparuerit, habeamus fiduciam. 1 Ioan. 3. Fiduciã habemus ad Deum. 1 Ioan. 4. Fiduciam habemus in die iudicij. 1 Ioan. 5. Hæc est fiducia. Ephes. 3. In Christo fiduciam habemus & accessum. 1 Thess. 2. Si fiduciam & gloriam spei usq; ad finem firmam tenuerimus. Ebræ. 4. Adeamus cum fiducia. Act. 4. Loquebãtur uerbum Dei cum omni fiducia. Petrus uoce παῤῥησίας non utitur. Et πεποίθησις, confidentia seu persuasio. 2 Cor. 3. Fiduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga Deum. Philip. 3. Ego habeo πεποίθησιν persuasionem seu fiduciam in carne. 2 Cor. 10. Ea fiducia qua existimor audax fuisse in quosdam. ὑπόστασις, expectatio. Ebræ. 11. Fides est ὑπόστασις seu expectatio.

Spes etiam interdũ pro fiducia cordis acquiescentis in promissa gratia per Christum accipitur. Rom. 8. Spe saluati estis. 1 Cor. 15. Si in uita hac spem tantùm in Christo fixam habemus, &c. Sperare, etiam pro credere accipitur, 1 Pet. 1. Perfectè sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam.

Sitire etiam metaphoricôs credere significat. Apoc. 21. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uitæ gratis. Non hæsitare. Iac. 1. Postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Esse in luce. 1 Ioan. 2. Ambulare in luce, esse in Deo & esse in Deo. 1 Ioan. 4. Manere in unctione, manere in Deo. 1 Ioan. 2. Seruare sermonem eius, seruare iussa Dei. 1 Iohan. 2. Habere fiduciã, 1 Ioan. 2. Suadere cordibus suis. 1 Ioann. 3. Manere in charitate, id est fide amplecti Dei beneficium, per Christum nobis oblatum. 1 Ioan. 4.

Agnitio Domini & seruatoris Iesu Christi, periphrasticôs pro fide usurpatur. 2 Pet. 2. Refugerunt ab inquinamentis mundi per agnitionem Domini & seruatoris Iesu Christi. 2 Pet. 3. Crescite in gratia & cognitione Domini & seruatoris Iesu Christi. Ephes. 1. Det uobis spiritum sapientiæ, & reuelationis per agnitionem sui illuminatos oculos mentis uestræ. Ephes. 4. Donec perueniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei. Col. 1. Vt impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & prudẽtia spirituali. 1 Tim. 2. Vult omnes ad agnitionem ueritatis uenire. Sapientia Dei quæ è supernis est. Iac. 3.

πληροφορέομαι Rom. 4. & πληροφορία, certa persuasio intelligentiæ in agnitionem mysterij Dei & patris & Christi. Col. 2. Accedamus uerò corde in πληροφορίᾳ πίστεως certitudine fidei, Ebr. 10.

Habet etiam fides sua quædam adiuncta: Atque præciosam fidem sortiti sunt: 2 Pet. 1. Opus fidei, id est confessio agnitæ ueritatis, & constantia in cruce & persequutione. 1 Thess. 1. Thorax fidei, pro firmißima fiducia in Deum. Induti thoracẽ fidei & charitatis, & pro galea spem salutis, 1 Thes. 5. Certamen fidei: Certa bonum certamen fidei, 1 Tim. 6. Fides electorum Dei, Tit. 1. Lex fidei, id est doctrina euangelij, Rom. 3. Mensura fidei: Sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensuram fidei, Rom. 12. Ἀναλογία fidei, id est ea quæ cum syncera doctrina congruũt. Roman. 12. Spiritus fidei: Habẽtes eum spiritũ fidei, 2 Corinth. 4. Vnitas fidei, id est consensio in doctrina euangelij: Occurramus omnes in unitatem fidei. Eph. 4. Scutum fidei, id est firma fiducia. Ephes. 6. Gaudium fidei. Philip. 1. Hostia sacrificiumq; fidei. Si immolor super hostia sacrificioq; fidei uestræ: hoc est, si interficior, ro quòd uos ad fidem adductos obtuli Deo, ut ei placeatis. Philip. 2. Iustitia quæ est ex fide Christi: pro ea iustitia quam Christus parauit & imputat ac donat credentibus. Philip. 3. στερέωμα firmitas fidei: Videns uestrum ordinem

ordinem & firmitatem uestræ quæ in Christum est fidei. Colossen. 2. Mysterium fidei, id est doctrina Euangelij ignota rationi. 1 Tim. 3. Verba fidei: Enutritus in uerbis fidei, 1 Timoth. 4. Sanctissima fides: Iudas.

Descriptiones fidei elegantes passim in testimonijs traduntur, quæ in commemoratione huius doctrinæ proferentur recitabuntur, ex quibus has libuit adscribere. 1 Pet. 1. Fides est, sperare perfectè in eam gratiã quæ adfertur, dum patefit nobis Christus. hoc est, fides est noticia beneficiorũ Christi, & uera fiducia immittẽs pro remissæ gratiæ per Iesum Christũ. 1 Iohan. 3. Fides est, fiducia erga Deũ, qua suademus cordibus nostris in conspectu eius, propter nomen filij Dei Iesu Christi. 1 Iohan. 5. Fides est, credere in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo, quòd in eo nobis dederit uitam æternã, eamq; applicet credentibus in nomen eius. Paulus Rom. 4. illustri exemplo Abrahæ describit fidem, quòd sit, ad promissionem Dei non hæsitare ob incredulitatem, sed tribuere Deo gloriam plena fiducia, quòd is qui promisit, idem etiam possit præstare. Ephes. 3. Fides est παῤῥησία seu fiducia, & πεποίθησις, id est certissima persuasio, qua Christi beneficia nobis ita certò applicamus & appropriamus seu uendicamus, ut per eum accedamus ad Deum. Idem Col. 2 fidem ita describit, ut ostendat eam non tantùm esse agnitionem mysterij Dei, & patris Iesu Christi, quòd in eo sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, sed etiam esse opulentiam πληροφορίαν cognitionis, seu (ut paulo post dicit) πεφόρμιξ firmamentũ fidei in Christum: hoc est, firmissima fiducia, apprehendens agnita beneficia Dei, per Christum nobis donata & oblata. Autor epist. ad Ebræ. 11: Fides est earum rerum quæ sperantur, expectatio seu fiducia, & ἔλεγχος, hoc est indubitata & per demonstrationem confirmata possessio earum rerum quæ non uidentur. Autor etiam epist. Iacobi describit, fidem esse fiduciã, sine hæsitatione à Deo promissa in Christo beneficia postulãtem, sibiq; applicantẽ. Prolixiorẽ fidei descriptionẽ à causis, proprietatib. & effectibus petitam, sequens doctrina de fide huiusmodi fere suppeditat. Fides est opus Dei, quòd Deus spiritu suo per uerbum & sacramentorum usum operatur in mente & corde hominis, ita quidem, ut in mente sit. Doctrinæ legis & Euangelij, prout in sacra scriptura, utraq; diuinitus est reuelata, certa noticia, & firmus assensus: in corde uerò fiducia, applicans sibi sigillatim promissionem Euangelij, offerentem gratis absq; operibus, omnibus contritis peccatorib. atq; etiam sibi, remissionem peccatorũ, propter obedientiã Christi, usq; ad mortem Deo patri pro nobis præstitam: per quã fiduciam Christus suo spiritu sancto inhabitat in cordibus, & suos obsignat & cõfirmat, eosq; renouat atq; transformat ad imaginem nou: hominis, qui secundum Deum est conditus.

Deum enim fidem operari, & in cordibus accendere docent. 2 Pet. 1. Qui æquè pretiosam nobiscum sortiti sunt fidem, per iusticiam Dei nostri & seruatoris IESV Christi. 1 Iohan. 5. Filius Dei uenit & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est. Rom. 12. Prout cuiq; Deus partitus est mensurã fidei. Idem Gal. 5. fidem inter fructus spiritus numerat. 1 Cor. 12. Nemo potest Christum dicere Dominum, sine spiritu sancto. Ephes. 1. Quæ sit excellens magnitudo potentiæ illius, in nos qui credimus secundum efficaciam roboris, fortitudinis eius, quam exercuit in Christo. Philipp. 2. Deus est is qui agit in uobis, ut uelitis & perficiatis. Philipp. 1. Hoc uobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, uerùm ut etiam pro illo patiamini. Colossen. 2. Simul cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitauit illum. Autor epistolæ ad Ebræos 11, Iesum uocat autorem fidei. Autor epistolæ Iacobi 3. fidem appellare uidetur sapientiam è supernis. Iudas: Fides quæ semel data est sanctis.

Ad fidem uerò in cordibus accendendam, augendã, confirmandam & conseruandam, Deum uti uerbo & sacramentis, probatur primùm apertis sententijs. 1. Petri 1. Vt uos spem ac fidem haberetis erga Deum, qui animas uestras purificastis obediendo ueritati per spiritũ. Ibid. Renati, &c. per sermonem uiuentis Dei & manentis in æternum. 1 Pet. 2. Neq; credũt in id, ad quod instituti fuerãt: ergo per sermonẽ instituuntur homines de fide. 1 Pet. 1. Qui uirtute Dei per fidem custodimini ad salutem. qua sententia docet, Deũ cõseruare nos in fide, sua uirtute, quã per uerbũ & sacramentum exercet in nos. Ioannes etiã Deum per uerbũ nos regenerare, hoc est, fidẽ in cordibus nostris operari, docet 1 Iohan. 4. Qui nouit Deũ, audit nos: qui nõ est ex Deo, non audit nos. Idem 1 Ioan. 3. inquit: Hoc est præceptum eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi. 1 Ioan. 5. Omnis qui credit IESVM esse Christum, ex Deo natus est. Epist. 2. Ioannis: Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet.

Deus ergo fidem per doctrinã Christi in nobis exercet, & cõseruat: quum econtrà, discedentes à doctrina sana, fidem amittãt. ut ibidem docet: Qui transgreditur, & nõ manet in doctrina Christi, Deũ non habet. In quã sententiam, postea plura citabimus testimonia, ubi de eo dicemus, quòd fides excuti possit. Et Paulus, Deum fidem operari per uerbum, passim docet. Rom. 1. Euangelium est uirtus Dei ad salutem omni credenti. Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. 2 Tim. 3. Sacræ literæ possunt te eruditũ reddere ad salutẽ, per fidem quæ est in Christo Iesu. Et q, Deus cõseruet fidem, docet 2 Thess. 3. Non est omnium fides: sed fidelis est Dominus, qui stabiliet & custodiet uos à malo. Philippen. 1. Persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. 1 Thess. 5. Deus pacis sanctificet uos totos, & integer uester spiritus & anima & corpus, ita ut in nullo possitis culpari in aduentu Domini nostri Iesu Christi, seruetur. Fidelis est, q uocauit uos, qui idem efficiet. 2 Cor. 1. Deus confirmet nos unà uobiscum in Christũ. 2 Cor. 4. Habemus thesaurũ hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis. 1 Cor. 1. Qui & confirmabit uos, usq; ad finem inculpatos, in die Domini nostri IESV Christi. Plura testimonia suprà de efficacia uerbi Dei & sacræ scripturæ, & de effectu Euangelij, sunt recitata.

Quòd per baptismum Deus operetur & confirmet fidem, docent Apostoli Actor. 2. & Ananias Actor. 22. Surge & ablue peccata tua. Paulus Rom. 6. 1 Corinth. 6. Tit. 3. Ephes. 5. & Petrus 1 epistol. 4. De cœna testimonium est 1 Corinth. 11. Deinde etiam exempla

probant, Deum per prædicationem Euangelij operari fidem in hominibus: Actor. 2. Qui ergo libenter acceperunt sermonem eius, baptisati sunt, & accesserunt in die illo animæ circiter ter mille, erantq; perseuerantes in doctrina Apostolorũ, & cõmunicatione & fractione panis, & precationibus. Claudus Lystris ex cõcione Pauli & credit, & sanatur: Actor. 14. Commendauerunt eos Domino, in quẽ crediderant. Ibidem. Crispus archisynagogus credidit Domino, cũ tota familia sua, multiq; Corinthiorum audientes credebant, & baptisabantur: Actor. 18. Lydiæ Dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo, quæ & ad fidem perducta, baptisatur: Actor. 16. Plura exempla in Actis passim sunt obuia: nec usquam quisquam ad fidem conuersus legitur, sine mysterio uerbi Dei.

Fidem in mente & corde motus quosdam esse, in illa nimirum noticiã uerbi Dei, et præsertim Messiæ, eiusq; beneficiorum: in hoc uerò assensum & fiduciam erga Deum, innitẽtem eius misericordiæ in Christo promissæ, docent Apostoli. Nam Petrus in synodo Hierosolymis ait, Deum fide purificasse corda gentium, Actor. 15. & de Lydia dicitur, quòd Deus aperuit cor eius, ut intenderet his quæ dicebantur. Actor. 16. & Petrus 1 epist. 3. Vt loquamini de ea quæ in uobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia. Idem 1 Petri 3. de occulto qui sit in corde hominum, loquitur, quo simul fidem complectitur. Idem 2 Petri 1. iubet attendere sermoni prophetico, donec illucescat dies, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. & 2 Petri 3. crescere iubet pios in gratia & cognitione Domini & seruatoris Iesu Christi. Ioannes etiam, fidem in mente esse noticiam Christi, docet: 1 Ioan. 5. Dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui uerus est. 1 Iohan. 2. Non scripsi uobis, quasi ignorantibus ueritatem, sed tanquam scientibus: quis enim est mendax, nisi is qui negat Iesum esse Christum? Ibidem: Non necesse habetis, ut quisquam doceat uos, sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & non est mendacium. Et in corde fiduciã, Epist. 1 Ioan. 3. Si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum. D. Paulus etiã sæpe subiectorum fidei, mentis scilicet & cordis meminit, 1 Corinth. 12. Nos mentem Christi tenemus. Ibidem, Nos spiritum, qui est ex Deo, accepimus, ut sciamus quæ à Christo donata sint nobis. Gal. 4. Cognouistis Deum, imò cogniti estis à Deo. Ephes. 1. Det uobis illuminatos oculos mentis uestræ, ut sciatis quæ sit spes, ad quam ille uocauit uos. Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis uestræ. Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam. 2 Corinth. 1. Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. Corinth. 3. Scripta in cordibus nostris. 2 Corinth. 4. Illuxit in cordibus nostris. Ephes. 3. Vt inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris. Ebræ. 13. Bonum est gratia stabiliri cor. Verùm in hanc sententiam postea plura recitabũtur testimonia, quibus docent fidem esse fiduciam. Hìc enim satis est indicasse causam, in qua (ut uocant) ceu subiectum fidei monstratur.

De obiecto fidei docent, quòd ea respiciat ad Deum per uerbũ suum sese reuelantem, et uoluntatem suã patefacientem, secundum legem & Euangelium, iuxta illam quidem postulantem integrã obedientiam, & damnantem omnes eam non præstantes: iuxta hoc uerò, nobis promittentem, & offerentem impletionem legis per Christum præstitam, & ob eam imputatam, donantem remissionem peccatorũ, Spiritum sanctum & uitam æternã: & quòd Deo tribuat in utroq; laudem sapientiæ, iusticiæ, ueritatis & omnipotentiæ, ut qui ea quæ promittat, uelit & possit credentibus præstare. Hinc alia testimonia loquuntur de Deo quasi obiecto fidei, alia de promissione, alia de merito seu beneficio Christi: in quibus tamen singulis, synecdochicõs omnia illa tria, Deus, promissio, meritum Christi, inclusa sunt. De Deo, 1 Pet. 1. Qui per illum creditis in Deum, qui illum excitauit à mortuis, & gloriam ei dedit, ut uos fidem ac spem haberetis erga Deum. 1 Ioan. 5. Qui non credit Deo, mendacem eum facit. 1 Iohan. 4. Nos cognouimus & credimus charitatem, quam habet erga nos Deus. Roman. 4. Gal. 3. Iac. 2. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Ibidem: Qui credit in eum qui impium iustificat. Ibidem, ad exemplum Dei, cui crediderat, qui uitæ restituit mortuos, & uocat ea quæ non sunt, ut sint.

De uerbo Dei seu promissione, 1 Pet. 1. Purificantis animas obediendo ueritati. 1 Pet. 2. Impingunt in sermonem, nec credunt in id, ad quod & instituti fuerant. 1 Pet. 4. Qui non credunt Dei Euangelio. 1 Ioan. 5. Si testimonium hominũ accipimus, testimonium Dei maius est, &c. quia nõ credidit in testimoniũ quod testificatus est Deus de filio suo. Et Paulus Roman. 4. fidem ad promissionem Dei respicere docet: Ex fide datur hæreditas, &c. ut firma sit promissio uniuerso semini. Idẽ eleganti Abrahæ exemplo explanat: Ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus fuctus fide, tribuens gloriã Deo, certa persuasione cõcepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Gal. 3. Concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

De Christo, eiusq; merito: Actor. 2. 3. 8. Credo filiũ Dei esse Iesum Christum. Act. 10. Quisquis crederet in nomen eius. Act. 16. Crede in Iesum Christum. Act. 20, Paulus docuit fidem quæ est erga Dominũ nostrum Iesum Christum. Act. 26. Per fidem quæ est erga me, inquit Christus. Et Pet. 1 epist. 1. Creditis in Christũ, quem non uidistis. Item, Sperate in gratiã quæ ad uos defertur. 2 Pet. 2. Dominum qui illos mercatus est abnegantes. Et Ioannes 1 epist. 3. Hoc est præceptũ eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi. 1 Iohan. 5. Qui credit, quòd Iesus est filius Dei, natus est ex Deo. Ibidem: Qui credit in filium Dei, habet uitã. Et Paulus Rom. 3. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt. Ibid. Iustificans eum qui est ex fide Iesu. Rom. 10. Christus est impletio legis, ad salutem omni credenti. Idem 1 Cor. 3. docet, Fundamentum fidei esse Christum. Gal. 2. Et nos in Christum Iesum credidimus, ut fide Christi iustificaremur. Galat. 3. Omnes filij Dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu. Philip. 3. Habens iusticiam, quæ per fidem est Christi. 1 Timoth. 3. Multam libertatem in fide quæ est in Christo Iesu. Christo Iesu. 2 Tim. 2. Per fidẽ quæ est in Christo Iesu.

Quia uerò promissa Dei, alia res corporales pronunt, alia uerò res spirituales, ideò fidẽ circa res utriusq; generis uersari monent. Ad res spirituales, testimonia iam allegata pertinent: de corporalibus uerò hæc loquuntur,

loquuntur, Act.3. Per fidu ciam nominis eius, hũc quem uidetis ac nostis, cõsolidauit nomen suum, & fides quæ per eũ est, dedit claudo integritatem istã in conspectu omniũ uestrũm. Act.14. Claudus Lystris Paulum audiuit loquentẽ, qui intuitus eũ, & uidens q̃ fidem haberet fore ut saluus fieret, &c. Act. 27. Paulus ad eos qui unà erãt in naue, inquit: Astitit mihi hac nocte angelus Dei, &c. dicẽs, &c. donauit tibi Deus omnes qui nauigãt tecum, propter quod bono animo estote uiri. Credo enim Deo, quòd sic erit, quemadmodũ dictum est mihi. Ro. 15. Spero enim fore, ut isthac iter faciens, uideã uos, & à uobis producar illuc. Philipp.1. Hoc certò scio, quòd manſurus sim, & cum omnibus uobis permanſurus sim in uestrũ profectum. Philipp.2. Confido autem in Domino, quod & ipse breui uenturus sim.

Fidem uerò circa res corporales simul cõplecti promiſsionẽ de gratuita remiſsione peccatorũ propter meritũ Christi, Paulus docet, exemplũ Abrahæ allegãs, cui fides, quæ amplexus est promiſsionẽ, Patrem multarũ gentiũ cõstituam te, & sic erit semen tuũ: imputata sit ad iustitiã. Ro.4. et Gal.3. Autor uerò epist. ad Ebr.11. commemorans exempla Patriarcharum & Prophetarum & piorũ qui uixerũt in ueteri Testamẽto, apertè docet, fidem eorũ nõ tantùm circa res externas & corporales promiſsiones uersatã esse, sed simul comprehendisse promiſsiones spirituales, de resurrectione & uita æterna. Inqt enim: Alij distenti sunt, aspernati redemptionem, ut potiorem sortirentur resurrectionẽ. Et postea, omnes hi testimoniũ promeriti per fidem, non acceperant promiſsionem, quod Deus de nobis prouiderat, ne sine nobis cõsummarentur. Huc etiam faciũt illa testimonia, quæ docent, Prophetas in ueteri Testamento prædixisse aduentũ Meſsiæ. 1 Pet.1. 2 Pet.1. Act.3. 10.13. 1 Cor.15. & alijs in locis. Si enim prædixerũt de Christo, necesse fuit promiſsionem illã spiritualem nobis esse pijs, in quam semper respexerunt, cum beneficia corporalia à Deo uel petiuerunt, uel expectarunt.

Vnam esse fidem omniũ piorum membrorum Ecclesiæ, id est omnes pios consentire in præcipuis doctrinæ cœlestis capitib. & maximè in doctrina de gratuita imputatione iusticiæ, & meriti Christi per solam fidem absq; operibus, Paulus docet Epheſ.4. Vnus Dominus, una fides, unũ baptiſma. unus Deus & Pater omniũ, qui super omnia & per omnia et in omnibus uobis. Epheſ. 2. Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarũ. Epheſ. 4. Donec perueniamus omnes in unitatẽ fidei. 2 Cor.4. Habemus eundem spiritũ fidei.

Differẽtias fidei has ferè tradũt Apostoli, quòd alia sit infirma fides, alia uerò fortis seu potens. Infirmã uerò eã appellant, quæ nondũ integrã et cõfirmatam habet doctrinæ Christi cognitionem, sed tamen cupit discere: aut quæ non tota πληροφορίαν promiſsiones Dei amplectitur, sed adhuc cõflictatur cũ dubitatione. Firma uerò seu fortis fides ea est, quæ habet certã et plenã doctrinæ cognitionẽ, & quæ sine hæsitatione promiſsionibus Dei innititur. Ro. 14. Eum qui infirmatur in fide, assumite. & Ro.15. Debemus aũt nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare. 1 Cor. 8. Si quis cõspexerit te, qui habes scientiã, in epulo simulachrorũ accumbentem, non ne cõscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ad edendũ eã? Infirmos in fide, Petrus modò natos infantes appellat. 1 Pet.2. Paulus carnales, 1 Cor.3. et pueros, Eph.4. Infantes lacte opus habẽtes, rudes ſermonis iusticiæ, Ebr.5. Sed fortes in fide ſpirituales uocãtur, 1 Cor.3. Gal.6. Et uiri pfecti, Eph. 4. Doctores perfecti, qui habeãt ſensus exercitatos ad discretionẽ boni pariter et mali, Ebr.5. Exemplũ fortis fidei est in Abrahã, q̃ cõtra ſpem in ſpem credidit, robuſtius factus fide, nihil hæsitãs ad promiſsionẽ Dei: Ro.4.

Alios in fide ſanos esse, alios uerò non, Paulus Tit.1. monet. Illos aũt ſanos appellat in fide, qui ſanam & ſinceram fidei doctrinam tenent, cum pura conſcientia. 1. Tim.3. Non ſanos in fide appellat eos, qui attendunt Iudaicis fabulis, & præceptis hominum auerſantium ueritatem, & habent pollutam mentem & conſcientiam. Tit.1. 1 Tim.4. 2 Tim.4. Qui circa fidem naufragium fecerũt, ut 1 Tim. 1. Aſiani Phygelus & Hermogenes, 2 Timoth. 1. Hymenæus & Alexander & Philetus, 2. Timoth.2. Spiritus Antichriſti, negans Chriſtũ in carne uenisse. 1 Iohan. 2. 4. 2 Ioan. Meretrix Babylonica cum ſuis ſcortatoribus: Apocal.18.

Alios ueram, alios ſimulatam fidem habere, conſtat ex 2 Tim.1. Commonefactus eius quæ est in te, nõ ſimulatæ fidei, quæ habitauit primùm in auia tua Loide, & matre Eunica: certũ aũt scio, quòd in te quoq;, &c. Autor epiſt. Iac.1. facit fidem aliã abſq; factis et mortuam, ut quæ ſit tantùm in mẽte noticia de Deo, afferens horrorem & deſperationẽ, qualis in dæmonib. est, & quæ nullos ferat fructus pœnitẽtia dignos, ſed cõtra cõſcientiam in delictis relinquat hominẽ. Aliã uerò uiuam fidem, quæ nõ cõtremiſcat, ſed firma fiducia apprehẽdat, promiſſam in Christo gratiã, & quæ fructus bonæ conſcientiæ afferat. Iac.2. Videtur etiã Paul. Gal.5. huiuſmodi diſtinctionẽ fidei facere, q̃, alia ſit fides quæ Chriſtum Ieſum cũ ſuis beneficijs cõplectatur, et poſtea per charitatẽ operetur: hoc est, ferat fructus iusticiæ. Alia uerò ſit fides, quæ habeat quidem noticiã aliquã doctrinæ cœlestis, ſed tamen nõ ſibi applicet Chriſtũ, nec ferat fructus dignos ijs q̃ reſipuerũt, ſed in peccatis cõtra conſcientiã perſeueret. Huiuſmodi fidẽ habent hypocritæ, & illi q̃ ab agnita ueritate deficiunt, quibus fiunt poſtrema peiora primis. 2 Pet.2. Et qui trãsferunt Domini noſtri Ieſu Chriſti gratiã ad laſciuiam: Iudas. Qui dicũt faciamus mala, ut eueniãt bona: Ro.3. Peccemus, ut exuberet gratia: Ro.6. Qui ſpiritu cœperũt, et carne uolunt cõſummari, ſeu qui opera ſua iuſtificationi gratuitæ immiſcent. Gal.3. & 5. Eſſe & fidem propriã et fidem alienã: 1 Pet.1. Exploratio fidei uestræ: 1 Petri 3. De ea quæ in uobis est ſpe: 2 Pet.1. Qui æquè preciosam nobiſcũ ſortiti ſunt fidem: 1 Ioã.5. iubet credentes pro alijs petere, ut ipſis quoq; Deus det uitã: 2 Cor. 1. Non quod dominemur uobis nomine fidei, ſed adiutores ſumus gaudij uestri: nam fide ſtatis. Rom.1. Iusticia Dei patefit ex fide in fidem, iuſtus ex fide uicturus est. Ro.3. Iuſtificabit iuſtificationẽ ex fide, & præputium per fidem. Iac.5. Multum ualet deprecatio iuſti efficax.

Porrò fide aliena neminẽ ſaluari, ſed oportere quemlibet ſaluãdum propriã habere fidem, eo docent, q̃, omnes fidem propriã nõ habentes, damnari indicãt: credentes uerò omnes, ſaluari. 1 Pet.2. Vobis preciosus est qui creditis: ijs qui nõ credũt, lapis est quẽ reprobauerunt ædificãtes, 1 Ioã.5. Qui credit in filiũ Dei, habet

testimoniũ in seipso: qui nõ credit Deo, mendacem fecit eũ. Gal.3. Omnes filij Dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu: & quotquot ex operib.legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Ibid. Ebr.4. Non profuit illis audisse sermonẽ, q̃ is nõ esset cũ fide cõiunctus, ijs qui audierãt. Ebr.11. Impoßibile est, ut qs sine fide placeat Deo.

Sed tamen fidem alterius dum orat pro alijs posse impetrare, ut etiã alijs Deus fidem largiatur propriã, & cõferat beneficia, affirmant: 1 Ioan.5. Eph.6. Paulus iubet pro omnibus sanctis, & pro se quoque orari. Philipp.1. Noui enim quòd mihi cedet in salutem per uestram deprecationem. 2 Thessal.3. Orate ut sermo Domini currat & glorificetur, sicut & apud uos, ut eripiamur ab absurdis hominibus ac peruersis. Iac.5. Orate pro uobis inuicem, ut sanemini.

Fidem etiam alienam prodesse alijs in consolationibus, Paulus Rom.1. docet: Desidero uos uidere, &c. ut communem capiam consolationem in uobis per mutuam fidem, uestram simul & meam.

¶ Proprietates fidei has ferè tribuũt. Prima, quòd teneat noticiã sinceram & sanã de Deo, eiusq̃ uolũtate, prout sese in lege & in Euãgelio patefecit. Præcipuè uerò agnoscat Meßiã Dominũ nostrum Iesum Christũ, cũ omnibus suis operibus & beneficijs, q̃ scilicet sit uerus Deus & homo in una persona, quòd uenerit in mundũ saluare peccatores, et q̃ opus redẽptionis perfecerit, & quòd suã iusticiã per uerbũ & sacramenta offerat omnibus, & per fidẽ applicet credentibus, & q̃ sit reuersurus iudicare uiuos & mortuos. Nam fidem cõplecti noticiã capitum præcipuorũ doctrinæ cœlestis, Apostoli docẽt in suo symbolo, in quod miro Spiritus sancti artificio, succincta breuitate et elegãti ordine, capita illa omnia congesserũt. Deinde etiã suis scriptis docent, fidem cõplecti noticiã seu cognitionẽ Dei & Domini nostri Iesu Christi, ex patefacto Dei uerbo, & nõ ex humana ratione perceptã. Huc pertinẽt testimonia quibus suprà docuimus, fidẽ esse noticiã in mente. quibus hæc accenseri etiã possunt. 1 Petri 1. docet, fidem esse noticiã de Christo, seu cognitionem Christi, cum ostendit eos in Christũ, quem nõ uiderũt, credere. Item, iam cognouisse Christũ eiusq̃ gratiã, quam antea ignorarint, & quidẽ eam doctrinã de Christo per Prophetas esse reuelatã olim. Idem 2 Pet.1. Gratia uobis adimpleatur in cognitione Domini nostri Iesu Christi. & postea: Non arte cõpositas fabulas secuti, notam uobis fecimus Domini nostri Iesu Christi uirtutẽ & aduentũ, sed q̃ oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Idẽ 2. epist.2. Refugerũt ab inquinamentis mũdi per agnitionẽ Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Item, Satius fuisset illis nõ cognouisse uiã iusticiæ, quàm ubi cognouerũt, conuerti ab eo, quod illis traditũ fuit, sancto præcepto. Ioannes etiã fidem ostendit esse cognitionem Dei, eiusq̃ uolũtatis & Domini nostri Iesu Christi: 1. epist.2. Per hoc scimus quòd cognouimus eũ, si iussa illius obseruamus. Item, Cognouistis eũ qui ab initio est. Idem 1 epist. 4. uult omnes cognoscere & cõfiteri, Iesum Christũ in carne uenisse, eumq̃ esse propitiationẽ pro peccatis nostris. Idẽ 1 Ioan.5. ostendit fidem credere & nosse, quòd Iesus Christus sit filius Dei, & q̃ uenerit per aquã & sanguinem, & quòd Deus sit de eo testificatus, q̃ credentibus in nomen eius uelit dare uitam æternã. Paulus etiã Rom.10 docet, Fidem cõplecti noticiã Dei, & Domini nostri Iesu Christi ex prædicatione uerbi Dei acceptam. Idem 1 Cor.2 docet, fidem esse sapientiã Dei in mysterio reconditã, & noticiam eorũ bonorum quæ à Christo nobis sunt donata, quã nemo principũ huius seculi cognouit, & quam animalis homo nõ accipiat, nec cognoscat, sed pro stultitia habeat. Idem 2 Cor.10, fidem docet esse noticiã talium rerum ex uerbo Dei & cõcione Euangelij cõparatam, cui ratio humana aduersetur. Et 1 Cor.3. Iesum Christum fundamentũ fidei facit, quem certè credentem oportet cognoscere quis sit, & quæ sint eius in nos beneficia. 1 Cor.15. Siue igitur ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis, scilicet Christũ mortuum esse, & resurrexisse. Eph.1. Vt sciatis quæ sit spes ad quã ille uocauit. Idem Eph.3. fidem cognitionem Christi cõplecti docet. & Eph.4. ait: Vos nõ sic didicistis Christũ, si quidem illũ audistis, & in eo docti fuistis. Idem Eph.6. Militem Christianũ uult cinctũ esse baltheo ueritatis: id est, habere ueritatis cognitionẽ. Philip.1. Venistis in cõmunionẽ Euangelij. Col.1. Audiuimus fidem uestrã in Christo Iesu, &c. propter spem repositam uobis in cœlis, de qua prius audieratis, per sermonem ueracem Euãgelij. Item, Quo die audiuistis & cognouistis gratiam Dei per ueritatem. Ibid. Vt impleamini agnitione uolũtatis eius, in omni sapientia & prudẽtia spirituali. 1 Thes.2. Cùm acciperetis sermonem à nobis, quo Deũ discebatis. 1 Tim.2. Deus uult omnes ad agnitionem ueritatis uenire. Autor epist. ad Ebræ.8. ex Hierem.31. Non docebũt quisq̃ proximũ suum, & unusquisq̃ fratrem suũ dicentes, cognosce Dominũ, quòd omnes cognituri sint me. Ebr.11. Per fidẽ intelligimus fuisse perfecta secula uerbo Dei, ut ex his quæ nõ apparebãt, ea quæ uidentur fierent. Ibid. Nam qui accedit ad Deum, eum oportet credere esse Deum, & esse remuneratorem quærentibus se. Iac.2. Tu credis quòd Deus unus est, rectè facis: & dæmonia credunt, hoc est, uerè sciunt esse unum Deũ. Postremò etiam exẽpla docent fidem continere noticiã doctrinæ de Deo, & maximè doctrinæ de gratuita iustificatione per fidem in Christum. Actor.2. Credentes suscipiunt sermonem Dei, & perseuerant in doctrina Apostolorũ, & baptisantur. Act.8. Samaritani primùm doctrinam Euangelij ex concione discunt, & postea credunt. Ibidem, Eunuchus ex Esaiæ loco per concionem Philippi imbuitur agnitione Christi. Idem de alijs dicendum est.

Secunda, Quòd nõ tantùm generali noticia cognoscat Deũ, & Dominum nostrũ Iesum Christum, q̃ factus sit homo, & redemerit genus humanum, sed quòd speciali applicatione sibi Christũ, cum omnibus suis meritis applicet. 1 Petri 1. Qui uirtute Dei custodiminí per fidem ad salutem. Item, Reportãtes finem fidei uestræ salutem animarũ. 1 Pet.2. Vobis preciosis est, qui creditis. 1 Ioan.1. Vt remittat nobis peccata nostra. 1. Ioã. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ibidẽ: Remittũtur uobis peccata, propter nomen eius. 1 Ioã. 3. In cõspectu eius suadebimus cordibus nostris. Item: Hoc est præceptũ eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi. 1 Ioã.5. Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomine filij Dei, ut sciatis, quòd uitã habetis æternam. Ibid. Qui non credit Deo, mendacem eũ facit. Paulus etiam

etiam fidem sibi applicare Christũ, eiusq; meritũ, passim docet. Ro. 3. Iustificantur aũt gratis, per illius gratiam, per redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine. Ibid. Statuimus aũt fide iustificari hominem, absq; operibus legis. Ro. 4. Ei qui nõ operatur, sed credit in eũ qui impium iustificat, imputatur fides sua ad iusticiã. Ibid. Ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiã, ut firma sit promissio uniuerso semini. & Ro. 10. Perfectio legis Christus est, ad iustificationem omni credenti. Idem 2 Cor. 4. ita nobis uult applicari, ut thesaurũ illum, hoc est iusticiã imputatiuam habeamus in testaceis uasculis nostris. 2 Cor. 5. Rogamus pro Christo, reconciliemini Deo: eũ qui nõ nouit peccatum, pro nobis fecit peccatũ, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum. 2 Cor. 13. An nõ cognoscitis uosmetipsos, q. Iesus Christus in uobis est? Gal. 2. Scimus nõ iustificari hominem ex operib. legis, nisi per fidem Iesu Christi. Gal. 3. Vt promissionẽ spiritus acciperemus per fidem, & lex pædagogus noster fuit ad Christũ, ut ex fide iustificaremur. Gal. 5. Nos spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus. Ephes. 2. Gratia estis seruati per fidẽ.

Exempla etiã probant, credẽtes singulos sibi sigillatim applicasse fide promissam in Christo gratiã, iusticiam & remissionem peccatorũ. Nam Paulus de seipso asserit, q. fide amplectatur gratiã Christi, & nõ asperneturq; reperiar in illo, nõ habens meã iusticiam ex lege, sed eã quæ per fidem est Christi, quæ est ex Deo, iusticiam super fide. 1 Tim. 1. dicit se misericordiã cõsequutum esse, ut in eo ostenderet Christus omnẽ clementiã, ad exprimendũ exemplar ijs q crediturí essent in ipso, in uitã æternam. Idẽ de fide sua & aliorũ Iudæorum, Gal. 2. Et nos in Christũ Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi. Et Petrus Act. 15. Per gratiã Iesu Christi credimus et nos saluos futuros, quemadmodũ et illi. De Gentibus, ibidem inquit Petrus: Deus testimonium perhibuit illis, dans illis spiritũ sanctum, sicut & nobis: nihilq; discreuit inter nos et illos, cum fide purificauerit corda illorũ. De ijsdem Paulus Ro. 9. inquit: Gentes quæ nõ sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam; iusticiam aũt eam quæ est fide, & c. quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Idem etiam in alijs exemplis conspicitur. Actor. 2. 8. 13. 16. 17. 18.

Confirmant etiã eam singularem applicationẽ sigillatim gratiæ, seu sacramẽta, Cœna Domini & Baptismus. 1 Cor. 11. 1 Pet. 3. Tit. 3. Ro. 6. Ebr. 10. Aspersi cordib. ac depulsa conscientia mala, et abluti corpore aqua pura.

Tertiò, quòd nõ leuis sit applicatio, sed fiducia plenissima et certissima, fixa in misericordia Dei infinita, & merito Christi, iuxta uerbũ Dei ueritatis, & sacramenta adiuncta. 1 Pet. 1. Perfectè sperate in eã quæ adfertur uos gratiã. 1 Pet. 5. Cui resistite solidi fide. 1. Ioã. 2. Vt habeamus fiduciã cum apparuerit, & nõ pudeamus in aduẽtu eius. 1 Ioã. 3. Si cor nostrũ non condemnet nos, fiduciã habemus erga Deum. 1 Ioã. 4. In hoc est perfecta charitas nobiscũ, ut fiduciã habeamus in die iudicij. 1 Ioan. 5. Hæc est fiducia quam habemus apud eum, q. si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Paulus etiã fidem esse firmissimam fiduciã cordis, in promissiones Dei, docet exẽplo Abrahæ, Rom. 4. πληροφορηθεὶς certa persuasione cõcepta, q. is qui promiserat, potens esset & præstare. Idem Ro. 5 docet, talem esse fiduciam in gratiã Dei, quæ afferat pacem erga Deũ. Ibidem etiã inquit, gloriãtes in Deo, per Dominũ nostrum Iesum Christũ, per quẽ nunc reconciliationẽ assequuti sumus. Ro. 8. Mihi persuasum habeo, q. neq; mors, neq; uita, & c. nos poterit separare à dilectione Dei quæ est in Christo Iesu. Eph. 2. Per illum habemus aditum utriq; uno spiritu. Ephes. 3. Per Christũ habemus audaciã, & aditum cũ fiducia, quæ est per fidem illius. Eph. 6. Assumpto scuto fidei. Philip. 3. Non quòd apprehẽderim, aut iam perfectus sim: sed sector, si etiã apprehendã, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu. Col. 2. Vt cõsolationem accipiãt corda illorũ, cum fuerint cõpacti in charitate, & in omnem opulentiã certæ persuasionis intelligentiæ, in agnitionem mysterij Dei, & patris Christi. Ibidẽ, soliditatem uestræ fidei. Ibidem: Vt radices habeatis in illo fixas, & in illo superstruamini, confirmeminiq; per fidem. Itẽ, Estis in illo cõpleti, qui est caput omnis principatus ac potestatis. 1 Thes. 5. Induti thoracem fidei. Ebr. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Ebræ. 16. Accedamus cum uero corde in πληροφορίᾳ, certitudine fidei. Iac. 1. Postulet cum fiducia, nihil hæsitans.

Quarta, quòd assentiatur promissionib. diuinis, ante experientiam, atq; ita uersetur circa res promissas quidem, & in uerbo Dei certas, uerùm nondũ oculis et sensui subiectas. Vnde Petrus dicit 1 epist. 1. Ecclesiam credere in Christũ, & in eo lætari, licet cũ non uiderit. Idem 2 Pet. 3. cõtra illusores extremi diei, quibus uideatur extremum iudiciũ nullum futurũ, cum diu de eo sit prædictũ, nec euenerit: iubet certò credere, q. aliquãdo sit exoriturũ. Ioannes etiã, præterquàm q. multis testimonijs docet credendũ esse in promissionẽ, qua Deus promisit uitã æternam in Domino nostro Iesu Christo: quo apertè indicatur fidem ante experientiã, et nondũ uisa credere: tamen idẽ affirmat etiã his dictis 1 Ioã. 3. Nunc filij Dei sumus, & nondũ apparuit quòd futuri simus. Ibid. Nos scimus q. translati sumus de morte ad uitam. Ibid. Si cõdemnet nos cor nostrũ, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia: hoc est, etiãsi non sentiamus in cordib. nostris pacem & tranquillitatẽ cõscientiæ, tamen credendum est Deo, eiusq; uerbo, quòd promissam nobis imputet & donet iusticiã Christi, modò nõ prorsus desperemus, & Deũ mendacem faciamus, eius testimonio diffidẽtes. Paulus etiã testimonijs illis quæ paulo antè citauimus, q. fides sit fiducia inhærens promissioni offerenti res certas quidẽ & præsentes, sed nondum apparẽtes uisui, docet fidẽ esse assensum ante experientiã. sed illis etiã hæc accenseri possunt. Ro. 4. de Abrahã dicitur, Cõtra spem (hoc est, ubi res ipsa nõ esset præstò rei, nec quidẽ spes ulla: habebat enim emortuum corpus, cum centum ferè esset annos natus: emortua etiam erat matrix Saræ, propter senectam & innatam sterilitatẽ) in spem credidit, se fore patrẽ multarũ gentium, quia is sibi promisisset qui potens esset & uerax. Rom. 8. Spe seruati sumus: porrò spes si uideatur, spes non est. Idem Paulus Phil. 3 nõ innititur suæ iusticiæ ex lege, quam aliquo modo sentire potest, & uidere: sed innititur iusticiæ Christi in Euangelo oblatæ, & fide apprehensæ. 2 Cor. 4. Dum non spectamus ea

quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur, temporaria sunt: at quæ non uidentur, æterna. 2. Cor. 5. Per fidem ambulamus, & non per speciem: hoc est, nondum uidemus ea quæ credimus. Autor epistolæ ad Ebræos 11. Fides est rerum sperandarum expectatio, & repræsentatio certa eorum quæ non uidentur.

Quinta, quòd fides in pijs crescat, aucta à Deo & exercitata per uerbũ Dei & crucem & alia exercitia. 1 Pet. 1. Nunc afflicti ad breue tempus, &c. quo exploratio fidei uestræ multo pretiosior auro, &c. reperiatur in laudem & gloriã & honorem. 1 Pet. 5. Deus omnis gratiæ instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat. 2 Pet. 1. Subministrate in fide uestra uirtutẽ, &c. Hæc enim cum uobis adsint, et exuberent, haud ociosos, nec in irritum laborantes efficiunt, ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem. 2 Pet. 3. Crescite in gratia & cognitione Domini nostri, et seruatoris Iesu Christi. Paulus uerò in singulis suis epistolis pijs precatur, ut in fide crescãt, & cõfirmentur. Ro. 15. Deus aũt spei impleat uos omni gaudio & pace, in credendo, in hoc ut exuberetis in spe, per potentiã Spiritus sancti. Ro. 16. Ei aũt q̃ potest uos cõfirmare secundũ Euangeliũ meum, &c. 1 Cor. 1. Deus confirmabit uos usq; ad finem. 1 Cor. 2. Vt fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. 1 Cor. 16. Vigilate, state in fide, uiriliter agite, estote fortes. 2 Cor. 1. Deus confirmat nos unà uobiscum in Christũ. Eph. 1. 2. 3. & 4. Adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus. Philip. 1. Oro ut charitas uestra adhuc magis exuberet, in agnitione, omniq; indulgẽtia, ut probetis quæ sunt præstantia. Col. 1. Orare & poscere, ut impleamini agnitione uolũtatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali. Ibid. Crescentes in agnitionem Dei omni robore corroborati, iuxta potentiã gloriæ illius. 1 Thes. 3. Vt confirmet corda uestra irreprehensibilia in sanctimonia corã Deo, &c. 2 Thes. 1. Vehemẽter augescit fides uestra, &c. adeò, ut de uobis gloriemur in ecclesijs Dei, de tolerantia uestra & fide. 2 Thes. 2. Deus consoletur corda uestra, et stabiliat in omni sermone & opere bono. 2 Tim. 1. Egregiũ depositũ seruato per spiritũ sanctum, q̃ inhabitat in nobis. Iudas: Sanctissimæ uestræ fidei, uos ipsos superstruentes per spiritũ sanctũ, &c.

Fidem semel conceptã, amitti rursus posse, dictis & exemplis demonstrant. Nam Petrus 2 epistolæ 2, docet fore pseudodoctores, qui Dominũ, qui ipsos mercatus est, abnegent, & qui uiam ueritatis maledictis afficiant, & multos ab agnita ueritate defecturos, & postrema peiora primis facturos. 2 Pet. 3. iubet cauere, ne quis cum alijs, nefariorũ errore abductus, excidat à propria stabilitate. Ioannes etiã 1 epist. 2. docet Antichristi ministros egressuros esse, ex ipso Ecclesiæ umbilico, & negaturos Iesum esse Christum. Apoc. 2. Memento unde excideris, & age pœnitentiã. Et Paulus 1. Tim. 1. Habens fidem, & bonam cõscientiam: qua repulsa, nonnulli circa fidem naufragium fecerunt, quorum de numero est Hymenæus & Alexander. 1 Tim. 4. In posterioribus temporibus desciscent quidã à fide, attendentes spiritibus impostorib. ac doctrinis dæmoniorum. Ibid. Habentes cõdemnationem, quòd primam fidem reiecerint. 1 Tim. 6. Quã scilicet pecuniam dum appetunt, aberrauerũt à fide, & seipsos implicuerunt doloribus multis. Ibid. Nonnulli proferentes falsõ nominatam scientiã, circa fidem aberrauerunt. 2 Tim. 1. Nosti hoc, quòd auersati fuerint me omnes qui sunt in Asia, quorũ est Phygelus & Hermogenes. 2 Timoth. 2. Vocum inanitates prætermittito: ad maiorem enim proficient impietatem: & sermo illorũ, ut cancer morbus, pastionẽ habebit. quorũ de numero est Hymenæus & Philetus, qui circa ueritatẽ aberrauerũt. 2 Tim. 3. Resistũt ueritati, homines mẽte corrupti, reprobi circa fidem. Ibid. Mali homines & impostores, proficient in peius, dum & in errorẽ inducunt, et errãt ipsi. 2 Tim. 4. A ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò cõuertentur. Galatæ à ueritate Euangelij per pseudoapostolos in errorẽ abducti sunt. Gal. 1. Fascinati sunt, ut nõ crederent ueritati. Gal. 3. Posteaquã cognouerũt Deũ denuò, conuersi sunt ad infirma & egena elementa mundi, ijsq; seruierũt, obseruãtes dies, menses et tempora & annos. Gal. 4. Circũcisionem & opera legis necessaria ad salutem existimãtes, à gratia exciderunt. Cùm aliquando benè cucurrissent, impediri cœperunt, ut nõ crederent ueritati. Gal. 5. Corinthij cõtentiones inter sese et schismata excitarunt. 1 Cor. 1. & 3. Quidã induxit nouercam suam. 1 Cor. 5. Frater cũ fratre sub infidelibus litigabat. 1 Cor. 6. Simulachris immolatis, cũ offensione & scandalo infirmorũ uescebantur. 1 Cor. 8. Abusi sunt cœna Domini. 1 Cor. 11. Abiecerunt quidam ãrticulũ de resurrectione mortuorũ: 1 Cor. 15. Petrus etiã ipse Gal. 2. à ueritate Euangelij aberrat. Paulus etiã 1 Cor. 10. exemplis ueteris Testamenti docet, eos qui benè inceperũt, posse fidem excutere, & perire. ubi tandem pulchrũ noema subijcit: Proinde, qui fibi uidetur stare, uideat ne cadat. Huc etiam pertinent exempla Ananiæ & Sapphiræ, Act. 5. Simonis magi, Act. 8. Pseudoapostolorũ docẽtium, Nisi circũcidamini secundũ morem Mosi, nõ potestis esse salui: Act. 15.

Effectus fidei cõgruunt cũ effectib. iustificationis, et sunt hi præcipui. Iustificare, hoc est, iusticiam Christi Euãgelio oblatam fide apprehendere. Non enim alio modo fides nos iustificare dicitur, q̃ quòd ea tanquam manu cõprehendamus Christi iusticiam. Ro. 3. Iustificãtur fide: itẽ, Statuimus ergo hominẽ iustificari fide, absq; operibus: Ro. 4. 5. 10. Gal. 2. Reddere tranquillas cõscientias. Rom. 5. Fide iustificati, pacem habemus erga Deum. Reddere nos certos, q̃ Deo placeamus. Ebr. 11. Sine fide impossibile est Deo placere: & quòd Deus nos diligat: 1 Ioan. 4. Ro. 5. 8. Reddere nos certos de promissione in Christo facta. Rom. 4. Idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundũ gratiã, ut firma sit promissio. Gal. 3. Ex promissione datur hæreditas. Certificat nos de uita æterna. 1 Ioã. 5. Qui creditis in nomine filij Dei, ut sciatis q̃ uitã habetis æternã. Tit. 3. Ro. 5. Fides tribuit Deo gloriam potentiæ et ueritatis. Ro. 4. 1 Iohan. 5. Qui non credit Deo, mendacem eũ facit.

Est mediũ, per quod Spiritus sanctus & Christus inhabitat in cordib. nostris: Act. 15. Cùm corda illorũ fide purificauerit. 1 Ioã. 3. et 4. 1 Pet. 4. 1 Cor. 3. 6. 2 Cor. 6. Eph. 1. 3. Vt inhabitet Christus per fidẽ in cordibus uestris: Ro. 8. Gal. 4. Affert υἱοθεσίαν ius filiorũ Dei, hæreditatẽ Dei, & cohæreditatem cũ Christo: Rom. 8. Gal. 3. & 4. 1 Pet. 1. Facit ut peccata nobis non imputentur: Ro. 4. Seruat credẽtes, ne pudefiant: Ro. 10.

Omnis

Omnis q fidit illi, nõ pudefiet: 1 Pet. 2. 1 Ioã. 2. Affert benedictionẽ: Gal. 3. Qui ex fide sunt, benedicũtur cũ fideli Abrahã. Noua obediẽtia seu bona opera, sunt effectus fidei, unde & fructus fidei & iusticiæ appellantur. Phil. 1. 1 Ioã. 2. Per hoc scimus q, cognouimus eũ, si iussa eius seruamus. Ro. 3. Per fidẽ nõ abrogatur, sed stabilitur lex: hoc est, fides iubet hominẽ inchoare obedientiã. Per fidẽ offeruntur Deo hostiæ spirituales. a Pet. 2. Phil. 2. Ro. 12. Ebr. 11. Fides gubernat inuocationẽ Dei. Ro. 10. Quomodo inuocabunt eũ, in quem nõ crediderũt? Eph. 3. Habemus accessum per fidem. Ebræ. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Edit confessionem. Ro. 10. Corde creditur ad iusticiam, ore fit cõfessio ad salutem. 1 Thes. 1. In omni loco fides uestra, quæ est in Deũ, dimanauit. 2 Cor. 4. Credidi, propter quod locutus sum. Affert consolationem & patientiã in cruce, & cõstantiam. 1 Pet. 1. 2. 4. Ro. 5. Gloriamur super afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiã pariat, patientia probationem, probatio aũt spem. Ro. 8. 2 Cor. 1. Affert spem. Rom. 5. Gloriamur sub spe gloriæ Dei. 1 Pet. 1. Regenuit nos in spem uiuam. Itẽ: Vt uos fidem ac spem haberetis erga Deũ. Charitatẽ erga Deũ: 1 Pet. 1. Quẽ cum nõ uideatis, diligitis. 1 Ioã. 4. Nos diligimus eũ, quia prius dilexit nos.

Charitatem erga proximũ. 1 Iohan. 4. Qui diligit Deũ, diligat & fratrem suũ. 1 Pet. 4. & Galat. 5. Fides per charitatẽ operans. 1 Cor. 13. Ephes. 6. Pax fratribus & charitas cũ Deo, cum fide à Deo patre & Domino nostro Iesu Christo. Hinc est q, Paulus plerunq; fidei charitatem annectit & postponit. Coloss. 1. Audiuimus fidem uestram in Christo Iesu, & charitatem erga omnes sanctos. 1 Thess. 1. Propter opus fidei & laborem charitatis. Facit ut nostra inchoata obedientia placeat Deo. Ebræ. 11. & Ro. 8. Nulla igitur nunc condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Rom. 14. Quicquid non ex fide est, peccatum est. Galat. 2. Vitam quã nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei. Obseruationem legis efficit faciliorem, dum ei non imputantur imbecillitates, sed reguntur propter iusticiam Christi. 1 Ioan. 5. Hæc est charitas Dei, ut præcepta eius seruemus, & præcepta eius grauia nõ sunt. 1 Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum nõ committit, quoniam semen ipsius in eo manet: hoc est, non peccat ex proæresi contra conscientiam. Vincit tentationes diaboli & mundi. Ephes. 6. Assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. 1 Petri 5. Diabolus circuit uos, tanquam leo rugiens, cui resistite solidi fide. 1 Ioan. 5. Et hæc est uictoria quæ uicit mundum, fides uestra. Affert beneficia etiam corporalia. Actorum enim 3. claudus fide consequitur sanitatem. Idem accidit Actor. 14 Lystris. 1 Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis ac futuræ. Iac. 5. Oratio fidei saluum faciet ægrotum. Ebræ. 11. longa series exemplorum ueteris Testamenti enumeratur, ex quibus patet, fidem eorũ magna à Deo impetrasse beneficia. Finis fidei est salus animarũ. 1 Pet. 1. Ibidẽ: Qui uirtute Dei custodimini per fidem ad salutem. Resurrectio, 1 Cor. 15. 1 Thess. 4.

Præcipuos aũt effectus fidei tantùm ijs contingere, qui in fide perseuerauerint usque ad finem, affirmant. Actor. 14. Reuersi sunt Lystram, cõfirmantes animas discipulorũ, exhortantesq; eos, ut perseuerarent in fide, & quòd per multas tribulationes oporteat intrare in regnum cœlorũ. 1 Ioan. 2. Manete in eo, ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in aduentu eius. 1 Pet. 1. Reportantes finem fidei uestræ, salutem animarum. Coloss. 1. Vt exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles, & inculpatos in conspectu suo. siquidẽ permanetis in fide fundati ac stabiles, nec dimoueamini à spe Euangelij, quod audistis. 1 Timoth. 2. Salua tamen fiet per generationem liberorũ, si manserit in fide. 2 Timoth. 4. Cursum consummaui, fidẽ seruaui: quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quã reddet mihi Dominus in die illo, &c. & omnibus qui diligunt aduentũ eius. Autor epist. ad Ebr. 3. Sumus domus (Dei) si fiduciã & gloriationem spei ad finem usq; firmã tenuerimus. Apo. 2. Esto fidelis usq; ad mortẽ, & dabo tibi coronã uitæ. Iudæ: Expectantes misericordiã Domini nostri Iesu Christi in uitã æternam. Iac. 5. Patientes estote & uos, & cõfirmate corda uestra, quoniã appropinquat aduentus Domini.

Contraria fidei sunt: Incredulitas, quæ est, aut prorsus ignorare ueritatẽ, ut gentes. 1 Pet. 2. 4. Ro. 1. Eph. 4. 1 Cor. 12. Gal. 4. Aut scire quidẽ, & tamen sibi nõ applicare beneficiũ Christi, sed id aspernari & execrari, calumniari & persequi: qualia exẽpla sunt in Iudæis Act. 4. 6. & 7. in Herode occidẽte Iacobũ, Act. 12. in Iudæis & gentibus Antiochiæ Pisidiæ, Act. 13. Thessalonicensib. quibusdam, Act. 17. & Athenien sibus, Act. 17. in Ephesijs, Act. 18. & 1 Pet. 2. Iis qui nõ credunt, lapis est offensionis. 1 Ioã. 5. Qui nõ credit Deo, mendacem eũ fecit. 1 Ioan. 3. Ne miremini, si uos odit mũdus. 1 Cor. 1. Prædicauimus Christũ crucifixum, Iudæis quidẽ offendiculũ, Græcis uerò stulticiam. Iac. 2. Dæmones credunt, & contremiscũt. Ebr. 4. Non profuit illis sermo, q, nõ esset cũ fide cõiunctus. Corrumpere doctrinam Euãgelij: Gal. 1. Si quis aliud euangeliũ: 1 Ioan. 2. 4. 2. Pet. 2. Quærere iusticiam propriam constituere ex operibus legis. Rom. 9. 10. Galat. 2. 3. 4. 5. Act. 15. Lex enim & fides in articulo iustificationis sibi inuicem ut contraria opponũtur. Gal. 3. Iustus ex fide uiuit. Lex aũt non est ex fide: unde lex & opera, à iustificatione corã Deo excludũtur ubiq; à Paulo & Apostolis. Act. 15. Rom. 3. 4. 10. 11. Galat. 2. 3. 4. 5. Ephes. 2. 1 Pet. 1. & 1 Ioan. 1. 2. 3. 5. Hæsitare & dubitare, etiam ueræ fidei repugnant. Iac. 1. Rom. 4. Non hæsitabat ob incredulitatem. 1 Ioan. 5. Qui non credit, Deũ mendacem facit. 1 Timoth. 1. Certus & indubitatus sermo. Ro. 14. Quod nõ est ex fide, peccatum est. Simulata fides, & non sana fides, etiam pugnant cum uera fide, de quibus suprà. Considere in diuitijs, eas q; ita appetere, ut contra Deũ agas: 1 Tim. 6. Deficere à fide, & agnita ueritate: 1 Tim. 4. 2 Tim. 4. Perseuerare in delictis contra conscientiã: 1 Cor. 6. Gal. 5. Ro. 8. Auertere alios à fide: Act. 13. Negare resurrectionẽ mortuorũ & extremum iudicium: 1 Cor. 15. & 2 Pet. 3. Desperare, ut Cain: 1 Ioã. 3. Iudas, Act. 1. Ananias et Sapphira, Act. 5. Familiaris conuersatio cũ falsis & obstinatis doctorib. 2 Ioan. Ne aue illi dixeritis. Tit. 3. Hæreticũ hominem, etc. fuge. fidem enim & bonos mores corrumpũt colloquia praua: 1 Cor. 15. Et cũ fratribus inordinatè ambulantibus: 1 Thes. 5. Societas cum infidelibus: 2 Corinth. 6. Velle simul calicem Domini bibere & dæmoniorũ:

1 Corinth. 8. Scortatio cum Antichristo, & meretrice Babylonica: 2 Thessal. 2. Apocal. 14. & 18.

De noua obedientia, seu bonis operibus iustificatorum.

OBedientiã illam, quã iustificati fide in hac uita secundum Dei mandatũ præstare iubẽtur, his ferè appellationibus notãt Apostoli. Obedire, et obedientia. Act. 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. 1 Pet. 1. In obedientiam & aspersionem sanguinis Christi. Ibid. Vt filij obedientes, non accõmodetis uos pristinis concupiscentijs. Ro. 6. Eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iusticiam. Iusticia. 1 Iohan. 3. Qui facit iusticiam, iustus est. Rom. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum. Rom. 6. Accommodetis uosmetipsos Deo, uelut ex mortuis uiuentes: & membra uestra, arma iusticiæ Deo.

Huc pertinent & illa testimonia, ubi iustus pro eo qui externam habet iusticiam ponitur, qualia suprà retulimus in loco de Iustificatione. Iusticia nostra, quæ ex lege est: Philipp. 3. Iusta opera. 1 Iohan. 3. Propter quid Cain occidit fratrem suum? quia opera eius mala erant, fratris aũt eius iusta. Opus bonũ, seu opera bona: Act. 9. Plena erat operibus bonis. Act. 26. Facientes opera digna his qui resipuissent. 1 Pet. 2. Vt conuncti bonis operibus glorificent Deum. 2 Cor. 9. Abundetis in omne opus bonũ. 2 Tim. 3. Ad omne opus bonum instructi. Tit. 1. Ad omne opus bonum reprobi. 1 Tim. 5. In operibus bonis hominum testimonio comprobata. 1 Timoth. 6. Vt diuites sint in operibus bonis. Eph. 2. Conditi ad bona opera, quæ Deus præparauit. Sanctificatio. 1 Pet. 1. Sancti reddamini in omni conuersatione. 1 Thess. 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Ibid. Vocauit nos ad sanctificationem: hoc est, ad nouam obedientiam, seu opera sancta. 2 Corinth. 7. Perficientes sanctificationem in timore Domini. Ebr. 12. Sine sanctimonia nemo uidebit Deum. Fructus iusticiæ. Phil. 1. Impleti fructibus iusticiæ. Iac. 3. Fructus iusticiæ in pace seminatur. Fructus spiritus. Gal. 5. Mala opera econtrà opera carnis appellãtur: Ibid. & Facta corporis. Ro. 8. Bona conuersatio. 1 Pet. 1. & 2. Inter gentes habẽtes bonam conuersationẽ. 1 Pet. 3. Qui calumniantur uestrã bonam in Christo conuersationẽ. 2 Pet. 3. In sanctis cõuersationibus. 1 Tim. 4. Exemplũ esto fidelium, &c. in cõuersatione. Ebr. 13. Confidimus q̃ bonam habemus conscientiã inter omnes, cupientes honestè conuersari. Iac. 3. Ostendat ex bona cõuersatione opera sua, cũ mansuetudine sapientiæ. Oblatio hostiarum spiritualiũ per Iesum Christũ: 1 Pet. 2. Ro. 12. Philip. 2. Ebræ. 13. Fructificare in omni opere bono: Col. 1.

Docent aũt nouam obedientiã esse fructus iusticiæ, seu bona opera mãdata certo & expresso uerbo Dei, à renatis auxilio spiritus sancti, prælucẽte fide, in eum finem præstita, ut glorificetur Deus, & inseruiatur proximo, et sint testimonia ueræ fidei. Nam obedientiã esse fructus iusticiæ, Paul. Philip. 1. testatur. idẽ 1 Tim. 2. Professentes pietatẽ per bona opera. & Act. 26. Facientes opera digna his q̃ resipuissent. & Petrus 1 epist. 1. Tanquã filij obedientes, ut nõ accõmodetis uos pristinis cõcupiscentijs. 2 Pet. 1. Si refugeritis à corruptione. & 2 Pet. 2. & alibi passim, ubi docet renatos bona opera debere facere. Idẽ Ioãnes etiã docet, 1 epist. 3. Omnis q̃ habet hanc spem, in eo purificat se, sicut & ille purus est. Ibid. Qui natus est ex Deo, peccatũ non cõmittit.

Esse aũt opera mandata à Deo, omnes eo testantur, quòd iustificatis nõ præscribũt alia bona opera, quàm ea quæ cõgruunt cum lege diuina. quod ex omnũ epistolis & concionibus patet. Deinde hanc partem definitionis plurimis testimonijs generalib. explanãt, quibus renatorum obedientiam describũt. Petrus enim 1. epist. 2. ita describit, q̃ sit abstinere à carnalib. concupiscẽtijs, qui militant aduersus animã: & conuersationem honestã habere inter gentes. Et 1 Pet. 3. ex Psalm. q̃ sit declinare à malo, & facere bonum. Ioannes etiam eam describit, quòd sit nõ diligere mundũ, neq; ea quæ sunt in mũdo. 1 Ioã. 2. Non cõmittere peccatũ, sed seruare, et custodire, præcepta Dei facere. 1 Ioã. 3. Et præcepta Dei seruare. 1. Io. 5. Et ambulare in ueritate, et nõ imitari quod malũ, sed quod bonũ est. Benefacere, & nõ malefacere. 2 Ioã.

Paulus etiã huiusmodi testimonijs plenus est, quibus describit nouam obedientiã esse, in nouitate uitæ ambulare, præbere mẽbra serua iusticiæ ad sanctificationẽ, & nõ immũdiciæ & iniquitati ad aliã atq; aliam iniquitatem. Ro. 6. Non secundũ carnem uersari, sed secundũ spiritũ, & facta corporis spiritu mortificare. Rom. 8. Spiritu ambulare, & cõcupiscentias carnis non perficere. Item, Carnẽ crucifigere cũ affectibus & cõcupiscentijs, spiritu uiuere & incedere. Gal. 5. Operari bonum cùm erga omnes, tum maximè erga domesticos fidei. Gal. 6. & 1 Tim. 1. Militare bonam militiã, habere fidẽ & bonã conscientiã. & Phil. 1. Vt dignũ est Euangelio cõuersari. & Phil. 2. In timore & tremore suã salutẽ operari. Col. 4. Exuere ueterẽ hominẽ, & induere nouũ. Ebr. 12. Deposito omni onere & tenaciter inhærẽte peccato per tolerantiã, curramus in proposito nobis certamine, respiciẽtes ad fidei ducem & consummatorẽ Iesum, q̃ proposito sibi gaudio pertulit crucẽ, ignominia cõtempta, & ad dexterã throni Dei cõsedit. Autor epist. Iacobi, Religio pura & immaculata apud Deũ & patrẽ hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, immaculatum seipsum seruare à mundo.

Causa bonorum operum, quæ à iustificatis fiunt, secundũ legem Dei, docent esse Deum patrem, filium & spiritũ sanctum, qui per fidem, mentem & uoluntatem hominis regeneratam, inspiret, ducat & regat, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum, quamuis in hac imbecillitate fieri potest, ambulet.

Testimonia de Deo. 1 Pet. 4. Ministret tanquã ex uirtute, quã Deus suppeditat. 1 Pet. 5. Deus omnis gratiæ instauret uos, fulciat, roboret & stabiliat. 2 Pet. 1. Diuina eius uirtus nobis largita est omnia quæ ad uitã & pietatẽ perinẽt. 1 Ioã. 4. Vos ex Deo estis filioli, & uicistis eos: quoniã maior est qui in uobis est, q̃ qui in mũdo. 1 Ioan. 5. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Rom. 5. Accõmodetis uosmetipsos Deo, & membra uestra arma iusticiæ Deo. Et Paulus Philip. 1. Vt qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usq; in diem Iesu Christi. Item Philipp. 2. Deus est qui facit ut uelitis & perficiatis. Idem de seipso inquit 1 Corinth. 15. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius quæ in me proficta est, non fuit inanis: sed copiosius quàm illi omnes laboraui, non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest. 1. Thes. 5. Deus pacis sanctificet uos totos. Ibid. Fidelis est qui uos

qui uos uocauit, idem efficiet. 2 Thes. 1. Oramus Deum pro uobis, ut uos dignos habeat ista uocatione, & compleat omne bonũ propositũ bonitatis, et opus fidei cum potentia, ut illustretur nomen Domini Iesu per uos, & uos per illum, iuxta gratiã Dei nostri & Domini nostri Iesu Christi. Ebræ. 13. Deus aũt pacis, &c. absolutos uos reddet in omni opere bono, ad faciendũ uoluntatem ipsius, efficiens ut quod agitis, acceptũ sit in conspectu suo, per IESVM Christum. Iac. 4. Si Dominus uoluerit, ac si uixerimus, faciemus hoc aut illud.

Testimonia de Christo. 1 Ioan. 5. Venit filius Dei, et nobis dedit mentem, ut cognoscamus illũ qui uerus est, & simus in uero. Rom. 15. Non ausim quicquam loqui eorum quæ non effecerit Christus per me in obedientiam gentium. 2 Cor. 2. Deo aũt gratia, qui triumphat per nos in Christo. 2 Cor. 12. Gloriabor super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. 2 Cor. 13. Experimentũ quæritis in me loquentis Christi. Ibid. An nõ cognoscitis uosmetipsos, quòd IESVS Christus in uobis est. Col. 3. Omnia in omnibus Christus. Eph. 1. Qui omnia in omnibus adimplet. 2 Thessal. 2. Ipse Dominus noster IESVS Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, &c. consoletur corda uestra, & stabiliat uos in omni sermone, & opere bono. Philipp. 1. Impleti fructu iusticiæ, qui contingit per Christum IESVM ad gloriam & laudem Dei. 2 Timot. 4. Dominus mihi adfuit, & corroborauit me, ut per me prædicatum expleretur, & audirent omnes gentes.

Testimonia de Spiritu sancto. 1 Pet. 1. Obediẽdo ueritati per Spiritũ sanctũ. 1 Pet. 4. Spiritus Dei sup uos requiescit. 2 Pet. 1. A Spiritu sancto impulsi, loquuti sunt Dei homines. 1 Ioã. 3. Per hoc scimus, q̃ manet in nobis, ẽ spiritu quẽ nobis dedit. 1 Ioã. 4. Quisquis confessus fuerit, q̃ Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Ro. 5. Spiritus sanctus datus est nobis. Ro. 8. Vos non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in uobis: si quis spiritũ Christi non habet, non est eius. 2 Cor. 3. Transformamur à gloria in gloriam, tanquã à Domini spiritu. Ephes. 1. Posteaquã credidistis, obsignati estis Spiritu sancto. Idem 1 Cor. 3. & 6. & 2 Cor. 6. Spiritũ sanctum in pijs inhabitare docet. & Gal. 4. & Rom. 8. monet, Spiritũ sanctum esse orationis ad Deũ gubernatorem. Gal. 5. Opera bona, fructus Spiritus appellat. Eph. 2. In quo & uos coædificamini in habitaculum Dei per Spiritũ sanctum. 2 Timoth. 1. Egregium depositũ seruato per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Plura testimonia suprà in loco de officijs Spiritus sancti adscripsimus.

Testimonia de fide, quæ est in mente & uoluntate regenerata, per quã Deus ad benè agendum iustificatos manet. 1 Pet. 1. Animas uestras purificastis obediendo ueritati per Spiritũ sanctũ, cum charitate fraterna. 1 Pet. 5. Diabolo resistite solidi fide. 2 Pet. 1. Omni adhibito studio, subministrate in fide uestra uirtutẽ. 1 Ioban. 3. Omnis q̃ habet hãc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est. 1 Ioan. 5. Hæc est uictoria quæ uincit mundũ, fides nostra. Ibid. Qui genitus est ex Deo, seruat seipsum, et malus ille nõ tangit eũ. Ro. 14. Quicqd nõ est ex fide, peccatũ est. Gal. 2. Vitam quã nunc uiuo, per fidẽ uiuo filij Dei. Eph. 3. Vt inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris. Autor epist. ad Ebr. 11. fidem fuisse omnũ bonorum operũ, eorum qui in ueteri Testamẽto res bonas & magnas gesserunt, docet. Per fidem expugnarũt regna, operati sunt iusticiã, assequuti sunt promissiones. Iudas: Sanctissimæ uestræ fidei uosmetipsos superstruentes, per Spiritum sanctum orantes, &c. Huc etiam pertinent testimonia quibus docuimus suprà, iustificationẽ & fidem esse causas bonorũ operũ, quæ propter prolixitatẽ hîc nõ repetimus.

Notatu aũt dignum est, quòd in huiusmodi testimonijs, ubi bona opera menti & uolũtati regeneratæ adscribuntur, plerunq; Dei, Christi & Spiritus sancti uirtus includatur, ut Deus principalis causa bonorũ operum agnoscatur, & ne quis glorietur ob sua bona opera, quasi ex se perfecerit ea, sed ut Deo omnia ea quæ à nobis benefiũt, accepta referamur: iuxta regulam, Qui gloriatur, glorietur in Domino. 1 Cor. 1. Quid autem habes, quod nõ accepisti? quòd si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1 Corinth. 4. Ego uerò absit ut glorier, nisi in cruce Iesu Christi: Galat. 6.

Dilectionẽ Dei causam propinquã esse dilectionis erga proximum, Ioannes monet 1 epist. 4. Qui diligit Deũ, diligat & fratrẽ suũ. Et paulo antè: Si qs dixerit, Diligo Deũ, et fratrẽ suũ oderit, mendax est. Qui enim nõ diligit fratrem suum quẽ uidet, Deũ quem nõ uidet quomodo potest diligere? Paulus uerò docet, dilectionẽ erga proximũ esse fontem omnũ aliorũ operũ secũdæ tabulæ: Gal. 5. Nã tota lex in uno uerbo cõpletur, nempe hoc, Diliges proximũ tuũ ut teipsum. Ro. 13. Nam q̃ diligit alterũ, legem expleuit: siquidẽ illa, nõ adulterabis, nõ occides, nõ furaberis, non falsum testimonium dices, nõ concupisces, & si quod aliud præceptũ in hoc sermone summatim cõprehenditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Idem 1 Cor. 13 repetit: & Petrus 1 epist. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum.

Quòd uerò homines non renati, externa quædã opera legis sine fide & Spiritu sancto præstare posint, dictum est suprà in loco de homine non renato, at hîc de iustificatis agitur.

Docent aũt ea opera esse facienda, quæ Deus in suo uerbo præceperit. Quod primùm inde cõstat, q̃ omnes de nullis alijs operib. loquũtur q̃ de ijs quæ in Decalogo sunt cõprehensa, ut postea demonstrabitur. Deinde eiusmodi sentẽtias etiã præponũt, quibus bona opera à Deo præcepta, faciẽda esse monẽt. 1 Pet. 4. Sed uoluntati Dei, quod superest tempus in carne, uiuat. 1 Ioã. 2. Qui facit uoluntatẽ Dei, manet in æternũ. 1 Ioã. 5. Hæc est charitas Dei, ut præcepta eius seruemus, & præcepta eius grauia non sunt. Ro. 3. Legem igitur irritã facimus per fidẽ? absit: imò legem stabilimus. Idem Ro. 7 docet suo exẽplo, quòd renati debeãt facere opera à Deo in lege præcepta. Galat. 5. Tota lex in uno uerbo cõpletur: Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Eph. 2. Conditi in Christo Iesu ad bona opera, ut in eis ambularemus. 1 Thess. 4. Hæc est uolũtas Dei, sanctificatio uestra. 1 Timot. 1. Finis præcepti est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. Item, Scimus quòd lex bona sit, si quis legitimè utatur. Autor etiam epist. ad Ebræ. nulla alia renatis præscribit bona opera, quàm ea quæ in Decalogo cõprehensa sunt. Idem facit epistola Iacobi & Iudæ.

Postremò electitia opera ab hominb. excogitata, et traditionibus hominũ præcepta, nõ tantùm non præcipiunt, sed etiã apertè reijciunt, si cum opinione cultus

fiant, ut

fiant, ut patet ex Gal. 4. Col. 2. De ijs uerò, ubi nõ accedit opinio cultus, idẽ 1 Tim. 4. inquit: Profanas et aniles fabulas reijce, quin potius exerce teipsum ad pietatem. nã corporalis exercitatio paululũ habet utilitatis.

Interiora simul et exteriora opera à Deo exigi docent, ut suprà de lege est demonstratũ, et paulo pòst ex catalogo bonorũ operũ apparebit. quibus & hæc testimonia accẽseri possunt, Act. 24. Ipse studeo sine offendiculo, conscientiã habere bonã erga Deũ, & erga homines semper. 1 Pet. 2. Abstinete à carnalib. cõcupiscentijs, quæ militãt aduersus animã, & cõuersationem uestram honestã habete inter gentes. Idẽ 1 Pet. 3. de sanctis mulieribus dicit, q; occulto homine, qui est in corde, ornatæ fuerint, & habuerint spiritum placidum & quietũ, & obtemperarint suis maritis. 1 Ioã. 3. Qui odit fratrẽ suũ, homicida est. Ibid. Qui habuerit substantiã mũdi, & uiderit fratrẽ suũ egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? filioli mei ne diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere & ueritate. Ro. 12. Obsecro uos fratres, &c. ut præbeatis corpora uestra hostiã uiuentem, sanctã, acceptã Deo, rationalẽ cultũ uestrũ, & ne accõmodetis uos ad figuram huius seculi, sed trãsformemini per renouationem mẽtis uestræ. 1 Cor. 13. Nunc aũt manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas. Gal. 5. Caro cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ. Ebr. 12. Pacem sectemini cum omnibus, et sanctimoniã, sine qua nemo uidebit Dominũ, curã agẽtes, ne quis sit q; deficiat à gratia Dei, ne qua radix amarulentiæ suppullulãs obturbet, & per hãc inquinẽtur multi, ne quis scortator aut prophanus. Iac. 2. Quisquis totã legem seruauerit, delinquet aũt in uno, factus est omniũ reus.

Plurimis autem elegantißimis sententijs paßim bona opera præscribunt, quæ quasi in catalogo secundum decem præceptorum seriem cõmemorabimus, ut planum fiat, quòd Apostoli ad opera in lege præcepta iustificatos deduxerint, & cohortati sint.

CATALOGVS BONOrum operum.

OPERA PRIMI PRAECEPTI.

¶ Opera primi præcepti quæ Apostoli renatis præcipiũt, hæc ferè sunt: Vera agnitio Dei. 1 Pet. 2. Gustatis, q; benignus sit Dominus. Itẽ, Qui è tenebris uos uocauit in admirabilẽ suã lucẽ. 2 Pet. 1. In uirtute scientiam. 2 Pet. 3. Crescite in gratia & cognitione Domini nostri Iesu Christi. 1 Ioan. 2. Per hoc scimus q; cognouimus eũ, si præcepta eius obseruamus. Ibid. Scribo uobis patres, quoniã cognouistis eũ qui ab initio est. 1 Iohan. 5. Dedit nobis mẽtem, ut cognoscamus illũ qui uerus est. 2 Ioan. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrẽ & filiũ habet. 1 Tim. 2. Deus uult cũctos homines saluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Rom. 12. Trãsformemini per reformationem mẽtis uestræ, ut probetis quæ sit uolũtas Dei, quod bonũ est acceptũ q; & perfectũ. 1 Cor. 8. Scimus q; nullũ est simulachrũ in mũdo, & q; nullus sit Deus alius quàm unus. 1 Cor. 13. Nunc cognosco ex parte, tũc uerò cognoscã ut cognitus sum. Galat. 4. Cognouistis Deũ. 2 Thes. 2. Fratres state, & tenete institutiones quas à nobis didicistis, siue per sermonem, siue per epistolã. Ephes. 1. Spiritũ reuelationis, per agnitionem sui, illuminatos oculos. Eph. 3. Vt ualeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & profunditas & sublimitas, cognoscereq; præeminẽtem cognitionis dilectionẽ Christi. Ephes. 4. Renouari spiritu mentis uestræ. Ephes. 5. Ne sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit uoluntas Domini. Col. 1. Vt impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali.

Timor Dei: 1 Pet. 3. Terrore illorum ne terreamini, neq; turbemini, sed Dominũ Deũ sanctificate in cordibus uestris. 1 Pet. 2. Deũ timete. Act. 9. Ecclesiæ ædificabãtur, uersantes in timore Domini. Apo. 15. Quis nõ timebit te Domine? Apoc. 14. Timete Deũ, & date illi honorẽ. 2 Cor. 7. Perficientes sanctimoniã cũ timore Dei. Ro. 11. Ne efferaris animo, sed timeas. Col. 3. Cum simplicitate cordis timentes Deum. Philip. 2. Operamini salutem uestram, in timore & tremore.

Tristicia secundum Deum, seu pœnitentia, seu contritio. 2 Cor. 7. Iac. 4. Affligimini & lugete.

Humilitas coram Deo. 1 Pet. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut uos extollat cum fuerit opportunum. Item, Humilibus dat gratiam. Ibidem, & Iac. 4. Subditum esse Deo, & resistere diabolo: Iac. 4.

Fides. 1 Pet. 5. Resistite fortes in fide. 2 Pet. 1. Subministrate in fide uestra uirtutem. 1 Iohan. 3. Hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius. Apoc. 2. Esto fidelis usq; ad mortem. Galat. 5. Fides per charitatem operans. 1 Timoth. 1. Finis præcepti est charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Item: Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. 1 Tim. 6. Tu homo Dei sectare fidem, &c. Perseuerare in fide: Ebræ. 3 & Colos. 1.

Pietas erga Deũ. 2 Pet. 1. In patientia præstate pietatem. 1 Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est. 1 Timot. 6. Sectare fidem & pietatem. 2 Tim. 2. Seruio Deo pura conscientia. Ro. 1. Deũ spiritu colo. Act. 2. 4. Colo patrium Deũ, credens omnib. quæ in lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in Deum. Ebræ. 12. Habeamus Deum, ut illi placeamus cum reuerentia & religione. Significat tamen interdum pietas, beneficentiam in proximum, ut postea in quinto Præcepto dicetur.

Spes. 1 Pet. 2. Perfectè sperate in eã quæ ab uobis est spe. 1 Ioan. 3. Omnis qui habet hanc spem, in eo purificat seipsum. 1 Pet. 5. Omnis cura in illũ iecta, quoniã ipsi est cura de uobis. Philip. 4. De nulla re solliciti sitis. Ro. 5. Probatio spem, spes uerò nõ confundit. Ro. 12. Spe gaudentes. Ro. 15. Vt per patientiã & consolationem spem habeamus. Ibid. Vt abundetis in spe. 2 Cor. 3. Habẽtes talem spem. Col. 1. Si tamen permanetis immobiles à spe Euangelij. 1 Thess. 5. Galeam, spem salutis. 2 Thes. 2. Dedit spem bonã in gratia, 1 Tim. 4. Speramus in Deũ uiuum. 1 Tim. 5. Vidua speret in Domino. 1 Timoth. 4. Spem fixã habemus in Deo uiuẽte. Eb. 3. Si gloriã Dei ad finem usq; firmã tenuerim⁹. 1 Tim. 6. Ponãt spem in Deo uiuẽte, q; præbet nobis omnia affatim ad fruendũ.

Quærere superiora & nõ terrestria: Col. 3. Phil. 3.

Gloriatio in Domino. 1 Corinth. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. 2 Corinth. 10. & Philippen. 3. Gloriamur in Domino Iesu.

Gaudium in Domino. Philip. 3. & 4. Gaudium in Spiritu sancto: Roman. 14. Galat. 5. 1 Ioan. 1.

Pax conscientiæ & tranquillitatis: Rom. 5. Galat. 5. Coloß. 3. Pax Dei palmam ferat in cordibus uestris.

Dilectio

Dilectio Dei. 1 Petri 1. Christum quem non uidistis, diligitis. 1 Ioannis 4: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et postea: Nos diligimus eum, quia prior dilexit nos. 1. Corinth. 8. Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab illo. 2 Thessal. 3. Dominus dirigat corda uestra in dilectionem Dei, & expectationem Christi.

Tolerantia in cruce. 1 Pet. 1.2.3.4. Quòd cõsortes estis afflictionũ Christi, gaudete, &c. proinde qui affliguntur iuxta uoluntatem Dei, tanquã apud fidelem conditorem deponant animas suas benefaciendo. & 2. Petri 1. & Roman. 12. In afflictione patientes. Iac. 5. Patientes estote uos, & confirmate corda uestra.

Desiderium aduentus Christi. 2 Tim. 4. Philipp. 3. Colossen. 3. Apocal. 22. Spiritus & sponsa dicunt, Veni: & qui audit dicat, Veni.

Peccata contra primum præceptum.

Econtrà uerò peccata contra primum præceptum damnant, qualia sunt: Ignorare uerum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. 2 Petri 1. Cum ignoraretis Christũ. 1 Pet. 2. Hominibus stultis & ignorantibus. 2 Pet. 3. Volentes nesciũt. 1 Ioan. 3. Mundus non nouit uos, quia non nouit Deum. Gal. 4. Tum quidem cum ignoraretis Deũ, seruiebatis ijs qui non sunt Dij. Ephes. 2. Eratis in tempore illo sine Christo, &c. spem non habentes, Deoq; carentes in mundo. Eph. 4. Gentes ambulant in uanitate mentis suæ, dum mentem habent obtenebratã, abalienati à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in illis, & excæcationem cordis eorũ. Rom. 10. Ignorantes iusticiam Dei, propriam uolũt constituere. 1 Corint. 5. Ignorantiam Dei quidam habent. Actor. 17. Quem ignorantes colitis, ego annuncio. Ibidem, Inueni aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo.

Idololatria. 1 Pet. 4. Gentium uoluntatem patrauimus, &c. Nefarijs idolorũ cultibus. 1 Ioan. 5. Filioli custodite uobis à simulachris. Apoc. 2. Habes illic tenentes doctrinã Balaam, q docebat in Balaac mittere scandalum coram filijs Israel, edere ex his quæ simulachris immolantur. Apo. 9. Vt nõ adorarent dæmonia & simulachra aurea & argentea, & lapidea, & ærea, & lignea, quæ neq; uidere possunt, neq; audire, neq; ambulare. Apo. 21. Idololatris erit pars in stagno ardẽti igne & sulphure. Apo. 15. Si quis adorauerit bestiã, & imaginẽ eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ Dei. Acto. 15. & 21. Abstineatis uos ab immolatis simulachrorũ. 1 Cor. 8. Si quis cõspexerit te qui habes scientiã, in epulo simulachrorũ accumbentẽ, non'ne cõscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ad edendum ea quæ simulachris sunt immolata? 1 Cor. 10. Neq; simulachrorũ sitis cultores, sicut quidã illorũ. Et postea: Quæ immolãt Gentes, dæmonijs immolãt, non Deo. Nolim aũt uos consortes esse dæmoniorũ. Non potestis poculũ Domini bibere, & poculũ dæmoniorũ: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorũ. 2 Cor. 6. Quis cõsensus templi Dei cũ idolis? 1 Thess. 1. Conuersi estis ad Deũ à simulachris. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, &c. cultus idolorum. Rom. 1. Mutauerũt gloriam immortalis Dei, per imaginẽ, nõ solùm ad mortalis hominis similitudinẽ effictam, uerùm etiam uolatilium & quadrupedũ & reptilium, &c. qui cõmutauerũt ueritatem eius mendacio, & uenerati sunt coluerunt q; ea quæ cõdita sunt, supra eum qui condidit, qui est laudandus in secula. Act. 14. Lystrenses Lycaonicè uociferantur de Paulo & Barnaba, Dij in specie hominũ descenderũt ad nos, &c. sacerdos aũt Iouis, qui erat ante ciuitatem illorum, tauros et coronas ad uestibula afferens, cum turbis uolebat sacrificare. Act. 8. Samaritani Simonem magum pro uirtute Dei magna uenerantur.

Abnegare Deum. 2 Pet. 2. Etiam Dominum qui ipsos mercatus est abnegantes. 1 Ioan. 2. Qui negat filiũ, is ne Patrem quidem habet. 1 Ioan. 5. Spiritus antichristi, negat Christum in carnem uenisse. 2 Ioan. Qui non manet in doctrina Christi, Deum nõ habet. Tit. 1. Deũ profitentur se scire, uerùm factis negant. 2 Tim. 3 Habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarint.

Vacare timore Dei. Rom. 2. Iuxta duriciem tuam, & cor pœnitere nesciens, colligis tibi ipsi iram.

Timere homines aut alias creaturas magis quàm Deum. 1 Petri 3. Terrore eorum ne turbemini.

Timor seruilis. 1 Ioã. 4. Timor nõ est in charitate. Item, Timor cruciatũ habet. 2 Tim. 1. Non dedit nobis Deus spiritũ timiditatis. Rom. 8. Non accepistis spiritũ seruitutis ad timorem. Apoc. 21. Timidis & incredulis, &c. pars illorum erit in stagno igni ardente. Securitas. 1 Thess. 5. Proinde ne dormiamus sicut & cæteri, sed uigilemus et sobrij simus: nã qui dormiũt, noctu dormiunt. Ro. 13. Cùm sciamus q, tempestiuum sit, nos iam à somno expergisci. Ephes. 5. Expergiscere qui dormis.

Contritio, seu tristitia, seu dolor mundi. 2 Corint. 7. Superbia efferens sese contra Deum 1 Pet. 5. Deus resistit superbis. Roman. 1. Elati.

Non credere, seu incredulitas. 1 Pet. 2. Iis qui non credũt, lapis quem reprobauerũt ædificantes. 1 Pet. 4. Non credũt Dei Euangelio. 1 Pet. 3. Qui increduli fuerũt. 1 Ioã. 5. Qui nõ credidit Deo, mendacem eũ fecit. Apo. 21. Incredulis pars in stagno ignis. 2 Thes. 2. Vt iudicẽtur omnes qui nõ crediderunt ueritati. Tit. 3. Eramus enim & nos aliquando insipientes & increduli. Ro. 11. Propter incredulitatem fracti sunt. Ibidem: Conclusit omnia sub incredulitatem. Ebr. 3. Quibus autem iurauit, nõ intrare in requiem suam, nisi illis, qui increduli fuerunt? Ebr. 4. Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodẽ cõcidat incredulitatis exemplo.

Non esse sanũ in fidẽ, sed attẽdere Iudaicis fabulis et præceptis hominũ, habere pollutã mentem & cõscientiam. Tit. 1. Circa fidem naufragium fecisse: ut Hymenæus & Alexander. 1 Tim. 1. Asiani Phygelus & Hermogenes. 2 Tim. 1. Hymenæus & Philetus. 2 Tim. 2.

Beneficium Christi reijcere, & proprijs operibus laudem iusticiæ coram Deo adscribere. Galat. 2. Non aspernor gratiam Dei. Roman. 7. & 10.

A' uia iusticiæ & agnita ueritate conuerti. 2 Petri 2. Transferri in aliud Euangelium. Galat. 1. Iterum seruire infirmis elementis mundi, obseruare dies & menses. Galat. 5. & Ebræ. 10. Ne abieceritis fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem.

Desperare: exemplum est in Iuda, Actor. 1.

Habere fidem simulatam: 2 Timoth. 1.

Habere fidem mortuam & diabolicam: Iac. 2.

Non diligere, sed odisse & cõtemnere Deum. Item, Diligere mundũ & res alias plus quàm Deũ. 1 Ioan. 2.

Ne dili-

Ne diligatis mundum, & ea quæ sunt in mũdo. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Rom.1. Dei oſores. 2 Timoth.3. Homines amãtes sui. & paulo pòst, Voluptatem potius amãtes quàm amantes Dei. 1. Cor.16. Si quis non diligit Dominũ Iesum Christum, sit anathema, maranatha. Ebr. 12. Videte ne aſpernemini eum qui loquitur. nam si illi non effugerũt, qui auersabantur eum qui loquebatur in terra: multo magis nos, si eũ qui de cœlis est, auersemur. Iac.4. Neſcitis q, amicitia mundi est inimicitia cum Deo? quicunq; ergo uoluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.

Impatienter ferre crucem. 1 Corinth.10. Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerũt, & à serpentibus extincti sunt: neque murmuretis, sicut & quidam illorũ murmurauerũt, & interempti sunt, &c.

OPERA SECVNDI PRAECEPTI.

¶ Sacras literas, in quibus Deus suam patefecit uoluntatẽ, reuerẽter & diligenter legere, meditari & diſcere, ad seipsum cõfirmandum in fide, & purã doctrinam conſeruare & propagare. Act.17. Theſſalonicenſes quotidie ſcrutantes ſcripturas, an ſe ita haberent. 1. Pet.2. Lac illud animi appetite. 2 Petri 1. Rectè facitis quòd attenditis prophetico ſermoni. 2 Pet.3. Memores ſitis uerborum quæ prædicta sunt à ſanctis prophetis, & mãdati noſtri, qui ſumus Apoſtoli. 1 Ioã.2. Quod audistis ab initio, in uobis maneat. Ro.15. Quæcunq; præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, ut per patientiam & cõſolationem ſcripturarũ, ſpem habeamus. 1 Tim.4. Attẽde lectioni. 2 Tim.3. At tu perſiſte in his quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris, et q, à puero ſacras literas noueris, quæ te poſſunt eruditũ reddere ad ſalutẽ per fidem quæ est in Chriſto. 2 Tim.1. Formã habeto ſanorũ ſermonũ, quos à me audiſti, cũ fide & charitate, quæ est in Chriſto Ieſu, egregium depoſitũ ſeruato per Spiritũ ſanctũ.

De uerbo Dei, eiusq; operibus reuerẽter & aſsiduè loqui, ſiue in ſcriptis, ſiue in lingua nota coram aliis, ad eos lucrifaciẽdos & ædificãdos. 1 Pet.3. Sitis parati ad reſpõdendum cuilibet petenti, ut loquamini de ea quæ in uobis est ſpe, cũ manſuetudine & reuerentia conſcientiã habentes bonã. 2 Pet.3. Quemadmodũ dilectus frater noſter Paulus iuxta ſibi datam ſapientiã ſcripſit uobis, etiã in omnib. ferè epiſtolis loquẽs de his. 1 Ioan. 4. Omnis ſpiritus q confitetur Chriſtũ in carne ueniſſe, ex Deo est. Ro.12. Siue q docet in doctrina, ſiue qui exhortatur in exhortatione. Ro.15. Quòd et ipſi pleni estis bonitate, impleti omni ſciẽtia, ualentes etiã inuicem alius aliũ admonere. 1 Cor.14. Qui prophetat hominib. loquitur ædificationẽ & exhortationẽ & cõſolationẽ. Eph. 4. Sermo bonus, ad ædificationẽ ſcilicet, procedat ex ore uestro. Col.3. Sermo Chriſti inhabitet in uobis opulẽtè, cũ omni ſapiẽtia, docetéq; & cõmonete uos inuicẽ. Col.4. Sermo uester cũ ſale ſit cõditus, ut ſciatis quomodo oporteat uos unicuiq; reſpondere. 1. Theſ. 4. Conſolemini uos mutuò ſermonibus his. Ibid. Adhortemini uos mutuò, & ædificetis ſinguli ſingulos.

Fugere Antichriſtũ, eiusq; ſpiritũ, pſeudoprophetas & pſeudoapoſtolos, hæreticos, meretricẽ Babylonicã, et errores cũ uerbo Dei pugnãtes. 2 Pet.2.3. Cauete ne ſimul cũ aliis neſariorũ errore abducti, excidatis à propria ſtabilitate. 1 Ioã.2,4. & 2 Ioã. Ne recipiatis eũ in domũ, & ne aue ei dixeritis. Apo.2. Odiſti facta Nicolaitarũ, & ego odi. Apo.14. Si quis adorauerit beſtiã & imaginẽ eius, &c. & Apo.10. Exite ex ea. Rom.16. Conſideretis eos q diſsidia et offendicula cõtra doctrinam quã didiciſtis gignũt, & declinetis ab illis. Gal.1. Si quis aliud euangeliũ, &c. anathema ſit. Epheſ.4. & Phil.3. Cauete canes, cauete malos operarios, &c. Colloſſ.2. Ne citò dimoueamini à mẽte. 1, Tim. 6. Depoſitũ ſerua, deuitans profanas uocũ manitates. 2 Tim.3. Iſtos auerſare. 1 Theſ.5. Omnia probate, quod bonum est tenete. Tit.3. Hæreticũ hominem, &c. deuita. Act. 20. Attendite uobis & cuncto gregi.

Deũ in nomine Chriſti, & uera fide inuocare, & petere, cùm corporalia, tũ ſpiritualia beneficia. 1 Petri 1. Patrẽ inuocatis citra reſpectũ perſonarũ iudicantem. 1 Pet.4. Sobrij eſtote, & uigilate ad orandũ. 1 Ioan.3. Quicqd petierimus, accipimus ab eo. 1 Ioan.5. Hæc est fiducia quã habemus ad eũ, q, ſi quid petierimus ſecundum uoluntatem eius, dabit nobis. 2 Theſ.3. Orate fratres pro nobis, ut ſermo Domini currat, & glorificetur ſicut & apud uos. Col.4. Obſecrationi inſtate, uigilantes in ea cum gratiarum actione, orãtes ſimul & pro nobis. Eph.6. In omni deprecatione & obſecratione orantes, in omni tempore, in ſpiritu, &c. deprecatione pro omnibus ſanctis, et pro me. 2 Tim.2. Cum his qui inuocãt Dominũ corde puro. 1 Tim.2. Fiãt deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Phil. 4. In omni precatione & obſecratione, cum gratiarũ actione petitiones uestræ innoteſcant apud Dominũ. Iac.5. Si quis eſt ſtigitur inter uos, oret: æquo animo quis eſt, pſallat.

Deo pro acceptis beneficijs gratias agere, et beneficia eius prædicare. 1 Pet.2. Vt uirtutes illius prædicetis, &c. itẽ, Glorificẽt Deũ in die uiſitationis. 1 Pet.4. Glorificet Deũ in parte hac. Ibid. Vt in omnib. glorificetur Deus p Ieſum Chriſtũ, cui eſt gloria & imperiũ in ſeculũ ſeculorũ. 1 Pet.5. Ipſi gloria & imperiũ in ſecula ſeculorũ. Paulus ferè omnes ſuas epiſtolas à gratiarum actione orditur. Præterea iubet etiã alios gratias agere Deo. Epheſ.5. Loquentes uobiſmetipſis per pſalmos & hymnos & cãtiones ſpirituales, canentes et pſallentes in corde uestro Domino, gratias agentes ſemper de omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & patri. 1 Theſ.5. Semper gaudete, indeſinenter orate, in omnib. gratias agentes. Col.3. Commonete uos inuicem cãtionibus & laudibus & cantilenis ſpiritualibus, cum gratia canẽtes in corde uestro: & quicquid egeritis in ſermone aut facto, omnia in nomine Domini Ieſu facite, gratias agentes Deo & patri per illũ. 1 Tim.4. Cibos Deus creauit ad ſumẽdum cũ gratiarũ actione fidelib. &c. Nihil reijciendũ, ſi cum gratiarũ actione ſumatur: ſanctificatur enim per ſermonẽ Dei, & precationem. 1 Cor.6. Glorificate Deum in corpore uestro, quæ ſunt Dei. Galat. 1. In me glorificabant Deum. Rom. 15. Vt gentes pro miſericordia glorificent Deum, ſicut ſcriptum eſt, Propter hoc cõfitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Et rurſum dicit: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.

Benedicere ſeu benè precari Deo & alijs. 1 Petri 3. Contrà benedicentes, ſcientes uos in hoc uocatos eſſe, ut bene-

ut benedictionem hæreditate posſideatis. Rom.12.Benedicite persequentibus uos.1 Cor.4.Maledicimur,& nos benedicimus.Iac. 3.Lingua benedicimus Deo.1 Corinth.14. Quomodo dicet amẽ super tua benedictione?

Deum & fidem suam tempore persecutionis confiteri,& propter confeßionem pati.1 Pet.4:Si quis affligitur ut Christianus, glorificet Deum in parte hac.1 Cor.15.Fratres ſtabiles ſitis,immobiles,abundãtes in opere Domini ſemper, cum ſciatis, quòd labor ueſter nõ eſt inanis coram Domino.Rom.10.Ore fit confeßio ad ſalutem. 2 Cor.4. Credidi,& ideo locutus ſum:& nos credimus,quapropter & loquimur.et paulo antè:Perſecutionem patimur,& in ea non deſerimur,&c.Semper nos qui uiuimus, in mortem tradimur, propter Ieſum. 2 Tim.3. Tu aſſectatus es doctrinam meam, &c. Perſequutiones & afflictiones quæ mihi acciderũt,etc. Sed & omnes qui uolũt piè uiuere in Christo Ieſu,perſequutionem patiẽtur.Phil.2.Omnis lingua cõfiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Christus,ad gloriã Dei patris. 1 Tim.6. Confeſſus bonã confeßionem coram multis teſtibus.Ebr.13. Per ipſum offerimus fructũ labiorũ confitentium nomini eius. Ebr. 4. Teneamus ſpei noſtræ confeßionem.

Cum neceſſitas poſtulat confirmandæ ueritatis gratia,ad honorẽ Dei, & utilitatem proximi, per nomen Dei iurare.2 Cor.1. Ego uerò teſtem Deum inuoco in animã meã. Gal.1.Porrò quæ ſcribo uobis, ecce coram Deo nõ mentior.1 Theſ.2.Deus eſt teſtis.1 Tim.1.Certus ſermo,& dignus omniũ apprehenſione.1 Tim.3.Indubitatus ſermo.Idem ad Tit.3.Apoc.10.Controuerſiarũ finis ad confirmationem eſt iuramentum.

Peccata contra II præceptum.

Prohibent etiam opera pugnãtia cum ſecundo præcepto, cuiuſmodi ſunt: Sacras literas et uerbũ Dei irreuerenter tractare,deprauare,malè detorquere.2 Pet.3. Inter quæ ſunt difficilia quædam intellectu,quæ indocti parumq; firmi detorquent, ſicut & cæteras ſcripturas,ad ſuam ipſius perniciem.Apoc.22.Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de uerbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro uitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.et 2 Theſſ. 2.Neq; turbemini,neq; per ſpiritũ, neq; per ſermonem,neq; per epiſtolam,tanquam à nobis profectam.

Inducere ſectas perniciosas, uiam ueritatis maledicis afficere,in his quæ nõ intelligunt maledicere,conuiari in erroribus ſuis, faſtuoſa uanitatis uerba ſonare. 2 Pet.2.Eſſe illuſorem & contemptorẽ doctrinæ de extremo iudicio. 2 Pet.3.Negare Ieſum eſſe Christum. 1 Ioan.2. Eſſe ſpiritũ erroris & Antichriſti.1 Ioan.4.& 2 Ioan.Non confiteri Ieſum Christum in carne uenißeſti, eamq; non afferre. 2 Ioan.

Diſſidia & offendicula gignere contra doctrinam ſynceram,& per blandiloquentiam & aſſentationem decipere corda ſimplicium.Rom.16.

Negare reſurrectionem mortuorum, & prauis colloquijs bonos mores corrumpere. 1 Cor.15.

Spiritũ extinguere,et prophetas aſpernari.1 Theſ. 5. Hæreſes.1 Cor.11.Gal.5.

Deprauare doctrinam Euangelij. Gal.1.

Nõ recto pede incedere ad ueritatẽ cuãgelij.Gal.2.

Ex contentione Chriſtum annunciare non purè,ſed per inuidiam.Phil.1.

Corrumpere doctrinam ſynceram per philoſophiã et inanem deceptionem,iuxta conſtitutionem hominũ, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum: palmã interuertere data opera, per humilitatem & ſuperſtitionem angelorum. Col.2.

Adoriri per uerſutiam et aſtutiam minus confirmatos in doctrina,& eis imponere ut fluctuent & circumferantur quouis uento doctrinæ.Epheſ.4.

Cauponari ſermonem Dei.2 Cor.2.

Sua uerſutia ſeducere ſimpliciores,ſicut ſerpens Euam: & eſſe operarium doloſum, aſſumere perſonam apoſtolorum Chriſti: eße miniſtrum diaboli, transfigurantis ſeſe in angelum lucis.2 Cor.11.

Faſcinare homines ne credant ueritati.Gal.3.

Ambire eccleſiam,eamq; excludere,ut ſe æmuletur. Galat.4.

Impedire alios ne obediãt ueritati,& fermẽtare totam conſperſionem,conturbare eccleſiam. Gal.5. Eſſe malum operariũ in uerbo Dei, gloriari in carne & iuſticia legis, ambulare ut inimicum Chriſti, colere Deũ uentrem,curare terreſtria.Philip.3.

Loqui ex impoſtura & immundicia,& dolo,ut hominibus placeas: uti ſermone adulationis, quærere gloriam ex hominibus.1 Theſſ.2.

Præfinire extremo diei certũ diem.Act.1.2.Theſ.2.

Eße hominem ſceleroſum,& filium perditionis,& aduerſariũ: efferri aduerſus omnem qui dicitur Deus, aut numen:in templo Dei ſedere,oſtentare ſeipſum eſſe Deum: eſſe myſterium iniquitatis,uenire ſecundũ operationẽ ſathanæ,cum omni potentia ac ſignis et prodigijs mendacibus, et cum omni deceptione iniuſticiæ, credere mendacio,approbare iniuſticiam.2 Theſ.2.

Proponere fabulas & genealogias nunquam finiendas.1 Tim.1.

Legẽ nõ rectè intelligere,et malè uſurpare.1 Tim.1.

Deficere à fide, attendere ſpiritibus impoſtoribus & doctrinis dæmoniorum, per ſimulationem loqui falſa, habere cauterio notatam conſcientiam, prohibere nuptias & cibos.1 Tim.4.

Diuerſam doctrinam ſequi,& ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Christi non accedere, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ: inflatum eſſe, nihil ſcire,inſanire circa quæſtiones & diſputationum pugnas, eſſe mente corruptum,amiſiſſe ueritatem, pietatem exiſtimare quæſtum eſſe.1 Tim.6.

Verborũ pugnas ſequi ad nullam utilitatem, ſed ad ſubuerſionem audientium,aberrare circa ueritatem, aſſerere factam eſſe reſurrectionem, obſiſtere ueritati, captum eſſe laqueo diaboli.2 Tim.2.

Non modò per ſe errare,ſed etiam in errorem abducere alios. 2 Tim.3.

Sanam doctrinam non ſuſtinere, ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruare ſibi doctores, & à ueritate aures auertere,& ad fabulas conuerti.2 Tim.4.

Eſſe intractabilem,uaniloquum,mentium ſeductorem,totas domos ſubuertere, docere ea quæ non oportet turpis lucri gratia,Iudaicis fabulis attendere,et præ

ceptis hominum auersantium ueritatem. ad Tit. 1.

Dei nostri gratiam transferre ad lasciuiam, & Deũ qui solus herus est, & Dominum nostrum Iesum Christum negare: Iudas.

Negligere gratiam Dei, & aspernari eum qui loquitur, Ebr. 12. Doctrinis uarijs & peregrinis circumferri. Ebr. 13.

Nõ uerè inuocare Deum. Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Adorare homines. Act. 10. Cornelius procidens ad pedes Petri, adorabat eum. Petrus uerò erexit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Adorare angelos. Apoc. 19 & 22 Ioannes prohibetur adorare angelum.

Adorare bestiam & imaginem eius. Apoc. 14.

Adorare Moloch & sidus Rempham. Act. 7.

Adorare idola. 1 Pet. 4. Ioan. 5. Apoc. 9. 21. Act. 15. 21. 1 Cor. 8. 10. 1 Thes. 1. Gal. 5.

Orare pro peccato ad mortem. 1 Ioan. 5.

Orare cum hæsitatione. Iac. 1. Malè petere. Iac. 4. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in uoluptatibus uestris insumatis.

Negligere orationem. Iac. 4. Non habetis, quia non postulatis.

Ingemiscere aduersus alios. Iac. 5.

Turbare preces. 1 Pet. 2.

Deo nõ agere gratias pro beneficijs, nec glorificare aut celebrare: sed Deum, eiusq; uerbum & opera blasphemare. 2 Pet. 2.

Blasphemare. 2 Pet. 2. Michael archangelus quum aduersus diabolũ certãs, disceptaret de corpore Moisi, non ausus est illi impingere notam maledicti: sed dixit, Increpet te Dominus. At isti qui non nouerunt, maledictis insectantur: Iudas. Angelus Domini percussit Herodẽ, eo quòd non dedisset Deo gloriam. Act. 12. Act. 13. Cõtradicebant his quæ à Paulo dicebantur blasphemantes. Act. 26. Compellebam blasphemare. Rom. 2. Nomẽ Dei blasphematur per uos inter gentes. 1 Tim. 1. Eram blasphemus. Iac. 2. Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super uos? 1 Cor. 6. Maledicti regni Dei hæreditatem non accipient.

Non confiteri, sed abnegare tempore persecutionis. 2 Tim. 2. Si negamus, & ille negabit nos. Pati ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. 1 Pet. 4.

Temerè abuti iuramentis & nomine diuino. Iac. 5. Nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram, neque aliud quodcunq; iuramentum ex leuitate. Deierare. 2 Tim. 1. Lex est posita periuris.

OPERA III PRAECEPTI.

Operum tertij præcepti horum ferè meminerunt. Amare & ornare congressus publicos. 1 Cor. 14. Si conuenerit tota ecclesia simul, & omnes linguis loquãtur, ingrediantur aũt indocti aut increduli, nónne dicẽt uos insanire? Act. 9. Paulus continuò in synagogis prædicabat Christum. Act. 13. Perga uenerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi synagogam die sabbathorum sederunt. Act. 20. Vno die sabbathorum cum conuenissent discipuli ad frangendũ panem, Paulus disserebat eis. Eb. 10. Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicut mos est nonnullis. In publicis congressibus facere ea quæ tum ministrorum tum auditorum sunt opera.

Opera ministrorum uerbi.

Puram doctrinam sincerè tradere. 2 Tim. 1. Formam habeto sanorum uerborũ quæ à me audisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Iesu, egregium depositum seruato, per spiritum sanctum. & 1 Tim. 4. Attende doctrinæ. Act. 6. Nos administrando sermoni incumbemus. 1 Pet. 4. Loquatur ut eloquia Dei.

Legem & Euangelium rectè secare. 2 Tim. 2. Studeteipsum exhibere Deo operarium, non erubescendum, rectè secantem sermonem ueritatis.

Attendere lectioni. 1 Tim. 4.

Incumbere sacris literis. 2 Tim. 3.

Instituere alios in uia Domini. Act. 18. Priscilla & Aquila exactius instituunt Apollon.

Prophetare, id est, scripturam propheticam enarrare & interpretari. 1 Cor. 14.

Linguis loqui, sed ita ut alius interpretetur. Ibid.

Duobus aut tribus loquentibus dijudicare: & si alij reuelatum aliud fuerit, tacere, & cedere meliora monenti. 1 Cor. 14.

Erudire eos qui obsistunt. 2 Tim. 2.

Contradicentes conuincere. ad Tit. 1.

Vigilare contra lupos. Act. 20.

Arguere & increpare. 1 Tim. 5. Peccantes corã omnibus argue. ad Tit. 1. Increpa eos grauiter.

Exhortari & consolari. 2 Tim. 4. Prædica sermonẽ, insta tempestiuè & intẽpestiuè, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. 1 Thes. 2. Sed fuimus placidi in medio uestri, perinde ac si nutrix foueat filios suos, sic affecto propensi in uos animo, cupidemus uobis non solum Euangelium Dei, uerùm etiã nostras ipsorum animas impartiri.

Monere unumquemq;. Act. 20.

Attendere sibijpsi & gregi. Ibid.

Pascere gregem Christi. 1 Pet. 5.

Vigilare pro animabus. Ebr. 13.

Vti donis suis ad ecclesiæ & aliorum utilitatẽ. 1 Petri 3. Vt dispensatores uariæ gratiæ Dei. Rom. 12. 1 Corinth. 12. Ephes. 4. Gal. 6.

Administrare sacramenta, ita ut à Christo sunt instituta, nempe:

Baptisare, Act. 2. & Philippus baptisat Samaritanos, quibus Petrus & Ioannes imponunt manus, ut accipiant spiritum sanctum. Act. 8. Philippus etiam baptisat eunuchum. Act. 8. Ananias baptisat Paulum. Act. 9. Paulus baptisauit Crispum & Caium, & Stephanæ familiam in Corintho: 1 Cor. 1.

Lapsos pœnitentiam agentes absoluere et recipere. Gal. 6. 2 Cor. 2. Errantes à ueritate, ab errore reducere. Iac. 5. & autor epistolæ Iudæ inquit: Illos autem pertimorem saluos facite, ex incendio rapientes.

Enormiter peccantes, & in impœnitentia perseuerantes, unà cum ecclesia tradere satanæ, seu excommunicare. 1 Cor. 5. 2 Thes. 3. 1 Tim. 1. 2 Tim. 2. & 2. ad Timotum 3. 2 Ioannis.

Cœnam administrare. 1 Cor. 11. Act. 20.

Eligere, uocare & ordinare, unà cum reliquo cœtu ecclesiæ episcopos, presbyteros, & alios ecclesiæ ministros. Act. 6. Apostoli cum ecclesia eligunt, uocant & confirmant diaconos. Act. 14. Cum suffragijs creassent illis per singulas ecclesias presbyteros, precatiq; essent ieiunijs,

ieiunijs cõmendauerũt eos in Domino. Act. 13. Prophetæ & doctores, & ecclesia Antiochena Dei iussu segregant Barnabam & Saulum: quos, cũ ieiunassent & oraßent, imposuissentq; eis manus, dimittunt. 2 Tim.2. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, ut alios quoq; doceant. 2 Tim.1. Suscites donum quod in te est, per impositionem mearum manuũ. ad Tit.1. Reliqui te in Creta, ut quæ desunt pergas corrigere, & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego ordinaram tibi.

Ordinare ceremonias decoro et bono ordini et ædificationi ecclesiæ consentaneas: 1 Cor.14.

Obdurari in afflictionibus, & pro uera doctrina et confessione pati, & mori in suo pastorali officio. Act. 20. 2 Tim.1. Sis particeps afflictionũ euãgelij. 2 Tim.2. Timothee feras afflictiones ut bonus miles Iesu Christi. 2. Timoth.3 & 4.

Orare pro tota ecclesia, et maximè pro ouib. sibi cõmißis: quod Paulus in omnib. suis epistolis facit. Orare pro ægrotis. Iacobi 5.

Nihil facere secundũ propensionẽ animi, nec præcipitare iudiciũ, nec ad gratiã hominũ aliquid facere. 1. Tim.4. Gal.1. Si studerem hominibus placere, Christi seruus non eßem.

Tolerare malos, donec & ipsi resipiscant. 2 Tim.2.

Bono exemplo præire gregi. 1 Pet.5. 1 Tim.4. Esto forma fideliũ in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spe, in fide, in puritate. 1 Tim.6. Sectare iusticiã, pietatẽ, fidẽ, charitatẽ, patientiã, mansuetudinẽ: certa bonum certamen fidei, apprehende uitam æternam.

Huc etiam aliæ conditiones ministrorum Ecclesiæ pertinent. 1 Tim.3. ad Titum 1. 2 Cor.6.

Opera auditorum uerbi.

Discere catechismũ. Gal.6. 1 Cor.14. et 1 Timoth.2. Mulier in silentio discat.

Obedire præpositis suis, ijsq; cedere, quoniã uigilãt pro animab. auditorum. Heb.13. Gal.4. Me uelut angelum Dei suscepistis, uelut Christum Iesum. Testimoniũ enim reddo uobis, quòd si fieri potuisset, oculos uestros effossos dedissetis mihi.

In precio habere pios doctores: 1 Tim.5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur, maxime qui laborãt in uerbo & doctrina. Phil.2. Qui huiusmodi sunt, in precio eos habete. 1 Cor.4. Sic nos æstimet homo, &c. 1 Thess. 5. Rogamus aũt uos fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos, et qui præsunt uobis in Domino, et admonẽt uos, ut habeatis illos in summo precio: per charitatem propter opus illorũ, pacem habete cum illis. 2. Cor.7. Cũ annunciaret nobis uestrũ desiderium, uestrum fletum, uestrum pro me studium.

Imitari fidẽ & exẽpla suorũ doctorũ. Phil.3. Imitatores estote mei. Heb.13. Memores estote eorũ qui præsunt uobis, qui locuti sunt uobis sermonẽ Dei, quorum imitemini fidem. Orate pro doctoribus. Ephes. 6. 2. Thess.3. Heb.13.

In publicis cõgreßibus unà canere, et Deũ inuocare ac celebrare, et Amẽ accinere. 1. Cor.14. Act.4.5. Col.3.

Probare spiritus. 1 Ioan. 4. Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint. 1 Thess.5. Omnia probate, quod bonum est tenete.

Arguere infrugifera tenebrarũ opera, & nihil cum ijs commercij habere. Ephes. 5. Lucere tanquam luminaria in mundo, & sermonem uitæ sustinere. Philip.2.

Baptizari. Act.2.8.16.19.

Vti cœna Dominica. Act.2.20. 1 Corinth.11.

Excommunicationem sceleratorum & impœnitentium adiuuare & approbare, & ab impijs & excommunicatis abstinere, ita ut eis non dicant Aue, nec cibum cum eis capiant, nec in domos suas recipiant. 1 Cor.5. ad Titum 3. 2 Ioan. 2 Thes.3.

Lapsos pœnitentiam agentes recipere, et consolari. 2 Corinth.2.

Studiũ cõuertendi errantes. 1. Thes.5. Monete inordinatos, consolamini pusillamines, subleuate infirmos, ab omni specie mala abstinete, ædificetis singuli singulos. Vide horum ministerium, &c. Heb.3. Exhortemini uos inuicem quotidie.

Tenere institutiones Apostolorũ. 2 Thes.1. Fratres tenete institutiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

Consensus & concordia in uera doctrina. Philip.4. Euodiã obsecro, & Syntychen obsecro, ut sint concordes in Domino. Phil.3. Eadem incedamus regula, ut simus concordes. Ephes. 4. Donec omnes perueniamus in unitatem fidei. 1. Pet.3. Omnes sitis unanimes. Rom. 15. Deus det uobis idem mutuò inter uos sentire, secundum Iesum Christũ, ut unanimiter glorificetis Deum Domini nostri Iesu Christi.

Ministris Ecclesiæ suppeditare ea quæ ad uictũ ijs necessaria sunt. Gal.6. Cõmunicet aũt qui catechizatur sermone, ei qui catechisat in omnib. bonis. 1. Cor.9. An nõ habemus potestatem edendi & bibendi? an non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, quemadmodũ & cæteri apostoli & fratres Domini & Cephas? an solus ego & Barnabas nõ habemus potestatem hoc faciendi? Quis militat suis stipendijs unquam? Quis plantat uineã, et de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregẽ, & de lacte gregis nõ manducat? Nũquid secundum hominẽ hæc dico? An & lex hæc nõ dixit? Scriptum est enim in lege Moysi: Nõ alligabis os boui tritu ranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utiq; hæc dicit? Nã propter nos utiq; scripta sunt, quoniã debet spe, qui arat, arare: & qui triturat, triturat in spe fructus percipiẽdi. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnũ est si nos carnalia uestra metamus? Si alij potestatis uestræ participes sunt, quare nõ potius nos? Sed nõ usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculũ demus Euãgelio Christi. Nescitis, quoniã qui in sacrario operãtur, quæ de sacrario sunt edunt? Et qui sacrario adsistunt, unà cum sacrario partem accipiunt? Ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuere. 2. Cor.11. Cæteras ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipẽdio, quo uobis inseruirẽ. 2 Thes. 3. Neq; gratis accepimus panem à quoquã, sed cũ labore & sudore, nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui uestrũm eßemus oneri: nõ quòd id nobis non liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis, ad imitandũ nos. Phil.4. Rectè feci stis, quòd communicastis meæ afflictioni. Nostis aũt & uos Philippenses, quòd in principio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia cõmunicauit in ratione dati & accepti, nisi uos soli, quia

& Theſſalonicam ſemel & iterum in uſum mihi miſiſtis. Non quia quæro munus, ſed requiro fructum abundantem in ratione uestra. Habeo autem omnia, & abundo. Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentē Deo. Deus autem meus impleat omne deſiderium uestrum ſecundum diuitias ſuas in gloria in Chriſto Ieſu.

Hoſpitio excipere & promouere, ac etiam deducere eos qui paſſim eccleſias plantant, & doctrinā Euangelij propagant. Rom. 16. Spero enim, ut iſthac iter faciens, uideā uos, & à uobis producar illuc ſcilicet in Hiſpaniam. 3. Ioannis: Fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ, in conſpectu Eccleſiæ, quos benefacies deducēs dignè Deo. pro nomine enim eius profecti ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi, ut cooperatores ſimus ueritatis. Philip. 4. Adiuua eas quæ in Euangelio decertarunt mecū, unà cum Clemente & reliquis cooperarijs meis.

Conferre eleemoſynas, ut ijs alantur pauperes, & ſuppetiæ ferantur egentibus Chriſtianis. Rom. 12. Neceſsitatibus ſanctorum communicantes. Huius rei exemplum eſt communio bonorum, Act. 2. 4. Neq; enim quiſquam egens erat inter illos. quotquot enim poſſeſſores agrorū aut ædium erant, uendentes afferebant precia eorum quæ uendita fuerant, & ponebant ad pedes apoſtolorū. Diſtribuebatur autē ſingulis, prout cuiq; opus erat. Act. 11. Diſcipuli prout cuique ſuppetebat, propoſuerunt ſubſidiū mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Pauli. Rom. 15. Nunc autem proficiſcor Hieroſolymā, miniſtrans ſanctis. Viſum eſt enim Macedoniæ & Achaiæ, communicationem aliquam facere in pauperes ſanctos, qui ſunt Hieroſolymis. Nam ita uiſum eſt illis, & debitores ipſorum ſunt. Etenim ſi ſpiritualia ſua communicarunt gentibus, debent & hi in carnalibus miniſtrare illis.

Infirmos uiſitare & conſolari. Iacobi 1. Hæc eſt religio pura & immaculata apud Deum & patrem, inuiſere orphanos & uiduas in afflictione ſua.

Peccata contra tertium præceptum.

Peccatorum in hoc præceptum impingentium, horum ferè mentionem faciunt.

Congreſſus publicos contēnere et deſerere. Heb. 10.

Superſtitioſe obſeruare dies et menſes & tempora & annos. Gal. 4. Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbatorū, quæ ſunt umbra futurarum rerum, corpus autem Chriſti. Coloſſenſ. 2.

Doctrinā Euangelij non purè docere et propagare: de quo teſtimonia in ſecundo præcepto ſunt recitata.

Ex ambitione ſibi ſumere officium docendi. Iacobi 3. Nolite plures magiſtri fieri.

Prophetias aſpernari, & ſpiritum extinguere. 1 Theſſ. 5. Vetare loqui linguis. 1 Cor. 14.

Curam gregis non ſponte, ſed coactè agere, & turpiter affectare lucrum, & dominium exercere aduerſus cleros. 1 Pet. 5. Docentes lucri gratia, quæ non oportet. ad Tit. 1. Qui exiſtimant eſſe quæſtum pietatem, & appetentes pecuniam, aberrant à fide, et implicant ſe multis doloribus. 1 Tim. 6.

Non uigilare in miniſterio. Apoc. 3. Si non uigilaueris, ueniam ad te ſicut fur.

Dare offenſionem, ut reprehendatur miniſterium Euangelij. 2 Cor. 6.

Præcipitare iudicium, & iuxta animi propenſionē in rebus eccleſiaſticis agere. 1 Tim. 4.

Studere hominibus placere. Gal. 1. Verſari per ſermonem adulationis. 1 Theſſ. 2.

Manus citò imponere cuilibet, & communicare peccatis alienis. 1 Tim. 4.

Non ea quæ Chriſti ſunt, ſed quæ ſua ſunt quærere. Phil. 2. Neminem enim habeo pari mecum animo prædi tum, qui germanè res ueſtras curaturus ſit. nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, & non quæ Chriſti Ieſu. Phil. 3. Cōplures ambulant, etc. inimici crucis Chriſti, quorum finis perditio eſt, quorum Deus uenter eſt. Item: Demas me reliquit, amplexans præſens ſeculum. 2 Tim. 4. & 2 Pet. 2. Per auariciam ficticijs ſermonib. negociabuntur de uobis.

Abuti excommunicatione. 3 Ioan.

Sinceros & fideles doctores nolle audire, ſed ſibijp ſis coaceruare doctores iuxta concupiſcentias ſuas. 2 Timoth. 4.

In Eccleſia uti ignota lingua ſine interpretatione. 1 Corinth. 14.

Dormire inter concionandū, ut facit Eutychus, qui Paulo diſſerēte Troade ſomno depreſſus, decidit ex tertio cœnaculo deorſum, et ſublatus eſt mortuus. Act. 20.

Abuti cœna Domini. 1 Cor. 11.

Non eijcere eum qui malus eſt. 1 Cor. 15.

Nō abſtinere à fratre inordinatè ambulāte. 2 Theſſ. 3.

Aue dicere, & in domum ſuam recipere ſuſſos doctores. 2 Ioannis.

Non obedire nec cedere ſuis præpoſitis, ſed eos excruciare, ut gementes ſuum officium faciant. Heb. 13.

Mouere diſſidia & cōtentiones de miniſtris Eccleſiæ. 1 Cor. 1. Ego quidē ſum Pauli, ego uerò Apollo, ego uerò Cephæ, ego uerò Chriſti. Idem 1 Corinth. 3 repetitur. Iacobi 3.

Præbere ſcandala Eccleſiæ Dei. 1 Cor. 10. Rom. 14.

Abuti libertate Chriſtiana. Gal. 2 & 5. 1 Pet. 2.

Trahere iugum cum infidelibus. 2 Cor. 6.

Eſſe tantum auditorem & non effectorem ſermonis, & ſic ſeipſum fallere. Rom. 2. Iacobi 1.

Miniſtris Eccleſiæ denegare neceſſaria ad uictum & amictum. 1 Corinth. 9.

Nō excipere hoſpitio, nec adiuuare eos qui laborāt in plantandis eccleſijs, et propagādo Euangelio. 3 Ioan. Diotrephes nō recipit nos: propter hoc ſi uenero, indicabo facta illius quæ facit, uerbis malicioſis garriēs in nos: nec his cōtentus, nō ſolū non recepit fratres, ſed etiā uolētes recipere prohibet, et è cōgregatione reiicit.

De pecunia in communē uſum Eccleſiæ collata aliquid ſubtrahere, ut Ananias & Sapphira faciūt. Act. 5.

OPERA QVARTI PRAECEPTI.

Officia parentum erga liberos ſuos.

Officia parentum erga filios, hæc uerò recenſent.

Educare ſeu nutrire liberos ſuos.

Inſtituere eos ad honeſtatem.

Inſtituere eos ad pietatem: hoc eſt, imbuere eos agnitione Dei & doctrina Chriſtiana. Epheſ. 5. Heb. 12.

Bona

Bene præesse suæ domui, & liberos habere in omni subiectione cum omni reuerentia. 1 Tim. 2.

Filijs colligere thesauros. 2 Corinth. 12.

Castigare liberos, si non faciant suum officium. Heb. 12. Quis enim est filius, quem non castigat pater?

Nō prouocare eos ad iram: hoc est, non sine omni ratione ac pietate eos tractare. Ephes. 5. Patres ne prouocetis liberos uestros, ne despondeant animum. Col. 3.

Officia filiorum erga parentes.

Honorare parentes, ijsq; obedire. Ephes. 6. Filij obedite parentibus uestris in Domino. nam id est iustum. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est præceptum primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis lōgæuus super terram. & Col. 3. Filij obedite parentibus, in omnibus: hoc enim bene placet Domino.

Vicem rependere parentibus: hoc est, eos alere, si senio confecti nequeant sibi ad uictum necessaria procurare. 1 Timoth. 5.

Econtrà uerò prohibent inobedientiam erga parentes. Nam Paulus Rom. 1, in catalogum peccatorum refert immorigeros parētibus. Idem 1 Tim. 1. inobedientibus & irreuerentibus & parricidis & matricidis legem positam esse dicit. Idem 2 Timoth. 3. extremis temporibus immorigeros, ingratos, impios, & astorgos fore prædicit.

Officia senum, anuum, & uiduarum.

Huc etiam officia seu opera senum pertinent. ad Titum 2. Senes hortare, ut sobrij sint, graues, modesti, sani fide, charitate, patientia. Anus itidem hortare, ut in habitu sint qui religionem deceat, non calumniatrices, non uino multo seruientes, ut honesta doceant, quo possint modestas reddere adolescentulas, &c.

Quæ uerò uidua est, ac desolata, speret in Deo, & perseueret in obsecrationibus & precationibus nocte dieq;: porrò quæ in delicijs uersatur, ea uiuens est mortua. Vidua allegatur nō minor annis sexaginta, quæ fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis hominum testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. 1 Tim. 5.

Officia iuniorum.

Officia iuniorum 1 Pet. 5. Iuniores subditi estote senioribus, sic ut omnes alius alij subijciamini. ad Titum 2. Adolescentes hortare, ut sobrij sint.

Officia pædagogorum.

Huc etiam officia pædagogorum erga discipulos, et econtrà pertinent. ad quos alludit Paulus Gal. 3. 1. Cor. 4. Item tutorum et pupillorum, ad quos alludit Gal. 4.

Officia patrumfamilias.

Officia dominorū erga seruos, exhibere æquitatem erga seruos. Col. 4. Vos domini æquitatem & æquabilitatem seruis exhibete, sciētes quòd uos habeatis Dominum in cœlis.

Remittere minas. Eph. 6. Vos domini eadē facite erga illos, remittentes minas, scientes q, & uester ipsorū Dominus est in cœlis, nec personæ respectus apud illū.

Officia seruorum & ancillarum.

Officia seruorū erga dominos suos, 1 Pet. 2. Famuli subdūi sint cum timore dominis, non solum bonis ac humanis, uerùm etiam prauis. ad Titum 2. Seruos hortare, ut suis dominis pareant, in omnibus illis placeant, non respōsatores, non suffurantes, sed fidem omnem ostendentes bonam, ut doctrinam Seruatoris nostri ornent in omnibus. Colos. 5. Serui obedite per omnia his qui domini sunt secundum carnem, non obsequijs ad oculum exhibitis, tanquam hominibus placere studentes, sed cum simplicitate cordis timentes Deum: & quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus, scientes quòd à Domino recipietis mercedem hæreditatis. nam Domino Christo seruitis. Cæterùm qui peccarit, reportabit peccatum suū, & non est personarum respectus. Eadem ferè Ephes. 6 repetuntur: Serui obedite ijs quæ Domini sunt iuxta carnem, cum timore & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatem Dei ex animo, cum bona uoluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quoniam unusquisq;, quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber fuerit.

Officia magistratus.

Officia magistratus: Agnoscere se magistratum à Deo accepisse. Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo.

Custodem agere primæ & secūdæ Tabulæ, ita quidem ut tueatur, honoret & laudet facientes opera bona, cum lege morali & alijs honestis legibus congruentia. Rom. 13. Quod bonum est facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. 2 Pet. 2. Ad laudem uerò rectè agentium.

Econtrà uerò, ut terreat & gladio propulset, puniat & uindicet, contra primam & secundam Tabulam, aliasq; leges enormiter delinquentes. Rom. 13. Nā principes non terrori sunt bene agentibus, sed malè. Quòd si feceris id quod malum est, time. non enim frustra gladium gestat: nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit. 1 Pet. 2. Siue regi, tanquam præcellenti: siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad uindictam nocentium.

Innocentem defendere contra insidias malorum, ut facit Claudius Lysias Act. 23. & 25. Non est Romanis consuetudo, ob gratiam donare aliquem hominem, ut pereat: priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat de crimine.

Exigere tributū. Rom. 13. Odisse Antichristum, et concremare eum. Apoc. 17.

Peccata cum officio magistratus pugnantia sunt:

Non agnoscere, se ministrum Dei esse, & ordinationem diuinam. Rom. 13.

Præcipere, honorare et tueri opera pugnantia cum Decalogo et honestis legibus: ut sunt, idololatria et blasphemiæ.

Interdicere, ne Apostoli loquantur in nomine Iesu, Actorum 4.

Veram doctrinam propagantes, & innocentem uitam agentes, propter confessionem Christi odisse, incarcerare, flagellare, condemnare, lapidare, gladio interficere, ut fit Act. 4. 5. 6. 7. 12. 16. 18. 21. 22. Iac. 5. Condemnastis & occidistis iustum.

Scortari cum meretrice Babylonica, & portare eā: hoc est, promouere Antichristum, & pro eo bellum gerere contra Christum, eiusq; uerbum. Apoc. 18. 19.

Resistere & repugnare Deo. Act. 5. Ne quando & Deo repugnare reperiamini.

Contra legem præcipere innocentũ percussionem. Act. 23. Iubes me contra legem percuti.

In gratiam aliorum innocentem tenere uinctum, eumq; prodere aduersarijs. Act. 24.

Officia subditorum erga magistratus.

Agnoscere magistratum esse Dei ordinationem, & ministrũ Dei. 1 Pet. 2. Rom. 13. Subditũ esse cuiuis humanæ creaturæ, propter Dominum, siue regi, tanquã præcellenti: siue præsidibus, ut qui per eum mittantur. *1 Pet. 2. & Rom. 13.* Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Item: Oportet esse subditũ non solũ propter iram, sed etiam propter conscientiam. *ad Tit. 3.* Admoneto illos, ut principatibus & potestatibus subditi sint.

Præstare magistratui obedientiam in ijs quæ non sunt contra Deũ & honestatem. Act. 4. & 5. Rom. 13. 1. Pet. 2. ad Tit. 3. Vt magistratibus pareant, ut ad omne bonum opus sint parati.

Tribuere magistratui honorem. 1 Pet. 2. Regem honorate. *Rom. 13.* Reddite honorem, cui debetur honor. Timorem. *Rom. 13.* Reddite timorẽ, cui debetur timor. Tributum. *Rom. 13.* Tributum, cui tributum. Vectigal. *Rom. 13.* Vectigal, cui uectigal.

Orare pro magistratu. 1 Timoth. 2. Fiant deprecationes & obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam et tranquillam uitam degamus cum omni pietate & honestate.

Vti legib. politicis magistratus, ut Paulus facit, qui se ciuem Romanum esse dicit, Act. 22. & ad Cæsarem appellat, Actorum 25.

¶ Peccata in hoc genere sunt. *Resistere magistratui et Dei ordinationi. Rom. 13.* Esse inobedientẽ. *ad Tit. 3.* Eramus inobedientes.

Obedire magistratui in ijs quæ ab eo contra Deum & honestatem præcipiuntur. Act. 4. An iustum sit in cõspectu Dei, uos potius audire quàm Deum, iudicate. *Act. 5.* Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.

Suscitare seditionem contra magistratum, ut fecit Theudas, & Iudas Galilæus. Act. 5. et Gal. 5. Seditio inter opera carnis recensetur.

Maledicere gubernatoribus. 1 Pet. 2. Gloria præcellentes non uerentur conuicijs incessere. *Act. 23.* Scriptũ est, Principi populi tui ne maledices. *ad Tit. 3.* Ne de quo quam malè dicant.

Litigare sub infidelib. sine necessitate. 1 Cor. 6. Frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus.

Efferre se supra magistratum, eumq; conculcare pedibus, ut fecit Antichristus. 2 Thess. 2. Contemnunt dominationem. *2 Pet. 2.*

Adorare bestiã & imaginem eius, & suscipere characteres eius: hoc est, propter Senatus imperij Romani decreta, instaurare idololatriã Antichristi, suscipere Interim, subscribere Tridẽtino cõcilio, & alias impias Christi et Belial reconciliationes approbare. Apoc. 14.

OPERA QVINTI PRAECEPTI.

Opera quinti præcepti hæc ferè in scriptis Apostolorum reperiuntur. Diligere se inuicem, & dilectionis officia præstare. 1 Pet. 1. Cum charitate fraterna ab omni simulatione aliena, ex puro corde uos inuicem diligite impensè. *1 Pet. 2.* Fraternitatem diligite. *1 Pet. 3.* Fraterna præditi charitate. *1 Pet. 4.* Ante omnia uerò charitatẽ inter uos uehementem habẽtes. nam charitas operit multitudinem peccatorũ. *2 Pet. 1.* In pietate fraternam charitatem, in fraterna charitate dilectionem. *1 Ioan. 2.* Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. *1 Ioan. 3.* Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. & rursus: Ne diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere et ueritate. *1 Ioan. 4.* Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuò diligere. *Rom. 12.* Dilectio sit non simulata, per fraternam charitatem, ad uos mutuò diligendos. *Rom. 13.* Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. & posteà: Dilectio proximo malum non operatur. *Rom. 14.* Si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundũ charitatem ambulas. *1 Cor. 13.* Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalũ tinniens. Et si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatẽ autem nõ habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, nõ agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, nõ quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquã excidit, siue prophetiæ euacuabũtur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. *1 Cor. 16.* Omnia uobis cum charitate fiant. *Gal. 5.* Fides per dilectionem operans. Itẽ: Per charitatem seruite uobis inuicem. Nam tota lex uno uerbo completur, nempe hoc: Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Gal. at. 5.* Fructus spiritus est charitas. *Eph. 5.* Ambuletis in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos. *Col. 3.* Sitis induti charitatem, quæ est uinculũ perfectionis. *1 Thess. 4.* De fraterna charitate non necesse habeo uis ut scribã uobis: ipsi namq; diuinitus docti estis, ut diligatis uos inuicem. *1 Tim. 6.* Sectare charitatem. *Iacobi 2.* Si legem regiam perficitis iuxta scripturã, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Si uerò personam recipitis, peccatum committitis. *Heb. 10.* Prouocemus nos inuicem ad charitatem & ad bona opera. *Heb. 13.* Fraterna charitas maneat.

Misericordia. Ephes. 4. Sitis inuicem alius in alium misericordes. *1 Petri 2.* Sitis misericordes. *Colos. 3.* Sitis induti uiscera miserationum. Autor epistolæ Iudæ: Hos quidem cõmiseremini. *Iac. 2.* præstare misericordiam.

Mansuetudo seu lenitas. Gal. 5. Fructus spiritus est lenitas, benignitas, mansuetudo, bonitas. *Colos. 3.* Sitis induti mansuetudinem, lenitatem. *1 Timoth. 6.* Sectare patientiam, mansuetudinem. *2 Timoth. 2.* Seruum Domini oportet placidum esse erga omnes, tolerantem cum mansuetudine. *ad Tit. 3.* Ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines. *Iacobi 1.* Cum mansuetudine recipite sermonẽ.

Affabilitas. 1 Pet. 3. Sitis affabiles. *Ephes. 4.* Sitis inuicem

uicem alius in alium comes. Col. 3. Sitis induti comitatẽ.

Salutatio. 1 Thess. 5. Salutate fratres omnes cum osculo sancto.

Sympathia seu condolentia. Rom. 12. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, eodem modo alij in alios affecti. Ebr. 13. Memores estote uinctorum, tanquam unà cum illis uincti: eorum qui affliguntur, uelut ipsi quoq; uersantes corpore.

Infirmitates fratrũ portare. Rom. 15. Debemus nos qui potẽtes sumus, impotentium infirmitates portare, ac nõ placere nobis ipsis. Vnusquisq; nostrũm proximo placeat in bonum, ad ædificationem.

Mutua reconciliatio & condonatio offensarũ. 2 Corinth. 2. Adeò ut è diuerso magis cõdonare debeatis, et consolari: obsecro efficite, ut in illũ ualeat charitas. cui uerò condonatis aliquid, & ego condono. Eph. 4. Largientes uobis inuicem, quemadmodum & Deus uobis per Christum largitus est. Coloss. 3. Sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos. Iac. 5. Confitemini inuicẽ alius alij delicta sua.

Studium pacis. Rom. 12. Quantum in uobis est, cũ omnibus hominibus in pace uiuentes, non uosmetipsos ulciscentes. Rom. 14. Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificatiõis, alius erga alium. 2 Cor. 13. Vnanimes sitis, in pace agite, et Deus charitatis ac pacis erit uobiscum. 2 Tim. 2. Sectare pacem cum his qui inuocant Dominũ ex puro corde. Iac. 3. Sapientia è supernis est pacifica. Ebr. 12. Pacem sectemini cum omnibus.

Beneficentia erga inimicos. Rom. 12. Si esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum. Hoc si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Ne uincaris à malo, imò uince bono malum.

Beneficentia erga captiuos. 2 Tim. 1. Onesiphori familiæ me sæpe refocillauit, et de catena mea nõ erubuit: sed cum Romæ esset, studiosius quæsiuit me, & inuenit. & Ebr. 13. Memores estote uinctorum.

Quærere non suam, sed aliorum utilitatem & salubus placeo, non quærens meam ipsius utilitatẽ, sed multorum, ut salui fiant. tem. 1 Cor. 10. Quemadmodum ego per omnia omni-

Habere rationẽ ualetudinis. 1 Tim. 5. Ne posthac bibas aquã, sed paululo uino utere propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas.

Quietum esse. 1 Thess. 4.

Ira ordinata. Ephes. 4. Irascimini, & non peccetis.

Opera mala contra quintum.

Peccata uerò contra hoc præceptum hæc cõmemorantur. Diligere tantum uerbo & lingua. 1 Ioan. 3.

Charitas simulata. 2 Cor. 6.

Tantum suam quærere utilitatem. 1 Cor. 10.

Odium proximi. 1 Ioan. 2. Qui fratrem suum odit, in tenebris est. 1 Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Rom. 1. Alieni à charitatis affectu. ad Tit. 3. Erat mus odiosi, & inuicem odio persequentes.

Inimicitiæ. Gal. 5.

Murmurationes. Philip. 2.

Disceptationes. Ibid. Lites. Gal. 5.

Pugnare. 2 Tim. 2. Et ne sint pugnaces. ad Tit. 3.

Æmulationes, Gal. 5, 2 Cor. 12. Ne quo modo sint contentiones, æmulationes, iræ, cõtentiones, tumores, seditiones. Iac. 3. Quòd si æmulationẽ amaram habetis, & cõtentionẽ in corde uestro, nolite gloriari: ubi æmulatio & cõtentio, ibi incõstantia & omne opus prauũ.

Iræ. Gal. 5. Sol non occidat super iram uestrã. Eph. 4. item, Omnis ira tollatur à uobis. Ibid. & Col. 3. Deponite uos iram & indignationẽ. Iac. 5. Sit omnis homo tardus ad iram. nam ira uiri iusticiam Dei non facit.

Concertationes. Galat. 5. Rom. 1. Pleni contentione. 1 Tim. 6. Ex quibus nascitur contentio. Superuacaneæ conflictationes. 2 Cor. 12.

Amarulentia. Col. 3. Ne sitis amarulenti aduersus illas. Eph. 4. Omnis amarulentia tollatur à uobis.

Malicia. Ephes. 4. Malicia tollatur à uobis. 1 Pet. 2. Deposita omni malicia. Col. 3. Deponite maliciam.

Immisericordes. Rom. 1.

Immites. 2 Tim. 3. Iac. 3. Iudicium absq; misericordia erit ei, qui non præstitit misericordiam.

Inuidia. Rom. 1. Pleni inuidia. Gal. 5. Inuicẽ inuidentes. 1 Pet. 2. Depositis inuidentijs. 1 Tim. 6. Ex quibus nascitur inuidia. ad Tit. 3. Eramus & nos quondam stulti, &c. in malicia & inuidia degentes.

Cupiditas uindictæ. Rom. 12. Non uosmetipsos ulciscentes, quin potius date locũ iræ. Scriptũ enim est: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. 1 Pet. 3 Non retaliantes malũ malo. 1 Thess. 5. Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini, tum erga uos inuicem, tum erga omnes.

Deserere amicũ tempore difficili. 2 Tim. 4. In prima mea defensiõe nemo mihi adfuit, sed oẽs me deseruerũt.

Cõtemnere pauperes, ijsq; præferre diuites. 1 Cor. 11. & Iac. 2.

Exercere tyrannidem in bonos, eosq; trahere ad tribunalia. Iac. 2.

Esse prosopolepten. Iac. 2.

Veneficum. Gal. 5. Apoc. 9. Non egerunt pœnitentiam ab homicidijs & ueneficijs. Apoc. 21. Homicidis & ueneficis, pars illorum in stagno ignis. Occiderunt Iesum & proprios prophetas, ita et nos persecuti sunt. Iac. 2. Ne occidas. Apoc. 9.

Damno afficere alios. 1 Cor. 6.

Lædere, corrumpere, fraudare alios. 2 Cor. 7.

Mordere & deuorare, et se inuicẽ cõsumere. Gal. 5. 2 Tim. 4. Alexander faber multis malis me affecit.

Lædere corpus suum, & ualetudinem suam. Col. 2.

Cædes. Gal. 5. Proditores. 2 Tim. 3. 1 Pet. 4. Vt homicida patiatur. 1 Thes. 2. Sicut occiderunt Iesum & prophetas, ita & nos persecuti sunt. & Iac. 2. Ne occidas. Apoc. 9.

BONA OPERA VI PRAECEPTI.

Non mœchaberis.

Bona opera ad sextũ præceptũ pertinentia, hæc ferè Apostoli præcipiunt. Cõtrahere matrimoniũ ad uitandum stuprũ et fornicationẽ. 1 Cor. 7. Propter stupra uitanda suã quisq; uxorẽ habeat, & suũ quæq; maritum. Et rursus: Si duxeris uxorẽ, non peccasti. Item: Melius est matrimoniũ contrahere quàm uri. Ebr. 13. Honorabile sit inter omnes coniugiũ, & cubile impolluũ. Esse maritũ unius uxoris. 1 Tim. 3. Vno marito, aut uxore mortua, alteri nubere, aut aliã ducere. Rom. 6. 1 Tim. 5. Despõsare uirginẽ uiro. 2 Cor. 11. Despõdi uos uni uiro.

In coniugio facere opera piorum coniugum. Sunt autem opera maritorum hæc:

Debitam beneuolentiam uxori reddere. 1 Cor. 7.

Ius corporis uxoris habere. Ibid.

Non fraudare uxorem. Ibid.

Vxorem non dimittere. Ibid.

Non quærere diuortium. Ibid.

Vxorem habere, tanquam non habeas. Ibid.

Dare operam ut uxori placeas. Ibid.

Cohabitare uxori secundum scientiam: uelut infirmiori uasi impartiri honorem, tanquam etiam cohæredibus gratiæ uitæ. 1 Pet. 3.

Communes cum uxore facere preces. 1 Pet. tertio: Ne interrumpantur preces. 1 Corinth. 7. Ne fraudetis inuicem, nisi quid ex consensu pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi. & 1 Tim. 2.

Diligere uxorem. sicut Christus dilexit Ecclesiam: item, ut sua ipsorum corpora. Ephes. 5. Diligere uxorẽ, & non esse amarulentum aduersus eam. Col. 3.

Fouere & nutrire uxorem, & non odio habere, ut suam ipsius carnem. Ephes. 5.

Tenere dominium super uxorem. 1 Tim. 2.

Generare liberos. 1 Tim. 3. Qui liberos habeat in subiectione, cum omni reuerentia.

Infidelem etiam uxorem, si consentiat, non dimittere, sed dare operam ut ea conuertatur. 1 Cor. 7.

Opera uxorum & mulierum sunt:

Subditas esse uiris. 1 Pet. 3. Vxores subditæ sitis uiris uestris Item: Subditæ erant uiris suis, quemadmodum Sara obediuit Abrahæ. Colos. 3. Vxores subditæ estote proprijs uiris, sicut conuenit in Domino. Ephes. 5. Vxores subditæ sitis proprijs uiris, ueluti Domino: quoniã uir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse est saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus.

Habere castam & cum reuerentia coniunctam conuersationem. 1 Petri 3.

Viros infideles, & sermoni nõ obtemperantes, conuertere. 1 Petri 3. & 1. Cor. 7. Quî scis mulier, an maritum seruatura sis?

Habitare etiam apud maritum infidelem, si is consentiat, & non discedat. 1 Cor. 7.

Debitam beneuolentiam uiro reddere. 1 Cor. 7. A uiro uxor non separetur: quod si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur. Ibid. Vxor alligata est matrimonio, quãdiu maritus eius uiuit. Quod si dormierit maritus eius, libera est, ad nubendũ cui uelit, modò in Domino. 1 Cor. 7. Quæ nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placitura sit uiro. 1 Cor. 7.

Maritum appellare & agnoscere dominum, ut Sara Abraham appellauit dominum. 1 Petri 3.

Non usurpare imperium in maritum. 1 Tim. 2.

Reuereri maritum. Eph. 5.

In cœtu ecclesiastico silere. Mulieres uestræ in ecclesijs sileant: nec enim permissum est eis ut loquantur, sed ut subditæ sint. Quòd si quid discere uolunt, domi suos uiros interrogent. Nam turpe est mulieribus, in cœtu loqui. 1 Cor. 14. Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. Cæterum mulieri docere non permitto, nec autoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio. Adam enim prior formatus est, deinde Eua: & Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta. 1 Tim. 2.

Congruenti & decoro uti ornatu. 1 Pet. 3. Quarum nõ sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti uestimentorum cultus: sed qui absconditus est homo cordis incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabãt se, subiectæ proprijs uiris: sicut Sara obediuit Abrahæ, dominum eum uocans, cuius estis filiæ, benefacientes, & non pertimescentes ullam perturbationẽ. & 1 Tim. 2. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum uerecundia & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel ueste preciosa: sed quod decet mulieres profitentes pietatem per opera bona.

Velato capite orare. 1 Cor. 11. Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non uelato capite, deturpat caput suum. Vnum est enim, ac si decaluetur. Nam si non uelatur mulier, tondeatur. Si uerò turpe est mulieri tonderi, aut decaluari, uelet caput suum. Vir quidem non debet uelare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est: mulier autem gloria uiri est. Non enim uir ex muliere est, sed mulier ex uiro. Etenim non est creatus uir propter mulierem, sed mulier propter uirum. Ideo debet mulier uelamen habere super caput suum, etiam propter angelos. Veruntamen neq; uir sine muliere, neque mulier sine uiro, in Domino. Nam sicut mulier de uiro, ita & uir per mulierem. Omnia autem ex Deo. Vosipsi iudicate, deceat'ne mulierem non uelatam orare Deum. Nam ipsa natura docet nos, quòd uir quidem si comam nutriat, ignominia sit illi: mulier uerò si comam nutriat, gloria sit illi, quoniam capilli pro uelamine ei dati sunt.

Generare liberos. 1 Timoth. 2. Saluatur mulier per generationem liberorum. & 1 Timoth. 5. Volo iuniores uiduas nubere, liberos gignere.

Amare liberos. ad Titum 2.

Diligere maritum. Ibid.

Esse modestas. 1 Timoth. 3.

Non esse calumniatrices. 1 Timoth. 3. ad Titum 2.

Esse puras. ad Titum 2.

Esse custodes domus. ad Titum 2.

Domum administrare. 1 Tim. 5.

Esse bonas & sobrias. ad Titum 2. & 1. Tim. 3.

Non ociosæ circuire domos, nec garrulas, nec curiosas esse, loqui uana, tum intra matrimonium, tum extra matrimonium. 1 Tim. 5.

Castitas. Act. 4. Disputante Paulo de iusticia et castitate, &c. tremefactus Felix respondit. 2 Cor. 6. In ieiunijs, in castitate. 1 Timoth. secundo: In omni pietate & castitate. 1 Timoth. quarto: In charitate, in fide, in castitate. 1 Timoth. quarto: In charitate, in fide, in castitate. 1 Tim. 5. Iuuenculas ut sorores, in omni castitate. ad Tit. 2. Adolescẽtulas et prudẽtes, sobrias, castas.

Sanctimonia seu sanctitas. 1 Pet. 1. Sancti estote, nam ego sanctus sum. Ephes. 4. Qui secundum Deum conditus est in iusticia & sanctitate. 1 Thes. 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & ut sciat unusquisq; uestrûm uas suum possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ. nõ enim uocauit nos Deus immundiciæ causa, sed ad sanctificationem. Hebr. 12. Sectemini sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum.

Virgi-

Virginitas in ijs quæ habent donum uitæ cœlibis, & possunt uiuere sine libidinum flammis extra matrimonium. 1 Cor. 7. Cæterùm qui stat firmus in corde suo, nõ habens necessitatem, sed potestatem habet propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet suã uirginem, bene facit.

Pudicitia. Phil. 4. Quæcunq; pudica, etc. hæc cogita te. 1 Tim. 3. Episcopum oportet esse pudicum. Iacobi 3. Sapientia est pudica.

Verecundia. 1 Tim. 2. Mulieres in habitu honesto cũ uerecundia & sobrietate.

Sobrietas. 1 Petri 1. Sobrij, perfectè sperate in gratiam. 1 Petri 4. Sitis sobrij & uigilantes ad orandum. 1 Petri 5. Sobrij estote & uigilate. 2 Petri 1. In scientia præstate temperantiã. Rom. 12. Ita sentiat, ut modestus sit & sobrius. 2 Tim. 1. Dedit nobis spiritum sobrietatis. ad Titum 2. Hortare senes ut sobrij sint, & c. & iuuenes hortare ut sobrij sint. et postea: Vt sobriè, iustè et piè uiuamus. 1 Thess. 5. Nos qui diei sumus, sobrij simus. 2 Timoth. 4. Sobrius esto. Galat. 5. Fructus spiritus est temperantia.

Castigare corpus suum. 1 Cor. 9. Omnis autẽ qui certat, per omnia temperans est: illi quidem, ut perituram coronam accipiant: nos autem ut æternam, & c. uerùm subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cum alijs prædicarim, ipse reprobus efficiar. Rom. 13. Carnis curã ne agatis ad concupiscẽtias.

Ieiunium. Act. 13. Cum illi sacrificarent Domino, ieiunarentq; dixit spiritus sanctus. & Act. 14. Cum precati essent cum ieiunijs. 2 Cor. 6. In multa patientia & in ieiunijs. 2 Cor. 11. In ieiunijs multis. 1 Cor. 7. Vt uacetis ieiunio & precationi.

Vigiliæ. 1 Pet. 5. Vigilate. 2 Cor. 11. In uigilijs multis.

Abstinere ab omni specie mala. 1 Thessal. 5.

Peccata contra sextum præceptum.

Peccata contra sextum præceptum, hæc ferè taxant ac damnant Apostoli: Abstinere à coniugio, cùm careas dono castitatis, & flagres libidinũ flammis. 1 Corinth. 7. Melius est nubere, quàm uri.

Prohibere matrimonium, tanquam genus uitæ Deo non placens. 1 Tim. 4. Attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium contrahere matrimonium.

Prohibere matrimonij usum episcopis & Ecclesiæ ministris, contra Paulum 1 Tim. 3.

Non facere officia piorum coniugum. Huc antitheses pertinent eorũ operũ quæ paulo antè recitata sunt.

Immundicia. Gal. 5. Opera carnis sunt immundicia. 1 Cor. 6. Neq; molles, & c. accipient hæreditatem regni Dei. Eph. 5. Omnis immundus non habet hæreditatem in regnò Dei & Christi. Ibidem: Omnis immundicia, & c. ne nominetur inter uos, sicut decet sanctos. 2 Corinth. 12. Non egerunt pœnitentiam super immundicia sua. Eph. 4. Postquàm peruenerunt eò, ut dolere desierint, semetipsos dederunt lasciuiæ ad patrandam immundiciam omnem cum auiditate. Col. 3. Mortificate, & c. immundiciam, molliciẽ. 1 Thes. 4. Non uocauit nos Deus immunditiæ causa. Iacobi 1. Abijcientes omnem immundiciam.

Lasciuia. Gal. 5. Opera carnis sunt lasciuia. 1 Tim. 5. Iuniores uiduas reijce: cum enim lasciuire cœperint ad uersus Christum. & Rom. 13. Non cubilib. & lasciuijs. 1 Pet. 4. Cum uersaremur in lasciuijs. Iacobi 5. In delicijs uixistis super terrã, & lasciuistis, & enutristis corda uestra, ut in die occisionis.

Libido. 2 Cor. 12. Nec pœnituit eos libidinis.

Impudicitia. 2 Cor. 2. Nec pœnituit eos impudicitiæ quam patrarunt.

Luxus. 1 Pet. 4. In eandem luxus resusionem.

Scortatio. Act. 15. Caueant sibi à suffocato & scortatione. Act. 21 idem repetitur. & Apoc. 9. Non egerunt pœnitentiam à fornicatione sua. Apoc. 21. Scortatoribus, & c. pars illorum erit in stagno ardenti igne. Ro. 1. Repleti scortatione. 1 Corint. 10. Neq; fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, & ceciderunt uno die 23 millia. 1 Cor. 5. Si quis, cũ frater appelletur, fuerit scortator, etc. cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. 1 Corinth. 6. Neq; scortatores, & c. regni Dei hæreditatem accipient. Et rursus: Fugite scortationem. omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui aũt fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra uestra templũ sunt spiritus S. qui in uobis est, quem habetis à Deo, & non estis uestri? empti enim estis precio: glorificate Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro quæ sunt Dei. Eph. 5. Scortatio & omnis immundicia ne nominetur quidem inter uos. Ibidẽ: Omnis scortator aut immundus hæreditatem non habet in regno Christi & Dei. Gal. 5. Opera carnis sunt fornicatio, & c. 1 Thess. 4. Vt abstineatis à fornicatione, & c. Ebr. 12. Ne quis sit fornicator aut profanus. Ebr. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Illicitæ & præternaturales commixtiones. Rom. 1. Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalem usum, in eum qui est præter naturam: similiter & masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt per appetentiam sui, alius in alium, masculi in masculos fœditatem perpetrantes. 1 Corinth. 6. Ne erretis, neq; scortatores, & c. neq; qui concumbunt cum masculis, etc. regni Dei hæreditatẽ accipient. 1 Tim. 1. Scortatoribus, masculorum concubitoribus, & c. lex est posita.

Adulteriũ. 2 Pet. 2. Oculos habẽtes plenos adulterij. Rom. 14. Non adulterabis. 1 Cor. 6. Neq; scortatores, neq; adulteri, neq; qui concumbunt cum masculis, & c. Gal. 5. Opera carnis sunt, adulteriũ, scortatio, immundicia, lasciuiæ, etc. Eb. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Dominus. Iac. 2. Ne mœcheris. Ibid. Adulteri et adulteræ nescitis q, amicitia mũdi est inimicitia cũ Deo?

Stuprum. Col. 3. Mortificate membra uestra terrestria, stuprum, & c.

Incestus. 1 Cor. 5. Omnino inter uos auditur stuprũ, & huiusmodi stuprum, quod nec inter gentes nominatur, ut aliquis uxorem patris habeat.

Intemperantia. 2 Tim. 3. Intemperantes.

Turpiloquiũ. Eph. 4. Omnis sermo spurcus ex ore uestro non procedat. Eph. 5. Quæ secretò ab ijs fiunt, turpe est uel dicere, Col. 3. Deponite, & c. maledicentiã & turpiloquentiam ab ore uestro.

Ebrietas. Act. 2. Nõ sunt hi ebrij, cũ sit hora diei tertia. 1 Pet. 4. Cũ uersaremur in lasciuijs, uinolẽtijs, cõpotatiũibus, comessatiõibus. Ro. 13. Cõpositè ambulemus, non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus & lasciuijs, non cõtentione & æmulatiõe. 1 Cor. 5. Si quis,

cum

cum frater appelletur, fuerit scortator, &c. aut ebriosus, cum eiusmodi ne cibũ quidẽ capiatis. 1 Cor. 6. Neq; ebriosi regni Dei hæreditatẽ accipient. 1 Cor. 11. Alius aũt ebrius est. 1 Thess. 1. Qui ebrij sunt, noctu ebrij sunt. Galat. 5. Opera carnis sunt, ebrietates, comessationes. Ephes. 5. Ne inebriemini uino, in quo est luxus. Comessationes. 1 Pet. 4. Rom. 13. Gal. 5.

Agere curam carnis ad concupiscentiam. Rom. 13.

Esse amantem uoluptatum. 2 Tim. 3. Voluptatem magis amantes, quàm Dei amantes. ad Tit. 3. Et nos aliquando eramus, &c. deseruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs. 2 Pet. 2. Pro uoluptate ducentes, si in diem delicijs fruantur.

Cõuersatio cũ impijs & sceleratis. 1 Cor. 5. 2 Cor. 6. 1 Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Ephes. 5. Ne sitis consortes illorũ. 2 Thess. 3. & 2 Ioan.

BONA OPERA VII PRAECEPTI.

Non furaberis.

Tenere propriũ. Act. 5. Nónne prorsus tibi manebat, et uenũdatus erat in potestate tua? 2 Cor. 8. Eph. 4.

Possidere diuitias, ijsq; rectè uti. 1 Tim. 6. His qui diuites sunt in præsenti seculo, præcipe, non sublimè sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendũ, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, cõmunicare, thesaurizare sibi fundamentũ bonũ in futurum.

Operari manibus suis, & honestè parare rem unde uiuas. Eph. 4. Qui furabatur, non amplius furetur, magis aũt laboret, operando manibus quod bonum est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit. 2 Thes. 3. Nam ipsi scitis quomodo oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter uos, neq; gratis panẽ manducauimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione nocte & die operantes, ne quẽ uestrũm grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatẽ, sed ut nosmetipsos formã daremus uobis ad imitandũ nos. nam & cum essemus apud uos, hoc denunciabamus uobis, Quoniã si quis nõ uult operari, nec manducet. Audiuimus enim quosdã ambulantes inter uos inordinatè, nihil operantes, sed curiose agentes: his aũt qui eiusmodi sunt, denũciamus & obsecramus in Domino nostro Iesu Christo, ut in silentio operantes, suum panem manducent. 1 Thes. 4. Quieti sitis, & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus uestris, sicut uobis præcepimus.

Negociari absq; defraudatione & oppressione aliorum. 1 Thes. 4.

Iusticia in contractibus. Philip. 4. Quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; boni nominis, etc. hæc cogitate. Col. 4. Sapienter ambulate erga extraneos, opportunitatem redimentes. 1 Pet. 2. Conuersationem honestam habete inter gẽtes. 1 Thes. 4. Geratis uos honestè erga extraneos, & nulla re uobis opus sit.

Accipere & exigere pro labore iustam mercedem. 1 Cor. 9. Quis militat suis stipendijs unquã? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? 1 Timoth. 5. Dignus est operarius mercede sua.

Proximi bona tueri, & si licet, etiã augere et promouere. Philipp. 2. Ne sua quisq; spectetis, sed unusquisque quæ sunt aliorum.

Esse contentum ijs bonis, & ea sorte quam quisque Deo distribuente accepit. 1 Cor. 7. Vnusquisq; in eadem uocatione qua uocatus fuit, maneat. Seruus uocatus es, ne sit tibi curæ: quinetiã si potes liber fieri, potius utere. 2 Tim. 6. Est aũt quæstus magnus, pietas cũ animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundũ, nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimẽta et quibus tegamur, his contenti simus. Philip. 4. Nam ego didici, in quibus sum, his contentus esse: noui & humilis esse, noui et excellere: ubiq; & in omnib. institutus sum & saturari, & esurire, et abundare, & penuriam pati. Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Ebr. 13. Contentus his quæ adsunt.

Parsimonia & frugalitas. 2 Thes. 3. Sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui nostrũm essemus oneri. 1 Thes. 2. Memini stis, fratres, nostri laboris ac sudoris. nocte enim & die opus facientes, ob id ne cui uestrũm essemus oneri, prædicauimus apud uos Euangelium Dei.

Rectè uti bonis huius mundi, iuxta regulã 1 Cor. 7. Cæterùm illud dico fratres, tempus breue est. Reliquũ est, ut qui habent uxores, sint tanquã non habentes: & qui flent, tanquã non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquã non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura huius mundi.

De bonis suis, necessarios pro se suaq; familia facere sumptus, ad nutriendos & educandos liberos. Eph. 5. Ad alendam familiam & domesticos. 1 Tim. 5. Quòd si qua suis & maximè familiaribus non prouidet fidem abnegauit, & est infideli deterior. 1 Tim. 3. Diaconi liberis suis rectè præsint, & proprijs familijs. Ad fouendum & alendum parentes suos senio cõfectos. 1 Timoth. 5. Quòd si quis fidelis, aut si qua fidelis habet uiduas, suppeditet illis, & non oneretur ecclesia. Ibidem: Si qua uidua liberos aut nepotes habet, discant primùm propriã domũ piè tractare, & uicẽ repẽdere maioribus.

Magistratui etiã de suis bonis pendere tributa, uectigalia, census, & si qua alia legitimè propter reipub. conuersationẽ ijs debentur. Rom. 13.

Cõferre etiã de suis bonis ad cõseruationẽ ministerij ecclesiastici, ad alẽdos episcopos et doctores & alios ministros ecclesiæ. Itẽ ad scholas instituẽdas et cõseruãdas. Gal. 5. Cõmunicet in omnibus bonis is q catechisatur sermone, ei qui se catechisat. & 1 Cor. 9. Dominus ordinauit, ut qui Euangeliũ annunciant, ex Euangelio uiuant.

Exercere liberalitatẽ in pauperes & egenos, tum erga omnes, tum maximè erga domesticos fidei. Gal. 6. Qui uerò habuerit substantiã mundi, & uiderit fratrẽ suũ egentẽ, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1 Ioan. 3. Nunc autẽ proficiscor Hierosolymam, ministrans sanctis. Visum est enim Macedoniæ & Achaiæ, cõmunicationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis: nam ita uisum est ipsis, & debitores illorum sunt. Etenim si spiritualia sua cõmunicauerunt gentibus, debent & hæ in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur ubi perfecero, & obsignauero illis locum hunc, reuertar per uos in Hispaniã. Rom. 15. De eiusmodi beneficentia in ecclesijs Iudaicis, Paulus etiam agit 2 Corinth. 8 & 9, ubi etiam regulas beneficentiæ in pauperes præscribit, quòd prompto & hilari animo, deinde quòd pro mensura facultа-

facultatum suarũ sit cõferendũ in pauperes beneficẽtiã. Etenim si prius adsit animi prõptitudo, ea iuxta quicquid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, nõ iuxta id quod nõ possidet. Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia: sed ut ex æqualitate, in præsenti tempore uestra copia illorũ succurrat inopiæ, & illorum copia uestræ succurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas: quemadmodũ scriptũ est, qui multũ habebat, huic nihil superfuit: qui paulũ habebat, is nihilo minus habuit. 2 Cor. 8. Vnusquisq; secundũ propositum cordis, non ex molestia, aut ex necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus. 2 Cor. 9. Interspergit etiam Paulus rationes, cur in pauperes exercẽda sit liberalitas. Prima: Quia debeamus imitari exemplum Christi, qui cùm dives esset, pauper propter nos factus est, ut nos illius paupertate ditescceremus. 2 Cor. 8. Secunda: Quia Deus uberius benedicturus sit eos qui beneficentiores sint in pauperes. 2 Cor. 9. Illud dico, qui sementem facit parcè, is parcè messurus est: & qui sementem facit liberter & benignè largiendo, copiosè messurus est. & potẽs est Deus efficere, ut totum beneficiũ in uos exuberet, ut in omnibus omnem sufficientiã habentes, exuberetis in omne opus bonum. quemadmodum scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculũ. Porrò qui suppeditat semen seminanti, & panem in cibum suppeditet, & multiplicet semen uestrum, et augeat prouentus iusticiæ uestræ, ut in omnibus locupletemini in omnem simplicitatem, quæ per nos efficit, ut gratiæ agantur Deo. Rom. 12 Qui impertit, in simplicitate: qui miseretur, in hilaritate. Act. 9. Tabitha erat plena bonis operibus & eleemosynis quas præstabat. Act. 10 Cornelius erat religiosus ac timens Deum, præstans eleemosynas multas plebi. & postea angelus dicit ad eum: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã coram Deo. Act. 20. Oportet meminisse uerborum Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatum est dare potius quàm accipere. Ebr. 13 Cæterùm beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini, talib. enim uictimis placetur Deo. Iac. 2 Quòd si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano uictu, dicat aũt aliquis uestrûm illis, Abite cum pace, calescite & saturamini, nõ tamen dederitis illis quæ sunt necessari. 1 corpori, quæ erit utilitas? De beneficentia erga captiuos & erga inimicos, dictum est suprà in præcepto quinto.

Esse hospitalẽ. 1 Pet. 4. Hospitales estote erga uos inuicem, sine murmurationibus. Ebr. 13. Hospitalitatis ne sitis immemores: per hanc enim quidam inscientes exceperunt hospitio angelos.

Propter confessionem amittere bona sua potius, quàm propter ea retinenda deficere. Ebr. 10. Direptionem facultatum uestrarũ cum gaudio accepistis, scientes uos habere in uobis potiorem substantiam in cœlis, ac manentem. Ebr. 11. Per fidem Moses iam grandis, renuit uocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo Dei, quàm temporarijs commodis frui: maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. 2 Cor. 6. Quasi pauperes, multos tamen ditantes.

Cauere ab inhonesta specie in procuratione bonorum communium. 2 Cor. 8. Declinantes hoc, ne quis nos carpat in hac exuberantia, quæ administratur à uobis, procurantes honesta non tantum coram Deo, sed etiã coram hominibus.

Peccatorũ contra VII præceptum, horum ferè meminerunt.

Furtũ. 1 Pet. 4. Ne quis uestrûm affligatur ut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarũ rerum. Apoc. 9. Non egerunt pœnitentiam à furtis suis. 1 Cor. 6. Neq; fures, neq; auari. Ephes. 4. Qui furabatur, non furetur amplius. Rom. 2. Qui prædicas non furandũ, ipse furaris.

Rapina. 1 Cor. 5. Aut rapax, cum eiusmodi ne cibum ceperitis. 1 Cor. 6. Neq; fures, neq; rapaces, regni Dei hæreditatem accipiẽt. 1 Tim. 1. Plagiarijs, id est, raptoribus hominum posita est lex.

Defraudatio. 1 Thess. 4. Ne quis opprimat aut defraudet fratrẽ suum in negocio, propterea quòd est ultor Domini de omnibus his. 2 Cor. 9. Vt ea sit in promptu tanquam bona collatio, & nõ tanquã defraudatio.

Iniusticia in contractibus. Rom. 1. Repleti omni iniusticia. 1 Tim. 1. Iniustis est lex posita. 1 Cor. 6. Vos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres: ac nescitis quòd iniusti, regni Dei hæreditatẽ nõ cõsequentur.

Dolus. Rom. 1 Pleni dolo. 1 Pet. 3. Labia ne loquantur dolum. 1 Petri 2. Deposito omni dolo.

In negociatione uersari sine timore Dei. Iac. 4. Age nunc qui dicitis, Hodie & cras eamus in hanc ciuitatẽ, & faciamus ibi annum unum, & mercemur, et lucrum faciamus, qui ignoratis quid futurum sit postero die. Quæ enim est uita uestra? uapor est enim, qui ad exiguum tẽpus apparet, & deinde euanescit: pro eo quod dicere debueritis, Si Dominus uoluerit, & si uixerimus, faciamus hoc aut illud.

Πλεονεξία. Phil. 2. Ne sua quisq; spectetis. 1 Cor. 10. Nemo quod suũ est quærat, sed quisq; quod est alterius.

Ociũ. 2 Thes. 3. Præcipiebamus uobis, ut si quis nolet operari, is nec ederet.

Πορνογραφία, inhonestis aut fraudulentis artib. uictum quærere: ut sunt artes ludicræ, lusus, ollæ sortilegæ, impostoras in mercibus exercere, quod faciunt institores, caupones, mercatores, usurarij, & similes. 2. Thes. 3. Audiuimus quosdam uersantes inter uos inordinatè, nihil operis facientes, sed curiosè agentes: his aũt qui sunt istiusmodi, præcipimus & obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christũ, ut cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant.

Auaricia. 1 Pet. 5. Non turpis lucri gratia. 2 Pet. 2. Per auariciam fictitijs sermonibus negociabuntur de uobis. 2 Pet. 2. Cor exercitatum auaricia. 1 Ioan. 2. Concupiscentia oculorum. Rom. 1. Repleti omni auaricia. 1 Cor. 5. Si quis, cùm frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus. 1 Cor. 6. Neq; auari, regni Dei hæreditatem accipient. Ephes. 5. Scortatio & omnis immundicia & auaricia, ne nominetur quidem inter uos. Et postea: Nã hæc scitis, quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui est simulachrorum cultor, non habeat hæreditatem in regno Christi & Dei. Philipp. 3. Quorum Deus uenter est. Coloss. 3. Mortificate membra uestra terrestria, & auariciam, quæ est simulachrorum cultus, ob quæ uenire solet ira Dei in filios intractabiles. 1 Thessal. 2. Nec uersati sumus per occasionem auariciæ. 1 Tim. 3. Episcopum non turpiter lucri cupidum.

Et postea:

Et postea: Ministros non turpiter lucri auidos. 1 Tim. 6. Qui uolunt ditescere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum: siquidem radix omnium malorum, studium pecuniæ est: quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & seipsos implicuerunt doloribus multis. 2 Tim. 3. Postremis temporibus erunt auari. Tit. 1. Docentes quæ nõ oportet, turpis lucri gratia. Ebr. 13. Sint mores alieni ab auaricia, contenti his quæ adsunt.

Ponere spẽ in diuitijs suis. 1 Tim. 6. Iac. 5. Agite nunc diuites, plorate, ululantes super miserijs uestris, quæ aduenient uobis. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, uestimenta uestra tineis obnoxia facta sunt, aurũ & argentum uestrum ærugine uitiatum est, & ærugo eorum in testimonium erit uobis, & exedit carnes uestras sicut ignis. Thesaurum congessistis in extremis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat: & clamores eorum qui messuerant, in aures Domini Sabaoth introierunt.

Abuti bonis suis ad comessationes & ebrietates. 1. Pet. 4. Rom. 13. Ad delicias. Iac. 5. In delicijs uixistis super terram, & lasciuistis. Ad oppressionem & defraudationem aliorum. 1 Thess. 4. Et ad alia scelera & facinora, & non potius ad bona opera. 1 Tim. 6.

De bonis suis non reddere magistratui quod iustè ei debetur. Rom. 13.

Non exercere liberalitatem erga ministerium & scholas. 1 Cor. 9. Gal. 5. 1 Tim. 5. Non alligabis os boui triturãti.

Sacrilegium facere: hoc est, pecuniam uel à te, uel à tuis maioribus ad ministerij ecclesiæ conseruationem collatam, sibi rapere: exemplum est in Anania & Sapphira, Act. 5. qui de precio agri, quod communioni donauerant, suffurantur aliquantulum.

Approbare sacrilegium meretricis Babylonicæ, & eius largitionibus & bonis idololatria et fraude partis frui. Apoc. 18.

De suis bonis nihil erogare in pauperes & egenos. 1 Ioan. 3. Iac. 2.

Claudere uiscera sua à fratre egente. 1 Ioan. 3.

Aut non ex simplici corde dare, sed uel ob gloriam comparandam, aut commoda sua quærenda. 2. Cor. 8.

Aut ita esse in alios liberalẽ, ut te & tuos defraudes. 2. Cor. 8. Non ut alijs sit relaxatio, uobis aũt angustia. 2 Cor. 9. Tanquã bona collatio, nõ tanquã defraudatio.

Non esse beneficũ etiam erga inimicũ suum Ro. 12.

Nolle hospitio excipere exules Christianos, aut ob Euangelij plantationem peregrinantes. 1 Pet. 4. & 3 Ioan. Ebr. 13.

Paupertatẽ et crucẽ ob confessionẽ Christi aut non patienter ferre, aut omnino detrectare. Ebr. 10 & 11. 2 Tim. 4. Demas me reliquit, amplexus præsens seculũ.

Pluris facere bona corporalia quàm æterna. Phil. 3. Colos. 3. 2 Tim. 3. 2 Pet. 2.

BONA OPERA OCTAVI PRAECEPTI.

Non loqueris falsum testimonium..

¶ Bonorum operum ad hoc præceptum pertinentium, horum ferè Apostoli mentionem faciunt. Exercere iudicia forensia, in ijs comparere, agere causam, respondere accusationibus, citare testes, ferre testimonium, ferre sententiam, & alia opera ad iudicium pertinentia. secundum iusticiam & ueritatem facere. Patienter hæc ab exemplis. nam Act. 4 & 5. Apostoli in iudicio apparent, & respondent criminationibus. Idem Stephanus Act. 6 facit: et Paulus Act. 16. lege de immunitate ciuium Romanorum utitur. Idem facit Act. 22, & appellat ad Cæsarem. Act. 23. accusatus per Tertullũ, respondet, & diluit eius criminationes. Act. 24. dicit etiam causam suam in concilio sacerdotum, ubi astutè dissensionem mouet inter Pharisæos & Sadducæos. Act. 23. Dixit etiam causam coram Nerone. 2 Tim. 4. Phil. 1. Iason & alij Christiani Thessalonicenses ad tribunal tracti, satisfactione præstita dimittuntur. Act. 17.

Veritas, seu ueracitas in amplectendis & tenendis & propagandis ueris sententijs de omnibus rebus, maximè uerò de rebus ad salutem pertinentibus. Act. 22. Eruditus iuxta omnem ueritatẽ paternæ legis. Act. 26. Non insanio, optime Feste, sed uerba sobrietatis & ueritatis eloquor. Rom. 2. Habentẽ formã scientiæ in lege et ueritatis. 1 Cor. 13. Cõgaudet ueritati. 2 Cor. 6. Ut seductores, & tamẽ ueraces. 2 Cor. 13. Non possumus aliquid aduersus ueritatẽ. 1 Tim. 4. Et his qui cognouerũt ueritatem. 3 Ioan. Testimonium nostrum uerum est.

Veracitas in familiari sermone, in dictis, in contractibus & pactis. Ephes. 4. Deposito mendacio loquimini ueritatẽ quisq; proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Phil. 4. Quæcunq; sunt honesta, quæcunq; sunt uera, hæc cogitate.

Lingua sua rectè uti ad glorificandũ Deum, & prædicandum ea quæ sunt iusta & bona, & ad inseruiendum proximo suo. 1 Pet. 3. Coerceat linguam suã & labia sua ne loquãtur dolũ. Ephes. 4. Omnis sermo spurcus ex ore uestro non procedat: sed si quis bonus, ad ædificationem. Col. 3. Quicquid feceritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & patri per illũ. Col. 4. Sermo uester cum gratia sit sale conditus.

Bene loqui de alijs. Rom. 12. Bene loquamini de ijs qui uos insectantur, bene loquamini. 2 Cor. 9. Ne gloria nostra, qua de uobis glorior, inanis fiat.

Veracitas in factis & tota uita. 1 Ioan. 3. Non diligamus uerbo & lingua, sed opere & ueritate. Ephes. 4. Veritatem facientes, in charitate crescamus.

Gloria, quæ est testimonium rectè factorũ, tum suæ conscientiæ, tum aliorum rectè iudicantium. Gal. 6. Opus suum probet unusquisq; & tunc in semetipso tantùm gloriationem habebit, et non in alio. 2. Cor. 1. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & synceritate Dei, non sapientia carnali, sed per gratiam Dei conuersati fuerimus in mundo. 2 Cor. 6. Per gloriam & ignominiam.

Gloriari iuxta mensuram regulæ, super suis & non alienis laboribus: ita tamen, ut Deo omnia referantur accepta. 2 Cor. 12. quod Paulus facit etiam 2 Cor. 11.

Gloriari de infirmitatibus suis. 2 Cor. 12. Super huiusmodi homine gloriabor: de meipso nõ gloriabor, nisi super infirmitatibus meis. Et postea: Libentissimè igitur potius gloriabor super infirmitatibus meis, et ut inhabitet in me Christus.

Commen-

Commendare alios. 2 Corinth.12.Ego debueram à uobis commendari.

Laus. 1 Pet.1. Probatio fidei uestræ inueniatur in Laudem.1 Pet.2. In laudem rectè agentium.Roman.13. Bonum fac, & habebis laudem. 1 Corint.4. Tunc laus erit unicuiq; à Deo. Philipp. 4. Quæcunque boni nominis, si qua uirtus, si qua laus, hæc cogitate.2 Corinth. 6.Per conuicia & laudes.

Modestia seu humilitas, quæ est uirtus suam imbecillitatem agnoscens, & non ferens de se & suis factis falsum testimonium, nec alios præ se contemnens.1 Pet. 1. Humilitatem animi uobis infixam habete. Rom. 12. Alius aliũ honore præuenientes. Ibidem: Ne quis arroganter de se sentiat suprà quàm oportet de se sentire: sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuique Deus partitus est mensuram fidei.1 Cor.4. Ne quis supra id quod scriptum est, de se sentiat.1 Cor.8. Quòd si quis sibi uidetur aliquid scire, nondũ quicquã nouit quemadmodũ oporteat scire. Modestia.Col.3.Sitis in nub.hominib.Iac.1. Glorietur frater in humilitate sua. Iac. 3.Sapientia è supernis est modesta, tractabilis, &c.

Peccata contra octauum præceptum.

Peccata uerò hæc taxant ac damnant: Iudicari sub iniustis, & non magis sub sanctis. 1 Cor.6.Proinde iudicia, siquidẽ habueritis, de ijs quæ ad uitæ usum pertinent, qui contempti sunt in Ecclesia, eos constituite: ad erubescentiam uestrã dico. Adeò nõ est inter uos sapiens? ne unus quidem, qui possit dijudicare inter fratrem suum & fratrem? Sed frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus? Itaq; iam quidẽ omnino delictũ in uobis est, quòd lites habetis inter uos inuicem.

In iudicio forensi exercere opera à iusticia & ueritate discrepantia, qualia sunt, innocẽtes in ius trahere, fingere calumnias, falsis delationibus & criminationi bus accusare, ferre falsum testimoniũ, pronunciare sententiam falsam: & contra leges, causa nõdum cognita, damnare insontes, & absoluere reos & sceleratos: iudicare non secundũ ueritatẽ, sed secundum gratiam & personam hominũ, facere decreta impia contra Deum & iusticiã. Exempla sunt Act. 4. ubi magistratus templi & Sadducæi molestè ferunt, quòd Apostoli doceant populũ, cõprehendunt eos et carceri includunt, et alte ro die iudicium de ijs exercent, & postea interdicunt, ne loquantur in nomine Iesu. Act.5. obijcitur Apostolis in concilio seniorũ, quòd contra senatus decretum dorint populũ, & repleuerint sua doctrina Hierosoly mam, & quòd uelint inducere sanguinem Iesu Nazareni super eos: & postea audita Apostolorum apologia, qua satis probant suam causam, nihilominus tamen damnant eos, & uirgis cædi curant, edictũ repetentes, ne amplius loquantur in nomine Iesu. Actor.6.Stephanus, uir innocentissimus, in ius trahitur: & statuuntur falsi testes, qui ferunt falsum testimonium, Stephanum esse hæreticũ & seditiosum. Concilium seniorum Stephani causam non cognoscit, sed eum morti adiudicat, & lapidibus obrui curat. Act.12. Herodes Iacobum occidit in gratiam Iudæorum, & Petrũ comprehensum in carcerẽ conijcit. Act.16. Paulus & Silas trahuntur in forum ad principes & magistratus, & accusantur turbatores ciuitatis, & causa nondum cognita uirgis cædi iubentur. Simile iudicium exercetur Act. 17.21. Paulus in templo comprehenditur, & uerberatur ut seditiosus & blasphemus. Actor. 22. princeps sacerdotum Ananias contra legem iubet Paulum percuti. Actor.23 Tertullus falsis criminationibus Paulum accusat coram Felice.

Non esse studiosum ueræ doctrinæ discendæ, aut propagandæ, sed delectari uanis & falsis opinionib. easq; etiam in alios trãsfundere.2 Pet.2. Magistri mendaces, qui introducũt sectas perniciosas. 1 Ioã.1. Si dixerimus quòd peccatum nõ habeamus, ueritas non est in nobis. 1 Ioan.2. Quis est mendax, nisi is qui negat Iesum esse Christum. Ro.1. Veritatem Dei in iniusticia detinent. Ibid. Commutauerunt ueritatẽ Dei in mendacium. Ro. 2. Qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati. Rom.3. Omnis homo mendax. Gal.3. Quis uos fascinauit ueritati non credere? Philip.1. Siue per occasionem, siue per ueritatẽ Christus annunciatur. 1 Tim. 4. In hypocrisi loquentes mendacium. 1 Timoth.6. Hominum, &c. qui ueritate priuati sunt. 2 Timoth.2. Philetus à ueritate aberrauit. 2 Timoth.2. Corripientem eos qui obsistunt ueritati. Tit.1. Non attendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominum, auersantium ueritatem. 2 Thes.2. Pro eo quòd nõ receperunt dilectionem ueritatis, ut salui fierent, &c. ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniusticiam. Huc hæretici & hæreses pertinent: ij enim falsas opiniones de rebus fidei inuenerunt, ijsq; alios infecerunt.

Prodigia mendacia edere ad confirmandas superstitiones. 2 Thes.2.

Mendacium & falsitas in sermone, pactis & contractibus. 1 Ioan.2. Omne mendacium ex ueritate non est. Eph.4. Deponentes mendacium, loquimini ueritatem. Tit.1. Cretenses semper mendaces. Apocal.21. Omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis. Iac. 3. Nolite gloriari & mendaces esse contra ueritatem. Rom.1. Pactorum haudquaquam tenaces, nescij fœderis. Rom.9. Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior. Col.3. Nolite mentiri inuicẽ alius aduersus alium. 1 Timoth. 1. Lex posita est mendacibus. 2 Timoth. 3. Nescij fœderis. Act.5. Cur tentauit satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?

Lingua sua abuti ad blasphemandum Deum. 1 Timoth.1. Eram blasphemus. Actor. 26. Compellebam eos blasphemare.

Lingua sua abuti ad maledicendũ & conuiciandum proximo. 1 Pet.2. Depositis omnibus obtrectationibus. 1 Pet.3 Ne reddatis conuicium conuicio. 1 Pet.2. Christus cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta. Roman.1. Susurrones, obtrectatores, calumniosi. Roman.12. Non malè precemini. 1 Corinth.5 Conuicia tor, &c. ne cibum cum eo cæperitis. 1 Cor.6. Neq; maledici, &c. regni Dei hæreditatem capient. Ephes.4. Omnis maledicentia tollatur à uobis. 1 Timoth. 6. Ex quibus nascitur maledicentia. 2 Timoth.3. Erunt maledici, calumniatores. Col. 3. Deponite maledicentiam. Iac. 3. Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est uir, qui possit freno moderari totum etiam corpus. Ecce equis frena in ora immittimus ut obediant nobis, &

totum corpus illorum circumagimus. Ecce naues quoque cùm tantæ sint, & à uentis sæuis agantur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quócunq; impetus dirigentis uoluerit: ita & lingua pusillum membrum est, & magna iactat. Ecce exiguus ignis quantam materiã incendit. Et lingua ignis est, mundus iniquitatis: sic lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis & inflammatur à gehenna. Omnis enim natura & ferarum & uolucrum, serpentiumq; & marinorum domatur, & domita est à natura humana. Linguã autem nullus hominum domare potest, incoercibile malum, plena ueneno mortifero. Per ipsam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam maledicimus hominibus qui ad similitudinem Dei conditi sunt. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Iac. 4. Nolite detrahere uobis inuicem fratres. qui detrahit fratri, quiq; iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.

Dicere falsum testimonium. Rom. 13.

Peierare. 1 Tim. 1. Lex posita est periuris.

Temerè iurare. Iac. 4.

Seipsum commendare. 2 Corinth. 8. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed is quem Dominus commendat.

Esse cupidum inanis gloriæ. Gal. 5.

Quærere gloriam ab hominibus. 1 Thess. 2. Gal. 1.

Suprà quàm oportet de se sentire. Rom. 12. 1 Cor. 4.

Esse superbum, elatum & inflatum et gloriabundũ. 2 Pet. 5. Superbis resistit Deus. 1 Corint. 4. Quid habes quod nõ accepisti? quòd si etiã accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? & Gal. 6. Qui uidetur sibi aliquid esse, cùm nihil sit, suum ipse fallit animum. Rom. 1. Elati, gloriabundi. 2 Tim. 3. Sui amantes, fastuosi, superbi, inflati, &c. Ephes. 4. Omnis tumor tollatur à uobis.

Gloriari secundum carnem. 2 Cor. 11.

Gloriari in facie, & non in corde. 2 Cor. 5.

Simulationes. 1 Pet. 2. Deposita omni malicia, &c. & simulationibus & obtrectationibus. Ro. 12. Dilectio sine simulatione. Gal. 2. Simulationi eius consenserunt & cæteri Iudæi. Iacobi 3. Iudicans sine simulatione.

Iudicare ante tempus. 1 Corinth. 4.

Iudicare secundum respectum personarum. Iacobi 3.

Mala fama, seu ignominia. 2 Corinth. 6. Per bonam & malam famam.

BONA OPERA NONI ET DECIMI præcepti.

¶ Apostoli etiam præcipiunt opera ad nonum & decimum præceptum pertinentia, qualia sunt: Abstinere à carnalibus concupiscentijs quæ militant aduersus animam. 1 Pet. 2. Non accommodare se pristinis concupiscentijs. 1 Petri 1.

Refugere ab inquinamentis mundi. 2. Pet. 2.

Immaculatũ & incontaminatum reperiri. 2 Pet. 3.

Non diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt: ut est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, fastus uitæ, quæ unà cum mundo transit. 1 Ioan. 2.

Vincere mundum. 1 Ioann. 5. Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum: & hæc est uictoria quæ uicit mundum, fides nostra.

Seruare seipsum immaculatum à mundo. Iac. 1.

Non concupiscere. Act. 20. Nullius argentum concupiui. Rom. 7. Concupiscentiam nõ nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Rom. 13. Non concupisces. 1. Corinth. 10. Non simus cõcupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt.

Spiritu cõcupiscere aduersus carnem. Gal. 5. Iac. 4.

Non obedire peccato per cupiditates eius. Rom. 6.

Crucifigere carnem cum affectibus & concupiscentijs. Gal. 5.

Non permittere ut regnet peccatum in mortali corpore nostro. Rom. 6.

Facta corporis spiritu mortificare. Rom. 8.

Spiritu ambulare, & concupiscentias carnis non perficere. Gal. 5.

Spirituales habere affectus. Rom. 8.

Mundare seſe ab inquinamẽtis carnis ac spiritus, & perficere sanctimoniam cum timore Dei. 2 Cor. 7.

Abnegare mundanas concupiscentias. Tit. 2.

Mortificare membra terrestria, concupiscentiam malam. Coloss. 3.

Agnoscere quòd in carne sua non habitet bonum, sed quòd inhabitet peccatum: item uidere aliam legem in membris suis, rebellantem legi mentis, & captiuantem nos legi peccati: hoc est, agnoscere naturæ depravationem, & ἀδυναμίαν implendæ legis. Rom. 7.

Deponere tenaciter inhærens peccatũ: hoc est, pugnare aduersus malos fructus peccati originis. Ebr. 12.

Odio prosequi eam quæ ex carne est maculatam tunicam. Iudas.

Econtra etiam damnant peccata in hæc præcepta impingentia, ut sunt:

Peccatum originis, quod est natura deprauata, cărẽs gloria Dei, rea iræ diuinæ, prædita naturali ἀδυναμίᾳ implendi legem, uenundata sub peccatum, fons & origo prauarum cogitationum & affectuum, & operum malorum. Testimonia quibus peccatum originis ab Apostolis accusatur & damnatur, suprà suo loco recensuimus. sunt autem maximè illustria quæ Paulus Roman. 5. 7. Ephes. 2. Gal. 5. habet.

Carnales concupiscentiæ. 1 Pet. 1. 1 Ioan. 2. Rom. 7. 1 Cor. 10. Gal. 5. Iacobi 4.

Affectus carnis, et ea quæ carnis sunt curare. Ro. 8.

Affectus peccatorum uigentes in membris nostris. Roman. 7.

Esse in carne, & esse carnalem. Rom. 8.

Ambulare secundum carnem. Rom. 8.

Esse hominem animalem, non percipientem ea quæ Dei sunt. 1 Corinth. 2.

Perficere concupiscentias carnis aduersus spiritum. Galat. 5.

Præbere membra serua immundiciæ & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatem. Rom. 7.

Non nosse concupiscentiam esse peccatum. Rom. 7.

Tentari à proprijs concupiscentijs. Iac. 1.

Seruire desiderijs & uoluptatibus. Tit. 3.

Accommodare se ad formam huius seculi. Rom. 12.

Concupiscere aliena. Iac. 4. Cõcupiscitis, & non habetis: inuidetis & æmulamini, & nõ potestis adipisci.

Hactenus recitauimus catalogum bonorũ operum, quæ Apostoli iustificatis proponere soliti sunt. Nunc uerò ad reliqua expedienda progrediamur.

Monent etiam, tantum ab ijs bona opera fieri posse, qui

qui sint ciues & uera membra ecclesiæ Dei, & habeant fidem & spiritum sanctũ. 1 Pet. 1. Quemadmodũ is qui uocauit uos sanctus est, ita uos quoq; sancti in omni conuersatione reddamini. 1 Pet. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotiũ, populus qui in lucrum acceſsit, ut uirtutes illius prædicetis. 1 Pet. 3. Sciẽtes uos in hoc uocatos esse, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1 Ioan. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non committit, &c. & non potest peccare, quòd ex Deo natus est. Item, qui cõmittit peccatum, ex Diabolo est. 1 Ioann. 5. Qui genitus est ex Deo, seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. Paulus etiam Rom. 6. 7. 8. 12. 13. 14. docet bona opera à solis iustificatis fieri posse. 1 Cor. 6. Nõ estis uestri iuris, etc. Glorificate Deũ in corpore uestro, & spiritu uestro quæ sunt Dei. 1 Cor. 12. Nemo potest dicere Dominũ Iesum, nisi per spiritũ sanctũ. Gal. 5. Qui Christi sunt, carnẽ suam crucifixerunt cũ affectib. et cõcupiscentijs. Eph. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc aũt lux in Domino, ut filij lucis ambulate (nã fructus spiritus situs est in omni bonitate & iusticia et ueritate) probantes quid sit acceptum Deo. 1 Corinth. 3 Mali homines & impostores proficient in peius, dum & in errorem abducunt, & errant ipsi, & apparatus. Tit. 1. Omnia pura puris: porrò pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorũ mens & conscientia, &c. Cum sint abominabiles & dicto nõ audientes, & ad omne bonũ opus reprobi. Tit. 3 De his uolo ut confirmes, quo solliciti sint, ut bonis operibus præsint, qui crediderunt Deo.

Docent etiam opera credentium, licet sint imperfecta, & ex imbecilli & uitiosa proueniant natura, tamen Deo placere in fide, propter Christum. Nam fides statuit firmiter se Deo reconciliatum esse, & sibi imputari iusticiam gratis, absq; ullo merito. Rom. 3. 4. 5. 8. Gal. 2. 3. 4. 2 Cor. 5. Deinde etiam statuit inchoatam & imbecillem suam obedientiam, iuxta uerbum Dei, auxiliante spiritu sancto, præstitam, propter mediatorem Iesum Christum, suo merito & iusticia obumbrantem & tegentẽ imbecillitates nostras, placere. 1 Pet. 2. Siquidem gustatis quòd benignus sit Dominus, ad quem accedentes, &c. ipsi quoq; uelut uiui lapides ædificemini, domus spirituales, offerentes hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Idem 1 Pet. 2. propter Dominum iubet obedire magistratui. quod etiam Paulus facit Rom. 13. Quod quid aliud est, quàm operibus secundæ tabulæ debere fidem præ lucere, & agnitionem Dei? Idem. 1 Pet. 4. Vt in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum. Ioannes etiam docet, fidem oportere operibus præ lucere, & propter eam, inchoatam placere obedientiam. 1 Ioann. 1. Quòd si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus inter nos mutuam, et sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. 1 Ioann. 3. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Omnis qui non facit iusticiam, non est ex Deo. 1 Ioan. 3. Fiduciã habemus erga Deum, & quicquid petierimus, accipimus, & ea quæ sunt placida coram eo, facimus. 1 Ioan. 5. Hæc est charitas Dei, ut præcepta eius seruemus, & præcepta eius grauia non sunt: quoniam omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. & hæc est uictoria quæ uicit mundum, fides nostra. Paulus etiam ob fidem in Christum bona opera placere docet Rom. 8. Nulla nunc condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui nõ iuxta carnẽ uersantur, sed iuxta spiritum. Et postea: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in uobis. Ibidem: Quicunq; spiritu Dei ducuntur, filij Dei sunt. Ro. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Galat. 5. In Christo Iesu neq; circumcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed fides per dilectionem operans. Ephes. 2. Conditi in Christo Iesu ad opera bona, ut in ijs ambularemus. Item: Per illum habemus aditum utriq; in uno spiritu ad patrem. Ephes. 5 Gratias agentes semper de omnib. in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et patri. Colos. 3. Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & patri per illum. Inde colligi potest, neque orationem, nec alia opera placere Deo sine fide in Christum. 1 Thes. 2. Ita loquimur non ut hominib. placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. Thes. 5. Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Hæc est uoluntas Dei, per Christum Iesum erga uos. Idem 1 Timoth. 2. orationem uult fieri in fide mediatoris Domini nostri Iesu Christi. Ebræ. 11. Atq; sine fide fieri non potest ut quis Deo placeat. quã sententiam ibidem pluribus exemplis ueteris Testamẽti explanat. Idem Ebr. 13. Per ipsum, scilicet Christum, offerimus Deo semper hostiam laudis.

Opera hominum non renatorum & hypocritarũ non esse perfecta, hoc est, non satisfacere legi diuinæ, dictum est suprà suo loco. Hîc de credentium seu iustificatorum noua obedientia, per spiritum sanctum & fidem præstita, quæritur: num ea sit planè perfecta, & laudem integrè impletæ legis coram Deo mereatur. ad eam quæstionem Apostoli respondent, quòd renatorũ etiam obedientia sit imperfecta, & non satisfaciat legi Dei. Paulus enim Rom. 7. suo ipsius demonstrat exemplo, quòd renati non impleant legem Dei. inquit enim: Scimus quòd lex spiritualis est, at ego carnalis sum, uenditus sub peccatum: quod enim ago, non probo. Non enim quod uolo, hoc facio: sed quod odi, hoc ago. Si uerò quod non uolo, hoc facio, consentio legi quòd bona sit. Nunc autem iam non ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Noui enim quòd non habitet in me, hoc est in carne mea, bonũ. Nam uelle adest mihi: at ut faciam bonum, non reperio. Non enim quod uolo, facio bonum: sed quod nõ uolo malum, hoc ago. Porrò si quod non uolo ego, hoc facio: non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Reperio igitur per legem, uolenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiunctum sit. Delectat enim me lex Dei, secundum internum hominem: sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore, morti obnoxio? Gratias ago Deo per Christum Dominum nostrum. Itaq; idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Idem 1 Cor. 4. inquit: Nullius rei mihi cõscius sum, sed nõ per hoc iustificatus sum. 2 Cor. 12. Christus Paulo respõdet: Sufficit tibi gratia mea. nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Et Paulus Phil. 3. suam iusticiam quam ex lege

habet, hoc est, omnia sua bona opera habet proreiecta mentis, solius iusticiæ Christi innitens fide: quod non faceret, si suam obedientiã pro perfectißima legis impletione agnosceret. Deinde Paulus Rom. 8. docet, iustificatos tantùm accepisse primitias spiritus, et multis infirmitatibus esse adhuc præditos: unde facilè colligere licet, eorum obedientiã etiam imperfectam esse.

Tertiò, eo quoq; probant Apostoli, renatorum obedientiam non implere legem, quod ostendunt in renatis adhuc manere naturam deprauatam, prauas concupiscentias, & affectus à lege Dei aberrantes, quibus oporteat eos resistere. Nam Petrus 1 epist. 3 iubet abstinere à carnalibus concupiscentijs, militantibus aduersus animam. Idem 2 epist. 2 monet, eos qui ab inquinamentis mundi refugerunt per cognitionem Domini, & ueritatem agnouerunt, posse à uia ueritatis auerti, ita ut postrema fiant ijs peiora primis. Ioannes quoq; 1 epistolæ 1, iustificatos etiam fateri debere quòd sint peccatores, præcipit. Paulus etiam eam esse iustificatorum & iam bona opera facientium conditionem passim monet, ut labi & reprobi fieri possint. 1 Corinth. 10. Qui stat, uideat ne cadat. & Galat. 5 apertè docet, propter carnem, eiusq; concupiscentias, renatos non implere legem Dei: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem mutuò inter se aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Huc etiam testimonia pertinent, quæ docent, iustificatos constare ex nouo & ueteri homine, & quæ expurgationem & depositionem ueteris hominis præcipiunt. Rom. 13. Ephes. 4. Col. 3.

Quartò, quòd opera etiam renatorum à iustificatione excludunt: quod non fieret, si ea legi Dei integrè satis facerent. Rom. 4. Si Abraham iustificatus est ex operibus, habet quod glorietur, at non apud Deum. Rom. 5. Statuimus fide iustificari hominem, absq; operibus legis. Gal. 2. Nõ iustificatur ex operib. legis omnis caro. Tit. 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit.

Quintò, idem etiam ex illis sententijs legis constat Rom. 3. Quæ lex dicit, his dicit qui in lege sunt, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo, propterea quòd non iustificatur ex operibus legis omnis caro in conspectu eius. per legem enim agnitio peccati. Rom. 4. Lex iram operatur.

Sextò, æternum Christi sacerdotiũ, quod nunc habet ad dexteram Dei, interpellans pro iustificatis, testatur, iustificatorum opera non esse plena. Roman. 8. Qui est ad dexterã Dei, & intercedit pro nobis. 1 Timoth. 2. Vnus est Deus, & unus conciliator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Heb. 4. et 7. Hic cum idem maneat inæternum, perpetuum habet sacerdotiũ: unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeũt Deum, semper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis.

Etsi autem interdum Apostoli loquuntur de perfectione, tamen ea nõ de integra impletione legis coram Deo intelligenda sunt: sed de ea perfectione, qualis in hac uita præstari potest. 1. Ioan. 2. Qui seruat sermonem eius, uerè in hoc charitas Dei perfecta est. 1. Ioan. 3. Qui manet in eo, non peccat. Roman. 13. Qui diligit alterum, legem expleuit. Philipp. 3. Quotquot perfecti sumus, sic sentiamus. Ephes. 4. Donec peruenia-

mus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei in uirum perfectum. In his & similibus, perfectio doctrinæ, id est perfecta noticia doctrinæ cœlestis, aut perfectio uitæ seu nouæ obedientiæ, qualis in hac uita comparari potest, quæ tamẽ à legis integra impletione longißimo interuallo distat, intelligitur.

Doctrinam à Christo traditam de fine bonorum operum, præclarè etiam Apostoli illustrant. Negant propter opera renatorũ contingere remißionem peccatorũ, iusticiam & uitam æternã. eum enim effectum solis operibus Christi, & fidei amplectenti beneficium Christi ad scribunt. Actor. 4. Non est aliud nomen datũ inter homines, quo oporteat nos saluos fieri. Actor. 10. Huic testimonium perhibent omnes prophetæ, &c. Actor. 13. Per hunc omnis qui credit iustificatur. Rom. 3. Gal. 2. Non iustificatur ex operibus legis ulla caro.

Deinde alias causas, aliosq; fines, ob quos bona opera fieri debeant, præscribunt. Vnius enim rei sunt plures fines: nec uno aliquo fine negato, omnes alij tolluntur, sicut Libertini & Iusticiarij, euangelij doctrinam solent accipere, quòd cum ea neget bona opera iustificare, simul prorsus bona opera tãquam nullius utilitatis & momenti abijciat. Primùm autem docent, propter Dei mandatũ, bona opera fieri debere. Deus enim obedientiam postulat ab omnibus. 1 Pet. 1. Sancti estote, nam ego sum sanctus. 1 Pet. 2. Quoniam sic est uoluntas Dei, ut benefaciẽdo, obturetis os hominibus stultis, & ignorantibus Deum. Ibidem: Subditi estote, &c. propter Dominum. 1. Ioann. 3. Hæc est annunciatio, quã audiuistis ab initio, ut diligatis uos inuicem. Ibidem: Hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum. 1. Ioann. 4. Hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. 2. Ioann. Non tanquam mandatum nouum scribo tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus nos mutuò. Rom. 13. Nemini quicquã debeatis, nisi ut uos inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Ephes. 6. Seruientes Domino, & non hominibus. 1. Thes. 3. Rogamus uos, & adhortamur per Dominum Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos uersari, & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quæ præcepta dederimus uobis per Dominum Iesum. Hæc enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione. 1. Thes. 5. Hæc est uoluntas Dei per Christum Iesum erga uos. 2. Thes. 3. Confidimus aũt per Dominũ de uobis, quòd quæ præcepimus uobis, & faciatis, & facturi sitis. Præcepimus autem uobis, per nomen Domini Iesu Christi, ut subducatis uos, &c. 1. Timoth. 2. Nam hoc bonum & acceptũ est coram Deo nostro seruatore. 2. Timoth. 2. Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Iesu.

Secundò, propter beneficia Dei in nos per Christum collata: qualia sunt, redemptio, iustificatio, seu imputatio iusticiæ & operum Christi, regeneratio, donatio Spiritus sancti, collatio donorum ad utilitatem ecclesiæ pertinentium. Nam Dei beneficia in nos prædemptione testimonia sunt, 1 Pet. 1. Videte ut in timore uersantes, incolatus uestri tempus transigatis, cum scitis uos non caducis rebus, &c. redemptos esse, sed pre-

cioso

cioso sanguine. 1 Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum, quo peccatis mortui, iustitiæ uiueremus. ad Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. A' iustificatione seu remissione peccatorũ, Paulus passim ratiocinatur, nouam obedientiã esse necessariam: facit enim eam causam nouæ obedientiæ. Estq; notatu dignum, quòd Paulus in epistola ad Romanos, Galatas & Ephesios, primo loco tradit doctrinam de iustificatione: & postea infert, gratis saluatos debere inchoare nouam obedientiam, & non in peccatis manere: in alijs uerò epistolis, in quib. ex professo ad bona opera iustificatos cohortatur, nihilominus subinde rationis & argumenti loco doctrinam de iustificatione repetit, utpote quæ sit causa bonorum operum. Rom. 6. Manebimus in peccato, ut gratia abundet? absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo post-hac uiuemus in eodem? hoc est, remissa sunt nobis peccata propter Christum, ergo nõ amplius debemus peccare. Item: Serui facti estis iusticiæ, ergo seruite iusticiæ, & non iniusticiæ. Galat. 2. Ego per legem, legi fui mortuus: ut Christo uiuerem, unà cum Christo crucifixus sum: uiuo tamen non ego, sed uiuit in me Christus. Rom. 7. Liberati sumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ut seruiamus per nouitatem spiritus, & non per uetustatem literæ. ad Tit. 2. Apparuit gratia salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate et mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuamus in præsenti seculo. Ephes. 2. Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu, ad bona opera, quæ præparauit Deus, ut in ijs ambularemus. De regenerationis testimonia sunt, 1 Pet. 1. Diligite uos impensè ex puro corde, renati non ex semine mortali, &c. 1 Iohan. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non committit. 1 Ioann. 6. Qui natus est ex Deo, seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. De donatione spiritus sancti testimonia sunt, Rom. 8. Quicunq; spiritu Dei ducuntur, filij Dei sunt: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba 1 Cor. 3. An nescitis, quòd templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in uobis? Si quis templum Dei profanat, hunc perdet Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis uos. 1 Corint. 6. An nescitis, quòd corpus uestrum templum est habitantis in uobis spiritus sancti, &c. Glorificate iam Deum in corpore uestro, & spiritu quæ sunt Dei. 2. Corinth. 6. Ephes. 2. Huc etiam illa testimonia pertinent, quæ docent malis operibus excuti spiritum sanctum. Ephes. 4. Ne contristetis spiritum sanctum. & 1. Thes. 4. Qui reijcit, non hominem reijcit, sed Deum, qui spiritum sanctum dedit in uos. De collatione donorum, testimonia sunt, 1 Pet. 4. Vt quisq; accepit donum, ita alius in alium ministrantes, ut boni dispensatores uariæ gratiæ Dei. 2. Corinth. 6. Ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. Roman. 12. Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra uerò non omnia eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra, sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria: siue prophetiam, iuxta portionem fidei, siue ministerium in administratione, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione, qui impertit in simplicitate, qui præest in diligentia, qui miseretur in hilaritate. Idem 1 Corinth. 12. repetitur, & Ephes. 4. Dona enim eam ob causam nobis conferuntur, ut ea exerceamus, & ijs Deo & hominibus inseruiamus.

Tertiò, etiam baptismum nos ad facienda bona opera obligare monent. in eo enim renunciauimus operib. Diaboli, & Deo promisimus nouitatem uitæ: & in eo sumus Christo inserti, & à peccatis abluti. Hoc argumento Petrus utitur 1 Pet. 3. & Paulus Ro. 6. An ignoratis, quòd quicunq; baptisati sumus in Christũ Iesum, in mortem eius baptisati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Nam si insititi facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum et resurrectionis participes erimus: illud scientes, quòd uetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac nõ seruiamus peccato. 1 Cor. 12. Etenim per unum spiritũ nos omnes in unũ corpus baptisati sumus, siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi, omnes eundũ spiritũ hausimus: etenim corpus non est unum membrum, sed multa. Si dicat pes, non sum manus, non sum de corpore: num idcirco nõ est de corpore? Et si dicat auris, non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Si totũ corpus oculus, ubi auditus? si totũ auditus, ubi olfactus? Nunc autem Deus posuit membra, unũquodque singulatim in corpore, quemadmodũ uoluit. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc aũt multa quidẽ mẽbra, unũ uerò corpus. At nõ potest oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus, Nõ est mihi opus uobis: imò multo potius quæ uidẽtur mẽbra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt: & quæ putamus minus honesta esse corporis, his honorem uberiorẽ apponimus: & indecora nostri, copiosiorẽ decorẽ habent. Cæterùm, quæ decora sunt, nostri non indigent: sed Deus simul temperauit corpus, ei cui decrat, copiosiorẽ addens honorẽ, ne sit dissidium in corpore, sed inuicẽ alia pro alijs eandẽ sollicitudinẽ gerant mẽbra. Et siue patitur unũ membrum, simul patiuntur omnia membra: siue glorificatur unũ membrum, simul gaudẽt omnia membra. Vos aũt estis corpus Christi, & mẽbra ex parte. Colos. 2. Consepulti cũ illo per baptismũ, in quo simul etiã cũ illo resurrexistis per fidẽ operatõis Dei, q excitauit illũ ex mortuis.

Quartò, ut respondeamus nostræ uocationi. Nam cum simus filij Dei, decet nos ut filios Dei ambulare. 1. Pet. 1. Tanq̃ filij obedientes. 1 Io. 3. In hoc manifesti sunt filij Dei. Ro. 8. Gal. 4. Sincerique; filij Dei, irreprehensibiles, in medio generationis praue & tortuosæ, inter quos lucete tanquã luminaria in mũdo. Cum simus filij lucis, & nõ tenebrarũ, decet nos in luce ambulare. 1. Io. 1. Eph. 5. Vt filij lucis ambulate, & c. ne cõmerciũ habueritis cum infrugiferis operibus tenebrarũ, quin ea potius etiam arguite. 1 Thes. 5. Omnes uos filij lucis estis, & filij Dei: non sumus noctis, neq; tenebrarũ: proinde ne dormianus, & c. Cum simus sancti, agamus ut sanctos decet. Ephes. 5. 1 Thessal. 4. Non uocauit nos Deus immundiciæ causa, sed ad sanctificationem. 1 Thessalon. 5. Non constituit nos Deus, ut iram nobis

concitemus, sed ut salutem cõsequamur per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Cum simus sacerdotes Dei, & reges, Apoc. 1. offeramus hostias spirituales, acceptabiles Deo, per Iesum Christum. 1 Pet. 2. Rom. 12. Heb. 13.

Quintò, ut extet discrimen inter gentes, impios, incredulos: & inter renatos, ac ad Deum conuersos, ut appareat nos Dei, & non Diaboli filios esse. 1 Pet. 1. Non accommodetis uos pristinis concupiscentijs, quibus dum adhuc ignoraretis Christum, agebamini. 1. Pet. 4. Sat est uobis, quòd anteacto uitæ tempore uoluntatem gentium patrauerimus. 1 Ioann. 3. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli: omnis qui non facit iusticiam, non est ex Deo. Ephes. 4. Ne posthac ambuletis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant, in uanitate mentis. 1 Corinth. 6. Hæc eratis quidem, sed ablu ti estis. 1 Thes. 4. Non cum affectu cõcupiscentiæ, quẽadmodum & gentes, quæ non nouerunt Deum. Rom. 12. Ne accommodetis uos ad figuram huius seculi, sed transformemini per renouationem mentis uestræ.

Sextò, ut sint fructus iusticiæ. Phil. 1. Impleti fructibus iusticiæ. Et fructus spiritus. Galat. 5. & Ephes. 5. Vt sint indicia & testimonia fidei: quemadmodum econtrà peccata contra conscientiam sunt testimonia fidei simulatæ, mortuæ & infidelitatis. 2 Pet. 1. Hæc cum uobis adsint & exuberent, haud ociosos, nec in irritum laborantes efficiunt, ad Domini nostri cognitionem. Nam cui non adsunt hæc, is cæcus est, & manu uiã tentans, oblitus sese à ueterib. peccatis suis fuisse purgatũ. Quapropter operam potius date, ut uocationem & electionẽ uestrã firmam efficiatis: hoc est, ut habeatis ueræ uestræ fidei testimonium, qua certò statuatis uos electos & uocatos esse ad uitam æternam in Christo Iesu. 1 Ioann. 3. Omnis qui peccat, id est, qui contra conscientiam in peccatis perseuerat, non uidit eum, nec cognouit eum. Ergo peccare, est testimonium infidelitatis. 1 Io. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum: qui non diligit, non nouit Deũ. Idem 1 Ioan. 4. docet, dilectionẽ seu nouã obedientiam (dilectione enim conprehendit totam nouam obedientiam) esse testimonium Dei in nobis manentis: Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Et postea: Deus est charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1 Timot. 5. Si qua suis, & maximè familiaribus, non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Iac. 1. Sitis effectores sermonis, & non tantum auditores, fallentes uos ipsos. Item: Qui non frenat linguam suam, sed aberrare sinit cor suum, huius uana est religio. Iac. 2. Fides sine operibus mortua est. Idem Iac. 3. docet, mala opera esse fructus sapientiæ terrenæ, animalis, dæmoniacæ: bona uerò opera esse fructus sapientiæ cœlestis.

Septimò, ut Deus per nostra bona opera glorificetur. 1 Pet. 2. Vt uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit. & rursus: Vt in hoc quòd obtrectãt uobis quasi maleficis, ex bonis operibus æstimantes uos, glorificent Deum in die uisitationis. 1 Pet. 4. Vt in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum. & postea: Iuxta ipsos quidem maledictis afficitur spiritus Dei, iuxta uos aũt glorificatur. Phil. 1. Impleti fructu iusticiæ, qui contingit per Iesum Christum, ad gloriam ac laudẽ Dei. 2. Thes. 1. Vt illustretur nomen Domini nostri Iesu Christi per uos & uos per illum, iuxta gratiam Dei nostri & Domini Iesu Christi.

Octauò, ut nostris bonis operibus ornemus doctrinam Euangelij. Phil. 1. Tantum ut dignum est euangelio conuersemini. 1 Tim. 6. Ne nomen Dei & doctrina male audiat. ad Tit. 2. Fidem omnem ostendentes bonam, ut doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Nonò, ut declinemus obtrectationes malcuolorum. 1 Pet. 2. Vt benefaciendo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus. 1 Pet. 3. Vt in hoc quòd uobis detrahunt tanquam sceleratis, pudefiant bi qui incessunt uestram bonam in Christo conuersationem. ad Tit. 2. Te metipsum præbens formã bonorum operum in doctrina, integritatem, grauitatem, sermonẽ sanum, irreprehensibilem: ut is qui pugnat, rubore suffundatur, nihil habens quod de uobis dicat malì.

Decimò, ut declinemus scandala & offensiones aliorum. 2. Cor. 6. Ne quam demus usquam offensionem, ne reprehendatur ministerium. 1 Cor. 10. Tales estote, ut nullũ præbeatis offendiculũ, neq; Iudæis, neq; Græcis, neq; ecclesiæ Dei. Philip. 2. Omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus, tales. ut nemo de uobis queri possit. Heb. 13. Curam agentes, ne quis sit qui deficiat à gratia Dei, ne qua radix amaritudinis suppullulans obturbet uos, & per hanc inquinentur multi.

Vndecimò, ut nostro bono exemplo etiã inuitemur alij ad pietatẽ. 1 Pet. 3. Vxores subditæ sitis uiris uestris, ut etiam qui non obtemperant sermoni, per uxorũ conuersationem absq; sermone lucrifiant, dum cõsideranti cum reuerentia coniũctam castã conuersationẽ uestrã. Duodecimò, ut reperiamur imitatores Dei et Domini nostri Iesu Christi. 1 Pet. 1. Sicut is qui uos uocauit, sanctus est: ita ipsi quoq; sancti in omni conuersatione resdamini. 1 Pet. 2. Siquidem in hoc uocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquẽs nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius. 1 Ioan. 2. Qui dicit se in eo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 1 Ioã. 3. Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1 Ioann. 4. Si sic nos dilexit Deus, & nos debemus nos mutuò diligere. Ephes. 5. Sitis imitatores Dei, tanquam filij dilecti: & ambuletis in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos. Roman. 15. Assumite uos inuicem, quemadmodum & Christus assumpsit uos in gloriam Dei. Idem 2. Corinth. 8, ab exemplo Christi, ad beneficentiam erga pauperes cohortatur Corinthios. & Ephes. 4. inquit: Largientes uobis inuicem, quemadmodum & Deus per Christum largitus est uobis. Colos. 3 idem repetitur: Condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodũ & Christus condonauit uobis, ita & uos. Philip. 2. Affectus sit in uobis, qui fuit in Christo Iesu.

Decimotertiò, propter communem etiam societatem & utilitatem bona opera facienda, monet Paulus Galat. 5. Ne alius alium deuoret & consumat. ad Tit. 3. Hæc honesta & utilia sunt hominibus.

Decimoquartò, etiam ideo facienda esse bona opera monent, ne excutiamus fidem & bonã cõscientiam. 1 Tim. 1. Habens fidem & bonam conscientiam, qua re pulsa

pulsa nonnulli circa fidem naufragiũ fecerunt: quorum de numero est Hymenæus & Alexander. 1 Tim. 1. Asiamenæus & Philetus. 2 Tim. 2. Demas, qui præsens seculum amplexus, à Paulo defecit. 2 Tim. 4. Et diteſcere cupientes. 1 Tim. 6. 2 Pet. 2. Post agnitam ueritatem iterum inuoluti, superantur ab inquinamentis mundi, postrema peiora primis faciunt. Item: Ne interrumpantur preces. 1 Pet. 3. Ioan. 3. & 5. 1 Tim. 2. Obseruatu autem dignum est, quòd Apostoli nusquam dicant, bona opera ideo fieri debere, ut conseruent fidem. Cautè etiam locuti sunt, scientes mala opera excutere fidem, quia sint perfectè mala: bona uerò non esse perfectè bona, & alias esse causas φυλακτικὰς fidei, nempe uirtutem Dei, spiritum sanctum, uerbum Dei, & sacramenta, interpellationem nostri mediatoris pro nobis, ne fides nostra deficiat. 1 Pet. 1. Qui uirtute Dei per fidem custodimini ad salutem.

Decimoquintò, ut uitentur pœnæ Magistratus. 1 Petri 2. & Rom. 13. Vis nõ timere potestatem? quod bonũ est facito, & feres laudem ab illa. Vt uitentur pœnæ ecclesiasticæ, ut sunt. Obiurgatio coram omnibus, 1 Tim. 5. Excommunicatio, 1 Cor. 5. 2 Thess. 3. 2 Ioan. Vt uitentur pœnæ diuinæ, huius & futuræ uitæ. Eph. 5. Ne quisquam uos decipiat inanibus sermonibus. Propter hæc enim solet ira Dei uenire in filios inobedientes: ne sitis igitur consortes illorum. Colos. 3. Mortificate membra uestra terrestria, stuprum, immundiciã, molliciem, concupiscentiã malam, & auariciã, quæ est simulachrorũ cultus, ob quæ solet ira Dei in filios infidelitatis uenire. 1 Thess. 4. Ne quis fratrem suum opprimat aut defraudet in negocio, propterea quòd ultor est Dominus de his omnibus. Colos. 3. Cæterùm qui peccat, reportabit peccatum suum, & non est personarum respectus. 1 Cor. 6. An nescitis, quòd iniusti regni Dei hæreditatẽ non consequentur? Ne erretis: neq; scortatores, neque cultores simulachrorum, neq; adulteri, neq; molles, neque qui concumbunt cum masculis, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. & Ephes. 5. Nam hoc scitis, quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui est simulachrorum cultor, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Gal. 5. Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: adulteriũ, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorũ cultus, ueneficiũ, inimicitiæ, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prædico uobis, quẽadmodũ et prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erũt. Gal. 6. Ne erretis. Deus non irridetur. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem. 1 Cor. 16. Si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema, maranatha. Rom. 2. His uerò qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidẽ non obtemperãt, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, afflictio & anxietas, aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum, Iudæi primùm, simul & Græci. 2 Thess. 1. Infliget ultionẽ ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio. 1 Ioan. 3. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Item: Homicida non habet in se uitam æternam manentem. Apoc. 21. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatricis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure. Apocal. 22. Foris sunt canes, incantatores, scortatores, idololatræ, homicidæ, & omnes amantes & facientes mendacia.

Decimosextò, ut feramus præmia, nempe à magistratu laudem rectè factorum. 1 Pet. 2. & defensionem, Ro. 13. Ne redarguamur coram omnibus à ministris ecclesiæ. 1 Tim. 5. Ne offendamus, et mœrore afficiamus pios doctores, & ministros ecclesiæ. 2 Cor. 7. 11. 12. Ne excludamur à communione ecclesiæ. 1 Corint. 5. 2 Thess. 5. ad Tit. 3. 2 Ioann. Vt reportemus huius & futuræ uitæ præmia, à Deo promissa. 1 Timot. 4. Pietas ad omnia utilis est, ut quæ habeat promissiones uitæ præsentis & futuræ. 1 Pet. 3. Scientes uos in hoc uocatos esse, ut benedictionem hæreditate possideatis. Nam qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coerceat linguam suam à malo & labia sua ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam: quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum. Rursus, aspectus Domini super eos qui faciunt mala. 1 Pet. 4. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis. 1 Pet. 5. Cum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem coronam gloriæ. Rom. 2. Qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua: his quidem qui perseuerantes in bene faciendo, gloriã & honorem & immortalitatem quærũt, uitã æternam. 1 Cor. 15. Labor uester non erit inanis in Domino. 2 Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet corã tribunali Christi, ut unusquisq; recipiat in corpore suo, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Galat. 6. Qui seminat per spiritum, de spiritu metet uitam æternam: bonum aũt faciendo ne fatigemur. Tempore enim suo metemus, non defatigati. Ephes. 6. Illud scientes, quòd unusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. 2 Tim. 2. Si sufferimus, & conregnabimus. Rom. 8. Non reputo esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriã quæ reuelabitur erga nos. 2 Tim. 4. Certamen bonum certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solum aũt mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius. Heb. 10. Ne abieceritis fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem. Nam patientia uobis opus est, ut ubi uoluntatem Dei peregeritis, reportetis promissionẽ. Heb. 12. Sectemini sanctimoniã, sine qua nemo uidebit Deum. Christus ad episcopũ Sardicensem inquit Apoc. 3. Qui uicerit, sic uestictur uestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro uitæ: & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Idem Apocal. 2. Scient omnes ecclesiæ, quòd ego sum ille scrutans renes & corda, & dabo unicuiq; uestrũm iuxta opera sua. Apocal. 21. Qui uicerit, possidebit omnia, & ero illi Deus, & erit mihi filius. Apocal. 22. Beati qui custodiunt mandata eius. Proponuntur etiam exempla punitorum scelerum ueteris Testamenti, 1 Petri 4. 2 Petri 2. 1 Corinth. 10. & passim alibi. Rom. 11 exemplũ reiectionis Iudæorũ ita à Paulo tractatur, ut moneat, Deum gentes quoq; ob contemptum uerbi sui

grauissimè puniturum. Porrò in huiusmodi promissionibus præmiorum, Apostoli satis cautè loquuntur, & se bene declarant, uitam æternam non ut meritũ nostrorum operum dari, sed ut meritum operum Christi. 1 Ioan. 5. Rom. 5. Respectu uerò nostri ut donum. Rom. 6. Donum autem Dei uitæ æterna, per Christum Iesum Dominum nostrum. Reliqua uerò præmia dari, ut mercedem hæreditatis. Col. 3. A' Domino recipietis mercedem hæreditatis. Debetur enim nobis uita æterna, propter adoptionem, qua sumus facti filij Dei per fidem, hæredes Dei, cohæredes Christi. Rom. 8.

Decimoseptimò, etiam argumento à temporis circumstantia ducto, Apostoli cohortantur iustificatos ad nouam obedientiam. Roman. 13. Iam tempus est ut à somno expergiscamur. 2 Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis, ne quam usq; demus offensionem. Gal. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. Ephes. 5. Redimentes occasionem, quòd dies mali sint: maximè uerò, quia immineat extremus dies. 1 Pet. 4. Porrò rerum omnium finis imminet, sitis igitur sobrij. 2 Pet. 3. Venit autem dies Domini, sicut fur in nocte, &c. Cum igitur hæc omnia soluantur, quales oportet uos in sanctis conuersationibus & pietatibus esse, expectantes & accelerantes aduentum Dei, &c. Quapropter hæc expectantes, date operam, ut immaculati & incontamnati ab ipso reperiamini. 1 Thess. 5. Cum dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus. Hebræ. 10. Idq; hoc magis, quòd uidetis appropinquantem diem. Et postea: Adhuc enim pusillum temporis, & qui uenturus est ueniet, & non tardabit: Iustus autem ex fide uicturus est: & qui se subduxerit, non probabitur in animo meo.

Decimooctauò, proponunt etiam exempla bonorũ operum, tum eorum qui in ueteri Testamento uixerũt. Vt Petrus, 1 epist. 3 uxores ab exemplo Saræ hortatur ad castã & piam conuersationẽ. Paulus exemplũ Abrahæ passim celebrat & inculcat. Epist. ad Heb. 11. plurima alia addit, quibus cap. 12. hanc clausulã adijcit: Proinde nos cum tanta septi simus nube testium, &c. curramus in propositio nobis certamine, respicientes ad fidei ducem & consummatorem Iesum. Epistola Iacobi etiam Abrahæ & Rachab meretricis meminit, Iac. 2. Exemplum accipite afflictionis & patientiæ prophetas: tolerantiam Iob audiuistis, & finem Domini uidistis. Iac. 5. Tum sua ipsorũ. 1 Cor. 4. Hæc autem fratres per figuram transtuli in meipsum, & in Apollo, propter uos, ut in nobis disceretis, ne quis supra id quod scriptum est, de se sentiat. & 1 Cor. 9. Ego sic curro, ut non in incertum: sic pugilem ago, non uelut aerem feriens: uerùm subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cũ alijs prædicarim, ipse reprobus efficiar. Philip. 3. Pariter estote imitatores mei fratres, & considerate eos qui sic ambulant, quemadmodum nos habetis pro exemplari. 1 Thessal. 2. Vos imitatores facti estis fratres ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quòd eadem passi sitis & uos à proprijs contribulibus, quemadmodũ & ipsi nos à Iudæis. 2 Thess. 3. Ipsi scitis quomodo oporteat imitari nos. 2 Tim. 3. Paulus Timotheum hortatur à suo exemplo ad patientiam, & ad alia bona opera.

Postremò, utũtur etiam similitudinibus: quales sunt, currentium in stadio, 1 Corinth. 9. seminantium, Galat. 6. 2 Corinth. 7. Militantium, 2 Timot. 2. Tu igitur feras afflictiones, ut bonus miles Christi. Nemo qui militat, implicatur uitæ negocijs, ut ei qui se in militiam dele-git, placeat: quòd si certat aliquis, non coronatur, nisi legitimè certauerit.

Autor epistolæ Iacobi etiam hoc argumẽto uidetur hortari ad nouam obedientiam, quòd is qui non habeat bona opera, fide sola non possit saluari, & quòd bona opera perficiant fidem. Et quia Abrahã & Rachab meretrix ex operibus sint iustificati, Iac. 2. Autor uerò epistolæ ad Hebræos uidetur & illã addere, quòd lapsi per pœnitentiam non possint recuperari, ut Esau Heb. 7. 10. 12. Sed cũ his rationib. non utãtur neq; Christus, neque cæteri Apostoli, & hæ epistolæ apocryphæ sint, ut suo loco dictũ est, pro stipulis iure ista habẽtur.

Bonis operib. opponũtur mala, et à Deo prohibita, qualia suprà per totum catalogũ enumerauimus. Deinde etiã ijs opponũtur opera humana, & electitia præsertim si ijs affingitur opinio cultus. Col. 2. ad Tit. 1.

Aduersatur etiam doctrinæ de bonis operibus hypocrisis, quæ magnificit opera externa, & ijs perfectionem & laudem iusticiæ adscribit. Col. 2. Philip. 3.

Repugnat etiam opinio pseudoapostolorum, bona opera ad salutem necessaria esse, & impossibile esse aliquis sine operibus in lege Mosaica præscriptis saluus fiat. Refutatur hæc opinio Act. 15 à Paulo & Barnaba & cõcilio Hierosolymitano, & à Paulo in epistolis ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, Timotheũ et Titũ.

Etiam Libertinorũ, ut sic uocemus, opinio, quæ asseritur bona opera nõ esse necessaria: sed adiaphoron esse, facere omnia quæcũq; menti nostræ libeant. Item, Facienda esse mala, ut eueniant bona: peccandum esse, ut abundet gratia. quæ refutantur à Paulo Rom. 3. 6. & in alijs epistolis passim, & à Pet. 1 epist. 4. 2 epist. 2. & à Ioann. 1 epist. 3. à Iudæ epistola, & Iacobi 2.

DE ORATIONE.

Apostoli docent, orationem esse à uero Deo in nomine mediatoris Domini nostri Iesu Christi, ex affectu cordis & uera fide petere res in uerbo Dei promissas, corporales & spirituales, & æternas, sibi & alijs necessarias, et pro acceptis beneficijs Deo gratias agere, ut patebit ex sequentibus.

Duas orationis species esse, petitionem & gratiarum actionem, patet ex multis testimonijs Pauli, ubi utraq; complectitur. Philip. 4. In omni precatione & obsecratione, & gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum. 1 Thess. 5. Semper gaudete, indesinenter orate, gratias agite in omnibus. Idem etiam formulæ precationum probant, quales ferè singulis epistolis Paulus præfigit, quãdo et pro beneficijs à Deo in ecclesiam collocatis gratias agit, & porrò ea conferri ac etiam cumulatè augeri petit.

Petitionis autem species uidetur Paulus has enumerare, δεήσεις, deprecationes: προσευχὰς, obsecrationes: ἐντεύξεις, interpellationes. 1 Tim. 1. Autor epistolæ ad Hebræos ἱκετηρίας supplicationes addit, Heb. 5.

Tantum eos qui habent ueram Dei agnitionem & fidem, et sunt ciues Ecclesiæ, Deum uerè inuocare posse Petrus docet. 1 Pet. 1. Et Ioannes 1. Ioan. 3. & 5. & Paulus Ro. 10. Quomodo inuocabunt, in quẽ non crediderunt

derunt? gentes enim, & nondum conuersos, in uanitate mentis ambulare dicit Ephes. 4. & Deo carere in mundo, Epes. 2. Dæmonia colere, 1 Cor. 10. & Deum ignorare, & seruire ijs qui natura non sunt dij, Gal. 4. Simulacra muta colere, 1 Cor. 12.

Tradunt etiam, ueram orationem esse opus spiritus sancti. Roman. 8. Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. & postea, Spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris. Siquidem hoc ipsum quod oraturi simus, ut oportet non nouimus, uerùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. at ille qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus, quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis. Christum etiam nostras preces excipere, & ad Deum patrem deferre, pro nobis intercedere apud patrem, Paulus Rom. 8. 1 Tim. 2. Heb. 7. & 13.

Monent autem, uerum Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, & filius & spiritus sanctus, esse inuocandum, eiq; gratias agendas pro beneficijs collatis. Nam extant testimonia, quæ docent, orationem ad Deum, scilicet qui est unus in essentia, & trinus in personis, dirigendam esse. 1. Ioann. 3. Hanc fiduciam habemus erga Deum. Actor. 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Actor. 4. Domine, tu es Deus, qui fecisti cœlum & terrã, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Actor. 8. Roga Deum, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui. Rom. 1. Gratias ago Deo meo per Iesum Christum. Rom. 15. Deus pacis sit cum omnibus uobis, Amen. 1 Thess. 2. Gratias agimus Deo indesinenter. 1 Thess. 1. Gratias agimus Deo semper, de omnibus uobis.

Extant etiam testimonia, in quibus personarum fit mentio, scilicet patris, & Christi, & spiritus sancti. 1. Pet. 1. Laudandus est Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi. Item: Patrem inuocatis citra personarum respectum iudicantem. 2 Ioannis: Erit misericordia & pax à Deo patre, & à Domino Iesu Christo. Rom. 15. Obsecramus uos per Dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus. 2 Corinth. primo: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. Ephes. primo, Colosse. tertio: Cum gratia canentes in corde uestro Domino. 1 Thessal. tertio: Ipse uerò Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat uiam nostram ad uos. 2 Thess. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, &c. stabiliat uos in omni sermone & opere. & 2 Timoth. 2. Sectare pacem cum his qui inuocant Dominum ex puro corde. Actor. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Docent etiam quomodo preces sint faciẽdæ: nempe fide in Dominum nostrum Iesum Christum, qua statuamus nos per eum Deo reconciliatos esse, & propter cum dem exaudiri. Patent hæc primùm ex apertis testimonijs, 1 Ioann. 5. Hæc est fiducia quã habemus apud eum, quòd si petierimus secundũ uoluntatem eius, audit nos. Rom. 10. Omnis qui fidit illi, nõ pudefiet, &c. Nã idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Ephes. 2. Per illum habemus aditũ utriq; in uno spiritu ad patrem. Ephes. 3. Per quẽ habemus audaciã & aditum in fiducia, quæ est per fidem illius. Heb. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiã, & gratiã inueniamus ad opportunũ auxiliũ. Heb. 10. Accedamus cũ uero corde in certitudine fidei. Heb. 13. Per ipsum offerimus semper Deo hostiã laudis. Iac. 1. Quod si cui uestrùm deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat inquã omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei: sed postulet cum fiducia, nihil hæsitãs. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. Neq; enim existimet homo ille, se quicquã accepturũ à Domino. Iac. 5. Oratio fidei saluum faciet ægrotum. Deinde constat ex formulis precationum. nam in ijs plerunq; fit mentio Domini nostri Iesu Christi. Exempla postea subijciemus.

Secundum Dei uoluntatem, & non contra eam, res necessarias petendas esse, Ioannes 1 epistola 5. monet, & Paulus Rom 8.

Res aũt quæ secundum Dei uoluntatẽ petuntur, duorum generũ, nempe corporales & spirituales, temporarias & æternas esse docent. Extant enim de utrisq; testimonia. De spiritualib. hæ loquũtur sententiæ. Act. 2. Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Act. 7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Item: Domine, ne statuas illis peccatũ hoc. 1 Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et iustus, ut remittat nobis peccata nostra. 1 Cor. 1. Gratias ago Deo meo semper pro uobis, de gratia Dei quæ data est uobis per Christũ Iesum. 2 Cor. 12. Super hoc ter Dominum rogaui, ut discederet à me. Ephes. 1. Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ, & reuelationis. 2 Thess. 2. Orate fratres pro nobis, ut sermo Domini currat, & glorificetur, sicut & apud uos.

De corporalibus loquuntur hæc dicta. Rom. 15. Vt liberer ab incredulis in Iudæa, ut cũ gaudio ueniã ad uos, per uoluntatẽ Dei, unáq; uobiscũ refocciller. 2 Thess. 2. Vt eripiamur ab absurdis & peruersis hominibus. Iac. 5. Affligitur aliquis inter uos, oret. Et postea: Helias homo erat similiter obnoxius affectionibus ut nos, & precatione precatus est ne plueret: & non pluit super terram annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum.

Interdum spirituales & corporales concurrunt. Actor. 1 Apostoli à Deo petunt sorte missa, ut declaret, utrum, Iustum ne an Matthiam, surrogari uelit in locum Iudæ proditoris. Actor. 4 Apostoli unà cum Ecclesia orantes, inquiunt: Nunc Domine aspice in minas eorum, & da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum, manum tuam porrigendo in hoc, ut sanatio & signa & prodigia edantur per nomen sancti filij tui Iesu.

Orandum etiam non tantum pro se, sed etiam pro alijs esse, tum exempla, tum sententiæ monent. Sententiæ, 1 Ioann. 5. Si quis fratrem suum uiderit peccare peccatum non ad mortem, petet & dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem. est peccatũ ad mortem, non pro illo dico ut roges. Ephes. 6. Orantes in omni tẽpore, in spiritu & ad hoc ipsum uigilantes, cum omni sedulitate, & deprecatione, pro omnib. sanctis, et pro me, ut mihi detur sermo in apertione oris mei cũ libertate, ut notũ faciã mysteriũ Euãgelij mei super quo legatione fungor in catena, ut in ea liberè loquar. sicut oportet me loqui. 1 Tim. 2. Ante omnia fiant deprecationes, &c. gratiarũ actiones pro omnib. hominib. pro regib.

&

& omnibus in eminentia constitutis, ut placidam & quietam uitam degamus in omni pietate & honestate. Iac.5. Orate pro uobis inuicem, ut sani sitis. Exempla. Act.6. Ecclesia orat pro diaconis electis. Act.8. Petrus & Ioannes orant pro Samaritanis, ut accipiãt spiritum sanctum. Ibidem, Petrus iubet Simonẽ magum à Deo petere remissionem suæ impiæ cogitationis. At Simon inquit: Precemini uos pro me apud Dominum, ne quid eueniat in me horum quæ dixistis. Act.12. Petrus quidem seruabatur in carcere, cæterùm precatio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum, pro eo. Act. 13. Ecclesia Antiochena super Paulo & Barnaba emittẽdis, ad propagandũ Euangeliũ inter gentes, orant. Similia in Actis plura exempla inueniũtur. Paulus etiam passim in epistolis suis ecclesias pro se orare iubet. Ro. 15. Ephes. 6. Phil. 1. Per uestram deprecationẽ. Col. 4. Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostiũ sermonis, ut loquamur mysteriũ Christi. 2 Thess. 3. Orate pro nobis. Heb. 13. Orate pro nobis. Magis autẽ obsecro uos, ut id faciatis, quo celerius restituar uobis.

Res spirituales & æternas sine conditione petẽdas esse, docent sententiæ, ut ex formulis precationũ spiritualium constat, quarũ nulla ullius cõditionis meminit, & exempla. Nam Stephanus inquit sine cõditione: Domine, suscipe spiritũ meũ. Idẽ etiã constat ex promissione taliũ rerum, quæ absq; conditione omnibus credentibus promittunt gratiã & uitam æternã. 1 Ioã. 2. Hæc est repromissio, quã ipse pollicitus est nobis, uitã æternam. 1 Ioan. 5. Qui habet filium, habet uitam æternam.

Res uerò corporales cum conditione petendas esse, ut nimirũ uoluntati diuinæ eas permittamus, nosq; ad patientiã offeramus, monent. Ioannes enim 1 epist. 5. secundum uoluntatem Dei petere iubet. Vult aũt Deus, ut agnoscamus, quòd sæpe hoc ipsum quod oraturi simus, ut oportet, nõ nouimus. Ro. 8. et ut sibi tribuamus honorem, quòd sciat optimè quid nobis ex usu sit. Paulus Rom. 1. Semper in precibus meis orans. si quo modo tandem aliquando prosperum iter contingat, Deo uolente, ut ueniam ad uos. Rom. 15. Vt cum gaudio ueniam ad uos per uoluntatem Dei. 2 Cor. 16. Spero me aliquantisper mansurum apud uos, si Dominus permiserit. Autor epistolæ Iacobi monet, ut etiam res externas inceturi, dicamus: Si Dominus uoluerit, & si uixerimus, faciemus hoc aut illud.

Res spirituales & æternas potiori loco habendas, et primò petendas, postea uerò res externas, co monent, quòd illas his longè anteferunt. 1 Pet. 1. In hæreditatem immortalẽ, &c. exploratio fidei uestræ, multo preciosior auro. Item, Nõ caducis rebus, ueluti argento & auro. 2 Pet. 3. Cum igitur hæc omnia soluantur, quales oportet esse uos, &c. 1 Ioã. 2. Mundus transit, & concupiscentia eius: qui aũt facit uoluntatẽ Dei, manet in æternũ. 1 Cor. 6. Escæ uentri destinatæ sunt, & uenter escis. Deus aũt & hunc & illas abolebit. 1 Cor. 7. Qui utũtur mundo, sint tanquã qui non utantur: præterit enim habitus huius mũdi. 2 Cor. 4. Dum nõ spectamus ea quæ uidentur, sed quæ nõ uidentur. Nam quæ uidentur, temporaria sunt: at quæ non uidentur, æterna. Philip. 3. Quorũ Deus uenter est, & gloria in dedecore ipsorũ qui terrestria curant. Heb. 11. Alij distenti sunt, asperna ti redemptionẽ, ut potiorẽ sortirentur resurrectionem. Autor epistolæ Iacobi 4. reprehendit eos qui potiori loco habent terrena, eaq; ideo petunt, ut habeant unde suas expleant uoluptates. Apostoli etiam in exordijs epistolarum suarum potius spiritualia & æterna, quàm corporalia, ecclesijs precantur bona.

Nec mora auxilij quenquam frangi debere, sed alacriter petendo instandum esse, eo monent, quòd indesinenter & semper orandũ esse toties inculcant. 1 Pet. 3. Sitis sobrij & uigilãtes ad orandũ. 1 Thess. 1. Gratias agimus Deo semper de omnibus uobis, &c. indesinenter memores uestri. Idẽ Col. 1. Gratias agimus Deo semper de uobis, cum oramus. 1 Thess. 5. Indesinenter orate, in omnibus gratias agite. 1 Thess. 2. Et nos gratiã agimus Deo indesinenter. Col. 4. Obsecrationi instate, uigilantes in ea, cum gratiarum actione. Ephes. 6. Orantes in omni tempore in spiritu. Rom. 1. Semper in precibus meis orans. Rom. 15. 1 Tim. 5. Vidua perseueret in obsecrationibus die noctuq;.

Horas aũt certas canonicas, tãquã obseruatu necessarias, et quòd Deus ijs potius exaudiat quàm alijs, uniquam præscribũt Apostoli: nõ omissuri eas, si quid in ijs momenti esse scissent. Actor. 3. Ioannes & Petrus ad horam precationis nonam ascẽdisse in templum dicuntur: & Act. 10. Cornelius hora dici nona, & Petrus circa horam sextam orasse, commemorantur. Act. 17. Media nocte Paulus & Silas in carcere orarunt. Sed more Iudaico ista facta sunt, nec uim legis habent, eam quamuis tempore orare Christianis liceat, ac etiã Iudæis sub politia Iudaica nullum certum tempus præfinitum fuerit, quo tantum orandum esset.

Senserunt etiã, formulas orãdi liberas esse. Nãm usquã quenq; ad certa uerba adstrinxisse leguntur. Absq; dubio formulã illam orationis à Christo traditã, etiam ecclesijs proposuerũt, & ad cum modũ pios orare iusserunt. Sed tamen interim & ipsi alijs formulis in precationibus usi sunt, quales in Actis & Epistolis passim extãt. Act. 1. facta precatione dixerũt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende utrũ elegeris ex his duobus, ut accipiat sortẽ ministerij huius apostolatus, unde præuaricatus excidit Iudas, ut abiret in locũ suum. Act. 4. Domine tu es Deus, qui fecisti cœlũ & terrã, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui per os Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterũt reges terræ, & principes cõuenerunt in unum, aduersus Dominũ, & aduersus Christum eius. Cõuenerunt enim uerè aduersus sanctũ filiũ tuum Iesum, quẽ unxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus, cum gentib. & populis Israel, ad faciendum quæcunq; manus tua & cõsilium tuũ prius decreuerat ut fierẽt. Et nunc Domine aspice in minas eorũ, et da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonẽ tuum, manum tuam porrigendo in hoc, ut sanatio & signa & prodigia edantur per nomen sancti filij tui Iesu. Stephanus hac utitur formula, Act. 7. Domine Iesu, suscipe spiritũ meum. Domine, ne statuas illis peccatum hoc.

Formulæ etiam precationum sunt salutationes illæ, quæ epistolis Apostolorũ præfiguntur, aut in fine adiiciuntur. 1 Pet. 1. 2 Pet. 1. Gratia uobis & pax multiplicetur. 1 Pet. 5. Deus omnis gratiæ, qui uocauit uos ad æternam suã gloriã, per Christũ Iesum, parumper afflictos, idem instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat: ipsi gloria, im-

ria, imperium in secula seculorum, Amen. 2. Ioannis. Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Domino Iesu Christo, filio patris. Apocal. 1. Gratia uobis & pax, &c. Rom. 1. Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Hæc formula in alijs epistolis omnibus Pauli repetitur.

Formulæ gratiarumactionis & orationis cõiunctæ passim in exordijs, & epilogis epistolarum Pauli reperiũtur. Rom. 1. Gratias ago Deo meo per Iesum Christum super omnibus uobis, quòd fides uestra annunciatur in toto mundo, &c. Rom. 16. Ei autem qui potens est uos confirmare secundum Euangelium meum, & præconium Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati uerò nunc, & per scripturas propheticas, iuxta delegationem æterni Dei, in obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti, soli sapienti Deo, per Iesum Christũ, cui gloria in secula, Amen. 1. Cor. 1. Gratias ago Deo meo semper de uobis, de gratia Dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, quòd in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone & omni cognitione, quibus rebus testimonium Iesu Christi confirmatum fuit in uobis, adeò ut non destituamini ullo dono, expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit uos usq; ad finem, inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi. 2. Corint. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, &c. consolãs nos in omni afflictione nostra. Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestib. Christo. & postea: Non desino gratias agere pro uobis, etc. Phil. 1. Gratias ago Deo meo in omni memoria uestri, semper in omni precatione mea, pro omnibus uobis cum gaudio precationem faciens, quòd ueneritis in cõmunionem euangelij à primo die usq; ad hoc tempus, &c. & illud oro, ut charitas uestra adhuc magis atq; magis exuberet in agnitione, omniq; intellectu, ut probetis quæ sunt præstantia, ut sitis sinceri, ac tales, ut nemini sitis offendiculo in diem Christi, impleti fructu iusticiæ, qui contigit per Iesum Christum, ad gloriam & laudem Dei. Philip. 4. Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum, Amen. Col. 1. Non desinimus orare pro uobis, & poscere, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali, ut ambuletis dignè Domino, ut per omnia placeatis in omni bono opere fructificantes & crescentes in agnitione Dei, &c. 1. Thes. 3. Ipse uerò Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat uiam nostram ad uos. Vos autem Dominus abundantes & exuberantes faciat, mutua inter uos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in uos, ut confirmet corda uestra irreprehensibilia in sanctimonia coram Deo & patre nostro, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius. 1. Thes. 5. Ipse Deus pacis sanctificet uos totos, & integer uester spiritus & anima & corpus, ita ut in nullo postis culpari, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. 2. Thes. 1. Gratias agere debemus Deo semper de uobis fratres, ut par est, quòd uehementer augescit fides uestra, & exuberat uestra omnium charitas, cuiusq; in alterũ, &c. 2. Thes. 2. Nos autem debemus gratias agere Deo semper de uobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit uos Deus ab initio in salutem, per sanctificationem spiritus, ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per euangelium, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Et postea: Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam per gratiam, consoletur uestra corda, & stabiliat uos in omni sermone & opere bono. 2 Thes. 3. Ipse autem Dominus pacis, det uobis pacem semper omnibus modis: Dominus cum omnibus uobis. 1. Timoth. 1. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor, gloria in secula seculorum. & 1 Tim. 6. eadem repetuntur. 2 Tim. 1. Gratiam habeo Deo, cui seruio à maioribus cum pura conscientia, quòd citra omnem intermissionem faciam de te mentionem in precationibus meis, noctu dieq;. 2 Timoth. 1. Det misericordiam Dominus Onesiphori familiæ, quoniam sæpe me refocillauit, &c. Det ei Dominus ut inueniat gratiam apud Dominũ in die illo. In epistola ad Philemonẽ: Gratias ago Deo meo semper, mentionem tui faciens in precibus meis, &c. ut cõmunicatio fidei tuæ efficax fiat, in agnitione omnis boni, quod est in uobis erga Christum Iesum. Autor epistolæ ad Hebr. 13. Deus autem pacis, qui reduxit à mortuis pastorem ouium illum magnum, per sanguinem testamenti æterni, Dominũ nostrum Iesum, absolutos uos reddat in omni opere bono, ad faciendum uoluntatẽ ipsius, efficiens, ut quod agitis, acceptum sit in conspectu suo per Iesum Christũ, cui gloria in secula seculorũ, amẽ. Autor epistolæ Iacobi neq; gratiarũ actionis, neq; precationis formulã ullam suppeditat. Autor epistolæ Iudæ: Ei uerò qui potest illos seruare à peccato immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ incontaminatos cum exultatione, soli sapienti Deo, seruatori nostro, gloria & magnificentia & imperium & potestas, nunc & in omnia secula, amen.

Formulæ gratiarumactionis & celebrationis Dei in Apocalysi passim habentur. Apocal. 4. Quatuor animalia canunt die ac nocte, Sanctus. sanctus. sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui uẽturus est. Et ibidem, uigintiquatuor seniores dicunt: Dignus es Domine accipere gloriã & honorem, & uirtutem, quia tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam sunt, & creata sunt. Apoc. 5. Quatuor animalia & uigintiquatuor seniores canunt canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos per sanguinem tuum ex omni tribu, & lingua & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram. Ibidem: Angeli & animalia & seniores, & millia millium, dicunt uoce magna: Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem, & diuitias, & sapientiam, &c. Apoc. 6. Animæ interfectæ propter uerbum Dei, clamabant uoce magna: Vsquequò Domine, qui es sanctus & uerax, non iudicas & uindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Apocal. septimo: Turba multa canit, Salus ei qui sedet super thronum Dei nostri, & agno. Et omnes angeli, & seniores, & quatuor animalia adorant Deum, dicentes Amen: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & uirtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum, Amen.

Apoc.

Apoc.11. Factæ sunt uoces in cœlo dicentes: Facta sunt regna huius mundi Domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum, amen. Et uigintiquatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ce ciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicētes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui uenturus es, qui accepisti uirtutem tuam magnā, et regnasti. Et iratæ sunt gentes, & aduenit ira tua, et tēpus mortuorū, ut iudicentur, et reddas mercedē seruis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomē tuū, pusillis & magnis, & perdas eos qui perdunt terrā. Apoc.19. formula est gratiarū actionis pro reuelato Antichristo: Post hæc audiui uocē magnā turbæ multæ in cœlo dicentis, Alleluia: Salus, & honor, & gloria, & uirtus Dño Deo nostro est, quia uera et iusta iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram prostitutione sui, & uindicauit sanguinē seruorū suorum de eius manu. Et iterum dixerunt Alleluia: & fumus ascendit in secula seculorum. & cecide runt uigintiquatuor seniores, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum, sedentem super thronum dicentes, Amen, Alleluia. & uox de throno exiuit, dicēs: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis eum, pusilli & magni. & audiui uocem turbæ multæ, dicentium Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se.

Docent etiam, orationem omni loco fieri posse, & æquè Deo esse acceptā. siue in templo, siue domi, siue in agro, aut alijs in locis fiat. Nam neq; in cōcionibus suis, neq; in epistolis ad unum aliquem locum orationem alligant Apostoli. Petrus enim Act.1. inquit ex Ioele: Et futurum est, ut omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, seruetur. Et Act.10. In quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iusticiam, is est acceptus illi. Idem 1. Pet.4. nulla circumstantiæ loci mentione facta inquit: Sitis uigilantes ad orandū. Ioannes etiam certum orationi locum non præfinit, 1.Ioan.3. & 5. Paulus uerò, cum passim hortatur ecclesias ut pro se et omnibus sanctis orent, nusquā mentionem certi loci facit, ubi orare oporteat: quod utiq; fecisset, si quid momenti locum ad orationē conferre sciuisset. Imò 1 Tim.2. idem expresse inquit: Volo orare uiros in omni loco, eleuantes puras manus absq; ira & disceptatione. & 1. Cor.1. Qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in quouis loco, uel suo, uel nostro. Exempla etiam testantur passim orationes factas esse. nam Act.1. Apostoli cum cætera piorum turbula in cœnaculo orant. Act.3. Ioannes & Petrus ascendunt in templum ad horam precationis nonam. Actor.4. fiunt ab ecclesia communes preces in cœtu. Idem fit Act.6. cum eliguntur & ordinantur septem Diaconi. Act.7. Stephanus orat in loco ubi lapidibus obruitur. Et Saulus orat in domo Iudæ, Act.9. Petrus Lyddæ orat in cœnaculo, pro resuscitanda Tabitha. Act.9. Et Cornelius orat domi suæ. Act.10. Petrus in domo Simonis coriarij. Actor.10. Ecclesia in domo Mariæ matris Ioānis Marci orat pro Petro. Actor.12. Antiochena ecclesia orat in cœtu, cum Paulum & Barnabam Dei iussu emittunt, ad prædicandum euangeliū gentibus. Act.13. Philippis iuxta flumen, extra urbem solebat fieri precatio: illuc Paulus ueniens, concionatur euangelium. & apparet, etiam postea illuc iuisse Paulum & Silam ad precationem. Ibidem Paulus & Silas in carcerem coniecti, media nocte orant in carcere. Act.16. Fiunt etiam orationes in cœtu Troade, & in Mileto, Actor.20. Paulus in naui orat, & gratias agit Deo cibum sumpturus. Act.27.

Nec orationem ad ullos certos, tanquā necessarios, gestus alligant. Nam etsi Paulus in cœtu iubet uiros nudo capite, mulieres uerò uelato orare, 1.Cor.11. & manuum sustollendarū meminit 1. Tim.2. tamē eiusmodi præcepta ob decorū tantū tradit, nec uult illis obligari concientias, quasi sine his gestib. oratio Deo displiceat.

Testantur etiam exempla, gestus orationis liberos esse. Nam Stephanus positis genibus orat, Act.7. Idem etiam Petrus facit Actor.9. Paulus cum presbyteris Ephesianis in Miletum accersitis, positis genibus orauit. Act.20. Apparet Saulum iacentem orasse, Act.9.

Non tantum mente & gemitibus cordis orandum, sicut id quoq; præcipitur Coloss.3. Cum gratia canentes in corde uestro. Ephes.6. Orantes omni tempore in spiritu, Rom.8. Nos ipsi in nobis ipsis gemimus, expectantes adoptionem, redemptionem corporis nostri. 2 Timoth.2. Qui inuocant Dominum ex puro corde. 1.Corint.14. Orabo spiritu, sed orabo & mente. Iudas: Per Spiritum sanctum orantes. Sed etiam ore, uerba precationum & gratiarum actionum proferendas esse, monent illa ipsa testimonia quorum hactenus plerāq; retulimus: ex 1 Pet.4. 1 Iohann.3 & 5. 1 Timot.2. Coloss.3. Iacobi 5.

Paulus autem maximè hoc postulat, ut in cœtu precationes & gratiarum actiones communes fiant ore, in nota & uernacula lingua, quo et alij possint erudiri & ædificari, & accinere Amen. 1. Corint.14. Quoties conuenitis, unusquisq; uestrūm canticū habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationē fiant. Item: Si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarū actionem? quandoquidem quid dicas, nescit. Nam tu quidem benegratias agis, uerùm alius non ædificatur. Huc etiam exempla pertinent, Actor. 1. Facta precatione dixerunt, Tu Domine, &c. Actor.4. unanimiter attollebāt uocem ad Deum, dixeruntq; : Domine, &c. Et Stephanus Actor. 7. clamabat uoce magna: Domine, ne statuas illis peccatū hoc. Apparet etiā ex formulis precationum & gratiarum actionum, quòd non corde tantum, sed etiam ore sit orandum. Et Paulus 1. Corint.6 iubet in corpore nostro glorificare Deum. Est autem lingua etiam membrum corporis, quare ea ad celebrādum Deum nos quoq; uti decet. Et Philipp.2 & Rom. 14. ex Esaiæ 45 citatur, quòd in nomine Iesu omne genu cœlestium & terrestrium, & infernorum, debeat se flectere, & omnis lingua confiteri, quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Rom.10. Paulus ullo ore fieri confessionem, ergo etiam orationem. Est enim oratio etiam species quædā confessionis. Autor etiam epistolæ Iacobi monet, linguam eò destinari debere, ut per eam benedicamus Deo & patri, & proximo. Autor epistolæ ad Heb. iubet offerri Deo per Christū hostiā laudis, hoc est fructū labiorū.

Propo-

Proponunt etiam Apostoli promissiones, quas utile est in inuocatione mente repeti, & diligenter considerari, ad excitandũ & cõcipiendum aliquem orationis igniculum per spiritũ sanctũ. 1 Ioan. 3. Si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum, & quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta eius custodimus: hoc est, in Christum credimus, & ea quæ sunt placita coram Deo facimus. 1 Ioan. 5. Hæc est fiducia quã habemus apud Deum, quòd si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quòd audit nos, quicquid petierimus, scimus quòd habemus petitiones, quas postulauimus ab eo. Ro. 8. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? qui proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnib. dedit illũ: quî fieri potest, ut non & cum eodẽ omnia nobis donet? quis intentabit crimina aduersos electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condẽnet? Christus est qui mortuus est imò qui & resuscitatus est, qui est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. &c. Rom. 10. Omnis qui fidit illi, nõ pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idẽ Dominus dives in omnes inuocãtes se. quisquis enim inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. 1 Tim. 2. Nam hoc acceptum est & bonum corã seruatore nostro Deo, qui cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Hebr. 4. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiã, & gratiã inueniamus. Iac. 1. Si cui deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat (inquã) omnib. simpliciter, nec exprobrat, & dabitur ei.

¶ Licet etiam ex Apostolorum scriptis colligere causas, quæ ad orandum incitare pios debent. Sunt aũt hæ. Prima: Mandatũ Dei. 1 Pet. 4. 1 Ioan. 5. 1 Tim. 2. Rom. 10. Non enim sua autoritate præcipiunt ut pij orent, sed autoritate Dei.

Secunda: Promissiones suauissimæ, quòd Deus sit dives in omnes inuocantes se: & sine distinctione personarum, quosuis in Christum credentes, & in eius nomine inuocantes, exaudiat. Rom. 10. Act. 2. Et quòd cumulatè facere possit ultra omnia quæ petimus, aut cogitamus. Ephes. 3.

Tertia: Quia habemus mediatorem sua dignitate & meritis pro nobis apud patrem intercedentem & interpellantem. 1 Ioannis primo: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi. Rom. 8. Qui sedet ad dexterã Dei, & intercedit pro nobis. 1 Tim. 2. Vnus est enim Deus, unus conciliator Dei & hominũ, homo Iesus Christus. Heb. 2. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors & fidelis esset Pontifex in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nã ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest etiam ijs qui tentãtur succurrere. Heb. 7. Saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens ad hoc ut interpelet pro nobis.

Quarta: Quia habemus auxiliatorem etiam spiritum sanctum. Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Galat. 4. Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Rom. 8. Consimiliter autem et spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris. Si quidem hoc ipsum, quid oraturi simus, ut oportet, nõ nouimus: uerùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At ille qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus, quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis. Scimus autem, quòd his qui diligũt Deum, omnia simul adiumẽto sint in bonum, nimirum his qui iuxta propositum uocati sunt.

Quinta: Vocatio nostra. In Christo enim Iesu omnes facti sumus reges & sacerdotes Dei, ad offerendum hostias spirituales, Deo acceptabiles, per Iesum Christum: hoc est, ad celebrandum Deum, et ab eo bona tum nobis tum alijs petendum. 1 Petri secundo: Aedificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles per Iesum Christum. Et postea: Vos genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum acceßit, ut uirtutes illius prædicetis. Ioãnes etiam Apoc. 1 inquit: Fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Idem Apocalyp. 5. repetitur. Roman. duodecimo etiam eò Paulus alludit, quod etiam facit illis dictis, quibus docet, renatos templum Dei esse. 1 Corinth. 3. 6. 2 Corinth. 6.

Sexta: Necessitas. Omnes singulis momentis indigemus auxilio Dei. Hinc Paulus toties monet ecclesias, ut pro se, uerbo Dei, & alijs sanctis orent. Ephes. 6. 2. Thess. 5. Rom. 15. Idem 1 Tim. 2. pro omnibus hominib. uult fieri obsecrationes, interpellationes. Et Petrus 1. epist. 5. Diabolum nos circumeuntem, & nobis insidiantem eò docet, ut uigilantiores simus ad orandum. Exempla etiam Act. 1. 4. 12. monent, pios in summis periculis nihil magis egisse, quàm orationi incubuisse.

Septima: Vis orationis. nam ea impetramus omnis generis corporalia & spiritualia beneficia, uincimus & repellimus ea Diabolum, eiusq; organa. Sed de his effectibus paulo pòst.

Octaua: Incommoda etiam, & pœnæ, quæ eos manent qui non orant, & Deo gratias agunt pro acceptis beneficijs, pios ad sedulò orandum excitare debeat. Nam non orantes, & non petentes, non accipiunt. Omnia bona dona ueniunt à patre luminum: Iac. 1. Non habetis, propterea quòd non postulatis: Iacobi 4.

Monent etiam Apostoli, ut ij qui Deum uelint inuocare, non degant in peccatis contra conscientiam. ea enim excutiunt fidem & spiritum sanctum, quæ duo uel maximè ad orationem requiruntur. 1 Ioan. 3. Si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum: & quicquid petierimus, accipimus ab eo. Et Petrus 1. epist. 3. eò præcipit mutuum coniugũ amorem, ne interrumpantur preces. Idem etiam sobrios ad orandum esset iubet, 1 Pet. 4. Nouit enim ebrietatem obesse inuocationi. Et Paulus inquit 2. Tim. 2. Discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Christi. Et postea: Qui inuocãt Dominũ ex puro corde. Idem 1 Tim. 2, iubet uiros puras manus absq; ira et disceptatiõe ad Deũ extendere. In Actis sæpe etiã ieiunationes & orationes coniũctim factæ dicũtur. quod eò fit, quòd Iudaica consuetudine, ut essent ad orandũ expeditiores et prõptiores, solebãt sibi aliquãdiu à cibo & potu cõsueto tẽperare. Act. 14. Cũ creassent illis per ecclesias singulas presbyteros, precatiq; essent cum ieiunijs, commendauerunt eos Domino. Act. 13. Cum ieiunassent & orassent,

impoſuiſſentq; eis manus, dimiſerunt eos. Ieiunia ergo propter orationem, & non propter alias ſuperſtitiones exercuerunt.

¶ Effectus uerò orationis fidelium hos ferè recenſent. Cõſequi beneficia externa & ſpiritualia, à Deo petita: 1. Ioan. 3. & 5.

Conſequi ampliora bona, quàm petimus, aut cogitamus. Epheſ. 3. Cornelius Act. 10 impetrat maiorem agnitionem Dei.

Impetrare ſalutem, Act. 2. Rom. 10. Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Impetrare ſapientiam, Iac. 1.

Impetrare defenſionem contra tentationes, & ignita tela Diaboli, Epheſ. 6.

Impetrare ut Deus edat miracula ad liberandum & confirmandum nos, & reprimendum impios. Act. 4, orante eccleſia, mouetur locus, et implentur omnes ſpiritu ſancto. Act. 10, Angelus uenit ad Cornelium orantem. Ibidem, Petro oranti manifeſtatur per uiſionem doctrina de uocatione gentium. Actor. 9. Petrus oratione reſuſcitat Tabitham. Actor. 16. orante Paulo & Sila, terræmotus fit, & carcer aperitur.

Impetrare etiam alijs ſua oratione beneficia corporalia & ſpiritualia. Nam Act. 8 Petrus & Ioannes ſua oratione impetrant Samaritanis ſpiritum ſanctum. Eccleſia Hieroſolymitana Petro incarcerato impetrat liberationem è carcere. Actor. 12. Paulus ad Philemonem inquit: Spero quòd auxilio precum ueſtrarum donabor uobis. Idem etiam eccleſiæ Philippenſis preces ſibi profuturas eſſe dicit, Philipp. 1. Heb. decimotertio: Obſecro uos, ut id faciatis, quo celerius reſtituar uobis. Ioãnes, prima epiſt. 5, oratione noſtra nos alijs fratribus, non peccantibus ad mortem, uitam impetrare poſſe dicit. Autor epiſtolæ Iacobi 5, orationem fidei, quæ pro ægrotis fiat, eis impetrare ſanitatem, monet. Idem alium pro alio orare iubet, ut omnes ſaluemur.

Impetrare à Deo uindictam aduerſus impios, & impœnitentes. Multum ualet deprecatio iuſti efficax. Helias homo erat ſimiliter obnoxius affectionibus ut nos, & precatione precatus eſt ne plueret: et non pluit ſuper terram annos tres, & menſes ſex. Et rurſus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum ſuum: Iacobi 5. Animæ interfectorum impetrant reſponſum de uindicandis ipſorum hoſtibus. Apocal. 6

Oratione & gratiarumactione ſanctificatur uſus creaturarum à Deo conditarum, ut ſit mundus ſeu licitus. 1. Timoth. 4. Cibos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarumactione fidelibus, & ijs qui agnouerunt ueritatem, quòd quicquid creauit Deus, bonum ſit, & nihil reijciendum, ſi cum gratiarũactione ſumatur. ſanctificatur enim per ſermonem Dei, & precationem. Huc etiam uidetur illud referendum, 1. Corinth. 7. Sanctificatus enim eſt maritus incredulus per uxorem, & ſanctificata eſt uxor incredula per maritum: alioqui filij ueſtri mundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. Nam hic quoq; de ſanctificatione, quæ fit per uerbum Dei, & precationem, intelligenda ſunt.

Oratione etiã miniſteria ſiue eccleſiaſtica ſiue politica, perſonis idoneis commendata, magis piè & ſalubrius adminiſtrantur. Actor. 1. oratione & ſorte Matthiæ apoſtolatus Iudæ committitur. Actorum quinto, ſeptem uiris oratione & manuum impoſitione cura adminiſtrandorum eccleſiæ bonorum commendatur. Actor. 13. oratione Paulus & Barnabas emittuntur ad prædicandum Euangelium gentibus. Actor. 14. precationibus preſbyteri per ſingulas eccleſias ordinantur.

Orationi ueræ contraria inter mala opera in ſecundo præcepto prohibita collocauimus: quòpiũ lectorẽ remittimus. Hoc unũ monendũ duximus, in ſcripijs Apoſtolorũ, de inuocatione Mariæ, Apoſtolorum, aut aliorum ſanctorum mortuorum, neq; præceptum, neq; exemplũ ullum reperiri: ſed ut idololatriã, omnes creaturarum adorationes damnari. Roman. 1 Coluerunt ea quæ condita ſunt, ſupra eum qui condidit. Apocalyp. 9. Vt non adorent dæmonia & ſimulachra aurea, argentea, ærea & lapidea, & lignea.

Quàm etiam gratum faciant ſanctis mortuis, ij qui eos adorant, hinc licet conijcere: quòd cum adhuc eſſent in uiuis, indigniſſimè eiuſmodi uenerationes tulerunt. Nam cum Cornelius in genua procumberet, adoraturus Petrum, Petrus eum erexit, dicens: Et ego ipſe homo ſum: Act. 10. Paulus et Barnabas turbam Lyſtrenſem ſibi ſacrificare inſtituentẽ, ſciſſis ueſtibus maximo cum dolore obiurgant & interdicunt: Actor. 14. Item, cum angeli adorari nolint, multo minus ſanctimortui adorationem æquo animo ferent. Nam Apoc. 16. cum Ioannes cadit ad pedes angeli, adoraturus eũ, inquit ille: Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu Deum adora. Eadem Apoc. 22 repetuntur.

DE POENITENTIA.

POenitentiæ uocabulum in Actis Apoſtolorũ 2. 5. 8. 11. 20. & in epiſtolis Paulinis ad Rom. 2. 2. Corinth. 7. 2 Timoth. 2. in 2 epiſtola Petri 3. Apoc. 2. 3. 9. Heb. 6. & 12 reperitur. At in epiſtolis Ioãnis, Iudæ & Iacobi non extat. Pœnitentia, aut uerbum pœnitere, aliàs abſolutè ponitur, et ſignificat totã hominis cõuerſionẽ. 2 Pet. 3. Deus non uult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiã reuerti. Act. 13. Cum antè prædicaſſet Ioannes ante faciem introitus eius baptiſmũ pœnitentiæ Iſraeli. Rom. 1. Bonitas Dei te ad pœnitentiam inuitat. Aut habet aliquid adiunctũ, quo altera pars conuerſionis, quæ eſt fides, aut effectus, qui eſt noua obedientia, notatur: & tum ſignificat uel contritionem ſolam, uel contritionem & fidem ſimul. De priori genere exempla ſunt Act. 20. Teſtificãs, &c. eam quæ eſt erga Deũ pœnitentiã, & fidẽ quæ eſt erga Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum. Act. 26. Annunciabã gentibus, ut pœnitentiã agerent, & conuerterentur ad Deum, opera facientes digna his qui reſipuiſſent. Apoc. 9. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidijs ſuis, neq; à ueneficijs ſuis, neq; à fornicatione ſua, neq; furtis ſuis. Poſterioris generis exẽplũ eſt Apoc. 2. Age pœnitẽtiã, et fac opera priora.

Pœnitentiæ & pœnitere, ſynonymon eſt conuerſio & conuerti. 1 Petri 2. Conuerſi eſtis ad paſtorem & curatorem animarum ueſtrarum. Act. 3. Conuertat ſe unuſquiſq; à malicia ſua. Actor. 14. Vt ab his uanis ad Deum cõuertamini. 2. Corint. 3. Cum autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur uelamen.

Definitionem pœnitentiæ, eandem quam Chriſtus, Apoſtoli quoq; tradiderunt, quòd ſit ſalutaris conuerſio hominis ad Deũ, complectens contritionẽ et fidem,

quam

quam sequuntur bona opera, digna ijs qui resipuerint. Constat hæc definitio ex Actorũ 26. ubi Paulus inquit ad Agrippã: Annunciabã ut pœnitentiã agerẽt, & conuerterentur ad Dominũ, opera facientes digna ijs qui resipuissent. Nam Act. 2. Delictorũ, inquit, pœnitentiã agite, & baptisetur unusquisq; uestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorũ, & accipietis donũ Spiritus sancti. Act. 3. Pœniteat uos igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Ibidem: Cum suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentẽ uobis, ita ut unusquisq; uestrûm cõuerteret se ab iniquitatibus suis. Act. 5. Ad dandã Israeli pœnitentiam, remissionẽq; peccatorum. Act. 8. Petrus inquit ad Simonẽ Magum: Resipisce igitur ab ista malicia tua, & roga Deũ, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. Act. 20. Paulus in synodo Miletiana inquit: Testificans, &c. cã quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem quæ est erga Dominum. Act. 26. Christus ad Paulum inquit: Mitto te, &c. ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, à potestate Sathanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorũ, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem quæ est erga me.

Præterea in epistolis suis Apostoli duas illas partes inculcant, ad cõtritionem seu agnitionem peccatorum, & postea, ad fidem in Christum, & ad bona opera, quæ sunt fructus fidei, cohortantes. Nam Petrus ea quæ ad contritionem pertinent, subinde inculcat, quòd ignorauerint Christum, & quòd acti sint à concupiscentijs, & quòd uanã conuersationẽ egerint. 1 Pet. 1. Quòd in tenebris fuerint, & non populus Dei, oues errantes. 1. Pet. 2. Et quòd uoluntatẽ gentium patrauerint, uersati in lasciuijs, concupiscentijs, uinolẽtijs, comessationibus, compotationibus & nefarijs simulachrorum cultibus. 1 Pet. 4. De fide idem inquit: Perfectè sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam, dum uobis patefit Christus. 1 Pet. 1. Conuersi estis ad pastorem & curatorem animarum uestrarum. 1 Pet. 2.

Iohannes etiam in suis Epistolis, ubi de conuersione hominis agit, illas partes complectitur. nam de contritione & fide eleganter inquit: Si dixerimus, Peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis nõ est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, ut remittat nobis peccata nostra, ut emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, Nõ peccauimus: mendacẽ facimus eũ, & sermo eius non est in nobis. 1 Iohan. 1. Et Ioannes de nouã obediẽtia passim elegãtia dicta habet: Qui dicit se in eo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 1 Iohann. 2. Omnis qui in eo manet, non peccat: hoc est, non habet propositum peccandi: omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum. 1 Iohan. 3. Item: Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.

Paulus etiam omnibus suis Epistolis, duo illa ad pœnitentiam pertinẽtia requirit, cõtritionem seu agnitionem peccati, & fidem. Nam Rom. 1. & 2 & 3. tradit, omnes homines, tam Iudæos quàm gẽtes, esse obnoxios peccato. Deinde docet eos fide in Christũ gratis iustificari. Ro. 3. 4. 5. In alijs Epistolis licet ferè præscribat iustificatis, quæ bona opera facere debeãt, tamen subinde de cõtritione, et de fide seu iustificatiõe quædã interspergit. Apoc. 2. Memor esto unde excideris, & age pœnitentiã, et fac opera priora. Iac. 4. Humiliet uos redite in conspectu Domini, & eriget uos. Denique has partes etiam in exemplis conuersionum uidere licet. Nam Act. 2. animæ circiter ter mille hoc modo conuertuntur. Primùm Petrus & alij Apostoli eos deducunt ad agnitionẽ peccati, quòd Iesum filiũ Dei & Messiam suum interfecerint: & quòd ipsi sint generatio praua, hoc est, in peccatis cõcepti et nati, et deprauata natura præditi. inquit enim: Seruemini à generatione ista praua. Illi contriti & cordibus compuncti, inquiunt: Quid faciemus uiri fratres? Apostoli uerò eos porrò deducunt ad Christum, & remissionem peccatorum, & ad baptismum: illi autem accipiunt sermonem fide, & baptisantur. Tertiò, sequitur noua obediẽtia: perseuerant enim in doctrina Apostolorum, & communicatione, et fractione panis, & precationibus: ac erãt cõiuncti, & habebãt omnia cõmunia, cumq; exaltatione & simplicitate cordis laudabant Deũ, & subinde plures conuertebant. Act. 16. simile exemplũ in custode carceris est. Is enim primùm uiso miraculo, quod Deus edebat ad confirmãdos incarceratos Paulum & Silam, tremefit, & petit se de uia salutis erudiri. Deinde Paulus & Silas proponunt ei doctrinam Euangelij: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris, tu & domus tua. & loquuti sunt ei sermonem Domini, & omnib. qui erant in domo eius. Ille uerò Deo dante, fide uerbum Dei excipit, & domus eius: quare baptisantur, atq; ita Christo inseruntur. Postea sequitur noua obediẽtia: abluit Paulo & Silæ plagas, deducit eos in domum suam, apponit eis cibum, & exultat quòd cum uniuersa domo sua credidisset Deo.

Aliam ueram & salutarem esse pœnitentiã, aliam uerò hypocriticam & mortiferam, Paulus docet 2 Corinth. 7. Nam qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit. Contrà mundi dolor mortem affert. De hypocritica uidetur Ioann. 1 epist. 1. loqui: Si dixerimus, Peccatum non habemus, nos ipsos fallimus. Item 1. Ioann. 2. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est. Et 1. Ioann. 4. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas eijcit timorem, quoniam timor cruciatum habet. De uera aũt inquit 1 Ioã. 1. Si uerò cõfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emũdet nos ab omni iniquitate. Et 1. Io. 3. In conspectu eius suadebimus cordibus nostris. Quoniã si condẽnet nos cor nostrũ, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Idem exẽpla etiã probant. Nam hypocriticæ & mortiferæ pœnitentiæ exempla sunt in Iuda Iscarioth, de quo Act. 1. in Anania & Sapphira, Act. 5. Et in Simone Mago, Act. 8. In Agrippa rege, qui dicit ad Paulum, Modica ex parte persuades mihi ut fiam Christianus: sed tamen nihil amplius facit, Act. 26. in Felice, qui postquã cũ uxore sua, Paulũ de Euangelio, iusticia, temperãtia, iudicio futuro differentè audisset, tremefactus respõdit, In præsentia abi. Cæterũ opportunitatẽ nactus accersam te. Act. 24. Exẽpla ueræ pœnitentiæ sunt in Iudæis, qui conuertuntur in die Pentecostes, Act. 2. In Samaritanis, qui recipiunt sermonem Dei, Act. 8. & Eunucho, ibidẽ. In Paulo. Act. 9. 22. 26. In Cornelio, Act. 10. Custode carceris, Act. 16. Corinthio incestuoso, 2. Cor. 2. In Corinthijs alijs, 2. Cor. 7.

Patet autem ex his, hypocriticã & mortiferam pœnitentiam illam esse, quæ peccatũ aut non agnoscit, aut agnitum nihil curat, sed securè contemnit, nec fide in Christum remissionẽ peccatorũ sibi applicat, sed desperat, nec dignos pœnitẽtia fructus facit. Econtrà uerò, pœnitentiã uerã & salutarẽ illã esse, quæ agnoscit peccata sua iuxta Dei uerbũ, seq; humiliat corã Deo, & tremefacta petit à Deo remissionẽ peccatorũ propter mediatorẽ Christum, & profert iusticiæ fructus.

Conuersionem salutarem, non nostrum, sed Dei opus, idq; gratuitum esse docent. Nam Petrus 1. epist. 1 ait: Iuxta copiosam suam misericordiam, regenuit nos in spem uiuam. & 1 epist. 2. E' tenebris uocauit uos, in admirabilem lucem suam, qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei: qui quondam non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti. Ibidem: Eratis uelut oues errantes, sed nũc conuersi estis ad pastorẽ & curatorẽ animarũ uestrarũ. 2 Pet. 3. Haud tardat Dominus, uerùm patiẽs est erga nos, dum non uult omnes perire, sed omnes ad pœnitentiã recipere. Iohannes regenerationẽ Deo tribuit, sed ea comprehendit conuersionẽ salutarẽ, 1 Ioã. 3 & 5. Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Ibidem: Christus uenit, et dedit nobis mẽtẽ, ut cognoscamus illũ qui uerus est. Paulus Philip. 1. Is qui cepit in uobis opus bonũ, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. Phil. 2. Deus est qui agit in uobis, ut et uelitis et perficiatis. Ro. 6. Non est uolentis, neq; currentis, sed solius miserentis Dei.

Quòd autem Deus per ministerium uerbi, scilicet concionem legis & euangelij, cõuersionem operetur, primùm institutio & usurpatio ministerij probat. Deinde testimonia de efficacia uerbi Dei seu ministerij, qualia suo loco retulimus. 1 Pet. 1. Renati non ex semine mortali, sed immortali, per sermonem uiuentis Dei 1 Ioan. 4. Qui nouit Deũ, audit nos. qui non est ex Deo, non audit nos. Et Paulus Ro. 1. Euangeliũ est uirtus Dei ad salutem omni credenti. Rom. 16. Fides ex auditu est. 2 Tim. 2. Seruum Domini, &c. erudientem eos qui obsistunt ueritati, si quando Deus det illis pœnitentiam. Tertiò exempla idem demostrant. Nam illæ circiter ter mille animæ, in die Pentecostes, non ob suum meritum (Christum enim interfecerant) sed gratis conuertuntur, per concionem Apostolorum, & miraculosam Spiritus sancti exhibitionẽ, Act. 2. Sic Samaritanorum & Eunuchi conuersionẽ Deus per Spiritũ sanctũ, & concionẽ Philippi operatur, Act. 8. Saulus hostis Christi, eiusq; Ecclesiæ, gratis ex misericordia uoce Christi conuertitur, & ministerio Ananiæ absoluitur & baptisatur, Act. 9. Prædicat Paulus id Dei opus et beneficiũ, Act. 22. 26. Et Gal. 1. Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, ac depopulabar illam, etc. ast ubi Deo, qui segregrauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiam suã, &c. uisum est. Et 1 Tim. 1. Qui prius eram blasphemus, & persequutor & uiolẽtus, sed & misericordiam adeptus sum, quòd ignorãs fecerim per incredulitatẽ: exuberauit autem supra modum gratia Domini nostri, cum fide & dilectione, quæ est per Christum Iesum. Conuersionẽ Cornelij præcedunt quidẽ opera externa carnis (dicitur enim fuisse uir religiosus, & timens Deum cum tota domo sua, præstans eleemosynas multas plebi, deprecans'que Deum) sed tamen non ob sua opera, quæ absq; fide Deo non poterant placere, uerùm gratis à Deo conuertitur, misso angelo & accersito Petro, per cuius concionẽ de fide eruditur, & absoluitur, & Spiritu sancto donatur, Act. 10. Lydiæ Philippis aperuit Dominus cor, ut attenderet his quæ dicebantur à Paulo, Act. 16. Ibidem etiam custos carceris à Deo per terræmotum & concionẽ Apostolorũ conuertitur. De gratuita gentium conuersione, per ministeriũ uerbi & Spiritum sanctum, passim extant testimonia. Act. 14. Deus Paulũ & Barnabã mittit ad gentes: ij uerò reuersi, narrãt, quæcũq; Deus secũ fecisset, & quòd aperuisset gentib. ostiũ fidei. Et Petrus Act. 15. in Synodo Hierosolymitana inter alia dicit: Deus testimonium præbuit illis, scilicet gentibus, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis: & nihil discreuit inter nos & illos, cũ fide purificauerit corda illorũ. Et Paulus Rom. 16. causas cõuersionis gentiũ numerat, Christũ, Spiritum sanctum, ministerium, signa & prodigia. Idem de conuersione Colossensium inquit, Coloss. 1. Gratias agentes patri, qui idoneos fecit nos ad participationem sortis sanctorum in lumine, &c. De conuersione Thessalonicensium, 1. Thess. 1. Qualem ingressum habuerimus erga uos, & quomodo conuersi fuerittis ad Deum à simulachris, ut seruiretis Deo uiuenti & ueraci.

Affectus quos pœnitentiæ adscribunt, partim ex contritione, partim ex fide, accipiente remissionem peccatorum, proueniunt, commemorantur autem ferè hi. Agere pœnitentiam, est remittat nobis peccata nostra. Esse sub pastore & curatore animarum nostrarum, 1 Pet. 2. Inchoare nouã obedientiam. quæ connectitur bona opera primæ & secũdæ tabulæ. Act. 26, Opera facientes digna his qui resipuissent. Declinare à malo, & facere bona: 1 Pet. 3. Deponere mendacia, & loqui ueritatem. Deponere ueterem hominem cum actis suis, induere nouum. Coloss. 3. Non secundum carnem, sed secundũ spiritũ ambulare. Ro. 8. Non amplius furari. Ephes. 4. Qui furabatur, non amplius furetur. Ob pœnitentiã mitigari pœnas corporales, Petrus monet, 1 Pet. 5. Humiliemini igitur sub potenti manu Dei, ut uos extollat, cum erit opportunum. 1 Pet. 3. Qui uult uitam diligere, & dies uidere bonos, coerceat linguam suam à malo. Et Paulus 1 Cor. 11. Etenim si nos ipsos dijudicassemus, haudquaquam iudicati fuissemus. Apoc. 2. Age pœnitentiam, & priora fac opera. Sin minus, ueniã tibi citò, et mouebo candelabrũ tuũ de loco suo, nisi resipueris. Ibidem Christus ad episcopum Pergamensis Ecclesiæ scribit: Resipisce, alioquin ueniam tibi citò, & pugnabo cum illis gladio oris mei. Idem ad episcopũ Thyatirẽsem scribit: Ecce ego mitto eam in lectum, & qui adulterio miscentur cum ea, in afflictionẽ maximã, nisi pœnitentiã egerint ab operibus suis. Plura testimonia in hanc sententiam, in loco de Noua obedientia, eiusq; effectibus recitabuntur.

Pœnitentia declinantur pœnæ æternæ. 2 Pet. 3. Patiens est erga nos Deus, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. 1 Ioann. 2. Filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non pudefiamus ab eo in aduentu eius. Et Paulus 1. Thessal. 1. Conuersi estis ad Deum à simulachris, ut seruiretis Deo uiuenti & ueraci, & expectantes filium eius de cœlis,

cœlis, quẽ excitauit à mortuis Iesum, qui liberat nos ab ira uentura. Rom. 6. Nunc uerò manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem: finem autem, uitam æternam. Iacobi 5. Si quis inter uos erraucrit à ueritate, & quis conuerterit illum, sciat quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Impœnitentia uerò accersit iram Dei. Rom. 2. Iuxta duriciem tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die iræ.

Pœnitentia auditorum, gaudium affert pijs doctoribus: sicut ecõtrà impœnitẽtia, eos cõtristat. 2 Cor. 7. Cum annunciaret nobis uestrum desiderium, uestrum fletum, uestrum pro me studium, adeò ut magis gauderim. Item: Nunc gaudeo, nõ quòd contristati fuerilis, sed quòd contristati estis ad pœnitentiam, &c. Idem 2 Cor. 12. Ne quo modo sint contẽtiones, æmulationes, iræ, concertationes, &c. Ne iterum ubi uenero, humilem faciat me Deus meus apud uos, ut lugeam multos eorum qui antè peccauerunt: nec eos pœnituit immundiciæ libidinisq; & impudicitiæ, quam patrarunt. Sic 2 Petri 2. Sodomitæ iustam animam Loth sua impœnitentia excruciasse dicuntur.

DE CONTRITIONE.

HOc uocabulo Apostoli quidem non utuntur, sed rem ipsam habent, quam pœnitentiæ uoce notant, ut paulo antè demonstratum est. Paulus 2 Corint. 2. & 7. λύπην κατὰ θεὸν dolorem seu tristiciam secundũ Deũ uocat, seu quã Deus operatur per concionem pœnitentiæ. Petrus primæ Petri quinto, humilitatem animi appellare uidetur. Ioannes 1. Epist. 4. timorem appellat.

Docent autem, contritionem esse illam partem conuersionis, qua homo agnoscit sua peccata secundum legem Dei, & pœnas peccatorum: ut sunt ira Dei, æterna condẽnatio, & cruciatus inferni, & uerè cohorrescit, & cõtremiscit, ac dolore afficitur tum propter offensum Deũ, de nobis bene meritũ, tum ob pœnas, quas transgressoribus est minitatus: nec animo Epicureo & securo contemnit Dei uocem & conscientiam suam se accusantem, nec pertinaciter excusat peccata per legẽ Dei sibi reuelata, licet aliàs ea ratio et mundus propter cætis non agnoscat. Nam Ioannes prima epist. primo, omnino hoc postulat à nobis, ut agnoscamus nos esse peccatores, & non excusemus peccata nostra. Idem prima epistola tertio cap. dicit, cor nostrum nos interdum condemnare: quod non fit, nisi in agnitione peccatorum. Et primæ epistolæ 4. cap. Ioannes dicit, timorem cruciatum habere: & Paulus 2. Corint. 2. & 7. contritionem docet esse agnitionẽ peccatorũ, & dolorem seu tristiciam absorbentem homines, si nõ accedat consolatio. Autor epistolæ ad Hebræos duodecimo capite, de contritione Esau dicit, quòd cũ lacrhymis quæsierit pœnitentiam: hoc est, quòd agnouerit suam stulticiam, & quòd dolorem suum, quem inde accepit, testatus sit lachrymis. Christus in epistola ad episcopum Thyatirensem inquit: Dedi illi tempus ut resipisceret à scorta tione sua, nec resipuit: Apocal. nono. Neq; resipuerunt ab operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, &c. & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs, neq; à ueneficijs suis, neq; à fornicatione, neque à furtis. autor epist. Iacobi 4. Affligimini & lugete & plorate, risus uester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem: Iacobi 5. Agite nunc diuites, plorate, ululantes super miserijs uestris, quæ aduenient uobis. Definitionem istam etiam exempla probant: Act. 2. Iudæi, audita concione Petri & Apostolorũ, agnoscunt suum peccatum de interfecto Messia, & cõpunguntur cordibus suis: nec cõtumaciter repugnãt, nec excusant peccatum, nec Epicureo contemptu fastidiunt Apostolorũ concionem, ut postea Pontifex & seniores populi faciunt: Actor. 4. & 7. Idem in conuersione Saulis Actor. 9. 22. 26. & custodis carceris Actor. 16 uidere licet. Sic incestuosus Corinthius obiurgatus à Paulo per literas, & ab ecclesia Corinthiaca, agnouit suum peccatum, & immodico ob id afficitur dolore, 2. Corinth. 7.

Contritionem aliam ueram & salutarẽ esse, aliam uerò hypocriticam aut mortiferã, patet ex testimonijs de Vera & hypocritica pœnitentia suprà allegatis. Causam autem efficientẽ contritionis docent esse Deũ, quem ministerio legis, arguentis peccata, & conscientiæ iudicio, et uarijs generibus pœnarũ & calamitatũ, prodigijs atq; miraculis, bonitate item sua, ad agnitionem peccatorũ homines inuitare & deducere ostendunt. Act. 3. Vobis primùm Deus, cum suscitasset filiũ suum Iesum, misit eum, benedicẽtem uobis, ita ut unusquisq; uestrûm conuerteret se ab iniquitatib. suis. Act. 5. Ad dandam pœnitentiam Israeli, remissionemq́ue peccatorum. Act. 26. Mitto te ad gentes, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Sathanæ ad Deum. 2. Tim. 2. Erudientem eos qui obsistunt, si quando det Deus illis pœnitentiam ad agnoscendam ueritatem, & resipiscant è Diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem. ad Rom. 4. Lex iram operatur. ad Roman. 3. Per legem agnitio peccati. ad Roman. 7. Concupiscentiam non nouissem, nisi lex diceret, Non cõcupiscas. Huc & alia testimonia de officio legis pertinent. Docent etiam exempla, Deum per concionem legis operari contritionem in cordib. hominum, Actor. 2. Corinthij epistola Pauli contristantur ad pœnitentiam, maxmè uerò incestuosus ille, qui nouercam duxerat: 1 Corinth. 5. 2 Corinth. 2. 7. Paulus ipse de se testatur ad Rom. 7, se aliquando uixisse sine lege, & non nouisse concupiscentiã esse peccatũ: sed postea legem cœpisse suam exercere uim, & sibi reuelasse peccatum: idq; fecisse excellenter peccatum, & se per legẽ occissum esse: hoc est, se nõ modò agnouisse peccatũ, sed etiã sensisse iram Dei aduersus peccatum.

Quòd Deus pœnis ad conterendum corda nostra utatur, docet Paulus 1 Corinth. 11. Si corripimur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Heb. 12. Fili mi, ne neglexeris correptionem Domini, neq; deficias cum ab eo argueris, &c. Omnis castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij, sed molestiæ: at postea fructũ tranquillitatis iusticiæ reddit his qui per illam fuerint exercitati. Bonitas etiam Dei, & longanimitas, & patientia erga nos, ad pœnitentiam nos inuitat. Rom. 2. 2 Pet. 3.

De accusatione conscientiæ Paulus ad Roman. 2. loquitur: Attestante ipsorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus. 1 Iohann. 4: Si cor nostrum

non cõdemnet nos, &c. De miraculis exemplũ est conuersio Pauli, Actor. 9. & custodis carceris, Actor. 16. Et in Paulo Sergio Proconsule, qui cum uidisset ad uocem Sauli Elymam magum excæcari, credidit, admirans super doctrina Domini. Actor. 13.

Effectus ueræ contritioni hos ferè attribuũt, agnoscere sua peccata, eaq; non extenuare, nec defendere. 1 Ioann. 1. Galat. 2. Petrus à Paulo obiurgatus, quòd non recto pede ad ueritatem Euangelij incesserit, non defendit suum factũ, nec Paulo arguenti irascitur. Idem fecerunt Corinthij, 2 Corinth. 7. & incestuosus Corinthius, 2. Cor. 2.

Dolore affici propter peccata sua. Rom. 7. Viuente mandato, peccatũ reuixit, ego uerò mortuus sum, &c. Item, ut appareret peccatum, per id quod erat bonum, mihi gignere mortem, ut fieret maiorem in modum peccans peccatum per præceptum. Ibidem exclamat: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? 2 Corinth. 2. Ne quo modo fiat, ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi.

Sustinere terrores. secundæ Corinth. 7. In omnibus affligebamur, foris pugnæ, intus terrores: 1. Ioan. 3. Si cor nostrum nõ condemnet nos. Cõpungi corde, Act. 2.

Confiteri peccata sua coram Deo. 1 Ioann. 1. nec ea palliare coram hominibus. Act. 19. Multi credentium ueniebant, confitentes & annunciantes peccata sua. Paulus crebrò repetit cõmemorationem peccatorum suorum, quòd blasphemus fuerit, & persecutor Ecclesiæ: & quòd Stephanum lapidantibus adstiterit, eorumq; uestes custodierit, & in necem eius consenserit. Actor. 22. 26. Galat. 1. 1 Timoth. 1.

Abijcere propositum in delictis agnitis perseuerandi, & damnare scelera prius perpetrata. Ro. 6. Quem igitur fructum habebatis in his, de quibus nunc erubescitis? ad Eph. 4. Qui furabatur, non furetur amplius. Apocal. 9. Nec resipuerunt ab operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia.

Tollere, quæ occasionem ad peccandum præbuerunt. Actor. 19. Multi autem ex ijs qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus: & supputatis precijs illorum, repererunt pecuniæ quinquaginta millia.

Ablatum restituere, ut patet ex Iudæ exemplo, cuius mentio fit Act. 1. Reconciliari cum proximo læso, & cum tota Ecclesia, quæ publicis sceleribus nostris est scandalizata. Iac. 5. Confitemini inuicem alius alij delicta, & orate pro uobis inuicem. Idem exempla probãt, Pauli Actor. 9. Et Corinthij 2. Corinth. 2. & 7. quem tota Ecclesia obiurgauit, & ab eadem in gratiam receptus est, posteaquam peccatum agnouit, & ueniam precatus est. Etiam externis gestibus testari suũ dolorem, propter peccata: quales sunt fletus, 2. ad Corinth. 7. & Iacobi 4. Affligimini & lugete & plorate: risus uester uertatur in luctum, & gaudium in mœrorem. Iacob. 5. Et agite diuites, plorate ululantes super miserijs uestris quæ aduenient uobis.

Fines contritionis non docent esse, ut eo opere mereamur salutem, sed ut pareamus uoluntati Dei, qui uult nos agnoscere peccata, & debita nostra. Actor. 2. 3. 26. 2 Petri 3. Deus non uult ullos perire, sed ad pœnitentiam omnes recipere. Apoc. 2. Memento unde excideris, & pœnitentiam age. Deinde ut intellecta nostra indignitate, coram Deo ex animo nos humiliemus, nec fidamus nostris operibus, Rom. 3. ad Gal. 3. Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut omnium misereatur. Ro. 11. Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur. 1 Corinth. 1. Vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Idem exemplũ conitritionis Paulinæ docet, Actor. 9. Et Corinthij, 2. Cor. 2. Tertiò, ut beneficium Christi locum habeat, & magis dulceseat. Gal. 3. Lex pædagogus est ad Christum. ad Roman. 7. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis obnoxio? Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. 1 Timoth. 1. Iesus Christus uenit in mundum saluare peccatores, scilicet pœnitentiã agentes. 2 Corinth. 7. Nam qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit.

DE FIDE.

IN cõuersione salutari ad Deum, oportere contritionem subsequi fidem, docent apertis testimonijs. 1. Ioann. 2. Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christũ iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1 Ioan. 3. Si condemnet nos cor nostrũ, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Idem cap. 4. Perfecta charitas eijcit timorem: hoc est, si fide apprehendatur beneficium Christi, quem Deus nobis ex charitate donauit, & qui est charitatis pater nostrorum, ob peccatorum agnitionem, paulatim imminuitur & expellitur, pace in ijs regnante, & gaudio Spiritus sancti. Rom. 14. Col. 4. Pax Dei palmam ferat in cordibus uestris. Act. 20. Testificãs Iudæis simul & Græcis eam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem quæ est erga Dominũ nostrũ Iesum. Huc & alia testimonia pertinent, quæ de partibus pœnitentiæ suprà recitata sunt. Deinde probant etiam exempla conuersorum Iudæorum, Actor. 2. Samaritanorum & Eunuchi, Act. 8. Et Pauli, Actor. 9. Cornelij, Actor. 10. Custodis carceris, Act. 16. Lydiæ, Actor. 16.

Porrò fidem excitare debent: mandatum Dei, 1 Ioan. 3. Hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi. et 1 Ioann. 5. Qui non credit Deo, mendacem eum facit, quia non credidit in testimoniũ quod testificatus est Deus de filio suo.

Meritum Christi, nempe quòd peccata totius mundi expiauerit. 1 Ioann. 2. & 4. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo. 1 Pet. 3. Traditus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostri. Rom. 4. Deum qui non nouit peccatum, fecit peccatũ, ut in eo fieremus iusticia Dei: 2 Cor. 5. Quòd acceptatio sit gratuita. Ephes. 2. Gratia saluati estis, idq; non ex uobis. Dei donum est, ne quis glorietur.

Quòd remissio peccatorum omnibus ulrò à Deo offeratur, Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ, quòd remissionem peccatorum accepturus sit, quisquis crediderit in nomẽ eius. Actor. 3. Per hunc omnis qui credit iustificatur.

Quòd omnes uocentur ministerio uerbi, 1 Timoth. 2. Deus cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Rom. 10. In omnem terram exiuit sonus

sonus eorum. Rom.1.Euangelium est uirtus Dei,ad salutem omni credenti.2 Corint.5. Posuit in nobis sermonem reconciliationis, itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos obsecrante per nos,rogamus pro Christo,reconciliemini Deo.

Summa,Christi beneuolentia, qui uenit peccatores saluare.1 Timoth.1.Et qui pastorem & curatorem animarum nostrarum agit,1 Petri 2.

Sacramenta, quibus & offertur & obsignatur remissio peccatorũ gratuita. Rom. 6. ad Titum 3. 1 Cor. 10.11, 1 Petri 3. Cætera de fide suo loco tradita sunt.

DE NOVA OBEDIENTIA.

Iis qui fide gratis acceperunt peccatorum remissionem, Apostoli etiam de nouitate uitæ concionantur: & pœnas comminantur, rursus sese peccatis sine pœnitentia polluentibus. Nam Petrus de noua obedientia, seu fructibus pœnitentiæ plurima præcepta tradit passim.Quemadmodũ is qui uos uocauit,sanctus est:ita ipsi quoq; sancti, in omni conuersatione reddamini. 1 Petri 1. Conuersationem uestram habete honestã inter gentes.1 Pet.2. Omni adhibito studio, subministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute uerò scientiam, in scientia temperantiam, in temperantia uirtutem.2 Pet. 1.Et Ioannes de noua obedientia, passim elegãtia dicta habet:Qui dicit se in eo manere,debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 1 Ioan.2. Omnis qui in eo manet,non peccat:hoc est,non habet propositum peccandi.Omnis qui peccat,non uidit eum,nec cognouit eum. 1 Ioan.3. Item:Ille animã suam pro nobis posuit,& nos debemus pro fratribus animas nostras ponere.

Paulus etiam in omnibus suis epistolis, ad nouã obedientiã cohortatur iustificatos, & opera quæ ab ipsis fieri debeant præscribit. ad Ro.6.7.8.12.13.14.15.16. Ephes.4.5.6. Colosss.3.4. Sed de noua obedientia suo loco plura dicta sunt,quæ huc etiam referri possunt.

Docent etiam pios per totam suam uitam pœnitentiam exercere debere,hoc est,agnoscere peccata sua,et propriam imbecillitatem, & propter eam dolere,seq; coram Deo humiliare, & petere remissionem propter mediatorem,eamq; fide amplecti,& postea fructus iuniciæ afferre, & ea facere quæ decent eos qui resipuerunt.Nam Paulus Act.26. testatur,se in suo ministerio hoc egisse.Annunciabã,inquit,ut pœnitẽtiam agerent, & conuerterentur ad Deum, & facerent opera digna his qui resipuissẽt.Et Petrus 1 epist.5. Humiliemini sub potenti manu Dei,ut uos extollat, cum fuerit opportunum, 2 Pet.1.Fratres operam date,ut uocationẽ & electionem uestram firmam faciatis.2 Pet.3.Hæc expectãtes date operam,ut immaculati & incontaminati ab illo reperiamini in pace: Dominiq; nostri patientiam,salutem arbitremini. Et postea: Crescite in gratia & cognitione Domini nostri Iesu Christi.1 Ioã.1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, &c.1 Ioan.3.Omnis qui habet hanc spem in eo purificat se,sicut & ille purus est.

Et Paulus Phil.2. Cum timore & tremore uestram ipsorũ salutem operamini.1 Tim.1.Milites bonam militiam,habens fidem & bonam conscientiã. Autor epistolæ ad Hebr. 3. Videte ne quando sit in ullo uestrũm cor prauum,obnoxiũ incredulitati, ut desciscat à Deo uiuente. Lapsis etiam ad pœnitentiam aditum pateficiunt, nec eos à uenia excludunt. Nam Petrus 2 epist.3. dicit, Deum uelle omnes ad pœnitentiam recipere. Et Ioannes 1 epist. 1.asserit, Deum confitentibus sua peccata remittere.Et 2.inquit:Si quis peccauerit,aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ iustum. Et 1 Ioã. 5.Si quis uiderit fratrem suum peccare, peccatũ non ad mortẽ,petet & dabit ei uitam,peccantibus nõ ad mortem.Christus in epistola ad episcopũ Ephesium inquit: Habeo aduersum te,quòd charitatem tuam primam reliquisti.memor esto itaq; unde excideris, & age pœnitentiam, & prima fac opera, Apocal.2. Eodem modo etiam episcopum Pergamensem ad pœnitentiam cohortatur,& Thyatirensem ecclesiam, Apocal.2. Idem ad episcopum Laodicenum scribit:Scio opera tua,quia neq; frigidus es,neq; feruidus,&c.æmulare ergo,ac resipisce. Apocal.3.Et Paulus Gal.6. lapsos instaurari spiritu mansuetudinis præcipit, & Corinthium incestuosum iubet consolari & recipi,ne immodico dolore absorbeatur.2 Corinth.2. Idem seruum fugitiuum Onesimum,à se Romæ conuersum,Philemoni remittit,ut patet ex epistola ad Philemonẽ. Iacobi 5. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei. ubi etiam, eum qui errantem in uiam reduxerit,dicit saluasse animam eius.

¶ Extant etiam passim in scriptis Apostolorũ causæ generales, quæ omnes homines ad ueram pœnitentiam monere debeant,quarum hæ sunt præcipuæ.

Prima: Quia omnes homines sunt obnoxij peccato & morti,& indigent remissione peccatorum.Roman. 3.11.Gal.2 & 3. Conclusit Scriptura omnes sub peccatum,ut omnium misereatur.

Secunda:Quia Deus seriò præcipit,ut omnes agant pœnitentiam.Act.2. Delictorũ pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; uestrũm in nomine Iesu,in remissionem peccatorum.Act.3. Pœniteat uos igitur,ut deleantur peccata uestra. Apoc.2.Memento unde excideris,& age pœnitentiam,& fac opera priora.

Tertia:Bonitas & longanimitas Dei.Rom.2.Aut diuitias bonitatis illius ac tolerãtiæ lenitatisq; contẽnis, ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiã te inuitet? ad Tit.2.Apparuit enim gratia Dei,salutifera omnib. hominibus,erudiẽs nos,ut abnegata impietate,et mũdanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuamus in præsenti seculo,expectantes beatam illam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi.2 Petri 3.Haud tardat Dominus, qui promisit, &c. Sed patiens est erga nos, dum non uult ullos perire,sed omnes ad pœnitentiam recipere. Item: Domini nostri patientiam,salutem arbitremini.

Quarta: Varia genera calamitatum & pœnarum, quibus Deus nos castigat,ut agnito peccato & ira Dei, ad pœnitentiam reuertamur. 1 Corinth. 11. Si corripimur,à Domino castigamur,ne cum impio mundo peream. Autor epistolæ ad Hebræ. 12. Si castigationem sustinetis,uelut filijs se offert uobis Deus.Sic Deus Paulo addidit angelum Satanæ, ut eum colaphizet, ne efferatur ob excellentiam reuelationum.2 Corinth.12. Huc etiam pertinent exempla pœnarum, quibus in ueteri Testamẽto Deus impœnitẽtes afflixit: quales sunt, Pharaonis induratio & pœnæ,Rom.9. populi Iudaici strages in deserto ob idololatriam, murmurationes & alia peccata. 1 Corinth. 10. Hæc autem figuræ nostri

fuerunt,ne nos simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierũt. neq; idololatræ efficiamini,sicut quidam ex ipsis,quemadmodum scriptum est:Sedit populus manducare & bibere,& surrexerunt ludere.Neq; fornicemur, sicut quidã ex ipsis fornicati sunt,& ceciderunt una die triginta tria millia.Neq; tentemus Christũ,sicut quidã eorum tentauerũt,& à serpentibus perierunt.Neq; murmuraueritis,sicut quidam eorũ murmurauerunt,& perierunt ab exterminatore. Hæc aũt omnia in figura contingebãt illis:scripta sunt autem ad correptionẽ nostrã,in quos fines seculorũ deuenerunt. Diluuium & excidium Sodomæ & Gomorrhæ.2 Pet. 2.Deus prisco mundo non pepercit, sed octauum iusticiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorũ in cinerem redigens,euersione damnauit,exemplũ eorum qui impiè acturi sunt ponens,& iustum Loth oppressum à nefandorũ luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus habitãs apud eos,de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabat.Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos uerò in diem iudicij reseruare cruciandos. Abiectio angelorũ, 2 Petri 2.Et in epistola Iudæ.

Quinta:incertitudo uitæ nostræ,Iacobi 4. Age nũc qui dicitis: Hodie & cras eamus in hanc ciuitatem,& faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrũ faciemus,qui ignoratis quid erit in crastinum?Quæ est enim uita uestra?Vapor est enim,ad modicũ apparens, & deinceps euanescit. ad Hebr.3. Hodie si uocem eius audieritis,ne obduretis corda uestra.

Sexta:subitus extremi iudicij aduentus. 1 Petri 4. Porrò finis rerum omnium imminet, sitis igitur sobrij & uigilantes ad orandũ. 2 Petri 3.Venit autem dies Domini sicut fur in nocte.1 Ioann.2. Manete in eo,ut cum apparuerit,habeamus fiduciam & non pudefiamus ab eo,in aduentu eius.1 Thess. 5.Ipsi planè scitis,quòd dies ille Domini,ut fur in nocte,ita uenturus sit. Cum enim dixerint,Pax & tuta omnia,tunc repẽtinus eis ingruet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, &c. Proinde ne dormiamus,&c.

Septima:Pœnæ æternæ impœnitentium. Roman.2. Iuxta duriciem tuam & cor pœnitere nescium,colligis tibi ipsi iram,in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei,&c. Ventura est indignatio,ira & afflictio & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum,Iudæi primùm & Græci. Idem 2 Thess. 1. & in epistola Iudæ,& Apoc.1.

Octaua:Omnis generis commoda, quæ pœnitentes sequuntur,quæ in loco de effectibus pœnitentiæ recitauimus:ut sunt,remissio peccatorum,mitigatio calamitatum præsentium, declinatio pœnarum æternarum, & salus animarum. 1 Petri 1. Reportantes finem fidei uestræ,salutem animarum uestrarum.

Nona: Exempla aliorum,qui sese ad Deum conuerterunt. qualia sunt Iudæorum,Act. 2. Samaritanorũ & Eunuchi, Act.8.Sauli, Act. 9.22.26. Gentiũ habitantiũ Antiochiæ,Pisidiæ,Lydiæ et custodis carceris,Act.16. Thessalonicensium,Act.17.& 1 Thess.1.& 2 Petri obiurgati à Paulo,Gal.2.& aliorum plurimorum.

¶ Veræ conuersioni aduersatur impœnitentia, & hypocritica & imperfecta pœnitentia:quarum hæ ferè sunt proprietates, esse securum & nõ agnoscere peccata sua, nec dolore ob ea affici. Rom.2. Iuxta cor tuum pœnitere nescium. Ephes.4. Posteaquam peruenerunt eò ut dolere desierint, semetipsos dediderunt lasciuiæ, ad patrãdum immundiciẽ omnem cum auiditate.Rom. 7.Ego aliquando sine lege uiuebam.1 Ioan.1.Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est.

Esse inflatum persuasione propriæ iusticiæ.Rom.2. 9 & 10.Philip.3.in iusticia legis irreprehensibilis.Legem tantum de externa disciplina intelligere, 2 Corint. 3. Velle per legem iustificari, Galat.5. Abstinari gratiam Christi,Galat.2.

Veritatem in iniusticia detinere, Rom.1. Nolle argui peccata sua, & prohibere cõcionem legis & Euangelij,Act.4.Accersitis illis præceperunt, ne omnino loquerentur,neq; docerent in nomine Iesu.Act.5. Ecce repleuistis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

Contradicere, blasphemare, odisse & persequi & occidere eos qui ad pœnitentiam nos per concionem legis uocant.ut Actor.5. concilium seniorum & sacerdotum castigari præcipiunt Apostolos. & Act.7. Stephanum pœnitentiam concionantem,furiosè damnant, & lapidibus obruunt.Actor.13.Iudæi repleti zelo contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, contradicentes & loquentes blasphemias.

Nolle à Deo petere remissionem peccatorum.exemplum est in Simone mago Actor.8.qui obiurgatus à Petro,ob suam impiam cogitationem,qua existimabat donum conferendi spiritum sanctum pecunia posse comparari,& iussus à Deo petere istius cogitationis remissionem,inquit:Precemini uos pro me apud Dominum, ne quid eueniat in me horum quæ dixistis.

Desperare,ut exemplum est in Iuda, Act.1. Audita concione legis,primò quidem nonnihil moueri,sed tamen neglectu & aliarum rerum cura abigere & expellere eum affectum.ut patet exemplo Felicis, Actor.24. & Athenicnsium,Act.17. Audiemus te de hoc iterum.

Irridere concionem legis & Euangelij, Actor.2.17. Cum audissent resurrectionem mortuorum, alij quidẽ irridebant.2.Petri 3.Erunt irrisores. Non abijcere propositum peccandi, sed in delictis contra conscientiam perseuerare. 2 Corinth. 12. Vt lugeam multos eorum qui antea peccauerunt, nec eos pœnituit immunditiæ libidinis q;,& impudicitiæ quam patrauerunt. 2.Petri 2. Nam si posteaquam refugerunt ab inquinamentis mundi,per agnitionẽ Domini & seruatoris Iesu Christi,tamen his rursus inuoluti superantur, facta sunt illis postrema peiora primis,&c. Verum accidit illis id quod prouerbio dici solet:Canis reuersus ad suum ipsius uomitum,& sus lota reuersa ad uolutabrum cœni.1.Ioan. 3.Qui committit peccatum,ex Diabolo est. Apocal.2. Dedi illi tempus ut resipisceret à scortatione sua, nec resipuit.Apoc.9.Nõ egerũt pœnitentiã ab homicidijs, neq; à ueneficijs suis, neq; à fornicatione, neq; à furtis: Causas impœnitentiæ commemorant, obstinata cor da,pœnitere nescia. Rom.2.9. Ephes.4.2.Pet.2.Diabolum,2.Timot.2.2 Cor.4. Traditionem in reprobum sensum,Rom.2. 2 Thess.2. Hæreses.2.Pet.2. 2 Tim.4.

Effectus impœnitentiæ sunt,ira Dei:Propter hæc ue-

nim uenire solet ira Dei in filios inobedientes, Colossi. 4. Pœnæ corporales & æternæ. 1 Cor. 6. Galat. 5. Apoc. 2. Tit. 3 Heb. 7 & 10. Huc pertinent testimonia de esse ctibus peccatorum, suo loco recitata.

Sanæ doctrinæ de pœnitentia aduersatur autor epi stolæ ad Hebræos, qui lapsis pœnitentiã agẽtibus spem ueniæ præcidere & denegare uidetur, cap. 6. 10 & 12.

DE BAPTISMO.

AVtor epistolæ ad Hebr. 6. & 9. uocem βαπτισμὸς habet, sed non tam ei ceremoniam à Christo institutam, quàm Iudaicas ablutiones seu purificationes significare uidetur.

Apostoli uerò, ut Petrus 1 epist. 3. & Paulus Rom. 6. Colossi. 2. & Lucas Act. 1. 10. 18. 19. tantum uocem τὸ βάπτισμα usurpant, & quidem non in alia significatione quàm de ritu baptisandi.

Sunt etiam aliæ appellationes, quibus baptisma nostrum appellat: Tres sunt in terra, &c. spiritus, aqua, sanguis. Et Paulus per periphrasim, Lauacrum aquæ, Ephes. 5. Lauacrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti, ad Titum 3. & circunciſionem quæ fiat sine manibus, Colossi. 2. nuncupat.

Definitio baptismi ex 1 Pet. 3. Rom. 6. Ephes. 5. ad Titum 3. huiusmodi confici potest: Baptismus est lauacrũ aquæ in uerbo: hoc est, tale lauacrũ, quod certo uerbo Dei addita promissione gratiæ est institutũ, quo nõ carnis sordes abijciuntur, sed abluũtur peccata, & per spiritum sanctũ regeneramur & renouamur, & Christo inserimur: quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi.

Baptismi autorẽ esse Deum & Dominũ nostrũ Iesum, eo monẽt, quod in nomine Christi eum ministrãt: Act. 2. 8. 10. & alibi passim: & quòd ei diuinas uirtutes, ut sunt regeneratio & renouatio spiritus sancti, ad Tit. 3. ablutio peccatorũ, Act. 22, attribuũt, ut postea dicetur.

Ministrasse autem baptismũ Apostolos ipsos, patet ex historia eorum. nam Act. 2 Apostoli baptisant conuersos Iudæos, & Philippus Act. 8 baptisat Samaritanos, & postea Eunuchus à Philippo baptisatur ibidem. Baptisauit etiã Paulus Act. 16. & 1 Cor. 1. Nec tantũ Apostolos, sed etiam alios ministros Ecclesiæ baptisasse constat. nam Ananias baptisat Paulum Damasci, Act. 9. & collegæ Petri Cornelium, eiusq; familiam baptisasse uidentur, Act. 10. Iussit eos baptisari in nomine Domini. Vnde apparet, ius administrandi baptisma penes Ecclesiam, eiusq; ministros esse.

Materiam seu elementum Baptismi, aquam esse debere, Apostoli monent, 1 Ioannis 5 & 1 Pet. 3. ubi baptismi figuram docet esse arcam Noe, in aqua seruatam Ephes. 5. Lauacrũ aquæ. & Act. 8. ait Eunuchus: Ecce, aqua, quid uetat quo minus baptizer? Item: Descenderunt ambo in aquam, Philippus & Eunuchus simul, & baptisauit eum. & Act. 10 Petrus inquit: Quis prohibere potest, quo minus aqua baptisentur hi? Actorum 11. Ioannes baptisauit aqua.

Baptismum ministrandum, & à baptisando accipiendum in nomine patris & filij & spiritus sancti, & fide applicandam esse promissionẽ de effectibus baptismi, quòd scilicet afferat ablutionem peccatorum, regenerationem & renouationẽ spiritus sancti, &c. Apostoli etiam monent. nam Ioan. 1 epist. 5 inquit: Tres sunt in cœlo qui testimonium perhibent, pater, λόγος, & spiritus sanctus: & postea iubet testimonium Dei fide accipi. Nõ autem obscurum est, quin Ioannes eo in loco ad baptismũ respiciat, ubi in nomine patris & filij & spiritus sancti aquâ abluti homines accipiũt testimonium Dei, quòd Deus per Christum eos acceptet ad uitam æternam: & Petrus 1 epist. 3. ita uult excipi baptismũ, ut fides respiciat ad resurrectionẽ: hoc est, apprehendat beneficia Christi, & habeat bonam conscientiã de placato Deo. Et Petrus Act. 2 pœnitentiam agentes iubet in nomine Iesu Christi, hoc est, fide agnoscente Iesum Christum esse Meßiam, à Deo patre & spiritu sancto missum, & applicãte sibi eius beneficia, hoc est, remissionem peccatorum, baptisari. unde & postea dicitur: Qui libenter acceperũt sermonem eius, baptisati sunt.

Antequam igitur baptisarunt Apostoli, concionati sunt de Deo, & beneficijs Christi, de fide in eum, & de baptismo, eiusq; efficacia per fidẽ accipiẽda. Sic Philippus in Samaria prius euãgelizat de regno Dei, deq; nomine Iesu Christi, & postea baptisat uiros & mulieres: Act. 8. Idem Eunucho prius prædicat Iesum, & postea eum credentem & confitentem, quòd Iesus Christus sit filius Dei, baptisat. Actor. 8. Petrus etiam prius Cornelium, eiusq; familiam docet de remißione peccatorum fide accipienda per Christum, & postea eos iubet in nomine Domini baptisari, Act. 10. Idẽ dicit Ioannem prædicasse baptisma: quo indicat, eum prius indicasse, quid esset baptisma, cur conferretur, quomodo uis baptismi accipienda, &c.

Ananias etiam non mutam ceremoniam in baptisando Paulo exercet, sed elegãter de usu baptismatis inquit Act. 22. Deus patrum nostrorũ præparauit te, ut cognoscere uoluntatẽ suã, &c. Et nunc quid cunctaris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Domini. Paulus & Silas custodẽ carceris etiã prius instruunt de fide in Christum, quàm eum baptisent.

Cæterum phrasis illa, qua Lucas uti tur Act. 2. 10. 19. Baptisati sunt in nomine Domini: significat eos baptisatos esse eo modo, ut Christus instituit, nempe in nomine patris & filij & spiritus sancti. Nam formam baptismi à Christo traditam, nimirum ut in nomine patris & filij & spiritus sancti baptisent, Apostolos mutasse, impium est cogitare aut asserere. Et historia Actorum 19 euidenter probat, eos qui non essent in nomine patris & filij & spiritus sancti baptisati, pro uerè baptisatis non esse habitos. Nam Paulus discipulos quosdam Ephesinos, qui baptismate Ioannis, corrupta & deprauata forma eius, absq; nomine spiritus sancti baptisati erant, in nomine Domini Iesu, hoc est, secundum ritum à Christo institutum, denuò baptizauit.

Pœnitentiam agentes, & credẽtes in Christum, tum Iudæos tum gentes, baptisandos esse, exempla monent Act. 2. 8. 9. 10. 16. 19. Et Paulus inquit 1 Cor. 12. Per unũ spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi & omnes unum spiritum hausimus. Galat. 3. Quicunque baptisati estis, Christum induistis: non est Iudæus, neq; Græcus, non est seruus, neq; liber, non est masculus ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu.

Vt Christus infantes ad se uenire iußit, ita nec Apostoli

stoli eos excluserunt à baptismo: et quidē dū baptismū circumcisioni æquiparat Paulus Col. 2. apertè indicat, etiam infantes per baptismū Ecclesiæ Dei esse inserendos, sicut in ueteri Testamento infantes circūcidi oportebat, ut in Dei fœdere essēt. Et infantes tēpore Apostolorum baptisatos esse, Origenes et Cyprianus testātur.

De iteratione baptismi, semel iuxta institutionem Christi ritè accepti, Apostoli nusquam præcipiunt, nec exempla eius rei extant. Nam quòd quidā denuò baptisantur, Act. 19. ideo factum est, q; nō in nomine spiritus sancti, & sic deprauata baptismi forma, erāt baptisati.

Prætereà Paulus dicit Ephes. 4. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma. Deinde eo quòd Paulus baptismum circumcisioni confert, indicat, ut circumcisionem semel accipere sat erat, ita etiam semel ritè baptisari sufficere.

Fines seu effectus baptismo, hos ferè attribuunt Apostoli: Inserere nos Christo, & facere nos participes omnium beneficiorum Christi. Rom. 6. Quicunq; baptisati sumus in Christū Iesum, in mortem eius baptisati sumus, &c. Nam si insititij facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus. Gal. 3. Omnes filij Dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu. Nam quicunq; baptisati estis, Christum induistis.

Facere nos membra corporis Christi. 1 Cor. 12. Per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus, siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi.

Afferre spiritum sanctum. 1. Cor. 12. Omnes unum spiritum hausimus. ad Titum 3. Spiritum sanctum effudit opulenter per Iesum Christū. Act. 2. Baptisemini, et accipietis donum Spiritus sancti. Sensibilis spiritus sancti effusio in baptizatos. Actor. 2 & Act. 8 & 9 & 19 testimoniū est, Deū spiritū sanctū baptisatis impartiri.

Applicare & confirmare remissionem peccatorū, & iusticiam Dei. Act. 2. Et baptisetur unusquisq; uestrūm in remissionem peccatorum. Actor. 22. Baptisare, & ablue peccata tua inuocato nomine Domini. 1. Corinth. 6. Hæc eratis quidem, scilicet scortatores, idololatræ, &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, et per spiritum Dei nostri. Ephes. 5. Mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibipsi gloriosam, ecclesiam nō habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis.

Applicare & conferre regenerationem & renouationem. ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter.

Applicare & afferre salutem. 1 Pet. 3. Cuius figuræ nunc respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit.

Afferre bonam conscientiam. 1 Pet. 3. Baptismus nō est sordium carnis abiectio, sed bonæ cōscientiæ fœdus cum Deo, propter resurrectionem Iesu Christi. Autor epistolæ ad Heb. 10. Accedamus cum uero corde, in certitudine fidei, asperſi cordibus, ac depulsa conscientia mala, & abluti corpore aqua pura. Idem etiam exempla baptisatorum testātur. nam Eunuchus baptisatus, ibat per uiam suam gaudens, Actor. 8. Exultat etiam custos carceris ob cōuersionem et baptismum, Act. 16.

Significare ueteris Adami mortificationem, & uitæ nouitatem. Rom. 6. Sepulti sumus ūnà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodū excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Coloss. 2. Dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidē operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis.

¶ Baptismum in ueteri Testamento typis quibusdam præfiguratum fuisse, Apostoli monent. nam Petrus 1. epistola 3. indicat arcæ Noah in medijs aquis cōseruationem, figuram fuisse baptismi. & Paulus circumcisionem baptismi typum facere uidetur, Coloss. 3. Idem 1 Corinth. 10. dicit, Iudæos ex Aegypto per mare rubrum transeuntes, omnes in Moysen baptisatos esse in nube & mari. quo etiam non obscurè innuit, transitum per mare rubrum typum baptismi fuisse.

In baptisatis ablui quidem peccatorum reatum, sed nihilominus manere adhuc naturam deprauatam, multis modis docent.

Primùm, quòd asserunt renatos constare ex nouo et ueteri homine, Coloss. 3.

Deinde, quòd concionantur de lucta spiritus aduersus carnem. Gal. 5. Rom. 7. & 8.

Tertiò, quòd iubent omnes sanctos se peccatores agnoscere, & non negare quin adhuc habeant peccatum. 1 Ioann. 1.

Quartò, quòd negant sanctorum obedientiam esse perfectam. 1 Corint. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus.

Quintò, quòd præcipiunt sanctis ne sinant peccatum in suo mortali corpore regnare. Rom. 6. sed ut illud mortificent spiritu. Rom. 8.

Testantur etiam exempla sanctorum baptizatorū. Paulus enim abluit peccata sua, Act. 22. & nihilominus conqueritur, in carne sua inhabitare malū & peccatū.

Testantur etiam grauissimi lapsus sanctorum, post baptismum adhuc in ijs manere malum originis, proferēs malos fructus. nā Ananias & Sapphira Act. 5. post baptismum mentiuntur spiritui sancto. Simon magus Actor. 8 baptizatus, pecunia sibi redimere cupit arcanum cōferendi spiritū sanctum impositione manuū. Petrus 2 epist. 2. multos ab agnita ueritate defecturos monet. Idem & Paulus asserit 1 Timoth. 4. 6. & 2 Tim. 3 & 4. & alibi paßim.

BAPTISMVS IOANNIS.

Baptismi Ioannis in epistolis suis Apostoli non meminerunt. Sed in Actis aliquoties eius fit mentio, quæ testimonia adscribemus. Act. 1. Exorsus à baptismo Ioānis, ad eum usq; diem, quo receptus est à nobis. Act. 10. Rumore primum orto à Galilæa, post baptisma quod prædicabat Ioānes, ut Iesum Nazarenū unxerit Deus spiritu sancto, & uirtute. Act. 11. Venichat aūt in mentem, quod dixerat Dominus: Ioannes quidē baptizauit aqua, cæterùm uos baptisabimini spiritu sancto. Actor. 13. Deus ita ut promiserat, adduxit Israeli saluatorem Iesum, cum antè prædicasset Ioānes ante faciem introitus eius baptismū pœnitentiæ Israeli. Cum autem impleret Ioannes cursum, dixit: Quem me arbitramini esse? Nō is sum ego, sed ecce uenit post me, cuius nō sum dignus soleam pedum soluere. Actor. 19. Dixit autem Paulus:

Paulus: Ioannes quidem baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo loquens de eo qui uĕturus esset post ipsum, ut crederent: hoc est, de Christo Iesu.

DE CLAVIBVS ECCLESIAE.

Christum Ecclesiæ suæ tradidisse claues regni cœlorum, suprà uerbis Christi demonstratum est. Idem etiam Apostoli non modò sententijs, sed etiam re ipsa comprobant, dum Ecclesias iubent lapsos pœnitentiam agentes recipere. 2 Corint. 2. Gal. 6. & hæreticos aut enormiter peccantes excommunicare. 2 Ioan. 2 Corinth. 5. 6. 2 Thess. 3. ad Titum 3.

Esse autem claues Ecclesiæ, potestatem Ecclesiæ concessam, in ædificationem, & non in destructionem, ita quidem ut pœnitentibus annuncietur remissio peccatorum, impœnitentibus uerò denũcietur ira Dei, Paulus 2 Cor. 10. & 13 monet.

DE EXCOMMVNICATIONE.

Ius excommunicandi penes Ecclesiam, eiusq; ministros esse, Ioannes docet 2 epistola: Ne recipiatis eum, neq; aue ei dixeritis. & Paulus 1 Corinth. 5. Vos inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleretur de medio uestrũm, qui facinus hoc perpetrasset. Nam ego quidem, ut absens corpore, præsens autem spiritu, iam decreui tanquam præsens, ut is qui sic hoc patrauit, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis uobis, & meo spiritu, una cum potestate Domini nostri Iesu Christi, tradatur Satanæ ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Et postea: Profligate istũ qui malus est ex uobis ipsis. 2 Thess. 3. Præcipimus autem uobis, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, &c. Si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur. 1 Tim. 5. Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.

¶ Hos autem excommunicandos esse docent, nempe peccantes peccatũ ad mortem: hoc est, blasphemantes agnitam ueritatem, 1 Ioan. 5.

Non afferentes sanam doctrinam Christi, 2 Ioan.

Antichristum, 1 Ioan. 2. & 4.

Meretricem Babylonicam, Apocalypsis 18.

Adorantes bestiam, eiusq; imaginem, & suscipientes characteres eius, Apocal. 14.

Homines hæreticos, ad Titum 3.

Qui dissidia & offendicula contra sinceram doctrinam serunt, Rom. 16.

Docentes aliud Euangelium, quàm Paulus prædicauit, Galat. 1.

Negantes sola fide iustificari hominem, & asserentes obseruationem legis seu bona opera necessaria esse ad salutem, & neminem sine bonis operibus saluari posse. Philip. 3. Galat. 2.

Qui non diligunt Iesum Christum, sint anathema maranatha. 1 Corinth. 16.

Lupos, & uiros peruersa loquentes, Act. 20.

Spiritus impostores, attendentes doctrinis dæmoniorum, prohibentes cibos & nuptias. 1 Tim. 4.

Mololatras, 1 Corinth. 5. & 6. Gal. 5.

Conuiciatores, 1 Corinth. 5.

Maledicos, 1 Corinth. 6.

Iniustos, 1 Corinth. 6.

Immorigeros parentibus. 1 Timoth. 1.

Parricidas, matricidas, homicidas. 1 Timoth. 1.

Scortatores. 1 Corinth. 5 & 6. Gal. 5.

Adulteros. 1 Cor. 6. Gal. 5. 1 Timoth. 1.

Molles, immundos. 1 Cor. 6. Gal. 5. Ephes. 5.

Arsenocœtas. 1 Cor. 6. 1 Tim. 1.

Incestuosos. 1 Corinth. 5.

Ebriosos. 1 Corinth. 5. & 6.

Fures. 1 Corinth. 6.

Rapaces. 1 Corinth. 5. & 6.

Auaros. 1 Cor. 5. 6. Ephes. 5.

Plagiarios. 1. Tim. 1.

Versantes inordinatè, nihil operis facientes, sed curiose agentes. 2 Thess. 3.

Mendaces. 1 Timoth. 1.

Periuros. 1 Timoth. 1. & similes, enormiter contra primam & secundam tabulam peccantes, & suo malo exemplo Ecclesiæ nocentes.

¶ De modo excommunicationis, hæc Apostoli monent.

Primùm, quòd peccatores, quorum peccata nõ adeò sint notoria & manifesta, monendi sint semel atq; iterum. ad Tit. 3. & instaurandi spiritu lenitatis. Gal. 6. & monendi ut fratres. 2 Thess. 3.

Deinde si priuatim admoniti, nolint agere pœnitentiã, aut si aliàs peccata sint notoria & manifesta, mandat Paulus eos peccatores argui corã omnibus, 1 Tim. 5. & in cœtu Ecclesiæ, repetita cõmonefactione de potestate clauiũ, à Christo concessa aduersus peccatores obstinatos, tradi Sathanæ, ad interitũ carnis, quo spiritus saluus sit in die Domini Iesu. 1 Cor. 5. atq; ita eos excludi à communione Ecclesiæ, ut non modò arceantur ab usu sacramentorum, sed etiam à cõmercio, ne cibus quidem cum ijs capiatur, nec in domos recipiãtur, nec aue ijs dicatur. 2 Ioann. 1 Cor. 5. 2 Thess. 3.

Fmẽ excõmunicationis monẽt esse, ut ipsi peccatores seriò moneãtur de suis peccatis et ira Dei, et de petẽda à Deo uenia, et remissione per Christũ. 1 Tim. 1. Tradidi eos Satanæ, ut discãt nõ maledicere. 1 Cor. 5. Tradatur Sathanæ ad interitũ carnis, quo spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Huc facit quod Paulus dicit, potestatẽ sibi cõcessam ad ædificationẽ, & non ad destructionẽ Ecclesiæ, 2. Cor. 10. & 13. ut pudore suffundãtur, 2 Thess. 3.

Deinde ut scandalum tollatur, ne alij idem exemplũ imitentur. 1 Cor. 5, An nescitis, quòd paululum fermenti totam conspersionẽ fermẽtet? Expurgate uetus fermẽtum, ut sitis noua conspersio. Item, Profligate malũ ex uobis ipsis. 1 Tim. 5. Vt cæteri habeant timorem.

Tertiò, ne peccatorum & pœnarum alij quoq; participes fiant. 2 Ioannis: Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malis. Apoc. 18. Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis.

Exempla excommunicationis sunt Act. 5, ubi Ananias & Sapphira à Petro excõmunicati expirant. & Act. 13. ubi Paulus & Barnabas inquiũt ad Iudæos blasphemos: Vobis oportebat primùm loqui sermonẽ Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes. Idem Paulus Act. 18 & 19 & 28 facit. Exempla excommunicationis extant 1 Cor. 5. 1 Tim. 1. 2 Timoth. 1 & 2.

Pugnat cum excõmunicatione uera, quòd falsa eccle sia pios excõmunicat propter ueritatem & confessionem, & iusta & bona opera. Huius rei exempla sunt in Actis, ubi seniores & pontifices excõmunicant Apostolos, & persequũtur: & in Apocalypsi 13 prædicitur, Antichristum eiusq; patronos, reges & principes terræ, excõmunicaturos omnes illos qui non adorant imaginem bestiæ, aut non suscipiant eius characteres.

Contrarium etiam est cõmunioni, si doctores in uera ecclesia Dei abutantur excõmunicatione aduersus inuocantes: ut est exemplum in epistola 3 Ioannis, ubi Diotrephes, eos qui excipiebãt hospitio fratres, qui ob Euangelij plantationem peregrinabantur, eijciebat è congregatione.

Peccatum etiam esse, si excõmunicatio negligatur, aduersus enormes peccatores, Paulus docet 1 ad Corinthios 5. ubi eam ob rem grauiter Corinthios obiurgat. Et Christus angelum Pergamensem obiurgat, quòd nõ utatur seueritate aduersus tenentes doctrinam Nicolaitarum, Apoc. 2. Idem Laodicensium angelũ reprehendit, eo quòd neq; feruidus neque frigidus sit in suo ministerio. Apoc. 3.

De claue Ecclesiæ, soluente seu remittente peccata.

Potestatem annunciandi remissionem peccatorum, singulis peccatoribus pœnitentiam agentibus, penes Ecclesiam esse: sed ordinis gratia è ministrũ. Ecclesiæ extra casum necessitatis exerceri, doctrina & exẽpla Apostolorum comprobant. Nam Paulus lapsos, spiritu lenitudinis ab ijs qui spirituales sint, iubet instaurari: ad Galatas 6. Et de potestate sibi concessa in ædificationẽ Ecclesiæ, gloriatur 2 Corinth. 10 & 13. Exempla sunt Act. 8. ubi Philippus conuertit Eunuchum: & Act. 9. Ananias remissionem peccatorum annunciat Paulo. & 2 Corinth. 2 incestuosus Corinthius consolatione erigitur, ne absorbeatur immodico dolore.

Quibus annuncianda sit remissio peccatorũ, docent illa dicta: Act. 2. Pœnitentiã agite, & baptisetur unusquisq; uestrũm, &c. Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes prophetæ, remissionem peccatorum accipere quisquis in eum crediderit. Pœnitentiam igitur agentibus, & in Christum credentibus, denunciandа est remissio peccatorum. Impœnitentibus uerò & perseuerantibus in delictis contra conscientiam, non esse annunciandam remissionẽ peccatorum, sed potius iram Dei, passim monent. 1 Tim. 5. 2 Tim. 4. ad Tit. 3. Idem etiam in exemplis conspicitur. nam Apostoli obstinatis Iudæis non annunciant remissionem peccatorũ, Act. 4 & 5. nec Stephanus, Act. 7. nec Paulus, Actor. 13 & 28. nec Petrus & Ioannes Simoni mago, Act. 8.

Vt nec Christus certam aliquam absolutionis (ut uocant) formulam præscripsit, ita nec Apostoli præscribunt: sed liberum relinquunt, quibusuis uerbis annunciandi remissionem peccatorum, modò in nomine Christi fiat, repetito mandato ac promissione Dei. Nam Galat. sexto Paulus occupatos ab aliquo peccato, præcipit instaurari spiritu mansuetudinis. Et 2 Cor. 2. ubi Corinthiũ iubet absolui, nõ præscribit certã uerborũ formulã qua id fieri oporteat. Deinde nec ipsi in absolutione pluriũ aut paucorũ eadẽ formula usi uidẽtur, sed repetiisse eos mandatũ de annuncianda remissione peccatorum, & de promissione, quòd in Christum credentes eam accipiãt, apparet ex Act. 2. 8. 9. 10. Eos qui publicè & notoriè peccarunt, si agant pœnitentiam, etiam coram toto cœtu Ecclesiæ recipi debere, Paulus monet. 2 Cor. 2. Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc, quæ facta est à pluribus, adeò ut è diuerso magis condonare debeatis, & consolari, ne quo modo fiat, ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi. Quapropter obsecro uos, efficite, ut ualeat in illum charitas. Nam & in hoc scripseram ut cognoscerem probationem uestri, an ad omnia obedientes sitis. Cui uerò condonatis aliquid, & ego condono. Nam & ego, si quid condonaui, cui condonaui, propter uos condonaui in conspectu Christi, ne occuparemur à Satana. Non enim illius cogitationes ignoramus.

Fines huius clauis sunt, ædificatio Ecclesiæ: 2. Cor. 10. & 13. Instauratio eorum qui lapsi sunt: ad Galat. 6. 2 Corint. 2. In his uerò comprehenduntur, applicatione missionis peccatorum quæ sit per fidem, donatio Spiritus sancti, tranquillitas conscientiæ, liberatio à potestate Satanæ, inferni, & mortis æternæ, & similia.

Vtraq; clauis ligatoria & absolutoria, cognationem cum ministerio uerbi habent. Nam sicut ministerium est potestas prædicandi pœnitentiam & remissionem peccatorum, hoc est, erudiendi homines de singulis ueræ doctrinæ capitibus: ita claues sunt potestas, siue uni alicui personæ, siue pluribus sigillatim & nominatim, repetito Dei mandato & promissione, seu cõmination e, uel remissionem peccatorum, uel iram Dei propter impœnitentiam denunciandi.

DE CONFESSIONE.

TRia genera confessionis etiam in Apostolorum scriptis extant. Primum est cõfessio coram Deo, cum peccatores suam immunditiem & scelera perpetrata agnoscunt, eaq; Deo queruntur, cum gemitu & dolore. 1 Ioann. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra.

Secundum est, cum coram Ecclesia seu ministris Ecclesiæ, homines confitentur se agnoscere & damnare sua impia facinora & peccata. Act. 19. Multi credentium ueniebant, confitentes & annunciantes peccata sua. Verùm de hoc genere confessionis, hoc obseruatu dignum est, quòd nusquam præcipiatur tanquam necessaria enumeratio omnium peccatorum, neq; ullum reperiatur eius rei exemplum.

Tertium est, cum offensi inter se inuicem tractant de reconciliatione & cõdonatione mutua. ad Colossens. 3. Condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam. In hanc sententiam autor epistolæ Iacobi 5. inquit: Confitemini inuicem alius alij delicta, & orate pro uobis inuicem, ut sani sitis.

Postremò de confessione doctrinæ, de qua hæc & similia dicta loquuntur, 1 Ioann. 4. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse: & Rom. 10, Ore fit confessio ad salutem, dictum est suo loco.

DE COENA DOMINI.

COena Domini à Paulo appellatur mensa Domini, primæ ad Corinth. 10. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. & Cœna Dominica, primæ ad Corinth. undecimo: Non licet

licet Dominicam cœnam edere, quòd unusquisq; priam cœnam occupet in edendo.

Lucas Actorum uigesimo, uidetur cœnæ celebrationem appellare fractionẽ panis. inquit enim: Cum cõuenissent ad frangendum panem. & postea: Cum ascendisset, fregisset́q; panem, & degustasset. Sunt qui communicationẽ & fractionem panis, Act. 2. intelligant de cœnæ celebratione, alij uerò de conuictu Christianorũ.

Apostolos eãdem doctrinã de cœna Domini, quam à Christo acceperunt, propagasse, constat ex 1 Cor. 11. ubi Paulus dicit: Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis. Quare non opus est repetere definitionem cœnæ, quam suprà ex doctrina Christi extruximus.

Verba cœnæ à Paulo in hunc modum referuntur, 1. ad Corinthios undecimo: Dominus Iesus in ea nocte, qua traditus est, accepit panem: & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite: Hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum testamentũ est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem.

Institutorem igitur huius sacræ cœnæ Dominum nostrum Iesum Christũ esse, Paulus etiam confitetur.

Materias huius cœnæ esse panem & corpus, & uinum ac sanguinem Christi, Paulus nõ tantũ uerbis Christi asserit, Accipite, edite, hoc meũ est corpus. quod pro uobis frangitur. & postea: Hoc poculum nouum testamentum est, in meo sanguine. Sed etiã suis, cum inquit 1 ad Corinthios 10. Panis quem frangimus, nónne communicatio Christi est? His uerbis apertè indicat, in cœna accipi panem & corpus Christi, & poculum seu uinum ac sanguinem. Idem, 1 ad Corinthios 11. Quisquis ederit panem hunc, ac biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini? Fatetur ergo Paulus, in cœna accipi panem & corpus, uinum ac sanguinem Domini: & non solum panem, figurã corporis Christi gerentem: nec solum corpus Christi, panè transsubstantiato.

Panem & corpus Christi, uinum ac sanguinem eius eodem modo quo Christus in prima institutione fecit, etiam in Ecclesia usq; ad finem mundi distribui debere, tum uerba institutionis monent, Hoc facite, quotiescunq; feceritis, &c. tum uerba à Paulo explicationis gratia adiecta: Quotiescunq; enim comederitis panẽ hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec uenerit.

Vtranq; partem, scilicet panem, & cum eo corpus Christi: & uinum, ac cum eo sanguinem Christi, nõ tantum clericis, sed etiam laicis, ut uocant, distribuendam & accipiendã esse, Paulus monet primæ ad Corinthios undecimo, ubi toti Ecclesiæ Corinthiacæ in eũdem locũ conuenienti præcipit, ut dignè panem & corpus Christi edant, & uinum ac sanguinem eius bibant. Nec potest probari, quòd Corinthiaci illi, quos Paulus reprehendit ob abusum cœnæ Dominicæ, tantum sacerdotes fuerint, cum de toto cœtu Ecclesiæ illius loquatur.

Viuis, & non mortuis distribui debere cœnam Dominicam, uerba institutionis monent. Et Paulus idem affirmat, dum edere & bibere iubet. quod mortui facere non possunt.

Sumptionis etiam rationem hanc Paulus præscribit, nempe, ut ore uescamur pane & corpore Christi, & ore bibamus uinum ac sanguinem Christi. sicut uerba institutionis sonant: & simul corde seu fide, contra rationem & sensum, statuamus nos uesci non tantũ pane & uino, sed etiam corpore & sanguine Christi: & applicemus nobis promissionem, de remissione peccatorum conferenda & obsignanda. Deinde, ut etiam commemoremus & annunciemus mortem Domini, eiusq; beneficia, & gratias agamus Deo. Complectitur hæc omnia Paulus illo dicto, Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec uenerit. Omnes hac cœna uti debere, institutionis uerba monent. Et Paulus inquit, primæ ad Corinthios 10. Omnes ex uno pane participamus.

Alios cœna Domini dignè, alios indignè uti, Paulus indicat. 1 Cor. undecimo. Indignè eos uti docet, qui non probant seipsos: hoc est, qui sine omni pœnitentia & fide accedunt, & qui non discernunt corpus Domini: hoc est, qui cœnam Domini ab alijs cœnis parum differre iudicant, ideoq; ebrij & securi ad eam ueniunt, neq; fide meritum Christi sibi applicantes, neq; ore eius beneficia commemorantes: ut faciebant Corinthij, primæ ad Corinthios undecimo. Item, qui simul poculum Domini & dæmoniorum bibere, mensæ Domini & dæmoniorum participare uolebant. 1 Cor. 10.

Etiam indignè accedẽtes, nihilominus corpus et sanguinem Christi accipere, sed ad condemnationem, Paulus affirmat, cum inquit: Quisquis ederit panem hunc, ac biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Sic non diceret Paulus, si existimaret, indignè uescentes, solũ panẽ et uinũ accipere.

Dignè eos accedere ex antitheſi patet, qui seipsos probant, & corpus Domini discernunt, & abstinent à mensa dæmoniorum: hoc est, qui agunt pœnitentiã, & credunt in Christum, & cœna utuntur secundum institutionem Christi: & uerè statuunt, unà cum corpore & sanguine Christi, quod in pane & uino accipiunt, sibi donari, applicari & obsignari remissionem peccatorum, Christi morte comparatam.

Fructus cœnæ Dominicæ, qui ad eos qui dignè utuntur, perueniunt, hi ferè recenseri possunt.

Communicatio corporis & sanguinis Domini, & inhabitatio eiusdem, in nobis, miranda & inenarrabilis. Inquit enim: Panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? primæ ad Corinthios decimo. Huc pertinere etiã uidentur alia testimonia, quibus asseritur, nos esse corpus & membra Christi. primæ ad Corinthios duodecimo, & ad Ephesios quarto. Membra sumus corporis eiusdem ex carne eius, & ex ossibus eius. ad Ephesios 5.

Applicatio & obsignatio remissionis peccatorum. inquit enim: Hoc meũ est corpus, quod pro uobis frangitur: hoc est, quod interficitur pro expiatione uestrorum peccatorum. Quo autem excellentiori pignore nobis obsignetur remissio peccatorum, quàm eo ipso corpore & sanguine, quo uita generi humano parta est? Huc non incõmodè referri posse uidetur, quod 1 Ioannis 5. dicitur, sanguinem etiam testimonium perhibere, scilicet nos esse Deo reconciliatos.

Commemoratio Christi, & annũciatio mortis eius,

& recordatio de eius supremo aduentu, et uita æterna. 1 Cor. 11. Testari & monere de mutua piorum coniunctione & charitate. 1. Cor. 10. Vnus panis, unũ corpus multi sumus. nam omnes ex eodem pane participamus.

¶ Ii uerò qui indignè sumũt, fiunt rei corporis & sanguinis Domini, primæ ad Corinthios undecimo: Edunt & bibũt sibi iudiciũ, seu condemnationẽ, 1 Cor. 11.

Accersunt sibi pœnas corporales, ut sunt morbi, & mors præmatura. 1 Cor. 11. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi sunt, & dormiunt multi.

Mannam & aquam ex petra populo Iudaico datã, typum cœnæ Dominicæ facit Paulus, primæ ad Corinthios 10. Omnes eandem escam spiritualẽ comedebant, & omnes eundem potum spiritualem bibebant. Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur, petra: petra uerò fuit Christus.

¶ Contraria sunt, in cœtu ecclesiæ, ubi cœna Domini celebranda est, excitare & fouere dissidia. 1 Cor. 11. Audio in uobis dissidia esse. Propriam cœnã edendo, cœnam Dominicam impedire. 1 ad Corinthios 11. Contemnere Ecclesiam Dei, & pudefacere eos qui non habent. 1 ad Corinthios 11.

Indignè edere & bibere. 1. Cor. 11.

Non probare seipsum: hoc est, non agere pœnitentiam, nec fida ad cœnæ usurpationẽ afferre. 1 Cor. 11.

Non dijudicare corpus Domini: hoc est, cœnam Dominicam, ubi datur corpus & sanguis Domini, non æstimare pluris quàm alias cœnas, & negare in ea exhiberi uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. 1 Corinth. 11.

Velle poculum Domini bibere, & simul dæmoniorum: & mensæ Domini participem esse, & dæmoniorum. 1 Corinth. 10.

Abijcere uerba cœnæ, cum tamen Paulus dicat, Poculo cui benedicimus. 1. Cor. 10. & cum ea pertineant ad mandatum, Hoc facite in mei commemorationem.

Mutare testamentũ Domini, altera parte laicis subtracta: cum hominis testamentum, si sit comprobatũ, nemo reijciat, aut ei aliquid addat. Gal. 3.

Huc & alia pertinent quæ cum institutione & uero usu cœnæ Dominicæ non congruunt.

DE SACRIFICIO EXPIATORIO in nouo Testamento.

IN ueteri Testamento fuisse externum sacerdotium, & uaria genera sacrificiorum, eaq; omnia umbras et figuras fuisse rerũ futurarũ, nempe spiritualis sacerdotij seu officij Christi, quòd is una sui ipsius oblatione profligaturus & sublaturus esset peccatum, & consummaturus seu expiaturus in perpetuũ eos qui sanctificantur, dictum est suprà in loco, de Scriptura ueteris Testamẽti, ex epist. ad Heb. ubi ex professo traduntur.

In nouo Testamento sacerdotiũ illud Mosaicum, et sacrificia abrogata esse & cessasse tanquam umbras rerum futurarum: & si quando oblationum fiat mentio in scriptis Apostolorum, intelligi eas spiritualiter, de fide & operibus ex ea profluentibus, ut ad Rom. 12. 16. Philippenses 2. 1 Pet. 2. etiam demonstratum est suprà, de Abrogatione legis Mosaicæ.

Sacrificium uerò noui Testamenti docent esse passionem & mortem Domini nostri Iesu Christi, qua ex placuit peccata totius generis humani. Nam Pet. 1. epist. 2 dicit, Christum peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum, eiusq; uibice nos sanatos esse. Et rursus cap. 3. ait, iustum pro iniustis passum esse.

Ioannes etiam eleganter dicit, Ipse est expiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1 Ioannis 2. Et Paulus ad Romanos 3. & 5. & 8. ad Philippenses 2. Factus est patri obediens usq; ad mortem, mortẽ autem crucis. ad Heb. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu, semel peractam. Huc etiam alia testimonia de morte & passione Christi pertinent, de quibus suo loco.

Eam autẽ uictimam Deum ipsum segregasse, & ad hoc opus destinasse monẽt. Ioannes inquit, Deus, &c. misit filium propitiationẽ pro peccatis nostris. 1 Ioannis 3. & Paulus ad Romanos 5. Iesum Christum propositum Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine. Idẽ ad Romanos 8. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Heb. 5. Christus non seipsum glorificauit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat illi, Filius meus es tu, & alibi dicit: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Non autem inuitum aut coactè Christum uictimã esse factum, sed consultò & deliberatò & sponte eum se obtulisse, monent. Gal. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Heb. 10. Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, holocaustomata pro peccatis non comprobasti. Tunc dixi: Ecce adsum, in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam, &c. Ecce adsum, ut faciam uoluntatem tuam Deus. Huc etiam alia testimonia pertinent, quæ testantur Christum seipsum obtulisse. Heb. 9 & 7. Cum semetipsum obtulit. & 9 & 10. Idem etiam confirmant testimonia, quæ Christum intercessorẽ & reconciliatorem noui Testamenti asserunt. 1 Tim. 2. ac Heb. 8. Etiam Spiritum sanctum in uictimam hanc pro genere humano offerendam consensisse, autor epistolæ ad Hebræos nono monet, ubi Christum se per spiritum æternum obtulisse immaculatum Deo, dicit: & Paulus cum secundum spiritum sanctificationis declaratum filium Dei, Rom. 1. ait, & Petrus Act. 10. Iesum Nazarenum Spiritu sancto à Deo unctum esse affirmat.

Vnicum autem huiusmodi in nouo testamento sacrificium esse, nempe illud quod unica hac persona Iesus Christus per semetipsum semel obtulit, apostoli docent. Act. 4. Nec est in alio quoquam salus: nec est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Rom. 6. Quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quòd aũt uiuit, uiuit Deo. Autor epist. ad Heb. 10. Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur.

Docent etiam, non necesse esse hoc sacrificium iterari, cum eo quod semel factum est, expiata sint peccata totius generis humani. ad Hebreos 7. Talis decebat nos esset Pontifex, cui non sit quotidie necesse, quèad modum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel, cum seipsum obtulit. Heb. 9. Per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta. Et postea: Non in manufacta sancta ingressus est Christus exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis, non

ut sæpius

ut sæpius offerat semetipsum, quemadmodum pontifex ingreditur in sancta singulis annis, per sanguinem alienum, alioqui oportuisset eũ sæpius passum fuisse à constitutione mundi. Nunc autẽ semel sub consummationem seculorũ, ad profligationẽ peccati per immolationẽ sui ipsius apparuit. Et quatenus illud manet homines, uti semel moriantur, post hoc autem iudicium: ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, rursus absq; peccatis conspicietur ijs, qui illum expectant in salutem. Et Heb. 10. Hic una pro peccatis oblata uicti ma perpetuò sedet ad dexterã Dei. et postea: Vbi remissio peccatorum, ibi nõ est amplius oblatio pro peccato.

De effectib. huius sacrificij Apostoli passim docent, cum de beneficijs Christi concionantur. Sunt aũt: expiatio peccatorum totius mundi. 1 Pet. 2 & 3. & 1 Ioã. 2 & 3. Redemptio æterna. Gal. 2. Ephes. 1. Iusticia. ad Romanos 3. 4 & 8. 2 Cor. 5. Remissio peccatorum. ad Romanos 4. ad Ephesios 1. Sanctificatio. Heb. 10. Pax. Rom. 5. Gaudium spiritus sancti. Rom. 4. ad Galatas 5. Nouitas uitæ. ad Romanos sexto, 1 ad Corinthios 5. Dilectio proximi: Debemus enim etiam nos pro fratribus animas ponere, ut ille pro nobis. 1 Ioannis 3. Vita æterna. 1 Ioannis 5. Rom. 6.

Bona hoc sacrificio parta, offerri nobis per ministerium uerbi, docent. 1 Pet. 1. & 1. Ioan. 1. & 4. & Rom. 10. 2 Corinth. 5. Posuit in nobis sermonem reconciliationis, &c. ad Titum 1. Immortalitatem in lucem reduxit per Euangelium, et per sacramenta, ut sunt Baptismus, Actorum 2 & 22. 1 Pet. 4. Rom. 6. ad Titum 3. ad Ephesios 5. primæ ad Corinthios 6. & cœna Dominica, 1 ad Corinthios undecimo.

Apprehendi uerò, & nobis applicari fide. 1 Petri 2. Omnis qui fidit illi, non pudefiet. 1 Ioan. 5. Qui credit in filium Dei, testimonium habet in seipso. & postea: Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomine filij Dei, ut sciatis quòd uitam habetis æternam. Rom. 3. Statuimus ergo, hominem iustificari fide absq; operibus legis. Act. 10. & decimotertio: Per hunc omnis qui credit, iustificatur. Plura testimonia suprà de fide.

Monent etiam, uirtute huius sacrificij, semel à Christo suo tempore peracti, non tantum eos qui in nouo Testamento, sed etiã qui in ueteri crediderunt, saluari. Nam Ioannes Apocalypsis decimotertio dicit, agnum ab origine mundi occisum esse. Et Petrus Actorum decimo dicit, omnes prophetas testatos de Christo, quòd in eum credentes accipiant remissionem peccatorum. Paulus etiam docet, eodem modo omnes homines saluari, quo Abraham, nempe per fidem in Christum. Autor epist. ad Hebr. 9 dicit, Christum æternã redemptionẽ cõparasse. Idem ad Ebræos 11, exẽplis patriarcharũ & prophetarũ, aliorumq; piorum uteris Testamẽti probat, quòd fide in Christum sint saluati.

DE ECCLESIA CHRISTI.

Vocabuli Ecclesiæ frequens usus est in Actis Apostolorum. ut Actorum nono, Ecclesia per totam Iudæam. Actorum duodecimo: Affligeret quosdam de Ecclesia. Actorum decimoquarto: Per singulas Ecclesias. Actorum decimosexto: Ecclesiæ confirmabantur fide. & alibi passim in Actis, & in epistolis Pauli omnibus, Ecclesiæ nomen aliquoties extat. In primæ Petri quinto capite semel legitur: Salutat uos Ecclesia, quæ est in Babylone. in posteriori Petri non habetur, quemadmodum nec in duabus prioribus Epistolis Ioannis ea uox extat: at in tertia ter legitur, Testimonium reddiderunt, & c. in conspectu Ecclesiæ. Item: Scripsi Ecclesiæ. & rursus: Eijcit eos ex Ecclesia seu congregatione. Et in Apocalypsi sæpius reperitur, præsertim primo, secundo, tertio capitibus. Hac uoce etiam autor epistolæ Iacobi & ad Hebræos utũtur. Iacobi 5, Presbyteros ecclesiæ. Ebr. 12, Ecclesia primitiuorum in cœlis.

Significat autem ipsum uocabulum, cœtum seu congregationem electam & præstantem. usurpatur autem interdum illa uox absolutè, sine aliquo adiuncto. primæ ad Corinthios decimoquarto: In omnibus ecclesiis doceo. secundæ ad Corinthios undecimo: Alias ecclesias expoliaui. ad Galatas primo: Ignotus facie ecclesiæ. primæ ad Timotheum quinto: Vt non grauetur Ecclesia. Interdum uerò epitheta adijciuntur, siue à causa efficiente ecclesiæ sumpta: ut sunt, Ecclesia Dei, Actorum secundo: Ad regendam Ecclesiam Dei. primæ ad Corinthios primo, undecimo, decimoquinto: Persequutus sum Ecclesiam Dei. ad Galatas primo, ad Philipp. tertio, primæ ad Thessalonicenses secundo: Imitatores facti estis ecclesiarum Dei. primæ ad Timotheum tertio: Ecclesia Dei. Interdum uerò à loco, ut Ecclesia quæ in Babylone est: primæ Petri quinto. Septẽ ecclesijs quæ sunt in Asia, Apocalyp. primo: Scribe angelo ecclesiæ Ephesinæ, ecclesiæ Pergamensis, ecclesiæ Thyatirẽsis. Apocalyps. 2. Ecclesiæ quæ Sardis, ecclesiæ Philadelphiensis. Apoc. 3. Ecclesiæ Dei quæ Corinthi est. 2 Corinth. 1. Ecclesijs Galatiæ. Galat. 1. In Laodicensium ecclesia recitetur. Coloss. 4. Ecclesiæ Thessalonicensium. 1 Thessal. 1. Ecclesiæ quæ domi tuæ est, ad Philemonem. Ecclesiæ per totam Iudæam, Act. 9.

Extant etiam in scriptis Apostolorum plures appellationes Ecclesiæ, quales sunt: Credentes, Actorum 2. Multitudo credentiũ, Act. 4 & 5. Accrescebat credentium Domino multitudo discipulorum, Act. 6. Discipuli. Act. 6. Numerus discipulorum multiplicabatur. Act. 9. Accipientes eum discipuli. Et rursus, Saulus tentabat se adiungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus. Christiani. Act. 11. Docerent turbã multã, & discipuli cognominarentur primũ Antiochiæ Christiani. 1 Pet. 4. Si affligitur aliquis ut Christianus. Grex Christi. Act. 20. Attendite uobis & cuncto gregi. Item: Non parcentes gregi. 1 Pet. 5. Pascite gregem domus spiritualis, sacerdotium sanctum, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucem accessit, populus Dei, aduenæ & peregrini, oues conuersæ ad pastorem animarum. 1 Petri 2. Clerus. 1 Pet. 5. Videtur enim ea uox hoc loco totam Ecclesiam significare. inquit enim: Neq; ceu dominiũ exercentes aduersus cleros: sed sic, ut sitis exemplaria gregis. Sortiti fidem preciosam. 2 Petri 1. Nati ex Deo. 1. Ioann. 3 & 4 & 5. Filij Dei. 1 Ioann. 3. Roman. 8. 9. Filij Dei uiuentis. Galat. 4. Filij promissionis & liberæ, Galat. 4. filij Abrahæ. ad Romanos quarto. Filij Dei & lucis. 1 Thessal. 5. Reges & sacerdotes Dei. Apocal. 1 & 5. Sanctificati, Actorum 20. Hebr. 10. Iudas: His qui in Deo patre sanctificati sunt, quiq; in Iesu Christo seruati sunt, uocatis. Sancti. 2 Petri 1. Sancti homines. Apoc. 19. Iustificationes sanctorum. Rom. 8. Postulat

stulat pro sanctis. 1 Cor. 7. Sancti de hoc mundo iudicabunt. 2 Corinth. 1. Vnà cum omnibus sanctis qui sunt in tota Achaia. Ephes. 3. Mihi omni sanctorum minimo. Ephes. 5. Sicut decet sanctos. 2 Thessal. 1. Cum uenerit ut glorificetur in sanctis. Dilecti, uocati, & electi. 1 Petri 1. Dilectis iuxta præfinitionem Dei. Roman. 1. Omnibus qui estis Romæ, dilectis Dei, uocatis sanctis. Roman. 8. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Rom. 9. Eam quæ dilecta non erat, uocabo dilectam. 1 Corinth. 1. Sanctificatis per Christum Iesum uocatis sanctis. Heb. 9. Qui uocati sunt. Apocal. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Coloss. 3. Induite uos, sicut electi. 2 Timoth. 2. Suffero propter electos. Apocal. 17. Rex regum, & qui cum illo sunt uocati, et electi, & fideles. Cohæredes gratiæ. 1 Pet. 3. Hæredes Dei, & cohæredes Christi. Rom. 8. Galat. 4. Fideles. 1 Corinth. 7. 2 Corinth. 6. 1 Timoth. 5. 6. Iusti. 1 Pet. 4. 1 Timoth. 1. 1 Ioan. 2. Templum Dei & spiritus sancti. 1 Corinth. 3. 6. 2 Corinth. 6. Ephes. 2. Crescite in templum sanctum Domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum Dei. Domus Dei. 1 Pet. 4. Iudicium à domo Domini incipit. 1 Timoth. 3. Quomodo oporteat te uersari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei uiuentis, columna & stabilimentum ueritatis. Corpus Christi. Ephes. 1. Dedit ipsum caput Ecclesiæ, quæ est corpus eius. Ephes. 5. Christus est caput Ecclesiæ, & ipse dat salutem corpori. Coloss. 1. Pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. Hierusalē, ad Galatas quarto: Quæ sursum est Hierusalem, libera est. ad Hebræos 12. Accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei, Hierusalem cœlestem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, &c. Apocalypsis uigesimoprimo: Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem. Vxor agni. Apocalysis decimonono: Venerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Sponsa Christi. ad Ephesios 5. & Apocalypsis uigesimosecundo: Sponsus & sponsa dicunt, Veni: & qui audit, dicat, Veni.

Descriptiones Ecclesiæ ex Apostolorum concionibus & scriptis colligi possunt. Ex Actorum 2 colligitur hæc definitio Ecclesiæ: Quòd Ecclesia sit cœtus seu multitudo credentium, per ministerium Euangelij collectus, & baptisatus, perseuerans in doctrina apostolorū, & cōmunicatione, & fractione panis, & precationibus. Ex concione Pauli, quam habuit in Mileto coram presbyteris Ephesinis, hæc definitio colligi potest, Actorum 20. quòd Ecclesia sit grex Christi, sanguine Christi acquisitus, qui per ministerium uerbi colligitur & gubernatur, in quo sunt multi non sani, qui suo tempore exoriuntur, loquentes peruersa, seducentes pios. 1 Petri 1 hæc descriptio extat: Ecclesia est genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucem accessit, ut uirtutes Dei prædicet, à Deo è tenebris uocatus, & in admirabilem lucem Dei. 1 Ioann. 3. Et hoc est præceptum eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò. Ergo Ecclesia est cœtus hominum credentium in Christum, & sese mutuò diligentium.

Paulus etiam passim descriptiones Ecclesiæ tradit. 1 Timoth. 3. Ecclesia est domus Dei uiuentis, columna & stabilimentum ueritatis. 2 Timoth. 2. Ecclesia est magna domus, in qua non tantum sunt uasa aurea & argentea, uerùm etiam lignea & testacea: & alia quidem in honorem, alia uerò in contumeliam: hoc est. Ecclesia est cœtus mixtus ex bonis & malis. Ephes. 2. Ecclesia est cœtus ex Iudæis & gentibus collectus, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum summo angulari lapide Iesu Christo extructus, crescens in templum sanctum in Domino, & in habitaculum Dei per Spiritum sanctum coædificatus. Ephes. 6. Ecclesia est cœtus hominum redemptorum per Christum, & mundatorum lauacro aquæ per uerbum, agnoscentiū Christum pro capite & sponso suo, & ab eo salutem percipientium.

Sed hæ descriptiones breuiores sunt: prolixiorem autem, contextam plerisq; huius loci capitibus, libro priori ex doctrina Christi assignauimus, quam hic nō repetendam ducimus. Monemus tamen lectorem, eandem etiam Apostolos doctrinam de Ecclesia tradidisse & propagasse, quam acceperunt & didicerunt à Christo magistro & domino suo, ut patebit ex sequentibus.

Duplicē esse Ecclesiā, aliā uerā, aliā hypocriticā seu falsam, etiā Apostoli monent. Nam Petrus 1 Pet. 4. meminit Christianorū & gentiū & persecutorū. Idem 2 Petri 2, ut pseudoprophetarum & impiorum ecclesiā in ueteri Testamento fuisse, ita quoque in nouo futurā, docet & describit. Et 2 Petri 3. duos cœtus facit, alium illusorum & contemnentium doctrinam de extremo iudicio, alium uerò expectantium cum timore Dei. Iohannes etiam epistola 2, Ecclesiam Christi & Antichristi futuram ostendit. Idem 1 epistola 2, alios filios Dei, alios filios diaboli esse docet, & probat exemplo Cain & Abel. & 1 Ioann. 4, spiritum ueritatis & erroris discernit. Et 1 Ioann. 5. natos ex Deo & mundum sibi inuicem opponit. Tota etiam Apocalypsis describit duplicem Ecclesiam Christi & Antichristi. Quid Paulum memoremus? cum is Act. 20. apertè lupos graues, non parcentes gregi, irruituros in Ecclesiam prædicat? Et in singulis suis epistolis depingat pseudoapostolos & doctores & Antichristum suis uiuis coloribus, eorumq; falsa dogmata refutet, & uitari iubeat? Rom. 16. 1 Corinth. 15. 2 Corinth. 10. 11. 12. Tota epistola ad Galatas. Philipp. 3. Coloss. 2. 2 Thess. 2. 1 Timoth. 1. 4. 6. 2 Timoth. 1. 2. 3. 4. ad Titū 1. 3. Idem fidelium et infidelium meminit, 1 Corinth. 7. 2 Corinth. 6. Colentium Deum, et colentium idola. 2 Corinth. 6. Puram mentem & conscientiam habentium, ac mente et conscientia pollutorum. ad Titum 1. Et filiorum secundum spiritum seu promissionem, & filiorum secundum carnem. Gal. 4. Filiorum lucis et tenebrarum. Ephes. 5. Filiorum infidelium. Ephes. 2 & 5. Quærentium iusticiam ex operibus legis, & ex fide. Rom. 9. Impingentium in lapidem offensionis, et non impingentium. Rom. 9. Excæcatorum seu induratorū, et misericordiam consecutorum. Rom. 11.

Ipsa etiam experientia testata est, duplicem esse Ecclesiam. Nam ut patet ex Actis, Hierosolymis sunt Ecclesia uera, Apostoli & multitudo credentium: falsa uerò sunt Pontifex, sacerdotes, seniores populi, Herodes & Pilatus, & alij omnes cum ipsis sentientes, quòd Apostolos oderunt & persequuntur. Sic in alijs locis ad quæcunque Apostoli uenisse dicuntur, semper duo cœtus sibi inuicem contrarij constituuntur.

Eccle-

Ecclesiam uerã colligi à Deo patre, Domino nostro Iesu Christo, & spiritu sancto, ministerio uerbi diuinitus patefacti, & sacramentorum, Apostoli constanter affirmant. 1 Pet. 1. Aduenis dilectis, iuxta Dei patris præfinitionem, per sanctificationem spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi. Item: Laudandus Deus, &c. qui regenuit nos in spem uitali per sermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. 1 Pet. 2. Lac illud &c. animi, hoc est, doctrinam Euangelij, appetite, ut per illud suboleſcatis. Et postea: Ipsi quoq; uelut uiui lapides ædificemini, domus spiritualis. & rursus: Vos genus electum, regale sacerdotium, populus qui in lucrum accesit, ut prædicetis uirtutes illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilem suam lucem. Item: Eratis uelut oues errantes, sed conuersi estis ad pastorem & curatorem animarum uestrarum. Et 1 Pet. 3. Scientes uos in hoc uocatos esse, ut benedictionẽ hæreditate possideatis. Ibidem etiam, per baptismum Ecclesiæ sordes abuti, ita ut baptisati bonam conscientiam accipiant, docet. Idem 1. epistola 5. Christum appellat pastorum principem, Ecclesiam uerò nominat gregem Christi. & postea dicit, Deum omnis gratiæ eos uocasse, ad æternam suam gloriam, per Iesum Christum. Idem in epistola posteriori cap. 1 monet Ecclesiam per iusticiam Dei nostri, & seruatoris Iesu Christi sortitam esse preciosam fidem. & postea sese declarat, quòd per uerbum fuit collectio. ait enim: Preciosa et maxima promissa nobis donata sunt, ut per hæc efficeremini diuinæ consortes naturæ. Huc etiam illud facit, quod sub finem capitis sermoni iubet attendere, donec exoriatur lucifer in cordibus nostris. Ioannes etiam in suis epistolis docet, Deum per uerbũ colligere sibi Ecclesiam: hoc est, cœtum agnoscentium Deum, credentium in Christum, & habentium uitam æternam. 1 Ioann. 1. Quod uidimus & audiuimus, annunciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscum, & societas sit cum patre, & filio eius Iesu Christo. 1 Ioann. 2. Vos unctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia. & postea: Si in uobis permanserit, quod audistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. 1 Ioann. 5. Omnis qui credit Iesum esse Christũ, ex Deo natus est. & postea: Scimus quòd ex Deo sumus, &c. Scimus quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem ut cognoscamus illum qui uerus est, &c.

Apud Paulum passim plurima extant testimonia, quibus hanc sententiam confirmat, sed nos aliquot tantum allegabimus. Rom. 8. Qui iuxta propositum eius uocati sunt, quoniã quos præsciuit & præfiniuit, cõformes imaginis filij sui fieri, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres: porrò quos prædefinierat, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eos & iustificauit. Ro. 10. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Rom. 15. Vt sim minister Iesu Christi in gentes, administrans Euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum. Habeo igitur quod glorier per Christum Iesum, in his quæ ad Deum pertinent. Non enim ausim loqui quicquam eorum quæ non effecit Christus per me, in obedientiam gentium uerbo & facto per potentiam signorum ac prodigiorum, per potentiã spiritus Dei, ut ab Hierusalem & circumiacentibus regionibus usq; ad Illyricum, impleuerim Euangelium Christi. 1 Corinth. 1. Fidelis Deus, per quẽ uocati estis in consortium filij ipsius Iesu Christi Domini nostri. Et postea de uerbo, per quod fit uocatio, inquit: Visum est Deo, per stultitiam prædicationis saluos fauere credentes. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, &c. Idem 1 Corinth. 3. Dei sumus cooperarij. Dei agricolatio, Dei ædificatio estis, iuxta gratiam Dei quæ data est mihi. 1 Corinth. 4. Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. 1 Corinth. 15. Et gratia eius, quæ fuit profecta in me, non fuit inanis, sed copiosius quàm illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mihi adest. 1 Corinth. 12. Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi.

Huc etiam pertinent illa testimonia, de uarijs generibus donorum Ecclesiæ ministris à Deo concessorum, ad ædificationem Ecclesiæ. Nam ea quoq; testantur, collectionẽ Ecclesiæ fieri à Deo per ministerium uerbi. Rom. 12. 1 Corinth. 12. 13. 14. Ephes. 4. Idem dedit alios quidem Apostolos, alios uerò prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores ac doctores, ad instaurationem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirũ perfectum, in mensuram ætatis plenæ adultæ Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominũ, per astutiam, qua nos adoriuntur, ut imponant nobis: sed ueritatem sectantes in charitate, adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus: in quo totum corpus si coagmentetur, & compingatur per omnem cõmissuram subministrationis, iuxta actum in mensura, uniuscuiusq; partis, incrementum corporis facit in ædificationem suijpsius per charitatem.

Huc etiam pertinent testimonia de efficacia uerbi Dei & scripturæ sacræ, quæ suo loco annotauimus: qualia sunt, Rom. 1. Euangelium est uirtus Dei ad salutem omni credenti. 2 Corinth. 2. Deo gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, & odorem noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quoniam Christi bona fragrantia sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis uerò odor uitæ ad uitam. Et ad hæc quis idoneus? Non enim sumus, ut pleriq;, cauponantes sermonẽ Dei: sed uelut ex sinceritate, sed uelut ex Deo, in conspectu Dei per Christum loquimur. 2 Corint. 5. Posuit in nobis sermonem reconciliationis: itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. 1 Thess. 2. Accepistis non sermonem hominum, sed sicut uerè erat, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus.

Huc etiam pertinent testimonia, quæ de inhabitatione Spiritus sancti loquuntur. Nam ea quoq; indicant, ecclesiam colligi à Deo per uerbũ & Spiritum sanctũ. Ephes. 1. Audito Euangelio, uerbo ueritatis, &c. postquam credidistis, obsignati estis Spiritu sancto. Gal. 3. Vtrum ex operibus legis accepistis Spiritum sanctum, an ex prædicatione fidei? 1 Corinth. 3. 6. 2 Corint. 6. 2 Corinth. 1. Rom. 8. Gal. 4. Ephes. 4. 2 Tim. 1.

Monet etiam Christũ suo sanguine sibi ius colligendi Ecclesiam ex genere humano redemisse. 1 Petri 1. 1 Iohan. 1 & 2 & 3 & 4. Apoc. 1 & 9. Redemisti nos per sanguinem tuum ex omni tribu & populo & natione. Ephes. 5. Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibijpsi gloriosam ecclesiam, non habentem maculã, aut rugam, aut quicquam eiusmodi: sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Act. 20. Attendite uobis & cuncto gregi, in quo Spiritus sanctus posuit uos episcopos ad regendum ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Deum autem ex Iudæis & gentibus & omnis generis nationibus, per uerbum sibi Ecclesiam colligi uelle, tum apertæ sententiæ, tum historia ipsa docent.

De Iudæis hæc loquuntur testimonia. Act. 2. Vobis facta est promißio, & filijs uestris, & omnib. qui longè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus Deus noster. Act. 3. Vobis primùm Deus cum suscitaßet filium suum Iesum, misit eum benedicentem uobis, ut unusquisq; uestrûm conuerteret se ab iniquitatibus suis. Act. 10. Præcepit nobis ut prædicaremus populo, ac testificaremur quòd ipse sit ille constitutus à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Act. 13 Paulus inquit ad Iudæos: Viri fratres, filij generis Abrahæ, et qui inter uos timent Deũ, uobis sermo salutis huius missus est. Act. 17, Paulus introibat in synagogam Iudæorum Thessalonicæ, & disserebat eis per tria sabbata, è scripturis adaperiens & allegans quòd Christum oportuißet pati, & resurgere à mortuis: & quòd hic esset Christus Iesus, quem ego, inquit, annuncio uobis. & quidam ex eis crediderunt, & adiũcti sunt Paulo. Act. 28, Paulo Romæ Iudæis prædicante Christum ex Moyse & prophetis, quidam credunt, quidam non credunt. Rom. 1, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti Iudæo primùm simul & Græco. Rom. 11. Num repulit Deus populum suum? Absit. nam & ego Israelita sum, ex semine Abrahæ, tribus Beniamin. non repulit Deus populum suum, quem agnouerat. Rom. 15. Illud autẽ dico, Iesum Christum ministrũ fuiße circumcisionis, pro ueritate Dei, ad confirmandas promißiones patrum. 1 Corint. 1. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò stultitiam: sed ijsdem uocatis Iudæis pariter & Græcis, Christum Dei potentiam ac sapientiam. 1 Thessal. 2. Imitatores facti estis ecclesiarum quæ sunt in Iudæa, in Christo Iesu.

Etiam hoc de Iudæis monent Apostoli, quòd Deus minatus sit in prophetis, quòd uelit eos, si Messiã Dominum nostrum Iesum Christum, eiusq; uerbum contempserint, abijcere, & in eorum locum suscipere gentes. Nam Stephanus Actorum septimo non obscurè eis hanc pœnam prædicit: apertius uerò Paulus Iudæis Antiochenis in Pisidia disserit: Videte ergo ne superueniat uobis quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & euanescite, quia opus operor ego in diebus uestris, quod non credetis, si quis enarrauerit uobis. Idem etiam sequenti sabbato in eadem urbe hanc publicam edit protestationem contra Iudæos, contradicentes doctrinæ Euangelij, & loquentes blasphemias: Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei: sed quoniam repellitis illum, et indignos uos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gẽtes. sic enim præcipit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis salus usq; ad extremum terræ. Eadem etiam de re Paulus concionatur Iudæis Romanis, Act. 28. Bene spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam, ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istũ, & dic: Auribus audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non perspicietis. incrassatum enim est cor populi huius: & auribus audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notũ ergo sit uobis, quòd gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem.

Eandem sententiam etiam in epistola ad Romanos 9. 10. 11 prolixè explanat. Rom. 9. Esaias clamat super Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt. Sermonem enim perficiens & abbreuians cum iusticia, quoniam sermonem abbreuiatum faciet Dominus in terra. Et quemadmodum prius dixit Esaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquißet nobis semen, ut Sodoma facti fuissemus, & Gomorrhæ assimilati fuissemus. Quid igitur dicemus? quòd gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam: iusticiam autem eam quæ est ex fide. contrà Israel, qui sectabatur legem iusticiæ, ad legẽ iusticiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi, quemadmodum scriptũ est: Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis: & omnis qui credit in eo, non pudefiet. Rom. 10. Aduersus Israel dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem. Rom. 11. Sic igitur in hoc tempore reliquiæ secundum electionẽ gratiæ fuerunt. Quòd si per gratiam, non iam ex operibus: quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia: quandoquidem opus, non iam est opus. Quid igitur? Quod quærit Israel, hoc non assequutus est, sed electio consequuta est: reliqui uerò excæcati sunt. Quemadmodum scriptum est: Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut non audiant, usq; ad hodiernum diem. Et Dauid dicit: Vertatur mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculũ, & in retaliationẽ ipsis: obtenebrentur oculi eorum ut non uideant, & tergum eorum semper incurua. Notandum tamen est, Paulum has duas afferre causas reiectionis & excæcationis Iudæorum. Prima, quia Deus prædixit, se Iudæos contemptores Meßiæ, eiusq; beneficiorũ, abiecturum. Secunda, quia Iudæi noluerunt suscipere Meßiam Dominum nostrum Iesum Christum, eiusq; beneficijs frui.

Singularis autem potentia est, quæ à solo Paulo in uno tantum loco, Rom. 11, de toto Israel saluando, postquam plenitudo gentium aduenerit, proponitur, quanalij aliter atq; aliter intelligũt. Verba autem eius adscribemus: Non enim uolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ut ne sitis apud uosmetipsos elati animo, q excæcatio ex parte Israelitis accidit, donec plenitudo gentium aduenerit. & sic totus Israel saluus erit, sicut scriptum est: Aduenict ex Sion ille qui liberat, & auertet impieta-

impietates à Iacob. Et hoc illis à me testamentum, quum abstulero peccata ipsorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, secundũ electionem autem dilecti propter patres. Nam dona quidem & uocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere non possit. Quemadmodum enim & uos quondam increduli fuistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti per eorum incredulitatem: sic & isti nunc incredulitate facti sunt, ex eo quòd uos misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam consequantur. Concluſit enim Deus omnes sub incredulitatẽ, ut omniũ misereretur. Quòd si huius loci ea est sententia, quòd paulatim alii qui Iudæi ad ecclesiam sint accessuri, congruit cum experientia omnium temporum. semper enim ad fidem in Christum aliqui Iudæi sunt adducti. Si uerò de gentium reiectione, & Iudaicæ gentis receptione intelligenda sunt uerba Pauli, nondum impleri cœperunt. adhuc enim hodie ex gentibus colligi Ecclesiam, manifestũ est.

VOCATIO GENTIVM.

Hactenus quidem de uocatione Iudæorũ, de qua minus controuersum est tempore Apostolorum, quòd omnibus esset notissimum, populum Iudaicum Dei populum esse, ut cui concredita essent oracula Dei. Rom. 3. Quorum esset adoptio, & gloria & testamenta, et legis cõstitutio, et cultus et promissiones, et patres, et qui essent ij ex quibus Messias secundum carnem exoritus esset. Rom. 9. Qui haberent templum & sacerdotium à Deo ordinatum. Hebr. 9. At de gentib. ambigebatur, an illæ quoq; ad ecclesiam Christi essent per doctrinam Euangelij conuocandæ. Sed eam controuersiã Apostoli per spiritum sanctum instituti, enuclearunt, & perspicuè docuerunt, Deum etiam ex gentibus uelle sibi colligi ecclesiam: nec tantum ita docuerunt, sed etiam ipsi ad gentes in omnem terrarum orbem egressi sunt, & inter eas ecclesiam Christo collegerunt, cooperante Deo patre, Domino nostro Iesu Christo, & spiritu sancto, ut patet ex Actis Apostolorum, & epistolis eorundem.

Testimonia de uocatione Gentium.

Act. 10. Christus uisione Petrum monet, gentes etiã pertinere ad suum regnum. Petrus enim ingressus in domum Cornelij, inquit: Vos scitis, non esse fas uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. Sed mihi ostendit Deus, ne quem communem aut immundum dicerem hominem: quapropter & incunctanter ueni accersitus. Et postea: Reipsa comperio, quòd non sit personarum respectus apud Deum: sed in quauis gente qui timet ipsum, & operatur iusticiam, is acceptus est illi. Idem, eam ob causam Hierosolymæ accusatus à Iudæis, quòd ad præputium habẽtes introijsset, & cum ijs cibum cæpisset, factum suum defendit his argumentis. Primum, quia Deus per uisionem sibi reuelarit, etiam gentes uocandas esse. Secundò, quia Deus Cornelio mandarit, ut accerseret Petrum, & ex eo disceret uiam salutis. Tertiò, quòd spiritus sanctus sit illapsus in gentes, sicut & in Iudæos. Quartò, quòd Dominus dixerit: Ioannes quidem baptisauit aqua, uos spiritu sancto baptisabimini. Infert ergo Petrus: Proinde si par donum dedit illis Deus, quemadmodum & nobis, cùm credidissemus in Dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui posse obsistere Deo? His autem auditis, obticuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Igitur etiam gentibus Deus pœnitentiam concessit ad uitam. Actorum 11. in synodo Hierosolymitana quoq; asseritur ab Apostolis, gentes pertinere ad ecclesiam Christi, nec ijs esse imponendum iugum legis Mosaicæ. Argumenta autem hæc sunt. Primum, quia Deus elegerit Petrum, ut per eum audirent gentes uerbum Euangelij, & crederent. Secundum, quia Deus præbuerit gentibus testimonium, eo quòd dederit illis Spiritum sanctum, sicut & Iudæis. Tertium, quia experientia ipsa testata sit, Deum etiam uocare gentes. Tacuit enim tota multitudo, & audiebat Barnabam & Paulum, narrantes quæ Deus edidisset signa ac prodigia inter gentes per ipsos. Quartum, quia sit prædictum in prophetis de gẽtium uocatione. Iacobus enim ex propheta Amos allegat dictum: Posthac reuertar, ac rursus ædificabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est, et diruta eius instaurabo, & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines, Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum: dicit Dominus, qui facit hæc omnia. Petrus etiam in priori sua epistola, quam ad gentes scripsisse uidetur, testatur, ad gentes beneficia Christi pertinere. inquit enim 1 epistolæ 2. Qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei: qui quondam non consequuti misericordiã, nunc estis consequuti misericordiam. & 1 epistolæ 4. Sat est enim nobis, quod anteacto uitæ tempore uoluntatem gentium patrauerimus.

Paulus uerò hanc sententiam de uocatione gentium, in singulis suis epistolis diligenter inculcat. Rom. 1. Vt fructũ habeam inter uos quoq;, quemadmodũ & inter reliquas gentes, Græcis simul & Barbaris, eruditis pariter & rudibus debitor sum. Rom. 2. Pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, simul & Græco. Non enim est personarum respectus apud Deum. Idem Roman. 3, Iudæos & gentes ostendit omnes obnoxios esse peccato, & eodem modo utroſq; iustificari gratis per fidem: An Iudæorum Deus tantum? an non & gentiũ? certè & gentium. & Rom. 4 docet, gentes etiam in promissione ad Abraham facta comprehensas esse. Patrem multarum gentium constitui te. Galat. 3. Præuidens autem scriptura, quòd ex fide iustificet gentes Deus, prius rem lætam nunciauit Abrahæ: Benedicentur, inquiens, in te omnes gẽtes. Rom. 9. Quos uocauit, nimirum nos, non solum ex Iudæis, uerùm etiam ex gentibus. quemadmodũ & Oseæ dicit: Vocabo populum qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam: et erit in loco ubi dictum fuerat eis, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis. Rom. 10. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci: nam idem Dominus omnium. Et rursus: Primus Moses dicit, Ego ad æmulationem prouocabo uos per gentem quæ nõ est gens, per gentem stultam ad iram commouebo uos. Esaias autem post hunc audet, ac dicit: Inuentus fui his qui me non quærebant, conspicuus factus sum his qui de me non interrogabant. Rom. decimoquinto: Cæterùm ut gentes pro misericordia glorificent Deum, sicut scriptũ est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Et rursum dicit: Gaudete gentes cum populo eius. Et rursum: Laudate

Dominũ omnes gentes, collaudate eum omnes populi. Et rursum Esaias dicit: Erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt. 1 Cor. 12. Scitis quòd gẽtes fuistis, & ad simulachra muta utcunque ducebamini sequentes. & postea: Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus. Galat. 2. Efficax fuit & in me erga gentes. Item: Vt nos in gentes, ipsi uerò in circumcisionẽ apostolatu fungeremur. Et rursus: Cur gentes cogis Iudaizare? Galat. 3. Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, nõ est masculus ac fœmina: omnes enim uos unus estis in Iesu Christo. Eph. 2. Mementote quòd uos quondam gentes in carne, uocabamini præputium, ab ea quæ uocatur circumcisio in carne, quæ circumcisio manibus fit: quòd inquam eratis in tempore illo sine Christo, abalienati à repub. Israelis, et extranei à testamentis promissionis, spem nõ habentes, Deoq; carentes in mundo. Nunc autem per Christum Iesum uos qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatẽ per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semetipso, in unum nouũ hominem, faciens pacem: & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, perempta inimicitia per eam, & ueniens euangelizauit pacem uobis qui procul aberatis, & ijs qui propè. quoniam aũt per illũ habemus aditum utriq; in uno spiritu ad patrem, iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorũ, ac domestici Dei, superstructi super fundamentũ Apostolorum & prophetarum, summo angulari lapide Iesu Christo, in quo quæcunq; structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctũ in Domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum Dei per spiritum. Eph. 3. Huius rei gratia ego Paulus uinctus sum Christi Iesu pro uobis gentibus. Siquidem audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in uos, quòd secundũ reuelationem notum mihi fecit mysterium, quemadmodũ antè scripsi paucis: ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi, quòd in alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, quemadmodum nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per spiritum, ut sint gentes cohæredes, & eiusdem corporis, consortesq; promissionis eius in Christo per Euangelium, cuius factus sum minister gratiæ Dei, quod datum est mihi secundum efficaciam potentiæ illius. Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, ut inter gentes euangelizem imperuestigabiles diuitias Christi. Col. 1. Cuius ecclesiæ factus sum ego minister, iuxta dispensationem Dei, quæ data est mihi in uos, implendi sermonem Dei: mysterium, quod reconditum fuit à seculis & à generationibus: nunc autẽ patefactum est sanctis illius, quibus uoluit Deus notum facere, quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius inter gentes, qui est Christus in uobis, spes gloriæ, quẽ annuncia mus. Col. 3. Vbi non est Græcus & Iudæus, circumcisio & præputiũ, barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia in omnibus Christus. 1 Thess. 2. Iudæi proprium Dominum Iesum, & proprios prophetas occiderunt, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, qui obsistũt nobis ne loquamur gentibus, quo salui fiant, ut expleant peccata sua semper. 2 Timoth. 1. In Euangelium positus sum ego præco, & apostolus, & doctor gentium. Apoc. 5. Redemisti nos per sanguinem tuum ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

Exempla gentium uocatarum.

Exempla gentium uocatarum Acta Apostolorum & aliæ historiæ suppeditant. Act. 8. Samaritani, & inter eos Simõ Magus, & postea eunuchus Aethiops conuertuntur & baptisantur. Actor. 10. Cornelius gentilis cum tota familia sua baptisatur. & uiri Cyprij, & Cyrenenses Antiochiæ, Græcis prædicant Christũ, & colligunt ibi numerosam ecclesiam. Actor. 11. Paulus & Barnabas iußu Dei emittuntur ex Antiochia ad prædicandum gentibus Euangelium. Act. 13. Paulus & Barnabas, Antiochiæ Pisidiæ facta protestatione, contra Iudæos gentibus annunciant Euangelium. idem faciunt alijs quoque in locis. Actor. 13 & 14. Idem Paulus etiam in Corintho facit. nam contradicentibus, & blasphema loquentibus Iudæis, excußis uestimentis, dixit ad eos: Sanguis uester super caput uestrum, mundus sum ego, posthac ad gentes uadam. Act. 18.

Ecclesiæ uerò cœtum ex bonis & malis omnibus temporibus esse mixtum, Apostoli tradunt. nam Petrus quosdã abusuros libertate Christiana ad prætextũ malitiæ, 1 Pet. 2. quosdam uerò non ut Christianos, sed ut homicidas, fures, aut facinorosos, aut curiosos alienarũ rerum, passuros esse subindicat 1 Pet. 4. idem 2 Pet. 2: Falsos doctores, clam inducentes sectas perniciosas, abnegantes Dominum qui illos mercatus est, per auaritiã fictitijs sermonibus negociantes de ecclesijs, & ambulantes in concupiscentia pollutionis, & dominationem contemnentes, & contra agnitam ueritatem sœdissimè in peccatis degentes, in cœtu ecclesiæ futuros prædicit. Et 2 Pet. 3. illusorũ fit mentio, & eorum qui detorquẽt scripturã ad suam ipsorũ perniciẽ. Ioannes etiã de Antichristo, eiusq; ministris dicit, quòd ex umbilico ecclesiæ sit proditurus. 1 Ioan. 2. Antichristi multi cœperũt esse, unde scimus nouissimum tempus esse: è nobis prosecti sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, utiq; permansissent nobiscum, sed ut manifesti fierent, quòd non sint omnes ex nobis. Idem 1 Ioan. 3, in cœtu ecclesiæ filios Dei & filios diaboli fore ostendit: In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Omnis qui non facit iusticiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. & postea: Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum. Huc & alia Ioannis testimonia pertinẽt, quibus discernit uera ecclesiæ membra ab hypocritis: qualia sunt, 1 Ioan. 2. Qui dicit se in luce esse, & fratrẽ suum odit, in tenebris est usq; huc. Item: Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, & 1 Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. & rursus: Qui habuerit substantiam mundi, &c. & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Idem 1 Iohannis 5 indicat, in cœtu Ecclesiæ esse fratres peccantes. Paulus uerò Act. 20. inquit: Ex uobis ipsis exorientur uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. & Rom. 16. Considere tis eos qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam uos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis. 1 Corinth. undecimo: Oportet enim & sectas inter uos esse, quo qui probati sunt, manifesti

manifesti fiant inter uos. 1 Corinth. 15. Ignorationem Dei quidam habent. 2 Thess. 3. Vt eripiamur ab absurdis & peruersis hominibus. non enim est omnium fides. Philip. 2. dicit, bonos esse in medio nationis prauæ & tortuosæ. 2 Timoth. 2. In magna domo non tantum sunt uasa aurea & argentea, uerùm etiam lignea & testacea: & alia quidem in honorem, alia uerò in contumeliam. si quis igitur expurgarit seipsum ab his, erit uas in honorem sanctificatum, accommodum usibus Domini, ad omne opus bonum præparatum. Autor etiã epistolæ Iacobi 2 docet, multos esse in ecclesia ferè mortuã habentes fidem: id est hypocritas.

Porrò exempla probant, Ecclesiã semper fuisse cœtum ex bonis & malis mixtũ, qualia in scriptis & conciionibus Apostolorum multa, tum eorum temporum quæ fuerunt ante ipsos, tum sui temporis reperiuntur. Exempla ueteris Testamenti hæc ferè allegantur. Petrus 2 epist. 2. ex historia Noe & Loth & Balaam filij Bosor, probat malos bonis esse immixtos. Ioannes exemplum Cain & Abel perstringit, 1 Ioan. 3. Stephanus Act. 7. multas perstringit historias ueteris Testamẽti de populo Iudaico: ex quibus liquet, ei quoq; fuisse admixtos malos. Idem facit Paulus 1 Corinth. 10. ubi docet, non omnes in cœtu populi Iudaici egredientis ex Aegypto fuisse bonos, sed plerosq; malos. Autor epistolæ ad Ebræos etiam docet, multis non profuisse sermonem Dei, quia fuerunt infideles. Ebr. 3 & 4.

Exempla uerò suorum temporum multa cõmemorant. Ioannes in epistola sua tertia, Diotrephen quendã primatum in ecclesia affectare dicit, & non solum non recipere fratres, sed & uolentes recipere, prohibere & excommunicare. Apparet etiam ex epistolis septẽ, quæ Christo dictante ad septem ecclesias scribuntur, Apoc. 2 & 3, in illis ecclesijs, bonis malos fuisse admixtos. Paulus uerò in ecclesia Romana etiam malos ostendit, Rom. 16. & in ecclesia Corinthiaca plurima deside rat. Sunt enim inter eos contentiones: alius enim dicit, ego sum Pauli: alius uerò, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi. 1 Corinth. 1 & 3. & 2 Corinth. 12. Est inter uos incestuosus, qui duxit nouercam suam, sunt scortatores, auari, idololatræ, conuiciatores, ebriosi, rapaces. 1 Corinth. 5. Litigant sub infidelibus, damno afficiunt fratres. 1 Corinth. 6. uescuntur idolothytis. 1 Corinth. 8 & 10. Sunt ingrati erga ministros Euangelij. 1 Cor. 6. Abutuntur cœna Domini. 1 Corinth. 11. Sunt inter eos resurrectionem mortuorũ negantes. 1 Corinth. 15. Sunt inter eos pseudoapostoli. 2 Corinth. 11. Contemptores Pauli. 2 Corinth. 10. Impœnitentes, quos non pœnituit immundiciæ & libidinis quam patrarunt. 2 Cor. 12.

Ecclesiam etiam apud Galatas, malorũ plenã fuisse apparet ex epistola ad eosdem, in qua à Paulo accusantur, quòd à doctrina Euangelij defecerint: Galatis 1. Quòd fascinati non credant ueritati: Galat. 3. Quòd denuò obseruent dies, & menses, & tempora, & annos: Galat. 4. Quòd per obseruationem legis Mosaicæ uelint saluari, quòd fermentũ sit inter eos, quòd sese mutuò deuorent. Galat. 5.

Alias etiam ecclesias monet ut caueant sibi à pseudodoctoribus: Philip. 3. Coloss. 2. In epistola ad Thessalonicenses dicit, esse quosdam inordinatè ambulantes fratres, 2 Thess. 3. de suis collegis et synergis passim conqueritur Paulus, quòd paucos habeat bonos & fideles, utilitatem ecclesiæ quærentes. Philip. 2. Neminem enim habeo pari mecum animo præditũ, qui res uestras germanè curaturus sit: nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Iesu. Coloss. 3. Salutat uos Aristarchus & Marcus, consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si uenerit ad uos, excipite eum: & Iesus, qui nocatur Iustus, qui sunt ex circumcisione, hi soli sunt cooperarij ad regnum Dei, qui fuere mihi solatio. 2 Timoth. 1. Asiani omnes auersati sunt Paulum, è quorum numero fuit Phygelus & Hermogenes. 2 Timoth. 2. Hymenæus & Philetus etiam à Paulo defecerunt, corrumpentes doctrinam de resurrectione mortuorũ. & 1 Timoth. 1. Alexander & Hymenæus à Paulo excommunicantur. & 2 Timoth. 4. Demas Paulum deseruit, amplexus præsens seculum.

Ex Actis etiam Apostolorum apparet, bonis malos fuisse immixtos. Nam Act. 5. Ananias & Sapphira mentiuntur Deo spiritui sancto. Act. 8. Simon magus est inter Christianos Samaritanos. Act. 15. Pseudoapostoli turbant etclesiam Antiochenam sua doctrina, de necessitate bonorum operum ad salutem.

Notatu etiam hoc dignum est, quod monent Apostoli, extremis temporibus ecclesiam malis plenissimam & refertissimam fore, tum propter Antichristum in ecclesia sedentem, seq; supra eam extollentem, & liberè quiduis agentem contra Deum & magistratum, tum propter uarias hæreses & errores, tum propter corruptissimos hominum mores, tum etiam propter neglectũ clausum, quibus excludi mali ab ecclesia deberent. Pertinent huc descriptiones extremorum temporum et Antichristi, quales passim extant. 2 Petri 2 & 3. 1 Iohannis 2 & 4. & 2 Ioannis. & Apoc. ab 8 capite usq; ad 21. & Pauli 2 Thess. 2. 1 Timoth. 4. Spiritus aũt certè loquitur, quòd in posterioribus tẽporibus descisc ent quidam à fide, attendentes spiritib. impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, &c. 2 Timoth. 3. Illud scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora periculosissima: erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, nescij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatem amantes potius quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarint. & istos auersare. Ex his enim sunt qui subeunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentijs uarijs, semper discentes, nec unquam ad cognitionẽ ueritatis uenire ualentes. Quemadmodum autem Iamnes & Iambres resistebant Moysi, ita & hi resistunt ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed non proficient amplius. Siquidem amentia ipsorum euidens erit omnibus, quemadmodum & illorum fuit. 2 ad Timotheum quarto: Nam erit tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò conuertentur.

Cæterùm

Cæterùm etiàm bonos illos qui sunt in cœtu ecclesiæ,nõ esse omnino perfectißimos,sed multas magnasq; adhuc habere imbecillitates, quas tamen paulatim corrigere studeant, doctrina Apostolorum monet. Nam Petrus 1 epist. 2. pios infantibus modò natis comparat. & 1 epist. 5. diabolum ijs insidiari dicit. & 2 epist. 3. in gratia & cognitione Christi eos crescere iubet. Paulus etiã infirmitates sanctis tribuit. Rom. 8. & infirmos in fide prohibet offendere, & præcipit assumi eos & infirmitates eorum portari. Rom. 14 & 10. & 1 Cor. 8 & 10. Occupatos aliquo peccato instaurari iubet, Gal. 6.

Huc etiam pertinet discrimen, quod facit inter eos qui sunt in ecclesia, quòd alij adhuc sint carnales & infantes, 1 Cor. 3. & pueri, Eph. 4. Alij uerò spirituales. 1 Corinth. 3. & uiri & perfecti. Philipp. 3. Ephes. 4. Huc etiam illud facit, quòd etiam perfectißimam agnitionẽ Dei, qualem in hac uita habeamus, tantùm esse cognitionem ex parte dicit. 1 Cor. 13. Nunc cognosco ex parte, tunc uerò cognoscam, quemadmodum et cognitus sum. Paulus etiam de sua infirmitate passim loquitur, Rom. 7. 2 Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. libentißimè igitur gloriabor potius super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Quamobrẽ placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in anxietatibus pro Christo. Quum enim infirmus sum, tunc robustus sum.

Conspiciuntur etiam in ipsis sanctis Apostolis magnæ imbecillitates: nam doctrinam de uocatione gentium, etiam Petrum ignoraße, constat ex Act. 10. Idem de apostolis & fratribus in Iudæa, cum Petro eam ob causam disceptantibus dicitur, Actor. 11. Et quidam de factione Pharisæorum qui crediderant, dicebant oportere circumcidi gentes, eisq; præcipi ut seruarent legẽ Mosi. Actorum 15.

Ioannes ministrans Paulo & Barnabæ, ab eis discedit, & reuertitur Hierosolymam. Act. 13. Oritur etiam dißidium inter Paulum & Barnabam ob Marcum. Barnabas consulebat ut assumerent eum: Paulus autem nolebat, ut is qui defecisset ab ipsis ex Pamphylia, nec iuisset cum eis in opus. Hanc ob causam tam acris erat disceptatio, ut alter ab altero seiungeretur. Act. 15. Petrus etiam metuens eos qui erant ex circumcisione, nõ recto pede ad ueritatẽ Euangelij incedebat, Antiochiæ inter gentes Iudaizans, & suo malo exemplo in simulationem cæteros Iudæos & Barnabam adducens, obiurgatur à Paulo, Galat. 2. In prima defensione nemo adfuit Paulo, sed omnes eum deseruerunt. 2 Timoth 4. Imbecillitatis etiã est indiciũ, quòd Ioannes apostolus duxit sibi angelum adorandum eße. Apoc. 19 & 22.

Porrò infirmos ab obstinatis & excæcatis ita discernunt, ut ostendant hos suas infirmitates agnoscere, & habere desideriũ discendi, & in agnitione Dei crescendi, & sua uitia emendandi. Rom. 14. & 15. Eph. 4. Gal. 6. Philipp. 3.

Notas ueræ Ecclesiæ easdem quas Christus attribuunt, cuiusmodi sunt:

Prima, uerbum Dei purum et sincerum: ut enim ex eo Ecclesia, Dei potentia & uirtute quasi generatur & nutritur, ita semper ad id Ecclesiam ueram alligatam esse certũ est. Confirmant hæc testimonia suprà de causis Ecclesiæ ex Petro, Ioanne & alijs allegata, quibus hæc accenseri possunt: 1 Petri 1. Qui animas uestras purificastis obediendo ueritati per spiritum. 1 Petri 4. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. 1 Ioan. 3. Qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. 1 Ioannis 4. Per hoc cognoscite spiritum Dei. Omnis spiritus qui confitetur Christũ in carne uenisse, ex Deo est. & rursus: Nos ex Deo sumus. qui nouit Deũ, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: per hoc cognoscimus spiritum ueritatis, & spiritum erroris. Et rursus: Quisquis cõfessus fuerit quòd Iesus sit filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. 2 Ioann. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet. Apoc. 3. Tenes nomen meum, & nõ negasti fidem meam. Apoc. 3. Si quis audierit uocem meam, & aperuerit tanuam, introibo ad illum. Apocal. 12. Ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonij sui. Et paulo etiam suprà allegauimus testimonia, quibus & hæc addi possunt: Nos accepimus spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Christo donata sint nobis, quæ & loquimur, etc. 1 Corinth. 2. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. 1 Corinth. 3. Notum uobis faciam Euangelium, quod euangelizaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini. 1 Corinth. 15. Posuit in nobis sermonem reconciliationis. 2 Corinth. 5. Si quis aliud Euangelium prædicauerit uobis, præter id quod nos prædicauimus, anathema sit. Galat. 1. Quicunq; iuxta regulam hanc inceãt, pax super eos, & misericordia. Galat. 6. Superstructi super fundamentum Apostolorum & prophetarum. Ephes. secundo: Accipite gladium spiritus, qui est uerbum Dei. Ephes. sexto: Inter quos lucete tanquam luminaria in mundo, sermonem uitæ sustinentes. Philip. 2. Sermo Christi inhabitat in uobis opulẽter. Colossens. 3. Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aspernemini. 1 Thessal. 5. Ecclesia columna ueritatis dicitur, eo quòd custos est ueræ & sinceræ doctrinæ à Deo patefactæ. 1 Timoth. tertio: Egregium depositum seruato per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. 2 Tim. primo. Huc etiam faciunt testimonia, quibus Paulus docet, eos qui non retinent puram & sanam doctrinam, non esse uera Ecclesiæ membra. 1 Timoth. 1. 6. 2 Timoth. 1. 2. 4. ad Titum 1. 3. Autor etiam epist. ad Ebr. ad uerbum Dei alligatam esse docet Ecclesiam. Ebr. 3. Hodie si uocem eius audieritis. & Ebr. 4 et 12. Videte ne aspernemini eum qui loquitur, &c. Iac 1. Recipite insitum sermonẽ, qui potest saluas facere animas uestras.

Secunda, uerus & legitimus usus sacramentorum & clauium, iuxta ipsius institutionem. De baptismo testimonia extant 1 Pet. 3. Rom. 6. Gal. 3. 1 Cor. 6. 12. 15. Eph. 5. Ebr. 10. Exempla uerò baptisatorum, Act. 2. 8. 9. 10. & alibi passim. & 1 Cor. 1. De Cœnæ legitimo usu extat testimonium 1 Corinth. 11. ubi etiam abusum eius qui apud Corinthios irrepserat, reprehendit & abrogat. De usu clauium, 2 Ioan. Ne receperitis eum, nec dixeritis ei ue. & 1 Cor. 5. & 2 Cor. 2. 12. Gal. 1. Anathema sit. Gal. 6. 2 Thes. 3. 1 Tim. 1, 2 Tim. 2. Tit. 3. Iac. 5. Integra testimonia suo loco sunt recitata.

Tertia, confessio, constantia & perseuerantia. 1 Pet. 3. Sitis parati semper ad respondendũ cuilibet petenti, ut lo-

ut loquamini de ea quæ in uobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiã habentes bonam. 1 Ioan. 4. Quisquis confessus fuerit, quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in eo. Apocal. 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Itẽ, Qui uicerit & custodierit opera mea, dabo illi potestatẽ super gentes. Apoc. 3. Qui uicerit, sic uestietur uestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro uitæ, & confitebor nomen eius coram Deo patre meo, & coram angelis eius. Apoc. 7. Amicti albis stolis, hi sunt qui uenerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt stolas suas et dealbauerunt eas per sanguinẽ agni. Rom. 10. Ore fit confessio ad salutem. 1 Cor. 2. Si sufferimus & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos. Col. 1. Siquidẽ permanetis in fide fundati & stabiles, nec dimouemini à spe Euangelij quod audistis. Phil. 2. Omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris.

Quarta, obedientia erga ministeriũ in ijs rebus quæ pertinẽt ad ministeriũ: si enim Ecclesia, Dei ministros non audit, sed eos spernit & persequitur, Deum ipsum reijcit. quod sanè sponsa Christi nõ facit, sed sponsa diaboli. 2 Pet. 3. Memores sitis uerborũ quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, et mandati nostri, qui sumus apostoli Domini & seruatoris. 1 Ioan. 4. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. 3 Ioan. Nos debemus recipere huiusmodi, ut cooperatores simus ueritatis. Rom. 1. Vt obediatur fidei inter omnes gentes. Rom. 6. Obedistis ex animo, in eam in quam traducti estis formã doctrinæ. Rom. 10. Quomodo audient absq; prædicante? &c. Nam omnes obedierunt Euangelio. 2 Cor. 10. Captiuam ducemus omnem cogitationem, ad obediendum Christo, & in promptu habemus uindictã aduersus omnem obedientiam, cum impleta fuerit uestra obedientia. Gal. 4. Me uelut angelum Dei suscepistis, uelut Christum Iesum. Phil. 2. Proinde dilecti mei: quemadmodum semper obedistis non tanquam in præsentia mea solũ, sed nunc multo magis in absentia mea, &c. 2 Thes. 3. Quòd si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam hunc iudicate. Pertinent huc testimonia illa quæ præcipiunt ut ecclesiæ obediant suis ministris. Gal. 6. Philip. 2. Qui sunt eiusmodi, in precio habete. et 1 Timot. 5. Eb. 13. Obedite præpositis uestris, & cedite eis. Ipsi enim uigilant pro animabus uestris.

Huc etiam faciunt testimonia quæ docent falsæ ecclesiæ solenne esse, ministerio diuinitùs ordinato non obtemperare, sed refragari, cuiusmodi postea recitabuntur.

Caput Ecclesiæ nullum, neq; angelum, neq; hominem faciunt Apostoli, sed solum Dominum nostrum Iesum Christũ. Nam 1 Cor. 11. Paulus inquit, Omnis uiri caput est Christus, caput autem mulieris uir, caput uerò Christi Deus. 1 Cor. 3. Omnia nanq; uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia inquam uestra sunt, uos autem Christi, Christus uerò Dei. & 1 Cor. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. 1 Cor. 3. Fundamentum Ecclesiæ Christus est. et Eph. 2 Christus appellatur angularis lapis, super quo extructa sit Ecclesia. Idem Rom. 9. & 1 Petri 2. & Act. 4. innititur, quòd Christus sit ille angularis lapis reprobatus ab ædificantibus. Ephes. 1. Eum dedit super omnia caput ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius qui omnia in omnibus adimplet. Ephes. 5. Christus est caput Ecclesiæ. Idem etiam est qui salutem dat corpori: itaq; quemadmodum Ecclesia est subdita Christo, sic & uxores suis uiris. Col. 1. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse, primas tenens. Col. 2. In illo inhabitat plenitudo deitatis corporaliter, & estis in illo completi, qui est caput omnis principatus & potestatis. & postea: Nec obtinens caput, ex quo totũ corpus, per commissuras & compagines subministratum & compactum, augescit augmento Dei. & Col. 3. Sed omnia in omnibus Christus.

Huc pertinent etiam testimonia, quæ affirmant Ecclesiam esse corpus Christi. Rom. 12. Quemadmodum corpus unum multa membra habet, &c. 1 Cor. 6. Nescitis quòd corpora uestra, membra sint Christi? Eph. 4. 1 Cor. 12. Huc etiã pertinent testimonia, in quib. Christi opera, mors & resurrectio ita præstita esse dicuntur, ut pro toto genere humano. Ro. 5. et Paulus 1 Cor. 15. & 1 Thess. 5. ex resurrectione Christi tanquã capitis, colligit omnium hominum resurrectionem.

Testimonia etiam de uno Christo, & mediatore, & summo pontifice perpetuo, monent, Christum esse suæ ecclesiæ caput. qualia sunt 1 Ioan. 2. 1 Tim. 2. Rom. 8. Ebr. 4 & 7. & alijs eius epistolæ capitibus.

Ex his apparet, apostolos illud dictũ, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam, Matth. 16. non intellexisse de Petro eiusq; successoribus, aut de ecclesia Antiochena aut Romana, ubi Petrus Euangelium prædicasse fertur, quòd ille debeat esse caput Ecclesiæ, super quo fundaretur Ecclesia. Nam si ita spiritu sancto illuminati eam sententiam Christi intellexissent, utiq; ut rem ualde Ecclesiæ scitu necessariam memoriæ prodidissent. At quoties de capite ecclesiæ loquuntur, eiusq; fundamento, neminem præter solum Christum proferunt. Nec est existimandum, eos Christum non rectè intellexisse, aut ecclesiã celare uoluisse, quòd nam eius esset caput: cùm Paulus dicat Actorum 20. Non subterfugi, quo minus annunciarim uobis omne consilium Dei.

Ecclesiam ueteris Testamenti in summis doctrinæ capitibus cum Ecclesia noui Testamenti consensisse, demonstratum est in loco de Verbo Dei, & Scriptura, & in loco de Iustificatione. Testimonia uerò ea de re extant 1 Petri 1. 2. 3. 4. & 2 Petri 1. 2. 3. 1 Iohan. 3. Apocal. 13. Agnus ab initio mundi occisus est. Roman. 4. Galat. 3. 1. Corinth. 10. Ebr. 13. Iesus Christus heri & hodie idem in æternum. & Act. 4. 10. Huic testimoniũ perhibent omnes prophetæ, &c.

Membra uera ecclesiæ noui Testamenti, ubicunq; sint locorum in sana doctrina Christi, & legitimo usu sacramentorum congruere debere, constat ex ijs testimonijs, quæ de notis Ecclesiæ paulo antè produximus: quibus etiam illa sunt accersenda, quæ loquuntur de unitate et cõcordia ecclesiæ. nõ enim tantũ de mutua animorũ in alijs rebus, sed etiã, et quidẽ maximè de cõsensione in doctrina sunt intelligenda. 1 Pet. 3. Omnes sitis unanimes, similiter affecti. 2 Ioã. Omnis qui trãsgreditur, et nõ manet in doctrina Christi, Deũ nõ habet, etc.

Si quis

Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Eph. 4. Tolerantes uos inuicem, studentes seruare unitatẽ spiritus, per uinculum pacis unum corpus & unus spiritus, quemadmodũ & uocati estis in una spe uocationis. & postea: Donec perueniamus omnes in unitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei. Phil. 2. Sitis unanimes, idem sentientes. Huc etiam pertinent testimonia, quibus Apostoli asserunt, eos qui à sana doctrina & uero usu sacramentorum aberrant, non esse ueræ Ecclesiæ membra, sed falsæ. 2 Pet. 2 & 3. 1 Ioan. 2. 4. & 5. 2 Ioã. Rom. 16. 2. Cor. 11. Gal. 1. 5. Hæc persuasio nõ est ex eo profecta qui uocat uos. Phil. 3. 1. Tim. 1. 2. Tim. 1. 2. 4.

Etsi diuersa sunt uerorum Ecclesiæ membrorũ dona, & discrimina in hac uita, tamen omnes unus esse in Christo Iesu dicuntur: hoc est, æquales, eadem bona in Christo habentes. Rom. 12. Multi unum corpus sumus in Christo. 1 Cor. 3. Omnia namq; uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia inquam uestra sunt, uos autem Christi, Christus uerò Dei. 1. Cor. 10. Vnus panis, unũ corpus sumus multi. Nónne omnes ex eodem pane participamus? 1 Cor. 12 Per unum spiritum omnes in unum corpus baptisati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, omnes unum spiritum hausimus. Gal. 3. Non est Iudæus, neq; Græcus: non est seruus, neq; liber: non est masculus, neq; fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. & Eph. 4. Col. 3. Vbi non est Græcus, neq; Iudæus, & circumcisio & præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia in omnibus Christus. Item, Vocati estis in uno corpore. Et Petrus 1 epistol. 3, etiam mulieres uocat gratiæ cohæredes.

Ecclesiam Christi duraturã in hoc mundo usq; ad eius aduentum, Apostoli etiam monent. nam Petrus 1. epist. 1 dicit, Verbum Domini, hoc est Euangelium, manere in æternum. Est autem seminarium Ecclesiæ, quare necesse est etiam Ecclesiam manere usq; ad finem seculi. Idem 1 epist. 5. hortatur presbyteros, ut gregem pascant, donec appareat pastorum princeps, & reddat ijs præmia. Idem 2 epist. 3. etsi ostendat extremis diebus fore multos illusores, tamẽ etiam monet, pios expectantes aduentum Christi futuros. Ioannes 1 epist. 2. monet, ut in Christo maneamus, quo fiduciã possimus habere cum apparuerit. In Apocalypsi uerò multis imaginibus pingit Ecclesiæ usq; ad aduentum Christi durationem, licet diabolus, Antichristus, & scortatores cũ meretrice Babylonica miris modis sint eam conquassaturi & desolaturi. Apoc. 11. 12. 14. 18. 19. 21. Paulus uerò multis modis asserit durationem Ecclesiæ. Primùm enim eo monet, quòd Christum docet ascendisse in altũ, & dare dona hominibus, & sibi colligere Ecclesiam usq; ad finem mundi. Ro. 8. Eph. 4. Deinde, quòd docet ministerium uerbi exire in omnem orbem terrarum, per quod Deus sit efficax, ad colligendã sibi Ecclesiã. Rom. 1. 10. 2 Cor. 2. 10. & alibi passim. Tertiò, quòd loquens de resurrectione, apertè affirmat, pios quosdam, tum adhuc in uiuis futuros, qui immutabuntur in ictu oculi. 1 Cor. 15. 1 Thes. 5.

Porrò admodum rara tamen Ecclesiæ ueræ membra sub finem mundi fore, ob Antichristi regnum, quod est colluuies omnium hæresium & scelerum Sodomitico-rum, & uaria schismata, offendicula, persequationes, & Epicureismum, apertè prædicunt. Petrus quidẽ 2 epist. 2. et 3. Ioan. 1 epist. 2 & 4. & 2. Ioan. & per integram Apoc. Paulus uerò Actor. 20. 2 Thes. 2. 1 Tim. 4. 2 Timoth. 3. & 4.

Ecclesiam nõ esse certo aliquo loco, certis personis, aut alicui ordinariæ successioni ita alligatã, ut alibi esse nequeat, aut ibi eam esse semper oporteat: sed in quouis loco, & apud quoslibet homines, si modò ibi sonet uox Euangelij incorrupta, & rectè administrentur sacramenta, Ecclesiam colligi, ac ibi esse posse uera Ecclesiæ membra, docent Apostoli. nam Petrus Act. 2. inquit: Vobis facta est repromissio, & filijs uestris, et omnibus qui longè sunt, quoscũq; aduocauerit Dominus Deus noster. Idem Act. 10. Re ipsa comperio, quòd nõ sit personarũ respectus apud Deum, sed in quauis gente quæ timet ipsum, acceptus est illi. Idem Act. 15. in cõcilio Hierosolymitano testatur, Deum inter Iudæos & gentes nihil discreuisse, cùm fide purificauerit corda illorum. Et in epistola priori cap. 1. scribit aduenis spargi incolentibis Pontum, Galatiam, Cappadociam, Assim, Bithyniam: & dicit eos inuocare patrẽ, citra personarum respectum iudicantem iuxta cuiusq; opus. Et in posteriori cap. 2. monet, eos qui aliquando membra ecclesiæ fuerunt, posse ab agnita ueritate deficere, & conuerti à sancto præcepto, ita ut fiant ijs postrema peiora primis. Ioannes etiam 1 epist. 2. docet, eos qui aliquãdiu in cœtu ecclesiæ fuerũt, tandẽ euasuros membra Antichristi: quod fieri non posset, si ecclesia esset alligata ad certas personas. Idem Apoc. 2. & 3. ostendit, Christũ septem illis ecclesiis, eorumq; episcopis, nisi manserint in sincera doctrina & constanti confessione, minari abiectionẽ. Idem Apoc. 17. digito monstrat urbem Romam, olim ecclesiæ sedem, tandem in Antichristi, seu meretricis Babylonicæ domicilium, & dæmoniorum cloacam & colluuiem degeneraturam. Quod spiritus sanctus non indicaret, si sciret ad urbem Romanam alligatam esse ecclesiam. & ad eius impurissimum hominum genus, Papas, Cardinales, Episcopos, & Clericos.

Hanc doctrinam etiam Paulus confirmat primùm illis generalibus sententijs, quòd Deus non sit προσωπο-λήπτης, acceptor personarum. Rom. 2. Nõ enim est personarum respectus apud Deum. Gal. 2. Personam hominis non accipit Deus. Ephes. 6. Scientes quòd & uester ipsorum Dominus est in cœlis, nec personæ respectus apud illum. Col. 3. Qui peccauit, reportabit peccatum suum, & non est personarũ respectus apud eum. Rom. 10. Non est distinctio Iudæi uel Græci: nam idem Dominus omnium. 2 Cor. 10. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed is quem Dominus cõmendat. Deinde etiam illis dictis quæ agunt de uocatione gentium, quæ suprà retulimus. Tertiò, illis etiam quibus docet, in omni loco Deum coli & inuocari debere. 1. Cor. 1. 1. Timoth. 2.

Postremò, hanc sententiam etiam comprobat historia ipsa: constat enim ex Actis passim in multis locis, collectas esse ecclesias. et epistola ad Galatas testis est, ecclesias in aliquo loco bene instructas, facilè per falsos doctores subuerti posse. quod nõ fieret, si ad certa loca

loca alligata esset Ecclesia: inquit enim Paulus de Galat. 4. Metuo de uobis, ne frustra laborauerim erga uos. Idem 1 Thess. 3 inquit, Vt cognoscerem fidem uestram, ne quo pacto tentasset uos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster. & 2 Timoth. 2 docet, Hymenæum & Philetum quorundam subuertisse fidem. Quibus autem rebus alligata sit Ecclesia, suprà de notis Ecclesiæ ueræ indicauimus.

Nec illud silentio prætereunt Apostoli, quòd Ecclesia ut plurimum sit cœtus hominum plebeiorum, & fortunæ tenuioris. Ditiores enim et sapientiores huius seculi, sese aut Ecclesiæ non adiungere, aut frigidius requitur de ueris Ecclesiæ membris, ut manifestè ostendat, eos esse afflictos, humiles, uiros, mulieres, seruos, presbyteros. Ioannes etiam in Apocalypsi, cum depingit Ecclesiam, utitur imagine mulieris parientis & afflictæ. Reges & principes terræ, & mercatores & nobiles, dicit scortari cum meretrice Babylonica, eiusq; adorare imaginem, & unà cum meretrice Babylonica persequi Ecclesiam. Apocal. 14. 17. 18. 19. 20.

Paulus uerò etiam apertis dictis hanc sententiã confirmat, 1 Corinth. 1. Videtis enim uocationem uestrã, fratres, quòd non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, nõ multi claro genere nati, uerùm quæ stulta erant secundum mundum, delegit Deus, ut pudefaceret sapientes: & quæ erãt imbecillia in mundo, delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta: & quæ ignobilia erant in mundo, contemptaq;, delegit Deus, & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt obliteraret, ut ne glorietur ulla caro coram ipso. 1 Corinth. 2. Sapientiam autem non seculi huius, neq; principum seculi huius, qui abolentur: sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quã præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram, quã nemo principum huius seculi cognouit. Nam si cognouissent, haudquaquã Dominum gloriæ crucifixissent: sed quemadmodum scriptum est, quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. 1 Corinth. 3. Si quis sibi uidetur sapiens esse inter uos, in seculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia mundi huius, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Et rursum: Dominus nouit cogitationes sapientum, quòd sint uanæ. Itaq; ne quis glorietur in hominibus. 1 Corinth. 4. Arbitror q; Deus nos qui sumus Apostoli postremi, ostenderit tanquam morti addictos. Quoniam spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, uos aũt prudentes per Christum: nos imbecilles, uos aũt ualidi: uos clari, nos contempti. Ad hoc usque tempus esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operantes proprijs manibus: malè audientes, benedicimus: persecutionem patientes, sustinemus: conuicijs affecti, obsecramus: ueluti excrementa mundi facti sumus, omnium reiectamentum ad hunc usq; diem. 2 Corinth. 6. In omnibus cõmendemus nos ipsos, ut Dei ministri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionib. in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in puritate, in scientia, in animi lenitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non simulata, in sermone ueritatis, in potentia Dei, per arma iustitiæ dextra ac sinistra, per gloriam & ignominiam, per contumicia & laudes: quasi impostores, & tamen ueraces: quasi ignoti, & tamen noti: quasi morientes, & ecce uiuimus: quasi correpti, & nõ occisi: quasi dolentes, semper tamen gaudẽtes: quasi pauperes, multos tamen ditantes: ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes.

Iacobi etiam epistola cap. 2, pauperem sordida ueste incedentem, præfert diuiti splendido & impio: dicit etiam, diuites tyrannidem exercere in pios, eosq; ad tribunalia trahere, inquit enim inter cætera: Non ne Deus elegit pauperes huius mũdi, diuites in fide & hæreditate regni, quod promisit his à quibus dilectus fuerit. Iac. 5, in diuites inuehitur grauissimè, propter contemptum Dei, & persequutionem piorum.

Historia etiam comprobat, non multos sapientes et potentes huius seculi doctrinam Euangelij suscepisse, & membra ueræ ecclesiæ factos esse. nam ex Actis apparet, potentiores Hierosolymis, sacerdotes, magistratus templi, Sadducæos, principes, seniores, scribas, Annam pontificem, Caipham, Ioannem, Alexandrum, & quotquot erant de genere pontificio, Herodem, Pontium Pilatum, Act. 4. 5. Synagogicos, Act. 6. non amplexos, sed persequutos esse doctrinam Apostolorum: Actor. 3. 4. 5. 6. 7. idem in alijs accidit locis.

Veruntamen nõ prorsus diuites & sapientes à communione Ecclesiæ excludunt, quasi omnino non pertineant ad Ecclesiam, & non possint esse membra ueræ ecclesiæ: id enim esset facere Deum prosopolepten, & uniuersales illas sententias euertere: Huic testimonium perhibent omnes, Act. 10. Per hũc omnis qui credit iustificatur, Act. 13. Ad salutem omni credenti, Ro. 10, & similes. sed loquuntur de eo quod soleat communiter accidere, ut non multi potentes, non multi nobiles, cœtui ueræ ecclesiæ sint adiuncti. Nam alias concedunt omnino, & sapientes & nobiles & potentes, si Euangelij doctrinam amplectantur, & in fide usq; ad finem perseuerent, membra Ecclesiæ esse. Ioannes alterã epistolam ad Dominã quandam, eiusq; filios scripsit, quã opulentam fuisse, uox Domina innuere uidetur. Paulus 1 Tim. 6. licet dicat, eos qui cupiunt ditescere, scilicet inordinato modo, incidere in tentationem, & laqueũ, & cupiditates multas, stultas & noxias: tamen Timotheo præscribit præcepta, quæ diuitibus in hoc præsenti seculo debeat tradere: quibus nihil opus esset, si diuites nõ possent ueræ Ecclesiæ societate frui.

Exempla etiam hanc sententiam confirmant. nam Lucas Actor. 6 testatur, multam turbam sacerdotum obedijsse fidei. Fit etiam eunuchus præfectus Candaces reginæ Aethiopum, quem præfecerat uniuersæ gazæ suæ, uerum Ecclesiæ membrum: Act. 8. Nec Cornelium tenuis fortunæ hominem, unà cum sua familia, fuisse apparet: Act. 10. Sergius Paulus proconsul etiam adiungitur Ecclesiæ, ad fidem conuersus à Paulo: Actor. 13. Magna Græcorum multitudo, mulieresq; primariæ nõ paucæ, Thessalonicæ Paulo adiunguntur: Actor. 17. & Iason hospes Pauli, ad tribunal abreptus, mulcta sese liberat. Ibidem: Credidit etiam Domino Crispus archisynagogus Corinthi, cum tota domo sua.

Plerunq; etiam rarum exiguumq; cœtum ad ueram Ecclesiam pertinentium esse præ numerosissimo agmine impiorũ, paßim monent Apostoli. Nam Petrus tantum octo animas in arca seruatas esse, perditis alijs inobediẽtibus, 1 epist. 3. ex Sodoma & Gomorrha, Loth cum suis tantùm esse ereptũ, alijs igne ad inferos deiectis, 2 epist. 2 narrat. Ioannes appellatione mundi notat Ecclesiam impiam. 1 Ioan. 3 & 4 & 5. quo etiã raritatem piorũ innuit. Idem Apocal. 7: Audiui numerum signatorũ centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Apoc. 14: Agnus stans super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentiũ nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Etsi aũt hic numerus certus pro incerto ponatur, tamen absq; dubio eo Deus uoluit paucitatem uerorũ Ecclesiæ membrorũ significare. Paul. Ro. 11, Deum sibi ex Iudæis sua septem millia cõseruasse, alijs excæcatis, & nõ esse omniũ fidẽ, 2 Thes. 3 dicit.

Membra ueræ Ecclesiæ ab hypocritica et filijs huius seculi odio haberi, excõmunicari, alijsq; uarijs calamitatum generibus affligi, & miserè fœdeq; trucidari, Apostoli monent, suosq; præmuniũt, ne tam lugubri et fœda Ecclesiæ forma absterreãtur. nam Petrus in sua priori, totus ferè in hoc est, ut doceat afflictos Christianos nõ esse malo argumento, q, ab impijs malis afficiantur. inquit enim 1 epist. 2: At si benè facitis, et tamen malis afficimini, suffertis. Hæc enim est gratia apud Deum. siquidem in hoc uocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis. 1 epist. 4: Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis. item, Iudicium à domo Domini incipit. Idem 2 epist. 2, Sodomitas iustam animã Loth suis iniquis factis excruciasse ait. Ioãnes 1. epi. 3 dicit, Cain Abel occidisse fratrẽ propter iusta eius opera. Item: Ne miremini si uos odit mundus. In Apocalypsi uerò multis figuris pingit, quas miserias uera Ecclesia ab Antichristiana sit perpessura. Apoc. 12 & 13: Datũ est illi, scilicet bestiæ (quæ est Romanũ imperiũ per Papam instauratũ) bellũ facere cum sanctis, et uincere eos. Apo. 17: Hi, scilicet reges Romani imperij, cum agno pugnabũt, & agnus uincet eos, & qui cũ illo sunt uocati, electi & fideles. Apoc. 19: Vidi bestiam & reges terræ, & exercitus eorũ congregatos, ad faciendum prælium cũ illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Et Paulus Gal. 4: Sed quemadmodum tunc, is qui secundũ carnem erat natus, scilicet Ismael, persequebatur eum qui natus erat secundũ spiritum, ita & nunc idem. 1 Thes. 2 dicit, Iudæos persequutos esse Prophetas & Christum, & ecclesias in Iudæa. 2 Tim. 3: Sed et omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Autor epist. ad Ebræ. etiam ueram Ecclesiam à falsa afflictam esse cõmemorat: Ebræ. 10. Sed de hac re plura testimonia suo loco referentur.

Bona plurima, eaq; præclarissima, tum spiritualia, tum corporalia huius & futuræ uitæ Ecclesiam uerã & omnia eius membra habere, Apostoli docent: ut ex locis quæ hactenus sunt tractati, et ijs quos subijciemus constat, præcipua uerò huc adscribere non pigeat.

Habet Ecclesia sincerum Dei uerbum, & genuinum usum sacramentorum. 1 Pet. 1. 2. 4. 2 Pet. 1. 1 Ioan. 1. & 2 Iohan. Rom. 10. 1 Corinth. 2. 2 Cor. 2. 5. Galat. 1, Ephes. 1. 1 Timoth. 3. 2 Timoth. 1.

Habet uerã Dei noticiam. 1 Pet. 1. 2 Pet. 1. 1 Ioan. 2. Cognouistis patrẽ. 1 Ioã. 5: Venit filius Dei, et dedit nobis mentem ut cognoscamus eũ qui uerus est, et simus in uero. 1 Cor. 2. Nos mentem Christi tenemus. Galat. 4. Posteaquàm cognouistis Deũ, imò cogniti estis à Deo.

Dispensatur in Ecclesia per uerbum remißio peccatorum, gratia Dei, Spiritus sanctus. 1 Ioan. 1. 2. 3. 4. Rom. 1. 10. Ephes. 1: Posteaquàm credidistis, obsignati estis Spiritu sancto. Galat. 3 & 4. Actor. 10.

Habet Ecclesia fontem regenerationis baptismum. 1 Pet. 4. Ephes. 5. Rom. 6. Actor. 2.

Habet pulcherrimũ ornatum, nempe iusticiam Domini nostri Iesu Christi per fidem imputatam. Roman. 3. 4. 5. Galat. 2. 3.

Habet impletionem legis à Christo pro se præstitam. Roman. 8. 10. Galat. 4.

Liberata est à damnatione & execratione legis. Gal. 3. 1 Tim. 1: Iustis non est posita lex.

Habet etiam cõmunicationem corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. 1 Cor. 10 & 11.

Ecclesia est templũ Dei & Spiritus sancti in ea inhabitantis, & in singulis membris eius. 1 Cor. 3. 6. 2 Corint. 6. 2 Cor. 7. Gal. 4. Ro. 8. 1 Ioã. 3. 2 Pet. 2. 2 Pet. 1.

Habet ius filiorum Dei, hæreditatem Dei, & coheredes cum Christo. Rom. 8. Gal. 4.

Habet summum Pontificem, & caput suum Dominum nostrum Iesum Christum à dextris Dei sedentem, & omnia in sua potestate habentem, & pro Ecclesia apud Patrem intercedentem. Rom. 8. Ephes. 1, Coloss. 1. 5. 1 Pet. 4. Ebræ. 4. 7. & alijs capitibus.

Potest Deum rectè inuocare, & omnis generis corporalia & spiritualia beneficia impetrare. 1 Ioan. 3. 5. Rom. 10, Deus diues in omnes inuocantes se. 1 Pet. 1.

Non potest auelli à dilectione Dei quæ est in Christo Iesu: Roman. 8.

Habet uictoriam contra peccatũ, mortem et diabolum. 1 Pet. 5. Ro. 6: Peccatũ uobis nõ dominabitur. 1. Cor. 15: Mors ubi est uictoria tua? 1 Ioã. 3. In hoc apparuit filius Dei, ut destrueret opera diaboli. Ebr. 2, Vt per mortẽ destrueret eũ qui habet mortis imperiũ: hoc est, diabolũ. Eph. 6, Vt positis tela mali illius extinguere. Habet gaudium Spiritus sancti & pacem. Roman. 5. 14. Galat. 5.

Habet suum πολίτευμα in cœlis, & inde expectat Christum redeuntem, & Ecclesiam suo gloriosi corpori conformem reddentem. Philip. 3. 2 Thes. 1. 1 Cor. 15. 1 Ioan. 3, Cùm apparuerit, similes ei erimus.

Habet uitam æternam. 1 Ioan. 5.

Corporalia etiam pro necessitate à Deo accipit bona. 1 Ioan. 5. 1 Tim. 4, Deus est seruator omnium hominum, maximè fidelium. 1 Tim. 6, Deus præbet nobis omnia affatim ad fruendum.

Ecclesia etiam habet miracula omnium amplissima: ut Christi curationes, quas uerbo effecit, absque alijs medijs. Actor. 10.

Resurrectionem Christi. Actor. 2. 3. 4. 10. Christi ascensionem ad cœlos: Actor. 1. Ephes. 4.

Sensibilem Spiritus sancti missionem: Act. 2. 8. 10.

Miracula per Apostolos edita: Actor. 3.

Resuscitationes mortuorum: Act. 9 & 20.

Insignes liberationes Apostolorũ ex multis magnis periculis

periculis et malis. Actor.5 Apostoli è carcere per angelum educuntur. Act. 12 Petrus per angelum liberatur. Pauli pericula enumerantur 2 Cor.11 & 12. Idem è faucibus leonis se ereptum dicit, 2 Tim.4.

Illustres conuersiones, qualis est Pauli Actor.9.

Insignia testimonia, qualia sunt quod Actorũ 5, orante Ecclesia mouetur locus, & replentur omnes spiritu sancto. Orante Paulo & Barnaba fit terræmotus, & aperitur carcer: Actor.16.

Visiones. Act.10 Petrus uisionem habuit de uocandis gentibus. Act.16 Vir Macedo rogat Paulum, ut profectus in Macedoniã, succurrat Macedonibus. Act. 18 Paulus nocte per uisionem à Domino cõfirmatur, ut in Corintho constanter colligat Ecclesiam. Act. 23 Dominus Paulum monet, quòd debeat etiam Romæ prædicare Euangeliũ. Act. 27 Angelus Paulo naufragium & nautarum incolumitatem denunciat.

Habet & alia dona Spiritus sancti, de quibus Rom. 12. 1 Cor.12. Ephes.4.

Ecclesiæ uerè eandem potestatem, quã Christus ei dedit, & ipsi Apostoli attribuunt: nempe spiritualem, quæ in uerbo eiusq; uirtute consistit, & non in gladio corporali. 2 Cor.10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed spiritualia, sed potentia Deo, ad demolitionem munitionũ, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem quæ extollitur aduersus cognitionẽ Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem, ad obediendum Christo: & in promptu habemus uindictam, ad uersus omnem inobedientiã, cum impleta fuerit uestra obedientia. Ephes. 6: Accipite gladium Spiritus, qui est uerbum Dei. In eodem loco arma Ecclesiæ spiritualia describit. Et quidem Paulus elegãter monet, Ecclesiæ potestatem in ædificationem, & non in destructionem concessam esse: 2 Cor.10 & 13.

Consistere aũt potestatem Ecclesiæ in his gradibus, Apostoli docent. Primum, in uero usu clauium Christi: hoc est, in potestate annunciandi remissionem peccatorũ in nomine Christi, peccatoribus pœnitentiam agentibus: impœnitentibus uerò denunciandi iudicium Dei, & pœnas æternas. Testimonia de utraq; scilicet soluendi & ligandi claue, & exẽpla suo loco recensuimus. extant aũt Act.5.8.9. 1 Cor.5. 2 Cor.2. 1 Tim.1. 2 Tim.1 & 2. 2 Thes.3. Gal.1. Deinde in iudicando de unaquauis doctrina: præcipiũt enim singulis Christianis, ut de doctrinis quascũq; audiant, iudiciũ faciant: et eã doctrina Christi sincera & patefacta, cõsentientes iubent amplecti, dissentientes uerò damnari & uitari. 2 Pet.3: Vos igitur posteaquã præmoniti estis, cauete, ne simul cum alijs nefariorũ errore abducti, excidatis à propria stabilitate. 1 Ioã.2: Quis est mendax, nisi is qui negat Iesum esse Christũ? Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. 1 Ioan.4: Charissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint, quoniã multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

In Apocalypsi etiã passim describuntur angeli, hoc est doctores, q admonituri sint Ecclesiã, ut fugiat falsa dogmata hæreticorũ et Antichristi. Apo.14.18: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorũ eius, & de plagis eius ne accipiatis. 2 Cor.6: Ne ducatis iugum cũ incredulis. Quod enim cõsortium iusticiæ cum iniquitate? aut quæ cõmunio luci cũ tenebris? aut quæ cõcordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid cõuenit templo Dei cũ simulachris?

Idem obiurgat totam Ecclesiã Galatiæ, quod pseudoapostolorũ falsam doctrinã nõ dijudicarint & uitarint. & Phil.3 inquit: Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionẽ. Col.2: Videte ne quis sit qui uos deprædetur per philosophiã & inanem deceptionem, iuxta constitutionẽ hominũ, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christũ. Et postea: Ne quis uobis palmam interuertat data opera per humilitatem & superstitionem angelorum. 1 Thess. 5: Omnia probate, quod bonum est tenete. 1 Tim.4. Profanas & aniles fabulas reijce. Et postea: O Timothee depositũ serua, deuitans profanas uocum inanitates.

Hanc ob causam ut Ecclesia possit iudicare uerã & falsam doctrinã, Paulus etiam præcipit ut episcopus sit didacticus, aptus ad docendum, & qui possit contradicentes cõuincere. Tit.1 et 3: Hæreticum hominem post unam atq; alteram admonitionem fuge. Autor epist. ad Ebræ.13 etiam monet Ecclesiam, ne uarijs & peregrinis circumferatur doctrinis: quod quid aliud est, quàm Ecclesiæ tribuere iudicium de doctrina cuiusuis? Autor epist. Iac. iubet aberrantes à ueritate in uiam deducere. Iac.5. idem epistola Iudæ facit.

Regulam aũt seu lapidem Lydium, quo probari omnia doctrinarũ genera debeant, docent esse doctrinã Christi. 1 Ioan.2: Vnctio quã uos accepistis ab eo, manet in uobis, &c. & sicut uos docuit, manete in ea. 1 Iohan.4: Per hoc cognoscite spiritũ Dei. Omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo non est: & hic est ille spiritus Antichristi, de quo audistis, quòd uenturus sit, & nũc in mundo est. 2 Ioan: Intuemini uos ipsos, ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenã recipiamus. Omnis q transgreditur, & nõ manet in doctrina Christi, Deũ non habet. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filiũ habet: si quis uenit ad uos, & hanc doctrinã nõ affert, ne recipiatis eũ in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, cõmunicat operibus eius malis. Rom. 16: Considerate eos q dissidia & offendicula gignunt aduersus doctrinã, quam uos didicistis, & declinetis ab illis. Idẽ 1 Tim. 6: Si quis diuersam sequitur doctrinã, & nõ accedit sanis sermonib. Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, &c. ab his q eiusmodi sunt, seiungere. Gal.1. Cæterum etiam si nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangeliũ, præter id qd prædicauimus uobis, anathema sit, quemadmodũ antè diximus, & nunc iterũ dico: si quis uobis prædicauerit aliud Euangeliũ præter id quod accepistis, anathema sit. Idem etiã 2 Tim.3 Scripturã ait prodesse ad doctrinã & redargutionem, ad correctionem & institutionem. & Eph.2, eam ob causam dicit Ecclesiam esse extructam super fundamẽtum Apostolorũ & Prophetarũ: hoc est, Ecclesiã esse custodem scriptorum & doctrinæ Prophetarũ & Apostolorũ, qui Dominum nostrum Iesum Christũ saluatorem mũdi monstrant unanimi cõsensu. Act.10: Huic testimoniũ perhibent omnes Prophetæ, &c. 1 Cor.3: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est IESVS Christus.

Donum etiã intelligendi & interpretandi scriptu-

ram iuxta ἀναλογίαν fidei, docent esse penes uerã Ecclesiã, eiusq; membra, idq; non alligatum esse ad certas personas hominũ, sed à Deo ad ædificationẽ Ecclesiæ, liberè donari sacrã scripturã legentibus, & meditantibus, & à Deo sapientiã & intellectũ petentibus. Nam Petrus 2 epist. 1 iubet attendere prophetico sermoni, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus nostris. Idẽ 1 epist. 4: Vt quisq; accepit donũ, ita alius in alium ministrãtes, &c. si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Et Paulus inter uaria dona prophetiam, hoc est, donum intelligẽdi & exponendi scripturã numerat. Ro. 12. Siue prophetiã iuxta analogiam fidei: hoc est, expositio scripturæ non impingat in articulos fidei. 1 Cor. 12: Diuisiones aũt donorũ sunt, sed idẽ spiritus: & diuisiones ministeriorũ sunt, & idem Dominus: & diuisiones operationũ sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnib. Vnicuiq; uerò datur manifestatio spiritus ad id qd' expedit. nam huic quidẽ per spiritum datur sermo sapiẽtiæ, alij uerò sermo scientiæ secundũ eundem spiritũ, alij uerò fides per eundem spiritum, alij uerò dona sanationũ per eundem spiritum, alij uerò efficacia potentiarũ, alij uerò prophetia, alij uerò discretiones spirituum, alij uerò genera linguarum, alij uerò interpretatio linguarũ: sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, diuidens peculiariter unicuiq; sicuti uult. 1 Corint. 14: Prophetæ uerò duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Porrò si alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat: potestis enim omnes singulatim prophetare, ut omnes discãt, & omnes cõsolationem accipiant. Et postea: Spiritus prophetarũ ipsis prophetis subijciũtur. Proinde fratres ad id enitamini, ut prophetetis, & loqui linguis ne uetueritis. 1 Thess. 5: Spiritũ ne extinguatis, & prophetias ne aspernemini. 2 Tim. 1: Vt suscites donũ quod in te est, per impositionẽ manuum mearũ. 2 Tim. 3: Sacræ literæ te eruditum possunt reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Autor epist. Iac. 1: Si cui deest sapientia, postulet ab eo q̃ dat, nempe à Deo. & postea: Omnis donatio bona, & omne bonũ perfectum, è supernis est, descendens à patre luminum. 1 Ioan. 2: Vos unctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia: nõ scripsi uobis, quasi ignorãtibus ueritatẽ, sed tanquã scientibus eam.

Tertiò, habet Ecclesia in quolibet loco (hoc est, totus cœtus, tum (ut nunc uocamus) laicorum, tum clericorum cõiunctim) potestatẽ eligendi, uocandi & ordinandi ministros idoneos, & deponendi & fugiendi falsos doctores, aut uitæ turpitudine ædificationi Ecclesiæ nocentes. Constant hæc ex testimonijs de potestate clauiũ: nam claues toti Ecclesiæ sunt traditæ. ea uerò si uocat ministros, nihil aliud facit, q̃ ut eis claues cõmendet. Pertinet ergo ea potestas ad totum Ecclesiæ cœtum. Deinde exempla idem cõprobant. Nam Act. 1, non ab Apostolis tantùm, sed à tota Ecclesia, Matthias in locum subrogatur. Act. 5. Septem diaconi non tantùm ab Apostolis, sed etiam à reliqua Ecclesia eliguntur, uocantur, & confirmantur. Act. 13. tota ecclesia Antiochena, Paulum & Barnabam Dei iussu segregat, & emittit ad docendum gentes Euangelium.

Quartò, monent etiã Ecclesiam habere potestatem ordinandi & obseruãdi liberè ceremonias & traditiones humanas, ad ædificationẽ & bonum ordinẽ ac decorum facientes: & econtrà, eas iterum abrogandi, si obsint ædificationi, et ponant laqueũ cõscientijs, & accedat superstitio, aut opinio cultus. 1 Cor. 14: Omnia fiant ad ædificationẽ. & postea, Omnia decenter et secundum ordinem fiant. Idem propter decorũ ordinat, ut mulieres in Ecclesiã uelentur uelatæ. Item, ne in cœtu doceant. 1 Cor. 11. & 1 Tim. 2. Idem 1 Cor. 7: Hoc aũt, ad id quod uobis cõducibile est, dico, nõ ut laqueũ uobis injiciam. Et ibid. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Gal. 4: Quomodo cõuertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruire uultis? Colos. 2: Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum. & postea: Si mortui estis cum Christo ab elemẽtis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis teneminiẽ Ne tetigeris, ne gustaris, neq; contrectaris: quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominum, qui uerbotenus habent speciem sapientiæ.

Sic Paulus monet Corinthios, ut prauam cõsuetudinem usui cœnæ Dominicæ incommodantem abrogent. 1 Corinth. 11. Sic idem circuncisionem negligit, cum uideret falsos fratres eam pro necessaria ad salutem exigere. Galatis 2. Sed de hacre in loco de Libertate Christiana, dicetur prolixius.

Seriò autem Apostoli monent, ut omnes qui cupiunt saluari, sese à falsa Ecclesia seiungant, & cum Ecclesia uera puram doctrinã sonant, coniungant, consensione in doctrina, usu sacramentorum, confessione, & mutuis officijs. Testimonia ad hanc sententiam permutuis officijs. Testimonia ad hanc sententiam pertinentia paulo antè adscripsimus, ex 2 Petri 3. 1 Ioan. 2 & 4. & 2 Ioan. Apocal. 14 & 18 capitib. 2 Cor. 6. Philip. 3. Col. 2. 1 Thes. 5. 1 Tim. 4. Tit. 1 & 3. Ebr. 13. Actor. 20. Attendite uobis & cuncto gregi, &c.

¶ Contraria ueræ Ecclesiæ ab Apostolis recensentur. Hæreses, 1 Corinth. 11. Galat. 5.

Hæretici homines, Tit. 3.

Pseudoprophetæ, 2 Petri 2.

Falsi doctores, sectas pniciosas introducẽtes, 2 Pe. 2.

Pseudoapostoli, operarij dolosi, ministri diaboli: 2 Corinth. 11. Philipp. 3.

Canes, Philipp. 3. Inimici crucis Christi, seruientris: Philippen. 3.

Volentes legis esse doctores, & legem non intelligentes: 1 Timoth. 1.

Aberrantes à fide, ut Hymenæus & Alexander: 1 Tim. 1. Asiani Hermogenes & Phygelus, 2 Tim. 1. Hymenæus & Philetus: 2 Tim. 2. Demas, 2 Tim. 4.

Vaniloqui & mendacium seductores: Tit. 1.

Antichristus, & Antichristi spiritum habentes: 1 Ioan. 2 & 4. & 2 Ioan.

Homo sceleros us, filius perditus, aduersarius, qui effertur aduersus Magistratũ, & Ecclesiã Dei: 2 Thes. 2.

Bestia, imagines bestiæ & characteres: Apoc. 14.

Meretrix Babylonica, cuius sedes est urbs domina mundi: Apocal. 17 & 18. Bestia & reges terræ, & exercitus eorum, & pseudoprophetæ, & qui adorauerunt imaginẽ bestiæ, & acceperunt characteres eius: Apocalyp. 13. 14 & 19.

Gog & Magog, Apocal. 20.

Mundus, 1 Ioan. 5. Principes huius seculi, 1 Cor. 2.

Potentes & sapientes & nobiles & fortes: 1 Cor. 1.

Filij ma-

Filij infidelitatis, Epheſ.2. Coloſ.3. Filij tenebrarum, Epheſ. 5. 1 Theſſal. 5.

Generatio tortuoſa & praua, Philipp.2. Filij diaboli, 1 Ioan.3. Vaſa iræ, Rom. 9. Vaſa in ignominiã, 2 Tim. 2. Homines mente corrupti, reprobi circa fidem, mali & impoſtores, proficientes in peius, errantes, & in errorem ducentes alios: 2 Tim.3. Non ſuſtinentes ſanam doctrinam, & ſibijpſis coaceruantes doctores iuxta cõcupiſcentias ſuas: 2 Tim.4. Polluti & infideles, Deum factis abnegantes: Tit. 1. Illuſores, 2. Pet.3. Deum ignorantes, 1 Corinth.15. Habentes cauteriatas conſcientias, 1 Timoth. 4.

Doctrinæ dæmoniorum, 1 Timoth. 4. Iudaicæ fabulæ, ibid. Profanæ uocum inanitates, & oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ: 1 Timoth.6. Vocum inanitates, 2 Tim. 2. Non ſana doctrina Chriſti, 1 Tim.6. & 2 Timoth. 4. Euangelium deprauatum & adulteratum, Galat.1. 2 Cor.2. 1 Theſ.2. Philoſophia, Col. 2. Elementa mundi & decreta, præcepta & doctrina hominum: Coloſ.2. Galat. 4.

Signa & prodigia mendacia, 2 Theſ.2. Apoc.19. Diabolus, 1 Pet.5. 1 Ioan.3. Apoc.12. 2 Cor.11. Ro. 16. Ebræ.2. Et ſimilia, quæ poſſunt ex prædictis & ſequentibus colligi.

Imago ſeu typus Eccleſiæ ueræ extat Apocal. 12. Forma mulieris parturientis maſculum, & fugientis in deſertum, ibiq; conſeruatæ per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis. Poteſt & Noha in arca ſeruatus cum octo animabus, imago eſſe Eccleſiæ. Item Loth, 2 Pet.2.

Paulus populum Iudaicum, eiusq; hiſtorias figuram rerum Eccleſiæ facit: 1 Corinth. 10. Autor epiſt. ad Ebræ. Hieroſolymam terrenam & templum, imaginem Eccleſiæ facit. Videtur etiam Paulus ad Hieroſolymam & templum alludere, Galat.4. & 1 Corinth. 3 & 6, cum pios templum Dei eſſe monet, & cum Chriſtum facit lapidem angularem & fundamentum: 1 Corinth.3. Epheſ.2. Roman. 9.

Icones etiã à corpore plura membra habẽte & unũ caput ſumuneur: Rom.12. 1 Cor.12. Epheſ. 4. Col. 2.

Poſtremò, in quibus locis Eccleſia tempore Apoſtolorum fuerit, ex Actis Apoſtolorum conſtat.

Vt aũt Apoſtolos unà cũ alijs pijs doctrinam Euangelij, & ſincerũ uſum ſacramentorum amplectentibus, et in fide & confeſſione perſiſtentibus, ueram Dei Eccleſiam hoc tempore fuiſſe, non eſt dubium: ita ecõtrà Pontifices Annam, Caipham, Ioannem, Alexandrum, Seniores, Scribas, Herodem, Pontium Pilatum, Act. 4. & 5. Scholaſticos ex Libertinorũ, Cyrenenſium, Alexandrinorum, Cilicum, Aſianorum collegio, falſos teſtes, ſeniores Stephanũ damnantes & lapidantes, Act. 6 & 7: Simonem magum à fide deficientem: Actor. 8. Herodem Agrippam occidentem Iacobum, Act. 12: Iudæos contradicentes Paulo, & loquentes blaſphemias, & gentes, Paulum & alios Apoſtolos ubicunq; terrarum perſequentes, falſam Eccleſiã fuiſſe, certiſſimũ eſt.

DE FALSA ECCLESIA.

VT antitheſis reddatur magis perſpicua, etiam de falſa Eccleſia doctrinam Apoſtolicam commemorandam ducimus.

Eſſe aũt falſam Eccleſiam patet ex teſtimonijs, quæ ſuprà de duplici, nimirum uera & falſa Eccleſia, & paulo antè de contrarijs ueræ Eccleſiæ adſcripſimus.

Definitionem falſæ Eccleſiæ, quã ſuprà ex doctrina Chriſti compoſuimus, etiam ex Apoſtolorum ſcriptis licet colligere, ut ſequentia comprobabunt.

Nam falſam Eccleſiam à diabolo eſſe, & ab eo per falſam doctrinam & pſeudoprophetas, pſeudoapoſtolos, hæreticos, & Antichriſtum colligi, Apoſtoli etiam docent. Petrus enim 1 epiſt. 5 dicit, Diabolum oberrare et quærere quos deuoret. & 2 epiſt. 2, Pſeudodoctores ſuis ſectis perniciosis collecturos Eccleſiam falſam. Ioannes uerò 1 epiſt. 3, falſam Eccleſiã expreſsè uocat filios diaboli, eamq; per Antichriſtũ eiusq; ſpiritũ colligi monet. 1 epiſt. 2. 4 & 2 Ioan. in Apocalypſi etiam draconem, diabolũ & ſathanam, architectum fore regni Antichriſti, ſeu meretricis Babylonicæ, & ſeducturum gentes: Apoc. 12. 13. 19 & 20. Et Apoc. 18 expreſsè dicit Babylonem, hoc eſt, urbem Romanam & totum Papatum, habitationem dæmoniorum, & cuſtodiam omnis immundi ſpiritus factam eſſe. Paulus etiam diabolum fabricatorem papiſticæ Eccleſiæ facit, 2 Theſſ. 2. Cuius aduentus ſecundum operationem ſatanæ, cum omni potentia & ſignis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniuſticiæ. & 1 Tim. 4, prohibitionem ciborum & nuptiarum appellat doctrinas dæmoniorum. et 2 Cor. 11, Pſeudoapoſtolos uocat diaboli miniſtros, transformantes ſeſe in angelum lucis. Idem de ethnicorum eccleſia dicit 1 Corinth. 10: Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo.

Notæ falſæ Eccleſiæ ſunt, falſa & erronea doctrina de præcipuis fidei articulis, & negare Chriſtum in carne ueniſſe: 1 Ioan. 4. & 2 Ioan. Non manere in doctrina Chriſti: 2 Ioan. Abnegare Dominum, qui ipſos eſt mercatus: 2 Pet. 2. Negare Deum factis: Tit. 1. Docere profanas & aniles et Iudaicas fabulas: Tit. 1. 1 Timoth. 4. Non ſuſtinere ſanam doctrinã, 2 Timoth. 4. Docere aliud Euangelium, quàm Paulus docuit, ſcilicet non ſola fide hominem ſaluari, ſed legis obſeruationem et bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria, ita ut impoſsibile ſit ſine bonis operibus ſaluari, & nemo unquã ſine bonis operibus ſit ſaluatus. Gal. 1. 2. 5. 6. Act. 15. Coloſ. 2. Docere quòd Euangeliũ prohibeat bona opera, & non ea ut fructus & teſtimonia fidei requirat. Ro. 3 & 6. Manebimus in peccatis, ut abundet gratia?

Per philoſophiam et inanem deceptionem & traditiones humanas, deprauare doctrinam Euangelij: Coloſ. 2. Tradere doctrinam dæmoniorum de diſcrimine ciborum, & prohibitione nuptiarum: 1 Timoth. 4.

Negare reſurrectionem mortuorum. 1 Cor. 15. Deprauare doctrinam de reſurrectione, & certum diem præfinire: 2 Theſſal. 2. Aut dicere reſurrectionem iam factam eſſe, ut Hymenæus & Philetus: 2 Timoth. 2. Irridere & negare extremum iudicium: 2 Pet. 3.

Secunda, corruptelæ ſacramentorum à Chriſto inſtitutorum: quales ſunt, non baptiſare in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: aut baptiſmum per traditiones humanas & ſuperſtitioſas deformare, eiusq; uirtutem extenuare. Item, baptiſare campanas, altaria, & id genus alia, cũ inſtitutione Chriſti & Apoſtolorum obſeruatione pugnantia. Cœnam ſeu teſtamentũ Domini non ita uſurpare, ſicut Chriſtus inſtituit, & Apoſtoli

stoli obseruarũt. 1 Corint. 11. Quales sunt corruptelæ cœnæ Dominicæ: altera parte, scilicet calice, defraudare laicos: panem includere, & circumferre & adorare, offerre cœnam pro uiuis et mortuis, ita ut his mereatur liberationem ex purgatorio, illis uerò remissionem peccatorum, fœlicitatem in negociatione, itineratione, uenatione & alijs actionibus.

Tertia, Abusus clauium: qualis est, soluere impœnitentes, & excõmunicare pœnitentiam agentes & uerè credentes. 2 Pet. 2. Inescant homines per cõcupiscentiam carnis, uoluptatibus, eos qui uerè aufugerant, eos qui in errore conuersantur, dum illis libertatem pollicentur, cùm ipsi sint serui corruptionis. Ioannes Apo. 13 ostendit Antichristum eos omnes excommunicaturum, qui cum ipso non senserint.

Quarta, Prohibitio ciborũ, et matrimonij: 1 Tim. 4.

Quinta, Magistratus politici à Deo ordinati contemptus. 2 Pet. 2: Dominationes contemnunt. 2 Thessalon. 2: Effertur super omnem qui dicitur Deus: hoc est, super magistratum, ij enim dij uocantur. Psal. 8: Dixi, dij estis. & Ioannis 10.

Sexta, Idololatria. 1 Corinth. 10: Gentes immolant dæmonijs, & non Deo. Rom. 1: Venerati sunt creaturam super eum qui condidit. Ioannes in Apocalypsi, 13. & 14 capitib. docet, Antichristi ecclesiam adoraturam bestiam, & eius imaginem.

Septima, Odisse & persequi ueram ecclesiã propter cõfessionem. Testimonia suprà adscripsimus ex Petro: quibus hoc addi potest, 1 Pet. 4. Atq; id illis absurdum uidetur, quòd non accurratis unà cum ipsis in eandem luxus refusionem, qui de uobis malè loquuntur. 1 Ioan. 3. Apo. 12. 13. 17. 19. Gal. 4. 1 Thess. 2. 2 Tim. 1. Ebr. 10.

Octaua, Sodomiticæ libidines, & omnis generis scelera, qualia describuntur 2 Petri 2. Roman. 1. 2 Tim. 3. & alibi passim.

Nona, externa species quæ magnificentior & splendidior est propter locum, personas, potentiam, autoritatem, eruditionem, uitæ sanctimoniã, & multitudinẽ. Nam pontifices & seniores populi Hierosolymis habent templum: Act. 3. Pseudoapostoli habent magnam speciem, quia ueniunt ab Hierosolymis, audiuerunt Petrum & alios Domini fratres: Actor. 15. Falsa ecclesia Hierosolymis habet potentiam incarcerandi & castigandi Apostolos, & lapidandi Stephanum: Act. 3. 4. 5. 7. Herodes fauet Iudæis, & in eorum gratiam occidit Iacobũ: Act. 12. Pseudoapostoli in angelos lucis transformati ueniunt: 2 Corint. 11. Incedũt per humilitatem & superstitionem angelorum, habent speciem sapientiæ, per superstitionem ac humilitatem animi, & læsionem corporis: Col. 2. Sunt nobiles, potentes, sapientes, disputatores: 1 Cor. 1. Sunt philosophi: Coloss. 2. Sunt præceptores, abducentes post se discipulos: Actor. 20. Deum se scire profitentur, cum tamen factis cũ negent: Tit. 1. Volunt esse legis doctores: 1 Tim. 1. Sunt secundum legem quasi irreprehensibiles: Philip. 3. Quærunt iusticiam ex lege: Rom. 9. Gloriantur quòd sint Ebræi & Israelitæ & semen Abrahæ, ministri Christi: 2 Corinth. 11. Habent suæ factioni addictos patronos, reges & principes terræ: Apocal. 18 & 19.

Decima, blasphemiæ aduersus Deũ eiusq; uerbum. Act. 13: Videntes aũt turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, contradicentes & loquentes blasphemias. Act. 18: Contradicentibus aũt eis, ac blasphema loquentibus, excussis uestimentis dixit ad eos, &c. Act. 19: Cùm aũt quidã indurarentur, nec crederent, malè loquentes de uia Domini corã multitudine, digressus ab illis segregauit discipulos, quotidie disputans in schola cuiusdam Tyrãni. Act. 28. Etiam Romani Iudæi inquiunt, De secta ista notum est nobis, quòd ubiq; ei contradicatur.

Monent etiã Apostoli, Deũ falsam ecclesiam eiusq; membra, corporalibus & æternis pœnis affecturũ. De corporalib. pœnis Iudaicæ genti, Paulus 1 Thes. 2 inquit: Peruenit aũt in illos ira in finem. & in genere de pœnis, inquit Col. 3. Ephes. 5. Propter hæc uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Petrus 2 epist. 2 proponit uetera exempla pœnarũ, scilicet diluuij & inflammatæ Sodomæ & Gomorrhæ. Et Paulus 1 Cor. 10 exempla pœnarũ populi Iudaici in deserto recitat. De pœnis spiritualibus, ut de abiectione & induratione populi Iudaici, Paulus Ro. 9. 10 & 11 loquitur. Et quidem Gentibus etiam cõminationem grauissimã proponit. nam si Deus naturalibus ramis nõ pepercit, uide ne qua fiat, ut ne tibi parcat. Ecce igitur bonitatẽ et seueritatem Dei, in eos quidẽ qui ceciderũt seueritatem: in te uerò bonitatem, si permãseris in bonitate. Quoniã & tu excideris: & illi rursus, si non permanserint in incredulitate, inserẽtur. Idẽ 2 Thes. 2. Pro eo q dilectionẽ ueritatis nõ receperunt, in hoc ut salui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciã illusionis, ut credãt mendacio, & iudicentur omnes qui nõ crediderũt ueritati, sed approbauerũt iniusticiã. De pœnis æternis. 2 Petri 2: Quibus iudiciũ iam olim nõ tardat, & perditio illorum nõ dormitat. Apoc. 19: Viui conjecti sunt hi duo in stagnũ ignis ardens sulphure. Apoc. 21: Timidis aũt & incredulis, & execratis, & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno igne ardenti & sulphure. Apoc. 22: Foris canes & uenefici & impudici & homicidæ, et idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendaciũ. 2 Thes. 1: Iustum est apud Deum, reddere his qui affligunt uos, afflictionem, & uobis q affligimini relaxationem nobiscũ, cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiæ suæ cũ incendio flammæ, qui inferent ultionem his qui nõ nouerũt Deum, & qui non obediunt Euãgelio Domini nostri Iesu Christi: qui pœnam luent, interitũ æternum, à facie Domini, à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis. Phil. 3: Quorũ finis perditio est. Plura testimonia suprà in loco de Pœnis malorum operum allegauimus.

DE REGNO CHRISTI.

Regnum interdum significat politicã & ciuilem hominum consociationem, quæ à rege gubernatur certis legibus, & defenditur armis. Ebræ. 11: Per fidem expugnauerunt regna.

Interdum regnũ dicitur de gubernatione Dei, quam exercet colligendo & conseruando Ecclesiam in hac uita. Coloss. 1: Transtulit nos in regnum filij Dei. 1 Corinth. 15: Cum tradiderit regnum patri suo.

Interdum significat uitam æternam. 2 Pet. 1: Ministrabitur uobis introitus in æternum regnum. 1 Cor. 15: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.

Regnum

Regnũ igitur Dei, & filij Dei, quod in hac uita habet, nihil aliud est quàm Ecclesia. Quare ea quæ de Ecclesia dicta sunt, etiam ad regnum Christi pertinent.

Quia uerò in hac uoce quædam de Ecclesia declarantur, ideò ea censuimus hîc commemoranda.

Quòd aũt Deus & Dominus noster Iesus Christus habeat regnum in terris, usq; ad finem mundi, patet ex testimonijs Actor. 8: Cum credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei. Coloß. 1, Transtulit nos in regnum filij Dei. Apoc. 19 Christus dicitur Rex regum & Dominus dominantium. 1 Tim. 1 Deus appellatur Rex seculorum & immortalis. 1 Tim. 6 dicitur Rex regum, Dominus dominantium.

Regnum aũt Christi non esse mundanam aliquam dominationem, sed spiritualem collectionem, gubernationem & conseruationem Ecclesiæ, Apostoli docent. Paulus enim Rom. 14, Non est enim regnum Dei cibus & potus, sed iusticia & pax & gaudium in Spiritu sancto. 1 Corinth. 4, Non enim in sermone regnum Dei est, sed in uirtute. 2 Corinth. 10, Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia.

Cognationem quandã habent cum regno politico, sed tamen nõ per omnia similem. Regna enim politica habẽt regem aliquem hominẽ mortalem, in regia domo habitantem, & certum numerũ hominum subditorum gubernantem. At hoc regnum habet regem filiũ Dei. Coloß. 1, Regem omnium regum. Apoc. 19, Regem immortalem. 1 Tim. 1, Sedentem ad dexterã Dei. Ro. 8, Habentem suis pedibus subiectos angelos & potestates ac uirtutes. 1 Pet. 3. Eph. 1, Sedere fecit ad dexterã suam in cœlestibus, super omnem principatũ ac potestatem, & uirtutem, & dominiũ, & omne nomen quod nominatur, non solùm in seculo hoc, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius. Philip. 2: Extulit illum in summã sublimitatem, ac donauit illi nomen supra omne nomen, ut in nomine IESV omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium & infernorum.

Subditi & ciues huius regni sunt credentes in Christum Iesum. Coloß. 1. Iiq; etiam omnes sunt reges, sacerdotes offerentes Deo hostias acceptabiles per Iesum Christum: 1 Pet. 2. Apoc. 1 & 5. Rom. 12.

Secundò, regna politica habent suas leges, statuta, cõsuetudines: sunt etiam constituti iudices, qui pronunciant de controuersijs. Sic regnũ Christi habet uerbum Dei, scripta prophetica & Apostolorũ, in quibus norma iusticiæ Dei de singulis rebus est expressa. 2 Pet. 1. Eph. 2. Rom. 15. Habet etiam administratores iusticiæ, nempe ministros Euangelij, quibus est potestas clauũ commissa, pœnitentiam agentibus, & in Christum credentibus, annunciandi remissionem peccatorũ, in eius nomine: impœnitentibus uerò denunciandi iram Dei & condemnationem: 1 Corinth. 5. 1 Tim. 5. 2 Cor. 10.

Tertiò, regna politica habent suã quandam potentiam, sua arma & apparatus ad puniendũ contumaces, ad reprimendũ & expugnandum hostes, & defendendum & liberandũ subditos. Regnũ uerò Christi habet arma spiritualia, 2 Cor. 10. nempe uniuersam armaturam Dei, qua resistit in die malo, & excipit ignita tela diaboli, & uincit peccatũ, diabolum, mortem & infernum. Pertinent aũt hæc ad armaturã spiritualẽ: Baltheus ueritatis quo cingũtur lumbi, thorax iusticiæ, calceati pedes, scutũ fidei, galea salutaris, gladius spiritus, qui est uerbũ Dei: oratio. Eph. 6, Thorax fidei et charitatis, pro galea spes salutis. 1 Thes. 5: Sermo Dei uiuus & efficax, & penetrantior quouis gladio utrinq; incidente, ac pertingens usq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagumq; & medullarũ, & discretor cogitationũ & intentionum cordis. Ebr. 4. Petrus etiã fide diabolo resistendum monet. Et Ioãnes 1 epist. 5 fidem ait uincere mundũ. Hæc uerò arma sunt efficacia propter uirtutem Dei, quã per illa exercet. Ro. 1, Euangeliũ est uirtus Dei ad salutem omni credenti.

In regno politico rex habet suos cõsiliarios & legatos, satellites, imperatores, duces, milites: per quos gubernat, defendit & ampliat suum regnum. sed Christus à cõsilijs habet Deum patrem & spiritũ sanctum: & quanquã ipsi ubiq; præsto sint, & suo nutu ac potentia omnia gerant, Col. 3, Omnia in omnib. Christus. Eph. 5, Ipse dat salutem corpori. Eph. 3: Omnia in omnibus adimplet. 1 Cor. 3. 6. 2 Cor. 6: Vos estis templũ spiritus sancti in uobis habitantis. item, Ero in medio illorum, &c. Act. 17: In ipso uiuimus, mouemur & sumus: Tamen etiã ad propagationem & defensionem sui regni, hoc est Ecclesiæ & piorum, utuntur ministerio angelorũ, Ebr. 1. Et hominum & prophetarum, Act. 10. Et Apostolorum, pastorum, euangelistarum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, Eph. 4. Et 1 Corinth. 3 apertè Paulus dicit, Dei συνεργοὶ cooperarij sumus. & 1. Corinth. 4, Sic existimet nos homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorũ Dei. Et magistratuum, Roman. 13. Minister enim Dei est, ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit. & 1 Pet. 2: Ad uindictam nocentium, & laudem rectè agentium.

In regno politico subditi conferunt census, uectigalia, tributa, & alias impensas, unde rex alitur, & sumptus pro gubernatione regni facit: at in regno Christi diuersum accidit. Rex enim ipse subditis suis donat spiritualia & corporalia bona, unde ipsi ditescant, & in æternum uiuant. Ephes. 4: Dedit dona hominibus. & Rom. 6: Donum aũt Dei uita æterna per Christum Iesum. Rom. 8: Quomodo non omnia nobis cum illo donarit? 2 Corint. 8: Nostis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, quòd propter uos pauper factus sit, cum esset diues, ut uos illius paupertate ditescceretis. Col. 2, In quo omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi sunt. 1 Timoth. 6: Qui præbet nobis affatim omnia ad fruendum. Actor. 17: Cœli & terræ est Dominus, & dat uitam omnibus, & halitum per omnia.

Habet etiã cognationem regnum Christi in hac uita, cũ regno æterno. Nam sicut nũc imputatione & inchoatione, ita tunc pfectione & possessione, erimus ciues regni æterni. 1 Ioã. 3: Iam filij Dei sumus, sed nondum apparuit: scimus aũt q, cum apparuerit, similes ei erimus. 1 Cor. 13: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: ast ubi uenerit quod perfectũ est, tunc quod ex parte est, abolebitur, &c. Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc aũt facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc uerò cognoscam, quemadmodũ et cognitus sum. De regno æterno Paul. 1 Cor. 15 inquit: Cum tradiderit regnũ Deo & patri, cum aboleuerit omnem principatũ & omnem potestatem ac

tem ac uirtutem. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Nouissimus hostis aboletur mors: nam omnia subiecit sub pedes illius. Atqui cùm dicat, quòd omnia subiecta sint, palàm est, excipiendũ eum qui subiecit illi omnia. Quum aũt subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei qui subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

Regno Christi contrarium esse regnum Diaboli & opera eius, Apostoli docent. nam Petrus 1 epist. 5 ostendit, diabolum insidiari omnibus pijs. Et Ioannes 1 epist. 3 ait: Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Paulus etiam Satanam conculcatum iri sub pedes piorum optat: Ro. 16, Idem diabolũ appellat mũdi principem, cui potestas sit aeris, & qui agat in filijs infidelitatis. Eph. 2, Diabolos etiã dominos mundi nominat, & rectores tenebrarũ huius seculi, & spirituales astutias, & uarijs assultibus ac ignitis telis regnum Christi oppugnare docet, Ephes. 6. Dicitur etiam Deus huius seculi, qui excæcarit mentes & oculos infideliũ, ut non cernant Euangelij lucem: 2 Cor. 4. Et qui teneat homines captiuos: 2 Timoth. 2. Meminit & Paulus potestatis tenebrarum Coloss. 1. Pertinent autem ad regnum diaboli, peccatũ, lex, mors, infernus: Ebr. 2. & 1 Cor. 15.

Oppugnant etiã regnum Christi, duorum Antichristorum regna. quorum alterum est extra Ecclesiam, nempe Gog & Magog: hoc est, regnum Turcicum seu Mahometanum, Apoc. 20. Alterum intra Ecclesiam, nempe regnum bestiæ gestantis meretricem Babylonicam: hoc est, imperium Romanum, uenerans Papam, eiq; patrocinium præstans ad opprimendam Euangelij lucem, & ecclesiam Dei: Apocal. 13. 17. 19.

Si regna politica rectè administrãtur, & manent intra suas metas, diuersa quidẽ sunt à regno Christi: sed tamen nõ contraria. Debent enim magistratus Ecclesiæ seu regno Christi seruire. Ro. 13. & 1 Pet. 2. et Christiani econtrà iubentur politicis dominis debitam præstare obedientiã, in ijs quæ nõ sunt contra Deum. Ro. 13. & 1 Pet. 2. Tit. 2. Hinc orta est regula, Euangelium non tollit politica, & econtrà politiæ non debent tollere Euangeliũ: hoc est, impedire uerum Dei cultum.

Sed politici domini à diabolo & falsa Ecclesia inflammati, plerunq; sese regno Christi opponũt, idq; conantur delere, ut patet ab exẽplis Herodis, Pontij Pilati, et senatus Hierosolymitani Act. 3. 4. 5. 6. 7. Neronis. 2 Tim. 4. & aliorum impiorũ magistratuum, qui hoc seculo persequuti sunt Ecclesiam, de quibus dicitur suo loco. Verum illi sua potentia & persequutione nõ modò nõ extinguunt regnũ Dei, sed etiã id promouẽt. Licet enim aliquot membra de regno Christi interficiãt, tamen à Christo subinde alij excitantur. Rectè igitur Gamaliel inquit Act. 5: Si est ex hominib. consiliũ aut opus hoc, dissoluetur: sin ex Deo est, nõ potestis dissoluere. Docẽt idem exẽpla. Etsi enim senatus Hierosolymitanus interdicto primùm, & postea incarceratione, uirgis, lapidatione Stephani, conatur regnum Christi, hoc est collectionẽ Ecclesiæ Hierosolymis prohibere: tamen ea ipsa re nõ diminuitur, sed in medio inimicorum crescit & ampliatur: estq; sanguis Stephani seminariũ, ex quo enascitur Paulus, & occasio, ut à dispersis fratribus passim plures plantentur ecclesiæ, nõ ex Iudæis tantùm, sed etiam ex gentibus. Et Paulus Philip. 1 eleganter de suæ captiuitatis fructu inquit: Scire autem uos uolo fratres, q. quæ mihi acciderũt, magis ad prouectum Euãgelij euenerint, ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo, toto prætorio, ac cæteris omnib.

Pugnat etiam cum doctrina de regno Christi, opinio quòd sit futurum regnum mundanum: qualem habent Apostoli. Act. 1, cum interrogant, num Christus hoc tempore uelit instaurare regnum Israel.

De ministerio Euangelico, docendi & administrandi sacramenta.

Esse ministerium aliquod Euangelium prædicãdi & sacramenta administrandi, Apostolorum historia cõfirmat: maximè uerò miraculosa Spiritus sancti in die Pentecostes super Apostolos effusio, per quẽ cœperunt publicè doctrinam Euangelij non Hierosolymis tantum, sed in omnibus orbis terrarum partibus promulgare: unde Paul. Col. 1 asserit, Euangeliũ prædicatũ esse apud uniuersam creaturã quæ sub cœlo est.

Esse aũt ministerium Euãgelicum seu ecclesiasticũ in uocatione legitima, officium docendi articulos reuelatos & traditos à Deo, certo uerbo, & in primis doctrinam de pœnitentia & remissione peccatorum gratuita per solam fidem in Christum, & administrãdi sacramenta, & usurpandi claues iuxta institutionem diuinam, ad ædificationem, & non ad destructionem Ecclesiæ, Apostoli docent, ut ex sequentibus patebit.

Appellationes huius officij hæ ferè occurrũt in scriptis Apostolorum.

Prædicatio euangelij, 1 Pet. 1. Rom. 15. 1 Cor. 15.

Traditio sancti præcepti, 2 Pet. 2.

Testimonium, quòd pater miserit filiũ seruatorem mundi: 1 Ioannis 4.

Tradere doctrinam Christi, epist. 2 Ioannis.

Sermo Dei & testimonium Iesu Christi, Apoc. 1.

Ministerium. Rom. 11: Illustre ministerium meum. 2 Corint. 4: Cùm ministerium hoc habeamus. 2 Cor. 6: Ne reprehendatur ministerium nostrum.

Ministerium noui Testamenti, 2 Cor. 3.

Ministerium reconciliationis, 2 Cor. 6.

Administratio euangelij Dei, Rom. 15.

Dispensatio mysteriorum Dei, 1 Cor. 4.

Potestas in ædificationem data, 2 Cor. 10 & 13.

Fungi legatione pro Christo, 2 Corinth. 5.

Duplex aũt esse ministerium, aliud Apostolicum, aliud commune, etiam ex Apostolorum scriptis apparet, maximè uerò ex illis testimonijs quæ de duplici uocatione, immediata scilicet & mediata, loquuntur. Gal. 1, Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per IESVM Christum ac Deum patrem, & postea: Non ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

Vtrunque in genere esse à Deo, Apostoli affirmant: nam Actor. 4, Petrus & Ioannes in concilio seniorum interrogati, qua uirtute, aut quo nomine docerent publicè, & ederẽt miracula, satis apertè docent, suam uocationẽ à Deo esse. inquiunt enim, an iustum sit in conspectu Dei, potius uos audire, quàm Deum, iudicate. Non possumus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Idem totus Apostolorũ cœtus dicit Act. 5, cum Senatus cõmuni decreto ijs iterum interdicit, ne docerent in nomine Christi; Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.

nibus. Et Petrus Act.10 ait: Præcepit nobis, ut prædicemus populo, & testificaremur, q; ipse sit ille qui à Deo erat cõstitutus iudex uiuorũ & mortuorũ. Huc etiã exempla pertinent, quæ paulo pòst de immediata uocatione subijciemus. Et Paulus etiã eos qui mediatè per homines uocati sunt Corinthi, episcopos appellat, à Spiritu sancto in gregem Christi collocatos, ad regendum ecclesiã Dei. Actor.20. Idem 1 Corinth.12 inquit, Diuisiones ministeriorum sunt, & idem Dominus. & postea monet, Deũ ipsum posuisse in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde prophetas, tertiò doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum. & Ephes.4, Christum exaltatum ad dexteram Dei, ait, dedisse alios quidem Apostolos, alios uerò prophetas, alios autem euangelistas, alios pastores, ac doctores, ad instaurationem sanctorum in opus administrationis. Est igitur Deus & Dominus noster Iesus Christus, & Spiritus sanctus, autor ministerij, & adhuc dat salutares doctores, & ministerium uerbi ad finem usq; mundi conseruabit.

Differre aũt Apostolicã functionem à cõmuni, hac in parte ostenditur, q; Apostoli immediatè à Iesu Christo, siue ante ascensionem, siue pòst uocati sunt, manifestissimis indicijs. Cæteri uerò mediatè per Ecclesiã, & Apostolos & alios doctores, nihilominus tamen à Deo excitantur & uocantur. Ante ascensionẽ à Christo uocati sunt immediatè duodecim Apostoli, ut dictũ est suprà, quorũ nomina etiam Act. 1 referuntur: post ascensionem in locum Iudæ, facta Ecclesiæ precatione, & Christo suã uoluntatem per sortem declarante, Matthias coaptatus est ad numerũ undecim Apostolorum: Act.1. Saulus etiã immediatè à Christo sedente ad dexteram Dei uocatur: Actor.9. Et quidem ipse de sua illa uocatione passim gloriatur. Actor. 22 & 26 inter alia hæc commemorat. At ille, scilicet Christus, dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris: sed exurge, & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituã te ministrum & testem, & eorum quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo et gentibus, in quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate sathanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorũ, & sortem inter eos qui sanctificati sunt, per fidem quæ est in me. Idem Ro. 1: Per Christum accepimus gratiã ac muneris Apostolici functionem. 1 Cor. 15: Postremò omniũ uelut abortiuo uisus est mihi: ego enim sum minimus Apostolorũ, qui nõ sum idoneus ut dicar Apostolus, propterea quòd persequutus sim ecclesiam Dei. 2. Cor.12. Gal.1. Ephes.3. 1 Tim.1. Cæteros uerò mediatè per Ecclesiã & Apostolos uocari, res ipsa & exempla docent. Nam septem diaconi Act.6, ab Ecclesia & Apostolis uocantur, & confirmantur: & Paulus ac Barnabas suffragijs creasse per singulas Ecclesias presbyteros dicuntur, Act.14. Et Paulus Timotheum, cui Lystrenses reddebãt bonum testimoniũ, assumit. Act. 16. Timotheum etiã alios uocasse & ordinasse, patet ex 1. Tim. 2 & 5. Et quidem Paulus Timotheo præcipit, ut sanam doctrinam cõmendet hominibus, qui sint idonei ut alios quoq; doceant. 2 Tim.2. Titum etiam reliquit in Creta, ut oppidatim presbyteros cõstitueret. 1 Tit.1.

Deinde hac in re differunt Apostolica uocatio & communis, quod Apostolica habet potestatem in omni loco docendi. Act.1: Eritis mihi testes nõ solùm Hierosolymis, uerùm etiam in uniuersa Iudæa Samariáq;, deniq; usq; ad extrema terræ. Hanc sententiã comprobãt historiæ Apostolorum, quorum nullus ferè otiosus in uno aliquo desedit loco, sed ad plura cõmeantes, passim plantarunt ecclesias. Paulus de se dicit, quòd debitor sit Græcis simul ac Barbaris, eruditis pariter ac ineruditis: Ro.1. Vocat etiã se doctorem gentium, 2 Tim.1. & dicit se anniti, ut prædicet Euangelium, ubi antea Christus non sit nominatus, ne super alienum fundamentum ædificare uideatur, Ro.15 ubi etiã gloriatur, se ab Hierosolymis usq; ad Illyricum Euangelio Christi impleuisse pleraq; loca, ita ut in illis regionib. nullum amplius habeat locũ, & cupiat Romam & inde in Hispaniam abire. Idem 2 Cor.10 ait se ad Corinthios quoque peruenisse in euangelio Christi, & cupere ijs quoq; regionibus quæ ultra Corinthum sint, euangelisare. & 1 Cor. 4 dicit se ubiq; in omni Ecclesia docere.

Communis uerò uocatio est, in uno aliquo certò loco præesse & inserure Ecclesiæ. patent hæc etiam exemplis. Actor. 14, crearũt suffragijs presbyteros per singulas ecclesias. Tit. 1: Vt constitueres oppidatim presbyteros. & 1 Pet. 5: Presbyteros qui inter uos sunt hortor. Nec tamen extant usquam præcepta, quibus prohibeant Apostoli mutare locum ob causas magnas & graues, nempe si ecclesiæ persequantur suos doctores: aut si ab alia, ubi quis uberiorem possit facere fructum, legitimè uocetur.

Tertòi, etiã hoc peculiare aliquo modo uidetur habuisse Apostolica functio præ communi, quòd ornata fuerit dono miraculorum: quod etiam ab exemplis deducitur. Apostoli enim edunt miracula, ut testatur eorum historia Actor. 3 & 5: Per manus Apostolorum edebantur signa ac prodigia multa in populo. Sed tamen non desunt exempla, ubi etiam alij, in prima Ecclesia, licet per homines mediatè uocati, claruerint dono miraculorũ. Nam de Stephano Act. 6 dicitur: Porrò Stephanus plenus gratia & fortitudine, edebat prodigia & signa magna in populo. Veruntamen postea, cùm doctrina Euangelij confirmata est, donũ miraculorum non subitò quidem, sed paulatim euanescere cœpit, ut historia sequentium seculorum testatur.

Quales uerò personæ publico docendi Euãgelium ministerio ab ascẽsione Domini nostri Iesu Christi usq; ad Traianum functi sint, patet ex Actis & epistolis Apostolorum: nempe quòd fuerint Apostoli: Petrus, Iacobus, Ioannes, Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Iacobus Alphæi, Simon Zelotes, & Iudas Iacobi frater, Mathias, Paulus: & Apostolorum collegæ, quales sunt Barnabas, Silas, Ioannes Marcus, Philippus euangelista, Titus, Timotheus, Apollo, Epaphras, & alij innumerabiles, quorum passim fit mentio in epistolis Pauli.

Quibus etiã ritibus sint ad ministeriũ Euãgelij ordinati, nusquã prolixè describitur, ut indicetur libertatẽ in ritibus Ecclesiã habere. Act.6: in ordinatione diaconorũ fit electio primùm ab Ecclesia, & postea electi statuũntur in cõspectu Apostolorũ, q; facta oratione, eis imponũt manus. Act. 13: Antiochena ecclesia ieiunat, orat, & imponit Paulo & Barnabæ manus, & ablegat eos. Im-

eos. Impositionis manuũ fit mentio 1 Tim. 5. et 2 Tim. 1.

Occurrunt aũt uariæ appellationes, quibus personæ illæ quæ publico ministerio fungũtur, notantur, quales sunt: Apostolus, quæ crebra uox est in Actis et epistolis Pauli, & 1 Pet. 1. & 2 Pet. 1 et 3. Iudas. Presbyter seu senior, Actor. 14. 15. 20. 1 Pet. 5. 2 Ioan. & 3 Ioan. Tit. 1. 1 Tim. 5. Episcopus, Actor. 20. Philip. 1. 1 Tim. 3. Tit. 1, ubi Episcopus & presbyter pro eodem accipiuntur. Prophetæ, Ephes. 4 & 1 Cor. 4. Act. 13. Euãgelistæ, Ephes. 4. Act. 21. 2 Tim. 4. Pastores, Eph. 4. 1 Pet. 5. Doctores, Eph. 4. 2 Tim. 1. Act. 13. Præcones, 2 Tim. 1. Præpositi, Ebr. 13. Diaconus, Act. 6. 1 Tim. 3. Seruus Iesu Christi, 2 Pet. 1. Apoc. 1. Ro. 1. Philip. 1. Tit. 1. Iac. 1. Iudas. Testes afflictionum Christi, 1 Pet. 5. 1 Ioan. 1. & 4. & Act. 10. Et nos testes sumus. Patres, 1 Cor. 4. Pædagogi, 1 Cor. 4. κατηχοῦντες, Gal. 6. Ministri per quos alij credunt, 1 Cor. 3. Dei cooperarij, 1 Corint. 3. Dispensatores mysteriorum Dei, 1 Cor. 4. Ministri noui Testamẽti, 2 Cor. 3. Angeli, Apo. 2 et 3, et passim.

Res autem huius ministerij, docent esse doctrinam à Deo patefactam, de omnib. capitibus religionis Christianæ, & administrationem legitimam sacramentorũ & clauium. Ad hæc duo omnes illi ministri, siue Apostoli, siue Apostolorum discipuli, siue alij ab Ecclesijs legitimè uocati, obligati sunt. Constant hæc ex doctrina de officijs ministrorum Ecclesiæ, quæ suprà in Decalogi præcepto tertio exposuimus.

Compendia uerò seu summas harũ rerum, huc annotanda duximus. 1 Pet. 1. Pascite quantũ in uobis est gregem Christi, curã illius agentes, nõ coactè, sed uolentes. nõ aũt aliter potest grex Christi pasci, q̃ uera doctrina, & legitima sacramentorũ & clauiũ administratione. Idẽ 2 Pet. 1 dicit, se & cæteros Apostolos nõ arte compositas fabulas, secutos Domini nostri Iesu Christi uirtutem & aduentum, patefecisse, sed suis oculis aspexisse illius maiestatẽ, & audiuisse in monte uocem, Hic est filius meus dilectus. Ioãnes etiã inquit: Quod uidimus & audiuimus, annũciamus uobis. 1 Ioã. 1. Idem: Et nos uidimus et testamur, q̃ pater misit filiũ seruatorem mũdi: 1 Ioã. 4. Idem spiritũ Antichristi & erroris eos habere ostẽdit, qui nõ doctrinã Christi tradãt. 1 Ioã. 2. 4 & 2 Ioan. Paulus passim Timotheo tradit præcepta, quomodo debeat ministerio Euãgelij rectè fungi. 1 Timoth. 1, post quã dixit Iesum Christũ uenisse in mundũ, peccatores saluare, subijcit: Hoc præceptũ, id est, hanc doctrinam Euangelij cõmendo tibi fili Timothee. & 1. Tim. 4: Attẽde lectioni, exhortationi & doctrinæ, etc. attende tibi ipsi & doctrinæ. 1 Tim. 5: Eos qui peccãt obiurga corã omnibus, ut et cæteri timorẽ habeãt. Hæc de usu clauiũ dicta sunt. 1 Tim. 6: Præcipio tibi in conspectu Dei, q̃ uiuificat omnia, & Iesu Christi, qui testatam fecit sub Pontio Pilato bonã professionem, ut serues præceptũ, immaculatus, irreprehẽsibilis. 2 Tim. 1. iubet eũ seruare egregiũ depositum per Spiritũ sanctũ: quod quid aliud est, q̃ Timotheũ obligare ad doctrinã Apostolicam? 2 Tim. 4: Obtestor igitur ego corã Deo et Domino Iesu Christo, q̃ iudicaturus est uiuos et mortuos in apparitione sua, & in regno suo: prædica sermonẽ, insta tempestiuè intempestiuè, argue, increpa, exhortare cũ omni lenitate et doctrina. Huc etiã exempla pertinẽt. nam Apostoli, eorũq̃; sani discipuli, in suo ministerio id sedulò egerũt, ut doctrinã sanã traderẽt, & falsam refutarẽt, & prædicarent pœnitentiã & remissionem peccatorũ, administrarent sacramẽta secundum institutionẽ Christi, & claues. Petrus enim & cæteri Apostoli Act. 2 cõcionantur pœnitentiã & remissionem peccatorũ, & baptisant credẽtes, & perseverãt in fractione panis. & Actor. 5. in Anania & Sapphira exẽpla sunt excõmunicationis. & Act. 8: Simon magus à Petro obiurgatur corã omnib. Act. 20 Paulus summã sui officij recitat: Annũciaui uobis et docui uos, testificans Iudæis simul & Græcis eã quæ erga Deũ est pœnitentiã, ac fidem quæ est erga Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Itẽ, Non subterfugi quo minus annũciarem uobis omne cõsilium Dei. Eadẽ ferè Act. 26 his uerbis refert: Non fui inobediẽs cœlesti uocationi, sed his q̃ sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & per omnem regionẽ Iudææ: deinde & gentibus annunciabã, ut pœnitentiã agerent, & cõuerterentur ad Deũ, opera ficientes digna his q̃ resipuissent. Hac ex causa Iudæi me in tẽplo cõprehensum tentauerũt interficere. Auxiliũ igitur nactus Dei, usq; in hodiernum diem sto, testificans tum paruo, tum magno: nihil aliud dicẽs, quàm ea quæ Prophetæ prædixerant futura esse, & Moses: an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorũ lumen annũciaturus sit populo & gentibus.

Cæterùm quæ fuerint capita doctrinæ, & quæ ratio administrãdi sacramẽta, & usurpãdi claues, suis in locis indicatum est hactenus. De modo uerò docendi, hæc tum ipsorũ præcepta, tum exempla monent. Primùm, q̃ rectè sit secandũ uerbum Dei: hoc est, discrimen legis & Euangelij tenendũ: 2 Tim. 2. Secundò, q̃ hic ordo sit obseruãdus, ut primo loco peccata arguantur: & ad pœnitentiã, hoc est, ad agnitionem peccatorum homines adducãtur. secũdo uerò loco remissio peccatorũ contritis annuncietur, tertiò uerò iustificati de noua obedientia cõmonefiant. cõstant hæc ab exẽplis. Nam Petrus & cæteri Apostoli Act. 2, primùm Iudæis cõcionantur pœnitentiã, dum ostendũt, eos Iesum Nazarenũ uerum Messiã crucifixisse. Et uehemẽtius quidem Act. 3 uociferãtur in templo, Iudæos Christũ iustũ & sanctũ corã Pilato abnegasse, homicidã ei prælisse, autoremq; uitæ interfecisse. Idẽ faciunt Act. 4, coram cõcilio Iudæorũ seniorem habent. & Act. 5 Stephanus etiã cõcilio seniorũ grauissimè pœnitentiã prædicat. Act. 7: Duri ceruice. & incircũcisi corde & auribus, uos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres uestri, ita & uos. quẽ Prophetarũ non sunt persequuti patres uestri? Et occiderũt eos q̃ prænunciabãt de aduentu iusti illius, cuius uos nũc proditores et occisores fuistis: qui accepistis legem per dispositiones angelorũ, nec seruastis. Nec uacua est indignatione ea sententia qua Petrus adoritur Ananiam & Sapphiram, Act. 5. & Simonẽ magum Act. 8. & Paulus Elymam magũ, quem filium diaboli uocat, Act. 13. Satis etiam grauis fuit illa obiurgatio, qua Paulus Petro suum indicauit peccatũ: Gal. 2. Quàm etiã seueriter Corinthijs & Galatis concionetur pœnitentiã, patet ex epistolis ad eos scriptis. Et quidẽ in prædicãdo pœnitentiã Paulus docet, Liberum esse pijs doctoribus, aut modestius agant, aut acerbius peccatores tractent. 2 Cor. 5. Nam siue immodestè agimus, Deo immodestè agimus: siue modestè agimus, uobis

nobis sani sumus. Hinc est, q. Paulus de hac re duplices tradit senetias: in alijs enim præcipit seueritatem, in alijs lenitatẽ, quales sunt 2 Tim. 4. Insta tempestiuè & intempestiuè, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Tit. 1. Arguito illos seueriter, ut sani sint in fide. 1 Tim. 4. Nemo iuuentutẽ tuã despiciat. 2 Tim. 2. Seruũ Domini nõ oportet pugnare, sed placidũ esse erga omnes, propensum ad docendũ, tolerantem malos cũ mãsuetudine. 1 Tim. 5. Seniorẽ ne sæuius obiurges, sed adhortare ut patrem: iuniores, ut fratres. Tit. 2. Argue cũ omni præcipiendi studio. Verum huius rei causa est, q. alij peccatores sunt alijs sanabiliores: mitius ergo sanabiles, & durius obstinati sunt tractãdi. unde Paulus inquit 1 Cor. 4. Quid uultis? cũ uirga uenia ad uos, an cũ charitate & spiritu lenitatis?

Deinde, quòd secundo loco prædicent remissionem peccatorum, patet etiam ex Act. 2. 3. 10. 13 & alijs locis. Paulus etiam in epistola ad Romanos & Galatas & Ephesios, quum ostendit omnes homines esse peccatores, subiungit doctrinã de gratuita iustificatione per fidem, seu de remissione peccatorum.

Tertiò, q. soleant iustificatos monere de noua obedientia, seu de bonis operibus in lege præscriptis, & à Christo repetitis, patet ex omniũ epistolis singulis. nã q. Petrus in utraq; epistola aliud agit, q. ut iustificatos hortetur ad bona opera? Idem Ioannes in suis epistolis agit. Paulus etiam in epistola ad Romanos, Galatas, & Ephesios, postquàm pœnitentiam concionatus est, & remissionem peccatorum, ex professo de bonis operib. iustificatorum multa prolixè tractat. In alijs epistolis ferè ex proposito hoc agit, ut renatis præscribat bona opera, nisi quòd subinde tanquam causam bonorũ operum, doctrinam de iustificatione & fide interspergat.

Pertinet etiam hoc ad modum docendi, quòd cõtradicentes iubent admonere, erudire, cõuincere, ijsq; obturare. Tit. 1. Vt posit scilicet episcopus, contradicentes conuincere. & postea, quibus oportet obturari os, qui totas domos subuertunt, docentes quæ nõ oportet turpis lucri gratia. Tit. 3. Hæreticũ hominem post unam atq; alterã admonitionem fuge. 2 Tim. 2. Eruditentem eos qui obsistunt. Idem etiã ipsos fecisse tum ex Actis, tum ex Epistolis eorum apparet. Nam Stephanus Act. 6. Scholasticos Libertinorũ, Cyrenensium, Cilicum, & cæteros refutat. et Paulus Act. 9 cõfundit Iudæos, & disputat aduersus Græcos, et demõstrat Christum esse filiũ Dei. Idem Act. 15. Vnà cũ Barnaba et alijs Antiochiæ refutat pseudoapostolos. Idẽ Act. 20, prædicit lupos uẽturos, & iubet episcopos uigilare contra eos. Apollo etiam uehemẽter reuincebat Iudæos, ostendens per Scripturas, q. Iesus esset Christus. Act. 18. Petrus in 2 epi. refutat pseudodoctores, cap. 2 & 3. Ioannes etiã 1 epist. 2. 4. et 2 epi. refutat Antichristi doctrinã. Paulus uerò passim in suis epistolis, pseudoapostolorũ & Antichristi doctrinã impugnat, & refutat. Idẽ 1 Cor. 16 dicit, se Ephesi habere aduersarios multos.

Etiam illud ad modũ docendi pertinet, quod Paulus iubet retinere formã sanorũ uerborũ, & uitare nouas & monstrosas formas loquendi, & quæstiones uanas, propterea q. ijs obscuretur ueritas, et præbeatur occasio uanis opinionib. 1 Tim. 4. Bonus eris minister Iesu Christi, enutritus in sermonib. fidei. 2 Tim. 1. Formam habeto sanorum sermonum, quos à me audisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Iesu, egregium depositum seruato. 2 Tim. 2. Quæ à me audisti per multos testes, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui erũt idonei ut alios quoq; doceãt. Tit. 1. Episcopũ oportet esse tenacem eius qui secundum doctrinam est fidelis sermonis. Tit. 2. Tu loquere quæ decent sanam doctrinam.

De uitandis nouis & inusitatis loquendi formis, & inutilibus quæstionibus & argutijs, hæc testimonia loquuntur. 1 Tim. 4. Profanas & aniles fabulas reijce. 1. Tim. 6. Si quis diuersam sequitur doctrinã, & nõ accedit sanis sermonib. Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secũdum pietatem est doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones, ac disputationũ pugnas, ex quibus nascitur inuidia, cõtentio, maledicentia, suspiciones malæ, superuacaneæ conflictationes hominũ mente corruptorũ, & quibus adempta est ueritas, qui existimãt quæstum esse pietatem, seiungere ab his quæ eiusmodi sunt. Et rursus 1 Tim. 6. O Timothee, depositum serua, deuitãs profanas uocũ inanitates, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ, quã nonnulli professentes, circa fidem aberrauerunt. Idem 2 Tim. 2. Hæc admone, cõtestans eos coram Domino, ne uerborum pugnas sequantur, ad nullã utilitatem, ad subuersionẽ audientium. Cæterùm profanas uocum inanitates præter mittito, ad maiorẽ enim proficient impietatem: et sermo illorum, ut cancer morbus passionem habebit. quorum de numero est Hymenæus & Philetus, qui circa ueritatem aberrarunt, dicentes, resurrectionem iam esse factam, & subuertũt quorundam fidem. & rursus ibid. Stultas & ineruditas quæstiones respue, sciens eas pãrere pugnas. Tit. 3. Stultas aũt quæstiones & genealogias & cõtentiones ac pugnas legales omitte: sunt enim inutiles & superuacaneæ. Petrus etiam 2 epist. 2. prædicit, falsos doctores uehementer fastuosa uanitatis uerba loquuturos, ad inescandum homines.

Monent etiã Apostoli, non licere cuiquam uerbi ministro, neq; genus doctrinæ à Christo traditum, neq; ad ministrationem sacramentorũ à Christo institutorum mutare, addendo uel detrahendo aliquid. 1 Pet. 4. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. 1 Ioã. 2. Vos igitur quod audistis ab initio, in uobis pmaneat. Itẽ: Sicut docuit uos unctio, manete in ea. 2 Ioã. Omnis q transgreditur, & nõ manet in doctrina Christi, Deũ non habet. Item: Si quis uenit ad uos, et hanc doctrinã non adfert, ne recipiatis eũ. Galat. 1. Cæterùm etiamsi nos, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis aliud Euangelium, præter id qd' prædicauimus uobis, anathema sit. 1 Cor. 4. Illud in dispensatorib. requiritur, ut fidus aliquis reperiatur. 1 Cor. 3. Fundamentũ aliud nemo potest ponere, etc. 2 Cor. 2. Nõ sumus ut pleriq; cauponãtes sermonem Dei, sed uelut ex sinceritate, sed uelut ex Deo in cõspectu Dei, per Christũ loquimur. Idem de administratione cœnæ inquit 1 Cor. 11. se, ut à Domino acceperit, ita etiam Corinthijs tradidisse. Idem 2 Cor. 10 & 12 dicit, se & alios ministros accepisse potestatẽ in ædificationem, & non in destructionem Ecclesiæ. Si uerò liceret genus doctrinæ & sacramentorum institutionem mutare, uerè liceret etiã destruere Ecclesiã Dei. & 2 Corinth. 13 eleganter inquit: Non possumus quicquam aduersus ueritatem, sed pro ueritate.

Confidens

Confidenti & cõstanti animo in ministerio esse uersandum, tum exempla Apostolorũ, tum testimonia probant. Nam senatus Hierosolymitanus miratur Petri & Ioannis in dicendo libertatem: Actor. 4. Et tota Ecclesia petit à Deo, ut det seruis suis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem: Actor. 4. Et Stephanus Actor. 6. dicitur plenus gratia & fortitudine fuisse: et Paulus iubet Ephesios pro se orare, ut sibi detur sermo in apertione oris sui cum libertate, ut notum faciat ministeriũ Euangelij. Ephes. 6. Et Colossen. 4. idem postulat. & 1 Thessal. 2 dicit, se audacter egisse in Domino nostro, ad loquendum Euangelium Dei. Tit. 2. Argue cum omni præcipiendi stud.o: nemo te despiciat.

Prudentiam etiam adhibendam esse monent in docendo, ne imbecillibus ea tradantur, quorum nondum sunt capaces. ut Paulus 1 Corinth. 3. Ego, fratres, non potui loqui uobis ut spiritualibus, sed loquendum fuit ut carnalibus, ut infantibus in Christo: lactis potu uos alui, & non cibo: nondum enim poteratis, imò ne nunc quidem adhuc potestis: nam adhuc carnales estis. & 1 Corinth. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Aut margaritæ porcis & canibus proijciantur, iuxta interdictũ Christi. Hinc Paulus Act. 13, Iudæis blasphemantibus ait: Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei: sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce cõuertimur ad gentes. Idẽ facit Act. 18. Sanguis uester super caput uestrum, mundus ego posthac ad gentes ibo. Et Actor. 19, in Epheso quibusdam induratis, Paulus segregat discipulos.

Simplicitatem etiam in docendo rudiores, commendat Paulus 1 Cor. 2. Ego cum uenirem ad uos fratres, non ueniebam cum eminentia sermonis aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium Dei: non enim me iudicaui quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego per infirmitatem, & cũ timore ac tremore multo, apud uos uersatus sum: & sermo meus, & prædicatio mea non erat in persuasorijs sapientiæ humanæ uerbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. 2 Cor. 11. Licet imperitus sim sermone, non tamen scientia. 1 Cor. 4. Veniam ad uos, ut cognoscam non sermonem istorũ qui inflati sunt, sed uirtutem: non enim in sermone est regnum Dei, sed in uirtute. Simplicitatis etiam exempla in omnibus Apostolorum scriptis conspiciuntur, quam sequentium seculorum scriptores non sunt imitando assequuti.

Eadem etiam sæpius inculcare, & repetere in docendo & scribendo solitos esse, patet ex Philippen. 3. Eadem me scribere uobis, me quidem haud piget, uobis autem tutum est. 2 Petri 1. Haud negligam uos semper commonere de his, tametsi sciatis, & confirmati sitis in præsenti ueritate.

In taxandis peccatis ad cõmunia uitia respiciendum esse, Apostoli suo exemplo docent. Nam Paulus Galatas uocat stultos: quod gentis illius uitiũ fuisse, Hieronymus prodidit. Idẽ Cretenses dicit mẽdaces esse, & pigros uentres: eãq; ob causam acriùs à Tito obiurgandos monet, Tit. 1. Romanos cum arrogantes esse sciret, dehortatur, ne supra q̃ oportet, de se sentiant: Ro. 12.

Quemadmodum à Christo ministerium est institutum, ut esset publicũ: ita quoq; Apostoli id publicè administrarunt, & ut à successoribus suis idem fieret, mandarunt. nam Apostoli Hierosolymis publicè, & non in angulo docent, & Ecclesiam colligunt. Act. 2. 3. 4. & alijs captibus. & Paulus 2 Timoth. 3. falsis doctoribus attribuit, quòd subeant in familias, & captiuas ducant mulierculas, oneratas peccatis.

Duraturum etiam in mundo publicum docendi ministerium, usque ad finem mundi, licet plurimi à sana doctrina defecturi sint, et pseudodoctores et Antichristus cum suis socijs ad gubernacula Ecclesiæ sedentes latè sint regnaturi, et ueros doctores persequuturi, manet Petrus 2 epist. 2. 3. & Ioan. 1 epist. 4. Idem in tota Apocalypsi demonstrat. futuros enim angelos, hoc est doctores, qui reuelaturi sint Christum, & clamaturi, ne quis cum eo reuelato scortetur: manifestè ostendit cap. 14. 17. 18. Paulus etiam 2 Thes. 2. 1 Tim. 4. 2 Timoth. 4, eadem monet. & 1 Thess. 5. & 1 Corinth. 15 manifestè ostendit, sub finem mundi pios adhuc aliquos futuros: qui non essent, sublato ministerio uerbi. Idem 1 Corinth. 11. in usu cœnæ dicit annunciandã esse mortem Domini, donec ueniat. unde constat, usum cœnæ usque ad Christi aduentum duraturum.

Discerni etiam ministerium docendi à potentia ciuili, quæ magistratui politico est commissa, testimonia & doctrina de regno Christi, & de potestate Ecclesiæ probant, quæ non duximus hîc repetenda. Memorabilia autem hæc etiam sunt, quòd Petrus 1 epist. 5 iubet presbyteros pascere gregem, & non regnare: & quòd Paulus ministros Ecclesiæ appellat episcopos, & non reges aut principes: & quod ipse dicit 2 Timoth. 1, se non dominari ecclesiæ Corinthiacæ nomine fidei, sed adiutorem esse gaudij eorum: & quòd 1 Cor. 3, se & Apollo appellat non dominos, sed ministros Ecclesiæ, per quos crediderint Corinthij. Huc etiã facit, quòd 1. Tim. 3. & Tit. 1. inter attributa episcoporum nusquam quicquam de politica gubernatione meminerit: & quòd 1 Tim. 5, in uerbo, & non in dicendo ius, & regnando laborare ministros Ecclesiæ iubeat. Autor etiã epist. ad Ebræ. 13. uigilare eos pro animabus, & non pro bonis, agris, pecunijs & corporibus eorum, dicit.

Deum adesse pijs ministris, & per eorum ministerium, cum eo rectè funguntur, esse efficacem, probant testimonia, quæ de effectu uerbi Dei, itẽ legis & Euangelij, item de causis pœnitentiæ, suis in locis commorauimus. Sed tamen quædã hîc repetenda censemus. Sunt aũt effectus qui adscribuntur ministerio uerbi duplices: alij per se, ut uocãt, alij per accidens. Primi generis sunt, quòd Deus per uocale ministeriũ uerbi, operatur ueram & salutarem auditorum conuersationem in saluandis. Confirmant hoc exempla. nam Actor. 2. per uocale ministerium Apostolorum, Deus compugit corda Iudæorum, & impertit eis fidem, & conuertuntur animæ circiter ter mille: & Dominus addebat, scilicet per uerbũ uocale illuminatos, qui salui fierent, quotidie cõgregationi. Dispersi discipuli peragrabãt, annunciantes sermonem Dei. Philippus Samariæ prædicabat Christum, & intendebant turbæ his quæ dicebantur à Philippo, &c. Et factum est gaudiũ magnum in illa ciuitate: cumq; credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, deq; nomine Iesu Christi, baptizabantur uiri simul ac mulieres: Acto. 8. Eunuchi etiam

conuersio

conuersio ostendit Deũ esse per ministeriũ efficacem. nam primùm angelus Domini excitat Philippũ, ut ueniat in uiã. Deinde spiritus iubet eũ se adiungere ad curum. Tertiò, Eunuchus legit in Esaia, ex quo Philippus Eunucho prædicat Christum: in quem postquã credit, baptisatur. Act. 8. Christus licet per apparitionem & sua uoce cum Paulo loquatur, tamen eũ remittit ad ministerium uerbi: & postea ad eum mittit Ananiam, qui Dei uoluntatem ei exponit. Actor. 9.

Eodẽ modo, licet Cornelio appareat angelus, tamen ad uocem Petri reijcitur, ut per eam conuertatur. Act. 10. Sic loquebantur Paulus & Barnabas in synagoga Iconij, ut crederet Iudæorũ simul & Græcorum copiosa multitudo. Act. 14. Ibidem etiam Deus ostium fidei Gentibus aperuisse dicitur, elegãti phrasi, qua, efficacia ministerij non à ministris, sed à Deo esse ostenditur. Lydia audit Paulum, & Dominus cor eius aperuit, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Actor. 16. Sic Deus Thessalonicæ & Berrhœæ colligit Ecclesiã per cõcionem Pauli, Scripturã scrutantibus alijs, an ita sese habeat. Act. 17. Multi Corinthiorum audientes, credebant. Act. 18. Paulus narrabat Hierosolymis per singula, quæ Deus fecisset inter gentes per ministeriũ suum. Act. 21. Non ausim loqui quicquam eorum, quæ non effecit Christus per me, in obedientiam gentium. Idem 2 Cor. 2 dicit, sibi Troadem uenienti ostium apertum esse per Dominum. Per ministerium uerbi dari fidem, Rom. 10 traditur, illo dicto: Fides ex auditu.

Item, datur Spiritus sanctus adhuc enim loquente Petro, Act. 10, cecidit Spiritus sanctus super Cornelium, & familiam eius. Petro & Ioanne pro Samaritanis orantib. accipiunt Spiritum sanctum: Act. 8. Datur iustitia: 2 Cor. 3. Administratio iusticiæ appellatur. In scribitur epistola Christi, spiritu Dei uiuentis in corda hominũ: 2 Cor. 3. Adducuntur homines ad obedientiã fidei: Ro. 16. Illuminantur homines: 2 Cor. 4. Liberantur ex laqueis diaboli: 2 Cor. 4. & 2 Tim. 2. Parituntur filij, & in ijs formatur Christus: Galat. 4. Bonus odor de Christo spargitur: 2 Cor. 2. Confirmantur alij ut perseuerent in fide: Act. 14. Affert benedictionem: Ro. 16. Scio namq; quòd ubi uenero ad uos, cum plenitudine benedictionis Euangelij Christi uenturus sim. Communem consolationem: Rom. 1. Societatem cum Deo: 1 Iohan. 1. Edere miracula, signa & prodigia, etiam ad effectus aut consequentia ministerij pertinere uidentur, de quibus Rom. 15. & in Actis passim.

Porrò ministerij efficaciã à Deo esse, & non à ministris, apertè docent illa quæ hactenus allegata sunt testimonia. quibus & hoc addi potest 2 Cor. 2: Deo aũt gratia, q semper triumphat per nos in Christo, et odorem noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco. 2 Cor. 3: Fiduciam aũt huiusmodi habemus per Christum erga Deum, nõ quòd idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquã ex nobis ipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritus.

Secundi generis sunt, uoce ministerij arguentis peccata nostra, inflammari ad iracundiã, ad odium minister orum, & persequendum eosdem. nam cum senatus Hierosolymitani cõcilij audisset apologiam Apostolorum insignem & cõstantem, dissecabantur, & cõsultabant ut interficerent illos: Act. 5. Idem audientes concionem Stephani, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eũ: & postea, eiectũ è ciuitate lapidibus obruunt, Act. 7. Indurari, & nõ credere. Act. 19. concionante Paulo Ephesi, quidam indurãtur, nec credunt, malè loquentes de uia Domini. Excæcari. Ro. 11. 2 Cor. 4. Esse odorem mortis ad mortem. 2 Corinth. 2: Quoniã Christi bona fragrantia sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis uerò odor uitæ ad uitam.

Cæterum huius effectus causas ueras esse, tradũt. Diabolum. 2 Cor. 4: Quòd si adhuc uelatũ est Euãgelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, in quibus deus huius seculi excæcauit sensus incredulorũ, ne illucesceret illis lumen Euãgelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2 Tim. 2. Resipiscant è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatẽ. Et mentem reprobã et pollutam, Tit. 1. & obstinatã, ac Spiritui sancto q per ministros loquitur (2 Cor. 2) repugnantem. Act. 7. Iusto enim Dei iudicio fieri solet, ut agnitam ueritatem contemnentes & persequentes, cæcitate puniantur: 2 Thes. 2. Rom. 1.

Oportere ministros fideles ob suum ministeriũ multas perferre miserias, à diabolo, mũdo, persequutorib. & falsis fratribus, passim monent. nam Petrus in priori epistola, multa de cruce Christianorũ disserit, quæ etiã ad fideles ministros pertinẽt. Ioannes etiã mundũ odio pios habiturum, passim in epistolis suis docet. & Christus in septem epistolis ad septem ecclesias Asianas, Apoc. 2 & 3, tum ecclesiæ, tum doctores earundẽ monet de cruce, & hortatur ut patienter omnes miserias perferãt. Paulus uerò passim in eam sententiam multa dicit. 1 Cor. 4: Arbitror enim q; Deus nos, qui sumus Apostoli postremi, ostẽderit tanquã morti addictos. Quoniam spectaculũ facti sumus mũdo, & angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, uos aũt prudentes per Christum: nos imbecilles, uos aũt ualidi: uos clari, nos cõtempti. Ad hoc usq; tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operãtes proprijs manibus: malè audientes, benedicimus: persequutionẽ patientes, sustinemus: cõuicijs affecti, obsecramus: ueluti excrementa mũdi facti sumus, omniũ reiectamentum, ad hunc usq; diem. 2 Cor. 4: Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut uita IESV manifestetur in mortali carne nostra. ita q; mors quidẽ in nobis agit, uita uerò in uobis. 2 Cor. 11: In laboribus copiosius, in uerberibus supra modũ, in carcerib. abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas, una minus, accepi: ter uirgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminũ, periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gẽtibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter fãlsos fratres, in labore et molestia, in uigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate: præterea, quæ extrinsecus accidũt, incumbens mihi quotidiana cura omniũ ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis offenditur, & ego nõ uror? 2 Cor. 6. Commẽdemus nos in omnib. ut Dei ministri, in multa tolerantia, in afflictionibus, in necessitatib, in anxietatibus, in plagis, in carceribus,

ceribus, in seditionibus, in uigilijs, in ieiunijs, &c. Gal. 6 dicit se stigmata Iesu Christi in corpore suo portare. Ephes. 3 dicit se uinctum esse pro gentibus, & tolerare afflictiones pro ijs. Et Colos. 1 ait, se per afflictiones suas supplere quod deerat afflictionũ Christi in carne sua, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. 2 Timoth. 2 hortatur Timotheum, ut sit particeps afflictionũ Euangelij. & 2 Timoth. 3, generalem tradit de suo exemplo regulam, quòd omnes qui uelint piè in Christo uiuere, persequutionem passuri sint. & 2 Tim. 4, Timotheum iubet uigilare in omnibus, & obdurare in afflictionibus, opus peragere euangelistæ, & ministerium suum ad plenum probatum reddere.

Monent etiam, Deũ pijs ministris adfuturum, eosq; erepturũ ex magnis periculis, et tandem in uita æterna præmia pro molestijs & laborib. daturũ. Act. 18: Dominus dixit per uisionẽ Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter qđ' ego sum tecũ, & nemo adorietur te, & affliget, quoniã populus est mihi multus in hac ciuitate. & Paulus 2 Tim. 3: Tu uerò assectatus es doctrinã meam, institutionem, propositũ, fidem, lenitatem, charitatem, patientiã, persequutiones, afflictiones: quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persequutiones sustinuerim, & ex omnibus eripuit me Dominus. 2 Tim. 4: In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt, ne illis imputetur: sed Dominus mihi adfuit, & corroborauit me, & ereptus fui ex ore leonis: & eripiet me Dominus ab omni facto malo, seruabitq; in regnũ suum cœleste.

De præmijs uerò hæc testimonia loquũtur. 1 Pet. 5: Cum apparuerit ille pastorũ princeps, reportabitis immarcessibilem coronã gloriæ. Apo. 2: Esto fidelis usq; ad mortẽ, & dabo tibi coronã uitæ. 1 Cor. 9: Væ mihi est, nisi euangelizem: nam si uolens hoc faciam, præmium habeo. 1 Corint. 15: Itaq; fratres mei dilecti, &c. cum sciatis quòd labor uester nõ est inanis in Domino. 2 Tim. 4: Reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illo. 1 Thessal. 2: Nam quæ est nostra spes, aut gaudiũ, aut corona gloriationis? an non & uos in conspectu Domini nostri Iesu Christi, in eius aduentu? Vos enim estis gloria nostra & gaudiũ. Plura eius sententiæ testimonia suprà de præmijs bonorũ operum recitantur, & infrà de uita æterna.

Cæteræ cõditiones personarum quæ ministerio docendi funguntur, à Paulo eleganter describuntur. 1 Timoth. 3: Indubitatus sermo, si quis Episcopi munus appetit, honestũ opus desiderat. oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, uigilantem, sobrium, modestũ, hospitalem, aptum ad docendũ: non uinolentũ, non percussorem, non turpiter lucri cupidum, sed æquum, alienum à pugnis, alienũ ab auaricia, q suæ domui benè præsit, qui liberos habeat in subiectione cum omni reuerentia. Quòd si quis propriæ domui præesse non nouit, quomodo ecclesiam Dei curabit? non nouitium, ne inflatus in cõdemnationem incidat calumniatoris. Oportet aũt illum & bonum habere testimonium ab extraneis, ne in probrum incidat, & laqueum calumniatoris. Ministros itidem compositos, nõ bilingues, non multo uino deditos, non turpiter lucri auidos, tenentes mysterium fidei cũ pura conscientia. atq; hi probentur prius, deinde ministrent, sic ut nemo possit illos criminari: uxores similiter modestas, nõ calumnioſas, sobrias, fidas in omnibus. Diaconi sint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præsint, & proprijs familijs. nam qui benè ministrauerint, gradum sibi bonum acquirunt, & multam libertatem in fide quæ est in Christo Iesu. Et ad Titum 1: Si quis inculpatus est, unius uxoris uir, liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, aut qui non sint intractabiles. Oportet enim episcopũ inculpatum esse, tanquã Dei dispensatorem, non præfractum, non iracundum, non uinosum, non percussorem, nõ turpiter lucro deditum, sed hospitalem, bonarũ rerum studiosum, sobriũ, iustum, pium, temperantem, tenacem eius qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere.

Memorabile aũt est, quòd nullis ministris Ecclesiæ prohibetur coniugium, imò in his testimonijs episcopi coniuges requirũtur. & Paulus 1 Corint. 9 inquit: An non habemus potestatem sororem coniugem circumducendi, quemadmodũ & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Ergo apostoli cæteri, & fratres Domini, & Petrus coniuges fuerũt. De coniuge Petri Eusebius 3. cap. 30, ex Clemente quædam commemorat. Et Actor. 21, Cæsareæ Philippus euangelista fuisse, & quatuor filias uirgines prophetantes habuisse dicitur.

Vt à Christo nulla maioritas aut primatus inter Apostolos aut eorũ successores est institutus, ita quoque Apostoli nullius primatus meminerunt, nedum quisquã ex ijs eũ sibi uendicarit. Nam Petrus (cui primatũ concessum esse, Romani episcopi ministerio iniquitatis impregnati, Apo. 17 somniarũt) nusquã sibi affectare magnum primatũ uidetur. Eodem enim titulo quo alij Apostoli sese insignit 1 Pet. 1. & 2 Pet. 1. Quòd sit Apostolus & seruus Iesu Christi: & se alijs presbyteris coæquat, & nõ præfert. 1 Pet. 5, ubi se compresbyterũ appellat: & cum de petra loquitur 1 epist. 2, non se eam esse dicit, super quem ædificata sit Ecclesia, sed super Christũ. Nec alij Apostoli, Petri primatũ agnouisse ullam dicuntur. nam Ioannes Diotrephen epist. 3 reprehendit, quòd primatũ in Ecclesia affectet. nec Ioannes uspiam Petri meminit in suis epistolis: quòd utiq; fecisset, si quid de eius primatu nouisset. Paulus Petrũ obiurgauit acriter (Gal. 2) nõ recto pede ad ueritatẽ Euangelij incedentem. Idem Antichristo id tribuit, q primatum super magistratũ & ecclesiam & cultũ Dei affectaturus sit, 2 Thes. 2. Quòd etiã Petrus fecit, 2 Pet. 2. & Ioannes in Apocalypsi 13 & 17. Nec concilium Hierosolymitanum Petro tribuit primatum, Actor. 15. Huc etiam illa faciunt, quòd Apostoli, ministri, & non domini Ecclesiæ dicuntur. 1 Corint. 3. 4. 2 Cor. 1. Item quòd solus Christus Ecclesiæ caput est, ut suprà dictũ.

Nec aliquam ecclesiam, siue Romanam, siue Hierosolymitanam, siue Ephesinam, siue Antiochenam, siue aliam, ubi Apostoli docuerunt, primatum super alios gerere, uspiam Apostoli docẽt: nõ omissuri, si quid in ea re esset à Christo, & à Spiritu sancto traditũ aut mandatum. Sed omnes in Christo Iesu unum esse docet Paulus Galat. 3. Coloss. 3.

Officia auditorum erga ministros Ecclesiæ, in tertio præcepto commemorauimus, nec opus est ea hìc repeti. Hæc tamen monenda duximus, quòd uaria auditorum

torum genera esse, exempla doceant. nam Act. 2 in die Pentecostes alij stupent & mirantur Apostolorũ conciones, alij irridentes eos dicẽtes, Musto expleti sunt isti, alij uerò audientes conuertuntur: seniores uerò populi & Pontifices interdicunt, ne in nomine Iesu loquantur, & postea persequuntur Apostolos. Actor. 4. 5 & 7. Alij credunt, alij indurantur: Act. 13. 19. 18. Alia discrimina, nempe quòd alij sint infirmi, alij fortes, suprà in loco de Ecclesia sunt proposita.

Imbecillitates doctorũ à doctrina discernendas esse, Paulus monet Galat. 1: Si nos, aut angelus è cœlo, aliud Euangelium prædicaremus, præter id quod prædicatum est, anathema sit. Idem Galat. 2 monuisse uidetur, ne secundum factum Petri scandalosum, sed secundum ueritatem Euangelij, alij incederent. Idem etiam monet ea distinguenda esse, quæ secundum hominem cogitent aut dicant, ab ijs quæ secundũ Deum dicuntur. Nam quæ secundum Deũ, ut præcepta Dei, dicunt, certa sunt: quæ uerò secundum hominem dicunt, eandem uim non habent. 2 Corinth. 1. Idem inter præceptum Domini de cõiugio, & inter consilium de uirginitate distinguit, 1 Corinth. 7.

¶ Contraria sunt, Ministeriũ docendi in regnũ mundanum cõuertere, & maioritatem affectare, ut faciunt pseudodoctores & Antichristus. 2 Pet. 2. Apoc. 14 & 17. 2 Thes. 2. Non fungi officio pij ministri Ecclesiæ, docendo uera, refutando falsa, prædicando pœnitentiã & remissionem peccatorũ, cohortando ad pietatẽ, rectè administrãdo sacramenta & claues, orãdo pro Ecclesia: pugnãt enim hæc cum tertio præcepto, ubi testimonia de his rebus annotauimus. Non pascere gregem Christi, aut coactè pascere: 1 Pet. 5. Non euãgelizare: 1 Cor. 9. Ponere euãgelium ἀδιάφορον: 1 Cor. 9. Negociari fictitijs sermonib. 2 Pet. 2. Turpiter affectare lucrũ & munera, & ob auariciã docere: 1 Pet. 5. 1 Thes. 2. Tit. 1. 1 Tim. 6. Loqui ut hominibus placeas, & adulari: 1 Thessal. 2. & Galat. 1. Annunciare Christum per cõtentionem & inuidiam: Phil. 1. Non attendere sibi & gregi, Act. 20. Peruersa loqui, et abducere discipulos: ibid. Non tradere sanam doctrinã, sed doctrinã dæmoniorum: 1 Tim. 4. 2 Tim. 4. Desicere à fide, 1 Tim. 2. 2 Tim. 2. Amplecti præsens seculum, & propter id negligere suum ministerium: 2 Tim. 4. Facere contra officium pij auditoris, seu membri Ecclesiæ: qualia peccata etiam suprà in tertio præcepto enumerauimus, quò lectorem reijcimus.

De libertate Christiana.

Libertatem Christianorũ, nõ esse libertatem carnis, hoc est immunitatem ab obedientia magistratus in rebus externis, aut priuilegiũ quoddam faciendi quod uelis cõtra pietatem et honestatem, Apostoli docent, quemadmodũ & testimonijs & exemplis confirmari potest. Nam Petrus 1 epist. 2 inquit: Tanquam liberi, & nõ ueluti prætextum habentes maliciæ libertatem, sed tanquam serui Dei. Et Paulus Galat. 5: Vos in libertatem fuistis uocati fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carni detis, sed per charitatem seruite uobis inuicem. Huc facit tota doctrina de bonis operibus, seu de noua obedientia, ad quam Apostoli omnes iustificatos grauissimis argumentis obligant.

Huc etiã pertinet doctrina de officio Magistratus erga subditos, & subditorum erga magistratus, quam in quarto præcepto Decalogi exposuimus.

Huc etiam testimonia pertinent, quibus Paulus grauissimè eos refutat, qui calumniabantur, Euangelium liberare homines ab omni obedientia erga legem Dei moralem & magistratum. ad Roman. capitib. 3 & 6.

Exempla idem cõprobant. nam Apostoli & Christiani Hierosolymis agentes, non detrectant debitam magistratui obedientiã, nec sceleratã agunt uitam, sed honestissimam, ut patet ex Act. 2. 3. 4. 5. 6. & alijs. Idem faciunt tum Apostoli, tum ecclesiæ in alijs locis, ut ex Actis notum est. Imò Apostoli nusquam præcipiunt, ne Christianis quidem, neq; seruis, neq; dominis, ut ius seruitutis, quod eo seculo erat uulgare, aboleant: cum tamen nõ parum iniusticiæ & iniquitatis in eo inesse uideretur. Sed passim præcipiunt seruis, ut suis dominis obediant: et dominis, ut seruos nõ nimis iniquè tractent. Coloss. 3. Ephes. 6. Tit. 2. & 1 Pet. 2.

Et Paulus Philemoni suum fugitiuum Onesimum, Romæ à se conuersum & baptizatum, remittit cum epistola, quæ adhuc extat.

Vnde constat, libertatem Christianorum in alijs rebus, nempe in spiritualibus, & non in externa aliqua immunitate consistere.

Gradus aũt eosdem libertatis tradũt Apostoli, quos Christus: nempe q, primùm sit liberatio à iure peccati & mortis, & ab ira Dei & execratione legis, & à diabolo, recuperata per Dominũ nostrum Iesum Christũ. 1 Pet. 1: Cum sciatis uos non caducis rebus, uelut argento & auro redemptos esse. 1 Ioan. 1: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni iniquitate. 1 Iohan. 2: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c. & totius mundi. 1 Ioan. 4: Pater misit filiũ seruatorem mundi. Rom. 8: Lex spiritus uitæ per Christum Iesum, liberũ me reddidit à iure peccati & mortis. Rom. 6: Non estis sub lege, sed sub gratia. Rom. 5: Seruabimur per eum ab ira. Item, Reconciliati seruabimur per uitam eius. 1. Thes. 1: Iesus liberat nos ab ira uentura. 1 Cor. 15: Aculeus mortis peccatũ, potentia uerò peccati lex: sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam, per Iesum Christum Dominum nostrum. Galat. 3: Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Galat. 4: Factum legi obnoxium, ut eos qui erant legi obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Galat. 5: In libertate igitur qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. 1 Tim. 1: Iusto non est lex posita. Ebr. 2: Vt per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, ut liberos redderet nos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti.

Deinde, quòd sit liberatio à lege Mosaica: quod tamen eo modo est intelligendũ, ut suprà de abrogatione legis dictũ est. esse enim Christianos à legibus cæremonialibus liberatos per Christum, docet Col. 2: Ne quis uos iudicet in cibo ac potu, aut parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorũ, quæ sunt umbra rerũ futurarum. Gal. 5 & 6: In Christo Iesu neq; circũcisio quicquã ualet, neq; præputiũ. Plura testimonia suprà de abrogatione legis. Esse etiam eosdem liberatos à politia Mosaica & legib. fòrensibus, ut ijs liberè uti uel non uti liceat, nisi quatenus cũ lege naturæ & Decalogi præceptis con-

ptis consentiant, ex decreto concilij Hierosolymitani Act. 15 apparet. & quòd Apostoli Christianos, legibus politicis suorum magistratuum obedire iubent: 1 Pet. 3. Rom. 13. 1 Tim. 2. Tit. 2. & quòd ipse Paulus legibus Romani Cæsaris usus est, Act. 16. 22. 23. 24.

Ab ijs uerò qui congruunt cum lege naturæ, nõ sunt liberati Christiani. ut ducere nouercam nõ licet, 1 Corinth. 5. Lex de polygamia abrogata est, 1 Cor. 7. & lex de diuortijs restricta ad adulterij casum, & infidelis discessionem: 1 Corinth. 7.

A lege uerò morali ita liberati sunt, ut habeãt priuilegiũ, ne teneantur per suã obedientiã seu bona opera quã legi præstant, quærere iusticiã, et sibi cõparare salutem coram Deo. Nam obedientia & mors Christi, eos ab execratione legis liberauit. Galat. 3 & 4. & impletio legi per Christũ præstita, credentibus applicatur per fidem. Rom. 8 & 10. & ob eam Christi satisfactionem credentes absoluũtur, & iusti pronunciantur, Ro. 5 & 8, Obedientia unius, iusti cõstituti sunt multi. Quærunt igitur Christiani iusticiã coram Deo, nõ ex operibus legis, sed ex fide. Rom. 9 & 10. Philip. 3, Non meam quæ ex lege est iusticiam habens, sed quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iusticiam in fide.

Sed tamẽ Apostoli ad obedientiã legi præstandam, omnes iustificatos obligatos esse docent, nõ quidẽ propter meritum & necessitatem salutis, sed propter alias causas suprà in doctrina de bonis operibus expositas.

Tertiò, q̃ sit immunitas à traditionib. humanis, seu rebus sua natura medijs, ita quidem ut ijs non sint alligandæ conscientiæ, neq; iusticia in ijs quærenda. Rom. 14: Non est regnũ Dei cibus ac potus, sed iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto. 1 Cor. 7: Precio empti estis, nolite fieri serui hominũ. 1 Cor. 8. Esca nos non cõmendat Deo: neq; si comedamus, aliquid nobis super est: neq; si nõ comedamus, quicquam nobis deest. 1 Corinth. 7: Hoc aũt ad id quod uobis cõducibile est dico, nõ uti laqueum uobis injiciam. Gal. 4: Quomodo conuertimini denuò ad infirma & egena elementa mundi. Coloss. 2: Si commortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neq; contrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominũ. Tit. 1: Omnia quidem pura puris. Porrò pollutis & infidelibus nihil purum. Sed de traditionibus humanis postea suo loco dicetur.

De usu libertatis Christianæ in rebus medijs, hoc Paulus monet, quòd danda sit opera ne offendãtur fratres infirmi: aut obstinati & prafracti in sua pertinacia et impia opinione cõfirmentur. De priori sententia Paulus loquitur Ro. 14: Illud iudicate magis, ne offendiculũ ponatur fratri, aut lapsus occasio &c. Bonũ est nõ edere carnes, neq; bibere uinũ, neq; quicquam per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur. 1 Cor. 8: Videte, ne facultas illa uestra offendiculo sit ijs q̃ infirmi sunt. 1 Cor. 9: Equidẽ quum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, quo plures lucrifaciam. & factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciã: his qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos q̃ sub lege sunt, lucrifaciã: his qui sine lege sunt, tanquã sim sine lege, quũ nõ sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi: ut lucrifaciã eos qui sunt sine lege. Factus sum infirmis quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciã. Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos sercm. Huc etiã exempla pertinent, quòd Paulus Timotheum circũcidit propter Iudæos, Act. 16. Gal. 2. & rasit caput in Cenchreis ob uotum, Act. 18. & purificatus in templo, Act. 21. De posteriori sententia Galat. 2. Sed neq; Titus qui mecum erat, cum esset Græcus, cõpulsus fuit circumcidi, propter obiter ingressos falsos fratres qui subintroierant ad explorandũ libertatem nostram, quã habemus in Christo IESV, quo nos in seruitutem adigerent. Quibus ne ad tempus quidem cessimus per subiectionẽ, ut ueritas Euangelij permaneret apud uos.

Cum libertate Christiana pugnant libertas carnis, seu abusus libertatis Christianæ ad scelera & prætextũ maliciæ: 1 Pet. 2. Gal. 5. Ignorare, aut non credere, se à legis maledictione esse liberatũ. Gal. 3: Quicunq; ex lege sunt, execrationi obnoxij sunt. Per legẽ & opera sua quærere iusticiã: Ro. 9 & 10. Gal. 2. Arbitrari circũcisionem & obseruationẽ legis Mosaicæ esse necessariã ad salutem, Act. 15. Gal. 5. Col. 2. Somniare decretorũ & traditionum humanarũ obseruationẽ, propter conscientiam, tanquã cultum Dei, necessariã esse. Gal. 4 & 5. Col. 2. Abuti libertate sua in rebus medijs ad offendendum infirmos: Ro. 14. 1 Corinth. 8 & 10.

Non uti libertate contra prafractos et falsos fratres: ob quam causam Paulus obiurgat Petrum, Galat. 2.

DE CRVCE ET AFFLictionibus Ecclesiæ.

Ecclesiã Christi in hac uita cruci & uarijs erumnis, miserijs & calamitatibus expositam & subiectam esse, Apostoli etiã confirmãt. Nam Petrus 1 epist. 1. ad breue tempus afflicti uarijs experimentis. & 1 Petri 2: In hoc uocati estis, quoniã & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ, ut insequeremini uestigia ipsius. & 1 Pet. 4: Vt incipiat iudicium à domo Dei. Et Ioannes 1 epist. 3: Ne miremini, si nos odit mũdus. Et Christus in epistola ad angelũ Smyrnæorum Ecclesiæ, Apoc. 2: Ecce missurus est diabolus aliquos ex uobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis afflictionẽ dierũ decem. idem Apoc. 3, ad angelũ Laodicensis ecclesiæ: Ego quos amo, arguo & castigo. Et Paulus & Barnabas cõfirmabant animas discipulorũ, exhortabãturq; ut perseuerarẽt in fide, & q̃ per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnũ Dei: Act. 14. Idem Ro. 8. Quemadmodũ scriptũ est, Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus ueluti oues destinatæ mactationi. 2 Cor. 4: Semper mortificationẽ Domini Iesu in corpore circũferentes. 1 Thes. 3. Nam ipsi nostis, nos in hunc usum positos esse. Etenim cum apud uos essemus, prædicabamus uobis fore ut afflictionẽ paterem, quemadmodum & euenit, et nostis. 2 Tim. 3: Sed et omnes qui uolũt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionẽ patientur. Autor epist. ad Ebr. 12: Quis enim est filius, quem non castigat pater? Quòd si alienis estis à castigatione, cuius participes sunt omnes, igitur spurij estis, & nõ filij. Autor etiam epist. Iacobi 1. & 5. capitib. ostendit, pios uarijs tentationibus uexari.

Huc etiam pertinent exempla primæ Ecclesiæ & Apostolorum, quæ passim affliguntur ab impijs, ut patet ex Actis & epistolis Pauli. Definitionem eandem, quam ex doctrina Christi suprà construximus, etiam Apostoli

Apostoli confirmant, nempe quòd crux Ecclesiæ, sint omnis generis afflictiones, quæ pijs accidũt præter meritum: præcipuè uerò, quæ propter nomen Christi inferuntur, ut probentur, erudiantur, & innotescant ueri Christiani, ac Deus in ipsis celebretur, quemadmodum sequentia declarabunt.

Afflictiones Ecclesiæ, alias esse internas, alias exteras, Paulus docet 2 Cor. 7. In omnibus affligebamur, foris pugnæ, intus terrores. & Petrus tentationẽ diaboli, afflictionẽ appellat, 1 Pet. 5: Et externorũ afflictionum meminit, quales sunt molestiæ, alapæ, obtrectationes, probra: 1 Pet. 2. 3. 4. Alias etiam spirituales esse, alias uerò corporales, constat ex Ephes. 6: Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, &c. Verùm de his postea prolixius.

Causarũ uaria sunt genera, quarũ meminerũt Apostoli. nam Deũ faciunt crucis piorũ autorem, ut qui uelit & permittat eos affligi & exerceri propter bonos fines, de quibus dicemus postea. Petrus enim inquit 1 Pet. 2: Hæc est gratia, si quis propter conscientiã Dei sustinet molestias, præter meritũ affectus malis. Quæ enim est laus, si cum peccantes alapis cædimini, sufferetis? at si cum benefacitis, et tamen malis afficimini, sufferetis. Hæc enim est gratia apud Deũ, siquidem in hoc uocati estis: quoniã & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius. & 1 Petri 3: Præstat enim ut benè agentes, si ita uelit Dei uolũtas, malis afficiamini, quàm malè facientes. & 1 Pet. 4 dicit, crucem Dei iudiciũ esse, quod in domo eius incipiat. & Ioannes Apoc. 2 ex epist. Christus 1 Cor. 11: Cum iudicamur, à Domino corripimur. Phil. 1: Hoc à Deo, quia uobis donatũ est pro Christo, nõ solùm ut in eũ credatis, uerùm etiã ut pro illo patiamini. Autor epist. ad Ebr 12, ex Prouerbijs citat insignẽ sententiã: Fili mi, ne neglexeris correptionẽ Domini, neq; deficias cum ab eo argueris. Quẽ enim diligit Dominus, corripit: flagellat aũt omnem filiũ, quẽ recipit. Si castigationẽ sustinetis, ueluti filijs sese offert Deus.

Effectorem uerò calamitatũ Ecclesiæ diabolum esse docent, ut qui propter ἀστοργίαν odium machinetur eis internas & externas afflictiones, in perpetuum eorum interitũ. Nam Petrus diabolũ obambulare, et quærere quem deuoret, dicit 1 epist. 5. Ioannes etiã operũ diaboli meminit 1 epist. 3. Idem inquit: Malus ille non tangit eum. 1 Ioan. 5 Et Apoc. 12 ostendit draconẽ magnum, serpentem antiquum, qui appellatur diabolus et Sathanas, seducere totum terrarũ orbem, & oppugnare mulierem, hoc est Ecclesiam, & accusare eam ante conspectum Dei, die ac nocte. Paulus etiam Sathanam Ecclesiam affligere passim docet. nam Rom. 16 optat Romanis, ut Deus cõterat Sathanam sub pedes eorum breui. & 2 Corinth. 11 dicit Sathanam transfigurari in angelum lucis, scilicet ad decipiendũ pios. Iaem 2 Corinth. 12 nuncium Sathanæ se colaphis cædere affirmat. & Ephes. 6 assultuum diaboli eum q; ignitorum telorum meminit. & 1 Thessal. 2, si um uter Thessalonicãm à Sathana impeditum esse dicit.

Organa uerò diaboli, quorũ opera & labore in afflictãa Ecclesia utitur, docent esse mundum, hoc est homines, eosq; nõ infimos, sed omnium summos ad clauum Ecclesiæ & rerum publicarũ sedentes, loco, eruditione, sapientia, uirtutibus, autoritate & amplitudine & potentia insignes, Ecclesiæ titulo ornatos, et quidem domesticos Ecclesiæ, hoc est, falsos fratres. Nam Petrus 1 epist. 2, haud obscurè ostendit, dominos prauos, Christianos afflicturos. & 1 epist. 3 meminit eorũ qui detrahant Christianis, tanquã sceleros is: quo notat politicos dominos, q Christianos tanquã seditiosos affligunt. & 1 Pet. 4 meminit eorũ qui probris afficiant pios in nomine Christi, & qui spiritum Dei maledictis afficiant: quo notat, ad gubernacula Ecclesiæ sedentes. 2 Pet. 1 falsos doctores, Ecclesiã affligentes describit. Ioannes, mundum, piorum esse osorem & persequutorem docet: 1 Ioan. 3 & 5. Antichristi etiam, & falsorũ fratrum meminit 1 Ioan. 2. 4. & epist. 3 Diotrephen ut fratrũ afflictorem accusat. Idem in Apocalypsi Antichristum & reges terræ, piorum persequutores passim prædicit: Apoc. 11. Bestia quæ ascendit de abyssо, faciet aduersus eos bellum, & uincet illos, & occidet eos: Apoc. 13. & datum est illi facere bellum cum sanctis, & uincere eos: Apoc. 16 & 19.

Paulus etiã principes huius seculi, nobiles, fortes, potentes, sapientes, Ecclesiæ hostes esse docet. Ro. 8. & 1 Cor. 1. 2. Iudæos et cõtribules: 1 Thes. 2. Falsos fratres: 2 Cor. 11. Natos secundũ carnem: Gal. 4. Filios contumaces agitatos à diabolo: Eph. 2. Et excæcatos ab eodem: 2 Cor. 4. Autor epist. Iac. diuites dicit tyrannidem in Christianos exercere, eosq; ad tribunalia trahere: Iac. 2. & condemnare & occidere: Iac. 5.

Huc etiam exempla faciunt. nam primæ Ecclesiæ Hierosolymis ab Apostolis collectæ hostes & persequutores sunt, gubernatores ecclesiastici & politici regiminis, ut sacerdotes, magistratus templi, Sadducæi, molestè ferentes q; docerent populũ. Item postero die cõgregantur principes eorũ, et seniores, et scribæ Hierosolymis, & Annas princeps sacerdotũ, & Cayphas, & Ioannes & Alexander, & quotquot erãt de genere pontificio. item Herodes, Pontius Pilatus, gentes, & populus Israel. Act. 5. Stephanũ persequũtur Synagogici falsi testes, & conciliũ: Act. 6 & 7. Saulus nomine principis sacerdotum per synagogicos Damasci parat affligere Christianos: Act. 9. Iudæi ineunt consiliũ de Paulo Damasci interficiendo, & accedit regis Aretæ autoritas & potentia: Act. 9. 2 Cor. 12. Iacobũ Herodes in gratiam Iudæorũ interficit, & Petrũ carceri includit: Actor. 12. Antiochiæ in Pisidia Iudæi extimulant mulieres religiosas & honestas & primos ciuitatis, & excitant persequutionẽ in Paulũ & Barnabam: Act. 13. Philippis Domini puellæ Pythonis spiritũ habentis Paulũ & Silam trahunt in forum ad principes, & offerunt eos magistratibus: Act. 16. Iudæi increduli & circũforanei uiri mali, & turba & principes ciuitatis persequũtur Paulũ: Act. 17. Demetrius faber argentarius, & alij opifices, suum quæstũ imminui uidentes per concionẽ Paulũ & turba furiosa Paulũ, Gaium, Aristarchũ, Alexandrum affligũt in Epheso: Act. 19. Sic cum Paulus Hierosolymis postremò capitur, & Romã mittitur captiuus: persequutores sunt Iudæi, principes sacerdotũ, Ananias, conciliũ, seruus Paulo alapam impingens, Tribunus, Act. 21, 22. 23. Tertullus orator seu

iurisperitus, calumnioſe Paulũ accuſans: Felix, Feſtus, detinentes hominẽ innocentem captiuum: Act. 24. 25. 26. Iudæi Romani. Act. 28. & Cæſar nõ dimittens Paulum è carcere: Act. 28. & Nero, quem leonem appellat: 2 Tim. 4. Alexander faber ærarius: 2 Tim. 4.

Nec minimã afflictionum & tentationũ cauſam eſſe docent ueterem Adamum cum ſuis prauis cõcupiſcentijs, & malis fructibus. nam Petrus 1 epiſt. 2, concupiſcentias militare aduerſus animã dicit. Et Paulus: Carnem aduerſus ſpiritum luctari, & impedire ut nõ faciamus quæ uelimus, affirmat. Galat. 5. qui etiam Rom. 7, lamentabili deſcriptione eam pugnam carnis & ſpiritus in ſe ipſo depingit. et Roman. 8 actiones carnis ſpiritu mortificare iubet. Autor etiam epiſt. Iacob. 1 ait: Ne quis, cum tentatur, dicat ſe à Deo tentari. Nam Deus, ut malis tentari non poteſt, ita nec ipſe quenquã tentat. Imò unuſquiſq; tentatur, dum à propria conſcientia abſtrahitur & ineſcatur. Deinde concupiſcentia poſteaquã concepit, parit peccatum, peccatum uerò perfectum progignit mortem.

Veras aũt cauſas, ob quas diabolus & mundus perſequatur ueram Eccleſiam, has commemorant. Nomen Chriſti, Chriſtus enim de Paulo inquit: Ego oſtendã illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Act. 9. 1 Pet. 4: Si probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis. Act. 21 Paulus inquit: Ego non ſolùm uinciri, ſed mori etiã paratus ſum Hieroſolymis p nomine Domini. Propter conſcientiam. 1 Pet. 2: Nam hæc eſt gratia, ſiquis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias, præter meritũ affectus malus. Propter iuſticiã. 1 Pet. 3: Si quid etiam acciderit incommodi propter iuſticiã, beati tamen eſtis. 1 Ioan. 2: Propter quid Cain occidit fratrem? quia opera eius erant mala, fratris aũt iuſta. Propter bonam in Chriſto conuerſationem. 1 Pet. 3. & 2 Tim. 3: Omnes qui in Chriſto piè uolunt uiuere, perſequutionem patientur. Propter confeſſionem. 1 Pet. 3. Apoc. 1: Ioãnes eſt in Patmo propter teſtimoniũ Ieſu. Apoc. 6: Animæ interfectorum propter uerbum Dei, & propter teſtimoniũ, ſubter altari cõſpiciuntur. Ro. 8: Propter te mortificamur tota die. 2 Corinth. 4: Credidi, ideò loquutus ſum. Propter miniſteriũ uerbi, quo mundi peccata arguunt, & diaboli regnum expugnant. Epheſ. 3: Paulus uinctus eſt pro gentibus. 2 Tim. 2: Omnia perfero propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur. Plura teſtimonia in loco de miniſterio in hanc ſententiam colligimus.

Non aũt has cauſas Chriſtianis ſemper palàm proponi, ſed alia crimina, & quidẽ grauiſſima, eis fàlsò inũcdi, quo maiori hominũ applauſu et tutius è medio tollãtur, exempla demonſtrant. Non ſolùm conciliũ Hieroſolymitanũ primùm quidem præcipit Apoſtolis, ne omnino loquantur, aut doceant in nomine Ieſu, Act. 4. ſed poſtea grauius quoque eos accuſant uiolati decreti ſenatus, & ſeditionis. inquiunt enim: Non ne etiã atq; etiam præcepimus uobis, ne doceretis in nomine iſto? & ecce replestis Hieroſolymã doctrina uestra, et uultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius. Act. 5 Stephano affingitur crimen blaſphemiæ à fàlſis teſtibus, quòd contumelioſa loquutus ſit aduerſus locum ſanctum & legem. Act. 6 & 7 Paulus & Silas Philippis accuſantur, his criminationibus: Hi homines conturbãt ciuitatem noſtrã, cum ſint Iudæi, & annuncient inſtituta quæ non licet nobis ſuſcipere, neque ſeruare, cum ſimus Romani. Act. 16. Idem crimen eis à Iudæis Theſſalonicæ quoq; obijcitur. inquiunt enim: Hi qui terrarum orbem conturbarunt, huc quoq; uenerunt, quos clanculum excepit Iaſon, & hi omnes contrà decreta Cæſaris faciunt, Regem alium dicentes eſſe Iesum Chriſtum. Act. 17 Paulus etiam Hieroſolymis in templo capitur, hoc prætextu, quòd aduerſus populum & legem & locum ſanctũ omnes ubiq; doceat, & Græcos induxerit in templũ, & profanarit euom locum ſanctum. Act. 21, Annas ſummus ſacerdotum & ſeniores, per oratorem Tertullum, ad præſidem his criminibus Paulum deferunt: Nacti ſumus uirum hũc peſtiferum, & concitantem ſeditionem omnibus Iudæis, in uniuerſo orbe, & autorem ſectæ Nazarenorũ, qui etiam templum profanare conatus eſt. Idem de ſe 2 Timoth. 2 dicit, quòd ob Euangelium malis affligatur, quaſi facinoroſus uſque ad uincula. Et de communi Apoſtolorum & Chriſtianorum fortuna dicit, quòd malè audiant, & conuicijs afficiantur: 1 Corinth. 4. Et quòd habeantur quaſi impoſtores: 2 Corinth. cap. 6.

Solenne igitur eſt, ut Chriſtianis crimina ſeditionis & blaſphemiæ à perſequutorib. affingantur, quibus tamen nõ ſunt obnoxij. Nam Petrus prohibet pios affligi, ut homicidas, aut fures, aut facinoroſos, aut curioſos alienarum rerum: ſed ut Chriſtianos, hoc eſt inſontes eiuſmodi ſcelerũ, licet fàlſis criminationib. deformẽtur.

Formæ afflictionũ hæ ferè paſsim recitantur ab Apoſtolis. Inſidiæ diaboli, 1 Pet. 5. Epheſ. 6. 1 Ioan. 2, Apoc. 12. Ignita tela eius, Epheſ. 6. Terrores conſcientiæ, 2 Corinth. 7. Stimulus per carnem, nuncius ſathanæ, 2 Corint. 12. Infirmitates & anxietates, 2 Corinth. 12. Curæ & ſolicitudines. 2 Corinth. 11: Labores, moleſtiæ, uigiliæ, fames, ſitis, ieiunia, frigus, nuditas. 2 Corinth. 6 & 11. 1 Corinth. 6. Rom. 8. Pericula omnis generis, itinerationes. 2 Corinth. 11. Haberi pro ſtulto, contemptum eſſe, incertis uagari ſedibus, laborare proprijs manibus, malè audire, cõuicijs affici, perſequutionem pati, haberi pro excrementis mundi & omnium reiectamentis, eſſe ſpectaculũ mundo et angelis & hominibus, colaphis cædi, haberi pro mortis addicto. 1 Corint. 4. Rom. 8. Alapis cædi, 1 Pet. 2. Probris affici, 1 Pet. 4. Morbi, 2 Corinth. 1. Sententiam mortis acceperamus in nobis ipſis. Ignominia, cõuicia, haberi pro impoſtore, pro ignoto, pro dolente, p pauperrimis & miſerrimis inter omnes homines. 2 Cor. 6. Verbera, plagæ: 2 Corinth. 6 & 11. Cædi uirgis, 2 Corinth. 11. Actor. 5. Includi carcere, 2 Corinth. 6 & 11, & in Actis paſsim. Vinculis conſtringi, 2 Timoth. 2. Epheſ. 3. Naufragium agere in profundo, 1 Corinth. 11. Lapidari, 2 Corinth. 11. Actor. 7. Capite truncari, Act. 12. Spoliari ſuis bonis, Ebræ. 10. Direptiones facultatum ueſtrarum cum gaudio accepiſtis. Exilia, Actor. 13. & 18. Aquila & Priſcilla à Claudio Roma eijcitur cum alijs Iudæis. Interfici. Iac. 5. Interfectus iuſtum. Excommunicari, 3 Ioannis.

¶ Argumenta quibus pij in cruce ſeſe conſolari debeant, multa proponũt, quæ partim à cauſis, partim ab effectibus ducuntur. Primum, quòd nõ caſu, aut Deo ignorãte, ſed Deo ſciente et permittente ob bonos fines affligantur

affligantur pij. 1 Pet.2: Hæc est gratia, si quis propter conscientiã sustinet molestias, præter meritum affectus malis. & 1 Pet. 3: Præstat enim ut benè agentes, si ita uelit Dei uoluntas, malis afficiamini, quàm malefacientes. 1 Petri 4: Qui affliguntur iuxta uoluntatem Dei. Apoc.3: Ego quoscunq; amo, arguo & castigo.

Secundum, quòd nihil insoliti accidat ijs, siquidem ad crucem ferendam uocati sint à Deo. 1 Pet. 2: Siquidem in hoc uocati estis. & 1 Pet.4: Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum uestri fit, perinde quasi nouum aliquod uobis obtingat: imò in hoc, quòd consortes estis afflictionum, gaudete. & 1 Thes.3: Ipsi nostis, nos in hunc usum, sciticet ut patiamur cum Christo, positos esse. 2 Timoth. 2: Omnes qui in Christo Iesu piè uiuere uolunt, &c.

Tertium, quòd oporteat nos conformes fieri Christo, Apostolis & alijs pijs, qui plurimas sustinuerũt afflictiones. 1 Pet.2: Quoniã et Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ, ut insequeremini uestigia eius. Et Ioannes ab exemplo Christi argumentatur: Ille posuit animam suam pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere: 1 Ioan.3. Allegat etiã Paulus exemplum Christi, Rom. 8. Siquidem cum illo patimur: Philip.2. 1 Thess. 2. 1 Tim.6. 2 Tim. 2. Autor etiã epist. ad Ebr. 12: Respicientes ad fidei ducem, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, &c. reputate igitur, quòd is talem sustinuerit à peccatoribus aduersus se contradictionem, ne defatigemini, animis defecti, &c. De exemplis aliorũ piorum Petrus 1 epist. 5 inquit: Scientes easdem afflictiones uestræ quæ in mundo est fraternitati, consummari. Idem, exempli Noha & Loth, quos impij excruciarunt, obiter meminit, 2 Pet. 2. Ioannes etiam exemplum Abel proponit 1 Iohan. 3. Paulus Thessalonicensibus proponit exemplũ Christi, Prophetarum, Apostolorũ & Ecclesiarum in Iudæa: 2 Thessal. 2. Idem Timotheo suum quoque proponit exemplum, 2 Tim. 3. Idem etiã Corinthijs & pseudoapostolis ob oculos ponit 2 Cor.11 & passim. Thessalonicensium exemplũ dicit se in Ecclesijs passim commendare, 2 Thess. 1. Autor epist. ad Ebræ.11, exempla Patriarcharũ & Prophetarum multa allegat. & epistola Iacobi 5 inquit: Exemplum accipite fratres mei, afflictionis & patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini: tolerantiam Iob audistis.

Quartum, quòd causa, ob quam affligamur, non sit nostra, sed Dei & Domini nostri IESV Christi: & quòd illæ criminationes quibus deformamur, non sint ueræ, sed falsæ. Huc pertinent testimonia paulo antè de causis ueris & falsis commemorata.

Quintum, quòd afflictiones breue tempus, & tantùm in hac uita debeant durare. 1 Pet. 1: Nunc afflicti ad breue tempus. Christus in epist. ad Smyrnensem inquit: Habebitis afflictionem dierum decem. Apoc. 2: Et mulierem quæ Ecclesiam significat, Apoc.12 ostenditur in deserto ali per tempus & tempora, & dimidium temporis: quod cõmuniter intelligitur de tribus annis & dimidio, quod plerunq; solet esse spacium grauissimarũ persequutionum Ecclesiæ. Paulus etiã 2 Cor. 4, afflictiones piorum momentaneas, temporarias & leues uocat. & Rom. 8, non dignas ut cum futura gloria comparentur. Autor epist. ad Ebræ.10, etiam à breuitate temporis suos cõsolatur: Adhuc perpusillum temporis, & qui uenturus est ueniet, & non tardabit.

Sextum, quòd Deus promittat se sua præsentia, missione Spiritus sancti & consolatione ita moderaturum tentationes & afflictiones, ut tolerari queant. 1 Pet. 3: Terrore illorũ ne terreamini, neq; turbemini, sed Dominũ Deum sanctificate in cordibus uestris. et 1 Pet.4: Quoniam gloria Dei & spiritus super uos requiescit, iuxta ipsos quidẽ maledictis afficitur, iuxta uos autem glorificatur. 1 Petri 5: Humiliemini sub potenti manu Dei, ut uos extollat, cum erit opportunũ. Idem 2 Pet.2: Nouit Dominus pios è tentatione eripere. 1 Ioan. 4: Vos ex Deo estis filioli, & uicistis eos, quoniam maior est q in uobis est, quàm qui in mũdo. Christus ad episcopum Philadelphiensem, in epistola sua Apoc. 3 inquit: Quoniam seruasti sermonem patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ uentura est in orbem uniuersum, ut tentet habitãtes in terra. & Paulus Rom.5: Ideò pios in cruce gloriari ostendit, q. Spiritus sanctus in ijs habitet. Idem Ro. 8 spiritum auxiliari infirmitatibus piorũ dicit. & 2 Cor.1: Benedictus Deus, &c. consolans nos in omni afflictione nostra, in hoc ut possimus consolari eos qui sunt in quauis afflictione, per cõsolationem, qua nosipsos cõsolatur Deus. Quoniã sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christũ abundat & consolatio nostra. & 2 Cor. 7: Verùm qui consolatur humiles, cõsolatus est nos Deus per aduentũ Titi. Idem de præsentia Christi iurtutem suam in infirmis perficientis, multum gloriatur: 2 Corinth. 12 & 13. Ibidem in fine inquit: Deus charitatis & pacis erit uobiscum. Idem eleganter 1 Cor. 10 inquit: Fidelis est Deus, qui nõ sinet uos tentari supra id quòd potestis, imò faciet unà cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. 1 Cor.1: Deus cõfirmabit uos usq; ad finem inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi. Idem 2 Cor. 4, premi quidem pios dicit, at nõ destitui, propter Dei auxilium. Phil. 1: Persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. 1 Thes. 5: Fidelis est qui uocauit uos, qui idem efficiet. 2 Thess.1: Deus cõpleat omne bonũ propositum bonitatis, et opus fidei cum potentia. Maximè uerò insignis est sententia Roman. 8: Quis separabit nos à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculũ? num gladius? Quemadmodũ scriptum est: Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus uelut oues destinatæ mactationi. Verùm in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Autor epist. ad Ebræ. 13, Siquidem ipse dixit: Non te desero, neq; derelinquo. ut fidentes dicamus: Dominus mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo. Huc etiã exempla miraculosarum liberationum pertinent: ut Petri, qui per angelum ex carcere ducitur: Act. 12. Pauli qui lapidatus reuiuiscit: Actor.14. Pauli & Silæ, Actor.16. & Pauli liberationes exuarijs periculis, 2 Corinth. 11 cõmemorantur.

rantur. & 2 Tim. 3 & 4. Exempla aliorum Apostolorum suppeditant eorum historiæ.

Septimum, quòd amplissima præmia in hac & futura uita recepturi sint ij, q propter iusticiã & cõfessionem affligãtur: nam Petrus 1 epist. 3 inquit: Si quid incommodi acciderit propter iusticiã, beati tamen estis. Idem 1 epist. 4: In hoc quòd consortes estis afflictionũ Christi, gaudete, ut in reuelatione quoq; gloriæ eiusdẽ gaudeatis exultantes. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis, quoniã gloria & spiritus Dei super uos requiescit. 1 Iohan. 3: Cum apparuerit, similes ei erimus. Christus in epistolis ad septem ecclesias Asiæ, promittit ijs q crucem piè & constanter ferant, coronam uitæ, liberationem à morte secũda, manna absconditũ, calculum candidũ, & in eo nomen nouum scriptũ, quod nemo nouit, nisi q accipiat potestatem super gentes, stellam matutinam: Apoc. 2. Qui uicerit, uestietur uestimentis albis, & nõ delebo nomen eius de libro uitæ, & cõfitebor nomen eius corã Patre meo, & coram angelis eius: Apoc. 3. Item: Qui uicerit, faciam illũ columnam in templo Dei mei, & foras nõ egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, &c. Item: Qui uicerit dabo ei sedere mecũ in throno meo: Apo. 3. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ, & mors ultrà non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor erit: Apoc. 21. Paulus etiam passim insignes sententias recitat de præmijs crucis. Rom. 8: Siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cũ illo glorificemur: nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. 1 Cor. 15: Itaq; fratres mei dilecti, stabiles sitis, immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, cum sciatis quòd labor uester nõ est inanis in Domino. 2 Cor. 4: Propterea non defatigamur, sed quamuis externus homo noster corrũpitur, internus tamen renouatur in dies singulos: nam momentanea leuitas afflictionis nostræ mirè supra modum æternũ pondus gloriæ parit nobis, dũ nõ spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ nõ uidentur. Nam quæ uidentur, temporaria sunt: at quæ non uidentur, æterna. Idem ad Philip. 1: Nec in ullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis quidem est causa perditionis, uobis aũt salutis. Idem 1 Thess. 4 pios iubet se cõsolari doctrina de resurrectione mortuorũ. & 2 Thess. 1 dicit, Deum relaxationem redditurũ afflictis, cum reuelabitur Dominus noster Iesus Christus, cum angelis potentiæ suæ. 2 Tim. 1 Paulus Timotheũ & se cõsolatur in cruce, quòd Deus potens sit depositũ suum custodire in illũ diem. & 2 Tim. 2, ab exemplo militis cohortatur eum, ut ferat afflictiones, & cogitet legitimè certantem coronã accepturum. Eodẽ ferè modo 1 Corint. 9, currentium in stadio et palæstricã exercentium, deposito aliquo certo præmio, exemplũ allegat. & 2 Tim. 2. Certus sermo: nam si cõmortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos: si increduli sumus, ille fidelis manet, seipsum negare nõ potest. Idem 2 Tim. 4: Ipse iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonũ decertaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quã reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligũt aduentum ipsius. Autor epist. ad Ebræ. etiã hoc argumento, à præmijs scitet, cohortatur suos ad constantiam in cruce. Ebræ. 10: Redeant autem uobis in memoriam superiores dies, in quibus illuminati, ingens certamẽ sustinuistis afflictionum: partim quidem, dum & probris & pressuris afficti, spectaculo fuistis omnibus, partim dum consortes ita conuersantium facti estis. Siquidem & afflictionibus quæ ex uinculis meis contigerunt, participes fuistis, & direptionem facultatum uestrarũ cum gaudio accepistis, scientes, uos in uobis habere priorem substantiam in cœlis ac manentem. Ne abiecceritis igitur fiduciã uestram, quæ magnam habet præmij retributionem. Idem Ebræ. 12: Omnis castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij, sed molestiæ. at postea fructum tranquillum iusticiæ reddit, his qui per illã fuerint exercitati. Autor epist. Iac. 1: Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus erit, accipiet coronam uitæ, quã promisit Dominus his à quibus dilectus fuerit.

Octauum, quòd ij qui non ferant crucem Christi, aut ad eadem declinandam utantur illicitis mediis, nõ possint esse discipuli Christi, & in hac & futura uita puniantur. Nam 1 Pet. 4: Si primùm iudiciũ Dei incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non credunt Euangelio? Et si iustus uix saluus efficitur, impius & peccator ubi comparebit? Idem 2 Pet. 2: minatur pœnam ijs qui ab agnita ueritate deficiũt, quouis modo. Ioannes etiã, negantes Iesum esse Christum, 1 Ioan. 2. & Christum in carne uenisse abnegantes, 1 Ioan. 4: & in doctrina Christi nõ manentes, membra Antichristi, & nõ Christi esse dicit. Idem in Apoc. 2 & 3, ex epist. Christi refert pœnas, quibus Christus affecturus sit eos, qui non pro confessione patiantur. Apoc. 3: Si non uigilaueris, ueniã ad te tanquã fur, & nescis qua hora uenturus sim. Ibidem ad Laodicensiũ angelũ Christus inquit: Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; feruidus, utinam frigidus esses aut feruidus. incipiã te euomere ex ore meo, quia dicis: Diues sum, & ditatus sum, & nullius egeo: & nescis quòd tu es miser, & miserabilis, & pauper, et cæcus, ac nudus. Apoc. 14 & 19 & 21 describũtur pœnæ illorum qui à Christo ad Antichristum defecerunt. Paulus Galatas à fide deficientes, & crucem Christi impiè amolientes, per circumcisionis & legis Mosaicæ susceptionem, ut necessariam ad salutem, dicit frustrà passos esse: Gal. 3 & 6. idem Galat. 4 inquit: Metuo de uobis, ne frustra laborauerim erga uos. Idem 1 Thess. 3 testatur, laborem inanem fieri in ijs qui à confessione deficiunt. & 2 Timoth. 2 inquit: Si negamus, & ille negabit nos. Autor epist. ad Ebr. 10 docet, eos qui se subducant & pati nolint, non probari Deo, & in perditionem incidere. Idem Ebr. 12 spurios & non filios Dei appellat eos, qui non castigentur à Deo.

Nonum, quòd Deus persequutores Ecclesiæ in hac & in altera uita sit puniturus. Nam Petrus 1 Pet. 4 dicit, eos qui affligunt pios, reddituros esse rationẽ, ei qui paratus est ad iudicandũ uiuos & mortuos. Idem 2 Pet. 2, ab exemplo diluuij & Sodomorũ infert, Deum nosse Loth è tentatione eripere, & iniustos in diẽ iudicij puniendos seruare. Ioannes Apoc. 6 elegãtem imaginem proponit de animabus propter uerbũ Dei interfectis, subter altari expectãtibus uindictã: quibus respõdetur, ut requiescãt adhuc tempus modicũ, donec cõpleantur conserui

cõseruí eorum & fratres eorũ qui interficiendi essent, sicut & illi. Apoc. 13 etiam dicitur, eos qui in captiuitatem pios duxerint uicißim in captiuitatem ductũ iri: & q gladio occiderint, gladio occisum iri. Apoc. 16, de ætrinã Euãgelij prædicitur. Idẽ fit Apo. 19 & 20. Pauus etiã à pœnis persequutorũ cõsolatur Philippenses, quòd persequutio hostibus sit causa perditionis. Phil. 1. et Thessalonicensibus dicit, Iudæis irã Dei finalem iam imminere, 1 Thessal. 2. & 2 Thes. 1 inquit: Iustum est apud Deũ, reddere ijs qui affligũt uos, afflictionem: & uobis qui affligimini, relaxationem, &c. Autor etiam epist. Iac. 5, à pœnis persequutorum consolatur pios.

Decimum, quòd aliàs pios etiã oporteat mori, ideò propter Christũ potius esse oppetendã mortem, quàm naturæ reddendã. Nam Petrus 1 epist. 1, uitam Christianorum tempus incolatus uocat. & 1 epist. 4 inquit: Qui affligũtur iuxta uoluntatẽ Dei, tanquã apud fidelem cõditorem deponãt animas suas. Paulus Phil. 1 cupit dissolui, & esse cũ Christo. Idẽ 2 Cor. 5 dicit: Cum domi sumus in corpore, hoc est dum hic uiuimus, peregrinamur à Deo: confidimus aũt, & magis probamus, peregrè abesse à corpore, & præsentes adesse apud Deũ. Phil. 3 nostram cõuersationem in cœlis esse dicit. & Colos. 3 superna quærere nos iubet. Autor epist. ad Ebræ. 13. Exeamus igitur ad eum extra castra, opprobrium eius portantes: non enim hîc habemus manentem ciuitatem, sed futuram quærimus.

Meminerunt etiã uirtutum, quæ in cruce & tribulationib. exercere debeãt: ut sunt uera Dei agnitio, eiusq; uoluntatis: & fides statuens, Deũ nostras miserias nosse, ijsq; affici, & nobis suo tempore auxiliaturum esse. 1 Pet. 4: Si ut Christianus affligitur aliquis, ne pudeat, imò glorificet Deũ in parte hac. Idem 2 Pet. 1, scientiã & fidem in pijs requirit. & 2 Pet. 2 inquit: Nouit Dominus pios è tentatione eripere. Paulus 2 Tim. 2: Nouit Dominus qui sint sui. 2 Thess. 3: Fidelis est Dominus, qui stabiliet uos, & custodiet à malo. Oratio. 1 Pet. 4: Sitis sobrij & uigilãtes ad orandum. 2 Thes. 3: Orate fratres, &c. ut eripiamur ab absurdis & peruersis hominib. Ephes. 6: Vigilãtes cũ omni sedulitate et deprecatione pro omnibus sanctis. 2 Corint. 1: Spem fixã habemus, quòd etiam posthac erepturus sit, simul adiuuantibus & uobis per deprecationem pro nobis. Huc exempla etiam faciunt, ex quibus cõstat, Apostolos in afflictionibus preces cõiunxisse. Act. 5 orat Paulus: & Silas in carcere, Act. 16. Mansuetudo erga ipsos hostes. Rom. 12: Non uosmetipsos ulciscentes, quin potius date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi ultio, & ego rependam, dicit Dominus: Si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius.

Huc etiam exempla referũtur. Stephanus Actor. 7 rogat pro suis interfectoribus. idem alij absq; dubio etiam fecerũt. Humilitas. 1 Pet. 5: Humiliemini sub potenti manu Dei. 2 Cor. 7: Deus consolatur humiles. Iac. 1: Glorietur frater q est humilis, in sublimitate sua. Patientia, cõstantia, & perseuerãtia. 1 Pet. 4: Terrore illorũ ne terreamini, neq; turbemini. Idẽ 2 Pet. 1: Submigrate in temperãtia patientiã. Apoc. 2: Esto fidelis usq; ad mortem. Ibid. Noui opera tua, &c. & patientiã tuam. Apo. 3: Seruasti sermonẽ patientiæ meæ. Ro. 5: Gloriamur super afflictionibus, scientes q afflictio patientiã pariat, patientia probationẽ, probatio spem. 2 Cor. 6: In tolerãtia multa. Autor epist. ad Ebr. 10: Patiẽtia uobis est opus, ut ubi uolũtatem Dei peregeritis, reportetis promißionẽ. Iac. 1: Exploratio fidei uestræ parit patientiã. Iac. 5: Tolerantiã Iob audistis. Iustitia. 1 Pet. 4: Ne quis uestrûm affligatur ut homicida aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarũ rerum. Alacritas & gaudiũ in ferendis afflictionib. Act. 5: Illi quidem ibant gaudentes à cõspectu cõcilij, q digni habiti essent, ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Act. 20: Spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur, q uincula & afflictiones me manent: uerũ nihil me mouet, neq; uita mea chara est mihi ipsi, ut consummem cursum meũ cum gaudio. Act. 21. respondit Paulus ac dixit, Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego uerò non solùm uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis, pro nomine Domini Iesu. 2 Corinth. 6: Quasi dolentes, semper tamen gaudẽtes. Phil. 2: Quin etiam si immolor super hostia sacrificioq; fidei uestræ, gaudeo & congaudeo uobis omnib. Spes æternæ glorificationis. Ro. 5: Spes non cõfundit. Ro. 8. 2 Tim. 2.

¶ Fines, ob quos Deus permittit Ecclesiam affligi à diabolo & mundo, hos ferè commemorant.

Primùm, ut credentes fiant conformes Christo: 1 Petri 2. Et Christus afflictus est pro nobis: 1 Petri 3. 1 Pet. 4. Apoc. 3. Rom. 8. 2 Tim. 2.

Secundò, ut discernãtur pij & impij, uerè credentes & hypocritæ. 1 Pet. 1: Quo exploratio fidei uestræ, multo precioßior auro, quod perit & per ignem probatur, reperiatur in laudem & gloriam & honorem. 1 Ioan. 2: Vt manifesti fierent, quòd non omnes sint ex uobis. 1 Ioan. 2. 1 Corinth. 11: Oportet enim & sectas in uobis esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter uos. Autor epist. ad Ebr. 12 docet, castigationem filios Dei genuinos à spurijs discernere. Autor epist. Iac. 1, tentationes appellat explorationes fidei.

Tertiò, ut omnes intelligãt in sanctis adhuc esse peccatũ, eosq; esse adhuc imbecilles, & nõ sustentari suis uiribus, sed Dei misericordia. 1 Pet. 4: Tempus est ut iudiciũ à domo Dei incipiat. 2 Cor. 11: Si nos ipsos iudicaremus, nõ corriperemur à Domino. 2 Cor. 4: Habemus thesaurũ in testaceis uasis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis: dum in omnibus premimur, at nõ anxij reddimur: laboramus, at nõ destituimur: persequutionem patimur, at non in ea deserimur. Idem 2 Corinth. 12: Cum infirmus sum, tunc robustus sum.

Quartò, ut calliditatem & potentiã diaboli agnoscamus. 1 Pet. 5. Apoc. 12. 2 Cor. 2. Non enim ignoramus cogitationes sathanæ: Ephes. 6. 2 Cor. 12.

Quintò, ut preces ardentiores ad Deum fundãtur. Actor. 5: Ecclesia in cruce orat. idem fit Act. 12. Paulus cum est Romæ captiuus, in omnibus epistolis quas eo tempore scribit, hortatur ecclesias ad preces.

Sextò, ut discant patientiam, mansuetudinem et humilitatem, & cæteras uirtutes, quæ in cruce exercendæ sunt, ut paulo antè diximus.

Septimò, ut excitetur in ijs desiderium uitæ æternæ: 2 Corinth. 5: Roman. 8. Philippen. 1 & 3. Ebræ. 13.

Octauò, ut mortificetur & subigatur uetus homo,

ne se

ne se extollant pij, & timorem Dei excutiant. 1 Pet. 4, Qui patitur in carne, desistat à peccato. 2 Cor. 4: Externus noster homo corrumpitur, sed internus indies renouatur. 2 Cor. 12: Ne excellentia reuelationum efferrer supra modum, datus est mihi stimulus per carnem, nuncius sathanæ, ut me colaphis cæderet, ne supra modum efferrer. Ebr. 12: Hic aũt ad cõmodum nostrũ scilicet castigat, ut impertiat nobis sanctimoniam suam.

Nonò, ut regnum Christi à mundano discernatur, & manifestum fiat pios habere spiritualia bona, quæ eripi non possunt à persequutoribus. Rom. 8. Philip. 3. Coloss. 3. Ebræ. 10: Scientes uos habere in uobis potiorem substantiam in cœlis, ac manentem.

Decimò, ut persequutiones sint occasio propagandi Euangelij, ut etiam id impij audiant, ne in extremo die sese possint excusare, quasi nõ audierint. Actor. 7. Cum mouetur Hierosolymis persequutio, dispersi fratres passim prædicant Euangelium. Cum Paulus ex uno loco ejicitur, ubi fortè diutius mansisset, uadit ad alium, et ibi quoq; sementem uerbi facit, ut patet ex Actis. Idem Philippen. 1 dicit, suam crucem ad profectum Euangelij sibi euenisse: ita ut uincula sua manifesta facta sint in Christo toti prætorio, & omnibus cæteris. Colossen. 1, Suppleo quod deerat afflictionum Christi, & pro corpore ipsius, quod est Ecclesia.

Vndecimò, ut cõfirmentur alij, quo & ipsi sint constantiores. Ephes. 3: Peto ne deficiatis ob afflictiones meas quas pro uobis tolero, quæ est gloria uestra. Philipp. 1: Vt plures ex fratribus in Domino, freti uinculis meis, uberius auderent impauidè loqui sermonem. Item, idem certamen habentes, quale uidistis in me, & nũc auditis in me. 2 Timoth. 2: Omnia suffero propter electos, ut et ipsi salutem cõsequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria æterna.

Duodecimò, ut ueræ doctrinæ etiã sanguis piorum ferat testimoniũ. Sic Stephanus Act. 7. & Iacobus Act. 12. & Paulus 2 Tim. 4, suo sanguine de doctrina Christi testati sunt. Apoc. 17: Vidi mulierem ebriã de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.

Decimotertiò, ne cum impio mundo pereant. 1 Corinth. 11: At si iudicamur, à Domino corripimur, ne cũ mundo condemnemur. Roman. 8: Omnia timentibus Dominum cooperantur in bonum. Ebræ. 12: Castigatio præsens quidem non uidetur esse gaudij, sed molestiæ. At postea fructum tranquillũ iusticiæ reddit, his qui per illam fuerint exercitati.

Decimoquartò, ut in altera uita fiant gloriosiores. Ro. 8: Si compatimur et conregnabimus. 2 Tim. 2 idem repetitur. & 2 Cor. 4 dicit, momentaneã lenitatem afflictionis nostræ mirè suprà modum æternum pondus gloriæ nobis parare. Idem Petrus 1 epist. 1 & 4 asserit, ubi dicit, afflictos in aduentu Christi quoq; eiusdem gloriæ consortes fore. & 1 epist. 5, ipse Petrus se cõsortem gloriæ Christi, quæ reuelabitur, appellat.

Discernunt aũt Apostoli crucem & passionẽ Christi, ab Apostolorũ & totius ecclesiæ calamitatibus & afflictionibus, eo q, solã Christi passionẽ peccata mundi expiare docent: & quòd nusquã cruci Apostolorum & ecclesiæ hoc attribuũt, quòd uel sua uel aliorum expiet peccata. Nam Petrus 1 epist. 1, tantùm sanguine Christi nos redẽptos esse dicit. & 1 epist. 2: Vnum tantùm Christũ nouit, peccata nostra in corpore suo super lignũ perferentem. & 1 epist. 3, solius Christi, iusti pro iniustis, patientis meminit. Dicit quidem etiã de cruce aliorũ piorum, uerùm ei alios attribuit fines, ut monẽ ostensum est. Ioannes etiã solius Christi sanguinem expiantem nostra peccata nouit, 1 Ioan. 1. 2. 4. 5. in Apo. 5, Christiani sanguine Christi redempti dicũtur, & nõ suo ipsorum sanguine expiasse peccata. & Apoc. 7 de martyribus dicitur: Hi uenerunt ex afflictione magna, & dilatauerũt stolas suas, & dealbauerũt eas per sanguinẽ agni. nõ dicit, per suũ proprium sanguinẽ. Paulus etiã passionem Christi, solã esse expiatricem peccatorum generis humani, 2 Corinth. 5, & alibi passim. Deinde & alijs inquit 1 Cor. 1: Num Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptisati estis? Idem Ephes. 3 quidem dicit se uinctũ esse pro gentibus, sed pro ijs tolerare afflictiones. & Coloss. 1, se supplere quod deerat afflictionũ Christi in carne sua, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. et 2 Timoth. 2, se omnia sufferre propter electos Dei, ut & ipsi consequantur salutem, quæ est in Christo Iesu. Verùm hæc non eam habent sententiam, quòd sua cruce expiet peccata aliorum, sed quòd propter officium suum, quod est plantare & ædificare ecclesiam uerbo Dei, afflictiones & ærumnas sustineat grauissimas, & quòd suo exemplo doceat constantiam in confessione & cruce.

Cum doctrina de cruce hæc ferè pugnare Apostoli monent. Pati non ut Christianũ, sed ut furem, homicidam, facinorosum, curiosum alienarũ rerũ: 1 Pet. 4. Propter peccata sua alapis cædi: 1 Petri 2. & ut maleficum malis affici: 1 Pet. 3. Spontaneam sibi imponere crucem propter superstitionẽ: Col 2. Crucem Christi susceptione falsæ doctrinæ, aut abnegatione Christi adoratione imaginis bestiæ, & susceptione characterum, aut nominis, aut numeri eius, hoc est, susceptare conciliatione Christi et Antichristi, declinare crucẽ et bannũ imperialem, ut emere et uendere possis: Apo. 13. Deficere à fide ob persequutionẽ: Eph. 3. Claudicare à uia ueritatis: Ebr. 12. Nolle pati ob confessionẽ, & uelle esse sine cruce: Ebr. 12. Negare Christũ: 2 Tim. 2. Esse socium persequutorũ & cũ meretrice Babylonica bellũ gerere aduersus sanctos: Apoc. 13, 16 & 19. Esse temerariũ & confidentem, quasi proprijs uiribus posis cõsistere. 1 Cor. 10: Tentatio uos non cepit, nisi humana. Qui stat, uideat ne cadat. Esse neutralem seu adiaphoristam, hoc est, neq; frigidũ, neq; calidum esse in cõfessione: Apoc. 3. Deserere cõstantes doctores in cruce, propter præsens seculũ. 2 Tim. 4: Demas me reliquit, amplexus præsens seculum. Item: In prima mea defensione, omnes me deseruerunt. Dehortari alios à cruce, eorumq; labefactare cõstantiam: Act. 21. Nolle ob ministeriũ Euangelij multas ferre molestias: 2 Tim. 1 et 4. Esse inimicũ crucis Christi ob uentrem: Philipp. 3. Terrore impiorum terreri & turbari, ut confessionem ueritatis abijcias: 1 Pet. 3.

De fuga in cruce, Apostoli nusquã expressè præcepta tradũt. & quidẽ eo quòd ad crucem ferendam cõfatis suam sententiã declarãt, quòd impiam fugam cru-

hortãtur omnes multis argumẽtis, ut suprà ostẽdimus,

cis. qua

cie, quæ sit desertione officij, abnegatione, simulatione, metu, & alijs de causis uitiosis, nullo modo probent: & quidem Paulus non excusat suos collegas, qui fuga sibi consulentes, eum deseruerunt in prima defensione. 2. Tim. 4: Orat enim, ne illis imputetur. imò Demam graiter ob fugam crucis accusat eodem in loco.

Sed tamen extant exempla, ubi Apostoli persequutionẽ passi, aut eam declinãtes, si alij eo in loco fuerũt, qui officio rectè fungi potuerũt, sese ex uno loco in aliũ contulerunt, iuxta speciale Christi mandatum: Si uos in una ciuitate persequuti fuerint, fugite in aliam. Nam Paulus de muris Damascenis à discipulis in sporta demissus, elabitur è manibus persequutorũ: Act. 9. 2 Cor. 11. Paulus & Barnabas de finibus Antiochiæ in Pisidia eiecti, excusso puluere pedum ueniunt Iconiũ: Act. 13. Idem cum cognouissent, quòd Iudæi & gentes Iconiæ, Lystram & Derben, & finitimã regionem, nisi sibi conarentur uim afferre, cõfugiunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & ibi prædicant Euãgelium: Act. 14. Orta persequutione Thessalonicæ, fratres per noctem emiserunt Paulum simul & Silam in Berrhœam: Actor. 17. Et mota persequutione & seditione Ephesi, cum Paulus ad populũ intrare pararet, discipuli nõ permiserunt. & quidam ex Asiæ primoribus, qui fauebant Paulo, mittebãt ad eum, & rogabant, ne sese in theatrum daret: Actor. 19. Sed hæc singularia fuerũt, & ideò sunt facta, ut alijs in locis quoq; per Apostolos, qui habebant uniuersalem uocationem ubiq; docendi, Euãgelium prædicaretur, & ecclesiæ plantarentur. De alijs uerò Christianis similia exempla nõ extant, quòd et ipsi fugerint, nisi pulsi in exiliũ. nam Damasci alij manent: Actor. 9. & Philippis mansisse alios Christianos, & persequutionẽ passos esse, patet ex epistola ad Philippenses, & ex Actis 16. Thessalonicæ etiam alios Christianos Paulo & Sila eiecto commoratos, & à proprijs cõtribulibus afflictos esse, patet ex 1 Thessal. 2. & Act. 17.

DE MIRACVLIS.

Miracula τέρατα & σημεῖα Act. 4 & 5. & Ro. 15 δυνάμεις, 2 Cor. 12 his duobus adnumerantur, & 1 Cor. 12 ἐνεργήματα δυνάμεων, operationes miraculorum: quanquã δυνάμεις etiam interdum significet donũ & uirtutem faciendi miracula, Rom. 15.

Definitionẽ miraculorũ ab Apostolis, uel circa Apostolos editorum, sequentia suppeditabũt, quòd uidelicet sint facta à Deo per Apostolos, uel circa eos, aut elioqui in alijs rebus, præter communem naturæ cursum ordinem edita, ad doctrinam & ministeriũ eorum confirmandum. constitui potest hæc definitio ex Act. 4 & 5. & Ro. 15. & 1 Cor. 12. & 2 Cor. 12.

Duplicia esse miracula, alia uera, alia mendacia, Paulus monet 2 Thes. 2, ubi dicit, Antichristũ aduenturum secundum operationem sathanæ, cũ omni potentia, & signis & prodigijs mendacibus, cũ omni deceptione iniusticiæ. Et Ioannes Apoc. 13 dicit, secundam bestiam facturam signa magna, ut etiã ignem faciat descendere de cœlo in terrã, in cõspectu hominũ. eandem bestiam seu papatũ Romano imperio infusum, & unà dominantem, postea appellat pseudoprophetã, faciem signa coram bestia ueteri, id est Romano imperio politico, ad seducendũ eos, ut accipiãt characterem bestiæ & imaginem eius, scilicet Ius canonicum, Inserim, & similes Christi & Antichristi conformationes.

Differre autem uera à falsis causa efficiente, cum illa à Deo & pijs organis, hæc uerò à diabolo & falsis prophetis fiant: causa formali, cum illa fiant potentia Dei contra naturæ ordinem, hæc uerò sint illusiones: finali, cum illa ad confirmandam ueram doctrinam, hæc uerò ad superstitiones, & errores stabiliendos fiant, sequentia demonstrabunt.

Verorum miraculorũ efficientem causam Deum esse, Apostoli monent. nam Act. 4, Ecclesia in oratione sua inquit: Domine da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum, manum tuã porrigendo in hoc, ut sanatio & signa & prodigia edantur per nomen sancti filij tui. Et Petrus ac Ioannes Act. 4 inquiũt: Per hunc scilicet IESVM Nazarenũ, crucifixum à uobis, & resuscitatũ, adstat iste coram omnibus uobis sanus. & Paulus ac Barnabas in concilio Hierosolymitano narrabant, quæ Deus edidisset signa & prodigia inter gentes per ipsos: Act. 15. Idem Rom. 15, Non ausim loqui quicquam eorũ quæ non effecit Christus per me, in obedientiã gentium uerbo & facto, per potentiam signorum ac prodigiorum, per potentiã spiritus Dei. & 1 Cor. 2, Sermo meus erat in ostensione spiritus ac potentia. Idem 1 Cor. 12, Spiritui sancto adscribit dona sanationum, & operationes miraculorum. Gal. 3, Deũ operari uirtutes in Galatis dicit.

Mendacium & falsorum miraculorũ & prodigiorum diabolum esse causam, Paulus 2 Thes. 2 docet, & Ioannes in Apocal. 13. Vtitur aũt diabolus arte magica & alijs præstigijs, ut patet ex Act. 8. ubi dicitur de Simone, quòd artibus magicis dementarit Samariæ incolas, ut eum haberent pro magna uirtute Dei.

Catalogum miraculorum ex Actis licet cõstituere, ubi quædã tantùm, sed nõ omnia recitãtur: nec Spiritui sancto usum fuit omnia in scripta referre. Notandum aũt est, Apostolos etiã duntaxat uerbo, nullis signationibus crucum, & incantationib. herbarũ & aliarũ rerum adhibitis, sed in solo nomine Iesu Christi miracula edidisse. nam Petrus ad claudũ ex utero matris, inquit: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, et ambula, Act. 3. Petit etiã ecclesia Hierosolymitana, signa & prodigia edi per nomen Iesu Christi filij Dei. Act. 4: Per manus Apostolorũ edebantur signa & prodigia multa in populo, &c. ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerẽt in lectulis & grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat aũt multitudo uicinarũ ciuitatum Hierosolymam, afferens ægros & uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes. Act. 5, ad uocem Petri Ananias & Sapphira expirãt. Act. 5, Stephanus edebat prodigia & signa magna in populo. Act. 6, Philippus etiam signa edidisse in Samaria dicitur. Act. 8 Petrus Aeneam annis octo decumbentem in grabbato paralyticum sanat his uerbis: Aenea, sanet te Dominus Iesus Christus, surge et sterne tibi ipsi. Act. 9: Idẽ positis genibus orat. & postea conuersus ad cadauer Tabithæ inquit, Tabitha surge: at illa aperuit oculos, uisoq; Petro resedit. Act. 9 Paulus ad Elymam magum inquit: Ecce manus Domini super te, & eris cæcus: & cõfestim cecidit in eum caligo & tenebræ. Act. 13, Dabatq; ut signa & prodigia fierẽt per manus Pauli & Barnabæ. Act. 14. Paulus Lystris sanat claudum

claudum uociferans, Surge in pedes tuos rectus. Actor. 14. Paulus & Barnabas signa & prodigia inter gentes edidisse dicuntur. Act. 15 Spiritum Pythonis eijcit, his uerbis: Præcipio tibi per nomen Iesu Christi, ut exeas ab ea: & exijt eadem hora. Act. 16 Paulus Eutychum resuscitat. Actor. 20 idem Publij patrem, febri & dysenteria uexatum, oratione & manus impositione curat. Hoc pacto cæteri quoq; qui habebant infirmitates in insula accedebant, & sanabantur: Act. 28.

Accidisse & alia mirãda facta, Acta testantur. qualia sunt, missio Spiritus sancti in Pentecoste: Actor. 2. Item, exhibitio eiusdem, Act. 8. 10. 19. Eductio Apostolorum è carcere per angelũ: Act. 5. Conuersio Pauli: Actor. 9. 22 & 26. Orante Ecclesia mouetur locus, & implentur omnes Spiritu sancto: Actor. 4. Liberatio Petri per angelum ex carcere: Actor. 12. Visio Petri: Act. 10 & 11. Orante Paulo & Sila, mouetur carcer: Act. 16. Diabolus malè tractat Iudaicos exorcistas in nomine Iesu, quem Paulus prædicabat, dæmonia eijcere conantes: Act. 19. Virtutes non uulgares Deus edebat per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, et recederent ab eis morbi & spiritus mali: Act. 19. Paulus miraculosè cum alijs in naufragio seruatur: Act. 28. Vipera adhærens brachio Pauli, nihil ei nocet, præter Barbarorum opinionem: Act. 28.

¶ Miraculis hos ferè adscribunt effectus: Excitare homines ad rerũ diuinarũ considerationem. sic Act. 2, uehemens ille flatus uenti erumpens cũ fragore è cœlo, et occupans domũ ubi erant Apostoli, excitat multitudinem ut cõueniat, & de re illa inquirat. Mouere hominib. stuporem & admirationẽ. nam Act. 2, stupebant omnes, ac mirabantur inter se dicentes, Quidnam uult hoc esse? Idem accidit Act. 3, cum uident claudũ ambulare. Act. 9 stupebant omnes qui Damasci Paulũ audiebãt, dicentes: Non ne hic est q Hierosolymis expugnabat eos qui inuocabãt nomen istud? Mouere timorem. Act. 5: Exortus est timor magnus super uniuersam cõgregationem, & super omnes q audiebãt hæc. Testari de Christo, quòd sit uerus Messias, & sedeat ad dexterã Dei, & det dona hominibus, colligat & gubernet Ecclesiam per ministeriũ uerbi. nam Petrus Act. 10, miracula à Christo exhibita, quorũ spectatores & contemplatores Apostoli extiterũt, ostendit, testari de eo, q fuerit uerus Messias. Idem Act. 3 monet, curationem claudi ab ipso Christo resuscitato factam esse, ut sit testimoniũ de ipso, quòd sit uerus Messias. Eodem modo etiã miraculosam Spiritus sancti effusionem in Apostolos, testari docet de Iesu crucifixo & resuscitato, q sit Messias, & sedeat ad dexterã Dei, & incipiat colligere sibi Ecclesiam: Act. 2. Idem 2 Pet. 1 indicat, miraculosam Christi in monte transfigurationem, & uocem Hic est filius meus dilectus, testimonium ei perhibere, quòd sit Messias, & quòd doctrina Christi sit uera. Act. 4 Ecclesia Hierosolymitana petit à Deo, ut porrigat suam manum, ut sanationes & signa & prodigia edantur per nomen sancti filij sui Iesu. & Paulus Rom. 1 dicit, resurrectionem Christi esse testimoniũ, quòd sit filius Dei. Miracula igitur tum à Christo ipso, tum per Apostolos & in nomine eius edita, testificantur de persona & officio Christi, & cõfirmant omnes fidei articulos. Præbere testimonia Apostolis, q sint diuinitus uocati à Christo, & gubernentur à Spiritu sancto: & quòd doctrina eorũ nõ habeat hominẽ aliquem auctorem, sed ipsum Deũ, & quòd ea sit ueritissima. Rom. 15 Paulus inquit: Habeo quod glorier per Christũ Iesum, in his quæ ad Deũ pertinent. Non enim audebo loqui quicquã eorum quæ nõ effecit Christus per me, in obedientiã gentium uerbo & facto, per potentiam signorum & prodigiorum, per potentiã spiritus Dei, ut ab Hierusalem usq; ad Illyricum impleuerim Euangelium Christi. Idem in secũda epist. ad Corinth. 12: Nullare inferior fui summis Apostolis, tametsi nihil sum. Signa quidem Apostoli peracta fuerunt inter uos, cum omni potentia, & signis, & prodigijs, & potentibus factis. Idem Galatas iubet colligere ex eo, q per Euangelium Deus eis donauit Spiritum sanctum, & operatus est inter eos uirtutes seu miracula, de ueritate doctrinæ Euangelij: Galat. 3. Autor epist. ad Ebræ. 2, Salutem primùm enarrari cœpit per ipsum Dominum, & c. deinde confirmata est in nos, attestante Deo, & signis et prodigijs simul, uarijsq; uirtutibus, et Spiritus sancti distributionibus, iuxta ipsius uoluntatem. Miracula igitur à Christo & Apostolis ad confirmandam doctrinam Euangelij edita, omnibus temporibus testimonia sunt, & erunt, quæ doctrinam ueram ac diuinam & salutarem esse testantur. Inuitare hominum ad conuersionem: hoc est, ad peccatorum & ueritatis agnitionem, & ad fidem in Christum. nam miraculosa Spiritus sancti exhibitione, & concione Apostolorum multi conuertuntur in die Pentecostes. Act. 2. Et cum Petrus & Ioannes claudum in nomine Iesu sanassent, & ea de re in tẽplo habuissent concionẽ, multi eorum qui audierunt sermonem, crediderunt, & factus est numerus uirorum circiter quinque millia. Act. 4, cum Philippus in Samaria doceret Euangelium, & ederet signa, eijceret dæmonia, & paralyticos & claudos sanaret, fit magnum gaudiũ in illa ciuitate, & conuertuntur & baptisantur plurimi. Actor. 8 Paulus ea tici curatio Lyddæ & Assarone, & Tabithæ resuscitatio in Ioppe, multos ad fidem in Christum pellexit. Actor. 9 Paulus Sergius procõsul uidens Elymam magum excæcari ad uocem Pauli, credidit, admirans super doctrina Domini. Act. 13. custos carceris Philippis terræmotu, quo carcer concutiebatur, excitatur ad conuersionem & fidem in Christum. Act. 16. Ephesi etiam & in Asia, multi ob miracula doctrinam Euangelij suscepisse commemorantur: Act. 19. Confirmare fidem eorũ qui conuersi sunt. 1 Cor. 2: Et sermo meus, & c. nõ erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus & potentiæ. 1 Thes. 1. Euangelium nostrũ fuit erga uos nõ solùm per sermonẽ, sed uerùm etiam per uirtutem, & per Spiritũ sanctum, & per plenitudinẽ multam. Monere de efficacia fidei, quod scilicet ea à Deo impetret corporalia & spiritualia bona. Act. 3: Per fiduciã nominis eius hunc quẽ uidetis ac nostis, cõsolidauit nomẽ ipsius: et fides quæ per eũ est, dedit ei integritatem istam in cõspectu omnium. Act. 14, Paulus intuitus claudũ, et uidens q fidem haberet ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge in pedes tuos rectus. Excitare homines ad glorificandũ Deum & Dominum

Dominum nostrum Iesum Christum. Galat.1. Et glorificabant in me Deum. Actor. 19. Hoc innotuit omnibus, Iudæis simul & Græcis, qui habitabant Ephesi, & incidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu. Esse testimonia & typos rerum spiritualium seu miraculorũ internorum, quæ in Ecclesia per uerbum & sacramenta fiunt: nam quòd Spiritus sanctus uisibili & sensibili modo Apostolis est exhibitus in die Pentecostes, & postea Samaritanis, Actor.8. & Cornelio eiusq; familiæ, Act.10. & Ephesijs, Act.19. testimoniũ est Deum in sensibili modo per uerbum & sacramenta, Spiritum sanctum impartiri credentibus. Sic resuscitatio mortuorum, cuius exempla sunt Act.9. & 20, testimonia sunt, ministerio uerbi in peccatis mortuos semper in Ecclesia resuscitari, & tandem in extremo die omnes reuicturos. Simili modo paralyticorum & claudorum, & febricitantium & cæcorum curationes, uerbo in nomine Iesu Christi factæ, possunt ad effectus spirituales uerbi Dei referri. Pertinent enim miracula ad ministeriũ uerbi, seu ad doctrinam, & non debent inde auelli.

Falsis & mendacibus miraculis, quæ diabolus per pseudoprophetas et Antichristum edit, Paulus 2 Thes. 2. & Ioannes Apoc.13. attribuunt, quòd in eum finem fiant, ut confirment falsa & impia dogmata & superstitiones, & abducant homines à ueritate: quare ijs nõ esse adhibendam fidem, monemur illo dicto, Si nos aut angelus è cœlo uobis prædicauerit aliud Euangelium, &c. anathema sit. Galat.1.

Constat autem etiam hoc ex scriptis Apostolorum, miracula Dei tantùm credẽtibus & saluandis prosuisse, impios uerò ea nihil curasse, aut contempsisse: nam Act.2. impij irridentes donum linguarũ in Apostolis, & adscribunt ebrietati. Actor.4. princeps sacerdotum cum suis collegis, cogitur quidem fateri, perspicuum signum esse diuũ, sed nihilominus oderunt Apostolos, Idem Actor.5. cognoscunt Apostolos ex carcere claustro diuinitus eductos, sed nihilo siũt mitiores. Idem Actor.7. licet Stephanus confirmarit doctrinam suam miraculis, tamen eum persequuntur & occidunt.

Deinde etiam hoc notatu dignum est, miracula ab Apostolis edita, uera fuisse & seria, & non præstigias aliquas, aut res iocosas & ociosas, quales Legendarum fabulatores posterioribus seculis finxerunt de sanctis, quòd aliquis uaccam mortuam suscitarit, alius aues ad se aduolare iusserit, & similes nugas. Nam claudum, quem Petrus & Ioannes in nomine Iesu curant, omnes fateri oportet, ueræ sanitati esse restitutum. Actor.3 & 4. Idem ex alijs miraculis apparet, quorum catalogum suprà posuimus.

Nec hoc silentio prætereundum, quòd Apostoli nusquam affirment, donum miraculorum, præsertim externorũ, omnibus ætatibus æquè fore commune & usitata doctrina Euangelij, miracula etiam illa cessatura. Quare cùm de ministrorum Ecclesiæ officijs loquũtur Apostoli, nusquam inter communia ministerij opera recensent facultatẽ edendi miracula, ut cernere licet 1 Timot.2. & Tit.1. Sed singulare Dei donum esse docet Paulus 1 Cor.12. quod nõ omnib. æquè contingat. inquit enim: Num omnes dona habent sanationum? Præterea non adeò monent, ut homines ad miracula, quæ ab apostolis aut alijs fiunt, respiciant, quàm ad uerbũ Dei & doctrinam, ad quam uolunt omnes obligatos esse. 1 Pet.4. 2 Pet.1. 1 Ioan.3.4. & 2 Ioannis. Galat.1. Postremò, & ipsa historia seculi Apostolorum testatur, miraculorum frequentiam subinde decreuisse.

Veris miraculis repugnant mendacia, à diabolo & eius organis falsis doctoribus & incantoribus edita, 2 Thessalon.2. Apocal.13. Actor.8 & 19. Abuti miraculis ueris ad erroneas opiniones, ut faciunt Lycaones, qui Lystris claudo sanato à Paulo & Barnaba inquiunt, Dij in specie hominum descenderunt ad nos: & uocabant Barnabam Iouem, Paulum uerò Mercurium. Actor.14. idem faciunt barbari in insula Melite, cum uident uiperam Paulo nihil nocere. Adscribere miraculorum editionem uirtuti & pietati Apostolorum, & non Christo. Actor.3. Falsis Antichristi miraculis adhibere fidem, 2 Thessal.2. Doctrinæ Euangelij miraculis olim cõfirmatæ, non uelle hodie prius credere, quàm eadem miracula iterentur. nam de perpetua iteratione, nusquam extat uerbum Dei expressum. Negare, per ministerium uerbi & preces piorum, uirtute Domini nostri Iesu Christi, omnib. temporibus interna, hoc est spiritualia fieri miracula, qualia sunt, exhibitio Spiritus sancti, eiectio dæmoniorum, uiuificatio lapsorum, mirabilis protectio & conseruatio Ecclesiæ, in media cruce liberationes insignes, contra diabolum & externos etiam persequutores.

DE ANTICHRISTO SEDENTE in templo, hoc est, in Ecclesia Dei.

NOmen Antichristus Ioannes usurpat, 1 epist.2 & 4. & 2 Ioannis. Cæteri eam appellationem non habent: sed alijs utuntur, quales sunt Falsi doctores, 2 Pet.2. Illusores, 2 Pet.3. Spiritus erroris, 1 Ioan.4. Filij diaboli, 1 Ioan.3. Seductores, 2 Ioan. Sodoma et Aegyptus, Apoc.11. Bestia, Apoc.11.13 & 14. Babylon, Apoc.14.16.17 & 18. Pseudopropheta, Apoc.16 et 21. Mulier sedens super bestiam, habentem septem capita & cornua decẽ. Item, Babylon magna mater scortationis & abominationum terræ. Item meretrix, Apoc.17. Lupi graues & uiri peruersa loquentes, Act.20. Pseudoapostoli, operarij dolosi, ministri diaboli, assumentes personam Apostolorum & ministrorum iusticiæ, 2 Corint.11. Mali operarij, canes, inimici crucis Christi. Phil.3. Philosophi & deceptores, incedentes per humilitatem & superstitionem angelorum, tradentes doctrinas hominum. Col.2. Homo peccati, filius perditionis, aduersarius Dei & cultuum Dei, mysteriũ iniquitatis. iniquus, 2 Thes.2. Spiritus impostores, tradẽtes doctrinas dæmoniorum, 1 Timoth.4. Homines mali et impostores, 2 Timot.3.

Quòd Antichristus in Ecclesia noui Testamenti, hoc est, in eo cœtu hominũ qui profiteantur Christianismum, sit futurus, ijsdem locis iam allegatis Apostoli testantur. Eam rem etiam experientiam testatam esse, Paulus de suo tempore affirmat 2 Thess.2. ubi inquit, Mysteriũ iniquitatis nũc agit. et Ioannes in Apocalypsi inquit, ea sibi reuelata esse, quæ oporteat fieri citò, Apoc.1. & angelus ad Ioann. Apoc.22. dicit, Ne signaueris uerba Prophetiæ libri huius: tẽpus enim propè est.

Docent autem, Antichristum non fore unã aliquam

tantùm personam, sed integrum regnum, per falsos doctores, in templo Dei, hoc est in Ecclesia Dei, præsidentes sensim, nemine ferè admodũ apertè animaduertente aut existimante, in urbe magna, quæ habet regnũ super reges terræ, hoc est, in Romana ciuitate, & imperio Romano, opera diaboli & fraude & deceptione comparatum: ita quidè ut constet, doctrina Christum quidem profitente, sed tamen eius meritũ & officium abnegante, & leges dæmoniorum ferente, de prohibitione conlugij & ciborum, & cultu ac ceremonijs à Christo institutis, deprauatis, mutilatis, et in alios fines detortis: & gerat utrunque gladiũ, politicum scilicet & ecclesiasticum, cuius summus administrator ostentet se pro Deo, ut qui sit uicarius Christi, & caput Ecclesiæ, & habeat potestatem super magistratum & Ecclesiam, & omnia concilia: & in cuius pectoris scrinio sint repositæ omnes diuinæ & humanæ leges, & possit figere atq; refigere articulos fidei, & habeat facultatem imperandi etiam angelis Dei: cui subesse & parêre in re qualibet, sit dè necessitate salutis: & qui à nemine, licet innumerabiles seducat animas, debeat iudicari, aut interrogari cur id faciat. Hanc descriptionem sequentia declarabunt.

Causam efficientem regni Antichristi principalem, docent esse diabolum. nam Paulus 2 Thes. 2. inquit: Cuius aduentus est secundũ operationẽ satanæ. & 1 Tim. 4. dicit, Spiritus impostores doctrinam dæmoniorum asserturos. et Ioãnes, membra Antichristi filios diaboli uocat, utpote qui ab eo gubernentur. 1 Ioan. 3. & Apoc. 13, Draco autor integri status Antichristi in Romanũ imperium infusi dicitur. & Apoc. 18. Babylon seu antichristus appellatur habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.

Organa diaboli monẽt esse falsos doctores, nihilominus tamen in templo Dei, hoc est, in Ecclesia sedentes, eamq; gubernantes, & miris artibus sanam doctrinam corrumpentes, & primatum in Ecclesia, & dominium externum, quorũ utrunq; à Christo ecclesiasticis personis est prohibitum, affectantes. Act. 20. 2 Pet. 2. Introducent sectas pernicioſas. Item dominationem, hoc est, magistratum contemnunt. 1 epist. Ioan. 2. E' nobis profecti sunt, sed non erant è nobis. & postea: Hic est antichristus, qui negat patrem & filiũ. et 1 Ioan. 4, ostendit antichristum negaturum, Christum in carne uenisse: hoc est, Christum in sua carne integrè nos redemisse et saluasse: sed oportere nostra bona opera etiam aliquid ad salutem conferre. & Paulus 1 Tim. 4 & 6. & Tit. 1. 2 Thes. 2 monet, organa diaboli & membra antichristi fore falsos doctores.

Adiutores uerò & promotores & defensores & patronos falsorum doctorum, regnum antichristi ædificantium, fore reges & principes terræ: maximè uerò bestiam, hoc est, Romanũ imperium & mercatores, & omnes quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ, Ioanni in Apoc. reuelatum est. Apoc. 13. 17. 18. 19.

Deum autẽ permißurum diabolo & impijs, ut tam horrendum & blasphemũ antichristi regnũ instituant, propter suum iustum iudiciũ, quo puniat contemptum & neglectum ueritatis, Paulus docet 2 Thes. 2. pro eo quòd dilectionẽ ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderũt ueritati, sed approbauerũt iniustitiã. Idem 1 Tim. 4, homines defecturos à fide. & 2 Timot. 4. sanam doctrinam non retenturos, sed iuxta concupiscentias suas sibi doctores coaceruaturos, & à ueritate aures auersuros ad fabulas, dicit.

In hunc autem ferè modũ regnum Antichristi paulatim ædificatum iri ostendunt. Primùm illi qui sunt in urbe quæ tenet imperium in reges terræ, Apocal. 17. & in templo Dei sedẽt: hoc est, episcopi Romani, quos omnes pro sinceris doctoribus & successoribus Apostolorum habebũt, instinctu diaboli, 2 Thes. 2. Deficient à fide, seu sana doctrina Euangelij, & introducent sectas pernicioſas, & abnegabunt Dominum qui ipsos mercatus est. 2 Pet. 2. Et Iesum Christum in carne uenisse, hoc est, solum Iesu Christi sanguinem emundare nos ab omni peccato, 1 Ioann. 4. Et nõ manebunt in doctrina Christi 2 Ioann. Deum se scire profitebũtur, sed factis eum negabunt. Tit. 1. Efferentur aduersus prædicatum Deum, hoc est, corrumpent sanam de Deo doctrinam, maximè uerò articulum de iustificatione, quòd non sola fide in Christum iustificemur, sed quòd nostra bona opera etiam aliquid conferant ad salutem coram Deo. & de inuocatione, quòd non in solo nomine Christi, sed etiam in nomine sanctæ matris Christi uirginis Mariæ, beatorum Apostolorum & maryrum, Deus sit inuocandus: atque ita adorabunt draconem, statuas & imagines, Apoc. 13. Et blasphemabũt meritũ Christi, 2 Pet. 2. Apoc. 13. Et horrendã exercebunt idololatriã, Apoc. 18. Alligabunt cõscientias ad traditiones & decreta hominũ, Col. 2. Prohibebũt nuptias clericis & sacrificis, & sic replebunt orbem terræ suis Sodomiticis fornicationibus, 1 ad Tim. 4. Apocal. 11 & 18. Facient discrimen ciborum & dierum, 1 Timoth. 4.

Deinde efferent etiam sese aduersus cultus, hoc est sacramẽta à Christo instituta, et ea partim mutilabũt, scilicet in cœna Domini tantum unã partem porrigendo laicis: partim deformabunt, affigendo uanas & superstitiosas ceremonias, administrãdo ea in lingua peregrina, & extenuando uim eorum. partim ad alios fines, præter eos ad quos à Christo instituta sunt, transferent: quales sunt, cœnam ut incruentum sacrificium offerre Deo pro uiuis & mortuis, atq; ita crucifigere denuò Dominũ nostrum Iesum Christum: ostium inclusam circumgestare, & adorare: baptisare non homines tantùm, sed etiã ligna & lapides & cãpanas, 2 Thes. 2. Tertiò, efferent etiam sese supra Ecclesiam Dei, ita ut in ea sese ostentẽt, quasi sint Deus. quod fieri necesse est hoc modo, ut se caput Ecclesiæ esse dicant, & uicarios Christi, & diuinos homines, in quorum scrinio & pectore habitet Spiritus sanctus, qui soli habeat potestatem exponendi Scripturam, figendi & refigendi articulos fidei, qui errare nequeant, qui sint supra omnia concilia, qui à nemine nisi à solo Deo iudicari possint, nec debeant: qui habeant ius imperandi angelis. 2 Thes. 2.

Vt autem his fidem faciant, edent miracula uirtute diaboli, nihilominus sub nomine Christi: uerùm illa erunt signa & prodigia mendacia, ad decipiendũ homines, ut approbent eorũ falsa dogmata. Huiusmodi mira cula erunt, apparitiones animarum fabulantium de purgatorio,

gatorio petentium pro se missas celebrari, sanationes morborum, quæ accident colentibus statuas, & uouentibus sanctis, & similes. 2 Thess. 2.

Ad fidem etiam suis deceptionibus faciendam à diabolo transfigurabuntur in angelos lucis, 2 Corint. 11. Incedent in humilitate & superstitione angelorum per humilitatem animi & læsionem corporis, Coloss. 2.

Cùm doctrinã syncerã corruperint, & hominibus persuaserint, quòd bonis operibus salus sit comparanda, & quòd merita bonorum operum alienorum, pecunia redimi, & animæ ex purgatorio per missas & indulgentiarum literas liberari queãt, paulatim ijs accrescent plurima bona. 2 epist. Pet. 2. Fictitijs sermonibus de uobis negotiabuntur. Iis uerò auctis, incipient contemnere dominationem, hoc est, magistratum politicum à Deo ordinatum, 2 Pet. 2. & ad se trahent dominium urbis Romanæ: & tandem propter adorationem draconis & doctrinam dæmoniorũ, accipient præmij loco, regna mundi. nam Apoc. 17. dicitur, bestiam quæ habet septẽ capita, & decem cornua, hoc est Romanũ imperiũ, portaturã meretricẽ Babylonicã, hoc est antichristũ: eũq; sessurũ super aquas multas, id est regnaturum super populos, & turbas, & gentes, & linguas.

Imagines seu typi regni Antichristi à Iohanne uisæ, proponuntur in Apocalypsi. nam Apocal. 10. spirituabro: qui in ore dulcis est, sed amarus in uentre. Eo enim lis eius status describitur in angelo speciosо, eiusq; significatur, Antichristi doctrinã rationi plausibilem quidem futuram, sed tamen conscientijs fore carnificinam, & mortem allaturam.

Externus uerò eius status Apocal. 13. in duabus bestijs, & Apoc 7. in meretrice Babylonica, sedente super bestiam coccineam, & aquas multas. gestantẽ poculum aureũ plenũ abominationibus & immundicia libidinis suæ, scortante cum regibus terræ describitur. Iis enim significatur Antichristũ trãsformaturũ regnũ Christi in externum, & gestaturũ gladium politicũ: & imperium Romanũ uulneratũ & distractũ nõnihil, recollecturum, seq; in id immixturum: & deinde, æquo iure unà aliquandiu regnaturum: postea uerò super id adeò ascensurum, ut supremum quasi teneat dominium, & in eo equitet. Membra & ciues regni Antichristi fore docẽt pseudodoctores, 2 Pet. 2. 1 Io. 2. Reges & principes terræ, Apoc. 13. 17. Mercatores, & alios qui fruuntur bonis Antichristi. Apoc. 18. & omnes quorum nomina nõ sunt scripta in libro uitæ, Apocal. 13 & 16. Mores uerò ciuiũ regni Antichristi describũtur 2 Pet. 2. 1 Timoth. 4. 2 Timoth. 3. & alibi passim.

Vbi hoc præ cæteris notandum, quòd mancipia Antichristi, impurissimum & Sodomiticũ genus hominũ fore ostenditur 2 Pet. 2. Carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulãt, &c. pro uoluptate ducentes, si in diem delicijs fruantur, labes ac maculæ, conuiuantes in erroribus suis, insultant uobis, oculos habentes plenos adulterij, & qui à peccando cessare nesciãt, cor habentes exercitatum rapinis.

¶ Officia uerò ciuium regni Antichristi hæc notantur: Credere mendacio, & approbare iniusticiam, 2 Thess. 2. Negare Iesum esse Christũ, 1 Ioan. 2. Negare Iesum Christũ in carne uenisse, 1 Ioan. 4. 2 Ioã. Transgredi, & non manere in doctrina Christi, 2 Ioannis. Attendere spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum, prohibentiũ nuptias & cibos, 1 Tim. 4. Adorare dæmonia & simulachra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea. Apoc. 9. Adorare draconem, Apoc. 13. Adorare bestiam, Apocal. 13. Adorare imaginem bestiæ, Apocal. 13. Accipere characterem bestiæ in manu sua dextera, aut in frontibus, ob cõmoda corporalia, Apoc. 13. Loqui blasphemias & conuiciari Deo, & conuicijs afficere nomen Dei & templũ eius, & eos qui in cœlis sunt: hoc est, sanctis attribuere honorem redẽptionis, interceßionis & exauditionis, qui soli Christo debetur: Apoc. 13. Gerere bellũ contra ecclesiã Dei, eosq; in captiuitatem ducere, & gladio occidere: Apocal. 13. Inebriari sanguine sanctorum et martyrum Iesu, Apoc. 17 & 19. Scortari cum meretrice Babylonica, & bibere de uino prostitutionis eius: hoc est, eius horrendã idololatriã, & Sodomiticas turpitudines approbare, ob cõmoda sua: Apoc. 17 & 18. Sedem regni Antichristi, urbem quæ imperiũ tenet super reges terræ, hoc est, urbem Romanam, Ioannes Apocal. 17. quasi digito monstrat, eumq; in imperio Romano longè lateq; regnaturum, idem Apoc. 13 & 17 monet, dum bestiã meretricẽ portare, eamq; super aquis sedere dicit: & id de populis, gentibus, turbis, & linguis exponit.

Quòd tempore Pauli & Apostolorum mysterium iniquitatis agere cœperit, ipse indicat 2 Thessal. 2. Et Ioannes citò fieri oportere ea quæ uidit, significat: Apocal. 1.

Tempus durationis spiritualis status Antichristi, quo atrium templi eiectum foràs datum sit gentibus, & ciuitas sancta conculcanda sit, Ioannes Apoc. 11 facit mensium quadragintaduorum, qui faciunt dies mille ducentos sexaginta: quos quidam pro annis accipiunt. Tempus uerò, quo durare debeat externus Antichristi status, qui gerit utrunq; gladium, expressum uidetur in numero 666. Apoc. 13.

Etsi uerò ante reuelationẽ ostendant Antichristum admodũ arcanum fore, eo quòd mysterium iniquitatis appellatur 2 Thes. 2, & Apocal. 17, In fronte eius nomẽ scriptum mysteriũ: item, Dicam tibi mysterium mulieris: tamen omnibus temporibus semper aliquos, licet paucos, fore qui Antichristo eiusq; idololatriæ & corruptelis sese opponant & contradicant, contra quos repugnaturus sit, Ioanni in Apocalypsi passim reuelatur. Nam Apoc. 11 indicatur, Deũ semper duos aut plures habiturum testes, qui sese opponant, licet ij interficiantur. & Apoc. 12, remansuros aliquos ostendit, de semine mulieris: hoc est, qui sint membra Ecclesiæ, qui custodiant mandata Dei, & retineant testimonium Iesu. & Apoc. 17, ebria fuisse dicitur meretrix, sanguine sanctorum & martyrum.

Tandem uerò sub finem mundi regnum Antichristi, quòd sese titulo ecclesiæ occultauit, singulari Dei beneficio reuelandum esse spiritu oris Domini, hoc est doctrina euangelij in lucem reducta, Paulus indicat 2. Thes. 2. Tunc patefiet iniquus ille, quẽ conficiet Dominus spiritu oris sui. Idem aliquanto clarius reuelatur Ioanni, Apoc. 14. 17. 18. nam Apoc. 14. tres angeli, hoc est tres doctores ad reuelationem Antichristi destinantur. quibus accedunt & alij duo, Apocal. 18. Primus adfert æternum euangeliũ, quo accenditur lux de inuocando

Deo in nomine Iesu Christi, & non in nomine sanctorum. Secundus denunciat casum Babylonis, hoc est, ostendit in Babylone seu Romana ecclesia sedere Antichristum. Tertius hortatur, ut quisq; sibi caueat ne adoret bestiam & imaginẽ eius, & accipiat characterem in fronte sua, aut in manu sua. Apocal. 14.

Reuelatum regnum Antichristi, mansurum usq; ad aduentum Christi, Paulus 2 Thes. 2. monet, cùm dicit, iniquum glorioso Christi aduentu abolendum esse.

Ioannes etiam docet, cum reuelato Antichristo scortaturos esse reges terræ, eosq; ægrè laturos eius reuelationem & casum, Apocal. 18.

Idem etiam ostendit, bestiam seu imperium Romanum & reges & principes pro Antichristi idololatria instauranda bellum, sed non satis feliciter gesturos, Apocal. 16.

Idem quoque monet, multos ex regibus & principibus et mercatoribus uarias tentaturos Christi & Antichristi reconciliationes: quas etiam propter bestiam, hoc est, decreta senatus imperij Romani, ut possint emere & uendere & negociari sine impedimento, plurimi in fronte & manibus suis accepturi sint, reclamantibus subinde aliquibus doctoribus. Apoc. 13. 14 & 18.

Præterea etiam illud monet Ioannes, plerosq; principes & status Romani imperij defecturos ab Antichristo, & osuros meretricem, eamq; punituros, & concrematuros, & regnum suum bestiæ tradituros, Apoc. 17.

Reuelatum Antichristum ad statum pristinum res suas reducturum, angelus negat, Apoc. 18. qui misso lapide molari in mare, inquit: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas magna, & ultra iam non inuenietur.

Sedem etiam Antichristi urbem Romanã deletum iri, haud obscurè indicat, Apoc. 18.

Et bestiam & reges terræ & pseudoprophetam, & omnes eos qui seducti sunt, & susceperunt characterem bestiæ, & adorauerunt imaginem eius, bibituros de calice iræ Dei, & æternas recepturos pœnas, Apoc. 14 & 19 indicatur.

Esse autem è regno Antichristi exeundum, & idololatriam eius agnoscendam, execrandam, damnandam & fugiendam, passim Apostoli monent. 2 Pet. 2 & 3. 1 Ioan. 2. 4. 2 Ioannis: Ne recipiatis eum, nec aue ei dixeritis. & Apoc. 14 & 18. Audiui aliã uocẽ de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, et de plagis eius ne accipiatis: quoniã peruenerunt peccata eius usq; ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum eius. Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate ei duplicia, secundum opera eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum et luctum. quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo. Ideo in una die ueniẽt plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne comburetur: quia fortis est Dominus Deus, qui iudicabit illam. Et Paulus Rom. 16. Declinate ab illis. Gal. 1. Si quis aliud, etc. anathema sit. Philipp. 3. 2 Thes. 3. 1 Timoth. 6. 2 Timoth. 3.

Prohibent etiam omnes cum Antichristo in religione conciliationis, Apocal. 14. Et tertius angelus sequutus est illos, dicens uoce magna: Si quis adorauerit bestiam & imaginẽ eius, & acceperit characterẽ in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de uino iræ Dei, quod mixtum est mero de calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni. Et fumus tormenti eorum ascendit in secula seculorum. Nec habent requiem die ac nocte, qui adorant bestiam & imaginem eius, & si quis accepit characterem nominis eius. 1 Corinth. 10. Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolim autem uos consortes esse dæmoniorum. Non potestis poculũ Domini bibere & dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Generalis quidem hæc est sententia, sed tamen commodè huc etiam applicatur. Nam mancipia Antichristi, non Deum, sed draconem & diabolum adorant, Apoc. 13. Et habent doctrinam dæmoniorum, 1 Timoth. 4. Et totus Antichristi status est habitatio dæmoniorum, Apoc. 18. Quæ ergo cum illis bona conscientia fiat reconciliatio in religione? Idem 2 Cor. 6. Ne ducatis iugum cum incredulis. Quod enim consortium iustitiæ cum iniusticia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum simulachris? Nam uos templum Dei estis uiuẽtis, quemadmodũ dixit Deus, inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam uos: & ero uobis in loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum, dicit Dominus omnipotens

Cognationem cum Antichristo habent, seu membra eius sunt & alij hæretici, quos Ioannes 1 epist. 2. 4. & epist. 2. spiritum Antichristi habere dicit. Est enim Antichristus ex colluuione omnium hæresiũ compactus: unde Babylon, magna mater scortationum & abominationum terræ appellatur, Apoc. 17.

Affinis etiam Antichristo, intus sub nomine Christi ecclesiam turbanti, est Gog & Magog: id est, regnũ Mahometanũ, seu Turcicum: quod foris, hoc est, extra Christianismũ cõstitutũ oppugnat et lacerat Ecclesiã.

Postremò Christum suo glorioso aduentu utrunq;, scilicet Antichristũ Romanum, & Gog & Magog Antichristum Sarracenum seu Mahometanum deleturum & condemnaturum ad æternas pœnas, cum omnibus eorum socijs & mancipijs & fautoribus ac patronis, Ioanni reuelatum est, Apoc. 19 & 20.

DE ADIAPHORIS.

HAnc uocem ἀδιάφορον in scriptis Apostolorum haud reperias, sed rem ipsam tamen in ijs extare certum est. Significat autem ἀδιάφορον latinè rem indifferẽtem seu mediam, quæ per se neq; bona neque mala est, & quam siue facias siue omittas, non pecces, aut Deo commendatior fias. Patet hæc descriptio ex Corinth. 7 & 8. & alijs locis.

Esse autem eiusmodi aliquot res medias siue indifferentes, patet ex scriptes Pauli: ut, uiuere cœlibem, aut coniugem, modò castè, 1 Cor. 7. Vesci cibis aut abstinere, 1 Cornt. 8. Ro. 14. Nõ obseruare dies, aut obseruare sine superstitione. Rom. 14. Accipere stipendium ab auditoribus, aut nõ accipere, 1 Cor. 9. & 10. & 2 Cor. 12.

Erat etiã in prima Ecclesia adiaphorõ Christianis, uti circum-

circũcisione, & alijs ritib. Iudaicis, aut nõ uti, Gal. 2. Rebus medijs aut indifferentibus sua natura liberè uti licere, si non accedat coactio, opinio cultus & necessitas, abnegatio, scandalum, aut manifesta aliqua occasio impietatis, Paulus docet Colat. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorũ, & Ro. 14. & ad Tit. 1. Omnia pura puris. Et Paulus 1 Cor. 7. uirginib⁹, hoc est ijs qui habẽt donum castitatis, liberũ permittit, ut matrimoniũ ineant, aut non, & nõ ijs inijcit laqueũ seu necessitatem. Idem 1 Cor. 8. Esca nos nõ cõmendat Deo: neq; si comedamus, aliquid nobis supereſt: neq; si non comedamus, quicquã nobis deest. Et 1 Cor. 10: Omne quod in macello uenditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra et plenitudo eius. Quod si quis uocat uos infideliũ, et uultis ire, quicquid apponitur uobis edite, nihil interrogãtes propter cõscientiã. Si uerò ad res sua natura medias accedat coactio, opinio cultus aut necessitas, abnegatio, scandalum, aut manifesta aliqua occasio impietatis, quibus infirmi ac pij offendantur, præfracti uerò & aduersarij ueritatis in suo errore confirmentur, tum ijs liberè uti non licere, Paulus docet Col. 2. Si mortui estis cum Christo, ab elemẽtis mũdi, quid quasi uiuẽtes in mũdo, decretis teneminẽ ne tetigeris, ne gustaris, neq; cõtrectaris: quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinã hominum, quæ uerbotenus quidẽ habent speciem sapientiæ per superstitionem. Idẽ grauissimè obiurgat Galatas, quòd obseruationem dierum & mensium, & temporum & annorũ, & circumcisionis & aliarum ceremoniarũ Mosaicarũ, quæ tum temporis propter abrogationem legis Mosaicæ erant res mediæ, opinabantur ad Dei cultũ et salutem esse necessariã. Gal. 4. Et Gal. 5 expresse inquit: Ecce ego Paulus dico uobis, quòd si circũcidamini, Christus nihil uobis proderit. Ro. 14: Nouũ siquidẽ nihil eſse cõmune per se, nisi qui existimat aliquid esse cõmune, illi cõmune est. et postea: Qui dijudicat, si ederit, condemnatus est, quoniã non edit ex fide. De casu scandali Paulus agit Ro. 14. Verùm illud iudicate magis, ne offendiculũ ponatur fratri, aut lapsus occasio. & postea: Si propter cibũ frater tuus contristatur, non iam secundũ charitatem ambulas: ne tuo cibo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Et postea: Ne cibi causa perdas opus Dei. omnia quidem pura: sed malum est homini, qui per offendiculũ uescitur. Bonũ est non edere carnes, neq; bibere uinũ, neq; quicquam, per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur. Idem 1 Cor. 8. Atqui esca nos nõ cõmendat Deo. Neq; enim si manducauerimus, abundabimus: neq; si nõ manducauerimus, deficiemus. Videte aũt, ne forte hæc licentia uestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim uiderit eum qui habet scientiã, in idolio recumbentẽ, nónne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus frater in tua scientia, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiã eorum infirmã, in Christũ peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnẽ in æternũ, ne fratrẽ meũ scandalizẽ. 1 Cor. 10. Omnia mihi licent, sed nõ omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Et postea: Si quis uobis dixerit, Hoc simulachris immolatũ est: ne edatis propter illum qui indicauit, & propter conscientiam.

De casu coactionis seu necessitatis exemplũ Gal. 2. proponitur. Nam cum falsi fratres contẽderent, necessariam esse circunci sionem, Titus non est circunci sus, ad ostendendã Euangelij libertatem. Paulus Antiochiæ Petro palàm restitit, eũq; increpauit, ob intempestiuũ rerum mediarũ usum: nimirũ quòd metu Iudæorũ à Iacobo uenientium, cum antea cum gentib. sumpsisset cibum, postea se subduxisset, & separasset se ab illis, & Iudaicè uixisset, & hoc facto ueritatem Euangelij abnegasset, & in simulationẽ cæteros Iudæos et Barnabã etiam abduxisset, & confirmasset præfractos illos in suo errore, quòd obseruatio Iudaismi etiam gẽtibus sit ad salutem necessaria, & non ἀδιάφορον. Galat. 2.

DE CEREMONIIS ET RItibus Ecclesiasticis.

QVosdam Ecclesiæ ritus diuinitùs institutos, sigillatim mandatos esse, ut sunt prædicatio uerbi, baptysmus, cœna Domini, absolutio, apparet ex scriptis & historia Apostolorum, ut in horum singulis docuimus locis. Quosdam uerò ritus, & quasdam rituum circunstãtias tum ab Apostolis ordinatos, tum uerò Ecclesiis eorumq; episcopis ordinandos, propter bonum ordinem & ædificationem commissos esse, simili modo constat ex scriptis & historia Apostolorũ, ut in sequentibus declarabimus.

Sunt autem ritus duorum generum. alij Ecclesiastici, qui scilicet propter bonũ ordinem & ædificationem Ecclesiæ instituuntur: alij uerò politici, ut sunt amictus, cibus, habitatio, & similia.

Ritus ecclesiastici iterum diuersi sunt generis. alij enim publicè exercentur in congressibus piorum: quales sunt, cantilenæ, lectiones, personæ, loca, tẽpora, precationum gestus, personarum uestes, & similia. De his Paulus 1 Cor. 11 & 14. & 1 Tim. 2. Alij uerò priuatim à singulis personis seruantur: ut sunt ieiunia, certa tempora orationis, abstinere ad tempus ab uxore, & delicatioribus cibis, aut ciborum quantitate, quatenus id fit orationis gratia, & alicuius pij exercitij. De his 1. Tim. 4. Corporalis exercitatio paululũ habet utilitatis.

Vtriusq; autem generis ritus per se esse adiaphora, seu res medias, Paulus docet Rom. 14. Non est regnum Dei cibus ac potus, sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto. et Gal. 5. & 6. In Christo Iesu neq; circũcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed fides per dilectionem operans. Gal. 5. In libertate, qua Christus uos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei festi. 1 Cor. 6. Omnia mihi licẽt, at non omnia conducunt: omnium mihi potestas est, at ego non redigar sub ullius potestatem. Escæ uẽtri destinatæ sunt, & uenter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit. Quare regulæ illæ de usu rerum mediarum, ad cæremonias quoq; Ecclesiasticas, ab hominibus ordinatas, pertinẽt.

¶ Causas autem Ecclesiasticorum rituum, has esse ostendũt. Prima est, generale mandatũ Dei, qui uult omnia in Ecclesia decenter, ordine, & ad ædificationẽ fieri, quiq; ordinis & nõ cõfusionis Deus est. 1 ad Cor. 14.

Secunda sunt Apostoli, qui cum primùm instituerunt ecclesias, ritus quosdam ad ædificationem utiles

ordinarũt. Sic Paulus Corinthijs instituta Ecclesiastica tradidit, quæ ab ijs obseruari laudat, 1 Cor. 11. Vbi etiã porrò propter decorum sancit, ut mulieres uelatæ, uiri uerò nudo capite in publicis congressibus orent, aut prophetent. Idem postea 1 Cor. 14. de usu donorum, et de ijs quæ in publicis congressibus ordine fieri debeant ad ædificationẽ monet: ubi peregrina lingua ad ignaros uti, & mulieres in cœtu docere uetat. quod etiã, 1 Tim. 2 repetit, ubi etiã de ornatu mulierũ præceptũ genera le proponit, quod Petrus quoq; 1 Pet. 3 facit. et Paulus 2 Thes. 2. inquit: Fratres state, et tenete institutiões, quas didicistis siue per sermonẽ, siue per epistolã nostram.

Tertia, est Ecclesia, quæ habet ius in specie rituum circũstãtias, quæ neq; præceptæ neq; prohibitæ à Deo sunt, ad ædificationem utiles instituendi, & liberè sine opinione cultus aut superstitione aliqua obseruandi: ac etiam graui de causa, propter abusum & inutilitatem, abrogãdi. Cõstant hæc ex doctrina de potestate Ecclesiæ, item de libertate Christiana, de quib. suo loco. Huc etiam illud pertinet, 1 Corint. 3. Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mũdus: siue uita, siue mors: siue præsentia, siue futura. Omnia inquam uestra sunt, uos autem Christi.

Quarta, sunt doctores & ministri Ecclesiæ, quibus Ecclesia sua libera & spontanea & pia uoluntate mandat, ut si opus sit ceremonias ad ædificationem necessarias instituant. De quibus tamen Ecclesia liberum habet iudicium, approbandi aut reprobandi eas, iuxta regulam: Omnia probate, quod bonum est tenete. 1 Thess. 5. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei festi. Coloss. 2. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum, 1 Corinth. 7.

¶ Causas finales Ecclesiasticorum rituum has Paulus commemorat, Vt omnia decenter, ordine, & ad ædificationem fiant, 1 Corinth. 11 & 14. Idem etiam ritus ecclesiasticos, si sint contra decorum & bonum ordinem, & impediãt ædificationem Ecclesiæ, aut non esse instituẽdos: aut si sint instituti, abrogandos esse monet. Nam mulieres comatas, & non uelatas in cœtum prodire & docere uetat, quia sit cõtra decorum. 1 Corinth. 11. & 1 Timot. 2. Plures simul in ecclesia loqui, quia est contra ordinem & ædificationem, uetat 1 Cor. 14.

Ritum etiam illum, quo diuersi cœnam Domini sumebant, alijs ebrijs, alijs adhuc esurientibus, abrogat 1 Corint. 11. Ignota lingua sine interpretatione in ecclesia loqui, impedire ædificationem ostendit, eamq; ob causam prohibet, 1 Corinth. 14.

DE SCANDALO, SEV offensa.

DVo scandalorum genera esse, haud obscurè docent: alterum, cum hypocritæ & sapientes huius mundi offenduntur: alterum uerò, cum pij fratres offenduntur. De priori extãt testimonia 1 Pet. 1. 2. Ro. 9. 1 Cor. 1. De posteriori plures passim reperiũtur sententiæ. 1 Ioann. 2. Non est offendiculum in eo. 1 Cor. 10. Sine offensione estote. 2 Corinth. 6. Nemini dantes ullam offensionem. Rom. 14. Ne ponatur offendiculum fratri, aut lapsus occasio.

Scandalum autẽ, quo hypocritæ & impij offenduntur, sentiunt esse offensionem, quam ijdem accipiunt tum ex sana doctrina Euangelij, quam opinantur esse hæresim, aut uanum commentum: tum ex operibus necessarijs, & in uerbo Dei præscriptis: aut etiã indifferentibus, hoc est, neq; mandatis, neq; prohibitis à Deo, quæ peccata æstimant secundum suas traditiones humanas: qua offensione ita afficiuntur, ut à susceptione ueritatis abhorreant, & ea quæ bona sunt damnent, & in suis erroribus obstinatiores fiant. 1 Pet. 2. Vobis igitur precios us est, qui creditis: cæterùm ijs qui non credunt, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic cœpit esse caput anguli, & lapis in quem impingitur, & petra ad quam offendunt: nempe his qui impingunt in sermonẽ, neq; credunt in id ad quod instituti fuerant. Et Paulus Ro. 9. de Iudæis auersantib. doctrinã Euangelij, & ex operib. legis iusticiam quærentibus: Impegerunt in lapidem offendiculi, quemadmodum scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offendiculi. Et 1. Corinth. 1. Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò stulticiam. ad Galat. 5. Abolitum igitur est offendiculum crucis. Actor. 2. quidam ex Iudæis diuersitate linguarum, qua glorificabãt Deum Apostoli, offenduntur, et inquiunt: Musto impleti sunt isti. Act. 4. concilium Hierosolymitanũ utilitate Petri & Ioannis, & miraculo ab ijs edito offenduntur. Idem fit Act. 5. & Actor. 6 offenduntur doctrina Stephani, quòd docebat Iesum Nazarenum mutaturum instituta Moysi. & Act. 7, confessiõe Stephani adeò exacerbantur, ut lapidibus eum obruant. Act. 11, Iudæi existimantes gentes nõ pertinere ad regnum Christi, Petrum obiurgant, quòd ad uiros præputium habentes introierit, & cibum cum ijs cæperit. Actor. 13, quidam ex Iudæis Antiochiæ Pisidiæ, cum uiderent Paulũ & Barnabam gentibus annunciare Euangelium, & totam ciuitatem ad eos audiendos conuenisse, zelo replentur, et contradicunt his quæ à Paulo dicebantur, & loquebatur conuicia. Idem accidit Paulo Romæ, Iudæis concionanti, Actor. 28. ut quidam ex Iudæis, offensi doctrina Pauli, eã aspernarẽtur, & in suo permanerent errore.

¶ Causas autem huius scandali, duplices esse docẽs alias per se, à quib. ferè dependet offensio illa: alias per accidẽs, quæ non sua natura operantur offensionẽ. Causæ per se sunt, ratio & sapientia hominis, quæ non intelligit, nec percipit ea quæ Dei sunt, sed pro stulticia omnia habet. 1 Cor. 1. Sermo crucis ijs quidem qui pereunt, stulticia est: at nobis qui salutem consequimur, potentia Dei est. 1 Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stulticia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere quòd spiritualiter dijudicatur. Rom. 8. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Et 2 Cor. 10. Paulus ostendit, consilia & cogitationes hominum infidelium extolli aduersus cognitionem Dei, ideoq; per doctrinam Euãgelij captiuari sub fidem oportere.

Ignorantia scripturæ & ueritatis. Act. 13. Qui habitabant Hierosolymis, & principes eorum, cum ignorarent illum, & uoces prophetarũ quæ per omne sabbathum leguntur, condemnato eo impleuerunt. Act. 3. Et nunc scio fratres, quòd per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. 1 Cor. 2. Loquimur sapientiam Dei, &c. quam nemo principum seculi huius cognouit. Nam si cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ro. 10. Testimoniũ perhibeo illis, quòd studium Dei habeant, sed nõ secundum scientiam. Nam igno-

ignorantes Dei iusticiam, & propriam iusticiam quærentes constituere, iusticiæ Dei non fuerunt subditæ.

Conceptæ opiniones extra scripturã de rebus diuinis, & de operibus legis, & traditionibus humanis. Actor. 6. Iudæi ideo irascuntur Stephano, quòd somniãt legẽ Moysi perpetuò debere durare: cũ Stephanus dosias. Act. 11. & 15. Gal. 2. pseudoapostoli eò offendũtur doctrina Euangelij, quòd opinantur circumcisionem & obseruationem legis Moysaicæ, & bona opera, etiã ad salutem esse necessaria. estq; hæc causa offensionum communis omni seculo. Semper enim hypocritæ imaginantur, operum suorum iusticiam in iudicio Dei pluri mũ ualere ad salutẽ. 1 Pet. 1. Cũ sciatis, uos non caducis rebus, uelut argẽto & auro, fuisse redẽptos à uana uestra cõuersatione, quã acceperatis ex patrũ traditione.

Malicia & peruersitas. Ro. 3. Ac non potius (quemadmodũ de nobis malè loquũtur, & sicut quidã aiunt nos dicere) faciamus mala, ut ueniant bona. Quorum damnatio iusta est. Rom. 6. Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Petrus 2 Pet. 3. ostẽdit illusores, qui sub finem mundi erunt, & negabunt aduentũ Christi, uolentes nescire opera Dei, & sua sponte offensionem ex mora, quæ tamen nulla est, accipere.

Ambitio & auaricia. Gal. 4. Ambiũt uos non bene, imò excludere uos uolunt, ut ipsos æmulemini. Gal. 6. Quicunq; uolunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt uos circuncidi, tantũ ne ob crucem Christi persequutionem patiantur. Philip. 3. Complures ambulant, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus uenter est. 2 Tim. 4. Demas me reliquit, amplexus præsens seculum. Phil. 3. Nam omnes quæ sua ipsorũ sunt quærunt, & nõ quæ sunt Christi Iesu. 1. Tim. 6: Siquidem radix omnium malorum est studium pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & seipsos impleuerunt doloribus multis. Ibidem etiam docet, illos qui studuerunt uocũ profanis inanitatibus, & oppositionibus falso nominatæ scientiæ, ita offensos esse, ut aberrarint à uera fide.

His etiam causis diabolus annumeratur, qui excæcat & fascinat mentes impiorum, ut aut ueritatem non agnoscant, aut agnitam deserant, aut negligant. 2 Corint. 4. Quòd si adhuc uelatum est Euangeliũ nostrũ, in his qui pereunt uelatum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorũ, ne illucescret illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2 Timot. 2. Seruũ Domini oportet, &c. esse propensum ad docendũ, &c. erudicntẽ eos qui obsistũt, si quando det illis Deus pœnitentiã, ad agnoscẽdũ ueritatẽ, et resipiscant à diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uolũtatem. Gal. 3. Quis uos fascinauit, ut non crederetis ueritati?

Sæpe etiam hæreticorum falsa dogmata, & impiorum authoritas, consilia & exẽpla et calumniæ passim sparsæ, faciunt ut impij & hypocritæ offensionem ex doctrina & uita piorum accipiãt. Vnde Hymenæus & Philetus, dicentes resurrectionẽ iam esse factã, multorũ subuerterunt fidem, 2 Tim. 2. Cum Sergius Paulus proconsul accersret Barnabam & Paulum, desiderans audire sermonem Dei, resistebat illis Elymas magus, & quærebat Proconsulem auertere à fide: Act. 13. Domini puellæ quæ habebat spiritum Pythonicum, amisso quæstu, comprehendũt Paulum & Barnabam, & trahunt eos in ius, dicentes: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi: & annunciant instituta, quæ non licet nobis suscipere, neq; seruare, cum simus Romani. His calumnijs adeò incẽditur ignobile uulgus & magistratus, ut iubeant eos uirgis cædi. Actor. 16. & 28 Iudæi inquiunt: De secta ista nobis notum est, quòd ubique ei contradicitur. & Paulus 1 Thess. 2 conqueritur de malitia Iudæorum, quòd Apostolis obsistant, ne loquantur gentibus, quo salui fiant.

¶ Causas accidentarias, hoc est, quæ non efficiunt offensionẽ, nisi in ijs, ubi causæ prius recitatæ, antea exi stant, has ferè licet ex scriptis Apostolorum colligere.

Opera recta & honesta: qualia sunt, Testimoniũ et confessio ueritatis. nam Iudæos offendit, quod Apostoli testantur de Iesu Christo, innocenter crucifixo, & tertia die resuscitato. Actor. 5. Ecce replestis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis illius.

Reprehensio & obiurgatio peccatorum. Actor. 7. cum Stephanus acerbius eos obiurgat: Duri ceruice et incircumcisi corde, & auribus, semper uos Spiritui sancto resistitis, sicut & patres uestri, ita & uos, &c. dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum. Gal. 4. Igitur inimicus factus sum uobis, uera loquendo uobis? Pseudoapostoli uilitate personæ, & ruditate sermonis Pauli: & quòd nõ circumducebat uxorem, & gratis docebat Euangelium, Corinthij offendebantur, ut patet ex 1 Corinth. 9. 2. Corinth. 10.

Pura et sincera doctrina Euangelij, quòd Iesus Christus Nazarenus crucifixus, sit filius Dei: & quòd nullum aliud nomen sit datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri: & quòd omnes Prophetæ ei testimonium perhibeant, quòd credentes in nomen eius, accipiant remissionem peccatorum. Hac doctrina non debebant quidem, sed tamen nihilominus ea offenduntur Iudæi & Græci. 1. Corinth. 1. Et 1 Pet. 2. Impingunt in sermonem, neq; credunt in id ad quod instituti fuerant.

Doctrina de abrogatione legis Mosaicæ, & quòd neq; circumcisio, neq; lex, neque opera legis quicquam ad salutem conferant, sed sola fides, licet sit uera, tamẽ Iudæos & pseudoapostolos offendit grauissimè: ut patet ex Act. 15. Gal. 2. 3. 4. 5. 6. Coloss. 2. & Rom. 3 & 6. quidam inde concluserunt prohiberi bona opera.

Doctrina de resurrectione mortuorum offendit Sadducæos, Act. 23. & Athenienses, 17. & Corinthios, 1 Corinth. 15.

Paucitas & uilitas & afflictiones eorũ qui doctrinam Euangelij amplectuntur, & se filios Dei profitentur, 1 Cor. 1. Nõ multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, nõ multi claro genere nati: uerùm quæ stulta erant secundũ mundũ, delegit Deus, ut pudefaceret sapientes: & quæ erant imbecillia in mundo, delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta, &c. Actor. 14, Paulus & Barnabas reuersi Lystram & Iconium & Antiochiam, denuò confirmabant animas discipulorum (propter persequutionem) exhortabanturq; eos ut perseuerarent in fide, eo quòd per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei. 2 Timoth. 1. Paulus hortatur Timotheũ, ne deserat testimoniũ Euãgelij, propter afflictiones et captiuitatẽ Pauli

2 Tim. 4, conqueritur se desertum ab omnibus fuisse, in prima sua defensione. 1 Thess. 3, Paulus misit Timotheum ad Thessalonicenses, ut cõfirmaret eos, ne quisquam turbaretur in his afflictionibus. Ephes. 3. Quapropter peto, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ est gloria uestra.

Iisdem etiam offendiculo fuit, quòd Titum non circuncidit. Gal. 2. Cæterùm cum docere puram doctrinã, eamq; confiteri, & iuxta eam uitam instituere & gubernare, & propter confessionẽ ueritatis persequutionem pati, non sint opera prohibita à Deo, sed mandata: & tamen ijs impij & hypocritæ, ob sui animi morbum, cum non deberent, offenduntur: non possunt, nec debent, pij eiusmodi impiorum offensiones præcauere aut tollere. Non enim eam ob causam doctrina corrũpenda est, quòd impij offendãtur, si purè doceatur: nec eò abijciẽda cõfessio ueritatis, quia impij eam oderunt: sed quo magis offendũtur rectè docẽdo & uiuendo, eo magis instandũ, ut apertè demõstremus, nos magis curare Dei mandatũ & iram, q̃ hominũ & diaboli uoluntatẽ et furorẽ. Hæc nos monẽt suo exẽplo Apostoli, qui Hierosolymis & paßim in orbe terrarũ doctrinã Euangelij docẽt, sacramẽta administrant, & ea quæ sibi à Deo mãdata sunt faciũt: & nihil mouentur eo, quòd impij & hypocritæ pharisæi, Iudæi, Græci, gẽtes, & cuiuscũq; sint cõditionis homines, doctrina & uita & operib. eorum offensi, execrentur & detestentur & persequantur ueritatẽ. Deinde etiã demonstrãt, ita fuisse prædictũ in ueteri Testamento, quòd pleraq; hominũ, maximè uerò Iudæorũ pars Christũ & doctrinam eius, & ecclesiã nõ sit amplexura, sed execratura & persequutura. 1 Pet. 2. Ro. 9. Tertiò, armãt pios cõtra eiusmodi scãdala, dum monẽt eos, ne offendãtur exẽplis impiorũ, doctrinã Christi contemnentiũ, & affligentium Ecclesiam. Ioannes epist. 3. Dilecte, ne imiteris quod malũ est, sed quod bonũ. 1 Ioan. 3. Ne miremini fratres mei, si uos odit mũdus. Apoc. 22. Qui sordescit, sordescat adhuc. 1 Pet. 4. Ne miremini dũ per ignẽ exploramini, quæ res ad experimentũ uestri fit, etc. Vt causæ ueræ scandali accepti, nõ in doctrina Euãgelij et ecclesia sunt, sed in ipsis hypocritis & impijs: ita etiam effectus huius scandali, tantum ad illos referuntur. Recenseri autem hi ferè possunt ex Apostolorũ scriptis.

Non obedire Euangelio, Rom. 10. At non omnes obediunt Euangelio. Non agnoscere ueritatem Euangelij. 2 Corinth. 4. Non esse subditum iusticiæ Dei, Rom. 10. Non perseuerare in fide, sed aberrare. 1 Timoth. 6. 2 Timoth. 2. Alijs suo exemplo causam esse, ut ab agnita ueritate deficiant, aut ab agnoscenda absterreãtur. 2 Tim. 2. Paulus de Phileto & Hymenæo scandalizatis dicit, quòd aliorum subuertant fidem. 2 Tim. 3. Porrò mali homines & impostores proficient in peius, dum & in errorem adducunt, & errant ipsi.

Excæcari & indurari. Rom. 11. Reliqui uerò excæcati sunt. Manere mancipium diaboli, 2 Cor. 4. Eph. 2. Perire, 2 Cor. 4. Si uelatum est Euangeliũ nostrũ, uelatum est ijs qui pereunt. 1. Cor. 1. Sermo crucis ijs qui pereunt stultitia est. Paulus Rom. 11. scandalo accepto populi Iudaici, adscribit quòd fuerit occasio receptionis gentiũ. Dico igitur, num ideo impegerunt ut cõciderent? absit. Sed per lapsum illorũ, salus cõtigit gentibus in hoc, ut eas ad æmulandũ prouocaret. Et paulò pòst: Ecce bonitatẽ ac seueritatẽ Dei, in eos quidem qui ciderunt, seueritatem: in te bonitatem, si permanseris in bonitate. Per scandala etiã accepta manifestari uera Ecclesia, & eos qui non sint probati, Ioannes 1 epist. 2 docet, ubi ostendit ideo quosdam offendi doctrina, et ab ea deficere, & spiritus Antichristi fieri, ut manifestum fiat, quòd non omnes sint ex nobis, hoc est, ueri doctores & uera Ecclesiæ Christi membra. Et Petrus per crucẽ explorari fidem Christianorũ docet, 1 Pet. 1 & 4. Et Paulus 1 Cor. 11. Oportet enim & sectas in uobis esse, ut qui probati sint, manifesti fiant inter uos.

De scandalo dato.

Scandalum datum esse, cum impia doctrina aut facto impio seu non necessario, aut etiã indifferenti, non habita ratione imbecillium, pij & imbecilles cõtristantur, & ad defectionem & peccata inuitantur, Apostoli docent. Nam de impia doctrina Paulus inquit Rom. 16. Qui offendicula contra doctrinam gignunt. & 2 Tim. 2. Sermo illorum ut cancer morbus pastionem habet. Et Christus in epistola ad angelum Pergamensis ecclesiæ, Apocal. 2. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat in Balaac mittere scandalum coram filijs Israel, edere ex his quæ simulachris immolantur, & scortari: ita habes & tu tenentes doctrinã Nicolaitarum, quod odi. Idem in epistola ad angelum Thyatirẽsis ecclesiæ: Permittis mulierẽ Hiezabel, quæ se dicit prophetã, docere & seducere seruos meos de impijs factis. Ro. 1. Qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deũ dehonestas. Nam nomẽ Dei propter nos manè audit inter gentes. Gal. 2. Petrus nõ rectè utens libertate Christiana, in simulationem Barnabã & cæteros Iudæos adducit, & pseudoapostolos in sua opinione & peruicacia confirmat. Rom. 14. Ne posthac igitur alius alium iudicemus: uerùm illud iudicate magis, ne offendiculum ponatur fratri, aut lapsus occasio.

Causas scandali dati has proponunt. Doctrina falsa, aut incerta. Rom. 16. Consideretis eos qui dissidia & offendicula cõtra doctrinã, quã uos didicistis, gignũt. 1 Cor. 15. Edamus & bibamus, cras enim moriemur: ne decipiamini, bonos mores corrumpunt colloquia prauа, &c. Nam ignorantiam Dei nonnulli habẽt. Gal. 5. Currebatis bene, quis uos impediuit, ut non crederetis ueritati? Nempe persuasio, non ex eo profecta, qui uocat uos. Paululũ fermenti totã conspersionẽ fermẽtat.

Dissidium doctorum & auditorũ. Tale scandalũ in ecclesia Corinthiaca ortum est, cum alij sese Pauli, alij Apollo, alij Cephæ sectatores esse gloriabantur. 1 Cor. 1 & 3. Nec sine scandalo fuit dissensio Apostolorum & pseudoapostolorũ in ecclesia Antiochena, cum pseudoapostoli docerẽt: Nisi circuncidamini secundum uotem Moysi, non potestis esse salui: Paulus uerò & Barnabas aduersus illos disceptarẽt, & assererent, in Christo Iesu neq; circũcisionem, neq; præputiũ, neq; legem, neq; opera legis quicquã ualere, sed sola fide, absq; operibus legis, hominem impium iustificari. Sed huius dissidij Paulus & Barnabas nõ sunt auctores, ut qui ueritatem defendũt: sed pseudoapostoli, qui ueritatẽ corrũpebant. Act. 15. Pauli & Barnabæ disceptatio et dissensio absque dubio causam offensionis præbuit multis. Act. 15. Nec fuit sine scãdalo illa dissẽsio Petri et Pauli,

Galat.2. cum Paulus Petrum palàm obiurgauit, quòd sua iudaizatione impios confirmaret, & ueritatem Euangelij corrumperet. Sed eius rei culpa non est Paulo imputanda, ut qui rectè fecit: uerum Petro, qui à recta uia Euangelij aberrare uisus est. Nec sine offensione illud fuit, quòd collegæ Pauli in Asia auersati sint cũ omnes, inter quos Phygelus & Hermogenes etiam fuerunt. 2 Timot. 1. & Philetus & Hymenæus. 2 Tim. 2. & Alexander, 1 Tim. 1. qui unà cum Paulo antè rectè docuerant, quos Paulus postea excommunicauit.

Imperitia doctorũ: si enim non rectè secare sermonem Dei possunt, & legem ac Euangelium miscent, infinitorum scandalorũ sunt authores. 1 Tim. 1. Volentes esse legis doctores, non intelligẽtes quæ loquũtur, neq; de quibus asseuerant. Item: Si non retinẽt formam sanorum uerborũ, sed profanas uocum inanitates & oppositiones falso nominatæ scientiæ profitentur. 1 Tim. 6. Si arrogantes sunt, & inflati, & insaniunt circa quæstiones & disputationũ pugnas. 1 Tim. 6. Si non habent bonum testimonium ab ijs qui foris sunt. 1 Tim. 3.

Corrupti & peruersi mores eorum qui pietatem profitentur. Rom. 1. Propter uos malè audit nomen Dei inter gentes. 1 Cor. 5. Omnino auditur inter uos stuprũ, & huiusmodi stuprum, quod nec inter gentes nominatur, ut aliquis uxorem patris habeat.

Abusus cœnæ Dominicæ. 1 Cor. 11. Cum conuenitis in eundem locum, non licet Dominicam cœnam edere, quòd unusquisq; propriam cœnam occupat in edendo: & hic quidem esurit, ille uerò ebrius est. Nunc sanè domus non habetis ad edendũ & bibendum? an Ecclesiã Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent?

Malus Christianæ libertatis intellectus, & rerũ adiaphoricarum intempestiuus usus, cum non erga imbecilles charitas, aut aduersus præfractos aut obstinatos exercetur iusta grauitas: sed absque ratione talia fiunt, quæ aut imbecilles offendunt, aut contumaces in sua impietate cõfirmant. Rom. 14. Verùm si propter cibum frater tuus contristatur, nõ iam secundũ charitatem ambulas. Ne cibo tuo illũ perdas, pro quo Christus mortuus est. Ne igitur uestrum bonũ hominũ maledicẽtiæ sit obnoxiũ. Et paulo pòst: Ne cibi causa destruas opus Dei: omnia quidem pura, sed malũ est homini, qui per offendiculum uescitur. Bonum est nõ edere carnes, neq; bibere uinũ, neq; quicquã, per quod frater tuus impingit aut offenditur, aut infirmatur. 1 Cor. 8. Atqui escanos nõ cõmendat Deo: neq; si comedamus, aliquid nobis supereſt: neq; si nõ comedamus, quicq̃ nobis deest. Sed uidete, ne quo modo facultas illa uestra offendiculo sit ijs qui infirmi sunt. Etenim si quis conspexerit te, qui habes scientiã, in epulo simulachrorũ accumbentem, nónne cõscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ad edendũ quæ sunt simulachris immolata? Et peribit frater, qui infirmus est, in tua scientia, propter quem Christus fuit mortuus. Sic aũt peccantes in fratres, & uulnerãtes conscientiã illorũ infirmã, in Christũ peccatis. Quapropter, si esca offendit fratrẽ meũ, haud quaquã uescar carnibus in æternum, ne fratri meo sim offendiculo. 1 Cor. 10. Quòd si quis uobis dixerit: Hoc simulachris immolatũ est, ne edatis propter eũ qui indicauit, & propter conscientiã, &c. Porrò conscientiã dico tuam, sed alterius illius. Gal. 2. Petrus non iustã grauitatẽ in usu rerũ adiaphoricarũ exercet cõtra obstinatos Iudæos, quos dum metuit, & se à gẽtibus subducit ac separat, cum quibus antea cibum cæperat, Iudæos & Barnabã suo exẽplo simulationẽ docet, & ab Euangelij ueritate discedit, & pseudoapostolos in sua opinione confirmat, quòd Iudaismi obseruatio etiam gentibus sit necessaria ad salutem. Quare Paulus grauiter eum obiurgat: Si tu, cum sis Iudæus, gentiliter uiuis, ac non Iudaicè, cur gentes cogis iudaizare?

Speciẽ mali etiam scandala conficere, Paulus docet, 1 Thess. 5. Ab omni specie mala abstinete. & 1 Cor. 9. Paulus asserit se & Barnabã non eò non circumducere secum uxores, quòd sibi nõ liceat: nec se eò nõ à Corinthijs accepisse stipendiũ, quòd id prohibitum & malum sit, sed ne quod offendiculũ dent Euangelio Christi. quale uerò offendiculũ intelligat, 2 Cor. 11 dilucidius exponit, cum ait: Quod facio, idem & faciã, ut amputẽ occasionem ijs qui cupiũt occasionẽ, ut in eo de quo gloriantur, reperiantur quemadmodum & nos. Idem 2 Cor. 8, ubi de collecta agit, ostẽdit se ideo Lucæ opera in ea re uti, quòd ab Ecclesijs delectus sit comes suæ peregrinationis, ne quis eos carpat in ea exuberãtia, quæ administretur à Corinthijs: & ut procurẽt honesta nõ tantum corã Domino, sed etiã corã hominibus. Et 1 Tim. 5. Volo iuniores (uiduas) nubere, &c. nullam occasionem dare aduersario, ut habeat maledicendi causam.

¶ Effectus scandali dati, hos ferè cõmemorant. Nocere alijs, quod uarijs modis fit. Nam scandalis pij contristantur. 2 Cor. 11. Quis offenditur, & ego non? Eph. 4. Ne contristetis spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redẽptionis. 2 Pet. 1. Is enim (Loth) oculis & auribus iustus, cum habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis illorum factis excruciabat. Imbecilles cõturbantur, et ad impias opiniones aut imitationem peccatorum adducuntur. Galat. 3. Rom. 14 1 Cor. 8.

Deformãt & dedecorãt, ac impediũt doctrinã Euãgelij. Vnde Paulus ad Titũ 2 præcipit, ut serui suũ officium faciant diligenter, ut ornent doctrinã Euangelij.

Suppeditant impijs causam blasphemandi nomen Dei, Rom. 2. 1 Cor. 6. Ne quam demus offensionem, ne reprehendatur ministerium. Item conquerendi, Philip. 2. Maledicendi. Rom. 14. 1 Tim. 5. Afferunt pœnas. Gal. 5. Cæterùm qui conturbat uos, portabit iudicium quisquis fuerit. Monent etiam pios, ut sibi caueant, ne talia faciant, quibus offendant alios, & ne aliorum mala imitentur exempla. 3. Ioannis: Dilecte, ne imiteris quod malum est, sed quod bonum est. Et 1 Ioan. 2. hortatur ad dilectionem proximi, eo quòd diligentes fratres non præbeant scandalũ. 1 Pet. 4. Ne quis uestrũm affligatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. Rom. 14. Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, aut scandalũ. 2 Cor. 10. Tales estote, ut nullum præbeatis offendiculum, neq; Iudæis, neq; Græcis, neq; Ecclesiæ Dei: quemadmodũ ego per omnia omnibus placeo, non meam ipsius quærens utilitatem, sed multorum, ut salui fiant.

Scandalis datis per excõmunicationem resistendũ, monet Paulus 1 Corint. 5. Profligate istum qui malus est ex uobis. Item: Si quis cum frater appellatur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulachrorũ cultor, aut

conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. 2 Thess. 3. Præcipimus uobis fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem, quam accepit à nobis. 2 Ioann. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domũ, nec aue ei dixeritis. Qui enim illi dicit aue, communicat operibus eius malis.

DE CONIVGIO.

HAec uox γάμος, coniugium seu matrimonium, Heb. 13. extat. & Apoc. 19. Venerunt nuptiæ agni. γαμεῖν nubere seu contrahere matrimonũ. 1 Cor. 7. 1 Tim. 4. & 5. & alibi repetitur. Per periphrasin coniugium cubile immaculatum appellatur, Ebr. 13.

Consentiunt aũt etiam Apostoli cum Christo, quòd coniugium sit Dei ordinatio, qua unus mas, & una fœmina, legitimè & indissolubiliter copulantur, propter humani generis propagationem, & uitandas libidines, ut in sequentibus demonstrabitur.

Nam Deum esse autorẽ coniugij, eiq; id genus uitæ placere, patet ex 1 Pet. 3. ubi cõiugibus sua bona opera præscribit, & mulieres patriarcharum sanctas appellat, & uxores cohæredes gratiæ dicit. Ioannes uerò in Apoc. 9. Ecclesiæ seu piorum ad Christum consociationem, nuptias appellat. & Ecclesia ibidem uxor, & Apoc. 22. sponsa dicitur. Paulus uerò multis modis cõiugium à Deo esse testatur. Primùm enim uerba de institutione matrimonij ex Genesi recitat. Ephes. 5. Huius rei gratia relinquet homo patrem et matrem, & adiungetur uxori suæ, atq; è duobus fiet una caro. Et 1 Cor. 6. Redigentur enim, inquit, duo in carnẽ unã. Secũdò ostẽdit, legem approbare matrimonium, Rom. 7. & 1 Cor. 7. Tertiò præscribit coniugatis, quæ bona opera debeãt facere. Eph. 5. Col. 3. & alibi passim. Quartò recitat regulã Christi, de nõ faciendo diuortio extra casum adulterij, 1 Cor. 7. Quintò prohibitionẽ coniugij, uocat doctrinam dæmoniorum, 1 Tim. 4. Autor etiam epistolæ ad Hebræos, matrimonium Deo placere monet, Hebr. 13. Honorabile est inter omnes coniugium & cubile impollutum.

Esse copulationem unius maris, & unius fœminæ, Petrus docet 1 Petri 3. Vxores subditæ sitis uiris uestris, &c. Item: Viri cohabitent secundum scientiam, uelut infirmiori uasi muliebri impartientes honorem. Et Paulus 2 Corinth. 11 inquit, Despondi uos uni uiro. Rom. 7. Viro obnoxia mulier, uiuente uiro est alligata per legem. 1 Corinth. 6. Redigentur duo in carnem unam. Eph. 5. E' duobus fiet una caro. Item: Viri debent diligere uxores, sicut sua ipsorum corpora.

Arctißimum autem coniugij uinculum esse, ex iam citatis locis apparet, maximè uerò ex 1 Corint. 7. Vxor proprij corporis ius non habet, sed maritus: similiter & maritus proprij corporis ius non habet, sed uxor. Et quòd debeat durare usq; ad mortem alterius partis, Paulus docet Rom. 7. & 1 Corinth. 7. Vxor alligata est matrimonio, quàm diu uiuit maritus eius.

Plures simul & semel habere uxores non licere, ex testimonijs iam allegatis constat. quibus & hoc addi potest, quod 1 Cor. 7. dicitur: Quælibet habeat suũ maritum, & quilibet suam uxorem. & quod 1 Tim. 3. Episcopus, itẽ Diaconus, sit unius uxoris maritus. 1 Cor. 7.

In contrahendis nuptijs, habendam esse rationem consanguinitatis, & graduum in lege prohibitorum, monet exemplum Corinthij, 1 Corinth. 5. qui nouercam duxerat uxorem, quod Paulus stuprum appellat. Huc etiam illud facit Ephes. 5, Relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori suæ.

Eos qui non habent donum castitatis, teneri cõtrahere matrimonium, Paulus docet 1 Cor. 7. Propter stupra uitanda, quisq; suam habeat uxorem, & suũ quæque uirum habeat. & postea: Quòd si se non continẽt, matrimonium contrahant. nam satius est matrimonium contrahere, quàm uri. Huc pertinent etiam testimonia, scortationem et adulterium prohibentia. 1 Cor. 6. Eph. 5. 1 Tim. 1. Gal. 5. Col. 3. 1 Thess. 4. Heb. 13.

Nec Episcopis & ministris Ecclesiæ, nec ullis alijs hominibus, ad coniugium idoneis, usum matrimonij esse interdictum, in Apostolorum scriptis legas. Nam modò allegata sentẽtia ex 1 Cor. 7, ad omnes pertinet. Deinde de episcopis apertè dicitur 1 Tim. 3. quòd debeant esse unius uxoris mariti: hoc est, qui simul nõ habeant plures uxores. & ne quis allegoriam aliquam fingat de una ecclesia gubernanda, subijcitur: Qui non suæ domui bene præsit, & liberos habeat in subiectione cum omni reuerẽtia. Ibidem etiã de Diaconis dicitur, quòd debeant esse unius uxoris mariti, & liberis suis rectè præesse, & proprijs familijs. Idem testantur etiã exempla Apostolorum & aliorum. nam Petrum & fratres Domini, & cæteros apostolos habuisse coniuges, Paulus affirmat 1 Cor. 9. Philippum unum ex septem diaconis Cæsareæ quatuor filias prophetãtes habuisse, Lucas Act. 2 narrat. Præterea Paulus, Matrimoniũ prohibentes & cibos, spiritus impostores, tradẽtes doctrinam dæmoniorum, appellat. 1 Tim. 4.

Externos ritus usitatos & honestos in cõtrahendo matrimonio, ut sunt sponsalia, consensus parentum & amicorum, sacræ benedictiones nouorũ coniugũ, conuiuia nuptialia, mundior ornatus sponsæ, munera, et similia, non improbant Apostoli. Nam ad sponsalia alludit Paulus 2 Cor. 11. Despondi uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo. & 1 Cor. 7. Qui elocat nuptũ, bene facit, &c. Consensus parentum & amicorum in Decalogi præcepto cõtinetur: Honora patrẽ tuum, & matrẽ tuam, &c. Ephes. 6. Item: Filij obedite parentibus uestris, &c. Ephes. 3. Et benedictiones nouorum coniugum, pertinent ad præcepta de oratione. 1 Tim. 2. Fiant obsecrationes & interpellationes pro omnibus hominibus. & 1 Timoth. 4. Paulus iubet cibis & matrimonio uti cum gratiarũactione. Et Coloss. 3. Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite. Ad cõuiuia nuptialia in Apoc. 19. alluditur: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Ad ornatum sponsæ mundiorem, Ephes. 5 Paulus alludit, cum inquit: Christus semetipsum pro ea exposuit, ut illam sanctificaret, mundatã lauacro aquæ, per uerbum, ut adhiberet eam sibi gloriosam, ecclesiã non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi: sed ut esset sancta, & irreprehensibilis.

Secundas nuptias legitimas, altero scilicet coniuge mortuo, ab Apostolis improbari non legas: imò Paulus præcipit iis Ilqui non habent donum castitatis, & aliàs non possunt continenter uiuere. Nam 1 Corint. 7. Dico inconiu-

inconiugatis & uiduis, bonũ eis est, si manserint ut & ego. Quòd si se non continent, contrahant matrimonium. & sub finem capitis inquit: Vxor alligata est matrimonio, quandiu uiuit maritus eius. Quod si dormierit maritus illius, libera est ad cui uelit nubendum, modò in Domino. Roman. 7. Nam uiro obnoxia mulier, uiuẽti uiro alligata est per legem: quòd si mortuus fuerit uir, liberata est à lege uiri. Proinde uiuente uiro, adultera uocabitur, si se iunxerit alteri uiro. Idem 1 Timoth. 5. Volo igitur iuniores, scilicet uiduas, nubere, liberos gignere, domum administrare, &c.

Officia coniugum erga se inuicem & erga liberos & familiam, suprà in quarto & sexto præcepto exposuimus.

¶ Fines seu effectus coniugij, hi ferè recensentur ab Apostolis.

Vt obediamus & pareamus ordinationi Dei, qui instituit coniugium. Ephes. 5. 1 Timoth. 4. idq; mandauit ijs qui aliàs sine libidinum æstu uiuere non possunt. 1 Cor. 7. Melius est nubere, quàm uri.

Secũdò, propter procreationẽ liberorũ. 1 Tim. 1. Saluatur mulier per generationẽ filiorũ, si mãserint in fide. 1 Tim. 5. Volo iuniores nubere, filios gignere. 1 Tim. 3. Qui liberos habeat in omni subiectione. & postea: Diaconi unius uxoris mariti, qui liberis rectè præsint.

Tertiò, ut habeamus socium communium precum, & omnis generis officiorum, laborum & molestiarum in administranda re familiari. patent hæc ex testimonijs de officijs coniugum, 1 Pet. 3. Ephes. 5. Coloss. 3.

Quartò, ut uitentur scortationes. 1 Cor. 7. Propter stupra uitanda, suam quisque habeat uxorem, & suum quæq; maritum. & postea: Ne fraudetis uos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi. & rursum: In unum conueniatis, ne tentet uos Satanus propter intemperantiam uestram.

Quintò, ut sit typus aut simulachrũ arctissimæ Christi & Ecclesiæ coniunctionis, & sincerissimi amoris, quo Christus Ecclesiam complectitur, & beneficiorũ quæ in eam confert. Ephes. 5. Quoniam uir est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput Ecclesiæ, & idem est qui salutem dat corpori: itaq; quemadmodum Ecclesia est subdita Christo, sic et uxores suis uiris in omnibus. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiã, &c. Item: Nullus unquã suã ipsius carnẽ odio habuit, imò nutrit & fouet eam, sicut et Dominus Ecclesiã: quoniã mẽbra sumus corporis eiusdẽ, ex carne eius, & ex ossibus eius, &c. Mysteriũ hoc magnum est, uerum ego loquor de Christo & de Ecclesia.

Porrò cum gratiarum actione coniugio utendum esse, Paulus monet, 1 Tim. 4. Deinde & hanc tradit regulam 1 Corinth. 7. Qui habent uxores, sint tanquam non habeant: hoc est, non ponant in re uxoria summã fœlicitatem, adeò ut Dei obliuiscantur, & abijciant curam æternæ salutis: sed sciant, hanc quoq; rem, ut alias, non esse perpetuam, sed temporaneam, & unà cum habitu mundi præterire.

DE DIVORTIO.

CHristum admittere diuortium ob adulterium, dictum est suprà: & non est dubium, quin Apostoli eandem sententiam etiam propagarint, licet in eorum scriptis ea de re non fiat mentio.

Paulus uerò etiam ob aliã causam diuortiũ permittit, nempe si infidelis maritus aut uxor, nolit cohabitare cum fideli coniuge, & discedat. 1 Cor. 7, Si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, sed in pace uocauit nos Deus.

In alijs uerò rebus diuortiũ prorsus prohibet. 1 Cor. 7. Alligatus es uxori, ne quære diuortiũ. Item: Coniugatis præcipio, non ego, imò Dominus: Vxor à uiro ne separetur: quòd si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus uxorem ne dimittat. Reliquis aũt dico ego, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelẽ, et hæc assentitur ut habitet cũ illo, ne dimittat eam: & mulier quæ habet maritum infidelem, & is assentitur ut habitet cum ea, ne dimittat illã. Sanctificatus enim est maritus incredulus per uxorẽ, & sanctificata est uxor incredula per maritũ. Alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

DE VIRGINITATE, SEV cœlibatu.

DE uirginitate & cœlibatu solus Paulus 1 Corinth. septimo quædam tradit: alij uerò Apostoli in scriptis suis, eius non meminerunt, nisi quòd in Apocal. centũ & quadraginta quatuor millia, qui empti de terra dicuntur, uirgines appellantur, ut qui sese cum mulieribus non coinquinarint. sed ea mysticè exponi solent, de ijs qui non sunt contaminati idololatria meretricis Babylonicæ.

Docet autem Paulus utrumq; Dei donum esse, tum castè extra matrimoniũ uiuere posse, tum ad matrimonium idoneum & procliuem esse, licet illud scilicet donum uirginitatis rarius, eoq; excellentius esse sentiat. 1 Cor. 7. Velim omnes homines esse ut ego ipse sum, sed unusquisq; propriũ donum habet, alius sic, alius autem sic. Et postea: Vnusquisq; ut ipsi partitus est Deus, unusquisq; ut illum uocauit Dominus, ita ambulet.

Deinde ijs qui non habent donum uirginitatis, præcipit ut contrahant matrimonium. 1 Cor. 7. Ad uitandã fornicationem, &c. Melius est nubere, quàm uri.

Tertiò, illis qui habent donũ uirginitatis, & possunt castè extra matrimoniũ uiuere, liberum esse dicit, siue matrimonium ineant, siue ab eo abstineant. 1 Cor. 7. De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium tamen do, &c. Quòd si duxeris uxorem, non peccasti: et si nupserit uirgo, nõ peccauit. Et postea rursus: Quòd si quis indecorũ uirgini suæ putat, si prætereat nubendi tempus, & sic oportet fieri: quod uult faciat, non peccat: iungantur matrimonio. Cæterùm qui stat firmus in corde, non habens necessitatem, sed potestatem habet propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet suam uirginem, bene facit.

Quartò, ijs qui habent donum castitatis, dat consilium, quòd melius faciant, si non ineant matrimonium, quàm si contrahant. 1 Corinth. 7. Hoc dico iuxta indulgentiam, & non iuxta præceptum. Nam uelim omnes homines esse ut & ipse sum, scilicet cœlibes, &c. & postea: Qui elocat nuptum, bene facit: attamen qui non elocat nuptum, melius facit.

Huius autem consilij rationem Paulus affert, quòd si abstineant à coniugio, minus habeant curarũ & sollicitudinum & afflictionum, quàm si coniugio utantur. Inquit enim: Velim uos absque sollicitudine esse. Qui

cœlebs est, curat ea quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino: at qui duxit uxorem, sollicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori. Diuisa sunt hæc duo, mulier & uirgo. Innupta curat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta, cùm corpore, tum spiritu. Contrà, quæ nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placitura sit uiro. Hoc autem ad id quod uobis conducibile est, dico: non uti laqueum uobis iniiciã, quasi coniuges non placeant Deo, sed ut quod honestum ac decorum est, sequamini, & adhæreatis Domino absq; ulla distractione.

Postremò legitimo coniugio hæc aduersari docent, adulteria, scortationes, immundiciem, molliciem, concubitum cum masculis, uagas libidines, incestum, 1 Corinth. 5. 6. 7. Ephes. 5. Coloss. 3. 1 Timoth. 1. Roman. 1. 2 Petri 2. Vri potius quàm nubere, 1 Corinth. 7. Prohibere matrimonium ijs qui non habent donum uitæ cœlibis, Ibidem: & 1 Timoth. 4. Prohibere matrimonium ministris ecclesiæ, ut genus uitæ impurũ, in quo uiuentes nequeant administrare res sacras. 1 Timoth. 3. Polygamia, hoc est, plures simul habere uxores, Rom. 7. Viuente uiro adultera uocabitur, si se iunxerit alteri uiro. Dimittere uxorem ob alias causas quàm adulteriũ, 1 Cor. 7. altero coniuge infideli discedente, fidelem & innocentem arcere ab usu coniugij. 1 Corinth. 7. ex consilio de uirginitate facere præceptum Dei, & conscientijs inijcere laqueos. 1 Cor. 7. non facere officia piorum coniugum: cuiusmodi sunt, si uiri non diligant uxores, sed sunt amarulenti erga illas. Ephes. 5. Coloss. 3. 1 Pet. 3. Si domui suæ & liberis non bene præsint. 1 Tim. 3. Coloss. 3. Et ecõtrà, si uxores nõ subditæ sint uiris suis, nec reuereantur eos. 1 Pet. 3. Ephes. 5. Coloss. 3. Et si usurpẽt sibi autoritatem super uiros. 1 Tim. 2. & similia, quæ suprà in sexto præcepto Decalogi enumerauimus.

DE MAGISTRATV.

MAgistratum Petrus, 1 Petri 2 ἀνθρωπίνην κτίσιν, ordinationem humanam: & 2 Petri 2, κυριότητας, dominationem, & δόξας, id est, glorias seu excellentias appellat, quas postremas uoces utrasq; etiam epistola Iudæ habet. Paulus uerò Rom. 13. ἐξουσίας ὑπερεχούσας, potestates sublimiores: & ad Tit. 3. ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, principatus & potestates appellat.

Interdum etiam uoce Regis, ut 1 Petri 2. 1 Tim. 2. & principis, Roman. 13. & Ducis, 1 Petri 2, & in eminentia constituti, 1 Timoth. 2 notatur.

Docent autem, magistratum esse genus uocationis seu functionis, institutum à Deo, ita quidem, ut unus aut plures alijs præsint, eosq; certis & honestis legibus gubernent, & politicam disciplinam, & honestatem & pacem conseruent: & enormiter peccantes contra primam & secundam tabulam, non obiurgatione modò, sed etiam ui corporali & gladio, & alijs supplicijs puniant, ut in sequentibus dicetur.

Deum magistratus, hoc est illius functionis, quæ gladio utranque tabulam Decalogi tuetur & custodit, esse autorem & conseruatorem, Paulus docet ad Roman. 13. Non est potestas, nisi à Deo: & quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. & postea: Dei enim minister est ad bonum.

Gubernatores autem, hanc functionẽ administrantes, homines esse, tum ipsa experientia, tum testimonia probant. 1 Petri 2. 1 Timoth. 2.

Eos uerò per homines penes quos est potestas eligẽdi & cõstituendi gubernatores rerumpublicarũ, Deus uel curante, aut permittente eligi, & ad gubernacula Reipublicæ collocari, tum experientia testatur: tum dictum Petri monere uidetur, qui magistratum appellat ordinationem humanam: scilicet, quia per homines administratur, & quia per homines eorumq; consensum gubernatores eligantur & constituantur.

Distinctos gradus inter personas magistratum gerentes, non improbari ab Apostolis, apparet ex dicto 1 Petri 2. Siue regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. & 1 Timoth. 2. Pro regibus & omnibus in sublimitate constitutis.

Opera autem huic uocationi, scilicet magistratui præscripta, ad quæ omnes gubernatores in omnibus politijs sint obligati, hæc ferè recensentur.

Adiuuare collectionem Ecclesiæ Dei, & curare ut idololatriæ manifestæ aboleantur, & sincera doctrina & uerus usus sacramentorum uigeat apud suos, suã confessione & cõstantia alijs esse bono exemplo. Complectitur hæc omnia Paulus ad Roman. 13. Principes non terrori sunt bene agentibus, sed malè. uis autem non timere potestatem? quod bonum est facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Idem 1 Timoth. secundo, ad magistratus officium pertinere ostendit, ita gubernare subditos, ut piam & sine cerus usus sacramentorum. Et Petrus 1 epist. 2. Magistratus officium esse monet, laudare rectè agentes, quo indicat, magistratum etiam debere eos iuuare & promouere, qui ueram religionem doceant: & abolere idololatriam, quæ est omnium summum malum, & generi humano nocentissimum.

Conseruare externam disciplinam & honestatem & pacem: complectitur hæc quoq; Petrus, 1 epist. 2. Vt qui per eum mittantur, ad uindictam nocentium, laudem uerò rectè agentium. Et Paulus 1 Timoth. 2. Vt tranquillam & quietam uitam agamus cum omni pietate & honestate. & ad Rom. 13. Est minister Dei ad bonum. Disciplinam autem & honestatem & pacem, bona esse, & necessaria ad societatem generis humani, quis est qui neget?

Vt ministros Dei, sine respectu personarũ seueriter ui corporali animaduertere in eos qui manifestè delinquunt contra Decalogum & iustas leges, & turbant cõmunem societatem, & enormiter nocent alijs. Nam Paulus ad Rom. 13. Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui aũt restiterint, sibijpsis iudicium accipient. Nam principes nõ terrori sunt bene agentibus, sed malè. Vis aũt non timere potestatẽ? Quod bonum est facito, & feres laudẽ ab illa. Dei enim minister est, tibi in bonũ. Quòd si feceris id quod malũ est, time. non enim frustra gladiũ gestat. nã Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malũ est fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter conscientiã. Et Petrus 1 epst. 2. Ad uindictam nocentium, & laudem rectè agentium.

Gubernatores magistratum gerentes, siue sint summi, siue medij, siue infimi, in quacunque politia, non

non habere potestatem agendi aut præcipiẽdi suis subditis, aliquid contra Deum & iustas leges, ex lege naturali extructas, & uerbo Dei non aduersantes, his argumentis indicant.

Primùm, quòd docent tam gubernatores quàm subditos, Deo, eiusq; uerbo obedire debere: & nullum hominem habere libertatem & immunitatẽ, faciendi aut præcipiendi malum. ad Rom. 2. His qui obtemperãt iniustitiæ, uentura est indignatio, & ira, & afflictio, & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum, &c. Non enim est personarum respectus apud Deum. Eadem sententia repetitur ad Ephes. 6. Gal. 2. Coloss. 2. Act. 10.

Secundum, quòd gubernatorum officia his metis includunt, quòd debeant esse ministri Dei, ad iram ei qui quod malum est fecerit: & ad tutelam & honorem ei, qui quod bonum est faciat. 1. Petri 2. Rom. 13. & quod debeant in communi societate hominum pietatem et honestatem & pacem conseruare, 1. Timoth. 2. Sed facere & præcipere ea quæ sunt contra Deum, et pietatem & honestatẽ, defendere nocentes, et punire insontes, pugnãt cum officijs à Deo magistratui præscriptis. Quare non est fas ulli magistratui suum officiũ diuinitùs sibi mandatũ, uertere in contrariũ: quòd si quis facit, nõ minister Dei, sed minister diaboli dicendus est.

Tertium, quòd Apostoli tum suo exemplo, tum sententia illa, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, Act. 5. docent gubernatoribus Reipublicæ imperantibus ea quæ Deus prohibuit, & prohibentibus ea quæ Deus mandauit, non esse obtemperandum. Quod impiè fieret, si ea esset magistratuũ iurisdictio seu potestas, ut uocant, imperandi aut defendendi malum, pugnãs cum lege Dei, & nocens Reipublicæ & ædificationi Ecclesiæ. Gubernatores ergo in ijs rebus quæ cum Decalogo & iustis legibus pugnant, nihil iuris aut immunitatis præ cæteris hominibus priuatis habent: & perpetrãtes id quod malum est, coguntur tam metuere ordinationem Dei, gladium gestantem ad uindictam nocentium, quàm alij homines priuati. Nam Paulus Rom. 13. docet, Deum ordinasse & instituisse potestatẽ illam gladio defendendi bonũ, & puniendi malum: & præcipit, ut omnis anima, & sic ipsi gubernatores, tali Dei ordinationi subiecta, hoc est obligata ad faciendũ bonum, si uelint defendi ista Dei ordinatione, & non ob sua impia facinora puniri.

Licere homini Christiano, etiam ethnico aut impio magistratũ gerenti, in rebus externis, et nõ pugnantibus cum uerbo Dei, parêre, Apostoli docent. Nam Petrus 1. epist. 2. cuiuis humanæ creaturæ obedire iubet, siue regi, siue ducibus eius: fuisse autem reges et gubernatores pios quosque ethnicos & impios, hoc seculo historia ipsa probat. Et Paulus Romanos iubet obedire suis principibus et gubernatorib. non tantũ propter iram, sed etiã propter cõscientiã. Rom. 13. Idem 1. Tim. 2. iubet pro ijs precationes fieri. Idem etiam historia Apostolorũ comprobat, qui impijs gubernatoribus, ut sunt Annas, Caiphas, Herodes, Pilatus, Hierosolymis et alijs etiam in locis subditi fuerunt, & obedientiã præstiterũt debitam. In ijs uerò quæ sunt cõtra Deum, eiusq; uerbum ac mandatum, & contra publicã honestatẽ, non esse gubernatoribus obtemperandũ, Apostoli monent. Act. 4. An iustum sit in cõspectu Dei, uos potius audire, quàm Deum, uos iudicate: & Act. 5. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Cætera de officijs subditorum, suprà in quarto præcepto exposuimus.

Magistratum ab ecclesiastica gubernatione eo potissimum discernũt, quòd magistratui gladiũ corporalem tribuũt ad honorandũ opus bonum, & terrendũ & puniendum eos qui quod malum est, siue contra primã, siue secundam tabulam, faciũt. 1. Petri 2. & Rom. 13. Non fruſtra gerit gladium nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Ecclesiasticæ uerò gubernationi gladiũ spirituale, Ephes. 6. 1. Tim. 3. Tit. 1.

DE MORTE.

Mortis uocabulo Apostoli interdũ notant hominis extinctionem seu interfectionẽ, Act. 13. Nullam causam mortis inuenerũt. Act. 23. Nihil dignũ morte egit. Act. 25. Ego cõperi nihil dignũ morte eum commisisse. Philip. 1. Magnificabitur Christus, siue per uitam, siue per mortem. Rom. 14. Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Hebr. 9. Vbi testamentum est, necesse est mortem intercedere.

Interdum uerò nõ tantum externã internecionẽ, sed etiam cõdemnationẽ, & æternas pœnas, 1. Ioan. 3. Qui nõ diligit, manet in morte. Et 1. Ioan. 5. Est peccatum ad mortem. Apoc. 9. Desiderabũt homines mori, & fugiet mors ab eis. Rom. 1. Qui talia agunt, digni sunt morte. Rom. 5. Regnauit peccatũ in mortẽ. Rom. 8. Si secundũ carnẽ uixeritis, moriemini. 1. Cor. 16. Absorpta est mors in uictoria. Iac. 1. Peccatum, &c. generat mortẽ. Iac. 5. Saluauit animã eius à morte.

Duas species mortis esse, Ioannes monet: aliam primam, aliam secundã. Apoc. 2. & 20. Appellat aũt mortem primam, æternã illam separationẽ corporis & animæ: secundã uerò, æternã in stagnũ ignis abiectionẽ & cõdemnationẽ, qua post resurrectionẽ impij cruciabuntur, Apoc. 20. De secũda morte dicetur in loco de Inferno, hic de externa seu corporali morte dicendum est.

Causas mortis docẽt esse diabolũ et Adam, et peccatũ. Nam de diabolo testimonia sunt 1. Ioan. 3. In hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. et autor epist. ad Hebr. 2. dicit diabolũ habere mortis imperiũ. Huc alia testimonia pertinent de lapsu hominis suprà citata.

De Adam et Eua primis parentib. testimonia extãt in epistolis Pauli, Rom. 5. Per unum hominẽ peccatũ in mundum introijt, & per peccatũ mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus, &c. imò regnauit mors ab Adã usq; ad Moysen, in eos quoq; qui nõ peccauerãt, ad similitudinẽ transgressionis Adã. 1. Cor. 15. Vt per hominẽ mors, etiã per hominẽ resurrectio mortuorũ. Quemadmodũ enim per Adam omnes moriũtur, ita per Christũ omnes uiuificabũtur.

De peccato, quòd sit proxima causa mortis, Paulus Rom. 5. docet: Per unum qui peccauit, uenit mors, &c. Per unius delictum mors regnauit, &c. Per unius delictum propagatũ est malũ in omnes homines, &c. Item: Regnauit peccatum in morte, Rom. 6. Stipendium peccati mors est. 1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum.

Omnes homines semel mori oportere, autor epistolæ ad Hebr 9. Illud manet omnes homines, ut semel moriantur, post hoc autem iudicium. Excipiuntur tamen à Paulo illi, qui sub aduentum Christi adhuc erunt in ui-

uis. ij enim in momẽto immutabuntur, 1. Thess. 4. 1. Cor. 15. 2. Cor. 5.

¶ Causas autem, cur etiam credentes in Christũ mori oporteat, has proponunt. Prima, quia & ipsi adhuc habeant peccatum. Rom. 5. In omnes mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Idem Rom. 7. postquam ostendit peccatũ in sua carne adhuc habitare, exclamat: Miser ego homo, quis eripiet me ex hoc corpore, morti obnoxio? Gratias ago Deo, etc. Autor epist. ad Hebr. 7. dicit sacerdotes in ueteri Testamento mortuos esse: & postea 10. cap. causam affert, quòd suis sacrificijs nõ potuerint tollere peccatum, & quòd ipsi quoque infirmitate circundati fuerint, Hebr. 5.

Secunda: Quia caro et sanguis, hoc est nostra depraua natura, nequeat regni Dei hæreditatem consequi, nisi mortalitas absorbeatur à uita, 1. Cor. 15. et 2. Cor. 5.

Tertia: Quia oporteat pios etiam aliquo modo in hac re fieri conformes imaginis Christi. 2. Timoth. 2. Si commortui fuerimus, & conregnabimus.

Quarta: Quia oportet discrimen esse inter hanc & futuram uitam. In hac ergo mori eos oportet, in altera uerò uita mors eis non dominabitur amplius. Rom. 6. Mors erit absorpta in uictoria. 1. Cor. 15.

Pios etiam à morte abhorrere, & immutari malle quàm mori, Paulus indicat 2. Corinth. 5. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quòd nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à uita.

¶ Proponunt etiam pijs consolationes contra mortem, cuiusmodi sunt: Prima: Quia causa mortis, nempe peccatum, per mortẽ Christi est sublata. 1. Pet. 3. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo. 1. Ioan. 3. Animam suam pro nobis posuit. Apoc. 19. Et ipse calcat torcular uini furoris & iræ Dei omnipotentis. Rom. 4. Traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iusticiam nostrã. Rom. 6. Quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quòd autem uiuit, uiuit Deo.

Secunda: Quia in morte & post mortẽ Christum habemus Dominũ. Rom. 14. Nullus enim nostrũm sibi ipsi uiuit, & nullus sibi ipsi moritur. Nam siue uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. siue igitur uiuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, et reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur.

Tertia: Quia mors nõ separat nos à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. Rom. 8. Nam mihi persuasum habeo, quòd neque mors, neque uita, &c. poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est, in Christo Iesu Domino nostro.

Quarta: Quia morientes in Domino, hoc est in fide Domini nostri Iesu Christi, sunt beati. Apoc. 14. Et Paulus Philip. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo. 2. Corinth. quinto: Confidimus autem & magis probamus, peregrè abesse à corpore, et præsentes adesse apud Deum. 1. Pet. 4. Tanquam apud fidelem conditorẽ deponant animas suas.

Quinta: Quia mors piorũ appellatur depositio tabernaculi sui, hoc est corporis sui. 2. Pet. 1. Destructio tabernaculi huius terreni. Exui, peregrè abesse à corpore. 2. Cor. 5. Dissolui, Philip. 1. Concredere Deo depositum: hoc est, corpus suum ita apud Deum deponere, ut suo tempore Deus teneatur reddere. 2. Tim. 1. Dormire, 2. Pet. 3. Ex quo patres dormierunt. 1. Thess. 4. Qui obdormierũt. 1. Cor. 11. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, et dormiunt multi. 1. Cor. 5. Non omnes dormiemus.

Sexta: Quia mortui resuscitabuntur in extremo die ad uitam æternam. 1. Pet. 5. 2. Pet. 3. 1. Ioan. 2. 3. Apoc. 11. 20. 21. 22. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4.

Animas à corpore per mortem separatas nõ interire, sed manere incorruptas, monẽt: & quidem piorum animas esse cum Christo. Philip. 1. Cupio dissolui, et esse cum Christo, 2. Cor. 5. 1. Pet. 3. Deponant animas suas apud fidelem conditorẽ. Apoc. 6. Animæ interfectorum sub altari quiescũt. Hebr. 11. Abel mortuus adhuc loquitur. Porrò quo in loco custodiantur impiorum animæ, usq; ad resurrectionẽ, non admodum expresse Apostoli indicant, nisi quòd Petrus carceris meminit 1. Pet. 4. Purgatorij nusquam mentionẽ uideas fieri. Nam quod 1. Cor. 3. de igne probante opera dicitur, de tentationibus intelligendum est.

DE APPARITIONIBVS mortuorum.

Quòd animæ hominum reuertantur, & appareant hominibus, et petant sibi quædam exhiberi officia, nusquam in Apostolorũ scriptis traditur; sed contrariũ à Petro & Paulo asseritur, in eo quòd mortuos dormire dicũt. 2. Pet. 3. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4. Et quòd Paulus monet eas esse cum Christo, Philip. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo.

DE FINE SECVLI, ET SIGNIS præcedentibus.

Hoc seculum, & hunc mundum, ac rerum eius statum, aliquando finitum & immutatum iri, Apostoli etiam consentiunt. Nam Act. 2. ex Ioele Petrus allegat: Sol cõuertetur in tenebras, et luna in sanguinẽ, antequã ueniat dies ille Domini magnus et illustris. Idem cum Ioanne Act. 3. inquit: Iesum Christum oportet cœlum accipere usq; ad tempora restitutionis omniũ, &c. Eandem sententiã etiam in epistolis suis sunt professi. Nam Petrus inquit, Rerũ omniũ finis imminet. 1. Pet. 4. Idem: At qui nunc sunt cœli et terra, eiusdẽ sermone repositi sunt, & seruãtur igni in diem iudicij & perditionis impiorũ hominũ, 2. Pet. 3. Ioannes etiam dicit: Mundus transit, et cõcupiscentia eius. 1. Ioan. 2. Et uidi cœlum nouum & terram nouam. Primum enim cœlũ & prima terra abijt, & mare iam nõ est. Apoc. 21. & Paulus Rom. 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatẽ filiorum gloriæ Dei. 1. Cor. 6. Escæ uentri destinatæ sunt, & uenter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit. & 1. Cor. 7. Præterit enim habitus huius mũdi. & 1. Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatẽ, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Philip. 1. Idem perficiet usq; in diem Iesu Christi. & Philip. 3. & 1. Thess. 2. aduẽtus Christi fit mentio. & 1. Thess. 4 & 5. Paulus de extremo die et resurrectione disserẽdo, asserit rerum præsentiũ mutationẽ. 1. Tim. 6. Serues præceptũ, usq; ad apparitionẽ Domini nostri Iesu Christi, &c. 2. Tim. 4. Quam reddet mihi Dominus in illo die, &c. Hebr. 12. Adhuc semel cõcutio non modò terram, sed etiam cœlũ. Hebr. 13. Non habemus hic manentem

nentẽ locum, sed futurũ inquirimus. Autor epist. Iac. 5. de aduentu Domini prædicit, et de rerum immutatione. Idem author epistolæ Iudæ facit, Ecce uenit Dominus cum sanctis millibus suis.

Certum autem annum & diem eius immutationis, ut non acceperunt à Christo, ita nec Apostoli præfinierunt, sed inter arcana Dei reseruata reliquerunt. Nam Paulus Act. 17. dicit, Deum statuisse diem, quo iudicaturus sit orbem terrarum cum iusticia: sed quando sit ille dies exoriturus, nõ exprimit. Idẽ 1. Thes. 5. Porrò de temporibus et articulis temporũ, fratres, nõ est opus ut uobis scribã. Ipsi enim planè scitis, quòd dies ille Domini, ut fur in nocte, ita uenturus sit. Idem 2. Thess. 2. cum cognouisset Thessalonicẽses concepisse opinionem, quasi iam instaret dies extremus, seriò hortatur eos, ut eiusmodi opinionem deponant, et non sibi eiusmodi persuaderi à quoquam sinant. 2. Pet. 3. Veniet dies Domini, sicut fur in nocte.

Non tamẽ infinitũ interuallũ à suo æuo usq; ad consummationẽ seculi fore innuunt. nam Petrus extremis diebus finem mundi uĕturũ ostendit, 2. Pet. 3. & Paulus 1. Thess. 4. 5. 1. Cor. 15. 2. Thes 3. & alibi passim, usq; ad finẽ mundi homines uicturos indicat. Ioãnes uerò ait, Scimus nouissimũ tempus esse. 1. Ioan. 2. Idẽ in Apoc. 20 mille annorũ meminit, post quos diabolus sit seductus gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, modico tempore, &c. quo indicare uidetur, duo millia annorũ à tempore Christi usq; ad finẽ mundi nõ integrè completũ iri Autor epistolæ ad Heb. 10. Adhuc perpusillum temporis, & qui uenturus est, ueniet, & non tardabit.

¶ Signa præcessura seculi cõsummationẽ et aduentum Christi, hæc ferè recensentur. Prodigia et signa in cœlo & in terra. Nam Apostoli Act. 2. allegant dictum Ioelis: Dabo prodigia in cœlo supernè, & signa in terra infernè, sanguinẽ et ignem et uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinẽ, antequã ueniet dies ille Domini magnus & illustris. Hæc quidẽ etsi etiam possunt intelligi de signis & prodigijs tempore passionis Christi factis, tamẽ non incommodè etiam ad extremum diem referuntur.

Reuelatio Antichristi. 2. Thes. 2. Non adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius, et reuelatus fuerit homo ille sceleros us, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnẽ qui dicitur Deus & numẽ, &c. tunc patefiet iniquus ille, quẽ Dominus cõficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui. & 1. Ioan. 2. Filioli nouissimũ tempus est, et sicut audistis, quòd Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi esse cœperunt, unde scimus nouissimum tempus esse. Ioannes etiam in Apoc. 14. & 18. reuelationem Antichristi extremum diem præcessuram monet.

Bella, quæ bestiæ, hoc est, principes Romani imperij, pro defendẽdo Antichristo, eiusq; idololatria instauranda, gerent contra eos qui ab agnito Antichristo defecerũt, eiusq; idololatriã abominantur. Apoc. 13. 16. 19.

Scortatio regum & principum nobilium & mersio, quæ fit per uarias, cum eius religione et cæremonijs reconciliationes, ob pacem externam, quæ appellantur imagines & characteres bestiæ. Apoc. 13. 14. 19. 20.

Clamores piorum doctorum, de fugienda adoratione bestiæ, eiusq; imaginis & characterum eius susceptione: hoc est, de cauendis reconciliationibus cum religione Antichristi, quas Romani imperij proceres in medium producunt, ad faciendam pacem inter Christũ & Belial. Apoc. 14.

Defectio quorũdam principum Romani imperij ab Antichristo, & deuastatio Babylonis sedis Antichristi, hoc est urbis Romanæ. Apoc. 16. 17. & 18.

Gog et Magog in Ecclesiam Dei horrenda impressio & persequutio, Apoc. 20.

Corruptissimi hominum mores in omnibus ordinibus: ut facilè existimari potest, si quis consideret extremis temporibus Antichristũ omniũ abominationũ parentem, et omniũ scelerũ patronũ, in imperio Romano equitaturũ, bella contra sanctos gesturũ. Describuntur autem illi hominũ sub finem mundi praui mores 2. Pet. 2. ubi inter alia uitia etiam hoc cõmemorat, quòd multi ab agnita ueritate sint defecturi. et 2. Pet. 3. monet, extremis temporib. fore illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, et dicant: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo patres dormierũt, sic omnia permanẽt ab initio cõditionis. Paulus uerò extremorum temporũ mores eleganter, uiuis colorib. depingit 1. Tim. 4. Spiritus aũt certò loquitur, quòd in posterioribus temporib. desciscẽt quidam à fide, attendẽtes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorũ, per simulationẽ falsiloquorũ, cauterio notatã habentiũ conscientiam, prohibentiũ contrahere matrimoniũ, iubentiũ abstinere à cibis. 2. Tim. 3. Illud autem scito, quòd extremis diebus instabunt tempora periculosissima. Erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carẽtes affectu, nescij fœderis, calũniatores, intemperãtes, immites, negligentes bonorũ, proditores, præcipites, inflati, uoluptatem amantes potius, quàm amantes Dei: habẽtes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarint. Et istos auersare. 2. Tim. 4. Nam erit tempus, cum sanam doctrinam nõ sustinebũt: sed iuxta concupiscentias suas coacerua-bunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures: & à uerita te quidem aures auertent, ad fabulas uerò cõuertentur.

Summa impiorũ securitas, propter fœlicissimũ omnium rerum successum, contra ueram religionẽ, & homines pios. 1. Thes. 5. Cum dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.

Quo modo mundus interiturus sit, Petrus posterioris epist. 3. explanat his uerbis: Veniet aũt dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morẽ transibũt: elementa uerò æstuantia soluẽtur, terraq;, & quæ in ea sunt opera exurẽtur. Cum igitur hæc omnia soluentur, quales oportet uos esse in sanctis conuersationib. ac pietatibus, expectantes & accelerantes aduentũ diei Dei, per quem cœli incensi soluẽtur, & elemẽta æstuantia liquescent. Sed cœlos nouos & terrã nouam, iuxta promissum illius, expectamus. Ioannes etiam Apoc. 20 uidetur idem innuere, dum ignem à Deo descensurum & deuoraturum Gog & Magog, et alios Ecclesiæ hostes, dicit. Vbi etiam inquit: Vidi thronũ magnũ candidũ, & sedentẽ super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus nõ est inuẽtus eis. & Apoc. 21, nouum cœ

lum & nouam terram futuram cõmemorat. Et Paulus hanc sententiã approbare uidetur 2. Thess. 1. ubi Christum cum incendio flammæ apparituri de cœlo dicit, ad puniendum impios, et liberandum sanctos. Autor epist. ad Hebræos, ex Psalmo 102 citat dictum, quo asseritur, cœlos perituros, & Deum eos mutaturum.

DE IMMVTATIONE VIVORVM in aduentu Domini.

ADueniente Christo, homines in toto orbe terrarum adhuc in uiuis fore, Symbolum apostolorũ testatur: Qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos. & Petrus Act. 10: Præcepit nobis, ut prædicaremus populo, & testificaremur, quòd ipse sit ille qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Idem in priori epistola, cap. 4. Reddituri sunt rationẽ ei qui paratus est ad iudicandũ uiuos & mortuos. & Paulus 1. Cor. 15. & 2. Cor. 5. 1. Thess. 4 & 5, expresse docet, aduentẽte Christo nõ omnes dormituros, sed adhuc homines uicturos. Idem etiã alia dicta cõfirmant, quibus Apostoli hortantur uiuentes, ut expectent Christi aduentum.

Eos autem in ictu oculi immutãdos, & abiecta mortalitate & corruptione, in immortalitatẽ transformandos, Paulus monet 1. Cor. 15. Hoc aũt dico fratres, quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatẽ cõsequi non possunt. Neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. Ecce mysteriũ dico uobis: non omnes quidẽ dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momẽto oculi, per extremã tubam. Idem 1. Thes. 4 docet, et hanc immutationẽ appellat 2. Cor. 5, Superindui, si nõ nudi, hoc est mortui sub aduentũ Christi fuerimus reperti. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quòd nolimus exui, hoc est mori, seu à corpore separari: sed superindui, hoc est, unà cum corpore statim immutari, ut absorbeatur mortalitas à uita.

DE RESVRRECTIONE MORTUORUM in extremo die.

REsurrectionẽ mortuorũ certò futurã, ut ex Christo didicerũt, ita quoq; ipsi Apostoli constanter affirmant. Nam Petrus Act. 10 asserit, Christum esse à Deo cõstitutum iudicem uiuorũ & mortuorũ. & Paulus Act. 17, Atheniẽsibus de resurrectione mortuorum cõcionatur. Idem Act. 23. in cõcilio Iudæorũ inquit: Ego Pharisæus sum, filius Pharisæi, de spe & resurrectione mortuorũ ego iudicor. Idem Act. 24. in oratione apologetica corã Felice dicit, se spem habere in Deum, fore resurrectionẽ mortuorũ, iustorũ simul & iniustorum. Eandem sententiã etiam in epistolis suis tradunt. Petrus 1. epist. 1. 4. 5. & 2. epist. 3. et Ioannes 1. epist. 2. 3. & Apoc. 20. 21. & Paulus Rom. 8. 14. 1. Cor. 15. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Philip. 3. 1. Thess. 1. 4. 5. 2. Thess. 1. 2. 2. Tim. 4. Autor epist. ad Hebr. 10. 11. 12. 13. Iac. 5. Autor epist. Iudæ. Huc etiam symboli Apostolici sententia pertinet: Credo resurrectionem carnis: hoc est, humanæ naturæ.

¶ Licet etiam argumenta colligere, quibus utuntur ad asseuerandam mortuorum resurrectionem, cuiusmodi sunt:

Primum, à testimonio scripturæ ueteris Testamenti. Huc pertinẽt dicta, quæ citantur in hanc sententiam in Apostolorum scriptis: qualia sunt, Cœlos nouos & nouam terrã expectamus, 2. Pet. 3. Et absterfurus est Deus omnem lachrymã ab oculis eorũ, ex Esaiæ 25. Ecce noua facio omnia, ex Esaiæ 43. Apoc. 21. Et absorpta est mors in uictoria. Vbi tuus est mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? ex Oseæ 13. allegatur 1. Cor. 15.

Secundum, à testimonio seu doctrina Christi. Nam Petrus Act. 10. inquit: Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, quòd ipse sit ille qui constitutus est à Deo iudex uiuorum ac mortuorum.

Tertium, à resurrectione Christi, quam causam certissimam esse resurrectionis mortuorũ affirmant. Nam Petrus 1. epist. cap. 1. dicit, Deum nos regenuisse in spem uiuã, per hoc quòd Iesus Christus resurrexerit ex mortuis, ut nos fidem ac spem habeamus erga Deum scilicet de nostra quoque resurrectione. Et Ioannes 1. epist. cap. 4. Misit Deus filium in mundum, ut uiuamus per eum. & cap. 5. Qui habet filium, habet uitam. Idem Apoc. 1. Christũ primogenitũ mortuorũ appellat. et Paulus hoc argumentũ passim eleganter illustrat. Rom. 14. In hoc Christus & mortuus est, & resurrexit & reuixit, ut mortuis & uiuentib. dominetur. 1. Cor. 6. Deus et Dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam. 1. Cor. 15. Quòd si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos, nõ esse mortuorũ resurrectionẽ? Porrò si resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. & posteà: Nunc autem Christus resurrexit, primitiæ eorũ qui dormierant fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominẽ resurrectio mortuorũ. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabũtur, unusquisq; autem in proprio ordine: primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius, mox finis. Idem 1 Thess. 4. Nam si credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: sic & Deus eos qui obdormierũt, per Iesum adducet cum illo. Huc etiam pertinẽt illa dicta, quibus nos cum Christo conuiuificatos & resuscitatos Paulus dicit Ephes. 2. Conuiuificauit nos unà cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo fecit sedere inter cœlestes in Christo Iesu. Coloss. 3. Vita uestra abscondita est cum Christo, in Deo.

Quartum, à baptismo. Rom. 6. Nam si insiticij facti sumus illi per similitudinẽ mortis eius, scilicet baptizati in mortem Christi, nimirũ & resurrectionis participes erimus. Coloss. 2. Consepulti simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis. & 1. Cor. 15. Alioqui quid faciunt ij qui baptisantur super mortuis, si omnino mortui non resurgũt, cur & baptisantur super illos? Solebãt enim in cœmiterijs, ubi erant sepulti, mortui baptisari.

Quintum, ab inhabitatione Spiritus sancti. Rom. 8. Quod si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit et mortalia uestra corpora, propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis.

Sextum, ab exemplis eorum qui resuscitati sunt à morte. Nam Act. 8, Petrus mortuam Tabitham reducit in uitam: & Paulus Eutychum, Act. 20.

Septimum, à norma iusticiæ, qua bonis præmia sunt reddenda, & mali afficiẽdi supplicio. 2. Thes. 1. Gloriamur de tolerãtia uestra super afflictionib. quas sustinetis,

tis documentis iusti iudicij Dei, etc. Siquidem iustum est apud Deum, reddere ijs qui affligunt uos, afflictionem, et uobis qui affligimini, relaxationē nobiscū. Gal. 6. Qui semināt per carnē suam, de carne metet corruptionem: sed qui semināt per spiritū, de spiritu metet uitam æternam. Rom. 1. Reddit unicuiq; secundū opera sua. 1. Pet. 4. Si iustus uix saluus efficitur, impius ubi comparebit?

Octauum, à iudicio conscientiæ omnium hominum. Rom. 2. Cogitas autem, ô homo, qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu suffugies iudicium Deiē & postea ait: Gentes ostendunt opus legis scriptū in cordibus suis, simul attestante illorū conscientia, & cogitationib. inter se accusantibus, aut etiam excusanti bus, in eo die, cum iudicabit Dominus occulta hominū.

Nonum, à similitudinib. rerum creatarū. Hoc argumento Paulus utitur 1. Cor. 15. Stulte tu, quod seminas, nō uiuificatur, nisi mortuū fuerit: et hoc quod seminas, nō corpus quod nascetur seminas, sed nudū granū: exēpli causa, tritici, aut alicuius ex cæteris: sed Deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus.

Decimū, à cōparatione. 1. Cor. 15. Postquā enim p hominē mors, etiā p hominē resurrectio mortuorū. Quēadmodū enim per Adā omnes moriūtur, ita et per Christum omnes uiuificabūtur. et postea: Quemadmodū gestauim⁹ imaginē terreni, gestabim⁹ et imaginē cœlestis.

Vndecimum, ab absurdo. 1. Cor. 15. Porrò si resurrectio mortuorum nō est, ne Christus quidem resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, inanis uidelicet est prædicatio nostra, inanis autem est & fides uestra. Reperimur autem & falsi testes Dei, quoniam testificati sumus de Deo, quòd excitauerit Christum: quem nō excitauit, si uidelicet mortui non resurgūt. Etenim si mortui non resurgūt, ne Christus quidē resurrexit: superuacanea est fides uestra: adhuc estis in peccatis uestris: igitur & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Si in uita hac spem in Christo tantum fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominū sumus. & postea: Si secundum hominem cum bestijs depugnaui Ephesi, quæ mihi utilitas, si mortui non resurgunt?

Resurrectionem mortuorū in extremo die, cum aduenerit Christus, futurā docēt. 1 Pet. 1. Tum, cum reuelabitur Iesus Christus. 1. Petri 5. Cum apparuerit pastorum princeps. 2. Pet. 3. Veniet dies Domini, &c. Expectantes diem Dei. 1. Ioan. 2. Cum apparuerit, habeamus fiduciam. & 1. Ioan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus. Et Paulus Rom. 1. In die iræ, quo patefit iustum iudicium Dei. 1. Cor. 15. 1. Thes. 4. 2. Tim. 4. & alibi passim.

Resuscitationē mortuorū aliàs Deo attribuūt. Rom. 8. Is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & corpora mortalia uestra. 1. Cor. 6. Deus autem & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiā suam. 2. Cor. 1. Ne consideremus in nobis, sed in Deo, qui adsuscitat mortuos. 1. Thes. 4. Deus eos qui obdormierunt, per Iesum adducet cum illo. 1. Tim. 6. Præcipio tibi in conspectu Dei, qui uiuificat omnia. Apoc. 11. Et post dies tres & dimidiū spiritus uitæ à Deo intrauit in eos. Aliàs Domino nostro Iesu Christo. 1. Thes. 4. Apoc. 1. Christus dicitur habere claues inferorum et mortis. Huc etiam faciūt testimonia, quæ loquuntur de aduentu Christi. Aduenies enim resuscitabit mortuos. Christum sua morte & resurrectione cōparasse & me ruisse resuscitationē mortuorum, monet Petrus 1. epist. 1. et Ioan. 1. epist. 3. Ad hoc apparuit, ut dissoluat opera diaboli. Apoc. 1 Rom. 14. Christus mortuus est, & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. 1. Cor. 6. Non estis uestri iuris, sed empti estis precio. 2. Cor. 5. Vnus pro omnibus mortuus est: ut qui uiuunt, posthac nō sibi uiuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. 1. Thes. 5. Christus mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Hebr. 2. Vt per mortem aboleret eum qui habet mortis imperium, hoc est diabolum.

Modum uerò solennē resuscitationis mortuorū, Paulus hoc pacto describit: Cum illuxerit extremus dies, Christus subitò & ex insperato, 1. Thes. 5. 2. Pet. 3. Forma hominis, qua ascendit in cœlos, Actor. 1. In nubibus, Apoc. 1. Descendet de cœlo, 1. Thes. 4. & 2 Thes. 1. Philip. 3. 2. Pet. 3. Cum angelis potentiæ suæ. 2. Thes. 1. Cum hortatu & uoce archāgeli, ac tuba Dei, 1. Thes. 4. Cum sanctis millibus suis. Autor epistolæ Iudæ. Cum incēdio flammæ, 2. Thess. 1. 2. Pet. 3. Ad cantum extremæ tubæ, mortui resurgent incorruptibiles, uiuentes uerò adhuc immutabuntur in puncto temporis, & momēto oculi. 1. Cor. 15. Qui uiuent & reliqui erunt in aduētu Domini, nequaquā præuenient eos qui dormiūt, &c. Sed mortui in Christum resurgent primùm, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus 1. Thes. 4.

Resurrecturos autem omnes homines, tam iustos quàm iniustos, Paulus affirmat Act. 24. Spem habens in Deum, fore, &c. resurrectionē mortuorum, iustorum simul & iniustorū. Huc et aliæ sententiæ uniuersales pertinent. Rom. 1. Redditurus est unicuiq; secundum facta sua. & Rom. 14. Omnes statuemur apud tribunal Christi. Idem 2. Cor. 5. repetit. & 1. Cor. 15. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur. Apoc. 1. Videbit eum omnis oculus. Apoc. 20. Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in cōspectu Dei. Monent etiā, mortuos corpore & anima resurrecturos, & non alterutra tantū parte. nam Paulus inquit 1. Thes. 5. Et integer uester spiritus & anima & corpus, ita ut in nullo possitis culpari, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, seruetur. 2. Cor. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisq; in corpore iuxta quod fecit, siue bonum, siue malum.

Quali autem corpore resurrecturi sint fideles, Paulus 1. Cor. 15. explanat. At dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? quali autem corpore uenient? Stulte, tu quod seminas, nō uiuificatur, nisi mortuū fuerit. Et hoc quod seminas, nō corpus quod nascetur, seminas, sed nudum granū: exempli causa, tricici, aut alicuius ex cæteris. Sed Deus dat illi corpus ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus. Non omnis caro eadem caro: sed alia quidē caro hominū, alia uerò caro pecorū, alia uerò piscium, alia uerò uolucrū. Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria. Verùm alia quidem cœlestium gloria, alia uerò terrestriū. alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella siquidē à stella differt in gloria, sic et resurrectio mortuorū. Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate,

mitate, resurgit in potētia: seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale: est corpus animale, & est corpus spirituale. quēadmodū & scriptū est: Factus est primus homo Adā in animā uiuentē, extremꝰ Adam in animā uiuificantē. At non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo ipse Dominus de cœlo. Qualis terrenꝰ ille, tales et hi qui cœlestes sunt. Et quēadmodū gestauimus imaginē terreni, gestabimus et imaginē cœlestis. Huc & illa testimonia pertinēt, Philip. 3. Transfigurabit corpus nostrum humile, ut cōforme reddat corpori suo glorioso. 2. Cor. 5. Corpora sanctorum post resurrectionē, domiciliū non manu factum, sed æternum in cœlis. Item, domiciliū quod è cœlo est, appellantur. & Paulus Rom. 9. & 2 Timoth. 2. sanctos, uasa in honorem & gloriam præparata, uocat. 1. Ioan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus.

Quali corpore resurrecturi sint impij et increduli, non exprimitur: sed non est dubiū, quin incorruptibilia etiam eorum futura sint corpora, cum Paulus dicat 1. Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & cum impij in corpore etiam suo æternas pœnas passuri dicantur, 2. Cor. 5. & 2. Thes. 1. Nec fore eorū corpora pulchritudine et gloria ornata, facile existimari potest, cum dicantur uasa apparata in ignominiā & contumeliam & interitum. Rom. 9. 2. Tim. 2.

Fines resurrectionis fore docent, sisti ad tribunal Christi. 2. Cor. 5. Ro. 14. Audire sententiā damnationis, aut æternæ salutis. Rom. 2. Aut æternis pœnis affici, aut cum Christo ad uitam æternā ingredi. 1. Thes. 4. & 5. 2. Thes. 1. Philip. 1. Quæ illis quidem est causa perditionis, uobis autem salutis. 1. Pet. 1. 4. 5. 2. Petri 3. & 1. Ioan. 2. 3. Apoc. 1. & 20. Autor epistolæ Iudæ.

¶ Contraria sunt, Sadducеismus & Epicureismus: hoc est, negare et irridere resurrectionē mortuorum, ut faciūt Athenienses Act. 17. Cum audissent resurrectionem mortuorū, alij quidē irridebant: alij uerò dixerūt, Audiemus te de hoc iterū. Act. 23. Sadducæi dicunt, non esse resurrectionē, neq; angelum, neq; spiritum. 2. Pet. 3. Scientes, uenturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias cōscientias ambulēt, & dicant: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidē ex quo die patres obdormierunt, sic omnia permanēt ab initio cōditionis. Horum opinionem refutat Petrus tribus argumētis. Primum, ab exemplo: Olim perijt mundus aqua iussu Dei, ergo idem Dei mandato peribit igne in die iudicij. Secundum, à ratione temporis: Vnum hoc ne lateat uos dilecti, quòd dies unus apud Dominum perinde est ut mille anni, & mille anni ut dies unus. Haud tardat Dominus, qui promisit, quemadmodū nonnulli tarditatem existimant. Tertium, à causa dilationis: Deus est patiēs erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere, &c. Ergo Domini nostri patientiam salutem arbitremini. Refutat etiam Paulus Corinthios, resurrectionem negantes. 1. Cor. 15.

Dicere resurrectionem esse factam, ut Hymenæus et Phyletus faciebant. 2. Tim. 2.

Extremo diei præfinire certum diem et horam. Act. 2. ad Thes. 2.

Opinari, quòd uiuentes præuenturi sint mortuos in aduentu Christi. 1. Thes. 4.

Se non consolari resurrectione in morte suorū amicorum, sed dolere & lugere: ut gentes, spem non habentes. 1. Thes. 4.

DE EXTREMO IVDICIO, ET secundo Christi aduentu.

QVòd Christus ad iudicium sit reuersurus, symbolum Apostolicū docet. Vnde uenturus iudicare uiuos & mortuos. idē Petrus Act. 10. & 1. Pet. 4. 2. Pet. 3. Et Ioannes Apoc. 1. Paulus Rom. 2. 1. Corinth. 15. 2. Tim. 4. Autor epist. Iudæ, & Iacobi 5.

Id uerò futurum in extremo die, Apostoli iisdem testimonijs affirmant. 2. Pet. 2. Dominus nouit iustos in diem iudicij puniendos seruare. 2. Pet. 3. Cœli & terra, &c. seruantur igni in diem iudicij et perditionis impiorum hominū. Et Paulus Act. 17. statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum. Rom. 2. Colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudiciū Dei. Is dies, appellatur etiam dies redemptionis, Ephes. 4.

Iudiciū ad tribunal Christi futurū Paulus Rom. 14. & 2. Cor. 5. dicit. Ioannes Apoc. 20. dicit se uidisse mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu Dei. 2. Thes. 1. Impij luent interitū à facie Domini. Christum in nubibus appariturū ita, ut uideat eum omnis oculus, Ioannes Apoc. 1 asserit. & Paulus 1. Thes. 4 docet, pios resurgētes raptum iri Christo in occursum in nubibus, & sic semper cum eo futuros.

Iudicem uiuorum & mortuorū fore Dominum nostrum Iesum Christum, symbolū Apostolicum testatur. Venturus est iudicare uiuos et mortuos. Et Petrus Act. 10. Testificaremur, quòd ipse sit ille qui cōstitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuorū. Et Paulus Act. 17 dicit, Deum per eum uirum quem excitarit à mortuis, scilicet per Christum, iudicaturū orbem terrarum cum iusticia. Et Petrus priori epistola 4. Qui paratus est ad iudicandum uiuos & mortuos. Apoc. 1. Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus. 2. Tim. 4. Obtestor te coram Deo & Domino nostro Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, in apparitione sua et regno suo.

Venturum autem Christum ad iudicium exercendū, singulari splendore, maiestate & potentia, Apostoli etiam confirmant. Nam Petrus priori epist. cap. 4. ostendit Christum reuelatū iri cum gloria. Idem posteriori epistola 3. qua potentia Christus uenturus sit, nos commonefacit, quòd cœlos incensos solutum, elementa liquefactum, terram omniaq; quæ in ea sint, exustum iri affirmat.

Ioannes Apoc. 19 maiestatem Christi aduenientis ad iudicium depingere uidetur: Et uidi cœlum apertum, et ecce equus albus, & qui sedebat super eum uocabatur fidelis & uerax, & per iusticiam iudicat & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. Et uestitus erat ueste tincta sanguine. Et uocatur nomē eius sermo Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebātur eum in equis albis, uestiti byssino albo & mundo: et ex ore eius procedit gladius ex utraq; parte acutus, ut eo percutiat gentes. Et ipse reget eos uirga ferrea, et ipse calcat torcular uini furoris & iræ Dei omnipotentis. Et habet in uestimento & femore suo nomen scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

nantium. Et Paulus Phil. 3 dicit, Christum descensurum cum hortatu & uoce archangeli, & tuba Dei. 2. Thes. 1. affirmat Christum cum angelis potentiæ suæ cum incendio flammæ appariturum. Idem Tit. 2. Expectantes beatã illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei.

Angelos & sanctos tanq̃ assessores in eo iudicio affuturos, Apostoli monẽt. nam de angelis Paulus 1. Thes. 4 et 2. Thes. 1. apertè testatur. De sanctis uerò idẽ 1. Cor. 6 inquit: An nescitis, quòd sancti mundũ iudicabũt. et autor epist. Iudæ, Veniet Dominus cum sanctis millib. suis.

Futurum autem iudicium de omnibus hominibus, iustis & iniustis, uiuis & mortuis, eorumq; operibus bonis & malis, ex testimonijs hactenus allegatis constat. Actor. 10. & 17. Rom. 2. Iudicabit occulta hominum. Rom. 14. et 1. Cor. 4. Cæterùm qui me iudicat, Dominus est. Proinde ne ante tempus quicquam iudicetis, donec ueniat Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium. & tunc erit laus unicuiq; à Deo. 2. Cor. 5. 2. Tim. 4. Autor epist. ad Hebr. 9. Quatenus illud manet omnes homines, ut semel moriantur: post hoc autẽ iudiciũ. Autor epist. Iudæ: Ecce ueniet Dominus, &c. ut faciat iudicium aduersus omnes, ut redarguat omnes ex eis qui sunt impij, de factis omnibus quæ impiè patrarunt, deq; omnibus duris quæ loquuti sunt aduersus eum peccatores impij.

Impios non cum gaudio ad iudicium uenturos, Ioannes Apoc. 1. indicat: Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt, & plangent se omnes tribus terræ. Idem Apoc. 6. Et dicẽt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira agni, quoniam uenit dies magnus iræ illius, & quis poterit stare? Impios ibi oportere rationem reddere suorum factorum, Pet. 1. epist. 4. indicat: Qui reddituri sunt rationem ei, qui paratus est ad iudicandum uiuos & mortuos.

Etiam de angelis malis simul iudicatum iri, Petrus posteriori cap. 2. docet: Nam si Deus angelis qui peccauerant nõ pepercit, sed cathenis noctis in tartarũ præcipitauit, & tradidit seruatos in iudiciũ. Eadem autor epist. Iudæ habet: Angelos qui non seminauerant suam originem, sed reliquerãt suum domiciliũ, ad iudiciũ magni illius diei uinculis æternis sub caligine seruauit. Et Paulus 1. Cor. 6. An nescitis quòd angelos iudicabimus?

Pios doctores de cõuersione multorũ in aduẽtu Christi gloriaturos, patet ex Philip. 2. Vt gloriari poßim in die Christi, q̃ non in uanũ cucurrerim. et 1. Thes. 2. Nam quæ est nostra spes aut gaudium, aut corona gloriationis? an' non et uos in cõspectu Domini in aduentu eius? Econtrà uerò accusaturos impœnitẽtes, idem monet 2. Cor. 10. In promptu habemus uindictam aduersus omnem inobedientiã, cum impleta fuerit uestra obediẽtia.

Non aũt aliã sententiã definitiuã prolatũ iri, q̃ eam quæ est in Euangelio & sacris literis reuelata, Ioannes Apoc. 20 monet: Et uidi thronũ magnũ & candidũ, & sedentẽ super eum: à cuius cõspectu fugit terra et cœlũ, & locus nõ est inuentus eis. Et uidi mortuos magnos et pusillos, stantes in cõspectu Dei: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorũ & dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors et infernus dederũt eos q̃ in ipsis erant mortuos: et iudicatũ est de singulis secundũ opera ipsorũ. Idem Paulus Rom 2. indicat: In eo die cum iudicabit Dominus occulta hominũ, iuxta Euangeliũ meum, per Iesum Christũ.

Qualis autem sententia in Euangelio sit reuelata, dictum est suo loco prolixius, nempe quòd credentes in Christũ accipiant uitam æternã: increduli uerò non uideant uitã, sed maneant in ira Dei. Huc tamen libet aliquot summas definitiuæ sententiæ adscribere. 1. Petri 2. Qui crediderit in illo, nõ pudefiet. 1. Ioh. 5. Et hoc est testimoniũ, quòd uitã æternã dedit nobis Deꝰ, et hæc uita in filio eius est. Qui habet filiũ, habet uitã: qui nõ habet filiũ Dei, uitã non habet. Apoc. 21. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uitæ gratis: qui uicerit, poßidebit hæc: et ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis aũt & incredulis & execratis, & homicidis et fornicatoribus, et ueneficis, & idololatris, & omnib. mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Eadẽ Apoc. 22 repetuntur. Rom. 2. Patefiet iustũ iudiciũ Dei, qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua: his quidem qui perseuerantes in benefaciendo gloriã & honorẽ & immortalitatẽ quærunt, uitã æternam: his uerò qui sunt contentiosi, et qui ueritati quidẽ nõ obtemperãt, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, afflictio et anxietas, aduersus omnem animã hominis perpetrãtis malũ, Iudæi primùm, simul & Græci. Gloria uerò & honor & pax omni operanti bonũ, Iudæo primùm, simul & Græco. Non enim est personarũ respectus apud Deũ. Idem 2. Thess. 1. Siquidẽ iustũ est apud Deũ, reddere his qui affligunt uos, afflictionem: et uobis qui affligimini, relaxationem nobiscũ, cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cũ angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ: qui infligit ultionem his qui non nouerũt Deum, et qui nõ obediũt Euangelio Domini nostri Iesu Christi: qui pœnã luent, interitũ æternũ, à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnib. credentibus, q̃ fides habita sit in testimonio nostro erga uos in die illo. 2. Tim. 2. Si cõmortui sumus, & cõuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus.

In hoc iudicio προσωπολημψίαν, hoc est respectum personarũ non habiturã locum, Apostoli docent. Nam Petrus 1. epist. cap. 1. dicit patrem citra personarum respectũ iudicare iuxta cuiusq; opus. Idem Paulus Ro. 2 & Gal. 2 asserit. Et Coloss. 3: Qui peccarit, reportabit peccatum suum, & non est personarũ respectus. Ephes. 6. Illud scientes, quòd unusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber.

Fines huius iudicij in genere fore, monent, ut reddatur unicuiq; secundũ opus suum. 1. Pet. 1. Rom. 2. Apoc. 2. & Apoc. 11. Aduenit ira tua, & tempus mortuorũ, ut iudicentur, & reddas mercedem seruis tuis prophetis et sanctis, & timentibus nomen tuũ pusillis & magnis, & perdas eos qui perdunt terrã. Deinde, ut Christus aboleat omnẽ principatũ & omnẽ potestatẽ ac uirtutẽ, & nouißimũ hostẽ, nempe mortẽ. 1. Cor. 15. Tertiò, ut Deꝰ faciat omnia noua. Apoc. 21. Nouos cœlos & nouã terram, in qua iusticia habitet. 2. Pet. 3. Apoc 21. Quartò, ut ipse Christus tradat regnum suo patri, & subijciatur ei qui illi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnib⁹. 1. Cor. 15. atq; ita instaurata dicãtur omnia per Christum, siue quæ in cœlis, siue quæ in terra. Eph. 1. Et pater per

illum inhabitet uniuersam plenitudinem. Colos. 1.

Porrò quæ cõmoda ad beatos, & quæ mala ad damnatos ex hoc iudicio sint reditura, sequentibus locis exponetur.

Vt uerò sese quisq; ad hunc iudicij diem præparet, sedulò Apostoli monent. nam Petrus 1. epist. cap. 4. inquit: Omniũ rerũ finis imminet: sitis igitur sobrij & uigilantes ad orandũ. Idem 2. epist. cap. 3. Quapropter dilecti, hæc expectantes, date operã, ut immaculati et incontaminati ab illo reperiamini in pace, Dominiq; nostri patientiã salutẽ arbitremini. Et 1. Ioh. 2. Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in aduentu eius. Apoc. 3. Si non uigilaueris, ueniã ad te tanquã fur: & nescis, qua hora ueniã ad te. Apoc. 16 inquit Christus: Ecce uenio sicut fur. Beatus qui uigilat, & custodit uestimenta sua, ne nudus ambulet, & uideãt turpitudinẽ eius. & 1. Cor. 1. Expectantes reuelationẽ Domini nostri Iesu Christi. primæ ad Corinthios 15. Itaq; fratres mei dilecti, stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere Domini semper, cum sciatis quòd labor uester non est inanis in Domino. Philip. 1. Vt nemini sitis offendiculo in diem Christi. Col. 3. Superna curate nõ terrestria. 1. Thess. 5. Proinde ne dormiamus, sicut & cæteri, sed uigilemus & sobrij simus, &c. quoniã non cõstituit nos Deus ut irã nobis concitemus, sed ut salutẽ consequamur per Dominũ nostrũ Iesum Christũ, qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Quapropter adhortemini uos mutuò, & ædificetis singuli singulos, sicut facitis. Tit. 2. Sobriè & iustè & piè uiuamus in præsenti seculo, expectãtes beatã illã spẽ, et apparitionẽ gloriæ magni Dei et seruatoris nostri Iesu Christi. Autor epist. ad Hebr. 12. Quapropter regnũ assumentes quod cõcuti non possit, habeamus gratiã, per quã ita colamus Deũ, ut illi placeamus cum reuerentia & religione. Autor epist. Iac. 5. Patientes estote & uos, & cõfirmate corda uestra, quoniã aduentus Domini appropinquat. Autor epistolæ Iudæ, Expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in uitam æternam.

DE INFERNO, SEV LOCO ac pœnis damnatorum.

VOx Gehenna, pro loco damnatorũ, qua Christũ crebrò usum esse in superioribus ostendimus, in Apostolorũ scriptis nõ reperitur. Sed in epistola Iac. 3. cap. semel extat, ubi non tam locũ damnatorũ, q̃ Diabolum significare uidetur. Lingua inflãmatur à Gehenna.

Inferni, ἅδης appellationẽ Petrus & alij Apostoli in prima concione usurpant, allegantes dictum Psalm. 16. Non derelinques animã meã in inferno. Et postea: Non est derelicta anima eius in inferno, neq; caro eius uidit corruptionẽ. Et Christus Apoc. 1. ad Iohannem dicit, se habere claues τῆς ἅδης, inferni & mortis. Apocal. 6. ὁ ἅδης, infernus sequitur eum. Apoc. 20. Mors & infernus dederunt eos, qui in ipsis erant, mortuos, &c. & Infernus & mors coniecti sunt in stagnum ignis.

Sunt & aliæ huius loci appellationes. Nam Petrus 1. epist. 3. eum carcerẽ uidetur nuncupare: In quo etiam abijt, & spiritibus qui erant in carcere prædicauit. Idem eum posteriori epistola cap. 3 ζόφον & Tartarum appellare uidetur. inquit enim: Non pepercit angelis, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν, Sed catenis inferni seu tenebrarum in tartarum præcipitauit. Et rursum, οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς αἰῶνα τετήρηται, Quibus infernus tenebrosus in æternũ seruatur. Eadẽ uerba epistola Iudæ repetit.

Stagnum ignis ardens sulphure, Apoc. 19. Viui comprehensi sunt hi duo in stagnum ignis, ardens sulphure. Apoc. 20. Qui non est inuentus in libro uitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis. & Apoc. 21. Pars illorũ in stagno ardenti igne & sulphure.

Foris, hoc est extra uitam beatã, damnati esse dicuntur. Apoc. 22. Foris sunt canes.

Ignis æternus. Autor epist. Iudæ: Ignis æterni pœnã sustinentes.

Abyssus, Apoc. 9. Data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, &c. Apoc. 17. Ascensura est de abyssо, ibit in interitũ. Apoc. 20. Misit draconem in abyssum.

Interitus æternus: 2. Thess. 1. Ira uentura: Roman. 5. 1. Thess. 1.

Infimæ partes terræ: Ephes. 4. Descẽdit ad infimas partes terræ.

Locus infernorum: Philip. 2. Vt in nomine IESV flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorũ.

Locũ aliquem fore, in quo pœnis æternis afficiantur damnati, ex iam citatis sententijs apparet: et quidẽ etiã ex illis testimonijs colligi potest, quæ loquuntur de pœnis damnatorũ, & præmijs beatorum. Nam utrumq; in eodẽ loco fieri nõ poterit, præsertim cum in nouo cælo, et noua terra, iusti tantũ inhabitaturi dicantur, 2. Pet. 3. Sed ubi infern⁹ seu loc⁹ damnatorũ sit futur⁹, ut apostoli à Christo nõ acceperũt, ita nec Ecclesiæ tradiderunt.

Docent autem in inferno hos futuros: nimirum primùm Diabolos nam Petrus posteriori epist. cap. 2. dicit, angelos peccantes catenis inferni in tartarum præcipitatos, traditos esse ut seruentur ad iudicium. Eadem autor epist. Iudæ habet Et Iohannes Apoc. 20 aperte dicit, diabolum missum esse in stagnum ignis & sulphuris. Paulus etiam 1. Corinth. 6, Angelos scilicet malos iudicatum, hoc est, æternis pœnis affectum iri.

Deinde homines, sed non omnes sine discrimine, uerùm tantum impios & impœnitentes, qualium catalogus prolixus confici possit secundum Decalogum: sed nos tantum testimonia ea de re communia adscribimus. Apocal. 19. Et apprehensa est bestia, & cum illo pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, in quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, uiui coniecti sunt hi duo in stagnum ignis, ardens sulsure. Apoc. 20. Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulfuris, ubi & bestia & pseudopropheta, hoc est Antichristus cruciabuntur. Et postea: Qui non est inuentus in libro uitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulfure. Apoc. 22. Foris canes & uenefici & impudici & homicidæ & idololatræ, & omnis qui amat & facit mendacium. Paulus etiam passim catalogos eorum qui in infernum abijciantur, texit: Rom. 1. 1. Timoth. 1. & 4. 2. Timoth. 3. 1. Corinth. 6. An nescitis, quòd iniusti, regni Dei hæreditatem non consequentur? Ne erretis: neq;

neq; scortatores, neq; cultores simulachrorum, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. Eadem Ephes. 5. Coloss. 3 repetuntur. et Gal. 5: Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulachrorũ cultus, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, cõcertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia de quibus prædico uobis, quemadmodũ & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.

Corpore autem et anima impios, in inferno cruciatũ iri, patet ex Apoc. 19. Vbi Iohannes bestiam & pseudopropheta, hoc est Antichristũ et eius patronos, reges et principes terræ, uiuos dicit coniectos esse in stagnum ignis, ardens sulphure. Et quod Paulus 2. Cor. 5 docet, unumquemq; in corpore etiam recepturũ iuxta id quod siue bene siue malè fecit. Idem etiam cõprobant testimonia de resurrectione mortuorum. Si enim impij mortui resurrexerint ad pœnas, necesse erit & corpore & anima eos cruciari.

plurimos in infernum præcipitandos, illis sententijs docent, quib. monent, omnes nõ renatos & infideles perire: quales sunt, 1. Pet. 1. Omnis caro gramen, & omnis gloria hominis quasi flos graminis, exaruit gramẽ, & flos decidit. Idem historia diluuij, in quo in arca tantum octo homines seruati sunt: & Sodomæ & Gomorrhæ inflammatio, ex qua solus Loth cum suis ereptus est, innuere uidetur, maximã hominũ partem damnatũ iri. 1. Pet. 3. 2. Pet. 2. Et Iohannes dicit, totũ mundũ in maligno esse positũ. 1. Ioh. 5. Idem Apoc. 7, non admodũ amplum numerũ, scilicet centũ & quadraginta millia signatorũ ex omni tribu Israel, se audisse dicit: ubi licet finitus numer⁹ pro infinito ponatur, tamẽ ea ipsa phrasis indicium est raritatis beatorũ, & multitudinis damnatorũ. Paulus etiam 2. Thes. 3 dicit, non esse omnium fidem. Et 1. Cor. 1. non multos sapientes secundum carnem, nec multos potentes, nec multos genere claros esse uocatos. Idem Eph. 2. & 2. Tim. 2. & 2. Cor. 4, Diabolum in infidelibus regnare dicit.

¶ Genera pœnarum, quibus impij afficientur, hæc fere recensentur ab Apostolis.

Confusio, seu ignominia. Nam in iudicio extremo reuelabuntur omnia eorum occulta scelera & peccata, Rom. 2. 1. Cor. 4. Et pudefient ab eo in aduentu eius. 1. Ioh. 2. Erunt etiã corpora eorũ deformia & uasa ignominiosa. 2. Tim. 2. Redarguet omnes impios de factis omnibus quæ impiè patrarunt, deq; omnibus duris quæ aduersus eum loquuti sunt. Epistola Iudæ.

Mors secunda, seu æterna: Apoc. 2. Qui uicerit, non lædetur à morte secunda. Apoc. 21: In stagno ardente igni, quod est mors.

Ira Dei, Apoc. 6. Venit dies magnus iræ illius. Apoc. 17. Si quis adorauerit bestiam et imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ Dei, quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius. Rom. 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ. & postea: Ventura est indignatio et ira. Rom. 5. Salui erimus ab ira per ipsum. Et Ephes. 5. et Coloss. 3. Propter hæc uenit ira Dei in filios inobedientes. & 1. Thes. 1. Eripuit nos ab ira uentura. & 1. Thes. 5. Non posuit nos Deus, ut iram nobis concitemus, &c. Autor epist. Iac. 5. Thesaurizatis uobis iram.

Aeterna separatio à Deo, & sanctis angelis, & hominibus beatis. Conijcientur enim in infernum, Apoc. 20. Erunt foris, Apoc. 22.

Societas cum Diabolis, Apoc. 20. Diabolus missus est in stagnum ignis: ubi & bestia & pseudopropheta.

Perditio & interitus. Quorũ iudiciũ iam olim non tardat, & perditio illorũ non dormitat. 2. Pet. 2. In diem iudicij et perditionis impiorũ hominũ. 2. Petri 3. Vasa iræ, apparata in interitũ. Rom. 9. Apparata in ignominiam. 2. Tim. 2. Quæ est illis causa perditionis, uobis autem salutis. Phil. 1. Et quorũ finis est interitus. 1. Thes. 5. Qui pœnam luent interitũ æternum à facie Domini. 2. Thes. 1. Mergunt homines in interitũ & perditionem. 1. Tim. 6. Non simus subtractionis filij in perditionem. Hebr. 10. Pecunia tua sit tecum in perditionẽ. Actor. 8.

Afflictio et anxietas. Rom. 2. Ventura est indignatio & ira et afflictio & anxietas aduersus omnẽ animã hominis perpetrantis malũ, Iudæi primũ, simul & Græci.

Tormenta et cruciatus in stagno ignis et sulphuris. Apoc. 14. Si quis adorauerit bestiam, &c. cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et in conspectu agni. & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die ac nocte. 2. Thessal. 1. Christus ueniet cum incendio flammæ, & ultionem infliget ijs qui non nouerunt Deum.

Planctus, luctus & fletus, Apoc. 1. Et plangent se omnes tribus terræ. Autor Epist. Iac. 5. Agite nunc diuites, plorate, eiulantes super miserijs uestris, quæ aduenient uobis. Porrò ista mala omnia quibus obruentur impij, appellantur merces iniusticiæ, 2. Pet. 2.

Gradus suppliciorum fore, Apostoli illis communibus sententijs indicant: Reddet unicuiq; secundum opera sua. 1. Pet. 1. Apoc. 2. Rom. 2. 2. Cor. 5.

Diabolos et impios semel in tartarum coniectos, ibi in æternum pœnas daturos, nec unquã inde liberandos, Apostoli docent. Apoc. 20. Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte, in secula seculorum. 2. Thes. 1. Luent interitũ æternũ à facie illius.

DE VITA AETERNA, SEV statu beatorum post hanc uitam.

Apostoli statum mortuorum post hanc uitã, sæpe appellant uitam æternam. 1. Iohan. 2. Pollicitus est nobis uitam æternam. & 1. Iohan. 5, Vitam æternam dedit nobis Deus. Rom. 6 Finem uerò uitam æternam: & Gal. 6. Metet de spiritu uitam æternam. 1. Tim. 3. Hæredes sumus, iuxta spem uitæ æternæ. Eandem rem etiã alijs notãt appellationibus: quales sunt, Regnũ æternũ, 2. Pet. 1. Introitus in æternũ regnũ. Regnũ Dei, Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Galat. 5. Regni Dei hæreditatem accipient. Regnum cœleste. 2. Timoth. 4. Seruabit me in regnũ suum cœleste. Paradisus. 2. Corinth. 11. Raptus in paradisum. Apocal. 2. Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in paradiso. Nouũ cœlũ & noua terra 2. Pet. 3. Apoc. 21. et Sancta ciuitas, noua Hierusalem, Apoc. 21 Hæreditas immarcessibilis, &c. 1. Petri 1.

Aliam uitam post hanc secuturã esse, Apostoli multis te-

tis testimonijs probant, quæ suprà de Euangelio, & de fine seculi huius, & de resurrectione mortuorũ, & extremo iudicio allegauimus. & Pet. 1. epistola cap. 5. Vocauit nos ad æternam gloriam suam. 1. Ioan. 2. Qui facit uoluntatẽ eius, manet in æternũ. Et Paulus 1. Cor. 15 prolixè docet, restare aliam uitam: Si in uita hac spem in Christo tantum fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus. Hebr. 13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futurã inquirimus. Iudas: Expectantes misericordiam Domini in uitam æternam.

Locum ubi pij post hanc uitã futuri sint, Petrus 2. epist. 3, nouum cœlum & nouã terram appellat. Idem Iohannes Apoc. 21. facit. Et Paulus 1. Thes. 4 dicit, pios in occursum raptum iri Christo, in nubibus, et sic semper cum ipso futuros. Autor epist. ad Hebræ. appellat regnum, quod concuti non possit, Hebr. 12. Eos qui egerunt pœnitentiã, & crediderunt in Christum, & fidem suam inuocatione & confessione & tolerantia & alijs fructibus declararunt, in uitam æternam ingressuros Apostoli monent. Nam de credentibus inquit Petrus 1. epist. 1. Reportantes finem fidei uestræ salutẽ animarũ. Eadem epist. 3. Qui crediderit in eo, non pudefiet. & 1. Iohan. 2. Filij manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non pudefiamus ab eo in aduentu eius. Rom. 5. Iustificati sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Rom. 10. Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Gal. 3. Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

De inuocantibus, Apostoli Act. 2 ex Ioele inquiunt: Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Eandem sententiam repetit Paulus Rom. 10.

De confessorib. inquit Petrus 1. epist. cap. 4. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis. 2. Ioh. Qui manet in doctrina Christi, et Deũ et patrẽ habet. Apoc. 2. Esto fidelis usq; ad mortem, et dabo tibi coronã uitæ. item: Qui uicerit & custodierit usq; in finẽ opera mea, dabo illi potestatẽ super gentes, &c. Rom. 8. Siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Rom. 10. Ore fit confessio ad salutem. 2. ad Corinth. 4. 2. Tim. 2. Si commortui fuerimus, & conregnabimus.

De pijs Ecclesiæ ministris, 1. Pet. 5. Cum apparuerit, reportabitis immarcessibilẽ coronã. et 2. Tim. 4. Reposta est mihi iusticiæ corona, quã mihi reddet Dominus, &c. nec mihi solũ, sed omnib. qui diligunt aduentũ eius.

De alijs pijs Paulus Rom. 2. inquit: His quidem qui perseuerantes in benefaciendo, gloriã & honorẽ, et immortalitatẽ quærunt, uitam æternã, &c. & postea: Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, simul & Græco.

Futuras etiam mulieres in uita æterna Apostoli monent. Nam Petrus 1. epist. 2. uxores cohæredes gratiæ esse dicit. Et Paulus mulieres per generationem filiorum, si maneant in fide, saluari asserit, 1. Tim. 2.

Bona uerò & cõmoda, quæ fidelibus in altera uita contingent, hæc ferè enumerantur ab Apostolis: Beati erunt sancti, & mundi ab omni peccato, corpore & anima. 1. Pet. 1. Sancti estote, nam ego sanctus sum. 2. Petri 3. Iusticia inhabitat, id est iusti. Idem Ioannes affirmat 1. epist. 3. Similes ei erimus. at is est sine peccato, quare & nos sine peccato futuros asserit. Hanc immundiciem & sanctimoniã Ioannes uestimẽta alba Apoc. 3. stolæ albæ, Apoc. 6. & 7. & byssinũ, Apoc. 19. appellat. Vt essemus sancti & irreprehensibiles. Ephes. 1. Vt adhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiã, non habentem rugam aut maculam, aut quicquã eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Ephes. 5. Vt exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles & inculpatos in conspectu suo. Coloss. 1. Et integer uester spiritus et anima et corpus, ita ut in nullo positis culpari, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. 1. Thess. 5. Ei qui potest uos seruare à peccato immunes, & statuere in cõspectu gloriæ suæ incontaminatos cum exultatione, &c. Autor epistolæ Iudæ.

Erunt etiã immunes à morte & alijs molestijs, quas mors habet coniunctas. Translati sumus de morte ad uitam. 1. Ioan. 3. Qui uicerit, non lædetur à morte secunda. Apoc 2. Et absterget Deus omnẽ lachrymã ab oculis eorum. Apoc. 7. et 21. Et mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultrà, quia prima abierunt. Apoc 21. Cum corruptibile hoc induerit immortalitatẽ, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam. ubi tuus mors aculeus? 1. Cor. 15. Redemptionem corporis nostri expectantes. Rom. 8.

Liberi erunt à tyrannide diaboli. Nam tũ opera diaboli ad plenũ erunt destructa. 1. Ioh. 3. Et draco ille magnus cum angelis suis, qui accusabat eos ante conspectũ Dei nostri die ac nocte, proiectus erit in terrã. Apoc. 12. Et in stagnũ ignis, ubi cruciabitur in secula seculorũ, Apoc. 20. Angeli mali fuerũt iudicati à sanctis. 1. Cor. 6. Ergo nõ amplius suis ignitis telis poterit sanctos infestare. et Rom. 16. Diabol⁹ erit cõculcatus sub pedes piorũ.

Erunt liberi ab inferno. Nam infernus et mors conijcientur in stagnum ignis. Apoc. 20. Vbi tua inferne uictoria? 1. Cor. 15.

Erunt liberi à mundo seu impijs & Antichristo, eius q; patronis et socijs, qui instigati à diabolo, eos prosequebantur in hac uita. Nam Antichristus et alij impij persequutores, conijcientur in stagnum ignis. Apoc. 19. & 20. Et Christus persequutoribus infliget ultionem. 2. Thess. 1. Et perdentur homines impij. 2. Pet. 3. Ignis deuoraturus est aduersarios. Hebr. 10.

Erunt similes imagini Christi. Cum apparuerit, similes ei erimus. 1. Ioan. 3. Præfiniuit conformes fieri imagini filij sui. Rom. 8. Quemadmodũ gestauimus imaginẽ terreni, gestabimus & imaginẽ cœlestis. 1. Cor. 15. Ad eandem imaginem transformamur. 2. Cor. 3. Transfigurabit corpus nostrũ humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Philip. 3. Sed hanc similitudinem imaginis Christi sequentia declarabunt.

Sicut Christus est immortalis, Rom. 6. ita etiam beati erunt, &c.

Erunt incorruptibiles & immortales, et uiuent uitã æternam. nam Iohannes 1. epist. 2. Qui facit uoluntatem Dei, manet in æternũ. 1. Ioh. 5. Vt sciatis, quòd uitã habetis æternã. Apoc. 2. Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in medio paradisi Dei. Item, Vincẽti dabo edere ex manna abscondito. Gal. 6. Metet de spiritu uitã æternã. Rom. 6. Donũ Dei, uita æterna. 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, resurget in incorruptibilitate. et postea: Canet enim tuba, et mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatẽ, & mortale hoc induere immortalitatem. 2. Cor. 5. Aedificationẽ ex Deo habemus,

bemus, domicilium nõ manufactum, æternum in cœlis. Nam in hoc gemimus, domicilio nostro, id est, corpore immortali, quod è cœlo est, superindui desiderantes, etc. ut absorbeatur mortalitas à uita.

Deinde sicut Christus est in gloria, & habet corpus glorificatũ: ita beati etiam habebũt suam gloriã, honorem, claritatẽ & pulchritudinẽ. Tradunt hæc Petrus 1. epist. 4. Quòd si consortes estis afflictionũ Christi, gaudete, & in reuelatione quoq; gloriæ eiusdẽ gaudeatis, exultantes. Idem 1. epist. 5. Cum apparuerit, reportabitis immarcessibilẽ gloriæ coronã. ibidẽ: Vocauit nos ad eternam suam gloriã, per Christũ Iesum. Et Iohannes Apoc. 2: Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. item: Dabo illi stellam matutinã. Apoc. 21. Ecclesia dicitur sponsa ornata. Et Paulus Rom. 8. Vt unà cum illo glorificemur. Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriã quæ reuelabitur erga nos. item: Quos iustificauit, hos & glorificauit. Rom. 9, beati dicũtur uasa apparata in gloriã. 1. Cor. 15. Corpus seminatur in ignominia, resurget in gloria. 2. Cor. 4. Momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modũ æternũ pondus gloriæ parit nobis. 2. Tim. 4. Reposita est mihi iusticiæ corona, quã reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: nõ solũ autem mihi, sed omnib. qui diligũt aduentũ eius. Autor epistolæ Iacobi 1. Probatus cruce accipiet coronã uitæ, quã promisit Dominus his à quib. fuerit dilectus. Porrò Paulus 1. Cor. 15. indicat nõ omniũ beatorũ corporũ æqualẽ fore gloriã: sed in alijs maiorẽ, in alijs minorẽ. inquit enim: Verùm alia quidẽ cœlestiũ gloria, alia uerò terrestriũ: alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria, sic & in resurrectione mortuorum. absq; dubio Paulus ad locum Danielis respexit, qui dicit: Doctores sicut solẽ effulsuros.

Sicut Christus non amplius est infirmus, sed potentissimus, secundæ ad Cor. 13. ita & beati fortes & potentes erunt. Apoc. 2. Qui uicerit, & c. dabo illi potestatem super gentes, & reget eas uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringentur. Apoc. 3. Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego uici & consedi cum patre meo in throno eius primæ ad Cor. 15. Seminatur corpus hominis in infirmitate, resurget in potentia. Sicut Christus habet corpus spirituale, non indiget cibo ac potũ, nec crescit aut decrescit, quod est agilimũ, & potest transire per clausas fores: ita beatorum corpora erunt. 1. Cor. 15. Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Nam beatos non usuros escis, Paulus docet, primæ ad Cor. 6. Escæ uentri destinatæ sunt, & uenter escis: Deus autẽ & hunc & illas abolebit. Non futuras connubia, Paulus 1. Cor. 7 uidetur indicare: Præterit habitus huius mundi. Cessaturas imperfectiones, 1. Cor. 13 indicat: Vbi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Agilitatem corporũ beatorum etiam in illo ostendit Paulus, quòd sanctos in occursum in nubibus per aera raptum iri dicit 1. Thess. 4.

Æterna consuetudo & societas cum Deo patre & Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, & sanctis Dei angelis & omnibus hominibus beatis. 1. Iohan. 1. Vt uos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo. 1. Iohan. 3. Si apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est. Apocalypsis 7. Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde uenerunt? Et dixi illi Domine, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui uenerũt ex afflictione magna, & dilatauerunt stolas suas, et dealbauerunt eas per sanguinem agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neq; ullus æstus: quoniã agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad uiuos fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorũ Deus. & 1. Cor. 13. Tunc uerò cognoscam, sicut & cognitus sum. 1. Cor. 15. Tradet regnũ Deo & patri, ut sit Deus omnia in omnibus. ad Ephes. 1. Qui omnia in omnibus adimplet. Si iam nostra conuersatio in cœlis est, ad Philip. 3. ergo tum multo magis erit: ad Colossi. 3. Vita uestra abscondita est cum Christo, quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. 1. Thes. 4. Et sic semper cum Domino erimus. Hebr. 12. Accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Ierusalem cœlestem, et ad innumerabilium angelorum cœtum, & ad concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & ad iudicem uniuersorum Deum, et ad spiritus iustorum perfectorum, & ad noui Testamenti conciliatorem Iesum.

Beati conregnabunt cum Christo. 2. Tim. 2. Vnà cum Christo iudicabunt angelos malos & mundum. 1. Corinth. 6.

Beati accipient hæreditatem regni Dei, eruntq; cohæredes cum Christo. nam 1. Petri 1. dicitur: Regenuit nos, &c. in hæreditatem immortalem & incontaminabilem atq; immarcessibilem, conseruatam in cœlis erga uos. 2. Petri 1. Subministrabitur uobis introitus in æternum regnum Domini nostri. Apoc. 21. Qui uicerit, possidebit omnia. Apoc. 22. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno uitæ, & per portas intrent in ciuitatem ad Rom. 8. Si filij, igitur & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Eadem ad Gala. 4 repetuntur. Autor epistolæ ad Hebr. 10. Scientes uos habere in uobis potiorem substantiam in cœlis, ac manentem.

Porrò ea hæreditas beatorum interdum appellatur merces: ut Apoc. 11. Et reddas mercedem seruis tuis prophetis & sanctis, ac timentibus nomen tuum, pusillis & magnis. Apoc. 21. Ecce uenio citò, & merces mea mecum. ad Colossi. 3. Accipietis mercedem hæreditatis. 2. Iohan. Vt mercedem plenam accipiamus.

Fruentur gaudio & lætitia æterna. 1. Petri 4. Gaudeatis exultantes. 1. Ioannis 1. Vt gaudiũ uestrum sit plenum. Apoc. 19. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Huc etiam illa sententia Esaiæ 64. quam Paulus citat 1. Cor. 2. pertinet: Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Autor epistolæ Iudæ:

Potest nos statuere in conspectu gloriæ suæ incontaminatos, cum exultatione.

CAPVT

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.

PSEVDOCHRISTOS & pseudoprophetas grassaturos in Ecclesia esse, ipsemet Christus perspicuè paulo ante passionem præmonuit: ut Matthæi 24. scriptum est. Id uerò statim cœpit fieri, posteaquàm Christo in cœlos sublato, Apostoli Spiritus sancti ductu cœperunt longè latèq; Euangeliũ spargere, & falsa dogmata impiosq; cultus uirtute uerbi destruere. Quæ quidem res abundè docet, diram esse Diaboli maliciam, qui uictus atq; prostratus penitus à Christo, nihilominus ausus est eius uerbum ac totam religionis formã tetris opinionibus ac blasphemijs conspurcare, lacerare, & propemodum euertere. Vt autem portenta huius maligni spiritus in conspectu sint, & quasi primæ scaturigines plurimarum hæresium, quæ postea ueluti alijs in se receptis riuis, mirum in modum excreuerunt & exundarunt, cognoscantur, ordine, quæ ipsis Apostolis Christi sedulò laborantibus in uinea Domini, simul uel remanserint adhuc, uel recens pullularint et adoleuerint hæreses, paucis exponemus.

DE HAERESI SVB TIBERIO, & aliquot Imperatoribus sequentibus.

DE SIMONIANIS.

SImon quidam, Christo adhuc uiuo, magicis artibus in Samaria plures dementare cœpit, sicut Lucas in Actis cap. 8. refert. Apparet autem, priusquam à Philippo Samaritani conuersi essent, Simonem tantum confusaneam doctrinam ex Iudaismo & ethnicismo tradidisse, quam magicis quibusdã illusionibus credulo uulgo commendauit ac persuasit. Postea uerò, ubi uidit doctrina Christi, quæ per Apostolos propagabatur mirabili successu, Ecclesiam præclaram colligi: Diaboli instinctu, tanquam eius mancipium, ad quæuis teterrima facinora perpetranda promptum & agile habens ingenium, quædam insuper ex Christianismo mutuatus est, ac peruertit, taliq; ratione horrẽda quædam portenta genuit, æmulans Iudaismum, Ethnicismum, & Christianismũ simul. Fortè & uertiginosum hominem magis extimulauit grauis reprehensio Petri, quam sponte incurrit. Nam simulatione quadam initiò etiam baptismum à Philippo acceperat: postea cum uideret, impositione manuum per Apostolos facta Spiritum sanctum donari, ausus est ab Apostolis, ut pro pecunia sibi quoq; potestatem conferendi Spiritum sanctum per manuum impositionem darent, petere: subindicans se putare, aliqua secretiori magiæ noticia, quàm sibi esset cognita, ista perfici. At Petrus spiritu sancto plenus, fucumq; intelligens, seria eum oratione reprimit. Scribit præterea uerè Irenæus in præfatione in tertiũ de Hæresibus librum, Simonem patrem omnium hæreticorum esse. & lib. 1. cap. 20. ex eo uniuersas hæreses subsistere. Operæprecium igitur est, ipsius portentosas hypotheses cognoscere, et inde posteriores hæreses æstimare, quid ab hoc suo parente Simone uel sumpserint, uel insuper addiderint.

Hypotheses Simonianæ.

De Deo.

Simon affirmabat, se esse Deum, seu (ut loquebatur) sublimissimam uirtutem, seu infinitam potentiam, quæ sit ignis: & habeat operationem duplicem, nimirum occultam & manifestam.

Se inter Iudæos apparuisse quasi filium, in Samaria quasi patrem descendisse: apud reliquas gentes, quasi Spiritum sanctum aduentasse. Irenæus, Philaster, Epiphanius, Theodoretus.

Ex se dicebat exilijsse Ennoiam, eamq; esse Selenen, ut uocat Irenæus & Augustinus: seu Helenam, ut alij appellant. Erat autem mulier quædam, quam é prosti bulo acceperat. Item docebat, ex se tres coniugationes exortas, quas uocauit radices: primã Mentem, seu mentis cogitationem: secundã Vocem: tertiam, Rationem & cogitationem. Theodoretus.

Docebat, quòd omnes gentes se Deum colerent, etiamsi diuersa nomina sibi attribuerent. Irenæus.

De Christo.

Simon, seipsum dicebat esse Christum, & hominis figuram assumpsisse duntaxat: & passum in Iudæa putatum, cum non esset passus. Irenæus.

De Spiritu sancto.

Simon docebat, se esse Spiritum sanctũ, qui gentibus esset datus. Irenæus. Epiphanius uerò scribit, quòd Helenam suam Spiritum sanctum dixerit.

De Creatione.

Helenam dicebat, ut quæ cognosceret, quæ Simon tanquam pater uellet, angelos & potestates generasse. Theodoretus, Irenæus. Et Philaster inquit eum docuisse, angelos à quibusdam sensibus de cœlo prædictis, conditos esse. Epiphanius.

Angelos uerò hunc mundum fecisse. Irenæus, Philaster, Theodoretus, Epiphanius.

De Angelis.

Angelos dicebat Helenã, seu Ennoeã, matrem suam, imuitam retinuisse, quia Simonem tanquam summum Deum ignorarent: & contumelijs affecisse, adeò ut humano corpori includeretur, & quidem ex alio in aliud muliebre corpus transiret, ac tandem in fornice prostiterit. Irenæus, Epiphanius.

Angelos de principatu inter se contendisse. Irenæus.

De Lege.

Legem dicebat non esse à Deo, sed ab aliqua sinistra uirtute. Epiphanius. Augustinus tamen ait eum docuisse, se in Syna monte in persona patris legem tulisse.

De Salute.

Se dicebat Simon descendisse de cœlo, ut hanc suam Helenam liberaret: et eam dicebat esse ouem perditam, cuius in Euangelica historia mentio fieret. Deinde etiam, ut certamen angelorum de principatu contenden tium (qua re fiebat, ut malè mundum gubernarent) pacaret.

Hominibus se salutem præstare ex gratiâ, per agnitionem suæ Ennoeæ seu Helenæ, non per opera iusta. Irenæus.

Salutem hominis esse, liberationem ab angelorum imperio, qui ipsos ad bonas actiones urgerent, nec permitterent agere quod uellent.

De

De operibus, seu licentia uitæ.

Liberum dicebat hominibus esse, ut agerent quæcũque uellent: nec extimescendas esse legis minas. & rationem attexebat: nam ipsius Simonis gratia saluari homines, non ex operibus.

Esse seruitutem iniustam, quòd homines debeant bonis & honestis operibus uacare. Irenæus, Theodoretus.

Docebat detestandam turpitudinẽ, indifferenter utendi fœminis. Augustinus.

De Resurrectione.

Corpora docebat interire penitus, nec resurgere: animam uerò immortalem esse, ac purificari per sua mysteria. Epiphanius, Augustinus.

De Prophetis.

Prophetas angelorum inspiratione quædam prædixisse. Eos uerò, quia nunc ipse de cœlis uenisset, non curandos amplius. Irenæus.

De Allegorijs.

Equum Troianum, dicebat esse ignorantiã uniuersarum gentium.

Habuerunt Simoniani sacerdotes mysticos, libidines uiuentes. Magia liberrimè usi sunt, & mistericè homines præstigijs suis fascinarũt. More gentiũ imaginẽ Simonis erexerũt, & ipsius quidem, ad figuram Iouis: Helenæ uerò, ad figuram Mineruæ: easq; adorarunt. Irenæus. Romæ quoq; ei statua publicè posita est.

Vbi hæc pestis grassata sit.

Primùm in Samaria hic Simon homines magicis suis ludibrijs fascinauit, idq; longo tempore, ac singulari plerorumq; applausu, ut Act. 8. scriptum est. Postea uerò lucem Euangelij atq; Apostolorum præsentiã abhorrens, in ea loca se contulit, quò uel nondum uenerant Apostoli, uel Ethnicis superstitionib. cuncta erant exposita: sicut Theodoretus testis est. Et Iustinus ait, quosdam etiam aliarum nationũ ei credidisse. Tandem passim loca omnia peruagantibus Apostolis, & replentibus Euangelio suo, Romam profugit, quo in loco nonerat adhuc fœdis superstitionibus cuncta patêre, eamq; ob causam facilius se hominum mentes fascinare posse. Fortè nec mysterio caret, quòd pater omnium hæresium, in eum locum commigrarit, publicosq; honores meritus sit. Verùm hac de re posteriora tempora ferent testimonium. Quantopere autem ibi demenarit homines, ex Iustino commemorare libet, qui in Apologia secunda sic scribit: Præterea post Christi in cœlum ascensum, nonnullos homines à dæmonibus inductos, qui Deos se esse iactarent: qui non modò à uobis supplicio affecti non sunt, sed etiam honoribus uenerationeq; digni habiti. Simonem quendam Samaritanum, ex uico qui Triton dicebatur, qui Claudio Cæsare regnante cum arte dæmonum magica opera edidisset, in regia urbe uestra Roma Deus iudicatus est: statuasq; bonos ei, ut Deo, à uobis tributus est: eaq; statua in Tyberi inter pontes duos erecta est, cum hac latina inscriptione, SIMONI DEO SANCTO. Hæc Iustinus, quæ etiam Irenæus & Eusebius referũt. Et Romæ Simonem fuisse, Philaster, Theodoretus, et alij plures testantur.

Est autem Simon cum suis præstigijs reprehensus initiò à Philippo, ita ut simularet pœnitentiã, & baptismum reciperet.

Postea ad ingenium rediens, et precio uolens donum impertiendi Spiritum sanctum à Iohanne & Petro redimere, grauiter à Petro increpatur, quòd existimaret dona Dei pecunia diuendi. & quidem execratio additur, quòd pecunia unà cum ipso debeat esse maledicta: quòd non habeat cor rectum coram Deo: quòd necesse habeat pœnitentiam agere, ni uelit prorsus damnari. Act. 8. Vnde patet, Apostolos seriò eum confutasse.

Romæ uerò Simonis præstigiæ in primis aduẽtu Petri, eiusq; concionibus extinctæ sunt: ut paucis annotat Eusebius libro 2. capite 15. & libro 2 capite 1. inquit: Simon à Petro deprehensus, conueniens damnationis supplicium dedit.

Alij alia de tragico exitu, pœnaq; in ipsum diuina recitant, sicut infrà de hæreticis dicendum erit.

Ex tempore Imperatorum conijci potest utcunque, satis diu istam hæresin per Simonem dissemināta esse: nempe ultra uiginti annos. Nam sub Claudio, ut Iustinus & Eusebius scribunt, Romam uenit Simon. Coram Nerone uerò, ait Philaster, Petrum superasse doctrina & miraculis magum Simonem. Prius uerò quàm Romam fugeret, in Samaria diu professus fuerat suas magicas deceptiones.

Cuiusmodi sectæ ex hac quasi hydra repentè enatæ sint, uisum est Theodoreti uerba ex compendio hæreticarum fabularum adscribere. Ex hac, inquit, amarissima radice exorti sunt Dositheani, Cleobani, Georgheni, Masbothei, Adrianistæ, Eutychistæ, Canistæ. Sed ij omnes, cum impiæ sectæ prauas quasdam mutationes excogitassent, non diu durarũt, sed obliuioni omnino traditi sunt. Hæc ille.

DE HAERESIBVS SVB Claudio.

DE ELYMA MAGO.

PAulus apostolus & Barnabas in Cypro Euangelium Christi tradentes, in Papho inuenerũt quendam pseudoprophetã Iudæum, cui nomẽ Elymas Bariehu. Erat autem magus, suisq; præstigijs multos decipiebat, adeò ut etiam proconsulem Sergium Paulum, alioqui prudentem uirum, dementaret. Resistebat autem hic Magus doctrinæ Euangelij, præsertim cum uideret proconsulem Pauli doctrinæ nonnihil assentiri. Quæ autem fuerint capita doctrinæ eius, non extat: ac fortè hic Elymas unus ex discipulis aut suffragatoribus Simonis magi fuit. Paulus autem Spiritu sancto accensus, etiam uultu grauitatem significans, seueriter hominem adoritur: O plene, inquit, omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iusticiæ, non desinis inuertere uias Domini rectas: & ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non uidens solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ. Hæc à Luca Act. 13. narrantur.

Grassari etiam cœpit, Claudio rerum potiente, pseudoapostolorum hæresis. Verùm cum subinde plures exorti sint, paulò inferius de ea agemus.

DE HAERESIBVS SVB Tito, & aliquot sequentibus Imperatoribus.

DE MENNADRIANIS.

CIrca Titi tempora Menander quidam Samarita, Simonis magi discipulus, plurimos falsis dogmatibus

gmatibus decepit. In nonnullis, paucis tamen, à suo præceptore uariauit: eumq; nequicia atq; diabolicis artibus longè superauit.

Hypotheses.

Vnum dicebat patrem incognitum esse: se autem esse uirtutem quandam ab eo missam. Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Theodoretus.

De Creatione.

Mundum factum esse ab angelis, emissis ab Ennœa. Irenæus, Epiphanius, Theodoretus.

De Angelis.

Per Magiam suam uinci angelos.

De Salute.

Se missum esse ab inuisibilibus saluatorem, pro salute hominum. Irenæus.

De Resurrectione.

Dari dicebat per suum baptisma suis sectatoribus resurrectionem, talem quidem, ut homines in hac uita non senescerent, nec possent mori, sed manerent immortales. Irenæus, & cæteri.

Magicis autem delusionibus homines sibi conciliabat, & omnia faciebat: qua quidem in re Simonem magistrum suum uincebat. Antiochiæ potissimum plurimos seduxit, ut testatur Iustinus, Apologia secunda. Finis huius hæresis fuit, obscurare meritum Christi, doctrinam de salute hominis & resurrectione: ut Eusebius lib. 3. cap. 26 indicat.

Non autem dubium est, quin Apostoli cæteriq; pij alacriter ei restiterint, atq; impios conatus repressérint: licet in Scriptura non sint eæ pugnæ relatæ.

DE EBIONAEIS.

ETsi tempus exactè nõ est indicatum, quando hæc hæresis uagata sit: tamen consentaneum est, circa hoc tempus eam extitisse. Sic autem dicti sunt à quodam Ebione: ac mendici seu pauperes, iuxta illud nomen uocati sunt, eo quòd uera fide destituerẽtur. Nata est hæc hæresis ex diluta & corrupta Iudæorum religione.

Hypotheses.

De Christo.

Vnum quidem Deum profitentur: sed Christum dicunt ex cõmixtione Ioseph & Mariæ genitum: & tantum hominem, non etiam coessentialem Dei filium esse. Fundamentum eius fuit, quia Theodotion & Aquila uertissent, Ecce adolescentula in utero habebit, & pariet filium. Irenæus libro tertio, capite uigesimotertio: Eusebius, Philaster, Theodoretus in libro de carne Christi. Tertullianus ait Hebionem docuisse, Iesum natum esse filium Dauid, non Dei, Prophetis tantum gloriosiorem. Item dicunt, Christum suis operibus iustificatum. Eusebius, Theodoretus.

Alij tamen eiusdem sectæ concedunt, ex uirgine de Spiritu sancto natum esse Christum hominẽ: sed tamen non extitisse prius, quàm homo fieret. Eusebius lib. 3. capite 27.

In epistola Ioannis istæ recitantur hypotheses: Negant Christum esse filium Dei, 1. Ioan. 2. Negant Iesum esse Christũ, seu Messiam, 1. Ioan. 2. Negant Iesum Christum in carne uenisse, 1. Ioan. 4 & 2. Ioannis.

De Lege & salute.

Obseruationem legis Mosaicæ, dicunt esse necessariam ad salutem. Irenæus lib. 1. cap. 26. Tertullianus de præscript. aduersus hæreticos.

De Scriptura.

Prophetas receperunt: uerùm tantum Euangelium secundum Matthæũ, seu (ut Eusebius cæteriq; habent) secundum Hebræos, amplexi sunt. Apostoli Pauli scripta repudiarunt, quia ipse à lege apostatarit. Irenæus, Eusebius, Theodoretus.

Mores Ebionitarum erant, quòd circumcisionem, sabbatha, cæterosq; ritus Iudaicos omnes reciperent. Irenæus. Dominicos tantum dies, perinde ut Christiani, propter recordationem Dominicæ resurrectionis, celebrarunt. Eusebius. Hierosolymam adorant, quasi domus sit Dei. Irenæus.

Cœpisse hanc sectam, atq; in Cocaba uico, in Bisanitide regione, effusam, post Hierosolymorũ destructionem, Epiphanius refert.

DE CERINTHIANIS.

CErinthus partim superioribus in fingendis delirijs adstipulatus est, partim etiam ex suo cerebro confinxit. Iactauit reuelationẽ, quasi per angelos, ea quæ proferret, sibi reuelata & dictata essent: ut Eusebius narrat. Philosophiam in Aegypto didicit, iuxta quam, doctrinam Christi formare uoluit. Eodem tempore, quo Ebion, uexauit Ecclesiam Christi.

Hypotheses.

De Deo.

Docuit quidem unum esse Deum, sed non esse autorem mundi. Theodoretus. Iudæorũ Deum, non Deum, sed angelum dixit. Tertul. aduersus hæreticos.

De Christo.

Christum docuit esse naturalem Iosephi & Mariæ filium: ac tantum hominem, sapientia duntaxat & uirtutibus reliquos homines antecellentem. Irenæus, Epiphanius, Theodoretus.

In baptismo primùm in hunc Iesum à Deo descendisse Christum spiritalẽ, specie columbæ atq; eum Christum, per Iesum miracula fecisse: & deinde, quando Iesus deberet pati, Christũ rursus ab eo auolasse, Iesumq; solum passum esse. Irenæus, Theodoretus.

Christũ nondũ à mortuis resurrexisse dicit. Philaster.

De Creatione.

Non à Deo factum esse hunc mundũ, dixit: sed à uirtute quadam, ualde à Deo distante, & ignorante summo Deo. Irenæus, Tertullianus. Epiphanius: Angelos mundum fecisse dixit, & legem atq; prophetias dedisse.

De Lege.

Obseruationem legis Mosaicæ necessariam esse. Philaster, Augustinus. Item, legem ab angelis datam. Tertul. aduersus hæreticos.

De Regno Christi.

Dixit regnum Christi post resurrectionem terrenum fore, in quo Hierosolymis uicturi, & cibo, potu, reliquisq; uoluptatibus corporalib. perfruituri simus: ac mille quidem annos huic rei datos esse. eaq; ex libro secundo narrationum Dionysij Alexandrini recitat Eusebius lib. 3. cap. 28.

De Cer-

De Ceremonijs.

Dies festos, uictimas & sacrificiorum mactationes à Iudaismo instituit. Eusebius ex Dionysio Alexandrino. Docuit circumcisiones & sabbata obseruanda esse: Philastrius.

De Scriptura.

Apostolum Paulum non accepit, sed tantum Euangelium secundum Matthæum approbauit.

De Idololatria.

Iudam traditorem honorauit.

In Asia hanc hæresin fuisse, Irenæus lib.1.cap.25. testatur: & quidem Ephesi grassatam, Iohanne apostolo ibi docente. lib.3.cap.3.

Contra Ebiones & Cerinthianos Iohannes apostolus in primis dimicauit, ut etiam Irenæus testatur. et in Euangelica historia primùm adstruit Iesu Christi diuinitatem, logon eum nominãs, qui fuerit uerus Deus ab æterno, unà cum patre: & tamen distincta persona, quæ et mundum fecerit, ac lucem in cordibus accendat, ac præfinito tempore humanam carnẽ induerit, ut homines à peccatis redimeret. Appellat autẽ istos hæretiphetas, & clarè eos à uera Ecclesia separat ac discernit. E nobis, inquit, prodierũt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Dicit præterea, eos seducere pios. Acriter autem istorum hæreticorum doctrinam refutat, uocans mendacium: & probat Christum esse & filium Dei, & ab eo missum, ut operá diaboli destrueret, atq; miseros homines ex damnatione perpetua eriperet.

DE NICOLAITIS.

Haeresis Nicolaitarum, à quodam Nicolao Antiocheno proselyto, qui fuit unus è septem Diaconis, quorum Actorum 6 mentio fit, initium sumpsisse fertur, uerùm praua quadam æmulatione, qua de re Clemens Stromatum lib. tertio sic scribit: Cum formosam haberet uxorem, & post Seruatoris assumptionem ei fuisset ab Apostolis exprobrata zelotypia, in medium adducta muliere, permisit cui uellet eam nubere. Aiunt enim hanc actionem illi uoci consentaneam, quæ dicit, quòd carne uti oporteat: eiusq; factum & dictum absolutè & inconsideratè sequentes, qui eius hæresin persequuntur, impudenter effuseq; fornicantur. Ego autem audio, Nicolaum quidem nulla unquam alia, quàm ea quæ ei nupserat, uxore usum esse, & ex illius liberis filias quidem consenuisse uirgines, filium autem permansisse incorruptũ. Quæ cum ita se habeant, uitij erat depulso atque expurgatio, in medium Apostolorum circumactio uxoris, cuius dicebatur laborare zelotypia: et continentia à uoluptatibus, quæ magno studio paranetur, docebat illud, Vti carne, hoc est exercere carnem. Neq; enim, ut existimo, uolebant cõuenienter Domini præcepto, duobus dominis seruire, uoluptati & Deo. Dicunt itaque, Mathiam quoq; sic docuisse, cum carne quidem pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad uoluptates: augere autem animam per fidem, & cognitionem. hæc Clemens.

Hypotheses.

De Deo.

Post Deum plures uirtutes finxerunt, ac prodigiosis nominibus luserunt: sicut postea Gnostici ea figmenta auxerunt. Philaster, Epiphanius, Augustinus.

De Coniugio.

Docuerunt, uxores oportere communes esse, ac rem indifferentem esse mœchari. Theodoretus, Irenæus.

De rebus medijs.

Rem indifferentem esse, uesci idolothytis. Irenæus.

Indiscretè igitur Nicolaitas uiuere, idem Irenæus testatur. In Asia fuisse, satis inde constat, quòd Iohannes Apocalypsis secundo, ipsorũ nominatim facit mentionem. De ecclesia Pergamensi quoque ibi dicitur: Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Refutarunt autem hanc sectam & impias eius sententias, tum alij boni ac serij uerbi Dei ministri, tum in primis Ioannes, qui Apocalypsis secũdo, de Ephesino episcopo scribit: Hoc habes, quòd odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Non diu istam hæresin durasse, Eusebius memorat lib.3.cap.29.

DE PSEVDOAPOSTOLORVM ET PSEVDODOCTORVM hæresi.

Apostolis lætum Euangelij nunciũ passim annunciantibus, subinde uarijs in locis plurimi pseudoapostoli, falsi doctores et fratres emerserunt, qui sinceram Euangelij doctrinam partim κακοζηλίᾳ Iudaismi, partim ambitione et auaritia propria diluerunt, ac laboribus Apostolorum atque piorum fidelium q; cooperariorum sese impudenter ac nefariè opposuerunt, magna cum Ecclesiæ Christi clade. Fuit autẽ hoc ipsius diaboli opus, qui quibus potuit modis Euangelij propagationes per eiusmodi uentosos ac fascinatos homines uel impedire, uel euertere conatus est.

Hypotheses.

De filio Dei.

Filium Dei non esse salutis nostræ autorem, sed per angelos uiam patère ad patrem, docuerunt Colossenses pseudoapostoli: Coloss.2. Negarunt per filium Dei nos saluari, & alij quidam Asiani: ut Hymenæus, Alexander, 1.Timoth.1. Dicit etiam epistola Iudæ, quosdam Deum & Iesum Christum negasse.

De Salute, seu iustificatione.

Non gratis aut sola fide saluari homines, sed bona opera quoq; esse necessaria ad salutem: Et, impossibile esse sine bonis operibus quenquam saluari, pseudoapostoli Hierosolymitani docuerunt. Act.15.

Lege homines iustificari, docuerunt Asiani quidem pseudoapostoli.1.Timoth.1.

De Ceremonijs ueteris Testamenti.

Circumcisionem Christianis esse necessariã, & quidem ad salutem, ut sine ea nemo possit saluari, pseudoapostoli Hierosolymitani asseuerarunt. Act.15. Idem Galatiani dixerunt, tempora, menses & annos, iuxta ritũ Iudæorum necessariò obseruandos: Galat.4. Philippis quoq; idem affirmarunt alij falsi doctores, Philip.3. Et Colossenses pseudoapostoli contenderunt, discrimina ciborum, potus, festorum, iuxta ritus Iudaicos, necessariò seruandos esse. Col.2.

De uitæ licentia.

Docuisse quosdam, eos qui credunt in Christum, liberè suoq; arbitrio posse uiuere, carnẽ polluere & epulari:

lari: gratis enim nos iustificari, epistola Iudæ affirmat.

De Traditionibus humanis.

Humanas traditiones necessariò seruandas: & corporis superstitiosam afflictionem, prædicarunt esse singularem Dei cultum, Colossenses pseudoapostoli. Coloss. secundo.

De Creaturis.

Elementis huius mundi homines esse obnoxios, eaq; obseruanda esse, docuerunt Colossenses pseudoapostoli. Colos. 2.

De Magistratu.

Status uitæ, nempe dominos ac magistratus spernere, & conuicia in eos congerere quosdam: dicit epistola Iudæ, & Petri posterior cap. 2.

De postremo die.

Instare diem Christi, Thessalonicenses pseudoapostoli asseruerunt: 2. Thess. 2.

De Resurrectione.

Non esse resurrectionẽ mortuorum, docuerunt pseudoapostoli Corinthiaci: 1. Cor. 15.

Resurrectionem iam esse factam, docuerunt Hymenæus, Alexander & Philetus: 1. Timoth. 1. & 2. Timoth. 2.

De Genealogijs.

Profanas & aniles fabulas tradiderunt, atque de genealogijs intricatas mouerunt contentiones Asiani pseudoapostoli. 1. Timoth. 1. Idem & Cretenses pseudodoctores fecerunt, Tit. 1. 3.

De apostolo Paulo.

Paulum non esse Apostolum Christi, dixerunt pseudoapostoli Corinthiaci: 2. Cor. 10. Idem ex epistola ad Galatas patet.

De loco, ubi pseudoapostoli & falsi fratres talia docuerint.

Plurimum negocij isti pseudoapostoli ueris Apostolis ac doctoribus fecerunt. Loca igitur quædam perstringemus.

Initiò cum Apostoli Antiochiæ celebrem Ecclesiam Christi plantarent, ex Iudæa quidam eò uenerũt, qui docuerunt: Nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis esse salui. Hæc doctrina orta est ex confusione Iudaicæ doctrinæ & Christi, ac procul dubio hæc tam concinna conciliatio plausibilis fuit. Nam Apostolorum doctrina, quæ tollebat prorsus tam ritus quàm opera legis, in articulo iustificationis coram Deo, uidebatur asperior. Maxima igitur contentio orta est, quibusdam ad hanc plausibilẽ opinoinem inclinantibus. et quidem eò excreuit dissensio, ut necesse fuerit, rem ad reliquos fratres ac seniores, qui tum adhuc Hierosolymis se cõtinebant, referre. Hierosolymis aũt quæstione proposita, mox ibi quoq; nonnulli ex pharisæorum factione surgunt, non minus quàm illi Antiochiæ, necessitatem operum ad salutem urgentes: sicut Lucas Act. 15 exponit. Et sunt hæc facta circa sextum Claudij annum, Christi uerò 48.

Circa nonum uerò ac decimum Claudij annum, Christi 51, Corinthij pseudoapostoli conati sunt ministerio Pauli obsistere atq; obtrectare, multumq; in carne gloriati sunt: 2. Cor. 5. Crimina aduersus Paulum sparserunt, eum secundum carnem ambulare, esse contentiosum, non esse Christi Apostolum: epistolas eius nimis esse difficiles & intricatas, nec posse intelligi: sermonem eius esse contemptum, non multum eum laborasse. 2. Corinth. 10. Paulum inferiorem cæteris Apostolis esse, eamq; ob causam non accipere pecuniam ab ecclesijs, id quod faciant reliqui præstantiores Apostoli: 2. Corinth. 11. Hinc apparet, quanto liuore Pauli omnia carpserint pseudoapostoli. & quòd fuerint ambitiosi, sua dona magnificè prædicantes: auari, non gratis docentes, sed mercedem imperiose exigentes, ibidem Paulus testatur.

Circa annum Domini sexagesimum, Neronis tertium aut quartũ, in Galatia pseudoapostoli extiterunt, qui asseuerarunt, non solam in Christum fidem, sed insuper etiam opera esse necessaria ad salutem, & Mosaicos ritus necessariò obseruandos, ac uehementer turbarunt eam ecclesiam: sicut in epistola ad Galatas Paulus indicat. Ex cap. 4 apparet, quòd studuerint Apostoli Paulum uehementer deformare.

Apparet ex Philip. primo, Romæ quosdam, Paulo sub Nerone in carcere existente, fuisse pseudoapostolos, qui non purè annunciarunt Euangelium IESV Christi idq; per inuidiam, ut nimirum Paulo ægrè facerent.

Circa idem tempus Philippis fuerunt pseudodoctores, itidem Iudaismum cum Christiana religione temerè confundentes: quos Paulus canes & malos operarios appellat, Philip. 3.

Fuerunt eodem tempore & Colossis pseudoapostoli, qui philosophiam miscuerunt Euangelio, ac probabili sermone deceperunt homines, præcipuè traditiones humanas inculcantes: sicut epistola Pauli ad Colossenses scripta testatur.

Anno Christi 50, Claudij 8, Thessalonicæ pseudodoctores, de extremo iudicio, quasi iam instaret, magnas mouerunt turbas. 2. Thess. 2.

Ephesi quoq; pseudoapostoli, legem Euangelio miscuerunt, ac genealogijs Iudaicis q; fabulis plurimos turbarunt. 1. Timoth. 1.

Inter eos qui in Asia à Paulo defecerunt, eiusq; doctrinæ aduersati sunt, & malè dilutam doctrinam proposuerunt, fuerunt & Phygelus & Hermogenes. 2. Timoth. 1. Fortè circiter annum Domini quinquagesimum secundum, Claudij 10.

Anno Domini quinquagesimoquarto, Claudij decimo, in Creta pseudoapostolos fuisse, uel hinc colligere licet: quòd Paulus iubeat Titum eiusmodi ordinare presbyteros, qui contradicentes possint refellere: ad Titum primo.

CONFVTATIONES.

HOsce grassantes in Ecclesia Christi errores ac corruptelas, nequaquam silentio præterierunt, aut politica atq; intempestiua amnestia sepelierunt Apostoli, ueriq; doctores: sed constantissimè eis restiterunt, & Ecclesias diserte et palàm cõtra eiusmodi corruptores, expressis eorum nominibus, erudiverũt et confirmarunt. Fuit autem inter cæteros fideles ac serios Euangelij ministros, Paulus uel præcipuus: id quod ex eius Epistolis, ardenti spiritu plenis, luculẽter uidere est. Etsi autem loci, ex quibus petenda sit cõfutatio talium errorum, in hypothesibus sint indicati: tamen paucis, quomodo

quomodo istæ corruptelæ Euangelij sint refutatæ, uisum est adijcere.

Contra errorem de filio Dei, cùm alibi passim, tum in primis Colos. 2 Paulus docet, Christum tantum à patre destinatum, ut nos reconciliaret.

Contra hypothesin, impossibile est quenquã sine operibus legis saluari, seu bona opera sunt necessaria ad salutem, Paulus, Barnabas, cæteriq; fideles synergi, Antiochiæ se opposuerunt: ac missi Hierosolymam, in frequenti reliquorũ Apostolorũ & seniorũ Synodo, contra eos qui etiam in eo congressu acriter legis obseruationem ad salutem urgebant, grauiter atq; unanimiter decertarũt: ac tandem decernunt, nequaquã eam doctrinam, qua lex & Euangeliũ intempestiuè miscerentur, in Ecclesia Christi tolerandam, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi omnes saluari. Hoc decretũ Ecclesijs passim per literas uiuosq; testes intimatur. Etsi autem pluribus Christianis hæc refutatio fuerit periucunda, tamen pseudoapostoli non desiterunt eadem subinde rursus mouere & tradere.

Galatianæ Ecclesiæ satis grauiter Paulus scribit, increpãs eam, quòd pseudoapostolis aures præbuisset: ac refutat eos, probans suum Euangelium esse uerum, quod immediatè ab ipso Domino acceperit ac didicerit: habere se testimonia Apostolorum et plurimarũ ecclesiarum. Deinde asserit, gratis, sine lege, tantum per meritum Christi, quod fide apprehendimus, salutem & iusticiam donari. Argumenta quæ ibi ordine recitantur, suprà in loco de Doctrina sunt enumerata. Refutat eadem Paulus Philip. 3. ac dicit, se tam in carne posse gloriari, quàm quenquã alium: uerùm se omnia in arculo iustificationis habere pro stercoribus, ut inueniar (inquit) in illo non habens meam iusticiã quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi. Et uocat pseudoprophetas illos, canes, malos operarios, inimicos crucis Christi, quorum Deus uenter sit, terrestria curantes, quorum finis sit perditio. Affirmat Paulus, 1. Tim. 1. si eos qui per Christum iusti sunt. ac uocat pseudoapostolos homines mente corruptos, quæstiũ ex pietate facientes: 1. Tim. 6. Item dicit eos non rectè secare uerbum Dei, mouere multas inutiles quæstiones: 2. Tim. 3.

Contra opinionẽ de ceremonijs Iudaicis Antiochenis fratres, et synodus Hierosolymitana decreuit, Act. 15. Paulus Gal. 4 & 5 docet, nos esse ab istis elemẽtis per Christum liberatos: et excutere gratiam Christi, qui iterum se Iudaicis, tanquam necessarijs ad salutem, subijciant. Nihil, inquit, uobis cum Christo, qui in lege iusti ficamini, à gratia excidistis. Ac dicit eam corruptelam esse fermentũ: etiamsi uideatur parua, tamẽ totam massam corrũpere. Notat etiam Paulus, quòd isti falsi doctores tantum in hoc incubuerint, ut placerent hominibus, & plausibilia docerẽt, ac honorem aucuparentur, quasi ipsi multo melius Euangeliũ docerent quàm Paulus. Gal. 6. Minatur autem talibus pseudoapostolis pœnas à Deo. Qui cõturbat uos, inquit, portabit iudicium suum, quicunq; est ille. Gal. 5. Et Colos. 2 eandẽ hæresin oppugnat: Nemo, inquit, uos iudicet in cibo ac potu.

Contra hypothesin Colossensium pseudoapostolorum, filium Dei negantiũ, Paulus Colos. 1. pugnat: ostendens per Christum omnia esse creata, omniaq; per sanguinem eius diuino consilio esse reconciliata.

De Creaturis errorem Paulus Coloss. 2. refutat: Si mortui, inquit, estis cum Christo, ab elemẽtis huius mundi, quid tanquam uiuẽtes mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, ne contrectes, &c.

Contra opinionem de extremo die Paulus 2. Thess. 2. agit, à signo antecedẽte eum diem argumentãs: Nondum est reuelatus Antichristus, nondum igitur dies Domini instat. Damnat Paulus & Hymenæi & Phileti sententiam, 2. Timoth. 2.

Contra hæresin Corinthiacam, in qua resurrectio mortuorum negabatur, Paulus 1. Cor. 15 acerrimè docet: & ostendit, eiusmodi doctores abolere resurrectionem Christi, fidem & uniuersam prædicationem, relinquere homines in peccatis & morte. ac deinde, cum illi ipsi pseudoapostoli cogerentur fateri Christum resurrexisse, inde probat, omnes per ipsum uiuificatũ iri, & resurrecturos esse. Citat etiam atque explicat uaticinium Oseæ 13, de hoc opere Christi, quòd deuicta morte redditurus esset uitam. imò et modum resurrectionis copiosè & præclarè explicat.

Respondet etiam criminationib. pseudoapostolorũ. fatetur se in carne ambulare, sed non secundũ carnem: 2. Cor. 10. Se magis posse gloriari, ac uerius quàm ipsos, quia in pluribus locis Euangeliũ Christi propagarit: se lingua quidem imperitũ, sed nõ scientia: se gratis laborasse, ut manifestum fieret pseudoapostolos tantum mercenarios esse ac pecunias uenari: se uerò magis Ecclesiæ Christi plantatione affici: se cæteris Apostolis non esse inferiorẽ, uocatione, laboribus, reuelationibus diuinis & miraculis. Pseudoapostolos de aliorum laboribus quasi suis gloriari, esse simulatores, ministros Sathanæ: 2. Cor. 11. 12.

De genealogiarum quæstionibus, 1. Timoth. 1. dicit Paulus, eas magis gignere contentiones, quàm ædificationi seruire.

De uitæ licentia errorem, epistola Iudæ refellit exemplis Sodomitarũ, angelorum lapsorũ, & populi Israelitici: in quibus pœnæ diuinæ graues & horrendæ propter ipsorũ peccata extãt. Impossibile igitur est, Deum peccata approbare.

Contra errorẽ de Magistratu, epistola Iudæ inquit: Archangelus Michael noluit sibi sumere, ut malediceret diabolo: ergo multo minus nos debemus Magistratui maledicere.

ANTICHRISTVS.

ETsi Paulus de hac Antichristi hæresi, quasi futura, uaticinetur: tamẽ apertè pronunciat, etiã illo ipso tempore quasi pullulare & glisscere. sicut inquit: Mysteriũ iniquitatis iam agit. Sunt autem pleraque de Antichristo suprà in capite de Doctrina exposita.

Hypotheses.

De Deo.

Antichristus ostendet se tanquã sit Deus, 2. Thess. 2.

De Coniugio.

Prohibebit matrimonium. 1. Tim. 4.

De rebus medijs.

Iubebit abstinere à cibis. 1. Tim. 4.

De potestate Ecclesiæ.

Extollet se super omne quod dicitur Deus, aut quod

colitur, eiq; aduersabitur: 2 Thess. 2. Hoc est, labefactabit articulos fidei, et sacramẽta. Item, Primatum in Ecclesia Dei constituet, ac sedebit in templo Dei, tanquam Deus.

De signis & miraculis.

Falsa miracula illusionibus diabolicis efficiet, & tanquam uera obtrudet, ijsq; superstitiones suas augebit, et confirmabit.

CONFVTATIO.

Hæc Antichristi corruptelarum genera ac semina, Paulus ingenti zelo refutat: appellans autorem, hominem peccati, & filium perditionis: eiq; interitum, non tantum per Euangelij prædicationem, sed deniq; etiam per aduentum filij denunciat. 2. Thess. 2. Et 1. Tim. 4. uocat spiritus impostores, habentes cauteriatam conscientiam, hypocritas. Doctrinas ipsorum, dæmoniorum doctrinas appellat: & ostendit creaturas Dei bonas esse, & nihil reijciẽdum quod cum gratiarum actione percipiatur. Ioannes in Apocalysi, pluribus notis & circumstantijs Antichristum ita describit, ut ueluti digito eum monstrasse uideatur. Monet præterea, ut omnes pij ab eius characteribus abstineant. Non enim ullam hæresin maiori autoritate & potentia regnaturam, quàm hanc. Sed cum suprà ea omnia sint recitata, prolixius hic repetere noluimus.

Non tamen præter rem facturi uidemur, si præmonitiones quasdam Apostolorum aliquot de secuturis hæresibus, huc adscribamus. Act. 20 Paulus inquit: Scio quòd post meam discessionẽ lupi rapaces in uos irruẽt, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis surgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. propterea uigilate. 1. Tim. 4. Spiritus certò prædicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendaciũ. 2. Tim. 3. Hoc autem scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, nescij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatem amantes potius quàm amantes Dei: habentes formam pietatis, sed quiuim eius abnegarint. Et hos deuita. 2. Tim. 4. Erit tempus, cum sanam doctrinã non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures, et à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò cõuertentur. At tu uigila in omnibus, obdura in afflictionibus, opus perage Euangelistæ, ministerium tuum ad plenum probatũ reddito. 2. Pet. 2. Inter uos erunt magistri, qui clam inducent sectas perniciosas: etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibijpsis celerem interitum. & plerique sequentur illorum exitia, per quos uia ueritatis maledicis afficietur, & per auaritiam factitijs sermonibus de uobis negociabuntur: quibus iudicium iam olim nõ tardat, & perditio illorum non dormitat. Et 2. Pet. 3. Veniẽt in nouissimis diebus illusores, dicẽtes, Vbi est promissio aduentus eius? Prædicit Ioannes 1. epist. cap. 2. de Antichristis, uerùm in genere omnes hæreticos Christo aduersantes complectens.

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS, SEV RItibus Ecclesiæ.

APOSTOLI ceremonias à Christo institutas diligenter obseruarunt: & alias quoq; ad ædificationem, & bonum ordinem, & decorum utiles, liberè ordinarunt et usurparunt, ut patebit ex sequentibus.

DE CONGRESSIBVS PVBLICIS.

CHristianos, quocunq; terrarũ egerunt loco, solitos esse cõuenire ad res sacras tractãdas, patet ex Actor. 1. 2. 5. 13. 19. 20. 1. Corinth. 5. 11. 14. 1 Timoth. 2. Cœtus illos publicos plurium fidelium appellant Ecclesiam. Iohannes enim epistola tertia inquit: Ejicit eos ex Ecclesia seu cõgregatione. Et Paulus 1. Corinth. 4. Sicut ubiq; in omni ecclesia doceo. 1. Corinth. 14. Mulieres uestræ in ecclesijs taceant. Autor epistolæ ad Hebræos decimo ἐπισωαγωγὴν appellare uidetur. Autor epistolæ Iacobi συωαγωγὴν appellat: Si ingrediatur in cœtum uestrum.

Celebrare autem conuentus sacros, his phrasibus notant: Conuenire ad audiendum sermonem Dei, Actor. 20. Actor. 13. Conuenire ad frangendum panem, Actor. 20. Conuenire in unum, 1. Corinth. 11. λειτουργεῖν κυρίῳ, ministrare Domino. Oportuit sanè eos in locis & ædificijs certis conuenire: sed ea, pro huius temporis ratione non ubiq; fuerunt eiusdem generis. Nam tum in templo, tum in synagogis, tum in priuatis ædibus, tum in scholis, pro ut cõmodum Christianis in initio fuit, conuentus egerunt.

De templo Hierosolymitano dicitur, quòd Christiani unanimiter in templo quotidie perdurarint: Actor. 2. & quòd Apostoli non cessauerint quotidie in eo docere & annunciare Christum, Actorum quinto. Petrus etiam & Ioannes in templum ascenderũt ad orandum. In porticu Salomonis, confluente turba, cõcionati sunt, Actorum 3. Apostoli etiam è carcere per angelum educti, iubentur in templo concionari Euangelium, Actorum 5. Et uniuersam congregationem unanimiter in porticu Salomonis fuisse, dicitur Act. 5. Paulus etiã in templo Hierosolymis capitur, Act. 21.

In synagogis Iudæorum, quæ erant publica ædificia ad conuentus sacros destinata, Apostoli passim docuisse commemorantur. Nam Paulus Actorum 9 in synagogis Damasci prædicat Christum. Idem facit Antiochiæ Pisidiæ, Act. 13. Thessalonicæ, Actor. 17. Berrhœæ, Actor. 17. Athenis, 1. Corinth. 17. Corinthi, Actorum 18. Ephesi, Actorum 18. ubi omnino uidentur Christiani in synagoga fuisse. rogant enim, ut diutius ibi commoretur.

In schola Tyranni Paulus Ephesi cõuentus habuisse dicitur, cum indurati Iudæi eum in synagoga sua non amplius ferrent: Act. 19.

De priuatis etiam ædibus passim testimonia extant. Nam post Ascensionem, Apostoli & alij Christi discipuli congregati sunt in cœnaculo domus: Actorum primo. Et per singulas domos panem fregisse, & inuicem cibum

cibum sumpsisse, dicuntur Actorum 2. Fortè locus ille, qui ad communes Ecclesiæ preces commouetur, etiam domus aliqua cuiusdã Christiani fuit. Act. 4. Et in singulis domibus quotidie docuisse & Christũ Iesum annunciasse Apostoli dicuntur, Act. 5. In domo Cornelij conuentus agitur, Act. 10. In domo Mariæ, matris Ioannis Marci, congregati multi erant pro Petro è carcere liberando, Actor. 12. Locus in quo Troade cum Christianis Paulus celebrauit cœnam Dominicam, domus aliqua fuisse uidetur. nam in cœnaculo fuisse dicuntur, & Eutychus è tertio cœnaculo decidit deorsum: Actorum 20. Paulus Romæ in suo conducto docuisse toto biennio dicitur, Actor. 28.

Porro de magnificè alijs in locis, præter Hierosolymitanum, extructis templis, deq; eorum ornamentis & altaribus, de dedicationibus & consecrationibus templorum, de nominibus & differentijs eorum, nusquam in scriptis Apostolorum, & certis huius seculi autoribus quicquam reperias: quæ seculis inferioribus partim Iudaismi, partim gentilismi superstitiosa βαπτισμάτα inuenta, infrà suo loco ostendemus.

In congressibus nocturnis, necessitate coacti, usi sunt candelis. Actor. 20. Paulus protraxit sermonem usq; in mediam noctem: Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. In diurnis uerò, nusquam ijs usi leguntur.

De tempore congressuum, Actorum 2. dicitur, quòd quotidie prædicauerint unanimiter in templo. Idem Actor. 5 asseritur, quòd quotidie in templo & singulis domibus docuerint. Aliàs plerunque in die Sabbatho conuenisse dicuntur, quò solebant Iudæi conuenire: Actorum 17. Per tria Sabbatha edisserebat eis: Actor. 17. Disputabat in synagoga per omne Sabbathum: Actor. 18. Pro necessitate tum nocturnos tum diurnos habuerunt conuentus. unde Paulus ad Ephesios dicit, se die noctuq; eos docuisse & monuisse. Troade cum Paulus esset postridie discessurus, fratribus conuenientibus ad frangendum panem, protraxit sermonem usq; ad mediam noctem. Actor. 20. Ex 1. Corinth. 1. apparet, etiam uesperi Corinthios conuenire solitos, circa tempus cœnæ, aut pòst.

Conuenire autem solitos tum uiros, tum mulieres, tum senes, tum iuuenes, et pueros, apparet ex 1. Cor. 10. & 14. & ex Actorum 20, ubi Eutychus adolescens è fenestra decidit. Mulieres in congressum uelatas uenire, Paulus ordinat 1. Corint. 11. Indoctos etiam & incredulos in cœtum admissos esse, constat ex 1. Cor. 14. Si conuenerit ecclesia tota simul, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem indocti, nónne dicent uos insanire? Quibus uerò signis, & quota hora in cœtum conuocari sint soliti Christiani, nusquam annotatum est. Sed liberè, prout necessitas aut commoditas cuiusque ecclesiæ tulit, ea in re, ut in alijs adiaphoris, actum est.

In congressibus autem hæc ferè à Christianis facta commemorantur. Soliti sunt canere Psalmos: 1. Cor. 14. Quoties conuenitis, unusquisq; uestrùm canticum habet. Coloss. 3. Commonete & docete uos inuicem cantionibus, & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro Domino. Ephes. 5. Loquentes uobismetipsis per Psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales, canentes et psallentes in corde uestro Domino. Solitos apparet Corinthios dono linguarum præcellentes in uulgo, ignota lingua canere. Sed Paulus eam consuetudinem abrogat, & nota lingua cani iubet, ut populus possit accinere Amen. 1. Cor. 14. Canam spiritu, sed canam & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarumactionem? Quandoquidem, quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, uerùm alius non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quòd magis quàm omnes uos linguis loquor. Sed in Ecclesia uolo quinque uerba mente me loqui, ut & alios instituam, potius quàm decem millia uerborum lingua.

Legerunt etiam scripta Prophetarũ, eaq; interpretati sunt. Nam Iudæis solenne fuit in synagogis, singulis Sabbathis legere Moysen & prophetas, cosq; interpretari: Actor. 13 & 15. Ea cõsuetudo Apostolis etiam profuit. nam hac occasione passim in synagogis ex Moyse & Prophetis & sacra scriptura prædicauerunt Christum. Sic Paulus & Barnabas Antiochiæ Pisidiæ, post lectionem legis & Prophetarum, rogati à principibus synagogæ, ut si quem haberent sermonem adhortationis ad plebem proferrent, annunciant Christum: Actor. 13. Idem Thessalonicæ disserebat è scripturis adaperiens & allegans, quòd Christum oportuisset pati: Actor. 17. Idem in Ecclesijs postea eandem consuetudinem obseruari instituit, nempe ut legãtur scripta Prophetarum, & exponantur à prophetis duobus aut tribus, cæteris auscultantibus & dijudicantibus: ut patet ex 1. Cor. 14. Origenes etiam homelia 15 in Iosuam testatur, Apostolos ordinasse, ut in ecclesijs libri ueteris Testamenti legerentur.

Non autem tantum scripta ueteris Testamenti legi solita esse, sed etiam Euangelistarum, de historia et concionibus Christi, Paulus uidetur innuere Colos. 3. cum inquit: Sermo Christi in uobis habitet opulenter, cum omni sapientia. Idem secunda Corinth. 8. de Luca inquit: Misimus cum Tito fratrem eum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. unde non ineptè colligi uidetur, iam tum Euangelium Lucæ in Ecclesijs legi solitum esse.

Eusebius lib. 2. capite decimoquinto, ex Clementis Hypotypos. refert, Petrum Euangelium Marci in Ecclesijs legendum ordinasse. Idem lib. 5. capite octauo, ex Irenæo asserit, Matthæum suum Euangelium Hebræis obtulisse.

Concionantes oportuit lingua uulgo nota uti, propter ædificationem indoctorum: aut si quis alia lingua utebatur, eum oportebat interpretationem subijcere: 1. Corinth. 14. Nec licuit mulieribus in cœtu publicè docere, primæ ad Corinthios decimoquarto, & primæ ad Timotheum secundo. Concionantes stare solitos esse, apparet ex Actorum primo: Exurgens Petrus in medio discipulorum dixit. Et Actorum secundo: Stans Petrus cum undecim, extulit uocem suam. Et Actorum quinto Angelus inquit: Ite, & stantes loquimini in templo. Et Paulus Actorum decimotertio, surgens in synagoga concionatur. Et Petrus in Concilio surgens, pronunciat sententiam, Actorum 15. Plures, uerùm unum post alterum concionari solitos, apparet ex 1. Cor. 14.

Prophetæ uerò duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Porrò si alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat. Potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant: & spiritus prophetarum prophetis subijciuntur. Non enim est confusionis autor Deus, sed pacis, ut in omnibus congregationibus sanctorum. Sunt tamen etiam exempla, ubi sedentes cõcionati sunt. Nam Actor. 16. sedentes loquebantur mulieribus, quæ conuenerant.

Administrarunt & usurparunt cœnam Dominicã, ut apparet ex Actor. 20. ubi Paulus Troade cum fratribus, qui conuenerant, panem frangit & gustat, seu cœnam Dominicam celebrat: & ex 1. Cor. 11.

Si res ita tulit, etiam in congressibus illis publicis baptizarunt: ut Actor. 2 & 10 & 19. Baptizatos impositione manuum confirmarunt, Actor. 8. Elegerunt ministros Ecclesiæ, & ordinarunt: Actor. 1. 6. 3.

Vnà in cœtu etiam orarunt, & pro beneficijs Deo gratias egerunt, in suis cordibus priuatim, aut lingua alijs ignota, siue singuli, siue uno uerbis præeunte: ut apparet ex 1. Corinth. 14. inquit enim: Orabo spiritu, sed & orabo mente: canam spiritu, sed canam & mente. alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuã gratiarumactionem? quandoquidem quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, uerùm alius nõ ædificatur. Præcipit etiã Paulus in ecclesijs fieri obsecrationes, deprecationes, interpellationes, gratiarumactiones: 1. Tim. 2. Apostoli etiam cum suis unanimiter perseuerasse in deprecatione & obsecratione dicuntur, Actor. 1. Et ecclesia Hierosolymis collecta, perseuerasse in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus, commemoratur Actor. 2. Petrus & Ioannes à concilio sacerdotum & seniorum ad suos reuersi, annunciant quid sibi accidisset. Et totus cœtus unanimiter attollunt uocem ad Deum, & dicunt: Domine, tu es Deus, &c. Actor. 4. Pro Petro incarcerato fiebat precatio sine intermissione, ab Ecclesia, ad Deum pro eo: Actor. 12. De gratiarum actionibus in cœtu factis, Actor. 2 dicitur, quòd cum exultatione & simplicitate cordis laudauerint Deum. Et Paulus Galat. 1 dicit, Ecclesias Iudaicas pro se cõuerso glorificasse Deum.

λογίαι. seu σύλογίαι. seu λοιπωνίαι, seu ἐλεημοσύναι, seu προσφοραὶ, 1. Cor. 16. 2. Cor. 8 & 9. & Rom. 15. & Actor. 24, ut Paulus uocat, quas benedictiones, collectas, & eleemosynas & oblationes interpretes uerterunt, etiam in cœtu factæ sunt, cum fideles, quisque pro facultate suarum rerum, & spontanea uoluntate, aliquid pecuniæ in commune ærarium cõtulerunt, ad suppetias ferendum sanctis egenis: Actor. 13. & 24. et Rom. 15. & 2 Cor. 8 & 9. Idem 1 Cor. 16. Cæterum de collatione in sanctos, quemadmodum ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & uos facite: ita una sabbathorum unusquisq; uestrûm apud se seponat, recondens quicquid commodum fuerit.

RITVS CIRCA BAPTISMVM.

TVm Apostoli ipsi baptizarunt, tum alij Ecclesiarum ministri: Actor. 2, 8, 10, 16, 19. & ex 1 Corinth. 1 manifestè apparet, Corinthios quosdam à Paulo, quosdam ab Apollo, quosdam à Cepha baptizatos esse. Locis ad baptizandum, pro ut tulit occasio, libere usi sunt quibuslibet. Nam Philippus Eunuchum in flumine baptizat, Actor. 8: Videtur etiam Lydia, unà cum familia sua, Philippis in flumine, ad quod solebant fieri precationes communes, baptizata esse: Actor. 16. Custos carceris à Paulo & Sila conuersus, uidetur in ædibus suis baptizatus esse. In Corinthiaca Ecclesia super mortuis, hoc est in eo loco ubi sepeliebantur mortui, baptizatum esse, ex 1. Corinth. 15. constat: siue ibi sons aliquis fuerit, siue baptisterium fabrefactum. Nec statuerunt Apostoli usquam legem, de certo aliquo loco, ubi baptizari oporteat, eligendo.

Tam etiam priuatim, quàm in cœtu hominum, si res ita tulit, baptizare soliti sunt. Philippus enim Eunuchum uidetur, nullis alijs fidelibus adstantibus, baptizasse, Actor. 8.

De aquæ ante baptizationem consecratione, nihil in scriptis probatis huius seculi legas. Vnde liquidò cõstat, Apostolos, ut à Christo non acceperunt mandatum de consecranda aqua ante baptismum, ita nec ipsos factitasse, nec alijs ut facerent mandasse.

Quolibet etiam die & tempore baptizasse eos, apparet ex Actor. 2. 8. 16. nec certos dies aut festa ab Apostolis dedicatos, in scriptis eorum legas. Semel ritè baptizatos, nusquam rebaptizasse leguntur.

Si qui uerò corrupta Baptismi forma, non rectè baptizati essent, eos rectè baptizari præceperunt: ut patet ex Actor. 19. Nam ibi corrupta forma baptismi Iohannis, sine nomine Spiritus sancti baptizatos fratres, Paulus, in nomine Domini, id est secundum institutionem Christi, nempe In nomine patris & filij & spiritus sancti, baptizari iubet.

Baptizatos esse adultos, tum Iudæos, tum gentes, exempla probant Actor. 2. 8. 10. 16. 19. De infantibus baptizatis, exempla quidem annotata non leguntur: sed Origenes & Cyprianus, & alij patres, autores sunt, Apostolorum etiam tempore infantes baptizatos esse. Constat etiam hoc ex Apostolorum scriptis, quòd infantes à Baptismo non excludant. Nam dum circumcisionis locum baptismum supplere Paulus docet Colos. 2, indicat. Idem 1. Cor. 2. fidelium liberos sanctos appellat, non quidem ob natiuitatem, sed quia Christiani parentes eos suis precibus Deo commendent, & ad baptismum & lauacrum regenerationis & sanctificationis citius offerant quàm Ethnici parentes.

Ante baptismatis impertitionem, quod quidem ad adultos attinet, de doctrina Euangelij & fide in Christum, & de baptismo, quid esset, & ob quas causas conferretur, adultos edocuerũt. Nam Iohannem baptistam prædicasse baptismum pœnitentiæ, Actor. 13 asseritur. Et Apostolos primùm concionatos esse de Christo, & de pœnitentia & baptismo, & postea accipientes sermonem, hoc est pœnitentiam agentes, & Euangelio credentes, baptizasse, Lucas Actorum 2 commemorat. Nec Philippus Samaritanos prius baptizauit, quàm audiuerunt & susceperunt Euangelium: Actor. 8. Eunuchus à Philippo de Euangelio Christi, deq; fide in eum, & de baptismate edoctus ex propheta Esaia 52, petit baptizari: Ecce aqua, inquit, quid uetat quo minus baptizer? respondet ei Philippus: Si credis ex toto corde, licet. & respondens ait: Credo filiũ Dei esse Iesum Christum.

ſtum. Actorum 8. Vnde haud obſcurè intelligitur, baptiſandos oportuiſſe fidei ſuæ confeſſionem ante baptiſmum edere.

De baptizandis prius exorcizatis et adiuratis, neq; præceptum, neq; exemplum extat in ſacra Scriptura.

De renunciatione, qua baptizandi renunciarint peccato, mundo & Diabolo, eiusq; operibus: & pacto faciendo cum Deo patre filio & ſpiritu ſancto, quod eum Deum agnoſcere, & in eum credere, eiusq; uerbo parè reuelint, expreſsè quidem mentio non fit: ſed tamen ipſa confeſsio, quam baptiſandos oportuit edere, & effectus baptiſmi, talia complectuntur. Et uidetur Petrus eò reſpexiſſe, cum 1. epiſt. 3. Baptiſmum appellat ἐπερώτημα εἰς θεὸν συνειδήσεως ἀγαθῆς.

Miniſtrum baptiſmi in aquam baptiſandos immerſiſſe, ſeu lauiſſe in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, probat uerbum βαπτίζω, quod immerſionem in aquam ſignificat: & quòd Paulus immerſionem illam allegoricè de mortificatione & reſurrectione exponit, Romanis ſexto, Coloſ. ſecundo. Et phraſes illæ, quibus baptiſmus lauacrum dicitur, Epheſ. quinto, ad Titum tertio. & quòd Ananias iubet Paulum abluere peccata, Actorum uigeſimoſecundo. Et Petrus primæ epiſtolæ tertio dicit, non corporis ſordes ablui. Autor epiſtolæ ad Hebræos decimo, Abluti corpore aqua pura. Et phraſis illa, Baptizati ſunt in nomine Domini, Actorum decimo & decimonono, nihil aliud ſignificat, quàm iuxta inſtitutionem Chriſti, hoc eſt, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, baptiſatos eſſe. & ex primo Iohannis quinto non ineptè colligitur, tres illos, patrem, λόγον & ſpiritum ſanctum, in baptiſmatibus nominatos eſſe.

De Patrinis ſeu fideiuſſoribus, qui obtuliſſent infantes aut adultos ad baptiſmum, & pro ijs fideiuſsiſſent, nihil legitur in ſcriptis Apoſtolorum. Actorum ſecundo, conuerſi ab Apoſtolis, ſe ipſos ad baptiſma offerunt. Idem facit Eunuchus, Actor. 8. Et ridiculum fuiſſet, ſi Apoſtoli noluiſſent baptiſare, priuſquam fideiuſſores afferrent. Vbi enim eos Eunuchus in ſolitudine ſibi comparaſſet?

Nec de nominum in baptiſmo impoſitione mentionem fieri legas. Nam Eunuchus tam poſt baptiſma, quàm antè, Eunuchus appellatur: Actorum octauo. Idem etiam fit de Simone, ibidem. Saulus etiam poſt baptiſma Saulus appellatur, Actorum nono, undecimo. et Actorum decimotertio Spiritus ſanctus inquit: Segregate mihi Saulum. id non fieret, ſi in baptiſmate eius nomen eſſet immutatum. Sed Lucas in Actis, ab eo tempore quo Sergium Paulum proconſulem in Papho cõuertit, eum Paulum appellat: quæ res occaſionem opinioni illi præbuit, quòd à Proconſule id nomen acceperit. Sed Lucas uidetur innuere, etiam antea eum tum Saulum tum Paulum dictum eſſe. inquit enim: Saulus, qui idem Paulus, &c. Actor. 13.

De unctione baptizatorum, & ſignatione crucium, mentio nulla fit: neq; Apoſtoli ea de re à Chriſto acceperunt mandatum. Ioannes 1. epiſt. 2. unctionem Spiritus ſancti donationem appellat. Et Iacobi epiſtola unctionis medicæ pro ſanando ægroto meminit. Sed de ungendis baptizatis nihil dicitur.

Baptizatos ſanè oportuit poſt baptiſmum induere ueſtes: ſed an nouo genere ueſtitus & ſingulari uſi ſint, non liquet. Sunt qui colligant ex illo ad Galatas tertio, Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: & ex illo Apocalypſis ſeptimo, Amicti ſtolis albis: baptizatos albis indutos eſſe ueſtibus. Verùm id parum habet ponderis.

Saulum baptizatum, cibum cæpiſſe, & corroboratum eſſe, Actorum nono dicitur. Sed ita eius poſtulauit neceſsitas. Verùm alijs baptizatis, tanquam pro certo ritu, etiam poſt baptiſmum cibum eſſe datum, non legitur.

Samaritanis baptizatis Petrus & Ioannes impoſuerunt manus, & orarunt pro ijs, ut acciperent Spiritum ſanctum: Actorum octauo. Idem Paulus fecit Epheſijs, Actorum decimonono. & acceperunt ſenſibili modo Spiritum ſanctum, loquutiq; ſunt linguis, et prophetarunt.

DE RITIBVS CIRCA CLAVES.

Ritus circa excommunicationem.

EXcommunicandi officium tum Apoſtoli uſurparũt, tum etiam Eccleſijs earumq; miniſtris commendarunt. Nam Petrus Actorum quinto, in Ananiam & Saphiram excommunicationem exercet: & Actorum octauo, in Simonem magum. & Paulus Alexandrum & Hymenæum Sathanæ ſe tradidiſſe, dicit primæ Timoth. 1. Idem Timotheo præcipit, ut peccantes coram omnibus arguat: 1. Timoth. 1. & Tito, ut hæreticum hominem grauiter obiurget, ad Titum primo et ſecundo: & Hæreticum hominum uitet, Tit. 3. Idem Eccleſiæ Corinthiacæ mandat, ut inceſtuoſum excommunicet. Ioannes etiam excommunicari præcipit falſos doctores, epiſtola ſecunda.

In quos autem exercuerint excommunicationem, ex ijſdem locis apparet: & in quos exerceri iurè debeat, dictum eſt ſuprà.

Modum autem huiuſmodi obſeruarunt. Si quis ex numero Chriſtianorum, ſiue in notorium aliquem errorem incidit, unde poſt unam atque alteram admonitionem reduci non potuit, ſiue notorium aliquod commiſit facinus, conuocata eſt Eccleſia, eaq; publicum quendam celebrauit luctum ob lapſum fratris. primæ ad Corinthios quinto: Non iuxiſtis, inquit, ut tolleretur è medio ueſtrũm. 2. Cor. 12: Vt lugeam multos eorum, qui antè peccauerunt, &c. Lapſum increpuit 2. Corinth. 2. Sufficit huic increpatio hæc. Et poſtea per preſbyterum & epiſcopum commemorata & repetita inſtitutione Chriſti, de excommunicandis ſceleratis, tradidit peccatorem Sathanæ, ad interitum carnis: primæ ad Corinth. quinto: Nam ego quidem, inquit, ut abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam decreui tanquam præſens, ut is qui ſic hoc patrauit, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis uobis & meo ſpiritu, unà cum poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradatur Sathanæ, ad interitum carnis, quo ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu. Et interdixit alijs, ne quiſquam ei aue dicat, aut in ædes ſuas recipiat: 2. Ioannis. aut cum eo ci bum capiat: primæ ad Corinthios quinto. aut commercium habeat, ſecundæ Theſ. tertio.

RITVS CIRCA ABSOLV-
tionem.

SI notorij peccatores obiurgati ab Ecclesia, & excommunicati, agnouerunt suum peccatum, & ob id uerè sese dolere demonstrarunt, & petierunt à Deo remissionem peccatorum propter Christum, & ab Ecclesia ueniam & receptionem: Ecclesia consolabatur eos, ne immodico absorberentur dolore. hoc est, denunciabatur ijs remissio peccatorum per fidem in Christum, & recipiebantur ad communionem, & sic instaurabantur, ut iterum essent membra Ecclesiæ. Constant hæc ex secundæ ad Corinthios secundo: Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc, quæ facta est à pluribus, adeò ut è diuerso magis condonare debeatis, & consolari: ne quo modo fiat, ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi. Quapropter obsecro uos, ut ualeat in illum charitas. Nam & in hoc scripseram, ut cognoscerem probationẽ uestri, an ad omnia obedientes sitis. Cui uerò condonatis aliquid, et ego condono. Nam & ego, si quid condonaui in conspectu Christi, ne occuparemur à Sathana. Non enim ullius cogitationes ignoramus. Et Gal. 6. Fratres, etiamsi occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, cõsiderans temetipsum, ne & tu tenteris.

Cum peccatoribus pœnitentiam agentibus denunciandafuit remissio peccatorũ, nusquam leguntur exegisse integram peccatorum enumerationem: sed satis fuit illis, si peccata sua se agnoscere & dolere, & in Christum credere, et in eius nomine petere remissionem peccatorum, demonstrarunt. Constant hæc ex Actis & Apostolorum epistolis. Nam cum Actor. 2. Iudæi interrogant, quid debeant facere? Petrus respondet: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrûm, &c. Non ait, delicta uestra enumerate omnia, & postea præscribemus uobis canones satisfactionũ, quibus oporteat expiari uestra delicta. Nec Philippus Eunuchum enumerare omnia sua peccata iussisse legitur, Actorum octauo. Cornelius, eiusq; familia, cum à Petro pronũciatur generalis sententia absolutionis, Huic omnes Prophetæ, &c. accipiunt Spiritum sanctum, nulla præcedente peccatorum enumeratione. Cætera de clauibus utrisque Ecclesiæ, suprà inter dogmatica tractauimus.

RITVS CIRCA COENAM
Domini.

APostolos, aliosq; Ecclesiæ ministros, cœnam administrasse, dictum est suprà in Dogmaticis. id autem factum esse in congressibus Christianorum, paulò antè demonstratum est ex Actorum 2. & 20, & 1. Corint. 11. Celebrasse autem cœnam quouis die uidentur. nam Actorum 20 quidem, uno sabbathorum conuenisse fratres ad frangendum panem dicuntur: uerùm 1 Cor. 11 nullus certus exprimitur dies.

Circa quod tempus diei cõmunicauerit ecclesia Hierosolymitana, Actorum secundo non indicatur: at Troade fratres & Paulus uesperi, aut in nocte cœnam sumpsisse dicuntur: Actorum uicesimo. Corinthij etiam circa tempus cœnæ conuenisse uidentur, 1. Corinth. 11. Totam ecclesiam, & tam pauperes quàm diuites, ac etiam adolescentes unà communicasse, ex Actorum secundo & uicesimo, & 1. Cor. 11. apparet, ubi dicitur: Num contemnitis ecclesiam Dei, & pudefacitis eos qui non habent?

Vsum cœnæ conciones præcessisse uidentur, Actorum uicesimo. & 1. Cor. 11, apud Corinthios inualuerat ille abusus, ut ante cœnam Dominicã inter sese contenderent, & alij ibi suas cœnas instruerent, & bene poti cœnam Domini acciperent. Sed Paulus illa improbat, & abrogare iubet: 1. Cor. 11.

Quali pane ad communicationem usi sint, non exponitur: quemadmodum nec quali uino, puro ne an aqua mixto.

Verba institutionis cœnæ recitata omnino uidentur. nam Paulus ea non frustra 1 Corinth. 11 repetit. et quidem annexum mandatum, Hoc facite in mei commemorationem, postulat, ut historia illa de institutione, & de passione Christi, recolatur. Et Paulus 1. Corinth. 10. inquit: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio corporis Christi est? In quibusdã chronicis, ut Martini & aliorum, commemoratur, Petrum ante recitationem uerborũ cœnæ, orationem Dominicam præmisisse. Verùm unde hæc habeant, autorem non indicant.

Apostolos, & alios ministros ecclesiæ, panem fregisse, tum ipsos accepisse & gustasse, & de poculo Domini bibisse: tum Ecclesiæ ad comedendum panem Domini, & bibendum de poculo Domini porrexisse, manifestum est ex primæ ad Corinthios undecimo. Laicis poculum & sanguinem Domini esse subtractum, ut contra institutionem Domini est, ita hoc toto seculo & multis sequentibus nusquam legitur. Lucas quidem cœnæ Dominicæ celebrationem, communicationem & fractionem panis appellat, Actorum secundo & uicesimo. Verùm synecdochicòs totam actionem à Christo institutam complectitur. Non ieiunos, sed post alios cibos cœnam Dominicã Corinthios sumpsisse constat: neque id improbat Paulus, inquit enim: Quòd si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem ueniatis. primæ ad Corinthios undecimo. Cœnæ Dominicæ usum, subsequutæ sunt conciones. Actorum uicesimo, Paulus sumpta cœna, usq; ad diluculum colloquutus dicitur. Commemorationes mortis Christi, & gratiarum actiones.

De cœnæ Dominicæ oblatione et missificatione pro uiuis & mortuis, de panis inclusione & adoratione & circumgestatione, ut rebus ab institutione Christi non modò alienis, sed etiam ex diametro cum ea pugnantibus, nihil uspiam in scriptis probatis huius seculi legas.

RITVS ORATIONIS.

CHristianos in publicis congressibus simul orasse, dictum est paulo antè. Priuatas etiam eos fecisse preces, ex Pauli præcepto constat, qui Ephes. sexto, iubet indesinenter orare. Idem exemplum Petri comprobat, qui Ioppe solus orat: Actorum decimo. Et Pauli, de quo Christus ad Ananiam inquit: Ecce enim orat. Actor. 9. & Pauli ac Silæ, qui in carcere orarant, laudantes Deũ: Actor. 16. Tempore uerò ad preces siue priuatas siue publicas, quolibet pro arbitrio suo usi sunt. nam nocte dieq; uiduas in obsecratione & depre-

& deprecatione Paulus perseuerare iubet, 1. Timoth. 5. Precum interdiu factarum mentio fit Actor. 4. 6. 8. 19. 20. Nocturnarum etiam exempla sunt Actor. 12, ubi noctu in domo Mariæ matris Ioannis Marci, ecclesia pro Petro orat. & Actor. 16, Paulus & Silas in media nocte orant. Meminerunt etiam horarum. nam Ioannes & Petrus ascenderunt in templum ad horam precationis nonam, Actor. 3. Cornelius etiam circa horam diei nonam se orasse dicit, Actor. 10. Et Petrus Ioppe ascendit in superiora domus, ut oraret, circa horã sextam: Actor. 10.

Locis etiam ad orandum quibuslibet usi sunt. nam Paulus in omni loco liberum esse orare, monet 1. Corinth. 1. Et 1. Timoth. 2. Hinc in templo Hierosolymitano orarunt Petrus & Ioannes, Actorum tertio: & alij Christiani, Actor. 2. & 5. Paulus etiam se in templo Hierosolymis orasse dicit, Actor. 22. In domo orarunt Apostoli, Actorum 1. 2. 4. 6. Et Paulus, Actorum nono. & ecclesia in domo Mariæ orat, Actorum 12. Cornelius etiam in sua domo, Actor. 10. & Petrus in superioribus domus, Actorum 10. In carcere orarunt Paulus & Silas, Actorum 16. Stephanus in loco supplicij orat, Actorum 7. Paulus cum ecclesia Tyri in littore orat, Actorum 21. Philippis iuxta flumen solebat esse precatio, & illuc Paulus & Silas ad precationem ibant, Actorum 16. Ad mensam etiam, cum cibum sumpserunt, orarunt, & gratias egerunt, ut patet ex 1. Corinth. 10. Quòd si ego cum gratia participo, cur ob id maledicitur mihi, pro quo ergo gratias ago? & 1. Timoth. 4. Cibos creauit Deus ad sumendum cum gratiarum actione. Et Paulus Actor. 27. sumpto pane gratias egit Deo, in conspectu omnium: & cum fregisset, cœpit edere.

Gestibus inter orandum liberè quibuslibet usi sunt. Nam Stephanus positis genibus, clamans uoce magna, orat: Actor. 7. Petrus electis omnibus foras, positis genibus orat: Actor. 9. Et Paulus positis genibus suis, orauit cum omnibus illis: Actor. 20. Idem Ephes. 3. inquit. Flecto genua mea ad patrem. Idem iacens in lecto, orasse uidetur, Actorum nono. Paulus in ecclesia Corinthiaca ordinat, ut uiri nudato capite, mulieres uerò uelato in cœtu orent, aut prophetent: Actorum undecimo, & primæ ad Timotheum secundo, Puras manus sustolli iubet. Ieiunus orasse annotatur Actorum decimo, decimotertio, & decimoquarto. Et Petrus inquit: Sitis sobrij & uigilantes ad orandum: primæ Petri quarto. Ad quam plagam mundi orantes sese conuerterunt, non annotatum est: & facilè æstimari potest, etiam in ea re liberum cuilibet fuisse, quò se uellet orans conuertere.

Ad statuas aut imagines preces esse factas, ut superstitiosum & idololatricum fuisset, ita nusquam sactitatum tum ab Apostolis, tum ab alijs Christianis legitur.

Memorabile etiam hoc est, quòd nusquam in templis idolorum Apostoli aut Christiani orasse scribuntur. Paulus quidem Actorum 17 dicit, se prætereuntem contemplatum esse culturas Athenienſium, & inuenisse aram Ignoto Deo inscriptam: sed quòd ibi adorarit, non indicat. Cætera de oratione suprà inter dogmatica extant.

RITVS VOCATIONIS ET ordinationis.

NEq; Apostolos, neq; alios Ecclesiæ ministros, sibi solis sumpsisse potestatem eligendi et ordinandi presbyteros & diaconos, sed Ecclesiæ totius suffragia & consensum adhibuisse, tum ex primæ ad Corinthios tertio patet, tum exemplis probatur. Nam Actorum primo Apostoli unà cum reliquo cœtu eligunt duos, quorum alter in locum Iudæ esset substituendus. Idem fit Actorum sexto, cum diaconi eliguntur ab Ecclesia, & ab Apostolis ordinantur: & Actorum decimoquarto. Qui se idoneos arbitrabantur, ijs liberum erat, suam operam Ecclesiæ modestè deferre, seq; eius examini & iudicio subijcere. 1. Tim. 3. Si quis episcopatũ desiderat, bonum opus appetit.

In electione uerò ministrorum ecclesiæ, tum episcoporum, tum presbyterorum, tum diaconorum, inquirebatur an essent uiri spectatæ probitatis, pleni spiritu sancto & sapientia. Tales enim eliguntur diaconi, Actorum sexto. An haberent bonum testimonium uitæ apud alios, an essent plurium uxorum mariti, an bene præessent suæ domui, & haberent honestam familiam, an essent idonei & satis instituti ad docendum. primæ ad Timotheum tertio, & ad Titũ primo. Probabantur etiam, priusquam ad ministerium prorsus ordinarentur primæ ad Timotheum secundo et quinto, ubi præcipit Timothæo, ne cui citò manus imponat. Diligenti tum de uita tum de doctrina facta inquisitione, & communi suffragio creati, Actorum decimoquarto. in conspectum Apostolorum, Actorum sexto: & presbyterij, hoc est aliorum ministrorum Ecclesiæ, primæ ad Timothæum quarto, constituti sunt, qui unà cum Ecclesia ieiunantes pro ijs Deum inuocarunt, ut suo Spiritu sancto eos ornaret, & salutaria organa Ecclesiæ faceret, & postea impositione manuum suarum eis functionem Ecclesiasticam demandarunt: Actor. 6. 13 & 14. 1. Tim. 4 & 5.

Singulare est, quod Matthias missa sorte cum precatione electus, & in numerum Apostolorum cooptatus est, Actorum 1. Nec in electione & ordinatione aliorum ministrorum Ecclesiæ idem obseruatum aut mandatum reperitur.

De chrismate inungendis Ecclesiæ ministris, & in modum sphæræ radendis ipsorum capitibus, neq; præceptum neq; exemplum in hoc genere extat. Nam quòd Paulus Cenchræis caput rasit, Iudaico more ob uotum est factum: & non in eius ordinatione, sed longè pòst. Actorum 18.

EXORCISATIO OBSESSORVM.

IN sanandis obsessis, Apostoli non certis aliquibus ceremonijs usi leguntur. nam Actor. 5. uexati à spiritibus immundis, sanati dicuntur. & Actorum 16. Paulus ad spiritum Pythonis in puella habitantem inquit: Præcipio tibi per nomen Iesu Christi, ut exeas ab ea: & exijt eadem hora. & Pauli sudarijs & semicinctis impositis super obsessos, spiritus immundi egressi dicuntur, Actor. 19. Ibidem, Iudæi exorcistæ, etiam nullis alijs ceremonijs usi dicuntur, quàm quod dixerint, Adiuramus uos per Iesum, quem Paulus prædicat. Plura de exorcizatione obsessorum, in scriptis Apostolorum non extant.

RITVS CIRCA IEIVNIA.

APostoli in genere quidem ieiunia seu sobrietatē præcipiunt, 1. Petri 4. & prohibent ebrietates & comessationes, 1. Petri 4. Ephes. 5. Galat. 5. 1. Corin. 5. & 6. Verùm ceremonias publicorũ ieiuniorum nullas præscribunt: neq; enim ieiunia publicè indici mandant, neque à quibus cibis abstinendum, neq; quo tempore anni, neq; quo die, neq; quàm diu sit ieiunandum præscribunt. Liberum igitur fuit, quando & quomodo & quamdiu quisq; uoluit ieiunare: nec aliam ob causam ieiunasse leguntur, quàm ut essent idonei ad orationem. Nam Cornelius Actor. 10. inquit: Die abhinc quarto, usq; ad hanc horam sedebam ieiunus, & hora nona precabar in domo mea. Petrus etiam usq; ad horam sextam ieiunus fuisse uidetur, Actor. 10. Ecclesia Antiochena, cum iussu Dei uoluit Paulum & Barnabam ablegare, ieiunasse & orasse dicitur, Actor. 13. Paulus etiam & Barnabas precati cum ieiunijs dicuntur, cum crearent presbyteros, Actor. 14. Ne fraudetis uos inuicem, nisi fi quid ex consensu pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi: 1. Cor. 7. In publicis calamitatibus & malis necessitas ipsa ieiunia indicit. Nam nautæ usq; ad decimumquartum diem ieiuni ob periculosam nauigationem permanserunt, Actor. 27. Et Paulus inter suas calamitates, etiam ieiunia numerat: 2. Cor. 11. Athanasius etiam epistola ad Dracont. Paulum frequenter ieiunasse dicit.

Postremò, leges de discrimine ciborum, & temporibus ieiuniorum, spiritus impostores instinctu Diaboli præscribere, monet Paulus 1. Tim. 4. Colos. 2.

DE FESTIS.

APostoli, & alij Christiani, ut alijs rebus adiaphoris, ita etiam festis liberè usi sunt, iuxta regulam Colos. 2. Nemo uos iudicet in cibo ac potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorum. Vnde diei Sabbathi obseruati etiam à Paulo et alijs, passim in Actis fit mentio nam Actor. 13. Paulus & Barnabas ingressi in synagogam die sabbathorum dicuntur. Ibidem gentes rogabant, ut sequenti sabbatho sibi loquerentur sermonem. Et Paulus & Silas die sabbathorum egressi sunt è ciuitate ad flumen, Act. 16. Et Thessalonicæ per tria sabbatha disseruit Paulus. Et fratres uno sabbathorũ ad frangendum panem conuenisse dicuntur, Actor. 20. Diei Dominici mentio fit Apoc. 1. Fui in spiritu Dominico die. Quo autem tempore Christiani se à Iudæis disiunxerint, & diem Dominicum feriari cœperint, non est memoriæ proditum. Sed hoc seculo alios diem Sabbathi, alios diem Dominicum feriatos esse, testabuntur certamina, quæ sequenti seculo de Paschate die Dominico celebrando, per Anicetum & Victorem Romanos episcopos sunt exercitata.

Mentio etiam fit aliorum festorum. nam Paulus Epheso discedens, inquit: Oportet me omnino festũ, quod instat, Hierosolymis agere: sed iterum reuertar ad uos. Acto. 18. Paschatis & dierum azymorum mentio fit Actorum 12. & 20. Memorabile uerò de Paschate est, quòd non omnes Apostoli & Christiani hoc seculo eodem die Paschа celebrarunt. Nam Ioannem & Philippum euangelistã in Asia decimaquarta die lunæ paschа celebrasse, testatur epistola Polycratis apud Eusebium lib. 5. cap. 24. Et Irenæus in epistola ad Victorem, ut est apud Eusebium lib. 5. cap. 26, affirmat, Polycarpũ assentiuisse, quòd uiderit Ioannem & cæteros Apostolos pascha celebrare decimaquarta die mensis. Epistola etiam Theophili Cæsareensis, quam in secunda centuria recitamus, Apostolos alios decimaquarta die paschа celebrasse, alios uerò in diem Dominicum paschа reciecisse testatur.

Pentecostes mentio fit Actor. 2. & 20. Festinabat enim Paulus, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis. Item: Commorabor, inquit, Ephesi usq; ad Pentecosten. 1. Cor. 16.

Pseudoapostoli ad necessariam festorum obseruationem obligare ecclesias tentarunt, ut patet ex Colos. 2. Galat. 4. Sed à Paulo & alijs refutati, et Ecclesiæ reclè institutæ sunt. Verùm quomodo mysterium iniquitatis in urbe Roma per Anicetum, et postea per Victorem in re laborarit, & quas turbas dederit, sequenti Centuria exponetur.

RITVS CIRCA NVPTIAS.

IN contractione matrimonij, leges & ritus Mosaicos & politicos, & Christi præceptum de non faciendo diuortio, obseruasse uidentur. Nam de non ducenda nouerca, 1. Cor. 5 agitur: & de non faciendo diuortio, 1. Cor. 7 disputatur. Ad ritus nuptiales, quòd sponsa sicut solita sit ornari, alluditur Apoc. 19. & Ephes. 5. Et uox sponsi & sponsæ audiri, Apoc. 18. Ad nuptias ab agnos uocari, & ad cœnam uenire, & lætari: Apocalyps. 19 alluditur.

VISITATIO AEGROTORVM.

DE uisitatione & cura ægrotorum, autor epistolæ Iacob. 5. in hunc modum scribit: Infirmatur quis inter uos, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Idem, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua iubet, lacobi 1. Captiuos etiam uisitasse, ijsq; ministrasse, apparet ex 2. Timot. 1. ubi Paulus inquit: Det misericordiam Dominus Onesiphori familiæ, quoniam sæpe me refocillauit, & de catena mea non erubuit: sed cum esset Romæ, studiosius quæsiuit me & inuenit. Det ei Dominus, ut inueniat misericordiã apud Dominũ in die illo, & quàm multis Ephesi ministrauerit, melius tu nosti.

RITVS SEPVLTVRAE.

MOrtuorum corpora lauerunt, & in cœnaculo posuerunt. Actor. 9. & elata ea sepelierunt: Actor. 5. Viri religiosi Stephanum unà curarunt, Actor. 8. Habuerunt sua cœmiteria, ubi fidelium corpora sunt sepulta: 1. Cor. 15. Planctum etiam super mortuos fecerunt: Actor. 8. Lugentes spe resurrectionis, sese inuicem sunt consolati: 1. Thes. 4. De uigilijs, memorijs defunctorum, uel orationibus & cantionibus pro mortuorum requie & salute, neq; præceptum neq; exemplũ in probatis autoribus huius seculi legas.

DE MORIBVS CHRISTIANORUM.

CHristiani in hoc seculo pietatis & honestatis fuisse studiosos, ex historia sacra constat. Nam uerbũ Dei diligenter audiuisse, idq; suscepisse, & in doctrina Apostolorum perseuerasse, constat ex Actor. 2. Publicos congressus celebrasse, Actor. 2. & 5. 1. Cor. 14.

stolos & alios ministros ecclesiæ magnificisse, Gal. 4. Testimoniũ reddo uobis, quòd si fieri potuisset, oculos uestros effossos dedissetis mihi. 2 Cor. 7. Scripturas sacras studiosè legerunt, didicerunt. Act. 17. 1 Cor. 14. Col. 3. 1 Thess. 5. De bonis suis ad conseruationem ministerij, & propagationem Euangelij, & alendos pauperes sanctos, prompti cõtulerunt. 1 Cor. 16. Rom. 15. 2. Cor. 8 & 9. Phil. 4. Doctores Euangelium plantantes, studiosè è periculis liberarunt. Act. 9. 18. & deduxerunt. Rom. 15. epist. Ioannis 3. Feruenti cœlo & constanti animo confessiones fidei suæ ediderunt. Act. 3. 4. Pro confessione crucem, direptiones bonorum, plagas, uincula, & mortem deniq; ipsam fortiter animo pertulerunt. Act. 5. Ibant gaudentes. Act. 21. Paulus inquit: Ego uerò non solum uinciri, sed mori paratus sum. 2. Tim. 2. Omnia sustinere propter electos, &c. 1 Thes. 1 & 2. Heb. 10. Pro persecutorib. orarunt. Act. 7. Rom. 12. 1 Cor. 4. Non leuiter iurarunt. Iac. 5. Hospitales fuerunt. Heb. 13. Visitarunt ægrotos. Iac. 1 & 5. Visitarunt captiuos, eósq; ministrarunt. 2 Timoth. 1. Heb. 13. Subditi fuerunt politicis dominis in rebus iustis. Rom. 13. ad Titum 3. 1 Pet. 3. Vsi sunt legibus politicis, ut Paulus Act. 16. 22. 25. Edictis uerò magistratuum impijs non paruerunt: sed potius passi sunt extrema, quàm obtemperarent. Act. 3 & 4. Fuit etiam ius seruitutis adhuc inter Christianos in usu. 1 Pet. 3. Ephes. 5. Colos. 3. ad Tit. 2. Magnificerũt coniugia. Heb. 13. Apostolos etiam coniuges fuisse, ex 1 Cor. 9. apparet. πολυγαμίαν abrogarũt, iuxta manda tum Christi: quemadmodum etiam diuortia, 1 Cor. 7. Secundas nuptias legitimè contraxerunt. 1 Tim. 5. Educarunt honestè liberos suos, in disciplina & correptione Domini.

In honestis uocationibus manserunt. 1 Corint. 7. Et proprijs manibus laborantes uictũ sibi compararunt. Ephes. 4. Priscilla & Aquila & Paulus texendo uictũ quærunt Corinthi. Act. 18. Ociosos & inordinatè uiuentes, & res curiosas & artes ludieras exercentes inter se non tulerunt. 2 Thess. 3. Non facilè litigarunt corã infidelibus. 1 Corinth. 6. A' sermonibus spurcis. Ephes. 4. & colloquijs prauis abstinuerunt. 1 Corinth. 15. Ab idolothytis, suffocato & sanguine abstinuerunt, Act. 15. 1 Corinth. 10. Scientes legem de discrimine ciborũ abrogatam esse, Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu. Habuerunt tamen infirmorũ rationẽ, Rom. 14 & 15. & 1 Cor. 10. Abstinuerunt à sanguine & suffocato, Act. 15 & 21. Ab ethnicis uocati ad conuiuia, accesserunt si libuit. 1 Cor. 10. Sed cum ijs qui uolebant esse Christiani, & erant ob notoria peccata excommunicati, non cæperunt cibum: 1 Cor. 5. & abstinuerunt ab eorum commercio: 2 Thess. 3. Nec aue di- negociationibus neminem defraudarũt, et operati sunt honesta erga omnes homines, domesticos et extraneos: 1 Thess. 4 & 5. Col. 4. Phil. 4.

Ecclesia Hierosolymitana in initio omnia habuit communia, Act. 2: Omnes qui credebant erant coniunctissimi, & habebant omnia cõmunia, possessionesq; & substantias uendebant, ac diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Et quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes per singulas domos panem, inui cem sumebant cibum, cum exultatione & simplicitate cordis laudantes Deum. Et Act. 4. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquã aliquid eorum quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et uirtute magna reddebant Apostoli testimoniũ resurrectionis Domini Iesu, et gratia magna erat super omnes illos. Neq; enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorũ aut ædium erant, uendentes afferebant precia eorum quæ uendita fuerant, & ponebant ad pedes Apostolorum. Distribuebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Ioses uerò, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est filius consolationis, Leuites, Cyprius genere, cũ haberet agrũ, uendidit eum, & attulit precium, & posuit ad pedes Apostolorũ. Verùm spontanea fuit ista communio. Inquit enim Petrus Act. 5 ad Ananiam: Nónne tibi prorsus manebat, & uenundatus in tua potestate erat? In alijs locis similis rerum communio neq; præcepta, neq; instituta, neq; usurpata legitur.

Quali genere uestitus usi sint Apostoli, aut alij Christiani, non est annotatum. 2 Tim. 4. Paulus penulæ meminit. De uestitu & ornatu mulierum dicitur 1 Pet. 3, ubi plicaturæ capillorum, & additionis auri, & palliorum amictus meminit. Et Paulus 1 Tim. 2, mulieres in ornatu modesto, & uerecundia & castitate semetipsas ornare præcipit, & non uti tortis crinibus aut auro aut margaritis, aut uestitu sumptuoso, sed tali q deceat sanctas mulieres. Idẽ, mulieres uelatas in ecclesiã uenire, & uelato capite orare iubet: 1 Cor. 11. Anus etiã in habitu esse mandat, qui deceat religionẽ. Tit. 2.

Circumcisionem Act. 16. Gal. 2. persolutionem uoti, purificationem & alios ritus Mosaicos, Act. 18 & 21. Christiani in initio, ut res liberas & medias obseruarunt, propter imbecilles. At postquam accessit opinio cultus & necessitatis, usi sunt sua libertate: Act. 15. Gal. 2. & paulatim ceremonijs Mosaicis ualedixerunt.

Salutationum etiam crebrò fit mentio in epistolis Apostolorum. & Paulus cum uenisset Cæsaream, salutasse Ecclesiam dicitur: Act. 18. Solebant etiam Apostoli discedentes ualedicere fratribus, et cum ijs communes facere preces, eosq; Deo cõmendare. Exempla sunt Act. 18 & 20. Paulus enim, ubi ualedicit presbyteris Ephesinis, & commendat eos Deo, & positis genibus cum ijs orat: illi in collum eius ruentes, & osculantes eum, miscent fletus, ob sermonem, quòd non amplius facie eius uisuri essent, & postea deducunt eum. & Act. 21. Expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus unà cum uxoribus & filijs, donec exissemus ciuitatem: & positis genibus in littore, precati sumus. Et consalutatis nobis inuicem, conscendimus nauim: illi autem redierunt ad sua.

Apostoli in uehementioribus affectibus lacerabant uestes: exemplum est Act. 14.

Eiecti aut sprcti ab impijs, protestationem edebãt, excusso puluere pedum: Act. 13. aut excussis uestimentis: Act. 18. Vt neq; à Christo neq; ab Apostolis monachatus uspiam præceptus aut commendatus legitur: ita nec hoc seculo exemplum ullum apud autores probatos reperitur. & Chrysost. in cap. 11 ad Hebræos, homilia 25 testatur Apostolorum tempore ne uestigium quidem monachi fuisse.

VII CAPVT.

DE POLITIA SEV GVBERNATIONE Ecclesiæ.

DIctum est libro superiori, de regimine quo Christus usus est in plantanda & gubernanda Ecclesia ante ascensionẽ: iam uerò de ea regiminis forma dicendũ est, qua exaltatus ad dexterã Dei, missо Spiritu sancto, per Apostolos eorumq; collegas & discipulos administrari curauit tum singulas ecclesias, tum plures, aut omnes simul.

DE PERSONIS.

GVbernatæ sunt ecclesiæ hoc seculo à præstãtissimis uiris, nempe Apostolis, qui in schola Iesu Christi instituti, & in die Pentecostes Spiritu sancto, sensibili & uisibili modo exhibito, tanquam publico testimonio ordinati, & ad plantandam & regendam Ecclesiam Dei emissi fuerunt: & à collegis & discipulis eorum qui eos uiderunt & audierũt, & ab ijs ad ministerium ecclesiæ passim sunt collocati: et quidẽ hac in parte nullum seculum huic est conferendum. Nam qui postea fuerunt insignes doctores, eos oportuit omnes ex uoce Christi & scriptis Apostolorum suam haurire doctrinam: nec audierunt nec uiderunt Apostolos uiua uoce docentes, quemadmodum hi.

Veruntamen etiam sua diabolus hoc seculo in regimine Ecclesiæ organa habuit: quales fuerunt pseudoapostoli, falsi fratres, mysterium iniquitatis: 2 Thes. 2. Antichristi: 1 Ioan. 2 & 4. & 2 Ioannis. Hæretici: ad Titum 3. Canes: Philip. 3. Lupi, & uiri peruersa loquentes: Act. 20. Adiaphoristæ, qui neq; frigidi neq; calidi fuerunt: Apoc. 3. & similes, de quibus in loco de Hæresibus dictum est.

Discrimina personarum.

Inter personas uerò quæ hoc seculo ecclesias rexerunt, hæc occurrunt discrimina. Alij enim Apostoli appellantur. Ephes. 4. 2 Corinth. 12. Et hoc quidem nomine non tantum duodecim illi Christi discipuli notãtur, sed etiam Paulus se Apostolum Christi appellat, passim in omnibus suis epistolis: & Act. 14. Paulus & Barnabas Apostoli dicuntur. Epaphroditus Apostolus Philippensium dicitur, Philip. 2. & Andronicus & Iunias insignes inter Apostolos dicuntur, Rom. 16.

Alij Prophetæ: Ephes. 4. 1 Corinth. 12. hoc nomine tum illi appellabãtur, qui dono prophetiæ fuerunt clari: tum qui prophetias, hoc est scripturas prophetarum sunt interpretati. Act. 11. Superuenerunt ab urbe Hierosolymorum prophetæ Antiochiam: surgensq; unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam uenturam in toto orbe terrarum. Act. 13. Erant quidam in Ecclesia Antiochiæ prophetæ ac doctores, Barnabasq; & Simon qui uocatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen qui erat Herodis tetrarchæ collectaneus, & Saulus. Act. 15. Iudas autem et Silas cum essent ipsi prophetæ, adhortati sunt fratres, &c. Illic aliquantulum temporis cõmorati, dimissi sunt cum pace ad Apostolos. Act. 21. in Tyro discipuli per spiritum dicebant Paulo, ne ascenderet Hierosolymam. & Cæsaream uenit quidã è Iudæa propheta Agabus: is cum uenisset ad nos, tulit cingulum Pauli, & alligans pedes ac manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, &c. Et 1 Cor. 14, prophetantium in ecclesia Corinthiaca fit mentio, qui fuisse interpretes scripturæ omnino uidentur. Eph. 3. Nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & prophetis per spiritum. Fit etiam mentio prophetissarum Act. 21, ubi quatuor filiæ Philippi prophetasse dicuntur.

Alij Euangelistæ. Ephes. 4. Dedit alios Euãgelistas. Hoc nomine non tantum appellati ij uidentur, qui scripserunt historiam Euangelij, quales sunt Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes: sed etiam illi, qui Euangelium de Christo passim docuerunt. nam Philippus, unus è septem diaconis Hierosolymis in initio ordinatis, Euangelista uocatur Act. 21. Et Paulus Timotheum Euangelistæ peragere iubet, 2 Tim. 4.

Alij pastores. Ephes. 4.

Alij doctores Ephes. 4. 1 Cor. 12.

Alij presbyteri. 1 Pet. 5. Seu episcopi. nam episcopi & presbyteri pro ijsdem accipiuntur. Act. 20. Paulus ad presbyteros Ephesinos inquit: Vos Spiritus sanctus posuit episcopos, ad regendum ecclesiam Dei. & Tit. 1. Reliqui te in Creta, &c. ut oppidatim constitueres presbyteros, &c. oportet enim episcopum inculpatum esse, &c. Iacobi 5.

Alij Diaconi: horum officium erat, ministrare mensæ Hierosolymis, dum ibi erat communio bonorũ. Act. 6. Sed tamen eos quoq; docuisse, & edidisse signa, ex Stephano apparet Act. 6. & Philippo, Act. 8, 21. & in alijs passim ecclesijs diaconorum officium fuit, docere & ministrare. Fit etiam mentio diaconissarum. nam Rom. 16. Phœbe ministra ecclesiæ Cenchreẽsis dicitur. Autor epistolæ ad Hebræos, ministros ecclesiæ generali uoce appellat. Heb. 13. Obedite præpositis uestris.

Alij ὑπηρέται ministri, aut διακονοῦντες, qui erant Apostolorũ ministri seu comites in itinere, cum proficiscebantur ad prædicandum Euangelium. Nam Marcus Act. 13 minister erat Pauli & Barnabæ: & Act. 19, Timotheus et Erastus Pauli ministri erant. Iidem συνέργοι, ad Philippenses 2 & 4. συνόδιοι, Coloss. 1 & 4 συναιχμάλωτοι commilitones, Philip. 2. et alibi passim, à Paulo appellantur. Col. 4 Paulus Tychicũ appellat fratrem suum dilectum, et fidelem diaconum, seu ministrum & conseruum in Domino.

Graduum tantum trium meminerunt, Apostolorũ, presbyterorum seu episcoporũ, & diaconorum: qui omnes tres in quibusdam ecclesijs reperti sunt, cum adhuc Apostoli essent superstites. Nam in Hierosolymitana ecclesia in initio sunt duodecim Apostoli, qui ministerio ecclesiæ funguntur: sed crescente numero ecclesiæ, & cum necessitas postularet rerum communium diligentiorem curam, eliguntur & ordinantur septem diaconi: Act. 6. Sunt in ea ecclesia prophetæ etiam, Act. 11. Sunt Apostoli & presbyteri. Act. 15. Susceptus ab ecclesia & Apostolis et presbyteris. Cum Paulus postremò Hierosolymam uenit, reperit ibi Iacobũ et presbyteros, qui conuenisse dicuntur. Act. 21. In Antiochena ecclesia ad tempus sunt Paulus et Barnabas, qui Apostoli dicuntur, & prophetæ & doctores, quos presbyteros dicere liceat.

In ecclesia Philippensi sunt episcopi & diaconi, Philip. 1. Paulus & Barnabas ecclesiis tantum presbyteros creas-

ros creasse dicuntur, Act. 14. Paulus etiam Titum in Creta oppidatim presbyteros seu episcopos iubet constituere: Tit.1. Timotheo præscribit, quales episcopos & diaconos debeat ordinare: 1 Tim.1. Ex Epheso presbyteros, quos episcopos uocat, Paulus Miletum ad se accersiuit: Act.20.

Quot uerò in qualibet ecclesia personæ ministerio sancti sint, non est in historijs annotatum: nec usquam est præceptum, ut æquè multi in singulis essent, sed pro ut paucitas aut multitudo cœtus postulauit, ita pauciores aut plures ad ministerium ecclesiæ sunt adhibiti.

Prophetæ, Euangelistæ, pastores ac doctores, non certos gradus personarum in regimine Ecclesiastico constituêre: sed aut inter Apostolos, eorumq; socios, aut inter presbyteros aut diaconos numerãdi uidẽtur.

Fuerunt autem non tantum Apostoli, sed etiam alij pleriq; uarijs donorum generibus, ut linguarum, sanationum, prophetiæ, & similium ornati. Nam Stephanus signa & prodigia magna in populo edidisse, Act.6: & Philippus immũdos spiritus eiecisse, paralyticos & claudos sanasse, Act.8: Cornelius etiam et familia eius, accepto Spiritu sancto linguis locutus, Act.10: Agabus & alij prædixisse famem, Act. 11: & Paulo captiuitatem, Act.21 dicuntur. Et Paulus ipse asserit, spiritum sanctum per singulas ciuitates testificari de uinculis et afflictionibus suis: quo apertè indicat, in singulis ciuitatibus aliquos dono prophetiæ præditos fuisse. Act or. 20. De donis etiam illis Paulus concionatur 1 Corinth. 12. Diuisiones donorum sunt, sed idem spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, & idem Dominus: & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Vnicuiq; uerò datur manifestatio spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uerò sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij uerò fides per eundem spiritum, alij uerò dona sanationum per eundem spiritum, alij uerò efficaciæ potentiarum, alij uerò generum linguarum, alij uerò interpretatio linguarum: sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, diuidens peculiariter unicuiq; sicuti uult. Et Rom. 12. Ephes. 4. & 1 Petri 4.

Visionibus etiam diuinis tum Apostolos tum alios quoq; Deus monuit, de rebus magnis & necessarijs. nã Deus uisione docet Petrum de gentiũ uocatione, Act. 10. Paulum per uirum Macedonem uocat in Macedoniam. Act.16. Eidem per uisionem noctu Corinthi dicit: Noli timere, loquere, & ne taceas, propterea quòd ego sim tecum: & nemo adorietur te, ut affligat te, Act.18. Dominus nocte assistens Paulo, consolatur eũ, Act. 23. Angelus Domini Paulo naufragium prædixit, Act.27. Idem per reuelationem Christi accepit suum Euangelium, Gal.1. estq; raptus in Paradisum & tertium cœlum, & audiuit arcana uerba: 2 Cor. 12. & iuxta reuelationem ascendit Hierosolymam, Gal. 2. Stephanus uidet Iesum stantem à dextris Dei, Act. 7. Dominus per uisionem locutus est ad Ananiam, Act.9. Angelus Domini Cornelio Dei uoluntatem de accersendo Petro reuelat, Act.10. Per reuelationẽ ecclesia Hierosolymitana ante excidium in oppidum Pellam euocata scribitur. Euseb.3 cap.5.

Inter Apostolos & alios presbyteros & ecclesiæ ministros alij mariti fuerunt: alij uerò dono castitatis præditi, ut essent expeditiores ad ministerium & peregrinationes, à re uxoria abstinuerunt. Nam cæteros Apostolos & fratres Domini, & Cepham seu Petrum, uxores habuisse, easq; secum circumduxisse, Paulus testatur 1 Cor. 9. & Clemens etiam 3 Stromatum, referente Eusebio, narrat de coniugio Philippi, qui duas filias uiris in matrimonio elocarit. & 7 Stromatũ, de martyrio coniugis Petri elegantem recitat historiam. Iubet etiam Paulus presbytetos & diaconos coniuges ad ministerium legi & ordinari: 1 Timoth. 3. Paulus uerò ipse & Barnabas uidentur à matrimonio abstinuisse: 1 Cor.7 & 9. Quanquam Clemens 3 Strom. ex Philip. 3 colligat, Paulum compatrem germanum habuisse.

Cæterùm alij, nempe auditores, &, ut uulgo appellantur, Laici, passim fratres & discipuli Domini dicuntur, & in epistolis Pauli sancti uocantur: Christiani uerò appellari cœperunt primùm Antiochiæ, Act.11. Euseb.2.cap.2 & 3. Petrus uidetur tamen ecclesiæ cœtum appellare clerum & gregem Christi: 1 epistola 5.

DE RATIONE AC FORMA gubernationis.

Communia Apostolorum & prophetarum, euangelistarum, pastorum, doctorum, presbyterorum, diaconorum, hæc fuerunt opera.

Docuerunt ecclesiam de singulis doctrinæ Christianæ capitibus purè & sincerè. nam Apostolos passim docuisse, Hierosolymis & in alijs locis, constat ex Actis Apostolorum, eorumq; epistolis. Prophetas docuisse Antiochiæ, patet ex Act.13 & 15. nam Iudas & Silas prophetæ confirmarunt fratres. Diaconos etiam docuisse, ex Act.6 & 8 patet. Episcopos seu presbyteros idoneos ad docendum ordinari præcipit Paulus 1 Timoth.3. & Tit.1. Idem 1 Tim.5. presbyteros in sermone & doctrina laborare dicit.

Sacras autem scripturas sunt interpretati, & ex ijs annunciarũt Iesum esse Christũ. Sic Apostoli in omnib. suis concionibus, Act.2.3.4. & in scriptis suis allegant sacram scripturam: & Philippus Act. 8. Eunucho ex Esaia prædicat Christũ. Et Paulus Rom. 9.13.17.4.26. 28. Et Apollos Act. 18 reuincebat Iudæos publicè, ostendens per scripturas, quòd Iesus esset Christus. Et Paulus Timotheo & alijs omnibus præcipit, ut attendant lectioni: 1 Tim. 4. & 1 Cor. 14. omnes prophetare, hoc est, sacras prophetias enarrare optat.

Tradiderunt catechismum. Gal.6. Communicet autẽ qui catechisatur sermone, ei qui se catechisat in omnibus bonis.

Rectè secuerũt sermonem ueritatis in Legem & Euangelium, 2 Timoth.2.

In docendo usurparunt formas sanorum uerborum, quas Apostoli à Christo, & alij ab Apostolis audierunt: 2 Timot. 1. Locuti sunt ea quæ decebant sanam doctrinam. Tit.1. Stultas & ineruditas quæstiones respuerunt, prophanas uocũ inanitates prætermiserunt, pugnas uerborum non sunt secuti: 1 Timot.4.6. 2 Timot.2. Iudaicas & aniles fabulas reiecerunt. 1 Timot. 4. & ad Titum 1.

In docendo etiam & scribendo simplici genere sermonis usi sunt: 1 Cor.2. 2 Cor.11. Eadem etiam non piguit eos sæpius tum in concionibus, tum in scriptis

repetere & inculcare: Philip.3.2 Pet.1. Prudentia ea in docendo usi sunt, ut imbecillibus non traderent, quorum nondum essent capaces: 1 Cor.3. Si Iudæis concionati sunt, principiò ex scriptura docuerunt, Meßiam oportere pati & resurgere à mortuis: & postea ea omnia applicarunt ad Iesum Nazarenum. patent hæc ex Act. 9.17.26.28. Cum uerò gentibus concionantur, plerumq; exordium sumunt à simulachris eorum quæ negant eße Deos, & doctrinam de uero Deo subijciunt. ut Act.17. Diligenter etiam inter ea quæ ex uerbo & mandato Dei dixerunt, & ea quæ secundum hominem aut suum consilium tradiderunt, distinxerunt: 1 Cor.6 & 9. & 2 Cor.1.

Studuerunt puritatem doctrinæ conseruare, 1 Timoth.6. Serua depositum. 2 Timoth.1. Egregium depositum seruato per Spiritum sanctum.

Acriter sese opposuerunt falsis doctoribus & hæreticis, eorumq; dogmata falsa refutarunt. nam Stephanus Act. 6 refutauit eos qui erant è synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, & Cilicum, et Asianorum. Et Paulus in Damascena synagoga disputando confundebat Iudæos, negantes Iesum Nazarenũ eße Meßiam. Act.9. Paulus & Barnabas & cæteri pij doctores in Antiochena Ecclesia, pseudoapostolos legis Moysaicæ obseruationem esse necessariam ad salutem asserentes, grauißimè refutarunt. Act.15. Idem etiã Petrus & Iacobus & alij presbyteri in synodo Hierosolymis congregati faciunt, Act.15. & in epistola Synodali apertè pronunciant pseudoapostolos turbatores, labefactantes animas, & à uera sententia Apostolorum aberrantes. Ibidem. Et Paulus Athenienßium erroneas infringit opiniones de ignoto Deo, Act. 17. Apollos etiam refutaße Iudæos dicitur, Act.18. Constat præterea ex epistolis Apostolorum, quòd falsa dogmata impugnarint & refutarint. nam Petrus 2 epistola 2, pseudodoctores & Antichristi socios uiuis coloribus depingit: & 2 epistola 3, contra illusores extremi diei & resurrectionis mortuorum pugnat. Ioannes etiam 1 epistola 2 & 4, & 2 epistola, Antichristi spiritum describit, eiusq; dogmata refutat. Paulus quoq; in omnibus epistolis suis oppugnat & expugnat pseudoapostolos. Rom.16, tota epistola ad Galatas, 2 Cor.10.11.12.13. Philip.3. negantes resurrectionem, 1 Cor.15. 2 Timoth. 2. Tradentes doctrinas hominum, Colos.2. Tit.1. tradentes doctrinas dæmoniorum, 1 Timoth. 4. Antichristum, 2 Thes.2. & similes, de quibus suprà in loco de Hæresibus dictum. Alios uerò idem feciße facilè est existimare, cum Paulus iubeat Titũ eiusmodi ordinare presbyteros, seu episcopos, qui posßint contradicentes conuincere, eisq; ora obturare, Tit.1. Et crudire eos qui obsistunt, 2 Timot.2.

Concionati sunt pœnitentiam: hoc est, peccata & peccatores redarguerunt & increparunt, denunciata ira Dei super eos, nisi resipiscant. nam Apostoli Act.2. 3 & 4, Iudæis apertè obijciunt hoc peccatum, & ob id eos arguunt, quòd Iesum Nazarenũ, iustum & sanctũ, filium Dei et Meßiam occiderint. Et Stephanus Act. 7 eos occisores & proditores Meßiæ appellat. Petrus Ananiam & Sapphiram ita obiurgat, ut statim extinguantur; Act.5. Idem grauiter obiurgat Simonem magum, Act. 8. Paulus Elymam magũ, obiurgatione sua excæcat, Act.13. Idem etiam grauiter Petrũ intempestiuè Iudaizantem inter gentes reprehendit, Gal.2. Idem in omnib. suis epistolis taxando uitia, concionatur pœnitentiũ: ut Corinthijs, 1 Cor.1. 4.5. 6. 7.11.15. Galatas ctiã grauiter & duriter ob defectionẽ à pura doctrina Euangelij cõpellat, Gal.1.3.4. Timotheũ etiam iubet, peccantem coram omnibus arguere: 1 Tim.5. & instare tempestiuè & intempestiuè, arguendo & increpando: 2 Tim.4. & Titum iubet seueriter Cretenses argue re, cum omni præcipiendi studio: Tit.1 & 2.

Erga obstinatos acerbiores, erga sanabiles uerò peccatores mitiores fuerunt in obiurgãdo. Nam Paulus inquit 1 Cor.4. Vultis ne cum uirga ueniam, an cum charitate, & spiritu lenitatis? Idem 1 Tim.5. Seniorẽ ne seuiius obiurges, sed adhortare ut patrem. Idem 2 Cor.5 liberum sibi & alijs ecclesiæ ministris esse dicit, siue modestè agant, siue grauiter & acerbè peccatores trahent concione pœnitentiæ.

Concione legis contritis remißionem peccatorum annunciauerunt, ut patet ex Act.2.3.10 & 13.

Falsos doctores, ab hæresi admonitos discedere nolentes, & notorios & contumaces peccatores, excommunicarunt. nam Paulus Hymenæũ & Alexandrũ maledicentes, tradidit Sathanæ: 1 Tim.1. Phygelũ & Hermogenem & Asianos, 2 Tim.1. Hymenæũ & Philetũ, 2 Tim.2. Idem Tito etiam præcipit, ut hæreticũ hominẽ post unam atq; alteram admonitionem uitet. & Timotheum iubet seiungi à falsis fratribus: 1 Tim. 6. Et Ioannes epistola secunda, doctrinam Christi non afferentes, excommunicari præcipit.

Paulus etiam Corinthiũ incestuosum Sathanæ tradi iubet, & excludi: 1 Cor.5. pseudoapostolos excommunicat, Galat.1.

Pœnitentiam agentes receperunt, 2 Cor.2. & instaurarunt spiritu lenitatis, Gal. 6. & Paulus Onesimum seruum fugitiuum Philemonis, sese emendantem suscepit, & Domino suo remisit.

Iustificatos cohortati sunt, ut facerẽt bona opera, et cauerẽt sibi à peccatis. testãtur hoc concliones et omnes epistolæ Apostolorum: et memorabile est, quòd cũ concionantur de cauendis peccatis, plerũq; soleant taxare communia nationũ uitia. Nam eo iubet Cretẽses obiurgari seuerius, quòd uitio mendacij laborẽt: Tit.1. Idem Galatas stultos appellat, Gal.3. Romanos cum nosset ese arrogãtes, & primatũ affectãtes, adhortatur ut sint studiosi humilitatis, et se nõ efferãt super alios: Ro.12. Cõstanti & cõfidenti animo in suo ministerio sunt uersati, et pro Euãgelio nõ dubitarũt quæuis, deniq; ipsam oppetere mortẽ. Cõprobantur hæc exẽplis Apostolorum, Act.3.4.5. Et Stephani, Act.7. et Pauli, Act.21. Et Paulus 1 Cor.4 & 2 Cor.6 & 11. 2 Tim.3. Idem etiam cohortatur Timotheum, ut & ipse patiatur ob Euangelium: 2 Tim.1 & 3 & 4.

Nõ hominibus adulati sunt, nec studuerũt ijs placere, sed Deo, & habuerunt semper ob oculos iudiciũ extremum, 2 Cor.4. Gal.1.1 Thess.2.

Dilexerũt ecclesias tanquã filios suos: 2 Cor.12. Nõ quæro quæ uestra sunt, sed uos. Non enim debẽt filij parentibus recondere, sed filijs parentes. Ego uerò libentißimè impendam & expendar pro animabus uestris: licet uberius uos diligens, minus diligar.

Consola-

Cõsolati sunt & afflictos in cruce, & hortati eos ad patientiã & constantiã: ut facit Petrus 1 epistola 1.2.3. 4. & Ioannes 1 epistola 3. Et Paulus & Barnabas, Act. 14. Idem Paulus Thessalonicenses, Ephesios, Philippenses & alias ecclesias, passim in epistolis suis consolatur, & ad constantiam hortatur. Idem etiam autor epistolæ Iacobi facit, 1 & 5 capitibus, & autor epistolæ ad Heb. 10 & 12.

Baptizarunt. nam Apostoli baptizarũt Iudæos conuersos, Act. 2. Philippus baptizauit Samaritanos, & Eunuchum: Act. 8. Ananias baptizat Saulum, Act. 9. Petrus & eius collegæ Cornelium, & familiam eius: Act. 10. Paulus & Silas baptizarunt custodem carceris, cum familia sua: Act. 16. Paulus baptisauit Ephesios, Act. 19. Idem Crispum & Gaium, et familiam Stephanæ se baptizasse dicit, 1 Cor. 1.

Cœnam Dominicam administrarunt, Act. 2 & 20. & 1 Corinth. 11.

Ecclesia eligente & suffragante, presbyteros & diaconos, si opus fuit, ordinarunt: ut patet ex Act. 6. 14. et 1 Tim. 3 & 5. Tit. 1.

Ceremonias ad ædificationem ecclesiæ & bonum ordinem & decorum necessarias ordinarunt, 1 Cor. 14. De rebus mediis consilia tantum, & non decreta obligantia conscientias proposuerunt: 1 Corinth. 7. Abusus etiam si qui subrepserunt, abrogarunt. Sic Paulus abrogat prauam consuetudinem Corinthiacarum mulierũ, nudo capite in cœtu uersantium et orantium: 1 Cor. 11. & cœnæ Dominicæ prophanationem, 1 Corinth. 11. et ignotæ linguæ usurpationem, & ἀταξίαν, quam committebant, cum plures simul absq; ordine in Ecclesia loquerentur: 1 Cor. 14.

Precationibus incubuerunt tum in cœtu, tum priuatim: Act. 6. Et Paulus in omnibus ferè epistolis se pro Ecclesiis orare ostendit.

Bono exemplo alijs præiuerunt: 1 Pet. 5. Vt sint exemplaria gregis. Et Paulus iubet Philippẽses sui imitatores esse. Philipp. 3. Idem suum etiam exemplum proponit presbyteris Ephesinis, Act. 20. Idem hortatur Titum, ut præbeat se formam bonorum operum: Tit. 2.

Visitarunt ægrotos: epistola Iacobi 5.

Nusquam iurisdictiones politicas & dominia ministri ecclesiæ affectasse dicũtur. imò Petrus, 1 Pet. 5 aperte prohibet, dominia in clerum exercere. Et Paulus dicit, se non dominari Corinthijs: 2 Corinth. 1. & 2 Cor. 8. Non secundum imperium loquor: sed quoniam alij tam prompti sunt, probo uestram quoq; charitatem, uerã ne sit, &c. Item: Consilium in hoc do, quoniam conducit uobis. Idem Apostolos & alios, seruos & ministros Ecclesiæ esse, & non dominos publicos, monet 1 Corinth. 3 & 4.

De synodis priuatis.

Præter illos congressus, quos celebrarunt docendi gratia, & administrandi Scramenta, & baptizandi, etiam alias synodos priuatas, si necessitas postulauit, coluerunt. Solebant autem in ijs tum presbyteri, ut Act. 21, tum etiam tota ecclesia conuenire, ut Actor. 14 & 15. in eiusmodi autem conuentibus tractarunt de rebus siue ad doctrinam, siue ad gubernationem ecclesiæ pertinentibus. Nam Antiochiæ in synodo tractarũt de doctrina pseudoapostolorũ, et de ablegatione Pauli et Barnabæ ad Apostolos & presbyteros Hierosolymitanos. Act. 15.

In ijs etiam legerunt literas siue ab Apostolis, siue ab alijs scriptas. nam Paulus & Barnabas, & Silas & Iudas, Hierosolymis Antiochiam reuersi, congregata multitudine, reddiderunt epistolam synodi Hierosolymitanæ: eamq; cùm legissent, gauisi sunt omnes super consolatione. Act. 15. Et Paulus præcipit, ut Colossenses curent epistolam ad se scriptam, etiam in Laodicensium ecclesia recitari, & Laodicensium literas ipsi quoque legant. Colos. 4. Idem adiuratione adstringit Thessalonicenses, ut epistolam suam omnibus sanctis fratribus recitent: 1 Thess. 5.

Audierunt etiam in ijs fratres aliunde aduenientes, si quid uoluerunt ad totam ecclesiam referre. nam Paulus & Barnabas ab ecclesia Antiochena ablegati, iussu spiritus sancti cum eò reuertissent, congregata ecclesia, retulerunt quæcunq; Deus secum fecisset: Act. 14. Paulus etiam cum Hierosolymam uenisset, intrabat ad Iacobum cum suis, & conueniebant omnes presbyteri: quibus salutatis, narrat quæ Deus fecisset inter gentes per ministerium suum. Illi glorificabant Dominum, & persuadebant Paulo, ut propter Iudæos credulos, qui offensi essent, quòd audissent Paulũ passim Iudæis persuadere ut Iudaismum abijciant, iuxta legem Moysi se se cum alijs purificaret, & re ipsa testaretur, se legem custodire. Act. 21. Contulisse etiam eos in eiusmodi congressibus de doctrina, constat ex Gal. 2. ubi Paulus Hierosolymam se abijsse, & priuatim cum ijs qui in precio fuerint contulisse narrat. Vidẽtur etiam in eiusmodi congressibus tractasse de excommunicandis notoriè sceleratis, 1 Cor. 5. Item de eligendis & ordinandis ministris ecclesiæ, Act. 14. Exercuerunt in ijs iudicia ecclesiastica. 1 Timoth. 5: Aduersus presbyterum accusationem non admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. eos qui peccant, coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Iudicarunt etiam de cõtrouersijs fratrum, ne opus haberent litigare sub infidelibus.

Nec est dubium, quin in eiusmodi synodis, cum de doctrina agendum fuit, secundum sacras literas & scripta Apostolorum iudicarint: iudicijs uerò Ecclesiasticis, et de conuersijs fratrum, uerisimile est eos secundum Canones siue sententias Apostolorum, quos postea subijciemus, sententias tulisse.

De bonis ecclesiae.

Hierosolymitana ecclesia in initio, siue ob ardentem et mutuam inter se inuicem dilectionẽ et coniunctionem, siue persequutorum iniuriam, commune habuit ærarium, in quod liberè suas res contulerunt ad communem usum. Ei ærario præfuerunt primò Apostoli, ut distributores communes. at cum crescente multitudiue, nõ simul posset mensis ministrare, & uacare concionibus et precationibus, cum Ecclesiæ consensu septem uiros spectatæ probitatis, plenos Spiritu sancto et sapientia, crearunt Diaconos, quos ei rei præfecerunt. Diú ne ea rerum cõmunio Hierosolymis durarit, non admodum liquet.

Stephano interfecto, cum increbresceret persequutio, omnes quidem dispersi, præter Apostolos, dicũtur: Act. 8. Et Philippus, unus ex septem, Cæsareæ fuisse dicitur,

citur, Act. 21, cum Paulus postremò iret Hierosolymã. Sed an reliqui diaconi manserint Hierosolymis, aut alij sint substituti, an uerò communio rerum eo tempore cessarit, incertum est. Ex eo autem, quòd discipuli Antiocheni sub Claudio fratribus in Iudæa habitantib. subsidium miserunt per manum Barnabæ & Sauli, Act. 11. & quòd Paulus Hierosolymam ad sanctos collectam attulit, Rom. 15. & Act. 24, colligi posse uidetur, eos adhuc rerum communione eo etiam tempore usos esse. Sed cum in pauperes ea collata dicantur Gal. 2, suum cuiq; hac in re relinquimus iudicium.

In alijs ecclesiis similem rerum communionem fuisse, neq; historiæ meminerũt, neq; aliàs probari potest. Constat enim, Romanos res proprias tenuisse, Rom. 12. Et Corinthios, 1 Cor. 6. & Gal. 8. & Ephesios, 4. & Philipppenses, 4. & Colossenses. 4. & Thessalonicenses, 1 Thes. 2 & 4. 2 Thess. 3. Et alias ecclesias, ut patet ex 1 Timoth. 6, ubi diuitibus præscribit regulam de usu suorum bonorum. Ioannes etiam rerum proprietatẽ probat 1 epistola 3. Idem, autor etiam epistolæ ad Hebr. 13, & autor epistolæ Iacobi 2 facit.

Eusebius li. 1. cap. 16 conatur ex Philone affirmare, Christianos Alexandrinos per Marcum conuersos, omnes res habuisse communes: uerùm ea non de Christianis, sed de Essæis quibusdam uerius, scripta à Philone uidentur. Nam rationes, quas Eusebius profert ad probandum quòd Philo de Christianis ista scripserit, coniecturæ tantum sunt.

Sed tamen ecclesias sua communia æraria habuisse, in quæ uiritim in publicis congressibus singuli pro sua facultate contulerunt, patet ex Act. 11. Gal. 2. Rom. 15. 1 Cor. 16. 2 Cor. 8 & 9. Meminit etiam Petrus eleemosynarum Ecclesiæ, 2 Pet. 2. & Paulus 1 Tim. 5. ecclesiis sua bona esse indicat.

Præfuisse autem eiusmodi ærarijs certos homines ab Ecclesia constitutos, non est dubium, siue ij diaconi, siue alij fuerint. Apostolos, ut Paulum: & presbyteros seu episcopos, ut Timotheum, & similes, in distributione & collocatione pecuniæ cõmunis ærarij, suũ quoq; edidisse consilium, patet ex 2 Corinth. octauo. & 1 Timoth. quinto, ubi Paulus iubet Timotheũ curare, ne ecclesia oneretur in alendis uiduis, quibus aliàs suppetat, aut quæ habeant suos familiares, à quibus sustentari possint.

Ex communi autem ærario stipendia suppeditarũt Apostolis. nam Philippẽses Paulo sumptus suggessisse, & Thessalonicam etiam ei, & postea Romam per Epaphroditum misisse, dicuntur Philipp. 4. Alios etiam ministros Ecclesiæ inde aluisse uidentur Gal. 6. 1 Tim. 5. Dominus enim ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuant. Viduas egenas et senio confectas, Ecclesiæ sumptibus alendas, Paulus 1 Tim. 5 præcipit. Etiam in alios pauperes sanctos, tum domesticos, tum etiã in alijs locis, ut in Hierosolymitanos, ex communi ærario contulerunt eleemosynas: Act. 11. Gal. 2. Rom. 15. 1 Cor. 16. 2 Cor. 8 & 9. Qualia & quanta stipendia ministris Ecclesiæ sigillatim sint data, non definitur. Sed si secundum ordinationem Domini 1 Cor. 9. & præcepta Pauli 1 Timot. 5, & Gal. 6 ecclesiæ fecerunt, tantum illis dederunt, ut se & familiam suam sustentarint, 1 Cor. 9. & uictum & amictum & omnis generis bona habuerint, 1 Timoth. sexto. Galat. 6.

Apostolos alia stipendia ab Ecclesiis accepisse, constat ex 1 Cor. 9. Paulus uerò à Corinthijs & Achæis, ne quod daret scandalum, aut uideretur ob pecuniam docere Euangelium, nihil accepit: 1 Cor. 9. Sed ab alijs Ecclesiis se stipendium accepisse, 2 Cor. 11 narrat: Cæteras Ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipendio, quo uobis inseruirem. & cum apud uos essem, & egerem, non onerosus fui cuiquam. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui uenerant à Macedonia: et in omnibus sic me seruabam, ne cui essem onerosus, atque ita seruabo.

Nec Apostolos, nec alios pios ministros turpiter lucri fuisse studiosos, exemplum Pauli & Titi probat 2 Corinth. 12. Et Pauli, Aquilæ & Priscillæ, qui suo labore, nempe textura, uictitabant Corinthi: Act. 18. Et quòd Petrus 1 epist. cap. 5. & Paulus 1 Timoth. 3 & 6, & Act. 20 studium lucri & pecuniæ prohibent, & cum notam auaritiæ pseudoapostolis tribuunt: 1 Pet. 2. Tit. 1. 2 Corinth. 11.

DE BIBLIOTHECIS.

Bibliothecarum in scriptis Apostolorum mentio non incidit: sed non est dubium, cum Iudæi librorum sacrorum fuerint diligentes custodes, & cum in synagogis per singula sabbata legerint Moysen, Act. 15. & 17, eos iam Christianos factos, etiam operam in scribendis & reponẽdis libris tum propheticis, tum Euangelistarum & Apostolorum nauasse.

Ecclesiam Corinthiacam propheticos libros legisse, patet ex 1 Corinth. decimoquarto. Quatuor Euãgelistarum monumenta, & epistolæ Pauli & Petri ac Iohannis cum in Ecclesiis legi sint solitæ, facile æstimari potest, in bibliothecis eiusmodi libros asseruatos & custoditos esse.

Constat etiam, Paulum librorum fuisse studiosum. Nam 2 Timoth. 4, Timotheum iubet secum Romã apportare libros, maximè autem membranas.

Bartholomæum Indis Euangelium prædicasse, ibiq; Euangelium Matthæi Hebraicè scriptum reliquisse. Eusebius narrat lib. 5. cap. 10.

DE SCHOLIS.

Iudæos suas scholas habuisse, in quibus iuuentutem in sacrarum literarum studio informarunt, dictum est libro superiori. Gentes etiam suas Academias, in quibus artes & philosophiam tradiderunt, habuisse, constat ex Act. 17, ubi Athenienſium philosophorum cum Paulo disputantium mentio fit. Et Tyrannus scholam Corinthi habuisse dicitur, Act. 19. Cæterum facilè existimari potest, Iudæos & gentes conuersos, suas synagogas in scholas Christianas commutasse: & quidem Paulus in schola Tyranni cuiusdam Corinthi disputasse, & suos discipulos erudijsse dicitur, Act. 19. Et Paulus meminit congregationis, quæ sit in domo Aquilæ et Priscillæ, Rom. 16. & 1 Corinth. 6: & quæ sit in domo Nymphæ, Colossenſium. 4. Congregationis quæ sit in domo Philemonis, in epistola ad eundem: quæ quidem Ecclesiæ uidentur quasi domesticæ scholæ fuisse. nam Aquilam & Priscillam Apollo instituisse exactius Act. 18 dicitur: & literæ ad Philemonem non ipsi tantum, sed etiam

tiam Archippo et Aphiæ inscribũtur, qui ei scholæ fortè unà præfuerunt.

Scholas ecclesiasticas singulos Apostolos, ubicunq; locorum egerint, aperuisse, non tantum eo uidentur, quòd passim in synagogis docuerunt: sed etiam, quòd suos semper habuerunt discipulos, quos in sacris literis instituerunt, & ad ministerium præparārunt. Paulus enim se Timotheum docuisse testatur, 2 Timoth. 3: Tu assecutus es doctrinam meam, & institutionem. item, Sciens à quo didiceris. Eam consuetudinem Paulus etiam Timotheo commendat, cum 2 Timoth. 2 inquit: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei ut alios quoque docēant.

Alexandriæ ab antiquo scholam fuisse, Eusebius libro 5 cap. 9 testatur: fortè cum Marcus ibi Ecclesiam collegit, philosophis & Iudæis ad Christianismum conuersis, schola illa Ethnica seu philosophica in Christianam commutata est.

De plvrivm ecclesiarvm per Apostolos eorumque collegas regimine.

Communem plurium Ecclesiarum, siue in una, siue in pluribus prouincijs sitarum gubernationem, administrabant duodecim Apostoli, qui ita etiam erant uocati à Christo, ut ecclesias colligerent & constituerent non modò in Iudæa, sed in toto orbe terrarum, Act. 1 & 10. & alij uiri docti, donis linguarum & miraculorum insignes: quales fuerunt Paulus apostolus, Barnabas, Iudas, Silas, Philippus, Ioannes, Marcus, Titus, Timotheus, Artemas, Tychicus, Apollo, Zenas, Philemon, Archippus, Epaphras, Aristarchus, Demas, Lucas, Ephaphroditus, Clemens, Iunias, Andronicus, Priscilla, Aquila, Apollo, Sosthenes, Siluanus, & alij plures, quorum passim fit mentio in epistolis Pauli, & in Actis. Sunt qui plerosq; ex his referant inter Septuaginta Christi discipulos: sed Septuaginta discipulorum catalogum nusquam reperiri annotatum, Eusebius indicat: & plures quàm septuaginta fuisse, probat ex eo, quòd Paulus dicat, Christum à pluribus quàm quingentis fratribus, præter Apostolos, esse uisum: 1 Corinth. 15. Act. 1. fit mentio 120 congregatorum, & uirorum, qui cum Christo à baptismo Ioannis conuersati sunt.

Certos ierò inter hos gradus seu maioritates non reperias. nam Apostoli sese inuicem fratres appellant. Petrus enim Iacobum non archiepiscopum, sed fratrem appellat, Act. 12. Paulum dilectum suum fratrem uocat 2 Pet. 3. Et Paulus nullo titulo prærogatiuæ cuiusdam Petrum, Iacobum aut Ioannem ornat Galat. 2. Idem se minimum quidem apostolum 1 Corinth. 15, sed magnis Apostolis non inferiorem 2. Corinth. 11 dicit. Idem Corinthios grauiter obiurgat, quòd alij Paulum, alij Apollo, alij Cephan tanquam excellentiorem iactitarent: & docet omnes esse ministros Christi. Et Petrus Marcum filium suum, & Siluanum fideles suos fratres appellat. Et Paulus Epaphroditum nominat suum fratrem & collegam, & commilitonem suum, apostolum uerò Philippensium: Philip. 2. & Clementem & alios cooperarios suos, Philipp. 4. Epaphram conseruum suum, & fidum Christi ministrum, Colossens. 1. Tychicum etiam fratrem, & fidum ministrum, & conseruum suum, Coloss. 4. Aristarchum concaptiuum suum, Coloss. 4 Priscam & Aquilam adiutores suos in Christo, Rom. 16. Andronicum & Iuniam concaptiuos suos, & insignes inter Apostolos, Rom. 16.

Porrò Apostoli eorumq; collegæ non solebant in uno aliquo semper residere loco, ibiq; docere, sed ex alio in alium transibant locum: & ubi non erat annunciatus Christus, prædicabant Euangelium, & colligebant constituebantq; ecclesias, creatis & constitutis oppidatim presbyteris & diaconis. Nam ex Act. 8 patet, Philippum Samariæ prædicasse Christum, & collegisse ecclesiam: & dispersi fratres ob persecutionem in Stephanum & alios motam, usq; ad Phœnicen & Cyprum & Antiochiam propagarunt Euangelium, Act. 11. Viri Cyprij Antiochiam ingressi, etiam ibi colligebant Ecclesiam, quæ aduentu Barnabæ & Pauli confirmata & ampliata, in numerosam excreuit multitudinem, adeò ut discipuli eo in loco primùm Christiani appellarentur: Act. 11. Paulus & Barnabas emissi ad gentes, collegerunt passim ecclesias, ijsq; crearunt presbyteros, Act. 13 & 14. Sic Barnabas & Marcus in Cyprum nauigarunt, & alia loca, constituturi ecclesias, Act. 15 & 16. Et Paulus ab Hierosolymis usq; ad Illyricum ecclesias plantasse se commemorat: & quòd soleat ibi docere Christum, ubi antea non sit annũciatus, indicat Rom. 15. & 2 Corinth. 10. Alij Apostoli etiam alijs in locis constituerunt ecclesias. nam Eusebius libro 3 capite 1 ex traditione commemorat, Thomam Parthiam sortitum esse, Andream Scythiam, Ioannem Asiam, Petrum in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia, & Romæ prædicasse. Idem libro 2 capite 16 Marcum ad Aegyptum missum, Euangelium prædicasse, & Alexandriæ ecclesias constituisse narrat. Nicephorus libro 2 capite 43, etiam apud Cyrenæos eum ecclesias construxisse, & clerum & episcopos & alia necessaria ritè & ordine constituisse dicit. Idem etiam libro 2 cap. 39 Philippum & Bartholomæum in Syria & Asia ecclesias constituisse, & sacerdotes ac episcopos eis præfecisse: & eodem libro capite 40, Thomam in Aethiopia, Parthia, Media, Taprobana, ecclesias plantasse commemorat. Eusebius lib. 5 cap. 10 Bartholomæum in India Euangelium prædicasse dicit.

Porrò ea in re Apostoli ministeriò suarum collegarum usi sunt. Nam quum Paulus in Creta plantasset Euangelium, & aliò properaret, reliquit ibi Titum, ut oppidatim presbyteros constitueret: ad Titum 1. Et Timotheum etiam instituit priori epistola, quomodo in Ecclesia uersari debeat. Nicephorus libro 3 capite 1 narrat, successores Apostolorum, relictis rebus suis, aut in pauperes distributis, profectos esse ad gentes nondũ conuersas, ijsq; tradidisse Euangelium, & hinc inde ecclesias constituisse.

Cæterùm quòd Apostoli inter se sortiti sint orbis terrarum prouincias, Eusebius libro tertio capite primo leuiter uidetur innuere ex traditione: uerùm historiæ ipsæ testantur, ijsdem in prouincijs & locis plures Apostolos, tum uno & eodem tempore, tum diuerso Euangelium plantasse, & ecclesias constituisse. Nam duodecim Apostolos unà Hierosolymis,

etiam post Stephani mortem, dispersis alijs, mansisse, Act. octauo dicitur. Eusebius libro 5. capite 18 ex Apollonio refert, quòd Dominus præceperit Apostolis, ne ante duodecimum annum Hierosolymis discederẽt: quod licet non exactè congruat cum historia, nam & infra illos annos Hierosolyma discessisse significantur, & post duodecimũ Christi annum in concilio ibi fuisse pleriq; memorantur Actor. 16. Galat. 2: tamen in eodem loco simul aliquandiu fuisse & mansisse indicat. In Samaria simul Petrus & Ioannes & Philippus diaconus docuerunt, Actor. 8. Antiochiæ etiam uiri Cyprij & Cyrenenses, & Paulus & Barnabas, Agabus, Simon Niger, Lucius Cyrenensis, Manahen, Actor. 11 & 13. Silas & Iudas, Actor. 15. & Petrus Galat. 2. docuisse commemorantur. In Epheso Paulus Actor. 19, Timotheus & Tychicus Ephes. 6, & Ioannes apostolus Eusebio lib. 3. cap. 1. ecclesiam plantasse dicuntur.

In Corintho etiam plures docuerunt, Paulus, Apollo, Cephas: 1 Corinth. 4. & Titus, 2 Corinth. 12. Romæ etiam plures reperiuntur. nam ibi sunt Andronicus & Iunias præcipui inter Apostolos. Item Priscilla & Aquila, & alij, Rom. 16. Venit etiam eò Paulus captiuus, & biennium in suo conducto fuit, Actor. 18. Petrum etiam circa finem uitæ Romam uenisse, & crucifixum esse, Eusebius libro tertio, capite primo, & alij prodiderunt.

Libri cognitionum Clementis, Barnabam primùm Romæ ecclesiam plantasse narrant.

In Asia Ioannes & Petrus docuisse dicuntur Eusebio lib. 3. cap. 1. Paulum etiam in Asia fuisse, Lucas testatur Act. 19 & 20. In Galatia Paulum fuisse, epistola ad Galatas testatur: & Petrũ etiam in eadem prouincia docuisse, epistola eius indicat.

Deinde non tantum erant plantatores & constitutores ecclesiarum Apostoli, sed etiam communes inspectores & uisitatores. Nam quòd soliti sint uisitare & confirmare. siue à seipsis, siue ab alijs institutas ecclesias, multis constat exemplis. nam Paulus & Barnabas reuertisse Lystram & Iconium & Antiochiam, & denuò confirmasse animas discipulorum propter obortam persecutionem dicuntur Actor. 14. Idem ad Barnabam dicit: Reuertentes iam, uisitemus fratres nostros per omnes ciuitates, in quibus annunciauimus sermonẽ Domini, quomodo se habeant: Act. 15. Facto dissidio inter Paulum & Barnabam, Paulus Syriam & Ciliciã perambulasse, & confirmasse ecclesias dicitur, Act. 15. Hanc ob causam tam crebras profectiones ad eundem locum Paulus suscepisse, passim in Actis commemoratur, ut uisitaret & confirmaret ecclesias. Act. 18. Profectus est perambulãs ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. Idem absque dubio alij Apostoli etiam fecerunt. Eusebius enim libro 3. capite 23 ex Clemente & Irenæo refert, Iohannem apostolum ex Pathmo reuersum, Ephesi moderatum esse ecclesias, & quasi communem inspectorem abijsse ad gentium loca, ut partim constitueret episcopos, partim totas ecclesias componeret, partim clerum ex his quos spiritus sanctus indicasset, sorte deligeret. Et Epiphanius affirmat, Petrum Pontum & Bithyniã sæpe uisitasse ob prædicationem Christi: libro primo, tomo 2.

In eiusmodi uerò uisitationibus ea quæ necessaria ad ædificationem tum in doctrina, tum in ceremonijs fuerunt, explicuerunt & ordinarunt. Nam Paulus se Corinthum uenturum dicit, ut pseudoapostolorum autoritatem probet, & schisma inter eos componat. 1 Cor. 4. ut malos obiurget & excommunicet, 2 Corint. 4 & 5. abroget ea quæ inordinatè fiebãt, & cætera dissonat, 2 Corinth. 11. Idem se Romam transiturum dicit cum plenitudine benedictionis Euangelij Christi, Rom. 15. Porrò quò ipsi non potuerunt peruenire, eò miserunt suos collegas, siue cum literis, siue absq; ijs: & per eos si quid in doctrina scrupuli haberent, ecclesijs exemerunt: si quid minus rectè fieret, abrogarũt: & si quid faciendum aut ordinandum esset, instituerunt, & alias res necessarias curarunt. Nam Petrus ad ecclesias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ, Syluanum misit cum literis, ut adhortaretur eos ad cõstantiam in agnita ueritate: 1 Pet. 5. Paulus Timotheum ad Corinthios misit, ut ijs in memoriam reduceret doctrinã Pauli, quemadmodum ubique in omnibus ecclesijs docebat. 1 Cor. 4, eundem etiam se ad Philippenses missurũ promittit, quò cognoscat statum rerum.

Eundem Timotheum etiam ad Thessalonicenses se misisse dicit, ut cõfirmaret eos, & consolaretur de fide sua, ne quisquam turbaretur in afflictionib. illis: 1 Thes. 3. Eundem Ephesi iussit remanere, & ibidem ecclesias instituere: 1 Timoth. 1. Per Titum etiam in Creta ecclesias inspici, & presbyteros oppidatim ordinari curauit Paulus, ad Titum 1. Per Titum & Lucam, et legatos ecclesiarum Christi, passim in ecclesijs collectas fieri curauit, Philip. 2. Ad Philippenses etiã misit Epaphroditum, ut ecclesia eum uideret, & gauderet: Philip. 2. Ad Colossenses Tychicum una cum Onesimo misit, ut exponerent ijs omnia quæ Romæ agerentur, & consolarentur corda illorum: Colos. 4. Eundẽ Tychicum etiam ad Ephesios Romæ è carcere ablegauit, ut certiores redderet eos de rebus Pauli, & consolaretur corda eorum.

Solebant etiam Apostoli cum suis collegis cõmunes literas ad ecclesiam scribere. nam Paulus & Sosthenes priorem ad Corinthios, 1 Cor. 1: posteriorem uerò Paulus & Timotheus, 2 Cor. 1 exararunt. Ad ecclesias Galatiæ Paulus, & omnes fratres, quos secum Romæ habuit (inter quos uidetur fuisse Epaphras, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, & alij, ut patet ex epistola ad Philemonem) communiter scripserunt: Gal. 1. Paulus, Syluanus & Timotheus, utramq; ad Thessalonicenses epistolam conscripserunt: 1 Thes. 1. 2 Thes. 1. Philemoni Paulus & Timotheus scripserunt: curarunt q; etiam literas suas in alijs ecclesijs legi: Col. 4.

Solebant etiam ecclesijs mittere fideles doctores, eosq; ijs commendare, & hortari ut eos susciperent & adiuuarent, ijsq; obtemperarent. nam Paulus de Timotheo ad Corinthios sic scribit: Quòd si uenerit Timotheus, uidete ut absq; metu sit apud uos. Opus enim Domini operatur, quemadmodum & ego. Ne quis igitur eum spernat, sed prosequamini eum cum pace, ut ueniat ad me. expecto enim illũ cum fratribus. Porrò de Apollo fratre multum adhortatus sum illum ut iret ad uos cum fratribus, et omnino non erat uoluntas nunc eundi: uenturus est autem, cum opportunitatem erit

erit nactus. Et paulo pòst his uerbis commendat eis Stephanæ familiam: Obsecro autem uos fratres, noſtis familiã Stephanæ esse primitias Achaiæ, et quòd in miniſteriũ ſanctis ordinarunt ſeipſos, ut & uos ſubditi ſitis talibus, & omni adiuuanti & laboranti. Ephesijs cõmendat Tychicũ: Eph. 6. Philippenſibus cõmendat Timotheũ: Spero aũt in Domino Ieſu, me Timotheum breui miſſurũ uobis, ut & ego læto ſim animo, cognito ſtatu ueſtro. Neminem enim habeo pari mecũ animo præditũ, qui germanè res ueſtras curaturus ſit. Nam omnes quæ ſua ipſorũ ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu. Porrò probationem eius noſtis, quòd ut filius mecũ ueluti cum patre ſeruierit in Euangeliũ. Hunc igitur ſpero me miſſurũ, mox ubi uidero mea negocia. Iiſdem etiam Epaphroditum remittit, addita commendatione: Philip. 2. Coloſſenſibus cõmendat Tychicum & Oneſimum, & Marcum conſobrinum Barnabæ, & Ieſum Iuſtum, ut qui ſint ex circumciſione, & ſoli cooperarij ad regnũ Dei, & ſolati ſint Paulum: Coloſ. 4. Tito cõmendat Artemam & Tychicum, & Zenam legiſperitum, & Apollo.

Eccleſiæ ſolebant etiam ſuos miniſtros ad Apoſtolos mittere, ut tum eos in cõmuni miniſterio iuuarent, tum res Eccleſiæ ad eos referrent, & ſiue in doctrina, ſiue in alijs rebus eorum audirent ſententiam, tum ſumptus eis offerrent. Nam Philippenſes Epaphroditum Apoſtolum ſuum miſerunt ad Paulum Romam, quum ageret in carcere, ut offerret ei ſumptus: Philip. 4. & ſubminiſtrant ei, quod etiam aliquandiu cum periculo uitæ fecit: Philip. 2. Corinthij etiam Stephanã & Fortunatum & Achaicum ad Paulum miſerunt, qui abſq; dubio Paulo cõmemorarent, quis eſſet eius eccleſiæ ſtatus, & rogarent ut ſcriberet ad Corinthios: 1 Cor. 16. Coloſſenſes Epaphram ad Paulum miſerunt, ex quo cognouit fidem eorum: Coloſ. 1. Manſiſſe autem eum etiam aliquandiu apud Paulum, apparet ex Coloſ. 4. cũ eius nomine ſalutat Coloſſenſes, & Philemonem in epiſtola ad eundem.

Si quid in eccleſijs minus rectè fiebat, referebatur id ad Apoſtolos, ſiue per literas, ſiue per nuncios. Sic familiares Chloe ad Paulum retulerunt de cõtentionibus quæ erant inter Corinthios, de inceſtuoſo Corinthio nondum excõmunicato, de litigatione coram infidelibus, de idolothytis, de mulieribus non uelatis, de cœnæ Dominicæ proſanatione, de ἀναϛάσει in congreſſibus publicis: de opinione quorundam, non fòre reſurrectionem mortuorum, & alijs rebus: 1 Cor. 1. Et uidentur Theſſalonicenſes etiam Paulo indicaſſe quorundam opinionem de iam inſtante extremo die, 2 Theſſ. 2. Et Paulus iubet eos per literas ſibi notari, qui non obediãt ſermoni Euangelij, 2 Theſſ. 3.

¶ Apoſtoli gerebant curam omnium eccleſiarum. nam Paulus 2 Corinth. undecimo: Incumbit mihi quotidiana cura omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non uror? nec tamen tantum quas ipſi plantarunt, ſed etiam aliarum quæ Apoſtoli non uiderunt. Inquit enim Coloſſ. 2: Volo uos ſcire, quantam ſolicitudinem habeam de uobis, & his qui ſunt Laodiceæ, & quotquot non uiderunt faciem meam in carne, ut conſolationem accipiant corda illorum.

Nõ dominabantur eccleſijs, 2 Cor. 2. nec ſemper imperioſe ijs mandabant pro autoritate, ſed interdũ per charitatem orabant. nam Paulus ad Philemonẽ ſic ſcribit: Quamuis multam in Chriſto fiduciam habeam iniungendi tibi id quod tui erat officij, tamen propter charitatem potius rogo, &c.

Si qua incidebat grauis inter Apoſtolos controuerſia, uocata ſynodo, & re diſceptata, communi decreto ſtatuebatur ex uerbo Dei, & non hominum proſopolepſia: eaq; communis omnium ſententia paſſim eccleſijs indicabatur per literas ſynodales, & legatos. Conſtant hæc ex Act. 15 & 16. cũ trãſirent ciuitates, tradebant eis ſeruanda decreta, quæ erant ordinata ab Apoſtolis & presbyteris qui erant Hieroſolymis.

Si quos Apoſtoli excommunicaſſent, etiam alijs ſignificabant, ut eos pro excommunicatis haberent, & uitarent. nam Paulus Timotheo de Hymenæi & Alexandri, 1 Timoth. 1. Hermogenis & Phygeli & Aſianorum, 2 Timoth. 1: Hymenæi & Phileti, 2 Timoth. 2: & Demæ, 2 Timoth. 4. defectione & excommunicatione indicat. Ioannes epiſtola tertia, Diotrephen primatum affectantem, & abutentem poteſtate clauium, accuſat.

DE CONSOCIATIONE IN una aliqua prouincia.

INter eccleſias ſingularum prouinciarum, unam aliquam ab Apoſtolis primam, & aliam ſecundam, aliam uerò tertiam, & ſic deinceps alias ordinatas eſſe, quarum ſuprema unà cum ſuo epiſcopo dominaretur alijs, & ſine qua nihil liceret alijs facere, nuſquam in ſacris literis legitur: nec quidem fas fuiſſet, ad eiuſmodi ordinem allegari eccleſias. Nam regnum Chriſti ad certas perſonas & locum alligari non poſſe aut debere, Apoſtoli docebant. Hinc nulla fit mentio Archiepiſcoporum, Metropolitanorum, aut aliorum titulorum, eiuſmodi gradus denotantium.

Inſigniores eccleſiæ in prouincijs erant quidem in aliquo honore, tum propter Apoſtolos in ijs docentes, tum propter presbyteros & miniſtros in eruditione & conſtantia præſtantes, tum propter beneficia quæ alijs uicinis exhibebant eccleſijs. Sed nihil amplius iuris in alias habebant, quàm eas mutuis officijs in rebus ad communis eccleſiæ ædificationem pertinentibus adiuuare.

In Palæſtina, eccleſia Hieroſolymitana in initio erat alijs inſignior, tum propter ibidem exhibitum Meſſiam, tum propter Apoſtolos, & alios qui Chriſtum uidiſſent & audiſſent, & ſpiritum ſanctum ſenſibili modo accepiſſent. Verùm ea non affectabat primatum in alias, nec dominabatur ijs: nec Iacobus ab Apoſtolis illic epiſcopus conſtitutus, referẽte Euſebio ex Egeſippo libro ſecundo, capite uigeſimotertio. nec Simeon Cleophæ, ut Euſebius libro tertio, capite uigeſimoſecundo narrat, aliquo alio dignitatis aut maioritatis ornantur titulo, quàm epiſcopi: ſed mutuis officijs ſeruiebat alijs uicinis eccleſijs, ut in ijs quoq; plantaretur uera doctrina, et cõſeruaretur pura & integra contra pſeudoapoſtolos. Nam cũ Samaritani ſuſcepiſſent Euangelium, mittebantur ad eos confirmandos Petrus & Ioannes: Act. 8. & cũ Antiochia eſſet cõuerſa, eccleſia Hieroſolymitana Barnabam eò miſit, ad confirmandos

mandos fratres in agnita ueritate: Act. 11. Antiocheni fratres propter Apostolos Hierosolymitanam ecclesiã magnificiunt, ita ut tempore famis subsidium pauperibus per Paulum & Barnabam mittant: Act. 11. & ad eius iudicium & sententiam, controuersiam inter pseudoapostolos & Paulum & Barnabam, de obseruatione legis Mosaicæ, referũt: Act. 15. & Apostoli et presbyteri & ecclesia Hierosolymis, ea in re suam operam præstant Antiochenæ et alijs ecclesijs, ut rem definiãt, & per literas & legatos sententiam suam declarent: Act. 15. & tradi passim alijs ecclesiis curent, Act. 16. Post Apostolos, authoritas huius ecclesiæ decreuit propter motus & furores Iudaicos, & propter excidium sub Vespasiano.

Erãt et aliæ in Palæstina ecclesiæ illustres, quæ mutuis officijs alijs erant associatæ: ut Antiochena & Cæsariensis, & aliæ. nam Antiochia erat clara ob Paulum & Barnabam, integrum animum ibi agentem, Act. 11. & cæteros prophetas & doctores, Act. 13. & quòd ibi primùm circiter annum Christi 40, discipuli Christiani appellari cæperunt: Act. 11. Verùm ea, alijs uicinis ecclesiis non imperauit, sed mutuis officijs ijsdem inseruijt. nam Paulum & Barnabam ablegauit ad prædicandum uicinis gentibus, Act. 13.

Idẽ de alijs insignioribus ecclesiis in alijs prouincijs dici potest, quòd non propter locum, aut successionem ei loco alligatam, aut mandatum aliquod Dei, aut institutum Apostolorũ, fuerint alijs prælatæ: sed quòd propter doctores præstantes fuerint in precio habitæ. & quòd nihil plus iuris, quàm quælibet ex minimis in qualibet prouincia habuerint in docẽdo, sacramenta administrando, ordinando, iudicando uera aut falsa dogmata, & similibus officijs singulis ecclesiis mandatis, & quòd mutuis officijs alias uicinas iuuerint. Hoc nomine commendat Paulus ecclesiam Thessalonicensem, quòd exemplo fuerint omnibus ecclesiis in Achaia & Macedonia, & quòd in omni loco fides eorum dimanarit: 1 Thessal. 1. Idem 1 Thessal. 4 dicit, eos exercere opera dilectionis in omnes fratres qui sint in tota Macedonia.

Eadem dici possunt de Corintho, Epheso, Alexandria, Roma, & alijs: quorum etiam episcopi ab Apostolis præfecti, ab Eusebio annotati sunt, eo quòd insigniores ipsi fuerũt doctores, quorum opera et mutuis officijs uicinæ ecclesiæ sunt usæ.

Inter Canones qui falsò Apostolorũ nomine hodie circumferuntur, extat Canon numero 35, qui in Antiocheno concilio nonus est, quem antiquam regulam à patribus constitutam appellant. Is non incõmodè de consociatione ecclesiarum in prouincijs singulis loquitur in hunc modum: Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem uelut caput existiment, & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ parochiæ propriæ & uillis quæ sub ea sunt competunt. Sed nec ille præter omnium cõscientiam faciat aliquid in eorũ parochijs. Sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto.

Non loquitur Canon iste de Apostolis, sed de Episcopis: unde patet, nõ tempore Apostolorum, sed ijs mortuis, eiusmodi ratione plures ecclesias propter ordinẽ aliquem & ædificationem esse consociatas.

Deinde memorabile est, quòd nõ nominat certa prouinciarum aut gentium oppida, quorum episcopos oporteat esse reliquorum generales inspectores: nec tribuit illis quicquam amplius iuris, quàm ut communi consensu omniũ, de rebus ad ecclesias plures pertinentibus tractent.

DE CONSOCIATIONE ECCLESIARUM in diuersis seu cunctis prouincijs.

Sicut neque Christus, neque Apostoli docuerunt, oportere in uniuerso terrarum orbe unum aliquem certum locum esse, ubi omnibus temporibus usq; ad finem mundi duret Ecclesia, cuius episcopus, qualisque alius post alium succedat, sit œcumenicus, & caput omnium aliarum ecclesiarum, qui non possit errare, & qui solus habeat potestatẽ interpretandi scripturam, figendi & refigendi articulos fidei, qui à nemine possit iudicari, & cuius sententia omnes oporteat cauas definiri, & qui habeat ius utriusq; gladij, politici et spiritualis: ita neq; hoc seculo, neq; aliquot sequentibus, uspiam gentium aut locorum, ecclesia, siue Hierosolymitana, siue Antiochena, siue Corinthiaca, siue Ephesina, siue Alexandriua, siue Romana, siue ulla alia: nec quisquam Apostolorũ, siue Petrus, siue Paulus, aut alius, nec quisquam eorum qui ab Apostolis ecclesias gubernandas susceperũt, sibi eiusmodi primatum arrogauit. Nam Apostolos pari iure & societate, sine uniuscuiusq; tanquam supremi, dispositione et gubernatione, sed sua plenaria potestate à Christo & Spiritu sancto accepta, singulos passim plantasse ecclesias, ostensum est in superioribus. & licet Petrus uideatur præcipuus inter Apostolos fuisse, siue propter insignia sua dona, siue propter ætatem: tamen eiusmodi primatum eum inter Apostolos non gessisse, ut uniuersalis ecclesiæ esset Episcopus, & quicquid alij facerent, eius solius autoritate esset ratum aut irritum, probant hæc argumenta.

ARGVMENTA CONTRA PRIMATVM PETRI.

PRimùm, quia Paulus aliquoties in epistola ad Galatas clarè testatur, se quidem esse Apostolũ gentiũ, Petrum uerò Iudæorum: eius q; apostolatum inter Iudæos, suũ inter incircumcisos esse. Verba eius cap. 2 hæc sunt: Cognoscentes quòd MIHI SIT CONGREDITVM Euangelium præputij, sicut PETRO CIRCVMCISIONIS. Nam qui in Petro efficax fuit ad apostolatum circumcisionis, efficax fuit in me erga gentes. Ibidem paulo pòst, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui uidebantur esse columnæ, dexteras dederunt mihi ac Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi uerò in circumcisionem apostolatu fungerentur.

Primùm diuinam ordinationem, deinde sanctissimam dextrarum pactionem statuisse ait, ut alter sit Iudæorum, alter Gentilium apostolus. Hæc profectò clarissimè, ac sine omni ambiguitate ostendunt, Petrum non esse summum Episcopum in tota ecclesia. Nam si Christus eum uniuersalem Apostolum, supra omnes gentes constituisset: obsecro, quomodo uel ipsemet, uel Paulus, ausus fuisset eius functionem decimooctauo demum post passionem Christi anno, tantopere

tantopere coarctare, idq; tam sancto pacto? Sed superius clarè testatus est Paulus, Petro diuinitus eas metas circumscriptas, ut sit circumcisorum apostolus.

Ita ex his locis Pauli animaduertimus, Petrum diuino & humano iure particularem, & non uniuersalem episcopum constitutum. Item quàm latè se extendat illud Ioannis 21, Pasce oues meas. Nec hoc ius, hancq; functionum distinctionem irritam facit, quod aliquando per occasionem & Paulus Iudæis & Petrus gentilibus est concionatus. De iure enim hic, non de facto disputamus.

Secundum: Quia Christus aliquoties contendentibus Apostolis de primatu, negauit eos debere imperare & regnare. inquit enim: Reges gentium dominantur eis, uos autem non sic. Nec tantum eos non uult dominari, sed etiam uult eos seruire & subiectos esse, cum inquit: Qui uult esse maximus, sit minimus. Et quidem proponit se eis pro exemplo, qui uenerit in terram, non ut alij ei seruiant, sed ut ipse alijs ministret, idq; summa & durissima seruitute: ac negat planè, se esse constitutum iudicem: prohibétque seueriter, se quenquam magistrum, patrem aut dominum appellare.

Consonat huic sententiæ & Pauli doctrina, 1 Corinth. 3 & 4, qui dicit Petrum & Paulum & omnes Apostolos eße Ecclesiæ, & non eße Ecclesiam ipsorũ: eos eße tantum ministros quosdam Euangelij Christi, per quorum prædicationem homines ad Deum conuertuntur. Sic & Petrus docet in prima epist. capite 5. Non dominantes, sed forma facti gregis. Non constituit igitur Christus Petrum dominum super Ecclesiam & omnes Christianos: multo minus alios, qui sive Antiochiæ, siue Romæ, siue in Ponto, aut Galatia, aut Cappadocia, à Petro ordinati sunt, quibus omnes Christiani sub pœna æterni exitij obedire cogantur.

Tertium: Quia Petrus haud dubiè functione sibi à Christo mandata uerè & integrè functus est. Fuit enim fidelis ac bonus Christi minister, ac sincerè oues Christi pauit. Iam constat, eum neq; uoluiße dominari Apostolis & clero, sed se cæteris presbyteris exæquaße. appellat enim se compresbyterum, 1 Pet. 5. Multo minus gladium & politicam functionem sibi usurpaße, & Reges ac Cæsares sibi subiectos contendiße: quin potius mandaße Christianis omnibus, ut sint suis magistratibus subiecti. 1 Pet. 2.

Si igitur Petrus integrè sua functione functus est, neque tamen superioritatem super Apostolos usurpauit: imò etiam patienter Pauli obiurgationem tanquã inferior tulit, neque politicam gubernationem sibi rapuit: sequitur necessariò, quòd illa nõ pertinuerint ad Petri officium.

Quartum: Actor. 8 scriptum est, quòd Apostoli miserint Iohannem & Petrum in Samariam. Non mittit autem inferior superiorem, sed contrà. Quare sequitur, Petrum non fuisse super omnes Apostolos dominum, sed singulis Apostolis æqualem, toto autem concilio inferiorem.

Quintum: Illud uerò in primis obseruandum est, quòd, postquam Christus dixerat ad Petrum, Tu es Petrus, &c. sæpius orta est inter Apostolos dubitatio & contentio de primatu, quis nam primus inter eos esse in posterum debeat: ut semel, Lucæ uigesimo secundo, iam in ultima cœna. Quæ profectò dubitatio & contentio orta non fuisset, si Christus semel unum reliquis omnibus præfecisset. Ad hæc & Christus eis respondisset, se iam unum Petrum semel cæteris præposuisse, ei reliquos omnes obtemperare debere, nec de re à se penitus concluſa adhuc litigare.

Verùm ille ibidem Lucæ 22 contrarium respondet, neminem illorum debere alteri præferri, uerùm omnes sibi mutuò ac omnibus alijs Christianis promptè ministrare. Sed adscribam & uerba Euangelistæ: Orta est autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habẽt in eas, benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est inter uos, fiat æqualis iuniori: & qui princeps est, æqualis ministranti. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? nónne qui accumbit? At ego in medio uestrûm sum, ut qui ministrat.

Hinc igitur manifestè apparet, tum Petro ante passionem non fuisse datum primatum, tum etiam Christũ planè noluisse constitui superioritatem inter Apostolos, & penitus istam Antichristi ambitionem damnasse.

Sextum: Christus dicit ad discipulos, Ioannis 20. Sicut me misit uiuens pater, ita & ego mitto uos. Certo certius est, Christum non missum à patre, ut constituat regna ac politias, nec habuiße gladium politicũ. Negat enim suum regnum esse de hoc mundo, aut se hic constitutum iudicem. Igitur nec ullus Apostolorum aut Christi uicarius, debet sibi quicquã tale usurpare, quod ipsi Christo à patre demandatum non fuit. Adhæc, eodem iure dicit se singulos mittere: nulli igitur dat aliquam prærogatiuam.

Septimum: Quod attinet ad locum Matthæi decimosexto, Tu es Petrus, & super hanc petrã, &c. haud dubiè ueriſſima est interpretatio Pauli, Augustini in multis locis, Hieronymi, Lyrani super hunc locum, & Esaiæ, ac ipsius Petri: qui dicunt, Petra erat Christus. Supra Christum enim, qui est firma petra, non supra Petrum, ædificata est Ecclesia: quia etiam post ascensionem Christi pernicioſè nutauit, & eodẽ decimosexto Matthæi paulo pòst satanas appellatus sit. Non potest aliud fundamentum ædificij Ecclesiæ poni, teste Spiritu sancto, præter Christum. Quod porrò sequitur eodem loco, Tibi dabo claues: rectè patres explicant, quòd ad Petrum sermo dirigatur, tanquam omnium Apostolorum personam gerentem. quod etiã ex eo apparet, quòd ius clauium hic promiſſum, Iohannis 20, omnibus Apostolis ex æquo datur.

Octauum: Ista quæstio dudum à Paulo definita est. Nam pseudoapostoli quidam, inimicique gratuitæ iusticiæ Christi, tempore Apostolorum omnes ecclesias piè à Paulo institutas, hoc potiſſimum telo instructi, perturbabant: Petrus & Iacobus sunt supremi Apostoli, illi cum Domino Iesu multum uersati, & ab eo tanquam principes Apostolorum plurimi facti sunt: illis potius credendum est, quàm Paulo, qui eis nullo modo par est. Nos porrò sumus illorum discipuli, iam rectà ab eis uenimus: sic illi seruant & docent, credite nobis, &c.

Contra

Cõtra hos seductores, iusticiæq; Christi subuersores, acerrimè pugnat Paulus in Galatas & Corinthios contendentes, se nullam prorsus superioritatem uel Petri uel aliorum dignoscere, se docere sine Petri ordinatione aut permissione, se nihil ab eo didicisse aut accepisse: se adeò non agnoscere eum superiorem, ut etiam in faciem coram plurimis ausus sit eum obiurgare: Neq; se, neq; Petrum esse dominum Ecclesiæ, nec pro ea crucifixum: sed omnes Apostolos ex æquo esse ecclesiæ ministros, Ecclesiam uerò esse Christi, Christum aũt Dei.

Nonum: quòd Paulus, cum toties faciat mentionem capitis Ecclesiæ, nusquam Petri meminerit: 1 Cor. 12. Ephes. 1. Colos. 1 et 2. Et quidem Petrus ipse 1 epistola 2, Christum angularem lapidem Ecclesiæ facit.

Decimum: Refert Eusebius ex 6 & 7 Hypotypos. Clementis, quòd Dominus post resurrectionem scientiam tribuerit Iacobo Iusto & Ioanni & Petro: ij uerò reliquis Apostolis tradiderint, & Apostoli septuaginta discipulis. Quod si uerum est, satis inde apparet, Iacobum, Iustum, Ioannem & Petrum, æquales à Christo esse constitutos, & nulli primatum sigillatim competere: Eusebius 2 cap. 1.

Vndecimum: Paulus 2 Thess. 2 docet, Antichristum sessurum in templo Dei: hoc est, in ecclesia: & seipsum ostentaturum esse Deum, seq; elaturum aduersum omnem prædicatum Deum aut cultum: hoc est, Antichristum affectaturũ primatũ super omnes ecclesias, & super magistratum, deprauaturum doctrinam Christi, & corrupturum & deformaturum sacramenta à Christo instituta. Quòd si Paulus sciuisset, Petro eiusque successoribus diuinitus primatum esse concessum, nõ Antichristũ Diaboli filiũ, eiusmodi notis insigniret.

Quare necesse est, aut Petrum non uniuersalem Ecclesiæ episcopum diuinitus constitutum, aut ipsissimũ Antichristum fuisse.

Deinde neq; Hierosolymitanam ecclesiam super alias accepisse primatum, patet ex eo, quòd ea urbs uastata est prorsus, ecclesia illa in Pellam migrante: Itẽ, quòd nõ ipsi Apostoli, sed Iacobus et Simeon Cleophæ, ibi fuerint episcopi. Eusebius 2. cap. 1. & 3. lib. cap. 11. Nec Antiochenam gessisse primatum, ex eo apparet, quòd in controuersia de lege, ad iudicium Apostolorũ appellat, & quòd literæ Synodales ei nullam maioritatem præ alijs attribuunt, Act. 15. Ministri etiam eius ecclesiæ, ut Euodius & Ignatius, episcopi & gubernatores ab Eusebio appellantur: Euseb. 3. cap. 22. Ephesina ecclesia præclaros quidem habuit doctores, Paulum, Tychicum, Timotheũ & alios: sed tamen primatum ei nullum super omnes terrarum ecclesias Paulus tribuit, Eph. 1 & 6. Nec Timotheo, quem ibi reliquit, 1 Tim. 1. Vel leuiter saltem moneret ea de re, cũ tamen ei ex professo præcepta tradat, quomodo debeat uersari in Ecclesia, tanquam in domo Dei. De Romana quid dicemus? Paulus & Petrus Romæ à Nerone interfecti & sepulti dicuntur, teste Tertulliano, & Egesippo apud Eusebium. At ut neuter ex illis primatũ super omnes Apostolos & ecclesias accepit, et utcrq; docuit eam fore Antichristi notam, 2 Thess. 2. 2 Pet. secundo: ita nec ad eum locum, & ad eam Ecclesiam, & succedentes episcopos, œcumenicũ primatum affixisset, ullo fide digno teste probatur: sed contrarium constat ex Actis Apostolorum, & epistola Pauli ad Romanos & alijs, et ex ipsiusmet Petri epistolis. Nam si quid Lucas ea de re nouisset, absq; dubio ecclesiam Romanam singulari titulo ornasset. Sed tanquam ignarus Romanam ecclesiam esse omnium aliarum caput, tantum dicit, Paulum Romam uenisse: & à fratribus obuiã usq; ad Appij forum & tres Tabernas prodeuntibus, excepto esse, Actor. 28. Nec Paulus, cum scribit ad Romanos, indicat eam ecclesiam debere primatum gerere super alias omnes: sed quasi præscius futurorũ, fideliter eos monet, ne sint arrogantes, & ne se super alios efferant: Ro. 12. & ut obediant magistratibus, nec resistant ordinationi diuinæ, ad se ius gladij rapientes: Rom. 13. Nec præceptis de obseruatione dierum & de discrimine ciborum iudicent & perturbent infirmos fratres: Rom. 14 & 15. Quum esset Romæ Paulus, in carcere, plures ibi scripsit literas, quas ad ecclesias passim misit: uerùm in ijs nusquam meminit primatus eius ecclesiæ. quod omnino fecisset, siquidem existimasset de necessitate salutis esse, eam ecclesiam, eiusq; episcopum pro capite ecclesiæ Christi agnoscere & colere. Petrus certè debuisset ecclesijs in Ponto & Galatia, & Cappadocia, & Asia, & Bithynia indicare, se Romanam ecclesiam, eiusq; presbyterum uniuersalem ordinare episcopum, caput ecclesiæ, & uicarium Christi, utrumq; gladium gerentem: sed nihil legas ea de re in priori epistola. Posterior ad omnes ecclesias uidetur scripta, & sub finem uitæ Petri: at nihil ea dicit situe de Lino, aut Cleto, aut Clemente, Romanæ ecclesiæ episcopis, quòd pro summo uicario Christi & capite ecclesiarum omnium agnosci & obseruari debeant. Imò uetat, ne dominium in cleros exerceant presbyteri. 1 Petri 5. & pseudodoctores sese supra ecclesiam elaturos, & magistratum contempturos: hoc est, utrumq; gladium affectaturos dicit, 2 Pet. 2.

Nec Ioannes apostolus in suis epistolis ullius primatus, siue Romanæ siue aliarum ecclesiarum meminit: imò epist. 3. Diotrephen affectantem primatum in ecclesia, & excõmunicatione abutentem, redarguit.

Idem Ioannes sub Domitiano Apocalypsin, teste Ireneo, uidit, cũ iam Petrus & Paulus essent mortui. & in Apoc. 2 & 3 capitibus, dictante Christo, scribit septem epistolas ad episcopos, & ecclesias septem in Asia: ibi sanè non decuisset Christum & Ioannẽ celare ecclesias illas, quòd debeant agnoscere Romanam ecclesiã, eiusq; episcopum pro uniuersali capite. At nullum ea de re in ijs fit uerbũ de alio capite ecclesiæ, quàm de ipso Christo, sedente ad dexterã Dei, & adhuc gubernante suam ecclesiam.

Refert Eusebius ex Clemente libro tertio, capite 23, Ioannem ab exilio reuocatum, moderatum esse ecclesias Asianas, & cõstituisse passim ecclesias, et ordinasse episcopos. Id uerò omnino fuisset crimen læsæ maiestatis, & in alienam messem mittere falcem, si Romanus episcopus solus ordinandi episcopos potestatẽ habuisset in Asia, in toto orbe terrarum. Eusebius, cum de successione in Romana ecclesia loquitur, dicit Linum Romanæ ecclesiæ episcopatum sortitum esse, & non ecclesiarum totius orbis terrarũ. Euseb. 3. cap. 2. & eundem Romanæ ecclesiæ ministeriũ Anacleto tradidisse, Euseb. 3. cap. 13. & Clementem Anacleto Romanæ ecclesiæ

cleſiæ epiſcopo ſucceſsiſſe, Euſebius lib.3. cap.14. Quàm uerò nugaces ſint epiſtolæ Clementis ad Iacobum, de ſui ordinatione, ſequenti libro dicetur.

Poſtremò, angelus Dei Ioanni apertè indicat, eam urbem quæ teneat imperium in reges terræ, hoc eſt Romam, ſedem eſſe meretricis Babylonicæ, ſeu Antichriſti: Apoc.17. Antichriſtum autem ſuum primatũ à Diabolo accepturũ, Paulus prædixit 2 Theſſ.2. Non ergo Dei, ſed Diaboli iure, Romanæ eccleſiæ à Paulo & Ioanne & Petro tribuitur primatus.

Mutuis autem officijs eccleſias etiam diuerſarũ prouinciarum, in cauſis communibus, propter charitatem ſe inuiſſe, primùm inde patet, quòd præceptum Pauli omnibus pijs cordi fuit, Epheſ.4, quo mandat, ut ſinguli ſtudeant ſe inuicem tolerare per caritatem, & ſeruare unitatem ſpiritus per uinculum pacis: hoc eſt, ut in doctrina conſentiant omnes, & ſibi mutuis officijs inſeruiant. Deinde etiam exempla idem cõprobant. nam eccleſiæ in Macedonia & Achaia fecerunt communicationem in pauperes ſanctos Hieroſolymitanos, Rom.15. 1 Cor.16. 2 Cor.8 & 9. Item: Eccleſiæ in diuerſis locis ſeſe inuicem ſalutarunt per literas. nam eccleſia quæ Babylone erat, per Petrũ ſalutat eccleſias in Ponto, Galatia, Aſia, Bithynia, Cappadocia. 1 Pet.5. Eccleſiæ Chriſti ſalutant Romanam, Rom.16. Eccleſiæ Aſiæ ſalutant Corinthiacam, 1 Cor.16. Hebræas eccleſias ſalutant Itali, Heb.13.

Schiſmatibus & diſſenſionibus in una aliqua exortis, mederi conatæ ſunt aliæ. nam Euſebius lib.3.cap.16 & lib.5. cap.6 narrat, quòd cum ſub Domitiano ſuſcitata eſſet Corinthi diſſenſio, Clemens, tanquam è Romana eccleſia ad eam quæ Corinthi erat, exarauerit grauiſſimas literas, quibus ad pacem & ueritatis agnitionem ſint reducti.

In refutandis & excõmunicandis hæreticis, etiam eccleſias per diuerſa loca mutuas nauaſſe operas, inde conijci poteſt, quòd Euſebius lib.3.cap.29 teſtatur hæreſes, nempe Menandri, Ebionitarum & Nicolaitarũ hoc ſeculo ortas, dicto citius extinctas eſſe. Id uerò nõ eſſet factum, niſi eccleſiæ earumq; doctores paſsim eas refutaſſent, & alios monuiſſent, ut ab eorum fanaticis opinionibus ſibi cauerent.

Ad eligendos & ordinandos epiſcopos in illuſtri aliquo loco, plures ex diuerſis locis, ſiue Apoſtolos, ſiue poſt eos preſbyteros conuenire ſolitos, ex rumore (ſi quid ei tribuendum eſt, quem Euſebius libro 3. cap.11 recitat) coniecturam facere licet. dicit enim, uulgari rumore ferri, quòd poſt martyrium Iacobi, & uaſtationem Hieroſolymorum, Apoſtoli & diſcipuli Domini, qui tum fuerint adhuc in uita ſuperſtites, in unum undiq;, unà cum cognatis Domini ſecundum carnem ſint congregati, & conſilium cœperint de eo quem Iacobo in miniſterio Hieroſolymis ſubſtituerẽt: & quòd communi conſenſu Simeonem Cleophæ filium, ſede patræ Hieroſolymitanæ (ut Euſebius loquitur) diguum iudicarint.

Aliæ alijs commendarunt fideles doctores, & eccleſiæ miniſtros: Act.18. Cum Apollo uellet ire in Achaiã, exhortati fratres ſcripſerunt diſcipulis, ut ſuſciperent eum: qui cum uenisſet, contulit multum cum his qui crediderunt per gratiam.

Eccleſiæ etiam ſolebant tum Apoſtolos, tum eorum collegas, tum alios doctores ad ſe uenientes excipere reuerẽter, & omnibus officijs pietatis iuuare & promouere. Sic eccleſia Corinthiaca Titum, Corinthum ad Paulum in Macedoniam tranſeuntem, cum timore ac tremore excepit, eiq; obediuit. 2 Corinth.7. Monet etiã Paulus, ut curet quo eccleſiæ illæ Cretenſes diſcãt bonis operibus præeſſe ad neceſſarios uſus, & ut ſtudioſe Zenas & Apollo deducantur, Tit.3. Et Ioannes commendat Gaium, quòd eos qui profecti erant ad prædicandum gentibus, dignè Deo deduxerit. epiſtola 2. Ioannis.

CANONES APOSTOLORVM, EX uetuſtis & catholicis codicibus deſcripti.

DE rebus ad gubernationem Eccleſiæ pertinẽtibus, Apoſtoli certos quoſdam canones tradiderunt, quos ordine ſubijciemus.

Canon de gradibus.

Chriſtus dedit alios quidem Apoſtolos, alios uerò prophetas, alios autem euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores, ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationẽ corporis Chriſti, donec perueniamus omnes in unitatem fidei. Epheſ. 4. 1 Corinth.12.

Canon de uarijs generibus donorum.

Huic per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij uerò ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij uerò fides per eundem ſpiritum, alij uerò dona ſanationum per eundem ſpiritum, alij uerò efficaciæ potentiarum, alij uerò prophetia, alij uerò diſcretiones ſpirituũ, alij uerò genera linguarum, alij uerò interpretatio linguarum: ſed omnia hæc efficit unus ille & idem ſpiritus, diuidens peculiariter unicuiq; ſicuti uult.

Canon de uſu donorum.

Vt quiſq; accepit donum, ita alius in alium illud miniſtrantes, ut boni diſpenſatores uariæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei: ſi quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex uirtute, quam ſuppeditat Deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Ieſum Chriſtũ, cui eſt gloria & imperiũ in ſecula ſeculorũ, Amẽ.

Canon de Apoſtolis.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Matth.28.

Eritis mihi teſtes non ſolum Hieroſolymis, uerùm etiam in uniuerſa Iudæa, Samariaq;, deniq; uſq; ad extrema terræ. Act.1.

Canon de epiſcopis, ſeu presbyteris.

Si quis epiſcopi munus appetit, honeſtum opus deſiderat. Oportet igitur epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris maritum, uigilãtem, ſobrium, modeſtum, hoſpitalem, aptum ad docendum: non uinolentũ, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed æquum, alienum à pugnis, alienum ab auaritia, qui ſuæ domui bene præſit, qui liberos habeat in ſubiectione cum omni reuerentia. Quòd ſi quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiam Dei curabit? Non nouitium, ne inflatus in condemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem & illum bonum habere teſtimonium ab extrancis, ne in probrum incidat, &

laqueum calumniatoris. Item: Oportet episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem: non præfractum, non iracundum, nõ uinosum, non percussorem, non turpiter lucro deditum: sed hospitalem, bonarum rerum studiosum, sobriũ, iustum, pium, temperantem, tenacem qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere. Tit. 1.

Canon de Diaconis.

Ministros itidem cõpositos: non bilingues, non multo uino deditos, non turpiter lucri auidos, tenentes mysteriũ fidei cũ pura cõscientia. atq; hi probẽtur prius, deinde ministrent sic, ut nemo possit illos criminari. Vxores similiter modestas, nõ calũniosas, sobrias, fidas in omnibus. Diaconi sint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præsint, & proprijs familijs. Nam qui bene administrauerint, gradũ sibi bonum acquirũt, & multam libertatem in fide, quæ est in Christo Iesu. 1 Tim. 3.

Canon generalis de officijs ministrorum ecclesiæ.

Obtestor igitur coram Deo, & Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua, & in regno suo: prædica sermonẽ, insta tẽpestiuè, intempestiuè: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. 2 Tim. 4. Item: Loquere & hortare & argue, cum omni præcipiendi studio. Tit. 2.

Canon specialis de lectione sacrarum literarum.

Attende lectioni: 1 Timoth. 4. Sacræ literæ possunt te eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitùs inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iusticia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus: 2 Tim. 3. Idem Canon Rom. 15 repetitur, & 2 Pet. 1.

Canon de modo docendi.

Formam habeto sanorum uerborum, quæ à me audisti cum fide & charitate quæ est in Christo Iesu. Egregium depositum seruato per spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis. 2 Timoth. 1. Stude teipsum probatum exhibere Deo, operarium non erubescendum, rectè secantem sermonem ueritatis. Cæterum profanas uocum inanitates prætermittito: ad maiorẽ enim proficient impietatem. 2 Timoth. 2.

Stultas & ineruditas quæstiones respue, sciens eas párere pugnas. 2 Timoth. 2. Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legales omitte. Sunt enim inutiles, & superuacaneæ. Tit. 3. Profanas & aniles fabulas reijce. 1 Tim. 4.

Canon de summa euangelij.

Certus sermo, & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret: quorum primus sum ego. Verùm ideo misericordiam adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso, in uitam æternam. 1 Timoth. 1.

Magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est gentibus: fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria. 1 Timoth. 3. Memento Iesum Christum resurrexisse ex mortuis, ex semine Dauid, secundum Euangelium: in quo malis afficior, quasi facinorosus usque ad uincula: at sermo Dei non fuit uinctus.

Canon generalis de modo exhortandi & obiurgandi.

Siue insanimus, hoc est, grauiter peccantes obiurgamus, Deo insanimus: siue modestè agimus, uobis modesti sumus. 2 Corinth. 5.

Canon de modo obiurgandi sanabiles.

Seruum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mãsuetudine, erudientẽ eos qui obsistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatem, & resipiscant è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem. 2 Timoth. 2.

Seniorem ne sæuius obiurges, sed adhortare ut patrem: iuniores, ut fratres: mulieres natu grandiores, ut matres: iuniores, ut sorores, cum omni castitate. 1 Timoth. 5.

Canon de modo obiurgandi obstinatos.

Sunt multi intractabiles, & uaniloqui, & mentium seductores: maximè hi qui sunt ex circumcisione, quibus oportet obturare os: qui totas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex istis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri. Testimoniũ hoc est uerũ. Quã ob causam redarguito illos seueriter, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum auersantium ueritatem. ad Titum 1.

Canon de peccatis alijs notorijs, alijs occultis.

Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam uerò & subsequũtur. Consimiliter & bona opera, antè manifesta sunt: & ea quæ secus habent, occultari non possunt. 1 Tim. 5.

Canon de notorijs peccatis.

Eos qui peccant, coram omnibus argue, ut cæterè timorem habeant.

Canon de non indulgendum priuatis affectibus.

Obtestor in conspectu Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & electorum angelorum, ut hæc serues, sine præcipitatione iudicij, nihil faciens iuxta propensionẽ animi. 1 Timoth. 5.

Canon de communi doctorum & auditorum fortuna.

Per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14.

Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persequitionem patientur. 2 Timoth. 3.

Arbitror, quòd Deus nos, qui sumus Apostoli postremi, ostenderit tanquam morti addictos. Quoniam spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, uos autem prudentes per Christum: nos imbecilles, uos autem ualidi: uos clari, nos contempti. Ad hoc usq; tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operantes proprijs manibus: malè audientes, benedicimus: perse-

perſecutionem patientes, ſuſtinemus: conuicijs affecti, obſecramus: ueluti excrementa mundi facti ſumus, omnium reiectamentum, ad hunc uſq; diem. 1 Corin. 4.

Canon de conſtantia in cruce.

Obdura in afflictionibus. 2 Timoth. 4. Eſto particeps afflictionum Euangelij, iuxta potentiam Dei. 2 Timoth. 1.

Canon de cauſis crucis.

Ne quis ueſtrûm affligatur ut homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut curioſus alienarum rerum. Porrò ſi ut Chriſtianus affligitur aliquis, ne pudeſiat, imò glorificet Deum in parte hac.

Canon de miniſtris, quod bono exemplo debeant præire alijs.

Sitis exemplaria gregis. 1 Pet. 5. Per omnia teipſum præbẽs formam bonorũ operũ in doctrina, integritatem, grauitatem, ſermonem ſanum, irreprehenſibilem. ad Tit. 2. Eſto forma fidelium in ſermone, in conuerſatione. 1 Timoth. 4.

Canon de iudicijs Eccleſiaſticis.

Aduerſus preſbyterum accuſationem ne admiſeris, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. 1 Timoth. 5.

Canon de ſtipendijs miniſtrorũ Eccleſiæ.

Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè ij qui laborant in ſermone & doctrina. Dicit enim Scriptura, Boui triturãti non alligabis os, et, Dignus eſt operarius mercede ſua. 1 Tim. 5. Dominus ordinauit, ut qui Euangelium annũciant, ex Euangelio uiuant. 1 Cor. 9.

Communicet, qui catechizatur ſermone, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Gal. 6.

Canon de uictu miniſtrorum.

Ne poſthac bibas aquam, ſed uino paululo utere, propter ſtomachum tuum, & crebras tuas infirmitates. 1 Timoth. 5.

Canon de officio auditorum erga miniſtros.

Obedite præpoſitis ueſtris, & cedite eis: ſiquidem illi uigilant pro animabus ueſtris, tanquam rationem reddaturi: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. nam id eſt inutile uobis. Heb. 13. Rogamus uos fratres, ut agnoſcatis eos qui laborãt inter uos, ut habeatis illos in ſummo precio, per charitatẽ, propter opus illorum: pacem habete cum illis. 1 Theſſ. 5.

Canon de diſcernenda doctrina à uitijs docentium.

In cathedra Moyſi ſedent ſcribæ & Phariſæi: Omnia quæcunq; iuſſerint uos ſeruare, ſeruate & facite: ſecundum uerò opera illorum nolite facere. dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23.

Canon de ordinatione.

Manus citò ne cui imponas, neq; communices alienis peccatis. 1 Timoth. 5.

Alius canon de ordinatione.

De traditione diuina & Apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, &c. ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum uitam perſpexit. Cyprianus lib. 1. epiſtola 4.

Canon de probandis ſpiritibus & doctrinis.

Omnia probate, quod bonum fuerit tenete. 1 Theſſ. 5. Ne cuiuis ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint. Per hoc cognoſcite ſpiritum Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex Deo non eſt. Et hic eſt ille ſpiritus Antichriſti. 1 Ioan. 4.

Canon de proceſſu obſeruando in obiurgandis in nos delinquentibus.

Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Sin uerò te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut trium teſtiũ conſiſtat omne uerbum. Quòd ſi non audierit eos, die Eccleſiæ. Quòd ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi uelut ethnicus & publicanus. Matth. 18.

Canon de condonatione mutua.

Remittite, & remittetur uobis: nolite cõdemnare, et non condẽnabimini. Lucæ 6. Tunc accedẽs Petrus, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, et ego remittã ei? num uſq; ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi uſq; ſepties, ſed uſq; ſeptuagies ſepties. Matth. 18. Condonantes uobis mutuò, ſi quis aduerſus alium habuerit querelam. Coloſ. 3.

Canon de uitandis & excommunicandis hæreticis.

Omnis qui tranſgreditur, & non manet in doctrina Chriſti, Deũ nõ habet. Qui manet in doctrina Chriſti, hic & patrẽ & filium habet. Si quis uenit ad uos, et hanc doctrinam nõ affert, ne recipiatis eum in domũ, nec aue ei dixeritis. Qui enim illi dicit aue, communicat operibus eius malis. 2 Iohannis.

Hæreticum hominem poſt unam atq; alteram admonitionem fuge, ſciens quòd eiuſmodi ſubuerſus eſt, & peccat per ſe condemnatus. Tit. 3.

Conſideretis eos qui diſſidia & offendicula contra doctrinam quam uos didiciſtis gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui eiuſmodi ſunt, Domino Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo uentri, & per blandiloquentiam & aſſentationem decipiũt corda ſimplicium. Rom. 16.

Cæterùm etiamſi nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euãgelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Gal. 1.

Canon de excommunicandis alijs notorijs peccatoribus.

Si quis cum frater appelletur, fuerit ſcortator aut auarus, aut ſimulachrorum cultor, aut conuiciator, aut ebrioſus, aut rapax: cum eiuſmodi ne cibum quidẽ capiatis. Et poſtea: Profligate iſtum qui malus eſt, ex uobis ipſis. 1 Corinth. 5.

Præcipimus autem uobis fratres, &c. ut ſubducatis uos ab omni fratre qui ſe inordinatè gerit, & non iuxta inſtitutionem quam accepit à uobis. & poſtea: Quòd ſi quis non obedit ſermoni noſtro, per epiſtolã hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore ſuffundatur: neq; uelut inimicum habeatis, ſed admonete ut fratrem. 2 Theſſ. 3.

Canon de recipiendis lapſis.

Sufficit iſtiuſmodi homini increpatio hæc, quæ

facta est à pluribus, adeò ut è diuerso magis cõdonare debeatis, & consolari: ne quo modo fiat, ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi. Quapropter obsecro uos, efficite ut ualeat in illum charitas. 2 Cor. 2.

Si præoccupatus fuerit aliquis homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis. Gal. 6.

Canon de absolutione & ligatione peccatorum.

Accipite Spiritum sanctum: quorumcunq; remiseritis peccata, erunt remissa: quorumcunq; retinueritis peccata, erunt retenta. Ioannis 20.

Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunq; solueritis, erunt soluta in cœlo. Matth. 18.

Canon generalis de ijs quæ in congressibus fieri debeant.

Omnia ad ædificationem fiant. Item: Omnia decenter & secundum ordinem fiant. 1 Cor. 14.

Canon, quòd in ecclesia ad populum utendum sit lingua uulgari, & non ignota.

Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: at qui prophetat, hoc est, scripturam interpretatur & exponit, congregationem ædificat.

Item: Siue quis lingua loquitur, fiat per binos, aut ad summum ternos: idq; uicissim, ut unus interpretetur. quòd si non sit interpres, taceat in Ecclesia: cæterum sibiipsi loquatur, & Deo. 1 Cor. 14.

Canõ, quòd doctores Ecclesiæ suã doctrinã debeãt subijcere iudicio Ecclesiæ & aliorũ rectè sentientium.

Prophetæ uerò duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Porrò si alij fuerit reuelatum assidẽti, prior taceat. Potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant: & spiritus prophetarũ prophetis subijciuntur. 1 Cor. 14.

Canon de Baptismo infantum.

Attulerunt ad illum pueros, ut tangeret illos. discipuli uerò increpabant eos qui adducebãt. Cum uidisset autem Iesus, indignatus est, & dixit illis: Sinite pueros uenire ad me, ne prohibete illos: talium enim est regnũ Dei. Amen dico uobis, Quicunq; non acceperit regnũ Dei tanquam puer, haudquaquam ingredietur in illud. Et cum cæpisset eos in ulnas, impositis manibus super illos, benedixit eis. Marci 10.

Origenes & Cyprianus testantur, etiam Apostolos de baptizandis infantibus statuisse.

Canon de mulieribus.

Mulieres uestræ in ecclesiis sileãt: nec enim permissum est illis ut loquantur, sed ut subditæ sint, quemadmodum et lex dicit. Quod si quid discere uolunt, domi suos uiros interrogent. nam turpe est mulieribus, in cœtu loqui. 1 Cor. 14.

Quòd mulieres uelato capite debeant in cœtu esse, & orare.

Omnis mulier orans, aut prophetãs, non uelato capite, dehonestat caput suum. nam id perinde est prorsus, ac si rasa esset. Etenim si non uelatur mulier, etiam tondeatur. Quòd si fœdum est mulieri tonderi aut radi, ueletur. 1 Cor. 11.

Quòd uiri nudo capite tum orare tum prophetare in ecclesia debeant.

Omnis uir orans aut prophetans, quicquam habens in capite, probro afficit caput suum. 1 Cor. 11.

Canon de communibus precibus.

Ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarũactiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnib. in eminentia constitutis: ut placidã ac quietam uitam degamus, cum omni pietate ac honestate. 1 Timoth. 2.

Canon de uerbi Dei studio & usu, & psalmodia.

Sermo Christi inhabitet in uobis opulentè cum omni sapientia, docetéq; & cõmonete uos inuicem concionibus & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canẽtes in corde uestro Domino. Col. 3. Implemini spiritui loquẽtes uobis ipsis per psalmos, et hymnos, et cantiones spirituales, canẽtes ac psallẽtes in cordibus uestro Domino, gratias agentes semper de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi. Ephes. 5.

Canon de confessione ueræ doctrinæ.

Sitis parati ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamini de ea quæ in uobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam. 1 Pet. 3.

Canon generalis de uocationibus.

Unusquisq; in ea uocatione, qua uocatus fuit, maneat. Seruus uocatus es? ne sit tibi curæ: quinetiã si potes liber fieri, potius utere. Etenim qui in Domino uocatus est seruus, libertus Domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi. 1 Cor. 7.

Canon de matrimonio.

Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Heb. 13.

Propter stupra uitanda, suã quisq; uxorem habeat, & suum quæq; uirum habeat. 1 Cor. 7. Item: Qui se nõ cõtinent, nubant. nam satius est matrimonium contrahere, quàm uri. 1 Cor. 7.

Canon de diuortio.

Dico uobis, quod quicunq; repudiarit uxorẽ suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit. Matth. 19.

Uxor à uiro non separetur. quòd si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus uxorem ne dimittat. 1 Cor. 7.

Canon de coniugio Christiani & infidelis.

Si quis frater uxorẽ habet infidelẽ, et hæc assentitur ut habitet cũ illo, ne dimittat eam: & mulier quæ habet maritũ infidelẽ, & is assentitur ut habitet cũ ea, ne dimittat illum. Sanctificatus enim est maritus incredulus per uxorem, et sanctificata est uxor incredula per maritum. Alioqui filij uestri immundi essent, tunc aũt sancti sunt. Quod si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, sed in pace uocauit nos Deus. 1 Corinth. 7.

Canon de secundis nuptijs.

Uxor alligata est matrimonio, quàm diu uiuit maritus eius. Quòd si dormierit maritus illius, liberæ est ad cui uelit nubendum, modò in Domino: 1 Cor. 7.

Volo uiduas iuniores nubere, liberos gignere, domũ administrare; 1 Timoth. 5.

Canon

Canon de usu matrimonij.

Vxori uir debitã benevolentiam reddat, similiter aũt & uxor uiro, &c. Ne fraudetis uos invicẽ, nisi si quid ex consensu, pro tempore, ut vacetis ieiunio & precationi: & rursum in unum conveniatis, ne tentet uos sathanas, propter intemperantiam uestram. 1 Cor. 7.

Qui habent uxores, sint tanquã nõ habeant. 1 Cor. 7.

Canon, quòd ijs qui habent donum castitatis, liberum sit matrimonio uti, uel non uti.

Quòd si quis indecorum uirgini suæ putat, si præterierit nubendi tempus, & sic oportet fieri, quod uult faciat: non peccat, iungantur matrimonio. Cæterũ qui stat firmus in corde, non habens necessitatẽ, sed potestatem habet propriæ voluntatis: & hoc decrevit in corde suo, ut servet suam virginem, bene facit. Itaq; qui elocat nuptum, bene facit: attamen qui non elocat nuptum, melius facit. 1 Corinth. 7.

Canon de officijs maritorum erga uxores.

Viri diligite uxores, & ne sitis amarulenti adversus illas. Colos. 3. Ephes. 5. 1 Pet. 3.

Canon de officijs uxorum in maritos.

Vxores proprijs viris subditæ sitis, velut Domino: quoniam vir est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput Ecclesiæ: & idem est qui dat salutem corpo ri. Itaq; quẽadmodũ Ecclesia subdita est Christo, sic & uxores subditæ sint viris in omnib. Eph. 6. Col. 3. 1 Pet 3.

Canon de parentum officijs in libros.

Patres ne provocetis ad iram liberos vestros, sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini. Ephes. 6. Colos. 3.

Canon de officijs liberorũ in parentes.

Filij obedite parentibus vestris in Domino. nam id iustum est. Honora patrem tuum, & matrẽ tuam: quod est primum præceptum in promissiõe, ut bene tibi sit, et sis longævus in terra. Ephes. 6. Colos. 3.

Canon de dominorũ officijs in servos.

Vos domini æquitatem & æquabilitatem servis exhibete: scientes, quòd & vos Dominum habeatis in cœlis. Colos. 4. Ephes. 6.

Canon de officijs servorũ in dominos.

Servi obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, tanquam Christo: non ad oculum servientes, velut hominibus placere studentes: sed tanquam servi Christi, facientes quæ vult Deus, ex animo, cum benevolentia servientes Domino, et non hominibus: illud scientes, quòd unusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, sive servus fuerit, sive liber. Ephes. 6. Col. 3. Tit. 2. 1 Timoth. 6.

Canon de vita viduarum.

Quæ verè vidua est, ac desolata, sperat in Deo, & perseverat in obsecrationibus ac precationibus nocte & die q; porrò quæ in delicijs versatur, ea vivens mortua est. 1 Timoth. 5.

Canon, quòd viduæ à suis familiaribus, si habeant, ali debeant.

Si quis fidelis, aut si qua fidelis habet viduas, suppeditet illis, & non oneretur ecclesia: ut ijs quæ verè viduæ sunt, suppetat. 1 Timoth 5.

Quales viduæ esse debeant quæ alantur Ecclesiæ sumptibus.

Vidua allegatur non minor annis sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis hominum testimonio comprobata: si filios educavit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subministravit, si in omni opere bono fuit assidua. Porrò iuniores viduas reijce. cum enim lasciviire cœperint adversus Christum, nubere volunt, habentes condemnationem, quòd primam fidem reiecerint. simul autem ociosæ discunt circumire domos: imò non solum ociosæ, verùm etiam garrulæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario, ut habeat maledicendi causam. 1 Timoth. 5.

Canon de moribus senum.

Senes sint sobrij, graves, modesti, sani fide, charitate, patientia. ad Tit 1.

Canon de moribus anuum.

Anus sint in habitu qui religionẽ deceat, nõ calumniatrices, nõ vino multo servientes: honesta doceãt, quo possint modestas reddere adolescẽtulas, ut maritos suos diligant, & liberos ament, ut sobriæ sint, puræ, domus custodes, bonæ, subditæ viris suis, ne sermo Dei malè audiat. ad Titum 2.

Canon de moribus adolescentum.

Adolescentes hortare, ut sobrij sint. Tit. 2. Iuniores subditi estote senioribus: sic, ut omnes, alius alij vicissim subijciamini. 1 Pet. 5.

Canon de officio Magistratus.

Principes non terrori sunt bene agentibus, sed malè. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est, facito, & feres laudẽ ab illa. Dei enim minister est, tibi in bonũ. Quòd si feceris id quod malũ est, time. nõ enim frustra gladium gestat. nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malũ est fecerit. Ro. 12. 1 Tim. 2. 1 Pet. 2.

Canon de officijs subditorum erga magistratus.

Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ, propter Dominũ: sive regi, tanquam præcellẽti: sive præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium. 1 Pet. 2. Tit. 3. Admoneto illos, ut principatibus ac potestatib. subditi sint, ut magistratibus pareant. Rom. 13. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo: quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem restiterint, sibijpsis iudiciũ accipient. Reddite igitur omnibus, quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Rom. 13.

Canon, quòd in rebus contra Deum non sit obediendum magistratui.

Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: & Deo, quæ sunt Dei. Matth. 22.

Oportet Deo magis obedire, quàm hominib. Act. 5.

Canon de divitibus.

Difficile est, eos qui fiduciam in pecunijs habent, in regnum Dei ingredi. Facilius est camelum per foramen acus ingredi, quàm divitem in regnũ Dei ingredi. Mar. 10. His qui divites sunt in præsenti seculo præcipe, ne elato sint animo, neq; spem ponãt in divitijs incertis, sed in Deo vivente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum:

dum: ut benefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendũ, libenter cõmunicantes, recondentes sibijpsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam uitam. 1 Timoth. 6.

Canon de fine omniũ bonarũ actionũ.

Siue editis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia in gloriam Dei facite. 1 Cor. 10.

Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & patri, per illum. Colos. 3.

Canon de abrogatione legis.

Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem. Matth. 11.

Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugũ super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Actor. 15. Rom. 8. Galat. 4. Hebr. 7.

Canon de indifferenti usu ciborum.

Edite quæ apponuntur uobis. Lucæ. 10.

Omne quod in macello uenditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini siquidem est terra. 1 Cor. 10.

Nemo uos iudicet in cibo, aut potu. Colos. 2.

Canon de non comedendis idolothytis & suffocato.

Abstineatis ab his quæ sunt immolata simulachris, et sanguine, & suffocato. Actor. 15 & 21.

Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 1. Cor. 10.

Canon de indifferenti usu dierum seu festorum, & ceremonijs Iudaicis.

Nemo uos iudicet in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorum. Colos. 2.

Circuncisio nihil, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.

Canon, quòd in rebus medijs imbecilles & potentes se non debeant damnare inuicem.

Qui uescitur, non uescentem ne despiciat: & qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Rom. 14.

Quòd fortiores debeant infirmorum in reb. medijs habere rationem, ne eos offendant.

Debemus nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare, ac non placere nobis ipsis. Rom. 15.

Si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundũ charitatem ambulas. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Rom. 14.

Item: Bonum est non edere carnes, neq; bibere uinum, neq; quicquã per quod frater tuus impingit, aut offendi tur, aut infirmatur. Rom. 14. 1 Corint. 8 & 10.

Canon, quòd res mediæ, si accedat opinio necessitatis & cultus & scandali, sint uitandæ.

Ecce ego Paulus dico uobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit. Contestor autem omnem hominem qui circumciditur, quòd debitor est totius legis seruandæ. Christus uobis factus est ociosus, quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis. Gal. 5.

Sed uidete ne quo modo facultas ista uestra offendiculo sit his qui infirmi sunt. Etenim si quis conspexerit te, qui habes scientiã, in epulo simulachrorũ accumbentem, nónne conscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ad edendum ea quæ sint simulachris immolata? Et peribit frater qui infirmus est, in tua scientia, propter quem Christus fuit mortuus. 1 Cor. 8.

Quòd si quis uocat uos infidelium, et uultis ire, quic quid apponitur uobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. 1 Cor. 10.

De rerum mediarũ usu ad ædificationem.

Omnia mihi licent, at non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 1 Cor. 10.

Equidem cum liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum seruum feci, quo plures lucrifaciã: & factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam: his qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam: his qui sine lege sunt, tanquam sim sine lege, cum non sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos qui sunt sine lege. Factus sum infirmis quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos seruem. 1 Cor. 9.

Canon de libertate Christiana.

In libertate, qua Christus nos liberauit, state, ut nẽ rursus iugo seruitutis implicemini. Gal. 5.

Precio empti fuistis, nolite fieri serui hominũ. 1 Cor. 7.

Canon de traditionibus humanis.

Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Matth. 15.

Quomodo conuertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire uultis? dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Gal. 4.

Itaq; si mortui estis cũ Christo ab elemẽtis mũdi, quid quasi uiuentes in mũdo, decretis tenemini: Ne tetigeris, neq; gustaris, neq; contrectaris: quæ omnia ipso perunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominum. Colos. 2.

Non attendentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum auersantium ueritatem. Tit. 1.

Canon de sacerdotio noui Testamenti, quòd omnes Christiani sint sacerdotes.

Ipsi quoq; uelut uiui lapides ædificemini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendũ spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum, &c. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrũ accesit, ut uirtutes prædicetis illius. 1 Pet. 2. Fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Apoc. 1 & 5.

Canon de abrogatis sacrificijs, seu de missa.

Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur. & paulo pòst: Vbi remissio peccatorum est, non est amplius oblatio pro peccato. Heb. 10.

Canõ, quòd in administratione cœnæ Dominicæ nihil aliud fieri debeat, quàm Dominus instituit: nempe ut tam laici quàm clerici edant & bibant sub pane & uino corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & nõ fiat oblatio pro uiuis ac mortuis, neq; adoratio.

Ego accepi à Domino, quòd & tradidi uobis: quòd Dominus Iesus, in ea nocte qua traditus est, accepit panẽ, & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite

edite: hoc meũ est corpus, quod pro uobis frangitur, hoc facite in mei cõmemorationem. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum testamentum est, in meo sanguine: hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortẽ Domini annunciabitis, donec uenerit. Itaq; quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit aut bibit indignè, iudiciũ sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini. 1 Cor. 11.

Canon de exercitijs corporalibus.

Corporalis exercitatio paululum habet utilitatis. 1 Timoth. 4.

Canon de ieiunijs.

Cum ieiunaueritis, ne sitis ueluti hypocritæ tetrici: obscurant enim facies suas, quo perspicuũ sit hominibus ipsos ieiunare. Amen dico uobis, habent mercedẽ suam. Tu uerò cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lauа, ne conspicuum sit hominibus te ieiunare: sed patri tuo, qui est in occulto. & pater tuus qui uidet in abdito, reddet tibi in propatulo. Matth. 6.

Canon de eleemosynis.

Attendite ne eleemosynã uestrã præstetis coram hominibus, quo spectemini ab illis: alioqui præmiũ non habetis apud patrem uestrum qui est in cœlis. Itaq; cum præstas eleemosynam, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in conciliabulis & in uicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, habẽt mercedem suam. Cæterùm cum tu præstabis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, ut sit tua eleemosyna in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo. Matth. 6.

Canon de Oratione.

Cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ. nam illi solent in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, quo cõspicui sint hominibus. Amẽ dico uobis, quòd habẽt mercedẽ suam. Tu uerò cum oras, introito in conclaue tuũ: & occluso ostio tuo, ora patrem tuũ qui est in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto persoluet tibi in propatulo. Verùm orantes ne sitis multiloqui, sicut ethnici. putãt enim fore, ut ob multiloquiũ suũ exaudiantur. Ne igitur efficiamini similes istorũ. nouit enim pater uester, quibus rebus opus sit uobis, priusquã petatis ab illo. Ad hunc ergo modũ orate uos. Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuũ: Veniat regnum tuum: Fiat uoluntas tua, quemadmodũ in cœlo, sic etiam in terra: Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationẽ, sed libera nos à malo: Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum, Amen. Matth. 6.

Canon de Iuramento.

Ego dico uobis, ne iuretis omnino, neq; per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia subsellium est pedum illius: neque per Hierosolyma, quoniam ciuitas est magni regis: neq; per caput tuum iurabis, propterea quòd non potes unum pilum album aut nigrum facere. Sed erit sermo uester, est, est: non, non. Porrò quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur. Matth. 5.

Canon de consociatione Ecclesiarum & piorum, & mutuis eorum officijs.

In summa, omnes sitis unanimes, similiter affecti, fraterna præditi charitate. 1 Pet. 3.

Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est. 1 Cor. 10.

Quæ sunt pacis sectemur, & quæ sunt ædificationis, alius erga alium. Rom. 14.

Adhortemini uos mutuò, & ædificetis singuli singulos, &c. Semper quod bonũ est sectemini, tum erga uos inuicem, tum erga omnes. 1 Thess. 5.

Tolerate uos inuicem per charitatem, studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis. Ephes. 4.

Inuicem alij aliorum onera portate. Gal. 6.

Canon de ordine seu maioritate inter Christianos.

Alium quisq; præstantiorem se existimet. Philip. 2.

Alius alium honore præuenientes. Rom. 12.

Subditi uicissim alius alij in timore Dei. Ephes. 5.

Canon de non affectando primatu in Ecclesia.

Si quis uult primus esse, is erit omnium postremus, et omnium minister. Mar. 9.

Scitis quòd qui uidentur imperare gentibus, dominiũ exercent aduersus illas: & qui magnates sunt inter eas, potestatẽ exercent in illas. Verùm non sic erit inter uos: sed quicũq; uoluerit inter uos fieri magnus, erit minister uester. Et quicunq; uoluerit ex uobis esse primus, erit omniũ seruus. Nam & filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, & daret animã suã redemptionem pro multis. Mar. 10. Mat. 20. Lucæ 22.

Non uelut dominium exercentes in cleros. 1 Pet. 5.

Non quòd dominemur uobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij. 2 Cor. 1.

Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mũdus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia inquam uestra sunt, uos autem Christi, Christus uerò Dei. 1 Cor. 3.

CANONES DE NOTIS Antichristi.

Primus de loco, ubi sedem sit habiturus.

Mulier, quam uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ. Apoc. 17.

Secundus, de primatu quem cooperante Diabolo acquiret super Ecclesiam & magistratum.

Homo sceleros us, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnẽ qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deum, &c. 2 Thess. 2.

Tertius, de causa efficiente Antichristi.

Aduentus eius secundum operationem satanæ, cum omni potentia, & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniusticiæ, in ijs qui pereunt, pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent. 2 Thess. 2.

Quartus, de doctrina Antichristi.

Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium.

1 Ioan. 2 & 4. Non confitentur Iesum Christum uenturum in carne. 2 Ioannis. Inter uos erunt falsi doctores, qui clàm inducent sectas perniciosas, etiam Dominũ qui illos mercatus est abnegantes, &c. 2 Pet. 2.

Attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorũ, per simulationẽ falsiloquorũ, cauterio notatã habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentiũ abstinere à cibis quos Deus creauit ad sumendũ cum gratiarumactione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatem. 1 Tim. 4.

Quintus, de reuelatione Antichristi.

Cum Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui. 2 Thess. 2. Apoc. 14. 18. 20.

Sextus, de cauenda scortatione & reconciliatione cum Antichristo.

Exite de illa populus meus, ne sitis participes delictorũ eius, et de plagis eius ne accipiatis: quoniã peruenerũt peccata eius usq; ad cœlũ, & recordatus est Deus iniquitatũ eius. Reddite illi, sicut & illa reddidit uobis, & duplicate ei duplicia secundum opera eius. Apoc. 18.

Ne ducatis iugum cum infidelibus. Quod enim consortium iusticiæ cum iniusticia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum simulachris? 2 Cor. 6.

Septimus, de pœnis eorum qui reconciliationes cum Antichristo fecerũt.

Si quis adorauerit bestiam, & imaginẽ eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de uino iræ Dei, quod mixtũ est mero in calice iræ ipsius: et cruciabitur igne & sulphure in cõspectu angelorum sanctorum, et ante conspectũ agni: & fumus tormenti eorum ascendet in secula seculorũ. nec habent requiem die ac nocte, qui adorant bestiã, & imaginẽ eius: & si quis accepit characterem nominis eius. Hic patientia sanctorũ est, hic qui custodiunt mandata & fidem Iesu. Et audiui uocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. amodò etiã dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis: sed opera illorum sequuntur illos. Et uidi, et ecce nubem candidã: & super nube sedentem, similem filio hominis, habentẽ in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius angelus exiuit de templo, clamans uoce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete: quia uenit tibi hora ut metas, quoniam aruit messis terræ. Et emisit qui sedebat super nubem, falcem suã in terram, & demessa est terra. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, & clamauit uoce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & uindemia botros terræ, quoniam maturæ sunt unæ eius. Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & uindemiauit uineam terræ: & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguinis de lacu usq; ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. Apoc. 14.

Canon de præmijs fidelium ministrorum.

Cum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam. 1 Pet. 5.

Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius. 2 Timoth. 4.

IVDICIVM DE CANONIBVS qui uulgò Apostolorum appellantur.

CAnones illos qui à Clemẽte Romano uersi dicuntur, & nomine Apostolorum circumferuntur, ab Apostolis non esse conscriptos, nec hoc seculo tales extitisse, multis firmis argumentis probari potest.

Nam reperiuntur inter eos aliquot Canones, qui probatis & authẽticis, quos paulo antè recensuimus, Apostolorum canonibus & doctrinæ aduersantur. quales sunt: Canon 17, qui secundas nuptias damnat, quas tamen Paulus 1 Timoth. 5 & 1 Cor. 7 mandat & præcipit. Canon 27, tantum clericis, lectoribus et cantoribus nuptias permittit, alijs uerò non obscurè uetat: quod est contra doctrinam Pauli 1 Timoth. 3. & 1 Cor. 9. & 1 Timoth. 4.

Ad ieiunia in quadragesima paschæ, & feriæ quartæ, & parasceues, alligant conscientias, in canone 68. cõtra illud Pauli: Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei festi. Porrò cum decreta de prohibitione coniugij, & ciborum & dierum, sint doctrinæ dæmoniorum, 1 Timoth. 4. quis credet ea ab Apostolis facta esse? Deinde, inter eos reperiuntur canones pugnantia præcipientes, quales sunt 6. 17. & 27. & 40. 50. Quorum alij nuptias sacerdotum damnant, alij uerò admittunt. Et Canon 65 uetat ieiunare die Dominico, aut sabbathi. Canon uerò 68 mandat ieiunare quadragesimam paschæ, & quartam feriam, & parasceuen, sub pœna excommunicationis.

Tertiò, multi canones apertum abusum clauium præcipiunt. nam eos qui inscientes susceperunt excommunicatos, excommunicare iubet canon 13. Laicos suffocato uescentes, excommunicare præcipit canon 62. Propter ieiunia die Dominico obseruata, deponit clericos, & excommunicat laico, canon 65. Non ieiunantes quadragesimam paschæ, &c. excommunicat canon 58. Vasa sacra in profanos usus assummentes, excommunicat canon 72. Verùm ob eiusmodi tam leues res excommunicatione usi, seu abusi potius Apostoli nusquam leguntur: imò Paulus recitat catalogum excommunicandorum, 1 Cor. 5, uerùm in eo huiusmodi peccatores non annotantur. Deinde Canon 24 triennium communione priuari iubet laicum qui se castrauerit. sed Apostoli nusquàm cuiquam pœnitentiam agenti tempus præscripserunt, quando oporteat eum admitti ad cõmunionem: ut patet ex 2 Cor. 2. Nec illud cum Apostolorũ doctrina cõgruit, quòd canon 25 episcopum aut presbyterum aut diaconum in fornicatione aut periurio aut furto captum, deponi ab officio præcipit, aut communione priuari uetat: cum Paulus 1 Cor. 5 fornicatores & fures inter excommunicandos numeret.

Quartò, multa in ijs dicuntur quæ rebus huius seculi & historijs refragantur. Nam quòd canon 8 de paschæ celebratione, ne fiat cum Iudæis, uetat, non consonat ueritati. Suprà enim cõmemoratum est, Ioannẽ, Philippũ, & alios, Pascha eodem die cum Iudæis celebrasse, nempe decimaquarta primi mensis. Canon 20 damnat clericos & fideiußiones: uerùm hoc seculo Apostoli & alij legibus politicis magistratus usi sunt, illud scientes, Euangeliũ nõ abolere politica iusta & honesta, et uerbo

Dei

Dei non repugnãtia. Canon 36 prohibet, episcopos ordinationes facere extra proprios terminos in ciuitatibus et uillis, quæ illis nullo iure sint subiectæ. Sed hoc seculo nondũ ita fuerũt termini singulorũ episcoporũ distributi, et solebãt ex uicinia cõuenire plures ad ordinationẽ: ut patet ex canone Apostolorũ, quẽ suprà ex Cypriano adscripsimus. Canon 38, bis in anno concilia celebrare iubet. Sed in historijs non reperiuntur eius rei testimonia. Vna synodus ab Apostolis semel celebrata legitur Actor. 15: de alijs quæ quotannis bis essent factæ, non fit mentio.

Quintò, etiã inde colligi potest, non ab Apostolis, sed ab alijs, et quidẽ seculis inferioribus, istos plerosq; canones, qui præsertim ab illis quos suprà recensuimus discrepant, compositos esse: quòd plerique in concilijs, quæ longe pòst habita sunt, nempe in Antiocheno, Niceno, Chalcedonensi, tum conditi dicuntur, tùm ut à patribus constituti allegantur.

Sextò, destituũtur etiã testimonio autorũ probatorũ, qui siue hoc, siue sequentib. aliquot seculis uixerũt. Nã neq; à Iustino, aut Irenæo, aut Clemẽte, aut Origene, aut Eusebio, aut Hieronymo, aut Ambrosio, aut Athanasio, aut Augustino, aut etiã Gelasio inter autẽticas Apostolorũ scripta referri uideas. Vnde Isidorus de ijs scribit, referẽte Gratiano dist. 16. Canones qui dicũtur Apostolorũ, seu quia eosdẽ nec sedes Apostolica recepit, nec sancti patres ijs aßẽsum præbuerũt. pro eo q; ab hæreticis sub nomine Apostolorũ cõpositi dignoscũtur, quãuis in eis utilia inueniãtur, tamẽ ab autoritate canonica & Apostolica eorũ gesta cõstat esse remota, atq; inter apocrypha reputata. In tertio ab hoc seculo Zephyrinus quidã Rom. episcopus, solus in epist. ad episcopos p Siciliã dicit, Apostolos sexaginta sentẽtias episcopis præscripsisse, in quib. sit etiam de priuilegio Romanæ ecclesiæ. Verùm totã illã epistolã, ut aliàs suspectã esse, multis nominib. infrà suo loco docebimus: nec inter canones Apostolorũ, qui hodie extãt, aliquid de priuilegio Romanæ eccles. habetur. et cõstat, in nulla Synodo eos canones pro autẽticis et Apostolorũ esse receptos, q; in sexta Cõstantinopolitana, quæ celebrata est demũ circiter annũ Domini 675. nã eius canõ 2. sic habet: Placuit huic sanctæ Synodo, ut amodò cõfirmata et rata sint canonũ Apostolorũ 85 capitula. Nec tamẽ postea defuerũt, qui negarũt esse Apostolorũ. nam Leonnus, qui circiter annũ Domini 1049 cõtra epitulie, canones Apostolorũ inter apocrypha deputauit Nicetæ abbatis scribit, cõtendit, exceptis 50 canonibus Dist. 16. Sed nec huius Leonis tanta est autoritas, ut Canones illos, quos antiquitas Apostolorum esse negat, ijs adscribere posßit.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIS.

De Antiocheno schismate.

Vidam è Iudæa uenerũt Antiochiam, ipsos fratres qui ministerio Apostolorũ cõuersi fuerãt, docẽtes: Nisi circũcidamini secundũ legẽ Moysi, nõ potestis saluari. Ea doctrina uidebatur cæteriq; contendebant, gratis, sine lege, sinecq; operib. legis, salutem contingere. Reijcitur autem ea res ad censuram seniorum, qui Hierosolymis adhuc uiuebãt. Componitur tandem hoc schisma iudicio & epistola concilij Hierosolymitani, Actor. 15.

De Corinthiaco schismate.

In ecclesia Corinthiaca schisma fuisse de dignitate personarũ, Pauli, Apollo, Cephæ, cũ alij hunc, alij illum præferrẽt, ex 1 Cor. 1 apparet. Sed Paulus monet, dona quidẽ & labores differre: sed unũ esse Christũ, q̃ sit pro nobis crucifixus, & in quẽ sit credendũ. Accessit aũt insuper in doctrina quædã dissensio. nam quidã negarũt resurrectionẽ mortuorũ, quos Paulus copiosè refutat. Videtur quoq; Titus in ecclesia Corinthiaca, priusquã ad Paulum ueniret in Macedoniam, transitu suo nonnihil hoc schisma sedasse. 2 Cor. 7. Narrat Eusebius lib. 3 cap. 16, Clementem ad Corinthios prolixam epistolã scripsisse, eo quòd grauis apud eos orta esset dissensio: idq; ait Egesippum testari.

Neq; uerò dubium est, quin multis in locis, propter pseudoapostolos schismata enata sint: sed quia ueris testibus destituimur, cogimur esse breuiores.

De dissensione Pauli & Barnabæ.

Erant cõiunctißimi socij Paulus & Barnabas, in propagãda atq; ornanda Euangelij doctrina: incidit tamen inter eos, uerùm sine doctrinæ iniuria, uehemens contentio. Dum enim constituissent Ecclesias, quas plantarant, uisitare, Barnabas sentiebat Ioannẽ cognomento Marcum sibi adiungendum esse: Paulus uerò dissuadebat omnino, idq; propter eam causam, quòd Pamphiliæ ipsos deseruisset. Seiungũt igitur sese Paulus & Barnabas, diuersas quidem profectiones, et socios diuersos accipientes: sed non mutant doctrinæ genus, & proculdubio coniunctionem suam retinuerunt integram. Actor. 15.

CAPVT IX.

DE CONCILIIS.

DE HIEROSOLYMITANO Concilio sub Claudio.

Celebratum est concilium Hierosolymis circa annum Domini 48, Claudij 6, decimoquarto uerò anno post Pauli conuersionem, ut ex eius narratione Gal. 2 apparet. Occasio hæc fuit. Paulus & Barnabas cum alijs quibusdam pijs ac fidelib. synergis, Euangelij doctrinam Antiochiæ, celebri urbe, dextrè & perspicuè tradebant. In primis uerò articulum de iustificatione luculenter explicabant, quòd gratis, sine lege, sine operibus, sola fide, per Christũ eiusq; meritũ iustificentur omnes homines. Veniebant aũt quidam ex Iudæa, fortè ex industria, eò: qui etsi in cæteris Apostolorũ doctrinã amplecterentur, tamen publicè docebant, non sufficere solam fidem ad salutem. sed legẽ seu bona opera insuper esse necessaria ad salutem. Rituum quoq; Mosaicorum obseruationem esse necessariam. Hæc plausibiliter proposita sunt, tum quia sententia illa legalis, ac subtilis legis atque euangelij confusio, hominibus propter affinitatem, quam habet cum lege naturæ nobis aliquo modo notæ, blanditur: tum quia iactarunt illi pseudoapostoli,

se ea ab alijs quoq; Apostolis accepisse, non dissentire ecclesiam Hierosolymitanam, ubi Iacobus, Petrus, Iohannes & alij uersentur: Paulum longè istis inferiorẽ esse, neq; ei nimis multum autoritatis tribuendũ, quasi rectius quàm Apostoli sapiat. Haud dubiè etiã mores Apostolorum recitarunt, qui Hierosolymis ritu Iudaico adhuc uiuerẽt. Contrà Paulus & Barnabas & quidam alij asseuerabãt, sola gratia, solaq; fide, absq; operibus institicari homines: & ritus Mosaicos non obligare quenquã amplius post Christum resuscitatũ. Hæc sententia cum uideretur horridior, speciem pertinaciæ & cuiusdã licentiæ habuit, nõ ferendæ. Cum igitur Ecclesia Christi in duas ueluti factiones scinderetur (habebant enim pseudoapostoli suos adstipulatores non paucos, habebat & Paulus quosdam) uisum est maturè occurrere crescenti malo, estq; causa ad ecclesiam Hierosolymitanam reiecta.

Missi igitur sunt Hierosolymam ab ecclesia Antiochena, Paulus & Barnabas, & quidam alij. Ascendebant unà, qui ab ipsis in sententia hac uariabant.

Cognita aduentus causa Hierosolymis conueniunt Apostoli, qui quidẽ tum adhuc Hierosolymis subsistebant: & nominantur Petrus & Iacobus. Procul dubio & alij adfuerunt, licet ipsorũ nomina non sint expressa. Adsunt & seniores, & ecclesiæ: hoc est, homines in Christũ credẽtes nõ pauci. nam de multitudine et tota ecclesia Lucas dicit. Præterea adsunt Paulus, Barnabas, Iudas cognomento Barsabas, & Silas, & coryphæi etiam pseudoapostolorum.

Locum non exprimit Lucas. Fortè in alicuius domo fuit ille conuentus. Impij enim Pontifices adhuc erant Christianis infensi.

In concilio aũt, proculdubio initiò cõtentionis origo atq; materia est proposita, deinde auditæ sententiæ atq; rationes utriusq; partis tam uerorũ q̃ falsorũ doctorũ. Et uehemens suborta est cõtentio. nam pseudoapostoli mordicus suã sententiã defenderũt. quibus et alij quidã ex hæresi pharisæorũ accesserũt, acriter necessitatem operum ad salutẽ stabilientes & urgentes. Satis aũt, auditis istis uelitationibus quasi, quæ utrinq; fiebant, & excussis argumentis utriusq; sententiæ, Petrus sententiã dicit atq; pronũciat: Gratia Domini nostri Iesu Christi saluari homines, absq; operibus legis: neq; esse gentib. iugum legis imponendũ. Rationes attexit hasce: Primò, à Christo se insigni miraculo uocatum esse, ut gentib. Euangeliũ annunciaret. Hic proculdubio uisionẽ suam, et integrã historiã de Cornelio in mediũ protulit. Secundò, Deum gentib. dedisse spiritum sanctũ, sicut et ipsis Apostolis: neq; inter Apostolos & gẽtes quicq̃ discreuisse fideq; illorũ corda purificasse. Tertiò, Esse tentationẽ Dei, gentib. imponere legis iugũ, cum neq; patres neq; Apostoli ipsi posint legẽ præstare. Quartò, Hunc se cõmuniter articulũ fidei habere immotũ & inuiolabilẽ, q̃ per gratiã Domini nostri Iesu Christi credãt saluari omnes homines. Hac oratione Petrus, doctrinæ Paulinæ testimoniũ luculentũ præbuit, & aduersariorũ corruptelas dãnauit. Mox igitur silentiũ est in tota multitudine cõsecutum.

Postea Paulus & Barnabas, omnibus magna tranquillitate & attentione animi auscultantibus, commemorarunt, quanta signa & prodigia Deus in gentibus, ad quas Euangelij doctrinam pertulissent, edidisset: ex quibus sanè manifestũ fieret, suam doctrinam ueram atq; salutarem esse, fuisse, ac permanere.

Tertio loco Iacobus suffragiũ suũ adijcit prophetæ Amos capite 9, euidẽter probans, quòd Deus uocare gẽtes uocare. Reuertar, inquit, ac rursus ædificabo tabernaculũ Dauid, quod collapsum est, et diruta eius instaurabo, & erigam illud: ut requirant, qui reliqui sunt homines, Dominũ, & omnes gẽtes super quas inuocatũ est nomẽ meum: dicit Dominus, qui facit hæc omnia. Nota à seculo sunt Deo hæc omnia opera sua. Monet tamẽ, ad tẽpus coercendos esse homines, ne nimis magna licẽtia peccẽt: nimirũ ut à suffocato & sanguine abstineãt. rationẽq; exprimit: Quia passim essent multi Iudæi, ut & illi paulatim lucrifieri possẽt: deinde, quia fornicatio, et uesci idolothytis, exigua peccata inter gẽtes dicerẽtur, nominatim de ijs cõmonefierẽt.

Contulerũt deinde & reliqui seniores ac tota ecclesia suffragia, et obtinuit sentẽtia: Gratis homines, absque operib. legis, sola fide iustificari. Et dãnata est contraria sentẽtia, nimirum opera legis necessaria esse ad salutem. Laudanda aũt est huius uenerandi Concilij dexteritas & ingenuitas, qui potius diserta & perspicua asseueratione ueræ sententiæ, & damnatione falsæ, unitati atq; tranquillitati ecclesiæ consulere uoluerũt, quàm stulta & intempestiua amnestia, in qua neutra pars dãnaretur, Ecclesiam in incerto, imò in ipsis turbis & opinionum uorticibus relinquere.

Decreta porrò Cõcilij & literis, cõmuni suffragio Apostolorum, seniorum & totius ecclesiæ scriptis: & uiua uoce quorundã fratrum præcipuorũ, nempe Barsabæ & Silæ, ad ecclesias in Syria & Cilicia, in quibus illæ contentiones ortæ fuerãt, & maximè grassabantur, perferũtur. Literarũ exemplar hoc est: Apostoli & presbyteri & fratres, his qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia, fratribus qui sunt ex gentibus, SALVTEM. Quoniam audiuimus, quòd quidam à nobis egressi, turbauerunt uos, uerbis labefactantes animas uestras, iubentes uos circumcidi, et seruare legem, quibus non mandaueramus: uisum est nobis unanimiter congregatis, delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominib. qui exposuerunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum enim est spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius uobis imponeremus oneris, quàm hæc necessaria: uidelicet, ut abstinentis ab his quæ sunt immolata simulacris, & sanguine, & suffocato, & scortatione. A quibus si conseruaueritis uosipsos, bene facietis. Valete.

Non parcũt in hisce literis Apostoli pseudoapostolis, licet nõ parua autoritate ob doctrinã insignẽ, facũdiam, & hominum gratiã præditi fuerint: sed apertè affirmant, eos sine Apostolorum mandato talia docuisse, & ecclesias perturbasse: & testimonium Paulo et Barnabæ publicum sanæ doctrinæ præbent.

Recitatur autem sententia Concilij, & epistola, in Antiochena ecclesia ac reliquis publicè, coram tota multitudine credentiũ: qui ingenti gaudio afficiũtur, et sententiæ ueræ acquiescũt. Hoc igitur pacto ecclesia suæ tranquilitati reddita est: & seducti à pseudoprophetis,

prophetis, recuperati sunt. Hæc omnia à Luca, certissimo teste, Actor. 15 memoriæ sunt prodita.

CAPVT X.

DE VITIS DOCTORVM ECclesiæ huius seculi, & alijs uiris illustribus.

DE SIMONE PETRO.

SImon, qui & Cephas & Petrus, filius fuit Ioannis seu Ionæ, frater Andreæ: & piscationibus in mari Galilææ uictum quæsiuit. ex quo apparet, Petrũ fortè in iuuentute nullas admodum degustasse literas: mansisset q; proculdubio piscator, quã diu in rebus humanis fuisset, nisi postea præter omnem opinionem à Christo peculiariter fuisset ad sublimiorem functionem uocatus. Videtur autem Petrus fuisse ciuis Capernaitanus: nam socrum ibi habuit. Matth. 8. & postea soluit didrachma exactoribus, Matth. 17. Probat hoc ipsum quoq; Petrum, quia socrus mentio fit, habuisse coniugẽ. Et Paulus 1 Cor. 9 apertè commemorat, Cepham (quem fuisse Petrum, ex Ioan. 1, & secundo cap. ad Galatas patet) secum in ministerio conuiugem circumduxisse. Vnde manifestum est, ministerium uerbi nequaquam separare coniuges: fas etiam esse, illud à coniugibus obiri. Clementem narrat Eusebius lib. 3 cap. 30: scribere, Petrum ac Philippum procreandis liberis operam dedisse. & in Stromatũ lib. 7. aiunt certè, inquit, beatum Petrum, cum uidisset uxorem suã duci ad mortẽ, lætatũ quidẽ esse propter uocationem, & q; domũ reuerteretur. ualde aũt exhortãdo & cõsolando proprio nomine eã compellantẽ dixisse: Heus tu, memẽto Domini. Tale erat beatorũ matrimonium, & usq; ad amicissima perfecta affectio. Hæc ille. Fuisse Petrum auditorẽ Ioannis, qui circa Iordanẽ Messiam esse præsentẽ docebat, nouam q; baptismatis ceremoniam ordiebatur, non leuis est coniectura. nam Ioannes apertè testatur, Andream Simonis fratrem, unum è discipulis Baptistæ fuisse: qui monstratione sui magistri, ad agnitionem Iesu tanquam ueri Messiæ peruenerit: et eum Simoni nunciũ attulisse, se scilicet inuenisse iam Messiam: moxq; Simonem flagrantem cupiditate uidendi Christum, unà secum adduxisse. Iesum autem intuitum esse eum, ac dixisse: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod idẽ ualet quod Petrus. Sic Andreæ fratris opera Petrus ad agnitionẽ Christi deducitur, & nouam accipit appellationem. Neq; uerò dubium est, quin Petrus in schola Christi iucũdissimas audierit conciones, plurimisq; de rebus optimè fuerit admonitus et instructus, fideq; in ucrũ Messiã adeptus sit multo illustriorẽ, q̃ unquã antè habuerit. Nondũ aũt est inter eos Petrus, qui perpetuò debebãt esse adiuncti Christo. Verùm non diu pòst uocatur, idq; tali ratione. Ambulat Iesus circa mare Galilææ, Genesareth dictũ. ibi confluente magna hominũ multitudine, è naui Simonis, paululũ à terra subducta, Iesus docet. Sermone absoluto, ἀποστὰς δὲ Iesus soluit, iubens Petrum unà cum suis socijs, inter quos erant filij Zebedæi Ioannes & Iacobus, in altũ ascendere, & laxare retia ad capiendos pisces. Petrus ait, sese totã noctẽ usq; ad defatigationẽ laborasse, & nihil prorsus cæpisse: uerùm in uerbo ipsius laxaturũ rete. haud obscurè significans, eã rationẽ pugnare cũ arte piscatoria: uerùm se iam didicisse, uerbis eius maximã inesse efficaciã: itaq; pariturũ. Quid fit? tantam piscium multitudinẽ subitò reti cõprehendit Petrus, ut & rete rumperetur, & ad extrahendũ solus cũ ijs quos in sua nauicula habebat, nõ sufficeret. Aduocatis igitur plurib. q aliã habebãt nauim, tot extrahũt pisces, ut utræq; naues implerẽtur ita ut mergerentur. Hoc miraculũ paulo altius expendẽs Petrus, Iesu ad pedes procidit, dicẽs: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Cõsolatur aũt Christus eum perq̃ humaniter, ac cæteros omnes qui propter capturã piscium obstupuerant: ne timeant quicquam, posthac ipsos homines esse capturos. ac relictis retibus sequuntur eum. Lucæ 5. Nondum aũt uidetur peculiaris seu plenè facta esse uocatio: sed paucis diebus pòst fortè accidit, quòd iterùm Iesus in littore ambulauerit, ac uiderit Simonem et Andream fratres, retia sua in mare mittẽtes. tunc dixit eis Iesus: Venite post me, et faciam uos piscatores hominũ. Ibi demum piscatoria functione deserta, nouam suscipiunt, uoluntatiq; Iesu obtemperant. Matth. 4. Mar. 1.

In hac schola Christi paulatim Petrus plura addiscit ac proficit. audit conciones attentè, spectat ingentem miraculorum uim, & totam Christi uitam omnesq; actiones penitus cognoscit: donec tandem in duodecim Apostolorum numerum prorsus cooptetur, & accipiat dona edendi miracula, & alia quibus etiam cæteri ornati fuerunt. Matth. 10. Mar. 3. Lucæ 6.

In hoc igitur gradu et dignitate cõstitutus Petrus, adhuc discit quotidie à Christo plurima: & ipse quoq; iussu Christi alios docet, & in nomine ipsius miracula facit. Non aũt postremũ inter alios Apostolos fuisse Petrũ, historiæ sacræ testantur. Nam à Christo in montem ducitur unà cum Iacobo et Ioanne, estq; spectator mirandæ Christi trãsfigurationis, uidet Eliã et Mosen, eosq; audit cũ Christo colloquentes. Audit insuper uocẽ patris cœlestis, qua ornabatur Iesus, quòd esset suus dilectus filius, quẽ ab ipsis totoq; mundo uellet audiri: Matt. 17. Mar. 9. Lucæ 9. Iussu Christi piscẽ capit, in cuius ore, ut prædixerat Dominus, staterẽ inuenit, quem pro utrisq; Capernai exactoribus numerat Matth. 17.

Celeberrima est confessio, quam de Christo, tum suo tum reliquorũ Apostolorũ nomine edidit. Cum enim Iesus in partib. Cæsareæ Philippi uersaretur, quærit ex ipsis quem nã se dicerent homines esse? At illi respondẽt: Alij Ioannẽ baptistã, alij Eliã, alij Ieremiã, aut unũ ex ꝓphetis. Rursus interrogat Iesus: At uos quẽ me esse dicitis? tũ Simõ Petrus, unus pro omnib. respõdet: Tu es Christus filius Dei uiui. Ad hæc Christus: Beatus es Simon, fili Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meã, et portæ inferorũ nõ prævalebũt aduersus eã. Matth. 16.

Alio tempore Christus sermonẽ habet de clauibus, seu remissione peccatorum. ibi Petrus quærit, quoties fratri aduersus se delinquenti debeat dimittere? Satis ne id sit, septies feciſſe? respondet Iesus: Non dico tibi, sed septuagies septies. Ac postea, qua ratione Deus iustificet, ac peccata dimittat, proposito typo luculenter explicat. Matth. 18.

Porrò sicut in monte glorificationem Christi conspexit

spexit Petrus, ita & in horto propius ad illud mirandum certamen adducitur, in quo Christus cum morte luctatus, sanguineas guttas effudit.

Postea ausus est domum pontificis intrare, & obseruare, quémnam exitum ista tragœdia cum Christo habitura esset: quamuis turpissimum, ut inferius paulo dicetur, lapsum ibi committat. Matth. 26. Mar. 14. Lucæ 22. Ioann. 18.

Facta resurrectione, angeli mulieribus ex mandato Dei iniungunt, ut Petro hoc Euangelium uel in primis annunciaretur: Iesum nẽpe reuixisse, sicut antea prædixerat. Mar. 18. Accepto hoc nuncio per Mariam Magdalenã, Petrus se ilicò itineri dat, cum Ioanne: qui ut fortè uiribus Petro præstitit, anteuertit. Sed tamen Ioanne præ timore non ingrediente in sepulchrum, Petrus nihil cunctatur: moxq; ingressus omnia solicitè cõtemplatur. uidet linteamina uacua, ac sudarium singulari diligentia conuolutum, ac seorsim repositum. Interest deinde piorum cœtui, in quem Christus eodem die, & post octiduum iterum per ianuas clausas uenit, seseq; uiuum exhibuit. Lucæ 24. Ioann. 20.

Memorabilis etiam hæc est historia, ardentẽ fidem in Petro erga Christum declarans, quòd Petro alijsq; in mari Tiberiadis frustra piscantibus per integram noctem, & manè subducentibus nauem ad litus, Christus in litore apparet, nemine eum cognoscente, quærens num aliquid escæ haberent? Id cum negassent, iubet eos ad dexteram nauigij rete mittere. quod ubi fecissent, centum quinquaginta tres grandes pisces capiunt. qua re motus Ioannes, indicat, Dominũ eum esse, cuius iussu & benedictione tam fœliciter piscati essent. Petrus eo audito, tanto ardet erga Christum amore, ut mox insiliens aquam, ut erat nudus, ad litus, ubi non procul aberant, enatarit: alij nauicula paulatim appulerunt.

Sumpto cibo, quem familiariter Christus, ut ante passionem solitus erat facere, discipulis distribuit, ad Petrũ seorsim instituit sermonẽ: Simon, inquit, Ioanna diligis me? at ille, etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei Dominus rursum, Pasce oues meas: idq; ter repetit. Addit insuper & hanc grauissimam sententiam: Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi uolebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Adest etiam ualedictioni & ascensioni Christi uisibili in cœlos. Accepto spiritu sancto in Pentecoste, unà cum cæteris prodijt in publicũ, Euangelũ Iesu Christi palàm adnuncians. & cum adessent qui criminarentur docentes, quasi musto pleni essent, Petrus luculentam & grauem defensionem orditur, ac docet, istas conciones nequaquã ex temulentia promanare, sed fieri iuxta prophetiam diuinam Ioelis secundo: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c. hæc iam in Apostolis esse cõpleta. Deinde asserit Christum præfinito Dei consilio passum, & iuxta prophetias resurrexisse à mortuis. & allegat ex Psalmo 15: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum uidere corruptionem. Hunc ergo Iesum esse uerum Messiam, qui tali ratione pepererit salutẽ cunctis mortalibus. Quòd autem ipsi iam accepissent spiritum sanctum, uarijsq; linguis loquerentur, esse huius regnantis & uiui Christi peculiare opus & donũ. Arguit quoq; ipsorum facinus, quòd parricidæ istius Messiæ fuerint. Ista concio tam fuit fructuosa, ut circiter tria millia hominum eo die doctrinæ Christi accesserint, ac baptismo salutari initiati sint. Actor. 2.

Accurrẽte deinde turba ob sanatũ claudum ad Speciosam portam, egregiam Petrus cõcionem habet, quã docet, non sua, sed Christi uirtute hoc miraculum accidisse: Christum esse filium Dei, uerumq; Messiam, uerè ex mortuis resuscitatum. Inter alia autem & perspicuè ipsorum facinus taxat, quòd Messiam scelerate interfecerint: monet eos de pœnitentia, quam ea ratione proponit, ut intelligant Deum paratum esse peccata ista quantumnis atrocia ipsis remittere: imò omnium maximè ad ipsos Messiam pertinere, de quo in ueteri Testamento sint promissiones factæ. Actor. 3.

Grauẽ ac seriũ fuisse concionatorẽ Petrũ, etiã hoc testatur, quòd Ananiã & Sapphiram mentientes, se totum agri diuenditi precium in commune referre (cum quidem fuisset eis liberum prorsus, quantum placuisset, donare ad communem piorum sustentationem) ucrbo punit, ut collapsi expirarint subitò. Labores in ministerio non defugit. nam & in Samariã cum Ioanne profectus, amplius eos qui à Philippo conuersi fuerant consolidauit, & impositione manuũ spiritũ sanctũ impertiuit. Act. 8. Peragrauit Petrus loca Palæstinæ plerag;. fuit Lyddæ, Ioppe, Cæsareæ Stratonis, ubi & singulari reuelatione Dei Euangeliũ Iesu Christi adnunciauit. Actor. 9. 10. ac defendit uocationem gentium apud fratres Iudæos acriter. Actor. 11.

In concilio Hierosolymitano, ubi reliqui contulissent sententias, Petrus quoque sententiam suam aperit, disertè pronuncians, Mosaicas ceremonias, exhibito Messia nunc, in posterum abrogatas esse, neque ijs gratuandas esse gentes. Deinde: uno modo omnes saluari, nempe gratis, per fidem in Christum. Confirmat hanc sententiam Iacobus, non tanquam superiori, sed æquali in ueritate adstipulans. Antiochiæ cum fuisse, ac docuisse, ex epistola ad Galatas cap. 2 manifestum est. Quòd in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithyniæ uerbum Christi seminarit, ex eius epistola prima cap. primo liquet. In Babylone cum Christo ecclesiã collegisse, prima epistola cap. quinto uidetur ostendere his uerbis: Salutat uos ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Corinthi Petrum fuisse, colligi fortè ex 1 Cor. 1. potest, eo quòd Cephæ ibi mentio fiat, & quidem cuiusdam schismatis, quòd alij Cepham, alij Paulum, alij Apollo, plus æquo extulerint, dum alius se huius, alius alterius discipulum iactaret. Sunt qui & Alexandriæ Petrum fuisse, Ecclesiamq; eius loci plantasse asseruant, inter quos & Nicephorus est, qui libro 14. cap. 39 inquit, sorte Petro Alexandriam contigisse, in qua positea ordinarit Marcum, & alias urbes adierit.

In Actis cap. 15. ait Petrus, se gentibus Euangelium annunciasse. quo fortè alludit maximè ad historiam de Cornelio, & uisione quæ ei de uocatione gentium facta fuerat. In epistola ad Galatas cap. 2 Paulus commemorat, sibi à Iacobo, Cepha & Iohanne dextras societatis esse datas, ut cum Barnaba inter gentes propagaret

garet Euangelij uocem, ipsi uerò inter Iudæos & circumcisos. Fuit hæc pactio fortè de certo tempore. nam postea omnes ad gentes se conuerterunt, cum apud Iudæos obstinatos Euangelium Iesu Christi parum haberet ponderis.

De scriptis Petri hodie Ecclesia Christi tantum habet epistolas duas, quarum posteriorẽ ait Hieronymus à plerisq; negari esse Petri, idq; propter stili cum priore dissonantiã. Idem habet Eusebius lib. 3. cap. 3. his uerbis: Petri epistola una quæ prior dicitur, citra controuersiam recepta est. Hac et ueteres olim presbyteri, sine ulla hæsitatione in scriptis suis usi sunt. Eam uerò quæ posterior dicitur, non esse legitimã accepimus: & tamẽ quia multis uideretur esse utilis, cum alijs est usurpata scripturis. Acta uerò quæ illi nuncupãtur, & Euangelium quod illius esse dicitur, et prædicationem illi inscriptam, et Apocalypsin ipsius dictã, nusquã inter catholica scripta tradita scimus, eo quòd nec ueterum nec nostri temporis quisquam commentator ipsorum usus est testimonijs. Romæ priorem epistolam esse scriptã, idem autor libro 2. capite 15, ex Papia refert: qui & asserit, Petrum tropicè 1. epistola capite 5 Babylonem uocasse Romam.

Quæ fuerit eius doctrina, ex concionibus eius, quas Lucas in Actis describit, & Epistolis duabus manifestũ est. Præcipuè illustrare studuit doctrinam de Iesu, quòd sit filius Dei, & uerus Messias. De salute, quòd per grã tiam fide in Christum omnes saluentur. De peccato Iudæorum, quòd Messiam trucidarint. De abrogatione legum Mosaicarum, quòd gentibus non sit istud iugũ imponendum. De uocatione gentium, quòd omnes homines, modò pœnitentiam agant, ad beneficiũ Christi pertineant. De bonis operibus, quòd iustificati gratis per fidem in Christum, bonis operibus debeant operã dare. De cruce, quòd nullus Christianus debeat pati tanquã fur aut latro. De fine mundi, eiusq; instauratione, quòd omnia sint igne consumenda, ac nouos cœlos ac nouam terram Deus sit conditurus. Primatũ in Ecclesia tantum Christo adscribit: & uocẽ Petra non de se, uerùm de Christo usurpat: Christum uocat pastorem & episcopum, seu curatorem animarum.

Habet autem eam cõsuetudinem Petrus, quòd scitè ad sua dogmata ueteris Testamenti sententias applicet, ut manifestum fiat, nihil à se cæterisq; Apostolis noui tradi. Vt articulum de iustificatione per meritum Christi, fulcit & explicat ex quinquagesimotertio capite Esaiæ, & Psalmo centesimo decimooctauo: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, is factus est in caput anguli. Omnes gentes ad beneficia Christi pertinere, probat ex Oseæ prophetia capite secundo: Qui quondam eratis non populus, &c. Ad doctrinam de noua obedientia, seu de bonis operibus, citat sentẽtiam ex Leuitici decimonono: Sancti estote, nam & ego sanctus sum. Item, uocat hostias spirituales credentium opera. Item, applicat illud Psalmi 23. Qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos. Arcam Noe dicit esse typum baptismi. Ecclesiam uocat domum spiritualẽ, sacerdotium sanctum, genus electum: ijsq; phrasibus ad uetus Testamentum alludit. quibus simul etiam indicat, in nouo Testamento sacerdotium esse spirituale, & non externum quoddam, quod in sacrificijs & oblationibus consisteret. Conuenit præterea in cõpositione rebus ac phrasi cum sancto Paulo, interdum etiam plura membra connectit. Meminit & epistolarum Pauli, quas etsi quædam habere dicit quæ sint difficilia intellectu: tamẽ non obscurè significat, se Pauli doctrinam approbare, neq; inuidet eius donis, sed ea reuerenter & eximiè prædicat. 2. epist. cap. 3.

Inter alia dona quæ habuit, etiam prophetiæ donum referri debet. Nam 2. epist. 2. prædicit & describit Antichristi statum. & 2. epist. 3. de extremo die quædam satis perspicuè prædicit. Reuelationes ipsi tantum, ueruntamen in cõmunem Ecclesiæ usum factas, Lucas recenset duas. Vna est, quòd mox post ascensionẽ Domini in fratrum consessu, instinctu ac reuelatione diuina proponit, alium Apostolum in locum Iudæ eligendum esse. Concionem eius, quia spiritu sancto dictante facta est, adijciemus. Viri fratres, inquit, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda, qui fuit dux his qui comprehenderũt Iesum: quia cooptatus erat in numerum nostrum, et sortitus erat partem ministerij huius. Et is quidem parauit agrum ex mercede iniquitatis, suspensusq; crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Hierosolymis, ita ut appellaretur ager ille lingua illis uernacula Aceldama: hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter. Altera est, quam Lucas Actorum 10 describit, quòd Petrus Ioppe in fastigium ædium ascendit ut oraret, circa horam sextam. Et cum esuriret, uoluit gustare cibum. Parantibus autem illis, irruit super eum mentis excessus, & uidit cœlum apertum, ac descendẽs ad se uas quoddam uelut linteum magnum, quatuor initijs alligatum, submitti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæq; & reptilia, & uolatilia cœli. Et facta est uox ad eum: Surge Petre, macta, & uescere. Ait autem Petrus: Nequaquam Domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Et uox iterum ad eum: Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris. Hoc autem factum est tertiò, & rursum receptum est uas in cœlum. Et dum apud sese hæsitaret Petrus, quæ nam esset uisio quam uidisset, ecce uiri qui missi erant à Cornelio, percontati de domo Simonis, adstiterunt ad ianuam. Et euocato quopiam, interrogabant an Simon qui cognominaretur Petrus, illic haberet hospitium? Petro uerò cogitante de uisione, dixit Spiritus ei: Ecce uiri quærunt te, surge itaque & descende, et uade cum eis, nihil hæsitãs, propterea quòd ego misi illos. Descendens autem Petrus ad uiros qui missi erant à Cornelio ad ipsum, dixit: Ecce ego sum ille quem quæritis, quæ causa est propter quam uenistis? Qui dixerunt: Cornelius centurio, uir iustus, & timens Deum, & testimonium habens ab uniuersa gente Iudæorum, oraculo admonitus est ab angelo sancto, ut accerseret te in domum suam, audire uerba abs te. Hæc uisio non tantum propter Petrum accidit: sed multo magis, ut Deus uocationem gentium illustri miraculo declararet & ornaret. De alijs reuelationibus, quas cum cæteris communes habet, suprà dictum est: qualis est, uisio transfigurationis Christi, & deinde

de luctæ in horto, patefactiones Christi à resurrectione, uisibilis Spiritus sancti infusio, & similes.

Miracula in nomine ac uirtute Christi haud dubiè plura præstitit, sicut & cæteri Apostoli, quàm literis memoriæq; tradita sint: sed nos tantum ea recensebimus, quæ in sacra Scriptura sunt annotata. Ante Christi passionem sine dubio quædam miracula fecit, uerùm ea non sunt descripta, fortè eo consilio, ut miracula immediatè per Christum edita magis extarent, nec abducerentur homines à Saluatore ipso ad Apostolos. Post Christi ascensionem & Spiritus sancti effusionem, uarijs est locutus linguis Petrus, sicut & cæteri Apostoli. Quodam tempore cum Iohanne ingrediens templum Hierosolymitanum, orationis gratia, ad portam quæ dicebatur Speciosa, incidit in quendã humi cubantem: ex utero enim matris claudus erat natus, ætatem iam annorum circiter quadraginta habentem, ac rogantem ab ipsis eleemosynam. Petrus iubet hominem in se ac Iohannem oculos dirigere, ac deinde adijcit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine IESV Christi Nazareni surge, & ambula. & apprehensa manu eius dextera, erexit eum. & protinus corroboratæ sunt plantæ eius, & tali, & exiliens stetit & ambulauit: et cum ipsis ingressus templum, Deum laudauit. Post hæc Petrus populum, miraculi dignitate obstupescentem, docet, ea se non propria uirtute, sed operatione IESV CHRISTI, quem crucifixissent, fecisse: ac monet eos de pœnitentia, Actorum 3.

Ananias uendiderat agrum, ac fraudauerat de precio, sua uxore conscia, afferens partem quandam ad Apostolorum pedes, quasi totum id quod accepisset offerrent. Petrus autem mendacium hoc peculiari Spiritus sancti reuelatione intelligens, Ananiam his uerbis alloquitur: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de precio agri? Nónne poteras retinere agrum, uel etiam preciũ quod ex uenditione accepisti, liberè in tua potestate habere? Quare maluisti mentiri? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ananias hac uoce tanquam excommunicationis fulmine audita, mox corruit, & expirauit. Post tres horas Sapphira, quid de marito factum esset ignara, aduenit. cui Petrus: Dic mihi, inquit, mulier, tanti´ne agrum uendidistis? At illa affirmat. ibi Petrus eam quoq; suis serijs uerbis affatur: Cur inter uos conspirastis, inquit, tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt uirum tuum, ad ostium sunt, & efferent te. Mulier hæc audiens, confestim & ipsa uiribus destituta collabitur, & animam exhalat. Voluit autem Christus hac seueritate in istis suis initijs Ecclesiæ declarare, se mendaciũ seriò execrari, & in alijs quoq; puniturum esse.

Istis miraculis Apostolorũ homines tantopere permoti sunt, ut in plateas efferrent infirmos, & ponerent in lectis, ut ueniente Petro tantum umbra illius obumbraret aliquem illorum. Act. 5.

Samaria per Philippum conuersa, Petrus & Ioannes eò proficiscuntur: & impositis manibus super baptisatos, Spiritus sanctus uisibiliter in ipsos effunditur: Actorum octauo. Lyddæ Petrus incidit in hominem paralysi octo iam annos conflictantem, & in grabato decumbentem, Aeneam nomine, quem his uerbis alloquitur: Aenea, sanet te IESVS Christus, surge & sterne tibi. Et continuò surrexit. quod plurimi Lyddæ & Assarone conspicati, conuersi sunt ad Dominũ.

In Ioppe erat quædam discipula, Tabitha nomine, seu Dorcas per interpretationem, operibus bonis & eleemosynis celebris. ea mortem obijt, lotaq; in cœnaculum reponitur. Cum autem non procul abesset Petrus, Lydda enim prope Ioppen sita est, mittunt duos ad Petrum, ne grauaretur absque mora ad se uenire. Neq; diu cunctatur Petrus, uenit: ibi uiduæ prædicant Tabithæ beneficentiam, & eleemosynas, uestes ab ipsa sibi factas & donatas monstrantes. Eiectis autem omnibus foras, Petrus positis genibus orat. & conuersus ad corpus, inquit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, uisoq; Petro resedit. Porrigens autem ei manum, erexit eam. Et cum uocasset sanctos & uiduas, produxit eam uiuam. Profuit & hoc miraculum ad plurimorũ conuersionem & confirmationem. Actorum nono. In domo Cornelij concionante Petro, Spiritus sanctus cecidit super omnes qui audiebant uerbum. Actorum decimo. Plura in authenticis quidem autoribus de mirandis Petri factis non reperiuntur.

Certamina in suo ministerio non pauca sustinuit, in quibus omnibus singularem fidem & constantiam præstitit, neq; se uel minis uiolentis, uel blandimentis à confessione Euangelij absterrere passus est. Contra Simonem Magum, qui pro pecunia facultatẽ impertiendi Spiritum sanctum sibi uendi, utpote secretiorem aliquam magiam, petebat, Petrus seriò & acriter pugnat: Pecunia, inquit, tua sit tecũ in perditionẽ, quoniã donũ Dei existimasti pecunijs parari. Non est tibi pars neque sors hac in re. Cor enim tuum nõ est rectum coram Deo. pœnitentiam itaque age, & resipisce ab hac nequitia tua: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Felle enim amaro uideo te esse, & ligatum iniquitate. Actorum octauo. Contra pseudoapostolos in Hierosolymitana synodo contendit, neq uaquam ipsorum doctrinam esse ueram, qui affirmarent, sine bonis operibus neminem posse saluari. & contrà decernit, Tantum per gratiũ, fide in Christum, omnes ex æquo saluari. Actorum decimoquinto. Contra pseudoprophetas 2. epist. 2 pugnat: & Epicureos confutat 2. epist. 3.

A` politicis magistratibus plurima pericula expertus, neque tamen ipsis minis aut scuitia fractus est, neque uoluntati ipsorum impiæ morem gessit, imò & diuinas liberationes multas habuit. Postquam enim sanasset claudum in nomine Christi, & deinde Christum annunciasset, & Iudæorum in ipsum facinus grauiter taxasset, uocans eos ad pœnitentiam, sacerdotes, magistratus templi & Sadducæi cum cum alijs quibusdam comprehensum, in carcerem detrudunt: maneq; sistuntur concilio, & obiurgantur, quòd in nomine Christi docuerint. At Petrus spiritu sancto & fide flagrans, intrepidè defendit miraculum, & autorem eius nominat ipsum IESVM Christum. ipsos etiam magistratus arguit, quòd Meßiam interfecerint: palamq; affirmat, tantum per eum salutem contingere.

Persecutores ipsi ad confidentiam Petri obstupescentes, & miraculum ipsum absque nefario scelere negare

gare non audentes, tandem in eam sententiam eunt: dimittendos esse Apostolos, uerùm cum ea interminatione, ne amplius in nomine IESV loquerentur, aut docerent. Petrus cum Iohanne respondet: An iustum sit, ipsos potius audiendos esse quàm Deum, ipsosmet debere iudicium facere. Se non posse non, quæ uiderint & audierint, loqui. Verùm cum sæuis minis dimissi, perget infracto animo palàm docere. Venientes autem domum, & exposita sententia persecutorum, uniuersa Ecclesia preces iungit: et quidem hoc nominatim à Deo petitur, ut frangat hostium minas, et det seruis suis cum omni fiducia loqui uerbum eius. Hac oratione dicta, locus ipse sensibili motu concutitur: qua re testificabatur Deus, audita esse piorum uota & gemitus. Actorum quarto.

Alio tempore pontifices & sacerdotes rursus inijciunt in Apostolos manus, inter quos et Petrus erat. Nocte autem cum essent in carcere clausi, angelus Domini omnes ianuas aperit, saluosq; eductos iubet in templo concionari. Manè cum in carcere nemo esset inuentus, & nuncio accepissent Pontifices, captiuos suos in templo liberè docere: magistratus eos adit, & in concilium absque ui perducit. Crimina proponuntur, quòd contra edictum Magistratus in nomine Christi docuissent, quòd sua doctrina hæretica totam Hierosolymam complessent, quòd sanguinem Christi nitantur in ipsos deriuare: hoc est, ipsos esse blasphemos & seditiosos. Hic Petrus pro se & reliquis diserte respondet: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. & rursus pœnitentiæ concionem acuit, affirmans, ipsos Messiæ esse interfectores: Christum esse Messiam. Hac asperitate tenelli homines tantopere cõmouentur, ut consilium caperint de interficiendis tam pertinacibus hominibus. Sed Gamaliel autoritate, doctrina et pietate reliquis facile superior, ipsorum cruentos conatus magna grauitate cohercet: ostendens exemplis Theudæ & Iudæ Galilæi pseudodoctorum, hæreses semetipsas plerunque destruere. Relinquendos igitur esse istos homines: breui euentum declaraturum esse, an ex Deo uel hominibus ista iam fiant. Etsi autem nonnihil mitescerent reliquorum animi, tamen prius cæduntur, ac deinde rursus dimittuntur Apostoli. Act. 5.

Anno Domini quadragesimoquinto, Claudij tertio, Herodes Iacobum maiorem necat, & Petrum in Iudæorum gratiam in carcerem conijcit. iamq; eò res redierat, quòd postridie eum producturus et supplicio capitali afficturus esset. ibi, cum à tota Ecclesia preces fierent pro Petro, noctu res miranda accidit. Petrus cubabat uinctus catenis inter duos milites: erat et ostium, ne quà elaberetur, alijs custodibus probè munitum. hic de improuiso angelus Domini adstitit, lumenq; in toto habitaculo fulget: & percusso latere Petri, excitauit eum dicens: Surge uelociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius, dixitq; porrò angelus: Præcinge te, et induc calceos, meq; sequere. Dum autem egrediuntur, Petrus non aliter putat, quàm per somnum sibi hanc uisionem offerri. Transeuntes ita primam & secundam custodiam, uenerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ ultrò aperta est eis. Egressi transeunt uicum unum, & disparet angelus. Petrus ad se reuersus, agnoscit diuinã ac miraculosam liberationẽ. ueniensq; ad Mariæ domum, matris Iohannis, qui Marcus cognominatus est, in qua multi pij erant congregati, pulsat ostium. Puella Rhode nomine progressa, ex uoce Petrum agnoscit: nec mox præ gaudio aperit, sed recurrit ad cœtum piorum, nuncians adesse Petrum. Illi rerum omnium ignari, dicebant eam insanire. Verùm ipsa asseuerante, putant angelum Petri esse. Tandem cum Petrus non desisteret à pulsationibus, intromissus, & cum singulari gaudio agnitus & acceptus est.

Reliqua pericula quæ toto uitæ suæ tempore pertulit, nõ habemus certis monumentis indicata: nec dubiũ, id diuino consilio factum, ut magis doctrinam Apostolorum, quàm alias inferiores res spectaremus & magnifaceremus.

Operæprecium autem est, non modò singularia dona, quibus hi summi uiri ornati fuerũt, sed simul etiam ipsorum imbecillitates, peccata & lapsus quosdam insignes & turpes, præsertim quorum non puduit ipsum Spiritum sanctum in monumentis sacris mentionem facere, in conspectum producere & explicare. erudiunt enim piorum animos, nullo modo omnib. numeris absolutam perfectionẽ in Apostolis fuisse: posse uel præstantissimos uiros hallucinari & labi: ac non ipsos alia ratione, quàm nos miseros peccatores, nempe gratis, per fidem in Christum, remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam consecutos esse. Sæpe increpat Christus discipulos, de fidei imbecillitate. Sæpe meminerunt Euangelistæ, Apostolos doctrinam Christi, de sua passione, alijsq; rebus non intellexisse: quo quidem numero etiam Petrus comprehenditur. Præter uocationem Petrus ex quadam curiositate petit, ut euocetur in mare, cum uideret in eo Christum non aliter quàm in solida terra incedentem: ideoq; postea & punitur, & in maiora incidit peccata, nempe in dubitationẽ. Nam euocatus, primò quidem aliquot passus facit: uerùm mox aduersum uentum sentiens, ac procellas uastas ac spumantes in se irruentes cernens, incipit fidei imbecillitate laborare: id quod non mare, neque ulla creatura, sed Deus cordium scrutator protinus agnoscit, & hoc peccatũ eo pacto manifestat, quòd mergi cœperit. Hic ille exclamat: O Domine opitulare. Iesus autem absque mora apprehensa manu, eum extrahit, et palàm peccatum quod mersioni causam præbuerat, reuelat, singulari eum grauitate, mixta tamen beneuolentia increpans: Modicæ, inquit, fidei, quid dubitasti? Matthæi decimoquarto. O mirandam Christi mansuetudinem & clementiam, qui imbecillitatem fidei etiamsi taxat, tamen pœnitentibus condonat, imò fidem ipsam magis excitat & corroborat.

Magnum erat encomium, quòd à Christo reportabat Petrus, edita communi nomine confessione, quòd Iesus esset Christus filius Dei uiuentis. Palàm enim beatum prædicat eum Dominus: & ait, eum hæc ex patre cœlesti habere, eamq; confessionem petram & columnam perpetuam suæ Ecclesiæ futuram esse. Sed paulo pòst fœdum & horrendum lapsum committit.

Mox enim incipiebat Christus magna grauitate docere de sua passione, & quidem ita expresse, ut diceret seniores scribas ac principes sacerdotum sese breui occisuros: se tamen tertia die uiuum resurrecturum esse. Hic Petrus, præclarus ille coryphæus, Dominum apprehen-

prehendens, eum increpat, quòd eiusmodi luctuosas res animo uersetꝰ & dissuadet summoperè, ne se passioni dedat. Absit, inquit, à te Domine, non erit tibi hoc. Persuadebat autẽ sibi Petrus, sese peculiari hac in parte prudentia excellere: ideo significat, se potius hortatorem esse ut paulatim tanquam uerus Messias, ad maiores gradus dignitatum & honorum ascendat. Sed Dominus respondet: Vade post me Satana, scandalum es mihi: non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Hisce uerbis certè horrendus lapsus describitur, quo quidem æternam meruisset damnationem, nisi ex ingenti misericordia esset retractus. Nec dubium est, quin seriò tantum peccatum fuerit deprecatus. Matth. 16.

Testimonium singularis fauoris, & gloria non parua fuit, quòd Petrus unus ex istis est, qui transfigurationem Christi oculis humanis ante passionem conspiciunt. Sed in eo quoque Petrus præ alijs impingit. nam uisis istis rebus omnibus, Petrus inquit: Domine, bonum est nos hic esse. Si uis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum, & Eliæ unum. Hic Marcus & Lucas addunt: Non sciebat, quid diceret. Peccabat igitur Petrus, quòd extra uerbum Dei memoriã istius rei, cultumq; cogitaret instituere. Imò & uoce patris cœlestis ista superstitio Petri castigatur, & apertè indicatur, ad quid ipsis hæc reuelatio prodesse debeat, & quid ipsorũ sit officij. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene placitum est: hunc audite. Matthæi 17. Mar. 9. Lucæ 9.

Est Petrus etiam unus ex discipulorũ numero, & fortè non postremus, qui agitet quæstionẽ, quis inter ipsos futurus esset maximus? quam quidem insciti am & ambitionem, Christus graui oratione crebrò retundere cogitur, Matth. 9. 20. Mar. 9. 10. Lucæ 9. 22.

Videtur & hæc pars aliquid habere erroris, quòd Petrus remissionẽ ad septenariũ numerũ conatur restringere. Verùm Christus eius opinionẽ reijcit, ac docet toties remittendum, quoties petitur uenia. Matth. 20.

Cum Iesus de regno Dei uerba faceret, Petrus inter alios erũpit, se cum cæteris Apostolis reliquisse omnia, & secutos ipsum, quid nam igitur pro eo officio recepturi essent? Somniabat aũt carnalia quædã præmia Petrus. At Christus mansuetè respõdet, in futura uita cõpensationẽ expectandã esse: in hoc uerò mundo suos sectatores plurima suo nomine amissuros esse. Matth. 19.

Post cœnã, cum Christus uellet Apostolis lauare pedes, Petrus insciti a quadã & praua deuotione, negat se admissurũ, ut Christus sibi pedes lauet in æternum. Respondet Christus: Si te non lauero, non habebis partem mecum. Hic rursus impingit Petrus, dicens: non tantum pedes, sed & manus ac caput se lotioni præbiturũ. Corrigit & hanc insciti am Christus: satis in hoc proposito fore, ut pedes lauentur.

Deinde Christo de sua passione, ad quã modò se accingeret, cõcionante, Petrus præ alijs de sua constantia prædicat: & ipsum Christũ de eius fœda negatione prophetantem, quasi mendacij arguit, se omnino uel mortem cum ipso paratũ esse subire, tantum abest ut suam imbecillitatem agnosceret.

Postea in horto nõ semel tantũ, sed aliquoties peccat. Iussus enim uigilare & orare cum Christo, obdormiscit & stertit, adeò ut nominatim etiã à Domino cõpellere tur: Petre, inquit, nõ potuisti unam horã mecũ uigilare?

Non diu pòst, cõtra Christi interdictũ gladio utitur, temerario & impio conatu auriculã Malcho pontificis ministro amputans. Audierat à Domino dici, se iam diuinitùs passioni destinatũ, eaq; ratione genus humanũ esse redemptũrũ: ibi ipse uioleta ui Dei consiliũ in Scriptura prædictũ, quantũ quidem in ipso est, conatur impedire. Erat etiam Petrus ecclesiastica persona, quæ usum gladij aduersus impios magistratus, persecutionẽ erga pios exercẽtes, non habebat. Easq; ob causas ipse Dominus, graui oratione & obiurgatione Petrum reprimit, ac miraculo eius errorẽ corrigit. Ad extremũ, ubi uidet suum Dominũ uinctũ abduci, nõ tantum alijs Apostoli, sed etiam præclarus & animosus ille heros, stimul fugæ sese mandat, & fit desertor sui Domini. Ipse autem ex fuga redit, et in pontificis atriũ ingreditur: tamen ibi adhuc crassius & atrocius labitur, adeò ut postea Iudam nemo Apostolorũ hoc ipso tempore grauius & fœdius hallucinatus sit. Nam ancilla tantum eum cõpellat, an cum Iesu Galilæo fuisset? hic ille negauit coram omnibus. Iterum alia ancilla idem quærit: ibi iurat, se ne nouisse quidem hominẽ. Tertiò obijciunt id alij quidam in atrio: uerùm Petrus consternatus, cum execratiõe sui iurat, sibi cum Iesu nullã prorsus noticiã intercedere. Nequaquã autẽ habuit eam abnegationẽ Christus pro re adiaphorica: sed inter suas angustias sese ad Petrum cõuertit, nutu efficacissimo cum de horrẽdo lapsu cõmonefaciens. Nec potest diutius istorũ hominũ cõspectũ sustinere Petrus, sed agnita sua tam turpi abnegatione, fòras egreditur, amaris lachrymis pœnitentiam suam declarãs. Mat. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioh. 18.

Cum resurrectio Christi sibi nũciata esset, ipseq; magno ardore ad sepulchrũ cucurrisset, nõ tamẽ eum articulum rectè percipere potuit: sicut expresse scriptũ est, tam Petrum quàm Ioannẽ tum etiam ignorasse scripturas, Iohannis 20. cum quidem sæpenumero de Scriptura eos docuisset Christus.

Curiositas Petri seria oratione cõpescitur, quando iussus pascere oues, quærit de Ioanne, Quid autem hic? Christus respõdet: Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? tu me sequere. Iohan. 21.

Antiochiæ non rectè ambulauit Petrus ad ueritatẽ. Nam cum gentib. cibum capiẽs, rectè utebatur libertate Christiana: sed cum quidã Iudæi à Iacobo uenirẽt, subduxit sese, timẽs Iudæos: eaq; ratione, quòd ante de libertate Christiana ædificarat, rursus destruebat, & necessitatem Iudaicorum rituum in gratiam Iudæorum ipso facto comprobabat. Ideo Paulus non ueretur publico scripto affirmare, se Petro, quem & Cepham uocat, in faciem restitisse: Gal. 2.

Hi næui et lapsus Petri, nõ sine cõsilio Spiritus sancti memoriæ sunt in sacris libris traditi: fuitq; non postrema causa proculdubio, ne Petro nimiũ attribueretur: id quod posteriorib. seculis futurũ esse Deus præuidit.

Quod Petrus inter omnes Apostolos princeps ac primus fuerit, qui iure suo, in loco certo mũdi, pro suo arbitrio uel debuisset, uel potuisset monarchiã ecclesiasticam seu primatũ super omnes in toto orbe terrarũ, pro se ac suis successorib. omnibus, usq; ad finem mundi sancire: nusquã in sacris literis perspicuè & euidenter traditum est. Nam quòd Christus dicit, se super hanc petram

petram Ecclesiam ædificaturum: manifestum est, de ista cõfessione seu doctrina, quam Petrus non tantũ pro se, sed cõmuni nomine proposuerat, dictũ esse. Et de principatu cõtentiones crebrò dissoluit Christus, monẽs, in politicis regnis ita se rem habere: ipsorum autem nõ ita futurũ. Primus quidẽ uocatur Petrus à Matthæo cap. 10, nõ quòd princeps esset inter alios: sed quòd in catalogo omnium esset aliquis primo loco ponẽdus. Habuerit sanè & dona præstantia, ob quæ primo loco recensendus fuerit: sed post ascensionẽ Christi nõ amplius Apostoli de primatu certarũt, ut qui omnia rectius intelligerẽt quàm antea. Neq; est Petrus in Hierosolymitana Ecclesia primus, aut summus episcopus, sed cæteris par: imò ferè maior Iacobo autoritas tribuitur. Antiochiæ quoq; nõ præfertur alijs. In cõcilio Hierosolymitano, neq; primo neq; ultimo loco dicit sententiã: sed Iacobus approbans sententiã Petri, quæ erat ueritati consentanea, disputationẽ finit ac decernit. In epistolis suis Petrus Christum uocat Petram, se uerò seruũ Christi, presbyterũ ac apostolũ. Veniens in domũ Cornelij Petrus, noluit se adorari, sicut inquit: Surge, et ego homo sum. Iam si uiuus adorationẽ sui improbauit, multo minus ei defuncto inuocatio idololatrica, qualis quidẽ posteriorib. ei seculis tributa est, cõuenit. Plura igitur Petro adscribere, q̃ in sacris monumẽtis extet, uel ipse etiam agnouerit, nõ exigua est in Ecclesia Dei impietas.

Romam apostolum Petrum uenisse, & quoto tempore, quamq; diu ibi perseuerauerit, non satis liquidò demonstrari potest, eo quòd in sacris literis ferè etiam cõiecturæ his de rebus nullæ haberi possint. Irenæus tamen lib. 3. cap. 1 & 3 clarè affirmat, Petrũ & Paulũ Romæ euangelizasse, eamq; ecclesiã fundasse et cõstituisse, eo tempore quo Matthæus scripturã edidit Euangelij. Constat autẽ ex Chronicis Eusebij, 3 Caij, Christi uerò 41, Euangeliũ Dei editũ esse: quo tempore Petrus ad hucq; Hierosolymis fuit, & Paulus cum Barnaba ad gentes prædicatum primùm abijt. Verùm Romã ea professione non uenit, Acto. 13 et 14. Origenes tertio tomo in Genesin inquit: Petrus in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia, dispersis Iudæis prædicasse uidetur: qui & circa finẽ uitæ Romæ constitutus, capite demisso cruci est affixus, eo quòd ipse hunc passionis modum expetisset. Idem & Eusebius pluribus in locis adfruit, Caium quendã ecclesiasticum uirũ, & Dionysiũ Corinthiũ affirmare, Petrũ Romæ fuisse: lib. 2. cap. 25. Sub Claudio Romam Petrũ esse profectũ, plerique; autumant, idq; alij secũdo eius Imperatoris anno, alij tertio, alij quarto factũ esse putant: atq; adeò 25 annos ibi resedisse, ac docuisse. Hæc si ita se habent, cur Lucas non facit eius rei mentionẽ? Deinde cõstat, sexto Claudij, Christi uerò quadragesimooctauo, synodum Hierosolymis celebratã esse, cui interfuit Petrus: neq; fit ibi mentio, Petrum Roma Hierosolymã aduenisse: id quod Lucas haud dubiè, si ita factũ fuisset, nõ intermisisset. Tribuẽdi præterea Petro aliquot anni sunt necessariò, qui bus in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia atq; Asia tota docuerit: idq; nõ ante, sed post synodum Hierosolymitanam factũ esse patet. Quidam tradunt, quinq; annorum spacio hoc esse cõfectum. Antiochiæ septem cum fuisse annis, sunt qui affirment. Vtut res se habeat, si saltem à synodo Hierosolymitana computaueris annos usque ad Neronis interitum, manifestum fit, Petrum ultra Neronem uixisse aliquot annos: & quomodo potuit ab eo trucidari? Si addideris autem plures eius peregrinationis annos, sicut omnino rei ratio postulat: magis eluceſcet, Petrum uel non fuisse Romæ, uel alio tempore fuisse, ac breuius. Accedit & hoc, quòd Paulo uenienti Romam, nullus Apostolus, nedum Petrus obuiam uenit. In concione sua ad Iudæos Romæ degentes, ne syllaba quidem una meminit Petri, qui prius ibi fidei fundamenta iecisset. Et scribens Romam Paulus circiter 13 Claudij annum, Christi uerò 55, quo sanè oportuisset Petrum Romæ esse, multos mediocres Christianos expresso nomine salutat: de Petro autem, quem aliàs columnã Ecclesiæ unà cum alijs quibusdam nominauit, uerbum prorsus nullum facit. Damasus scribit, Petrum Romæ ordinasse tales, qui ibi ministerio Euangelij assiduè fungerentur: ipsum uerò populos, ut habet manuscriptum exemplar, erudijsse: hoc est, non diu Romæ fuisse, sed subinde alios atq; alios populos adijsse, si cut id functio Apostolica postulabat. Prætera ait hic autor, Petrum sub Nerone Romam uenisse: et nihilominus ei assignat 25 annos, menses duos, & dies septem, quibus in eo loco resederit. Hæc quomodo cum historia conueniant, lector expendat. Apparet certè ex Damasi narratione, nimium confusa et perturbata, multa à sartoribus quibusdam esse inserta, ut qui libenter Petro nimium adscripsissent: quæ si autor iam cerneret, prorsus non agnosceret. Longam narrationem de rebus quas Romæ Petrus gesit, et quo mortis genere tandem uitam amiserit, Egesippus libro 3 cap. 2 excidij Iudaici recensct: quam adscribemus, ne non auido lectori satisfiat. quisq; autem, quantũ uult, ei fidei attribuat. Erant tunc temporis, inquit, Romæ Petrus & Paulus, doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui uirtute suorum operum Neronem aduersum fecerant, captum Magi Simonis delinimentis, qui sibi animum eius conciliauerat: cui adiumentum uictoriæ, subiectiones gentium, uitæ longæuitatem, salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur. atque ille credebat, qui uim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiam præsulem suæ salutis, uitæq; custodem arbitrabatur. Sed ubi Petrus eius uanitates & flagitia detexit, & species illum rerum mentiri, nõ solidum aliquid aut uerum efficere demonstrauit, ludibrio habitus, & digno est consumptus mœrore. Et quamuis in alijs terrarum partibus Petri esset expertus potentiam, tamen præueniẽs Romam, ausus est iactare, quòd mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cum uniuersorũ dolore. Admonuere plerique, experiendum, utrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla facti huiusmodi defereba tur fides. Dolor exegit remedium: perrectum est ad Petrum. Fuere qui etiam Simonem accersendum putarent: uterque affuerunt. Ait Petrus, Simoni, qui se de sua iactaret potentia, priores sese partes dare: ut si posset mortuum resuscitaret: si ille non resuscitaret, se non defuturum, ut Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon, qui putaret apud urbem gentilium plurimum suas ualituras artes, conditionem pro-

posuit, ut si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potentiam (sic enim appellabatur) lacessendo iniurias irrogauisset: sin uerò præualuisset Petrus in Simonem, pari genere uindicaretur. Acquieuit Petrus. adorsus est Simon, acceßit ad lectulum defuncti: incantare atque immurmurare dira carmina ut cœpit, uisus est caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quòd iam uiueret, quòd loqueretur cum Simone: ira & indignatio in Petrum, quod ausus esset conferre sese tantæ potestati. Sanctus apostolus popoſcit silentium, & dixit: Si uiuit defunctus, loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur: phantasma illud esse, non ueritatem, quòd uideatur caput mouisse. Denique separetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet sine specie motus alicuius, qui mortuus erat. Astitit Petrus longius, & intra se paulisper orationi intentus, cum magna uoce ait: Adolescens surge, sanet te Dominus IESVS. Et statim surrrexit adolescens, & locutus est, & ambulauit, & cibum sumpsit, et dedit eum Petrus matri suæ. Qui cum rogaretur, ut ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo qui eum fecit resurgere, cuius nos serui sumus. secura esto mater de filio, nõ uerearis, habet custodem suum. Et cum populus in Simonem insurgeret, ut lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad pœnam eius, quòd cognoscit suas artes nihil ualere: uiuat, & Christi regnum crescere uideat uel inuitus. Torquebatur magus Apostoli gloria. Colligit sese, atque omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumq; se dicit à Galilæis: relicturum se urbem, quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur uolatum, quo supernis sedibus inueheretur: cui, quando uellet, cœlum patêret. Conscendit statuto die montem Capitolinum, ac se de rupe deijciens, uolare cœpit. Mirari populus, & reuereri: plerique dicentes Dei esse potentiam, non hominis, qui cum corpore uolitaret: nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: IESV Domine, ostende ei uanas suas artes esse: ne hac specie populus iste, qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine, sic tamen, ut nihil se potuisse uiuens recognoscat. Et statim in uoce Petri implicatis remigijs alarum, quas sumpserat, corruit: nec exanimatus est, sed fracto debilitatoq; crure, Aritiam concesit, atque ibi mortuus est. Quo comperto, deceptum se Nero & destitutum, dolens tanti casum amici, sublatumq; sibi uirum utilem & necessarium Reipub. indignatus, quærere cœpit causas quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo sancti uocarentur apostoli Petrus & Paulus. Denique dato ut comprehenderetur præcepto, rogabatur Petrus, ut sese aliò conferret. Resistebat ille, dicens, nequaquam se facturum, ut tanquam metu mortis territus cederet: bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset: non mortem illam, sed immortalitatem futuram: tanquam indignum, ut ipse fugeret paßionẽ sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre: deberi sibi, secundum Domini uocem, ut & ipse in paßione sua Christo gloriam atque honorem daret. Hæc & alia Petrus obtexere: sed plebs lachrymis querens, ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium desti-

tueret. Victus fletibus Petrus, cesit: promisit, se uberem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Vbi uentum est ad portã, uidet sibi Christũ occurrere, & adorãs eũ dixit: Domine quò uadis? Dicit ei Christus: Iterum uenio crucifigi. Intellexit Petrus, de sua dictum paßione, quòd in ea Christus passurus uideretur, qui patitur in singulis: non utique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compaßione, aut gloriæ celebritate. Et conuersus, in urbem redit: captusq; à persecutoribus, cruci adiudicatus, popoſcit, ut inuersis uestigijs cruci affigeretur: quòd indignus esset, qui simili modo crucifigeretur, ut passus est Dei filius. Quo impetrato: uel quia perita debebatur ut Christus prædixerat, uel quia perfecta quutor non inuitus indulget pœnarum incrementa: & ipse & Paulus, alter cruce, alter gadio necatus est. Testatur & Tertullianus, Petrum Dominicæ paßioni adæquatum esse. Nicephorus insuper staturam & formam corporis Petri (quam unde habuerit incertũ est) ponit: Petrus, inquit, non crassa corporis statura fuit, sed quæ aliquanto esset erectior: facie subpallida, & alba admodum: capilli & capitis & barbæ crispi & densi, supercilia propè cuulsa: nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus sumusq; magis.

ANDREAS.

NAtus patre Iona in uico Galilææ Bethsaida Andreas, Simonis Petri frater fuit: maior quidem Petro, quemadmodum Epiphanius ait: & piscator, ueluti & Simon. Idem etiam Matthæi, Marci & Lucæ de utroq; narratio indicat. Fuisse eum autem Ioannis baptistæ discipulũ, eiusq; ministerio ad Christi cognitionem peruenisse, Ioannes cap. 1. clarè testatur. Cum enim de Christo conspecto aliquando Ioannes dixisset, Ecce agnus Dei: omisso Ioanne, Andreas cum discipulo alterò ilico Christum secutus est. Et cum eo per diem cõmoratus, fratrem Simonem inuẽtum, ad ipsum quoq; adduxit. Hæc de conuersione Andreæ Ioannes recitat. Cæterùm ad uocationem ad Apostolatum pertinere uidentur ea quæ Matth. cap. 4, Marcus cap. 1, & Lucas cap. 5 exposuit: à captionis scilicet piscium uili professione uocatum esse à Christo ipso, ad lacum Genazereth, ad ministeriũ uerbi Dei: cum ad utrunq; & Andream & Simonem dixisset, ut se sequerentur, facturum se eos piscatores hominum. Nec plura de eo nos Apostolo sacræ literæ monent: nisi quòd tum ante paßionem et resurrectionem, tum ascensionem Christi, communi cum reliquis Apostolis functum fuisse eum uidetur discendi à Christo, & docendi simul alios, officio. Post ascensionem uerò Christi, accepto cum cæteris orbis doctoribus in Pentecoste, Spiritus sancti munere, cum ad docẽdum & propagandum Euangelium Apostolorum alij in alias terras abirẽt, Andreas in Scythiam cõcesit: quemadmodum ex Origenis testimonio affirmat Eusebius libro tertio, capite primo. Quod et Sophronius testatur, qui Andream Scythis, Sugdianis & Satis, uicinis (ut Ptolemæus tradidit) gentibus, Euangelium prædicasse ostendit. Nicephorus ait, eum per Cappadociam, Galatiam & Bithyniam, in Scytharũ solitudines ad utrũque Pontum Euxinum acceßisse: libro secundo, capite trigesimonono: & libro tertio, capite primo. Nazianzenus

zenus tamen, in oratione ad Arianos, in Epirum missum Andream indicat. Et Hieronymus in epistola ad Marcellam, de blasphemia in Spiritum sanctum, in Achaiam Epiro conterminam.

Sed quascunq; tandem terras Andreas docens peragrarit, qua in propagando Euangelio ratione fuerit usus, ac quibus in locis, quàm diu, quo successu, quibus periculis, &c. docuerit, cum certis historijs ac fide diginis destituamur, indicare non possumus. Commemorat longa narratione Abdiæ liber, multa eius certamina & pericula, in uarijs locis, & in primis immensam miraculorum circa mortuos infinitos propemodum resuscitandos congeriem: sed plurimas illi narrationes obtrudit, quæ tum à professione, tum à doctrina Apostolica maximè discrepant. Quis enim cum ueritate cõgruere putet, quòd narrat, meretrice quadam partu insantis laborante, & sororem ut Dianam pro se deprecaretur ablegante, Diabolum ad eam noctu uenisse, ac dixisse: Quid me casse inuocas, cum tibi nihil prodesse possim: sed magis apostolum Dei Andream accede, qui in Achaia moratur, & ipse miserebitur sorori tuæ. Non solet enim Diabolus sese quis sit prodere, præsertim ubi cultus ei præstatur: imò magis ad se homines allicit, quàm absterret. Et pòst aliquanto, de sene Nicolao scortatore scribit Abdias: Hæc audiens (quæ nimirum de lupanaricis suis Nicolaus confessus fuisset) beatus Andreas, cum multa cõtra fornicationem disseruisset, prostratis genibus, expansisq; manibus tacitus orabat, emittensq; gemitus cum lachrymis, ab hora diei sexta usque ad nonam, surgebat abluta facie, nihil cibi accipere uolens, dixitq;: Non gustabo, donec cognoscam, si misebitur Deus huic homini, & si sit reputandus inter saluatos. Et cum ieiunasset etiam altera die, nihil tamen ei reuelatum fuit de homine illo, usq; ad quintum diem, in quo flens uehementer dicebat: Domine, pro mortuis obtinemus pietatem tuam: & nunc iste, quia tua cognoscere desiderat magnalia, cur non reuertatur, ut sanes illum? Hæc eo dicente, uox de cœlo delata est, dicens: Obtimes Andrea pro sene: sed sicut tu ieiunijs fatigatus es, ita & ipse studeat per ieiunium ut saluetur. Et uocans eum, prædicauit ei Apostolus abstinentiam, &c. Ista prorsus ab Apostolorum exemplo, eorumq; doctrina sunt aliena. Non enim soliti sunt Apostoli tot dies ieiunijs præter necessitatem tribuere, neq; alijs hominibus proponere: hoc præsertim fine, ut per ieiunia saluentur, ut Abdias narrat.

In Patris deniq;, ciuitate Achaiæ, in crucem ab Aegea præfecto Edessenorũ actũ cum, Sephronius prodidit. Quod & reliquæ omnes de sanctis uulgatæ narrationes testantur: nisi quòd apud Scythas passum eum, Sabellicus Ennead. septimæ lib. quarto dicit. quod eum mortis genus pertulisse, etiam insertus operibus Cypriani, titulo de Duplici martyrio, liber affirmat: Beatus Andreas, inquit, ut habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens, sibiq; gratulans ibat ad crucem. Et extat inter Augustini libros quidam, falsò Augustino adscriptus, cum titulo, De uera & falsa pœnitentia, in cuius cap. 8 hæc de Andrea leguntur: In hoc desiderio erat Andreas, qui in cruce positus, à Domino requirebat: Tempus est ut commendes corpus meum terræ. Volebat autem eum plebs de cruce deponere. Ipse autem cœpit Dominum rogare: Ne me permittas Domine descendere uiuum, sed tempus est ut commendes terræ corpus meum, &c.

IACOBVS ZEBEDAEI.

IAcobum hunc, alterum Zebedæi fuisse filium, ex Maria Salome, quæ & Maria Iacobi dicebatur: & Domini consobrinum, fratrem Ioannis, inter omnes conuenit. Et filios Zebedæi euangelistæ Iacobum & Iohannem dixerunt, ubicunq; eorum meminerunt. Iacobum uerò hunc unà cum fratre Ioanne ex piscatione in cœtum discipulorum à Christo uocatum, deinde in numerum duodecim Apostolorum selectum in monte, Matthæus cap. 4. & Marcus cap. 1 & 3 testatur. At commendat eius obedientiam, qua uocanti Christo sine mora paruerit, Matthæus his uerbis: quibus uocatum eum ad primam statim Christi uocem, relictis omnibus, ipso etiam patre, Christum secutum scripsit. Addit Marcus cap. 3, in electione duodecim Apostolorum in monte, impositum esse à Christo duobus his fratribus nomen Bnehargem, quod sonet filios tonitrui. Post uocationem singulari præ cæteris amore fratres eos duos Christum complexum esse, Euangelistæ diligenter indicarunt. Quin & hoc ad laudem Iacobi pertinere, Hieronymus in cap. 43 Ezechielis admonuit, quòd in catalogo Apostolorum Matthæi decimo, & Marci tertio, Iacobi nomen prius ponatur nomine fratris. Primùm enim reuocaturus in uitam archisynagogi filiam mortuam Christus, admirandi et uere diuini eius operis spectatores nullos Apostolos alios esse uoluit, præter tres hos, Petrum, Iacobum, et Iohannem: sicut Marcus cap. 5, & Lucas cap. 8 indicarunt. Deinde, et solos eos tres assumpsit secum in montem, coramq; illis trãsfiguratus est: Matthæi decimo septimo, Marci nono, & Lucæ nono. Postremò, eosdem rursus solos, secedens à cæteris discipulis, secum duxit oraturus: Matthæi uigesimo sexto, Marci decimoquarto, Lucæ uigesimo secundo. Cæterum nihilo fuisse Iacobum cum fratre perfectiorem reliquis Apostolis, sed eandem quàm cæteri, ut qui omnes nondum confirmati essent per Spiritum sanctum, infirmitatem circumtulisse, neque hoc Euangelistæ tacuerunt. Narrat enim Marcus capite decimo, Iacobum cum fratre stulta petitione à Christo (quanquam id matri eorum Matthæus capite uigesimo tribuit) petijsse, ut copiam faceret alteri eorum ad dexteram, alteri ad sinistram, in gloria sua considendi. Atque hoc quidem de uita et factis Iacobi in conuersione cum Christo, ante passionem eius, Euangelistæ tradiderunt. Nec aliud eum post resurrectionem Christi, quàm cæteros Apostolos, fuisse legimus. Hierosolymis maiorem uitæ suæ partem Iacobus exegit: interdum & in uicinia pro occasione docuit. Nam & Hierosolymis ab Herode tandem interfectus est, anno tertio Claudij, ut uidetur: Christi uerò quadragesimoquinto, ante diem azymorum, cum in regnum nuper elatus Herodes, Iudæis gratificari uoluisset: Actorum duodecimo. Eusebius libro secundo, capite nono, inquit: De hoc Iacobo Clemens historiam memoratu dignam in septimo Hypotyposeon, quam ex præcedentium relatione acceperat, ponit, dicens: Is sanè qui eum ad tribunal duxerat, cum martyrium subiturum cerneret,

ea re motus, & se Christianum esse ultro confessus est. Ducti sunt igitur simul utrique. Ille uerò in itinere petijt, ut ignosceretur sibi à Iacobo. Hic, cum parumper deliberasset: Pax tibi, inquit. & osculatus est eum, atq; ita simul uterq; decollatus est. Abdiæ nugas, quomodo dæmonum ministerio Iacobus in accersendo Hermogene usus sit, ac de miraculis sudarij ac scipionis eiusdem, ut aniles & Apostolo indignas, reijcimus.

DE IOHANNE EVANGELISTA.

IOhannes apostolus & euangelista, natus est patre Zebedeo, matre uerò Salome. Fratrem habuit germanum, Iacobum maiorem. Quia autem parens erat piscator, ei se arti Iohannes quoq; ex parentum uoluntate dediderat, ut hac sua opera œconomiam parentum iuuaret. Etsi autem parens hunc suum filium in patria religione, quantum quidem homo idiota & piscationibus occupatus potuit, diligenter erudierit: tamen uerosimile est, Iohannem ad studia literarum non adhibitum esse, licet ingenio ad eas percipiendas non destitutus esset. Christo autem munus suum auspicante, & puriorem adferente doctrinam, quàm hactenus à Iudaicis doctoribus imbiberant, apparet Zebedæum unà cum liberis, summa cum attentione & alacritate, eius conciones audiuisse.

Opportuno autem tempore IESVS adit eum ipsum locum, ubi piscatus fuerat pater cum filijs, iamq; extensa retia reficiebant: & utrumq; filium, quorum alter Iohannes erat, ut diximus, peculiariter uocat, ut se sibi comites atq; socios adiungerent. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Ne enim ciusmodi uocationem detrectarent, non tantũ autoritate Christi, & fide in ipsum, sed etiam peculiari quadam interiori Spiritus sancti excitatione adducti sunt. Ad mare Galileæ hoc factum esse, licet ex historia colligere. Nam circa id Petrus & Andreas uocantur. & mox sequitur: Procedens inde, uidit alios duos fratres. imò etiam sequitur, totam Galilæam Christum circuisse: Matthæi quarto.

Vtrumq; Iohannis parentem non uulgari pietate ac fide in Christũ præditos fuisse, res ipsæ testantur. Nam pater nequaquam ægrè tulit, Christum filios suos à se abstrahere, & legere in peculiares discipulos. Mater uerò postea petit, quamuis ex imbecillitate & falsa persuasione id faciat, utrumq; suum filium à IESV, tanquam Messia uero, ad summas dignitates euehi, ita ut alter ad dextram eius, alter ad sinistram, dignitate & honore fulgens sederet. Familiariter autem Christus eam petitionem corrigit, ac docet qualis sit Messias futurus: nempe qui crucem esset subiturus, &c.

Receptus porrò in collegium Christi Iohannes, ita profecit in hac diuina schola, ut non fuerit inter reliquos postremus: imò præ alijs à Christo fuerit amatus. inde Iohannes ipse in suo Euangelio, se periphrasi quadam uocat discipulum, quem Christus amarit. Necesse igitur est, hunc Apostolum illustri Dei noticia, fide, confessione, morumq; sanctitate excelluisse, quibus donis uehementer Christus fuerit delectatus. Dignatus est etiam peculiari eum honore, cum alijs quibusdam paucis. Nam in montem eum secum adduxit, in quo miraculosam IESV transfigurationem oculis carnalibus spectat: cernit Mosen & Eliam cum eo colloquentes. audit uocem patris è cœlo: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est, hunc audite. Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9.

Hæc longè sunt ampliora, quam triumphum Cæsaris splendidissimum intueri: in quo præter delectationem oculorum, aliqua etiam animi recreatio est, propter superatos hostes, partamq; pacem. At hic exhibetur Messias totius mundi, magnifico & diuino splendore, & quidem ab ipso Deo patre, conditore cœli et terræ, non ut uana tantum pompa oculos atque animum pascat, sed ut sit doctor de uoluntate patris in uniuerso terrarum orbe, et reconciliationem, salutem, iusticiam atq; uitam æternam toti hominum generi iam pariat. Postea Iohannes est unus ex ijs qui emittuntur à Iesu ad præparandum locum, in quo uolebat postremũ agnum Paschalem comedere, ac cœnam suam seu nouum Testamentum instituere: Lucæ 22.

Singularis amoris & familiaritatis & hoc argumentum est, quòd in cœna Iohannes in sinu Iesu recubuerit, & Petri nutu motus quæsierit, quis nam ille esset proditor? At Iesus respõdet: Eum esse, cui intinctum panem porrigat. Iohan. 13.

Cum etiam præfinitum tempus passionis aduenisset, Iohannes est inter eos, quos Christus in horto propius uult esse spectatores suarum luctarum. Etsi autem capto iam Christo à Iudæis, Iohannes quoq; imbecillitate quadam humana fugæ se dederit, uestimentoq; relicto nudus elapsus (Iohannem enim fuisse plericq; autumãt, cuius Marci 14. mentio fit) tamen mox reuersus est, & usq; in atrium pontificis, ut spectaret istius tragœdiæ finem, secutus est. nam & is Iohannes putatur fuisse, Iohan. 18. Deinde sub cruce Domini, unà cum Maria consistit: neq; tantum eum alloquio dignatur Christus, sed etiam commendat ei matrem. sic enim ipse narrat in suo Euangelio, cap. 19: Cum uidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suã. Non uulgaris ille honor fuit, quòd matri Domini tanquam tutor fuit. In resurrectione denique Christi, Iohannis non in postremo loco mentio fit. Nam accepta dulci fama ex Maria Magdalena, Christi monumentum esse adapertum, eum non amplius in eo contineri, euestigiò Iohannes unà cum Petro excurrit, & quidem Petrum anteuertit: quæ res desiderium eius cognoscendi resurrectionem Christi declarat. Interest autem omnibus patefactionibus cæteris, quæ per quadraginta dies fiebãt. Et ad mare Tyberiadis Iohannes primus agnoscit Christum in littore stantem, Iohannis uigesimo primo. Clarus ad portam templi Speciosam, à Iohanne et Petro sanatur: Actorum tertio. Et posteaquam Samaria à Philippo esset conuersa, communi reliquorum consilio Iohannes cum Petro eò est ablegatus: ad quorum impositionem manuum Spiritus sanctus est datus, Actorum 8. Sicut autem reliqui Apostoli interdum in uicina loca Hierosolymis excurrerunt, ad propagandum Euangelium Christi: ita proculdubio Iohannes etiam factitauit, nihilominus tamẽ subinde se rursus eò recepit. Iohannem certè & Paulus in epistola ad Galatas cap. 2, inter columnas Ecclesiæ Christi recitat, qui cum alijs & iunxerũt Hierosolymis dextras societatis. Videtur autẽ hoc in con-

in concilio Hierosolymitano factum esse. Nam ante illud Antiochiæ segregati fuerant Paulus & Barnabas, in ministerium gentium, diuino iussu: ut refert Lucas Actor. 13. Postea uerò ad concilium profecti, hanc ab Apostolis comprobationem acceperunt.

Tandem, cum in longinquiores regiones egredi uellent Apostoli, Asiam Iohanni obtigisse, Eusebius libro tertio, capite primo indicat. Ephesi tanquam pastorem commoratum esse, plurimi affirmant: sed ex eius monumentis non satis liquidò patet. Quo præterea id tempore sit factum, non satis liquet. Toto enim tempore, quo Paulus Asiam peragrauit, suumq; ministerium compleuit, non fit Iohannis mentio. & constat, Paulum Ephesinæ ecclesiæ Timotheum dedisse pastorem: & duas ei epistolas scripsisse, quibus adhuc Ecclesia Christi utitur. Fortè igitur iam ualde grandæuus, post Timothei obitum Ephesum commigrauit, cum prius passim in alijs Asiæ locis ministerio suo functus esset. Irenæus libro tertio, capite tertio scribit, Paulum quidem fundasse ecclesiam Ephesinam, sed Iohannem ibi permansisse usq; ad Traiani tempora. Ephesi Iohannem commoratum esse, quando suum Euangelium conscripsit, Irenæus libro tertio, capite primo testatur: & quia ex eius Euangelio contra hæreticos pugnat, librum hunc eius authenticum esse probat. Occasionem uerò, qua Iohannes motus, hanc Euangelij historiam contexuerit, idem autor libro tertio, capite undecimo exponit: nimirum quòd Cerinthi præstigijs uoluerit obuiam ire, qui fingebat Christum non esse uerè Dei filium, ac patri coessentialem. Hieronymus in Catalogo inquit: Nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum, aliosq; hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum antè non fuisse. unde compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Hæc ille. Adfert & alteram causam Eusebius libro tertio capite uigesimo quarto, & Hieronymus in Catalogo: quòd uisis Euangelijs Matthæi, Marci et Lucæ, Iohannes probarit quidem ea, ut quæ uerè omnia commemorarent: sed quia uideret quædam prætermissa esse, quæ ante Baptistæ captiuitatem præcesserant, putauit ea adijcienda esse. Affertur & hæc à doctis causa, quòd Iohannes, cum reliquos Euangelistas historiæ in primis studiosos uideret, plures conciones Christi uoluerit recitare: sicut ijs eum abundare cernimus. Scripsit & epistolas quasdã. Primam, ait Eusebius loco proximè citato, tam à recentioribus quàm à ueteribus, absq; ulla hæsitatione comprobari & recipi. Reliquis uerò duabus, quarum alteram Electæ cuidam Dominæ & filijs eius, alteram Caio inscripsit, contradici. Fortè autem secundæ phrasis multum aliena est à prima. Apocalypsin eum uidisse & composuisse, Iustinus affirmat: sicut id quoq; refert Eusebius lib. 4. cap. 18. ac Irenæus libro 5 sub finem inquit: Neque enim ante multum temporis uisum est, sed penè sub nostro seculo, ad finem Domitiani imperij. In Patmo sibi ista omnia reuelata esse, ipsemet Apoc. 1. scribit.

Quid de singulis articulis docuerit, scripta eius luculenter declarãt. In primis explicauit articulũ de Christi diuinitate, indeq; etiam suum Euangelium est exordium: euidentibus argumentis probans, Christum, quem λόγον appellat, esse Deum, distinctam à patre personam, unigenitum eius filium coessentialem, coæternum, coomnipotentem: & hanc personam seu λόγον esse factum carnem. De reliquis partibus non uisum est hoc loco prolixam enumerationem instituere, cum suprà in capite de Doctrina pleraq; sint exposita.

Dona in docendo habuit, ut reliqui etiam Apostoli, insignia: nempe illustrem Dei noticiã, fidem, in tradendo dexteritatem & perspicuitatem, constantiã, et quòd ab articulis fidei nunquam deuiauerit, atq; in persecutionibus perduraverit.

In phrasi quiddam habet peculiare, quòd ingenij & zeli præstantiam in eo celebrat. Filium Dei appellat λόγον, quæ appellatio in aliorum Apostolorum monumentis non legitur: haud dubiè eam ob causam, ut ostenderet, hanc personam omnibus ætatibus uoluntatem patris humano generi protulisse. In principio ait fuisse λόγον, id est ab æterno. Verbum erat apud Deum: hoc est, distincta à patre persona. Verbum erat Deus: hoc est, coessentialis patri. Iohan. 1. Deus est lux: hoc est, autor lucis. Et tenebræ in eo non sunt ullæ: hoc est, odit mendacia & peccata. Christum uenisse in carne: pro eo quòd Christus factus sit homo, & satisfecerit pro nostris peccatis. 1 Ioh. 4. Habere unctionem, id est Spiritum sanctum: Vos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Item, Vnctio manet in nobis. Item, Vnctio docet uos de omnibus: 1. Iohan. 2. Spiritus est ueritas, pro, est uerax. Deus est uita æterna: hoc est, dat eam. 1. Ioh. 5. Deus est charitas: hoc est, fons seu autor charitatis. Nõ peccare, et peccare non posse, intelligit de peccatis manifestis, quæ excutiunt spiritum sanctum. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: scilicet peccatum ad mortem. 1. Iohan. 3. Ambulare in tenebris, id est, non agere pœnitentiam. 1. Iohan. 1. Iussa eius & præcepta & sermones seruare, idem ualent, & complectuntur fidem cum fructibus. Item, Verbum Dei manet in uobis: id est, creditis uerbo Dei. Item, esse in Christo, in eoq; manere, pro credere usurpat, 1. Iohannis 2. Persuadere corda sua: id est credere, & tranquillam habere conscientiam. Credere in nomine filij Dei, id est, ponere spem in meritum Christi: 1. Iohannis 3. Charitas foras eijcit timorem, pro eo quod est, innitens misericordiæ Dei, non timeat Deum tanquam carnificem, sed fiduciam habeat in eum tanquã filius. Manere in charitate, & manere in Deo, est credere in Deum, et inniti eius misericordia: primæ Iohannis quarto. Sanguis Iesu Christi, pro merito Christi: primæ Iohan. primo. Non habere uitam in se manentem, est excidere gratia, primæ Iohannis tertio. Hæc est charitas Dei, ut præcepta eius seruetis: pro, charitas Dei debet nos impellere ad seruanda præcepta. Item, Præcepta eius grauia non sunt: scilicet credenti. primæ Iohannis quinto. Facere iusticiam, & exercere iusticiam, est facere bona opera: primæ Iohannis tertio. Ex Deo natum esse, significat regenerationem, quæ fit per uerbum & sacramenta: 1. Iohan. 3. Christus uenit per aquam & sanguinem: hoc est, Christus instituit baptismum et cœnam Domini: primæ Iohannis quinto. Mundus, pro impijs: Iohan. 1. 1. Iohan. 3. 5. Ex Diabolo esse, et filium Diaboli esse: pro, à Diabolo gubernari. 1. Iohannis tertio. Pios uocat suos filiolos, primæ Iohannis secundo. Sermo eius non est in nobis: hoc est, non facimus secundum Dei mandatum: primæ Iohannis 1. Falsos do-

ctores uocat Antichristos, primæ Iohannis secundo. Item, Spiritus promiscuè appellat doctores: bonis addit descriptionẽ, quòd sint ex Deo: malis econtrà, quòd non sint ex Deo.

Certamina tam longo tempore præsertim, & tantis hominum furoribus, non sustinuit exigua: uerùm ea, ut alia multa, non sunt memoriæ tradita. Contra Ebionis & Cerinthi deliramenta suum Euangeliũ de Iesu Christo opposuit: ac ostendit eius epistola, sibi plurimũ negocij cum alijs quoq; falsis doctoribus fuisse, qui plurimos à ueritate agnita auulserunt, & in transuersum rapuerunt. Deinde proculdubio & à persecutoribus pluribus immaniter tractatus est. Cum Petro statim inter primos Hierosolymis traditur carceri, uerùm postridie rursus dimittitur: Actor. 4. Et credibile est, Iohannem unà cum Petro postea rursus beneficio angeli liberatum esse, Actor. 5.

In Patmo se fuisse, ibiq; uisiones suas accepisse, Apoc. 1. testatur. Verùm an exilij nomine ibi se continuerit, non exponit. Posteriores tamen id affirmant, quòd Domitiano in Christianos sæuiente, anno nimirum eius 14, excussus sit Epheso, & relegatus in Patmon: unde exacto anni spacio, Nerua succedente, ac rescindẽte impia Domitiani decreta, reuersus sit Ephesum.

Quòd Iohannes in uas oleo calefacto plenum sit immissus, saluusq; inde egressus, incertissimum est: adeò ut quidam etiam de loco ambigant, Ephesi ne an Romæ factum sit. Hieronymus sanè non facit eius rei mentionem.

Miracula hauddubiè plurima per uitam suam edidit: uerùm cum non sint à fide dignis & authenticis autoribus tradita, non est integrum temerè quæuis arripere. Quæ enim in Iulio Africano, seu Abdia nuper edita produntur, fide sua uehementer laborant. Vix enim uero simile est, Iohannem miraculis tantum lusisse, ut gemmas fractas rursus conglutinaret: ramos, arbores, lapillos conuerteret in aurum, rursusq; in suam priorem naturam reduceret. Nec uacat superstitione, quod Iohanni tribuitur, eum cuiusdam Drusianæ factum probasse, quæ in matrimonio constituta, citra uiri consensum à consuetudine eius se subtraxerit. Eius generis & hoc est, quòd nimium flagitet & inculcet spontaneam paupertatem, diuenditis atq; distributis omnibus prorsus facultatibus: id quod neq; cum doctrina Christi, neque Iohannis scriptis conuenit. Singulare enim erat quod illi diuiti Christus præcipiebat, non uniuersale. & horrenda uox est, quam Abdias Iohanni adscribit: Has uirtutum opes habere non posse, qui uoluerit diuitias habere terrenas. An non in sacris quoque libris opulenti leguntur, qui nihilominus uerè pij Deoq; chari extiterunt? Proponitur spacium triginta dierum ad pœnitentiã, id quod nullũ Apostolũ solitũ facere legimus. nam Christus uult, in die septuagies septies remitti. Basilicam insuper in nomine Iohannis, & quidem ipso adhuc uiuo, extructam esse Ephesi, prorsus nouitatem olet. Constat enim, Constantini tempore primùm solita esse templa in sanctorum memoriam sumptuose ædificari. Narrat Abdias, orationibus Iohannis templum Dianæ Ephesinæ, unà cum idolo destructum esse: uenenum bibisse absq; læsione: & alia nonnulla, de quibus lectori iudicium relinquimus.

Historiam sanè elegantem Eusebius libro tertio capite uigesimosecundo, ex Clemente recitat, quam non pigebit adscribere. Clemens, inquit, simul & tempus significat, & historiam summè necessariam illis qui honestis & utilibus delectantur, adijcit, cuius & opulentus quidam Sozomenus in suo commentario meminit. Habet autem scriptum hoc illius, si legas, ad hunc modum: Audi fabulam non fabulam, sed uerum sermonem, qui de Iohanne apostolo narratur, nobisq; traditus ac memoriæ commendatus est. Post mortem tyranni, cum ex insula Patmo Ephesum reuersus esset, abijt etiam rogatus ad uicina gentium loca, ut partim constitueret episcopos, partim totas ecclesias componeret, partim clerum ex his quos Spiritus sanctus indicasset, sorte deligeret. Cum ergo ad ciuitatem quandam haud procul dißitam, cuius etiam nomen nonnulli edicunt, uenisset, ac inter cætera fratres recreasset, uerso ad eum uultu qui super cunctos episcopus erat constitutus, adolescentem corpore ualido, & facie eleganti, animoq; feruenti conspicatus: Hunc, inquit, tibi summo studio, testibus Christo & Ecclesia, commendo. Cum ille cõmissum recepisset, & diligentiam polliceretur, secundò eadem locutus, obtestatusq; est. Deinde ipse quidem Ephesum redijt. senior uerò acceptum adolescentem, sibi traditum, domi educauit, continuit ac fouit, tandem etiam illuminauit: pòst ad tantam etiam diligentiam & obseruantiam peruenit, ut et eximium illi phylacterium, obsignationem uelut Domini, adderet. Adolescenti uerò huic, cum intempestiuè remißior factus esset, coæui quidam ocioſi, dissoluti, malis rebus assueti, pernicioſe iuuenes ducuntur. Et primùm eum ad sumptuosa conuiuia deducunt: deinde noctu ad furandum & suppilandum egredientes, unà illum adsumunt. Post hæc petunt, ut maius aliquod facinus unà designet. Ille paulatim assuetus, & pro magnitudine ingenij uelut equus ore obdurato & robustus, recta uia relicta, morso freno, amplius ad barathrum ferebatur. Tandem salute quæ à Deo est desperata, iam nihil exigui meditabatur: sed quoniam semel perisset, magnum quid patrabat, parem cum alijs sortem ferre dedignatus. Arreptis itaq; socijs, collectaq; latronum colluuie, factus est latronũ dux uiolentißimus, homicidio addictißimus & sæuißimus. Aduenit interea tempus, ut necessitate quadam incidente Ioannem uocarent. Ille, cum ea quorum gratia uenerat constituisset, ad episcopum: Age, inquit, episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus tibi, teste Ecclesia, cui præes, concredidimus. Episcopus primùm obstupuit, calumniam sibi putans propter pecunias quas non accepisset intendi & nec fidem dare potuit de illis quæ non habebat, nec Ioanni diffidere. Vbi uerò Ioannes dixisset, Adolescentem & animam fratris repeto: submisso ultu, & ingemiscens senior adhuc & illachrymans: Ille, inquit, mortuus est. Cui Ioannes: Quomodo, inquit, & qua morte? Deo, inquit, hic mortuus est. Euasit enim malus & pernicioſus, & in summa, latro. Et nunc contra Ecclesiam, montem hunc, cum simili suorum exercitu occupauit. Rupta itaq; uestę Apostolus, & magno cum planctu suum ipsius caput tundens: Bonum, inquit, custodẽ animæ fratris reliqui. Detur iam equus mihi, et sit mihi quisquã uiæ dux. Accepto equo, properauit ex Ecclesia quantũ potuit. Cũ aũt ad destinatũ locũ uenisset, ab ex-

ab excubitoribus latronum capitur, nec fugiēs, nec detrectans, sed clamans: Ad hoc ipsum ueni, ducite me ad principem uestrum. qui interea ut armatus erat, expectabat. Vbi uerò accedentem agnouit, quòd Ioannes esset, pudefactus in fugam uertitur. Senex uerò fugientem pro uiribus insequitur, ætatis suæ oblitus, clamans, Quid me fili patrem tuum fugis, nudum ac senem? Miserere mei fili, ne timeas, habes adhuc salutis spem: ego Christo rationem pro te reddam: mortem, si necesse sit, pro te subibo, sicut et Christus pro nobis. Animā meam pro te dabo: Crede mihi, Christus me misit. Ille uerò cum ista audisset, primùm constitit quidem, sed uultu demisso: deinde & arma proiecit, mox intremuit etiam, & acerbè fleuit. Accedentem uerò senem complexus, fletuq; respondens ut potuit, lachrymis denuò baptisatus est, dextera duntaxat occultata. Apostolus autem eum, cum promisisset & iurasset, quòd remissionem ipsi à Seruatore impetraturus esset, orasset etiam, et in genua procubuisset, ipsam quoq; dexteram tanquam per pœnitentiam iam repurgatam deosculatus esset, ad Ecclesiā reduxit. Et cum assiduis precationibus pro eo orasset, continuisq; ieiunijs decertasset, ac mentem illius uarijs sermonibus demulsisset ac confirmasset, non recessit, sicut aiunt, priusquam eum Ecclesiæ restituisset: atq; ita magnum ueræ pœnitentiæ exemplum, magnumq; regenerationis experimentum, ac trophæum uisibilis resurrectionis exhibuisset.

Refert Irenæus lib. 3. cap. 3, historiam memoria dignam: Sunt, inquit, qui audierunt Polycarpum dicentem, quoniam Iohannes Domini discipulus in Epheso iens lauari, cum uidisset intus Cerinthū, exilierit de balneo non lotus, dicens: Quòd timeat, ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus, inimicus ueritatis. Hæc Irenæus.

Postremò, de Iohannis obitu, nihil certi extat. Hieronymus breuiter ait, Iohannē sexagesimooctauo post passionem Domini anno, mortuū Ephesi, & iuxta eam urbem sepultum esse. Aliæ Legendæ dicunt, Iohannem uiuum in sepulchrum, quod iusserat à suis excauari, ingressum, præcepisse, ut se terra obruerent: quo facto, mox inde & splendorem insignem et manna prodijsse. Verùm cum certa & explorata tradere non possimus, Legendas legentibus relinquemus.

PHILIPPVS APOSTOLVS.

CVm clarè dicat Lucas Actor. 6, iudicio duodecim Apostolorū electos esse septem uiros ex fratribus secretis, non ex Apostolis, diaconos, quos de numero LXXII discipulorum fuisse Epiphanius scripsit lib. 1. Tom. 1: alium fuisse Philippum eum qui Apostolus, aliumq; eum qui Diaconus fuerit, necesse est. Sed explicandi difficultatem parit, quòd cum Paulus Actor. 21 dicat, se Cæsareæ diuertisse in ædes Philippi euangelistæ, unius ex septem, cui fuerunt quatuor filiæ prophetantes: Eusebius lib. 3. cap. 31. & lib. 5. cap. 24, ex testimonio Polycratis Ephesij, illud ipsum de filiabus tribuit Philippo apostolo: in quo Eusebium erroris quidam arguunt. quanquam non sine nullo discrimine Polycrates id retulerit. Cum enim Paulus dicat, Philippo uni ex septem Diaconis quatuor fuisse filias prophetantes, Polycrates ita scripsit: Philippus unus ex duodecim apostolis obdormiuit Hierapoli, & duæ filiæ eius in uirginitate consenuerunt. Et altera filia eius, quæ in spiritu sancto conuersata est, Epheſi quiescit. ut uerisimile sit, Philippo utriq; filias fuisse. & discrimen perspicuū est, quòd Paulus de quatuor Philippi diaconi filiabus prophetiæ dono claris dixit. De Apostolo igitur prius dicemus: cui eandem fuisse cum Petro et Andrea patriā, Bethsaida scilicet, uicū Galilææ, Ioannes cap. 1. clarè testatur: ac de uocatione Philippi ad apostolatum addit, Christum post conuersos & uocatos Simonem & Andream abijsse in Galilæam, ibiq; ad Philippū inuentum dixisse, se ut sequeretur. Secutum igitur Philippū, paulóq; pòst prædicatione de Iesu, filio Ioseph à Nazareth, de quo Moses & Prophetæ uaticinati essent, Nathanaelem conuertisse. Exinde uerò Philippum in conuictu cum Christo semper fuisse auditorem, & spectatorem fuisse admirandorum operum, ex alijs Ioannis narrationibus apparet: ut quòd in monte, ad mare Tiberiadis, confirmandi Philippi gratia, Christum de ratione pascendi immensam multitudinem, cum eo narrat consilium cæpisse, cap. 6. Cap. uerò 12, cum moti miraculo paulo antè à Christo Lazari resuscitati, gentiles Iesum uidere cupientes, Philippum accedunt: qui re cum Andrea deliberata, hoc Iesu nūciat. Capite decimoquarto: Christus Philippum in concione à cœna se interpellantem, ac dicentem, Domine ostende nobis patrem, reprehendit, ac confirmat dulci postea concione: Tanto, inquit, tempore uobiscum sum, et non cognouistis me? Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum, &c. Hanc igitur rationē consuetudinis Philippi cum Christo, ante eius passionem & resurrectionem fuisse, Ioannes indicauit. Nec postea quicquam de eo sacræ literæ meminerunt. Eusebius ex Clementis testimonio, maritū fuisse, liberis procreandis operam dedisse, et filias elocasse, indicat lib. 3. cap. 30.

At quæ de filiabus eius Polycrates scripserit, paulo antè retulimus. In Scythia uerò Philippum annis XX concionatum, reliquum omne scriptorū uulgus, ut Abdias, Vincentius, Bergomensis, Petrus de Natalibus, etc. prodiderunt. Tandem uerò Ebionitarum ui oppressum eum, & in crucem actum, Sabellicus tradidit 7. lib. 2. Abdias contrà. Nauclerus, reuersum eum ex Scythia, Hierosolymam redijsse, ac mortuum esse sub Tito Vespasiani filio, testatur. Eusebius in chronico suo uariat. Crucifixum, & lapidibus obrutum Philippum, annotauit anno XII Claudij, Christi uerò LIIII. Eusebius lib. 4. capite 24. ex Polycrate: Philippus, inquit, unus ex duodecim obdormiuit Hierapoli. Quo modo & Sophronius ait: Philippus apostolus in Phrygia prædicauit Euangelium. sepelitur autem Hierapoli cum filiabus honorificè.

BARTHOLOMÆVS.

EST in Catalogo Apostolorum duodecim, nomen Bartholomæi, Marci tertio. Narrat autem ex Damasceno Petrus de Natalibus, Syrum eum fuisse natione, solum ex omnibus Apostolis nobilitate carnali ornatum, ut qui regis Syrorum nepos fuerit. Nihil autem eius aut historia Euangelica, aut prædicti scriptores retulerunt. Indis concionatum eum, ijsdem Euangelium Matthæi Ebraicè scriptum reliquisse, consentiunt Sophronius, Sozomenus libro 2. cap. uigesimoquarto,

Eusebius

Eusebius lib. 5. cap. 10, & Hieronymus in catalogo de Pantæno. Sunt qui in Lycaonia docuisse eum primùm tradiderint, inde in India, ac postremò Armenia. ac autor Supplementi chronicorum, & Sabellicus Enncad. 7. lib. 4, Nicephorus lib. 2. cap. 39, Philippum & Bartholomæum Syriam & Asiam superiorem sortitos, scripserunt. Abdiæ narratio de Bartholomæo, fabulæ quàm historiæ similior est. Quorsum enim hoc, quòd dæmonium finxit Abdias respondere de Bartholomæo: Viginti sex anni sunt, ex quo nunquam sordidantur uestimenta eius: similiter et sandalia eius, per uiginti quin que annos nunquã ueterascunt. Et quòd per fores clausas introijsse eum ad regem Poloniũ fabulatur: id quod tantum Christo post resurrectionem tribuitur. Tum quòd in concione eidem regi Matthæum dicere fingit, Mariam seruandæ uirginitatis uotum primùm Deo uouisse, aliaq; similia, quæ ab Apostolica tum historia tum doctrina alienissima sunt. Nicephorus eum Hierapoli in crucẽ actum, miraculosè primùm euasisse, postea autem iterum suspensum perijsse, retulit. Autor uerò Supplementi, et Sabellicus, à fratre eum Palymnij Astyage, pontificum, qui dæmonibus seruierant, insidijs in Armeniæ urbe Albana interfectum narrant, pelle prius detracta. Quod & plerique de Bartholomæo retulerunt, estq; uerisimile. Nam inter suppliciorum genera excoriationem Persas habuisse, Marcellinus scripsit libro uigesimotertio, pœnã sine dubio uicinis etiam gentibus cognitam.

DE MATTHAEO APOSTOLO.

Matthæum, qui Apostolum se ipsemet in Euangelio suo cap. 9 nominat, Marcus et Lucas Leui uocant. unde constat, eum binominem fuisse. Marcus etiam parentem eius Alphæum exprimit cap. 2. Fuit autem publicanus Capernai, aut uicino loco, sicut ex historia Christi licet colligere. Testaturq; hæc ipsa res, opes sanè, si non magnas, saltem mediocres ibi habuisse Matthæum. Etsi autem uero simile est, eum initio aliquandiu tantum discipulum Christi fuisse, qui attentè audierit eius conciones, ac miracula spectarit: tamen nihil in Euangelica historia hac de re legimus. Vocatio eius ad ministerium Euangelicum, singulari simplicitate, sicut et reliquorum Apostolorum, facta est. Præteriens enim Christus cum locum ubi Matthæus ad teloniũ sedebat, ait ad eum, Sequere me. Matthæus hac uoce audita, illico surgit, relictisq; rebus omnibus Christum sequitur. Facit autem Matthæus Christo magnum conuiuiũ, inuitatis simul alijs publicanis: quos proculdubio adduxit, ut & ipsi Christi conciones audirent, ac pœnitentiam agerent. Phariseis deinde hoc factũ Domini carpentibus, quasi fas non esset hominem sanctum cum peccatoribus, quales uulgò habebantur publicani, cibum capere: diserte Christus respondet, se uenisse ut peccatores uocaret ad pœnitentiam. & scriptum esse ab Osea: cap. 6: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Matth. 9. Marci 2. Lucæ 5. Postea & publicam quasi confirmationem unà cum cæteris undecim accepit, Matth. 10. Mar. 3. Lucæ 6. Erat autem uocationis ratio eiusmodi, ut ante resurrectionem Domini in Iudæa tantum, iuxta mandatum eius docerent Apostoli. Facta uerò resurrectione, in totum terrarum orbem emittuntur, neq; amplius illis angustis terminis constringuntur. Donã accepit cum alijs Apostolis communia, nempe non tantum arcanam Spiritus sancti donationem, sed etiam uisibilem in Pentecoste quasi infusionem, fidem præstantem, facultatem miraculorum, & alia. Quæ porrò & ubi egerit, sacris quidem literis memoriæ non est mandatũ, nisi quòd de eius fide, dexteritate, & ardore in propagando Euangelio Christi, historia Euangelica ab ipso conscripta, satis luculentum ferat testimoniũ, quæ quidem eius studium in inuestigandis et obseruandis rebus & concionibus Christi præclarè commendat, & perspicuè ostendit, qualem ipse doctrinam solitus sit auditoribus proponere. Scribit Eusebius libro tertio, capite uigesimoquarto, Matthæum primùm Ebræis prædicasse: & cum iam ad alios transiturus esset, patrio sermone Euangelium suum descripsisse, ut certam non modò historiam, sed quasi Methodon doctrinæ Christianæ haberent. Fortè & cauere uoluit, ne aliud suppositiciũ quiddam substitueretur. Ebraicis literis eum scripsisse Euangelium suum, etiam Papias testatus est: ut refert Eusebius libro tertio, capite trigesimonono. Nec uidetur alienum, Irenæi etiam testimonium adscribere, qui libro aduersus Hæreses 3. cap. 1. sic inquit: Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij, cum Petrus & Paulus Romæ euangelisarent, & fundarent Ecclesiam.

Hic locus tempus indicat, quo adhuc in Iudæa contimuit se Matthæus. In Chronicis Eusebius annotat, tertio Caligulæ anno Matthæum hanc sacram Christi historiam contexuisse. Pantænum in India hoc Matthæi Euangelium reperisse, & quidem Bartholomæi operæ ibi relictum, (uel, ut alij uolunt, ipsius manu exaratũ) ac Alexandriam deportasse, idem autor affirmat libro quinto, capite decimo, Histor. eccles. In Cypro Matthæi Euangelium fuisse in tumulo Barnabæ inuentum, ipsius quidem Barnabæ manu descriptum, Theodorus Lector in secundo libro Collectanearum ex historia Ecclesiastica testatur.

In Catalogo uirorum illustrium Hieronymus scribit, Matthæi hebraicum Euangelium in Græcum transfertum esse: latum esse: uerùm quis id fecerit, incertum plane esse: Hebraicum uerò in bibliotheca Cæsariensi suo etiam tempore extitisse, quam quidem Pamphylus Martyr conferit. Sibi quoq; narrat à Nazaræis, qui in Beroæa Syriæ urbe hoc uolumine usi sunt, describendi potestatem esse factam. Testimonijs ueteris Testamenti Matthæum uti iuxta Septuaginta translationẽ, ex quibus illa duo sint: Ex Aegypto uocaui filium meum, &, Quoniam Nazaræus uocabitur. Porrò extat Euangelium Matthæi Hebraicum adhuc hodie, unà cum uersione Sebastiani Munsteri.

In Iulio Africano (qui quidem nuper prodijt, & Abdiæ nomen præ se fert uerùm, ut non leues sunt conjecturæ, non rectè) narratur, Matthæum in Aethiopiam, & quidem in ciuitatem magnam Naddauer dictam, uenisse: ibiq; duos magos, quorum unus Zaroes, alter Arphaxat appellatus sit, se'que Deos esse uenditarint, fictisq; miraculis plurimos dementarint, confudisse. Læsos ab ipsis homines sanasse: duos ipsorum dracones, quibus stipati in ciuitatem uenerint, sopijsse: & rursus excitatos, iußisse mansuetè urbe exce-

excedere: regis Aeglippi filium excitasse, eoq; miraculo regẽ, eius liberos, totũq; populũ conuertisse, ibiq; eunuchum reginæ Candaces, de quo in Actis Lucas mentionem facit, inuenisse. Deniq; ab Hyrtaco rege, qui Aeglippo successerat, capite truncatũ: quòd asseueraret Matthæus, Ephigeniam Aeglippi filiam Christo dicatam, nec licere eam ducere uxorem. Multa autem in hac ipsa historia recitantur, quæ eam nõ iniuria suspectam faciãt, & arguant posteriori tempore incerto autore compilatam fuisse. Nam Matthæo talia tribuuntur, quæ ab historia ipsius Euangelica prorsus discrepant. Affirmat, sanctis meritis eundum in cœlum. at Christus inquit: Qui credit in me, habet uitam. Item de quadragesima inquit: Diebus siue Quadragesimæ, siue legitimorum ieiuniorum temporibus, tam ab edacitate carnium, quàm mixtione corporum, qui non abstinuerit, non pollutionem solum, sed etiam simul crimen incurrit, quod quidem ait pœnitentiæ lachrymis eluendum. at in Euangelio suo docet, Christum tantum duo ieiuniorum genera, absque temporis præfinitione docuisse: nempe id quod adfert ipsa necessitas, seu inopia rerum, tempore præsertim confessionis: deinde temperantiam, ne corda grauentur crapula & ebrietate, & curis huius mundi. Constat præterea, superstitionem de Quadragesima, non Apostolorum temporibus, sed diu pòst natam esse: imò non fuisse initio talem cõscientiæ laqueum, qualem fictus ficti Abdiæ Matthæus facit. Eius generis & hoc est, quòd paulo pòst asserat, eum qui cibum carnalem accipiat prius, quàm cibum spiritualem, nempe cœnam Dominisumat, facere contra ordinem, contra iusticiam, contra regulam Dei. Atqui docet in Euangelio suo autentico Matthæus, Christum uespері in cœna corpus & sanguinem suum tradidisse. Cur ergo hic fictus ille Matthæus peccatum mortale facit, cibo corporali sumpto, deinde cibo isto spirituali frui: cum de tempore neq; à Christo, neq; ab Apostolis, ulla sit facta determinatio? Affirmat præterea, uirginem Christo consecratam non fas esse nubere: sed nusquam hoc habet eius Euangelium, nec cæteri Apostoli eam necessitatem ullis imposuerunt. Nouitatem insuper sapiunt, quòd congressurus cum draconibus Matthæus, consignarit se: quòd mandarit templum resurrectionis extrui: quòd amplius quàm ducentum uirgines consecrarit in cœlibatum, & uelamen eis sanctum imposuerit, missam ab eo acceperit populus, rursus pòst mortem apparuerit: quæ quidem omnia Apostolis, ut ipsorum scripta luculenter testantur, prorsus fuerunt incognita. Vincentius in suo Speculo, et Ioachimus Perionius, eadem audacter quidem recensent: uerum Abdiæ neuter tribuit. Aliter historiam Matthæi Nicephorus lib. 2 cap. 41 recitat, quòd apud Anthropophagos, in ciuitate Myrmena docuerit, ac clauis deniq; in terram sit defixus. Verùm & hic plurima, quæ à superstitione non uidentur aliena, quæq; cum priori narratione ex diametro pugnãt, referuntur: nec putamus lectorem ijs legendis defatigandum esse.

DE THOMA APOSTOLO.

FVit unus ex Apostolorũ Christi numero Thomas, qui & Didymus dictus est, ut Iohann. 11 & 20 scriptum est. Ex quibus autem parentibus sit natus, quomodo conuersus ac uocatus, nihil extat, nisi quòd in numerum Apostolorum immediatè sit à Christo cooptatus. Mat. 10. Mar. 3. Lucæ 6. Habuit igitur omnia cum cæteris Apostolis communia, quæ non libet hoc loco prolixè repetere. Magno eum amore erga Christum & præclara fide arsisse, uel hæc eius uox testatur, quòd Christo significante, se in Iudæam iturum ad Lazarum defunctũ, Thomas cohortans suos condiscipulos inquit: Eamus et nos, ut moriamur cum eo. uidebantur enim alij ab ea profectione abhorrere, ipsumq; Dominum cohortari ne se in periculum conijceret, eo quòd Iudæi insidias ei struerent: Iohann. 11. Tempore autem passionis Christi, eodem quo cæteri Apostoli trepidationis morbo laborauit: & post resurrectionem Christi præ reliquis imbecillitatem suam declarauit. Nam cum ab alijs discipulis audiret, quòd Iesus toti cœtui sese uiuum exhibuisset, ipse dixit: Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. uenitq; Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas: & admoue manũ tuam, & immitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed credens. Respondit Thomas, ac dixit ei: Dominus et Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati. qui non uiderunt, & crediderunt. Præclarè igitur fides eius creuit, neq; mansurus erat Christi discipulus procul dubio, si post tantam pertinaciter in imbecillitate perseuerasset. Postea rursus ad mare Tiberiadis cum Petro & alijs uidit Dominum, ac cum eo cibum cæpit. Iohan. 21.

Spectat etiam cum alijs credentibus Christi ascensionem, iuuat electionem Matthiæ. Quæ porrò in functione sua egerit, in sacris non habentur. Narrat Eusebius lib. 1 cap. 13, Thomam apostolum misisse Abgaro Edessenorum regi Thaddæum, à quo sanitati est restitutus. Et lib. 3 cap. 1 ait, Thomæ Parthiam in diuisione Apostolorum obtigisse. Consentit cum eo Hieronymus, qui sic scribit: Thomas Apostolus, quemadmodum traditũ est nobis, Parthis & Medis & Persis et Germanis & Hyrcanis & Bactris & Magis prædicauit Euangeliũ Domini. Euangeliũ quoddã Thomæ ab hæreticis prolatũ esse, Eusebius lib. 3. ca. 25 indicat. Quomodo aũt in India sese gesserit Thomas, liber Abdiæ hodie adscriptus, ualdè copiosè narrat. Verùm ea cũ Apostolica & uita & doctrina minimè cõsonant. cõmemorat enim, Christum quosdam, qui iam primùm nuptias celebrabant, quadã appa ritione à consuetudine coniugali reuocasse, ut castè uiuerent: id quod Christus nunquam facitauit. Deinde ait, Thomam etiam aliquot honestas matronas ita conuertisse, ut desertà consuetudine coniugali, perpetuæ castitati sese obstringerent. quasi uerò Christianismus in eo consisteret, quòd legitimi coniuges sese inuicem relinquerent, & sponte matrimonia dissoluerent. Paulus certè prorsus contrarium docet 1 Corinth. 7. Iubet præterea Thomas in illa narratione, diuitem mulierem omnes facultates distribuere pauperibus: id quod etiam alienum est ab Apostolorum factis. Nam Christianismus in longè grauioribus rebus consistit. Neq; conuenit Apostolorum temporibus, quod ibi de Thoma recitatur: quòd diacono caput totonderit, item septem dierum ieiunia imposuerit, item omnia crucis signo peregerit:

gerit: quæ res aliquem prodit, qui diu post Apostolorum tempora eius modi superstitiosas res confinxerit. In oratione postrema quæ Thomæ ante mortem tribuitur, parũ differt Thomas ille à Pharisæi oratione Luc. 18, qui tantũ de suis bonis operib. magnificè gloriatur, neq; de fide in Christũ quicquam nouit. Sic enim in Thomæ oratione prædicationem prolixam suorum operum, at de fide in Christum ne uerbũ quidem unum reperias. Est & hoc superstitiosum, et cõtra scripturã, quòd Thomas post mortem rursus apparuerit, & concionatus sit. Mitto alia, quæ pius & attentus lector ibi obseruabit. Addit idem author, lanceis Thomam transuerberatũ esse. Alij gladio cum percussum esse scribunt. Hieronymus dicit, eũ dormiuisse in ciuitate Calatrina, quæ est Indiæ. Edessam Mesopotamiæ reliquias Thomæ esse trãslatas, Ruffinus lib. 2 Eccles. hist. cap. 5 affirmat. & Socrates lib. 4. cap. 18 scribit, martyriũ Thomæ esse in ea ciuitate: id quod Sozomenus lib. 6 cap. 18 Oratoriũ appellat. Sed certioribus testibus ista omnia destituuntur.

IACOBVS ALPHAEI, IVSTVS MINOR, frater Iudæ, frater Domini.

DVos fuisse eiusdẽ nominis Christi discipulos, Euãgelica historia, & in Actis apostolicis Lucas, testantur: quorũ alterum Iustũ, item fratrem Domini, item minorẽ, & Iacobũ Alphæi dictũ: alterũ Zebedæi, & fratrẽ Ioannis, ferè legimus. Sed de Iacobo Alphæi seu Iusto iam dicemus, quem Epiphanius lib. 5 tom. 2 etiam Obliam, hoc est, murũ cognominatũ narrat: & Nazaræum, id est, sanctũ. Ac fratrem quidẽ Domini, uel propter conuictũ & conuersationẽ, uel propterea quòd fratris ipsum loco Christus habuerit, lib. 1. tom. 2. Cum tamen & in ea fuerit opinione, Iacobũ hunc Iosephi fuisse filiũ primogenitũ, ex alia uxore natũ circa annũ ætatis Iosephi 40. Quod & alij multi, sed parũ firmis sensẽrũt rationibus, ut quæ Abdiæ nomine circumfertur historia, & Petrus de Natalibus: qui eum ideo fratrẽ Domini dictum fuisse existimant, quòd & forma corporis & morib. Christo fuerit quàm similimus, ac pro eo sæpe iudicatus sit: imò & eum, quem Iudæi Christũ capturi pro Christo cõprehenderint, quiq; sindone reiecto fugerat, quemadmodũ Marci 14 dicitur. Sed hanc opinionẽ alij probabiliorib. rationib. euerterunt. Ait Sophronius, Iacobum Iosephi ex alia uxore fuisse filiũ, à nonnullis adseuerari: sibi aũt uideri, Mariæ etiã sororis matris Domini filiũ fuisse. Quod et Hieronymus aliquot in locis indicat, ut in enarratione cap. 1 epistol. ad Galatas: ubi secundum cognationẽ, inquit, frater Domini Iacobus dicitur, quoniã de Mariã Cleophæ, sorore matris Domini, natus est. In libro uerò aduersus Heluidiũ prolixè ostendit, Alphæi (quemadmodũ et Mat. 10, Mar. 3, Lu. 6, Act. 1 Iacobus Alphæi dicitur) & Mariæ Cleophæ filiũ fuisse Iacobum, Iosephi aũt nusquam meminit. In fine uerò enarrationis capitis 12 Matthæi, idem hoc modo repetit: Quidã fratres Domini, de alia uxore Iosephi filios suspicantur, sequẽtes deliramẽta Apocryphorũ, et à quadam Escha muliercula. Nos aũt, sicut in libro quem contra Heluidiũ scripsimus continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed cõsobrinos saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris & Ioseph & Iudæ, quos & in alio Euangelij loco fratres Domini legimus appellatos. Consentit Petrus de Natalibus, qui in uita Iacobi in hunc modũ scripsit: Iacobus apostolus dictus minor, sed frater Domini cognomento. Iustus ob uirtutis prærogatiuam, ut Eusebius ait lib. 2 cap. 1, fuit filius Alphæi & Mariæ, sororis fratris Domini: sicq; consobrinus Christi fuit, propter quod more Iudæorum & frater Domini appellabatur. Minor dicitur, ad differentiam alterius Iacobi apostoli, filij Zebedæi: qui Maior ideo dicitur, quòd prior eius fuerit uocatio. Iustus appellatus est, propter seueritatem, &c. Appellationis postremò fratris Domini rationem etiam hanc Hieronymus recensuit, in loco paulo antè memorato: Dictus est, inquit, frater Domini, primùm propter egregios mores, & incomparabilẽ fidem sapientiamq; nõ modicam. Secundò, quòd primus in Ecclesia præfuerit, quæ prima in Christum credens ex Iudæis fuerat congregata. Atq; hæc de Iacobi appellationibus, cuius & in Actis aliquoties Lucas, & in epistola ad Galatas & Corinthios Paulus meminerũt. Act. 12, Petrus per angelũ è carcere liberatus, nunciari iubet suam liberationem Iacobo & fratribus. Act. 15, cum legati ex Antiochia Barnabas & Paulus Hierosolyma uenissent, super controuersia de lege & circumcisione, Iacobus hic præsentibus legatis, ad fratres cæteros concionẽ habet, & ex Amos uocationẽ gentium postea probat, & rescribendũ fratribus decernit, ne gentibus Moysi iugũ intolerabile imponant: sed abstinere eos iubeant ab inquinamẽtis simulachrorũ & suffocato, sanguine & scortatione, &c. A quo diuersum tamẽ esse uidetur, quòd Act. 21. 21 narratur: quòd in postremà Hierosolymam uersus profectione ad Iacobũ Paulus diuertitur, & conuocata synodo omnium presbyterorũ, ei à Iacobo & cæteris persuadetur, ut propter Iudæos offensos se purificet in templo: in quo & Paulus obtemperat. Qui certè nõ exiguus tanti doctoris fuisse uidetur lapsus, non satis scilicet rationem abrogationis legis Mosaicæ habentis: nisi per hoc excusari potest, q. nõ omnia tam subitò mutare potuerit, & synagogam cum honore (ut Augustinus inquit) sepeliendam putauerit. Aut certè hoc sensit, quòd Paulus ipse 1 Cor. 9: Omnium me seruum feci, ut plures lucrifacerem: factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer, &c.

In epistolis suis deinde Paulus quædam, quæ in Actis etiam Lucas de Iacobo recensuit, meminit. ut Gal. 1. Alium Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Et cap. 2. Cum uenisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priusquàm uenirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat. Ac rursus ibidem: Post annos 14 iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba. ubi cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos ingentes, ipsi autem in circumcisionem, &c. Quibus omnibus testimonijs nusquam tamen expresse dicitur, Iacobum episcopũ fuisse Hierosolymorum: quod constanter pleriq; affirmarunt, ut Eusebius lib. 4 cap. 5: & in Chronico, ubi primum Hierosolymorum episcopum ab Apostolis ordinatum indicat, anno Christi XXXIII, anno uerò Tiberij XIX, secundum eundem & Bedam, ac Nauclerum. De pietate, constantia,

stantia, castitate, religione, permulta ex Egesippo & Iosepho Eusebius retulit, quæ mox subijciemus. Hieronymus enim tantæ cum sanctitatis & autoritatis in populo fuisse, in enarratione capitis 1 epistolæ ad Gal. scripsit, ut fimbriam uestimenti eius certatim cupierint attingere. Idem & perpetuam præstitisse eum uirginitatem, ex Egesippo, quod & alij, retulit in scripto aduersus Iouinianum. Epiphanius & miracula ei tribuit, ut quòd in arenti siccitate pluuiam precibus à cœlo deduxerit. Præfuisse eum episcopatui Hierosolymorũ per annos triginta, ex Eusebij supputatione apparet: & Sophronius, Nauclerus, alijq; testantur. Interfectum uerò eundem à Iudæis, post constantem de Christo confessionem, anno nati Christi LXIII, Neronis uerò VII, post ascensionẽ uerò Christi anno circiter XXIIII, ætatis uerò suæ anno XCVI, ut Epiphanius indicauit lib. 3 Tom. 2.

IACOBI IVSTI HISTORIA, EX Clemẽte Alexandrino, Egesippo & Iosepho, referente Eusebio lib. 2 cap. 1 & 23.

STephanum secutus est frater Domini dictus, eo quòd & ipse Iosephi sit filius nominatus. Hic autem Ioseph Christi pater putabatur, cui desponsata fuit Virgo, quæ antequam cõuenirent inuenta est in utero habens de spiritu sancto, sicut sanctorum Euangeliorum scriptura docet. Hunc Iacobum, quem & Iustum cognomento uetères propter uirtutis prærogatiuam uocarunt, primũm episcopalem Hierosolymitanæ ecclesiæ sedem sortitum esse scribunt. Clemens hoc in sexto Hypotyposeon libro sic scribens asserit: Petrus enim, inquit, & Iacobus & Ioannes post assumptionem Seruatoris, quamuis ab ipso quoq; Domino alijs essent prælati, gloriam tamen hanc sibi ipsis non uendicarunt, sed Iacobum Iustum Hierosolymorum episcopum constituerunt. Idem Clemens in septimo Hypotyposeon, hæc quoq; de illo meminit: Iacobo, inquit, Iusto, & Ioanni, & Petro, post resurrectionẽ suam Dominus scientiam tribuit. Illi uerò reliquis eam Apostolis tradiderunt, Apostoli postea septuaginta discipulis, è quorum numerò erat et Barnabas. Fuerunt autem duo Iacobi: unus Iustus ille, qui de pinna deiectus, instrumentoq; fullonus percussus obdormiuit: alter, qui capite truncatus est. Eius qui Iustus dicebatur, meminit & Paulus dicens: Alium autem Apostolorum non uidi quenquam, nisi Iacobum fratrem Domini. Et cap. 23. Iudæi, cum Paulo, post appellationẽ ad Cæsarem factã, Romã à Festo misso, spem perficiendarũ insidiarũ, quas illi struxerant, amisissent, in Iacobũ fratrẽ Domini uertuntur, cui Hierosolymis ab Apostolis episcopalis sedes cõcredita fuerat: cõsimilia igitur aduersum hunc quoq; præsumẽtes, statuunt cum in mediũ, exiguntq; corã omni populo, ut fidẽ Christi perneget. Cum aũt ille præter omniũ sententiã libera uoce, ac maiore cũ fiducia quàm expectassent, corã uniuersa multitudine Iesum filiũ Dei esse seruatorẽ ac Dominũ nostrum cõfiteretur, testimonium uiri amplius ferre nõ ualentes, eo quòd iustissimus ab omnibus, propter sublimitatem philosophiæ ac pietatis, quam uiuendo declarabat, crederetur: occidũt eum, opportunitatẽ ad id facinoris ex interstitio regni nacti, eo quòd tum Festo in Iudæa mortuo, administratio eius prouinciæ principe ac procuratore destituta esset. Quo aũt pacto sit occisus Iacobus, iam quidẽ antè adducta Clemẽtis uerba declararunt: qui illũ pinna tẽpli deiectũ, ac fullonis instrumẽto percussũ, obijsse scripsit. Egesippus uerò, qui primæ succeßiõis Apostolorũ tẽpore uixit, cautam hanc diligẽtißimè in quinto cõmentario suo ad hunc modum describit dicens: Ecclesiam gubernandam post Apostolos, Iacobus frater Domini accepit, Iustus ab omnibus, à tẽporibus Domini ad nos usq; dictus. Aliàs multi Iacobi uocabantur: hic uerò ex utero matris sanctus, uinum & syceram non bibebat, neq; animato aliquo uescebatur, nouacula in caput eius non ascendebat, oleo nõ ungebatur, nec balneo utebatur. huic soli in sancta licebat ingredi: neq; enim lanea ueste, sed sindone induebatur, ac solus templum intrabat, inq; genua procumbere, & remißionem pro populo petere inueniebatur: ita ut genua ipsius in morem cameli, sensum contactus amiserint, ex assiduitate uidelicet in illa procumbendi, quòd Deum adorando, in remißionem populo petendo faciebat. Propter excellentiã itaq; iusticiæ, Iustus uocabatur: & Oblias, quòd sonat, si interpreteris, munimentum & iusticia populi, sicut & prophetiæ de eo indicant. Igitur cum nonnulli eum ex hæresibus, quæ in populo obtinuerant (de quibus antea in Cõmentarijs scripsi) quod nam esset ostium Iesu, interrogarent? respondit, hunc esse seruatorem. Vnde aliqui Iesum esse Christum crediderunt. Hæreses uerò prædictæ nec resurrectionem, nec uenturũ aliquem credunt, qui unicuiq; redditurus sit secundũ opera sua. Quotquot aũt credebant, propter Iacobũ credebant. Cum igitur multi etiam ex principibus crederent, factus est tumultus Iudæorum, scribarum & Phariſæorum dicentium: Periculum est, ne totus populus Iesum hunc tanquam Christum expectet. Congregati itaq; dicebant Iacobo: Obsecramus te, cohibe populum. etenim errat in Iesu, quasi ille uerè sit Christus. Obsecramus te, persuade omnibus qui ad festum Paschatis diem uenitũt, de Iesu. Tibi namq; obedimus omnes: etenim & nos cuncti, & populus omnis, testificamur de te quòd iustus sis, nec personam cuiusquã accipias. Persuade igitur turbæ, ne in Iesu erret: cunctus enim populus, & nos, tibi obtemperamus. Sta igitur supra pinna templi, ut è superno cõspicuus sis, et uerba tua ab uniuerso populo clarè percipiantur. nam propter pascha conuenerunt huc cunctæ tribus, unà cum ijs qui ex gentibus sunt. Statuerunt igitur prædicti scribæ & Phariſæi Iacobum supra pinnã templi, clamaueruntq; ad eum & dixerunt: Iuste, cui uniuersi obedire debemus, quoniam populus post Iesum crucifixum seducitur, annuncia nobis, quod sit ostiũ Iesu Christi? Et respõdit uoce magna: Quid me interrogatis de Iesu filio hominis, cũ ipse sedeat in cœlo à dextris magnæ potẽtiæ, uenturusq; sit in nubib. cœli? Cumq; id multis eßet persuasum, Deumq; super testimonio Iacobi glorificarent, ac dicerent, Hosanna filio Dauidis: tunc scribæ & Phariſæi inter se dicebãt: Malè fecimus, quòd tale testimoniũ Iesu præstitimus. uerùm ascendamus, comprehendamus eum, ut timore cohibiti, fidem illi negent. Et uociferati sunt dicentes: O' ò, & Iustus seductus est. & implerunt scripturam, quæ in Esaia dicit: Tollamus Iustum, quoniam incommodus est nobis: quapropter germina operum suorum comedent. Ascenderunt itaque, & præcipitarunt Iustum, dixeruntq; inter se: Lapidibus obruamus Iacobum Iustum: ac cœperunt eum lapidibus impetere. nondum enim fuerat mortuus, cum esset deiectus, sed cõuersus genua sua posuerat, dicens: Ob

secro Domine Deus pater, remitte eis. non enim intelligunt quod faciunt. Cum autem eum lapidibus impeterent, unus ex sacerdotibus filijs Rechab, filij Charabim, quorum testimonium apud Hieremiam prophetam est, uociferatus est dicens: Quiescite, quid facitis? Orat pro uobis Iustus. Et unus ex eis qui aderant, ex fullonibus arrepto instrumento, quo uestimenta excutiunt ac purgãt, caput Iusti percussit, atq; ita ille martyrium pertulit. Et sepelierunt eum in eodem loco, & columna eius iuxta templum adhuc manet. Hic testis & Iudæis & gentibus uerax fuit, quòd Iesus sit Christus. Et Vespasianus confestim eos uastata Iudæa captiuitati subiecit. Hæc fusè ab Egesippo dicta, consona sunt illis quæ Clemens scripsit. Erat aũt hic Iacobus adeò clarus, & corã omnibus iustitiæ gratia celebris, ut & Iudæorum sapientes tam subitæ post martyriũ eius Hierosolymorum obsidionis causam, ob quam ista Iudæis acciderunt, non esse aliunde putent, q̃ ex scelere cõtra eũ præsumpto. Iosephus quoq; non detrectauit etiã hoc scripto testari, cũ his uerbis loquitur: Hæc autem contigerunt Iudæis, ultionis gratia, propter Iacobum Iustum, qui frater erat Iesu, quem Christũ nominant. Iudæi siquidem illum, cum iustissimus esset, occiderunt. Idem Iosephus etiam mortem eius in uigesimo Antiquitatum libro declarat dicens: Cæsar autem audita Festi morte, Albinum præsidem in Iudæam mittit. Iunior uerò Ananus, quem Pontificatũ accepisse diximus, contumaci erat & singulariter audaci ingenio. adhærebat autem hæresi Sadducæorum, qui in iudicijs atroces erant apud omnes Iudæos, sicuti iam antea significauimus. Cum itaq; talis esset Ananus, opportunitatẽ nactũ se ratus, ex eo quòd & Festus mortuus, & Albinus adhuc in itinere esset, conuocato iudicum consessu, fratrẽ Iesu, qui Christus dicebatur (nomen illi erat Iacobo) & nõnullos alios in medium adduxit, deq; eo accusauit, quòd legem transgressi essent, ac lapidibus obruendos dedit.

Annotauit Sophronius, atq; ex eo alij, interfectum Iacobum ad templum, unde præcipitatus fuerat, sepultum fuisse: & inscriptionem monumenti, Titi & Hadriani deinceps temporibus adhuc conspectam.

De epistola Iacobi.

Adiecit & hoc Eusebius ibidem, de epistola Iacobi: Eius, inquit, dicitur esse epistola, quæ inter Catholicas prima est. Sciendũ aũt est, esse eam adulterinã. nõ enim multi ex ueterib. mentionẽ illius faciũt. Sophronius itẽ: Vnã tantũ, inquit, scripsit epistolã, quæ de septẽ catholicis est: quæ et ipsa ab alio quodã sub nomine eius edita asseritur. Nos, ex quibus rationib. appareat non esse epistolam eam apostolicam, alio loco ostendimus.

IVDAS LEBBAEVS, THADAEVS.

IVdam Lebbæũ etiã, et Thadæũ dictũ, ex Matth. cap. 10 apparet: et meminit earum appellationũ Hieronymus in expositione eiusdẽ capitis Matthæi. qui et Zelotẽ eũ, atq; Symeonẽ dictũ, in enarratiõe cap. 4 epistolæ ad Galatas indicat, ubi: Iudas, inquit, apostolus ob insignem zeli in se uirtutẽ Zelotis nomẽ accepit. Fratrẽ eũ Iacobi Lucas appellat cap. 6. & Actor. 1. Et Eusebius lib. 2. cap. 20, ex Egesippo, fratrem Domini secundum carnem. Epiphanius, qui Iosephi hos quatuor, Iacobum, Symeonẽ, Iosen, Iudã ut diximus, filios fuisse, incerto tamen iudicio affirmat, ait Iudã filium Iosephi fuisse, natu minorẽ. Nec alia in sacris literis Iudæ huius mentio fit, præterq̃ quod Ioannes cap. 14. indicat, in prolixo sermone Christi à cœna, Iudã quæsijsse à Christo, quamobrẽ discipulis se suis, et nõ mũdo ostẽsurus esset. eiq; Christũ respondisse hæc uerba: Si quis diligit me, sermonẽ meũ seruabit, &c. Sic etiã nihil de cõuersione, aut uocatione peculiari ad ministeriũ legitur. Nicephorus lib. 2 cap. 40 et 44, uicinas eas regiones, ut Iudæã, Galilæã, Samariã, Idumæã, Arabiã, Syriam, Mesopotamiã percurrisse narrat. Sabellicus Ennead. 7 lib. 4, in Mesopotamia Iudam Euãgeliũ diu propagasse tradit: qua postea uirtute cum Simone Cananæo Persidẽ ingressus sit. Eusebius uerò lib. 1 cap. ultimo, et lib. 2 cap. 1, à Thoma eũ post Christi assumptionẽ Edessam, ad regẽ Abgarum missum scribit: nõ si q̃ inexplicabilẽ in ea parte offundit diuersitatẽ, q̃ & Thomã eũ Iudã appellatũ et Thadæũ (sic enim nominat, nõ Iudã) unũ de LXX narrat fuisse discipulis. Ad Abgarum tamẽ regẽ Iudã hunc Thadæũ missum, etiã Hieronymus sensit in cap. 10 Matth. Eusebij uerba suprà, in capite De loco et propagatione, adscripsimus.

De obitu eius nihil legitur, nisi q̃ Abdiæ, Vincentij et aliorũ narrationes ab hac diuersæ (aliũ enim et Symeonẽ & Iudam faciunt) utrumq; Symeonem & Iudã in Persis pontificũ impetu interẽptos prodiderũt: quòd et Sabellicus retulit Ennead. 7. lib. 4. Nicephorus contrà lib. 2 cap. 40, eum Edessæ, post doctrinæ propagationem & miracula, placida morte tandem quieuisse scripsit.

De epistola Iudæ.

Ascribitur Iudæ epistoliũ breue quoddã, quod ueteres nõ habuerũt pro authẽtico. Et adulterinum esse scriptũ, Eusebius ostẽdit li. 2 cap. 23. Quædã etiã in eo de uerbo ex posteriori Petri epist. adscripta sunt. Deinde, non ut Apostolus, sed discipulus Apostolorũ loquitur. nec se quidem Apostolũ dicit, sicut Petrus et Paulus faciũt: sed seruum Iesu Christi, et fratrẽ Iacobi. Postremò, sentẽtias et res citat quæ in scriptura nõ extãt. ut cũ Michael archangelus cũ diabolo disputãs, altercaretur de Moysi corpore, etc. quod in Zachariæ uerbis, Zachar. 3 non habetur.

De posteris Iudæ.

Hæc etiã de posteris Iudæ sub Domitiano, ex Egesippo Eusebius retulit lib. 3 cap. 20 in hunc modũ: Superãt adhuc quidã de genere Domini, nepotes Iudæ, q̃ frater illius secundũ carnẽ dicitur, quos detulerunt tanquã exitẽtes de genere Dauidis. hos locatus ad Domitianũ Cæsarem duxit. Timebat enim ille aduentum Christi, sicut & Herodes. Et interrogauit eos, num ex Dauide essent? Quod cũ fassi essent, rursus interrogauit, Quãtas possessiones haberẽt, aut quãtũ pecuniarũ possiderẽt? Illi dixerunt: Ambobus tantũ sunt nouẽ denariorũ millia, ita ut cuiq; dimidia eius summæ portio cõpetat. et hãc summã nõ habemus in argento, sed in æstimatione telluris, quæ nõ amplius cõtinet q̃ triginta nouẽ iugera, ex quib. et tributa pendimus, & nos ipsos labore nostro sustentamus. Deinde manus etiã suas illi in testimoniũ, quod ipsi p se operarẽtur, et corporis quoq; duriciẽ, et callos in manibus ex assiduis laborib. cõtractos, ostẽderũt. De Christo etiã et regno eius, quale'nã illud, et quãdo, et ubi apparitурũ esset, interrogati respõderunt: Nõ esse regnũ eius mundanũ aut terrenũ, sed cœleste & angelicũ: futurũq; in cõsummatione seculi, quãdo aduenies in gloria, iudicaturus sit uiuos ac mortuos, & redditurus unicuiq; secundum studia sua. His dictis, Domitianũ eos nõ condemnasse

naſse ferũt, ſed tanquam uiles homines cõtemptiſſe, ac liberos dimiſiſſe. perſecutionẽ quoq; cõtra eccleſiã motã, edicto ſuo ſedaſſe. dimiſſos uerò eccleſiis præfuiſſe, ut q̃ ſimul et martyres eſſent, et de ſtirpe Domini deſcendiſſent. Deniq; eos, pace facta, ad Traiani uſq; tẽpora in uita ſuperſtites fuiſſe.

SIMON, SIMEON.

SImonẽ alij Ioſephi filiũ, alij Alphæi et Iacobi fratrẽ, alij Cleopæ faciũt. Ioſephi eum filiũ Epiphanius lib. 1. Tom. 2. et lib. 3 Tom. 2. fuiſſe manifeſtè adſerit: ex profeſſo adfirmãs, Ioſepho filios fuiſſe Iacobũ, Ioſen, Symeonẽ et Iudã. Quanq̃ ita ſibi cõſtare nõ uidetur. q̃, lib. 2 tom. 3 ait, Symeonẽ filiũ fuiſſe Cleopæ, & Iacobi ex ſorore nepotem. q̃, cũ lapidib. Iacobus obrueretur, procul adſtãs, ad Iudæos dixerit: Ceſſate, quid lapidib. obruitis iuſtũ? ecce pro uobis optima precatur. Cõtrà fratrẽ Iacobi Symeonẽ fuiſſe, Sophronius indicat. Cõtra quẽ rurſus Henricus de Erfordia, et ex recentiorib. aliqui, Alphæi fuiſſe Symeonẽ et Iudã ex Maria Cleophæ filios oſtenderũt, ac fratres nihilominus Iacobi. Nec deſunt, qui hãc uarietatem ita cõciliare ſtudẽt, ut neceſſe fuiſſe dicãt, ut aut Alphæus Cleophas cognominat⁹ fuerit, aut Alphæus ſecundus maritus Mariæ Cleopæ fuerit. Cũ ueriſimile ſit, Alphæum priorẽ fuiſſe Mariæ eius maritũ, ex quo Iacobũ de quo diximus, ſuſceperit: et Cleophã poſteriorem, ex quo hũc Simonẽ genuerit. Nã et hoc ex Egeſippo Euſebius ſenſit, li. 3 cap. 11: ubi Simonẽ Cleopæ fuiſſe filiũ, & Cleopã Ioſephi fratrẽ, ex eodẽ indicat. quod et Hieronymũ uelle in narratione de ſancto Paulo, antè retulimus.

Siue igitur frater, ſiue ſobrinus, ſiue patruelis Chriſti Simeõ hic fuerit, Cananæũ eum Matt. 10, et Zelotẽ Act. 1. dictũ legimus, una & eadẽ appellatione, ſicut Hieronymus in cap. 10 Mat. indicat: Simeõ, inquit, Chananæus ipſe eſt, q̃ in alio euãgeliſta ſcribitur Zelotes. Chana quippe zelus interpretatur. nã q̃ de uico Cana Galilææ Nicephorus lib. 2 cap. 40, et alij annotarũt, in medio relinq̃mus.

De cõuerſione eius ad Chriſtũ, et uocatione ad apoſtolatum, in ſacris literis nihil legimus: niſi q̃ in Catalogo at̃q; publica ordinatiõe et cõfirmatione recitatur Mat. 10 Mar. 3. Luc. 6. Neq; epiſcopũ eũ Hieroſolymis, Iacobi q̃ ſucceſſorẽ fuiſſe, inter omnes cõuenit. Quidã enim uolunt eſſe Simeonẽ, aliquẽ ex numero diſcipulorũ LXX.

Narrat, ſed ſine certis teſtimonijs, Nicephorus, Euangelium Simeonẽ hũc propagaſſe per Aegyptũ, Cyrenẽ, Aphricã, Libyã, regiones ad occidentalẽ oceanũ ſitas, et inſulas Britannicas. Nec Abdiæ quidẽ, Vicẽtij et aliorũ, narrationẽ de eius itinere, periculis, laboribus et miraculis in Babylone et Perſia moramur. De epiſcopatu eius hæc Euſebius retulit lib. 3 cap. 11, et lib. 4 cap. 22, eũ in ſyndo omniũ Apoſtolorũ diſcipulorũq̃, q̃ poſt martyriũ Iacobi et expugnationẽ Hieroſolymorũ ſuperſtites fuerũt, cõmunib. ſuffragijs, q̃ cõſobrinus Saluatoris eſſet, eccleſiæ Hieroſolymitanæ gubernatione dignũ iudicatum. in quo præfuiſſe eũ annos ad XLVII, aut circiter, ex eiuſdẽ Chronico colligitur. Nec aliud interim quicquã de uita, gubernatiõe, aut factis eius, in tam lõgo curriculo uſquã dicitur. De martyrio eius, li. 3 cap. 32 hæc Euſeb. ad hũc modũ ex Egeſippo recẽſuit: Poſt Neronẽ, inquit, ac Domitianum, ſub eo Imperatore (Traiano) ciuiſq; tã tẽpora inquirimus, rumor eſt ſingulatim, et per ciuitates, per ſe ditiones populares motã eſſe cõtra noſtros perſecutionẽ: in qua Simeonẽ Cleopæ filiũ, quẽ alterũ fuiſſe Hieroſolymitanæ eccleſiæ epiſcopũ ſignificauimus, martyrio uitã finiuiſſe accepimus. Et huius rei teſtis Egeſippus eſt. hic enim de quibuſdam hæreticis ſcribens, ſubiungit ac ſignificat, quomodo prædictus Simeõ ab illis eodẽ tẽpore uarijs modis accuſatus, tanquã Chriſtianus, plurimis dieb. flagris cæſus ſit, ut ipſum iudicẽ, et q̃ circa illũ erãt, plurimum ſtupefecerit, at q̃; ita finẽ Dominicæ paſſioni conformem acceperit. Nihil aũt impedit, quo minus ipſum hiſtoriographũ, hæc ad uerbũ ſic narrantem, audiamus. Quidã ex illis, inquit, hæreticis uidelicet, Symonẽ Cleopæ filiũ accuſant, quòd et de ſtirpe Dauidis deſcendiſſet, et Chriſtianus eſſet. At q̃; ita martyriũ ſubit, cũ annos natus eſſet CXX, ſub Traiano Cæſare, et Attico cõſulari. Et aliquãto pòſt: Simeõ cõſobrinus Domini, filius Cleopæ, ab hæreticis calumniã paſſus, & cõſimiliter eadẽ de cauſa ſub Attico Cõſulari accuſatus, multis q̃; dieb. flagris cæſus, martyriũ ſubijt, ita ut cũcti admirarẽtur, ipſe quoq; cõſularis, quomodo 120 annos natus iſta perferret, ac tandem crucifigi iuſſus eſt, Anno Chriſti (ueluti in Chronico Euſebius idem indicat) CX, Traiani uerò X.

MATHIAS.

MAthiã unũ ex diſcipulis Domini, ac de numero diſcipulorũ LXX fuiſſe, Euſeb. lib. 2 cap. 1, et lib. 1 cap. 12: Sophronius, et Epiphanius lib. 1 tom. 1, hæreſi 20, teſtãtur. Nec alibi in ſacris literis mẽtio eius fit, præterquã Act. 1. ubi in ſynodo Apoſtolorũ et diſcipulorũ, poſt Chriſti aſcenſionẽ, in locũ Iudæ per ſortẽ electus, à Luca dicitur. Cætera quæ multa de Mathia Abdiæ narratio et aliorum habet, ut quòd nobilis familiæ fuerit, et parentib. de tribu Iuda diuitib. in Bethleẽ, ab ineunte ætate in lege Dei inſtitutus, uſuſq; præceptore Simeone, doctiſſimo in lege diuina, in medio et omniũ iudicijs relinquimus. Quẽadmodũ et miracula eius, et in ciuitate Galilææ Giſchala cũ põtifice dialogiſmũ, et tandẽ martyriũ. Sophronius eũ poſt aſcenſionem Chriſti, cũ in diuerſas terras Euangeliũ docturi diſcipuli Domini diſpergerẽtur, in Aethiopiæ quandã maximè agreſtem partẽ cõceſſiſſe ſcripſit, ibiq; mortuũ eſſe. Meminit traditionũ Mathiæ (incertũ an apoſtoli huius) Clemens lib. 2 Stromatũ, et 3 Strom. inquit: Dicũt Mathiã ſic docuiſſe, cũ carne quidẽ pugnare, et ea uti, nihil ei impudicũ largiẽdo ad uoluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem.

DE PAVLO APOSTOLO.

NArrat Hieronymus, parentes Sauli habitaſſe in oppido Iudæ Giſchatis nomine: ſed eo à Romanis capto, illos Tarſum Ciliciæ cõmigraſſe. ibi uerò Paulus ſe natũ affirmat Act. 22. Nomina patris et matris eius nõ ſunt prodita memoriæ, ut Chryſoſtomus in 5 cap. 1 ad Corinthios, homilia 15 indicat. Sed Iudæũ patrẽ eius fuiſſe, et ciuẽ Romanũ, Hebræũ, ex tribu Beniamin, et Iſraelitam, et ex ſemine Abrahæ, manifeſtũ eſt ex Act. 21 et 22, Rom. 11, 2 Cor. 11, Phil. 3. In pueritia eũ philoſophiã et artes dicendi didiciſſe, inde colligitur, q̃ Strabo, qui plus minus 30 annis ante Paulũ floruit, de Tarſenſibus memoriæ prodidit, tantũ eis circa philoſophiã πάντων ἄλλων ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν ſtudium fuiſſe, ut Athenas et Alexandriam & alias academias ſuperarint. Deinde eum euoluiſſe ueterum Poetarum monumenta, ut Arati & Epimenidis et Menãdri et aliorũ, ex eo liquet, quòd eorum ſententias in ſuis concionibus & Epiſtolis citat,

Act.17. 1 Cor.15. Tit.1. Hieronymus etiã Paulũ Græcã linguã ab ineunte ætate imbibisse, testatur in epist. ad Algasiam. Artẽ etiã texendi tabernacula seu aulæa nouit, quã etiã post cõuersionẽ exercuit, Act.18 Chrysostomus in 8 prioris epist. ad Corinth. cum in faciendis tentorijs pelles consuisse dicit. Cum iam prima fundamẽta artiũ dicẽdi & philosophiæ percepisset, parens cũ Hierosolymam, in qua sedes & templũ Dei, & summa Theologiæ academia erat, misit, ut ibi summos doctores, & diuinæ scripturæ interpretes. scribas & pharisæos, atq; etiã ipsos sacerdotes summos audiret, & doctrinã cœlestem à Deo per prophetas patefactã, de generis humani salute exactius & perfectiùs cognosceret. Eò postq; uenit, patris & amicorũ cõsilio inter alios, quos audiuit docẽtes, Gamaliele etiã (uiro eruditione, prudẽtia & autoritate inter cæteros excellẽte, ut patet ex Act.5) præceptore usus est. Nam ipse testatur se Hierosolymis educatũ, et ad pedes Gamalielis institutũ accuratè in patria lege esse, Act.22. Vt aũt erat ingenio solerti & industrio prædi tus, & studio pietatis deditus, ita præ alijs multis suis cõ militonibus in Iudaismo et institutis à maiorib. traditis profecit, Gal.1. & cũ uariæ tum in populo Iudaico sectæ essent, non Essæorũ, neq; Sadducæorũ, sed potius pharisæorũ (utpote doctrinæ cœlestis sinceritate, uitæ sanctimonia & autoritate alijs antecellentiũ) sese adiunxit societati et professioni: Philip.3. Legẽ uerò Dei & institu ta à maiorib. tradita ita accepit, ut uerè existimaret, se per ea oportere sibi cõparare uitã æternam. Quare ita iuxta legẽ uitã instituit & exegit suã, ut irreprehẽsibilis secundũ legis iusticiã esset. Philip.3. Docebat quidẽ eo tẽpore Christus, se esse Messiã, et miraculis suã doctrinã confirmabat: sed quia minus habebat propitios pharisæos, & ab ijs ut Samaritanus & obsessus à diabolo, blasphemus & seductor et seditiosus proclamabatur: & publicis decretis cauebatur, ne quis se ei adiungeret: ac tandem etiã Christus crucifigeretur: Saul, ut adolescẽs, cau sam ipsam minus cõsiderans, et zelo patriæ legis flagrãs, & ipse Christũ exemplo aliorũ pharisæorũ, ut pestẽ & hostẽ legis diuinæ abominatus est. Cum aũt post Pentecosten Apostoli: & Stephanus et alij Hierosolymis publicè Euangeliũ docerẽt, et pharisæos accusarẽt proditores & interfectores Messiæ, & abrogarẽt paulatim ceremonias Mosaicas: pharisæi & alij qui officio docẽdi fungebantur, in suos auditores, suis calũnijs et detrectationib. & tetris mendacijs instillabãt acerbũ odiũ aduersus Apostolos & ecclesiã Christi, q, essent turbatores patriæ & diuinitus cõstitutæ religionis, et molirentur seditiões: & q, ea quæ de Iesu Nazareno Messia dicerẽt, uana et ficta essent omnia: quodq; Deo præstaret cultũ, qui huiusmodi pestes religionis et ecclesiæ è medio tolleret. Huiusmodi præceptorũ clamorib. exasperati auditores, maximè uerò adolescẽtes, q ab ore & autoritate suorũ præceptorum pendebãt, rem ipsam minus secũ reputantes, eã ante cognitionẽ damnabant & execrabãtur. Resq; primũ disputationib. agebatur. quidã enim è synagogis Libertinorũ & Cyrenensiũ & Ciliciũ & Asianorũ, in quorũ numero etiã Saul erat, cũ Stephano cõgrediuntur: uerũ ab eo uincuntur. id ægrè ferentes, & rem Deo gratã & suis præceptorib. acceptã se facturos arbitrãtes, cõspirant in necẽ Stephani, Saulus et alij: et subornatis falsis testibus, eum accusant, & damnatũ lapidib. obruunt, Saulo custo diente uestimẽta interfectorũ Stephani. Act.7 et 8 et 22. Placebat ea res principib. sacerdotũ & pharisæis: & cũ uiderẽt Saulũ acriori animo et excitatiori zelo prædituũ, stimulis suis eum incitabãt aduersus Ecclesiã, ut propatria lege zelaretur, & uindicaret in homines istos turbulentos, seditiosos & blasphemos. Saul itaq; accepta à principibus sacerdotũ potestate, rem strenuè agebat, doctrinam enim Christianorũ, quasi uanũ & ficticiũ esset cõmentũ, Iesum Nazarenũ resurrexisse ex mortuis: esse Messiã, in quẽ credentes saluentur) refutabat, & blasphemabat. & eo modo cũ non proficeret, uim adhibebat, et prosequebatur uehemẽter ecclesiã Dei. 1 Tim.1. Gal.1. Philip.3. Credẽtes in carcerẽ includebat uiros pariter ac mulieres, & cõpellebat eos blasphemare & abnegare Christũ. Id uerò recusantes, cædebat in omnibus synagogis, & lata sentẽtia occidi curabat: & amplius insaniens in eos, persequebatur etiã eos in exteras usq; ciuitates. Act.22 & 26. Sed Deus cũ eum ex utero matris, ex immensa misericordia sua, ad proponendũ in eo illustre suæ clementiæ exemplũ, segregasset & uocasset, ut reuelaret per eũ filiũ suũ, mirabili modo eum cõuertit, et ex hoste & uastatore ecclesiæ Euãgelij præconẽ & ecclesiæ plantatorẽ studiosissimũ acerrimũq; fecit. Nam cũ princeps sacerdotũ & totus ordo seniorũ cognouisset, Damasci etiã ab ijs qui Hierosolymis fugerãt, quosdã hæresi Christiana esse infectos, cogitarũt initijs obstandũ esse: & nõ tantũ Hierosolymis, sed etiã alijs in locis, sectatores eius religionis esse opprimendos. Quare cũ Paulus se strenuũ & uehementẽ præberet in defendenda autoritate suorũ præceptorũ, & uindicanda lege Moysi & traditionũ Iudaicarũ, ad se accersunt, et delegãt ei munus inquisitoris hæreticæ prauitatis, ut hodie uocant: datis epistolis & publicis edictis ad synagogarũ præfectos Damasci, de capiendis & Hierosolymã adducendis omnib. ijs qui Christum profiterẽtur. Saulus temerario zelo ob legẽ Moysi æstuans, et Christianis alioquin infensissimus, nõ recusat id officij: sed ultrò suscipit, seq; cõtinuò cũ ministris sibi adiunctis dat in uiam. Itinere ferè cõfecto, appropinquabant Damasco. ibi ex improuiso, in ipso meridie, è cœlo supra splendorẽ solis circũfulgebat eos lumẽ, cuius tanta erat uis, ut simul omnes in terrã collaberẽtur. Humi prostratus Saulus, audit uocẽ Hebraica lingua dicentẽ: Saul, Saul, qd me persequeris? comites Saulis lumẽ quidẽ uidebant, et terrore stupebãt: uocẽ aũt eius qui cũ Saul loquebatur, nõ audiebãt. Respõdebat aũt Saul: Dñe qs es? At ille dicebat: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quẽ tu persequeris: durũ est tibi cõtra stimulos calcitrare. Sed exurge, et sta sup pedes tuos. ad hoc enim apparui tibi, ut constituã te ministrũ et testẽ, et eorũ quæ uidisti, & eorũ in quib. apparebo tibi, eripiẽs te à populo et gẽtib. in quas te nũc mitto, ut aperias oculos eorũ, ut cõuertantur à tenebris ad lucẽ, et à potestate sathanæ ad Deũ, ut accipiant remissionẽ peccatorũ, & sortẽ inter eos qui sanctificati sunt, per fidẽ quæ est erga me. Tremẽs aũt & stupens dicebat: Domine, qd me uis facere? Dñs dicebat ad ipsum: Surge, et uade in ciuitatẽ Damascũ, et ibi dicetur tibi de omnibus quæ ordinata sunt tibi ut facias. Hæc postrema uerba comites Pauli audiebãt quidẽ, sed neminẽ uidebãt. Surgebat Saul è terra, & excæcatus excellẽtia fulguris, neminẽ uidebat. Comites uerò manu cũ prehensum, Damascũ introducebãt. Damasci tres dies captus oculis, & ieiunus

ieiunus transegit. Erat aũt quidã discipulus Damasci nomine Ananias, uir pius secundũ legẽ, testimonio probatus omniũ illic habitantiũ Iudæorũ. & dixit ad illũ p uisum Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eũ: Surge, & uade in uicũ qui uocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulũ nomine Tarsensem. ecce enim orat, et uidit per uisum uirũ Ananiã nomine introeuntẽ, & imponentẽ sibi manũ ut uisum reciperet. Respondit aũt Ananias: Domine, audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymis. Et hoc loco habet potestatẽ à principib. sacerdotũ, uinciẽdi omnes qui inuocant nomen tuũ. Dixit aũt ad eum Dominus: Vade, quoniã organũ electũ est mihi iste, ut portet nomẽ meũ corã gentib. et regibus, ac filijs Israel. Ego enim ostendã illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introijt in domũ, & adstans & imponẽs ei manus, dixit: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in uia, qua uenieb as, ut uisum recipias, et implearis spiritu S. recipe ergo uisum. Continuò decidebant ab oculis eius tanq̃ squamæ, & uisum recipiebat, & in Ananiam intuebatur. Dicebat aũt Ananias ad eũ: Deus patrũ nostrorũ præparauit te, ut cognosceres uoluntatẽ suã, et uideres id quod iustũ est, & audires uocẽ ex ore eius: qa eris testis illi apud omnes homines, eorũ quæ uidisti et audisti. & nunc qd cõtaris? Exurge, & baptizare, et ablue peccata tua, inuocato nomine Domini. Surgebat igitur, & baptisabatur: & sumpto cibo, uires suas reficiebat. Act. 9. 22 et 26. De tẽpore cõuersionis Pauli uariant autores. Sed probatiores et antiquiores, ut Eusebius, Hieronymus, Euthalius diaconus, & alij, sentiunt, Pauli conuersionẽ anno Christi 34, & Tiberij 19 factã. Euodius uerò, quẽ Nicephorus allegat lib. 2. cap. 3. sentit, ab ascensione Christi usq; ad lapidationẽ Stephani annos interceßisse 7, & Paulũ elapsis mẽsibus 6 post necẽ Stephani cõuersum esse. Hoc modo Paulus cõuersus, & ad munus Apostolicũ uocatus, & raptus in tertiũ cœlũ seu paradisum, 2 Cor. 11, per reuelationẽ Iesu Christi, doctrinã Euãgelij edoctus, Gal. 1. acceptã gratiã ita exercuit, ut copiosius q̃ alij Apostoli omnes laborarit: 1 Cor. 15. et ab Hierosolymis usq; ad Illyricũ omnia loca Euãgelio Christi implerit, Ro. 15. Sed quas itinerationes fecerit ob Euangelij plantationẽ, quoniã supr à in loco de Propagatione pleraq; dicta sunt, hic cõmemorabimus breuius.

Prima peregrinatio.

Cõuersus, et ab Ania Damasci baptisatus, incipit in synagoga docere Euangeliũ: Act. 9. 26. Inde uerò egressus, peragrat Arabiã: Gal. 1. unde reuersus Damascũ, acriter cõfutat Iudæos: qui irritati, insidias ei ponũt. Regis Aretæ præfectus custodias collocat: sed Paulus à fratrib. noctẽ in sporta per murum demissus, elabitur. 2 Corinth. 11. Actor. 9. & redijt Hierosolyma, triennio post suum primum egressũ. Tantum de rebus à Paulo per primos tres annos gestis, literis est annotatum.

Secunda peregrinatio.

Quarto anno post suã conuersionẽ, Christi uerò 37, et Tiberij 22, Hierosolymã uenit: & ibi à Barnaba ad Apostolos ductus, eisq; cõmendatus, adit Petrũ, et mãsit apud eũ dies xv. & ibi præter Petrũ et Iacobũ fratrẽ Domini neminẽ aliũ uidit. Gal. 1. Act. 9. Cũ aũt ei periculũ immineret à Græcis, cõtra quos disputauerat: à discipulis deducebatur Cæsareã, & abibat Tarsum. Act. 9. & inde uenit in regiões Syriæ et Ciliciæ, Gal. 1. Barnabas ab Apostolis missus Antiochiã, cũ uideret gratiã Dei, Tarsum abijt. & Saulũ inuentũ ibi secũ Antiochiã ducit: ubi integrũ annũ ambo docuerũt tãto successu, ut illic primũ discipuli appellarentur Christiani. Fuit is annus à condito mũdo 4000. Eôdẽ ex Hierosolymis cum alijs prophetis profectus Agabus, prædixit uenturam famẽ. Quare discipuli collatam pecuniam miserunt fratrib. in Iudæa, per Barnabam et Paulum. Actor. 11. Facta hæc sunt anno quinto conuersionis Pauli, Christi uerò 38.

Tertia peregrinatio.

Expleto ministerio, Barnabas et Paulus assũpto Ioãne Marco, redeũt Antiochiã. Act. 12. Ibi p prophetas quosdam segregantur impositiõe manuũ Paulus et Barnabas ad spargendũ passim inter gẽtes Euangeliũ. Egressi igitur illinc, ueniunt Seleuciã, quæ uicina est Antiochiæ. & inde nauigãt in Cyprũ, habentes adhuc secũ comitẽ, ministrũ Ioannẽ Marcũ. et cũ peragrassent totã insulã, tandẽ etiã perueniũt in oppidũ eiusdẽ insulæ Paphũ: ubi cõuertitur ad Christũ Sergius Paulus procõsul, opponente se doctrinæ Elima mago, q̃ imprecatione Pauli uisum amittit. Act. 13. Inde nauigãt Pergã Pamphiliæ: ubi eos deserẽs Marcus, Hierosolyma redit. illi uerò Antiochiæ Pisidiæ progrediũtur: ubi permittentibus principib. synagogæ, Paulus prolixè cõcionatur. Iudæi uerò ægrè ferẽtes tantum cõcursum, cõcitant mulieres potẽtes et primores ciuitatis aduersus Paulũ. qui cũ suis inde ciectus, abit Iconiũ. Act. 13. Multo tẽpore Iconij docẽt, & miracula multa edũt: sed Iudæi cõcitant gẽtes. et exorta seditione, Paulus et Barnabas fugiũt in Lycaoniã, et passim prædicãt euangeliũ, maximè uerò Derbæ et Lystræ. Sanat ibi Paulus claudũ ex utero matris: & Lycaones eũ pro Mercurio, Barnabã uerò pro Ioue colere incipiũt. sed prohibentur ab ijs. Nõ ita multo pòst, accusatione Iudæorũ ex Antiochia et Iconio aduenientiũ, multitudo cõcitata Paulũ lapidat, et pro mortuo extra portã exportat. Verũ is ad se tandẽ rediẽs, urbẽ ingressus, sequẽti die cum Barnaba Derbẽ redit: ubi aliquãdiu cõcionati, reuertũtur Lystrã et Iconiũ et Antiochiã. et ordinatis in omnib. ecclesijs ministris, trãseuntes p Pisidiã et Pamphiliã, uenerũt Pergã. unde descẽdunt ad Attaliã maritimã urbẽ: et hinc nauigant Antiochiã Syriæ, unde erãt emissi ad propagandum Euangeliũ. ibi cõuocata ecclesia, exponũt qd effecissent: et multum tẽporis ibi cõmorantur cũ discipulis. Act. 14. Tandẽ orta cõtentione à Iudæis de seruandis ceremonijs Mosaicis, et præcipuè circũcisione, mittuntur Paulus & Barnabas ad Apostolos et presbyteros in Iudæã. Deducti igitur ab ecclesia, transeunt Phœniciã et Samariã, ubiq; nũciantes conuersionẽ gentiũ. et tandẽ ueniũt Hierosolyma, ubi celebratur conciliũ primũ et grauissimũ de libertate Christianorũ. Act. 15. Quæ hactenus cõmemorauimus de peregrinatiõe tertia, Hieronymus et alij antiquiores asserũt gesta esse à 5 cõuersionis Pauli anno, usq; ad 17, quo celebrata sit synodus Hierosolymitana. et uidetur eorũ sentẽtiæ astipulari Paulus Gal. 2, q̃ primũ distinctè mentionẽ facit triũ annorũ, post quos Hierosolyma abierit: et postea inq̃t, Rursus post annos 14. Alij uerò recẽtiores, existimantes nimis breue spaciũ, nẽpe tantũ 5 annorũ, relinq̃ Paulo ad eas peregrinatiões, et res quas post synodũ gessisse narratur, præsertim cũ Corinthi annũ 1 et 6 mẽses cõmoratus dicatur Act. 18. et totũ biennium Ephesi, Act. 19: & 3 menses in Græcia atq; Corintho, Act. 20. quare putãt, 3 illos annos in 14 includẽdos esse, ut 8 anno

rum ſpaciũ ſit reſiduum, quo Paulũ illa poſt ſynodũ geſſiſſe ueriſimilius dicamus. Verùm quàm hæc etiã imbecillis ſit ratio, quis non uidet? Lucas enim ipſe, dum ea cõmemorat quæ à Paulo poſt ſynodũ uſq; ad captiuitatem eius geſta ſunt, ſubinde indicat, Paulũ in alijs locis, præter ea quæ diximus, non diu moratũ eſſe, ſed pleraq; tranſiſſe feſtinãter. & ſanè ab homine expedito, ut Paulus fuit, intra ſpaeium anni & trium menſium loca multa peragrari poſſunt.

Quarta peregrinatio.

Ex ſynodo Hieroſolymitana cũ literis Apoſtolorũ dimittũtur Paulus & Barnabas, quib. adiungũtur Iudas & Silas prophetæ: qui omnes unà uenerunt Antiochiã. ubi confirmatis fratribus, Iudas redit Hieroſolyma, ſed Silas manet apud Paulũ & Barnabã. Petrus etiã Antiochiã ueniens, & intẽpeſtiuè inter gentes Iudaizans, à Paulo obiurgatur, Gal. 2. Autore Beda in Actis Apoſtolorũ, Vincentio & alijs, inter Paulũ & Barnabã egreſſuros ad reuiſendas eccleſias ethnicas, oboritur diſſenſio de comite Ioãne Marco, à quo prius in Pamphilia fuerant deſerti. Fit igitur ſeparatio coniunctiſſimorum fratrũ: & Barnabas, aſſumpto Marco, in Cyprũ nauigat: Paulus uerò cũ Sila, confirmaturus eccleſias, trãſit per Syriã & Ciliciã: Act. 15. Ac peruenit Derben et Lyſtrã. ibi inuentũ diſcipulũ matre Iudæũ, patre gentilẽ, Timotheum, circũcidit, & poſtea ſecum comitẽ itineris abduxit. Atq; ita unà tranſeuntes Phrygiã & Galatiã, prohibiti ſunt à ſpiritu loqui uerbũ Dei in Aſia. Venerũt ergo in Myſiã, unde ſunt iterũ à ſpiritu prohibiti deflectere in Bithyniã. Venerũt igitur Troaden, ubi Paulus uiſione nocturna uocatur in Macedoniã. quò cũ ſuis comitib. nauigaturus, peruenit in Samothraciã, & ſequẽti die Neapolim. Inde pedib. aſcẽdit Philippos, ubi manſit aliquot dies apud purpuræ uenditricẽ. Cum aũt ex puella uatidica eieciſſet ſpiritũ Pythonẽ, à dominis puellæ, priuatis quæſtu, quẽ prædictionib. merebatur ancilla, protractus ad magiſtratũ ciuitatis, unà çũ Sila conijcitur in carcerem. ubi poſt preces ad Deũ factas, miraculoſe ambo liberati à uinculis, conuerſo ad Chriſtũ cuſtode carceris, tandẽ à magiſtratu educuntur. Act. 16. Inde egreſſi, trãſeunt per Amphipolim & Apolloniã. Et ueniunt tandẽ Theſſalonicã: ubi tribus ſabbatis Paulus concionatus in ſynagoga, multos cõuertit ex ethnicis. Sed Iudæi concitant ciues cõtra Paulum & Silã. quos rapturi ad ſupplicium, cum nõ inuenirent, hoſpitẽ ipſorũ Iaſonẽ & alios quoſdã protraxerũt in forũ: quos tamẽ, audita cauſa, magiſtratus abſoluit. nocte tamẽ à fratrib. educti Paulus et Silas, ueniũt Berrhœã: ibi erant nobiliſſimi Theſſaloni cenſiũ, qui magno ſtudio amplexi ſunt uerbũ. Cum autẽ illuc ex Theſſalonica profecti Iudæi cõcitaſſent populũ, Paulus relicto ibi Sila et Timotheo, eductus ad mare, nauigat Athenas. Vbi dum operitur comites Silã & Timotheũ, diſputat cõtra philoſophos, et publicè cõcionatur, occaſione ſumpta ab ara ignoti dei. ubi cõuertit multos, inter quos eſt Dionyſius Areopagita: Act. 17. Inde egreſſus, uenit Corinthũ: ibi inuenit Aquilã cũ uxore Priſcilla, qui recens eò confugerat, edicto Claudij imperatoris eiectus ex Italia. Ad eum, artificem texendorũ aulæorũ, Paulus diuertit, eiuſdem artificij peritus. Illic ad Paulum redierunt Silas & Timotheus. Paulus aũt docens Chriſtum, à Iudæis perſequutionem patitur. Sed per uiſionẽ confirmatus, manſit Corinthi ſeſquiannum. Tandem à Iudæis pertractus ad tribunal proconſulis Gallionis, dimittitur: ſed à furioſa multitudine impunè interficitur in conſpectu proconſulis Soſthenes, princeps Synagogæ. Paulus aũt aſſumptis Aquila et Priſcilla, ex Cẽchreis nauigat Epheſum: ubi relictis Aquila & Priſcilla, ipſe proficiſcitur Cæſaream. Inde aſcendit Hieroſolyma, & ſalutat Eccleſiam. Act. 18.

Quinta peregrinatio.

Ex Hieroſolymis deſcendit Antiochiã: ibiq; aliquanti per cõmoratus, peragrat Galatiam & Phrygiã, confirmans diſcipulos. Act. 18. & uenit iterũ Epheſum: unde Paulo antè per Aquilã & Priſcillã Apollos Iudæus Alexandrinus, uir eloquẽs, ſciens tantũ baptiſma Ioannis, rectius inſtitutus, dimiſſus erat cum literis Corinthiũ. Paulus aũt inueniens xii fratres, qui baptiſati tantũ Ioannis baptiſmate, nondũ acceperant ſpiritũ ſanctũ, eoſdẽ rebaptiſat: & manet ibi biennium, fortiter docens, & miraculis cõfirmans doctrinã. Exorciſtæ quidã, conati dæmonia eijcere in nomine Ieſu, prædicati à Paulo, malè acciuntur. Libri curioſarũ artium comburuntur, ualentes quinq; millib. coronatorũ. Ex Epheſo Paulus Timotheũ & Eraſtũ præmittit in Macedoniã, tanquã mox ſecuturus. Sed detinuit eum aliquandiu exorta per Demetrium quendã aurificẽ ſeditio, Act. 19. Hac ſedata, nauigat in Macedoniã: in qua cõfirmatis eccleſiis, deſcendit in Græciam. Vbi cõmoratus trimeſtre, intellexit, ſibi nauigaturo in Syriã, à Iudæis inſidias ſtrui. Mutato igitur itinere, redit in Macedoniam: & præmiſſis Troada Sopatro Berrhœenſi, Ariſtarcho & Secundo Theſſalonicẽſibus, Gaio Derbenſi, & Timotheo, Tychico et Trophimo Aſiaticis, Paulus poſt Paſcha Philippis egreſſus die quinto, peruenit ad comites Troada: ubi cum eis manſit ſeptem dies. & una ſabbatorũ in multã noctẽ cõcionatus, Eutychũ iuuenẽ de tertia cõtignatione delapſum, & extinctũ, in uitã reuocauit. Inde cæteris nauigantibus, Paulus pedib. profectus eſt Aſſon Phrygiæ. Ibi in nauẽ receptus, cum illis uenit Mitylenen, Leſbi inſulæ oppidũ: unde ſequenti die appulit cõtra Chiũ. Et illinc poſtridie nauigat in Samũ, & pernoctat in Trogilio, diſtãte 40 ſtadijs à Samo. & ſequenti die uenit Miletũ: præteruectus ſtudioſe Epheſum, ne ibi detineretur. Cupiebat enim ad Pentecoſtes feſtũ Hieroſolymis eſſe. Sed tamen Miletum ad ſe euocatos Epheſios presbyteros, lõga et grauiſſima oratione cohortatur ad cõſtantiam & uigilationẽ. Act. 20. Et inde nauigio peruenit in inſulam Coon. Altero die, in inſulam Rhodum. Inde in oppidum Lyciæ Patara: ubi cõſcendens nauem, traiectura in Phœniciã, relicta ad ſiniſtram Cypro, inde defertur in Syriam, ac peruenit Tyrũ, ubi apud diſcipulos mãſit ſeptẽ dies: à quib. per ſpiritum monebatur, ne aſcenderet in Hieroſolyma. Egreſſus inde, nauigat Ptolemaida: ibiq; cõmoratus unũ diem, ſequẽti iuit Cæſareã. ac diuertit ad Philippũ euangeliſtam, unũ ex ſeptem, cui erant quatuor filiæ prophetiſſæ. Apud eum Agabus propheta Iudæus, qui ante aliquot annos famẽ prædixerat, Paulũ ligatũ cingulo de ſua cuſtura captiuitate præmonet. deinde omnib. diſſuadẽtibus & deprecantib. profectionẽ, Paulus permanet in ſententia, ſignificans, ſe nõ ſolũ ligari, ſed & mori uelle pro nomine Chriſti. Egreſſus eſt igitur inde, deducentib. diſcipulis. Ex Cæſarea pedib. uenit Hieroſolyma, ac diuertit ad

Mnaſonem

Manasonẽ Cypriũ. Sequenti die apud Iacobũ apostolum cõgregatis omnib. presbyteris, exponit successus sui ministerij inter gẽtes: & offert pecunias, quas pro egentib. fratrib. in ecclesijs ethnicis collegerat. Deinde monetur ab Ecclesia, ut ritu purificationis satisfaciat Iudæis, zelantibus pro lege Mosaica. cui consilio dum obtemperat Paulus, nondũ completis septẽ purificationis diebus, conspectus à Iudæis Asiaticis in templo, corripitur, & accusatur apud populũ de profanatione tẽpli, & abrogatione legis Mosaicæ. Extractus deinde ex tẽplo, & uerberatus: tandẽ à superueniente tribuno cohortis præsidiariæ Claudio Lysia, tumultũ sedaturo, Iudæis eripitur: à quo etiã impetrat, ex gradibus dicendi potestatẽ ad populũ: Act. 21. ubi cõmemorat historiã conuersionis suæ, purgaturus se Iudæis: sed frustra. nam Iudæi magis irritati, ponnus, uirgis cædi iubet Paulũ: quẽ tamen mox agnitũ ciuẽ Romanũ, uinculis exoluit. Act. 22. Et sequẽti die sistit in pontificũ synedrio. ibi Paulus exorsus dicere, ab Anania pontifice iubetur in os cædi. Et cum uideret in synedrio assidere partim Sadducæos, partim Pharisæos, usus est stratagemate, quo ipsos iudices fecit discordes: cũ diceret, se propter spẽ alterius uitæ & resurrectiõis mortuorũ in discrimẽ uocari. Tumultuantib. igitur põtificibus inter se, tribuni mandato Paulus de uita periclitans in castra abripitur. ubi nocte diuina uoce monetur, q; debeat Romæ cõfiteri Christũ. Sequẽti die plures q; 40 Iudæi uoto se obstringunt, de interficiẽdo Paulo, dum iterũ ducetur ad synedrion. Hæ insidiæ cũ à Pauli nepote ex soro re essent patefactæ, tribunus decreuit Paulũ trãsmittere ad Felicẽ præsidẽ Iudææ. Act. 23. Facta sunt hæc 22 anno conuersionis Pauli, & Claudij 13, Christi uerò 55.

Sexta peregrinatio.

Ducẽtis igitur peditibus, septuaginta equitibus, & ducentis lancearijs cõmendat Paulũ, unà cũ literis ad Felicem, indicantib. furorẽ Iudæorũ, & innocentiam Pauli. Milites aũt egressi post horã noctis tertiam, Paulo deducto Antipatriden usq; altero die redeunt in castra. Equites Paulũ perductũ Cæsareã, corã Felice sistunt. quem is iubet custodiri in prætorio Herodis, donec accusatores eius descenderẽt. Act. 23. Quinto aũt die pòst, hoc est, 12 ab ingressu Hierosolymorũ, Ananias cum senioribus, & oratore Tertullo, profectus Cæsaream, Paulũ accusauit corã Felice, qui tamẽ auditũ Paulũ clementer tractauit: & aliquoties accersitũ, amanter accepit, sperans eũ pecunia sua redemptũrũ uitam suam. Ita biennium Paulus in carcere tolerabili detentus, à decedẽte Felice, Porcio Festo successori est relictus. Act. 24. Festus tertio die postquã uenit in prouinciã, ascendit Hierosolyma: ubi pontificib. uehementer accusantibus Paulũ, respondet, se reũ auditurũ Cæsareæ, præsentib. accusatoribus. Post 10 dies reuersus Cæsareã, accusatũ Paulũ & auditũ Festus interrogat, num uelit Hierosolymis suã cõtrouersiã agi. ubi cũ Paulus prouocasset ad Cæsarẽ, promittit Festus se Romã eum missurũ. Paucis diebus interiectis, Agrippa rex cũ Berenice coniuge profectus Cæsareã, salutaturus nouũ præsidẽ, cum de Paulo quædã ex Festo accepisset, petijt eum postero die corã se adduci, & audiri. Act. 25. Permissa igitur deinde potestate, Paulus copiosè exponit Agrippæ conuersionẽ suam, et doctrinã quã profiteretur. E: Festus quidẽ, eum nimio studio literarũ delirũ factũ dicit: sed Agrippa et doctrinã eius probat, et pronunciat Paulũ dimitti posse, nisi ad Cæsarẽ prouocasset. Act. 26. Postea Paulus cũ alijs quibusdã captiuis traditur Iulio centurioni cohortis Augustæ, deuehendus Romam, ducẽs secũ Aristarchũ Thessalonicẽsem. Et altero die Cæsarea egressi, unà uenerũt Sidonẽ, ubi Paulo à Centurione fit potestas amicos uisendi. Inde nauigant in Cyprũ, cũ haberẽt uẽtos aduersantes. postea accedũt Myra oppidũ Lyciæ, nõ procul à Pataris, ad ortũ situm: ubi in uentæ naui Alexandrinæ, in Italiã ituræ, Cẽturio suos omnes imponit: ac difficili nauigatione appellũt ad Cnidõ, in extremo Cariæ sitã. Inde adnauigant Cretæ, ad Salmonam oriẽtale insulæ promontoriũ. Vnde legẽtes orã littoris, ægrè perueniũt ad pulchrũ portũ, cui erat uicinũ oppidum Lasea: unde cũ uellẽt petere portũ Cretæ meridionalẽ, Phœnicẽ dictũ, spe frustrati, uentorũ impetu feruntur ad paruã insulã Claudã: quam Claudũ Ptolemæus uocat, et iuxta Cretã uersus meridiẽ et occidentẽ collocat. Deinde multos dies in mari iactati, sæuissima tẽpestate, à Paulo cõmemorante uisionẽ nocturnã cõfirmantur: et perpellũtur, ut corpora debilitata inedia 14 dierũ cibo reficiãt, ad ferẽdos labores reliquos. Et cũ exonerassent nauẽ facta iactura, manè terrã cõspicati, ad eam tendũt. Erat aũt insula (Act. 27) Melite, à qua cũ nõ procul abesset, nauis impingens in promõtorij cuiusdã excurrentẽ scopulũ frangitur. omnes tamẽ qui in naui erãt, uidelicet 276 homines, salui in terrã enatarũt: ut Paulus prædixerat, omnes animas seruatũ iri. Ibi et priuati insulæ habitatores eiectos humaniter tractarũt: et Publius quidã primas in insula, triduũ exceptos eos lautè habuit: cuius patrem febri et dysenteria decumbentẽ, et alios postea multos ægrotos, Paulus sanauit in ea insula. Tandẽ cõmorati tres hybernos mẽses in Melite, naui Alexãdrina, quæ ibidem hyemauerat, uecti sunt Syracusas: ubi manserũt triduum. ac deinde circũnauigata Sicilia, uenerũt Rhegiũ, et biduo pòst Puteolos: ubi Paulus inuẽtis fratribus, cum alijs comitib. mãsit 7 dies. ac tandem progressus Romã uersus, obuios habuit fratres ex Roma ad forũ Appij & tres Tabernas: à quib. deductus Romã, anno 2 Neronis, Pauli uerò cõuersionis 25, et Christi 58, iuxta Eusebiũ in Chronico, et Hieronymũ et alios, in clemẽti custodia fuit, ita ut quiuis ex amicis ad eum admitteretur. Fit aũt in Actis tantum biennij mẽtio, quo Paulus Romæ docuerit, in domo à se cõducta, omnib. accurrentib. sine prohibitione. Act. 28.

Septima peregrinatio.

In biennio illo, quo in carcere Romæ fuit, plurimùm prædicatione sua profecit, sicut ipse ea de re scribit ad Philip. 1: Scire uos uolo fratres, q; quæ mihi acciderunt, magis ad profectũ euãgelij euenerũt: ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo in toto prætorio, ac cæteris omnibus. quod Hieronymus in epistola ad Philemonem, intelligit de domo Cæsaris. inquit enim: A Cæsare in carcerem missus, notior familiæ eius factus, persecutoris domum Christi fecit ecclesiam.

Sub finẽ anni quarti Neronis, Paulus ad tribunal Cæsaris uocatus, dicit causam cõtra Iudæos accusatores. & abiturus ualedicit omnibus amicis, tanquã supplicio afficiendus. Sed in eo iudicio nihil decernitur. Postea denuò productus, absoluitur à Nerone. 2 Tim. 4.

Annis igitur illis decem, usq; ad ultimũ Neronis, inuisit ecclesias Syriæ, Asiæ & Græciæ. & inde reuersus, in Italia,

in Italia, Gallia & Hispania, & alijs Occidentis partibus docuit Euangelium: quod omnino sibi proposuerat ante liberationẽ, ut patet ex epistola ad Philip. 1. Certò scio(inquit)q; mansurus sim, & cum omnib. uobis permansurus sim, in uestrum profectum, & gaudium fidei, ut gloriatio uestra exuberet per Iesum Christum in me, per meum ad uos reditum. Et ad Philemonem: Præpara mihi hospitium: spero enim quòd auxilio precum uestrarum donabor uobis. Et ex Rom. 15. constat, eum in animo habuisse proficisci in Hispanias. Eadem etiam alij autores asserunt, ut Eusebius: & Athanasius ad Draconț. Paulum in Hispanias ascendisse asserit Epiphanius lib. 1. tom. 2. Sophronius & alij. Henricus Erphordensis refert Chrysostomum affirmare, Paulum à Nerone dimissum, abijsse in Hispaniam & Teutoniã. Sed hæc minus certa sunt.

Deus etiã eum, ut esset idoneus ad muneris Apostolici functionẽ, præclaris spiritus sancti donis ornauit, quibus nihilo inferior fuit eximijs & summis Apostolis: 2 Cor. 11 et 12. Nam donum linguarũ eum habuisse, tum plantationes ecclesiarũ inter gentes, tum ipse etiã 1 Cor. 14. testatur inquiẽs: Gratias ago Deo meo, quòd magis quàm uos omnes linguis loquor. Claruit dono sapiẽtiæ & scientiæ. inquit enim: Licet sim imperitus sermone, nõ tamen scientia, 2 Cor. 11. In docendo & disputando contra Iudæos & Græcos, & falsos fratres, et cohortando ad pœnitentiã & bona opera, ac etiam in reprehendendis uitijs, sua habuit eximia dona: ut postea dicetur. In edendis etiam signis & prodigijs, non infimus Apostolorum fuit. 2 Cor. 12. Elymam magum ueritati resistentem, graui imprecatione excæcauit, Act. 13. Claudũ ab utero matris Lystris sanauit, Act. 14. Spiritum Pythonis è puella eiecit, Act. 16. Et uirtutes non uulgares Ephesi edebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur: Act. 19. Eutychum resuscitat, Act. 20. uiperam de manu sua pendentem excussit in ignem, sine aliquo ualetudinis detrimento: Act. 28. Patrẽ Publij febri & dysenteria laborantem sanat: Act. 28. & alia multa inter gentes edidit signa & prodigia, Act. 15. Rom. 15. 2 Cor. 12.

Visiones & reuelationes non habuit paucas, quibus Deus eum instruxit de rebus necessarijs. Nam per reuelationem accepit suum Euangelium à Christo, Gal. 1, Raptus fuit in tertium usq; cœlum, & in paradisum: & audijt uerba arcana, quæ fas non sit homini loqui. Ne efferretur autem ob excellentiam reuelationum, datus est ei stimulus per carnem, nuncius Satanæ, ut eum colaphis cæderet: 2 Cor. 12. Per reuelationẽ, cùm primùm post annos tres uenisset Hierosolymam, & oraret in templo, iubetur festinanter exire. Per reuelationem ascendit Hierosolymam post annos quatuordecim, Gal. 2. Per reuelationem accersitur in Macedoniã, Act. 16. Corinthi Dominus nocte per uisionem Paulum confirmat, et intrepidè docere mandat: Act. 18. Dominus etiam ei nocte significat, quòd oporteat eum Romam quoq; testificatum de Christo abire: Act. 13. Naufragium & incolumitatem nautarum angelus Domini Paulo denunciauit, Act. 27.

Dono etiam prophetiæ insignis erat. Nam presbyteris Ephesinis prædicit tristem ecclesiæ statum, post suũ obitum, propter lupos in gregem impressionem facientes, & uiros inter ipsos exorientes, & peruersa loquentes in perniciem ecclesiæ: Act. 20. Viuis coloribus Antichristum depingit 2 Thes. 2: & extremorum temporum corruptissimos mores annotat 1 Tim. 4. & 2 Tim. 3 & 4. Lactantius lib. 4 cap. 2 narrat, Paulum & Petrum Romæ excidium Hierosolymorum prædixisse. Verba autoris adscribimus: Sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt: & ea prædicatio in memoriam scripta permansit, in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breue tempus immitteret Deus regẽ, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum solo adæquaret, ipsos autem fame sitiq; confectos obsideret. Tum fore, ut corpo ribus suorum uescerentur, & cõsumerent se inuicem. Postremò, ut capti uenirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissimè coniuges suas uexari cernerent, uiolari ac prostitui uirgines, diripi pueros, allidi parulos, omnia deniq; igni ferroq; uastari, captiuos in perpetuum terris suis exterminari, eo quòd exaltauerunt sanctum per amantissimum & probatissimum Dei filium. Itaq; post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Iudæorum gentem & nomen Vespasianus extinxit, sicuti q; omnia quæ illi futura prædixerant.

Donum etiam castitatis eum habuisse, colligi posse uidetur ex 1 Cor. 7. & 1 Cor. 9. Sed tamen Clemens ex Philip. 4, ubi quandam comparem Germanam salutat, asserit Paulum etiam coniugem habuisse: sed eam nõ secum circumduxisse, ut expeditior esset ad ministeriũ, refert Eusebius lib. 3 cap. 30, ex tertio Strom. Clementis.

Non tantum autem uiua uoce præsens docuit ecclesias, sed etiam absens scripsit epistolas, quæ adhuc hodie in ecclesijs extant & leguntur.

Athenis scripsit utrãq; ad Thessalonicenses, ut patet ex Act. 17, & 1 Thes. 3 ex subscriptiõe earundẽ. Sunt qui Corinthi eas scriptas existiment, propterea q; Athenis non diu hæserit Paulus: & quòd Timotheum & Silam nõ Athenas ad Paulum, sed Corinthum uenisse, ibiq; cum eo aliquandiu fuisse constat ex Act. 18. Factum circiter annum Claudij 8, Christi 50, Pauli conuersi 17.

Priorem ad Timotheum proximè post has scripsisse uidetur. nam Timotheum cum Aquila & Priscilla reliquit Ephesi, et ipse ascendit Hierosolymã: et inde descendit Antiochiam, & inuisit Galaticam regionem, et Phrygiam, & uenit Laodiceam Phrygiæ, unde literas ad Timotheum Ephesi commorantem dedit. Act. 28. Factum circiter annum Claudij 10, Christi 52, Pauli conuersi 19.

Priorẽ ad Corinthios Ephesi scripsit, ut ex Act. 19, et 1 Cor. 16 colligitur. Subscriptio habet, è Philippis. Circiter annũ Claudij 11 et 12, Christi 53 et 54, et Pauli 20 et 21.

Eodem tempore epistolam ad Titum quidam ex Ephesо narrant scriptã esse: alij ex Nicopoli, ut habet subscriptio. Epistolã posteriorẽ ad Cor. Philippis in Macedonia scripsit, ut habet subscriptio. Colligi id potest ex 2 Cor. 8 & 9. circiter annũ Claudij 13, Christi 55, Pauli 22.

Eodem anno etiam epistolam ad Rom. ex Corintho scripsit, quo tempore statuerat proficisci in Syriam: ut patet ex Rom. 15.

Illo biennio, quo Romæ in suo conducto mansit, scripsit ad Galatas, ad Ephesios per Tychicũ: ad quos etiã antea se scripsisse dicit Eph. 3. Vna tantũ epistola extat ad Philippenses, per Epaphroditũ: ad quos etiam antea scripsisse

scripsisse uidetur Philip.3,ubi se eadē scribere dicit. Sed præter hanc alia nō extat ad Philippenses epistola. Ad Colossenses per Tychicū & Onesimū. ad Laodicēses ad Lycū, uicinos Colossis et Hierapoli, quæ hodie desidera tur. Col. 4. Ad Philemonē, per Onesimū. Cum illas è Roma mitteret literas, secū adhuc habebat Aristarchū, Timotheum, Marcū, Epaphram, Lucam, Demam: quorū mentionem facit in epistola ad Colosſ. & Philemonem.

Epistola posterior ad Timotheū, omnium postrema est: sed unde & quando scripta sit, uariant sententiæ. Eusebius, Hieronymus & Nicephorus & alij putant, à prima liberatione post nouē aut decē annos, paulo ante mortē scriptam esse: eo quòd 2 Tim. 4 ipse dicat, tempus suæ resolutionis instare. Alij uerò recentiores censent, eam scriptam esse paulo ante primam liberationē, propterea quòd faciat mentionem multarum rerū quæ manifestè pertineant ad ea tempora, quibus ex Græcia nauigans Hierosolymis captus est, & Romā deductus. qualia sunt: Lucas mecū est solus. Itē, Tychicū misi Ephesum. certò enim constat, hunc nūssum esse in Asiā in prima hac Pauli captiuitate, & nō postrema. Itē, Saluta Priscam & Aquilam. Itē, Erastus mansit Corinthi. Item, Trophimū reliqui in Mileto languentē. Et uidetur Paulus in Mileto Trophimū reliquisse, cum eam transiret, Act. 20. Et quòd dicat instare tēpus suæ mortis, & se damnatum iri à Nerone: & postea absolutus, ea uerba quæ antea scripserat, non expunxerit.

Epistola etiam ad Hebræos, è Roma scripta uidetur: sed quis eius autor existimetur, dictum est suprà in loco de Scriptura noui Testamenti.

Porrò quæ fuerit Pauli doctrina de singulis doctrinæ Christianæ capitib. in Dogmaticis suprà prolixè est commemoratū. Maximè uerò studuit illustrare doctrinam de Iesu Christo, quòd sit uerus Deus & uerus homo, et Messias in ueteri Testamēto prædictus, quē oportuerit pati et resurgere, ascēdere ad cœlos, sedere ad dexteram Dei, & perpetuū agere summū sacerdotem, donec reuertatur ad iudicium. Rom. 1. 1 Tim. 4. 2 Tim. 2. Act. 17. 26. Ephes. 4. Rom. 8. Doctrinam de lapsu hominis, & de deprauata omnium hominum natura, & de peccato, dilucidè explicauit Rom. 4. & 1 Cor. 15. Veram de lege sententiam apertius inter Apostolos, quantum ad scripta eorum attinet, nullus in lucem protulit, quòd ea quidē à Deo sit lata, & quòd habeat promissionem, sed quòd nullus hominū eam possit implere: quòd doceat agnitionem peccatorum, & ostendat iram Dei, uerum non tollat: quòd Christus legem pro genere humano implerit, & credentes absoluti sint à iure peccati & mortis per Christum: quòd lex Mosaica sit abrogata. Illustrauit etiam doctrinam de Euangelio, quòd sit concio de remissione gratuita peccatorū propter mediatorē. Doctrinam de iustificatione rectè Petrus & Ioannes & alij Apostoli etiam tradiderunt, uerùm enucleatius & solidius Paulus. omnes enim causas elegantissimè passim exponit. De impulsiuis, quòd in Deo fuerit misericordia et gratia et φιλανθρωπία, & in nobis peccatū & mors. De efficiente, quòd Christus sua humiliatione, obedientia & morte, nobis comparauerit iusticiam & uitam. De materiali, quòd nostra iusticia coram Deo non sint opera, aut qualitates nostræ, neq; iusta Dei ipsius æterna essentia: sed quòd sit totum opus mediatoris Domini nostri Iesu Christi, quod unus pro omnibus præstitit, nempe integra impletio legis, quæ completur plenā solutionem τῶ λύτρω pro peccato generis humani: hoc est, mortem & integram obedientiā, quæ habet promissionē uitæ. De causa formali, q, sit imputatio mortis et obediētiæ Christi, applicata per fidē, seu remissio peccatorū. De instrumentali, q, illa iustitia sola fide, gratis, absq; operibus accipiatur. De finali, ut Deo & Domino nostro Iesu Christo suus tribuatur honos, et ut conscientiæ habeant firmam consolationem.

Nec parum illustrauit & cætera doctrinæ capita, ut sunt: De pœnitentia, q, oporteat primùm per legē agnosci peccata, & postea fide corda cōtrita erigi: de ministerij efficacia, q, fides sit ex auditu uerbi: noua obedientia, q, iustificatos gratis, oporteat inchoare nouā obediētiam, & facere opera digna ijs qui resipuerunt: quæ opera debeant fieri à Christianis, q, oporteat opera fieri præluccente fide, & q, absq; fide nō placeant Deo, q, nostra opera nō sint immiscēda articulo iustificationis, et quòd habeant sua præmia in hac & futura uita. Illustrauit etiam doctrinā de uocatione gentium, ut is qui à Christo peculiariter ad id munus erat uocatus. Item, de cœna Domini, et de baptismo: de adiaphoris, q, si ad ea accedat necessitas, scandalū, opinio cultus, et similia uitiosa accidentia, Adiaphororum naturam exuant. De Antichristo, quem uiuis coloribus depingit 2 Thes. 2, & 1 Timoth. 4. De extremo die, & resurrectione mortuorum, 1 Corinth. 15. 1 Thess. 4.

In cōcionando simplici et uulgari genere sermonis se usum esse, ipse indicat 1 Cor. 2. Epistolas uerò eius grauiores & ualidiores esse, in primis pseudoapostoli criminati sunt, 2 Cor. 10. Sed si uerè & sincerè iudicare uelimus, genus sermonis quo in epistolis etiam usus est, satis planū & perspicuū est, nisi q, Hebraismos interdum interspergat, quales sunt: Eum qui nō nouit peccatū, fecit peccatū: id est, uictimā pro peccato. 2 Cor. 5. Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei: hoc est, omnes sunt peccato obnoxij & rei. Rom. 3. Iustificari, pro absolui & iustū pronunciari. Rom. 3 & 8. Filij incredulitatis, pro incredulis. Ephes. 2. Homo peccati, & filius perditionis. 2 Thess. 2. Christus factus est nobis à Deo iusticia, sanctificatio, redemptio. &c. 1 Cor. 1. Per legem legimori: hoc est, per Euangelium absolui & liberari à maledicto legis. Gal. 1. Viuere Christo, & cum Christo crucifixum esse, de imputatione dicitur Gal. 2. & similes.

In compositione hoc Paulo singulare est, quòd cū uolucrit multa dicere, sæpe in unam periodū plura connectat membra, causas & effectus & circūstantias rei experimentia. exempla sunt in exordijs epistolarū ad Ephesios & Colossenses. Nonnunquā etiā schematibus rhetoricis utitur, quales sunt anthypophoræ, παρανομασίαι. Philip. 3. Videte κατατομὴν concisionē, nos enim sumus περιτομὴ circumcisio. Interrogationes, translationes, inuersiones, egressiones, & similes. Irenæus lib. 3. cap. 7 dixit, Paulum hyperbatis frequenter uti: sed tria tantū citat exempla. unum ex 2 Cor. 4, alterum ex Gal. 3, tertium ex 2 Thes. 2. Hieronymus in epistola ad Algasiam, ex superflua dictione quidem in loco Col. 2. Quæ sunt rationem quidem sapientiæ habentia, &c. colligit, Paulū artis grammaticæ fuisse imperitum. Verùm quàm leuis sit ista probatio, quis non uidet?

Si

Si dispositio, et ipse ordo partium in epistolis eius mediocri diligentia attendantur, nemo sanus negabit, ordine, perspicuè & neruosè singula dici. Epistola ad Romanos, secundum ordinem partium pœnitentiæ scripta est. Primùm enim docet, omnes homines, tam Iudæos quàm gentes, esse peccato, iræ Dei & morti obnoxios, propter transgressionem legis. Deinde doctrinam de iustificatione subijcit, quòd peccatores gratis, absque operibus legis, sola fide iustificentur, imputata ijs impletione legis: hoc est, obedientia & morte Domini nostri Iesu Christi. quam sententiam solidis & firmis munit argumentis. Postea uerò gratis iustificatos cohortatur ad nouam obedientiam, præscriptis ijs quæ fieri deb eant operibus. In epistola ad Galatas & Ephesios, eadem ferè Methodus est. in alijs uerò epistolis, quas eo nomine scripsit, ut iustificatos cohortaretur ad bona opera, aut reprehenderet peccata, doctrinam de iustificatione aut præsupponit: aut loco argumẽti, quare debeãt fieri bona opera, subinde interspergit. Exordia epistolarum ducit à gratiarumactione & oratione: excepta epistola ad Galatas, & priori ad Timotheum & Titum, in quibus à narratione orditur. Petrus dicit, in epistolis Pauli quædã esse difficilia intellectu, quæ indocti parũq; firmi detorqueant ad suam ipsorum perniciem. 2 Pet. 3.

In obiurgatione peccatorum licet se acrem & seuerum exhibuit, ut ex epistolis ad Corinthios & Galatas uidere est: tamen subinde asperitatem lenire solet. Nec ualuit apud eum prosopolepsia: Petrum enim satis grauiter obiurgauit Antiochiæ, Gal. 2. Sæpe ob impœnitentiam hominum contristatus est & luxit, 2 Corinth. 11. Non studuit placere hominibus, sed Deo: nec est cuiquã adulatus. Gal. 1. 2 Thess. 1. In consolando peccatores & afflictos ob confessionem, suauis & dulcis est. In adhortationibus serijs uti solet uerborum formulis, Obtestor ego te coram Deo & Domino Iesu Christo. 1 Tim. 5. 2 Tim. 4. Phil. 2. & alibi passim.

Fundamenta suæ doctrinæ ex ueteri Testamento, tũ in concionibus, tũ in epistolis, iacere solitus est: ut ipse testatur Act. 26. nihil aliud dicens, quàm ea quæ prophetæ prædixerant futura esse, & Moyses, an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus populo & gentibus. Solet etiam res ueteris Testamenti allegoricè interdum exponere: ut 1 Corinth. 10. Galat. 4. Inter ea quæ ut uerbum Domini Ecclesiæ proposuit, & quæ secundum hominem, aut ut consilia in rebus medijs dedit, diligenter discernebat, ne conscientijs inijceret laqueos. 1 Cor. 7. 2 Cor. 1.

Similitudinibus interdũ utitur, & collationibus, ut rem magis perspicuã reddat. Rom. 6. 11. Gal. 3. 4. Historiã de natiuitate, uita, passione & morte & resurrectione & ascensione Christi, solet breuiter perstringere: de fructibus uerò eius prolixior est. Gẽtes subinde commonefacit, ut cogitent quales aliquando fuerint, & beneficia Dei celebrent: & sibi caueant, ne in priores tenebras & impietates relabantur. Rom. 11. Ephes. 2 & 4. ne sua afflictione & cruce alij offendantur, & ob eam deficiãt à ueritate Euãgelij, subinde ecclesias monet. Ephes. 3. 1 Thes. 2. Eadẽ scribere & repetere & inculcare ecclesiis, eum non piguit. Phil. 3. Suũ exemplũ tum in doctrinæ capitib. declarandis, ut Rom. 7. Phil. 3. tum etiam in cohortatione ad bona opera, & imitationem, ut Galat. quarto, Philip. tertio, & alibi passim proponit.

Cæremonias quasdam Paulũ in ecclesiis ordinasse, ad ædificationem & decorũ & bonum ordinem utiles, constat ex 1 Cor. 10. 11. 14. 1 Tim. 2. Abusum cœnæ Dominicæ in Corinthiaca ecclesia abrogauit, 1 Cor. 11. & ἑτερογλωσσίαν, qua plures simul loquebantur, & lingua nõ uulgo nota. 1 Cor. 14. Timotheum circumcidit, Act. 16. cuius impositione manus, 2 Tim. 1. Baptizauit Corinthi Crispum & Gaium, & Stephanæ familiam. 1 Cor. 1.

In suo ministerio certamina multa & magna sustinuit. Nam disputauit passim cõtra Iudæos in synagogis, eosq; conuicit, Iesum Nazarenum esse Messiam in prophetis prædictum. Act. 9. 13. 17. 19. 28. Seriò eos sæpe monuit, ut cauerent sibi, ne ob contemptum Euangelij excæcationis pœnam incurrerent. Act. 13. 28. Aliquoties etiam contra eos, abiturus ad gentes, graui protestatione usus est. Act. 13. 18. Ii uerò econtrà Paulum uehementissimè sunt persequuti passim in omnibus locis, ut suprà commemoratum est.

Pseudoapostoli seu falsi fratres cum etiam miris exercuerunt modis, contra quos grauissimè dimicauit, econtrà eorum dogmata refutando, & in errorem abductos in ueritatis uiam reducendo. Passim enim à Paulo bene constitutas Ecclesias pseudoapostoli perturbarunt. Nam cum Antiochiam uenissent pseudoapostoli, et publicè docerent, non posse gentes seruari, nisi circumciderentur secundum morem Moysi: Paulus & Barnabas aduersus eos grauiter disceptarunt. nec prius sedata est cõtentio, quàm synodus Hierosolymitana sua sententia controuersiam dirimeret, & pseudoapostolorum opinionem damnaret. Quàm grauiter & neruosè contra pseudoapostolos, qui perturbant Galatiæ ecclesias, pugnarit, testis est epistola ad Galatas. Nec pepercit pseudoapostolis & sciolis, qui in ecclesia Corinthiaca excitarant schismata, & Paulum criminabantur, quòd non esset Apostolus, quòd non uidisset Dominum, quòd non acciperet stipendium, quòd persona esset contẽpta, & uox exilis, quòd audax in absentes: ut patet ex priori & posteriori epistola.

Similiter etiam eos impugnauit, qui in ecclesia Colossensi erroneas seminarant opiniones. Ex 2 Thess. 2 apparet, pseudodoctores sparsisse opinionẽ, de iã instãte extremo die. Sed eam refutat, & monet ne credant, si quis etiam literas nomine Pauli scriptas proferat. Vnde colligi potest, pseudoapostolos solitos fuisse ad decipiendum alios, fingere & monstrare literas, tanquam ab Apostolis scriptas. Quæres Paulum adeò reddidit cautum, ut epistolis suis sua manu notam adscriberet: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis. 2 Thess. 3.

Non tantum pseudoapostolos habuit aduersarios, sed etiam ex suis collegis & discipulis multi à puritate doctrinæ defecerunt, contra quos oportuit seueritate uti: quod sanè scandala haud exigua præbuit ecclesiis, quòd illi ipsi Euangelij doctores inter se non consentirent, sed alius alium excommunicaret. Nam Alexander & Hymenæus & Philetus, collegæ Pauli, naufragium fecerunt circa fidẽ, uiam ueritatis blasphemarunt, & dixerunt resurrectionem iam esse factam: quos Sathanæ se tradidisse, indicat 1 Tim. 1. & 2 Tim. 2. Asiani omnes, inter quos erant Phygelus & Hermogenes, Paulum tandem sunt aucrsati. 2 Timoth. 1. Demas etiam à Paulo

à Paulo defeciſſe uidetur, 2 Timoth. 4. Et Phil. 1. conqueritur, multos fratres per inuidiã & contentionem non purè tradere doctrinã Chriſti, exiſtimãtes ſe afflictionem addituros uinculis ſuis. Et in eadem epiſtola cap. 2 dicit, omnes alios, præter Timotheum, ſua quærere, & non quæ ſint Chriſti Ieſu. & Coloſ. 4. Marcum cõſobrinum Barnabæ, & Ieſum Iuſtum, ſolos ex Iudæis cooperarios ſibi ad regnum Dei, & ſolatio fuiſſe.

Pugnauit etiam contra myſterium iniquitatis, quod iam tum in eccleſia agere cœpiſſe 2 Theſſa. 2. indicat. Videbat enim, ſpiritus impoſtores conari nuptias & cibos prohibere: & perſonas hominum, & præſertim Petri, à pſeudoapoſtolis nimiũ fieri, & ſub eius prætextu multa parari in eccleſiæ perniciẽ. Verùm quibus argumentis pſeudoapoſtolorum erroneas opiniones refutarit & ſubuerterit, dictum eſt ſuprà in capite De hæreſibus.

Ornauit autem ſuum miniſterium non tantum eximijs donis, quibus claruit, & miraculis, quæ edidit: ſed etiam alijs egregijs uirtutibus, quibus excelluit. Inter eas uerò haud poſtrema fuit illa, quam maximè in miniſtro requiri docet 1 Cor. 4, nempe fides ſeu fiducia: quam etiam bonam conſcientiam interdum apellare ſolet, 1 Timoth. 1. Nam ea de re ipſe dicit 2 Timot. 4. Bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, &c. Fuit enim fidiſſimus & diligentiſſimus cuſtos doctrinæ diuinitus ſibi à Chriſto reuelatæ: & ſummam nauauit operam, ut eam alijs quàm plurimis inſtillaret & propagaret. qua in re nec laborum, nec moleſtiarum, nec periculorum eum piguit unquam. non occultauit quicquam quod eſſet ſcitu neceſſarium, ſed omne conſilium Dei eccleſiis annunciauit. nocte ac die non ceſſauit cum lachymis etiam monere unumquenque. docuit publicè & per ſingulas domos, teſtificans Iudæis ſimul & Græcis eam quæ eſt erga Deum pœnitentiam, ac fidem quæ eſt erga Dominum noſtrum Ieſum. Paternum animum erga pios geſſit, & impenſe eccleſias dilexit, ita ut paratus fuerit pro eccleſiis omnia pati, ac etiam uitam profundere: ſicut ipſe teſtatur 2 Cor. 12. Non quæro quæ ueſtra ſunt, ſed uos. Non enim debẽt filij parentibus theſauros colligere, ſed filijs parentes. Ego uerò libentiſſimè impendam, ut expendar pro animabus ueſtris: licet uberius uos diligens, minus diligar. & 1 Theſſal. 2. Fuimus placidi in medio ueſtri, perinde ac ſi nutrix foueat filios ſuos. ſic affectu propẽſi in uos, animò cupiebamus impartire uobis non ſolum Euangelium Dei, uerum etiam noſtras ipſorum animas, propterea quòd cari nobis facti eſtis. Hinc & filios & fratres, & amiciſſimè & familiariſſimè cõpellat eccleſias.

In timore Dei in ſuo officio uerſatus eſt, tãquam ex Deo in conſpectu Dei per Chriſtum loquens. 2 Cor. 2. Et legatione Chriſti fungens 2 Cor. 5. Studens Deo, qui probat corda, placere, & non hominibus. 1 Theſ. 2. 2 Cor. 5. Galat. 1.

Magna etiam animi humilitate uſus eſt, & non affectauit dominium aut imperium in eccleſias. 1 Cor. 3. 2 Cor. 2. Non pro autoritate imperauit, ſi quid uoluit fieri: ſed ſubmiſsè rogauit, epiſtola ad Philemonẽ. Patientiſſimus laborum & moleſtiarum fuit: in magnis periculis & perſequutionibus non fractus eſt animo, ſed intrepidè confeſsionem edidit, & calamitates pertulit. Prudentia etiam non rarò uſus eſt, qua piè uitauit pericula, & turbauit impiorum conſilia. nam Acto. 23 prudenter in concilio inter Phariſæos et Sadducæos mouet diſſenſionem, facta mentione de reſurrectione mortuorum. Acto. 25. ad effugiendum inſidias Iudæorum prudenter appellat ad Cæſarem.

Frugalis fuit, & labore manuum uixit Theſſalonicæ: 1 Theſſal. 2. & 2 Theſſal. 3. Sed tamen Philippenſes ei ſumptus ſuppeditarunt, quibus adiutus Theſſalonicæ & Corinthi gratis docere potuit, Philipp. 4. & 2 Corinth. 11. Præſentia boni conſuluit, Philip. 4: Ego didici, inquit, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare. Vbiq; & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati: omnia poſſum in eo qui me corroborat.

Etiam à licitis abſtinuit, ne quam alijs præberet ſpeciem mali, aut obeſſe uideretur. Nam Theſſalonicæ cum labore ac ſudore nocte dieq; opus fecit, ne cui eſſet oneroſus: non quòd ſibi id non liceret, ſed ut ſemetipſum exhiberet alijs exemplum. 2 Theſſ. 3. Corinthi idem fecit, & in regionibus Achaiæ, ut amputaret occaſionem pſeudoapoſtolis: ut in eo de quo gloriarentur, reperirentur quemadmodum & ipſe. 2 Cor. 11. Omnib. eſt factus omnia, ut aliquos lucrifaceret. 1. Cor. 9.

Honeſta non tantum coram Domino, ſed etiam coram hominibus procurauit. 2 Cor. 8.

Beneficus et liberalis in pauperes fuit: id quod patet ex eo, quòd tam diligentem pauperũ habuit rationem, in colligenda pro ijs ſtipe. Gal. 2. Rom. 15. 1. Cor. 16. 2 Cor. 8. 9. & quòd indicat, beatius eſſe dare quàm accipere. Actor. 20.

Auaritiam ſummo ſtudio fugit. 1 Theſſ. 2. Aurum et argentum nullius concupiuit. Actor. 20. Non quæſiuit munera, Philipp. 4. ſed quæ ſiuit hominum conuerſionem. 2. Cor. 12. Neminem læſit, neminem corrupit, neminem defraudauit. 2 Cor. 7. Non expilauit eccleſias per ſuos collegas, quos ad eos miſit. 2 Cor. 12.

Nec ſuperbia aut arrogantia inflatus, præ ſe contempſit alios: ſed ſe minimum Apoſtolorum appellat, 1 Corinth. 15. Paſſim ſuum peccatum confitetur, quòd ignoras eccleſiam Dei perſequutus ſit, & blaſphemus ac uiolentus fuerit. Gal. 1. Philip. 3. 1 Timoth. 1. Actor. 22 & 26. & alios, ut Titum & Timotheum & cæteros, uocat ſuos collegas, & fratres. Gloriari de infirmitatibus ſuis ſolebat, & de beneficijs Dei. 2 Cor. 10, 11, 12. Et de eccleſiarum fide, conſtantia, & bonis operibus. Apud Titum enim de eccleſia Corinthiaca eſt gloriatus, 2 Cor. 7. De tolerantia & fide Theſſalonicenſium paſſim in alijs eccleſiis gloriatus eſt. 2 Theſ. 1. Et ità quidem uitam ſuam iuſtè, ſanctè, & ſobriè exegit, ut haberet bonam cõſcientiam coram Deo & hominibus. Actor. 24. 1 Theſ. 2. Et nullius ſibi eſſet conſcius, 1 Cor. 4. & irreprehenſibilis, Philip. 3. Sed tamen à perfectione abſoluta ſe longè abeſſe, non ſemel ipſe teſtatur. Philip. 3. Non quòd apprehenderim, aut iam perfectus ſim: ſed ſector, ſi etiam apprehendam, quatenus & apprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. & 1 Cor. 4. Nullius mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus. & 1 Cor. 13. Nũc cognoſco ex parte, tunc uerò cognoſcam, quemadmodũ & cognitus ſum. Idem de ſua imbecillitate, quòd legi Dei non ſatisfaciat, Roman. 7

prolixè conqueritur. Item de sua imbecillitate se gloriaturũ dicit 2 Cor.12. Ad imbecillitates eius etiã hoc referendum uidetur, quòd in Asia supra modum grauatus, de uita desperauit 2 Cor.1. & quòd à Barnaba ob dissensionem de Marco, seiungi se passus est: Act. 15. & quòd in gratiam Iacobi & aliorum Iudaicas ceremonias Hierosolymis in templo obseruauit, quo magis confirmati Iudæi in errore suo uidentur, quàm imbecilles fratres adiuti. Actor. 21.

Noticiam & amicitiam multorum habuit. Cum Petro & Ioanne & Iacobo fratre Domini, & alijs Apostolis & presbyteris in synodo Hierosolymitana contulit, Gal. 1 & 2. A Barnaba est ductus ad Apostolos, cisq; commendatus, Act. 9. Iacobus & Cephas & Ioannes dexteras societatis ipsi & Barnabæ dederunt, ut in gentes apostolatu fungerentur, & pauperum essent memores, Gal. 2. Noticiam etiam habuit cum Agabo, Simone Nigro, Lucio Cyrenensi, & Manahen. Act. 11. & 13. & cum Philippo euangelista, Actor. 21.

¶ Collegas & cooperarios habuit multos, quorũ opera & auxilio usus est in plantatione & constitutione ecclesiarũ. Sed horũ fit mentio tum in Actis, tum in epistolis Pauli: uidelicet Barnabæ & Ioannis, Act. 13. Gal. 2. Titi, Gal. 2. Iudæ & Silæ, Act. 15. Timothei, Act. 16. Iasonis, Act. 17. Dionysij Areopagitæ, Actor. 17. Aquilæ, Ponticæ & Priscillæ, Crispi, Sosthenis, Apollo, Act. 18. Tyranni, Erasti, Gaij, Aristarchi, Alexandri, Act. 19. Sopatris Berrhœẽsis, Secũdi, Gaij Derbæi, Tychici & Trophimi, Actor. 20. Priscam & Aquilam adiutores suos appellat, & dicit eos pro anima sua ceruices suas supposuisse: Rom. 16. Epænetũ uocat dilectum suum, qui sit primitiæ Achaiæ in Christo, Ro. 16. Vrbanum etiam adiutorem suum salutat, & Stachyn. & Apellam, Rom. 16. Ibidem meminit etiam plurium, ut sibi notorum: nimirum Ampliæ, Aristobuli familiarum, & Narcissi: item Ruffi, Asyncriti, Phegontis, Iuliæ, Herei, Olympæ, Erasti quæstoris ærarij & ciuitatis: Tertij, qui excepit Paulo dictante epistolam ad Romanos: Gaij hospitis, Quarti, Stephanæ, Fortunati & Achaici meminit 1 Cor. 16. Epaphroditi, Philip. 4. Marci consobrini Barnabæ, Iesu Iusti, Epaphræ, & Lucæ medici, & Demæ, & Onesimi mentio fit, & Archippi, Colos. 4. & in epistola ad Philemonẽ & 2 Timoth. 4. Onesiphorum laudat 2 Timot. 1. Carpi, Crescentis, Eubuli, Lini mentio fit 2 Timot. 4. Zenæ legis periti, ad Titum 3. Philemonem collegam uocat, & Archippum commilitonem suum, in epistola ad Philemonem. Clementẽ etiã suũ cooperarium uocat Phil. 4.

Hieronymus in Scriptorib. eccles. affirmat, L. Anneum Senecam, uirum clarissimum, frequenter scripsisse ad Paulum, & hunc ad Senecam. extant utriusq; epistolæ: sed Erasmus in operibus Senecæ argumentis firmissimis probat, illas neq; Paulinæ maiestatis, neq; grauitatis Senecæ habere quicquam.

Fit etiam mentio quarundam mulierum, quæ Paulo familiares fuerunt, eumq; in ministerio suo promouerunt. Nam Ro. 16: Commendo uobis, inquit, Phœben sororem nostram, quæ est ministra ecclesiæ Cenchreẽsis, &c. ad sitis ei in quocunq; uestri eguerit negocio. Nam hæc cum multis affuit etiam mihi ipsi. Salutat etiam Mariam, quam dicit multùm erga se laborasse: & Tryphœnam & Tryphosam, & Persidem dilectam, quæ multum laborarit in Domino: & matrem Ruffi, quam etiam suam appellat matrem, & sororem Nerei. Rom. 16. Euodam & Syntychen salutat Philip. 4. Meminit etiam Aphiæ dilectæ, in epistola ad Philemonem.

Cognatos suos appellat Andronicum & Iuniam apostolos, ut qui ante se fuerint Christiani: & Herodionem, & Lucium, & Iasonem, & Sosipatrem. Rom. 16. Fit etiam mentio adolescẽtis filij sororis Pauli, qui conspirattonem Iudæorum de interficiendo Paulo refert ad tribunum, Actor. 23.

De statura Pauli hæc Nicephorus annotauit lib. 2, cap. 37: Paulus erat corpore paruo, & contracto, & quasi incuruo, atq; paululum inflexo: facie candida, annosq; plures præ se ferente, & capite modico: oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum uersum uergebãt: nasus pulchrè inflexus, idemq; longior: barba densior, & satis promissa: eaq; non minus quàm capitis coma, canis etiam respersa erat.

In laudem Pauli, multa ab autoribus inferiorum seculorum dicuntur, quorum testimonia quædam adscribenda putauimus. Nónne mihi Paulũ & Genesis olim repromisit? Inter illas enim figuras, & propheticas super filios suos benedictiones, Iacob cum ad Beniamin dixisset: Beniamin, inquit, lupus rapax, ad matutinum comedet adhuc, & ad uesperam dabit escam. Ex tribu enim Beniamin orturũ Paulum prouidebat, lupum rapacem, ad matutinum comedentem: id est, prima ætate uastaturũ pecora Domini, ut persequatorem ecclesiarum. dehinc ad uesperum escam daturum: id est, deuergente iam ætate oues Christi educaturũ, ut doctorem nationum. Nam & Saulis primò asperitas insectationis erga Dauid, dehinc pœnitentia & satisfactio, bona pro malis recipientis, non aliud portendebat, quàm Paulum in Saule, secundum tribus: & Iesum in Dauid, secundum uirginis censum, &c.

Eusebius lib. 3. cap. 24.

Paulus, qui inter omnes Apostolos eruditior etiam in uerbis uidetur. & in sensib. præpotens, non ampliùs quàm paruum Epistolarum suarũ corpus reliquit: quamuis immensa contineret intra se atq; innumera sacramenta, utpote qui etiam usq; ad tertiũ cœlum raptus, quæ gererentur inspexerat: & in ipsum quoq; Deo dignum paradisum abductus, audierat ibi ineffabilia uerba, & doctrinam (quæcunq; illa imbi est) siue corporeus, siue incorporeus, illius interim scholæ discipulus effectus exceperat.

Hieronymus ad Pammachiũ, aduersus errores Ioannis Hierosolymitani.

Vbi est electionis uas, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retrò generationibus ignoratum & profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur.

Idem in Apologia pro libris contra Iouinianũ: Paulum apostolum proferam, quem quotiescunq; lego, uideor mihi non uerba audire, sed tonitrua. Legite epistolas eius, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est: & uidebitis eum in testimonijs, quæ sumit de ueteri Testamẽto, quàm artifex, quàm prudẽs, quàm dissimulator sit eius quod

quod agit. Videntur quædam uerba simplicia, & quasi innocentiis hominis & rusticani, et qui nec facere nec declinare nouerit insidias: sed quocunq; respexeris, fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum uertit ut superet, fugam simulat ut occidat.

Chrysostomus de laudib. Pauil Homel. 8.

Sæpe fulgido cœli globo delectatus oculus, ad spectaculũ oppositi eregione luminis sese uiolenter intendit: et licet sentiat aciẽ suã imparẽ radiorũ esse certamini, desiderio tamẽ illius pulcherrimi luminis intuẽdi libẽter inaccessibili radiãtis orbis reluctatur coruſco. Tale igitur quippiã ego ipse perpetior, qui cũ uideã propriæ mẽtis oculos ex radijs Apostolici fulgoris hebetari, cupio tamẽ Pauli animã miro fulgore uirtutũ rutilantẽ, uelut eminꝰ intueri: & ecõtrà importabiles solis micatus, contentiosa subire certamina. Sol enim quidã est luminib. Paulus, qui totũ prorsus orbẽ fulgẽtib. linguæ suæ radijs illuminauit, quiq; uniuersas circũeundo gẽtes cursum omnino solis imitatus est, ac mũdi regiones omnes quasi libero à corpore animo peruolauit, & hoc cũ ei amara undiq; uulnera crebrius obuiarẽt. In duas nãq; partes omne tunc ferè hominũ scindebatur genus: eorũ scilicet qui horribi lirabie erga idolorũ cultũ ferebãtur: et illorũ quos legis zelus in Euãgelij odia inflãmabat. Ab utraq; uerò parte grauissima in Paulũ bella surgebant, cũ Iudæi undiq; illum quasi paternarũ traditionũ corruptorẽ fugarẽt: gẽtes uerò quasi Deũ mortuũ prædicantẽ auersarẽtur. Noli enim illũ qui tũc fuit rerũ reatũ, huic q modò est cõparando, magnitudinẽ Apostolici laboris attẽdere: sed ipsa adhuc prædicationis exordia mẽte perpẽde. Cõsidera prius pelagi sæuiẽ tis furorẽ, & tũ demũ uim gubernatoris intelliges. sicut enim in quodã freto, ita Paulus in medijs fluctib. æstuabat, ac mille discriminũ urgebatur procellis. Inter ipsa quippe Euangelij principia, prædicationis nouitas uehementes ei tentationũ turbines suscitauit. Iudæorũ enim tunc populi mouebãtur, quos ad hoc Mosaica uidebãtur præcepta cõpellere. Pharisæorũ quoq; perstrepebant gressui, cum dudũ à se crucifixi deitatẽ prædicari dolerent. Indigna batur etiã cõspiratio sacerdotũ, cũ audirent crucẽ quasi sceptrũ quoddã regale celebrari. In huiusmodi bello Iudæi sociabãtur, & gẽtes, quæ aris diuũ ac tẽplis puluinariũq; cinerib. assuetæ, penè iam euelli sibi nescij amplectebãtur errorẽ. Iudices in prædicationẽ Euãgelij sæuiẽtes, suæ astabant cateruæ. Reges iugiter idipsum bellũ gerebãt. Auditã crucẽ cũcti abominabãtur exercitus, quã sapiẽtes recipere nescicbãt, quasi signũ, utiq; damnati. Sed Paulo bellũ hoc totius mundi, omni erat pace iucũdius. Delectabat enim, quicũq; illũ propter Euãgeliũ uulnerabat. Hinc est, quòd ille Græciã atq; Barbariã, cũ illatis sibi uulneribus, lacer circuibat, nõ minus plagis suis gaudẽs q regijs triũphis: haud aliter delectatus naufragijs, q̃ cæteri acquisitis solent gaudere thesauris: liuoribus, quos ei uerberã sæpe inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis: tribulationibus ut delicijs utebatur, squalore carceris ut paradisi amœnitate gaudebat.

Cui te, ô beate Paule, iustorũ ueteris Testamẽti, uel noui, audeã cõparare? Omniũ quippe uirtutẽ, quasi in arca quadã, sed cũ multo prorsus cumulo, condidisti. Decheorũ, inueniet trutinã uirtutũ ponderib. à tua parte depressam. Paulus enim secũdus Abel, uerùm nõ semel, sed per dies singulos immolatus. Paulus alter Noe, sed absq; arca insurgentes aduersus se undas impietatis enauigãs. Paulus alter, Abrahã nõ modò à patria et gẽte, sed post uocationẽ suam ab ipsa etiam uita abscissus. Paulus alter Isaac, spõte in hostiã colligatus. Paulus alter Iacob, quasi pro uno quodã totius mũdi grege semper inuigilãs. Paulus alter Ioseph, spirituali fame tabescẽte mundo ueritatis alimẽta distribuẽs. Paulus alter Moses, qui omnes gentes à tyrannide Diaboli reduxit ad Christũ. Paulus alter Aaron, totius mundi populis unctus sacerdos. Paulus alter Phinees, impietatẽ Iudæorũ atq; gentilium, quasi fornicationẽ mentiũ uno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid, qui uelut quendã Goliã in certamine Diabolũ prouocat. Paulus alter Helias, clarius raptus in cœlos. Paulus alter Helisæus, qui gentes ab interiori lepræ pollutione mũdauit. Paulus alter Ezechias, qui ad unã fidẽ Christi diuersos populos attraxit. Paulus alter Iosias, qui abominationes gentiliũ dissipauit & perdidit. Paulus alter Ioãnes, p Christo capite truncatus. Paulus alter Petrus, nõ de terra, sed de cœlo uocatus ad credẽdũ. Paulus alter Gabriel, qui Christi ortũ cũctis gentib. nunciauit. Paulus alter Michael, qui Christianorũ dux esse fortitus est. Etiamsi angelorũ, etiãsi iustorũ circumuolẽ choros, nõ iuuenio cõparationẽ, cui nõ tamẽ cumulo meritorũ Paulus occurrat. Acclamatio populi, & post acclamationem etiã mortuus Paulus, ardentissima nobis theatra pietatis accendit. Sed quàm diu uersabo linguam, nũc iustis uiris Paulũ, nũc etiã angelis cõparando? Opulentissimũ igitur hũc thesaurũ, in nostris auidè pectoribus recondamus. Hauriamus certatim uirtutes, ex abundãti isto bonæ uoluntatis fonte manantes, & cupiditate maxima feracissimæ huius arboris poma rapiamus, uarijsq; floribus ac fructibus plenum apostolicarũ uirtutũ pratum metentes, sumamus è Paulo fulgentẽ rosam castitatis, ellegamus fidei florẽ marcescere nescientẽ: decerpamus ex eo uberrimos patientiæ fructus, & uirtutũ omniũ flores colligamus. Demus beato Paulo gloriã, ut dicat de nobis in futurũ: Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus. Ipsi gloria in secula seculorũ, Amẽ. Idem Homelia 1. Propheta dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentẽ. Sed hoc etiã in Paulo possumus inuenire, qui uelut ignis et spiritus totũ orbẽ terrarũ percurrit, orbẽq; pcurrendo purgauit. Sed necdũ cœlũ ipse sortitus est: et hoc omnino mirabile, quia talis uersabatur in terris, & mortali adhuc carne circũdatus cũ incorporalium uirtutũ potestate certabat. Quãta ergo sumus condemnatione digni, cũ uno homine, bona cuncta in se congregãte, ne minimã quidẽ eorũ partẽ studemus imitari? Hæc assiduè mente uoluentes, & nosipsos inculpabiles præbeamus, et ad illius zelum studeamus accedere, uel ad eadẽ bona peruenire mereamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi: cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Postremò, in sua Apostolica functione, præter peregrinationes, quas suprà exposuimus, pericula sustinuit plurima. Nã in periculo uitæ ob persequutorum furores subinde uersatur: ut Damasci, Act. 9. & Hierosolymis, cum aduersus Græcos disputasset, Act. 9. Iconij. Act. 13. Thessaloniæ, & Berrhœæ, & Athenis, Act. 17. Corinthi, Act. 18. Ephesi, Act. 19. Fuit etiã in periculis in itineratione propter latrones: in periculo nauigationũ, in flumini-

bus & mari ter naufragium fecit, præter illud quod Romam nauigans sustinuit, Act. 27. noctẽ ac diẽ egit in profundo, pericula ei crearunt Iudæi, & gẽtes, & falsi fratres: perclitatus est omni tẽpore. 1 Cor. 15. Habuit aũt infinitas molestias, ut uigiliarũ, famis, sitis, ieiuniorũ, nuditatis, contẽptus, contumeliarũ, malæ famæ: 1 Cor. 4. et 2 Cor. 6 & 1. Curas etiam longè maximas gessit pro omnib. ecclesijs, non tantũ à se plantatis, sed etiam ab alijs. 2 Cor. 11. & Col. 2. Semper mortificationẽ Domini Iesu in corpore circũtulit. 2 Cor. 4. Varijs enim suppliciorũ generib. passim afflictus est. nã carceri inclusus est Philippis, Act. 16. capitur Hierosolymis, Act. 21. & biennĩ detinetur captiuus Cæsareæ, Act. 24. Romã etiã captiuus abductus est, ac biennĩ in suo cõducto mansit. Act. 28. Eph. 3. 2. Tim. 2. A' Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepit. Ter uirgis cæsus est, semel lapidatus est. 2 Cor. 11. Act. 14 & 16. cum bestijs Ephesi pugnauit. 1 Cor. 15. Ea de re Nicephorus lib. 2 cap. 25 multa fabulosa & ridicula narrat.

Tentationes etiã spirituales et ignita tela Diaboli expertus est. nã angelus Satanæ eũ colaphis cecidit 2 Cor. 12: quod Hieronymus in 4 cap. ad Galatas, quosdã de dolore capitis, quo sæpe laborarit, intelligere dicit. In Macedonia cũ esset, nullã habuit relaxationẽ, afflictus in omnib. ita ut fŏris pugnas, intus sentiret terrores. 2 Cor. 7. Cum uellet Thessalonicã abire, semel atq; iterũ obstitit ei Satanas. 1 Thes. 2. Cogitatiões Satanæ nõ ignorauit 2 Cor. 2. Et bene didicit illud quod Eph. 6 scribit, nõ esse nobis luctam aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum, aduersus spirituales astutias.

Tandem uerò etiã ab impurissimo & truculentissimo tyrãno Nerone capite multatus est Romæ, & in uia Ostiensi sepultus, eodẽ anno & die quo Petrus in crucẽ actus est: nimirũ 14 Neronis, qui fuit post passionẽ Christi tricesimus septimus, post natiuitatẽ Christi 70, conuersionis Pauli 37. Autores sunt Eusebius, Hieronymus, Nicephorus, Euthalius diaconus. Autor uitæ Pauli, quæ falso Abdiæ adscribitur, dicit, duob. à passione Petri annis, Paulũ tertio calendas Iulias interfectũ esse. Epiphanius uerò lib. 1. tomo 2 dicit, Petrũ & Paulum duodecimo Neronis interijsse. De causa mortis eius, uetusti illi Eusebius & Hieronymus sigillatim nihil cõmemorant: haud dubiè eo q; nihil certi aliud memoriæ proditũ cognouerunt, q̃ quòd ob fidem & confessionẽ Domini nostri Iesu Christi, ut alij Christiani, quos Nero persequebatur, interfectus sit. Chrysostomus tamen lib. 1 aduersus uituperatores uitæ monasticæ, hæc scribit: Paulus pellicem Neronis, quã deperibat, ac in delicijs habebat, cum ad fidem inducẽs, religionis sacramenta susciperet, simul etiam impurũ congressum declinare persuaserat: Nero Paulum corruptorẽ, nebulonẽ, & flagitiosum hominem uocans, primum cum coniecit in uincula: deinde poposcit, ut puellæ eiusmodi cõsilia monitáue dare desineret. quòd cum à Paulo impetrare non posset, necauit tandem uirum sanctissimum. Petrus de Natalibus, & alij Martyrologici, narrant, Paulum Patroclum quendam pocillatorem Neronis, mortuum ex casu, resuscitasse: eumq; coram Nerone confessum esse, se in regem Christum credere quare Neronem motum, iussisse omnes Christianos, ut seditiosos, & alium regem agnoscentes quàm se, in uincula conijci, & uarijs generibus supplicio rum affici. atq; ita etiam Paulum esse captum, & confessione damnatum, & securi percussum, pro sanguine lac emanasse: Et Paulum post mortem, ut præ dixerat Neroni, apparuisse. Hieronymus in epistola ad Casmirium dicit, Paulum Neronis gladium cruentasse. Verùm hæc tum fabulosa, tum etiam superstitiosa, antiquitatis testimonio destituuntur. Curriculum igitur uitæ eius, quo ministerio Apostolico functus est, fuit 37 annorũ: & quadriennio ante excidium Hierosolymorũ ex hac uita euocatus est, ne uideret suæ gentis, pro qua anathema fieri optauit Rom. 9, lamentabiles miserias, & tr istissimum interitum. Fuit autem uere organon electum & salutare, quo Dominus noster Iesus Christus usus est ad ecclesiæ inter gentes plantationem & propagationem: Rom. 15. & 2 Corinth. 13.

DE MARCO.

MArcus euangelista fuit ex circumcisione: si modò ea omnia, quæ in sacris inueniuntur literis, de hoc Marco nostro intelligenda sunt. Matrem habuit Mariam quandam, quæ Hierosolymis propriam habuit domum, in qua plurimi Christiani soliti sunt conuenire. Nam Lucas in Actis cap. 12 inquit, Petrum nocturna miraculose ex carcere liberatũ, uenisse ad domum Mariæ matris Ioãnis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati orantes.

Consobrinum Barnabæ fuisse, ex Paulo Colos. 4 constat. Quomodo autem uel conuersus sit, uel præco Euangelij effectus, nõ est literis traditum. Apparet parentes eius Christo, eiusq; Apostolis familiarissimos atq; adeò erga eos beneficos & hospitales fuisse. Hic occasione & ipse Marcus cœlesti doctrina imbutus, fide ac reliquis Spiritus sancti donis ornatus fuit, ita ut charus Apostolis esset, qui eum sibi cooperarium adsciuerunt. uariaq; orbis terrarum loca cum ipsis peragrauit. Est autem semel in Pamphylia deseruerit Paulum (quamuis quæ fuerint causæ, non indicatur) tamen non desiit in propagatione Euangelij Iesu Christi laborare: & Barnabas, licet tum Paulus quidem eum nollet ad suam professionem receipere, eo assumpto, nauigat in Cyprum, sicut in Actis cap. 15 commemoratur. Fuit igitur in celebri Hierosolymitana synodo: & audiuit eorãm colloquiũ Apostolorum, & aliorum piorum, de rebus omnium grauissimis. 2 Timoth. 4 scribit Paulus: Marcum assume. & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerio. Testificatur & in epistola ad Philemonẽ Paulus, Marcum unà secum Romæ tempore Neronis fuisse. Nam Marci quoque nomine salutatur Philemon. & in epistola ad Colos. cap. 4 scribit: Salutat uos Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata. Si uenerit ad uos, suscipite eum. Petro quoq; aliquãdiu fidus socius fuit. nam 1 epist. cap. 5 inquit: Salutat uos ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Plura de eo in sacris quidem monumentis non extant. Historiam autem Euangelicam conscripsit summa fide & perspicuitate, sicut eam à Petro didicerat, memoriæq; mandauerat, sicut eam Eusebius lib. 3 cap. 39 ex Papia ista uerba recitat: Marcus quidem cum Petri esset interpres, quæcunq; memoria retinuit, accuratè conscripsit. non quidem eo ordine quo à Domino dicta sunt, aut facta: neq; enim audiuit Dominum: neq; illius, sed Petri postea, sicuti dixi, assectator

assectator fuit: qui doctrinas suas, iuxta quod necessitas exigebat, non ut constructionem sermonum Domini faceret, administrauit, ita ut nihil deliquerit Marcus, quod quædam ita cõscripsit, sicuti ea memoriæ tradiderat. Deuno siquidem cogitauit, ne quid eorum quæ audierat omitteret, aut qua in re quod falsum esset traderet. Hæc Papias. Et Irenæus scribit lib. 3 cap. 1. Post horum (Petri & Pauli) excessum, Marcus discipulus & interpres Petri, & ipse quæ annunciata erant, præscripta nobis tradidit. Occasionem eius scriptionis Eusebius lib. 2 cap. 15, ex sexto ὑποτυπώσεων Clementis recitat his uerbis: Cum itaq; diuinũ illud uerbũ illò uenisset, confestim Simonis unà cum ipso potentia extincta est, & destructa: ac contrà tantus pietatis splendor mentibus illorum qui Petrum audiebant illuxit, ut non sufficerint illis semel audita, nec contenti fuerint non scripta diuinæ prædicationis doctrina: sed Marcum, cuius Euangelium circumfertur, omnigena obsecratione obtestati sint, ut cõmentarios ipsis doctrinæ eius quam uerbo traditã accepissent, literis cõprehensos relinqueret. nec destiterint, donec uiro persuaserunt, atq; ita causam dederunt Euangelio quod secundum Marcum nominatur, conscribendo. Aiunt autem, Apostolum, cum ex instinctu spiritus sancti factum hoc cognouisset, delectatum esse uirorum istorum uoluntate, & scriptũ hoc Euangelium ecclesijs ad legendum authoritate sua confirmasse. Quòd autem Augustinus ait, Marcũ abbreuiatorem esse Matthæi, non sic accipiendum est, quasi studio eius Euangeliũ uoluerit decurtare: sed quod alioqui breuius pleraq; attigerit, & quasi delibarit. In Aegyptum primum esse missum, atq; Alexãdriæ suum, quod composuerat, Euangelium prædicasse, Eusebius lib. 2. cap. 16 scribit. Et Hieronymus de Viris illustribus idem narrat: qui de interitu eius nihil aliud scribit, quàm eum Alexandriæ octauo Neronis anno mortuum esse, ac sepultũ, succedente sibi Anano. In Legendis uaria uariè de Marco leguntur. Asserunt eum in Aphrica non modò Aegyptum, sed etiã Libyam, Marmaricam, Ammonicam & Pentapolim peregrasse: id quod sanè non est alienum à ueritate. Postea dicunt eum tractum per ciuitatem interijsse. Verùm cũ in probatis nihil de eius miraculis & exitu uitæ extet, noluimus esse prolixiores.

DE LVCA.

QVæ ad historiam Lucæ euangelistæ pertinent, Hieronymus satis accuratè est complexus: ideo eam huc inferere usus est. Lucas, inquit, medicus Antiochensis, ut eius scripta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit Euangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias. Et ad Colos. Salutat uos Lucas medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoq; edidit uolumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur, cuius historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id est usq; ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum. Igitur περίοδος Pauli & Theclæ, et totã baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas cõputamus. Quale enim est, ut indiuiduus comes Apostoli, inter cæteras eius res hoc solum ignorauerit? Sed & Tertullianus, uicinus eorum temporum, refert, presbyterũ quendam in Asia τὸν ἀποστολικὸν apostoli Pauli, conuictũ apud Ioannem, quòd autor esset libri: & confessum, se hoc Pauli amore feciss e, & ob id excidisse quidam suspicantur, quoties cũq; in epistolis suis Paulus dicit, Iuxta euangeliũ meũ, de Lucæ significare uolumine. Et Lucã non solũ ab apostolo Paulo didicisse Euangeliũ, qui cũ Domino in carne nõ fuerat, sed à cæteris apostolis. quod ipse quoq; in principio sui uoluminis declarat, dicens: Sicut tradiderũt nobis, qui à principio ipsi uiderũt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Euãgeliũ, sicut audierat scripsit: acta uerò Apostolorũ, sicut uiderat, composuit. Vixit octoginta et quatuor annos, uxorẽ non habens. Sepultus est Constantinopoli, ad quã urbẽ uicesimo Constantij anno ossa eius cum reliquijs Andreæ apostoli translata sunt de Achaia.

Eusebius lib. 3 cap. 4 eadem ferè habet. Nicephorus, qui nihil non conuerrit, ait, cum in Græcia de olea suspensum esse, lib. 2. cap. 43.

IOSEPH.

HIeronymus in fine narrationis cap. 12. Matthæi, consobrinis Domini Iacobo & Iudæ Ioseph um adnumerat, ut diximus. Qui Epiphanio Ioses est, & frater Iacobi, Simonis & Iudæ, quos omnes filios esse Iosephi putauit. Et Iosen natũ proximè post Iacobũ, ante Simonẽ.

PHILIPPVS DIACONVS, Euangelista.

PErspicuum est, totam illam narrationem de Philippo in Actis cap. 6. 8. & 21. ad Philippum diaconum, quem & Euangelistam Paulus nominat, & quatuor ei fuisse filias uirgines prophetantes ait Act. 21, pertinere. Quis uerò, aut cuias fuerit, aut qua occasione cœtui Ecclesiæ Hierosolymis se adiunxerit, nusquam dicitur. Sed quibus donis præditus fuerit, inde colligi potest, q, in Diaconatum tales eligi Apostoli iubent, qui boni sint testimonij, & pleni spiritu sancto. Et proximus post Stephanum, plenus fide & spiritu sancto commemoratur Act. 6. Deinde cap. 8 narrat Lucas, Philippum eum in dispersione discipulorũ & fratrũ Hierosolymis, orta ex persecutione, cum alij in alias terras Euangeliũ prædicaturi exirent, in Samariæ ciuitate, magna cũ autoritate & fructu concionatum esse: & miraculis, quibus spiritus immundos expulerit, claudos & paralyticos sanarit, admodum claruisse. Magnam item multitudinem hominum ad Christũ per Euangelij prædicationem adductam, baptizasse. Quin & Simonem quendam, qui magicis præstigijs & impostu ris populum omnem longo tempore seduxerat, motũ magnitudine uirtutis et signorum Philippi credidisse, seq; baptizatum Philippo adiunxisse. Sed simulata fuit Simonis fides, ut ex Lucæ cõmemoratione clarum est.

Ex illa ciuitate Samariæ, post obiurgatum & damnatum Simonem simulatorem, Philippus cum Petro redijt Hierosolymã, & in multis ciuitatibus Samariæ prædicauit Euangeliũ. Postea ab angelo admonitus, Gazã abijt, cum in Aethiopem Candacis reginæ thesaurariũ, Hierosolymis, ubi religionis gratia fuerat, decedentem, in curru sedentẽ, ac legentẽ Esaiã prophetã, incidit, et à spiritu monitus ad currũ accedit, atq; Aethiopem legentem interrogat, utrum quæ legat intelligat? Negante illo, sine doctore & monstratore intelligere se posse: inuitatus currum ascendit, & à uerbis quæ fortè Aethiops

legerat ex Esa. 53, Tanquam ouis quæ ad mactationem ducitur, &c. occasione sumpta, Christum Aethiopi prædicat, eáq; concione conuersum baptizat: & à spiritu, quem Hieronymus in cap. 63 Esaiæ, angelum fuisse, quorundam opinione indicat) rursus, Aethiope non animad uertēte, abripitur. Inuenitur aūt postea in Azoto ciuitate. ex quo loco iter ingressus, ciuitatib. finitimis omnib. prædicat. & ad postremum Cæsaream uenit, ubi Paulus ex Ptolemaide profectus, ad eum diuertit, ut Act. 21 Lucas commemorat. Ibidem & tranquilla morte tandē eum decessisse, Vincentius lib. 7 cap. 72, Petrus Natalis lib. 5 cap. 91, & alij retulerunt.

BARNABAS.

EXtat in Actis apostolicis utrunq; nomen, Barnabas & Barsabas: quod seu nomen, seu cognomen, cuidam ex discipulis Christi Iosepho fuit, qui Barnabas postea & Barsabas dictus est. Sic enim Act. 1: Ioseph, qui uocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, &c. Et Act. 4. Ioseph, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, ideſt, filius consolationis, Leuites. ubi & Cyprium cum natione fuisse additur. Sed qua occasione conuersus sit, clarè nusquam exprimitur.

De uocatione eius ad ministerium, ac zēlo in eo suo, industria, fide, diligentia, constantia, multa perspicuè in Actis explicata sunt: quemadmodum ordine, quantum in Actis narrationes nobis suppeditabunt, recitabimus. Primùm in cœtu Apostolorum, mox post ascensionem Christi Hierosolymis, Barnabas & Matthias delecti, & in medium constituti sunt, ut utrum sors iacta post orationem ostendisset, in locum is Iudæ amissi & damnati sufficeretur. Sed tum Matthias sortitione declaratus, Apostolus factus est, Act. 1. Quæ narratio indicat, Barnabam ante Christi etiam ascensionem, in discipulorum fuisse numero, & sine dubio unum ex antiquioribus. Deinde cum eorum quandam communionem, tum Euangelij propagandi commoditas, tum loci eius & temporis status, Apostolis imposuisset, multiq; quicquid possiderent facultatum uenderent, et in commune pecunias conferrent: Barnabas etiam, cum agrum haberet, uendidit, & precium pro eo in communem usum Apostolis contulit. Act. 4. Interea conuersus Paulus, & baptizatus, cum Damasci, ubi Christū prædicauerat, Iudæorum insidias euasisset, ac Hierosolymam uenisset, Barnabas primus fuit qui Paulum hospitem acceptum ad Apostolos deduxit, Act. 9. Quod factum est anno XXII Tiberij, nimirum anno à conuersione Pauli quarto, Christi uerò 37.

Sub idem tempus, cum post Stephani lapidationem Ecclesia apud Antiochiā multiplicari ac florere cœpisset, adeò ut ex gentibus etiam multi ad Christum conuertērtur, eáq; fama Ecclesiæ Hierosolymis nunciata esset: communi eius Ecclesiæ. seu explorādæ ueritatis, seu confirmandi potius eos qui ad Christum accessissent consilio, Barnabas legatus Antiochiā missus est: sicut in legationibus Ecclesiæ subeundis, alijsq; ministerij negotijs necessarijs procurandis, singularis huius doctoris uidetur fuisse industria, & usus frequens, coq; eum etiam nomine Lucas peculiariter commendat, ut postea dicemus. Venit igitur hac occasione Barnabas Antiochiam, & quæ Domini ibi gratia operata esset cum gaudio uidit, omnesq; tum fratres, tum eos qui ad Dominū recens cōuersi fuissent, ad constantiam exhortatus est. Et diserte hoc in loco textus in Actis inquit: Erat uir bonus, & plenus spiritu sancto, & fide. Act. 11.

Tarsum deinde profectus, Paulum ibidem inuentum Antiochiam perduxit: ubi communi docendi officio annum integrum cum Paulo functus est: quo tempore primum discipuli Christiani cognominati sunt Antiochiæ: quod & Eusebius annotauit lib. 2 cap. 3 & 8.

Exciti fama numerosæ & florentis apud Antiochiam Ecclesiæ, ijsdem diebus eò uenerūt prophetæ ab Hierosolymis: ex quibus Agabus spiritu sancto motus, futuram per omnem terrarum orbem famem prædixit, quæ & sub Claudio Rom. Imperatore accidit. Quo tempore ecclesia Hierosolymis, facta deliberatione de subleuanda fratrum per Iudæā egestate, necessaria ad uictū iussē per Barnabā & Paulū miserūt. in Actis ibidē, & Euseb.

Præcipuam deinde in ecclesia Antiochena fuisse autoritatem Barnabæ, hoc testatur, q. doctores & apostolos in eadem ecclesia Lucas recensens, primàm Barnabæ mentionē facit: Erant, inquit, in ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quib. Barnabas, &c. Ac deinde quæ Barnabæ et Paulo, ut Euangeliū Christi gentibus annunciarēt, uocatio diuina fuerit, hoc modo subijcit: Ministrantib. illis Domino, & ieiunantib. dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabā in opus, ad quod assumpsi eos. Ieiunātes igitur illi, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos, Act. 13.

Ita igitur per Seleuciā cum Paulo itinere facto, in patriam Cyprum Barnabas uenit: ac Salamine in synagogis Iudæorū, cum eodem cōcionatus est. Inde totam eam insulam docens peragrauit: & in Papho unà cum Paulo Sergiū Paulum proconsulē, ad fidem Christi conuerterunt. Et post aliquot Pauli suauissimas conciones, Iudæis contradicentibus, cum Paulo respondit: Vobis primùm oportebat loqui uerbum Dei. sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis uita æterna: ecce conuerti mur ad gentes. Nec multo pòst, cum communi in utrunq; impetu irruere gentiles & Iudæi decreuissent, ad ciuitates Lycaoniæ Lystrā et Derben cum Paulo cōfugit: ubi Pauli miraculis mota multitudo, deorū honores utriq; decernere uoluit: ac Barnabā Iouē, Paulū Mercuriū uocitarūt. Inde in Iconiū & Antiochiā regressus est cum Paulo: ubi post cōfirmatos fratres et admonitos, in Pisidiā cū secutus est, & Pamphyliā, indeq; in Pergen & Athaliam. Hinc iterū Antiochiā cum Paulo repetijt, ibiq; lōgiusculo tempore cum discipulis cōuersatus est. Act. 13 & 14.

Cum ibidem orta esset à quibusdam de Iudæa controuersia, circumcisionem ad salutem necessariam esse docentibus, unà cum Paulo illis contradicit: ac communi postea ecclesiæ consilio cū eod ē Hierosolymā mittitur, iudicium super ea controuersia à fratrib. Hierosolymitanis petiturus. Inde igitur per Phœnicem & Samariā cum Paulo profectus, explicata quæstione, cū literis Apostolorum & seniorum, comitib. additis primarijs & fratrib. Antiochiā redijt. atq; eo extempore bene diu remansit uterq;, quoad usq; dissensione super Ioanne Marco Barnabæ consobrino, inter utrunq; orta, à Paulo Barnabas separatus, cū Ioāne in Cyprum nauigauit. Act. 15.

Atq; hæc de Barnaba, ex narratione Lucæ in Actis Apostolorum, historia est: cuius aliquot membra Eusebius recensuit libro & capitibus suprà indicatis. Qui & lib. 1 cap. 12 in numero cum LXX discipulorum fuisse, & inter

inter adulterina haberi quæ circumferatur Barnabæ epistolã indicat. At meminit eius epistolæ Hieronymus, in enarratione loci illius in cap. 43 Ezechielis: Dabis sacerdotibus, Leuitis, &c. ut offerant mihi uitulum de armento pro peccato. Vitulũ, inquit, qui pro nobis immolatus est, & multa scripturarum loca, & præcipuè Barnabæ epistola, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat. At meminit Tertullianus, hunc Barnabam pro autore epistolæ ad Hebræos à quibusdam habitum.

Recẽset eius in Cypro miracula aliquot Petrus de Natalibus: sed quæ absurditate sua ipsa sæpe, quàm sint falsa, produnt. Infirmos, ait, per eam insulam sanitati restituisse, per impositionem Euangelij Matthæi. Idem & in Cypro funibus extra ciuitatem protractũ, crematũ narrat. Quod cum receptorũ scriptorũ, quibus iure fidas, nemo admonuerit, in medio relinquimus. Affirmat & autor Supplementi Chronicorum, quod dicitur, in Salamine eum passum. Sed cum diuersa à Luca & cæteris adsignet eius itinera, ut in Italiam. Lombardiam, Galliam cisalpinam, & Mediolanũ, ubi episcopum eum fuisse dicit, nec hoc pro uero asseuerare possumus. Quidã scribunt, eum circa septimum Neronis annum interfectum.

AGABVS.

AGabum de LXXII discipulorum numero fuisse, Petrus de Natalibus tradidit lib. 3 cap 118. Nobis duo de Agabo explicata in Actis sufficiunt testimonia. Primum, quòd, quo tempore celebris esse cœpisset ecclesia Antiochiæ, eóq; iam uenissent Paulus & Barnabas incremẽta suæ ecclesiæ gratulaturi, eôdem simul cum alijs plurimis prophetis uenerit ex Hierosolymis Agabus is, et spiritus sancti motu magnã per uniuersum orbẽ terrarũ famem futurã, sub initiũ (ut uidetur) imperij Claudij prædixerit: quæ postea etiam anno IIII Claudij, Christi uerò (iuxta Eusebij Chronicõ) XLVI euenit, Act. 11. Deinde quòd anno circiter eiusdem imperatoris XIII. idem propheta ex Iudæa Cæsareã uenerit, ibiq; apud Philippũ euangelistam offendens Paulum, quo is supplicio periturus esset prædixerit. Cum ad nos, inquit Lucas Act. 21, moram apud Cæsaream aliquot dierũ facientes, uenisset uir quidam è Iudæa, propheta Agabus nomine, tulit zonã Pauli, & alligans sibi pedes ac manus dixit: Hæc dicit spiritus sanctus, Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Iudæi, & tradent in manus gentium.

TIMOTHEVS.

DElicias Pauli Timotheus, patre Græco, matre uerò fideli muliere, quam Eunicã appellatã fuisse 2 Tim. 1. Paulus indicauit, natus fuit Lystris Lycaoniæ, ut putatur: quia ibi eum Paulus primùm inuenit, Act. 16, adolescentem admodum, & ualetudinarium, quemadmodum ex prioris ad eum Pauli epist. cap. 4 & 5 colligitur. Et uinum non bibisse, quod & Athanasius retulit in epistola ad Dracontium: eruditum uerò à puero in sacris literis, & pietate, 1 Tim. 4. & 2 Tim. 3. Cuius eum laudẽ existimam habuisse, prius etiam quàm eum erudiendũ & confirmandum Paulus, post diſsidium inter ipsum & Barnabam natum, apud Lystram acciperet, Act. 16, Lucas clarè testatur: Bonum, inquit, testimonium ei reddebant qui Lystris erant, & Iconij, fratres. Futurum igitur eum comitem sibi idoneũ, Paulus ibi cum uidisset, adiunxit eum sibi: & primùm circumcidit, quo & minus eo Iudæi, qui patre eum gentili natum ibi sciebant, offenderentur, & maiori cum fructu ministerio fungi posset. Ad eas enim causas respexisse Paulum, qui ut omnes, quantũ fieri eius posset, Christo lucrifaceret, sicut ipse ait, gentib. se gentilẽ, & Iudæis Iudæũ præbebat, Lucas indicat Act. eodem cap. Atq; hac occasione comitẽ & ministrũ Timotheũ Paulus sortitus, usq; adeò eũ tẽporis & cõsuetudinis eius processu deamauit, ut nec carius eo, nec preciosius unquã habuerit. Sicut econtrà, summa fide in ministerio Paulo Timotheus adfuit. Hinc illæ dulcissimæ Timothei, & ex uero paterno profectæ affectu appellationes: Timotheus filius meus dilectus, fidelis in Domino, 1 Cor. 4. et 2 Tim. 1. Misimus Timotheũ, fratrem nostrũ, ministrũ Dei, & adiutorẽ operis nostri in euãgelio Christi: 1 Thess. 3. &, Timotheo germano filio in fide: 1 Tim. 7. &, Hominẽ habeo aliũ pari mecũ animo, q ut filius mecũ ueluti cũ patre, seruierit in euangeliũ, &c. Phil. 2. Ac donis eũ singularib. præditũ fuisse, fideiq; sanitate & integritate, in alijs locis testatur. ubi & ordinatũ eum ministrum euangelij, per manuũ impositionẽ, indicat: ut 1 Tim. 4. Ne neglexeris quod in te est donũ, quod datũ est tibi per prophetiã, cum impositione manuũ presbyterij. Et 2 Tim. 1: Cõmonefactus eius quæ in te est nõ simulatæ fidei: quam ob causam commonefacio te ut suscites donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum.

Vsus aũt eius primùm ministerio Paulus est, in peregrinãdo, in docẽdo, ſicubi secũ unà esset, ac legationibus. Thessalonica per tumultũ eiectus, eum ibi cũ Sila reliquit. Athenas uerò cũ peruenisset, datis ad utrũq; mãdatis, ad se reuocat: Act. 17. Timotheus è Macedonia cũ Sila itinere facto, Paulũ inuenit Corinthi, Act. 18. Vnde rursus Thessalonicã eum, ad cõsolandos Christianos, ne afflictionib. turbarẽtur, uenit: Act. 19, & 1 Thess. 3. Reuersus inde ad Paulũ, uenit Corinthũ. Ex quo loco Paulum suscipientẽ iter in Macedoniã, comitatur usq; ad Asiam, Act. 20. Vbi à Paulo rogatus ut Ephesi maneat, ibiq; ecclesiã instruat, de qua re ei præcepta per totã priorẽ ad Timotheum epistolã Paulus præscribit, Ephesi subsistit. Qua occasione Eusebius lib. 3 cap. 14. Sophronius & alij plerique, primum eum episcopũ factum Ephesiorum tradiderunt. Missum uerò antè ad Corinthios, etiã ministerij gratia, ex priori ad Cor. epist. cap. 4 & 16 apparet. Ac commum quidem opera cum Paulo posteriorem ad Corinthios epist. scripsisse, 2 Cor. 1: quia & cum Paulo Romæ fuisse sub Nerone, ex epist. ad Philippenses cap. 2 conijcitur. Sed quomodo & quàm diu Ephesianæ ecclesiæ doctor & gubernator profuerit, explicati & certi nihil apud aliquẽ probatũ scriptorẽ traditur. Quare nec pro certo affirmare possumus, eũ Ephesi, ideo q ad porticus tẽpli Dianæ propius accedẽs, idololatriã Ephesiorũ redarguisset, palis & lapidibus obrutum, martyriũ cõsummasse: quod plerique tradiderũt, ut Antoninus, & Vincentius lib. 38 cap. 10, ex Polycrate presbytero: Heinricus de Erphordia, qui sub Nerua occisum Timotheum tradidit: Nicephorus uerò lib. 3 cap. 71 sub Domitiano.

TITVS.

NOminat & Titum Paulus dilectũ suum filiũ secundũ fidẽ: Tit. 1. Et fratrẽ suum, 2 Cor. 2. Sociũ itẽ suũ, & adiutorẽ, 2 Cor. 8. Vno deniq; spiritu, iisdemq; uestigijs se cum Tito ambulasse, scribit 2 Corinth. 12. Ac omnino tum ex ijs, tum ex alijs quos indicabimus locis apparet, Paulum Titi opera in propagando euangelio, & confirman-

firmãdis ecclesijs familiarissimè usum. Græcum fuisse, non Iudæum, 1 Gal. 2 Paulus indicat, ubi comitẽ eum sibi fuisse, proficiscenti Hierosolymam post annos quatuordecim: ac propter ingressos falsos fratres, cum Græcus esset, uoluisse circũcidere. Corinthi eum aliquandiu fuisse, post scriptam ad eos primã à Paulo epistolã, ex septimo capite posterioris ad Cor. epist. cõspicitur. Cum enim Titum Paulus quærẽs, eius gratia in Macedoniã abijsset, uenit eò ad eum Titus è Corintho, cum gaudio Paulo referens, quanta cum pietate & officijs à Corinthijs exceptus ipse esset: & quòd monẽti sibi obedijssent, ac magno Pauli iaborarent desiderio, dolentes quòd eum offendissent. Apparet & ex sequentib. duobus capitibus eiusdem epistolæ, octauo nimirũ & nono, Titum Corinthi in necessitatem fratrum egentium Hierosolymis, quemadmodum Lucas indicat Act. 15, colligere cœpisse. Cum igitur qui in Macedonia & Achaia essent Christiani liberaliter cõtulissent, Paulus Corinthios exhortatus, ut & ipsi liberaliter cõtribuerent, remisit ad eos Titũ cum fratrib. & socijs alijs. Ex quo loco etiã colligitur, epistolã illam alteram ad Corinthios, per Titũ esse exhibitã. Qua deinde occasione cum eodẽ in Cretã Paulus deinde peruenerit, non satis cõstat. Abeuntẽ se inde, Titũ in ea reliquisse, ut quæ in constituenda ecclesia ratione deessent sarciret: ac per singulas ciuitates, quales centũ Creta habuit, presbyteros ordinaret. quam ob causam & epistolam ad Titum è Nicopoli misit, ipse indicat ad Tit. 1. Atq; in eius epistolæ fine, Nicopolim ut ad se ueniat Titus monet: si prius Arteman & Tychicũ, ut Titi in Creta officio interea fungerentur, miserit. Hinc eum Eusebius lib. 3. cap. 4. & Sophronius, primùm constitutũ à Paulo episcopum Carthaginensium scripserunt. Sophronius & in Creta diem suum obijsse, ibidemq; sepultum Titum tradidit: sed in Dalmatiam eum abijsse, cum Paulus Romæ secundò captiuus teneretur, significatur in epistola posteriori ad Timoth. cap. 4.

SILAS, SILVANVS.

FVit hic Silas Pauli & Barnabæ comes, cui idem quod Iudæ, Lucas Actor. 15 tribuit: donum uidelicet prophetiæ, & præcipuã inter fratres Hierosolymitanos autoritatẽ, studiũ etiam cõfirmandi fratres Antiochiæ: ubi & mãsisse eum, Iuda regresso, et dissidio postea inter Paulũ et Barnabã exorto, cum Paulo in Syriã & Ciliciã ad confirmandũ ecclesias abijsse, atq; in eo itinere eandem cum Paulo fortunã expertum esse, accusationẽ scilicet, percussionẽ, incarcerationẽ Philippis, cum ibi spiritum Pythonis è puella Paulus expulisset, affirmat. Inde igitur post miraculosam è carcere liberationem, cõuerso prius carceris præfecto, & multis alijs, cum Paulo profectus, uenit Thessalonicã, atq; inde rursus Berrhœã. ubi, cùm seditione et tumultu in Paulũ cõcitato, Paulus à fratribus ad mare clàm deductus esset: Silas cum Timotheo, quem paulo antè comitẽ Paulus aßumserat, ibidẽ inuisit. Postea accersitus à Paulo per literas, Corinthũ ad eũ redit cũ Timotheo, Act. 16. 17 & 18. Quòd unũ è numero 70 discipulorũ, episcopum uerò Corinthiorum fuisse, in Macedonia martyrem eum tandem obdormijsse, Petrus de Natalibus tradidit, in medio relinquimus.

Quod Paulo idem fuerit Silas & Siluanus, inde apparet, quòd cum Timotheo Siluanus aliquot in locis coniungitur. nam Lucas Silam & Timotheũ, Paulum secutos scripsit, ut 2 Cor. 1: Dei filius Iesus Christus, qui in uobis per nos prædicatus est, per me et Siluanũ & Timotheũ, &c. Ac probè conuenit, quòd Lucas Act. 18, ad Paulũ ex Macedonia redijsse Silam & Timotheũ, ueluti diximus, indicauit. Deinde & in exordio utriusq; epistolæ cõiunguntur, Paulus, Siluanus & Timotheus. Nisi quòd & Petrus Siluani cuiusdam meminit: qui utrum seu idem qui Paulo adhæsit, seu alius fuit, incertũ est. Sic etiã habet Petrus 1 Pet. 5: Per Siluanũ fidelẽ fratrẽ, uobis, ut arbitror, breuiter scripsi, &c. Quòd aliũ Siluanũ à Silam Petrus Natalis contendit, ideo quòd alter Thessalonicæ, alter in Macedonia sepultus sit, parum habet ponderis.

IVDAS, BARSABAS.

IVdæ cuiusdam Lucas in Actis meminit, cap. 15, quẽ inter fratres ecclesia Hierosolymitana primariũ, et prophetam quidẽ fuisse tradit: ac interfuisse synodo Hierosolymis, super controuersia de necessitate circũcisionis, cũ eò legati ex Antiochia Paulus et Barnabas uenissent: quib. postea cũ literis synodi digredientibus, comes additus sit, & Antiochiam peruenerit: ubi aliquandiu commoratus, concionibus multis fratres exhortatus sit ac confirmarit: tandem uerò Hierosolyma redierit.

ARISTARCHVS.

ARistarchum Macedonem ex Thessalonica, & Pauli fuisse comitẽ, & sociũ periculorũ suorũ, ac tandẽ cõptiuitatis, ex aliquot Actorũ locis & Pauli epistolis apparet. ut Act. 19, ubi Paulus Ephesi, post damnatũ cultũ Dianæ, à Demetrio argentario raptos in theatrũ furentis multitudinis narrat Aristarchum & Gaium. Deinde è Græcia per Macedoniã cuntem rursus Paulũ Aristarchus cum alijs aliquot fratribus comitatus est, Act. 20. Eundẽ & Centurioni iam traditũ, simul uinctus secutus est. Act. 21. unde & concaptiuũ suum uocat Col. 4. Meminit eius deinde Paulus & in epistola ad Philemonem.

AQVILA, PRISCA SEV Priscilla.

NArrat Suetonius, Claudiũ Iudæos aliquando tumultuantes, Roma omnes expulisse. quod et Act. 18. significatur. Qua occasione Aquilam, Ponticum genere, aulæorum textorem, cum Prisca seu Priscilla uxore in Asiam uenisse, seq; cum Paulo coniunxisse, Eusebius scribit libro 2. cap. 18. eo tempore, quo Paulus ab Hierosolymis per ambitum ad Illyricum usq; accessisset. Venit ad eos Paulus Athenis digressus Corinthum, cum eò primũ ex Italia cõmigrassent. Inde uerò cum ijsdem in Syriam abijt, atq; Ephesi reliquit: ubi Apollo Iudæum, non integrè in fide Christi institutũ, exactius docuerunt: Act. 18. Prædicat beneficia & fidẽ Aquilæ & Priscillæ in se magnopere Paulus Rom. 16, ubi & ecclesiæ eorum domesticæ meminit, sic scribens: Salutate Priscam & Aquilã, adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem suppoſuerunt: quibus non ego solum gratias ago, sed & cunctæ ecclesiæ gentium: & domesticam ecclesiam eorum. & 1 Corint. 16: Salutat uos, inquit, in Domino multum Aquila & Priscilla, cum ea quæ in domo ipsorum est ecclesia.

ARCHIPPVS.

PAuli fuit Archippus, ut uidetur, in ministerio socius in ecclesia Colossẽsi. In epist. enim ad Col. cap. 4 hæc iubet nunciari Archippo: Dicite, inquit, Archippo: uide ministerium quod accepisti à Domino, ut illud impleas. Ap-

pellas

pellat eum deinde, in nuncupatione epist. ad Philemonẽ, suum commilitonem. Hieronymus in epistolam ad Philemonem, Archippum putat fuisse episcopum, aut alioqui doctorem ecclesiæ Colossensis.

ALEXANDER.

VIdetur & Alexãder quidã ex ijs fuisse, qui cum Paũlo senserunt. Fit eius mentio Act. 19. in narratione de tumultu Ephesi orto, propterea quòd Dianæ cultum Paulus accusauerat. In ea enim turba extrahitur è cœtu, propellentibus eum Iudæis.

ANDRONICVS, IVNIAS.

ROm. 16 Andronicum & Iuniam uocat Paulus suos cognatos, & concaptiuos, ac nobiles Apostolos. Siue aũt Romæ, siue alibi ante Paulum euangelium prædicarint, affirmat eos ibidem ante se fuisse in ministerio euangelij: Ante me, inquit, fuerunt in Christo.

CRISPVS.

ARchisynagogum fuisse Crispum Iudæorum Corinthi, & credentem à Paulo cum domo sua tota baptizatũ, Lucas narrat Act. 18. Repetit idem Paulus 1 Cor. 1.

CHOLAS.

DE Chola tantum habetur: ex eius scilicet familiaribus Paulum certiorem factum, contentionũ & dissidiorum inter Christianos Corinthi. 1 Cor. 1.

CARPVS.

CArpum amicũ & hospitem fuisse Pauli in Troade, ex cap. 4 posterioris ad Tim. epistolæ conijcitur, ubi de Carpo breuiter habetur: Penulam, quam reliqui in Troade apud Carpum, ueniens affer, & libros, &c.

APOLLO.

IVdæus fuit Apollo, genere Alexandrinus, quemadmodum clarè dicitur Act. 18. quo in loco amplissima eius à Luca cõmendatio texitur hoc modo: Venit Ephesum Apollo (quod sub Claudio factum uidetur) eloquens, potens in scripturis, edoctus uiam Domini, feruens spiritu, loquens & docens diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis: cœpit agere per fiduciã in synagoga. Institutus postea exactius ab Aquila & Priscilla in uia Dei (cuius rei & Hieronymus meminit in epist. ad Principiam) abijt cum literis fratrũ Ephesi in Achaiã. Quò cum uenit, cum credentibus multũ contulit. Iudæos uerò uehementer postea conuicit, publicè per scripturas probans, Iesum esse Christum. Ex Pauli autem narratione, qua Corinthios dissentientes inter se reprehendit 1 Cor. 1 apparet, Apollo eum ex illis fuisse, qui seu unà cum Paulo, seu post eum, euangelium Corinthi prædicarunt. Meminit eiusdem Paulus in eadem epist. cap. 16, ubi fratrem uocat: & ostendere uidetur, Corinthios à se petijsse, ut Apollo ad eos remitteretur. ait enim: Apollo fratrem multum hortatus sum, ut iret ad uos cum fratribus. nunc aũt ire noluit. ueniturus autem est, cum opportunitatem fuerit nactus.

ZENAS.

MEminit simul cum Apollo etiam Zenæ cuiusdã Paulus, semel tantum, & legisperitum uocat: ut Tit. 3. Zenam legisperitum & Apollo studiosè deducito, ne quid illis desit. Verisimile est aũt, eum idem officiũ quod Apollos, in propagando cuãgelio sustinuisse, quemadmodum Hieronymus testatur, hæc de utroq; in declaratione cap. 3 epist. ad Tit. in hunc modũ referẽs. Apollos uir fuit Alexandrinus, ex Iudæis, ualde eloquẽs, et perfectus in lege, episcopus Corinthiorũ: quem, propter dissensiones quæ Corinthi erant, ad uicinã insulam Cretã, cum Zena legis doctore putandũ est transfretasse, & Pauli epistola dissensionib. quæ Corinthi ortæ fuerãt tẽperatis, Corinthũ redijsse. Zenam uerò legis doctorẽ, de alio scripturæ loco quis fuerit, non possumus dicere, nisi hoc tantũ: quòd & ipse Apostolicus uir, id operis, quod Apollo exercebat, habuerit, Christi ecclesias extruendi.

ARTEMAS.

VIdetur & Artemas de collegio Pauli fuisse. Meminit eius Tit. 3: Cum ad te misero Artemã aut Tychicum, da operam ut ad me uenias Nicopolim.

TYCHICVS, TROPHIMVS.

ASianos fuisse, & Pauli sectatores & socios, Tychicum & Trophimũ, Lucas cõmemorat Act. 20. Hi Paulum per Macedoniã euntem comitati sunt, ac postea præcedentes in Troade eum expectarunt. Cæterùm Tychicum Paulus uocat fratrem, & fidum ministrum, Ephes. 6. ubi & missum eum Roma, è uinculis Pauli, cum epist. ad Ephes. significatur, ut certiores eos de Pauli rebus faceret, & cõsolaretur. Qua eius opera ad Colossenses etiã Paulus usus est. sicut ex cap. 4 epist. ad Colossenses perspicitur: ubi, De omnibus, inquit, rebus meis certiores uos faciet Tychicus, dilectus frater, & fidus minister, & cõseruus in Domino: quem misi ad uos, ut cognoscat quid agatis, & cõsoletur corda uestra. Deniq; & Ephesum legatus missus est à Paulo, quemadmodum ait 2 Tim. 4: Tychicum misi Ephesum.

Trophimũ Ephestũ fuisse, Act. 21. dicitur: quem cum in templum Hierosolymis Paulus introduxisset, in magnum uenit periculum. Agnitus enim Trophimus à Iudæis Ephesijs, cõcitata multitudine, Paulũ cõprehensum accusarunt, quòd gentilibus introductis sanctum locum prophanasset. Meminit Trophimi & 2 Tim. 4: Trophimum reliqui in Mileto languentem. quem tamen alium esse ab eo cuius in Actis mentio fit, sunt qui putent.

ONESIMVS.

ONesimum fuisse Colossensem, fortè cõuersum Romæ in uinculis à Paulo, uidetur ex epist. ad Philem onẽ. cuius rei & Hieronymus meminit aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: E seruo, inquit, clericum factum criminatur, cum & ipse nonnullos eiuscemodi clericos habeat: & Onesimum legerit, inter Pauli renatum uincula, diaconũ cœpisse esse de seruo. Detulit is Onesimus epist. ad Colossenses, cum Tychico, scriptam Romæ à Paulo in uinculis sub Nerone, Coloss. 4. Extat grauissima eius, & ucrè paterna Pauli commendatio, in epistola ad Philemonem: Obsecro te pro meo filio, quem genui in uinculis, Onesimo, &c. quem tu ut mea uiscera suscipe, &c.

ONESIPHORVS.

ASianus fuit Onesiphorus, cuius pietatem & officium in se, studium etiam in ministerio Christianorum, amplissimè Paulus prædicat 2 Tim. 1: Det, inquit, misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refocillauit, & catenã meam nõ erubuit. Sed cum Romam uenisset, solicitè quæsiuit me, & inuenit. Det ei Dominus, ut inueniat misericordiam apud Dominum, in die illa. Et in quàm multis Ephesi ministrauerit, melius tu nosti.

CRESCENS.

INter sectatores Pauli Crescentẽ numerat Eusebius lib. 3. cap. 4, hoc modo: Ex sectatoribus Pauli Crescentem in Galliã missum esse, ab ipso Apostolo testimoniũ habet. ad illud

illud alludēs quod 2 Tim. 4 Paulus Crescentē in Galatiā abijsse scripsit. Autor est & Sophronius, Crescentem in Gallia cuāgeliū propagasse, atq; in ea tandē mortuū esse.

EPAPHRODITVS.

ANte captiuitatē Pauli, Romæ sub Nerone Epaphroditus, quē fratrē, collegā & cōmilitonē suū Paulus uocat, Philippēsibus in Euāgelica doctrina ministrasse uidetur: Roma aūt à Paulo ad eos emissus, cū epist. Pauli, cōmendatione eximia ad Philippēses, Phil. 2: Operæpreciū arbitratus sum, Epaphroditū fratrē & collegā & cōmilitonē meū, uestrū aūt apostolū, quiq; mihi subministrat in necessitate mea, mittere ad uos. Quanq; desiderabat omnes uos anxius animi, ppterea quòd audissetis eū infirmatū esse. Et certè fuit infirmus, ita ut esset uicinus morti: sed Deus misertus est illius. at nō illius tantum, sed & mei, ne dolorē haberē super dolorē. Studiosius itaq; misi illū, ut cum uideretis illū, denuò gaudeatis, & ego magis uacē dolore. Excipite igitur illū in Domino, cū omni gaudio: et qui huiusmodi sunt, in precio habete. Quoniā propter opus Christi eò accessit, ut morti proximus fuerit, nō habita ratione uitæ, ut suppleret id quod in uestro erga me officio fuit diminutum. Et rursus Philippens. 4. Recepi omnia, & abundè, posteaquā accepi ab Epaphrodito, quæ à uobis missa fuerāt, odorē bonæ fragrātiæ, &c.

EPAPHRAS.

MEminit Epaphræ plurima laude pietatis & studij in ministeriū Paulus, in epist. ad Colossēses, et Philemonem. Docuit aūt Euangeliū apud Colossenses, cum Paulus captiuus sub Nerone Romæ detineretur: et ad eū à Colossensibus missus, de statu ecclesiæ Colossensiū ad Paulū retulit. Verba ipsa adscribimus: Salutat uos Epaphras, qui ex uobis est seruus Christi, semper anxiè laborās pro uobis in precationibus. Testimoniū enim illi perhibeo, q; habeat multū studium pro uobis, & his qui sunt Laodiceæ, et his qui Hierapoli. Col. 4. Et ad Philemonē: Salutat te Epaphras, concaptiuus meus in Christo Iesu, &c.

EVBVLA, ARTEMILLA.

CLarorum uirorum Ephesi cōiuges, Eubula & Artemilla, noctu ad Paulū incarceratū ueniunt, in fide instruūtur, & ab eo baptizātur. Nicephorus lib. 2 cap. 25.

GAIVS.

GAiū quendā Lucas nominat Act. 20 Derbeū, Thessalonicēsem, quē, Paulū proficiscētē in Macedoniā, ad Asiā usq; comitatū ait. Eum, siue aliū eius nominis (neq; enim explicatè discernūtur) Paulus se in Corintho indicat baptizasse, 1 Cor. 1. Et ad Romanos cap. 16, Gaiū hospitem suum ac totius ecclesiæ uocat. Ad quod congruit, quòd epistola Ioannis presbyteri Gaium, eundem sine dubio, à pietate & officijs in fratres & hospites, ac totam deniq; ecclesiam, plurimùm commendat.

HERMES, HERMAS.

ROm. 16 Paulus Hermen & Hermā, (nam utrūq; nomē habet) salutari iubet. Librū apocryphū, uulgò Pastoris dictū, nōnullos ad alterutrū istorū, ut autorē, referre, Eusebius indicat lib. 3 cap. 3. sed falso. quod et Sophronius indicauit. Librū tamē Pastoris utilē esse, & ab antiquissimis citari, Eusebius: Sophronius publicè etiā in Græcis ecclesijs legi solitum, tradiderunt.

MNASON.

CYprius fuit Mnason, discipulus antiquus, & ciuis Hierosolymitanus; cuius hospitio Paulus, Hierosolymā ex Cæsarea ueniens, cum suis usus scribitur Act. 21.

SOSTHENES.

SOsthenem principē synagogæ Corinthi fuisse, Lucas narrat Act. 18. Quē, Paulo ibi cōstanter docēte, Iudæi insurrabiē uersi, sub Gallione procōsule Achaiæ cōprehensū, ad tribunal uerberarūt. Scripsit idē Sosthenes cum Paulo epist. priorem ad Corinthios, quemadmodum in epigraphe significatur, 1 Cor. 1. Quod et Eusebius indicauit qui Sosthenem unum ex 70 discipulis Domini fuisse existimatum ab aliquibus, tradidit lib. 1 cap. 12.

SECVNDVS.

THessalonicensis fuit Secundus, ex Pauli collegio, qui eum ex Græcia in Macedoniam proficiscemem comitatus est. Act. 20.

STACHYS.

MEminit Stachys Paulus in salutationibus Rom. 16. Salutate, inquit, Stachyn dilectum meum. Nicephorus lib. 2 cap. 39, episcopum eum in solo Byzantino constitutum, pro more suo dixit.

DE PLVRIBVS PAVLI SEV SOCIIS SEV amicis, quorū in postremo cap. epist. ad Romanos meminit.

RECenset longum catalogū multorum in salutationib. Rom. 16 Paulus, sed nominetenus tantū, adiecta interdū breui circūstantia: ut q, Epænetū, primitiuū uocat ecclesiæ Asiæ: Mariā cōmendat à studio & officio erga se: Ampliā appellat dilectū suum in Christo: Heraclionē, cognatū suum: Apollā, probatū dicit in Christo: Aristobolum, Narcissum, eorumq; familiares salutat, qui Paulo uidētur fuisse cōiūncti: Triphænæ uxorē Tryphosam, aliāq; quam Persidā uocat, sibi charissimā, plurimum ait laborasse in Domino. Rufum electum uocat in Domino: matremq; eius, à pietate forsan & officijs in se eius, matrem suam dicit. Asyncritum, Phlegontem, Hermen, Patrobā, Hermam, cum alijs qui cum ijs sunt fratribus: Philologū, item Iuliam, Hereum cum sorore eius, & Olympiadem salutat, & sanctos dicit.

DE IIS QVORVM NOMINE Romanos salutat.

Romanos uicissim multorū nomine salutat in eodem capite Paulus, quos seu socios, seu hospites, seu amicos esse scribit. Iasonē et Sosipatrē appellat suos cognatos. Iasonis uerò hospitio usum Paulū Thessalonicæ cū Sila, propter quod & in ædes Iasonis impetum fecerunt Iudæi, ex Actis apparet cap. 17. Sosipatrem Berhœēsem fuisse, & comitatū Paulū in Macedoniā, Act. 20 dicitur. Tertius ipse significat. se Pauli fuisse amanuensem. sic enim ait: Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc in Domino. Caium, uocat hospitem suum. Erastū, arcarium ciuitatis, seu quæstorē. meminit eiusdē Luc. Act. 19, ubi missum eum cum Timotheo à Paulo in Macedoniam scribit. Rursus 2 Tim. 4 significat Paulus, Erastum à se relictum Corinthi. Quartum, appellat fratrem.

EVBVLVS, PVDENS.

ROmæ cum Paulo fuisse Eubulū & Pudentē, quo tēpore epistolā alterā ad Timotheum Paulus scripsit, ex 2 Tim. 4 clarum est. Meminit & Eusebius lib. 3 cap. 2.

EVODIA, SYNTYCHE.

PHilippēses Christianas mulieres fuisse Euodiā & Syntychen, et cum Paulo in ministerio laborasse. ex epist. ad Philipp. cap. 4 apparet. Cōmendat eas Paulus uxori

Germa-

Germanæ: Euodiam, inquit, rogo, & Syntychen depre cor, id ipsum sapere in Domino. Etiam rogo & te Ger mana compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in ministerio, &c.

EVTYCHVS.

PAulo in Troade concionante, Eutychus puer obdor miscens, cadit de fenestra: eoq; casu extinctus, à Pau lo resuscitatur. Act. 20.

IVSTVS.

COrinthi Paulus à Iudæis blasphemijs exceptus, se- cessit in domum cuiusdam Iusti, & colentis Deum, cuius domus erat contigua synagogæ. Act. 18.

MANAHEN.

INcatalogo prophetarum & doctorum in florenti ec clesia Antiochiæ, ante Barnabæ & Sauli in Euange- lij prædicandi per gentes segregationem, Manahen e- tiam quendam Lucas habet Act. 13, quem Herodis te trarchæ collectaneum fuisse ait: qui & sine dubio in ter eos fuit, qui Antiochenos primum ad Christi agni tionem & fidem conuerterunt. Act. 11.

PHILEMON.

PHilemonē Colossensem fuisse, Hieronymus testatur in enarratione epistolæ ad Philemonem, & Onesimi dominū: quem transfugā ab eo, in uinculis Romæ con uersum, Philemoni in ea epistola Paulus cōmendat, ac ut recipiat orat, & pro eo spondet. Philemonis autem singularē pietatē & fidem laudat, quòd & ecclesiā do mesticam habeat, & beneficentiā eximiā sanctis decla rarit: Viscera, inquit, sanctorum requieuerunt per te.

THEOPHILVS.

DE Theophilo planè nihil uspiam extat, ex quo, quis aut ubi fuerit, cōiectura saltē cōsequi liceat: nisi q Acta apostolica Lucam ei nuncupasse, legimus Act. 1.

GAMALIEL.

TArsensis fuit Gamaliel, Pharisæus, legis doctor uene rabilis, Act. 5. à quo Paulus se in lege paterna ad pe des eius eruditū, apud tribunū Ephesi narrat, Act. 22. Vnde & Pauli doctoris gentium διδάσκαλον Gama liclem Athanasius dixit, in libro de Passione imaginis Domini. Cum irritata Hierosolymis in Paulum & Pe trum Iudæorū multitudo, de interficiēdis illis consiliū caperent, retraxit eam Gamaliel, prudenti admodum consilio, quòd ad hunc modū Lucas ibidem narrat: Sur gens, inquit, quidam in concilio pharisæus, nomine Ga maliel, legis doctor honorabilis uniuersæ plebi, iussit foras ad breue homines fieri, dixitq; ad illos: Viri Israe litæ, attendite uobis super hominib. istis, quid acturi si- tis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicēs se esse ali quem, cui consensit numerus uirorum circiter quadrin gentorū: qui occisus est, & omnes quicunq; credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilū. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit popu lum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot consen serūt ei, dispersi sunt. Et nunc itaq; dico uobis, discedi te ab hominib. istis, & sinite illos: quoniā si est ex homi nib. consiliū hoc, aut opus, dissoluetur: si uerò ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugna re reperiamini. Cui consilio consensisse indicat uniuer sam multitudinē, & Apostolos cæsos dimissos esse. Re fert idem Eusebius lib. 2. cap. 11. Athanasius in eo quē diximus libro narrat, Nicodemū imaginē Christi effi- giatā, morientē Gamalieli huic tradidisse: Gamalielē uerò & ipsum morti uicinū Iacobo eā reliquisse, ita ut Hierosolymis ad subuersionē usq; integra conseruata fuerit.

DEMAS.

RECenset Deman inter socios & coadiutores suos, Paulus in epist. ad Philemonē. ex quo apparet, eum cū alijs Pauli collegis fuisse Romæ, quo tēpore uinctus Paulus sub Nerone, speraret liberationē, & ad Phile monem epistolā scriberet. Cui ibidem adfuit etiā, cum ad Colossenses scriberet: Coloss. 4. Sed defecisse ab eo Deman, Paulus conqueritur 2 Tim. 4, ubi: Demas, in- quit, me reliquit, amplexus præsens seculum.

DIOTREPHES.

DIotrephen, quicūq; is fuit, ut malicio sum, ingratū, malignū, pingit epist. 3 Ioannis ad Gaium, his uer- bis: Scripsi Ecclesiæ, sed is qui amat primatū gerere in eis Diotrephes, non recepit nos. Propter hoc si uene ro, indicabo facta illius, quæ facit uerbis malicio sis gar riens in nos: & nec in his contentus, non solum non re cepit fratres, uerùm etiam uolentes recipere prohibet, & à congregatione eijcit.

DEMETRIVS.

COntrà ibidem Demetrium à pietate & officijs in fratres peregrinātes cōmendat Ioānes, hoc modo: Demetrio testimonium redditum est ab hominibus, et ab ipsa ueritate: sed & nos testimonium perhibemus, & nostis quòd testimonium nostrum uerum est.

PLATO, FVLVIANVS.

FAbulæ similius q̄ historiæ uidetur, quod de Platone & Fuluiano recitat Nicephorus lib. 2 cap. 41. Plato- nem ait episcopū fuisse in oppido Myrmena, apud An thropophagos, à Matthæo ibi apostolo constitutū: Ful uianū uerò principē eius ciuitatis, quē plurimis mira culis editis nequiuerit cōuertere Matthæus. qui tamen eo extincto crediderit, & cū omni sua gente baptisa tus sit: Matthæi etiā, occulto quodā Apostoli ductu, sibi nomine impositō, ac regno suo abiecto, presbyter pri mū à Platone, deinde episcopus per nocturnā uisionē à Matthæo cōsecratus sit. Deniq; euangelio ritè admi nistrato, multisq; conuersis, mortuus sit. Hæc Nicepho rus.

HIEROTHEVS.

DE Hierotheo hæc Nicephorus lib. 2 cap. 20. Hiero- theus familiaris Dionysij Areopagitæ fuit, cui unà cū Dionysio Paulus de cœlesti Hierarchia & de Theo logia omnia cōmunicauit. Libro eodē cap. 22, ex Dio nysio affirmat, Hierotheū cū Dionysio adfuisse Mariæ morienti. Quòd, quomodo uerū sit, iudicēt qui uelint.

APELLES, NIGER.

EPiphanius 1 lib. 1 Tomō, hæresis 20, ex LXXII disci pulis fuisse tradidit Apellem & Nigrum.

PROCHORVS, NICANOR, Timon, Parmenas.

PRochori, Nicanoris, Timonis, & Parmenæ, Lucas in Actis cap. 6 meminit, q̄ fratres fuerint, bono testi monio præditi, & spiritu sancto pleni: ideoq; in diaco nos cum alijs adhuc tribus sint delecti. Nec dubiū, quin ea in re fidem ac diligentiā præstiterint. Alia de ipsis non habemus.

EVODIVS.

DE Euodio hæc Eusebius lib. 3 cap. 22. Inter eos, in- quit, qui Antiochenam ecclesiam gubernarunt, pri mus Euodius fuisse cognoscitur. Idem in Chron. Primus Antio-

Antiochiæ episcopus ordinatus Euodius, anno Christi XLV, Claudij Imp. III.

ANIANVS.

PRimum post Marcum Alexandrinæ ecclesiæ episcopum ordinatum, Anianũ Eusebius tradit lib. 2 cap. 24, anno Neronis 8, qui Christi fuit 64. Quanquam in Chronico, nono id factum Neronis anno, Christi uerò 65, annotauit. Eundẽ uerò & præfuisse ei ecclesiæ per annos 22, ac mortuum testatur anno quarto Imperij Domitiani: lib. 3 cap. 11, & in Chronico.

ABILIVS.

ANiano in episcopatu Alexandrino successit Abilius, eodem quo Anianus decessit anno. Præfuit annis 13. Decessit, cum Imperium Romanum inuasisset Nerua, anno Christi centesimo. Eusebius lib. 3 cap. 13 & 21. & in Chronico.

AQVILA ALIVS, FRATER Clementis.

NArrat Nicephorus lib. 2 cap. 35, quomodo Petrus Roma à Nerone expulsus, in familiam Clementis, Romani postea episcopi, inciderit, eamq; unà cum ipso Clemente conuerterit: Aquilam scilicet & Nicetum fratres, de quibus multa fabulis non dissimilia, ut de cognitione horum duorum fratrum post matrem inuentam, &c. habet liber 2 Clementis.

EVNVCHVS CANDACES.

DE Eunuchi Candaces reginæ Aethiopum conuersione et baptismo, suprà in narratione de Philippo diacono, ex Actis nõnulla retulimus. Hic Eusebij de hoc uerba adscribimus, quæ sic habent lib. 2 cap. 1. Cum salutaris prædicatio quotidie augescẽdo progrederetur, dispensatione quadam diuina factum est, ut inde ex terra Aethiopum, primas quidam reginæ uenerit, quæ regnum illic patrio more obtinebat. Hic primus ex gentibus à Philippo, per apparitionem diuini sermonis, sacra consecutus est, primitiæq; fidelium per orbem habitantium factus: ubi ad patriam terram reuersus est, cognitionem Dei omnium, ac uiuificũ ad homines Seruatoris nostri aduentum euangelizasse narratur, ita ut opere adimpleta sit per eum prophetia quæ dicit: Aethiopia præuenit manum eius Deo. Ait & Hieronymus in enarratione cap. 53 Esaiæ, hunc Eunuchũ à Philippo occasione lectionis prophetiæ eius conuersum, apostolum postea Aethiopũ genti missum esse. Sophronius cum in Arabia felici, & Taprobana insula maris rubri, Euangelium prædicasse, ac martyriũ ibi tandem fecisse, testatum reliquit.

SANCTINVS.

SVb Domitiano claruisse Sanctinum, episcopũ Meldensem, cum Antonio quodam, Henricus de Erfordia retulit cap. 9. Vincent. lib. 10 cap. 22 ordinatum eum à Dionysio Areopagita scripsit: quod ostendere tantum obiter uoluimus.

EVTROPIVS.

EVtropium in 14 Domitiani annum Henricus reijcit. Narrat eum ex nobili fuisse in Persia familia, & patrem habuisse Xerxen, qui Simonem & Iudam apostolos audierit. Ipse uerò Eutropius Petri apostoli consilio in Gallijs Euangelium prædicans, martyr ibidem obierit. Prolixam de hoc narrationem habet Vincent. lib. 11 cap. 18. 19. 20 & 21. & Antoninus.

APOLLINARIS.

DIscipulum fuisse Petri Apollinarem, tradunt Henricus cap. 7, Nauclerus generatione 2, Vincentius lib. 10 cap. 7. martyremq; obijsse anno tertio Vespasiani, Rauennæ.

MATERNVS. EGISTVS.

DVos hos de numero LXXII discipulorum fuisse, ac à Petro in Germaniam missos, Henricus prodidit cap. 5. Maternum quidem Treuerim, Egistum Bardouicum, ubi cum Mariano diacono martyrium fecerit. Nauclerus generatione 2, tres simul præstantes doctores Rauennam missos scribit, Maternum scilicet, Valerium & Eucharium.

HERMAGORAS.

CONuersus ad fidem Christi à S. Marco Hermagoras, à Petro episcopus Aquileiæ constitutus est, & sub Nerone martyrio defunctus. Bergomensis lib. 4. Ferdiensis cap. 5. Vincentius lib. 9 cap. 106 & 107. Sed consilio quodam nostro reliquos, quos hoc seculum doctores & personas ecclesiasticas habuisse, à Vincentio, Antonino, Bergomensi, Nauclero, Hermanno, Henrico, Temporum fasciculis, &c. proditum est, omnes enumerare supersedemus: tum quia non necessarias & ambiguas commemorare historias nec utile, nec necesse est: tum quòd qui illis delectãtur, ex scriptoribus ijs quos diximus, petere possunt.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

MEminit Lucas in fine capitis 17 Actorum apostolicorum, Dionysij cuiusdam iudicis seu Areopagitæ, quem ex Pauli concione, cum in Areopagum tractus fuisset, conuersum scribit. Nec aliud quicquã de ijs quæ postea Dionysius Christo credens egerit, aut in illa aut alia Euangelicæ narrationis parte reperitur: nisi quòd Eusebius lib. 3 cap. 4. & lib. 4 cap. 23 ex autoritate Dionysij alterius cuiusdam Corinthiorũ episcopi, primum hunc Areopagitam Athenienſium factum episcopum indicauit. Cuius tamen nec uetustæ, incertorum tamen autorum, de uita Dionysij narrationes, nec recentiorum, quas Suidas comportauit, meminerunt. Eum autem fuisse Dionysium, qui tempore passionis Christi apud Heliopolin Aegypti cum Apollophane philosopho fuerit, ac de inusitata eclipsi pronunciarit, Ignotus & carne uestitus Deus (ut Suidas narrat) patitur, cuius gratia densa hac caligine uniuersa mundi moles obscurata est atq; Concussa: seu ut Apollophanem, Vices hæ sunt, dixisse refert, rerum diuinarum: seu, ut alij Dionysium respondisse affirmant, Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur, pleriq; testantur. Quod an uerisimile sit, postea indicabimus.

Narratio de uita Dionysij, præfixa operibus eius quæ nuper in latinum transtulit Ioachimus Perionius, refert, eum à Paulo Athenis conuersum, ad Clementem Romanum episcopum proximè uenisse, atq; ab eo cum socijs Saturnino, Marcello, Luciano, Rustico & Eleutherio, ad propagandum Euangelium missum esse in Occidentem: quorum alijs in Hispaniæ, alijs in Galliæ ciuitates distributis, ipse Parisios docendi Christũ gratia se contulerit, ibiq; cum Rustico & Eleutherio collegis capitis supplicio martyrium fecerit. Quod de Dionysio plerosq; prodidisse reperies.

Nũc de scriptis, quæ Dionysij Areopagitæ, discipuli Pauli,

Pauli nomine passim (quanquam exiguo numero, cum eorum plurima Suidas enumeret) ex multis seculis circumferuntur, pauca monebimus. Quæ certè non esse istius Dionysij, quem Paulus conuertit, uel puero esse perspicuum possit. Iudicent interea Ambrosius Chalmadulensis & alij, qui Dionysij discipuli Pauli esse contendunt, quicquid uelint. Primùm enim, quis non miretur, tantũ Pauli discipulum & Apostolum, beneficij conuersionis & amicitiæ cum præceptore tam omnino potuisse oblisci, ut ne uno quidem in loco Pauli meminerit: aut eius autoritate, quæ tradit, se scribere testetur? Deinde nullum ex Apostolis, aut eorum discipulis uidemus, tam de industria lusisse in tradenda ecclesiæ doctrina subtilibus, imò intricatis, ac præter autorem ipsum, uix alij cuiquam explicabilibus speculationibus & argutijs. Ac nihil minus certè conuenit isti ætati, cui Dionysius tribuitur: ut in qua homines rudes rerum de Christo, de regno Dei, de iusticia & salute æterna, singulari simplicitate & perspicuitate, non subtilitatum inuolucris doceri necesse fuit. Vnum enimuerò, ut dubium minimè aut fallax iudicium, de reliquis libris apocryphis ecclesia perpetuò pronunciauit, quòd stylus eorum & dicendi forma ab elocutione apostolica procul absit. Deniq; in ecclesiastica Hierarchia, suppositicius ille Dionysius plurimorum meminit ordinum, ut pontificum, præsulum, sacerdotum, monachorum, &c. quorum pariter episcopi Dionysij ætas nullum habuisse probari potest. In primis uerò de monachis traditio, quos Pauli tempore nondum fuisse cõstat, suspecta est, quorum ut originem minimè indicat, ita nec Apostolicè sentit, quòd eorum ordinem ut sublimiorem & excellentiorem reliquis commendet. Sed his rationibus etiam Erasmi, quas in Annotationibus in 17 caput Actorum recensuit, ad uerbum adijcimus: Laurentius Valla hoc loco refellit eorum opinionem, qui putant, hunc Areopagitam fuisse autorẽ eorum librorũ, quos habemus de Hierarchijs ac diuinis nominibus: & eundem esse, qui apud Lutetiam Parisiorum martyrio fuerit laureatus: è tribus, ni fallor, Dionysijs unum reddentes. Primùm Areopagitæ iudices erant, non philosophi, at isti Dionysium summum faciunt philosophum, qui ex eclipsi solis deprehenderit periclitari rerum naturam: cum consentaneum nõ sit, eas tenebras Athenas usq; peruenisse. Nam quod ait Euangelista, tenebras factas super uniuersam terram: eius regionis terram intellexit, assentiente & diuo Hieronymo, & asserente Origene in Homilijs quas scripsit in Matthæũ, ubi planè negat eas tenebras è solis accidisse deliquio: sed aut nubibus intercedentibus, aut alioqui aeris densitate coacta. Quod si hæ tenebræ tanto spacio contigissent per uniuersum orbem, aliquis certè seu Latinus seu Græcus scriptor eius rei meminisset. Iam epistolam superbacre, uelut Dionysij nomine confictã, deridet Laurentius. Mihi non uidetur priscis illis temporibus tantũ fuisse Christianis cæremoniarũ, quantum ille describit. Deinde miror, si tam priscus autor fuit, & tam multa scripsit, à nemine ueterum, seu Græcorum seu Latinorum, fuisse citatum: non ab Origine, non à Chrysostomo: ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit. Quin & Gregorius ipse, uir probæ fidei, citans huius literas, non iudicat eum fuisse Dionysium Areopagitam. Porrò cum in Ecclesiastica historia multa fiat mentio de libris Dionysij Corinthiorum episcopi: non est probabile, taciturum fuisse Eusebium de tanto Pauli discipulo, si tantum uoluminum reliquisset. Hieronymus in catalogo Scriptorum illustrium, unum aut alterum Dionysium recenset, huius libros non recenset. Laurentius indicat, fuisse suæ ætatis doctissimos uiros, qui iudicarint eos libros esse Apollinarij. Tametsi eius nominis duos commemorat Hieronymus: alterum Hierapolitanum episcopum, qui floruit sub Marco Antonino secundo: alterum Laodicenum, in Syria episcopum. neutri tamen huiusmodi quicquam tribuit operum. Neq; enim opinor hæc Apollinari hæretico tribuenda. Ante complures annos, ut memini, uir incomparabilis Gulielmus Grocinus, ut Theologus summus, ita in nulla disciplina non exquisitè doctus & exercitatus, auspicaturus Londini in æde diuo Paulo sacra, enarrationem cœlestis Hierarchiæ, meditata præfatiõe multum asseuerauit, hoc opus esse Dionysii Areopagitæ: uehementer destomachans in eorum impudentiam, qui dissentirent. At idem priusquam operis dimidium confecisset, ubi gustum attentius cæpisset, ingenuè coram auditorib. fassus est, sibi uerso calculo, non uideri id opus esse Dionysii Areopagitæ. Demiror autem, cur Beda putet hunc Dionysium factũ episcopum Corinthiorum: cùm ecclesiastica historia palàm ostendat, alium fuisse Dionysium episcopum Corinthiorum, qui multa conscripserat. Atq; huius autoritas ibi citatur, qui in epistola quadam, quam scripsit ad Athenienses, ostenderit, Dionysium Areopagitam à Paulo conuersum, primum fuisse Athenis episcopum ab eodem Apostolo institutum. Nec aliud quicquã apud priscos scriptores comperitur de Dionysio Areopagita.

DE EPISCOPIS ROmanis.

LINVS.

DE Lino, Cleto & Anacleto, qui in Catalogis Romanorum episcoporum post Petrum numerantur, tanta est diuersitas, ut explicari aut conciliari ferè quocunq; negocio nequeat: alijs successores Petri episcopos, alijs Petri in gubernatione ecclesiæ socios & coadiutores eos appellantibus, magno & euidenti argumento, incertissimis pontificatum Romanum & infirmissimis niti initijs et fundamentis. Nos eam diuersitatẽ ex autoribus, sicuti inuenimus, recitare cogimur. Quod ad Linum igitur primum attinet, Eusebius eum uult esse, cuius in salutationibus Paulus meminerit, in posteriori ad Timotheum epistola cap. ultimo: eundemq; deinde quatuor in locis disertè affirmat, post Petri & Pauli martyrium ecclesiæ Romanæ episcopatum sortitum esse, ut lib. 3 cap. 2 & 4, & lib. 5. cap. 6. In Chronico item, sub anno Domini 70, Neronis uerò 14, ubi, post Petrum, inquit, primus Romanam ecclesiam rexit Linus annis 11. Contrà tamen alij, non post Petrum eos, sed unà cum Petro seu coepiscopos seu coadiutores seu uicarios fuisse prodiderunt: ut Marianus Scotus, qui Clementem primum Papam (sicut & infrà dicemus) post Petrum Romanã administrasse ait ecclesiam, cum Lino & Cleto, quos in uita Anacleti omnino negat Papas fuisse. Et extant de Lino & Cleto, in uetusto quodam Chronico, quod Rudimentum nouitiorum inscribitur, uerba hæc: Non est sequendum, quod quidam dicunt, Linum 14 anno Neronis episcopatum Romæ cæpisse

primùm, & duodecim annis sedisse post Petrum: sed tenendum, Linum & Cletum fuisse sub Petro, & administrasse officiũ chorepiscopi, Petrumq; eis distribuisse officium distribuendi pauperibus. Ruffinus quoq;, sicut postea indicabimus, episcopatu Romano, uiuo adhuc Petro functos Linum & Cletum, autor est: cum interea Petrus peregrinationibus & apostolatui uacaret. In qua sententia & Sabellicus est, Ennead. 7 lib. 2: Petrus, inquit, Linum & Cletum, quia pluribus simul intentus esse non posset, episcopos ordinauit. Atq; sic igitur, nimirum si unà cum Petro episcopi fuisse Linus & Cletus putentur, excusari aliquo modo possint Damasi uerba in libro pontificali, ubi Linum fuisse tradit temporibus Neronis, à consulatu Saturnini & Scipionis, usq; ad Capitonem & Ruffum consules. Quæ aliàs, si scilicet post Petrum tot annis Linum sedisse statuatur, nullo pacto conciliari possent: cum anno proximo præcedente Petri obitum, Linum martyrem factum, inde eliciatur.

De Lino porrò hæc Volaterranus Anthropologiæ lib. 22, & Sabellicus Ennead. 7. lib. 4: Linus, inquit, patria Volaterranus, è familia Maurorum fuit. Sic enim in quodam ueteri scripto in ea urbe legimus, Linum Volaterranum à patre Herculaneo, annorum uigintiduo studiorum gratia Romam missum, ibidemq; in contubernio primùm Q. Fabij amici paterni, deinde uenientem eo tempore Romam Petrum, omissis omnibus secutum fuisse: atq; ob eius egregiam fidem simul, & eloquentiam, Euangelij coadiutorem illi permansisse. Sedit annis 10, mensibus 3, diebus 12. Martyr factus est sub Saturnino consule (in quo à Mariano dissentit) cuius filiam lymphatam liberauerat. sepultus in Vaticano. Ab ultimo Neronis anno ad Vespasiani tempora peruenit. Instituit, ne qua mulier (dignum equidem episcopali cura) nisi capite linteis operto templum ingrederetur. Creauit episcopos 11, presbyteros 14. Scripsit res gestas Petri, præsertim eius cum Simone mago concertationem.

CLETVS.

CLeti nusquam neque Irenæus, neque Eusebius, neque Hieronymus, neque Marianus meminerunt. Nondum satis ab aliquo explicatum est, diuersi nean unus & idem, Cletus & Anacletus fuerint. Damasi de hoc Cleto narratio tam est implicata, ut conciliari nullo modo possit. Cletus, inquit, natione Romanus, de uico Patricij, patre Aemiliano, sedit annis 12. (secundum alios, VII) Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi, à consulatu Vespasiani septimo, & Domitiani quinto, usque ad Domitianum nonò & Ruffum consules. Nam si Titi fuisse temporibus Cletus ponatur, superuacua fuerit Rufini & aliorum conciliatio, qui eodem tempore in cõmuni cum Petro gubernatione fuisse tum Cletum hunc, tum Linum, tradiderunt: quemadmodum diximus. Quid deinde loci erit Anacleto, quem primo Titi anno episcopatum Romæ accepisse, Eusebius, ut iam ostendemus, autor est?

ANACLETVS.

PRoximo post Linum loco, Irenæus libro tertio contra hæreses, capite tertio, Anacletum numerat, quem omnes pontificij post Clementem collocarunt. Irenæo consentit Eusebius pluribus in locis: ut libro tertio, capite decimotertio, ubi: Titi, inquit, altero imperij anno Linus, Romanæ ministerium ecclesiæ, cum in eo duodecim annis præfuisset, Anacleto tradit. Idem libro 5. capite 6. & in Chronico annotauit: ubi, primo anno Titi, anno uerò Christi LXXXII, Anacletum Lino succesisse indicat. Vt mirum sit, quamobrem Anacletum ab Eusebio prætermissum Marianus scripsit, cuius uerba, ut sunt obscura, adscribimus: Anacletum, inquit, omnino Eusebius prætermisit, quoniam Linus & Cletus, qui non fuerunt Papæ, atque Anacletus, à passione Petri in ultimo anno Neronis usque ad Traianum, non possunt simul sub regibus stare. In loco enim annorum Clementis, quibus Petrum cum Lino & Cleto, sed simul, post Petrum nouem fuerunt, uel cum Cleto tantum Clemens cathedram tenuit, Linus & Cletus sunt positi: & in locum Anacleti papæ, qui post Clementem decem annis successit, Clemens positus. Hæc Scotus. Quibus & Damasi uerba subijcimus, liberum lectori iudicium relinquentes: Anacletus natione Græcus, ex patre Antiocho, sedit annis nouem, menses tres, dies decẽ. Fuit aũt temporibus Domitiani, à cõsulatu Domitiani x & Sabini usq; ad Domitianum decimoseptimò & Clementẽ consules. Hic memoriam beati Petri (opus oppidò memorabile et necessariũ) construxit & composuit, dum presbyter factus fuisset à beato Petro, seu alia loca, ubi episcopi reconderentur sepulturæ. Vbi & ipse sepultus est in pace, iuxta corpus beati Petri, tertio idus Iulij. Hic facit ordinationes duas per mensem decembrem, presbyteros quinque, diaconos III, episcopos per diuersa loca numero VI. Atq; hæc de Anacleto eruditè Damasus. Cæterùm quod ad epistolas Decretales Anacleti attinet, alibi de ijs quid sentiendum uidcatur retulimus.

CLEMENS.

[illegible]tant, non ita multo antè editi, prius etiam à Ruffino in Latinum conuersi, libri Recognitionum Clementis, in quibus de eius origine, patria, parentibus, parentum fortuna, et alijs multa narrantur, quæ narrationem de eo prolixam instituere possent, si necesse uideretur: sed quæ ex illis ipsis libris lectori petenda relinquimus, sicut & epistolas eius decretales: de quibus quid iudicandum sit, suo loco diximus. Hic ordine probationum, ut uidentur quidem, scriptorum testimonia commemoramus. Primùm autem de tempore & successione Clementis, Ruffini indicationem, de qua suprà diximus, ex præfatione in libros Recognitionum ad Gaudentium ponemus: Quidam requirunt, inquit, quomodo cum Linus & Cletus (Anacletum enim non habet) in urbe Roma ante Clementem hunc fuerint episcopi, ipse Clemens ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro decendi cathedram traditam. cuius rei hanc accepimus esse rationem, quòd Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma: sed superstite Petro, uidelicet ut illi episcopatus curam gererent, ipse uerò apostolatus impleret officiũ. sicut inuenitur etiam apud Cæsaream fecisse, ubi cum ipse esset præsens, Zacheum tamen à se ordinatum habebat episcopum. Et hoc modo utrumque uerum uidebitur, ut & illi, scilicet ante Clementem numerentur episcopi, & Clemens tamen post obitum Petri docendi susceperit sedem.

Epiphanius autem (qui & ipse Anacletum nescit) de successione

ſucceſſione epiſcoporum Romanorum poſt Petrum, hoc modo narrat libro primo, tomo ſecundo, hæreſi 27. In urbe Roma fuerunt primi Petrus & Paulus, apoſtoli ijdem & epiſcopi: deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & Pauli. Huius mentionem facit Paulus in epiſtola ad Romanos. Et nemo miretur, quòd ante ipſum alij epiſcopatum aſſumpſerunt, cum ſub Apoſtolis hic fuerit contemporaneus Petri ac Pauli. nam & illi contemporanei apoſtolorum fuerunt. Siue igitur adhuc ipſis ſuperſtitibus, à Petro accepit impoſitionem manuum epiſcopatus, & eo recuſato remoratus eſt (dicit enim in una epiſtola ſua: Secedo, abeo, erigatur populus Dei: hoc enim in quibuſdam commentarijs reperimus) ſiue poſt Apoſtolorum ſucceſſionem à Cleto epiſcopo hic conſtituitur, non ita clarè ſcimus. Verunta men etiam hic potuit ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis, Petro uidelicet ac Paulo, alios epiſcopos conſtituere, propterea quòd Apoſtoli ſæpe ad alias terras ablegabantur, propter Chriſti prædicationem. Non potuit autem urbs Roma ſine epiſcopo eſſe. Paulus enim in Hiſpaniam profectus eſt, Petrus uerò ſæpe Pontum et Bithyniam uiſitauit. Poßibile eſt autem, poſtquam diſceßit ac reſuſcitauit Clemens (ſi modò ſic factum eſt: rationem enim ſic ineo, non decerno) poſtea poſt obitum Lini & Cleti, quorum uterque ad 12 annos epiſcopatum tenuit, poſt ſancti Petri ac Pauli obitum, qui contigit 12 anno Neronis, hunc rurſus coactum eſſe ad ſuſcipiendum epiſcopatum. Attamen epiſcoporum in Roma ſucceßio hanc conſequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, &c. Hæc Epiphanius.

Irenæus tamen, qui, ut & Euſebius, pro Cleto Anacletum habet, ſic libro tertio contra hæreſ. capite tertio: Poſt Anacletum, inquit, tertio loco ab Apoſtolis epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & uidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis, cum adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum & traditionem ante oculos haberet. Nõ ſolus enim, multi adhuc ſupererãt tunc ab Apoſtolis docti. Meminit huius loci Irenæi de Clemente, & Euſebius libro 5 capite 6. qui & libro 3 capite 4 de eodem hæc retulit: Clemens, qui tertius Romanæ eſt eccleſiæ epiſcopus conſtitutus, Pauli cooperarius & commilito fuiſſe, ipſius teſtimonio probatur. Et libro eodem, capite 14 & 15: Anno XII Domitiani, ſuccedit Anacleto Clemens, quem cooperariũ ſuum fuiſſe Apoſtolus Philippenſibus ſcribens dixit: Cum Clemente, & reliquis cooperarijs meis, quorum nomina ſunt in libro uitæ. Rurſus item libro eodem, capite 22: Eo, inquit, tẽpore (anno I Traiani) Romanæ eccleſiæ præerat Clemens, qui & ipſe tertium poſt eos, qui poſt Paulum ac Petrum epiſcopatu illo potiti ſunt, gradum tenebat. Linus primus fuit, alter Anacletus. Eadem & Hieronymi in Catalogo de Clemente ſententia eſt: Clemens, inquit, quartus poſt Petrum Romæ epiſcopus fuit. ſiquidem ſecundus Linus fuit, & tertius Anacletus. Tametſi pleriq; Latinorum, ſecundũ poſt Petrum apoſtolum, putent fuiſſe Clementem. Sic enim Petri ſucceſſorem Clementem Hieronymus appellat libro 1 aduerſus Iouinianum. Sabellicus cum aliàs Petri, aliàs Cleti ſucceſſorem facit, hoc modo rationem incertam concilians Ennead. 7 libro 2: Petrus, ait, Romam reuerſus, Clementem epiſcopum conſecrauit, traditiq; ſedem obtinendam, & eccleſiam ei commendauit piè & ſanctè inſtitutam. Ego, inquit, eam Clemens & ligandi & abſoluendi tibi trado poteſtatem, quam mihi Chriſtus reliquit: tu rebus omnibus uitæ fortunæq; contemptis, doctrina & oratione pium gregem, ut bonum decet paſtorem, tueberis. Et libro eiuſdem Enneadis 4: Sedit Cletus, inquit, annos XII: in cuius locum Clemens Romæ in Cælio ortus, ſuffectus eſt. Fuerat is à Petro, cum in humanis adhuc eſſet, ſucceſſor deſtinatus. Cæterùm, Linum primò, mox & Cletum, ut ſingulari fuit modeſtia, ſibi in honore prætulit. Nũc de ſcriptis Clementis.

Meminerunt epiſtolæ cuiuſdam eius ad Corinthios, Irenæus, Euſebius & Hieronymus, quæ hodie nuſquam extat. Irenæi ex libro tertio capite 3 uerba hæc ſunt: Sub Clemente, diſſenſione non modica inter eos qui Corinthi eſſent fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ eccleſia, potentißimas literas Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidẽ eorum, & annũcians quam in recenti ab Apoſtolis acceperant traditionem, annunciantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ, plaſmatorem hominum, &c. De eadem epiſtola Euſebius libro 3 capite 16 hoc modo: Clementis una indubitata fertur epiſtola, magna hæc & admirabilis, quam tanquam è Romana eccleſia ad eam quæ Corinthi erat, tum ipſis exarauit, cum apud Corinthios oborta eſſet ſeditio. Hanc in multis etiam eccleſijs palàm ac publicè iam olim, & apud nos quoque legi cognouimus. Et rurſus libro eodem, capite 37. Clementis, inquit, epiſtola quæ apud omnes pro indubitata habetur, quam in perſona Romanæ eccleſiæ ad Corinthios exarauit, in qua multis ſenſibus ex epiſtola ad Hebræos ſcripta adductis, imò & ipſius quibuſdam dictionibus ad uerbum uſus, clariſsimè probat, non eſſe ſyngramma hoc ad Hebræos ſcriptum recens ac nouum. Et: Alij Clementem hunc, epiſtolam iſtam interpretatum eſſe dicunt. id quod et magis ueritati conſonum ob hoc eſſe uidetur, quòd & conſimilem dictionis characterem utraque, & Clementis, & ea quæ ad Ebræos eſt, epiſtola continet, & ipſius utriuſque ſenſus non adeò procul inter ſe diſtant. Eadem prorſus Hieronymus, ſeu quiſquis autor eſt Catalogi: Scripſit, inquit, Clemens ex perſona Romanæ eccleſiæ, ad eccleſiam Corinthiorum ualde utilem epiſtolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi uidetur charakteri epiſtolæ, quæ ſub Pauli nomine ad Ebræos fertur, conuenire. Sed & multis de eadem epiſtola, non ſolum ſenſibus, ſed iuxta uerborum quoque ordinem utitur. Omnino grandis in utraque ſimilitudo eſt.

Idem rurſus in enarratione capitis 4. epiſtolæ ad Epheſios, eiuſdem epiſtolæ ſic meminit ex Pauli uerbis: Obſecro uos ego uinctus in Domino. melius eſt, ſi uinctum Domini in Chriſti charitate dicemus. cuius rei & Clemens ad Corinthios teſtis eſt, ſcribens: Vinculum charitatis Dei quis poterit enarrare? Et in capite 2 ad Epheſios: Quærimus, inquit, quid ſit (in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius) utrum´nam & aliud ſeculum ſit, quod non pertineat ad mundum iſtum, ſed ad mundos alios, de quibus &

Clemens in epistola sua scribit: Oceanus, & mundi qui trans ipsum sunt. Incertum autem, utrum ex ea epistola, an ex alio aliquo Clementis scripto, Basilius in libro de Spiritu sancto, capite 29 hæc uerba protulerit in enumeratione testimoniorũ doctorum ueterum de Trinitate: Sed & Clemens Romanus, Viuit (inquit) Deus, & Dominus Iesus Christus, & Spiritus sanctus.

Porrò de altera quadam epistola, alijsq; Clementis scriptis, Eusebius libro 3. capite 38: Sciendum autem, ait, quòd & altera quædam epistola Clementis esse dicitur, uerùm hanc non perinde atq; priorem, claram & insignem cognouimus. neq; enim ueteres illa usos esse scimus. Iam & alios quosdam nuper multiloquos & prolixos commentarios, quasi illius sint, nonnulli protulerunt, ut qui Petri & Appionis dialogos contineãt, quorũ apud ueteres prorsus nulla fit mẽtio. neq; enim sincerũ rectæ et Apostolicæ doctrinæ characterẽ tenẽt.

De libris Recognitionum hæc Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinum, ex Ruffini ipsius uerbis: Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanæ ecclesiæ post Apostolos episcopus & martyr fuit, libros edidit qui appellantur ἀναθεωρισμὸς, id est recognitio: in quibus cum ex persona Petri apostoli, doctrina quasi uerè Apostolica in quamplurimis exponatur: in aliquibus ita Eunomij dogma inseritur, ut nihil aliud quàm ipse Eunomius disputare uideatur, &c.

Epiphanius libro 1 tom. 2. hæres. 27, circuitionum Encyclicarum quarundam Clementis epistolarum hoc modo meminit: Vtuntur, inquit, Ebionæi circuitionibus Petri appellatis, per Clementẽ scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca uera relinquentes, uelut ipse Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis quas scripsit Encyclicis, quæ in sanctis ecclesiis leguntur, quòd alium habeant characterem fides ipsius et sermo, ab his quæ ab illis sub nomine ipsius in circuitionibus corrupta sunt. Ipse enim uirginitatem docet, & illi non admittunt. Ipse laudibus uehit Eliam, & Dauidẽ, et Samsonem, & omnes prophetas, quos illi abominantur, &c. Videtur huc respexisse Hieronymus libro 1 aduersus Iouinianum: Clemens successor apostoli Petri, scribit epistolas, omnemq; penè sermonem suum de uirginitatis puritate contexuit. Citat & Athanasius in disputatione contra Arium in synodo Nicena, quædam ex Clementis scriptis, hoc modo: Clemens Petri sectator istiusmodi opinionẽ subruit, uidelicet, Deũ æternum non ex partibus constare.

Quæ postremò de libro De uero propheta Clemẽtis in lib. 1 Recognitionũ traduntur, in medio relinquimus.

Præfuisse Romano episcopatui Clementem annis 1 x, Eusebius libro 3 capite 34, & in Chronico testatur, sub anno Christi x c i i i i.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

DE SIMONE MAGO.

Simon Magus in Samariæ uico qui Triton, ut Iustinus habet, dicebatur (Eusebius & alij Gitthon uocant) natus est. In philosophia ac literis cum à teneris fuisse institutum & exercitatum, inde constat, quòd philosophorum de Dijs nugas sectatus, quæ ex Iudaismo & Christianismo mutuatus est, ethnicis ueteratorie & astutia diabolica confirmare studuit. Si quid recognitionibus Clementis ad Iacobum tribuendum est, natus est Simon patre Antonio, matre uerò Rachel. in Græcis literis doctus, & orator fuit uehemens, & Dialecticæ disputationumq; peritissimus. Cum autem alioqui confusa dominaretur in Samaria religio, quæ partim Iudaicam, partim ethnicam sapiebat: Simon natura prauus, diaboli instinctu, ingenio fortè etiam uersatili, doctrinæq; quam sibi apud suos comparauerat opinione fretus, maiora portenta comminiscitur: eoq; insaniæ progreditur, ut auderet palàm sese Deum uocare, ac diuinos sibi honores exhiberi postularet. Vt autẽ fidem mereretur, Magiæ sese dederat, uanisq; ludibrijs ac miraculis hominum oculos ac mentes ita fascinabat, ut multi eum sectarentur. Conflabat præterea his ipsis præstigijs magnam pecuniam. Porrò exercuit Magiam longo tempore ante Christi passionem, nemine impediente. Sed postquam Paulo ecclesiam immaniter persequente, Philippus in Samariam uenisset, atq; Euangelium Christi tradidisset, & multi cœlesti ueritati accederẽt, inter alios & ipse simulauit se religionem Christianam amplecti, ac baptismum accepit. Sectatus etiam Philippum est, ad tempus miraculis eius stupendis allectus. Postea uerò, cum Iohannes & Petrus Ecclesiæ Samaritanæ manus imponerent, ac uideret Spiritum sanctum miraculose exhiberi, quod occultabat pectore, tandem patefaciebat: impudenter ab Apostolis petens, ut sibi quoq; illa ratio reuelaretur, qua posset spiritum sanctum imposita manu largiri: offerebat autem pro ea communicatione pecuniam. Putabat enim, magicis artibus, sibi ignotis, hanc tantam rem effici. At Petrus nequitiam eius animaduertens, grauiter eum increpat: Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionẽ, quoniam donum Dei existimasti pecunia parari. nõ est tibi pars neq; sors in ea re: cor enim tuum non rectum est coram Deo. pœnitentiam itaque age à nequitia tua: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordistui. Pelle enim amaro uideo te esse, & ligatum iniquitate. Simulat autem etiam tunc quandam humilitatem Simon, ac petit ut Apostoli pro se preces faciant. Hæc Act. 8. recitantur. Postea autem nihilo factus est melior, imò deterior. Nã quæcunq; ex Euãgelio, de Christo, Spiritu sancto, hominumq; salute didicerat, ad se transferre, & nefariè corrumpere ausus est: sicut in loco de hæresibus suprà dictum est. E prostibulo publico Tyri Phœniciæ quandam mulierem Selenem seu Helenam ad se pertraxit: eam finxit esse suam, tanquam æterni patris, cogitationem, per quam & angelos creasset: eamq; angelorum iniuria in terris detentam, & in alia atq; alia corpora muliebria ueluti carcerem ab ijs coniectam. Esse hanc ipsam Helenã prosus eandem, propter quam Troianum bellum sit gestum, seq; nunc eam è tam longinqua seruitute redempturum: fide in hanc Helenam homines saluos fieri: ut refert Irenæus.

Romam uenit sub Claudio, cum Euangelij lucem, quæ passim in Asia fulgebat, diutius sustinere non posset: ibiq; breui tempore statuam publicè adeptus est, ut ex Iustino suprà commemorauimus. Disputasse Petrum

trum cum Simone Mago, libri Recognitionum Clementis habent: qui cum apud plerosque suspecti habeantur, non libet ex ijs plura commemorare. Philaster de Simonis exitu, in catalogo hæreseon sic narrat: Qui cum fugeret beatum apostolum Petrum è Hierosolyma ciuitate, Romam que ueniret, ibi que pugnaret cum beato Apostolo apud Neronem regem, deiectus undique oratione Apostoli, atque percussus ab angelo, sic meruit interire, ut eius magiæ euidens mendacium cunctis hominibus patefieret. Epiphanius ait: Simonem in media Romanorum urbe collapsum interijsse. Theodoretus ait, Simonem uocasse Petrum ad certamen miraculorum, & Simone in magna altitudine existēte (uolasse enim eum ministerio diabolorum, alij dicunt) oratione eum Petrus deturbauit, ut in terram delapsus animam efflarit.

DE MENANDRO MAGO.

QVæ fuerit Menandri doctrina, suo loco est expositum. hic uerò tantum Iustini de eo narrationem exponere libet, qui Apologia secunda sic scribit: Menandrum uerò quendam etiam Samaritanum, ex uico Capparetæa, qui Simonis discipulus fuit, à dæmonibus etiam impulsum, Antiochiæ cum esset, multos in errorem arte magica induxisse scimus: idem que discipulis persuasit, se non esse morituros. sunt que nonnulli ab eo orti, qui hoc etiam nunc profitentur. Hæc ille.

DE CERINTHO.

CErinthus in Aegypto longo tempore uersatus, & in philosophicis studijs exercitus est: ut Theodoretus narrat. Postea in Asiam uenit, ibi que hæresin suam professus est. Epiphanius affirmat, hūc unum fuisse, qui Petro uenienti ad Cornelium restiterit. Sed illustrem historiam, quam Irenæus libro tertio capite tertio memoriæ prodidit, adscribemus. Sunt, inquit, qui audierunt eum (Polycarpum) dicentem: quoniam Ioannes Domini discipulus in Epheso iens lauari, cum uidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens: Quòd timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus, inimicus ueritatis. Hæc Irenæus. De reliquis hæreticis satis in capite De hæresibus est dictum.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

DE persequutionibus, quas diabolus et impius mundus aduersus Apostolos, eorum que Synergos & Christianos passim mouerunt, dictum est suo loco. Martyria Apostolorum, aliorum que doctorum Ecclesiæ, in uitis eorum describimus. Hic uerò aliorum Christianorum, qui non fuissent doctores, & tamen nihilominus insignes edidissent confessiones, & suo quoque sanguine doctrinæ Euangelij testimonium perhibuissent, commemoranda erant martyria, si quid certi de ijs apud uetustos & probatos extaret autores. Verùm hac in re non pauca nos desiderare, queri possumus, tum propter probatorum Martyrologiorum defectum: tum propter fabulosas narrationes, quibus martyrum uitæ à scriptoribus ineptis deformatæ passim leguntur.

DE STEPHANO.

POterat Stephanus inter doctores Ecclesiæ locum habere: sed quia primus post Christū martyrio ornatus est, & à Luca fide digno teste eius historia descripta est, ut esset exemplum aliorum martyrū, uisum est de eo hoc loco quantū in Actis habetur commemorare.

Quis fuerit Stephanus, Græcus ne (ut ex nomine colligi uidetur) an Iudæus, ex quibus parentibus, & ubi natus, quomodo educatus, memoriæ non est proditum. Quod scholastici collegij Libertinorum & Cyrenensium, & Alexandrinorum & Cilicum & Asianorum adeò eum infestarunt, coniecturam præbet, eum unum ex illorum numero fortè antea fuisse. Hieronymus ad Damasum, referente Bergomēse in supplemento Chronicorum, & Petrus de Natalibus Dorotheum citans, Stephanū unum ex septuaginta discipulis Christi fuisse aiunt: quæ res sanè suam, quam meretur, habeat fidem. Eusebius enim libro primo, capite duodecimo, septuaginta discipulorum Catalogum uspiam annotatū negat: & licet quorundā meminerit, qui uulgo ex LXX fuisse dicantur, tamē de Stephano id nō dicit.

Donis multis egregijs præ cæteris claruit. Nam fuit plenus Spiritu sancto, & sapientia: quem absque dubio, ut alij in initio, sensibili modo ita accepit, ut ueram doctrinam Euangelij rectè calleret, & linguis uarijs loqueretur, & miracula etiam in nomine Iesu ederet. Commendatur etiam in eo integritas uitæ, & constantia in confessione, & patientia, & alacritas in cruce, & uera etiam in ipsa morte inuocatio. Dono etiam prophetiæ ornatus uidetur. Siquidem prædixit, ut falsi testes calumniose proferunt, Iesum Nazarenum demoliturum Hierosolymam, & mutaturum statuta à Moyse tradita. Act. 6.

Cum ecclesia Hierosolymitana opus haberet diaconis, qui bona communia curarent, & rectè distribuerent uiduis & pauperibus, & Apostoli septem uiros spectatæ probitatis, plenos spiritu sancto & sapientia, deligi ad id ministerium mandarent: ab Ecclesia inter alios etiam Stephanus electus, & ab Apostolis manuū impositione & oratione confirmatus est. In eo ministerio Stephanus suam diligentiam & fidem non modò probauit Ecclesiæ & Apostolis: sed etiam magis magis que profecit, & sua dona in ædificationem Ecclesiæ & propagationem Euangelij contulit. Nam & ipse Euangelium professus est, & miracula ad doctrinæ cōfirmationem multa in populo edidit, & plures tum è populo tum è sacerdotum numero conuertit.

Capita doctrinæ eius, ex concione quam habet in concilio seniorum, colligere licet. Nam de Deo sentit, quòd unus sit Deus, qui se populo Iudaico patefecerit: & expresse trium personarum diuinitatis meminit, Deus gloriæ apparuit patri nostro, &c. Video filium hominis stantem à dextris Dei, &c. &, Vos semper Spiritui sancto resistitis.

Christum Messiam esse, à prophetis prædictum, affirmat: Occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti illius.

De creatione eum sensisse, quòd Deus omnia creârit, constat ex dicto quod ex Esaia allegat: Non ne manus mea fecit hæc omnia?

Sensit etiã, angelos esse, eosq; Deo et hominib. inseruire. Homines itẽ peccatores esse, et procliues ad malũ, Deumq; peccata peccatis punire. Noluerunt, inquit, patres nostri obedire sermoni, sed repulerunt, & auersi sunt. Item: Duri & incircumcisi corde & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis. Itẽ: Cõuertit se Deus, & tradidit eos ut colerent militiam cœli.

Legem asserit dispositione angelorũ latã, & Moysi traditam in monte Sina: nec iam seruari, aut impleri à Iudæis, sed per Christum impletam & abrogatam esse.

Externam circumcisionem sensit significare internam. ait enim, Incircumcisi corde & auribus.

Euangelium sensit esse doctrinam de Iesu Christo, Messia, iusto, à prophetis prædicto, suscipiente spiritũ nostrum: hoc est, saluante animas nostras. Item, prædicandam esse pœnitentiã suo exẽplo monet, grauiter enim Iudæos obiurgat, proditores & occisores Messiæ.

Deum peccata remittere, indicat sua oratione, cum inquit: Domine, ne statuas illis peccatum hoc.

De oratione sensit, Christũ esse inuocandũ, eiq; animas nostras cõmendandas. Itẽ, orandũ pro persecutoribus. De cruce, q̃ ob confessionẽ Christi sanguis sit profundendus potius, quàm à ueritate recedendum: & quòd Christus in cruce & afflictionibus adsit suis, eosq; confirmet, & eripiat & seruet in regnũ cœleste.

De animabus, quòd fidelium animæ non simul cum corpore intereant, sed à Christo suscipiantur.

Cum non tantum doctrinam Euangelij purè traderet, sed etiam erroneas opiniones tum in populo Dei grassantes refutaret, non poterat esse absq; periculo & aduersarijs. Nam scholastici è collegijs Libertinorum, Cyrenensiũ, Alexandrinorũ, Cilicum & Asianorũ, in quorum numero Saul nõ erat postremus, à suis præceptoribus pharisæis incitati, Stephano se opponebãt. Is uerò ad disputationẽ prouocatus, nõ propter periculũ aut autoritatẽ excellentiũ doctorũ, ut uideri uolebant, sibi loco cauet: sed palàm cum ijs in arenam descendit, ad reddendam cuilibet suæ fidei rationem paratus.

Thema disputationis est, An Iesus Nazarenus sit uerus Messias à prophetis prædictus: &, An omnia quæ de Messia sunt prædicta, in eũ & opera eius rectè competant. Stephanus affirmat ita esse, negant illi. Proferuntur argumenta in medium cõtra sententiam Stephani. Verùm is ea ita refringit, et suã sententiã adeò testimonijs Scripturæ munit, ut non possint aduersarij sapientiæ & spiritui, qui è Stephano loquitur, resistere: sed euidenti demonstratione ueritatis uincantur. Debebant illi quidẽ Stephano agere gratias, & ueritatẽ manifestam amplecti: uerùm dum sibi, suisq; præceptoribus turpe fore existimant, si ueritatẽ amplectantur, et se erraſſe agnoscant, à suo spiritu, qui homicida est, & mendax, incitati, consiliũ ineunt de Stephano interficiẽdo. In hac deliberatione etiã Saul fuit, & unà in necem Stephani consensit. Act. 8 & 22. Vt aũt is maiori hominũ applausu è medio tollatur, subornant uiros, qui deferãt eum falsis criminationib. ad seniores & scribas, & dominos præceptores. Cumq; omnia ex cõposito secundum uoluntatẽ seniorũ & præceptorũ qui præerant synedrio, essent perfecta et disposita, cõmouetur plebs, et in cœtũ coeunt seniores et scribæ, tanquã legitimũ iudicium habituri. Verũ Stephanus nõ citatur, sed uiolẽter abreptus, in conciliũ producitur. Præstò sunt accusatores, qui eũ accusant blasphemiæ in Moysen & Deum. Confirmatur ea res testibus, qui coràm testantur dicentes: Homo ille nõ cessat loqui uerba cõtumelioſa aduersus locũ sanctum hunc, & legẽ. Audiuimus enim eũ dicere, Iesus Nazarenus iste demolietur locũ hunc, et mutabit instituta quæ tradidit nobis Moyses. His prolatis, seniores, qui in cõcilio erant, in Stephanũ intuentur, forte ut irato suo uultu illũ protelarẽt: uerũ Deus Stephanum ornat innocẽtiæ testimonio, ut angeli pulchritudo ex facie eius resplẽdesceret. Quæ res illos nihil mouet. Princeps igitur sacerdotũ ex Stephano quærit: num res ita se habeat? Is uerò dicendi locũ & copiã nactus, edit suam confessionẽ oratione prolixa: in qua probat testimonijs S. scripturæ, Deum populo Iudaico promisisse Messiam, per quẽ oporteat omnes homines saluari, cũ per legis opera nemo possit, propter transgressionẽ. & deinde ea applicat ad Iesum Nazarenũ, q̃ is sit ille quẽ prædixerint prophetæ. Et grauissimè obiurgat Iudæos, q̃ eum nõ modò prodiderint, & interfecerint: sed etiã amplius resistant spiritui S. per quẽ ad pœnitentiã uocentur. Hac cõfessione Stephani adeò exacerbãtur, et ad iram inflãmantur Iudæi, ut stridore dentiũ suũ prodirent furorẽ. Verũ Stephanus nihil curat iratos semiorum uultus, nec eos simulatiõe aut adulatiõe aut deprecatione placare instituit: sed cũ in eo cardo rei uertetur, quod illi existimabãt blasphemiã summã esse, affirmare Iesum Nazarenũ crucifixũ resurrexisse, et ascendisse ad cœlos, & sedere ad dexterã Dei, et effudisse spiritũ S. & gubernare Ecclesiã: Stephanus rotũdè et expreſsè, se uerè sic sentire ac credere affirmat. & Deus, eius confessionẽ singulari reuelatione obfirmat. intuẽs enim in cœlũ, uidet gloriã Dei, & Iesum stantẽ à dextris Dei. Eam patefactionẽ nõ præterit silẽtio, sed palàm indicat, inquiẽs: Ecce uideo cœlos apertos, & filiũ hominis stantẽ à dextris Dei. Hanc confessionẽ ut blasphemiã summã excipiunt tanta indignatione, ut aures manib. obturent, & magno clamore eũ damnent, et impetũ omnes in eũ faciant, et è ciuitate eũ extrahant. Cũ ad locũ supplicij uentũ est, depositis uestimentis, & cuſtodiæ Sauli cõmissis, testes & alij Stephanũ lapidare instituũt. Is uerò in genua primũ proeũbens, orat pro aduersarijs suis, inquiẽs: Domine, ne statuas illis peccatũ hoc. Deinde se Christo cõmendat: Domine Iesu suscipe spiritũ meũ. atq; ita lapidibus obrutus, in Domino obdormijt. De tẽpore quo Stephanus interfectus est, uariãt autores. Eusebius in Chronico, Stephanũ 34 anno Christi lapidatũ asserit. Euodius uerò, quẽ Nicephorus allegat lib. 2. cap. 3, anno 7 post ascensionẽ Domini.

ANTIPAS.

ANtipæ martyris mentio fit in epistola Christi ad angelũ Pergamẽsem, Apoc. 2. his uerbis: In diebus meis Antipas, testis meus fidelis, qui occisus est apud uos, ubi sathanas habitat. Sed plura de eo non extant.

LONGINVS.

VIncẽtius lib. 7. cap. 47. de Longino milite, qui lancea Christo aperuit latus, longã & fabulosam texit narrationẽ: q̃ cõuersus in Cæsarea Cappadociæ 38 annis monachũ egerit, & ab Octonio præside interfectus sit: & eidẽ excæcato, et ad cadauer Lõgini pœnitentiã agenti, uisum restituerit. Verùm illa nõ tantũ superstitiosa, sed etiam

etiã idololatrica, & ab hoc seculo prorsus aliena sunt.

MARTYRES SVB NERONE.

FELICVLA.

PEtrus de Natalibus lib.5 cap.112 refert ex quodã Marcello, Feliculam Petronellæ, filiæ Petri, collactaneam, cum neq; sacrificare, neq; Flacco comiti nubere uoluisset, 14 dies inediam pertulisse, & tandem in eculeo tortam, in cloacam abiectam perijsse. Eadem Vincentius narrat lib.9 cap.38.

THECLA.

PEtrus de Natalib.lib.8 cap.110, & Vincentius lib.9 cap.47, & alij Legendarum (ut uocãt) scriptores, multa ridicula de Thecla fabulantur: quòd Iconij à Paulo conuersa, sponso Thamiro renunciauerit datam connubij fidem, et professa sit uirginitatẽ: et eã ob causam à matre accusata, & unà cum Paulo in carcerẽ data, et Paulo Iconio ejecto, ipsa in ignẽ cõjecta, sed pluuia ignẽ extinguẽte euaserit incolumis, & ad Paulũ redierit. & se ad habitũ uiri tonderi uoluerit, ut Paulũ liberè sequi posset: uerùm à Paulo id facere nõ sit permissa. Et quòd ab Alexandro, cum eius libidinẽ explere nollet, accusata, uarijs suppliciorũ generib. frustra afflicta, tandem superstes manserit: & tonsa & uirilẽ uestem induta, comitantib. quibusdam iuuenib. ad Paulum profecta sit: & deniq; ab eo discedens, Seleuciam peruenerit, ibiq; mortua sit. Verùm monachorũ fabulas hæc redolent, & probatorũ et antiquorũ autorum testimonio destituuntur, & à doctrina Pauli alienissima sunt. Neq; enim is matrimonia solui, neq; fœminã uirili toga indui et tõderi debere, uspiã docuit: sed contrarium 1 Cor.7, & 1 Cor.11 affirmauit.

Nec minus fabulosa & superstitiosa sunt, ea quæ de Euphemia, Dorothea, Thecla & Erasma, uirginib. pasſis Aquileiæ, tempore Neronis, sub Seruasto præside, narrat Petrus de Natalibus lib. 8. cap.29. quæ indigniora censemus, quàm ut commemoremus.

VITALIS ET VRTICINVS.

REfert Vincentius lib.9 cap.50, Vrticinum medicum Rauennæ, cum multa sustinuisset supplicia, tandem trepidasse ad ictum gladij, & secum de abnegatione cogitasse. Verùm Vitalem militẽ, cum Paulino iudice urbẽ ingressum, eum confirmasse his uerbis: Noli frater Vrticine medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æterna morte occidere. quib. ille corroboratus, ceruicẽ securi præbuit. Vitalis uerò à suo domino discessit, & paulo pòst Christianus accusatus, uiuus in terram defossus est. Vxor uerò eius Mediolanum ueniens, cum increparet eos qui idolis immolabãt, & ipsa de idolothytis edere recusaret, ad mortem usq; multata est.

PROCESSVS ET MARTINIANVS.

PRocessus & Martinianus milites, cum custodirent Paulũ & Petrũ in carcere, miraculis eorũ conuersi sunt, & petierunt se baptizari: & baptizati sunt, unà cum 47 alijs captiuis. Id uerò cum Paulinus cognouisset, iussit eos sacrificare idolis. quod cum facere recusarent, iussit eos partim lapidari, partim fustib. cædi, partim flammis uri, partim scorpionib. castigari. Verùm ultio diuina eum subitò insecuta est. Vno enim oculo priuatus est, & à dæmonio exagitatus obijt. Nero uerò eos tandẽ capite plecti iussit. Vincent. lib.9 cap.54, Petrus de Natal. Supplementũ Chronicorũ, et alij similes.

Referuntur & alij Martyres sub Nerone passi, quales sunt, Geruasius, Prothasius, Nazarius & Celsus. Felix, Cõstantia, Torpetus, Torquatus, Secũdus, Cæcilius Estiuus, Euphrasius, Marcellus, Apuleius. Verùm eũ de ijs fabulosa magis et superstitiosa, apud Petrũ de Natalibus, Vincentiũ, Antoninũ, et in Chronicis recentiorũ, quàm uera cõmemorentur, non duximus lectorem ijs uanitatibus onerandum & obruendum.

MARTYRES SVB DOMITIANO.

NEreus et Achilleus, cũ essent baptizati à Petro apostolo, et sacrificare nollent idolis, capite cæsi sunt. Vincent. lib.10 cap. 15. Cætera quæ ibi de ijs narrantur, quòd Domicillã à nuptijs Aureliani auerterint, suadentes uirginitatẽ, ueritati nõ sunt cõsentanea. Honorabiles enim apud omnes Christianos hoc seculo fuerunt nuptiæ. Heb.13.

CAPVT XIII.

DE REBVS MIRACVLOSIS.

RErum miraculosarũ quæ ab Apostolis factæ sunt, et circa eos cõtigerũt, Catalogũ, quaten⁹ in sacris literis memoriæ proditæ sunt, suprà inter Dogmatica suo loco annotauimus. Hic uerò de alijs reb. quæ hoc æuo acciderũt, et memoria dignæ sunt, pauca commemorabimus. Sunt enim et ipsa testimonia Dei, omnia suo arbitratu gubernãtis, et impietatem hominum improbantis et punientis.

Circiter Claudij 1 x et x annũ, in Græcia, Romæ, & quidẽ in alijs terræ partibus, magna ubiq; grassata est fames illa, quam Agabus Act.11 prædixit Antiochiæ. Eusebius et Dion.

Sub Claudio solis ecclipsis accidit, in ipso uatali die Cæsaris: ob quam ne turbarentur alij, Claudius antè eã prædixit, & causas indicauit. Dion.

Anno Claudij 9, Domini uerò 51, tres soles apparuerunt, statimq; simul in unum orbẽ coierũt. Eusebius. in Chronicis. Ante Claudij obitũ cometa lõgo tẽpore uisus est, pluitq; sanguinẽ, et fulmẽ de cœlo in signa prætorianorum militum incidit, templumq; uictoris Iouis sponte apertum est. Dion in uita Claudij.

Neronis 4, Romæ terræmotus & defectio solis accidit. & eiusdẽ anno 8, fulmẽ ad mensam eius cecidit, et cœnam quæ ad Neronem deferebatur, totam absumpsit. Dion, & Eusebius.

Neronis decimo, urbs Romana à Nerone inflammata, & maxima ex parte exusta est. Dion, Eusebius.

In Asia tres urbes terræmotu conciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colossæ. Chronicon Eusebij.

Sub Nerone, in Albano tanto sanguine pluit, ut fluuij sanguine fluerẽt: & mare retrocedens ab Aegypto, magnã partẽ Lyciæ occupauit. Dion in uita Neronis.

Primo Vespasiani, Capitoliũ Romæ incẽsum conflagrauit. Eius uerò anno 8, tres ciuitates Cypri terræmotu corruerũt: & altero anno pòst lues tãta Romæ fuit, ut permultos dies in Ephemeridem decem millia ferè mortuorum hominum referrentur. Euseb.

Ante mortẽ Vespasiani cometa diu uisus est: & monumentum Augusti sponte apertũ est. Dion in uita Vesp.

Anno secundo Titi, Vesuius ruptus in uertice, tantum ex se eiecit incendij, ut regiones uicinas & urbes

cum hominibus exureret. eius uerò rei descriptio integra extat in Plinio & Dione, & alijs. Verùm Dionis adscribimus: Per id tempus accidêre in Campania horribilia quædam, quæ magnam admirationem habent. Nã sub autumni tẽpus ingens incendiũ repentè excitatum est, eoq; mons Veseuus conflagrauit: Is mons mare spectat ad Neapolim, habetq; fontes ignis maximos. ac olim quidem ex omni parte excelsus erat: sed tunc ex medio eius ignis extitit. nam ea parte tantum exustus est: extrinsecus enim intactus integer´que permanet ad hæc tempora. Ex quo fit, ut quum ignis externas partes non exurat, eaq; quæ sunt in medio consumantur igni, redigantúrque in cineres, uertices qui circum sunt, usq; adhuc ueterem altitudinem habeant, & quæ pars igni consumpta est, dum in se coit, concaua facta sit, ita ut totus mons (si licet parua cum magnis conferre) formam habeat amphitheatri. Culmina eius montis multas arbores habent, uitésque: ipse interius circuitu propter ignem decliuis est. utq; fumum interdiu, ita noctu flammam reddit, ita ut in eo suffimenta cuiusuis generis fieri semper uideantur. Quod cum ita se habeat, nec semper eodem modo, id magis aliquando, interdum minus facit: adhæc puluerem proijcit, quoties simul aliquid subsidit, emittitq; saxa facto impetu uentorum: tum resonat, mugitq;, quòd minimè densas atque constipatas, sed ratas & occultas respirationes habeat. Cum igitur Veseuus eiusmodi sit, hæc in eo quotannis ferè fieri solent. Quæ cum illis temporibus præter morem euenerint, magnaq; adhuc esse uideantur ijs qui ea semper inspiciunt: tamen licet omnia simul cum cæteris quæ tum quoque euenerunt, comparentur, parua habeantur necesse est. Etenim eo tempore magnus numerus hominum inusitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in eodem monte, regioneq; finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu noctuq; uagari, uersariq; in aere uisus est. Post hæc consecuta est maxima siccitas, ac repentè ita graues terræmotus facti, ut omnis ea planicies feruida esset, & culmina montium subsiderent. Ad hæc, sonitus subterranei tanquam tonitruo, & super terram mugitibus similes exiterunt. Dein mare simul fremere, omne cœlum resonare, ingensq; & repentinus fragor, quasi montes simul considerent, exaudiri. Tum exilire primùm immensi lapides, & ad summos uertices peruenire: deinde magna copia ignis fumiq;, ita ut omnem aerem obscuraret, occultaretq; solem, non aliter quàm si defecisset. Igitur nox ex die, et tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis Gigantes seditionem inter se facere, q, multæ imagines eorũ in fumo cõspicerentur, quodq; clangor tubarum audiretur. Alij existimabãt, aut mundum in chaos redigi, aut igni consumi: ob eamq; causam properabant alij ex ædibus in uias, alij de uijs in ædes confugere, atq; è mari in continentem & ex continenti in mare se recipere. Alij cõturbati, ea quæ nondum uenerant, existimare tutiora rebus præsentibus. Tanta uerò erat copia cineris, ut terram, mareq;, atq; adeò ipsum aerem compleret. quæ res multa damna, ut cuiq; sors tulit, importauit, non solum hominibus, prædijsq; ac pecoribus: sed etiam pisces, uolucresq; omnes peremit: duasq; urbes, Herculanum & Pompeios, populo sedente in theatro, penitus obruit. Postremò tantus fuit cinis, ut inde peruenerit in Africam, Syriam & Aegyptum: introieritq; Romam, eiusq; aerem compleuerit, et solem obscurauerit. Id Romæ accidit paucis pòst diebus, cum omnes ignorarent id quod factum erat in Campania, nec quid esset coniectura assequi possent. Itaq; etiã ij putare cœperunt, omnia sursum deorsum ferri, solemq; in terram cadere, aut terram in cœlum conscendere. Quanquam autem hic cinis non attulit statim grauia incommoda populo Romano, tamen posteà morbum pestilentem & grauem immisit. Insequenti anno Tito ad uisendam calamitatem Campaniæ profecto, multa Romæ conflagrauerunt, quod incendium tamen extiterat ex terra. Nam Serapidis ac Isidis fana, septa, templumq; Neptuni, balnea Agrippæ, Pantheon, Diribitoriũ, theatrum Balbi, scena Pompeij, Octauiana ædificia unà cum libris, templum Iouis Capitolini, cum proximis templis, igni cõsumpta sunt. Ita id malum diuinum potius quàm humanum fuit. Licet enim ex ijs quæ commemorani, cætera quæ in eo incendio perierunt, conijcere.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS.

CVm à priscis Regib. Iudæi, passim gentibus alijs permixti agerent, ciuitatũq; & municipiorũ ius cum alijs ex æquo accepissent, denum ea illis libertas ab Augusto Imperatore restituta & confirmata est. Is enim publicis (quemadmodum Iosephus testatur lib. 19 Antiquitatum Iudaicarum, cap. 10. & libro 15 cap. 4.) edictis statuit, cõcedendum Iudæis esse, ut proprijs ritibus, moribus ac legibus utercntur, ac in fanis suis ius asyli integrum retinerẽt: in sabbato ad præstanda uadimonia à nemine usq; cogerẽtur, nec eos quisquam in deportandis primitijs ac pecunijs ad templum impediret. Quorum similia edicta, pro illis etiã Agrippa rex promulgauit. exempla Iosephus, in eo quem iam diximus loco, adduxit.

Sed Augusto è medio sublato, cum in regnum Tiberius, priuignus suus successisset, & hæc Iudæorum felicitas, ut & commoditates aliæ in uniuersum omnes, in præceps abire paulatim cœpit: donec tota ea gens, ua rijs prius excruciata modis, pauciss imis relictis, è medio sublata atq; extincta est. Cuius miserandæ fortunæ initium dedisse, Egesippus de excidio Hierosolymitano lib. 1 cap. 3 & 5, & Iosephus de bello Iudaico libro 2 cap. 8, existimant Pilatũ prouinciæ præsidem: eo quòd Tiberij imperatoris imaginem collocari in templis Iudæorum instituisset. Quod, ut à patrijs legibus alienissimum, indignè populus Iudaicus ferens, palàm quidem Pilato restitit. eaq; re factum est, ut ad mortẽ multos repugnantium Pilatus adegerit. Cæterùm & Tiberius ipse antea Iudæis utendi suo iure ac religione, per edicta potestatem fecerat, intercedẽtibus pro ijs Agrippa & Herode: quemadmodum Iosephus narrat Antiquitatum Iudaicarum libro & capite eodem. Pilatus uerò populi eius studium circa religionem admiratus, cũ exertis ceruicibus interfici se potius malle, quàm legcs prophanari, palàm dixissent, imagines quas per noctẽ in urbem intulerat, auferri paulo pòst curauit. Atq; hic quidem Iudaicæ gentis sub Tiberio status fuit.

Tiberium

Tiberium uerò secutus in imperio Caius, ut Deum se adorari ab illis, ac per nomen suum iurari postulauit. Quod cum facere illi detrectarent, iratus Caius, Petronium legatum in Syriam misit, cum mandatis, ut statuam suam in templum eorum poneret. quod si minus admitterent, bellum in eos moueret, ac uictos imperata facere cogeret. Vbi rursus Iudæi, mori potius parati, quàm religionis prophanationem admittere, ipso sementis opportuno tẽpore agriculturæ operas spõte intermiserunt. Iosephus Antiquitatum Iudaicarum libro 18. cap. 11. At potuisset tum quidem per iratum & furiosum Imperatorem extingui maxima eius gentis pars, aut uniuersa adeò, iuxta Christi uaticinium, ni si breuius fuisset illius imperiũ: & uoluntas Dei auersa à Iudæis, exẽplis indignationis suæ magis cõspicuis, perdere eos decreuisset, ut Egesippus ait lib. 2 de Excidio. cap. 5 & 15.

Oppressa igitur uehementer Iudæorum gens sub Caij imperio, eo interfecto animos sumpsit: & apud Alexandriam prima tumultus excitare cœpit, abusa leuitate Imperatoris, qui edicta Augusti pro Iudæis denuò promulgauit, ut in toto orbe Romano iure suo salua uterentur: ita tamen, ut modestè sese gererent: nec religione sua liberè utentes, externarum gentium ritus, ne quid inde seditionum daretur, conspurcarent. Iosep. Antiq. lib. 19. cap. 4.

Sed hoc tum Claudij beneficium, tum mandatum, tantum apud illos non ualuit, ut à tumultibus abstinerent. Leuibus enim rebus laceßiti, in motus illicò & turbas, ut qui exitium sibijpsi accersere satagarent, totos sese effuderunt. Cum procuratorem Iudææ præfecisset Claudius Cumanum, multitudóque Iudæorum ex more Hierosolymam ad diem festum azymorum frequens conueniset, Romanorum militum cohors ad porticum templi collocata erat, ut si quid perturbationis alicubi exortum fortè esset, illi reprimerent. Ex illis igitur quidam, reductis turpiter uestimentis inclinans, posteriora conuertit ad faciem Iudæorum: uocem emittens, sicut ad huiusmodi habitum solet, parum uerecundam. Quod factum, quum contemnendum fuisset Iudæis, illi tamen occasionem arripuerunt grauissimæ calamitatis. Omißis enim illis propter quæ in templum conuenerant, Cumanum circumstetere: militem illum, quasi qui non ipsis, sed Deo contumeliam fecisset, ad supplicium deposcentes. Iuuenes uerò, nec à pugna sibi temperarunt, sed saxa correpta in milites Romanos coniecerunt. Metuens igitur Cumanus, ne in se furentis totius multitudinis rueret impetus, euocatam ocyus maiorem armatorum militum copiam templi porticibus immisit. Ad quod multitudo animis consternata, templo relicto, in fugam uersa est. Tanta autem ibi de constipatione obtritio facta est, ut conculcatione mutua, supra decem hominum millia (ut libro 2 de bello Iudaico capite 11 Iosephus refert: utigin ti uerò, libro 20 Antiquitatum, capite 4) consumpta sint. Quo ingenti luctu nondum sedato, Iudæus ad festiuitatem ascendens, in uico quodam Samariæ fortè interfectus est. Quam iniuriam ad Cumanum quidam Iudæorum nobiliores retulerunt: sed alijs implicatus negocijs Cumanus, homicidiũ illud in gratiam Iudæorum ulcisci tum nequiuit. Commota igitur uniuersa quæ in festiuitate adhuc erat Hierosolymis multitudo, latrocinantium more in Samariam irruit, sine aliquo duce, principes saltem in eo tumultu sequens, Eleazarum quendam & Alexandrum: ibiq; cædem promiscuam edidit, nulli parcens ætati: uicos ètiam præterea totos flammis uastans. Vbi rursus Cumanus, immußis in Samariam equitibus, Iudæorum complures occidit: nonnullis uiuis comprehensis, quos postea Syriæ procurator Quadratus in crucem omnes sustulit apud Cæsaream. Iosephus in libris & capitibus ijsdem.

Longum uerò est commemorare, quot turbas, maxima sua cum pernicie dederint Iudæi paßim in Iudæa, sub procuratore Felice, qui magnas eorum multitudines frequenter cecîdit: alijs insuper in uincula coniectis, alijs captiuis adductis. Ne quid dicamus, quàm multi Hierosolymis per sicarios mirabili omnino impostura & latrocinandi arte cæsi sint: quot item maximæ multitudines circumuentæ & occisæ, quæ seductores & pseudoprophetas, pollicentes signa libertatis è cœlo, in solitudines & montes, defectionis specie secutæ fuerant. Iosephus libro secundo belli Iudaici, capite duodecimo. Egesippus libro secundo de Excidio, capite sexto & septimo.

DE IVDÆORVM CALAmitatibus sub Floro.

PRocuratorem Felicem, Festus, Albinus & Florus, successores secuti sunt, sub Nerone. Quo tempore in tantas seditiones, latrocinia, dissensiones, insolentiam & rebelliones Iudæorum gens erupit, ut nullis minis, terroribus, exactionibus, supplicijs, cædibus coerceri potuerit. Multos tum seditiose tumultuantes, supplicijs externis afficerunt Festus & Albinus, flagitiosi quidem, & expilatores bonorũ magis quàm procuratores: sed quos omni crudelitate in eos, & sæuitia Florus exuperauit. Dignißimo enim eos exercens iugo, scelera nefanda omnia pro libidine perpetrabat. nec sanguinem solum innocentem fudit, & ad stuprum uirgines & matronas honestas Iudæorum coegit: uerùm etiam ingenti rapacitate quorumlibet bona diripiebat. Qualia multa commisit apud Cæsaream, multa etiam Hierosolymis, ubi deprædatis omnibus priuatis & publicis locis, nobiliores captos in crucem egit, uerberibus prius cæsos: reliquam uerò parruulorum & mulierum turbam, numero sexcẽtos & triginta, interfecit uno die. At tum demum bello inter Iudæos & Romanos initium datum est, anno scilicet imperij Neronis duodecimo, mense Maio, cum plurimorum scelerum Florum Iudæi accusarent, eamq; pestem prouinciæ expelli à Romanis expeterent. Sed id cum minus fieret, in omnem Romanis rebellandi rabiem Iudæos armauit. Iosephus libro 2 capite 13. 14. Egesippus libro 2 capite 8.

Interceßit quidem interea Agrippæ regis compositißima oratio, ad hoc singulari industria ac prudentia formata, ut à rebellione Iudæos in Romanos, quorum imperium totus ferret terrarum orbis, deterreret. Et à belli quidem studio tum retraxit. Sed postquam exhortatus eos esset, ut se Floro subijcerent, ac parêrent: ibi uerò tam eos irritauit Agrippæ admonitio, ut non conuicijs eum solũ impeterent, sed et urbe pulsum lapidib. insecta-

insectarentur. Iosephus libro eodem, cap. 6. Egesippus libro eodem, cap. 9.

Paulo pòst in societatem congressi, qui inter Iudæos seditionis maximè & belli studiosi erant, imq; Romanorum præsidium quod Massada diceretur, impetu facientes, milites Romanos omnes interfecerunt, collocatis alijs ex suorum numero qui præsidium custodirent. In templo uerò Hierosolymis Eleazarus Ananiæ pontificis filius audacißimus, ministris ad sacrificia adstantibus persuasit, ne cuiusquam munus aut hostiam qui non esset de gente Iudæorum, admitterent. Quo factum est, ut & Cæsaris hostiæ, quas ex consuetudine pro populo Romano offerri consuetum erat, reiectæ sint. Quæ res belli Romani, ut Iosephus ait, seminarium fuit, atq; materia. Ac ut maximè audaciam confidentem iuuenum cohibere quidam seniorum, qui de ueteri more eos de periculis secuturis admonebant, conarentur: nihil tamen profecerunt. Nec Agrippæ quidem studium, qui in terrorem seditiosis iuuenibus, populo suppetias in urbem ipsam misit, quicquam profecit. Sed cum exercitus Agrippæ cum optimatibus, pontificibus, atq; omni multitudine, quæ pacis amans esset, in superiorem ciuitatis partem cöcessissent, illi inferiorem partem & templum occuparunt, atq; inde in continuas septem dierum pugnas cæteros lacessiuerunt. quarum sine graui cæde nulla facta est. Progressum à seditiosorum parte etiam ad incendia est nobilium domorum, ut pontificis Ananiæ, Agrippæ, & Berenices. Mox in Antoniam, Romanorum præsidium, impetu facto, quotquot ibi offendissent, interemerunt, ac præsidium incenderunt. Deinde in regiam Agrippæ irruptione tentata, milites impositos adorti, murosq; euertere moliti: sed à militibus Agrippæ cæsi sunt. Iosephus libro eodem, cap. 19. Egesippus libro 2. capite 10.

DE STRAGE IVDAEORVM apud Cęsaream & Scythopolim.

Post interfectum pontificem Ananiam cum fratre Ezechia, quòd à partibus Romani exercitus stetissent, cum Metilio Romanorum præfecto dextras & sacramentum dedissent Eleazari manipulares, pacem scilicet cum exercitu Romano seruaturos: nihilominus cum arma Romani deposuissent, nihil hostile post pactionem metuentes, Iudæi impetu in eos facto, omnes præter Metilium trucidarunt. quod Iudæorum externæ calamitatis secunda quasi causa & materies fuit. Quo eodem die atq; hora, aliqua quasi cœlesti incitati prouidentia Cæsariẽses, Iudæos apud se habitantes, omnes super uiginti millia trucidarunt, Floro duce. post quod facinus in furorem agitata tota Iudæorum gens, uastationem & exitium plurimis Syriæ finitimis locis attulit, sic ut ciuitates cadaueribus insepultis repleren tur, & miserabili spectaculo passim iacerent trucidati, senes paruulis mixti, fœminæ uerò neq; pudendis contectæ. Paulo pòst in Scythopoleos fines effusi, à Scythopolitanis non in urbem, sed in lucum uicinum intromissi, interfecti sunt numero tredecim millia. Iosephus libro eodem, cap. 19.

DE ALIA IVDAEORVM IN diuersis locis graui cæde.

Scythopolitanorũ exemplũ imitatæ reliquæ gentiliũ urbes, habẽtes cohabitatores Iudæos, paucis exceptis, omnes persecuti sunt: et aut trucidarũt, aut in custodijs ac uinculis obseruarunt. Duo millia & quingentos Ascalon, Ptolemais duo millia interfecit. Tyrus, plurimis interfectis, cæteros in custodijs uinctos asseruauit. Quin & in ipsius Agrippæ regno pernicies Iudæis acerba parata est: in qua, Agrippa apud Cestium Gallum Antiochiæ commorante, de Batamea regione egressi septuaginta nobiles & præstantes Iudæi, à Varo Agrippæ amico, cui abiens ille administrationem regni commiserat, interfecti sunt.

DE MISERABILI ET GRAVI cæde Iudæorum apud Alexandriam.

Cvm in præcipitium addducta apud omnes penè gentes, res Iudæorum laborarent: apud Alexandriam, ubi alioqui perpetui eorum aduersus Græcos conflictus erant, calamitas eorum maximè aucta est. Fortè congressi Alexandrini in concionem fuerant, ut de legatione ad Imperatorem pro certis negotijs mittenda, consilia caperent. ubi cum in amphitheatrum in medios Græcos sese intulissent plurimi Iudæorum, conspecti à Græcis uerberati sunt: & quasi exploratores essent, comprehensi. Quare commota uniuersa Iudæorum factio, raptis facibus in amphitheatrum impetum fecit, populum omnem concrematurа. Dehortatus Iudæos ab audaci facto, & periculo suo, quod à milite Romano in eos redundaturum esset, nisi quiescerent, Tyberius Alexander: derisus ibi tum est. Qui compesci non posse Iudæos tumultuantes animaduertens, duas militum Romanorum legiones, cum alijs quinque millibus militum, qui casu ad interitum Iudæorum ex Libya eò uenerant, in eos immisit, præcipiens, ut non interficerent solum miseram multitudinem. uerum bona etiam eorum diriperent, domosq; succenderent. Quæ iussa strenuè executi Romani exercitus, desæuierunt, nulla aut ætatis alicuius aut ordinis & dignitatis ratione habita: adeò ut totus locus qui in ea ciuitate habitandus Iudæis peculiariter concessus erat, sanguine redundaret, cæsis hominum millibus quinquaginta. Ioseph. libro eodem, cap. 21. Egesipp. lib. 2 excidij, cap. 11.

DE CLADE IVDAEORVM autore Cestio.

Cestius item, militum in Syria præfectus, cum furentem Iudæorum rebellionem cognouisset, occasionem quasi oblatam, gentem contumacem coercendi, arripuit, Agrippæ copijs adiutus. At Zabulon primum, urbem rabiosissimam Galilææ, ex qua incolæ, relicta in ea abundanti omnium rerum copia, in montes profugerant, populatus est: & præda directa, incendit. Deinde uerò loppen cæpit: ac post cæsos homines centies mille & quadringẽtos, ciuitatem incẽdit. grassatus etiam cæde, igne, & populationibus in uicinos quoscunque Cæsareæ uicos, & Samariæ toparchiam Narbateam. Iosephus libro 2 capite 22 Egesip. libro 2. capite 14.

DE OPPRESSIONE IVDAEORUM per Damascenos.

Misit tũ Cestius in Galilæã Cæsenniũ Gallũ, ductorẽ Romanæ legionis: qui post interfectos, in montem Galilææ

Galilææ Asamon elapsos Iudæos bis mille, oppida aliquot deinde uacua incolis reperta, diripuit & incendit. Ipse uerò Cestius castra prope Hierosolymam posuit. Sed aliquot prælijs infeliciter cum Iudæis commissis, obsidione prohibitus, noctu per fugam inde recessit. Quæres ut maximè auspicata Iudæis uideretur, multos tamen nobiles Iudæos mouit, ut è ciuitate, quasi ex naui paulo pòst funditùs interitura, profugerent. Accessit eò, quòd & Damasceni Iudæos apud se habitantes exosi, congregatos in synagoga decies mille intermenerunt. Iosephus libro eodem, capite 25. Egesippus libro eodem, cap. 16.

DE GEMINA IVDAEORum clade ad Ascalonem.

Efferata successu mediocri in conflictu cum Cestio Iudæorum gens, ad bellum contra Romanos, posthabitis rebus omnibus, religione, legibus ac pietate, toto iam conatu omnia parabat & adornabat: minimè cogitans, per iratum Deum exitio & calamitati sibi futura, in quibus munitionis ac defensionis & securitatis fiduciam maximè collocassent. Narrat Suetonius, percrebuisse sub Vespasiano nondum Imperatore designato, Oriente toto ueterem & constantem opinionem, esse in fatis, ut eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Id de imperatore Romano prædictum, Iudæi ad se trahentes, rebellarunt. Scripsit & Iosephus, hoc responso ambiguo Iudæos maximè ad bellum fuisse excitatos. Nihil igitur moratì, quòd post infelicem Cestij pugnam, Nero imperator gerendis bellis exercitatissimum Vespasianum in Syriam iam ad coercendos Iudæos miserat: qui & Titi filij communes operas, & uicinorum undiq; per eam terram auxilia sibi adiunxerat: animis in perniciem & exitium proprium excitati, Ascalonem bello impetierunt. Ciuitas ea est antiqua, & ducentorum ac uiginti stadiorum spacio à Hierosolymis distans: quæ & ante has turbas propter Romanos Iudæis semper inuisa fuerat. Sed ad eam infelici prælio cum Romanis commisso, primùm decies mille, postea per temeritatem & audaciam inconsultam, bello ad idem oppidum iterato, octies mille Iudæi interfecti sunt. Iosephus libro eodem, capite 25, 26, 27, 28. & libro 3 capite 1. Egesippus libro 3, capite 4.

DE IVDAEORVM OPPRESsionibus in diuersis locis per Vespasianum.

Adducto igitur in Galilæam uniuerso exercitu, Gadarensium ciuitatẽ Vespasianus primus expugnauit: omnésque in ea Iudæos inuentos interfecit, nullius ætatis respectu habito. Iosephus libro tertio, capite sexto. Iotapatam deinde obsidione cinxit, atq; aliquoties impugnauit. Ab ea uerò Traianum decimæ legionis rectorem in finitimam quandam Iotapatæ ciuitatem, Iaphan nomine, cum exercitus parte misit: qui capta ciuitate, uigesimoquinto mensis Iunij die, ad quindecim hominum millia interfecit: duobus millibus, centum & triginta captiuis abductis. Iosephus libro eodem, capite 11.

Interea Samaritarum multitudo numerosa in Garizin montem confugerat. quorum motus & conspirationem Vespasianus metuens, Cerealem tribunum cum exercitu ad eos misit. Cui quum, ad fœdus, atque ut arma abijcerent hortanti, parêre noluissent, occisi omnes sunt, septimo & uigesimo Iunij mensis die. Erant autem undecim millia & sexcenti. Iosephus lib. eodem, capite 13.

DE IOTAPATAE EXCIDIO, & Iudæorum clade.

Iotapata urbs munitissima, quam multis diebus & difficili ac duro labore Vespasianus obsederat, tandem capta & excisa est, Calendis Iulij: numeratáque in ea mortuorum sunt millia quadringenta, captiuis abductis mille ducentis. In eo excidio Iosephus, qui hæc etiam de Iudæis scripsit, comprehensus, & ad Vespasianum ductus est. Cui quum prædixisset, cum & filium Titum Imperatores post Neronem, & dominos terræ maris que, ac totius hominum generis fore, uiuus seruatus est. Iosephus libro eodem, capite decimotertio.

DE IVDAEORVM CLADE apud Ioppen.

Vastatam antea per Cestium Ioppen, qui uel per seditionem à Romanis defecerant, uel ex urbibus euersis fuga elapsi fuerant, occuparant. Quo comperto, Vespasianus equites eò simul & pedites misit: qui ciuitate non custodita, facilè potiti sunt. Sed incolæ eius quum irruptionem præsensissent, naues ad fugam paratas petiuerunt, tutos se in mari ab hostibus fore arbitrati. Quod ipsum uerò, duplicato ipsis fuit exitio. Siquidem quum ea, in quam nauibus confugerant, parte mare scrupulosum esset, coorta uentorum uiolentia, naues inter se aliæ, aliæ ad scopulos collisæ sunt. Auditi uerò ab hostibus fugam spectantibus multi ululatus manibus collisis, quòd pars scilicet fluctibus obruerentur, pars naufragijs implicati morerentur, nonnulli & gladijs sese transfigerent: adeò ut sanguine pelagus redundaret, omnis que ora maritima cadaueribus oppleretur: cum etiam ad littus appulsos, stantes in eo Romani interficerent. Ex infelici igitur ea fuga, mortuorum corpora iecta sunt quater mille & ducenta. Ipsa autem ciuitas funditùs diruta est. Exusti uerò uici & oppida in confinio Ioppes posita. Libro eodem, capite 15.

DE DEDITIONE TIBERIAdis, & obsidione ac excidio Tarichearum.

Decreuerat iam apud se, multiplicem Iudæorum contumaciam quotidie magis magis que experiens Vespasianus, totam eam gentem, ubicunque eius adhuc reliquiæ essent, in uniuersum excindere. In regnum igitur Agrippæ, cupiditate eius uidendi per ocium profectus Tiberiada, ad quam cum exercitu Valerianum miserat, post difficilem quamuis oppugnationem, in deditionẽ tamẽ accepit. Inde Taricheas ciuitatẽ ad lacũ Genesarũ sitam, & muro ualidiss. à Iosepho cinctã, obsedit. eamq; initis aliquot prælijs, atq; aut perem ptis aut in fugam uersis resistentibus, tandẽ superauit, magnamq;

magnamq; in ciuitate turbam interfecit: plurimis qui in scaphas ad fugã instructas se recepissent, & postea pugna sese opposuissent, miserabilem in modum trucidatis: adeò ut & sanguine mixtus, plenusq; cadaueribus lacus flueret. Cum illis enim qui in ciuitate pridẽ perierant, sex millia erant, & quingenti: præter aduenas, quos ex ciuitate sub salutis specie dimissos in itinere occidi curauit, quorum mille & ducenti erant: præter 6 millia robore præstantiũ iuuenũ, quos ad Isthmõ Neroni in Achaiam ad fossuras exercendas transmisit: & promiscuam multitudinem, quam uendidit: plures etiam quos Agrippæ dono misit. quorũ omnium numerus ad triginta millia & quadringentos excurrebat. libro eodem, capite 18 & 19.

DE OBSIDIONE GAmalensium.

CONtra Taricheas sita supra lacum ciuitas Gamala, & loci natura inexpugnabilis, & firmißimis muris à Iosepho cincta, Romanis rebellare cœperat die uigesimoprimo mensis Septembris. Eam igitur adorti Romani, frustra quidem, nec sine ingenti suorum clade primùm, oppugnarunt. Postea tamen, die scilicet uigesimosecundo Octobris, bello repetitam, die uigesimotertio eiusdem mensis expugnarunt; cæsis in ea hominibus quatuor mille: exceptis quinq; millibus eorum qui seipsos præcipites ad mortem dederant. Iosephus lib. 4. cap. 3. Egesippus lib. 4. cap. 3.

Ac subacta à Romanis iam tota fuerat Galilæa, præter oppidum quod adhuc restabat Giscala nomine, in quo ad rebellionem incolas animauerat Leuitæ cuiusdam filius Ioannes, homo perditißimus. qui fallaces cũ Tito induciας per sabbatum pactus, noctu clàm fugit, & in Hierosolymam se recepit. Quæres expugnationi Hierosolymæ, Deo sic exitium toti genti Iudaicæ irrogante, postea præbuit. Ioanne igitur per fugam elapso, multitudo pacis alioqui cupida, Tito urbem ultrò dedidit: nec in aliquos sæuitum ibi à Romanis est, præterquam in duo propemodum millia, qui cum Iohanne aufugerant. illi enim in itinere, quum Hierosolymam, quam iam ingressus Ioannes erat, nondum cõtigissent, cæsi sunt: reliqua turba mulierum ac puerorum Giscalam reducta est. lib. 4. cap. 4.

DE CAVSIS EXCIDII SAcerdotij & regni & gentis Iudaicæ.

DE lamentabili Hierosolymorum & totius gentis excidio, eiusq; causis, concionatus est Christus Lucæ 19 in hunc modum: Et ut appropinquauit, uidens ciuitatem, fleuit super illa dicens: Si cognouisses & tu, & quidem in isto die, quæ ad pacem tuam pertinent, curares. Nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis. Quia uenient dies in te, & circumdabunt te inimici tui uallo, & cingent te, & coangustabunt te undiq;, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Neglectum igitur tempus uisitationis, fuit causa tantarum calamitatum.

Persequutionem etiam Christi & Ecclesiæ & Euangelij his malis causam præbuisse, Paulus monet 1 Thessalonic. 2: Vos enim imitatores estis, fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, in Christo Iesu: quòd eadem passi sitis & uos à proprijs contribulibus, quemadmodum & ipsi nos à Iudæis: qui ut & Dominum occiderunt Iesum, & proprios prophetas, ita & nos persequuti sunt: & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur: qui obsistunt nobis, ne loquamur gentibus, quo salui fiant, ut expleant sua peccata semper. Peruenit autem in illos ira in finem.

Tertia causa est, quòd Deus per illud totius gentis Iudaicæ excidium, uoluit publicum statuere testimonium de exhibito Meschia, & abrogatis ceremonijs Mosaicis.

Quarta est, ut Deus statueret exemplum suæ iræ, aduersus omnes illos qui doctrinam Euangelij repudiaturi, abiecturi & persequuturi essent. Loquitur de hac causa Paulus Rom. 11. Dices igitur: Defracti sunt rami, ut ego insererer? Bene dicis: per incredulitatem defracti sunt, tu uerò fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat ut nec tibi parcat. Vide igitur bonitatem ac seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te uerò bonitatem, si permanseris, in bonitate, alioqui & tu excidêris: & illi rursum, si nõ permanserint in incredulitate, inserentur.

INITIVM EXTREMAE CALAMItatis Iudæorum, & excidij Hierosolymorum.

RECeptus igitur in Hierosolymam, hic quem dixi mus Ioannes, negabat sibi fugam in causa aductus sui fuisse: sed consiliũ, quo imprudentiam scilicet deceret, pro exiguis oppidulis, quale Giscala esset, periculi sustinere: sed arma oportere suscipere pro metropoli. Singulos deinde circũiens, ad belliũ incitabat multitudinem, uires & ciuitatem eorum munitißimam uerbis amplificans: atq; illud insolens frequenter dictitãs, per nas eos oportere sumere, si mœnia Hierosolymorũ superare contenderent. Sed interea prudentiorum atque seniorum nemo erat, qui exitium horrendum & fatum extremum ciuitatis miseræ non prospiceret. Irruperãt iam in urbem latrones, qui se Zelotas nominabant, maximo numero: & in optimorũ ac nobilium quorumq; non bona solum, sed & capita & salutem inuadebant, leges omnes & iura in latrocinia mutabant, pro libidine quæcunq; uoluissent faciebant: Pontifices non exlege usitata generis & successionis, sed sorte creabãt, & templum ipsum pollutis pedibus occupabant. Contra eos igitur Ananus, pontificum maximus & sapientißimus, populum in concionem conuocatũ exhortabatur & concitabat. Sed euertebat eius consiliũ Ioannes, profugus ille, accedendo ad populum et Ananum, ac se cum ipsis sentire mentiendo: postea uerò secreta omnia populi Zelotis renunciando, atque hoc affingendo, quasi Anani multitudo Romanos accerseret, quibus ciuitatem prodere Ananus iam constituisset. Iosephus libro eodem, cap. 5.

DE IVDAEORVM STRAGE per Idumæos.

HIs excitati de Anano falsis rumoribus Zelotæ, de aduocandis Idumæis, natione turbarum cupida, ad motus facili, & ad bellum semper promptißima, consilium ineũt: missisq; ad eos legatis, in ciuitatem illicò

illico adducunt: quæ res tota Ananum & multitudinem suam fugerat. Cùm ad ciuitatem igitur accessissent ad uiginti propemodum millia, prohibiti quidem aliquantisper ab Anano sunt, ne urbem ingrederẽtur. Tandem uerò per uiolentiã portis reseratis, intromissi sunt in maximam & miserabilem populi perniciem, quòd cæde eius Idumæi satiari non potuerunt. octo enim millia & quingentos uno & eodem die interfecerunt: occisis simul Anano, & Iesu post Ananum pontificum maximo: quos defensores Deus, gentem flagitiosissimam perdere uolens, singulari consilio sub initio statim calamitatum uidetur è rebus humanis sustulisse. Iosephus libro 4. cap. 6 & 7.

DE COMMVNI PLEBIS IVdaicæ strage per Idumæos & Zelotas.

SVblatis è medio Anano & Iesu, qui superstites fuerori Zelotarum nõnihil restiterant, communi sæuitia tam Idumæi quàm Zelotæ in plebem grassabantur: & alios quidem nobiliores uinculis tradebant, alios post durissima uerbera atque tormenta gladio peremebant. Vulgus uerò reliquum, uelut animalium greges, ubicunque in illud incidissent, cædebant: tanta omnium animis incussa formidine & terrore, ut ne flere quidem palàm quisquam, aut funus proprium curare auderet. Breui igitur spacio duodecim millia in urbe, sub hac immani tyrannide deleta sunt. Zachariam filium Baruch, quòd diues & improbis inimicus esset, in medio templi crudelissimè interficiebant: falsum ei crimen intentantes, quasi res Iudæorum Romanis prodere t. Quod factũ Idumæos ipsos adeò offendit, ut uenisse eos iam pœniteret, ac paulo pòst domum ex Hierosolymis sint regressi. Erat inter alios nobilitate & uirtute cõspicuus, in quos maximè sæuiebant, Peraita quidam Niger, quem pertractum extra ciuitatem trucidabant: sepulturam ei etiam, pro qua supplicasset, negantes. Is igitur cum occideretur, Romanos eis ultores, famem prætereà ac pestilentiam, & ad ea omnia mutuas ipsorum inter sese manus imprecatus est. Quæ singulatemporis processu, iudicium Dei tandem confirmarunt. Iosephus lib. 5. cap. 1.

DE CRVDELITATE ZELOtarum, & causis exitium properantibus.

INflammata intestina discordia, insidijs, mutuisq; inter sese ipsos furoribus, uniuersa ciuitate, mortui per omnes uias coaceruabantur innumeri: quos sepelire non licebat. capitale enim habebatur, cum misericordiam in quacunq; calamitate præstare iam impune nemini esset, & in mortuos æquè ac defunctos sæuiretur. Omne quidem ab illis ius hominum calcabatur: ridebatur etiam diuinitas, prophetarumq; responsis tanquam uulgaribus fabulis illudebant. Maiorum de uirtute ac utilis statuta quæcunq; conspuebant. Quin & de patria quæ prædicta olim fuerãt, uera esse, ipsi comprobauere. Vetus enim quidam sermo ferebatur, tunc demum ciuitatem captum iri, sancta quoque flammis exurenda esse lege belli, cum seditio fuisset exorta, famq; Dei propriæ manus antè uiolassent. Quibus omnibus Zelotæ ministros se atq; executores præbuerũt. Libro eodem, cap. 2.

DE TYRANNIDE IOANnis, & uastatione Engaddorum.

IOannes autem, qui iamdudum immensam dominandi circumferebat mente libidinem, seditione à Zelotis discedit, & tyrannidem sibi sumit: adeò ut trium ingentium malorum tempestate, belli nimirum, tyrannidis & seditionis, ciuitas iam laboraret. Eo ipso tempore sicarij, ex quibus quarta erat exitialis calamitas, cum Romanorum exercitum ociosum esse, Iudæos uerò Hierosolymis in seditionem & dominationem diuisos animaduertissent, ex Massada castello noctu effusi, municipium Engaddi inuasere, ex eoq; Iudæos in fugam pepulere. Turbam uerò mulierum et puerorum tardius per ætatem & infirmitatem fugientem, supra septingentos interemerunt. postea in omnem dilapsi uiciniam, agros, uicos, urbes circa Massadam positas omnes uastarunt. Libro eodem, capite 3. Egesippus libro 4. capite 13.

DE GADARENSIVM DEDItione, & prælio sicariorũ cum Placido commisso ad uicum Bethenabrin, & ciuitatem Hierichunta.

ERant apud Gadara, quæ transamnianæ regionis metropolis fuit ualidissima, multi locupletes, qui in tanta latrocinantium ubique insolentia, uitæ & facultatibus suis metuentes, legationẽ de deditione ad Vespasianum miserunt: qui ad quartũ mensis Martij diem ciuitatem eam ingressus est, cum sicarij qui in ea fuissent, sumpto de authore legationis supplicio, per fugam inde dilapsi essent. Quos Placidum præfectũ cum quingentis equitibus, tribusq; peditum millibus insectari iussit. At illi conspectis equitibus, qui à tergo consequebantur, in uicum quendam Bethenabrin se recepe-runt: ubi aliquandiu infeliciter cum Placido congressi, cum plurimis cæsis uicum Placidus cæpisset, atque incendisset, inde in Hierichunta alij secesserunt: reliqua fugientium ingenti multitudine propulsa, & ad Iordanem fluuium coacta. quem cum niuibus resolutis atque imbribus auctum transire non possent, prælium iteratum inire coacti sunt. Cæsi ibi tum sunt à Romanis tredecies mille: plurimis exceptis, qui in angusta ripa consistere non ualentes, in fluuium protrusi sunt: alijs item infinito numero, qui in illud sponte desilierunt. Qua miseranda & horribili clade Iordanis ipse & Asphaltitis lacus cadauerib. impleti sunt. Capta præterea tum sunt circiter duo millia uirorum, ac ducenti, cum præda maxima armentorum. Testis Egesippus est, numerum omnium illa die à quingentis Romanorum militibus & tribus millibus pedestris exercitus cæsorum, æstimatum fuisse nonaginta duorum millium, & ducentorum. Placidus igitur secunda fortuna usus tum, uicos proximos & municipia, inter quæ Abilam, Iuliadem, Besemoth, omnia deuicit ac cæpit, usque ad Macherunta. Vespasianus ipse toparchias duas Thamnam & Bethlepten, cum regione uiciña et finitima Idumææ incendijs uastauit & euertit. In duobus etiam Idu-

mæa mediæ ulcis, plus quàm decem millia hominũ peremit, cæsis plurimis etiam in Hierichunte, quos cæteris fuga dilapsis ibi offendissent. Egesippus libro quarto, capite decimoquinto, et decimosexto. Iosephus ibidem, & capite quarto.

DE GERASAE DEVAstatione.

INterea autem, dum facilioris expugnationis consilio Hierosolyma undiq; castellis erectis, atque præsidijs collocatis, cõcludere Vespasianus parat, Gerasam L. Annium exercitus parte instructum mittit. Is primo aggressu ciuitate capta, mille iuuenum interfecit, familias totas captiuas abduxit, & militibus bona prædari permisit. Incensis deinde domibus, proxima loca petijt, omnia circa Hierosolymã tam loca montana quàm plana bello urgens. Cum iam qui Hierosolymis agebãt, nullam exeundi potestatẽ, partim Zelotis intra urbem, partim extrà Romanorum exercitibus prohibentibus, haberent, etiam Vespasianus ipse cum copijs uniuersis Hierosolymam proficisci moliebatur. Sed nunciata Neronis cæde, propositum mutauit. Deinde etiam sub successoribus Galba & Othone, quod breue uterque haberet imperium, & ipse & filius Titus bellum contra Iudæos suspenderunt. Iosephus libro eodem, cap. 6.

DE NOVO LATROCINIO Simonis, eiusq; gestis contra Zelotas: ac de corruptissimis eorundem moribus.

NOuum interea latrocinitũ instituit Simon quidam Gaderensis, Ioanne quidem interiori tyranno inferior, sed robore & audacia superior. Is inter latrones Massadæ primùm uersatus, dominandi deinde cupidus, nequissimos quos undecunq; habere posset, sibi adiunxit, & uicos montanos circa Hierosolymã populari cœpit. Inde in celebriores locos eruptione facta, in Idumæam usque latrocinando progressus, uniuersam eam peruasit, atque ex ea fugere plerosque Hierosolymam compulit. quò ipse etiam secutus, muros obsedit, interficiens quemcunq; ex agris in eam redeuntem deprehendisset.

Erat hoc modo Simon populo Hierosolymis incluso, terribilis factus ipsis Romanis: intus uerò Zelotæ utrisque sæuiores. Ioannes uerò iampridem à populo ad tyrannidem in Zelotarum gratiã euectus, quæcunq; utriq; parti iniusta, turpia, uiolenta facere collibuisset, indulgebat. Hinc insatiabilis rapinarum pariter omnibus erat cupiditas, domorumq; locupletũ perscrutatio. Cædes autem uirorum et iniuriæ fœminarum pro ludo habebantur: prædamq; cum sanguine deuorantes sine aliquo metu, post satietatem muliebri libidine calescebant, comptiq; crines ac fœminarum ueste induti, lotiq; unguentis, & ut forma placeret oculos illiti, non solùm ornatum, sed impudentiam quoque mulierum imitabantur: & obscœnitate nimia nefarios coitus exigentes, ut in lupanari uersabantur, ciuitatemq; totam impuris facinoribus profanabant. Effœminantes autem uultum, dextras ad cædem promptas habebant: delicatoq; incessu eneruati, subita incursione bellatores fiebant: & de paludamentis uersicoloribus eductis gladijs casu obuios transuerberabant. Eos autẽ qui Ioannẽ fugissent, excipiebat sæuior in ciuibus Simon: quiq; interfectum euasisset tyrannum, ab eo qui propè erat occidebatur. Omnis autem fugæ uia, transire cupientibus ad Romanos, abscissa erat.

Erant inter Ioannis copias Idumæi, qui inuidia dominationis, & odio crudelitatis eius ab eo secedebant: cumq; Zelotis pugna congressi, eorum multos occidebant, cæteris in aulam regiam, inde uerò in templum compulsis: quò & ipsi simul irruerunt, ac Ioannis opes ibi repositas populabantur. Inter hæc dispersi per ciuitatem Zelotæ, cæteris qui in templum fugerãt, sese adiunxere, et de communis consilij sententia Simonem in urbem intromisere, et imperium ei tradidere. Is uerò dominum se illis fore superbè pollicitus, mox hostem sese exhibuit uniuersis, et à quibus uocatus erat, et illis contra quos dominiũ eius postulatum fuerat. At templum quidem, ex quo nemo iam qui intus cum Ioanne erant fugere potuit, hostibus qui extra illud essent, exitũ prohibentibus, populo adiuuante aggreditur. Iosephus libro 7, cap. 7 & 9.

DE TRIPLICI SEDITIONE apud Hierosolymam.

NEc satis fuit, ciuitatem duorum tyrannorum furoribus horribiliter exerceri: uerùm & tertia factio subitò prorupit. Eleazarus enim Simonis filius, qui primùm in templum Zelotas à populo separauerat, propriæ potentiæ cupiditate à Ioanne defecit: et adscitis pluribus qui ex Zelotis optimi essent, in interiorem templi aditum secessit. Sic obtinens superiorẽ templi partem Ioannes, hostes habebat à uertice, Eleazari exercitum: extra uerò templum incursus experiebatur Simonis Gioræ, quem à populo introductum in ciuitatem diximus. is superiorem ipsius ciuitatis partem, plurimamq; inferioris occupauerat. Hinc continuæ triplicis factionis pugnæ & conflictus, totumq; polluebatur cædibus templum, adeò ut stagni in morem diffusus diuersorum sanguis cadauerum flueret, cum & ad ipsas aras sacerdotes sacra celebrantes mactarentur: deinde ueluti consultò pro Romanis omnia corrumperẽt, quæ ad obsidionem sustinendam necessaria parata erant, insectantes sese mutuò Simon & Ioannes, ædes frumentorum plenas, quasi in hoc solo cõsentientes, incendebant: eaq; re famem, quæ paulo pòst secuta est, sibimet comparabant. Quis autem explicet populi totius undique oppugnati ab insidiatoribus miserabilem lacerationem, luctum, ululatum, querelas? cum nec interdiu nec per noctem à cædibus cessaretur, neque ad Romanos fugere cupientes possent. Quicunq; enim id tentassent, ut hostes interficiebantur: neque mortuis curam sepulturæ adhibere licuit, sed in tumulum congesta cadauera conculcabantur. Iosephus libro 6, cap. 1. Egesippus libro 5, capite 1.

DE PRODIGIIS EXCIDIVM Hierosolymæ præcedentibus, & præsagijs.

ATque hoc demum erat tempus admouendi uires et arma populis, quibus extrema deletio imperabat. Quod & expectandũ Vespasianus Romanis responderat,

sponderat, cum inter ipsa intestinæ discordiæ, quam Zelotæ concitarant, initia bellum Iudæis inferendum esse illi censuissent. Si enim statim, inquit, ciuitatem armis nostris inuademus, causa hostibus erimus concordiæ, ac uires earum adhuc integras & recentes in nos prouocabimus. Sin operiemur, paucioribus & moderatioribus bis utemur, domestica seditione consumptis. Deus namque melius quàm nos disponit, qui sine labore Iudæos nobis tradet. Iosephus libro 5. cap. 2. Priusquam autem luctuosissimi excidij ac deletionis non urbis solum Hierosolymorum, uerùm etiam totius eius gentis, historia recenseatur: prodigia, quæ tristissimum eum urbis populiq; Iudaici casum & interitum (præter ea quæ prophetæ diu antè ac Christus ipse prædixerat) antecessere, breuiter commemorabimus eo ordine quo Iosephus lib. 7. cap. 44, et in Anacephalæosi, retulerunt.

Primùm, per annum integrum ante aduentum Vespasiani conspectus est cometa, gladij figuram, quæ cognosci posset, exactè referens, directo positu supra ciuitatem. Quod cum uulgus libertatis recipiendæ indicium interpretaretur: à prudentioribus tamen significatum est, bellum eiusmodi sidus solere denunciare. Deinde, ante defectionem, primiq; belli motus, die festo azymorum, qui octauus tum fuit dies mensis Aprilis, hora nonis nona, circum aram, itemq; templum, tantum lumen subitò ad dimidium horæ effulsit, ut dies clarus putaretur. (Versio ex Hebræo Kyberi habet, totam per noctem templum sic illuminatum fuisse.) Tertiò: Eodem festo die, etiam bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Quartò: Orientalis porta interioris templi, cum esset ænea atque grauissima & sub uesperam uix à uiginti uiris clauderetur, serisq; ferro uinctis obseraretur, pessulosq; altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, uisa est nocte hora sexta, idq; per aliquot noctes, ut Egesippus testatur, sponte patescere. Quibus curriculo per custodes templi magistratui nunciatis, ascendit ille, uixq; eam potuit claudere. Verùm & hoc iterum ignaris signum optimum uidebatur, futurorum bonorum, ad quæ ingressuris porta aperiretur. Consultiores autem, templi firmitatem sponte sua dissolutum iri aiebant, ut quæcunque intus essent, ab hostibus diriperentur, atq; in uastitatem & solitudinem desineret, quicquid intus spectabilium cultuum & celebritatis agitatum fuisset. (Kyberi ex Hebræo uersio addit, supra templi Sanctum sanctorum tota nocte conspectam faciem hominis admodum terribilem.) Quintò: Post dies festos, elapsis paucis diebus, ante solis occasum, uisio apparuit in nubibus curruum et armatorum exercituum, quibus totius Iudææ regionisq; eius urbes incursarentur. Sextò: Festo autem die quem Pentecosten uocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primùm quidē motū, quendamq; strepitum senserunt: postea uerò subitam audiere uocem, quæ diceret, Migremus hinc. Septimò: Quodq; his horribilius fuit, Iesus quidā, filius Anani, plebeius & rusticus, quadriennio prius quàm bellum gereretur, in summa ciuitatis pace atque opulentia, cum ad festum diem uenisset, cum Scenopegia sacrificijs solennibus celebrarentur, templum ascendens, repentè exclamare cœpit: Vox ab oriente, uox ab occidente, uox à quatuor uentis: uox in Hierosolymam & templum: uox in maritos nouos, nouasq; nuptas: uox in omnem hunc populum. Atque hæc interdiu noctuq; clamitans, omnes ciuitatis uicos circuibat. Nonnulli autem ex præcipuis omen triste et aduersum perhorrescentes, hominem correptum uerberibus affecerunt. Is autem inter supplicia, nihil aliud quàm eadem uerba locutus est. Magistratus autem rati (quod et uerum erat) non temerè fieri hoc, sed quiddam esse diuinum, ad præfectum Romanorum Albinum duxerunt eum: à quo plagis ad ossa usque laceratus, neq; supplex cuiquam fuit, neque lachrymauit, sed ut poterat inclinans maximè flebiliter uocem, ad singulos ictus respondebat: Væ uæ Hierosolymis. Albino autem interroganti, quis esset, uel unde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit. Non prius autem cessauit à luctu miseræ ciuitatis, donec eum Albinus furere iudicatum dimisit. Ille autem ad belli usque tempus neque adire quenquam, neque loqui uisus est: sed quotidie uelut orationem quandam meditatus, Veh ueh Hierosolymis querebatur. Sed nec imprecatus est cuiquam, cum in dies singulos mulctaretur: nec uictum offerentibus benedicebat. Sola uerò eius responsio ad omnes, triste erat præsagiū. Maximè aūt diebus festis uociferabatur: idq; per annos septem, & menses quinq; continuos faciens, neque uoce raucior fuit, neque delassatus est, donec obsidionis tempore ipsa re perspectis augurijs, ipse quieuit. Supra murum enim circumiens, iterum, Væ uæ ciuitati ac templo ac populo, uoce maxima clamitabat. Cum autem ad extremum addidisset, Væ etiam mihi: lapis tormento missus eum statim peremit, animamq; adhuc illa omnia lugentem efflauit. Octauò: Vrbem cum templo, uetustis literis scriptum erat in sacris libris, tunc perituram, cum tetragonum templum factum fuisset. Itaq; siue obliti, siue obstupefacti ingruentium malorum necessitate, ubi occupata est Antonia, tetragonum in circuitu templi fecerunt. Postremò: satis & illud præsagij fuit, quòd in sacris libris scriptum itidem inuenerūt, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Sed quo responso sibi non solum libertatem, sed etiam regnum pollicebantur: cum non deessent, qui ad Vespasianum referendum oraculum putarent: prudentiores etiam, quemadmodum Egesippus indicat, ad Christum accommodarent, qui secundum carnem ex tribu Iudaica natus, regnum iam suum per Euangelium in uniuersum mundum diffuderat. (Kyberi uersio: Cum fuerit ædificium quadratum, tunc regnabit Rex super Israel, & regnabit Rex & dominator ille, super omnem terram Israel. Quidam ergo interpretabantur hanc scripturam de rege Israel: sacerdotes autem dicebant, eum esse regem Romanorum.)

DE OBSIDIONE HIEROSOlymorum per Titum.

SOrtitus Romanum principatum post Othonem Vespasianus, à bello quidem cōtra Iudæos recessit: & ad alias res Imperij necessarias, eas præsertim quas in Aegypto componendas habuit, animum suum conuertit: filium autem Titum cum selectis copijs ad expugnandam Hierosolymam misit. Is igitur Alexādria iter ingressus, cum collecti exercitus parte maturè peruenit

Cæsaream: ubi ad legiones hinc inde dispositas scripsit, ut ad Hierosolymam sibi occurrerent. Deinde à Cæsarea in hostilem terram progressus, castra ad uallem Saulis, distantè à Hierosolymis stadijs ferè triginta, posuit. Ex eo loco sexcentis propè lectis equitibus, ad urbem propius accessit, explorandi studio & ciuitatis munitionem, & Iudæorũ animos: si fortè se conspecto, priusquam ad manus ueniretur, metu cessuri essent. Audierat enim, quod & uerum erat, à seditiosis et latronibus oppressum intus populum, pacem quidem desiderare: sed quòd illis infirmior esset, nihil conari. Tantum uerò abest, ut animaduersa exploratione à cõtumacia Iudæi recederent, ut etiam eo conspecto, infinito numero subitò ex urbe prosilierint, ac circumuentum Titum cum suis in magnum periculum coegerint: à quo, miraculoso planè modo seruatus est. Quod & ipsum signi satis fuit futuræ calamitatis. Tot enim aduersus Titum missilibus iactis, cum neque galea neque thorace septus esset (non bellator enim, sed explorator processerat) nullum in eius corpus delatum est: sed tanquam ne eum ferirent ex industria mitterentur, omnia præteruolarunt, ipse uerò cum suis saluus in castra euasit. Postea cum legiones accepisset, propius ad ciuitatem accessit, in locum qui Scopos dicebatur, unde iam ciuitas & clara templi magnitudo cõspici poterat: ubi triplici agmine ciuitatem cinxit. uno, quod ab ea stadijs septem: altero, quod decem: tertio, quod sex abesset, ad montem Elæona, contra ciuitatem ab oriente situm. Iosephus libro quinto, capite decimoquarto: & libro sexto, capite secundo & tertio.

DE INITA CONCORDIA, IVDAEOrum eruptione contra Romanos, & seditione iterata.

SPectantes ex urbe circum se dispositа castra Romanorum, & agmina, quorum unumquodq; ualidis se iam & muris muniebat, Iudæi à dissensionib. paulisper quieuere: & coniunctis uiribus atque armis extra urbem proruperunt, in eos qui circum castra muros ducebant, quorum tum operas interruperunt, tum perturbationem & formidinem coniunctam cum periculo non paruam exercitui toti attulerunt: qui tamen Titi industria liberatus est. Iudæi uerò in urbem repulsi, ubi iterum intestinum quoddam bellum seditio suscitauit ea occasione, quòd instante Azymorum die, Eleazarus portas templi, ad introitum populi rem diuinam facturi, subaperuit: commoditate diei festi, ad insidias & nouum latrocinij genus usus est, hoc modo. Subornauit ex suis quosdam nebulones, qui reuerentiæ festiuitatis prætextu, habitu ciuili in templum ingressi, gladios atque arma sub ueste clam gestarunt: quibus mox nudatis, uestimentisque abiectis, cædendo in amicos pariter atque inimicos sæuierunt, nullam nec festiuitatis, nec innocentiæ, nec silentij, nec patientiæ alicuius rationem habentes. In quo et Eleazari factio cum Ioanne se coniunxit. Atque ita euenit, ut seditio quæ tripartita antè fuerat, in duplam deferit. Ioannes enim interiori hoc dolo, templo omniq; eius apparatu occupato, & cum Zelotis coniunctus, Simonem deinde confidentius oppugnauit. Libro eodem, cap. 4. Egesip. libro eodem, cap. 5.

DE IVDAEORVM DOLO IN ROmanos, & propiori Titi ad urbem accessu.

RVrsus uerò in Romanos incitati Iudæi, audacissimos seditiosorum per portas emittunt, quasi pacem & fœdus à Romanis petituros: subornatis etiam nonnullis in muros, qui inde pacem se petere uociferarentur. Quod etsi compositam fraudem esse Titus ilico sensit, atq; ideo in statione sua quemlibet manere iussit, cum pridie pactione illis per Iosephum allata, nihil eos moderati sentire cognouisset: pars tamen exercitus seu crudelitate seu petulantia Iudæorũ mota, ad muros usque ab aggerum ædificatione excurrere non abstinuit, sed temeritatis mox inconsultæ pœnas dedit egregias. Astutè enim Iudæi ad muros propius inuitatos, pluri mos necarunt: cæteris saucijs in fugam ad castra usque profligatis. Titus igitur indignatus, præcipitia omnia atque prærupta, saxa etiam & syluas, à castris suis ad urbem usq; complanare iussit, ut excursionibus Iudæorum præuenti milites, uidere possent quò recederent. Postea castra urbi propius admouit, ut ab ea uix duorũ stadiorũ spacio distarent. Ioseph. lib. eodem, cap. 4. et 5.

DE INTERNO ET EXTERNO bello Iudæorum, ac Titi oppugnatione.

ACne sic quidem, castris Romanorum prope murum positis, intra ciuitatem seditio quiescebat: sed confirmata maximis copijs utraque factio, Ioannes cum Zelotis, qui depositis discordijs illi accesserant, & Simon, continuis inter se prælijs confligebant, cum maxima populi, qui utriusque factionis præda erat, pernicie. Nec prius inter eos conuenit, quàm cum Titus suburbana milites suos uastare & diripere iussisset, & aggerem urbem propius ab omni exercitu cõstrui. Ibi degerum urbis Titus pararet, excursibus, armis, cæde, incendijs, alijsq; impedimẽtis, non sine magno Romanorum detrimento, infestarunt. Sed in fugam tandem uersi, & in ciuitatem compulsi sunt. In qua pugna, iuuũ captum Iudæum Titus crucifigi pro muro iussit, non in gentis ignominiã, sed quòd reliquos eiusmodi spectaculo terreret, in pacis fœdus cessuros confideret. Lib. eodẽ, cap. 7.

DE SVPERATIS MVRIS A' TIto, & crudeli obsessorum fame, profugorumq; supplicijs.

ADmotis postea ad muros machinis, in ea ciuitatis parte quæ septentrionem uersus porrigebatur, & potitus illis Titus est, & totam eam septentrionalem urbis partem obtinuit, muris destructis: in meridionali uerò parte per turres præsidia collocauit, et aggeres ex quib. templũ oppugnaret inchoauit. Et quanquam iam de uictoria nihil dubitaret, tamen Iosephum muros circumire iussit, et patrio Iudæos sermone ad pacem et deditionem exhortari. Quod cum diligentissimè ille præstitisset, usus ad id cõpositissima ad consulendũ, monendũ & persuadendũ oratione, lachrymis etiam, nihil minus quàm obsequium eorum obtinuit: nisi quòd ad profugiendum populus commotus est. ex quo aliqui possessionibus & rebus carissimis suis uenditis, ad Romanos elapsi sunt, sustentantes se foris, & uictum sibi parantes

parantes ex aureis, quos deglutierant. Sed exitum per portas Ioannes & Simon mox prohibuerũt. Ex qua re fames horribilis, quæ in singulos dies magis magisq; augebatur, cõsecuta est: inde uerò latrociniũ nouum, & direptio. Nam cum in publico usu nulla amplius frumẽta, nec panes essent, milites in alienas domos scrutaturi irruebant. Et si quidẽ inuenissent aliquid, eos qui negauerant, uerberabãt: si uerò nihil inuenissent, quasi diligentius celauissent, tormentis afficiebãt. Habendi autem argumenta erant, corpora miserorũ: cum ea quæ solidis uiribus starent, abundare cibo putarẽtur. tabidi autem transfigebantur: nec enim rationis esse uidebatur, paulo pòst fame morituros occidere. Sicubi purgamẽta olerum, uel casu lapsa, uel quasi arida proiecta aspexerãt, semineces ad terrã prostrati infirmitate, ore lambebãt. Aut sicubi internata parietib. uisa fuerat herba, rapientes succo infœlici miserã solabantur famem. Pleriq; aliorum uomitus esca erat. Multi uerò clam uniuersa bona sua uno frumenti modio qui ditiores essent, itemq; pauperes hordei permutarũt. Incluſi deinde intimis ædium tectis, quidã summa penuria infectũ triticũ comedebant. Et mensa quidẽ nusquã apponebatur, sed incoctum subtrahẽtes igni cibum diripiebãt. Deniq; uxores uiris, & filij parentib. & quod miserabile omniũ maximè spectaculũ erat, matres cibum infantib. ex ipso ore rapiebãt: & marcessentibus inter manus charissimis nemo parcebat, quin uitæ guttas auferret. Edẽtes uerò talia non latebant, sed ubiq; aderant qui diriperent. Nam sicubi clausam domũ uidissent, eos qui intus erant, cibũ capere hoc suspicabãtur indicio: statimq; ruptis foribus irruẽtes, uictum iam contusum dentib. ex gutture penè reuocabãt, ipsos faucib. strangulãtes. Pulsabantur aũt senes, ne cibũ defenderent: lacerabãtur mulieres, ea quæ haberent in manibus occulẽtes: nullaq; miseratio uel cani erat capitis, uel infantiæ, sed abstractos pueros et ex buccella pendentes humo illidebant. Si qua materno affectu mulier percita, miserans uagitus infantiæ, succum ciborũ ore proprio uellet infundere, pij operis pœnas luebat: suspensoq; ad ceruicẽ, uel hærente ad mamillas pignore, simul transfigebatur. Si qui autem incurrẽtes anteuertisset, quodq; rapturi fuerãt deuorasset, tanquã læsi cruẽtiores erant. Acerbissimos autem cruciatus excogitabant, dummodò alimenta reperirẽt, nunc excruciantes genitaliũ uias, nunc uirgis acutis podices transfigendo: horrẽdaq; etiam auditu quis patiebatur, in unius panis confessionẽ, & ut unum pugnum farinæ abditum indicaret. Pleriq; etiam beneficium putantes mori, egrediebantur urbem, ut herbas uellerẽt, uel radices depascerent, aut cortices arborũ detraherent, si quid in his uiriditas ad cibi solamina subministraret, quos inuenientes Romani necabant. At qui hostem euaserat, in ipso portæ ruebat limine, fame tabidus, & ore inualidus, quem iam & ipsa mandẽdi officia destituissent. Regressos quoque excipiebat feralior manus, quæ de gremijs miserorum summo quæsita periculo per acerbissimum extorqueret nefasm. ultũ uerò supplicantibus, & horribile Dei nomen implorãtibus, ut aliquam partem sibi concederent eorum quæ cum periculo sibi collegissent, nihil penitus dabatur. Moriebantur itaq; maiore suorum, quàm hostium, impressione & nece. Ea etiam quæ hostis indulserat, ciuis eripiebat, nec rapuisse tamen istiusmodi cibum proderat: quippe nõ multo pòst uirenti corpore turgescentibus inedijs, intimorum dolore uiscerum quatiebantur, aut aluo soluti deficiebant exhaustis uiribus, ut uoti pœniteret, quod ad tempus solatio erat, pòst supplicio. Deinde lacertis uiridibus, cæterisq; serpentum generibus, coctis exuuijs, pestem addebant. Nam equorum cadauera, si fortè reperissent, inter se trahentes, prælio graui decernebant. Qui uerò seu fame coacti, seu mortis beneficium ab hoste expetentes, ex urbe profugissent, capiebantur, in singulos quidem dies ad quingentos, nonnunquam & plures: qui uerberati, modisq; omnibus ante mortem excruciati, contra murum crucibus suffigebantur. Id etiam ideo Titus fieri præceperat, quòd miserabili eiusmodi spectaculo Iudæos deterritos, metu ne similia paterentur, consensuros in deditionem sperabat. Quo consilio multis etiam captiuorum manus abscindi præcepit, eosq; ad Iohannem & Simonem in urbem remisit. Iosephus libro sexto, capite undecimo & duodecimo. Egesippus libro quinto, capite decimooctauo.

DE IVDAEORVM IMPROBITATE, & aggeribus Romanorum incendio dissectis.

NVllam, ait Iosephus, nationem post hominũ memoriam malicia Iudæis fuisse ferociorem. Grauissimis enim, quas domi foriscq; patiebãtur calamitatibus, tantum abest ut flecterentur & emendarentur, ut etiam ad improbitatẽ & flagitia per eos magis incitarentur. Intus honoratos & diuites tyranni insidiarũ et proditionis falso curabant accusari, & occidi: in muris uerò stantes, ludibrijs adhuc & sannis Imperatorẽ, qui & ipsos & patriam eorum saluã cupiebat, incessebãt. Quin & eò ferociæ processerunt, ut omnes maximo labore pluriumq; dierum spacio uix ædificatos aggeres Romanorum, exusserint.

DE MVRO EXTRVCTO CIRca Hierosolymam totam, & fame maiori consecuta.

MAgno quidẽ dolore Romanos aggerũ affecit diruptio, attamen à proposito non deterruit. Distributus enim in cõmunes operas omnis exercitus, murum, quem Christus prædixerat, circa totam duxit ciuitatem incredibili celeritate, trium tantummodo dierum spacio: in eumq; collocati custodes, nec interdiu iam aliquẽ ex ciuitate, nec noctu exire sinebãt. Ex qua re aucta fames maiorem in modum, totas domos ac familias depascebat. Et tecta quidem plena erant mulieribus exanimatis atque infantibus, uiarum autem angusta senibus mortuis. Adolescentes autem ac iuuenes turgidi, uelut umbræ mortuorum & simulachra, per fora uersabantur: & ubi quem casus occupauerat, decidebant. Sepelire autem funera neque poterant præ labore: et eos quibus aliqua uis supererat, pigebat, et propter multitudinem mortuorum, & quòd de ipsis erat incertum. Denique super eos quos sepelierant, multi moriebantur. Ac sepultor plerunque præueniebat sepeliendum: tumuloq; eo quem alijs parauerat, includebatur, subitò ipse exanimis. Multi autem ad sepulchra, quæ cum terra deesset, ex tabulatis ipsi sibi parabant,

priusquam fati dies ueniret, & uiui properabant. Neq; uerò luctus in illis calamitatibus, neque fletus erat: sed fame superabantur affectus. Siccis autem oculis, & corrupto ore, qui tardius morerẽtur, eos qui ante se requiescerent, tuebantur. Altum uerò silentium ciuitatẽ, plenaq; mortuis nox comprehenderat. Et latrones his acerbiores, domos, quæ tum sepulchra erant, & cadauera spoliabant: & uelamina detrahentes, cum risu egre diebantur, hisq; gladiorum mucrones probabant, nonnullos q; iacentium adhuc spirantes ferrum experiendi causa transuerberabant. Si quis autem manum rogasset, aut ferrum sibi commodari, quò famem euaderet, superbißimè negligebatur. Animas autem efflantium quisque in morte, in templum obtutibus, quasi inde ultionem tam diri exitus deposcerẽt, intuebatur, cum uiuos relinqueret seditiosos. Qui primò quidem, sumptu publico iubebant mortuos sepeliri, cum fœtorem ferre non possent: deinde, quòd defossis omnibus intra urbem locis quæ dare possent sepulchri usum, non sufficiebant, in ualles eos ex muro præcipitabant. Quas circumiens Titus, ubi plenos cadaueribus uidit, altamq; saniem tabefactis corporibus defluentem: ingemuit, & extentis manibus Deum testabatur, factum illud suum non esse, qui paratus semper fuisset, ut incolumes seruaret, si bellum deposuissent, & pacem uoluissent. Iosephus libro eodem, capite decimotertio & decimoquarto. Egesippus libro eodem, capite uigesimoprimo.

DE ATROCI SIMONIS SAEVItia in optimos quosq;, alijsq; miserandis calamitatibus intra & extra Hierosolymam, & numero eorum qui fame perierunt.

Postea misertus Titus reliquiarum populi, & liberare tandem cupiens, aggeres altos extrui curabat: cum interea nouum crudelitatis genus Simon intus in nobiles & præcipuos quosque exercere cœpit. Matthiam enim pontificem, cuius consilio & autoritate in urbem primùm receptus erat, insimulatum prodi tionis, cum tribus filijs iußit occidi, Simoni post longas querelas & expostulationem hæc imprecantem: Iudicent Romani, quia Simon occidit sine iudicio. Post eum, Ananiam nobilem pontificem, & scribam curiæ Aristea, cum alijs quindecim de populo clarioribus, ad supplicium & mortem rapuit. Iosephi uerò patrem & matrem in uinculis asseruauit. Quam indignitatem, quòd in socios etiam crudelis Simon esset, non ferens Iudas quidam, unus ex præfectis Simonis, cum de flagitio eius apud decem contubernales questus esset, ac de deditione consilium cum illis captasset, re à Simone comperta, omnes trucidati, corporaq; eorum per murum proiecta sunt. Quem & Iosephus circumiens muros, atque ut pacem susciperent, uti sæpe facere consueuerat, obsecrans, lapidis iactu de muro uulneratus est. Viso autem uulnere, cum populum iterum ad fidem dandam Romanis exhortatus esset, effecit, ut per fugam multi, quocunq; possent modo, ad Romanos sese reciperent: sed quos ilico calamitas tristior, quàm intus pertulissent, excipiebat. Inflati enim ex inedia, & uelut morbo intercutis aquæ turgidi, cum auidius exaturare cuacuata corpora properarent, disrumpebantur. Alij desuetis edendi officijs, nullam uim habebant dentium, ut cibum manderent, aut panem arrodere possent. Ruebant igitur supra cibos miseri: plericq; etiam uisis alimentis, ipso gaudio deficiebant.

Cumq; profugientes aurum deglutire, ut suprà diximus, ferè consueuissent, fortè eorum quidam à Syro quodam deprehẽditur, aurum è fimo uentris colligens. Quæ res à Syro uno cæteris omnibus Syris & Arabibus, ad auaritiã natis, prodita, quasi auro pleni transfugæ uenirent, occasionem dedit inhumanißimo spectaculo: quo una nocte illi, duorum millium transfugarũ corpora patefecerunt, auri in omnibus inueniendi opinione. Quæ crudelitas, quamuis à Tito postea grauissimè interdicta supplicio esset, tamẽ occultè in plerosq; profugientium exercebatur.

Atque hæc quidem Simonis sæuitiam & impietatem consecuta sunt: cum interea alter tyrannus Ioannes, quòd ex populo sibi rapinæ deessent, ad sacrilegium animum intendit, & sacra omnia uasa rei diuinæ comparata diripuit.

Sed calamitates omnes, quas sua contumacia autore, damnata à Deo gens tum perpessa est, enumerare, quis ualeat? Inter transfugas Manicæus quidam erat, Lazari filius. Is ad Titum transgressus, per unam portam quæ sibi concredita fuisset, elata dixit centum & quindecim millia octingenta (ut Egesippus habet) & octoginta cadauera, eorum qui mercede publica sepulti fuissent, ex eo die quo prope ciuitatem Romani castra admouissent: à die scilicet decimaquarta Aprilis, ad calendas Iulij usque: præter infinitam & inæstimabilem multitudinem pauperum, qui efferri nequiuissent: præterq; eos quos propinqui humassent. Post eum autem, prosugorum nobiles, mortuorum egenorum sexcenta millia per portas eiecta fuisse retulerunt: exceptis ijs, quos cum sepelire minimè facultas fuisset, in maximas domos conclusissent. Et frumenti quidem modium uenijsse talento. Pòst autem, ubi muro circundata ciuitate, ne herbas quidem legere licuisset, ad hoc necessitatis quosdam fuisse compulsos, ut cloacas rimarentur, boumq; ueteri fimo pro alimentis uterentur: stercusq; collectum, quod ne uisui quidem tolerabile prius fuerat, cibus esset. Iosephus libro eodem, capite 14. 15. & 16.

DE ANTONIAE PERROmanos expugnatione.

Tentata Antoniæ arcis oppugnatio ipsis Calendis Iulij, quamuis difficulter, successit tamen. Quinta autem eiusdem mensis die, à paucis primùm militibus noctu occupata, tandem superata & capta est. Deinde ex ea in templum interius usque fugientes Iudæos Romani secuti sunt, commissaq; est ad adytum ipsum acerrima pugna, quæ ab hora nona noctis ad septimã usque diei continuata est: sed qua nihil Romani, præter Antoniam, tum obtinuere. à Iudæis enim repulsi sunt. Iosephus libro septimo, capite primo & secundo. Restabat igitur oppugnationis iteratio, antequam Antoniam funditus dirui Titus mandauit: posteaq; Iosephum ad muros adductum, decimoseptimo eiusdem mensis die, patrio Iudæos sermone alloqui iußit, ut pa-

tria

triæ parcerent, templumq; reueriti ex alio potius loco pugnarent. Commouit nonnullos Iudæorum grauis ea Iosephi oratio cum lachrymis, ut nobilium aliquot ad Romanos profugerint. Latrones autem & tyranni magis ea irritati sunt, ut quib. non beneuolentiæ, sed timiditatis sermo uideretur. Pugna igitur iterata est, cámque incendia porticuum circa templum cõsecuta, prædicti mensis die uigesimoquarto. Lib. eodem, capite 3. 4. & 6.

RVRSVS DE FAME IVDAEOrum, & muliere quæ proprium filium mactatum coxit.

INterea multitudo infinita fame contabescens moriebatur: bellumq; per singulas domos, sicubi uestigia saltem aliqua cibi apparuissent, gerebatur, inter amicissimos. Sed & expirantes milites scrutabantur, si quis in sinu moriens cibi quippiam occultasset. Ea deinde in usum alimenti collecta sunt, quæ sordidissimum quodq; mutorum animalium non horrere non posset. Denique nec cingulis nec calciamentis abstinuere, coriaq; scutis detracta mandebant. Quinetiam uetustas paleas & fœni proiectamenta magno studio ad uictum requirebãt, quorum exiguum pondus talentis Atticis quatuor uenundabatur. Ac quod dictu & auditu horrendum maxime est, nec in ullarum aliarum gentium historijs simile eius quicquam inuenias. Mulier prædiues ac nobilis, Maria nomine, quæ ex patria trans Iordanem fugiens Hierosolymam uenerat, post ereptas sibi à tyrannis omnes facultates, cum & quotidie milites in domum eius uenirent, et quæ uictui parasset eriperent, fame tandem contra naturam irritata, proprium filium quem lactentem habebat, mactauit & decoxit. cocti uerò mediam partem comedit, reliquumq; raptoribus apposuit: sed quo, horrore & stupore capti illi, minimè uescebantur. Percrebuit horrendi huius facti fama per omnem ciuitatem. ad Romanos etiam peruenit, ac Imperatorem ipsum: qui Deum ipsum testatus est, Iudæis se pacem semper obtulisse, & parcere uoluisse: illos autem pro concordia seditionem, pro pace bellum, pro satietate atque opulentia famem optasse. Lib. eodem, cap. 7 & 8. Egesip. lib. 5, cap. 40 & 41.

DE EXPVGNATIONE, OCcupatione & conflagratione templi, & prælijs.

POst hæc octauo mensis Augusti die, ad occidentalem templi partem Titus arietes admoueri, et muros quati iussit. Secuta est pugna, in qua Romanorum etiam non pauci ceciderunt. Ignem demum portis templi subijci Titus mandat, ex quo incendium ingens, omnes porticus templi consumens, natum est: sed quod restinguere Titus iussit. Secutum aliud rursus præliũ est, in quo in templum Iudæi introire compulsi, in eo conclusi sunt. Paulo pòst, diuino quodam motus impetu miles quidam, in penetralia templi per portã auream ignem iniecit, inuito Tito: qui tamen prohibere non potuit, cum inter clamores & tumultus pugnantium, uox eius audiri nequiuisset. Templum igitur hoc modo exustum est, ad decimum mensis Augusti diem, qui & olim templo fatalis fuerat. Eodem enim & mense & die, quondã à Babylonijs fuerat incensum. Et à prima quidem structione, quam Salomon rex inchoauerat, usq; ad hoc excidium, quod anno secundo imperij Vespasiani euenit, mille centum triginta colliguntur anni, & septem menses, ac dies quindecim. A` posteriore uerò, quam secundo anno Cyri regis Aggæus fecerat, usq; ad excidium quod Vespasiano imperante sustinuit ciuitas, anni sunt sexcenti, trigintanouem, & dies quadraginta quinq;. Iosephus lib. eodem, cap. 10.

DE CLADE ET CALAMITAtibus intra templi conflagrationem.

COnflagrauit templum tanta cum uehementia, ut propter collem eminentiorem in quo situm erat, uniuersa ardere uideretur ciuitas. Quin & collis ipse igniũ copia superatus, radicitus, quod mirari quis posit, exustus est: sanguine tamen igne largiore apparente, cum absq; ulla miseratione ætatis aut reuerentiæ uirtutum cæderentur, quotquot in templo deprehensi fuissent, adeò ut terra cadaueribus tegeretur, & supra mortuorum corpora milites graderentur. In illa uerò rerum omnium desperatione, tamen & sacerdotes ipsi in templo rebellabant, uerua & sedes plumbeas ex parietibus auulsas pro missilibus in Romanos eiaculantes. Quorum duo in ignem semetipsos coniecere, & unà cum templo concremati sunt. Romani autem præter templum, quicquid illi uicinum fuit, & porticus ac portas, omnes simul incenderunt. Ipsa etiam gazophylacia, in qua uis magna pecuniæ, uestium plurimum, aliaq; bona, omnes denique Iudæorum congestæ diuitiæ repositæ erant. Fortè autem pseudopropheta quidam à tyrannis subornatus, populum in ciuitate eodem die in templum ascendere, quasi signa ibi salutis acceptum, iusserat, Promiscuæ igitur multitudinis, ad sex millia in porticum unam, quæ restabat, se receperant. Quæ, porticu à militibus incensa uniuersa, ut ne unus quidem seruaretur, perijt. Libro eodem, cap. 11.

DE HIS QVAE POST TEMplum captum à Tito gesta sunt.

SAcerdotes illi, qui uerubus in templo, uti diximus, & sedilibus pugnauerant, in parietem quandam se receperant. Vnde quinto die fame oppressi prodierunt, & à Tito pacem petentes, non impetrarunt, sed cæsi sunt: Tito respondente, quoniam templum perijsset, & officium eorum desijsset, nullum esse amplius eorum usum. Postea etiam tyranni cum socijs Imperatorem ad colloquium prouocarunt: quod ille pro humanitate non tergiuersatus, cum de calamitatibus, quas ipsi sibi contumaciter resistendo accersiuissent, multa apud eos disseruisset, & ad pacem exhortatus esset, dextras eorum tamen non accepit: negantibus illis, fidem se propter coniurationem ab eo posse accipere. Detestatus igitur in extrema etiam rerum omnium desperatione confidentiam eorum Imperator, exire illis in solitudines uolentibus non concessit, sed omnia se iure belli acturum interminatus, milites diripere ciuitatem, atque incendere iussit. Seditiosi autem ad domum regiam profecti, ubi facultates suas deposuerant, Ro-

manos illinc pepulere: atque ad prædas simul mutuas & cædes conuersi, omnibus popularibus qui eò conuenerant, ad octo fermè millia & quadringentos occisis, pecunias eorum diripuere. Venit iterum Iosephus, & contra impietatem & crudelitatem ac pro salute eorum multa locutus, irridetur. Dispersi uerò per ciuitatem, in ruinis latitabant, fugam expectantes. Tyranni in cloacas se abdiderunt. Acceßit interea uigesimus Augusti dies, quo aggeribus ad superiorẽ ciuitatis portam admotis, eam oppugnare Titus cœpit. Ad quã Idumæi, & Iudæorum aliqui tum confugere: interq; eos Iesus, salutis fide accepta, templi diuitias et preciosa Tito tradidit. Lib. eodem, cap. 13, 14 & 15.

DE OCCVPATA RELIQVA parte ciuitatis, excidio & numero captiuorum ac cæsorum.

PErfectis aggeribus ad septimum Septembris mensis diem, superiorem quam diximus ciuitatis partem (nam inferiori iam potiti erant) Romani expugnant, Iudæis in alios aliosq; locos diffugientibus. Ingreßi autẽ munitionibus ac muris subuersis in urbem, cædunt quoscunq; obuios accipiunt, adeò ut totam sanguine diluant ciuitatem: cum & ea quæ arderent, sanguinis qui fundebatur copia restinguerentur. Octaua Septembris die, ardentibus adhuc Hierosolymis, Titus ingressus, ubi munitiones & turres ciuitatis conspexit, miratus est. Ac ad amicos dixit: Deo planè adiuuante pugnauimus, & Deus erat qui detraxit ab istis munimentis Iudæos. nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad istas ualerent? Pergunt interficere interea milites, ex æquo omnes. Qui uerò cædi pro multitudine non possunt, ad opera partim facienda in Aegyptũ uincti relegantur, partim triumpho reseruantur, & per prouincias distribuuntur in spectaculis ferro & bestijs cõsumendi. Minores autem septem & decem annis ueneduntur. Iisdem etiam paucis diebus, quibus quam ex capta multitudine quisq; fortunam meritus esset, à Frontone, cui id negotij Cæsar dederat, decernitur, fame adhuc mortui duodecies mille sunt. Inuenti & in cloacis & in sepulchris plures quàm bis mille, quorũ alij manu sua, plures autem mutuis se uulneribus interfecerant.

De numero porrò interfectorũ, & aut fame, aut peste, aut alio quocunq; modo ad interitum sublatorũ & captiuorum, rectè Iosephus scripsit, excedere eum omnem humanam rationem: ideo quòd ciuitatem tum undiq; populis, qui ad festum conuenerant, differtam, ac totam propemodum Iudæorum gentem, quasi in carcerem conclusam, bellum & uastatio atrox, iusto Dei iudicio apprehendit. probat exemplo Iosephus, numerata aliquando in paschatis festo hominũ quibus sacrificare liceret (exceptis leprosis, & alio quocunq; modo immundis iudicatis, qui ad sacrificia admißi non sunt) uicies centena & septingenta millia. Tantam enim multitudinem capere ciuitatem potuisse. Egesippus decies centena millia indigenarũ, eorumq; qui ex alijs undiq; regionibus ad diei festi celebritatem conuenerant, cæsa per omne tempus obsidionis affirmauit. Cumq; eo Iosephus, captiuorum qui comprehensi sunt, & uel ducti in triumphis, uel bestijs dati, uel supplicijs affecti, per omnes urbes, qua iter agebat Titus, nonaginta fuisse et septem millia assceuerauit: mortuorum uerò undecies centena millia. Atq; hic finis fuit excidij, urbis longè munitißimæ ac clarißimæ: quã funditus Titus, sex mensibus, per Aprilem scilicet, Maium, Iuniũ, Iuliũ, Augustũ et Septembrem, obsessam diruit, relictis una saltem atq; altera turribus, & parte muri in urbis eo loco, ad excidij memoriam, anno à nato Christo 72, post eundem uerò passum anno 40: anno uerò à mundo cõdito 4034, cum ante annos bis mille centum ac septuagintaseptem condita primùm esset: ante annos uerò mille centum & septuagintanouem, Dauid rex Iudæorum primus in ea regnasset. Iosephus libro eodem, cap. 16, 17 & 18. Egesip. lib. 5. cap. 40.

DE TYRANNORVM IOANnis ac Simonis supplicijs.

SOla iam restabant Ioannis & Simonis tyrannorum supplicia: quorum ille fame uictus cum amicis in cloacis, dextram à Romanis, quam sæpe antea superbißimè despexerat, dari sibi precatus est, ac in aternis postea uinculis asseruatus. hic uerò Simon, postea quam ciuitatem Romanorum exercitus ingreßus esset, in occultiorem quandam cloacam, cum alimentis, quæ in plures dies suppeterent, assumptis amicorũ suorum aliquot fidelißimis se demiserat: alimentis autem desti tutus, eodem ex loco in quo templum prius fuerat prodijt, uestem indutus candidam, superq; eam chlamydem purpuream. Comprehensus uerò à duce militiæ Terentio Rufo, Tito ex nauigatione Cæsaream Philippi reuerso uinctus oblatus, & in triumphum quem Romæ agere decreuerat asseruatus, atq; tandem laqueo circumdatus, ab illis qui in pompa eum circumduxere, cæsus est. Iosephus lib. eodem. cap. 20. Egesippus, ibidem.

DE IVDAEORVM CLADE & deletionibus in alijs locis.

POst excidium, in alijs multis locis reliquã Iudæorum partem cum gentibus odia & uexationes exercuerunt. Antiochiæ in theatro nonnulli, Vespasiano adhuc regnãte, cremati sunt. Postea multis precib. Antiochẽsis ciuitas à Tito contẽdit, ut & inde Iudæos omnes pelleret: in quo tamen minus illis paruit. Bassus denique capta Machærũte, in saltu quodã Iardes dicto, magnum numerum Iudæorum, qui eò ex Hierosolymis & Machærunte profugerant, cum duce eorum Iuda interfecit, ad tria nimirum millia, tertio anno Vespasiani. Qui eodem tempore ad procuratorem Iudææ scripsit, ut omnem Iudæorũ terram uenderet. Stipendium uerò ubicunq; degerent Iudæis indixit, binasq; drachmas singulis annis deferre in Capitoliũ iußit, ita ut antehac Hierosolymorum templo pendebant. Basso in procuratione succeßit deinceps Flauius Silua. is Massadam castellum, cuius suprà meminimus, in quod se cum Eleazaro sicarij receperant, obsedit. cum quo commißis aliquot difficilibus prælijs, hoc modo Iudæi extincti sunt. Videns Eleazarus desperata esse omnia, nec posse ab ipsis castellum, ne hostes caperent, defendi: oratione composita, de malis præsentibus, quæ remedium nullum ferrent, et animarum immortalitate, ad socios usus, omnibus illis persuasit, ut in mutua conuersi uulnera, rebus suis omnibus in unũ aceruũ congestis ac incensis, alij sese alijs obtruncandos offerrent, lectis per sortẽ ad cædẽ decem percussoribus. Qui, omnib. occisis, etiã ipsi ad postremũ proprijs manibus periere. Erant aũt nonagenti

genti numero, & sexaginta, cum mulieribus & pueris.

Extincta deinde est & sicariorum multitudo, quæ Alexandriam & Thebas Aegypti profugerat, cum nouo quodam contumaciæ genere Cæsarem Dominum sa teri nollent. Templum uerò apud Onion Aegypti ciuitatem, per Lupum Alexandriæ ducem preciosis rebus ablatis inde, clausum est.

Postremò persuasa à Ionatha quodam nequissimo homine, sicariorum magna multitudo, in solitudine circa Cyrenen, quasi signa ibi uisura, producta est: ubi à Catullo Pentapolitanæ Libyæ rectore tria millia opulentissimorum Iudæorum trucidata sunt. Iosephus libro eodem, cap. 21, 24, 25, 26, 28, 29, 30, 31. Egesip. libro eodem, cap. 52 & 53.

DE IVDÆORVM PERSECVtione sub Domitiano.

NEc post urbis Iudæorum patriæ excidium quidem, ac totius gentis à Deo damnatæ delationem, reliquiæ eius persecutione caruerunt. Siquidē Domitianus aduentū Christi perinde ac Herodes metuens, Iudæos ex Dauidis familia reliquos, ubicunq; essent, perquiri diligenter, & occidi præcepit, ut Eusebius refert lib. 3. cap. 19, & in Chronico, ubi id factum esse indicauit anno Domitiani XVI, Christi uerò XCIX.

CAPVT XV.

DE RELIGIONIBVS EXTRA Ecclesiam, Iudaismo, & Gentilismo.

DE IVDAISMO.

ADDVCTVS quasi in præcipitiū hoc suo postremo seculo Iudaismus, in omnibus ubiq; terrarum locis diffusus erat: quod ex Actorum apostolicorum libro, qui, quot ad Pentecosten conuenerint diuersæ nationes, nominatim explicat, clarum est. Sed in Asia tamen, præ cæteris terræ partibus, uiguit maximè: quod & Pauli iter, & in Actis apostolorum plures historiæ testantur. De Hierosolymis nihil attinet admonere, cùm quot ibi cum Iudæis certamina, quot pericula Christus ipse, tum uerò Apostoli, ac inter eos Paulus & Petrus maximè sustinuerint, Euangeliorum & Actorum libri perspicuum faciant. Crebra deinde Synagogarum appellatio in Actis, in quibus locis Iudaismus fuerit declarat: ut per uniuersam Iudæam & Samariam, ubi post obitum Stephani docuerunt in Synagogis Paulus & Petrus & Ioannes, Actor. 15. Synagogarum apud Damascum mentio fit Actor. 9. ubi & synagogarum in tota Syria, ad quas Paulus literas accepit de persecutione Christianorum. Antiochiæ Pisidiæ in Asia minori, Paulus rogatus à Iudæis, aliquoties in Synagoga docuit in Sabbato, ubi & Iudæi multi Euangelio aggregati sunt: Actor. 13. ubi & Iudæorum Iconij, & frequentium synagogarum per Lycaoniam, Lucas meminit. In Achaia rursus cum Iudæis Apollo disputat: Ephesi uerò in synagoga uterq;. Paulus etiam solus per tres menses, quemadmodum cap. 18 eiusdem libri ostenditur.

Adsunt & ex Aphrica Iudæi ad Pentecosten Hierosolymis, maximè ex Aegypti partibus, et Libyæ, Actor. 2. Adsunt & ex insulis mediterraneis, ut Creta: Salaminæ uerò Cypri in synagogis docent Paulus & Barnabas, Actor. 13.

Inter Europæ locos Lucas Thessalonicæ meminit, ubi in Sabbatis Paulus docuit ac disputauit. Item Berrhœæ, ubi cum socijs idem in synagoga docet: & Athenarum, ubi acriter aduersus non Iudæos solum, sed & Philosophos, de Christo, deq; hominum salute disputatur, Actor. 17. Quod & Corinthi in sabbatis frequenter fecit, Actor. 18.

Romæ in Italia Iudæorum fuisse frequentia contubernia, Ethnici etiam scriptores prodiderunt. ut Suetonius, qui Tiberium Iudæis omnibus ritibus et religione interdixisse, in uita Tiberij retulit. post quem etiā Claudius Roma expelit Iudæos omnes, inter quos Aquila et Priscilla fuere Christiani, ut ex Actis liquet, cap. 18.

Iudæorum porrò doctrimam, Mosen esse, legem & prophetias, sed quas sub uelamine, mentibus errantes cognouerint, Paulus indicat, cum, Ad hunc usq; diem, inquit, Mosen legentes, uelamen manet impositum cordibus illorū. Magis enim in traditiones æquè cæcas maiorum suorū, quàm Scripturæ mentem intenti fuerunt. Gal. 1. Hinc eorum furor in Stephanū, quòd legi Christum præferret, Actor. 6. & 7. Hinc in Paulum, Iudæorum ex Asia Hierosolymam uenientium fæuitia, quòd Mosæ legem doceret abrogatam, Actor. 21. Item quòd neq; circumcisionem, neq; præputiū ad salutem quicquam doceret prodesse, 1. Cor. 10. Nam & ex 3 cap. epistolæ ad Rom apparet, Iudæos post multas Pauli conciones de fine legis, in ea tamen fuisse opinione, quasi externa tantum opera, & qualemcunq; in speciem obedientiam lex requireret, sicut & alijs doctrinis externis solis inhærentes, interioris nihil scripturarum noticiæ assecuti sunt. Quod illa de regno Christi externo, perpetua eorum omnium crassissima probat opinio: imò & Apostolorum ipsorum, ante acceptam Spiritus sancti perfectionem, sicut Actor. 1. quærunt: Numquid restitues hoc tempore regnū Israel? Sed quæ de Iudæorum doctrina hic dici possint, ex superiorib. petantur.

Quod porrò & ad ritus Iudæorum pertinet, suprà suo loco attigimus, neq; hoc loco necesse est repetere.

Dona etiam exorcizandij & superandi dæmones habuisse eos, Christus significat Lucæ 19.

De sectis Iudaicis, ut Pharisæorū, Essæorum, & Saducæorum, qui hoc adhuc durarunt tempore, suo loco etiam dictum est.

DE GENTILISMO.

NOn durarunt solum hac adhuc ætate, uerùm & subinde aucti sunt profani & idololatrici ritus ac cultus gentilium. Imò qui ex ijs nō portentosi solum maximè, sed & crudeles fuerunt, ut hominū cuiuscunq; ætatis immolationes, ante Hadriani Romani principis imperium non cessarunt. quemadmodum Lactant. lib. 1. de falsa religione, cap. 21. Eusebius de præparat. Euang. lib. 4. cap. 7 testantur. Nisi quòd de dæmonibus, quos magna ex parte pro dijs coluit stulta gentilitas, Christi tempore expulsis, idē retulit lib. de Præparat. Euang. 5. capite nono, hoc modo: Tiberij tempore, Saluator & Dominus noster cum hominibus conuersatus, dæmonum genus ab humana depulit uita. Habes etiam à summis

ſummis apud Gentiles uiris, non alio tempore unquam, quàm temporibus Saluatoris noſtri, dæmones extincti fuiſſe: ubi & de Pane ſub Tiberio mortuo ridicula narrat.

Omnes autem Ethniciſmi formas complecti, & longum, & ab inſtituto noſtro alienũ, neq; etiam neceſſarium eſt: cum hoc præſtiterint multi, qui ex profeſſo, recentiorum etiam ætatum homines eruditi, hoc argumentum tractarint. Et in ſequentibus ſubinde centurijs ex ſingularum ætatum ſcriptoribus quædam eius generis referenda erunt: ut ex Iuſtino, Clemente, Tertulliano, Lactantio, Euſebio & alijs. Breuiter igitur aliquot ſpecies gentilium cultuum, quorum in huius ſeculi hiſtorijs mentio fit, recenſebimus.

Summam autem & quaſi generalem quandam gentiliſmi definitionẽ Paulus expreßiſſe uidetur in primo capite epiſtolæ ad Romanos, ubi gentes docet ex creationis operibus Deum quidem cognouiſſe, attamen non ut Deum coluiſſe, ſed gloriam incorruptibilis Dei mutaſſe in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum & quadrupedum & ſerpentum. Item primæ ad Corinthios duodecimo: Scitis quòd gentes fuiſtis, & ad ſimulachra muta à quocunque ducebamini ſequentes. Et Epheſ. ſecundo: Seruiebatis ijs qui natura non ſunt dij. Quid enim in uniuerſum aliud in omnibus gentilium fuerunt religiones, quàm cultus & adorationes hominum & beluarum: ſed & aliarum rerum, ut ſiderum, elementorum, &c? Suetonij de Auguſto narratio, meminit Apidis, ſacri tauri, quem propter agriculturam Aegyptus uetuſtiſſima religione coluit: Quòd cum peregrinas alias religiones cum reuerentia colere Auguſtus ſoleret, per Aegyptũ tranſiens, Apim tamen uiſere noluerit. In eodem & ſacerdotum Atticæ Cereris meminit, quod de eorum priuilegio Romæ Auguſtus pro tribunali aliquando cognouerit. Idem etiam uetus Apollinis templum apud Aëtium Neptuno ac Marti conſecrauit. Apollini uerò rurſus aliud Romæ in palatio extruxit, Ioui tonanti in Capitolio, quod pro more aſſiduè ipſe frequentauit. Sanxit deinde, ut in quacunque æde, in quam Senatus conueniſſet, antequam quiſquam conſidêret, thure ac mero ſupplicaret ei. Deo apud aram, cui ædes ſacra eſſet. Compitales etiam lares ornare bis in anno inſtituit, floribus ſcilicet uernis & æſtiuis. Proximum deinde à dijs immortalibus honorem memoriæ ducum præſtitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent. Contrà uerò reges, amici atq; ſocij, & ſinguli in ſuo quiſq; regno, ædem Iouis Olympici Athenis antiquitùs inchoatam, perficere communi ſumptu deſtinauerunt, genioq; Auguſti dedicare. Hæc Suetonius in Auguſto: qui à Tiberio Concordiæ etiam ædem, itémque Caſtori & Polluci narrat dedicatas. Cumq; Imperatoribus templa, Flamines & Sacerdotes mos eſſet decerni, hæc à Tiberio ſolo recuſata. Iſidis etiam templum & religionem Tiberium clauſiſſe, Sabellicus autor eſt Ennead. 7. lib. 1, eiuſmodi occaſione, quòd in ea, puella ab adoleſcente, qui potiri ea alioqui non potuiſſet, compreſſa fuiſſet.

C. Caligula Imperatore deſignato, & in urbem ingreſſo, in publica trium menſium feſtiuitate ſupra ſexaginta millia uictimarum cæſa ſunt. Eidem uerò clypeus aureus decretus eſt, quem quotannis certo die collegia ſacerdotum in templum ferrent, ſenatu proſequente, nobilibusq; pueris ac puellis carmine modulato, laudes uirtutum eius canentibus. Hæc Suetonius. Idem etiam, cum templum Hieroſolymis, ſacrificijs gentilium profanaſſet, in eo ſe ut Deum eoli uoluit, fratrem ſe Iouis dictitans. Nec ſtatuam ſuam in templo eo ſolo collocauit: ſed & per uniuerſum Romanorum Imperium, adorari ſe, & ſacrificari ſibi mandauit, ut Eutropius ait lib. 7. & Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico. Euſebius lib. 1. cap. 5.

Secutus Claudius, Druydarũ religionem apud Gallos diræ (ut Suetonius ait) immanitatis, ſub Auguſto etiam interdictam, remouit quidem penitus: ſed ſacra contrà Eleuſinia ex Attica etiam Romam transferre conatus eſt. Quin et templũ quoq; in Sicilia Veneris Erycinæ uetuſtate collapſum, ut ex ærario publico Romano reſtitueretur, autor fuit.

Queritur & de ſtatuæ Simonis magi religione, à Romanis ſub hoc Imperatore inſtituta, Iuſtinus in Apologia altera ad Antoninũ Pium, his uerbis: Simon quidam Samaritanus, ex uico qui Triton dicebatur, qui Claudio Cæſare regnante, cum arte dæmonum magica opera edidiſſet, in regia ueſtra urbe Roma deus iudicatus eſt: ſtatuæq; honos ei, ut Deo, à uobis erecta eſt. Eaq; ſtatua in Tiberi, inter pontes duos erecta eſt, cum hac Latina inſcriptione, SIMONI DEO SANCTO. Omnesq; ferè Samaritani, & aliarum etiam nationum non pauci, cum tanquã primũ Deum profitentes, colunt atq; ueuerantur: Helenamq; quandam, quæ cum eo tum uerſata & peregrinata eſt, primum in tecto ſtatuerunt, deinde eius notionem primam extitiſſe ferunt. Eadem & Irenæus de Simone teſtatur, libro 1. aduerſus hæreſes Valentini, cap. 20.

DE GENTILISMIS, QVORVM in Actis & Pauli ſcriptis mentio fit.

FOrmas præterea aliquot Ethnicorum cultuum etiam Lucas in Actis apoſtolorum, & in epiſtolis aliquot ſuis Paulus, meminerunt. Actorum decimoſeptimo ſcribitur, Athenienſiũ urbem totam ſimulachrorum cultoribus fuiſſe deditam: atq; inter aras idololatricas plurimas, unam etiam habuiſſe, inſcriptam IGNOTO DEO. Quæ cuiuſmodi fuerit, Cælius explicat libro uigeſimoſecundo, capite ſecundo. Actor. 17. Ibidem cap. 14. Cum claudum ex utero matris progreſſum, poſt concionem Paulus in Lyſtris Lycaoniæ curaſſet, turbæ uiſo eo quod feciſſet miraculi Paulus, ſublata uoce dicunt, Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos: ac uocant Barnabam Iouem, Paulum uerò Mercurium, quoniam ipſe erat dux uerbi. Sacerdos quoq; Iouis, ante ciuitatem tauros & coronas ante ianuam adferens, cum populis uolebat ſacrificare: ſed Apoſtoli eum furorem potius, quàm honorem, auerſati ſunt ac repreſſerunt.

Ex ijſdem cap. 19 apparet, Ethnicos Epheſi præter cultus idololatricos, curioſas etiam exercuiſſe artes, hoc eſt magiam. Quamobrem conuerſi, libros eas res continentes omnes exuſſerunt.

Templi etiam Epheſi Dianæ à poetis & hiſtoricis Ethnicis

Haud procul inde Smyrna, eiusdem Ioniæ ciuitas, cuius & Ephesus, amœno littore sita fuit, in qua doctrina de filio Dei uiguit, Polycarpo doctore, qui Iohannis Apostoli alumnus erat. Celebris etiam Sardis est, ubi Melito ecclesiæ Christi præfuit: & Trallis, cui Polybius: & Philadelphia, Magnesia ad Mæandrum, ubi Damas docuit: sicut etiam in epistolis Ignatij commemorantur, quibus et Colossæ rursus exiructæ accenseri possunt. Phrygiæ urbium maxima Hierapolis fuit, ubi Papias doctorem egit. Philomelij quoque & Pergamopolis mentio fit in epistola Smyrnensi, ut habet Euseb. lib. 4. cap. 16.

Et in ipsa Troade ad Hellespontum Euangeliũ habuit suum locum. unde Ignatius ad Philadelphienses & Smyrnenses literas dicitur misisse, de quibus tamen suo loco quædam monebimus. Nicomediæ quoq; fuisse Ecclesiam, ex scriptis Dionysij Corinthij uidere est: & refert Eusebius lib. 5. cap. 16 ex Apollinario, ecclesias tum fuisse in Phrygia, Mysia, Galatia, Ancyræ, in Comano uico, in Ponto & alijs. Amastri fuisse, lib. 4. cap. 23 commemorat. In Ponto quidem Focas episcopus celebratur, in ciuitate Synope. Vnde constat, sicut in superiori, ita etiam in hoc seculo eam Asiæ partem, quã Minorem uocamus, uerbo Dei in primis excultam ornatamq; fuisse, ac ueluti paradisum quandã Dei floruisse: ita tamen, ut solet Ecclesia inter afflictiones, tanquam lilia in medijs spinis florere.

De cæteris autem regionibus ad Orientem sitis, etiamsi parum in scripta relatũ est, quales ibi hoc tempore fuerint Ecclesiæ: tamen dubium non est, quin & in ijs non paucæ fuerint. siquidẽ & suprà indicatũ est, Thomam Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis & Brachmanis Euãgelium prædicasse: Bartholomæum etiam Indis ac Armenijs. ut liceat coniectare, etiam in eo loco adhuc Christianos fuisse: imò historia Panteni idem declarat. Et Tertullianus contra Iudæos inquit, ut sequenti Centuria dicetur, Parthos, Medos, Elamitas, multosq; alios credidisse: quos ante Tertulliani tempora conuersos esse, inde liquidò apparet.

Ecclesiæ per Africam.

¶ Ad aliã nunc orbis partem transeamus. Etsi paucorum oppidorum Africæ nomina annotata reperiuntur, tamen fide digni autores, qui hoc seculo uixerunt, eiq; uicini fuerunt, & ea quæ superiori seculo commemorata sunt, satis ostendunt, in omnibus præcipuis Africæ regionibus (ut sunt Aegyptus, Thebais, Marmarica, Cyrenaica, Numidia. Mauritania, Getulia, Libya, Aethiopia) Ecclesiam hoc seculo suã habuisse hospitia.

Alexandria, Aegypti ciuitas clarissima, in qua optimarum artium studia exculta & conseruata sunt multis seculis, à Marco initiata doctrina Christi scribitur, quæ quidem & hoc seculo doctores egregios habuit: ut Abilium, Iustum, Cerdonem, item Pantenum, Clementem, aliosq; insignes uiros. Nec dubium est, quin ex hac quasi scaturigine quadam, in hac quidem orbis terrarum parte, ad uicina etiam loca Euangelij doctrina propagata fuerit.

Irenæus insuper clarissimus huius seculi scriptor testatur, in Aegypto & Libya fuisse Ecclesias, sinceram Euangelij doctrinam profitentes: lib. 1. cap. 3. Tertullianus in libro contra Iudæos commemorat, mox Apostolorũ eorumq; successorum ministerio, ad Christum conuersos esse Africanos, etiam trans Cyrenen habitantes, atq; adeò etiam ipsos Getulos & Mauros: & nominatim inquit, immorantes Aegyptum credisse in Christum. Vnde colligi potest, per pleraque Africæ loca ecclesiam Christi fuisse sparsam, & non mediocriter floruisse.

Refert Eusebius libro sexto, ex tota Aegypto & Thebaide circa 200 Domini annum, præcipuos Christianos martyrij causa Alexandriã tractos. Huc pertimere uidetur, quod Cyprianus in epistola ad Quintinum ita scribit: Et nos sacerdotes Dei, & Ecclesiæ eius de ipsius dignatione præpositi, sciamus, remissam peccatorum in Ecclesia dari posse, nec posse aduersarios Christi quicquam sibi pro eius Ecclesia uendicare. Quod quidem Agrippinus, bonæ memoriæ uir, cum cæteris coepiscopis suis, qui illo tempore in prouincia Africa & Numidia ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librata concilij cõmunis examinatione firmauit. Cyprianus hic de quodam insigni & excellenti episcopo Agrippino disserit, qui ante suã tempora uixerit, & inter episcopos Africanos & Numidicos præcipuus fuerit, cumq; eis concilium celebrauerit. Vincẽtius Lirinensis in libro Aduersus nouationes hæreticum, ait fuisse Carthaginensem episcopum.

In insulis totius illius magni maris, quod inter Europã, Asiam, Africamq; portenditur, proculdubio non paucæ, nec postremæ fuerũt Ecclesiæ, præsertim littoralibus

ralibus ciuitatibus uicinæ. Ex Patmo insula Iohannes apostolus sub Traiano reuersus legitur, ubi haud dubiè euangelio Christi quoscunq; potuit imbuit. In Creta, Gortynæ, alijsq; eius loci ciuitatibus fuisse Ecclesiã, ex Dionysij Corinthij scriptis, ut citantur in Eusebio lib. 4. cap. 23 manifestum est. Enumerat Bergomensis in Catalogo ecclesiarum huius seculi, & Mesanam Siciliæ ciuitatem.

Ecclesiæ per Europam.

¶ In Europã iam traijcimus: quæ quidem satis multa habet testimonia, Ecclesiam in ea pluribus in locis fuisse. Namque ea pars quæ Asiam minorem eregionè spectat, quam uno nomine sanè Græciã uocemus, quasi radijs oppositæ Ecclesiæ illustrata, multis in locis celebres ecclesias Christi habuit: quæ pleræq; ab Apostolis ipsis fundatæ, & à successoribus conseruatæ auctæq; sunt. Nam, ut hinc auspicemur, Athenienſium ecclesia ab apostolo Paulo primùm Christo lucrifacta, postea egregijs quibusdam doctoribus claruit. Namq; hac tempestate Quadratum habuit doctorem, uirum præstantem, & ipsum quidem Apostolorum discipulũ: & Aristiden, philosophum Christianum. Et narrat Egesippus, ut Eusebius lib. 4. cap. 22 recenset, apud Corinthios mansisse Ecclesiam: item Lacedæmone. Etsi autem nomina reliquarum ciuitatum non sunt expressa in historijs: tamen non obscurè hinc colligi potest, ex istis locis quasi ex scholis quibusdam ac seminarijs Ecclesiarum, in plures regiones & urbes Euangelium peruenisse. Per Achaiam episcopos conuenisse ad cõcilium, de Paschatis quæstione transigenda, inferius audiemus. Ad Philippenses hoc nostro tempore duo excellentes doctores, Ignatius & Polycarpus, scripsere: licet de ijs epistolis quædã nobis postea admonenda uideantur. Neq; credendum est, penitus extinctum fuisse Thessalonicæ illud præclarum lumen, quod Paulus ibi accendit. Imò Thessalonicæ, & Larissæ, hoc etiam nostro seculo martyres inueniuntur: sicut infrà dicetur. In Thraciæ urbibus, Anchiali Zotam, Debelti uerò Iulium fuisse, Eusebius lib. 5, cap. 19, ex Serapione indicat. In Illyrico etiam tum fuisse ecclesiam Dei, ex Niceph. lib. 3, cap. 29 liquet: qui quidem Eleutherium quendam doctorem ibi clarum fuisse testatur. Et suprà dictum est, uenisse ipsum Paulum in Illyriam, & ad Danubium amnem.

In Dalmatia, Croatia, Carinthia, Vindelicia, Rhætia, prouincijs Histro conterminis, in Norico Laureaci ad Danubium iuxta Batauiam: Moguntiæ, Treueri, apud Tungros & Agrippinos, Bardeuici Saxoniæ celebri ciuitate, & alibi passim in Germania ecclesias priori seculo plãtatas (ut superiori libro ostendimus) duraſſe hoc quoq; æuo uerisimile est. Licet autẽ autorum certa testimonia de singulis non extent, Irenæus tamen fide dignus testis, & Germaniæ uicinus, lib. 1 contra hæreses cap. 3. Germaniæ ecclesias illustri ornat præconio: eas nimirum nunquam aut aliter credidisse, aut aliter tradidisse quàm Apostolos, eorumq; discipulos. Vnde certum est, Euangelium ad Germanos non tam serò peruenisse, ut recentiores quidam scriptores censuerunt.

Nunc ad Italiam, in qua quidem Roma habuit doctores Euaristum, Alexandrum, Sixtum, & cæteros, de quibus suo loco inferius. Syrum Papiensem episcopum Bergomensis narrat, Ticinum, Genuam, Derdonam, Astensem, & reliquas uicinas urbes Christo lucrifecisse. Brixiæ Faustinus episcopus fuit. Fuerunt igitur in ijs locis adhuc sancti cœtus.

In Gallia Arelati Trophimum, Pauli discipulum, Christum docuisse, suprà diximus: de cuius fonte (ut Sosimus papa, teste Petro Cluniacense, scribit) omnes Galliæ ciuitates fidei riuulos acceperunt. Vnde uerisimile est, circa centesimum Domini annum latissimè istos Trophimi riuulos per Gallias fluxisse, easq; sancti Dei germinibus fœcundas fecisse.

Viennæ & Lugduni Ecclesiam hoc seculo floruisse, patet ex epistola martyrum Gallicanorũ, apud Eusebium lib. 5, cap. 1. Adon Viennensis indicat, Viennæ in Gallijs, sub Traiano Zachariam quendam docuisse, atque in eodem loco martyrem effectum: cui Iustus, alijque plures successerunt. Irenæus ait, se apud Celtas commorari.

In Hispania etiam suam Ecclesiã habuit Deus: quod & inde constat, quia Irenæus lib. 1, cap. 3 testatur, ecclesias in Hiberis fuisse. Iustus & Pastor in ciuitate Compluto passi leguntur. Fasciculus temporum, Toletum etiam recitat. Tertullianus inquit: Hispaniarum omnes terminos, & Galliarum diuersas nationes, Christo fuisse subditas: ac recitat ea tempora, quæ post emissos Apostolos mox subsecuta sunt.

In Britannia quoque tum fuit ecclesia Christi. nam circiter annum Domini 179, sicut paulo pòst explicabitur, accersiti sunt plures doctores, qui eas scintillas, quas antea habuerunt, rursus accenderunt. unde & Scotos, Christianos antiquiores Petrus Cluniacensis uocat. Ac referatur huc quoq; Tertulliani testimoniũ, qui inquit: Britannorũ inaccessa Romanis loca Christo fuerunt subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarũ multarum gentium & prouinciarum, & insularũ multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus: ubi de his nostris temporibus disserit.

Suprà etiam commemoratum est, à Thoma Scythas cõuersos esse, unde postea ibi mansit aliquis cœtus eam doctrinam retinens. Et ut hanc quasi summam omniũ adijcianus, Eusebius lib. 4, cap. 7 testatur, Ecclesiam ad Romanos & Græcos, ad Scythas & Barbaros, & ad ipsas penè in ultimis orbis partibus reconditas nationes propagatã esse sub Hadriano: neq; refert, etiamsi singulorum loca non inueniamus annotata.

Hactenus insigniora loca, quorum passim apud autores fit mentio, in quibus Ecclesia suã hospitiola habuit in hoc seculo, utcunq; designauimus: ex quibus uidere licet, quomodo uerbum Dei reuera sit admirandum semen Dei, ut Christus uocat, quod quidem ipse in totũ orbem, ad omnes gentes subinde disseminat, fouet, conseruat, fœcundum atque frugiferum efficit, ut inde suam æternam Ecclesiam colligat.

DE PROPAGATIONE.

IAm & hoc adijciendũ erat, quomodo ecclesia Christi in alia atque alia loca in hoc seculo propagata fuerit: sed tam pauca de ea re ad nostram usque memoriam peruenerunt, ut dolendum sit, tam præclara beneficia Dei tanto silentio esse sepulta. Generalia quæ-

dam Eusebius recitat lib. 3, cap. 37, Apostolicos uiros per uniuersum orbem quaquà patet discurrisse, salutaria regni cœlorum semina superseminantes, & auctiora reddentes: ac iactis fundamentis uno in loco, fidis q; ministris cõstitutis, mox ad alias peregrinas gẽtes, quæ de fidei doctrina nihil audierant, maximis itineribus contendisse. Hinc & Nicephorus eadem de re testificans, lib. 4, cap. 2 ait: Omnium regionum Ecclesias per fidem in IESVM Christum splendidè floruisse. Id uerò de doctrina & confessione accipiendum est. nam aliàs duris persecutionib. uexati & pressi fuerunt. Et affirmat uterque, quod obseruatione dignum est, istos Dei seruos Apostolicam doctrinã et diuinorum Euangeliorum scripturam tradidisse, durasse etiam in ijs miraculorũ donum: nec tantùm sermonibus, sed & libris inexpugnabilibus, uitaq; sancta rem Christianã iuuisse & auxisse. Non immeritò igitur Euangelistæ ab Eusebio, & aliàs etiam Apostolici uiri appellantur.

Hæc in genere de amplitudine Ecclesiæ dicta sint. Iam uerò nemo dubitabit, unumquemque doctorem in suo loco sedulò hoc egisse, ut non tantùm in suo cœtu sana doctrina plantaretur, sed ut etiam fòràs ille salutaris fònticulus Euangelij IESV Christi ad uicinas gentes emanaret. Sic consentaneum est, ex Hierosolymis, Antiochia, & alijs celeberrimis locis Asiæ ad alios populos, ueluti colonias quasdam ecclesiæ Christi traductas esse. Ignatius ex uinculis alias Ecclesias, procul dissitas, scriptis erudire & consolari non cessauit. Quanto uerò magis ac liberius idem egit, donec liber Antiochiæ functus est ministerio? Polycarpum Romam uenisse scribunt, ibiq; quasdam hæreses, ut Valentini & Cerdonis, repressisse & extinxisse. Ac de Iohanne euangelista Clemens scriptum reliquit, (ut habet Eusebius libro 3, cap. 22) eum post restitutionem suam sub Traiano factam, ad uicina quoq; gentium loca exiuisse, ut ibi Ecclesias & ministros constitueret, idq; rogatum fecisse. Et considera mirabile Dei consilium. Iohannes in Ephesum ad littus maris Aegæi collocatus est, ut inde quasi ex specula retrò suam Asiam uideret, suaq; fragrantia repleret: ante se uerò Græciam, totamq; Europam haberet, ut inde tanquã tuba Domini sonora, etiam ultramarinos populos suis concionib. ac scriptis inclamaret, & inuitaret ad Christũ: præsertim cum ibi fuerit admodum cõmodus portus, plurimiq; mercatores ac homines peregrini ea loca adierint. Habitauit in eodem littore, non procul à Iohanne, Polycarpus, aliiq; insignes uiri: qui nequaquã canes muti, uerum tubæ sonantes fuêre, ecclesiam Christi perpetuo studio conuocantes.

Decimo Traiani anno, Alexandrũ Romæ magnam Senatorum partem, & Hermetem præfectum cum tota domo, admodũ numerosa familia, & Quirinum tribunum cum suis domesticis, conuertisse ferunt.

Recenset Platina, Romanos episcopos huius ætatis, plures ad diuersa loca episcopos ordinasse: uerùm cum loci non exprimantur, fides penes scriptorem esto.

Sunt qui scribant, Sixtum, quendam Peregrinum nomine, Romanum episcopum, in Gallias misisse, qui eas in fide confirmaret. acceperant enim antea doctrinam Christi ab alijs doctoribus. Benignum, Polycarpi discipulum, in eas quoq; partes deuenisse scribunt.

Anno Hadriani 13, Domini 113, Taurinus, Ebroicensis episcopus decrepitus, à Licinio præfecto flagellatus, & paralyticum sanasse, & sororem illius cæcam, surdam & mutam sanitati restituisse fertur. Licinij quoq; filium extinctum in uitam reuocasse, quidam referũt: qua quidem occasione Licinius, cum uxore Leonilla, & omnibus optimatibus, numero MXX uiri, baptisati sunt: atq; hac ratione latius Euangelium diuulgatum est. Polycarpum ad littora Maßiliæ, item Vagentiam suos discipulos propagandi Euãgelij causa misisse, Vincentius lib. 11, cap. 109 & 113 commemorat: per quos in his quoq; locis Ecclesia aliqua collecta est.

Celebratur autem in primis propagatio in Britanniam sub Eleutherio facta: de qua tamen pleraque tam dubiè & obscurè recitantur, ut propemodum tota hæc historia de fide sua laboret. Iosephum Arimathiensem circa annũ Domini 63, in Britãniam euangelium Christi, cum suis quibusdam socijs pertulisse, & fundamenta Ecclesiæ in ea prouincia primùm cœpisse tacere, supràest commemoratũ. Hinc aliquæ reliquiæ etiam ad hanc præsentem usq; ætatem permanserunt, licet uideantur paulo obscuriores fuisse. Lucio igitur in Anglia imperante, narrant publica ipsius regis autoritate religionem Christianam introductam, & ethnicismum totum destructum esse. Non erat omnino iniquus Lucius Christianorum religioni, statim initio sui imperij. Mouebatur enim nonnihil miraculis illustribus, quæ à Christianis in testimonium et ornamentum suæ doctrinæ passim edebantur: ut Gildas Albanius in libro de uictoria Aurelij Ambrosij refert. Verùm ne prorsus ei assentiretur, retrahebatur auita sua religione, quæ erat ethnica. Altissimè enim hærent, difficilimeq; exanimo eijciuntur, quæ in teneris annis nobis instillata sunt. ad quod accedit, quod natura nostra per se proclior sit ad superstitiones, quàm ad ueram Dei doctrinam, quæ apparet rationi absurdissima. Offendebatur etiam externa specie Christianorum, quòd uideret homines ules & abiectos Christianam religionem profiteri. Præcipuè uerò spectabat Romanos, et ipsum adeò Imperatorem: sicut homines mundani plerunq; potentes spectare, eorumq; exemplum sequi solent. Postea quàm igitur comperit ex legatis Cæsaris, præpotentes atq; illustres quosdam ex Romanis, Trebellium nempe & Pertinacem, aliosq; nonnullos Christianæ religioni accessisse: imò etiam ipsum Imperatorem Christianis æquum factum, miraculosa pluuia à Christianis precibus impetrata permotum: cœpit ipse quoq; Christianorum doctrinam attentius & plenius cognoscere: ac tandem ad Eleutherium, Romanæ ecclesiæ episcopum, Eluanum et Meduinum Britannos doctrina præstantes mittit, ac rogat, ut inde doctores quosdam accipiat, qui Christianam religionem in suo regno, abolito toto Ethnicismo, instaurent. Fugatius itaq; & Damianus in ea loca uenientes, Ecclesiam partim reformant, partim constituunt. Hæc anno Domini 179 contigerunt. Ad hunc ferè modum Balæus in suo Catalogo, aliiq; ista commemorant.

Nauclerus Chro. ge. 6. fol. 25 ait, circa annum Domini 156 hanc propagationem factam esse. Heinricus de Erphordia, anno Domini 169: anno Veri 19, secundum quosdam, 6 Commodi. In historia Timothei est, ipsum

est, ipsum Eleutherium in Angliam uenisse: id quod Historici tamen non recipiunt.

Fabulam denique omnino respiunt, quòd Lucius rex imperio suo sponte abdicato, imò etiã tota Anglia relicta, factus sit concionator: qui in Gallijs & in Germania, nempe Augustæ & in Suecia passim prædicarit Christum, ac denique Curiensis ecclesiæ doctor effectus, martyrio occubuerit. His fabulis diabolus conspurcauit ecclesiam Christi. Vtut autem sese res habeat, nos quidem satis certò dicere non possumus.

Atque hæc quidem de Britannia, ex alijs breuiter commemorantur. Sed quis tamen fuerit, qui primùm in Britannia Euangelium docuerit, non satis liquet. Illud certè à ueritate alienum non uidetur, eam Ecclesiam initiò à Græcis seu Orientalibus doctoribus, non à Romanis seu Occidentalibus plantatam fuisse: Græcosq; eò ritus ac ceremonias, qualescunq; demum initio fuerint, transtulisse. Cur autem ita sentianus, duobus potissimum indicijs mouemur: quòd Petrus Cluniacensis abbas, ad D. Bernhardũ scribens affirmat, Scotos Græco more suo tempore solitos olim Pascha celebrare, non Romano. Notum uerò est, de hac re acerbè initiò inter Orientales & Occidentales certatum esse. Alterum porrò est, quod Galfridus Cardinalis, qui itidem circiter annum 400 uixit, testatur in sua Britannica historia lib. 8, ca. 4. q; Britanni penitus noluerint recipere Augustinum iuniorem, magni Gregorij legatum, nec ullum pontificis Romani primatum super se agnoscere. Quod itidem nõ obscurum signum est, eò doctrinam nõ à Romanis propagatam esse. Cæterùm quod Innocentius in sua Epistola, dist. 11 cõtrà contendit, Occidentales ecclesias omnes, & etiã Africanas, uel à Petro, uel ab eius aut successorum suorũ discipulis propagatas esse: id putamus magis quodam inanis gloriolæ, terrenæq; potentiæ studio ab eo dici, quàm quod rei ueritas ita se habeat, historijsq; probari possit. In promptu enim est exemplũ Pauli, ac eius discipulorũ, qui negat se à Petro esse missum aut uocatum: et tamen etiam in Occidentalib. ecclesijs multum cũ suis laborauit. De Ioseph o Arimathiensi suprà facta est mentio.

Sub Commodo imperatore, in Indiam quoq; memorabilis instauratio accidit, circa annum Christi 178. Nam Indi, ut Hieronymus in uita Panteni refert, ad Demetrium, clarissimum episcopum Alexandrinæ ecclesiæ, nuncios ablegarunt, petentes, ut eruditum ac pium doctorẽ sibi mitteret. Erat enim Alexandria cùm propter literarum studia, tùm uerò omnium maximè propter sinceram Euangelij doctrinam, etiam in longinquis regionibus celeberrima. Deligitur aũt uir doctrina & pietate præstans Pantenus, qui & peregrinationem non inuitus suscipit, & fœliciter expedit. Non aũt primus in Indiam euangelium Christi intulit Pantenus, ut ex superiori Centuria patet. Præterea eius rei & hoc argumentum est, quòd in eo loco euangeliũ Matthæi Hebraicis literis à Bartholomæo descriptum inuenerit, secumq; Alexandriã deportauerit. Quapropter consentaneum est, eum in quibusdã locis Indiæ ecclesias correxisse, in alijs de integro restituisse, uel etiã plantasse. Apud Brachmanos, & circum ea loca eum docuisse, Hieronymus in epistola ad Magnum testatur.

CAPVT III.

DE EXTERNO STATV, HOC est, de persecutionibus & pace Ecclesiæ.

IAM igitur paulatim propius ad Ecclesiæ descriptionem accedamus. Eius enim domicilium hactenus utcunq; monstratũ est: nunc uerò, qualibus temperatibus incolæ Ecclesiæ, in hoc quasi uasto mundi ipsius mari, sint usi, considerandum est: nempe qua ratione, quibus artibus, insidijs & crudelitatibus, Diabolus eiusq; satellites conati sint ecclesiam Christi concutere atq; euertere, & quomodo interdum Deus ei quasi Halcyonia quædam inter medias procellas dederit: quæ quidem res miraculosam Dei gubernationem & ingentem misericordiam erga suam Ecclesiam perpetuò declarat & commendat.

Primùm autem, cum Diabolus immani odio contra Christũ eiusq; Ecclesiam flagret: & illud diuinũ oraculum, Tu mordebis calcaneum seminis, ad finem usq; mũdi impleri oporteat: facilè est cogitare, q, his præsertim temporibus, tantisq; incrementis regni Dei, nihil nõ molitus sit, quo gloriã Christi, hominum salutem ac ministeriũ uerbi impediret, cõspurcaret, aut etiã funditus euerteret ac deleret, suamq; aulam ampliaret, & tanquã fortis armatus cum potentia tueretur. Literis igitur proditũ est, tum maximè diabolũ externo & interno bello ecclesiã Dei acerbè et crudeliter infestasse. uerùm de externa eius, nempe corporũ oppugnatione, hoc Capite disseremus: de interno paulo inferius.

DE PERSECVTIONE sub Traiano.

DOmitiano igitur, cùm alioqui graui omnibus hominibus tyrãno, tùm uerò in primis Christi & ecclesiæ Dei acerrimo hoste, è rebus humanis sublato: & succedente Nerua, ut est superiori libro expositum: publico decreto pleraque Domitiani iniusta & crudelia edicta cassantur, ea ratione, ut Christianis aliqua pax concedatur, & exulibus in sua loca & functiones redire liceat. In his quasi indicijs, etiã Iohannes euãgelista, ex Patmo ad suos Ephesios reuersus est, & ecclesia Christi mediocriter respirauit, ac ueluti sereno cœlo sementis Verbi diuini passim fœliciter facta est. Verùm eam fœlicitatem mox inuidit ecclesiæ Christi Diabolus. Nerua enim post unicũ imperij sui annum extincto, in imperium succedit Traianus, circa annum Christi centesimũ: ac imperio præfuit annos 19, menses 6. Mox igitur aliũ statum uel conditionem Ecclesia accepit. Erat alioqui M. Vlpius Traianus ciuiliter bonus ac laudatus princeps, ob iusticiã & humanitatem clarus adeò, ut postea lætæ acclamationis, quoties crearetur Cæsar, præbuerit formulã: Sis fœlicior Augusto, melior Traiano. estq; argumentum nõ pessimæ naturæ, q, aliquando præfectũ prætorij eligens, & gladiũ ei tradens, fertur dixisse: Hoc ense cõtra meos hostes utêris, cum tibi iusta mandauero: quod si uerò me uideris iniustè agere, contra me ipso utitor. Sed cum distinctæ sint uirtutes politicæ & Christianæ, quod ad regnum hoc cœleste seu spirituale ipsius Christi attinet, talem se præstitit, ut tertius inter hostes Christi &

cruentos persecutores ecclesiæ Dei, nempe à Nerone ac Domitiano, connumeretur. Occasiones autem fuêre tales. Fuit Imperator, quod dici solet, à teneris annis, ethnicis superstitionibus imbutus: deinde & aliàs gubernatores rebus politicis quasi spinis quibusdam irretiti, non inquirunt diligentius religionis negocia. Adhæc, summa etiã hominis sapientia & iusticia, est naturà inimica Deo: ut plerunq; homines, quo sunt ratione excellentiori præditi, eo magis mysterijs Dei ac regno Christi aduersentur. Ex hisce igitur quasi intimis consiliarijs Traianus nauseam & odium erga religionem Christianam, utpote suis superstitionibus contrariam, naturà habebat: postea uerò improbi magistri ac instigatores accedebant. & scribunt historici plures, Imperatorem non tam à natura ad profusionem sanguinis inclinatum, quàm à consiliarijs fuisse deceptum & instigatum: in primis uerò (ne non diabolus suum antiquum obtineret) ab ethnicis sacrificis esse concitatum & inflammatum, nempe à Publio Tarquinio sacrorum principe, cum Mamertino urbis præfecto: ut Nauclerus refert. Ac numerarunt idolorum sacrifici præfectis pecuniam, ut Christianos tanquam hostes suos è medio tollerent: testante id Freculpho lib. 2, cap. 20. Plausibilis etiam causa quæsita, & insidiosè amplificata est. Postquã enim in conspectu esset, religionem Christianam indies magis magisq; augeri, præcauendum esse sentiebant, ne imperium Romanum inde aliquid detrimenti caperet: sicut etiã Sabellicus scribit, piorum numerum & multitudinem suspectiorem fuisse Traiano, quàm ipsam religionem. Eiusmodi enim criminationibus Monarchæ, suæ potentiæ præter necessitatẽ anxiè metuentes, plus quàm ullis alijs afficiuntur. Prædarum quoq; occasiones qualescunq; plurimi, præsertim uerò aulici, cupidè uenantur. Neq; uerò hoc prætermittendum est, quod Nauclerus prodit, Euaristum constituisse, ne plebis in Episcopum reciperetur accusatio. hac tam regia uel tyrannica potius lege permotos esse politicos uiros, & ipsum adeò Traianum, ut metuerent, ne quando illi doctores Christianorum autoritate & potentia crescerent, Romano imperio detrimentum insigne inde emergeret.

Fuerunt autem, ut fieri solet, plurimæ causæ, quæ simul concurrerunt, & crudelitatem tum excitarunt, tum auxerunt. Est enim Diabolus, in persecutionibus contra Christum & eius membra concitandis, mirus rhetor: ideò prætextus multi fuerunt. Fecerat & senatus Romanus, Traiano bellum in Oriente gerente, decretum cõtra Christianos: quasi essent hostes Deorum immortaliũ, reipub. & religionis Romanæ. Etenim graue ipsis uidebatur, patriã & auitam religionem labefactari, aboleri, nouamq; induci.

Itaq; & blasphemiæ & seditionis crimen Christianis intentabatur. Addebatur et hoc, quòd Christiani statuis Imperatorum thure ac uino sacrificare nollent (id quod inter idololatricas gentes publicum læsæ maiestatis crimen habebatur) cæterisq; simulachris, quæ sola pro dijs habebant, colebantq; per orbem, nihil diuini honoris exhiberent.

Porrò, quo anno sui imperij eam persecutionẽ cæperit, non tam accuratè annotatum inuenimus: uerisimile tamen est, eum statim unà cum assumpto imperio, aut certè non multo pòst, cœpisse in Christianos sæuitiã exercere: utpote homo ethnicus, et plurimis Christi hostibus stipatus, neq; erat adhuc Domitiana persecutio penitus abolita, præsertim cum Nerua uix annum imperio præfuisset, ut dictum est. Scribit Heinricus de Erphordia, Traianum secundo anno mouisse persecutionem, uerùm septimo demum acrius ursisse.

Non autem uno tantùm in loco ea persecutio grassata est: siquidẽ à tali capite, nempe Monarcha, mota fuit: passimq; per omnia Romani imperij loca (quod tum non modò Europam, sed maximam etiam Asiæ & Africæ partem adhuc complectebatur) sese extendit. Ac docet rerum usus, Regum ministros aut præfectos promptissimos esse ad talia obsequia, ut qui gratiam ac sua quædam commoda in illis rebus uenentur. Proscripta enim Christianorum bona istæ Harpyiæ ad se rapiunt, & uestimentis Christi sese palliant & ornant.

Apparet autem ex Plinij Secundi scripto, publica mandata ab Imperatore, ad omnes omnium prouinciarum præfectos esse missa, quæ quidem necessitatem persequendi cuilibet præsidi attulerunt: ac testantur autores, infinitos Christi fideles sub hoc Imperatore interemptos esse. Romæ doctores euangelij Christi, uelut hospites & omnis politicæ dominationis & mundanorum bonorum expertes, doctrinæ & orationi incumbebant in eo, quo dabatur, tuguriolo: ac confessione parati erant pro Christo ceruicem præbere. Ratpitur ergo anno Traiani quarto Euaristus ad supplicium. de crimine cõtra eum, suprà dictũ est: sed præcipuum erat, quòd Christianorũ doctor haberetur. Scribũt historici passim, q. sub Traiano Clemens, Alexander, Quirinus, & filia eius Balbilia, Sulpitius & Seruilianus, & Domicilla Serapia, Nereus & Achilleus, alijq; plures passi sint. Eandẽ uiolentiã & cæteri per Italiam doctores & Christiani experti sunt. Hierosolymis per Attieum Consularem persecutio uiget: ac Simeon Cleophæ filius, Christi consobrinus, cum quidem annorũ esset CXX, cruci affigitur. Crimen est, quòd Christianus, & ex posteris Dauid, Christiq; agnatus esset, & citatur ab Eusebio lib. 3, cap. 32 Egesippus, q affirmat, ab hæreticis Simeonem esse accusatũ eo, quo diximus, modo. Qua aũt ratione reliqui priuati Christiani sint tractati, fortè ob multitudinem non est in listeras relatum. Idem quoq; ait, episcopos Hierosolymitanos tanquã martyres & testes præfuisse. unde colligi potest, ipsos in maximis periculis & afflictionibus ibi docuisse: nec habuisse uel magnificos & splendidos titulos, uel etiam dominationem ullam politicam.

Antiochiæ uerò Traianus rediens ex bello, deos suos laudat, ijsq; pro uictoria sacrificat, & miseros Christianos interfici curat. Præcipuè aũt clarissimum doctorem Ignatium, discipulũ apostoli Ioannis, ei Ecclesiæ eripit, ut postea dicetur. In Ponto Phocas episcopus iussu Traiani, eo quòd Neptuno sacrificare nollet, in caminũ ardentis calcis detrusus est per præceps, ac postea in thermas coniectus & necatus.

Quin & singulatim per ciuitates, populus insanus contra Christianos persecutionem exasperabat. Cancia, quibus populus est obnoxius, ministerio uerbi nolsæ nõ sunt obscuræ: nempe quòd partim peccata atrolent argui: partim quòd apud Imperatorem plurimi

gratiam

gratiam inire ſtuderent, & munera captarent. Ideò & gradibus dignitatũ multi deijciebantur, bona publicabantur, extorquebatur pecunia: ſicut præfecti, præſertim impij, norunt eius rei infinita aucupia. Sed iſtæ crudelitates nequaquam oppreſſerunt eccleſiam Dei: uerùm, ſicuti palma aduerſus impoſitum pondus aſſurgit, lætiuſq; uiret: ita Eccleſia etiã eo tempore, inter medias cruces, gladios, ignes, innumeraq; tormenta ſubinde reuireſcebat et accreſcebat. id quod ex ſcripto Plinij & ſequenti hiſtoria manifeſtum eſt.

Addendum & hoc eſt, doctores tempore perſecutionis Traianæ ſe inuicem & ſuos diligenter cohortatos eſſe ad patientiam. Sic Ignatius Polybium conſolatus eſt, in epiſtola ad Trallenſes: Euſebius lib. 3, capite 35. Clemens Chriſtianos ad marmora damnatos, ad Cherſonam: Freculphus lib. 2, ca. 10. Item paſſim communes fuderunt preces pro conſeruatione Eccleſiæ, & conſtanti confeßione martyrum: ut patet ex epiſtola Plinij, item ex hiſtoria Polycarpi.

Vide igitur quid acciderit, & quomodo aliqua qualiſcunque ſerenitas exorta, Dei beneficio, fuerit. Circa annum Traiani 14, Domini uerò 112, Plinius Secundus literis & facundia celebris, proconſul Bithyniæ, erat inter cæteros iudices perſecutor datus, ut ait Tertullianus. is multitudine martyrum quotidie iugulatorum, ingenti ſpiritu & fide Chriſtum confitentium, & ferè ultrò martyria propter Chriſtum expetentium, territus eſt, ut paulo altius eam quotidianam mactationem ſecum perpenderet. Deprehendit enim, Chriſtianos nullorum facinorum reos eſſe: ſed duntaxat ſuum Chriſtum colere, & ſeſe ad pietatem & honeſtatem obſtringere. Cum igitur ex literis humanitatem hauſiſſet, innocentes non debere tantis cruciatibus trucidari, conſcientiæ gratia etiam homo etõnicus, Deo tamen ſuo quodam conſilio omnia iſta mirabiliter moderante, ſeriò cogitat, de mitigandis hac tam iniqua, tamq; cruenta perſecutione: literaſq; ad Traianum mittit, rem omnem, quantam habet, cognitam exponit, & ea ratione qualemcunq; relaxationẽ impetrat. Mandat enim Imperator, ne magiſtratus Chriſtianos amplius quærat, ſed ultro oblatos ab accuſatoribus puniat. Ad eam quoq; rem non parum habuerunt momenti, quotidianæ piorũ preces, à Chriſtianis ad Deum de hac ipſa perſecutione factæ. Cum aũt hæ literæ Chriſtianis innocentiæ teſtimonium perhibeant, & ipſos tyrãnos coarguant, quòd cauſa non explorata inſontes Chriſtianos trucidarint: uiſum nobis eſt, utraq; ſcripta integrè huc collocare.

Epiſtola Plinij ad Traianum, ut extat in eius libro.

Solenne eſt mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poteſt melius uel cunctationem meam regere, uel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam: ideò neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleat, aut quæri. Nec mediocriter hæſitaui, ſit ne aliquod diſcrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robuſtioribus differant: detur ne pœnitentiæ uenia, an ei qui omnino Chriſtianus fuit, deſiſſe non proſit. Nomen ipſum, etiamſi flagitijs careat, an flagitia cohærenti nomini puniantur. Interim in ijs qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum. Interrogaui ipſos, an eſſent Chriſtiani: confitentes, iterum ac tertiò interrogaui, ſupplicium minatus: perſeuerantes duci iußi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod fãterentur, peruicaciam certè & inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alij ſimilis amentiæ, quos, quia ciues Romani erant, adnotaui in urbem remittendos. Mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine autore, multorum nomina continens, qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, cum præeunte me deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulachris numinum adferri, thure ac uino ſupplicarent, præterea maledicerent Chriſto: quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt reuerà Chriſtiani: dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negauerunt: fuiſſe quidem, ſed deſiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante uiginti quoque. Omnes & imaginem tuam, deorumq; ſimulachra uenerati ſunt: ij & Chriſto maledixerunt. Adfirmabant autem hanc fuiſſe ſummam uel culpæ ſuæ, uel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem, ſeq; ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium: quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua & hæterias eſſe uetueram. Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet ueri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quàm ſuperſtitionem prauam & immodicam: ideoq; dilata cognitione, ad conſulendum te, decurri. Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam, uocantur in periculum, & uocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, ſed uicos etiam, atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt: quæ uidetur ſiſti et corrigi poſſe. Certè ſatis conſtat, propè iam deſolata templa cœpiſſe celebrari, & ſacra ſolennia diu intermiſſa repeti, paſſimq; uenire uictimas, quarũ adhuc rariſſimus emptor inueniebatur. Ex quo facilè eſt opinari, quæ turba hominum emendari poßit, ſi ſit pœnitentiæ locus.

Epiſtola Traiani ad Plinium.

Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in uniuerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt. ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt: ita tamen, ut qui negauerit ſe Chriſtianum eſſe, idq; reipſa manifeſtum fecerit, id eſt, ſupplicando dijs noſtris, quamuis ſuſpectus in præteritum fuerit, ueniam ex pœnitentia impetret. Sine autore uerò propoſiti libelli nullo crimine locum habere debent: nam et peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.

¶ Tertullianus aũt de hoc ipſo reſcripto ſic pronunciat:

ciat: O' sententiam necessitate confusa n, negat inquirendos ut innocētes: & mandat puniendos, ut nocētes.

Hac igitur ratione Deus aliquam tranquillitatem suæ Ecclesiæ donauit, ut paululum ires suas recuperaret, & in locum interfectorū alij succederent, latiusq; aliquanto Euangelij doctrina progredi posset: & res ipsa probaret, Ecclesiam sua constantia, confessione & cruce magis frangere persecutorum tyrānidem, quàm cessione, simulatione uel adulatione.

Atqui licet restincta nonnihil fuerit ea tyrannis in innocentes Christianos, non tamen omnino sublata aut prohibita fuit, sed permansit: ut Eusebius libro 3, capite 33, & Nicephorus libro 3 capite 17 narrant. Abundè enim licentiæ in pios grassandi improbis relictum erat, ita ut manifesta & atrociore persecutione utcunque sedata, singulares quædam per prouincias à præfectis & alijs impijs, prædæ iam assuetis inhiantibusq; instituerentur, ac complures hinc inde leui occasione trucidarentur. Quàm enim facile fuit, accusatorem Christiano submittere?

Durauit aūt hæc persequutio fortè circiter annos quatuordecim, ita tamen ut initio in recenti Traiani imperio fuerit lenior, postea subinde magis magisq; creuerit. Non aūt omnes pariter constantes semper manserunt, sed eo quoque tempore non pauci metuentes suo corpori ac bonis, defecerunt. cuius rei testis est Plinius in sua epistola, qui Cæsari refert plurimos à Christianis deficere, ac gentilium dijs sacrificare, ac mitigatione adhibita plures quotidie accessuros esse.

DE PERSECVTIONE sub Hadriano.

HViusmodi igitur statū Aelius Hadrianus, Traiano defuncto, in imperio, anno Domini 120 succedens, & 20 annos imperans, inueniebat: nimirum quòd edictis non erat præcepta Christianorum deletio, sed tamen permissa, ideoq; gliscebāt passim: & impunè organa diaboli, membra Christi affligebant & trucidabant. Rursus igitur mutato imperio recrudescit persequutio. Quod ad politicam illam gubernationem attinet, mediocrem sanè laudem Hadrianus adeptus est. nam ingenio excelluit, & omnium doctrinarum fuit capacissimus: sed mirus fuit occultator suorum uitiorum, ac simulator egregius. cum enim aliquando ob nimiam largitionem reprehensus esset, dixisse fertur, Imperatorem erga unumquemq; debere esse talem, qualem si priuatus esset, sibi uellet esse Imperatorem. At nos de regno Christi, eiusq; Ecclesia hic agimus, ubi Hadrianus non modò nullas portas Christo, regi gloriæ, ut debebat, aperit: sed inter eos milites est, qui Christū in suis membris, præter omnem culpam crucifigunt. Persecutionis autem in Christianos causas propemodum easdem habuit, quas & Traianus. Erat enim ethnicus, & præcipuè susurrones ac criminatores habebat penes se quàm plurimos, Christianos subinde deferentes, & dictitantes, Christianos esse exitiales Romano imperio.

Secundo igitur Hadriani anno, Aurelius comes Alexandrum Romanum episcopum, cum Hermete præfecto urbis, eius uxore, liberis & tota familia, numero MCCL, in carcerem coniecit, & tandem in furno ardenti cremauit. Redarguēs uerò hanc iniquam tyrannidem Theodulus, Alexandri diaconus, idem supplicium subijt. Eadem crudelitate & alios ille comes tractauit.

Narrant & Zenonem, patricium Romanū, cum decem milibus, ducentis et tribus, pro Christo interfectū.

Quinto Hadriani anno, Eustochio, quem Traianus cōtra Barbaros miserat parta uictoria domū redeunti, Hadrianus lætabundus occurrit: & eum introducens, pro uictoria Apollini confestim sacrificat. quod cum Eustachius unà cum ipso facere detrectasset, cū uxore & liberis martyriū perfert. Vincentius lib. 11, cap. 82.

Circa decimum eius annum, Faustina & Iobita in ciuitate Brixiana martyrium subierunt. Eleutherius apud Messanam, cum Anthia matre. Item, Symphoross a cum septem filijs, Sophia cum tribus filijs interficiuntur: ut M. Hermannus narrat. In Hispaniæ ciuitate Compluto, Iustus & Pastor fratres interfecti sunt.

Nono eius anno decem millia martyrū in Armeniæ monte Ararat pro fide Christi crucifiguntur, & nominantur quidē, Achaicus princeps, Heliades dux, Theodorus magister miliū, et Carcerius dux exercitus, cum suis contribulibus, ab Heinrico Erfurdensi: sed multæ circūstantiæ cum fide eius historiæ pugnare uidentur.

Sed ecce, quòd semper Deus clementissimus solitus est facere, quando grassandi libidinem uasa iræ contra dilectos suos omnium maximè uidentur uelle explere, & nihil relinquere, ut eo ipso tempore mirabiliter aliquam quasi tempestatum sedationem suis largitus fuerit: ita hoc etiam tempore, miro Dei consilio, persecutio aliquantulum sistitur, idq; fit hac ratione.

Excitantur diuinitus quidam pij, cordati & docti uiri, qui uidentes Imperatorem impijs quibusdam furijs cinctum, animo eius tantùm ad cædes illas cruentas abutentibus, nec esse ei cognitam doctrinam aut causam Christianam, grauia scripta adornant, eaq; Imperatori exhibent: quibus declarant, quid doceant, quid profiteantur Christiani, & qualis sit eorum conuersatio. Hæc fiunt circa annum Domini 126: Hadriani uerò nonum, uel decimum. Degebat eo fortè tempore Hadrianus Athenis: cumq; ibi Eleusinam intuisens, omnibus penè sacris Græcis initiatus esset, impunè permisit in Christianos sæuire, quibuscunque id libitum fuisset. Proinde Quadratus, Atheniensis antistes, Apostolorumq; discipulus, Imperatori librum pro religione Christiana offerens, demonstrat Christianos præter culpam meritumq; tam indignis modis tractari. Idem facit & Aristides, philosophus Atheniensis, literis & eloquentia, in primis uerò pietate & fide præstans. Nam & coram Imperatore (qui ob hoc etiam celebrari uolebat, quòd eruditis uiris delectaretur) ipsemet luculentissimè perorauit, & Apologiam pro Christianis exhibuit: cuius libris tantam ingenij indolem fuisse eloquentiam, ut philologis adquit Hieronymus ineſſe eloquentiam, ut philologis adhuc ingenij indicium sint. Huc accedit legatus Serenus Granius, uir apprimè nobilis, qui literas gratissimè scriptas ad Hadrianum mittit: iniquissimum esse ostendens, clamoribus uulgi innocentium hominū sanguinem concedi: & sine ullo crimine, nominis tantùm & sectæ reos fieri. Eusebius lib. 4, cap. 8.

Precibus igitur Ecclesiæ suæ permotus Deus, per hos excellentes uiros fuit efficax, ut Hadriani animus, de Christianorum rebus nonnihil plenius edoctus, aliquantulum

quantulum miteſceret, & æquior Chriſtianis fieret. Protinus igitur ad Minutium Fundanum Aſiæ minoris proconſulem ſcribit, Nemini amplius liberum eſſe debere, Chriſtianos ſine certa obiectione criminis politici & probatione damnare. Cum autem & Iuſtinus eam epiſtolam in ſua Apologia citet teſtimonij gratia, nos quoq; eam huc adſcribemus.

Epiſtola Hadriani ad Minutium Fundanum.

Epiſtolã accepi ſcriptam mihi à Serennio Granino, uiro illuſtriſſimo, cui tu ſucceſsiſti. Itaq; non uidetur mihi cauſa hæc ſine inquiſitione relinquenda, ne & homines turbentur, & ſycophantis maliciæ ſubſidium præbeatur. Quapropter ſi prouinciales id quod contra Chriſtianos petunt, comprobare, & pro tribunali reſpondere poſſunt: id ſolum agant, & non ſolùm petant ac uociferentur. Etenim multo magis hoc conuenit, ut ſi quis accuſare uoluerit, id per te cognoſcatur ac dijudicetur. Igitur ſi quis Chriſtianos accuſat, & contra leges agere oſtendit, tum demum pro ratione delicti decerne. Verùm, hercle, ſi quis calumniæ gratia hoc poſtulabit, hunc propter maliciam corripe, & cura ut uindices.

Hoc pacto iterum quædã Halcyonia ſuæ Eccleſiæ, eáq; maiora quàm Traiani tempore, conceſsit Deus, idq; præter diaboli uoluntatem: quamuis & hac ratione nondum omnis inſidiandi & affligendi materia impijs fuerit adempta. Ac Hermannus narrat, Adrianum breui, poſt edictum ad Aſiaticos pro Chriſtianis promulgatũ, mutatum eſſe in priſtinam tyrannidem, et paſſas eſſe Serapiam et Sabinam. Sunt aũt exempla fidei & confeſsionis digna laude, quòd hi tanti uiri, in tantis terroribus piorum, non ſunt ueriti ſua ſcripta exhibere, & ueluti patronos ſeſe omnium Chriſtianorum præbere. Neque hæc uirtus Imperatoris ſilentio prætereunda eſt, quod & accepit clementer ea ſcripta, & iniuſtam ſæuitiam cohibuit.

Cæterùm Diabolus, hoſtis eccleſiæ Chriſti perpetuus & indefeſſus, etiam hanc qualemcunq; pacem, non potuit fidelibus inuiolatam relinquere. nam aliunde iam Chriſtianis internecionem parat. Erat tum Iudaicæ factionis dux Barcochabas, de quo infrà dicetur. Is quo pleniorem manum haberet, Chriſtianos ſolicitat, ut ſibi ſubſidium contra Romanũ militem ferant. quod cum ipſi detrectaſſent, nec fas ſibi eſſe crederent, Imperatori tanquã potestati ſublimiori in terris obedientiã nõ præſtare, uel cum impijs & hoſtibus Chriſti ſe coniungere: mox furioſè in Chriſtianos conuerſus, eos tanquam blaſphemos & hoſtes ad ſupplicia rapit, ac diris cruciatibus perimit. Adrianus autem iſtis ſeditioſis bello armiſq; repreſsis, atq; Iudaica gente ſimul fermè ad internecionem uſque deleta, iterum quandam quietem Chriſtianis peperit.

DE PERSECVTIONE SVB Antonino Pio.

HAdriano è rebus humanis exempto, T. Aelius Arrius Antoninus Pius in imperio ſubrogatur, anno Domini 139: & regnauit annos 23, ob uirtutes politicas laudem conſecutus. Solitus eſt dicere: Se malle unũ ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Statum uerò Eccleſiæ accepit talem, qualem anteceſſor reliquit; nempe quòd, etſi nõ edicto aliquo iugulatur Chriſtiani, tamen paſsim erãt inuiſi, ac premebantur à filijs huius ſeculi, ſuis cupiditatibus cõſulentibus. Initio igitur ſui imperij hinc inde pij interficiuntur: obtendũt Ethnici, (ut ex ſcripto Antonini, quod à nobis paulo pòſt recenſebitur, patebit) q, omnis generis mala, terræmotus, bella ac prodigia propter Chriſtianos, ueluti huius mundi catharmata, ſibi accidant: eáq; ad Imperatorem deferũt. Ex Iuſtino liquet, Chriſtianos de uoluptatibus turpiſsimis, deq; infanticidijs, uel quòd carnes humanas uorarent, accuſatos eſſe.

Idem autor in Apologia inquit, q, Ethnici, quando audierunt Chriſtianos de regno Chriſti dicere, ſuſpicati ſint, eos de terreno agere. Quare tanto magis ſuo regno metuentes, in eos ſæuierũt: cum tamen ſpirituale & æternũ Chriſti regnum tantum Chriſtiani crederent, & expectarent. Quæcunq; etiã ſcelera impuri hæretici patrarũt, ea Chriſtianis ſunt imputata. Fœlicitas igitur cum ſeptem filijs, ob confeſsionem fidei morti tradita eſt: Braxedis itẽ Romæ, ubi ſimul plures Chriſtiani patiũtur. In Hiſpanijs, et Gallijs quoq;, nõ pauci interimuntur: eſtq; inter alios Photinus, Lugdunenſis epiſcopus, cũ quadraginta nouem, in carcerem miſſus, ac necatus. Apud Alexandriam Aegypti Ptolemæus & Lycius, cum multis alijs, pro fide Chriſti patiuntur: ut in Chronico Euſebij indicatur. Iuſtinus in Apologia meminit martyrum, ante ſe, Ptolemæi et Lucij. Etſi igitur tempore huius Antonini paululum remiſsior uideri queat fuiſſe perſecutio: non tamen deſtitit ſuis homicidijs, pro ſua natura membra Chriſti impetere, calcaneumq; mordere, Diabolus.

Non autem omnino clementem fuiſſe erga Chriſtianos Antoninum Pium, præſertim initiò, Tertullianus teſtatur. nam in eo quem ad Scapulam ſcripſit libro ſic inquit: Arrius Antoninus in Aſia, cum perſequeretur inſtanter, omnes illius ciuitatis Chriſtiani ante tribunalia eius ſe manu facta obtulerũt: tum ille paucis duci iuſsis, reliquis ait: ὦ ἄθλιοι, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε; O infœlices, ſi mori cupitis, an non habetis laqueos & præcipitia? Scribit & Iuſtinus in Apologia ſecunda, quanta iniuſticia ac tyrannide Chriſtiani ad ſupplicia ſint abrepti: nempe quòd non ſoliti ſint iudices in delatos inquirere, num alicuius ſceleris rei eſſent: ſed tantùm, quia eſſent accuſati de Chriſtianiſmo, mox punitos: & eam inquiſitionis formam fuiſſe, quòd iuramento adacti fuerint Chriſtiani, ueritatem profiteri, num eſſent reuera Chriſtiani. Apparet quoque ex epiſtola Smyrnenſi, (quæ in Euſebio, lib. 4, cap. 15 recitatur) tyrannos ad defectionẽ hortatos eſſe Chriſtianos, hac uidelicet ratione, ut iurarent per fortunam Cæſaris, ut Chriſto conuiciarentur, ut ſacrificarent idolis. Vide autem qua ratione, & hoc tempore Deus hãc atrocem perſecutionem mitigauerit: quã abſq; dubio conſtanti confeſsione, & aſsidua & ardenti inuocatione Eccleſia Chriſti impetrauit. Sicut enim in ueteri Teſtamento Prophetæ diuinitus in ſummis tribulationibus piorum excitabantur, ut & populum Dei conſolarentur, & tyrannorum impetus frangerent: ſic & hoc tempore Iuſtinus philoſophus Chriſtianus, uir doctiſsimus, excitatur. is ad Antoninum imperatorem, eius filios ac Senatum Romanũ, Apologias pro Chriſtianis feruenti zelo plenas ſcribit, apertè aſſeuerans, Chriſtianos inſontes

insontes plecti: ipsosq; iudices, non examinatis causis, affectu temerario flagelloq; furiarũ percitos, occidere indemnatos, absq; ullo respectu iusticiæ: cum eam, quæ uera & sola sit, religionem Christiani profiteantur. Accedũt et aliorum Asiaticorũ scripta: tantumq; Deo cooperante obtinetur, ut Imperator literas in Asiam de coercẽda persecutione mittat, quæ quidẽ sunt eiusmodi.

Literæ Imperatoris.

Imperator Cæsar Aurelius, Antoninus, Augustus, Armenicus, Põtifex maximus, tribunitia potestate functus quindecies, Consul tertiò, cõmunitati Asiæ salutẽ.

Ego quidem etiã Dijs hoc esse curæ noui, ne qui tales sunt lateant. Nam hi eos q̃ se adorare nolũt, magis puniunt q̃ uos, quos in perturbationẽ conijcitis: ac sententiã eorum quã de uobis habent, cõfirmatis, qua uos tanquã impios accusant. Est aũt illis optabile, ut accusati pro Deo suo mori malle q̃ uiuere uideantur. Vnde et uictores euadũt, animas suas potius tradentes, quàm uobis ad ea quæ petitis ut faciãt, obtemperãtes. Haud uerò absurdũ fuerit admonere uos de terræmotibus, q̃ facti sunt ac fiunt: ut cum tristamini, quando fiunt, res nostras cum illorũ conferatis. Illi meliore erga Deum animãtur fiducia: uos uerò per uniuersum tempus, quo ignorãtes estis, & Deos alios colitis, & religionẽ erga immortalẽ negligitis: ac Christianos illũ colentes pellitis, et ad mortẽ usq; persequimini. Pro talibus iam etiã multi prouinciarum præsides diuinißimo quoq; patri nostro scripserũt: quibus et rescripsit, nõ esse tales molestandos, nisi quid cõtra Romanũ imperiũ tẽtasse deprehendãtur. Et mihi etiam multi de talibus significarunt, quibus etiã secundum patris mei sententiã rescripsi. Si uerò posthac quisquã negocium talibus, tanquã talibus, facessere perrexerit: is qui defertur, ab accusatione sit absolutus ac liber, etiamsi talis esse deprehendatur: delator uerò pœnæ subiaceat. Propositum est hoc edictũ Ephesi, in publico cõuentu Asiæ. De his ita gestis testatur etiam Melito Sardensis ecclesiæ episcopus, eodem tempore clarus: quod patet ex dictis illius, quæ in utilißima illa Apologia scripsit, quam Imperatori Vero pro doctrina nostra obtulit.

Testatur Melito, referente Eusebio lib. 4. cap. 26, Antoninum Pium generaliter ad omnes ciuitates pro Christianis scripsisse: singulariter tamen ad Larissæos, & Thessalonicenses, & Athenienses.

Hac igitur ratione rursus quædam persecutionis remißio interiecta est, qua Deus suam præsentiam, curã ac gubernationẽ declarauit. Non est aũt istis ferè continuis persecutionibus ecclesia Christi deleta, sed (ut inquit Nicephorus lib. 3. ca. 22.) res Christianorũ quotidianum incrementũ cœperũt, radicibus Apostolicorũ uirorũ, quorũ tum adhuc multi in uita erãt, doctrinæ altè actis, & sanctorum sanguine uberrimè rigatis.

In primis aũt hæc præclara Iustini uox, in colloquio cum Tryphæo, hic locũ habet. Quod aũt, inquit, nos in Iesum credentes nemo terrere aut domare ualeat, apparet quotidie. Cum enim obtruncemur, crucifigamur, obijciamur bestijs, ignibus, alijsq; tormẽtis tradamur, tamen à cõfessione nõ discedimus: sed quanto magis in nos sæuitur, tanto plures pietatẽ, fidemq; per nomen IESV profitentur, haud secus q̃ si quis uitem putatione prouocet ad ubertatem. nam uitis à Deo & seruatore Christo plãtata, est eius populus. Hactenus ille.

De persecutione sub M. Antonino Vero.

Antonino Pio sene septuagenario, apud Lorium uillam urbi uicinã, placidißimè uita defuncto, in regnũ successit M. Antoninus Verus, frater eius, & imperium per annos 18 administrauit. Is quantũ ingenio et eruditione ualuerit, nomẽ ipsum Philosophi indicat, quo se cognominari passus est. Etenim à philosophiæ studijs, nec imperij negocijs arduis, nec bellicis occupationibus, ut Spartianus scribit, auocari aut distrahi se unquã siuit. Ex illis optimus Imperator formatus, multa in rempub. Romanã contulit præclarißima merita. Talẽ deniq; se omnib. præstitit, ut ab omnib. amaretur.

Dignæ quidem hæ uirtutes commemoratione sunt, & in principe admirandæ: sed tamen uera laude, nempe pietatis, carent. Nam quò in suos hic Antoninus cõmodior, eò in Christianos, eorumq; religionem grauior fuit: & ut homo Stoicus, & à primis annis in Saliorum sacrificulorum collegio educatus, durior.

Mouisse igitur eum quartã à Nerone persecutionẽ, cum ipso statim regni sui initio, Euseb. lib. 4. cap. 15 indicare uidetur. Cum ante eum benè quidẽ & tranquillè habere Ecclesia potuisset, si bonus et à sanguine abhorrens princeps Antoninus Pius, resistere furorib. eorũ q̃ in Christianos sæuiebãt, potuisset. Nam quis tum ecclesiæ Christi status fuerit, apologia Iustini ad Antoninum Pium scripta abũdè testatur. Sunt qui anno sexto regni M. Antonini, hãc persecutionẽ motã prodiderint: ut Heinricus de Erfordia, & alij, sed ipso anno XVII huius Imperatoris motam ab eo persecutionẽ uehementißimè fuisse, Eusebius in proœmio libri 5 indicat.

Cœpisse aũt, & creuisse eam persecutionem per edicta Imperatoris, quæ belli cõtra Christianos & furorũ semper tubæ fuerũt, res ipsa indicat. Nam in Pandectis tale quoddã eius rescriptũ proponitur, ut in insulã relegẽtur, q̃ aliquid faciũt cõtra superstitionẽ gentilem. Et ex Melitonis apologia ad Antoninũ Eusebius quædã recitat, inter quæ & illud habetur: piã gentem persecutionẽ pati ex edictis in Asia propositis, quibus freti et incitati sycophantæ, et alienorũ bonorũ appetitores, manifestè latrocinẽtur. Meminit epistola martyrum Galliæ etiã præsidum, quorũ semper tyrãnis in Christianos miseros atrocior erat, q̃ ipsorũ Imperatorum: quibus etiã inuitis, hæc sæuitia interdũ grassabatur. Meminit & rescripti Imperatoris ad præsidem, Christianos in cõfessione perseuerãtes capitis supplicio afficiendos esse, negãtes uerò dimittendos. Deniq; satis erat ubiq; persecutorũ, modò Imperatores cõniuere uisi essent, q̃ nouis subinde excogitatis crimibus, uulgus insanũ alioqui et temerariũ, si quid cõtra Christianos suscipiendũ esset, ad maiorem audaciã & sæuitiam armarũt, ac nouis quasi furijs excitarũt. Narrãt scripta de martyrib. Gallicis, Ethnicos instigasse Christianorũ seruos, & tormentis adegisse, ut talia de Christianis diuulgarent, qualia ab hominib. fieri posse, nefas sit credere: nimirũ quòd ad morem Thyestei conuiuij, incestibus uescerentur, et Oedipodeis incestibus se polluerent. Hisce igitur detestandis crimibus moti, illi etiã qui moderatius antea in causa Christianorum egerant, licentius nũc & crudelius aduersus eos sæuiebãt.

De loco iam meminimus. nã in his duabus celeberrimis Galliæ ciuitatibus, Lugduno nempe, & Vienna, qua fuerit sæuitum crudelitate in Christianos, præci-

puo

puos quidem & gubernatores ecclesiæ Christi, ipsorũ indicat epistola, cuius exemplũ infrà subijciemus. Nec quisquam putet, mitius fuisse actum aut in alijs eius prouinciæ locis, aut cũ reliquo Christianorũ cœtu: quandoquidem nulla reuerentia, nullo pudore accusatores & persecutores, in præcipuis & gubernatoribus ipsis explorandis & producendis usi sunt, quorum aliquos epistola recensẽt: ut Vetium quendam Epagethum excellentis spiritus iuuenem, Zachariam presbyterũ Vimemensem, Sanctum, Maturum, Attalum, Blandinam, Alexandrum, Alcibiadem, & alios.

Romæ qui status Ecclesiæ fuerit, Iustinus hoc tempore, morte ibidem affectus, testimonio esse potest.

Tantum uerò abest ut in Asia quicquam remiserint persecutiones, ut etiam maximas in ea tum fuisse Eusebius significet lib. 5. cap. 15. ubi de martyrio Polycarpi prolixè per epistolæ fratrum Smyrnensium exemplum exponit, quod infrà subijciemus. Certè Athenienses offensos magnitudine persecutionũ, in quibus Publium episcopum amiserant, penè à fidei doctrina defecisse: Eusebius ex epistola Dionysij Corinthij ad Athenienses recitat, lib. 4. cap. 23.

De artificijs cruciatuum sciendum est, nihil tam atrocis supplicij & cruciatus ab immanissimis quibusq; tyrannis & organis diaboli excogitari potuisse, quo non digni Christiani iudicati sint. Gallorum epistola aliquot sat crudeles formas enumerat: ueluti insidias domi foriscq;, & in omnibus publicis locis inclamationes, plagas, tractiones, direptiones, lapidationes, conclusiones, applicationes laminarum candentium, carceres tenebrosos, inclusiones in equuleo ad quintũ punctum, in ipsis custodijs strangulationes, bestiarum dentes, ferreas sartagines, patibula, uentilationes ex cornibus taurorum, & similes. Addita est insuper & alia sæuitia. Dissectis enim in carceribus & alibi mortuorum cadaueribus, canes custodes additi sunt, ne sepulturæ officium cuiquam contingeret: neque uel precibus ab illis sepulturæ impetrari potuerunt.

Sed eas crudelitates omnes, in causa omnium optima, nempe ipsius Christi & cœlestis doctrinæ confessione, non fortiter modò & alacri animo, Spiritu sancto eos sustentante, pertulerunt: uerùm etiã consolationibus alij alios animosè confirmarũt, ut ne quidẽ ab atrocioribus supplicijs sibi metuerent. Denq; una hæc omnibus cura fuit, ne quis eorũ infirmitate aut cruciatuum perferendorũ impatientia uictus succumberet, ac Christũ suum turpiter abnegaret. Sicut decem aliquos ex glorioso eo martyrij stadio resilijsse, epistola testatur: sed qui nõ multo pòst redierint, & ornamẽtum martyrij cum alijs receperint. Qui uerò in abnegatione perstiterunt, durioribus supplicijs, non ut Christiani solum, uerùm ut homicidæ & sceleſti, adiudicati sunt.

Hac igitur de causa, summo rerum Christianarum moti discrimine, duo nobilissima lumina Asiæ, Melito Sardensis & Apollinarius Hierapolitanus episcopus, pro religione Christiana libros Apologeticos Imperatori Vero exhibuerunt. Sed de Apollinarij scripto reluctum nobis nihil est. Melitonis particulã Eusebius lib. 4. cap. 26 retulit: quæ quia liberum & ingentem animum, & pietatis propagandæ studio feruentem repræsentat, non pigebit nos huc adscribere.

In libello (inquit) ad Imperatorem, talia quædam sub illo contra nos facta describit: Quod enim nunquã est factum, tam persecutionem patitur piorũ genus, nouis edictis per Asiam exagitatũ. Impudentes enim sycophantæ, & alienorũ appetitores, occasionem ex constitutionibus illis adepti, manifestè latrocinãtur noctes & dies, eos deprædantes qui nihil iniqui faciunt. Et post alia quædam dicit: Quod si hoc te iubente cõmittitur, sit rectè factum: iustus enim Imperator, nihil unquam uolet iniusti. Et nos cupidè mortis huius honorẽ ferimus. Hoc aũt solum abs te suppliciter petimus, ut cognitis ipse primùm huius contentionis autoribus, iustè tum iudices, an morte et supplicio, uel salute ac quiete digni sint. Si uerò uolũtas hæc, & nouum illud edictum penes te non est, quod ne cõtra barbaros quidem hostes decorũ esset: multo magis precamur, ne nos inhonesta hac deprædatione pressos contemnas. Hisce iterum subijcit dicens: Etenim philosophia nostra primùm quidẽ inter barbaros uiguit. Cum aũt sub magno Augusti progenitoris tui imperio floreret, facta est maximè imperio tuo fortunatũ bonũ. Ab eo quippe tempore Romanũ imperium magni splendoris incrementum cœpit, cuius tu optatus successor & factus es, & eris unà cum filio. Serua igitur Philosophiã hanc, quæ unà cũ Imperio coaluit, & cum Augusto cœpit, quã & progenitores tui præ alijs regionibus in precio habuerunt. Et hoc maximum est argumentum boni exordij, quod ex quo nostra doctrina unà cũ benè inchoato Imperio floruit, nihil illi mali inde ab Augusti principatu accidit: sed per contrariũ, cuncta splendida & gloriosa, secũdum omniũ uota. Soli ex omnibus Nero & Domitianus ab inuidis quibusdam hominibus persuasi, doctrinã nostram calumnijs obijcere uoluerunt: à quibus & mendaciũ hoc sycophantiæ, irrationabili consuetudine circa tales dimanare cõtigit. Verùm illorũ ignorantiã tui pij patres corrigentes, multos sæpenumerò in hisce rebus temerare conatos, scriptis suis corripuerunt. E' quibus auus tuus Hadrianus, multis quidem alijs, sed & Fundano proconsuli, præsidi Asiæ, scripsisse deprehenditur: Pater uerò tuus, tuus inquam, q cuncta unà cũ illo gubernasti, ciuitatibus de nobis, ne quid temerè nouarent, in quibus & ad Lariſsæos & Thessalonicenses & Athenienses & cunctos Græcos, scripsit. Te uerò, cum maximè in istis eandem cum maioribus tuis sententiam, eamq; multo clementiorem & magis philosophicam habeas, cuncta facturum persuasi sumus, quæ abs te petimus. Hæc ille.

Hæc tam ingenuè, tam fortiter, tamq; magno dicta spiritu, utrum Antonini permouerint animũ, ut æquiorem se & mitiorem Christianis præberet, affirmare non habemus. Missus erat ad eum aliquando legatus Christianorũ Athenagoras, philosophus Christianus: sed odio ignotæ religionis incẽsus princeps, placari nõ poterat. Apparet enim, eius animũ in Christianos ex nulla re alia mutatũ fuisse, q̃ ex pluuia miraculosa, precibus Christianæ legionis, quæ postea Fulminatrix ab eo dicta est, impetrata, in bello Marcomãnico: quæ & siti languentẽ exercitũ refocillauerat, & fulmen cœleste qd' hostes barbaros perterrefaceret, oratione impetrauerat. Tum enim demũ Christianis placatus Antoninus, edictis pacẽ illis aliquã cõciliare studuit. Et sicut

Traianus

Traianus præceperat, ne inquirerentur Christiani: ita is accusari etiã uetuit, & accusatoribus supplicium non minus quàm reis minatus est. Quam rem & Tertullianus in Apologetico narrat, & de ea ipsius Imperatoris extare ait literas, quarum exemplum hoc est.

IMPERATOR CAES. M. AVRELIVS ANTOninus, Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, populo Rom. sacroq; Senatui salutem.

Notos uobis facio conatus meos, & successus belli Germanici, quantisq; in hostico laborauerim difficultatibus, circũuentus à draconibus LXXIIII *intra nonum miliarium, eos in propinquo esse indicarunt exploratores, et Pompeianus magister militũ conspectos esse mihi significauit: itaq; sensi, me cũ legionibus prima, decima, gemina, Euphratensiq; penè oppressum ab immensa colluuie, in qua numerabãtur armatorũ nongenta septuaginta quinq; milia: cumq; nõ haberem copias conferendas numero barbarorum hostium precabundus confugi ad opem patriorum numinum: à quibus neglectus, & in arctum redactus ab hoste, acciui quos Christianos uocamus. Ii perquisiti, benè multi reperti sunt. infremui in eos, quòd non debueram, ut postea cognoui ex mirifica eorum potentia: qui mox rem aggressi sunt absq; telis, armis, tubisq;, nimirum abhorrentes ab istiusmodi paratu, & contenti Deo, quẽ circumferũt secum in cõscientia. Credibile est igitur, licet impios existimemus, Deũ pro munimẽto habere in pectore. prostrati enim humi, nõ solùm pro me deprecati sunt, sed & pro præsenti exercitu, petentes opem contra urgentem sitim & inediã. Quintus enim dies erat, ex quo aqua carere cœperamus. eramus quippe in hostili solo, in ipso meditullio Germaniæ. Confestim autem ut procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum: descenderũt de cœlo, in nos quidem frigidissimus imber, in nostros uerò hostes grando mixta fulminibus: ut sine mora sentiremus, præstò esse inuictam opem Dei potentissimi. Iam nunc igitur permittimus esse Christianos huiusmodi hominibus, ne fortè contra nos tale quodpiam telum postulando impetrent: & autorem me interpono, ne cuiquam religio Christiana uertatur crimini. Quod si quis Christianũ detulerit. hoc solo nomine quòd Christianus sit, uolo ut delatus Christianum se impunè fateatur, modò nihil ei obijciatur præter religionem diuersum: delator uerò eius, uiuus comburatur. confessum autem compertumq; Christianum, nolo ad mutandam religionem induci, à prouinciæ præside suo relinquendum arbitrio. Et hoc meum decretum senatusconsulto ratum fieri uolo, iubeoq; proponi publicè legendũ in Traiani fòro, ut inde porrò transmittatur in prouincias, cura Verasij Pollionis urbis præfecti. huius quoq; edicti transscribendi utendiq; copiã permitto omnibus, desumentibus ex nostro exemplari, publicè in fòro proposito.*

Hac igitur occasione spacium aliquod ad respirandum Christianis diuinitùs contigit, præsertim cum & aliæ res interuenirent, quæ Ethnicos à sanguine Christianorum cessare cogerent: ueluti pestis sæua, per Italiam maximè: bella orta per orientem, Italiam & Galliam, ut Aurelius Victor ait: terræmotus, non sine interitu ciuitatũ: fluminũ exundationes: insecta nocentia, & segetes depascentia, ut locustæ, & aliæ calamitates.

DE REBVS ECCLESIAE sub Commodo.

PRæterea Commodus Antonino succedens, ut in cæteris quidem quæ gerebat incommodus fuerit, tamen persecutionem in Christianos minimè mouit. Quod factũ esse Xiphilinus Dionis Epitomistes ideò scribit, quia Marciam quandam cõcubinam, quæ Christianis fauebat, Commodus amaret. Sub eo igitur (ait Euseb. lib. 5. cap. 21.) furor ille gentilium contra Christianos mitigari cœpit, data per gratiam Dei pace uniuersæ per totum orbem Ecclesiæ: quando etiam salutaris doctrina, omnis generis hominũ mentes ad piam uitæ rationis & omnium Dei religionem adducebat, ita ut iam Romæ quoq; plures ex illis qui & opibus & genere illustres erant, ad suam ipsorum salutem simul cum uniuersa domo & familia accederent. Fuisse enim tale quoddam serenum post nubila tristia multa Christianorum, indicant etiã diuersi illi conuentus plurimis in locis super controuersia de Paschate coacti, & liberæ Christianorum doctorum per terras peregrinationes: cum antea persecutionib. grassantibus, uix in latebris tuti fuissent. Attende tamen mirabiles Ecclesiæ uices. Liberata à persecutionibus externis, ab alia statim palæstra excipitur, in qua certaminibus diuersè trahitur & exercetur. Quantum enim laborũ & negociorum Victoris illi conatus toti Ecclesiæ orbi pepererint, infrà dicetur. Natæ præterea & grassatæ hoc tempore sunt hæreses Romæ & in Phrygia, ubi monstrum illud pseudoprophetiæ Montani & Maximillæ, quantũ tarbarit Ecclesiæ, quã uix nacta erat, tranquillitatem, uides. Hinc enim plurimorum doctorum extitêre occupationes in refutanda & reprimenda audacißimæ hæresi, quemadmodum de singulis his paulo pòst dicetur. Nec tamen sine sanguine prorsus Christiano, qualiscũq; fuerit in eos fauor, fuit. Hoc enim tempore sub Commodo, Apollonius senator Romanus, uir clarißimus, cum à seruo suo delatus fuisset, religionem prius medio in senatu Christianam confessus, capitis pœnas dedit. Ad quam crudelem sententiam, Eusebius & Hieronymus significant Senatum adactum esse ueteri quadam lege, quæ Christiani nominis reum confitentem elabi non pateretur: interea uerò accusatori crura suffregisse, ut Antonini edicto satisfaceret.*

Nunc ipsius epistolæ martyrum Galliæ exemplum subijcimus, quemadmodum apud Eusebium lib. 5. cap. 1 descriptum est.

SERVI CHRISTI VIENNAM AC LVGDUnum Galliæ incolentes, fratribus per Asiam ac Phrygiam, eandem nobiscum redemptionis fidem & spem habentibus, pax & gratia & gloria à Deo patre, & Christo IESV Domino nostro.

Magnitudinẽ nostræ huius tribulationis, tantamq; gentium iram aduersus sanctos, & quæ passi sint beati martyres, neq; uerbis edicere, nec scripto exactè complecti possumus. Totis enim uiribus incubuit aduersarius, atque ita iam aduentus sui pro libidine grassaturi præludia fecit, & per cuncta loca transiens suos ad pugnam, contra seruos Dei primùm assuefecit & instruxit, ita ut non solum domibus & balneis ac fòro arceremur, sed & in uniuersum prohiberemur, ne quis nostrùm ullo uspiam loco uideretur.

Restitit

Restitit aũt illi gratia Dei, & infirmos quidem eripuit: quosdam uerò tanquam firmas & immotas columnas in cõtrarium erexit, qui per tolerantiam omnem malitiosi hostis impetum ad se trahere & manus conserere possent, omnis generis probra & supplicia tolerantes, denique & multa pro modicis ducentes ad Christum contenderent: & reipsa ostenderent, nõ esse præsentis temporis passiones futura gloria dignas, quæ in nos reuelabitur.

Et primum quidem quæ à turba uniuersa aceruatim inferebantur, fortiter pertulerunt, inclamationes, plagas, tractus, direptiones, dilapidationes, clausuras, & quæcunq; alia à multitudine efferata uelut hostibus & inimicis inferri solent. Deinde uerò in fõrum ducti, & à Chiliarcho & reliquis urbis potestatibus corã omni multitudine facta confessione iudicati, in carcerem ad præsidis usq; aduentum dati sunt. Postea cum ad præsidem ducti essent, & ille omnis generis atrocitate aduersum nos uteretur, Vetius Epagathus, unus ex fratribus, plenitudinem dilectionis cum erga Deum, tum erga proximum nactus (cuius etiam conuersatio tam erat perfecta, ut licet iuuenis esset, presbyteri tamen Zachariæ testimonio par haberetur: etenim & ipse in omnibus mandatis & iustificationibus Domini inculpatè, & in omnibus erga proximos obsequijs impiger ambulabat) cum multum zelum Dei haberet, ac spiritu feruoreret, iudicium illud quod cõtra nos tam iniquis rationibus fiebat, non tulit: sed uehementer indignatus, petijt ut & ipse rationem pro fratribus, quod in nobis nihil esset impietatis, redditurus audiretur. Reclamantibus autem illi, ijs qui tribunali aßistebant (erat enim nobilis) & præside tam iustam petitionem non admittente, sed hoc solum interrogante, an & ipse Christianus esset? clarißima uoce confessus est: atque ita & ipse in sortem martyrum receptus, ac Christianorum aduocatus appellatus. Cum autem Spiritum paracletum in se haberet plus quàm Zacharias, dilectionis plenitudinẽ in eo declarauit, quòd pro defensione fratrum animam suam ponere dignatus est. Erat enim, & est, germanus Christi discipulus, agnum sequens quócunq; eat.

Hoc exemplo moti etiã reliqui protomartyres, ad martyriũ contendũt, redduntur q; alacres & parati, ac tota animi alacritate martyrij cõfessionem adimplent.

Inuenti sunt autem & alij quidam imparati, & minus exercitati, & adhuc infirmi, magni certaminis uehementiam ferre nõ ualentes: è quibus numero decem prolapsi sunt, nobis q; magnam mœsticiam & immodicum luctum pepererunt: ac reliquorũ alacritatem, qui comprehensi non erant, amputarunt, qui martyrib. ut ut cuncta dira paterentur, unà adfuerãt, nec ab illis sejungebantur. Tum aũt cuncti magnoperè consternati fuimus, propter confessionis incertitudinem: nõ quòd illata supplicia formidaremus, sed quòd ad exitum prospiceremus, & ne quis deficeret uereremur. Comprehendebantur autem quotidie, digni ad hoc ut numerum lapsorũ adimplerent: ita ut è duabus ecclesijs cõprehenderentur, quotquot præcipui erant, et per quos potißimum nostræ ecclesiæ gubernabãtur. Simul aũt & ethnici quidam capti sunt, nostrorũ serui (præses enim nos omnes publicè requiri iusserat) q & insidijs Satanæ uicti, ac tormenta quæ sanctos ferre uiderant, ueriti, militibus etiã eos ad hoc instigantibus, cõmenti sunt aduersum nos Thyestea conuiuia et Oedipodeos incestus, & quæ alia nobis nec loqui nec cogitare fas est: imò ne credere quidem, tale quid unquã ab hominib. esse factũ. Hisce aũt diuulgatis, cuncti in nos sæuire cœperunt: ita ut q antea familiaritatis gratia moderatius egerant, iam uehementer indignarentur ac insanirent aduersum nos. Implebatur aũt hoc pacto quod dictum est à Domino, nempe: Veniet tempus, in quo quisquis uos occiderit, obsequiũ se Deo præstare putabit. Tum igitur tanta sancti martyres pertulêre supplicia, ut omnem narrationem superent: contendente ad hoc Satana, ut etiam per illos blasphemum quid diceretur.

Excellenter uerò totus et populi et præsidis & militum furor incumbebat in Sanctũ, Viennensis ecclesiæ diaconum: & Maturum, recens quidem baptisatũ, sed generosum certatorem: et Attalum Pergamenũ natione, q semper nostræ ecclesiæ columna fuerat & basis: et Blandinam, per quã Christus ostendit, quæ apud homines uilia sunt, et obscura & cõtemptibilia apparent, magna gloria apud Deum digna haberi, propter dilectionem erga se, quam reipsa ostendunt, & nõ in specie tantùm iactant. Cum enim omnes metueremus, et carnalis eius hera, quæ & ipsa una erat è numero decertantium martyrum, anxiè uereretur, ne fortè in cõfessione propter corporis imbecillitatem, non esset confidenter permansura: tanta est Blandina illa uirtute repleta, ut lassarentur & conciderent, qui per uices illam quouis suppliciorum genere, à mane ad uesperam usq; torquebant: seq; uictos esse, nec quicquam habere amplius quod illi inferrent, confiterentur: mirarenturq; quod adhuc spiritum traheret, corpore toto perrupto & aperto: ac simul testificarentur, unum tormentorum genus in se satis ad hoc fuisse ualidum, ut animum illi eximeret, nedum talia ac tanta. Verùm beata, tanquam generosa certatrix, in confessione renouabatur: eratq; illi recreatio, refocillatio & indolentia eorum quæ patiebatur, quoties dicebat, Christiana sum, nec mali quicquam à nobis committitur.

Sanctus uerò, & ipse cuncta ab hominibus illata supplicia, excellenter & generosè super omnes humanas uires ferendo, cum iniqui propter passionẽ aũt tormentorum magnitudinem aliquid ex eo quod indecorum esset, audituros se sperarent, tanta illis constantia restitit, ut nec proprium nomen suum, nec gentem nec ciuitatem unde erat, neq; seruus ne an liber esset, ediceret: sed ad cuncta interrogata, Romana uoce respondet, Christianus sum. Hoc ille & nominis sui, & ciuitatis & generis, & omnium aliorum loco frequenter confitebatur: nec aliam uocem ex illo audiebant Gentiles. unde & uehementer cõtra eum & præses & tortores contendebant. Itaq; cum nihil haberent amplius quod illi facerent, tandem æneas laminas ignitas tenerrimis corporis illius membris applicabant. Et illa quidem cõburebantur, ipse uerò immotus permanebat, imperterritus ac firmus in cõfessione, è cœlesti fonte aquæ uiuæ de uentre Christi emanantis irroratus ac corroboratus. Corpus uerò illius testificabatur de illis quæ illata fuerant. erat enim totum uulnus & cicatrix, & cõtractum: ita ut externã illam humanã formam amiserit,

serit, in quo Christus patiens magnam consequutus est gloriã, dum aduersarium deuicit: & ad documentum reliquorum ostendit, nihil esse terribile, ubi patris dilectio: neq; triste, ubi Christi est gloria. Cum enim iniqui martyrem post aliquot dies iterum torquerent, fisturumq; sperarent, ut si corpori iam tumido & inflato, quando ne manu quidem tractari sustineret, eadem supplicia inferrent, uictores illius euaderent: uel si tormentis moreretur, reliquis metum incuterent: non modò nihil horum illi accidit, sed & præter omnem humanam expectationem, corpus illius in posterioribus tormentis relaxatum ac restitutũ, priorem formam & usum membrorũ recepit: ita ut altera illi tortura per gratiam Christi non supplicium facta sit, sed medela.

Sed & cum Biblidem quandam, unam ex illis qui negauerant, diabolus iam animo concidisse putaret, ac per blasphemiam condemnationi obnoxiam reddere uellet, quasi iam fragilem & pusillanimem, ad supplicium duxit, impia de nobis edicere cogens. Illa uerò in tortura ad se reuersa, & uelut è profundo somno excitata, per temporarium illud suppliciũ de æterna gehennæ pœna cogitauit, & contra spem tortoribus contradicens: Quomodo, inquit, infantes ederent illi, quibus ne irrationabilium quidem pecudum sanguine uesci licet? Ex eo, cum se Christianam esse confessa esset, ad martyrum sortem apposita est.

Cum autem tyrannica illa tormenta, per beatorum patientiam à Christo essent abrogata, alias machinas excogitauit diabolus: nempe, ut in carceres coniecti fideles, locis tenebricosis ac molestissimis includerentur, in eculeo pedibus ad quintum usque foramen extenderentur: & reliqua supplicia, quæ irati ministri, diabolicis furoribus pleni inferre solent, inclusi paterentur: ita ut plurimi in carcere strangularentur, quos Dominus ad hunc modum uitam hanc ingredi & gloriam suam ostendere uoluit. Etenim sancti usqueadeò acerba tortura confecti, ut etiam si omnis generis medela adhiberetur, amplius uiuere posse non uiderentur, manserunt in carcere, humana quidem ope destituti, à Domino uerò corroborati, & corpore pariter & animo confirmati, ita ut & reliquos excitarent & consolarentur. Iuniores uerò qui recens erant comprehensi, quorum corpora antea non fuerant uerberibus cæsa, molestiam inclusionis non tulerunt, sed in carcere sunt mortui.

Beatus autem Photinus, cui Lugdunensis episcopatus diaconatus fuerat concreditus, annos supra nonaginta natus, & corpore admodum imbecillis, cum uix spiritum traheret propter incumbentem corporis imbecillitatem, spiritus alacritate propter conceptum martyrij desiderium corroboratus, etiam ipse ad tribunal ferebatur, corpore quidem cùm propter senũ, tum propter morbum elanguido: anima uerò ad hoc in illo seruata, ut per eam Christus triumpharet. Hic à militibus ad tribunal deportatus, concomitantibus ipsum ciuibus, potestatibus, & omni multitudine uarijs modis quasi ipse Christus esset inclamante, bonum dedit testimoniũ. Interrogatus autem à præside, Quisnam sit Christianorum Deus? Si dignus, inquit, fueris, cognosces. Hoc dicto, atrociter tactus, uarias plagas sustinuit. Etenim qui è uicino erant, manibus illi ac pedibus contumeliam inferebant, nec ætatem illius reuerebantur: qui uerò remotiores erant, quod quisque in manu habebat, in ipsum iaculabantur: putabantq; cũcti, magnoperè ac impiè delinqui, si quis ab hac contumelia illi inferenda abstineret. putabant enim, se hoc pacto Deos suos ulcisci. Aegrè autem adhuc spirans, coniectus est in carcerem, ac post biduum expirauit. Declarata est hic magna prouidentia Dei, & immensa misericordia Iesu Christi, quæ rarò quidem in fraternitate facta, arte tamen Christi non est destituta. Etenim qui in prima persecutione negauerant, simul & ipsi in carcerem sunt inclusi, & afflictionum participes facti. Neq; enim illo tempore aliquid istis, quod negauerant, cõducebat: sed qui quod erant confitebantur, includebantur tanquam Christiani, nec alia illis culpa imputabatur: isti uerò iam quasi homicidæ ac scelesti detinebantur, ac duplo magis quàm illi puniebantur. Illis recreatio erat gaudium martyrij, spes promissorum, dilectio erga Christum, ac spiritus paternus: istos uerò conscientia magnopere cruciabat, ita ut in transitu cunctis reliquis uultus eorũ conscientiæ obijcerent indicia. Nam illi prodibant hilares, uultus habentes gloria & gratia plurimũ illustres, ita ut & uincula decentem illis ornatũ, perinde atq; sponsæ deauratis ac uariegatis fimbrijs ornatæ, præstarent, ac simul bonam Christi fragrantiam olerent, sic ut nonnulli eos mundano unguento unctos esse putarent: isti uerò tristes, abiecti, deformes, omni dedecore pleni, deinde & ab ipsis gentilibus probris affecti, ut degeneres & pusillanimes, homicidij crimen habentes, & preciosissima, gloriosa & uiuifica Christiani nominis appellatione destituti. His autem uisis, confirmati sunt reliqui, & comprehensi absque ulla hæsitatione confessi sunt, ne cogitationem quidem diabolici sensus habentes. Istis paulo pòst iterũ subijcitur: Post ista iam, martyria in omnes formas terminantur ac diuiduntur. Ex uarijs enim coloribus ac floribus unam coronam consertam Deo patri obtulerunt. Oportebat itaque generosos athletas uarium certamen perpessos, ac magnificam uictoriam nactos, magnam referre incorruptionis naturam.

Maturus igitur, & Sanctus, & Blandina, & Attalus, ducti sunt ad bestias, ad populare et publicũ ethnicæ inhumanitatis spectaculum, data per nostros huiusmodi bestialis pugnæ constituta die. Et Maturus quidem & Sanctus rursus in amphitheatro omnis generis sunt supplicijs subiecti, quasi hactenus nihil essent perpessi: imò potius tanquam pluribus iam sortibus repulso aduersario, de ipsa corona certamen sustinẽtes, rursus uerberum illationes, eo loco consuetas, bestiarumq; lacerationes, & quæcunq; populus insanus, alij aliunde uociferabãtur & iubebant, ac super omnia ferream sedem perferunt, in qua corpora ipsorum uelut in sartagine cocta nidore adstantes replebant. Interea tamen ne sic quidem cessabãt, sed adhuc amplius insaniebant, uolentes sanctorum uincere patientiam.

Verùm nec hoc pacto aliud audiebãt ex ore Sancti, nisi uocem illam confessionis, quam inde ab initio proferre cõsueuerat. Itaq; sancti isti cum animas suas per magnum illud certamen diu retinuissent, tandem cæsi sunt: posteaq; toto illo die, loco uaricatis quæ in monomachijs

machijs exhiberi solet, spectaculũ fuerant huic mundo.

Blandina uerò in ligno suspensa, bestijs irruentibus ad uorandum est proposita: quod uel ob id est consilio Dei factum, ut dum in forma crucis suspensa uideretur, per indefessam orationem plurimũ alacritatis inderet sanctorum decertantium mentibus, in agone illo etiam externis oculis in sorore eum cõtemplantium, qui pro ipsis est crucifixus: et ut credentibus in eum persuaderetur, omnes eos cõmunionem habere cũ Deo uiuente, q̃ pro gloria Christi patiuntur. Cum aũt ita pendentem nulla bestia cõtingeret, ligno deponitur: & iterum in carcerem, alteri certamini seruãda, conijcitur, ut plurium certaminũ uictrix tortuosum serpentẽ inexcusabili cõdemnationi redderet obnoxiũ: et fratres excitaret, modica illa, imbecillis & contempta, magnũ & insuperabilem athletam Christũ induta, multis nominibus aduersarij uictrix, & per certaminis illius tolerantiam incorruptionis coronam consequuta.

Attalus aũt, & ipse uehemẽter à populo ad supplicĩũ postulatus (erat enim nominatus) ad certamẽ propter conscientiã paratus progreditur. Etenim generose in Christiana pfessione exercitatus, ueritatis quæ apud nos est semper testis & assertor fuerat. Itaque cum in amphitheatro circũduceretur, & tabula ante eum portaretur, in qua Romana lingua scriptum erat, HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS: & populus uehemẽter in eũ fremeret, cognito Præses q̃ Romanus esset, iussit eũ in carcerem recipi, unà cũ reliquis in custodia existentibus, de quibus Cæsari scripserat, illiusq; adhuc sententiam expectabat. Tempus aũt intermediũ non erat illis ociosum & infrugiferũ, sed per ipsorũ patientiã immensa Christi misericordia reluxit. Per uiuẽtes enim uiuificabãtur mortua, et martyres his qui martyres nõ erant benefaciebant: lætabaturq; plurimum uirgo mater, quæ quos uelut abortiuos ac mortuos amiserat, uiuentes recipiebat. Plurimi namq; qui negauerãt, per illos refingebãtur, regenerabantur, excitabãtur, ac cõfiteri discebant: iamq; uiuentes ac corroborati, suauitatemq; eius experti qui mortem peccatoris nõ uult, sed placabilis est pœnitentibus, ad tribunal accedebant, ut iterum à præside interrogarentur. Quoniã enim Cæsar rescripserat, confitentes esse plectendos, negantes uerò dimittendos: & panegyris iam ordiretur, quæ ex eo q̃ omnes circumquaq; Gentes conibant, frequentissima erat, beatos cõfessores spectaculi gratia ad tribunal ducebat, ac populo ostentabat, atq; ita iterũ inquirebat: & quotquot Romanæ ciuitatis ius habere uidebãtur, illos capite truncabat, reliquos uerò bestijs obijciebat. Glorificabatur aũt Christus plurimum per eos q̃ antea quidem negauerãt, tum uerò præter ethnicorũ expectationem confitebantur. Illi siquidem seperatim quasi dimittendi inquirebantur, et confitentes martyrum choro adiungebantur. Manebant aũt foris, qui ne uestigia quidem fidei, neq; sensum nuptialis indumẽti, neq; cogitationem timoris Dei unquã habuerant: imò per uitæ suæ cõuersationem uiam Dei blasphemauerant, perditionis uidelicet filij.

Reliqui uerò cuncti Ecclesiæ coniungebantur: qui cum interrogarentur, Alexãder quidã, natione Phryx, arte medicus, annos multos in Gallia moratus, ac omnibus fere notus propter dilectionẽ erga Deũ, et loquẽdi fiduciã (nõ enim expers erat Apostolici charismatis) prope tribunal stabat, & eos q̃ interrogabãtur, nutibus ad confitendũ hortabatur, ita ut tanquã dolens ac gestiens manifestus fieret adstantibus. Turbæ aũt molestè ferentes, q̃ qui antea negauerãt, denuò confitebantur: Alexandro reclamabãt, tanq̃ eius rei autori. Vrgente aũt præside, et percontante quis nam esset, respondit: Christianus sum. quo audito, Præses bestijs eum adiudicauit. Sequenti die, unà cũ Attalo producitur. (nam & Attalum Præses populo largitus, iterũ bestijs tradiderat.) Hi cum omnia in amphitheatro ad supplicium parata organa experti, et maximũ agonem perpessi essent, tandem cæsi sunt & ipsi: è quibus Alexãder ne ingemuit quidẽ, nec ullo modo mutiuit, sed ex corde cum Deo loquutus est. Attalus uerò, cum ferreæ cathedræ impositus iam cõbureretur, et nidor ardentis corporis sentiretur, ad multitudinem Romana uoce dixit: Ecce hoc est homines uorare, qd' uos facitis: nos uerò nec homines uoramus, nec aliud quoddã malum facimus. Interrogatus aũt quod Deo nomen esset? Nomen, inquit, Deus, sicut homo, nõ habet. Post hæc omnia, postremo spectaculorũ die, Blandina iterũ, unà cũ Pontico puero quindecim annorũ, producebatur: idq; singulis diebus factũ fuerat, ut reliquorum supplicia cernerent, cogebantq; eos per nomina idolorũ suorũ iurare. Quoniã uerò cõstanter in sententia perdurabãt, & illorũ idola contemnebant: efferata est cõtra eos multitudo, ita ut nec pueri ætatem miserarẽtur, nec muliebri sexui parcerent, sed omnibus eos pœnis subijcerent, & omnibus circuli supplicijs afficerent: ac subinde iurare cogerẽt, quod illi tamen facere nequiuerunt. Ponticus enim ita à sorore animatus, ut & Ethnici astantes uiderent, q̃ illa puerũ hortaretur ac corroboraret, omnis generis supplicijs toleratis spiritũ reddidit. Beata uerò Blandina omniũ nouissima, postquã tanquam nobilis mater filios adhortata fuisset, ac uictores ad regem præmisisset, & cuncta liberorum certamina reputasset, ad eos propter exitum gaudens & exultans, quasi ad nuptiale conuiuium uocata, & non bestijs proiecta, properauit: & post flagella, post bestias, post sartaginem, tandem reti inclusa tauro obijcitur. & cum satis ab ea bestia esset cornibus uentilata, nec ullum eorum quæ acciderant sensum haberet, propter spem & animum in ea quæ credebat intentum, colloquiumq; cum Christo, cæsa est & ipsa: fateneb. hoc ipsis Ethnicis, nunquam apud ipsos talia ac tanta ullam perpessam esse mulierem. Ac ne sic quidem insania illorũ & crudelitas in sanctos quieuit. Etenim feræ ac barbaræ gentes, à fera bestia exagitatæ, quiescere nesciebant.

Aliud itaq; incitamenũ aduersum corpora nostra sæuiendi, contumelia eorũ cœpit. Neq; enim eo placabantur, quòd uincebãtur, eo q̃ humano sensu destituti erãt: sed hinc magis, instar bestiarũ, & præses & populus irritabantur, pari nos odio prosequentes. ut scriptura impleretur, quæ dicit: Qui iniquus est, iniquus sit adhuc: & q̃ iustus est, iustificetur adhuc. Etenim eos q̃ in carcere suffocabãtur, canibus proiecerũt, adhibitis nocte ac die custodibus, ne quisquã illorũ à nobis sepeliretur: platisq; reliquijs cum à bestijs, tum ab igne relictis, ac partim laceratis, partim adustis, deinde & reliquorũ capitibus unà cũ truncis pariformiter inhu-

matis, complures dies militaris curæ custodiã deputarunt. Et alij fremebant, ac dentibus in eos frendebant, quærentes quomodo ampliorem de illis uindictã sumerent: alij uerò ridebant ac subsannabant, idola sua magnificientes, illisq; supplicium nostrorum tribuentes. Qui uerò mitiores esse & aliquantulum condolere uidebantur, admodum exprobrabant, dicentes: Vbi est Deus eorum? Et quid profuit eis ista religio, quã etiam animabus suis præposuerunt? Ad hunc quidem modum erant infidelium uarij affectus. Nos uerò in magno eramus mœrore constituti, quòd non liceret nobis corpora sanctorum martyrum sepulturæ tradere. Neq; enim nox ad eam nobis rem quicquam cõferebat, neq; data pecunia custodibus persuadebat, neq; eos supplicatio flectebat: sed reliquias sanctorum perinde custodiebant, ac si magnum aliquod inde emolumentum consequerentur, si non sepelirentur.

Hisce pòst alia quædam subijciunt: Itaq; sanctorum martyrum corpora omnibus modis ludibrio exposita, ac totis sex diebus sub dio iacentia, denique combusta & in fauillam ab iniquis redacta, in Rhodanũ fluuium è uicino præterlabentem sparsa sunt, ne quicquam ex illis super terram amplius reliquum esse uideretur. Et ista fecerunt, quasi Deum uincere, & sanctorum regenerationem impedire possent: Ne ullam amplius (ita dicebant illi) resurrectionis spem habeant, qua persuasi, peregrinã nobis ac nouam religionem inducunt, & pœnas contemnunt, parati & cũ gaudio ad mortem accedentes. Iam uideamus an resurgant, & an Deus eorũ ipsos iuuare, & è manibus nostris eripere possit.

ECCLESIA DEI QVAE SMYRNAM INCOLIT, ei quæ incolit Philomilium, & cunctis per uniuersum Pontum sanctæ catholicæ Ecclesiæ paroecijs, misericordia, pax & dilectio Dei patris, ac Domini nostri IESV Christi multiplicetur.

Scripsimus uobis, fratres, de ijs qui martyriũ sustinuerunt: & de beato Polycarpo, q persecutionẽ hanc martyrio suo uelut obsignando terminauit ac sedauit. Consequenter, antequã de Polycarpo referãt, de reliquis martyribus cõmemorant, & quã illi tolerantiam in perferendis doloribus ostenderint describunt. Stupebãt enim (inquiunt) circũstantes, flagris eos ad intimas usq; uenas & arterias dilaceratos, ita ut secretiora illa corporũ penetralia, uiscera & membra patefacta uiserentur: deinde & conchas marinas, et acutos quosdam obeliscos martyribus subtratos, & omne genus suppliciorũ & tormentorũ illatum, ac tandem eos bestijs ad deuorandum traditos cernentes. Præsertim aũt de Germanico scribũt, quomodo ille generosißimè perstiterit, ac metum illũ mortis corporeæ naturæ insitum gratia Domini superarit. Et cum eũ proconsul flectere uellet, atq; ætatis eius admoneret, obsecraretq; ut quoniam admodũ iuuenis & in flore esset, suiipsius misereretur: incunctanter & sponte sua bestiam in se illexerit, ac tantum nõ coegerit & prouocarit, ut quàm uelocißimè ab hac iniusta & iniqua uita liberaretur. & quomodo, cùm ille tam illustrem mortis tolerantiam ostenderet, uniuersa multitudo dilectũ Deo martyrem fortitudinis nomine, ac simul uniuersæ Christianorum gentis uirtutem admirata, subitò uociferari cœperit: Tolle impios, quæratur Polycarpus. maximaq; ex clamoribus illis oborta tumultuatione, Phryx quidam nomine Quintus, recens ex Phrygia profectus, uisas bestias ac minas illarũ horruerit, animoq; remisso tandem salutem suam prodiderit. Indicat aũt hunc dictæ scripturæ narratio, nõ religiosè, sed proteruius unà cũ reliquis ad tribunal prosilijsse, ac captum manifestũ omnibus exemplũ dedisse, non debere se quenquã talibus temerè & sine religione cũ audacia ingerere. Sed hactenus de illis narrãdi finem faciemus: de Polycarpo celeberrimo subijciunt, quomodo ille initiò quidẽ hisce auditis imperterritus perstiterit, & animi sui tranquillitatem immotam retinuerit: ac in urbe quidem manere uoluerit, uerùm precibus eorũ qui circa ipsum fuissent, & ut sese subduceret orassent, persuasus, in agrũ haud procul ab urbe secesserit: illicq; cũ paucis cõmoratus, noctes atq; dies fecerit nihil aliud, q quòd precibus immoratus sit: quibus pro pace omnib. per orbem Ecclesijs impetranda, suppliciter orauerit, eo q illi in more perpetuo fuerit: atq; ita inter precandũ triduo antequã cõprehenderetur. in uisione nocturna, lectũ sub capite suo igne accensum, ac subitò consumptũ uiderit: et cum euigilasset, cõfestim uisionem eã præsentibus exposuerit: & quod futurũ erat, nempe q propter Christũ uitam hanc igne depositurus esset, circũstantibus perspicuè prædixerit. Subiungũt, cum iam imminerent qui eum studiosè quærebãt, rursus affectu & amore fratrũ coactũ in alium agrum migrasse, quò tamen paulo pòst persequutores uenerint: ac duobus eius loci pueris comprehensis, unũ ex illis uerberibus eò adegerint, ut illius indicio ad diuersoriũ Polycarpi ducti sint. Huc eos serò ingressos, ipsum in superiore loco domus iacentem reperisse, unde illi posßibile fuerit in alias ædes transmigrare: sed hoc eũ facere noluisse, dixisseq;: Domini uoluntas fiat. Deniq; cum sciret eos adesse, sicut dicta iam narratio habet, descendisse, illisq; admodum hilari ac placido uultu locutũ esse: ita ut mirum fuerit cernere eos, qui uirum hũc iam olim nõ cognouerant, honestam ætatem, grauemq; & constantem uultũ intuentes ac cõtemplantes, eo q tantum studij ad hoc impenderetur, ut talis senex cõprehenderetur. deniq; illũ confestim absq; cunctatione, mensam eis parari iußisse, ac ut cibũ largè usurparent adhortatũ esse, unamq; ab illis horam ad orandũ intrepidè petijsse. Quo concesso, surrexisse & orasse, ita gratia Domini plenũ, ut præsentes & orantem audientes obstupescerent: multisq; illorũ iam doleret, q tam honestus ac diuinus senex esset occidendus. Sub ista, dictũ de hoc uiro scriptũ consequentem historiã his quodãmodo uerbis ponit: Postq; uerò orationẽ terminauit, omniumq; meminit quæ unquã ipsi siue modica siue magna, siue gloriosa siue ingloria acciderũt: & uniuersæ per orbem catholicæ Ecclesiæ hora iam egrediendi existente, asino impositum duxerunt ad urbem, quum magnum esset sabbathum. Occurrerunt aũt ei Irenarchus Herodes, & pater eius Nicetes, qui in uehiculũ assumpto cõsidentes, suadebãt ac dicebant: Quid nam mali fuerit dicere, Domine Cæsar, sacrificare q; ac cõseruari? Ille uerò initiò non respondebat. Vrgentibus uerò dixit: Facturus nõ sum quod consulitis. Illi ubi uidebant ei persuaderi nõ posse, dura loquebãtur, ac studio deturbabant, ut de uehiculo

culo descendens tibiam læderet. Verùm sine ullo respectu, quasi nihil passus esset, alacriter ac sedulò progrediebatur, cõtendens ad stadium. Cum aũt tanta esset in stadio tumultuatio, ut à paucis audiretur, Polycarpo stadiũ ingredienti uox cœlitùs dimissa est: Confortare Polycarpe, ac uir esto. Loquentem uerò ne unus quidẽ uidit, uocem aũt multi ex nostris audierunt. Adducto aũt eo, magnus est strepitus obortus eorũ qui Polycarpum cõprehensum esse audiebãt. Accedentem interrogat Proconsul, Ipsene sit Polycarpus? annuenti, suadet ut neget, dicitq; : Parce ætati tuæ. & alia cõsimilia, quæ illi solent obijcere: Iura per Cæsaris fortunã, resipisce, dic, Tolle impios. Polycarpus uerò cõstanti uultu uniuersam turbam quæ in stadio erat intuens, manu in eam mota, ingemiscensq; ac in cœlũ suspiciens dicit: Tolles hos impios. Instante aũt Proconsule, ac dicente: Iura, ac dimittã te, conuiciare Christo. Respondit Polycarpus: Octoginta sex annos illi seruio, nec me ulla in re læsit unquã: & quomodo possum maledicere regi meo, qui me seruauit? Vrgente iterũ Procõsule, ac dicente, Iura p Cæsaris fortunã: regerit Polycarpus, Si inanem hanc iactantiã quæris, ut iurem per Cæsaris fortunã, sicut dicis, simulans te nescire quis sim, Christianus sum. Si uerò doctrinã Christianismi cognoscere cupis, constitue diem, & audies. Proconsule respõdente, Persuade hoc populo: Te quidem, inquit Polycarpus, sermone dignatus sum. Etenim sic instituti sumus, ut principibus ac potestatib. à Deo ordinatis, honorẽ, qui competat, nec nobis obsit, exhibeamus: illos uerò indignos iudico, quibus me purgem. Sub ista Procõsul: Bestias, inqt, habeo, quibus te obijciam, nisi resipiscas. Ad quæ Polycarpus respõdet: Voca eas. est enim nobis fixum, à pocioribus nõ esse per pœnitentiã ad peiora transeundũ: sed honestum ducimus, à malis ad ea transire quæ iusta sunt. Rursus Proconsul: Igne te compescam, si bestias cõtemnis, nec resipiscis. Polycarpus respondet: Ignem minaris ad horã arsurum, ac paulo pòst extinguendũ. ignoras enim ignem illius futuri iudicij, & æterni supplicij, impijs reseruatũ. Sed qd tardas? Infer quicquid lubet. His & alijs pluribus dictis fiducia et gaudio replebatur, ac uultus eius ita gratia plenus apparebat, ut nõ modò per ea quæ dicta fuerãt à Proconsule, non turbaretur, sed econtrariò ipse Proconsul obstupescceret: ac præconem mitteret, q in medio stadio tertiò uocifraretur, Polycarpus Christianũ esse se cõfessus est. quo dicto à præcone, uniuersa cùm gentiliũ tum Iudæorum Smyrnam inhabitantium multitudo impotenti furore magnáq; uoce clamat: Hic est doctor ille Asiæ, pater Christianorum, deorũ nostrorum demolitor, qui multos docuit, non adorandos esse Deos. His dictis succlamabant, & à Philippo præside Asiæ petebant, ut Polycarpo leonem immitteret. Quibus ille respondit: non hæc licere sibi, eo quòd munus uenandi iam adimplesset. Tum uidebatur illis unanimiter acclamare, ut Polycarpum uiuum cõbureret. oportebat enim uisum illud, quod de ceruicali apparuerat, impleri. quod cum combustum uidisset, inter orandum ad fideles, qui cum ipso erant, conuersus propheticè dixerat: Oportet me uiuum comburi. itaq; factum est hoc dicto citius. Etenim turbæ cõfestim ex officinis & balneis ligna & sarmenta comportabant, & Iudæi præsertim promptè ad eam rem pro suo more subseruiebant. Igitur rogo constructo, cum iam ipse uestes suas omnes posuisset, zonamq; soluisset, etiam calceos soluere conabatur, quod antea non fecerat: eo quòd semper singuli fideles inter se, quis corpus illius citius cõtingeret, decertassent. Etenim propter bonam uitæ conuersationem, etiã antequam caniciem contraxisset, ab omnibus fuerat honoratus. Mox itaque instrumenta illi, quæ ad rogum erant accommodata, applicantur. Cum autem & palo eum affigere uellent, dicit: Sinite me ad hũc modum. Qui namq; ignem ferre posse dedit, dabit etiam ut sine uestra clauorum cautione immotus in hoc rogo permaneam. Quo illi audito, eum non affigunt, sed alligant. Manibus ergò post tergum ligatis, instar insignis cuiusdam arietis è magno grege desumpti, holocautoma Deo omnipotenti acceptum offertur, dicens: Pater dilecti ac benedicti filij tui IESV Christi, per quẽ agnitionem tui accepimus, Deus angelorum ac uirtutum, omnisq; creaturæ, & omnis generis iustorum qui uiuunt coram te, tibi gratias ago, quod hac me die ac hora dignatus es, ut partem accipiam in numero martyrum, in poculo Christi, ad resurrectionem uitæ æternæ, animæ simul & corporis, in incorruptione Spiritus sancti, in quibus suscipitur in conspectu tuo hodie, in sacrificio pingui & accepto, sicut præparasti, iam antea patefecisti et adimplesti, qui mentiri nescis Deus uerax. Quapropter & de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per æternũ pontificem IESVM Christum, filium tuum dilectum: per quem tibi unà cum ipso & Spiritu sancto sit gloria, nunc & in futuris seculorum seculis, Amen. Cum autem Amen hoc Deo destinasset, & orationem terminasset, ministri ignis rogum incendunt. Flamma uerò iam admodum emicante, rem miram uidimus, quibus illam datum erat cernere: qui etiam ad hoc seruabantur, ut gesta hæc reliquis annunciarent. Ignis enim facta cameræ specie, ad morem ueli nautici uento repleti, corpus martyris ueluti muro quodam circumcinxit: eratq; illud in medio, non tanquam caro ardens, sed tanquam aurum & argentum in camino ignitum. Etenim tantã boni odoris fragrantiam sensimus, quasi uel thus, uel aliud quoddam precioſum aroma spiraret. Tandem igitur iniqui, cum corpus illius ab igne consumi non posse cernerent, confectorem accedere, & ferro illud transfodere iubent. Quo facto, copiosus sanguis effluxit, ita ut ignis extingueretur, ac tota turba miraretur, quod tantum discriminis esset inter infideles & electos: quorum unus & Polycarpus hic fuit, Apostolicus & Propheticus nostrorum temporum doctor, catholicæ Smyrnensis ecclesiæ episcopus. Etenim quodcunque uerbum ex ore suo emisit, & perfectum est, & perficietur. Aemulus autem & inuidus ac uersutus generis iustorum aduersarius, cum martyrij huius amplitudinem et conuersationem eius inde ab initio irreprehensibilem incorruptionis corona ornari, ac incomparabile brauium acquirere cerneret, hoc curauit, ne corpusculum illius à nobis acciperetur. erant enim multi qui hoc facere, & sanctæ huius carunculæ participes fieri cupiebant. Suggesserunt itaq; nonnulli Nicetæ, patri Herodis, ac fratri Dalces, ut Proconsulem moneret, ne corpus illius traderet: Ne Christo, inquiunt, relicto, hunc colere incipiant.

cipiant. Et hoc dixerunt Iudæis submonentibus & urgentibus, qui etiam nos obseruabant, ne exigne illum eriperemus: ignorantes, nos nec Christum unquam relinquere, qui pro totius seruandorũ mundi salute passus est, nec alium quempiam colere posse. Nam hunc quidem tanquã filium Dei adoramus, martyres uerò tanquam discipulos & imitatores Domini dignè propter insuperabilem in regem ipsorũ ac præceptorem beneuolentiam diligimus, quorũ & nos consortes & discipulos fieri optamus. Cum ergo Centurio cõtentionem Iudæorũ cerneret, positum corpus in medio, sicut mos ipsis est, cõbusserunt: atq; ita nos tandẽ ossa illius preciosis lapidibus preciosiora, & auro probatiora, nacti condidimus, ubi id fieri decebat: ubi etiam, quoad fieri potest, cõgregatis cum exultatione & gaudio, Dominus natalem martyris sui diem, ad memoriam eorũ qui antè certarunt, & futurorum exercitationem ac præparationem, celebrare largietur.

Talia beato Polycarpo, unà cum duodecim è Philadelphia Smyrnæ martyriũ passo acciderunt: q solus præ cæteris omnibus in memoria retinetur, ita ut & à gentilibus ubiuis locorũ prædicetur. Itaq; cursus præclari et Apostolici Polycarpi huiusmodi finem est consecutus, cuius historiam Smyrnensis ecclesiæ fratres in suprà dicta epistola composuerunt.

Sunt autem in eodem de Polycarpo scripto & alia martyria cõiuncta, eodem martyrij Polycarpi tempore Smyrnæ tolerata: inter quæ et Metrodorus, q in Marcionis errore presbyter esse uidebatur, igni traditus est, & occisus. Et inter illorum temporum martyres etiam præclarus Pionius innotuit, cuius cõfessiones ex parte, ac sermonis libertatẽ, apologiasq; pro fide cùm ad populum tum ad duces factas, ac conciones ad docendum habitas, & releuationes eorum qui tentatione persecutionis animo erant deiecto, consolationesq;, quas in carcere constitutus uenientibus ad se fratribus communicauit, & quæ præterea tormenta, & quos in tormentis dolores, afflictionesq;, & in rogo ardenti constantiam, ac post omnia paradoxa etiam mortem illius, scriptum de eo compositum plenissimè continet. ad quod, si quibus legere placuerit, remittimus, quod collectis ueterum martyrijs coniunximus. Consequenter autem & aliorum, qui Pergamopoli Asiæ martyrium passi sunt, monumenta circumferũtur: Carpi uidelicet, & Papyli, & Agathonicæ mulieris, qui post plurimas & illustres confessiones glorioſè sunt cſumõmati. Hactenus Eusebius.

DE POENIS PERSECVTORVM.

De pœnis, quæ autores persecutionum cõsecutæ sunt, nunc subijciamus, ut exempla iudicij diuini & uindictæ conspiciantur. Miserabili & tristi morte pleriq;, penes quos hac ætate imperium fuit, scribuntur interijsse. Sic Traianũ Dion narrat, resolutione membrorum, & stupore corporis, sensuumq; primùm subitò correptum esse, adeò ut uenenum se hausisse suspicatus sit: postea uerò aqua intercute repletum, apud Selinuntem Ciliciæ urbem extinctum. Idem, Hadrianum scribit graubus & multiplicibus morbis affectũ, miserabiliter perijsse. primùm enim nimio sanguinis fluxu adeò debilitari & exhauriri cœpisse, ut de uita eius sæpius desperaretur. Qui morbus etsi consuetus etiam antè fuerat, tamen nunquam maiori dolore eum inuaserat, in tantum, ut sæpius ipse mortem uocaret, sæpè etiam sibi ipsi crudeles manus inferre constitueret: ut dici ibi potuerit,

Sanguinis effusi pœnas in sanguine soluit.

Interea & phthisis accedit: qua cum totum corpus contabuisset, hydropisis secuta est. quæ nec quidem, cum magicis artibus & incantamentis sibi aquam omnem extrahi Imperator curasset, quicquã remisit, nihil etiam cessante fluxu sanguinis. Sicq;, dum tot malis simul exercetur, ac miserandũ in modum discruciatur, dolorum impatientia ita uincitur, ut in proprium corpus sæuire secum constituat. Primùm enim à medico, ut Spartianus scribit, uenenum petijt. quod cum nõ porrigeret, gladium postulauit: promittens pecuniã, si quis porrexisset. sed domesticorũ nemo obtemperabat. Postremò, medicorum consilio, quamdiu morbis & doloribus tantis conflictabatur, cibo & potu abstinuit: sed quod cõsilium etiam ad morbum exaugendum magis quàm ad salutem faciebat. Mortuus igitur tandem, suprà quàm dici potest, miserabiliter est, cruciatibus omnium ferè membrorum confectus, cum uixisset annis sexaginta duobus: ut Aurelius Victor testatur. Epiphanius in libro de Mensuris & ponderibus: Adrianus læsus corpore, uniuersam multitudinem medicorũ sub regno suo accersiuit, & corporis sui medelam ab ipsis petijt. Verùm illi multo labore insumpto, et nihil efficientes, ab ipso irrisi sunt. De sequentium uerò Imperatorum, sub quibus persecutiones fuerunt, exitu, hæc prodita sunt. Marcus Antoninus Verus, apoplexia correptus, cum per triduũ mutus decubuisset, tandem extinctus est in Pannonijs. Placidiorem hunc exitum sortitus forsan, propter pietatem in Christianos: qua posteaquã seruata fuisset eorũ precibus Romana expeditio, nõ crimine tantùm & legibus aduersus eos latis ultrò absoluit, sed & pœnã accusatoribus Christianorũ edicto publico statuit. Commodus, ille incommodus, qui senatusconsulto Domitiano sæuior, & Nerone impurior iudicatus est, tragico perijt exitu: quia à nullis flagitijs nefandis & atrocibus, quamdiu imperio præfuit, abstinuerat. Erat ei præfectus prætorij Quintus Aelius Lætus, qui cum Martia Imperatoris concubina de ueneno ei exhibendo, ob metum mortis, quam eis minatus erat, conspirauit. Tentata res eò usq; successit, ut uenenũ Imperator biberet: sed quod seu efficax minus fuit, seu robore Imperatoris uictum est. Alijs igitur insidijs circumuentus est, atque eiusmodi, ut cum Narisso athleta, cum quo exerceri & antea frequenter consueuerat, in pugnã cõmitteretur, in qua ab eo subitò strangulatus est. Sed priuatæ tantùm hæ pœnæ fuerunt. Nunc, quæ publicæ calamitates Imperatorũ odia et furores in Christianos secutæ sint: sicut nunquã priuata solùm supplicia, uerùm etiam publicas, & latè quidem grassantes calamitates secum trahunt superiorum scelera. Beda in historia Antonini Veri discrtè inquit, Martyrium Polycarpi et Pyonij, quod in Asia fecerãt, aliorumq; plurimorũ qui in Gallia sub hoc Imperatore sanguinẽ pro Christo fuderant, secutam esse quasi scelerum uindicem atrocem pestilentiam, uastantem multas prouincias, maximè uerò Italiam & Romam. quod & Ethnici scriptores testãtur: & plures quidem calamitates

nitates paſsim hoc tempore, imperij ſcilicet Antonini, uagatas cõmemorant. Locum unum ex Sexto Aurelio Victore adſcribim⁹: Ab armis quies nunquã erat, perq; omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamq; bella ferebant: terræmotus nõ ſine interitu ciuitatũ, inundationes fluminũ, lues crebræ, locuſtarũ ſpecies agris infeſtæ prorſus: ut propè nihil, quo ſummis angoribus atteri mortales ſolent, dici ſeu cogitari queat, quod non illo (Marco Antonino) regnante ſæuierit. Teſtatur et Euſebij Chronicon, anno ultimo Antonini Smyrnam Aſiæ urbẽ, in qua Polycarpus & plurimi alij paſsi fuerant, terræmotu corruiſſe. Inter pœnas uerò perſecutionis à Traiano motæ, Eutropius & alij referunt, repentinam aureæ domus, quam Nero priuatis publicisq; urbis expenſis extruxerat, conflagrationem. Et addit: Vt intelligeretur miſſa etiã ab alijs perſecutio, in ipſius potiſsimè monumentis, à quo primùm exorta eſſet, atque in ipſo autore puniri. Referunt eõdem & quatuor urbiũ Aſiæ ſubuerſionem, per terræmotũ: ut Elææ, Myrinæ, Pytanes, & Cymes. item Græcarũ ciuitatũ, Opuntis & Onicij, eadem ex cauſa interitũ: nec non & trium aliarũ Galatiæ. Deniq; & hoc Eutropius addit lib. 10: Terræmotus in Antiochia penè totã ſubruit ciuitatem. Alluſit eõdem & Aurelius Victor: Traiani tempore, inquit, pernicioſè Nilus inundauit, magna clade ædium, et terræmotus grauis per prouincias multas, atroxq; peſtilentia, fameſq; & incendia facta ſunt. Meminit quarundam ciuitatũ quæ ſub Hadriano terræmotib. abſorptæ ſunt, etiã Chronicon Euſebij: ut Nicomediæ & Nicææ, cuius maior pars quaſſata, motu terræ collapſa eſt. ad cuius inſtaurationem Hadrianus de publico largitus eſt impenſas, anno imperij ſui quarto. Nicopolis item, et Cæſareæ, quæ conciderunt anno Hadriani duodecimo. Pertinet & huc fortaſsis, quod Aelius Spartianus ſcribit: ſub Commodo incenſum fulmine Capitoliũ Romanũ, tanta clade conflagraſſe, ut bona pars ciuitatis ſolo æquata ſit. quo incendio & inſtructiſsima bibliotheca abſumpta eſt.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

Actenus de Eccleſiæ hoſpitijs, propagatione, eiusq; perſecutione & tranquillitate dictum eſt, quæ quidem omnia ad externam eius formam pertinent. Nunc ad deſcriptionem interioris eius ſtatus, ac propriæ formæ accedimus: quæ quidem in ipſa doctrina, ceremonijs & politia Eccleſiaſtica ſita eſt. Sed quia doctrina præcipuũ eccleſiæ Chriſti lumen eſt: ideò, qualis ea in hoc ſeculo fuerit, Deo aſpirãte, quã poterit fieri breuitate exponemus. Habuit aũt Eccleſia Chriſti aliàs ſplendidiorem faciem, aliàs uerò ſqualidiorem. Quemadmodũ enim ſani corporis conſtitutionẽ color natiuus oſtendit, luridus uerò ac teter inteſtinum aliquod malum, uires naturales languefaciens & proſternens prodit: ſic & Eccleſiæ facies eo ſemper uiuidior et illuſtrior fuit, quo doctrina puriore quaſi uita ſua magis uiguit: triſtior contrà ac deformior fuit, quotics ipſa doctrina corrumpi ac deformari cœpit.

Cum autem hæc ætas Apoſtolorum tempori admodum uicina fuerit, multiq; præſtantes uiri adhuc uixerint: doctrina quoq; Chriſti hoc ſeculo adhuc aliquanto purior conſeruata eſt. In Aſia enim ſuperſtites tum adhuc fuerũt, Ioannes apoſtolus ille inſignis, & Simon cõſobrinus Domini: eorũq; diſcipuli, Ignatius, Polycarpus, Papias: & præter eos alij quoq; doctores non ignobiles, ut Apollinaris, Melito, Theophilus, Bachil⁹, Polycrates, Egeſippus. In Africa, Iuſtus, Demetrius, Pantænus, Clemens, Alexander. In Europa uerò clari eodem ſeculo fuerũt, Iuſtinus, Irenæus, & alij multi.

Extant & eius ætatis teſtimonia, quæ probant, doctrinã Chriſti fideliter cuſtoditã eſſe. nam Irenæus in tertio libro aduerſus hæreſes, ingenuè teſtatur, eodem ordine eandem ueritatis doctrinã et traditionem Apoſtolicam ad ſuam ætatem uſq; peruenisſe. Egeſippus quoque, ut habet Euſebius lib. 4, cap. 22, narrat, ſe in itinere quod Romam uerſus habuiſſet, plurimos epiſcopos conueniſſe, eandemq; apud omnes doctrinam deprehendiſſe: talem ſcilicet, qualem Prophetæ & Chriſtus ipſe tradidiſſet.

Apparet aũt, huius ſeculi doctores honorificentiſsimè de ſacra Scriptura ſenſiſſe, eam attentè legiſſe, & tanquã regulam exactiſsimã reuerenter ſecutos eſſe. Sic enim Irenæus teſtatur: Moſes & aliorũ prophetarum libros, ſermones eſſe Chriſti, ſeu de Chriſto: quia omnia quæ de Chriſto tenenda ſunt, abũdè cõplectantur. Grauiſsimè etiã monet idem autor, lib. 2. cap. 46, adferendũ eſſe ad ſcripturarũ lectionem, nõ iudiciũ rationis, ſed fidem. Sic enim inquit: Si omniũ quæ in ſcriptura requirũtur, abſolutiones inuenire nõ poſſumus, credere talia debemus Deo, qui & nos fecit rectiſsimè ſcientes, quia ſcripturæ quidem perfectæ ſunt, quippe à uerbo Dei & ſpiritu eius dictæ, ut uniuerſis ſcripturis. quæ ſpirituales ſunt, quædã ſecundum gratiam Dei abſoluamus, quædam uerò Deo cõmendemus. Clemens in Parænetico, de Scriptura reuerenter pronunciat. Idem & in Strom. lib. 6, dependêre ait à doctrina tradita diuinitùs omnes fontes ſapiẽtiæ, & ueritatis ſcopũ: nec utilem ſolùm, uerùm etiã neceſſariã eſſe eius lectionem. Et Theophilus Antiochenus teſtatur, fidem ſuã Sacrarum literarum lectione plurimùm adiutam eſſe, ac confirmatam. Probant etiam huius ſeculi ſcriptores rationibus euidentiſsimis, religionem Chriſtianam tum præſtantiorem, tum antiquiorẽ omnibus alijs doctrinis & religionibus eſſe: nec dubitant aſſeuerare, quicquid gentium doctiſsimi & ſapientiſsimi inſigniter & memorabiliter ſcripſerunt, ex Moſe ac prophetis haustum eſſe: ſicut in Dialogo cum Tryphone Iuſtinus aliquot pagellis luculenter demonſtrat. Porrò extant in quibuſdam huius ſeculi ſcriptoribus, quædam breues quaſi ſummæ, in quibus ad Symbolũ illud quod Apoſtolicum uocamus, alludere uidentur: quarum aliquas huic loco præmittere uiſum eſt. Ignatius in epiſtola ad Magneſianos ſic ſcribit: Dilectiſsimi, ad plenum inſtructi ſitis in Chriſto, q ante ſecula genitus eſt à patre: poſtea autem factus eſt ex Maria uirgine, ſine cõuerſatione uiri, & nobiſcũ cõuerſatus eſt ſanctè, & ſine querela: omnem infirmitatẽ omnemq; languorem curauit in populo, & ſigna atque prodigia pro beneficijs hominũ fecit, & illis q longè erãt, & illis qui propè: in multitudine unum & ſolum uerum Deũ patrem

ſuum annunciauit, & paßionem pertulit, et ab interfectoribus ſuis Iudæis ſub Pontio Pilato præſide, & Herode rege, crucem ſuſtinuit, & mortuus eſt, atq; reſurrexit, & in cœlos aſcendit ad illũ qui miſit cũ, & ſedet ad dexterã eius, uenturusq; eſt in cõſummatione ſeculi in gloria paterna, iudicare uiuos et mortuos. Ad eundem modũ & Iuſtinus ad Symboli aliquot partes alludit in Apologet. 2: Ieſum Chriſtũ, qui hæc nos docuit, & ad hoc natus eſt, quiq; in crucem actus eſt, Pontio Pilato, cum Tiberius imperaret, prætore, ueri Dei filium eſſe accepimus, atq; in ſecundo loco habemus, ſpiritumq; propheticũ in tertio, nosq; eũ rectè colere docemus. Irenæus tale compendiũ doctrinæ Chriſtianæ recenſet lib. 1, cap. 2: Eccleſia, inquit, per uniuerſum orbem uſq; ad fines terræ ſeminata & ab Apoſtolis, & à diſcipulis eorũ, accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deũ patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis ſunt: & in unũ Ieſum Chriſtum filiũ Dei, incarnatũ pro ſalute noſtra: & in Spiritum ſanctũ, qui per prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei, & aduentũ, et eam quæ eſt ex uirgine generationẽ, et paßionẽ & reſurrectionẽ à mortuis, & in carne in cœlos aſcenſionẽ dilecti Ieſu Chriſti Domini noſtri: & de cœlis in gloria patris aduentũ eius, ad recapitulanda uniuerſa, et reſuſcitandã omnem carnem humani generis. Nunc, quo res fiat planior, oſtendemus, quid huius ſeculi patres de præcipuis articulis doctrinæ Chriſtianæ ſenſerint, aut tradiderint.

DE DEO, SEV DE TRINITATE.

ARticulum de Deo, huius ætatis doctores sincerè & fideliter tradiderũt, & contra hæreticos eum oppugnãtes egregiè defenderunt. Docuerũt autem, unum eſſe uerũ, æternum & omnipotentem Deũ, non plures: unum quidem eſſentia, trinũ uerò in perſonis: quemadmodũ ſeſe idem Deus certo uerbo ac illuſtribus teſtimonijs patefecit, nimirum q; ſit Deus pater, filius et Spiritus ſanctus. ſicut ex ipſorũ doctorum teſtimonijs non obſcurè uidere eſt. Ignatius enim ad Philadelphienſes ſic ſcribit: Vnus eſt ingenitus Deus pater: & unus unigenitus filius, Deus uerbũ & homo: & unus paracletus, ſpiritus ueritatis. Et in epiſtola ad Philippenſes: Vnus eſt omniũ Deus, pater Chriſti: & unus Dominus noſter IESVS Chriſtus, filius Dei unigenitus: unus aũt etiam Spiritus ſanctus. Ergo neque tres ſunt patres, neq; tres filij, ſed neq; tres paracleti: ſed unus pater, & unus filius, & unus paracletus. propter quod & Dominus mittẽs Apoſtolos docere omnes gentes, præcepit eis, baptiſare in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Et Iuſtinus in Apologia 2 expreßè ait, Chriſtianos uenerari & adorare Deum patrem, & miſſum ab eo filiũ, ſpiritumq; propheticũ. Ita & in libro de Trinitate: Vnus eſt uerus uniuerſorũ Deus, qui in patre, filio, ſanctoq; ſpiritu agnoſcitur. Et Clemẽs lib. 3 Pædagogi ſic inquit: Laudemus unum patrem & filium, unà cũ ſancto ſpiritu, q unus eſt omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem eſt quod ſemper eſt. Et in Eclogis: Omne uerbũ in duobus aut tribus teſtibus cõſiſtit, patre, filio, & ſpiritu ſancto: quorum teſtium auxilio mandata ſeruari debent. Item, rerum utilium & neceſſariarum ad ſalutem noticiam nos habere oportet: ut patris, filij, & ſpiritus ſancti. In Irenæo ſolo mirari hoc poßis, quòd Spiritum ſanctum nuſquã quidem expreßè uidetur uocare Deum: etiamſi ei operum diuinorum potentiam, ut creationis, reuerenter tribuat, ac nuſquam etiam diuinitatem eius ex profeſſo oppugnet.

DE CHRISTO.

DOctrinæ porrò de Chriſto, unico generis humani mediatore, redemptore ac ſaluatore, integritatem, ſummis uiribus tutati ſunt, pro ſe quiſq; ac ſuo loco fideliter inculcarũt: nempe q; perſona ſit diſtincta à patre & ſpiritu ſancto, ab æterno unà cũ patre & ſpiritu ſancto ſimul exiſtens, homouſius patri, ac uerus Deus genitus à patre ab æterno: Homo uerò etiã uerus, natus præfinito tempore de uirgine, abſq; ulla peccatorũ labe: ac ſecundũ inexplicabile patris conſiliũ et decretum, pro peccatis uniuerſi humani generis uictima factus, per quam legis maledicto ſublato, benedictionem æternã ac iuſticiam coram Deo, paßione ac reſurrectione, totaq; ſua humiliatione, generi humano cõtulerit, quæ per fidem in ipſum nobis applicetur ac donetur. Qui & in cœlum tandem receptus, regnum æternum & cœleſte nũc obtineat: In terris uerò Eccleſiam per miniſterium colligat, iuſtificet, ſanctificet: ac reditturus ſit in fine ſeculi, cum maieſtate & gloria, iudicaturus uiuos & mortuos.

Ac de diuinitate quidem ipſa Chriſti apertè teſtantur, genitum eum eſſe à patre ab æterno. Sic enim in Dialogo cũ Tryphone Iuſtinus inquit: Hæc uera patris progenies, ante omnes creaturas cũ patre erat, Dominus, Deus, Deiq; filius. Et in fine cap. 43, lib. 2 Irenæus, inſectũ eum eſſe ait, & ſemper cum Deo coextitiſſe. qd' & in alijs locis ſubinde repetit: ut lib. 4, cap. 37. Verbũ, id eſt, filius ſemper cũ patre erat. Vnde & pleriſq; huius ætatis Doctoribus uſitatũ & familiare eſt, filiũ Dei appellare uerbum, qui de uolũtate patris hominibus cõcionetur. ſicut inquit Irenæus, Verba patris profert alloquens homines: ſemper enim Chriſtum cũ Patriarchis & Prophetis locutũ eſſe affirmat. Et Ignatius prudẽter diſcernit uerbũ, ſcilicet filiũ Dei, à uerbo quòd ore profertur, ubi ſic ad Magneſianos ſcribit: Vnus eſt Deus omnipotens, qui manifeſtauit ſeipſum per Ieſum Chriſtũ filium ſuum, q eſt uerbũ ipſius, nõ prolatiuum ſcilicet, ſed ſubſtantiale: nõ locutio articulatæ uocis, ſed operatio Deitatis, ſubſtantia ſcilicet genita, in omnibus bene placens ſuo genitori.

De humanitate Chriſti deinde ita ſimpliciter & apertè docent, q; hic filius Dei ab æterno cum patre & ſpiritu ſancto exiſtens, uerè ſit conceptus ſine uirili ſemine, in utero uerè geſtatus: ac uerè, nõ umbratiliter, aut phantaſmaticè, aut putatiuè natus, quemadmodum hæretici ſomniabant & blaſphemabant. Sic enim ad Trallenſes Ignatius, ex teſtimonio Ioannis, Verbũ caro factum eſt: Verè, inquit, peperit Maria corpus, Deo in eo habitante: & uerè natus eſt Deus uerbũ ex uirgine, corpus ſimile nobis, paßibile, ſine peccato, induens: uerè cõceptus eſt in utero, & factus eſt in utero, formans & faciens ſibi corpus ex uirgine, ſine ſemine ac collocutione uiri: portatusq; in utero, ſicut & nos tempore portati ſumus. Quamobrem uerò hominem naſci Chriſtũ oportuerit, cauſam explicat Irenæus lib. 3, cap. 20: Oportebat eum qui inciperet occidere peccatũ, et

mortis reũ redimere hominẽ, idipsum fieri, quod erat ille: scilicet hominẽ qui à peccato quidẽ in seruitiũ tractus fuerat: à morte uerò tenebatur, ut peccatũ ab homine interficeretur, & homo exiret à morte. Quemadmodũ enim per inobedientiã unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserũt uitam: ita oportuit & per obedientiam unius hominis, qui primus de uirgine natus est, iustificari multos, & percipere salutem. Item, Verbum ideo caro factũ est, ut quod in Adam perdideramus, esse scilicet secundũ imaginem et similitudinẽ Dei, hoc in Christo reciperemus. Iustinus etiã, in colloquio cum Tryphone, de persona Christi, et officio, multa subinde grauissimè monet, Dei scilicet esse filiũ ab æterno, natum aũt hominẽ iuxta dispositionẽ patris præfinito tempore: perq; eum solum iustificari & saluari, qui seu ex Iudæis, seu ex gentibus, & aut priores aut posteriores saluẽtur. Quoties aũt de duabus in Christo naturis doctores huius ætatis loquuntur, mysterium admirandum unionis nõ prætereunt: sed diligenter monent et ostendũt, inscrutabili modo, in una eademq; Christi persona, unitas esse utramq; naturã, diuinam scilicet et humanã. Sic enim in Parænetico Clemens: Hic, uerbũ Christus, & ut nos olim essemus (erat enim in Deo) & ut benè essemus, causa fuit. Nunc aũt apparuit hominibus hic ipse, uerbum, qui solus est ambo, Deus & homo. Ac præclarè Irenæus lib. 5: Homo uerbum Dei factum est, semetipsum homini, & hominẽ sibimetipsi assimilans. Et Iustinus sic inquit: Quidam eam unitionem comparant unioni corporis & animæ. quod quidem exemplum etsi nõ per omnia, tamen aliquo congruit. Et de causis admirandæ eius unionis, Irenæus lib. 3, cap. 20. Misericors Deus, & amans humanũ genus, hærere fecit & aduniuit hominem Deo. Si enim homo nõ uicisset inimicum hominis, non iustè uictus esset inimicus. Rursus aũt, nisi Deus donasset salutem, nõ firmiter haberemus eam: & nisi homo coniunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei et hominũ, per suã ad utroſq; domesticitatem & amicitiã & concordiam utroſq; reducere, & facere ut Deus assumeret hominẽ, & homo se dederet Deo. Ad eundem modũ de operæ passionis Christi, qua se uictimã pro peccatis totius humani generis obtulit Deo, cõstanter docent: q. uerè, ac nõ per phantasma, aut putatiuè passus sit, & resurrexerit: quodq; nõ sua causa, aut pro se passionem & mortem subierit: sed pro hominibus, ut eos à maledicto & execratione legis redimeret. Sic enim Ignatius ad Trallianos: Secundũ placitum uolũtatis suæ uerè crucifixus est, & uerè mortuus, uidentibus cœlestibus, & terrestribus, & infernis. Item in epistola ad Smyrnenses: Hæc omnia passus est pro nobis, et uerè passus est: non putatiuè, sed uerè, sicuti & resurrexit. Sed & celebris apud doctos passim Irenæi sententia est libro 3, cap. 21: Sicut homo erat ut tentaretur, ita et uerbum ut glorificaretur, requiescente quidẽ uerbo, ut posset tentari & inhonorari, & crucifigi & mori.

DE SPIRITV SANCTO.

DE Spiritu sancto uerò consentiunt, distinctam esse Spiritum sanctũ personã à patre & filio, coæternum, coessentialem, à patre & filio procedentem, gubernatorem ministerij, sanctificatorem, uiuificatorem, paracletũ & consolatorem. Quæ etsi ferè ex præcedentibus omnia iudicari & intelligi potuerunt, tamen unum atq; alterũ testimonium proferemus. Sic igitur de Spiritu sancto Ignatius, in epistola ad Philadelphianos scribit: Vnus Deus ueteris & noui Testamẽti, unus etiã mediator Dei & hominũ: unus quoq; paracletus, qui operabatur in Mose & Prophetis & Apostolis. Sic etiã Clemens in Parænetico, Spiritum sanctũ uocat os Domini. De officio uerò Spiritus sancti, Irenæus lib. 3, cap. 19: Descendit, inquit, Spiritus sanctus in filium Dei hominem factũ, ut assuesceret cum ipso habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, atq; operari in ijs uoluntatem Dei, & renouare eos à uetustate in nouitatem Christi. Item, ut homines adoptaret Deo. Idem, ideò datum esse Spiritum sanctum, ibidem ait, ut quia Diabolus de cœlo protrusus sit, ibi habeamus paracletũ, ubi accusatorem diabolum. Est igitur hic locus de Deo, præ cæteris hac ætate illustratus: cuius rei causam suprà indicauimus, nimirum quòd hunc ipsum locũ hæretici labefactare et deprauare cœperũt. Quare excitati pij doctores, rectius & diligentius hanc totam doctrinã excusserunt, atq; in ea retinenda, & ab erroribus & corruptelis uindicanda, acrius & uehementius laborarunt.

DE CREATIONE.

DE creatione sic docuerũt, mundũ hunc uniuersum cum omnibus creaturis à Deo patre, filio & spiritu sancto, libera uoluntate per uerbũ conditum esse: quemadmodũ in proœmio lib. 4 Irenæus disertè indicat. Et Clemens in Parænetico ait: Ipsius Dei solùm uoluntas est mundi creatio. Solus enim Deus fecit, quoniã ipse quoq; est solus uerè Deus, sola uirtute operatur, & eius solum uelle factum esse censetur. Deinde res & creaturas initiò à Deo bonas, hoc est, uoluntati suæ cõgruentes, & ad certum atq; utilem finem cõditas ac destinatas esse tradiderunt. Sic enim Theophilus lib. 2 aduersus Autolyci criminationes inquit: Nihil noxium ab initio à Deo conditũ est, sed hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit. Postremò, interiturũ etiam mundum hunc uisibilem, nõ æternum aut perpetuò duraturũ esse senserunt. Irenæus uniuersam mundi ætatem fore censet sex mille annorum: rationemq; eius colligit ex numero dierum, quibus mundus factus est, ex quorũ unoquoq; millenarium deducit: ac tot annorũ millibus consummandum eum dicit, quot diebus factus sit.

De angelis bonis & malis.

TRadiderũt angelos prius creatos esse, quàm homines. Conditos uerò eos esse bonos, & cũ liberrimo propriæ uolũtatis arbitrio, quemadmodũ in colloquio cũ Tryphone Iustinus inquit: Deus cum uellet angelos & homines obsequentes habere, uisum est ei facere hos liberæ potestatis ad bene agendum, ratione præditos, ut scirent suam originem, & à quo ut sint acceperint. Ibidem tamen, in natura mutabili conditos esse, autor idem affirmat. atq; hinc accidisse, ut eorum quidam propria uoluntate, cõtra uoluntatem Dei peccarint, atq; à Deo defecerint. quod aliquoties Iustinus in Tryphone probat, tum ex alijs locis Scripturæ, tum inde etiam, quòd in paradiso serpens Euam seduxerit, eumq;

eumq; Deus rursus execratus sit. Quod & Irenæus lib. 4, cap. 30, alijsq; inlocis docet. Clemens uerò in Parænetico, Satanam uocat principem uicij, eiq; supplicium imminere dicit.

Testantur etiam, malos angelos non hostes solùm Dei post lapsum factos esse: uerùm hoc studij indefessi suscepisse, ut in omnis generis tetra flagitia homines præcipitent, & secum in æternum exitium & damnationem pertrahant: et quo excellentior in suo genere sit eorum natura, eo astutius homines circũueniant, & crudelius persequãtur. Sicut Clemens Strom. lib. 2 ait: Diabolum causas peccatorum seruis Dei suggerere, atq; astutè hoc moliri, ut ipsi quoq; secum cadant.

De homine ante lapsum.

COnditum esse hominem docent ad imaginem & similitudinem Dei, absq; omni peccato, libera etiam uoluntate: atque eiusmodi uirtutibus præditum & ornatum, ut Deo obtemperare, uel secus agere posset. Sic enim factum esse hominem à patre, filio, & spiritu sancto, in proœmio libri 4 Irenæus, ex dicto, Faciamus hominem, colligit: Homo secundum similitudinem Dei formatus est, & per manus eius plasmatus est: hoc est, per filium & spiritum: quibus & dixit, Faciamus hominem. Et in eodem libro, cap. 75. Per hanc ordinationem & huiusmodi conuenientiam, & talis factus & plasmatus homo secundum imaginem & similitudinem constituitur infecti Dei, patre quidem benè sentiente, filio uerò ministrante & formãte, spiritu uerò nutriente & augente, &c. Sic & Theophilus lib. 2 contra Autolycum: Cum dicit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, hominis excellentiam & dignitatem prodit. Cum enim cætera omnia sermone nudo constitueret Deus, & ea quasi obiter, nulla peculiari adhibita diligentia, cõderet: hominẽ existimauit solùm esse opus sempiternũ, suisq; manibus dignum. Præterea docuerunt, hominem nõ ad interitum, sed immortalitatem à Deo initiò creatũ esse. sicut in Apologia 2 Iustinus ait: Condidit Deus homines, ut si uitã ipsius uolũtati attemperarent, cum illo degerent, regnarentq; immortales.

De lapsu hominis, & causa atq; origine peccati.

PErspicuè cum Scriptura sentiunt, Hominem circumuentum & seductum à Diabolo, propria ac libera uolũtate à Deo creatore suo sese auertisse, diabolo uerò assensisse: & contra interdictum, de non gustanda arbore cognitionis boni & mali contumaciter egisse, Deo nec uolente, nec incitante, nec approbante. Ita igitur in eas pœnas incidisse, quas in interdicto suo antea Deus expresserat, ipsam uidelicet mortem: hoc est, iram Dei, corruptionem naturæ suæ & præstantissimarum uirium, quibus initiò cum factus esset homo, à Deo ornatus fuerat: in diaboli præterea potestatem, iugum & tyrannidem, deniq; in æternam damnationem. Ita enim in Dialogo cum Tryphone Iustinus inquit: Cum integra uirgo esset Eua, cõcepto uerbo Serpentis, inobedientiam mortemq; peperit. Idem Irenæus lib. 4, cap. 76: Qui abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrij & suæ potestatis facti. Et Clemens Stromat. lib. 2: Quid, inquit, Adæ profuit talis eius nobilitas, & quod eius nullus esset pater mortalis? ipse enim pater hominum qui sunt in generatione, turpia quidem prompto & alacri animo delegit, uxorem sequens, uera autem & honesta neglexit. Quo factum est, ut uitam immortalem mortali cõmutaret. Rursus lib. 4 Strom. Quod homo elegerit, atq; adeò id quod erat uetitum elegerit, nõ est culpa in Deũ conferenda. Sic & Theophilus inquit: Vbi primùm homo factus, legem Dei transgressus est, etiam reliqua præuaricata sunt, & degenerarunt.

DE PRAEDESTINATIONE.

DE prædestinatione ita docuerunt, ut quantũ ad utriusq; hominis scilicet & diaboli, lapsum attinet, negarint eum fatali necessitate cõtigisse: nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt, quemadmodum in fine Dialogi cum Tryphone Iustinus ait: Non esse Deum in causa, ut prædestinati fiant iniusti, siue angeli siue homines: sed sua quemq; culpa talem esse, qualis apparebit. Item: Si uerbũ Dei prædicit omnino quosdã angelos & homines damnandos, ideò prædicit, quia præsciuit incorrigibiles, nõ quia tales à Deo facti sint.

DE PECCATO ORIGINALI.

COrruptionem naturæ, & malũ illud uniuersum quod per peccatum primi sibi parentes adsciuerunt, propagari docuerunt in omnes homines, qui quidem communi generationis lege, seu coniunctione maris & fœminæ nascerentur: ac propter illud subijci omnes morti, hoc est, ærumnis, calamitatibus ac pœnis, quas per peccatũ originis in omnem posteritatem suã Adam & Eua deriuarunt. Eò enim respexit Ignatius, sic scribens in epistola ad Trallianos: Incipiebamus perire pro malitia, quæ erat in nobis. Et Iustinus in Tryphone: Spiritualem circumcisionem nos per baptisma, utpote PECCATORES NATI, à Domino miserante accepimus. Item: Adam peccando posteros suos morti subiecit, & uniuersam rerum creaturã huic delicto reddidit obnoxiam. Rursus ibidem: Per Adamum peccatores facti, mortui sumus.

DE LEGE.

LEgem Mosaicam, uno consensu tradiderunt, abrogatam esse & sublatam per Christi aduentum: sicut scriptum est, Lex & prophetæ usq; ad Ioannem: ut quæ umbra saltem Christi fuerit. Sic enim Iustinus in initio Dialogi cum Tryphone: Lex, inquit, legi substituta, priorem fecit irritam, sicut & testamentum recentius antiquiori omnem uim ademit. Sempiterna enim nobis & ultima lex Christus datus est, & testamentum fidele, post quæ non lex ulla, non mandatum, non præceptum sequetur. Quam sententiã amplificat ibidem prolixè, et illustrat testimonijs Scripturæ. Atq; aliquanto pòst durissimam fert sententiã aduersus eos, qui agnito Christo, rursus ad leges Mosaicas deficiunt. sic enim ait: Eos qui agnitum hunc Christum confessi, pòst desciuerunt quacunq; de causa ad legem Mosaicã, simulq; Christũ ipsum negarunt, nisi ante obitum pœniteat, haudquaquam seruandos pronuncio.

Legem tamen moralem non ita penitus sublatam aut abolitam Christianis esse docuerunt: sed eam seruire agnitioni peccatorũ, & regulam ostendere, iuxta quam renatos per Christũ ac iustificatos, obedientiam

Deo

Deo præstandam, cognoscere & inchoare oporteret. In primis uerò inculcarunt, Decalogũ omnia illa opera continere, quibus pij fidem suam declarare debeant: Obedientiã perfectam legis in hac deprauatione naturæ, seu renatis seu nõ renatis esse impoßibilem. Hinc illa grauißima de lege non iustificante Doctorũ dicta, ut Iustini in Dialogo cum Tryphone: Si ante Abrahamum nõ erat opus circumcisione, nec ante Mosen sabbatis festisq; & uictimis: ne nunc quidẽ opus est, postquam uolente Deo, sine peccato ex genere Abrahami de uirgine IESVS Christus natus est. Deinde & illud docuerunt, legem propter corruptionem naturæ humanæ, non posse iusticiam & salutem æternam coram Deo tribuere. sic enim Iustinus in Dialogo cum Tryphone inquit: Si lex potuisset lumen præbere gentibus ipsam recipientibus, quid opus fuisset nouo Testamento, quod Deus se missurum promisit? Et Irenæi lib. 3, cap. 20. Spiritualis cum lex esset, manifestauit tantummodò peccatum, non autem interemit.

DE EVANGELIO.

MEdiocriter & hunc locum tradiderunt, nimirum quòd detur remißio peccatorum gratis propter Christũ: quam lex, quia præstare eam nostris uiribus non potuimus, conferre nequaquam poßit. Estq; memorabile, quòd ũniuersaliter omnibus applicant remißionem peccatorum, si credant. Sic enim Ignatius paßim repetit. Et in colloquio cum Tryphone Iustinus inquit: Omnium gentium homines, tam serui quàm ingenui, quicunq; in Christum credunt, & norunt uera prophetarum oracula, sciunt se unà cum eo hæreditatem æternam recepturos. Sic Clemens Stromatum lib. 2, cum Paulo pronunciat: Finis legis est Christus, à lege prædictus ad iusticiam omni credenti. Complexus est & summam Euangelij eleganter Ignatius ad Philadelphienses scribens: Quid præcipuum habet Euangelium? Præsentiam aduentus saluatoris nostri Iesu Christi, paßionẽ, sed & ipsam resurrectionem. Libet autem adscribere & præclaram eiusdem sententiã de antiquitate doctrinæ euangelicæ. sic enim in eadem epistola inquit: Audiui quosdam dicentes, Si non inuenero Euangelium in antiquis, non credam. Talibus autem ego dico, quia mihi antiquitas IESVS Christus est: cui non obedire, manifestus & irremißibilis est interitus.

DE IVSTIFICATIONE.

HIc locus, cum pluribus partibus constet, non facile est ex scriptoribus huius seculi omnes eius partes distinctè & dilucidè demonstrare: præsertim cum uix paucißimorum doctorum, qui hoc seculo uixerunt, monumenta ad nos usque peruenerint. Constat tamen, de causa efficiente iustificationis unanimiter eos docuisse, quòd Christus morte & paßione sua pro nobis λύτρον persoluerit, iusticiamq́ue, uitam ac salutem æternam nobis pepererit. Sic enim Ignatius ait in Epistola ad Trallenses: Imitatores estote paßionum Christi, & dilectionis eius, qua dilexit nos, dans semetipsum pro nobis redemptionem, ut nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate, & uitam nobis præstaret, incipientibus iam perire pro malitia quæ erat in nobis. Et Iustinus in libro de Trinitate: Solus Dei, ut Deus & homo, lapsum Adam in integrum restituit. Et Irenæus lib. 3, cap. 22: Ipse Dominus erat qui saluabat eos, quia per semetipsos non habebant saluari. Et propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuncians ait, Scio enim quòd non habitat in carne mea bonum: significans, quoniam non à nobis, sed à Deo est bonum salutis nostræ.

De causa etiam materiali iustificationis, seu reipsa, sic loquuntur, ut eam dicant esse obedientiam Christi. Quemadmodum Irenæus ait lib. 3, cap. 20: Sicut per inobedientiã unius hominis peccatores facti sunt multi, & amiserunt uitam: ita oportuit per obedientiam unius hominis, qui primus de uirgine natus est, iustificari multos, & percipere salutem.

Sed & de formali causa ita tradiderunt, quòd illa ipsa obedientia Christi, & satisfactio, nobis imputetur & applicetur, nosq; hoc modo iusti coram Deo efficiamur: id quod ex superioribus etiam dictis clarum est, ut Irenæi, in quo disertè affirmat, nos obedientia Christi iustificari, & salutem percipere. Ait & Clemens: Cum ipse esset uita, propter nos pati uoluit, ut eius paßione uiueremus.

Cæterùm fide apprehendi, sibiq; applicari oportere hanc Christi obedientiam, seu remißionem peccatorum gratuitam, clarè tradiderunt, ut Iustin. Dialog. cum Tryphone: Nemo ex illis quidem, qui se posteros Abrahami gloriantur, quicquam assequetur, nisi ex animo fidem Abrahami referat. Item: Purificamur fide, per sanguinem Christi, mortemq; ipsius. Et Irenæus lib. 4, cap. 13 clarè docet, Omnes oportere credere sicut Abraham crediderit, & imputatum sit ei ad iusticiam. ubi & expreßè addit: Fides, quæ est ad Deum, iustificat hominem. Et Clemens in Pærenetico, Fidem appellat clauem regni cœlorum. Recitat & in 2 Stromat. propemodum integram fidei definitionem, quæ in Epistola ad Hebræos extat: Fides, est uoluntaria anticipatio, pietatis assensio, rerum quæ sperantur substantia, argumentum earum quæ non uidentur, sicut diuini Apostoli sententia est. Sed & hoc familiare Clemens habet, ut fidem cum fiducia coniungat. quod aliquoties in Stromatis facit, ut lib. 2: Cum credimus, in quo fiduciam habuimus, in gloriam diuinam & salutem. Et lib. 5: Beati sunt omnes, qui confidunt in ipso.

Salutem etiam & iusticiam coram Deo, huic fidei soli acceptam referunt, & nullis operibus tribuunt: sicut suprà ex Iustino adduximus, Neminem ex posteris Abrahæ iustificari, nisi Abrahæ fidem habeat. Idem: Abraham ipse nondum circumcisus, propter fidem, qua credidit Deo, iustificatus est. De quo & Clemens disertè inquit lib. 1 Strom. Abraham non ex operibus iustificatus est, sed ex fide: nihil ergo eis post uitæ finem proderit, etiamsi nunc rectè operentur, nisi fidem habeant. Et Stromat. lib. 7: Per fidem solummodò efficitur fidelis perfectus. Doctrinam autem de dubitatione, an credens in Christo certò habeat remißionem peccatorum, & sit in gratia Dei, patres huius seculi ignorant.

DE NOVA OBEDIENTIA, seu bonis operibus.

TRadiderunt, iustificationem debere sequi opera, seu bonos fructus, qui de fide testentur.

Clemens

Clemens de ordine bonorum operum, in ultimo Stromatum sic dicit: Opera sequuntur cognitionem, sicut umbra corpus. In quam sententiam & Theophilus inquit: In primis requiritur fides, & timor, quæ duo in animo tuo præcedere oportet. Item: Quid obsecro incredulus es? Quis cedò agricola metere poterit, nisi prius semen credat sulcis? Docuerunt autem clarè, præstanda esse opera moralia, quorum summam Decalogus proponit. Ita in epistolis Ignatij uides inculcari moralia, quod & alij faciunt: nec habentur in magna autoritate opera electicia.

DE POENITENTIA.

DOcent lapsos in peccatum, si ad Ecclesiam redeant, recipiendos esse, & locum illis ueniæ relinquendum. Sic enim Philadelphiorum ecclesiam monet Ignatius: Quicunque pœnitentes uenerint ad unitatem Ecclesiæ, suscipite eos cum omni mansuetudine, ut per utilitatem & bonam demonstrationem de limo & muscipula diaboli eruti, & digni IESV Christo effecti, sempiternam salutem percipiant in regno Christi. Idem ibidem: Omnibus pœnitentibus dimittit Deus, si ad unitatem Christi concurrant. Cui sententiæ respondet illud Iustini in dialogo cum Tryphone: Bonitas & humanitas Dei, pro sua immensa benignitate, etiam peccatores, sicut per Ezechielem promittit, resipiscentes amplectitur, tanquam iustos & innoxios. Et Clemens expresè dicit, toties esse apud Deum locum ueniæ, quoties ad pœnitentiam quis reuertatur. Est magna, inquit in Paræneticò, gratia eius promissionis, Si hodie uocem eius audiuerimus. Illud autem Hodie, augetur in unoquoque eius die, donec nominatur hodie: usque ad consummationem, & hodie, & doctrina permanet. Et Pædagogi libro 1. Deus propter suam bonitatem requirit pœnitentiam: & in ipsa minarum intentione, tacitè ostendit suam in homines beneuolentiam. Et Theophilus lib. 3 contra Autolycum: Semper, inquit, Deus hoc egit, ut humanum genus ad pœnitentiam conuerteret, quo liberarentur ab omnibus peccatis.

DE BAPTISMO AC regeneratione.

SEntiunt, regenerationem fieri per baptismum, & uerbum: quibus coniunctis efficaciam tribuunt, uidelicet remissionem peccatorum: & quidem in adultis pœnitentiam requirunt. Testimonia extant apud Iustinum multa & clara, ut in Tryphone: Per lauacrum pœnitentiæ & noticiæ Dei, quod ad expiandam iniquitatem populorum fuit institutum, ut Esaias clamat, nos credidimus, & certò scimus, hoc esse illud baptisma, quod olim prænunciatũ fuerat, quod solum purificare pœnitentes potest, quod est aqua uitæ. Ibidẽ paulo pòst, baptismũ uocat spiritualem circumcisionem, acceptam à Deo miserante. Et in fine eius Dialogi inquit: Per aquam & fidem regenerationem fieri humani generis. De effectu baptismi Clemens in Pædagog. lib. 1, cap. 6 ad hunc modum loquitur: Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Ego (inquit) dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. Multis autem modis uocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lauacrum. Lauacrum quidem, per quod peccata abstergimus: Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur: Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur: hoc est, per quam id quod est diuinum perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei desit, qui Deum nouit? Est enim reuera absurdum, Dei uocari gratiam, quæ non sit perfecta, & undequaque plena. Rursus ibidem: Hæc uincula (scilicet tenebrarum et ignorationis) quàm celerrimè remittuntur, humana quidem fide, diuina uerò gratia, cum remittuntur peccata, uno medicamento Pæonio, nempe uerbali baptismo? omnia ergo peccata eluimus, & euestigiò mali nõ sumus amplius. Vna est hæc gratia illuminationis, quòd nõ sint ijdem mores, qui erant, antequàm lauaremur. Porrò nec usquam legitur, inantequàm lauaremur. Porrò nec usquam legitur, infantes hoc seculo à baptismo remotos esse. Imò Origenes homelia 2 in Psal. 38, & homelia 8 in Leuiticum, asserit, Ecclesiam ab Apostolis traditionem suscepisse, etiam paruulos baptizandi.

DE EVCHARISTIA.

EX uerbis & institutione Christi de Eucharistia ita senserũt. Primùm de materia seu re ipsa cœnæ Domini docuerunt, Cum pane & uino, iuxta uerbum & institutionẽ Christi, ipsiusmet incarnati Christi carnem & sanguinẽ distribui, quemadmodũ apertè Iustini locus in Apolog. 2 testatur: Non ut uulgarem panem & uulgare poculum hæc sumimus, sed quemadmodum per uerbum Dei caro factus IESVS Christus, seruator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per uerbum precationis & gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati IESV carnem & sanguinem esse didicimus. nam Apostoli in suis scriptis, quæ uocantur Euangelia, sic sibi mandasse IESVM tradiderunt: Sumpto pane, actisq; gratijs dixisse, Hoc facite in mei memoriam, Hoc est corpus meum. Similiter sumpto poculo, actisq; gratijs, dixisse, Hic est sanguis meus: & solis ipsis communicasse. Qua perspicuitate etiam Irenæus de Eucharistia loquitur, & quidem hunc locum Iustini illustrat. sic enim ait lib. 5: Quando & mixtus calix, & sanctus panis percipit uerbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Item lib. 4, cap. 57: Christus panem huius creaturæ accepit, & confessus est suum corpus esse, & temperamentum calicis suum sanguinem. Nec senserunt, panem & uinum figuras duntaxat nudas corporis & sanguinis CHRISTI esse.

Ignotum etiam fuit Ecclesiæ huius seculi, commentum de Transsubstantiatione. Etsi enim dicit Iustinus, Quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem: tamen eò solum respicit, atque id agit, ut hunc panem & calicem, quibus accedit hoc uerbum CHRISTI, ab alijs usitatis escis & poculis, quibus corpora nutriuntur, discernat.

Porrò sicut & Christus ipse duas partes expresè instituit, & carnis scilicet manducationem, & sanguinis potionem: ita & hoc tempore docuerunt, utriusque partis usum toti Ecclesiæ, citra ordinis aut uocationum distinctionem,

distinctionem, conuenire. Sic enim Ignatius ad Philadel. scribit: Vna est caro Domini Iesu, & unus eius sanguis, qui pro nobis effusus est: unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesiæ. Vbi calicem non sacerdotibus tantum proprium, sed communem toti Ecclesiæ Christi facit, quæ laicos omnes, quos uocant, simul comprehendit. Ait & Iustinus diserte, Christum sic instituisse, et Apostolos sic tradidisse, quod & Irenæus sentit: nec reperitur usquam, unam tantum partem, nimirum carnem Christi sub pane laicis exhibendam esse, integrum uerò utriusq; speciei usum ad spirituales solos pertinere. De alterius illius speciei, panis uidelicet, inclusione, & theatrica circumgestatione, sine usu aut participatione, altum apud omnes est silentium.

De applicatione Clemens pædag. lib. 2 cap. 2 sic loquitur: Eucharistia, quæ est bona gratia, cuius qui per fidem sunt participes, sanctificantur & corpore & anima. Hoc loco de ratione applicationis disserit Clemens, fide scilicet esse utendum Eucharistia. De opere operato Missæ, nihil adhuc sciuit aut habuit huius seculi Ecclesia.

¶ Postremò, de effectu cœnæ Dominicæ, Ignatius ad Ephesios sic ait: Frangentes panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed uiuendi per Iesum Christum in Deo. Idem ibidem: Quando assiduò hoc agitur, expelluntur potestates satanæ. Et in Tryphone Iustinus inquit: Panem traditum nobis esse ad commemorationem assumpti corporis Christi, & passionis suæ. Et poculum, in memoriam sanguinis sui cum gratiarum actione sumendum. Irenæus lib. 4 cap. 30. Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens uocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Et Clemens Pædag. lib. 2. cap. 2. Bibere Iesu sanguinem, est participem esse incorruptionis Domini.

¶ De crebro uerò usu cœnæ Domini, Ignatius ad Ephesios inquit: Festinate accedere ad Eucharistiam, & gloriam Dei. Quando enim assiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates Satanæ, qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad peccatum.

DE SACRIFICIO CHRIstianorum.

Post Christi sacrificium, quod omnibus modis perfectum & absolutum esse, atq; expiare nos ab omnib. peccatis dicunt (sic enim perfectã & omni parte absolutam oblationem pro nobis Christum factum esse, lib. 5 Strom. Clemens ait) simpliciter negant, Ecclesiã Christi aut alia habere sacrificia, aut aliud quicquã solere offerre Deo, quàm inuocationẽ, celebrationem, et gratiarum actionem. Sic enim Iustinus ad Tryphonem inquit: Sacra Christianorum sola esse perfecta & Deo grata, preces, & gratiarum actiones. Item Esaiam cæteros q; prophetas non policeri cruentarum uictimarum aut libationum instaurationem, sed ueras ac spirituales oblationes laudis, atq; gratiarum actionis. Et in Apol. 2. Colimus Deum non uictimis sibi ingratis, sed precibus, laudibus & gratiarum actionibus. Et de hac ipsa parte Clemens loquitur lib. 7. Strom. Si gaudet honorari Deus, cum natura nullius indigeat, nõ abs re nos Deum precibus honoramus, & hoc sacrificium optimum & sanctißimum cum iusticia emittimus, iustißimo uerbo eum honorantes, per quem accipimus cognitionem, ea quæ didicimus per eum glorificantes. Est ergo, quod est hic apud nos altare, terrestris congregatio eorum qui sunt dediti orationibus, qui ueluti unam uocem habẽt communem, & unam mentem. Et lib. 5 Strom. Sacrificium Deo acceptum est, corporis, eius q; affectionum & uitiorum separatio. Is est uerus reuera Dei cultus. Rursus in 7. Strom. sacrificium uocat, uerbum profectum ex sanctis animis: hoc est, orationem. Aram uerò, sanctã & iustam animam, sanctam de se emittentem orationem. Quo in loco & grauiter inquit: Oportet Deo offerre sacrificia non sumptuosa ac splendida, sed quæ sunt pia, eiq; accepta: & suffitum illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis & uocibus in oratione, uel potius qui ex diuersis gentibus & sexibus per donum testamentorum construitur in unitatem fidei, & in laudibus congregatur, mente quidem pura, iusta autem & recta uitæ institutione, ex sanctis operibus & iusta oratione. Vbi aliquanto pòst, et lectiones ac studia pij hominis uocat sacrificia. Quo nomine cùm omnium piorum hominum actiones, tùm publicæ tum priuatæ, dici possint sacrificia: ueri simile est, apud successores paulatim hanc uocem per allusionem à precib. & gratiarum actione, in sacramentum tanquam rem uicinam deflexam esse. Cuius rei argumentum & hoc est, quod Græca Missa Chrysostomi adhuc hodierna die non sacramentum, sed rationalem cultum ac obsequium offert, ut postea suo loco dicetur.

DE INVOCATIONE DEI.

Docent, Deũ uerum, sicut certo se uerbo ac testimonijs patefecit, uera fide esse inuocandum. In 7. enim Strom. Clemens, orationem esse ait, cum Deo conuersationem & collocutionem. Item, fidem esse speciem orationis: hoc est, cum oratione coniungendam. Et contra dubitationem Ignatius in epistola ad Neronem ait: Noli esse duplex animo in oratione tua. Beatus est enim, qui non dubitauerit. Requirere autem in oratione Deum, mentẽ magis quàm uerba, Clemens dicit in 7 Strom. ubi battologiam et uerbosas ac prolixas preces Deum negat expectare.

Nondum uerò tum in usu fuit inuocatio Diuorum. sicut Euseb. lib. 4 cap. 15 refert, Christianos, ossa Polycarpi in rogo extincti ad sepulturam petiisse: Iudæos uerò per odium & illusionem iudici suggessisse, ne ullo modo Polycarpi corpus Christianis traderet, ne scilicet Christo relicto eum colere inciperent. Ad quod respondisse Christianos, Eusebius addit: Miseros eos ignorare, q, nec Christum unquã relinquere, qui pro totius seruandorum mundi salute passus sit, nec alium quempiã colere possint. nã hunc quidem tanquã filium Dei adorare se: martyres uerò tanquam discipulos et imitatores Domini, dignè propter insuperabilem in regem ipsorum ac præceptorem beneuolentiam diligere.

DE ECCLESIA.

Ecclesiam docuerunt esse uisibilem cœtum, amplectentem & sequentem scripta Prophetarum & Apostolorum, in eoq; esse per uerbum & sacramenta

regeneratos: ità tamen, ut in hac uita cœtus ille sit mixtus, & in eo multi sint non sancti, sed tamen de doctrina cõsentientes. Sic Clemens Strom. lib. 7: Non locum, sed electorum congregationem appello Ecclesiam. Et Irenæus ait lib. 3 cap. 11, columnam & firmamentum Ecclesiæ esse Euangelium, & spiritum uitæ. Et per allegoriam eleganter expressit, Ecclesiam esse cœtum collectum ex Iudæis & gentibus, qui per Christũ coiungatur & regatur. ait enim: Extensio duarum manuum in cruce, significat congregationem duorum populorum, gentium & Iudæorum. Vnum caput in medio, significat omnium Dominum, qui est super omnes, & in omnibus nobis. Cum autem initio Euangelium de Iesu Christi ubiq; terrarum spargeretur, & iuxta Christi mandatum, EXITE IN MVNDVM VNIVERSVM, ex omnibus gentibus Ecclesia colligeretur, nusquam tum Ecclesia uni loco, aut certæ & ordinariæ alicui successioni alligata erat: sed ibi uera fuit Ecclesia, ubicunq; incorrupta sonabat uox Euangelij, & sacramenta secundum Christi institutionem rectè administrabantur.

DE MARTYRIO ET CONfessione.

CONfessionem tradiderunt nequaquam rem esse adiaphoram, sed omnibus modis necessariam, & quæ habeat mandatum Dei, LVCEAT LVX VESTRA, &c. Igitur ab impijs quibuscũq; discedendum esse monuerunt, ut Ignatius ad Philadelph. inquit: Qui non discesserit à falsiloquo prædicatore, in gehennam damnabitur. Vnde nec à iustis discedere, nec iniustis appropinquare oportet. Quicunq; enim in aliena sententia ambulauerit, ipse nõ est Christi, nec passionis eius particeps, sed est fraudator & corruptor uineæ Christi. tali ne commisceamini, ne simul cum eo pereatis: nec si pater sit, uel filius, aut frater, aut domesticus. Ac de confessione, multis de causis necessaria, Clemens lib. 4 Strom. dicit: Oportet omnino cõfiteri, ut per testimonium & confessionem omnes iuuentur, dum confirmantur quidem qui sunt in Ecclesia: admirantur autem & ad fidem deducuntur, qui ex gentibus salutem curiose quæsierint: reliqui autem stupore afficiuntur.

De martyrio ita senserunt, egregium esse opus, & donum Dei: sicut Polycarpus rogo iam conscenso, ac comburendus, pro eo laudat Deum, & gratias agit, quemadmodum Eusebius recitat lib. 4 cap. 15. Non tamen sponte sibi accersendam esse crucem, aut martyrium rapiendum censuerunt: sed constantiam in confessione præstandam, si à Magistratu iniquo martyrium imponatur. Sic Iustinus in Apologia prima, Christianos ait mortem sibijpsis non conscisse, quia hoc nolit Deus, nec ipsi sibi alicuius criminis conscij sint, postulatos tamen mortem non recusare. Quemadmodum & Clemens lib. 4 Strom. monet: Cum dixerit Christus: Quando uos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam: non suadet fugere, tanquam malum sit pati persecutionem: nec ut mortem extimescẽtes, iubet nos eam fuga declinare. Vult aũt nos nulli esse autores, neque alicuius malæ causæ adiutores, nec nobis ipsis, nec ei qui persequitur, nec ei qui interimit. Denũciat enim quodammodo, ut caueat. Qui autem non obedit, est audax & temerarius, & inconsultè se in manifesta pericula conijciens. Si autem qui hominem Dei interimit, in Deum peccat: is quoque eius cædis reus tenetur, qui se offert iudicio. Is autem fuerit, qui non uitat persecutionem, se capiendũ præbens per audaciã. Is est, quantum in se est, adiuuans improbitatem eius qui persequitur.

De cruce & morte in persecutione, etiam illud Clemens docet, eam nõ accidere uolũtate Dei, sed permissione: neq; prædictam ideo esse persecutionem à Domino, quod eam pijs obuenire uoluerit, sed quòd præscierit. Sic enim ad illam perpetuam Ethnicorum obiectionẽ, cuius & Iustinus Apol. 1 meminit: Si Deus uestri curam gerit, cur patimini persecutionem, morte afficiminiq; respondet: Nos non (inquit) existimamus, uelle Dominum, ut in casus incidamus: sed prophetice prædixisse ea quæ essent euentura, fore scilicet ut propter nomen eius pateremur persecutionem, ut occideremur, & ut suspenderemur. Quamobrẽ uoluit nos pati persecutionem: sed ea quæ passuri essemus, prius significauit, per eam quòd sint euentura prædictionem exercens ad tolerantiam.

DE CONIVGIO.

HONestè ac piè de coniugio senserunt: & nulli hominum contra ipsius naturam, leges castitatis inuiolabiles imponendas esse censuerunt, sed libertatem omnibus matrimonium contrahendi potestatẽ fecerunt. Ignatius ad Philadelph. inquit: Non detrahe beatis, qui nuptijs copulati fuerunt. Item: Si quis corruptionem & coinquinationem uocat legitimam commixtionem, & filiorum procreationẽ, huiusmodi habet cohabitatorem Draconem apostatam. Et in Apol. 2 Iustinus inquit: Aut utimur matrimonio propter sobolem, aut abstinentes in perpetua continentia degimus. Quin & definitionem non ineruditam Clemens tradit libro secundo Stromatum, ad hunc modum: Est ergo matrimonium, prima legitima uiri & mulieris coniũctio, ad liberorum procreationem. In 3 uerò Stromatũ memorabiliter inquit: Vt in summa dicam, omnes Apostoli epistolæ, quæ moderationem docent, & continentiam, cum & de matrimonio, & de liberorum procreatione, & de domus administratione innumerabilia præcepta contineãt, nusquam honestum moderatumq; matrimonium prohibuerunt, aut abrogarunt: sed legis cum Euangelio seruantes conuenientiam, utrumq; admittunt: & eum qui Deo agens gratias, moderatè utitur matrimonio: & eum qui, ut uult Dominus, uiuit in castitate. Tantus denicq; matrimonij assertor & laudator Clemens est, ut non dubitet affirmare, eum qui ad procreãdos liberos cõiugio non utatur, facere iniuriam naturæ. Et quidem multa alia in commendationem matrimonij præclarè & grauissimè dicit per integrum & prolixum caput 10 libro 2 Pædagogi. & in 3. Stromatum ter cum uirginitate matrimoniũ exæquat. ait enim: Habet, sicut castitas, ita etiam matrimonium, propria munera & ministeria, quæ ad Dominum pertinent. Item: Quemadmodum quæ non numinum pertinent. Item: Quemadmodum quæ non numpsit, sollicita est de ijs quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu: ita etiam quæ nupsit, & de ijs quæ sunt mariti, & de ijs quæ sunt Domini, est in Domino sollicita, ut sit sancta & corpore & spiritu. Ac non uereretur illud cõcedere, quibus summam perfectionem tribuit:

tribuit: nequaquam facturus, si quid imperfectionis matrimonio inesse iudicasset.

¶ Porrò, coniugium sacerdotum, seu ministrorum Ecclesiæ, passim tuetur, allegans exempla Apostolorũ qui & uxores habuerint, & liberos procrearint, & filias elocarint. Sic enim lib. 3 Stromatum contra sectatores Tatiani, matrimoniũ uituperantes, inquit: An etiam Apostolos reprobant? Petrus enim & Philippus filios procrearunt: Philippus autem filias quoque suas uiris tradidit. Et Paulus quidem certè non uereturin quadam epistola suam appellare coniugem. quem locum in testimonium sanæ doctrinæ eius seculi, etiam Eusebius & Nicephorus annotarunt. Et consentit Ignatius, in epistola ad Philadelphianos: Opto, inquit, Deo dignus inueniri, sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati, & non libinis causa, sed posteritatis surrogandæ gratia coniuges habuerunt.

DE MAGISTRATV.

MAgistratum esse ordinationem Dei, ac bona conscientia geri posse, præclarè iudicarunt & docuerunt: quemadmodum in fine libri 5 Irenæus ex Scripturæ testimonijs probat, atq; inter cætera inquit, Terrenũ regnum positum est à Deo. Dari autem magistratus alios ad utilitatem communem, alios ad pœnam, ibidem declarat: Quidam illorum, inquit, ad correctionem & utilitatem subiectorum dantur, et conseruationem iusticiæ: quidam autem ad timorem, ad pœnam, ad increpationem: quidam autem ad illusionem & contumeliam. Non tamen frena laxarunt magistratibus, ut contra uerbum Dei agere aliquid, aut mandare, ius suum esse ducerent: sed obedientiam ipsis debitam certis limitibus circumscripserunt: nec præstandam esse eam, si illicita, pugnantia cum uerbo Dei, magistratus imperent, docuerunt. Sicut Ignatius in epistola ad Antiochenos dicit: Cæsari subditi estote in ijs, quibus sine periculo est ipsa subiectio. Et proconsuli respondet Polycarpus, quemadmodum ex epistola Smyrnensium Eusebius refert lib. 4. cap. 15. Sic instituti sumus, ut principatibus ac potestatibus à Deo ordinatis honorem, qui competat, nec nobis obsit, exhibeamus. Et Iustinus Apol. 2. Deum solum adoramus: nobis autem in alijs rebus læti seruimus, regesq; uos & principes hominum esse profitemur: rogamusq;, ut uos cum regali potestate sanam bonamq; mentem habere inueniamini.

DE REBVS MEDIIS.

LIbertatem in rebus medijs qualemcunq; seruatam esse hoc seculo apparet: quanquam stipulæ nonnullæ iam tum suboriri cœperunt, ut postea dicetur. Ignatius ad Heronem scribit: Vino & carnib. non ex toto abstineas. nõ enim ex toto sunt abominabiles. Item ad Philadelph. Si quis aliquam escã putat execrabilem, cohabitatorẽ habet Draconem apostatam. Sic de ieiunio, Clemens passim ita loquitur, ut nec iusticiæ nec meriti opinionem assuat: sed ostendat, non tam à cibis, quàm à uitijs & peccatis ieiunandum esse: nec cibo aliquem contaminari, aut ieiunio purificari. Sic enim Syrom. lib. 6. inquit: Ieiunia in genere significant omnem abstinentiam ab omnibus malis tam quæ actu fiunt, quam quæ uerbis & cogitatione. Et in Eclogis ait, Ieiuniũ esse abstinentiam à ueteris Adæ operibus. ac diserte addit, cibos nos nec iustiores nec iniustiores reddere. etiamsi ad quendam rigorem & austeritatem uitæ nonnihil ipse inclinare uideatur. Christianorum sabbathi Clemens meminit, cum inquit in 7 Stromatũ: Iubemur colere & honorare eundem, quem & uerbum esse, & seruatorem & ducem habemus persuasum, & per ipsum patrem: non selectis diebus, ut aliqui alij, sed continenter per totam uitam hoc agentes, & modis omnibus. Certè genus electum, per præceptum iustificatũ: Septies, inquit, laudem dixi tibi. Vnde nec in definito loco, neque in templo selecto, neq; dieb. aliquibus festis & præstitutis: sed per totam uitam, is qui est præditus cognitione, in omni loco, etiam si per se sit solus, etsi habuerit aliquos qui similiter crediderunt, Deum honorat. Rursus paulo pòst: Talis est is, cui est persuasum, Deum ubiq; adesse: non autem arbitratur, eum certis ac definitis locis esse cõclusum. Et: Per totam ergo uitam diem festum agentes, ubiq; & omni ex parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, laudantes nauigamus, & omni alio uitæ instituto, ut decet, ex arte uersamur.

DE IMAGINIBVS.

CLemẽs in Paræneticо, de imaginibus sic inquit: Nobis apertè uetitum est, artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit Propheta, cuiusuis rei similitudinem, eorum quæ sunt in cœlo, & quæcunq; sunt in terra infrà. Item: Nobis non est imago sensilis, de materia sensili, sed quæ percipitur intelligẽtia. Deus enim qui solus uerè est Deus, intelligentia percipitur, non sensu. Et in 6 Stromatũ: Nobis nullum est simulachrum in mundo, quoniam in rebus genitis nihil potest Dei referre imaginem.

DE ANTICHRISTO.

MAgna sententiarum & opinionum diuersitas est de Antichristo, apud omnes huius seculi doctores. Irenæus uarijs opinionibus et coniecturis colligit. Romanũ regnũ bestiæ meretricis futurum: quia numerus nominis Antichristi, de quo in Apocalypsi est in uoce λατεῖνος exprimatur. Nicephorus lib. 4 cap. 36 ex doctrina Iudæ ait: Antichristi aduentus expectabatur. Quæ opinio, si quis Montani hæresim, & Victoris Romani conatus consideret, non prorsus uana fuit. Quid enim aliud Montanus nouis suis paracleti conficti traditionibus, & legibus ieiuniorũ, & nuptiarum dissolutionibus, egit, quàm ut fundamenta prima totius Antichristianismi iaceret?

DE LOCO ANIMArum post corporum interitum.

LOcum, in quem animæ post separationem per mortem à corporibus recipiantur, & usq; ad iudicium extremum commorẽtur, non constituunt. Hoc saltem Irenæus in fine lib. 5 affirmat, Animas abire in locum inuisibilem, definitum eis à Deo. Etsi in initio eiusdẽ libri, locum animarũ fidelũ paradisum uocat. sic enim ait: Dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc (scilicet in paradisum) translatos esse. Iustis enim hominibus, & spiritum habentibus, præparatus est paradisus: in quem & Paulus apostolus asportatus, audiuit sermones ineffa-

rabiles, quantum ad nos in præsenti: & ibi manere eos qui translati sunt, usq; ad cõsummationẽ. Quod & autor Responsionũ ad quæstiones orthodoxorum apud Iustinum, Quæst. 75. sentit. ait enim: Post exitum ex corpore, statim fit iustorum et iniustorum discrimen. ducuntur enim ab Angelis in loca se digna: uidelicet iustorum animæ in paradisum, ubi congressio & conspectio est Angelorum & archangelorum, adde & conspectum seruatoris Christi: iniustorum autem animæ, ducuntur in inferni loca.

DE RESVRRECTIONE.

DOcuerunt, non animas tantum uitæ æternæ capaces futuras esse, sed & corpora ipsa resurrectura: quibus denuò cum animabus coniunctis, homines in æternum uicturi sint. Sicut Ignatius in Epistola ad Trallenses affirmat, Deum per Christum nostra corpora resuscitaturũ esse, quod longa cõmemoratione per multa sacræ scripturæ testimonia euidẽter probat. Et Polycarpus in oratione sua, ut Eusebius refert, expressè ait, resurrectionem futuram corporis & animæ simul. Quæ & Iustinus affirmat in Apol. 2. Deo credimus, inquit, & speramus mortua quoq; ac humata corpora nos recepturos. Idemq; Irenæus testatur lib. 2 cap. 63. pios scilicet & impios resurrecturos, suaq; corpora & animas recepturos. Et eleganti admodum ratiocinatione colligit lib. 4. cap. 33. & 34. carnem in corruptionem non uenire, quia in cœna Dominica corpore & sanguine Christi pascatur. Theophilus aduersus Autolycum lib. 1: Deus suscitabit, inquit, carnẽ tuã, cãq; unà cũ anima immortalitate donabit.

DE EXTREMO IVDICIO.

DOcent fore extremum iudicium, in quo pij per Christum resuscitati, in immortalem ab eo & æternam uitam traducendi sint: impij uerò, in cruciatus & ignem æternum, paratum ipsis & diabolo atq; angelis eius, conijciendi. De hoc iudicio ita Iustinus Apol. 2. Animæ unà cum corporibus, in extremo die, coram iudice Christo comparebunt.

Hactenus igitur, quantum fieri potuit, de plerisq; doctrinæ Christianæ partibus commodißimas autorum huius seculi, & cum sacris scripturis conuenientes sententias collegimus, & percensuimus.

INCLINATIO DOCTRINAE COMPLECTENS PECVLIARES & incommodas opiniones, stipulas & errores Doctorum, qui palàm quidem, hoc est, scriptis traditi sunt.

ETiamsi hæc ætas Apostolis admodum uicina fuit, tamen doctrina Christi & Apostolorum non parum obfuscari cœpit. Multæ enim monstrosæ & incommodæ opiniones passim à Doctoribus sparsæ reperiũtur. Fortè & eius rei aliqua causa fuit, quòd dona in Doctorib. propter ingratitudinẽ mundi erga ueritatẽ paulatim cœperint decrescere. Sic enim de ipsis Apostolorum successorib. Nicephorus ait lib. 4. cap. 1. Qui Apostolis succesſerũt, aliquãto illis inferiores, uirtutẽ eorũ nõ sunt assecuti: propè tamẽ uitæ splẽdore ad eos accesſere, nõ ita simplicem, ut Magistri eorum, oratiõnẽ consectantes. Quod & Clemens testatur in initio Strom. ubi ad doctrinæ degenerationẽ accõmodat diẽtũ, paucos filios patrib. esse similes. Ac posteà prolixè exponit, suam scriptionẽ nequaquã integram esse, & absolutè omnia complecti, quæ à præceptorib. accepe rit. Quod licet de se ac suo opere solo dixerit, tamẽ de omnib. sui temporis doctoribus intelligi, & uerè quidem affirmari potest. plerunq; enim posteriores non omnem boni, doctrinæ acceptæ uim ac naturã assecuti sunt, & expresserunt. Sed nunc tenebras & incommodas opiniones huius ætatis, cuiusmodi fuerint, recensemus: quæ quidem, ipsis stertentibus, in Ecclesiam Christi irrepserunt: hæreses uerò manifestas, & damnatas iudicio Ecclesiæ, paulo pòst exponemus.

DE CHRISTO.

THeophilus, qui Ecclesiam Antiochenam rexit anno Christi CLXXII, quamuis non neget, uerbum, id est, ipsum filiũ Dei, in patre fuisse ab æterno, & mansisse: tamen non uidetur sentire, prius cum genitum esse, quàm cum per eundem suum filium pater æternus mundum uniuersum condere uoluerit. Sic enim lib. 2. contra Autolycũ scribit: Habens Deus sermonem suũ in uisceribus suis genuit eum, cum produceret eum sapientia sua ante hæc uniuersa. Hoc sermone usus est in mundi creatione, & omnia quæ condidit per ipsum fecit. Hic principiũ dicitur, quia omniũ est principiũ. Itẽ: Cũ iam cõdere, quæ deliberauerat, cõstituisset, hũc sermonem genuit prolatũ, primogenitũ uniuersæ creaturæ. Quæ uerba quid aliud uolunt, q̃ Christum non fuisse ab æterno personam distinctam à patre & filio: & fuisse aliquando, quando non fuerit, quemadmodũ perniciosè luserũt Arius et Samosatenus: quos nõ dubiũ est, semina blasphemi sui erroris, ex talib. Doctorũ sentẽtijs esse mutuatos. In Strom. Clemẽs de Christo affirmat, eum nec esurijsse, nec corporis necessarijs re uera indiguisse: uerùm illis ideo tantũ usum, ne spectrũ uideretur. Quod certè contra naturam corporis uerè humani fuit, etiamsi post resurrectionem corporis eius glorificati alia ratio fuerit.

DE DIABOLO.

IRenæus sentit, Diabolum tum demum cœpisse labi, cum hominem seduxit: ac tum etiam primum male dictum & abiectum esse, cum scilicet post hominis lapsum diceret Deus, Semen mulieris conteret caput serpentis: item Maledictus eris: ideo quòd transgressionẽ per se primùm intulisset. hominis autem Deum misertum esse, quia per negligentiã ab alio acceperit inobedientiam. Sic enim sentire uidetur Irenæus lib. 4. cap. 78. cum tamẽ historia lapsus in paradiso declaret, Diabolũ antequam hominem aggrederetur, & ruinam intentaret, hostem Dei & pessimum fuisse. Tale quiddã est, quod idẽ Irenæus lib. 5. ex traditione Iustini (quod & Euseb. lib. 4. cap. 18. indicat) sentit, Diabolum ante Christi aduentum non fuisse ausum blasphemare Deũ, quia nondum sciuerit damnationem suam. Ita fanaticum quiddam edit, quod asserit lib. 4. cap. 30. Enoch, hominem placentẽ Deo, legatione Dei ad angelos functum esse: cum hoc solum Scriptura testetur, angelos aliquãdo ad homines legatione missos esse, non contrà homines ad angelos ablegatos. Eódem spectat, quòd affirmat lib. 4. cap. 70. homines temporibus Noah, Deo fructificare non potuisse: ideo quòd angeli transgressore

gressores essent ijs commixti. Quasi uerò temporibus solum Noe diabolus inter homines uersatus sit: ac non potius Petrus dicat, eum esse hostem perpetuò excubantem, ac circumeũtem ut leonem rugientem, & insidias generi humano ubiq; molientem.

Alia de angelis opinio est, quòd Iustinus in Apologia prolixè disputat, angelos quosdam intemperanti amore mulierum captos & lapsos esse: quam opinionem de se & Clemens in Strõ. lib. 3 & 5 prodidit. Qui & hoc addit lib. 3 Pædag. cap. 2. hunc Draconẽ diabolum, mulieres in meretrices transformare, interq; eas fungi lenonis officio. Ad pœnitentiã etiam & conuersionẽ Diabolorũ alluſisse uidetur idem Clemens lib. 1 Strom. ubi ait, Diabolum, quia liberũ habeat arbitriũ, posse duci pœnitentia. Quod quidem dictum occasio uidetur fuisse erroris Origenis, eius discipuli, qui opinionem de Diabolis adhuc saluandis postea magis ex professo sparsit.

DE HOMINE.

VAriæ de homine opiniones diſſeminatæ sunt, quæ nequaquam consentiunt sacræ Scripturæ. Primùm enim Irenæus non sine errore dixit lib. 4. cap. 73, hominem non esse conditum à Deo perfectum: item, Non esse conditum ad imaginem Dei, sed oportuisse fieri secundum imaginem Dei, accepta cognitione boni et mali. Sic enim inquit lib. 4. cap. 75. Initiò quidem Deus potens fuit dare perfectionem homini: ille autẽ nunc nuper factus, non poterat illud accipere, uel accipiens capere, uel capiens continere. Et lib. 5 clarè inquit: Artificem Deum in ueteri plasmate quiddam prætermisisse, quod postea uerbum impleuerit. Quæ sententia certè pugnat cum uerbis creationis: Et uidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona: hoc est, in ea forma perfecta condita, qualiter Deus ea uoluit habere. Nec obstat, quòd redempti postea per Christũ, nouam quasi perfectionem acceperint. Eam enim necessitatẽ alia ratio attulit, uidelicet peccatum, non creatio Dei, qua initiò in summa perfectione homo conditus fuit. Deinde & de imagine Dei admodũ periculose Irenæus loquitur, cum affirmat in lib. 5 illud dictum, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, pertinuisse ad Christum, qui certo tempore homo fieri, illamq; imaginẽ repræsentare debuerit. Ante lapsum igitur, hominẽ quidẽ dictũ esse imaginẽ Dei: sed non ostẽsum, quia filius Dei nondum homo factus fuerit. Verba Irenæi adscribimus: Præteritis temporib. dicebatur quidẽ, secundũ imaginẽ Dei factũ esse hominem, non autẽ ostendebatur. Adhuc enim inuisibile erat uerbum, cuius secundũ imaginẽ homo fuerat. Quando autem caro uerbum Dei factum est, utraq; confirmauit: & imaginem enim ostendit ueram, ipse hoc fiens quod erat imago eius, &c.

Paradoxon de homine ambiguum, & à Scriptura prorsus alienũ, etiã Theophilus profert lib. 2. ubi hominem à primordio suæ creationis neq; mortalẽ, neq; immortalem à Deo factum esse affirmat: ideo q., si immortalem ab initio eũ fecisset, Deũ eũ constituisset: si mortalem eum formasset ab initio, Deus sanè posset autor hominum mortis uideri. cum econtrà Scriptura clarè testetur, pœnam inobedientiæ & transgressionis homini constitutam esse mortem. Ita igitur demum uerè immortalis fuisset, si non peccasset.

¶ Postremò, animas hominum, Clemens in Eclogis, in matrice expectare ait semen uiri, unde carnem assumant. Cum contrà ad totam hominis substantiam haud dubiè pertinere uideatur, quod à Deo dictum est, Faciamus hominem: item, Crescite & multiplicamini: nec de corpore solo intelligi posse.

DE PECCATO ORIGInali.

CLementem in omnibus scriptis suis nusquam apparet uim peccati originis, seu mali illius inhærentis, intellexisse. nimium enim ubiq; tribuit humanis uiribus. Vt in Strom. lib. 3. in explicatione dicti Iob: Nullus est à sorde mundus, &c. clarè inquit: Dicant nobis, ubi fornicatus est infans natus: uel quomodo sub Adæ cecidit execrationẽ, qui nihil est operatus. Quo in loco & dictum Hieremiæ 20, Execranda dies in qua natus sum: & Dauidis psal. 50, In iniquitatibus conceptus sum: in mirabilem transformat sensum, ut interpretari uideatur, In peccatis concipi, non esse concipi in peccato parentum, quod in liberos traducatur, sed in aliorum peccantium ætate. Huc accedit, quòd qualescunque etiam ponat peccati definitiones, quæ nihil ad fontem & ueras peccati causas respiciunt: ut Strom. 2. lib. Peccatum est uoluntaria iniusticia.

DE LIBERO ARbitrio.

NVllus ferè doctrinæ locus est, qui tam citò obscurari cœperit, atque hic de libero arbitrio, ac uirium humanarum potestate post lapsum. Quod inde fortè accidit, quia pleriq; in philosophicis studijs educati fuerunt, ijs'que nimium tribuerunt. Prædicat autem Philosophia immodicè uires humanas, easq; ad optima quæq; hortari dicit, sicut ex Aristotele & alijs uide re est. Verùm hæc obscuratio, simul etiam aliarum doctrinæ partium tenebras secum, & corruptelas uarias traxit: ut extenuationem peccati originalis, & deprauationem, & obscurationem doctrinæ de merito Christi. Autor responsionum apud Iustinum, ad quæstionem 103 plenis buccis in hæc uerba erumpit: Quid est tota legis iusticia? Diligere Deum plus quàm seipsum, & proximum ut seipsum: quod quidem non est impossibile hominibus uolentibus. Sed apparet hunc autorem, quisquis fuit, nihil prorsus inter actiones externas, in quibus obedire rationi uoluntas potest, & internas seu spirituales, discernere potuisse.

Irenæus quoque non distinctè de potestate humanarum uirum ratiocinatur: & in eam sententiã multa prophetarũ, Christi & Pauli dicta detorquet, quemadmodum in toto cap. 72. lib. 4 uidere est. Inter cætera inquit: Prophetæ & Apostoli hortabantur homines iusticiam agere, bonum quoque operari, quia in nobis sit hoc. Quod si de actionibus externis sentiret, tolerari utcunque posset. sed & de interioribus eum sic sensisse, nimis clarè ex multis locis, in quibus de libero arbitrio disputat, liquet. Nam & in eodẽ capite, quod modò adduximus, totum se quasi aperit, sic inquiens: Non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Dominus,

nes orthodoxorum, Iustini operibus adiũctis, Infantes scilicet affici bonis baptismi, propter fidem eorũ qui eos ad baptisma afferunt. Quæ opinio nimium alienæ fidei tribuit (inquit enim Abacuc, Iustum sua fide uiuere) ac nouitatem resipit.

DE SACRIFICIO.

ETsi doctores huius seculi, de oblatione seu sacrificio incruento in Eucharistia Deo faciendo nihil habeant, ut suprà dictum est: tamen quædam ambiguè & incõmodè dicta in quibusdam occurrunt. ut in epistola Ignatij ad Smyrnenses: Non licet, inquit, sine episcopo neq; offerre, neq; sacrificiũ immolare, neq; δοχὴν ἐπιτελεῖν: id quod falso uerterunt, missas celebrare. uidetur autem per distributionem, de aliquot inter se differentibus actionibus, non quasi synonymis dicere, quæ non facilè explicari possunt. Ignatius certè ipse de merito Christi, fide apprehendendo, magis quàm de oblatione aliqua seu repræsentatione sacrificij, sicut ex alijs epistolis colligi potest, loquitur.

De oblatione porrò, & Irenæus lib. 4. cap. 32 (si tamẽ locus fraude ac mendo uacat) satis uidetur loqui incõmodè, cum ait: Noui Testamẽti nouã docuit oblationẽ, quã Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo. Sed Irenæus sese in sequentibus, ac præcipuè cap. 34, copiosè declarat, quòd nequaquam intelligat oblationem consecrati panis, sed adhuc consecrandi in usum cœnæ Domini, & alioqui in usum sacerdotum & pauperũ. Copiosè enim panis, cum alijs ad uictum pertinentibus, in eum finem à plebe offerri moris erat. Expressè enim inquit: Offerre oportet Deo primitias creaturæ eius. Et iterum: Oportet nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in sententia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias earum quæ sunt eius creaturarum offerentes. Et hanc oblationẽ ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius.

DE INVOCATIONE Sanctorum.

COnsuetudinis inuocandi sanctos, in doctoribus huius seculi uestigia omnino nulla conspiciuntur: nisi quis pro incõmodo dicto accipiat hoc, quod apud Irenæum est lib. 5: Sicut illa (Eua) seducta est, ut effugeret Deũ: sic hæc (Maria) suasa est obedire Deo, uti uirginis Euæ uirgo Maria fieret aduocata. Sed Irenæus confert inter se eo in loco, illud quod per Euam commissum & amissum est, & illud quod Deus per filium suum natum ex Maria uirgine restituit.

DE PRIMATV ECCLESIÆ Romanæ.

IN eminentiori fuisse hoc seculo dignitate & statu, ecclesiam Romanam, præ cæteris uniuersi terrarum orbis ecclesijs, ex historijs & Doctoribus horum temporum probari non potest: sed uoluit sanè Romana ecclesia, æmula esse ecclesiarũ in Oriente: ut Antiochenæ, Hierosolymitanæ, Alexandrinæ, & similium, quæ in ecclesijs suarum regionum ob puritatem doctrinæ, excellentiam doctorum, amplitudinem, confessionem, officia in fratres, communicationem consiliorum & ministrorum salutarium fuerunt celebriores.

Ignatius in Epigraphe epistolæ ad Romanos, eam ecclesiam appellat eminentia dignam. Verùm nihil aliud ab Ignatio assertum est, quàm eam esse excellentem ecclesiam. Nam ad Romanam ecclesiam omnes alias in toto orbe terrarum esse alligatas, & episcopum eius loci esse Oecumenicũ, qui errare non possit, & cui omnes necesse sit subesse: neque Ignatius, neque alij huius ætatis scriptores habent. Nouitatem deinde quandam & illud resipere quibusdam uideri posset, quòd in exemplaribus Irenæi, qualia nunc habemus, extat libro tertio, capite tertio: Ad hanc ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam: hoc est, eos qui sunt undique fideles: in qua semper ab his qui sunt undiq; conserua ta est ea quæ est ab Apostolis traditio. Sed hæc sententia tantũ de consensu in doctrina ab Apostolis tradita loquitur, sicut ex contextu Irenæi manifestum est.

DE MARTYRIO.

DE martyrio nimis magnificè sentire cœperũt, adeò ut & expiationem illi quandam peccatorum tribuerint. In Stromatis enim disertè Clemens inquit, Martyrium esse expurgatorium peccatorũ, cum gloria. Et in epistolis suis pluribus, Ignatius ualdè pericu loſe loquitur de Martyrij merito. ut ad Smyrnenses: Pro animabus uestris spiritus meus & uincula mea sint. Item ad Antioch. Pro animabus uestris ego efficiar, quando Christum meruero adipisci. Qua phrasi etiam ad Polycarpum & Ephesios utitur. Ad Romanos inquit: Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possum Deum promereri. Quæ uerba in Græco alium sensum referunt.

DE VIRGINITATE.

COmmendationes castitatis, seu uirginitatis, admonitiones item ad eam exercendam, hoc quidem seculo reperias: leges uerò expressas, quibus aut cultus aliquid, aut meriti sit annexum, non item. Nisi quod ex Ignatij epistolis apparet, homines iam tum paulo impensius cœpisse amare & uenerari uirginitatis statum. Nam in epistola ad Antioch. ait: Virgines uideant, cui se consecrarint. Et ad Heronem: Virgines custodi tanquam sacramẽta Christi. Item ad Tarsens. Eas quæ in uirginitate sunt honorate, sicut sacras Christi. Sed quæ fuerit Ignatij sententia de coniugio, suprà dictum est. Extat apud Eusebiũ lib. 4 capite 23 commemoratio de epistolis Dionysij Corinthiorum episcopi, in qua dicitur, scripsisse eum epistolas ecclesijs per Pontum sitis, in quibus multis eos admonuerit de nuptijs & castitate. Quod illustre satis testimonium est, de uirginitate eos non docuisse, semoto aut repudiato seu in contemptum adducto matrimonio: quemadmodum & Paulus utrumq; coniungit. Accedit eò, quòd ibidem Eusebius narrat, extare etiam epistolam eiusdem Dionysij ad Pinytum episcopum Gnosi, in qua eum hortatur, ne graue serpuandæ castitatis onus necessariò fratribus imponat. Quod exemplum clarè testatur, nondum fuisse conditas leges de cultu aut merito castitatis, etiamsi suspicere quodammodo & uenerari cœperint.

Qua

Quæres etiam occasio quædam & iter fuit ad ea, quæ posterioribus temporibus de claustris & uotis monasticis superstructa sunt.

DE REBVS ADIAPHORIS, SEV humanis traditionibus.

Doctrina de libertate Christiana nõnihil cœpit obscurari, & succreuit paulatim error de traditionibus necessariò obseruãdis. Quamuis enim prohibitiones aut leges de usu indifferenti creaturarum, hoc tempore nullæ adhuc fuerint: tamen Alcibiadis hi storia, quæ apud Euseb. lib. 5, cap. 3 recitatur, subindicat paulatim incessere tum cœpisse homines quandam electiciorum cultuum religionem. Fuit Alcibiades de numero martyrum eorum, qui sub M. Antonino Vero in Gallijs passi sunt. Is cum antea nimium parcè uixisset, pane solo & aqua in cibum utens, ne in carcere quidem aliam seruare uictus rationem uoluit. Attalus uerò Romanus, nobilissimus martyr, post supplicia quæ in amphitheatro multa & uaria miraculose sustinuerat, in carcerem reductus, uisione monitus est, peccare Alcibiadem, quòd à creaturis Dei abstineret, alijsq; occasionem offendiculi præberet. Ita igitur per Attalum Alcibiades admonitus, & meliora doctus, eò tandem perductus est, ut sine formidine & cum gratiarum actione creaturis Dei indifferenter usus in posterum sit.

Satis tamen durè etiam Ignatij epistolæ de medijs rebus loquuntur. Nam ad Philad. sic scribit: Adhuc dico episcopis et presbyteris in Domino: Quicunq; cum Iudæis pascha egerit, aut solẽnia dierum festorum eorum susceperit, comparticipabit eis qui Dominum & Apostolos eius occiderunt. Et paulo antè: Dies festos nolite inhonorare, quadragesimam uerò nolite prorsus habere, imitationem enim continet Dei conuersationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere. Quarta uerò & sexta feria ieiunasse, reliquias pauperibus porrigentes. Item: Quicunque Dominicam aut sabbathum ieiunauerit, præter unum sabbathum paschæ, ipse est Christi interfector. Sed hæc adiunde (quid enim cum Telesphori decreto de Quadragesima, Ignatio?) irrepsisse uidentur.

DE INFERORVM CONuersione.

Est omnino mirabilis opinio Clementis in Stromatum lib. 6. qua sentit, ante Christum neminem esse saluatum: sed homines honestos, & qui piè uixerunt, usque ad Christi mortem in inferno fuisse, ibique prædicatione Christi & Apostolorum demum conuersos & saluatos esse. Ex qua opinione haud dubiè & imagines à ueteribus, & cantiones, de Christo educente ex inferno sanctos, factæ sunt. Probat autem hoc Clemens ex testimonijs Hermetis: cui autori quantum tribuendum sit, infrà dicetur. Et alibi quidem, ut lib. 2. ex hac ipsa opinione damnat Marcionem, quòd docuerit, seruatorem saluasse credentes in se, etiam ante Christi aduentum.

DE STATV POST RESurrectionem.

Mirum est, tam crassas ac fanaticas opiniones potuisse uenire in mentem doctoribus huius seculi, pios nimirum post resurrectionem, ante iudicium extremum & rerum consummationem habituros in hoc mundo corporale regnum. cuius figmenti Eusebius libro 3, cap. 38 primum authorem Cerinthum facit. In eodem uerò libro capite ultimo, ad Papiam autorem illud somnium refert, ubi & doctrinam fabulosam uocat. Papiam uerò ipsum, ait, quia iudicio hebeti & exiguo præditus fuerit, Apostolicas disputationes, & quæ ab illis per hypodigmata tradita essent, non rectè considerasse. Sed ex Iustino apparet, Somnium illud primum profectum & propagatum esse, quemadmodum multa alia crassa & carnosa, à Iudæis. Quanquam autem dicat Iustinus, ab ea opinione multos purè pieq; Christianos dissentire: tamen eam ipsam & affirmat, & testimonijs Scripturæ probare nititur. Sic enim ait in Dialogo, Tryphone ad hunc modum interrogante: Putatis ne unquam instauranda Hierosolyma, atq; ibi colligendum uestrum populum, in hilaritate uicturum cum Christo, & patriarchis prophetisq;? &c. respondet: Ego cum alijs, qui rectè Christianéque sentiunt, scio, & resurrectionem carnis futuram, & mille annos in Hierusalem instaurata, ornata, dilatatáque: ut affirmant prophetæ, Ezechiel, Esaias, & cæteri. Sic enim Esaias de hoc annorũ millenario loquitur: Erit cœlum nouum, & terra noua, & nõ erunt in memoria priora, & non ascendent super eor: sed gaudium & exultationem inuenient in ea quæcunque ego creo: quia ecce ego facio Hierusalem in exultationem, & populum meum lætum: & exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea ultrà uox fletus, neque uox clamoris, nõ erit ibi amplius immaturus dierum, & senex qui non impleat ætatem suam: erit enim iuuenis filius centum annorum: & qui morietur peccator filius centum annorum maledictus erit. Et ædificabunt domos, quas inhabitabunt ipsi: & plantabunt uineas, quarum fructum comedent, uinumq; bibent: non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet. secundum enim dies ligni uitæ, erunt dies populi mei, opera manuum eorum multiplicabuntur: electi mei non laborabunt in uanum, neque liberos progignent in execrationem, quia semen iustum erunt, & benedictum à Domino, & nepotes eorum cum eis: & fiet, ut antequam clament, exaudiam eos: adhuc illis loquentibus, dicam, Quid est? tunc lupi & agni simul pascentur, & leo sicut bos edet paleas, & serpens terram sicut panem. non lædent, neque lædentur in monte illo sancto, dicit Dominus. Hæc sunt, inquam, uerba prophetiæ: Erunt enim secundum dies ligni dies mei populi. opera laborum eorum intelligimus mille annos significare mysticè. Sicut enim Adamum, cui dictum fuit, Quacunq; die ederis de ligno, ea morieris, scimus mille annos non explesse: sic illam sententiam, Dies Domini ut mille anni, eõdem tẽdere intelligimus. Quoniã & apud nos uir quidam, cui nomen Ioannes, unus è Christi Apostolis, in reuelatione sibi facta prophetauit, mille annos habitaturos Hierosolyma, quotquot Christo nostro crediderint: ac mox sequuturam uniuersalem, & (ut paucis dicam) æternam resurrectionem simul omnium, atq; iudicium: quod etiam Dominus noster dixit, Non ducent uxores, nec nuptum dabunt, sed æquiparabuntur angelis, cum sint filij Dei,

Dei, resurrectionisq;. Eôdem etiam spectare uidetur, quod Irenæus lib. 2. cap. 64 dicit, unamquãq; gentem dignam habitationem percipere ante iudicium. Nec abludit ualde mirabilis illa hominum in angelos metamorphosis, quam sibi Clemens absque ullo sacræ scripturæ testimonio somniat in Eclogis, ubi sentit, Homines mutari in angelos, qui primùm mille annis ab alijs angelis discant, postea uerò uicißim doceant ipsi alios homines inter angelos recens ascitos, qui exacto tempore tandem fiant archangeli.

QVOS LIBROS SACRAE Scripturæ pro ueris aut apocryphis Ecclesia huius temporis habuerit.

ETsi in superiori etiam libro quædam de sacris uoluminibus dicta sunt, quæ scilicet pro ueris & authenticis, quæ pro falsis & subditicijs habita sint: tamen quia consensus utilis est, & scire magnopere prodest, quomodo subinde quasi per manus traditus nobis, sine dolis & corruptelis, iste sit thesaurus, non incommodum est & hic repetere. Nam & hoc tempore sanius adhuc & incorruptius ea de re iudicatum est, cum quid genuinum aut adulterinum esset, illi procul dubio rectißimè uiderunt, quos ætas Apostolis admodum uicina ad eam rem fecit instructos. Accedit ad hoc, quòd & in aliquam partem annorum istius libri adhuc pertineat diuus Iohannes, quem ut testem ocularem, cum auricularibus, proximis scilicet eius successoribus, habere utilißimũ est: ut sciri possit, quibus potißimum libris innitendum & credendum sit: ac plenum fiat, uiros apostolicos non in pari autoritate & honore habuisse libros omnes, quos propter conscientiæ consolationem & uariarum hæresium confutationem certum esse omnino necesse est. Scribit igitur de Polycarpo Irenæus lib. 3 cap. 3, Eum ecclesiæ tradidisse, quæcũq; ab Apostolis accepisset: & uerißimè pronunciat, APOSTOLICA ILLA SOLA ESSE VERA.

Fuisse autem Apostolicæ doctrinæ & traditionum studiosum Melitonem illum, qui temporibus Antonini in ecclesia Sardensi claruit, non est dubium. Is de ordine et numero librorũ ueteris Testamẽti sua ætate recepto, ad hũc modũ scribit, referẽte Euseb. lib. 4 cap. 25.

Meliton Onesimo fratri salutem.

Quoniam sæpenumero, quo es erga doctrinam studio, petijsti, ut annotata quædã tibi è lege & prophetis, de Seruatore ac tota nostra fide excerperentur: deinde, & ueterum librorum certam summã cognoscere uoluisti, quo illi sint numero, & quo ordine dispositi: diligenter in hoc fui, ut id tibi præstarem, sciens studium tuum erga fidem, & diligentiam ac sedulitatem circa doctrinam, quòd ista potißimũ desiderio quo erga Deum afficeris, & amore æternæ salutis, pro qua decertas, potiora ducas. Itaq; in orientem reuersus, & eo loco cõstitutus ubi ista sunt & prædicata & gesta, ueteris Testamenti libros diligenter cognitos in ordinem subieci, & ad te misi, quorum hæc sunt nomina: Quinq; libri Mosis, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. deinde Iesus Naue, Iudices, Ruth, Regũ quatuor libri, Paralipomenon duo, Psalmi Dauidis, Prouerbia Solomonis, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Iob: prophetæ, Esaias, Hieremias, duodecim prophetarum liber unus, Daniel, Iezechiel, Esdras. Hactenus Meliton.

Noui uerò Testamenti libros hoc ordine recenset Eusebius lib. 3 cap. 24 & 25, ac nunquam contradictũ illis esse ibidem significat: Matthæus, Marcus, Lucas (qui tres euangelistæ ea duntaxat Seruatoris nostri facta conscripserunt, quæ post inclusionem & captiuitatem Iohannis baptistæ, uno sunt anno gesta) Ioannes: qui rogatus, tẽpus à priorib. euangelistis silentio præteritũ, et quæ in illo gesta sunt à Seruatore, ineluſionẽ uidelicet Baptistæ præcedentia, euãgelio suo tradidit.

Eusebius lib. 5 cap. 8 Irenæi citat testimonum de euangelijs, ad hunc modum: Matthæus quidem Ebræis in ipsorum lingia euangelij historiam obtulit, cum Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & ecclesiam fundarent. Post obitum autem illorum Marcus, discipulus & interpres Petri, etiam ipse nobis quæ à Petro sunt prædicata, in scriptis reliquit: & Lucas, sectator Pauli, euangelium ab illo prædicatum uolumine complexus est. Post istos Ioannes discipulus Domini, qui & ad pectus illius recubuit, etiam ipse nobis euangelium edidit, cum Ephesi moraretur. Hæc Irenæus in tertio libro aduersus hæreses Valentini, cap. 1.

Post quatuor euangelistarum doctrinam, subiungit Eusebius Acta apostolorum. de quibus omnibus sic Niceph. lib. 2 cap. 46. De quatuor quidem euangelijs nemo adhuc ad hunc usq; diem controuersiam mouit, omnes q; ea germana & natiua esse sunt professi. idem quoq; de Actorum libro dicendum. Post hæc epistolas Pauli, quas Nicephorus idem (describens cum Eusebij locum) ait omnes indubias certæq; autoritatis permansisse, excepta ea quæ ad Hebræos inscripta sit. Pauli epistolis subijciatur, inquit Eusebius, quæ prior Ioannis esse fertur: similiter & quæ Petri est authentica. Posthac ordinetur, si uisum fuerit, Apocalypsis Ioannis. Et hæc quidem scripta pro indubitatis habentur.

De libris quos esse canonicos dubitatum & disputatum est.

Recitat ibidem Eusebius, sicut & eum secutus Nicephorus, suspectos habitos semper fuisse libros aliquos eo nomine, q, non genuini, nec ab Apostolicis & satis probatis autoribus cõscripti fuerint, et in ordinẽ tamen librorũ noui Testamenti peruenerint: ut sunt, Epistola Iacobi, epistola Iudæ, Petri epistola posterior, duæ posteriores Iohannis. Nicephorus libro 2, cap. 45, authenticos & receptos noui Testamenti libros enumerans, etiam hoc adijcit: Porrò diuus Iacobus, frater Domini, duodecim tribubus unam catholicam scripsit epistolam: duas itidem Petrus, & tres diuus Ioannes, unam autem Iudas: quas numero septem uniuersas, ut germanas atque natiuas, dudum ecclesia recepit, & in numerum noui Testamenti seruaculorum librorum quàm maximè retulit: sanciti etiam quatuordecim diui Pauli epistolas. In initio tamen ipso capitis proximè sequentis, quasi eorum quæ paulo antè dixit oblitus, sic inquit: De quibus addubitatum sit, hæc sunt: Prima inter catholicas Iacobi, fratris Domini: & septima, Iudæ, fratris eius: item posterior Petri epistola. de his enim anceps apud antiquos fuit opinio. Præterea ex tribus quæ dicuntur

cuntur esse Ioannis, extra primam, reliquis duabus aliquandiu non integra data est autoritas.

De libris Apocryphis.

Inter adulterina, inquit Eusebius, censentur acta Pauli, & liber dictus Pastor, & Apocalypsis Petri, & quæ circumfertur epistola Barnabæ, & Apostolorum quoque doctrinæ dictæ. ad hæc & Apocalypsis Ioannis, si uidetur: quam nonnulli (sicut dixi) reprobant, alij uerò certis & indubitatis scripturis adiudicant. Iam uerò & Euangelium quod ad Hebræos est, inter ista connumerat. Quæ omnia ex illis sunt, quibus contradicitur. noui enim Testamenti scripta non sunt: sicut nec illa quæ sub nomine Apostolorum, siue Petri, siue Thomæ, siue Mathiæ, uel aliorum præterea euangelia, aut (ueluti Andreæ, & Ioannis, & aliorum Apostolorum) acta continentia, ab hæreticis proferuntur, quorum nullam uspiam uel aliquis ecclesiasticæ successionis scriptor mentionem in Cõmentarijs suis facere dignatus est. Egesippus Euangelij cuiusdam secundum Syros meminit, apud Eusebium libro 4 capite 22. Nicephorus etiam libri actorum Petri meminit, & inter eiusdem prædicationem & euangelium uidetur discernere. Sic & quatuor apocrypha sub nomine Petri numerat: Petri scilicet prædicationem, & euangelium, eiusdem Apocalypsin, & librum Actorum. Sozom. libro 7 Ecclesiasticæ historiæ, capite 19, eam quæ nunc quasi Apocalypsis apostoli Pauli circumfertur, quam nemo ueterum uidit, plurimi ex monachis commendant. Sunt autem, qui libellum istum sub hoc imperio inuentum esse affirment. Dicunt enim, Tharsi Ciliciæ, in domo Pauli, ex diuina manifestatione marmoream urnam esse inuentam, in qua liber iste fuerit. Mihi uerò hac de re percontanti, Cilix quidam presbyter Tarsi Ciliciæ, uir, ut canicies quoque indicabat, multos annos natus, mendacium esse dixit, quòd nihil tale apud ipsos accidisse sciret: mirabatur que, si ea res non esset hæreticorum figmentum. Clemens item in tertio Strom. quædam ex Euangelio secundum Aegyptios citat, quo usos esse significat sectatores Tatiani. Cætera uerò omnia quæ apocrypha esse iam ostendimus, ita allegat, ut se non paruam illis autoritatem tribuere, non obscurè significet: in qua re uerò ideo non potest non reprehendi, quòd cum longè probatiorum librorum testimonijs uti potuisset, alienis tamen & suspectis utens, autoritati recentiorum derogauit, & exemplo suo non leuiter nocuit. Sed nunc, quid quisque autorum, de libris tam non receptis quàm receptis & germanis, iudicij tulerit & senserit, amplius indicabimus.

De libris Prophetarum & Apostolorum.

Ignatius libros Prophetarum & Apostolorum, in epistola ad Philadelphienses, profectos esse sensit ab uno eodemq; spiritu. ait enim: Prophetas quidem diligo, ut Christum prænunciantes, continentes eius spiritum, sicut & Apostoli. Sicut enim pseudoprophetæ & pseudoapostoli unum eundémque malignum & seductorem & populũ errare facientem spiritum assumpserunt: sic certè ueri prophetæ, & ueri Apostoli, unum eundémque sanctum, bonum, principalem & uerum, atque doctorem per Christum accepe-

runt spiritum. Ad eundem modum Iustinus Apologia secunda, scripturas Propheticas & Apostolicas omnes ad Christum accõmodat, & prolixè multis testimonijs ex Prophetis probat, quæcunq; de Christo Euãgelistæ & Apostoli scripserunt.

De parabolis Salomonis.

Non solum Egesippus, sed & Irenæus, & uniuersus ueterum chorus, Salomonis parabolas, Sapientiam omnis generis uirtute plenam uocarunt. Eusebius libro quarto, capite 22.

De Apocalypsi Ioannis.

Eusebius quidem libro 3 cap. 25, narrat de Apocalypsi aliquos dubitasse, utrum Iohannis apostoli esset. & eodem libro, capite ultimo, sententiam quandam citans ex scriptis Papiæ, in qua nomen Iohannis bis ponitur, putat Iohannem alterum, quem seniorem Papias uocat, non Apostolum, Apocalypsis authorem esse. sic enim ait: Verisimile est, alterum, nisi quis primum mælit, Apocalypsin illam uidisse, quæ sub nomine Iohannis circumfertur. Verùm nullũ ex huius seculi historia authorem citat, qui ostendat hoc seculo dubitatũ esse, an Apocalypsis Iohannis, Apostoli esset: sed econtrà potius, quatuor insignes huius ætatis doctores, Iustinum & Irenæum, & Apolloniũ, & Theophilum producit, certò affirmantes, eam Iohannis apostoli esse. Nam Iustinum in Dialogo cum Tryphone asserere manifestè, Apocalypsin Iohannis apostoli esse, narrat lib. 4. cap. 18. Verba Iustini hæc sunt: Quoniam & apud nos uir quidam nomine Iohannes, unus è Christi Apostolis, in reuelatione sibi facta prophetauit. Et Irenæi sententiam libro 5 capite 8 in hunc modum allegat: In quinto, de Apocalypsi Ioannis, ac de numero Antichristi, sic disserit: Hisce autem sic se habentibus, quum in cunctis accuratis ac uetustis exemplarib. numerus hic sit positus, ut hoc ipsum testificentur, qui Ioannem oculis suis uiderunt, deniq; & uerbũ nos hoc doceat, quòd numerus nominis bestiæ secundum gentilium calculũ per literas in ipso positas declaretur. Et aliquãto pòst infrà de eodem sic scribit: Nos igitur de nomine Antichristi non periclitamur, de quo certò ac firmiter pronunciamus. Etenim si præsenti hoc tempore nomen illius manifestè esset edicendum, per illum utiq; dictum esset, qui & Apocalypsin proloquutus est. neque enim ante multum temporis, sed propè nostra hac ætate, sub finem Domitiani imperatoris uisa est. Nec aliud sensisse Apollonium, eum qui contra hæresin Cataphrygarum scripsit, Eusebius indicat libro 5, capite 18. ubi Apollonium testimonijs ex Apocalypsi usum dicit. Sic & Theophilum in libro contra Hermogenis hæresin, testimonijs Apocalypsis Iohannis usum esse, dicit libro 4, cap. 24. Si uera sunt quæ Dionysius Alexandrinus in libro suo de Promissionibus cõtra Nepotem scripsit, referente Eusebio libro 7, cap. 25, ut infrà suo loco dicetur: tum fortè circa finem huius seculi fuerunt aliqui in Alexãdrina ecclesia, quos suos antecessores appellat, qui senserunt, Apocalypsin non esse Ioannis euangelistæ. Sed qui nam fuerint, nec ipse dicit, nec alibi usquam nominati reperiuntur. Imò Origenes, qui præceptor Dionysij fuit, in primum Psalmum commentans asserit, Ioannem apostolum scripsisse Apocalypsin. Eusebius lib. 6. cap. 25.

De epistola ad Hebræos.

De epistola uerò ad Hebræos iudicia in Ecclesia semper uariarunt, cum autorem eius esse Paulum ipsum alij contenderent, alij negarent: alij uerò eam Clementi Romano, alij alijs tribuerent. Eusebius lib. 3 cap. 37 testatur, Clementem in epistola ad Corinthios, quæ hodie non extat, prolixè ostendisse, uetus esse scriptum epistolam ad Hebræos, & reliquis apostoli Pauli epistolis annumerandum. & quidem ad Hebræos, Hebraicè scriptam esse. quam quia Clemens, seu, ut alij, Lucas interpretatus sit, euenisse, ut eius autorem ipsum Clementem uel Lucã esse multi postea dixerint. Quod & lib. 6 cap. 25 significat. Quis illam, inquit, uerè scripserit, Deus nouit: ad nos uerò historia peruenit, quòd quidam eam à Clemente Rom. episcopo, quidã uerò à Luca, qui & Euangelium & Acta dedit, scriptam esse dicant. Quo in loco & Origenis iudiciũ recitat, quem censuisse scribit, sensus huius epistolæ esse Apostoli, phrasin uerò & structuram alterius cuiuspiam, qui dicta apostolica annotauerit, & uelut in scholia quædã, quæ à præceptoribus audiuit, redegerit. Etsi autem Augustinus, receptam eam fuisse ab orientalibus ecclesijs, ut Apostolicam, asserit: tamen textus uidetur præ se ferre, eam non esse alicuius Apostoli. nam in secundo capite autor in hanc sententiam inquit: Ea doctrina per illos qui à Domino ipsi audiuerunt ad nos peruenit. Ex quibus uerbis clarum omnino est, non Apostolum, sed Apostolorum discipulum, eum autorem se profiteri, ad quẽ ab ipsis hæc doctrina fortasse multo pòst peruenerit. Paulus enim grauissimè affirmat Gal. 1. habere se euangelium suum neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed ab ipso Deo. Accedit ad hoc, quòd ea quæ in cap. 6 & 10 duriter disputat (lapsis post baptismum negari pœnitentiam: & cap. 12 ait, Esau non reperisse pœnitentiæ locum, tametsi cum lachrymis eam quæsiuisset) cum Euangelistarum scriptis & Pauli epistolis non congruunt.

De epistolis Iacobi & Iudæ.

Iacobi, illius qui dictus est Iustus, epistola esse dicitur, quæ inter Catholicas prima est. Sciendum autem est, esse eam adulterinam. non enim multi ex ueteribus mentionem illius faciunt: sicut nec eius quæ Iudæ inscribitur, cum & ipsa una sit ex septem quæ Catholicæ appellantur. Attamen scimus, & istas cum reliquis publicè in plurimis ecclesijs legi. Hæc Euseb. lib. 2 cap. 23. Rationes uerò, quamobrem nec has alicuius Apostoli epistolas esse constet, hæ sunt. Primùm enim, contra Paulum & omnes alias scripturas epistola Iacobi operibus iusticiam tribuit: & quasi de industria, hoc quod Paulus Roman. 4, ex capite Genes. 15 ratiocinatur, Abrahamum sola fide iustificatum esse, sine operibus, inuertit, atque ex operibus Abrahamum iusticiam consecutum esse pronũciat. Deinde nec in hoc Apostoli ueri munere fungitur, q; nec passionis Christi, nec resurrectionis, nec officij usquã meminit, etiamsi Christi nomen aliquoties efferat: cum genuini & Apostolici libri in hoc omnes consentiãt, ut Christũ urgeant, & beneficiũ eius monstrent. Tertiò, quia ex Petri & Pauli epistolis aliquot dicta recitat: Petri quidem illa, Charitas operit multitudinem peccati: & ,Humiliamini sub potenti manu Dei: Pauli uerò Gal. 5. Spiritus concupiscit aduersus carnem. Ita & Iudæ epistolã esse quiddam consarcinatum ex secunda D. Petri epistola, apparet. eadem enim uerba propemodum in utraq; reperias. Deinde de Apostolis ipse quoq; loquitur, ut discipulus eorum, longo pòst eos tempore consecutus: præterea & sententias & historias adducit, quæ in scripturis alijs nusquã inueniuntur. Qua re ueteres adducti, ex numero eam canonicorum librorũ noui Testamenti reijciendam censuerunt. Postremò, cum Iudas apostolus non in Græciam, ut aiunt, uenerit, sed in Persiam, nec consentaneum est eum Græca lingua scripsisse.

De libro Hermetis qui inscribitur Visio, Pastor, seu Angelus, & Similitudines.

Euseb. lib. 3. cap. 3. Quoniam, inquit, Apostolus circa finem epistolæ ad Romanos, ubi quosdam salutat, etiam Hermæ cum alijs mentionem facit: & ob id Pastoris huius esse librum dicunt: sciendum est, etiam illi à nonnullis esse contradictum. Quapropter non est illis annumeratus, qui pro certis habentur. Sic in eodem libro cap. 25, inter adulterina eundem librum recensет. Sed lib. 5 cap. 8 affirmat, eum receptum esse ab Irenæo, de quo hæc recitat: Non solùm autem nouit, sed & probat scriptum Pastoris, dicens: Rectè autem scriptura pronunciauit, quæ dicit, Ante omnia crede unum esse Deum, qui cuncta creauit & perfecit, & fecit ex non existente ut sint. Quam sententiam etiam ex eo dem libro citasse Arianos, et adamasse, Athanasius scribit. Attamen hoc ipsum iudicium de Hermetis libro non reperitur in Irenæi operibus, quæ hodie extant. Obseruandum etiam est, fieri tantum mentionem libri Pastoris Hermetis apud ueteres aliquot, non autem libri Visionum aut Similitudinum, qui & Hieronymo ignoti fuerunt. Nisi quod ex hoc postremo libro Clemens, qui non sine graui uitio temerè quæuis citat & probat, confirmat hoc quod in Strom. asserit, Apostolos apud inferos etiam Christum prædicasse. Non uidetur multis opus esse rationibus, quibus uerisimile fiat, hunc librũ prorsus esse apocryphon & supposititicium, ac neminem minus eius esse autorem quàm Hermam, Pauli discipulum. Sed ex ipso tamen libro pauca quædam proferemus. In doctrina tradenda Apostolos non delectari, nec uti solere uisionibus, constat. Sed hunc autorem uideas usq; ad fastidium multas ociosas & friuolas inculcare uisiones, & quidem superuacaneas, quæ de illis rebus loquuntur, quæ aliàs per uerbum patefactæ sunt. Quemadmodum etiam ambiguis, obscuris & omnino inutilibus studet similitudinibus. quæ nec docent nec monent aliud ferè quicquam, q̃ moralia, quæ alio genere docendi tradere longè ei fuisset facilius.

Deinde in toto scripto, nullo utitur ordine, nihil definit, nullis argumentis res consectatur, nihil autoritate scripturæ probat, cuius ne unum quidem adducit locum. Apostoli enim mentionem in genere ponit, & neminem certum nominat, aut alicuius dicta, doctrinã aut exempla adducit. De pœnitentia contra Pauli & omnium Apostolorum sententiam ita docet, ut unam tantum admittat, nec quidẽ fidei aut meriti Christi in ea doctrina quicquam meminit. Deniq; si quis attentius fabulosum illud scriptum legat, animaduertet in eo arcana & astuta sparsa semina Antichristi, maximè in uisio-

in uisionibus & similitudinibus. Prima enim uisio abducit è mundo in solitudinem: sicut & in similitudinibus multa dicit odiose in uitam communem. In secunda et tertia uisione, multa habet de frequenti ieiunio, ut & similitudines de ieiunio in pane & aqua. Videtur & ad purgatorium alludere, in uisione tertia, ubi inquit: Habent pœnitẽtiam, sed in hac turre non possunt conuenire. alio autem loco ponentur longè inferiore: & hoc, cum cruciati fuerint, & impleuerint dies peccatorũ suorũ, etc. Ita omnino suspicione nõ caret, quod in hoc libro quædam expresse ponuntur, quorum ante Tertullianum & Cyprianũ nemo fèrè meminit, ut exomologesis, satisfactiones, stationes, opera supererogationis, quæ in libro tertio similitudine quinta, hac sententia clarè significantur: Si præter ea quæ mandauit Dominus, aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honoratior apud Dominũ eris, &c. Sic in similitudine nona, semina cælibatus non obscura reperies. Dicitur enim ibi de abiectis propter concupiscentiam fœminarum: item de præmijs ministrorum, qui perpetuò casti uixerunt. Hæc quæ in ipso textu fucum & fraudem redolere uisa sunt, adduximus. Quid quod hoc ipsum quod passim ex Hermete citatur, de angelo indicente celebrationem Paschatis die Dominico, in eo libro omnino non reperitur?

Quæ fuerit recepta & usitata scripturarum uersio.

Quia reprehendit Irenæus eos, qui nouis interpretationibus scripturarum suo tempore studuerint: & commendat uersionem LXX seniorum, quos interpretes Bibliorum Ptolemæus Lagi filius Hierosolymis accersuerat, significare uidetur, eam interpretationem suo tempore in usu fuisse, ut cum qua concordent Apostolorum omnium ex prophetis testimonia et traditiones. Huc facit, quòd et Iustinus in dialogo cum Trypho ne, in Magistros Iudæorum inuehitur, quòd negarint LXX interpretes rectè functos fuisse suo officio: & exemplis aliquot prolixè ostendit, Iudæos ipsos multa testimonia de Christo in LXX interpretatione partim sceleratè deprauasse, partim surripuisse.

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.

NVNC cuiusmodi hæresiũ & errorum dira portenta, ad obscurandam Euangelij lucem, eiusq; cursum & fructum imbibẽdum, diabolus subinde hoc tempore excitarit, ostendemus: ut appareat ueritas dicti, de inimicitijs inter semen mulieris & & serpentem, & quomodo Christus nihilominus contra multiplices præstigias diaboli Ecclesiam & puritatem doctrinæ suæ cõseruarit. Tenendum autem in hac tota tractatione illud est, ita plerunq; accidere solere, ut post instauratam religionẽ, & factam bonam doctrinæ syceræ sementem, diaboli furore, Deoq; sic permittente, etiam dissementur zizania: ut in illis scilicet cauendis & extirpandis pij exerceantur, & ueræ doctrinæ exercitia & confessiones eluceſcant & extent.

Causæ autem, quare hæreses hoc potissimum tempore uehementius grassari cœperint, sunt: quòd Apostolis tum maxima ex parte sublatis, spiritus uertigimis putauit se in Ecclesiam, quasi in uacuam, ut Egesippus ait, & custode suo priuatam domum, facilimè impetum facere posse: ac successores eorũ, ut qui Apostolis ipsis longè donis inferiores essent, minus uirium & armorum ad ipsum propulsandũ habituros. Videtur autem, hanc ætatem seminarium errorum, qui posterioribus temporibus in ecclesijs uagati sunt, non immeritò dici posse.

Nunc ex quibus potissimum fontibus hæreses productæ sint, breuiter explicabimus. Primùm igitur ex Iudaismo natas uidemus esse aliquot hæreses: idq; propterea, quia à teneris eo imbuti, intempestiuè Euangelio commiscebant. Deinde & humanæ rationis sapientia, quæ religioni plurimum semper nocuit, seu philosophia, non paucas ex sese produxit hæreses. Namq; eo tempore philosophica studia maximè uigebant, & suis argutijs, seu (ut ipsi putabant) demonstrationibus in sua sententia ita confirmati erant, ut nihil uerum existimarent, quod ab eorum conceptis iamdudum opinionibus cogitationibusq; discreparet. Est enim Euangelij doctrina stulticia mundo & rationi, ut Apostolus inquit. Materiam etiam errorum crassus et uulgaris Ethnicismus præbuit. Has communes causas sequuntur & aliæ, ut imperitia linguarum, & ruditas scripturarum sacrarum, uitiosi impetus humanarum mentium, gloriæ cupiditas, quam solam propemodum hæresium matrem aut nutricẽ dicere possis: φιλονεικίαν, seu studium contentionis & uindictæ, & similes. Denique hæreses facilius & latius uagatæ sunt, quòd Imperatores alieni plerunq; à religione Christiana fuerunt, & doctrinam Euangelij aut oderunt palàm, aut non magnopere curarunt. Hi igitur perpetui sunt errorum fontes, quibus ad euertendam & labefactandam piorum fidem, et interitum animarum, quasi instrumentis diabolus utitur: sicut hæreticos perditionis ministros Eusebius prope uocat. Et rectè Irenæus dixit, Hæreticos omnes, etiamsi diuersa inter se profiteantur, ad unum tamen et eundem scopum tendere, ut blasphement Deum, & saluti hominis contradicant.

DE HAERESIBVS sub Hadriano.

GNOSTICORVM HAERESIS.

EXorti sub annum Domini 137, annum uerò imperij Hadriani undecimum (ut testantur Theodoretus Cyri episcopus, Eusebius & Nicephorus) hæresiarchæ turpissimi, Saturninus, Basilides & Carpocrates, monstrosas uehemẽter opiniones antea nonnihil sopitas resuscitarunt, ac de suo quoque præstigias nouas & prodigiosas commenti sunt. Ac sicuti coætanei fuerunt, ut clarè Eusebius monet, ita similia propemodum inter se delirarunt et nugati sunt, ut ex eodem prodijsse eos ludo intelligere quiuis facilè posset. Basilides enim eadẽ per omnia cum Saturnino docuit: nisi quòd, ut Irenæus inquit, in immensum cogitationes & sententiam suam de procreatione deorum et angelorum suorum extendit: ac quo maiorem admirationem et stuporem auditoribus excitaret, monstris barbararum ac terribilium appellationum res easdem occultauit, deinde uerò etiam quædam adiecit de suo. Sed Carpocrates

sententias cum eis cõmunes habuit omnes, præterquàm quòd impuritatis, obscœnitatis & libidinis licentia, ac cõfictæ persecutionis persuasione superasse uidetur omnes. Productam autem hanc hæresin ex Menandri & Simonis magi fontibus testantur, qui de ea scripserunt omnes: ut Irenæus lib. 1. cap. 22. Theodoretus lib. 1. Epiphanius libro 1. tomo 2. hæres. 27. & Augustinus. Sed qua occasione ab Ecclesia Christi ad has portẽtosas nugas defecerint, non ita liquidò constat: nisi quòd Epiphanius indicat, Gnosticos studiose turpem sibi professionem elegisse, ut per eam, infamiam et opprobrium Ecclesiæ Christi conciliarent: sicut & Irenæus indicat libro cõtra hæreses primo, capite uigesimoquarto. Sed nunc de singulorum hæreticis deprauationibus & delirijs, seorsim dicemus.

SENTENTIAE DOGMATICAE seu hypotheses horum hæreticorum fuerunt istæ.

DE DEO.

SAturninus, quemadmodum Irenæus lib. 1. cap. 22. ait, unum commentus est esse patrem, incognitum omnibus, qui fecit angelos, archangelos, uirtutes & potestates. Basilides uerò alia portenta protulit, de innato & solo Deo, ex quo natus fuerit intellectus: de intellectu uerò uerbũ, de uerbo sensum, de sensu sapientiam & uirtutem, de uirtute & sapientia principatus & potestates & angelos factos esse. Quo delirio quid aliud uoluit, quàm plures esse deos? sicut & Stromatũ libro quinto Clemens indicare uidetur. Hypothesin hanc Basilidis recitant Philaster, Theodoretus, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. De Basilide & Augustinus ait libro secundo contra aduersarium legis & prophetarum: Eum primùm apertius esse dicere ausum, Deum, quem gens Iudæa coluerit, non fuisse uerum Deum, sed unum ex angelis, ut Theodoret. testatur.

DE CHRISTO.

Saluatorem Saturninus ignotum esse dixit, incorporalem, sine figura, et in phantasmate seu putatiuè et umbratiliter uisum hominem: nec carnem hominis ueram, nec animam accepisse. Irenæus lib. 1. cap. 22. Philaster, Theodoretus, Epiphanius. Deim & hoc Theodoretus prodidit, Saturninum (quem Saturnilum, sicut & Epiphanius, uocat) docuisse, patrem misisse Christum ut angelorum Deum euerteret. Epiphanius & hoc addit, Saturninum asseruisse, seipsum esse illum saluatorem missum à patre, ad destruendum Deum Iudæorum, &c. ideo quod ipse Iudæorum deus, sicut & angeli, à sua potestate discessisset.

Basilides, ex eo quod in historia passionis Domini scriptum est, Simonem quendam à Iudæis coactum gestasse crucem Domini, apertè affirmauit, non Christum ipsum, sed eius loco Simonem Cyrenæum passum esse, permutato habitu ac forma, sic nempe, ut Christus Cyrenæi, & Cyrenæus Christi uultum & formam repræsentarit. Eminus igitur stetisse Christum, & Iudæorum stultitiam risisse, quòd Christum putantes se crucifigere, alium crucifigerent. Philaster, Theodoretus, Tertullianus, & Epiphanius.

Carpocrates uerò de Christo prodidit, natura eum esse ex semine Ioseph & Maria, eadem lege quemadmodum alij omnes homines ex coniunctione maris & fœmine nascerentur. Scripsit hoc de Carpocrate Irenæus & reliqui, Philaster, Theodoretus, Tertullianus, Epiphanius. Idem etiam dixit, Animam duntaxat Christi in cœlum esse receptam, corpore inferius relicto. Philaster, Theodoretus.

De Mundi creatione.

De creatione ita sensisse Saturninum, tradiderunt autores, Irenæus, Philaster, Theodoretus, Epiphanius, Tertullianus, Augustinus, ut dixerit mundum cum omnibus quæ in eo continerentur, factum esse ab angelis. Cui colludens Basilides, subinde alios dixit angelos ex alijs natos, ac eorũ quemlibet unum fecisse cœlum, quousque ad CCCLXV cœlorum numerũ processum esset. Supremum autem Angelorum Abraxan dici, quod quidem nomen numerum eum iuxta literas complectatur. Philaster, Theodoretus, Epiphanius. Hinc est, quod Clemens Stromatum libro quarto de Basilide narrare uidetur, eum ex diabolis fecisse deos. Sic enim inquit: Quomodo non est uerè impius, qui diabolum quidem in deos referat: hominẽ autem peccandi potestate præditum, ausus est dicere Dominum?

De Homine.

Hominem Saturninus dixit ab angelis esse formatum, hac quidem occasione, quòd Dei apparentis ac uicißim disparentis iucunditate & desiderio capti angeli, hominem communi consilio ad imaginem Dei condere conati sint, atque sic inter se dixerint: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem Dei. Ita igitur imperfectum, nec erectum, sed humi prostratum, et sine anima hominem factum esse. cui misertus Deus, indiderit ei scintillã suæ uirtutis, ac uiuificarit, ita ut qui prius instar uermis humi sese uolutaret, erectus postea incedere posset. Philaster, Theodoretus, Epiphanius. Idem duplices etiam homines imitio conditos esse docuit, bonos nimirum & malos, ex quibus sint hominum genera in mundo bonorum ac malorum. Cum autem contra bonos mali dæmones, malis hominib. opem ferrent, uenisse Saluatorem, ut bonis uicißim auxilio esset. Irenæus, Theodoretus, Epiphanius.

De Peccato originis.

Carpocratiani peccatum originis prorsus negasse uidentur: quia senserunt, seipsos natura esse filios primi Dei: nec quicquam natura esse malum, sed opinione tantum. Clemens in Stromatibus, libro tertio, folio 91.

De Fide & salute.

Autor est Clemens libro secundo & quarto Stromatum, Basilidem cum suis sectatoribus, sicut Valentinianos, sensisse, fidem esse naturalem, hominesq; natura electos & saluos fieri.

De Remissione peccatorum.

Non omnia, dixit Basilides, dimitti peccata: sed sola inuoluntaria, & per ignorantiam commissa. Clem.

De Coniugio.

Libidinem & impudicitiam Gnostici omnes pro lege

lege & cultu quodam turpißimæ profeßionis ipsorum habuerunt, & coniugia honesta tam extremè non damnarunt solùm, sed & execrati sunt, ut ex Satana esse dicerent, quemadmodum & opus generationis. Sic enim Saturninum docuisse, Irenæus & Epiphanius scribunt. Ac Theodoretus ait, cum primum esse, qui de matrimonio doctrinam diaboli esse dixerit. Turpitudinem igitur de promiscuo concubitu palàm profeßus est, ut & Hieronymus Basilidem magistrum uocat turpißimorum complexuum. Et Carpocratiani censuerunt, uxores oportere esse communes: sicut Deus solem, nutrimenta, & alia omnibus hominibus feciſſet communia. Atque in hanc sententiam uidetur esse confecta ab Epiphane Carpocratis filio hæc iusticiæ definitio: Iusticia est quædam cum æqualitate communio. Sic enim in spurcißimis eorum cœnis hanc fornicatoriam, ut Clemens uocat, iusticiam Gnostici obseruabant, cum amota lucerna, uenerem fœdißimam promiscuè exercerent, eamq; mysticam communionem dicerent. Clemens Stromatum libro tertio. Theodoretus & hoc de Carpocratianis refert, docuisse eos, propterea in corpora animas mitti, ut omne genus libidinis & petulantiæ explerent.

De Resurrectione.

Corporum resurrectionem & salutem prorsus negarunt Basilides & Carpocrates. Saturninus uerò eiusmodi animæ resurrectionem facit, ut dicat eam, quia sit scintilla indita corpori à Deo, post dissolutionẽ corporis eò recipi unde descenderit, corpus uerò interire. Philaster, Theodoretus, Epiphanius. De quo errore Irenæus libro quinto ait, hæreticos has duas commentos esse rationes: primùm, quòd igneus currus, quo sublatus Enoch est, eius carnem absumpserit: deinde, quòd scriptum sit, Carnem & sanguinem non hæreditaturos uitam æternam.

De statu post resurrectionem.

Pythagoricam μετεμψίχωσιν admiserunt Carpocratiani. Sicut enim illi proter uoluptates in alia ex aliis corpora migrare animas asseuerarunt: ita contrà Basilides prodidit, propter pœnas peccatorum prioris uitæ in alio corpore transactæ, in aliud concludi. Sic enim de Basilide Clemens libro quarto Stromatum scripsit: Basilidis fundamentum dicit, animam, quæ prius peccauerat in alia uita, hic pati supplicium, &c.

De Adiaphoris.

Saturninum Theodoretus ait docuisse, ab animatis abstinendum esse. Eorumq; multos qui cum secuti sunt, Irenæus & Epiphanius scribunt, ab illis abstinuisse. Basilides contrà, etiam idolothytis seu uictimis, & rebus illis quæ simulachris immolatæ essent, indifferenter & sine respectu conscientiæ, etiam in casu scandali, uesci iußit. Eusebius, Epiphanius.

De Confeßione & martyrio.

Basilides docuit, fidem persecutionis tempore inunctanter, etiam periurio negandam: nec subeundum pro Christo martyrium esse, ideo quia nõ ipse aut passus sit, aut crucifixus, sed Simon Cyrenæus. Irenæus, Philaster, Theodoretus, Tertullianus, Eusebius, Epiphan.

De libertate, seu potius licentia uitæ.

Docuit idem Basilides (ut Irenæus libro primo, capite uigesimotertio indicat) omnibus operationibus et uniuersa libidine indifferenter utendum esse. Carpocrates uerò, omnis generis turpitudinem & pollutionem nefariam usque adeò esse necessariam dixit, ut sine ea nemo perfectionem mystagogiæ consequi posßit: nec quidem posse alia ratione mundanos principes uinci. Imò animas ipsas, niſi suffieienter turpes actiones semel in corpus missæ consummarint, aliquoties in alia atque alia corpora compelli, donec libidinis & turpißimarum operationũ pensum persoluerint. Sic enim de Carpocratianis Theodoretus scribit: Cum Pythagoricas à corporibus in corpora traiectiones admisissent, quod ei connexum à Pythagora dicebatur, non admiserunt. Pythagoras enim dicebat, animas quæ peccarant mitti in corpora, ut & pœnas darent, & ritè expiarentur. Hi autem causam afferunt illius in corpora transitus, quæ Pythagoricæ ex diametro repugnat. Dicunt enim animas mitti in corpora, ut omne genus libidinis et petulantiæ peragant. Eas ergo quæ in uno descensu impleuerint, non egere alia missione. Quæ autem parum peccarunt, & bis mitti, & ter, & sæpius, donec omnia uitiorũ genera expleuerint. Eadem omnino de transmigrationibus animarum in corpora diuersa, propter infandas actiones, et Carpocrates cum sectatoribus suis docuit. Iren. lib. 1. cap. 24.

De Perfectione.

Irenæus Carpocratianos ad tantum insolentiæ & elationis progressos esse scripsit, ut eorum quidam similes se esse dixerint IESV: alij se Petro, Andreæ, Paulo, reliquisq; Christi discipulis præstãtiores reputauerint. libro primo, capite uigesimoquarto. idq; ob excellentiam cognitionis, & ampliorem peractionem diuersorum transituum animarum.

De Prophetijs.

Saturninus prophetias alias esse dixit pronunciatas ab Angelis qui mundum feciſſent, alias à Satana. Irenæus, Theodoretus, Epiphanius. Basilides autem proprios sibi finxit prophetas, non existentes: quos barbaris, ut terribiliores uiderẽtur, nominibus Barcabam & Barcof nuncupauit. Theodoretus, Eusebius, Epiphanius. Hinc est quod Hieronymus inquit, Basilidem uetus Testamentum non accepisse: quod alij etiam de Carpocrate narrant.

De Silentio.

Eusebius ex testimonio Agrippæ Castoris, (quem confutationem edidisse scribit, eorum quæ secundum sectam Basilidis fuerunt) ait, cum sectatoribus suis iniungere solitum silentium Pythagoricũ quinquennio præstandum. Quemadmodum & Capocratiani, non quibuslibet reuelari oportere sua mysteria censebant, sed ijs tantum qui crederent. Nam & IESVM in mysterio cum discipulis & Apostolis suis locutum esse seorsim,

ut qui digni essent per fidem et charitatẽ illis quæ præcepisset obtemperare, dicebant. Theodoretus libro primo. Irenæus autem libro primo, capite uigesimotertio, Carpocratianos censuisse refert, mysteria eorum omnino non effari oportere, sed in abscondito continere per silentium.

De Imaginibus.

Narrant Irenæus & Epiphanius, Gnosticos occultè usos fuisse quibusdam imaginibus, coloribus depictis: seu ex auro etiam, argento et simili materia factis: quas dixerint esse imagines Iesu, & sub Pilato ad effigiem Iesu uersantis inter homines factas. Præterea etiam philosophorum quorundam, ut Platonis, Aristotelis, Pythagoræ & aliorum imagines habuisse eos dicunt, quas ad imagines Christi collocarint, ac gentium more sacrificijs & adorando coluerint. Vsa est & Pauli ac Homeri imaginibus Marcellina, quæ decepta à Carpocratianis, ut Epiphanius prodidit, eorum uenenũ sparsit Romæ sub Aniceto. Augustinus.

De Magia.

Magicas præstigias & incantationes Gnosticis ex professo tribuunt scriptores, ut Eusebius libro quarto, capite septimo. Simonis, inquit, præstigia, non occultè, sicut ille, sed iam manifestè tradenda esse iudicarunt: ita ut de philtris curiositatis, quæ ab illis perficiebantur, deq; quibusdam somniorum artificibus, & assessoribus dæmonibus gloriarentur. Sic enim & Simonis scientiam professum esse Saturninum, Epiphanius affirmat. qui & Carpocrati diuersa incantamenta & præstigias dæmonum tribuit, quemadmodum & Theodoretus de Carpocratianis inquit: Præstigijs utuntur, et dæmones inuocant.

De nomine Gnosticorum, eorumq; sectis.

Gnosticos autem se dixisse eos, qui Carpocratis sectatores essent, ex Irenæi narratione de Carpocrate apparet. Et Eusebius parentem Gnosticorum Carpocratem dixit. Quanquam alij, inter quos est Philaster & Epiphanius, à Nicolao Antiocheno hanc hæresim emersisse prodiderunt. Et Theodoretus, quemadmodum & Clemens, Prodici sectatores, non Carpocratis, Gnosticos dixit. Sed quod ad Nicolaum attinet, ita res se habere uidetur, quòd semina prima quidem huius infamis sectæ Nicolaus procrearit, quæ excepta Carpocrates excitauit, auxit, ad florem perduxit, & quàm latissimè diffudit. Indicat autem nomen ipsum cognitionis, à qua se qui Carpocratem sequerentur, Gnosticos appellarunt, miram multis modis & impudentem eam fuisse diaboli illusionem: quòd ob cognitionem rerum phantasticarum ac monstris & portentis similium, uitæ perfectionem speciose hoc titulo sibi arrogarunt illi, à quorum oculis & toto corpore nullum scelus nefarium, nulla libido, nullum flagitiũ detestabile abfuit: imò & in ipsis sceleribus perfectionem collocarunt. Et uarias quidem ab illis profectas esse sectas, ex Epiphanij narratione de Gnosticis apparet. Aliquos enim eorum uocatos ait Borborianos, quosdam Barbolitas, nonnullos Coddianos. Item Stratioticos, Phibionitas & Zachæos.

De libris eorum.

Iam quo autoritatis aliquid furiosis & obscœnis eorum nugis adderent, etiam libros quosdam falsos & adulterinos confinxerunt: ut Euangelium perfectionis, Euangelium Euæ, quæstiones Mariæ magnas & paruas, reuelationes Adæ, librum de stirpe Mariæ, Euangelium Philippi, &c. Vtq; magis uideatur eorum professio monstrosa, narrat Irenæus, notare eos solitos discipulos suos cauterio, in posteriori extante parte dextræ auris.

Quibus in locis hæc pestis ut plurimùm grassata sit.

Epiphanius Saturninum & Basilidem sodales fuisse dicit. unde uerisimile est, eos primùm unà fuisse, & communi opera errores suos & deliria propagasse: postea uerò latius dissipandi erroris gratia distractos esse. Gaudet enim celeritate quilibet error: nec satis est diabolo, unam aliquam hominum partem seductam esse: sed quantum in se est, affectat perditiones omnium. Saturninus igitur cum Antiochenus esset, in Syria se cõtinuit, agens ibi quasi diaboli uicarium: qui eum locum præ cæteris ideo acerrimè odisse uidetur, quia celebris ibi Ecclesia per Apostolos ædificata erat. Basilides uerò in Aegyptum secessit, ibiq; suum uirus nocentissimũ lõgè lateq; sparsit, ad partes Prosopitæ, ut Epiphanius ait, et Athribræ, item ad Saiten et Alexandriam. Fuit et Carpocrates in Aegypto. Cumq; nullus sit tam infamis & detestabilis error, ut ab eo omnes abhorreant, docuisse eos magno successu inde conijcere est, quòd de scholis eorum ubiq; ferè dicitur: ut de scholis exosis Saturnini & Basilidis apud Nicephorum, de magna uerò schola Carpocratis apud Epiphanium. Vtq; indefessos diaboli conatus & errorum pertinaciam magis uideas, narrat Epiphanius, reliquias quasdam hæreseos Gnosticorum sua adhuc ætate uiguisse.

CONFVTATIONES GNOSTICORUM errorum, ex scriptis Doctorum eiusdem seculi.

MEminit Eusebius, extitisse adhuc suo tempore librum Agrippæ Castoris cuiusdã, in quo omnes doli uersuti et fallaciæ Basilidis, magno primùm artificio detectæ, ac deinde argumentis ualidissimis refutatæ fuerint. Sed præter nomen, & hanc ipsam de Agrippa significationem, hodie nihil habemus. Epistolæ quæ hodie Ignatij nomine circumferuntur, errorem hunc Gnosticorum, Christum putatiuè tantum seu umbratiliter, non uerè natum & passum esse, sæpissimè impugnant, & ex ipsis sacræ scripturæ testimonijs refutant: præsertim illæ quæ ad Trallenses, Tarsenses & Smyrnenses scriptæ sunt. Ac Basilidem nominatim Epistola ad Tarsenses perstringit, quæ & scholam ipsius collectionem uocat malignitatis. Meminit deinde & Iustinus Basilidianorum & Saturninianorum, non aliter quàm ut eorum hæresin damnet, & ab ea sibi cauere omnes iubeat. Et in dialogo cum Tryphone, contra Carpocratis blasphemiam (Christum genitum esse usitato modo, quo homines omnes alij) sæpe urget illud Esaiæ, de admirabili natiuitate Christi: Generationem eius quis enarrabit? Vbi & expresse sic inquit, enarrans

rans aliud quoddam Esaiæ dictum, Ecce uirgo concipiet, &c. Si uulgari more primogenitorum nasciturus erat ex coitu, cur Deus tanquam prodigium pollicere-tur, quod commune est primogenitis omnibus? Meminit Iustinus & opusculi cuiusdam sui contra omnes hæreses, ad sua usq; tempora scripti, in Apologia secunda: quod ad nos non peruenit. Sed in primis Irenæus, in confutandis his blasphemijs & uanis nugis diligentem se & acrem præbuit, atque ex professo contra autores ipsos eiusmodi portentorum libros suos direxit: quos, qui exactas confutationes, simul & impostu-ras istorum hæreticorum scire cupiunt, uidere possunt. Irenæus de sophismatibus hæreticorum elegãter dicit, nectere eos resticulas seu funiculos ex arena, quod uice generalis solutionis esse potest.

Contra errorem, quòd Christus ex semine Ioseph natus sit.

Irenæus libro tertio, capite trigesimo et trigesimo primo has rationes affert. Primùm, Christus à Prophetis & Apostolis prædicatur Deus, dominus, rex æternus, unigenitus, uerbum incarnatum: Ergo non est natus communi lege hominum. Secundò, tantum ex Maria natus homo prædicatur, non ex Ioseph simul: iuxta prophetiam, Ecce uirgo concipiet. Tertiò, si filius Ioseph esset, non posset esse rex. nam Ioseph, Ioachim sue Iechoniæ ostenditur filius, secundum Matthæum: de quo Ieremias dixit, Non erit ex Iechonia sedens super thronum Dauid. Quartò, sicut primus Adam sine patre homine, à Deo ex limo terræ formatus est: ita oportuit Christum cõsimiliter sine patre homine, ex sola uirgine, propter hominum liberationem nasci.

Contra errorem, quòd Christus putatiuè passus sit.

Irenæus libro tertio, capite uigesimo, prolixè multa argumenta profert, ex quibus nos hæc duo recitabimus. Primum, Christum in umbra tantum seu spectro, & putatiuè passum esse: huic opinioni reclamat tota Scriptura. Deinde, si non uerè passus est, quæ gratia erit & beneficiũ passionis ipsius? Et initio libri quinti: Vani sunt, inquit, qui putatiuè dicũt eum apparuisse. Non enim putatiuè hæc, sed in substãtia ueritatis fiebant. Si autem, cum homo non esset, apparebat homo: neque quod erat, uerè perseuerauit spiritus Dei, quoniam inuisibilis est spiritus, neque ueritas quædam erat in eo. Item, si talis apparuit, non existens quod uidebatur, quædam prophetica uisio facta est hominibus: & oportet alium expectare aduentum eius, in quo talis erit, qualis nunc uisus est propheticè, &c.

Contra errorem, Mundum factum esse ab Angelis.

Irenæus Saturnini errorem de mundo ita refellit, libro secundo, capite secundo: Deus, inquit, nullius indigens, uerbo condidit omnia, & fecit, neq; angelis indigens adiutoribus ad ea quæ fiunt, &c. Sed ipse in semetipso, secundum id quod est inenarrabile & inexcogitabile nobis omnia prædestinans fecit, quemadmodum uoluit, &c. Item, Proprium est hoc Dei superemimentiæ, non indigere alijs organis ad conditionem eorum quæ fiunt: & idoneum est ac sufficiens ad formationem omnium, proprium eius Verbum: quemadmodum et Ioannes ait: Omnia per ipsum facta sunt, &c.

Contra errorem, quem ex traditione Simonis magi Saturninus repetijt, hominem scilicet factum esse ab angelis.

Irenæus libro quarto, capite trigesimoseptimo ait: Nec tantum per se angelos præstare potuisse, ut imaginem Dei conderent: nec de angelis, sed de Deo ipso Scripturam dicere, Formauit Deus hominem, &c. Denique, nec indiguisse opera angelorum in condendo homine, Deum. sic enim ipse loquitur: Nec indigebat horum Deus, ad faciendum quæ ipse apud se præfinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum, & sapiẽtia filius, et spiritus, per quos, & in quibus omnia liberè & sponte fecit: ad quos et loquitur dicens, Faciamus hominem, &c.

Contra errorem, Quòd mala sint tantum opinione talia.

Irenæus libro secundo, capite quinquagesimoseptimo ait: Si nihil esset mali, aut rursus boni: opinione autem sola humana, quædam quidem iniusta, quædam autem iusta putarentur: non utique dixisset Dominus docens, Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum: iniustos autem, & qui non faciunt opera iusticiæ, mittet in ignem æternum, ubi uermis ipsorum non morietur.

Contra errorem, Homines natura saluos fieri.

Clemens libro quinto Stromatum: Superuacanea, inquit, sunt præcepta tam in ueteri quàm in nouo Testamento, cum natura saluus fiat aliquis, ut uult Valentinus: & sit natura fidelis & electus, ut putat Basilides.

Contra errorem, De remissione peccatorum.

Sic Clemens inquit libro secundo Stromatum: Basilides non omnia dicit dimitti peccata, sed sola inuoluntaria, & quæ fiunt per ignorationem: perinde ac si homo aliquis, non Deus, tam magnum præberet donum. Huic dicit Scriptura: Existimasti, ô impie, quòd ero tui similis? &c.

Contra errorem, De coniugio.

Clemens per integrum propemodum librũ tertium disputat contra errorem de matrimonio. Et in fine secundi libri Stromatum, in matrimonij commendationem ad hunc modum dicit: Qui matrimonium approbant, Nos (inquiunt) fecit natura aptos ad matrimonium, ut liquet ex compositione corporum masculorum & fœminarum: et frequenter illud acclamant, Crescite & multiplicamini. Plura ibidem uideantur.

Contra errorem, Sòlas animas resurgere absq; corporibus.

Opinionem Basilidis & Carpocratis eruditè refu-

tat in libro secundo, capite quinquagesimoprimo: Si iustitia, inquit, & fides saluat, necesse est & corpora simul saluari, quæ cum animabus in corruptionẽ incidерunt. Quod si enim non fieret, impotens aut iniusta uideretur huiusmodi iusticia, si quædam saluaret, quædam uerò non. Et in capite sequenti: Verus est & firmus & integer de resurrectione corporũ sermo, quem quidem credimus nos, quoniam & mortalia corpora nostra custodientia iusticiam, resuscitans Deus, incorrupta & immortalia faciet. Item libro 5. Vani sunt, inquit, qui salutem carnis negant, dicentes eam nõ esse capacem incorruptibilitatis. Sic autem nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis eius, neq; panis quem frangimus communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est, nisi à uenis & carnibus, & à reliqua quæ est secundum hominem substantia, qua uerè factum uerbum Dei sanguine suo redemit nos. Ait & libro quinto, capite trigesimoquarto, contra hanc ipsam hæresin saluti corporis contradicentem: Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, quæ à corpore Domini & sanguine aliтur?

Contra errorem de animarum transitu in alia corpora.

Irenæus lib. 2. cap. 59 inquit: Animæ in uno corpore existentes, nihil meminerunt eorum quæ antè fuerunt. Quod certè nõ fieret, si ad completionem operum in uno corpore prætermissorum, in aliud includerentur. Oporteret enim priorum meminisse, & quæ nondum absoluta essent cognoscere. Deinde si, quæ in somnijs anima uidit, eorum reminiscitur: multo magis ea etiam quæ in alio corpore egit, recordari deberet. Et capite 63 inquit: Non tam pauper aut indigens Deus est, ut non unicuique corpori propriam posit donare animam. Et ideo adimpleto numero, quẽ ipse apud se antè definiuit, omnes quicunq; sunt descripti in uitam, resurgent, sua corpora & suas habentes animas, & suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem pœna sunt digni, abibunt in eam, & ipsi suas habentes animas & sua corpora, etc. Et paulo pòst: Plenissimè Dominus docuit, non solùm perseuerare, non de corpore in corpus, transgredientes animas: sed & characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire eundem: & meminisse eas operum quæ egerunt hic, & à quibus cessauerunt in enarratione quæ scribitur de diuite et Lazaro, &c. Refutat eundem quoque errorem Clemens libro quarto Stromatum.

Contra errorem de prophetijs.

Prophetas ex eodem Spiritu, non ex diuersis dijs locutos esse, inde existimare licet: quòd omnes unũ Deum & Dominum prædicauerunt, & ipsum factorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, & quòd aduentum filij eius significauerint, &c. Nec obstat, quòd diuersis nominibus usi sunt: ut Sabaoth, Elohim, Adonai, & similibus. Eundem enim omnes istæ appellationes, Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & patrem Domini nostri IESV CHRISTI notant.

Irenæus libro secundo, capite ultimo.

De Saturnini, Basilidis & Carpocratis successoribus.

Scripserunt Clemens & Theodoretus, filium fuisse Basilidi, Isidorum nomine, qui duas homini animas tribuit, quemadmodum Pythagoras: & pleraq; patris nugosa commenta, ut Theodoretus inquit, auxit & confirmauit. Fuit & Carpocrati filius Epiphanes, qui & ipse patris fabulas uberiores et ampliores reddidit: & autor fuit libri cuiusdam de iusticia, quem confutat Clemens in principio libri 3. Strom. ubi inter cætera de Epiphane inquit, eum ex hoc fundamento, Deum omnia fecisse omnibus communia, ut solem, elementa, &c. damnasse leges ciuiles, ut quæ diuinam uiolarent institutionem, quia res communes proprij iuris facerent. In quam sententiã etiam legẽ, NON CONCVPISCES, loqui dixit de gentibus, quarũ uxores aut sorores non sint concupiscendæ. His successit Prodicus quidam, qui Carpocratis turpitudinem amplexus, in eo auxit, quod palàm & apertè fornicari licitũ esse dixit. Et mulieres, itidem ut Carpocrates & Epiphanes, communes esse iussit. De eius sectatoribus Clemens in 3. Strom. sic scripsit: Omnium hominum infelicissimi, carnis & coitus coniunctionem esse pronunciant sacram communionem, et eam existimant deducere ad regnum Dei. In fornices quidem & prostibula deducit hæc communio, eiusq; cum eis participes fuerint sues & hirci.

Addendum postremò & illud est, quod Euseb. libro 4. cap. 7. de Gnosticis prodidit, præbuisse eos occasionem gentibus, blasphemijs in religionem ac doctrinam Christianam illudendi: propter quod se etiam Christianos appellarunt Gnostici. Hinc accidit, ut multa indigna & atrocia flagitia Christianis imputarentur, quasi incestuoso & illicito concubitu, cum matribus uidelicet & sororibus, & infandis cibis uterẽtur. Quæ crimina cum falsis rumoribus de Christianis spargerentur, odia inter eos duriora et persecutiones crudeliores concitarunt.

Videant hic nunc impuri Anabaptistæ, qui nostris etiam adhuc temporibus promiscua & uaga libidine utuntur, quorum sint imitatores: nimirum Simonis magi, & turpissimorum istorum hæresiarcharum, de quibus hactenus diximus. Respiciant etiam ad originem suam illi, qui matrimonia ut impia & inhonesta damnant, ac personas (præsertim Ecclesiasticas) ab illis arcent: & castitatem seu perfectionem, lege, coactione & imperio uouere cogunt.

DE HAERESIBVS SVB ANTONINIS.

VALENTINIANORVM hæresis.

ANnus agebatur Domini centesimus quadragesimus sextus, Imperij uerò Titi Antonini Pij sextus, cum episcopatum Romæ administrante Higyno, Valentinus ibidem primùm impias errorumq; plenas nugas & portenta spargere cœpit. quanquam alij sub Telesphoro hanc hæresin ortam esse, scriptum reliquerunt. Et Eusebius in annum eam Christi reiecit centesimũ quadragesimumsecundũ, qui imperij Antonini Pij annus fuit alter. Primùm autem hic iterum uideamus, & consideremus eundem & similem sibi ubiq; esse dia-

bolum,

bolum, niſi quòd uariatis & diſſimilibus uelatus prodeat laruis. Valentinus enim nihil aliud propemodum protulit, quàm compoſitum & conſutum quiddam ex ſectis prioribus. Theodoretus enim inquit, Valentinum arrepta occaſione ex his omnibus hæreſibus, Simonis ſcilicet, Menandri, Baſilidis, Carpocratis, Prodici, Epiphanis, &c. infinitas fabulas compoſuiſſe. Et Irenæus libro primo capite quinto dicit, Valentinum, ut qui primus à Gnoſtica hæreſi prodierit, antiquas in ſuum characterem doctrinas tranſtuliſſe. Idem & cauſam impellentem, quamobrem in hæreſin Gnoſtici & Valentinus ſeceſſerint, indicat perſuaſionẽ nimiæ ſcientiæ, & curioſitatem fuiſſe, qua ſub occaſione agnitionis, oſtendere conati ſint altius & maius quiddam, eum Deum qui cœlum & terram feciſſet: hoc eſt, philoſophicas & ethnicas opiniones miſcuerint, & religioni Chriſtianæ attemperare ſtuduerint. Tertullianus in initio libri aduerſus Valentinianos meminit, Valentinum offenſum, quòd cum Eccleſiæ cuiuſdam epiſcopatum ambiſſet, ſui ratio habita non fuiſſet ideo quòd alius quidam, qui pro nomine Chriſti multa paſſus erat, ad id muneris fuiſſet aſcitus, ueteris iſtius erroris præſtigias aduerſus orthodoxos docere inſtituiſſe, ut hoc pacto ſui contemptum ulciſceretur. Nunc eorum hypotheſes enumerabimus.

De Deo.

Valentinus plures eſſe Deos, eoſq; diuerſos, nugatus eſt. Atq; eum qui mundum creauit, etiam mortis eſſe autorem. ideoq; ſcriptum eſſe: Nemo uidebit faciem Dei, & uiuet: ut qui ſit autor & cauſa mortis. Alium uerò Deum eſſe, qui mortem ſuſtulerit. Sic enim Valentinum ſenſiſſe, Clemens in quarto Stromatum libro indicat. ubi et paulo pòſt addit, Valentinianos exiſtimaſſe, creatorem alium eſſe à primo Deo. Ad eundem modum & Marcus de Deo quodam ignoto, & qui uideri non poſſit, quem Bython appellat, luſit: eumq; à Deo fabricatore mundi diſtinxit, ut Irenæus lib. 1. cap. 16 et 17 indicat, & Tertullianus. Auguſtinus Valentinianis duo tribuit ex aduerſo principia. Rationes autem quibus probare moliti ſunt, Deum conditorem mundi alium eſſe, quàm eum qui ſit Chriſti pater, Irenæus aliquot recenſet. ut lib. 2. cap. 67 ait, inde exiſtimaſſe non unũ eſſe, ſed plures Deos, quia prophetæ diuerſas Dei appellationes protuliſſent: ut Sabaoth, Elohim, Adonai, &c. Et quia dixiſſet Chriſtus, Neminem cognouiſſe patrem niſi filium. unde ueriſimile fieret, Deum, quem prophetæ nouiſſent & prædicaſſent, non eſſe patrem Chriſti. libro quarto, capite decimoquarto. Plures recitantur lib. 4. cap. 1. 2. 3. 6. 46. 47. & lib. 2. cap. 42. 43. 46.

De Chriſto.

De hoc monſtroſe & perplexè ludit. Ait eum carnem è cœlo detuliſſe: neq; quicquam de Maria aſſumpſiſſe, ſed per eam tranſtuiſſe, ſicut aqua per riuulum aut canalem illabitur. Quod ſomnium de Valentino prodiderunt Irenæus, Philaſter, Tertullianus, qui in libro de carne Chriſti etiam hac phraſi uſum eum ſcribit: Chriſtum natum eſſe per uirginem, non ex uirgine. Baſilius dicit, eum ex paucis Apoſtoli uerbis (FORMAM SERVI ACCIPIENS) hoc ſibi figmentum conſtruxiſſe, atq; inde falſo ita ratiocinatum eſſe: formam quidem ſerui, at nõ ſeruum ipſum, à Chriſto ſuſceptam eſſe, &c. Habuit Valentinus & alias ſupra modũ monſtroſas de Chriſto ſpeculationes, de quibus Irenæus, Theodoretus & Epiphanius. Chriſtum enim dixit ex quatuor fuiſſe compoſitum, ex ſpirituali, ex animali, ex diſpoſitione, & de ſaluatore. Et paſſum quidem eſſe ſecundum has poſteriores partes, quatenus ſcilicet animalis fuerit, & de diſpoſitione fabricatus: non autem paſſum eſſe ſecundum id quod in eo ſpiritale fuerit, ſemen ſcilicet à matre acceptum, quod impaßibile & inuiſibile fuerit, etiam ipſi Demiurgo: itaque ſecundum hoc paſſum eſſe, quod in eo fuerit de Saluatore. Fuiſſe enim hoc ipſum, quæ deſcenderit in eum, columbam: ſpiritum ſcilicet Chriſti, quem pati impoßibile fuerit, ideo quòd incomprehenſibilis & inuiſibilis eſſet. ideoq; ablatum etiam eſſe eum, cum ad Pilatum ductus fuiſſet Chriſtus. Hæc de Valentini nugis Irenæus lib. 1. cap. 1. ubi & paulo antè dixit, eſſe inter Valentinianos, quoſdam qui prodant, Demiurgum emiſiſſe Chriſtum filium ſuum, ſed animalem, & de hoc per prophetas ipſum locutum eſſe. Tertullianus uerò in libro de carne Chriſti, Valentinum etiam ſic docuiſſe teſtatur: carnem Chriſti fuiſſe animalem, & animam uiciſim carneam. Si enim anima facta ſit caro, ergo & carnem animam factam, eſſe conſentaneum: ſicut & angelum & hominem Chriſtum geſtaſſe, Scriptura affirmaret, quæ Chriſtum magni conſilij angelũ diceret. Et ex dicto Eſaiæ, Vocate annũ Domini acceptum & diem retributionis, idem Irenæus lib. 1. cap. 1 Valentinianos pronunciaſſe ſcribit, Chriſtum unum tantum annum poſt baptiſmum prædicaſſe, & menſe XII paſſum eſſe: quod ſignificatum fuerit per defectionem Iudæ, qui duodecimus fuit Apoſtolorum: & per mulierem profluuium ſanguinis paſſam annis duodecim. Nec minus portentoſum eſt, quod Marcus ſomniauit, Chriſtum generatum fuiſſe ab Anthropo, Eccleſia, Logo & Zoe. Et locum Legi impleuiſſe Gabrielem: Zoes, Spiritum ſanctum: Anthropi, uirtutem altiſſimi: Eccleſiæ, uirginem Mariam. De Marci deinde ſectatoribus etiam hæc Irenæus prodidit lib. 1. cap. 17, eos ex duobus dictis ſcripturæ delirium tale confinxiſſe, Chriſtum annunciaſſe ignotum patrem: & præter hoc ipſum emiſiſſe diſcipulos in duodecim tribus, annunciantes ignotum eis Deum, quem ante aduentũ Chriſti nemo cognouiſſet. Dicta ſcripturæ, quibus hoc probare uoluerũt, ſunt: An neſcitis, hæc quoniã in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et, Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quoniam abſconditi à ſapientibus & prudentibus, &c. Et, Nemo cognoſcit filium niſi pater, neq; patrem quis cognoſcit niſi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Hoc uerò de Marco Philaſtrius ſcribit, diſtinxiſſe eum inter Chriſtum et Ieſum: et Chriſtum quidem fuiſſe illam columbam, quæ in Ieſum & duodecim poſtea Apoſtolos deſcendiſſet. Quod diſcrimen etiam Theodoretus indicare uidetur, cum ait: Ieſum ſeruatorem nominant, & Chriſtum uerbum. Addit et hoc Philaſtrius, ſenſiſſe eum, quemmadmodũ Baſilidem, Chriſtum tantum putatiuè apparuiſſe: et paſſum fuiſſe non uerè, ſed quaſi per umbram.

De Creatione.

Finxerunt triginta Aeonas, id eſt ſecula: ex quibus,

Bython & Sigen dixerunt reliquos omnes procreasse. dicunt enim Saluatorem, Christum scilicet, quem Dominum appellari nefas putant, mysterium horum Aeonum eo ipso ostendisse, quòd per triginta annos in manifesto nihil fecerit. Atque huc parabolam de operarijs in uinea detorquẽt, quorum alij circa horam primam, alij circa tertiam, alij circa sextam, reliqui circa nonam & undecimam in uineam missi sint: quæ horæ coniunctæ, efficiant triginta: quem numerum typum & declarationẽ fuisse triginta Aeonũ, insulsissimè nugati sunt. Irenæus libro primo, capite primo. Epiphanius, Philastrius. Vnde manifestum est, negasse eos creationem ex nihilo & materiam mundi, opinione planè philosophica & poetica, posuisse. nam Chaos, Erebus, Bython, Sige, reipsa eadem sunt, licet uerbis diuersa: & uoluit Sathan ludere illos miseros hæreticos, tanquam qui ex ignotis principijs ignota incertaq; concluderent. Narrat Theodoretus de Valentinianis somniũ magis monstrosum, quòd dixerint, mundum hunc constitutum esse ex affectionibus, tristitia, metu, dubitatione & conuersione, ex qua creator & omnium animæ factæ sint: ex lachrymis deinde creatoris factas esse rerum substantias, ex risu uerò lucem, &c.

De Homine.

Ex capite decimoquinto libri primi Irenæi appareret, Marci sectatores, diuersos homines, & seu binos seu quaternos conditos initiò esse, docuisse. ait enim: In octauo dierum formatum dicunt hominem. Aliquando enim dicunt eum septimo die factum, aliquando autem octauo: nisi fortè choicum quidem in septimo dierum dicunt formatum, carnalem autem in octauo. distincta enim sunt hæc apud eos. Quidam autem & alterum esse uolunt, qui secundum imaginem & similitudinem Dei factus est homo masculofœmineus, & hunc esse spiritalem: alterum autem qui ex terra plasmatus sit, Seth.

De Peccato.

Valentinum docuisse Augustinus scripsit, de tricesimo Aeone Diabolum genitum: & à Diabolo alios natos, qui fecerint mundum. & ideo malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi: hoc est, generi diabolico.

De Salute.

Scribit Clemens libro secundo & quarto Stromatum, Valentinum perinde ut Basilidem sensisse, homines natura saluos fieri. Quanquam hoc de solis suæ sectæ hominibus ita uidetur sensisse, & in eam sententiam Clemens quarto Stromatum citat Valentini uerba ex quadam Homelia ad amicos: Ab initio estis immortales, & filij uitæ æternæ. Sic & in secundo Stromatum Valentimiani inquit: Cum nobis quidem simplicibus fidem tribuerint, sibi qui natura salui fiunt, uolunt esse cognitionem, excellentis abundantia seminis, dicentes eam esse longè magis à fide separatam, quàm spiritale ab animali. Item de Valentimo Irenæus scribit libro primo, capite primo, & Theodoretus: Dicunt se quidem seruari ex sola cognitione: nos autem quos Psychicos seu animales uocant, ex fide & bona actione. Narrat etiam Epiphanius, eos tres finxisse hominum ordines. primum spiritalem, quem sibijpsis & Gnosticis uendicauerunt, & in quo nullo labore opus sit, nisi sola cognitione & mysterijs: & qui necessariò saluentur, quicquid tandem fecerint. alterum uerò ordinem hominum in mundo, quem animalem uocant, & in quo per seipsum saluari nemo possit aliter, quàm labore & iusta operatione. tertium, materialem, qui etiam hominum sit in mundo, eorum qui cognitionem capere non possint, etiamsi uelint, sed cum anima simul & corpore pereant.

De Baptismo.

Ritus in baptisando & initiando, Marci sectatores diuersos aliquot, omnes autem prodigiosos usurparũt: quemadmodum Irenæus libro primo capite decimooctauo prolixè commemorat, & Theodoretus. sic enim baptisantes dixisse ait: In nomine ignoti patris omnium, in ueritate matris omnium, & in nomine descendentis Iesu ad unctionem & redemptionem & commutationem uirtutum. Quosdam uerò Irenæus addit, etiam usos esse certorum Hebraicorum uerborum portentis, quæ ipse recitat. Alios non ad aquam ducere consueuisse initiandos, sed liquorem ex oleo & aqua mixtum capitibus eorum primùm infundere, postea inungere opobalsamo.

De Perfectione.

Illi qui à Marco descendunt, dicunt se, quemadmodum Irenæus lib. primo capite nono prodidit, esse perfectissimos, usq; adeò ut nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum: nec si Paulum quidem, aut Petrum, aut alium quemcunq; dicas Apostolum. se enim plus omnibus cognouisse, & magnitudinem cognitionis illius, quæ est inenarrabilis uirtutis, solos ebibisse. In capite uerò decimosexto ait, eos gloriari solitos, se esse albos illos & intellectores, de quibus Daniel dicat capite duodecimo. De Marco etiam in 8. cap. eiusdem libri Irenæus dicit, Iactasse eum, se scientissimum esse, & perfectissimum, & uirtutem maximam à legis inuisibilibus habere.

De Coniugio.

Vxores Valentiniani communes habuerunt, sicut Gnostici. & recitat aliquot exempla libidinum, quas aliàs occultè & dissimulanter, aliàs manifestè, omni exuto pudore, exercere solitos fuisse, ait Irenæus: quæ in caput suum de Valentinianis, de uerbo etiam Epiphanius retulit. Denique nihil aliud quàm turpia & libidinosa meditantes, eò usque insaniæ processerunt, ut etiam Saluatori & angelis sponsas tribuerint. Sic enim Irenæus: Spiritales expoliatos, animosq; & spiritus intellectuales factos, atque inuisibiliter inter pleroma ingressos, sponsas reddi dicunt ijs, qui circa Saluatorem sunt, angelis.

De Libertate.

Ideo autem, tam sine omni reuerentia & pudore, stupris se, incestui, adulterijs & fœdissimis quibusque libidinibus dediderunt: quia licentiam uitæ, & turpes uoluptates, quibus abundant, non excutere crediderunt gratiam Dei & salutem. Quapropter & liberè eos omnia agere consueuisse, nullum in nullo timorem habentes, Irenæus tradidit lib. 1. cap. 9.

De Adiaphoris.

Idolothytis citra læsionem uel Dei uel conscientiæ, quemlibet uesci potuisse, docuerunt Valentiniani: in quam sententiam etiam Ethnicorum festa celebrarunt, quemadmodum scribunt Irenæus & Theodoretus. Irenæi uerba sunt: idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab ijs putantes: & in omnem diem festum Ethnicorum, pro uoluntate, in honore eorum factum, primi conueniunt.

De Immortalitate & resurrectione.

Valentinus & Marcus, sicut Gnostici, animam tantum saluari dixerunt, corpus uerò non. Autores sunt, Irenæus, Tertullianus, Augustinus. Ratio est, quia dicat Paulus, carnem & sanguinem non hæreditaturum regnum Dei.

De Scriptura.

Tertullianus de Valentino, libro de Præscriptionibus hæreticorum: Legis, inquit, & prophetarum quædam probat, quædam improbat: id est, omnia improbat, dum quædam reprobat. Euangelium habet etiam suum, præter hæc nostra. Et Irenæus scribit libro primo, capite decimoseptimo, eos qui Marci hæresin secuti sunt, innarrabilem multitudinem apocryphorum et scripturarum quas ipsi finxissent, ostentare solitos, ad stuporem imperitorum.

De Prophetia.

Marcus apertè sibi arrogauit potestatem conferendi alijs donum gratiæ & prophetiæ: diuinum enim se spirare simulauit, ut Irenæus inquit. ad quam rem uarijs illusionibus & fascinationibus usus est, quas idem commemorat libro primo, capite nono. Quotquot igitur dignos sua gratia iudicauit, prophetare fecit, maximè mulieres, easq; honestas & diuites, in quibus seducendis plurimum studij sui posuit. Narrat & hoc Irenæus, quòd in cœnis, qui Marci hæresin professi sunt, certatim sortibus colluserint, & sibijpsis inuicem imperarint ut prophetarent. Et in capite præcedenti, Marcum ipsum Irenæus præcursorem uocat Antichristi. Quod si tempora quæ sunt consecuta consideres, non omnino falsum fuit, aut absre. Habet enim regnum Antichristi quædam istis temporibus non admodum absimilia.

De Magia.

Artes magicas Marcus cum suis docuit & exercuit, & magum eum Irenæus, & Epiphanius magicæ imposturæ expertissimum uocat. Qui & de quodam genere eius fascini, quo in distributione doni suæ gratiæ usus est, ita refert: quòd solitus sit spectatorum & auditorum suorum oculos præstringere, calice uino repleto, quod rubrum & purpureum subitò apparere fecit, ut putaretur sanguis supernarum potestatum in calicem destillasse, &c. Recitat et alias eorum præstigias, quibus ducti ad iudices, se fecerunt incomprehensibiles & inuisibiles. Marcum certè ueneficijs amorem mulierum sibi conciliasse, ex Irenæi narratione apparet: qui mulieres quasdam ex eius hæresi ad Ecclesiam reuersas, scribit confessas fuisse, se à Marco ita circumuentas, ut in eum uehementer exarserint.

De Literis Græcis.

Monstrosas & insanas Marci speculationes, de literarum Græcarum productionibus & successionibus, ad fastidium usq; legentis Irenæus pertractauit: sicut & numerorum mysteria. Veritati enim corpus tribuit, cuius membra in uigintiquatuor literas Græcas partitus est, sic ut unumquodq; eius membrum binis literis circumscripserit. Sic & nomen Iesu & Christi, numeris ex literis Græcis prodeuntibus prodigiosè incluserit. Philastrius uerò de Marco sic inquit: Viginti quatuor literas perfectionem habere dixit omnium rerum. proinde & dixisse Christum, Ego sum α & ω. Ait & Theodoretus: Vigintiquatuor literis Aeonas assimilauit, & hos quidem mutas, illos semiuocales, alios uerò uocales appellauit. Et mutas quidem, Irenæus inquit libro primo capite decimo, literas nouem putat esse patris & ueritatis, quoniam sine uoce sint, hoc est inenarrabiles: semiuocales autem, cum sint octo, Logi esse & Zoes. uocales autem, & ipsas septem, esse Anthropi & Ecclesiæ: quoniam per Anthropum uox progrediens, formauit omnia, &c. De summa errorum huius sectæ hactenus.

Ex hac commemoratione manifestum est, huic hæresi in plerisq; propemodum conuenisse cum superioribus, & easdem nugas & insanias, tantum alijs autoribus, & nouo quodam patrocinio esse disseminatas. Nunc ubi uixerit, & hoc uirus suum letale Valentinus sparserit, quos item socios habuerit, et successores, quos uerò contradicentes, breuiter exponemus. Romæ quãdiu fuerit, hoc ignoratur: habuisse autem ibi scholam celebrem (in qua maxima fuerit existimatio, ut Clemens ait, Heracleonis eius qui multa scripsit) & multos in errorum seduxisse, satis constat. Philastrius tantum prouinciæ cuiusdam in Cypro meminit, ubi eum ait portentosas suas nugas esse professum. Et ex Epiphanio liquet, eum in Cyprum Roma relicta sese recepisse, ubi mente motus à fide prorsus defecerit, et in eam quã sparserat improbitatem totum se demerserit. Sed antequam Romam abierit, ait eum docuisse in Aegypto, & in multis eius partibus exitiosæ suæ doctrinæ semina reliquisse: ut in Atrabite, Prosopite, Arsenoite, Thebaide, inferioribus partibus regionis maritimæ & Alexandriopolite præfectura. Forsan etiam in uicinia Alexandriæ uersatus est. Marcum uerò Irenæus scribit in Asia cuiusdam diaconi, à quo hospitio fuerat susceptus, uxorem forma præstantem abduxisse: ex quo constat, eos circulatorum & impostorum more uarias regiones peragrasse, & uenena sua nunquam in uno, sed pluribus diuersis locis dissipasse: ut & in eodem loco Irenæus testatur, ad Gallias usque istos seductores peruasisse, & Rhodaneuses mulieres multas seduxisse, quarum aliquæ, motæ haud dubiè sectæ turpitudine, ab ea rursus desciuerint, & per pœnitentiam ad Ecclesiam reuersæ sint.

De socijs & successoribus Valentini & Marci.

Valentini et Marci successores fuerunt, Ptolemæus, Secundus, Heracleon, Bassus, Colarbasus. Inter quos Ptolemæus quatuor Aeonas maluit affirmare. Secundus uerò,

uerò, infinitos esse uoluit. Heracleon, de duobus principijs, quæ prima ponit, productam asseruit generationem multorum principiorum ut Philastrius refert. Augustinus de Heracleonitis etiam hoc prodidit: Feruntur, inquit, suos morientes nouo quodam modo quasi redimere, uidelicet per oleum, balsamum & aquam, & inuocationes quas Ebraicis uerbis dicunt super capita eorum. Idem & Colarbasum ait affirmasse, uitam omnium hominũ & generationẽ in septem sideribus consistere. Enumerat autem Theodoretus, præter hæc, alia etiam monstra, quæ ex Valentini schola prodierunt, quorum monstrosas etiam appellationes recenset: ut Barbeliotarum, seu Borborianorum, uel Naasinorum, uel Strationiorum, uel Phemionitarum: quorum fabulas fuisse ait longas & impias, superantes omnes detestabiles cogitationes. Item, Sethianorum, seu Ophitarum: & Cainorum, qui Cain & Iudam laudarunt. Et Antitactarum, id est, aduersariorum, qui contraria agere præceptis Dei pro more & secta habuerunt: & Peratarum, qui tricorporem Christum de cœlis descendisse dixerunt. Quorum omnium fabulas, qui uolet, ex Theodoreto petat.

De ijs qui contra hanc hæresin scripserunt.

Fuerunt multi pij et eruditi eius seculi doctores, qui & huic se impudenti & furiosæ sectæ opposuerunt, & contrà fortiter certarunt. De Bardesane apud Eusebium legitur, quòd cum de Valentini primum schola fuisset, postea tamen deprehensa fabulosæ eius sectæ nugacitate, ab ea defecerit, & ineptias eius omnes ac mendacia coarguerit. Idem Eusebius, etiam Egesippum & Polycarpum scribit, cum Romam uenissent, plurimos Valentini & aliorum qui eum præcesserant hæreticorum ueneno infectos, ad sanitatem reduxisse. Egesippus uerò de principijs istarum hæresium, quædam etiam in commentarijs suis scripta reliquit. Sunt & in Ignatij epistolis aliquot blasphemorum errorum Valentini confutationes, quas in Eraniste adducit Theodoretus. Sed ualidissimè omnium aduersus hanc & similes hæreses depugnauit Irenæus. Nam quod de diuersis dijs Valentinus & Marcus cõmenti sunt, sic destruit libro secundo, capite primo: Extra Deum creatorem cœli & terræ, non potest aliud pleroma, aut imitium, aut potestas, aut aliquis Deus esse, quia hoc modo magnum Deorum pelagus constitueretur: neq; unum, neque duos, sed plurimos deos esse, & mundos infinitos, necesse esset. Aut enim unum Deum facientem, continentem & gubernantem omnia, aut plures inter se diiunctos, & quorum nullus aliorum sit Deus, esse necesse est, quorum nullus reliquorum Dominus sit: si omnipotentis appellatio non soluenda, & impietas cauenda est. Sed unum tantum Deum conditorem cœli & terræ à lege & prophetis annunciatum, Euangelistæ & Apoli in suis scriptis tradiderunt: quibus qui non assentitur, Deum spernit. Hanc rationem opponit libro tertio, capite primo. Et aliàs docet, omnes prophetas, Christum, Apostolos, Euangelistas, & Paulum, nullum alium Deum agnoscere & tradere, præter creatorem cœli & terræ, patrem IESV Christi: libro tertio, capite primo, duodecimo, tredecimo, decimoquarto. Ad illud uerò, quòd ex diuersis nominibus Dei, plures etiam & diuersos Deos hæretici facere conati sunt, respondet libro secundo, capite sexagesimo septimo: prophetas scilicet diuersis nominibus nõ ad diuersos Deos, sed unum patrem Domini nostri IESV Christi, respexisse. Sic & illud: Christum de Maria nihil accepisse, ualidissimis ac multis rationibus refellit libro tertio & quarto. Rationem quam libro tertio, capite trigesimo secundo ponit, etiam Theodoretus recitat: Ad quid opus fuisset eum descendere in uterum Mariæ, si ex ea nihil erat sumpturus? Superuacua igitur eius in Mariam fuit descensio, &c. item, Quare se filium hominis confitebatur, si non eam, quæ ex homine est, generationem sustinuisset? &c. Libro quarto, capite quinquagesimo septimo: Illud uerò, quod ex dicto Esaiæ, Vocate annum Domini, &c. Valentiniani probare conabantur, Christum uno tantum anno prædicasse, & mense duodecimo passum esse, eruditè ex phrasi & alijs rationibus destruit, libro secundo, capite trigesimo octauo. ut, quòd ter Christus Hierosolymæ pascha celebrasse scribitur, quod intra duodecim menses seu uno anno fieri non potuit: et quòd mensis paschalis non erat duodecimus, sed primus, ut ex Mose patet. Annum acceptum dici significant, tempus Euangelij usq; ad finem mundi: & diem retributionis, diem iudicij extremi. Quemadmodum & Marci portentum, qui duos ficit Christos, euidenti ratione confutat, libro tertio, capite uigesimo: Euangelistæ, inquit, & Apostoli nullum aliùm quàm unum IESVM Christum, filium Dei & Mariæ, natum, mortuum, resuscitatum & glorificatum agnoscunt. Et Iohannes inquit: Hæc scripta sunt, ut credatis IESVM esse Christum, &c. Quòd uerò Marcus columbam fuisse Christum dixit, quæ in IESVM descenderit, falsum & hoc ipsum est. Non enim Christus, sed spiritus Dei in specie columbæ descendit, ad undendum eum: sicut in Esaia prædictum erat, Spiritus Domini super me, &c. Libro quarto, capite decimoquarto eruditè refutat, quòd Marci sectatores nugabantur, Christum annunciasse incognitum patrem: Quomodo est, inquit, incognitus, qui ab ipsis cognoscitur? Quodcunq; enim uel à paucis cognoscitur, non est incognitum. Deinde dictum exponit, Nemo nouit patrem nisi filius, &c. Dominum inquit dixisse, non in totum posse cognosci & patrem & filium: cæterùm superuacuus fuisset aduentus eius. Edocuit autem Dominus, quoniam Deum scire nemo poßit, nisi Deo docente: hoc est, sine Deo non cognosci Deum, &c. Et paulo pòst: Omnibus igitur reuelauit se pater, omnibus uerbum suum uisibile faciens: & rursus, uerbum omnibus ostendebat patrem & filium, cum ab omnibus uideretur. Quòd autem falso & blasphemè Marcus gloriabatur, ac de se prædicabat, se posse conferre donum prophetiæ, ita confutatur ab eodem, libro primo, capite nono: Scientes, quoniam prophetare non à Marco mago inditur hominibus, sed quibuscunq; Deus desuper immiserit gratiam suam, hi ab eo traditam habent prophetiam, et tunc loquuntur quãdo Deus uult, sed non quando Marcus iubet. Quod enim iubet, eo quod iubetur maius est, &c.

Quòd Valentinus commentus est, de duplici Deorum genere, alterum quod mundum crearit, & mortis

causã

causa sit: alterum, quòd mortem sustulerit: sic refellit Clemens libro quarto Stromatum. Si ad dissoluendam mortem uenit genus differens, scilicet Dei, ab eo qui mundum creauit, Christus mortem non aboleuit, nisi ipse quoq; dicatur eiusdē cum eis essentiæ, &c. Quamdiu autem uixerit Valentinus, ac sua deliria propagarit in diuersis locis, certi de eo nihil proditum est. Romæ quamdiu fuerit, id quidem aliquo modo sciri potest. Irenæus enim libro tertio, capite quarto, scribit eum Romam uenisse sub Higino, & usq; ad Anicetum permansisse. Vnde colligi potest, eum circiter duodecim aut quatuordecim annos ibi fuisse. Maximè uerò odio & uituperatione digna est somnolentia Romanorum episcoporum, qui has pestes in eadem qua ipsi essent urbe & Ecclesia grassari tamdiu passi sunt, nec ipsi restiterunt, cum quidem præcipua ea pars ipsorum numerus fuerit. Nihil enim usquam extat aut Higini, aut Pij, aut Aniceti scriptorum, quod contra aliquem eorum temporum hæreticum directum sit.

MARCIONISTARVM hæresis.

SVnt qui Valentinum, Cerdonem et Marcionem in unam ætatem coniungunt, ac Romæ fuisse simul: sunt alij, qui breui interuallo eos sibi inuicem successisse prodiderunt. Eusebius eos omnes sub Higino Romam uenisse scripsit, & annum Domini indicauit centesimum quadragesimum tertium. Epiphanius uerò affirmat, mortuo Higino Marcionem Romam uenisse. Nos de annorum ratione non multum laborabimus. Tradiderunt autem operas mutuas Cerdon et Marcion, qui uenenum à Cerdone quasi per manus sibi traditum, in lucem produxit & auxit. Porrò eadem cum Gnosticis Cerdon sensit & docuit: qui, sicut illi, ex Simonis Magi impostoris, quæ tradebat, sumpserat. Occasione autem eiusmodi in hæresin Marcion delapsus est. Initio uirginitatem professus est, & solitarius uixit, ut Epiphanius scribit: postea uerò in uirginem quandā deperijt, cui tandem uicium obtulit. Pater igitur qui erat in Ponto episcopus, rei indignitate, eaq; quam sibi filij lapsus attulerat commotus infamia & dedecore, ex Ecclesia eum eiecit. Hîc filius patri fit supplex, culpam deprecatur, & ueniam orat: sed à patre non impetrat. Quare cum eam nec patris duriciem, nec infamiā propriam, nec aliorum ludibria ferre Marcion posset, ex patria fugiens, Romam uenit: ibiq; cum senibus Ecclesiæ præsidentibus congressus, recipi se in eorum numerum petijt. Verùm seu propter famam sui facti, quæ eò usq; peruenerat: seu ob aliam quamcunq; causam, ab illis repudiatus, ad officium non admissus est. Hic demum uiolentius furens, nec domi apud patrem ueniæ sibi locum relinqui, nec ab alijs alibi se recipi, ad improbum illud consilium conuertitur, & ad Cerdonis hæresin animum applicat: quam & ex professo amplexus est, & aliqua propria sua astucia adauxit. Sequuntur sententiæ dogmaticæ.

De Deo.

Cerdon duo esse principia, hoc est, unum Deum bonum, & unum malum, dicere ausus est: & Deum quidem bonum bona facere, & malum mala. Sed hanc hypothesin Philastrius recitat. Paulo uerò aliter Irenæus & Augustinus: alterum scilicet Deum iustum esse, alterum malum. Deum uerò à lege & prophetis prædicatum, non esse patrem Domini nostri Iesu Christi: Deum que creatorem notum esse, patrem uerò Christi ignorari. Irenæus libro primo, capite uigesimooctauo & Theodoretus. Et eius quidem quòd Deum alterum iustum, alterum bonum Cerdon dixit, rationem eum eiusmodi protulisse scribit, quòd iustus ille Deus iussisset in lege oculum pro oculo & dentem pro dente excindere: bonus uerò hic in Euangelio præcepisset, maxillam dextram pulsanti etiam alteram obuertere, & tunicam eripienti pallium quoq; adijcere. Item, quòd ille quidem iussisset in lege amicum diligere, odisse uerò inimicum: hic autem, & inimicos diligere præcepisset. Hæc eadem cum Cerdone etiam Marcion docuit. Quanquam tria posuisse eum principia, unum mirum inuisibile, alterum uisibile seu opificem, tertium ac medium inter uisibile et inuisibile diabolum scilicet, Epiphanius affirmat. Quatuor uerò ingenitas substantias eum confinxisse, Theodoretus autor est. Vnde constat, quòd mente captus Marcion à se uariarit, & sibi-ipsi contraria statuerit. Hæc de Marcionis dogmate etiam Iustinus tradidit, in Apologia secunda: Marcion Ponticus docet suos negare Deum conditorem, et alium quendam maiorem creatore Deum credere. Irenæus uerò & Tertullianus dicunt, eum hoc de duobus numinibus, bono altero, & altero iusto seu iudiciali, asseuerasse, occasione dicti Christi: Omnis arbor bona fructus bonos facit. Cui sententiæ contrarium rursus de Marcione Tertullianus recitat libro quarto contra Marcionem: Negasse scilicet eum, Deum suum timendum esse, ideo quia bonus, non iudex esset. Narrat Theodoretus, Marcionistas & hoc ausos fuisse dicere, serpentem creatore meliorem & præstantiorem esse, eam ob rationem, quòd hic arboris cognitionis participes esse uetuerit, ille uerò permiserit. Idem etiam scribit, Apellem Marcionis discipulum, ingenitis illis, quos Marcion finxerat, aliū quoq; πύρωρ, hoc est, igneum adiecisse. Eusebius uerò libro quinto, capite decimotertio, Rhodonem Asiaticum scripsisse ait, Apellem unum tantum principium, & Deum ingenitum credidisse: sed quomodo sit, confessum esse ignorare se, ideo quia prophetias nihili faceret.

De Christo.

Cerdon & Marcion Christum in hominis forma, sine carne, putatiuè & umbratiliter tantum natum & passum esse, asseuerarunt: quemadmodum Irenæus libro primo capite uigesimonono & Philastrius meminerunt. atq; hanc eorum rationem fuisse, Tertullianus libro contra Marcionem tertio testatur: quòd natura uirginem párere non ferret. Idem etiam libro quarto contra Marcionem scripsit, duos ab eodem conflctos fuisse Christos: primum quidem, qui tempore Tiberij in salutem gentium reuelatus sit: alterum uerò, qui destinatus, & aliquando uenturus sit à creatore in restitutionem status Iudaici. Sed & libro primo, capite uigesimonono Irenæus ait, Marcionem docuisse, Christū dissoluisse prophetas, legem, & omnia opera eius Dei qui mundum fecit. Tertullianus autem, & sic Marcionem

nem professum esse retulit: Christum in carne non uenisse. alibi uerò, ut in libro de Virginibus uelandis, docuisse eum scribit, Christi carnem è cœlis uenisse. & in libro de Carne Christi, Marcionis sectatores admisisse quidem ait Christi carnem, sed non natam. In quem errorem etiam Apellem nugatum, idem Tertullianus autor est, Christum scilicet neq; in phantasmate, neque in substantia ueri corporis fuisse: sed dum è cœlo descenderet, sideream atque aeream carnem sibi contexuisse, quam post resurrectionem elementis restituerit. Idem libro quarto contra Marcionem: Ad hodiernum usque diem Christum Marcionitæ sperant, non Iesum: & Heliam potius interpretantur Christũ, quàm Iesum. Deniq; & iudicem fore omnium Christum, Marcion negauit, ut admonet Philastrius.

De Spiritu sancto.

Cerdon Spiritum sanctum non in Apostolos descendisse, affirmare ausus fuit, sed in se solum.

De Mundo, seu creatione.

Marcion dixit, opus mundi esse indignum Deo. Animalia igitur minutiora, de industria à Deo condita, & ingenijs & uiribus prædita, irrisit. Deniq; ad subsannationem operum Dei totum se conuertit. Tertullianus libro primo contra Marcionem. Clemens uerò in Stromatum libro tertio & quarto, autor est, Marcionem & naturam totam ut malam damnasse, & creaturam ac corporis humani structuram uituperasse.

De Lege.

Sicut bonum à iusto Marcionistæ discreuerunt, ita legem dixerunt non esse bonam, sed iustam. Refert Clemens libro secundo Stromatum, quo in loco & prolixè disputat contra quosdam, sentientes malum esse timorem ex lege ortum: quos Marcionistas fuisse uerisimile est. Nam et hoc ipsum, quo legem dixerunt esse iustam, parum differt ab eo, quod quis dicat legem esse malam, seu damnandam. Hanc enim uim appellatio iusti, apud eos habuisse uidetur.

De Salute.

Marcion, quem ob excellentem blasphemiam Os diaboli uocat Irenæus, dixit, Cain, Sodomitas, Aegyptios, ijsq; similes gentes omnes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulauerũt, saluatos esse à Domino, cum descendisset ad inferos, & occurrissent ei. Abel autem, Enoch, Noe, Abraham, et reliquos iustos, eosq; qui sunt erga Abraham patriarchas, cum omnibus prophetis, & his qui placuerunt Deo, non participasse salutem. Irenæus libro primo, capite 29. ubi & hanc rationem adijcit: Quia sciebant (inquit Marcion) Deum suum semper tentantem eos, & tunc tentare eum suspicati, nõ accurrerunt ad Iesum, neq; crediderunt annunciationi eius, & propterea remansisse animas eorum apud inferos. Eadem de Marcione habet Theodoretus. De Apelle, Rhodonem Asiaticum doctorem ita scripsisse Eusebius testatur: Senex Apelles, imito nobiscum colloquio, multa quidem falso de prehensus est: unde & dixit, omnino non esse inquirendam doctrinam, sed unumquemq; ut credidit manere debere. Saluos enim fore pronunciabat eos, qui in crucifixum sperant, modò in operibus bonis inueniantur.

De Baptismo.

Tertullianus libro primo & quarto contra Marcionem, ostendit eum censuisse, uirgines tantum & uiduas, & cœlibes, & diuortio à uiris separatas, & qui matrimonio eiusq; fructui renunciassent, esse baptisandos. Sed & mortuis baptisma conferendum esse, Marcionem uoluisse, idem Tertullianus significare uidetur libro quarto contra Marcionem, ubi inquit: Morti autem repudio baptisma Marcion seruat. Autor est Epiphanius, eum tres baptismos constituisse, & ad triplicem lapsum accommodasse: idq; propter suum magis peccatum, quo stuprum puellæ intulerat, quàm uera & sufficienti ratione. Cum enim, inquit Epiphanius, in magno delicto inuentus esset, excogitauit præstigiator secundum lauacrum, asserens licere usq; ad tria lauacra, hoc est, tres baptismos dare, in remissionem peccatorum: quòd si quis lapsus esset post primum, pœnitentia acta accipiat secundum: & tertium similiter, si in delicto post secundum comperiatur. Et rationem eius quidem protulisse eum ait, ad decipiendũ magis quàm probandum hoc quod ipse uoluerit, ex dicto Christi: Baptisma habeo baptisari, &c. Addit & illud Epiphanius: Marcionem, sicut omnia apud eum ludibrijs plena fuerint, permisisse mulieribus, extra casum necessitatis, potestatem baptismum conferendi.

De Coniugijs.

Libro quarto contra Marcionem clarè Tertullianus inquit, Connubium auersatur Deus Marcionis. Et in eodem libro: Nuptias Marcion non coniungit, coniunctas non admittit. Quod & Clemens testatur libro tertio Stromatũ, de Marcionitis scribens: Volunt, inquit, abstimere, uxorem ducere nolunt, & malam dicunt esse generationem. eamq; impietatem ait eos didicisse à philosophis. Sed & fundamentum eius, extruxisse eos significat ex libro apocrypho, Euangelio scilicet secundum Aegyptios, in quo scriptum sit: Salomæ interroganti, quoad usq; uigebit mors? Dominum respondisse, Quoad usq; uos mulieres paritis. qua occasione paulo ante Heraclitum hæreticum uituperasse generationem dixit. Ex eodem libro & illud protulisse eos dicit, quod Dominum dixisse affirmarunt, Veni ad dissoluendum opera fœminæ: id est, cupiditatis & generationis.

De Resurrectione.

Carnis resurrectionem in uniuersum non admittunt Cerdon & Marcion, & salutem solum animarum suam esse dicunt. Marcion uerò illorum tantum animabus promittit, qui doctrinam eius didicerunt. Rationem eam comminiscitur: Impossibile enim esse, corpus, quoniam à terra sumptum sit, participare salutem. Irenæus, Tertullianus.

De Adiaphoris.

Marcionitæ malã dixerũt esse materiã, ac naturã fugendã. Hinc odio solo concepto aduersus creatorẽ, nolluerunt uti rebus creatis, sed præpostera & blasphema continentia cum Deo pugnarunt. Clemens Stromatum libro

libro tertio & quarto. Theodoretus exemplum adijcit: Nouisse se, è Marcionistarum grege senem quendam non agenarium, qui manè surgēs, faciem suam non aqua, sed putidis proprij sputi excrementis lauare solitus fuerit. rogatum autem causam, respondisse, nolle se opus habere creatore: nec aqua, quæ sit ex eius creaturis, uti.

De prophetijs.

Apelles prophetas ex aduersario dicit esse spiritu, fidem habens sententiæ dæmoniacæ uirginis nomine Philumenæ. Item, prophetias seipsas redarguere dicebat, eo quòd nihil omnino ueri dixerunt: esse enim eas à se inuicem discordes & mendaces, et sibijpsis contrarias. Eusebius, ex Rhodone libro quinto, capite decimotertio. Epiphanius: Legem & omnes prophetas reijcit Apelles, dicens ex principe mundi opifice tales prædixisse.

De scripturis eorum.

Lucæ euangelium solum Marcion accepit, non euāgelia quatuor, fascinatus stulta hac ratione: quia sciicet Paulus dixisset, Si quis aliud euangelium prædicauerit, anathema sit. Ex epistolis Pauli, eas tantum quæ ad Timotheū & Titum (Hieronymus etiam ad Philemonē adijcit) scriptæ sunt accepit: neq; earum tamen omnia. Nam quæ de Christo ut Deo uero loquūtur, surdus quasi præterijt. Quæ uerò de Christo ut homine dicunt, accepit. Proinde & euangelium Lucæ, ac epistolas eas Pauli mutilauit, præcidens de euangelio omnia quæ in eo de natiuitate Domini scripta sunt: ex epistolis uerò, quæcunq; Apostolus de Deo creatore patre Domini nostri Iesu Christi, deq; eius aduentu dixisset. Quomodo & Cerdon fabulas dixit, quæcunq; Prophetæ & Apostoli prædicassent: testantur Irenæus & Philastrius. Epiphanius uerò scribit, usum eum fuisse testimonijs collectis ex decem epistolis Pauli: quarum uerò & ordinē peruerterit, & testimonia pro arbitrio quædam seu addendo seu resecando mutauerit, quædā dissimularit & præterierit. In quo ipso tamen non diligentem satis propositi sui rationem habuerit. Retinuisse enim in illis ipsis, quæ in causæ suæ patrocinium utcunq; corruperit & immutarit, testimonijs cētum atq; decem & octo, quæ sententiam suam non tam confirment, quàm etiam euidenter impugnent. Cæterùm quo ordine Pauli epistolas allegarit, & quo fuco & fallacijs testimonia earum deprauarit, cum recitare & longum nimis, & ab instituto nostro alienum sit, ad Epiphanium ipsum lectorem remittimus. Librum peculiarem etiā Apelles sibi composuit, & inscripsit Phaneroses, hoc est manifestationes Philumenes cuiusdam puellæ, quam ut prophetissam Apelles secutus est. Meminit Tertullianus libro de Præscriptionibus hæreticorum, & Theodoretus. Sed & libros syllogismorū compositos habuisse eum, Tertullianus idem refert: quibus probare uoluerit, falsa esse quæcunq; de Deo Moses scripsisset. Quod & Rhodonē testatum, Eusebius ait. Apelles innumera impiè contra legem Mosi uulgauit plurimis Commentarijs, diuinis doctrinis maledicens: & in reprehensionem, sicut putauit, ac subuersionem earum, haud parum studij impendit.

De statu Iudaico.

Marcion statum Iudaicum adhuc restaurandū esse putauit per Messiam, qui nondum aduenisset. Tertullianus libro quarto contra Marcionem.

Hæc sunt quæ de capitibus errorum Marcionis, suiq; similium, breuiter & summatim indicare uoluimus. Sed triste cogitare est, quòd tanti tamq; manifesti errores, certius post se nihil aliud quàm animarum interitum trahentes, prius reprimi & extirpari nō potuerint, q̄ infecti ijs et seducti plurimi fuerint: sicut inquit Iustinus, Marcionē multis fuisse autorē blasphemandi & negādi rerum conditorē Deum. Epiphanius item, magnā multitudinem (inquit) per uarios modos in hunc usq; diem decepit. & quidem addit: Hæresis ad huc etiā nunc est Romæ, & in Italia, in Aegyptoq; ac Palæstina, et in Arabia ac Syria, in Cypro itē atq; Thebaide. Religiosiorem enim hanc sectā hoc ipsum fecit, q; plurimos habuit martyres: sicut Euseb. lib. 5 cap. 16, Apolloniū scripsisse ait, Marcionistas primos esse, qui martyres plures ostentent. Et Otho Phrisingensis episcopus lib. 3 cap. 25 cuiusdam meminit Metrodori, de hæresi Marcionis, quem ignibus traditum esse scribit sub Marco Antonino Vero.

A quibus & quomodo hæc hæresis confutata sit.

¶ Narrat Irenæus, Polycarpum, Marcionem in uia sibi obuiam factum, appellasse primogenitum diaboli. unde colligere licet, quòd aliàs quoq; acriter eius errores taxauerit. Iustinum autem contra Marcionem Commentarium scripsisse, Eusebius prodidit. Et in Catalogo suo Hieronymus inquit, Iustinum insignia uolumina contra Marcionem scripsisse, quorum Irenæus in quinto aduersus hæreses libro meminerit. Sed & alios quàm plures Eusebius recenset, qui hanc hæresin impugnarunt: ut Dionysium Corinthium, quem in epistola ad Nicomedienses ait, Marcionis hæresin ad ueritatis regulam examinasse: item Philippum episcopum Gortynensem, Modestum, Theophilum episcopum Antiochenum, & Rhodonem clarissimum illum ex Asia scriptorem: quem Eusebius affirmat multa de hac secta prodidisse, ac mendacia à singulis eorum excogitata diligenter perstrinxisse. Nunc confutationes aliquot eorum, quorum hodie scripta extant, breuiter perstringemus.

Quòd finxit Marcion, extra Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, alium esse, qui fecerit cœlum & terram, Irenæus libro secundo capite tertio, dicto Pauli confutat: Vnus Deus pater, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Et in capite decimo sequenti, in aliquot item capitibus prioribus libri tertij. Refellit & hoc Marcionis commentum, quòd asseruit alterum Deum bonum, alterum iudicialem: libro tertio, capite trigesimonono. Si enim iudicialis Deus non est bonus, tum non est Deus: si bonus Deus non est iudicialis, non erit Deus. nam Deus non est, qui non bonus & iustus sit. Quod autem opus mundi indignum esse Deo Marcionistæ commenti sunt, ita refutat libro secundo, capite tertio: Mundus talis est, qualem Deus uniuersorum conditor, antequam condidit, apud animum concepit. Igitur eius fabricatio non est indigna patre conditore, qui talem deliberatò fecit. Negauit etiam Marcion Abrahamum saluari: contra quod agit libro quarto,

cap. decimò octauo. Primùm, Spiritus sanctus Abraham per multos, nouissimè autem & per Paulum testimonium reddidit: Quoniam credidit Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Deinde Christus inquit: Venturos multos ab oriente & occidente, & recubituros cum Abraham in regno cœlorum. Quòd autem legis dissolutionẽ per Christum introductã esse, Marcionis sectatores cauillati sunt, libro quarto cap. 27 infringit: Christus legem non dissoluit, sed extendit, sed impleuit. dixit enim: Nisi abundauerit iusticia uestra plusquàm scribarum & phariſæorum, &c. Item, non ab operibus tantum malis abstinere iussit, uerùm etiam à concupiscentijs eorum. ait enim: Dictum est antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico uobis, quoniam omnis qui uiderit mulierem, &c. Ad hunc modum Clemens Stromatum libro secundo prolixè disputat contra Marcionistas, qui legem ut malam uituperarunt, ratione ducta ab officio legis, quòd scilicet metum efficiat, et sit disciplina in Christum: Quomodo non est bona, inquit, lex, quæ erudit & castigat, & quæ data est pædagogus ad Christum, ut dum per timorem castigationis ratione dirigimur, ad eam quæ est per Christum perfectionem conuertamur. Item, quoniam à lege & prophetis prius erudiri & castigari, utile esse Deo uisum est, principium sapientiæ dictus est timor Domini: qui à Domino per Mosen datus est ijs qui non obediunt, & sunt duri corde.

Porrò contra dogma Marcionistarum, quòd odio creatoris, etiam humani corporis compagem uituperarunt, opponit illud Clemens libro Stromatum quarto: Pudeat (inquit) Marcionem, ac sciat oportere fidelem esse gratum opifici, qui nos uocauit, & nobis Euangelium annunciauit in corpore. Idem libro tertio, propriè contra Marcionistas dixisse uidetur: Qui propter odium aduersus carnem susceptum, à coniugali coniunctione, & eorum qui conueniunt ciborum participatione liberari desiderant, impij sunt, & absque ratione continentes. Et in eodem libro, ijs qui speciosis quibusdam uerbis per continentiam sunt impij, & in creaturam & sanctum opificem, & dicunt non esse admittendum matrimonium & liberorum procreationem, nec in mundum esse inducendos alios infelices futuros, nec suppeditandum esse morti nutrimentum, illa sunt dicenda: Primùm quidem illud Ioannis, Et nunc Antichristi multi facti sunt, &c.

De successoribus Marcionis.

De sectatoribus & successoribus Marcionis scribit Theodoretus & alij, eos in diuersas sententias tandem esse distractos, & inter se diuisos, studio scilicet & contentione, etiam nugis et monstris excellendi magistrum. Apelles enim, quemadmodum ex Rhodone Eusebius recitat, unum tantum principium posuit: Potinus & Basilitus, duo: alij rursus, quorum dux fuit Synerus, non duas tantùm, sed tres naturas commenti sunt. Inter successores Marcionis & discipulos, numerantur ab alijs etiam, Lucanus, quem Lucianum Epiphanius uocat, Præpon & Python. Inter quos & Hermogenem referunt: quem suo tẽpore in Africa docuisse, Tertullianus significat in libro De præscriptionibus aduersus hæreticos. Is autem Hermogenes, nolens Deũ ex nihilo omnia fecisse, cum Stoicis asseuerauit, materiã cum Domino semper fuisse: & quòd neq; nata, neq; facta fuerit, ac neq; initium omnino aut finem habuerit, ex quo Dominus omnia postea fecerit. Hanc hypothesin Tertullianus recitat in initio libri contra Hermogenem. In libro uerò De præscriptionibus hæreticorum, eam ita effert: Apostolus (inquit) cum improbat elementis seruientes, aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam nõ natam introducens, Deo non nato eam comparat: & ita matrem elementorum deam faciens, potest ei seruire quam Deo comparat. Theodoretus & has hypotheses Hermogeni accenset: Corpus Domini in sole esse repositũ, diabolum autem & dæmones esse in materiam infundendos. Contra eum uerò scripsisse Theophilum Antiochenũ, refert Eusebius libro quarto capite 24.

DE ENCRATITArum hæresi.

FVit his temporibus hæresis quorundam, qui sobrio, sed ad licentiam uitiorum conficto nomine Encratitas, id est, abstinentes dixerũt: & autorẽ ac ducem habuerunt Tatianum quendam Syrum, qui Romã profectus, Hieronymo teste, magna ibi primùm cum laude & dignitate oratoriam professus est. Postea Iustino Martyri, uiro sancto & fideli, coniunctissimus factus, eiusq; institutione fidem Christianam amplexus, in ecclesia etiã diu floruit: ac nihil quicq; ipso uiuo hæreticum, aut quomodocunq; à fide & professione Christiana alienũ molitus est. Verùm cum martyrio suo Iustinus functus esset, quasi cæcus ductore destitutus, ut Epiphanius inquit, per præcipitia lapsus est. Eloquentiæ enim opinione & ambitione inflatus, ab Ecclesia defecit: & cũ alios excellere decreuisset, noui quiddã & separati ab illis docere instituit: nõ tamẽ simplex illud & expeditum, sed cõfusum, & ex plurib. hæresib. consarcinatũ. Quædã etiã, ut Irenæus scribit lib. 1, cap. 30 & 31, à Gnosticis, nonnulla à Valentinianis, aliqua etiã à Marcionistis mutuatus est. Cœpisse Encratitarũ hæresin sub Marco Antonino Vero, pleriq; cõsentiunt. Nec obstat, q, scholã suam aperuisse eum sub Antonino Pio Epiphanius indicat. Sed de anno non omnes conueniunt. Eusebius annũ ponit duodecimum Antonini Veri, Christi uerò cẽtesimum septuagesimumquintũ: quam rationem pleriq; sequuntur. Qui uerò ab ea uariant paruo discrimine, annum Antonini numerant decimumquartum, aut decimumquintum: Christi uerò, centesimum septuagesimum septimũ. Dogmaticæ sententiæ hæ sunt.

De Deo.

Hic cum Valentinianis sensit, nugatus eadem de Aeonum productionibus & seculis inuisibilibus, quæ ille. Irenæus lib. 1 cap. 31. Theodoretus.

De lege.

Separat hominem, ueterem quidem legem, nouum uerò Euangelium appellans: idq; ideo, ut legem dissoluat, ut quæ sit alterius Dei. Clemens Strom. lib. 3.

De remissione peccatorum.

Axioma hoc Tatianus præ cæteris proprium & peculiare habet: Adam esse damnatum propter peccatum damnatione perpetua, ideo quia dicat Paulus, In Adam omnes morimur. Irenæus lib. 3 cap. 39. Philastrius, Epiphanius, Tertullianus.

De Coniugio.

Ex Saturnini & Marcionis impura traditione, nuptias Tatianus damnauit: et legitimam matrimonij copulam nihil à fornicatione & corruptione differre dixit. Quin & diaboli inuentionem dixit esse matrimonium, & mulierem ipsam opus diaboli: ut Epiphanius inquit. Rationem eorum ridiculam Clemens recitat: quòd se Domini imitatores esse dixerint, qui uxorem non habuerit. Et in commentario super Epistolam ad Galatas Hieronymus refert, Tatianum ad confirmandum dogma de matrimonio illicito, sophisticè proferre solitum dictum illud Gal. sexto: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Clemẽs lib. 3. Strom. Irenæus, Philastrius, Theodoretus, Augustinus: qui & hoc addit, eos qui à Tatiano fuerunt, neminem in suorum numerum admisisse coniugio utentem, siue marem, siue fœminam. Idem Epiphanius.

De Adiaphoris.

Carnium & animantium usum, & Tatianus & Encratitæ licitum esse negarunt. quemadmodum & à uino, tanquam à re mala abstinuerunt: Theodoretus, Epiphanius. qui in capite de Encratitis aliquot eius abstinentiæ eorum ineptas causas exposuit: ut quòd Noe uino inebriatus, nudatus sit: & Loth ebrius, cum filiabus se commiscuerit, &c.

De Scriptura.

Tatiani secta sacra scriptura usa est, sed peruersa interpretatione: Pauli uerò epistolas carpsit, ideo fortassis, quia hæreticos, doctores uocat dæmoniorum, 1 Timoth. 4. Sic nec acta Apostolorum recepit. Eusebius libro quarto, capite uigesimooctauo, etiam hæc de libris Tatiani, ex autore nescio quo adducit: Conglutinationem quandã, inquit, faciens Euangeliorum, unum ex quatuor composuit, quod Diatessaron nominauit: idq; aliqui Euangelium secundum Hebræos uocarunt, ut Epiphanius ait. Dicunt autem quidam, eum ausum esse Apostoli uerba metaphrasticè transformare, & quasi phrasis illius ordinem corrigere. Reliquit autem post se magnam commentariorum multitudinem, &c. Ad hoc respexisse & Theodoretus uidetur, cum inquit: Composuit Euangelium quod dicitur per quatuor, amputatis genealogijs, et alijs quæcunque ostendunt Dominum natum esse ex Dauid secundum carnem. Eo autem usi sunt non ij solum qui sunt illius sectæ, sed ij etiã qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non cognoscentes: sed simplicius eo, tanquã libro compendioso, utentes. Porrò quibus in locis potissimum talia Tatianus sparserit, ex Epiphanio aliquo modo intelligi potest. Is enim significat, eum, antequam Romam commigrarit, scholas suas aperuisse in Mesopotamia: post mortem uerò Iustini, Roma digressum, ad orientis partes sese contulisse, ibiq; fabulas suas disseminasse. Frequentissimè tamen in Antiochia ad Daphnen sita docuisse, & in partibus Ciliciæ, ac Pisidia.

Qui aduersus Tatiani errores scripserint, eosq; confutarint.

¶ Irenæus lib. 3, cap. 39, contra id quod Adamum saluandum Tatianus negauit, sic scripsit: Mentiuntur omnes qui contradicunt eius saluti, semper seipsos excludentes à uita, eo quòd non credant inuentam ouem quæ pericrat. Si enim illa non est inuenta, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio. Mendax ergo is qui prior hanc sententiam, imò hanc ignorantiam & cæcitatem induxit, Tatianus. Item et quod in Adam omnes moriamur, opponit: Vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit gratia. Scribit Eusebius lib. 4. cap. 24, Musanum Encratitas eleganti libro confutasse. Quo in loco & hæc ex Irenæi lib. 1 recitat, quæ breuissimam præcipuarum opinionum Tatiani & Encratitarum confutationem continent: Vt nuptias damnarunt, quæ à Deo antiquitùs institutæ sunt, subtiliter accusantes illum qui ab initio masculum & fœminam ad restitutionem humani generis fecit. Sed & ab animalibus abstinendum prædicãt, ingrati existẽtes Deo, qui hæc humanis usibus procreauit. Grauissimè quoq; disputat contra hunc Tatiani errorem Clemens, in toto lib. 3. Strom. nos has rationes saltem adscribemus. Paulus (inquit) doctrinas nubere prohibentium, doctrinas uocat dæmoniorum. Item: Aliqui ex iustis uteribus, ex matrimonio continenti liberos susceperunt. Et Petrus quidẽ, & Philippus, filios procrearunt, etc. Nec Paulus ueritus est, suam appellare coniugem, &c. Item: Vt in summa dicam, omnes Epistolæ Pauli nusquam honestum moderatumq; matrimonium prohibuerunt, aut damnarunt.

De ijs qui à Tatiano descenderunt.

Præter Encratitas, qui se ita nominarunt, qui neq; uinum biberent, nec animatis uescerentur, etiam alios à Tatiano ortos Theodoretus scribit, qui dicti fuerint Hydroparastatæ: ideo quòd aquam pro uino ad communionem exhibuerint. De grege illo etiam Seueriani in partibus superioris Orientis fuerunt, à Seuero sic dicti. Hi per omnia cum Encratitis senserunt. nam & illi lege, prophetis & Euangelio usi sunt: sed propria quædam (ut Eusebius ex Irenæo ait, & Theodoretus) interpretatione scripturarum sensum euerterunt, obtrectantes Paulo, eiusq; epistolas refutantes. Narrat Augustinus, usum fuisse hunc Seuerum contubernio puellæ, quam diuinitùs inspiratam dixerit, & Philumenen (quanquam alij hoc Apelli tribuunt) uocarit, cuius diuinationibus & præsagijs solitus sit præmoneri. Quæ uerò ipsa sciscitari consueuisset, ex phantasmate pueri habitu ei sese ostẽdente, quod aliàs Christum esse se, aliàs Paulum diceret. Nonnulla quoq; illam miracula operari solitã, inter quæ illud præcipuũ, quòd in angustissimi oris ampullam uitream panem grandem immitteret, eumq; extremis digitulis leuare soleret illæsum, coq; solo quasi diuinitus cibo dato esse se diceret cõtentam. Idem et hoc de illis refert, quod à uino, perinde ut Encratitæ, abstinuerint: eo quòd fabulosa uanitate de Satana & terra uitem productam esse somniarint. quamuis hanc stultitiam D. Hieronymus Tatiano tribuat. Cibos præterea à Deo ordinatos contempserint, & coniugalem quemcunq; congressũ pro impuro damnarint. Addit Epiphanius, Seuerianos iudicasse, hominis partem dimidiã esse Dei, dimidiam uerò diaboli: eam scilicet quæ ab umbilico inferius protenditur. Theodoretus & Armonij meminit, quem Bardesanis fuisse filium ait, & Athenis in Græca lingua institutum: utriusq; uerò errores confutatos esse ab Ephrem quodam Syro.

DE HAERESIBVS SVB COMMODO.

HAERESIS CATAPHYGON, quæ etiam Montanistarum & Pepuzianorum dicta est.

INitium habuit hæresis Cataphrygum anno Marci Antonini Veri undecimo, Domini uerò 174, ut Eusebius annotauit. Hermannus Contractus idem dicit, nisi quòd adijcit, septimo Commodi, Christi uerò 189 eam hæresin conditam & adauctam esse. Vnde apparet, eam ualde uicinam fuisse Tatiani sectæ. Epiphanius scribit, Cataphrygas fuisse circa annum 19 Antonini Pij. Occasionem autem eiusmodi, & originem huius hæresis fuisse, Apollinaris hæresim, quēadmodum Euseb. lib. 5 cap. 16 indicat, in hunc modum scripsit: Vicus quidam esse dicitur apud Mysiam Phrygiæ ciuitatem, qui appellatur Ardebau, in quo aiunt Montanum quēdam nomine, qui nuper ad fidem Christi uenerat, sub Grato Asiæ proconsule, cupiditate nimia primatus accensum, contrarijs spiritibus in semetipso locum dedisse, ac in mentis obsessione & alienatione repentè quasi lymphatum constitutum, insanisse, & insolita contra traditionem & cōsuetudinem antiquæ successionis loqui cœpisse. Sicut aūt priores hæretici, mutuis etiā mulierū operis ad homines decipiēdos usi sunt (hinc enim Simonis Magi Helena, Carpocratis Marcellina, Apellis aut Seueri Philumena, &c. sic & Montanus, quo facilius utriusq; sexus simplices homines in errorem seduceret, socias sibi primum adiunxit insanas mulieres, Priscillam & Maximillam, quas prophetissas suas nominauit. Deinde & aliud sibi parauit satellitium, atq; in eandem quasi errorum suorū scenā cōduxit: nempe Theodotū, Alcibiadem, Themistona, Patroclum, Artemona & Alexandrum.

DE MONTANISTARUM doctrina.

Subtiles & astutas fuisse Montani fraudes, & quæ blāda specie quibusuis imponere facilè potuerint, inde liquet, quòd totam propemodū Scripturam susceperit: ac de Deo patre, filio et spiritu sancto, ut Epiphanius scribit, eadem docuit, quæ Ecclesia Christi. Eadem etiam de mundi creatione & resurrectione sensit, quæ Ecclesia catholica, quemadmodum indicat Philastrius & Theodoretus.

De Deo.

Nonnulli tamen eorum tres personas diuinitatis negarunt, eundē dicentes esse patrem, filium & spiritum sanctum. Autores sunt Theodoretus, Socrates historiæ ecclesiasticæ libro primo cap. 23, Hieronymus ad Marcellam. Testatur idem & Tertullianus in fine libri de Præscriptionibus aduersus hæreticos, Phrygas eos qui secundum Aeschinem dicti sunt, pronunciasse Christum Iesum esse filium & patrem.

De Christo.

Cum rectè aliàs de Deo Artemon sensisset, conditorem scilicet eum esse uniuersi, Christum tamen blasphemans, merum dixit esse hominem, ex uirgine natum, & uirtute prophetis esse præstantiorem. Quæ etiam Apostolos ita de Christo prædicasse dixit: ab ijs enim demum, qui eos secuti essent, diuinitatem Christo tributam, cum Deus antea non fuisset, asseuerauit. Testatur Theodoretus, Euseb. lib. 5. cap. 26, Nicephorus lib. 4 cap. 21. Crassius uerò eandem de Christo blasphemiam etiā Theodotus ille uel sutor uel coriarius extulit, Christum dicens communem esse hominem, ex semine uiri modo communi propagatum. Sic enim pronuncians, putauit se declinare posse infamiam, quam ipse sibi in abnegatione, in quadam persecutione pererat, ut per probrum obijcientibus, hominem se, non Deum negasse, respondere posset. Cuius dogmatis rationem & defensionem extruere conatum eum esse Epiphanius scribit, ex dictis scripturæ, quæ de Christo ut homine loquerentur: sed quæ partim mutilata, partim de industria corrupta produxerit. Eusebius, Nicephorus, ut suprà, Philastrius, Epiphanius.

De Spiritu sancto.

Paracletum se, & diuinE spiritum Montanus nominauit. Euseb. lib. 5 cap. 14. Nicephorus lib. 4. cap. 22. Philastrius hoc addit: Plenitudinem sancti spiritus non per Apostolos Christo dante fuisse concessā, Montanistæ dixerunt, sed per illos suos pseudoprophetas datam. Illis enim datum esse Spiritum sanctum, non Apostolis. Rationē, qua Deum plenitudinem per eos operari dicere sunt ausi Hieronymus scribit, eos hanc protulisse, quòd de se & Apostolis omnibus Paulus dixisset: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, item: Videmus per speculū in ænigmate. Tertullianus uerò in libro paulo antè memorato ait, Phrygas eos qui secundum Proclum nominati fuerint, communem eam habuisse blasphemiam, qua dixerint, in Apostolis quidem spiritum sanctum fuisse, paracletum non fuisse: & paracletum quidē in Montano plura dixisse, quàm Christum in Euangelio: nec plura tantum, sed etiam meliora atq; maiora.

De Baptismo.

Mortuos Cataphryges baptisant, inquit Philastrius.

De Pœnitentia.

Ad omne dictum Montanistæ fores obserarunt: hoc est, omnem pœnitentiæ uirtutem è medio sustulerunt. Hieronymus ad Marcellinam, & libro secundo aduersus Iouinianum.

De coniugio.

Legem Montanus de soluendis dirimendisq; matrimonijs tulit, inquit apud Eusebium Apollonius. Ex proprio fortasis seu furto, seu facto, quo abortiuos eius prophetas Priscillam & Maximillam à maritis suis abstraxit, dogma generale constituens, quòd mulieribus, religionis scilicet ergò, à uiris liceret discedere: sicut Pontificij docēt. Augustinus et hoc addit, quòd secundas nuptias Montanistæ pro fornicationibus habuerint: quæ à Paulo ideo fuissent permissæ, quòd imperfectus Paulus, ex parte scierit, & ex parte cognouerit, nondumq; tum uenisset quod perfectum est.

De scripturis.

Theodotus Coriarius autoritatem diuinitùs inspiratis literis abrogauit, easq; quas ipsemet recepit corrupit. Nicephorus libro quarto, cap. 21.

De prophetia.

Prophetas Montanus arreptitios fuisse, nec intellexisse quæ essent locuti, dixit: sibi uerò prophetiæ donum arrogauit, usus ad hoc impostoris & fascino mulierum

lierum Priscillæ & Maximillæ, quarum scripta propheticos libros appellauit, & maiori quidem in honore quàm sacrum Euangelium haberi iussit. Theodoretus, Nicephorus.

De Adiaphoris.

Idem & ieiuniorum leges, præter Ecclesiæ consuetudinem, quæ tunc liberè & sine superstitione ijs utebatur (ut Theodoretus ait) introduxit: quemadmodũ de eo Apollonius, Eusebio teste, scripsit. Pecuniarum etiam exactores constituit, et sub nomine oblationum artificiosè, ut impostor, munera captare didicit. Pepuzam uerò & Tymium, paruos in Phrygia uicos, Hierosolyma nominauit, ea fraude, ut ad illos omnes undique congregaret. In illis enim, ut Philastrius inquit, cum prophetis suis Priscilla & Maximilla, uitæ suæ tempus maiori ex parte transegit. Et cum contrario modo Ecclesiæ episcopos in sua secta tertio loco, ut Hieronymus ad Marcellam testatur, habuerit, patriarchas de Pepuza primo collocauit. Cæterùm de funestis Montanistarum ceremonijs, etiam hoc Philastrius, & ex eo (ut uidetur) Augustinus perdidit. De infantis, inquit, anniculi sanguine, quem de toto eius corpore, minutis punctionum uulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere prohibentur: mi scentes enim farinæ, panemq; inde facientes, quem ut sacrificium in pascha ad suos (quemadmodum Philastrius ait) ubiq; emittunt socios. Infans uerò, à quo sanguis expressus est, si mortuus fuerit, pro martyre: sin superuixerit, pro magico habetur sacerdote. Hæc Augustinus. Epiphanius uerò de Pepuzianis, quorum sectam eandem facit cum Phrygum hæresi, etiam hæc dicit: Episcopi apud ipsos sunt mulieres, & presbyteri mulieres, & alia, quæ nihil differre dicunt. In Christo enim Iesu neq; masculus, neq; fœmina. Artotyritas autem ipsos appellant, eo quòd in mysterio suis apponunt panem & caseum, & sic mysteria sua peragunt.

De martyrijs eorum.

Refert Eusebius libro quinto capite 16, Apollinarium de Cataphrygib. scripsisse, quòd martyres se habere multos gloriati: ad eamq; gloriam, ad sacram quasi anchoram, argumentis expugnati, confugere soliti sint: illudq; ipsum certum prophetici spiritus, qui apud ipsos sit, documentum esse dixerint. Atq; hæc quidem per Asiam & Phrygiam, ut Eusebius indicat, Phryges illi Montanici, insano spiritu delirarũt: quos & latissimè uagatos esse, & non leues in Ecclesia motus ac turbas concitasse, uel inde apparet, quòd frequentes his temporibus in Asia synodi celebratæ sunt, in quibus hæc nocentissima dogmata, unà cum ipsis autorib. & defensoribus, damnata & explosa sunt. Multos uerò in admirationem concessisse istius sectæ, eaq; correptos & infectos fuisse, etiam inde conijcere licet, quòd opinione prophetiæ & dono gratiæ plerosq; fascinauit & dementauit: sicut clarè Eusebius ait, Montanum quibusdam uisum esse spiritu sancto repletum, & prophetandi gratia donatum. Quam opinionem de se, eo potuit obtinere facilius, quòd in multis adhuc ecclesijs doni istius & uirtutis passim extabãt exẽpla.

Nunc ad cõfutationes accedimus, quas à multis magnis & doctissimis uiris aduersus hanc hæresin professas, Eusebius, Nicephorus, aliiq; multi testantur: ut ab Apollonio, Apollinari, Miltiade, Serapione, Cyrenio, Alcibiade, Caio, Aurelio, Publio, Zotico uel Zota (utrũq; enim apud Eusebiũ legitur) Otreno, Iuliano, & Victore, qui Theodotum, uariè de Christi mera humanitate disputantem, Romæ primùm confutauit, & ab Ecclesia reiecit. Idem etiam contra Artemonis hæresin decertauit, ut Nicephorus scribit lib. 4, cap. 20. Quæ uerò eius sectæ omnino falsa & absurda Apollinaris Hierapolites & Apollonius literis scriptis ostẽderint, & damnarint, Eusebius recitat. Vaticinium enim de bellis & rerum disturbationibus Maximillæ, falsum fuisse, ipsa experientia coarguit: quemadmodum ex eo Eusebius retulit. Plures, inquit, quàm trede cim anni ad hunc usq; diem, ex eo quo mortua est hæc mulier, elapsi sunt: & tamen interea nec particulare aliquod, nec uniuersale bellũ mundo hinc accidit, &c. Sic & ea quæ de hæreticis suis ipsi ostentarunt, refutasse eum, ibidem his uerbis scribit: In cunctis redarguti, argumentis destituuntur, & ad martyria confugere nitũtur, multos se martyres habere, atq; illud certum prophetici spiritus, qui apud illos sit, documentũ esse dicentes. Est autem hoc potissimum nõ ita uerum, sicut uidetur. nam & aliarum hæresium quædam plurimos habent martyres, quibus tamen non ideo consentimus, nec ueritatẽ ab illis haberi confitemur, &c. Hoc uerò de uultu & gestibus Montani prophetantis, quàm proximè ad mores insanientis accedẽtibus, Miltiadem ostendisse, atq; ex eo fraudem animaduertisse, idem refert cap. 17: Pseudopropheta, cui licentia et impunitas famulantur, in ecstasi ab imprudenti inscitia orditur, & in imprudentem animæ uesaniam desinit. Ad hunc aũt modum neq; ex ueteris neq; ex noui Testamenti prophetis aliquem Spiritu actum ostẽdere, nec de Agabo, nec de Iuda, nec de Sila, nec de Philippi filiab. nec de Ammia Philadelphiæ, nec de Quadrato, nec de alijs quibuslibet nihil ipsis commodantibus gloriari poterunt. Ac rursus paulo pòst dicit: Etenim si post Quadratum & Ammiam Philadelphiæ, sicut dicunt, mulieres istæ Montani in prophetico chrismate secutæ sunt, qui nam apud ipsos post Montanum & mulieres illius secuti sint ostendat. Sicut enim Apostolus dignũ putat, oportet in omni ecclesia ad ultimũ usq; aduentum propheticũ esse charisma. Verùm iam quatuordecim istis annis, post mortẽ Maximillæ, neminẽ ostendere poßunt. Ita quod de Prisca seu Priscilla uirgine Montanus impudenter affirmare nõ dubitauit, Apollonius mendacij & falsitatis manifestæ coarguit: sicut & hoc, quòd munera & pecunias Montanus ab hominibus extorsit, ostendimus (inquit) primas istas prophetissas, ab eo tempore quo spiritu impletæ fuerunt, maritos suos reliquisse. Quomodo itaq; mentiuntur, Priscillam uirginem uocantes? Et: An non tibi omnis scriptura prohibere uidetur, ne propheta munera accipiat, & pecuniam? Cum igitur prophetißam aurum, argentum & uestes preciosas accepisse uideo, quomodo illam non respuam? &c.

DE FLORINO ET BLASTO hęreticis.

Quantum ex Eusebij narratione cognoscere licet, apparet circa eadem hæc tempora Florinum & Blastum Valentini hæresin cõtinuasse. ad eã enim utrunq;

ab Ecclesia desciuisse, multosq; secũ abripuisse ac perdidisse, scribunt Eusebius & Theodoretus. Et fuisse quidem utrunq; in munere presbyterorũ Romæ, idem Theodoretus ait: quanquam Eusebius solum Florinum presbyterum fuisse, tandemq; ex eo ordine reiectum, tradit. Iam cuiusmodi genus doctrinæ uterq; professus sit, ex eo intelligi potest, quòd in Valentini pernicioſam hæresin declinarunt. Et ex capite decimono libri quinti Eusebij apparet, Florinum, antequã in errores Valentini deuolutus sit, sensisse, Deum esse autorem malorum. De Blasto uerò Tertullianus in fine libri de Præscriptionibus hæreticorum, hæc tradidit: Blastus latenter Iudaismum uult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Mosi, decimaquarta mensis. Nec diuinare satis possumus, utrum Epiphanius in capite de Quartodecimanis, quos post Montanistas & Pepuzianos proximo loco collocauit, ad hunc Blastum respexerit: cum hæresin eorum qui Iudæos imitati, pascha decimaquarta luna celebrandum esse contendebant, explicat: sed Blasti tamen mentionem nullam facit. Porrò uarias contra Florinũ & Blastũ, Irenæũ scripsisse epistolas, Eusebius idẽ prodidit. Atq; hæc quidẽ de his hæresibus à nobis dicta sufficiant: cum omnia eorũ deliria pertractare, nec utile, nec necessariũ uideatur.

Commune igitur studium omnibus hisce hæreticis fuit, ut doctrinam de Trinitate uel prorsus euerterent, uel corrumperent, uel obscurarent, & ueram Dei noticiam in omnium animis abolerent. Deinde, ut articulum de Christo labefactarent: & doctrinam tum de persona, tum de merito Christi, infinitis erroribus implicarent, ac penitus è medio auferrent. Iam ad conspurcandam doctrinam de libertate Christiana, hæreticorum licentia, flagitia & turpitudines directæ fuerunt: partim ut doctrinam Christianã suspicionibus inuoluerent, & inuisam omnibus redderent: partim, ut omnem fidem ac pœnitentiã prorsus delerent. deniq; diabolus huc omnia direxit, ut uniuersam utriusq; Testamenti scripturam, si abolere prorsus non posset, corruptelis tamen atq; omnis generis depraua tionibus repleret. Quin & hoc addamus: Satanicas fuisse impostura s omnes hæreses, uel hinc liquere, quòd mirabili modo inter seipsos hæretici uariarunt ac dissenserunt. Duos enim eandem hæresin profitentes, uix usquam reperias, in omnibus ubiq;, et per omnia consensisse. Facit huc, quòd de præcipuis pleriſq; hæresiũ autoribus legitur, auaros eos fuisse, et pecuniarum extorquendarum aucupijs deditos. Obiectionem eam uulgarẽ, quòd Scripturæ non sint uerę, cum ex ea tot oriantur hæreses, sic refutat Clemens libro septimo Stromatum: Hoc aduersus nos adducunt, dicentes non oportere credere propter dissensionem hæresium: retardatur enim ac differtur ueritas, dum alij alia dogmata constituũt. Ad quos dicimus, quòd et apud uos Iudæos, & apud eos qui inter Græcos fuere in maxima existimatione philosophos, fuere plurimæ hæreses: neq; tamen ideo dubitandum esse dicitis philosophari, aut se Iudaicæ tradere disciplinæ, propter eam quæ est inter se uestarum sectarum dissensionem. Præterea autem fore, ut in ueritate seminentur hæreses, ut in frumento zizania, propheticè dictum est à Domino: & fieri non potest, ut non fiat id quòd prædictum est esse futurum. Huius autem causa est, quòd quicquid est pulchrum, sequitur Momus. Num ergo, si quis pacta conuenta non obseruauerit, & transgressus fuerit eam quæ fit apud nos confessionem, propter eũ qui non stetit suæ professioni, abstinebimus nos quoq; à ueritate? Sed ut oportet uirum probum minimè esse mendacem, & nihil infirmare eorum quæ est pollicitus, etiamsi aliqui alij pacta conuenta transiliant: ita nos quoq; nullo modo conuenit trã silire regulam Ecclesiasticam, & maximè eam quæ fit de reb. maximis professionem, nos quidem obseruamus, illi uerò transiliunt. Est ergo credendum ijs, quæ firmiter adhærent fidei ueritati. Iam uerò nobis, ut largè utentibus hac defensione, licet ad eos dicere, quòd medici quoq;, quorum conuenienter suis sectis diuersæ sunt sententiæ, ex æquo reipsa curant. Num ergo quispiam ægrotans, & ut curetur opus habens, non admittit medicũ, propter eas quæ sunt in medicina hæreses? Neq; ergo qui anima ægrotat, & est plenus simulachris, pro sanitate & ad Deum conuersione prætexat unquam hæreses. Certè propter probatos, inquit, sunt hæreses: probatos autem dicit, uel eos qui uenientes ad fidem, maiori electione accedunt ad doctrinam Dominicã, tanquam probos argentarios, qui nummum domini adulterinum discernũt ex falsa impressione: aut eos, qui in ipsa fide iã probi euaserunt, & in uita & in cognitione. Propterea ergo maiori cura opus est, & prouidẽtia, ut examinetur quomodo sit exactè & perfectè uiuẽdum, & quænam sit uera pietas, & rectus Dei cultus. Clarum est enim, quòd cum ueritas sit ardua & difficilis, propterea certè fuerunt quæstiones, ex quibus quæ nimio sui amore laborant, & sunt ambitiosæ, & gloriæ cupidæ, sunt hæreses eorum qui non didicerunt quidem, neq; uerè acceperunt, sed sibi cognitionis sumpsere persuasionem. Est ergo nobis maiore studio & cura perscrutãda, ea quæ uerè est ueritas, quæ sola uersatur circa eum qui uerè est Deus. Laborem autem consequitur dulcis inuentio, & memoria. Est ergo labor inueniendi subeundus propter hæreses, sed non est omnino deficiendum. Neq; enim si appositus sit fructus, unus quidem uerus & maturus, alius uerò factus ex cera quàm maximè similis, propter similitudinem est abstinendum ab utroq;. Simul autem discernendum est, comprehendente contemplatione, & principali consideratione, uerum ab eo quod apparet. Et quomodo, si una quidem sit uia regia, & multæ etiam aliæ, ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, aliquæ uerò ad fluuium rapidè fluentem, aut ad mare profundum, non dubitauerit quispiam uiam ingredi propter dissensionem, sed utetur uia regia & trita, & seiuncta à periculo: Ita cum alij alia dicant, de ueritate non est discedendum, sed est exactius & diligentius inquirenda eius exactissima & accuratissima cognitio. Nam cum oleribus hortensibus unà etiam nascuntur herbæ: num ergo abstinent agricolæ à cultura hortorum? Cum ergo habeamus à natura, multa quæ nos incitant, & dant occasionem ad ea quæ dicuntur examinanda: debemus etiam ueritatis inuenire consequentiam. Quo circa meritò etiam condemnamur, non assentientes

ijs quibus oportet parêre, non discernêtes id quod repugnat, & indecorum, & præter naturam, & falsum, à uero & consentaneo, & decoro, & eo quod est secundum naturam: quibus quidem utendum est, ut quæ incitent & sint occasio agnoscendæ eius quæ uerè est ueritatis. Græcis ergo est inanis hic prætextus: uolentibus enim, licebit inuenire ueritatem. Hactenus Clemens.

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS ET ritibus.

SVperiori libro simplicium & uerarum ceremoniarum, quæ in nouo Testamento institutæ sunt, forma descripta est. In hoc uerò & sequentibus ostendendum nobis est, quomodo ceremoniæ illæ uel manserint, uel paulatim cœperint mutari & augeri, ac quibus in locis id magis aut minus sit factum. Id enim scire & obseruare, ad hoc prodest, ut inter ueram & hypocriticã ecclesiam iudiciũ certum fieri possit. Vera enim Ecclesia, ut doctrinã puram retinet, ita etiam simplicitatem ceremoniarũ seruat. nouit enim, humanis traditionib. frustra Deum coli, ijsq; sinceram religionem corrumpi. Hypocritica uerò, ut à doctrina pura discedit: ita ceremonias diuinitus institutas plerunq; mutat, auget, & traditiones suas coaceruat, singularem eis cultum attribuens, & conscientias illaqueans. Præterea Daniel, Christus, Paulus & Ioannes, de Antichristo in Ecclesia noui Testamẽti prædicũt, eiq; præter corruptionẽ ueræ doctrinæ, etiã hoc scelus attribuunt, quòd ceremonias à Deo institutas sit contaminaturus & corrupturus, traditionesq; suas cumulaturus. Et Paulus quidẽ ac Ioannes iam suo tempore mysterium iniquitatis agere testantur. & Apocal. 17 locus pingitur, ubi Antichristus regnaturus sit: nempe in ea urbe, quæ imperiũ mundi teneat. Ritus igitur plerosque superiori seculo ab Apostolis passim in ecclesijs usurpatos, etiã hoc seculo magna ex parte obseruatos esse, patet ex Egesippi testimonio, q. Eusebius lib. 4 cap. 22 refert, nimirum q. in singulis successionibus & ciuitatibus, ita se res Ecclesiæ habere deprehenderit, quemadmodum lex & prophetæ & Dominus prædicassent. Sed tamen quidam præter accuratam diligentiam, ut ueri simile est, rerum habenis potiti, simplicem & uulgarem cõsuetudinem posthabuerunt & mutarunt, ut Eusebius lib. 5 cap. 26 ex Irenæo refert. Etsi aũt in alijs quoq; ecclesijs aliquæ accesserũt ceremoniæ et traditiones, tamẽ nusquã plures q̃ in ecclesia Romana acceßisse reperiuntur, si uitæ, decreta & epistolæ Romanorũ episcoporũ legantur.

De ritibus circa Baptismum.

ETsi dolendum est, baptisandi formam, quæ usitata huic seculo fuit, non esse diligentius descriptã: tamen simplicem fuisse retentam, ex eo apparet, quòd in probatis autoribus nulla insignis reperitur uariatio aut mutatio annotata. In orientalibus quidem ecclesijs, maximè uerò Alexandrina, nihil immutatum esse, casus ille mirabilis super baptisatione Iudæi, quem Nicephorus recitat libro 3 cap. 37 ostendit. Cum enim Iudæus quispiam, eo tempore quo Romæ imperium Marcus Aurelius Antoninus tenuit, in arido fortè & deserto loco cum Christianis iter faceret, & Psalmos unà cum ijs caneret, euênit ut morbo repentino & graui Iudæus eo in itinere corriperetur, adeò ut de salute sua cùm ipse, tum hi quorum comes erat, desperarent. Multis igitur precibus sollicitat ille Christianos, ne se ita in extremis constitutum relinquerent, sed sacrum lauacrum sibi conferrent. Illi uerò cum hoc ei se facere posse negarent, quia & sacerdote & aqua destituerentur, sine quibus baptismus fieri non posset: magis Iudæus & impensius obsecrare, & adiuratione eos ne hoc sibi negarent adigere. ad quod illi, detractis homini uestibus, arena eum pro aqua terconspersere, addentes: Baptisare se cum in nomine patris & filij & spiritus sancti. Quam rem continuò miraculum consecutum est, ut nimirum is qui propter affectionem grauẽ & periculosam pedibus pridem insistere non posset, nunc restitutus, reliquum quod superesset itineris, firmus & ualidus cum illis cõficeret. Cum igitur ad locum suũ rediissent, episcopus Alexandriæ ab illis consultus, de sententia Ecclesiæ respondit: Baptisatum esse Iudæum, si modò aqua denuò perfunderetur. non mandauit, ut olei inunctio, aut alij apparatus & pompæ, quæ postea accesserunt, baptisato adhiberentur. Eiusmodi etiam simplicem baptismatis fõrmam Iustinus describit, qui nihil aliud ceremoniarum obseruatum olim in eo ritu tradit, q̃ quòd conuersus aliquis iubebatur primùm petere à Deo remißionem peccatorum, deinde in frequentia baptisabatur in eo loco ubi aqua erat. Baptisatus uerò, de corpore & sanguine Christi communicabat, participantibus unà reliquis qui adessent. Accedebant & preces, quas tum pro se quisque in eo cœtu, tum pro baptisato dicebat. Autoris uerba in Apologia secunda hæc sunt: Quotquot persuasi credunt hæc quæ docemus uera esse, & ad eum modum uiuere pollicentur: ante omnia discũt precibus & ieiunijs petere à Deo præteritorum peccatorum ueniam, nobis unà preces ieiuniaq; iungentibus: deinde ad aquã à nobis ducuntur, & renascuntur, modò renascendi quo & nos renati sumus. Nam in nomine patris omnium dominiq; Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, & spiritus sancti, in aqua tunc lauantur. Et paulo pòst: Inuocatur super cupientes renasci, & à peccatis resipiscentes, nomen Dei patris omnium, & Domini. Item: Inuocatur interim etiã Iesu Christi sub pontio Pilato crucifixi nomen, & spiritus sancti, qui prophetarum præconijs de Iesu prædixit omnia: atque ita hoc lauacro mersati lustrantur. Rursus aliquanto pòst: Nos uerò sic ablutũ & institutum, ad fratres, quos uocant, adducimus, ubi cœtus fiunt, ut tam pro nobis quàm pro recens nato precemur. Apparet aũt ex hac descriptione, de tempore baptismi nullã adhuc fuisse legem: sed tempus idoneum quodlibet tum iudicatum, cum qui ad fidem Christianam conuersus esset, sat rectè instructus esset. Sicut & ex Tertulliani descriptione uidere est, de qua suo loco. Neq; anni tempus certum & constitutum obseruatum legimus. Nihil hic etiam de exorcismo adhibito in baptisatione uides: etiamsi dono eijciendi dæmonia plurimum claruerint, qui Exorcistæ postea dicti sunt. Nihil præterea de oleo, de patrinis, de consignatione

septiformi, de tempore paschatis, de baptisterio cõsecrato narratur: nisi q; de inunctione per oleum & unguentũ, quædã autor Responsionũ apud Iustinum habet, qui ad eum morem in quæstione 137 alludit, quo baptisandi, antequam baptisarentur, perungebantur oleo ueteri, baptisati uerò consignabantur unguento. Quarum rerum cum neutram Iustinus ponat, uidetur omnino suspectus esse is liber Responsionũ. Si igitur Iustino fides tribuenda est, talis fuit baptisandi ratio Romæ, simplex nempe, & Apostolicæ traditioni respondẽs: sed suspecti testes, nouas atq; inusitatas eo seculo ceremonias habent. nam in epistola Clementis tertia, sic legitur: Si quis uult existere fidelis, & desiderat baptisari, exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actionibus hæres cœlestium bonorum ex proprijs gestis fiet. Accedat autem, qui uult, ad sacerdotem suum, atq; ab eo audiat mysteria regni cœlorum, ieiunijs frequentib. operam impendat, ac semetipsum in omnibus probet, ut tribus mensibus iam completis, in die festo posit baptisari. Baptisetur autẽ unusquisque in aquis perẽnibus, nomine trinæ beatitudinis inuocato super se, peruunctus primùm oleo per orationem sanctificato, ut ita demũ per hæc cõsecratus possit percipere locũ cum sanctis. Sed quod de inũctione per oleũ dicit, etiã Syluestro tribuitur, quẽ legimus circa concilium Niceni primùm instituisse, ut presbyter lineret chrismate leuatũ de aqua, propter occasionem transitus mortis. Hæc etiam in quarta epistola Clementis de Confirmatione dicuntur: Festinandum est renasci Deo sine mora, & demum consignari ab episcopo: id est, septiformem gratiã spiritus sancti percipere, quia incertus est uniusc uiusq; exitus uitæ. Cum autem regeneratus per aquam fuerit, & postmodum septiformis spiritus gratia ab episcopo confirmatus, quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos.

Higynus uerò, qui eodem tempore uixit, quo Iustinus illa scripsit, statuit, quòd in baptismo & confirmatione, unus & idem, si necessitas urgeat, fieri possit patrinus: licet Romana cõsuetudo habeat, ut per singulos singuli suscipiãt: hoc est, ut alius sit patrinus in catechismo, alius in baptismo, alius in confirmatione. Hoc decretũ Higyni retulit Gratianus. Alligauit & Victor, qui aliquãto post Iustinũ fuit, baptismũ ad tempus. iubet enim, extra casum necessitatis, tempore Paschatis, catholicũ baptisma celebrari: ut in eius Epist. 1. decretali uidere est. In casu tamen necessitatis liberũ relinquit, quemcunq; ex gente uenientẽ, siue in flumine, siue in mari, siue in stagno aut fonte baptisare, modò Christianæ credulitatis confessionem declararit. Refert postremò Vincentius ex Martyrologio lib. 10, cap. 106: Pium, qui coætaneus Iustino fuit, baptisteriũ in thermis Nouati cõsecrasse. Quæ omnia si uera sunt, quid certius est, quàm iam tum mysterium iniquitatis in Romana ecclesia egisse, in contaminanda simplici baptismi forma? Horum enim nihil de alijs ecclesijs legitur. Quod ad impositionem nominum attinet, iuxta appellationes Apostolorum, nihil de ea clarè in huius seculi historia indicatum est. Nisi hinc coniectu ram alicui facere liceat, nondum fuisse morem imponendi baptisatis Apostolica nomina, quia paucissimi huius seculi episcopi Apostoli cuiusq; nomẽ referant.

De ritibus circa administrationem Clauium.

QVid in Asiana ecclesia in recipiendis publicè lapsis obseruatum sit, Eusebius ex Clemente Alexãdrino recitat, de Ioanne apostolo, qui adolescentem prauo consortio corruptũ, & factum latronem, ad Ecclesiam reduxit: ubi assiduis precibus pro eo orarunt, ac continuis ieiunijs decertarunt, & mentem illius uarijs sermonibus demulserunt ac confirmarũt, atq; hoc modo Ecclesiæ restituerunt.

De Gallicanis ecclesijs Irenæus quoq; lib. 2 cap. 9, hoc exemplum recenset. Mulier quædam, inquit, forma præstans, diaconi cuiusdam in Asia, cum à Marco hæretico mente et corpore corrupta, diu cum esset secuta: postea magno labore à fratribus conuersa, omne tempus in exomologesi consummauit, plangens & lamentans. Ibidem & de Rhodanensibus mulieribus seductis scribens, ait, eas in publico exomologesin fecisse. Quæ omnia, etsi non satis explicatè & plenè dicuntur, tamen ad eiusmodi quandam formam & quasi processum respicere uidentur, ut lapsi primùm pro ratione delicti admoniti & obiurgati, deinde per publicam pœnitentiam confessi & recepti sint. Hac simplici forma non contenti Romani, auricularem confessionem & satisfactionem inuenerunt & instituerunt: si tamen epistolis quæ Clementi falsò tribuuntur, credendum est potius quàm Iustino, Irenæo & Clementi Alexandrino, qui ne uerbum quidem ea de re faciunt. Nam in prima epistola Clementis, primo tomo Conciliorum, sic habetur: Quòd si fortè alicuius cor uel liuor, uel infidelitas, uel aliquod malum ex his quæ superius memorauimus, latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hoc huic qui præest, ut ab ipso per uerbum Dei & consilium salubre curetur, quo posit integra fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ uitæ præmia peruenire. Item in eadem epistola: Petrus instruebat actus uitæ suæ omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere, firmiter cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum illidere, & sacerdotibus Domini manifestare. Postea Pius pontifex pœnitentibus aliquot dies satisfactionis loco statuit, ut ex decreto eius apparet. Et enim qui per negligentiam aliquid in terram de sanguine Christi distillare fuit, mandatur pœnitere quadraginta dies: qui super altare stillare fuit, pœnitere iubetur tribus diebus: qui super linteum altaris, quatuor, &c. Recitatur decretum ex Gratiano, in primo tomo Conciliorũ. Instituit & Alexander papa, ne presbyter abincestuosis accipiat munus, ut eorum scelera reticeat, aut minus dignè pœnitentẽ ad reconciliationẽ adducat, eiq; testimoniũ reconciliationis ferat. Erat hic aliquid dicendũ de ritu excõmunicationis, cuius mentio nulla fit. Vnde colligi potest, obseruatam esse consuetudinem receptam, ut indicarentur, qui cõtumacius peccassent, Ecclesiæ, & cõmunione priuarẽtur. Sed de his infrà dicetur. Nec dubiũ est, fuisse aliquã cõsuetudinem publicè pœnitentiam agendi: cuius nos & uox ipsa Exomologesis, et phrasis in publico seu manifesto exomologesin facere, qua Irenæus utitur, admonet.

De

De ritibus circa Cœnam Dominicam.

PRimùm longè certißimũ eſt, Cœnã Domini hoc tempore nec Miſſam, nec ſacrificiũ dictã fuiſſe, ſed Euchariſtiã. Quemadmodũ nec offerebatur Chriſtus Deo in cœnæ celebratione, ſed eius corpus & ſanguis diſtribuebatur, ſicut infrà dicemus. Quod aũt in epiſtolis Ignatij, ut hodie latinè extãt, utrunq; legitur, & ſacrificium immolare, & miſſas facere, partim eſt ſuſpectũ, partim nõ rectè ex Græco uerſum. Iuſtinus, Irenæus, Clemẽs, et alij huius ſeculi ſcriptores, appellatione Euchariſtiæ utuntur. Sic enim Iuſtinus in dialogo cum Tryphone: Oblatio ſimilæ, &c. figuratè ſignificabat panem Euchariſtiæ, quẽ in memoriã paßionis ſuæ, purgãtis ab omni peccato animas hominũ, Ieſus Chriſtus Dominus noſter tradidit poſteris: ut interim gratias agamus Deo, tum pro mũdo propter hominẽ creato, cum cæteris quæ eo cõtinentur, tum pro redẽptione qua liberati ſumus à peccatis, &c. Et Irenæus lib. 5: Quãdo mixtus calix & fractus panis percipit uerbũ Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, etc. Quod aũt Irenæus idẽ etiã oblationẽ, Euchariſtiã frequenter appellat: nec hoc, ſi rectè intelligas, incõmodi quicq̃ habet. Quanq̃ & hoc uerum eſt, eum ſæpe in dicendo negligentẽ eſſe, & improprium. Attamen quid oblationẽ uocet, ipſe ſe declarat: nimirum celebrationem cœnæ Domini, in qua dicebantur preces & gratiarum actiones. Sic enim ait lib. 4, cap. 34. Offerimus ei nõ quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi eius. Item: Nos quoq; offerre uult munus ad altare, frequenter, ſine intermißione. Eſt autem altare in cœlis, illuc enim preces noſtræ & oblationes diriguntur. Fortaßis etiã oblationis uocabulum tunc uſitatũ fuit uulgo, eo q; panes ad uſum cœnæ affatim offerebãtur, unde et miniſtri uictũ habebãt, & pauperes alebãtur.

Nunc de ritu dicemus, quẽ nudum omnino & ſimpliciſſimũ adhuc fuiſſe, ex ijs quæ dicemus intelligi poterit. In Alexãdrina eccleſia Clemens, Pædagogi lib. 2 cap. 2 innuit, ipſos ſolitos eſſe calicem diluere, & in primo libro Strom. Etiam Euchariſtiam, inquit, cum quidã, ut mos eſt, diuiſerint, permittunt unicuiq; ex populo eius partẽ ſumere. De Gallicana eccleſia Irenæus etiã affirmat, calicem ſolitum eße miſceri, & panem frangi, ſicut inquit: Quando mixtus calix & fractus panis percipit uerbum Dei, fit Euchariſtia, &c.

Ritum aũt circa Euchariſtiã obſeruatum in Romana eccleſia, ſic deſcribit Iuſtinus: Nos ſic ablutum & inſtitutum, ad fratres, quos uocant, adducimus. ubi cœtus ſiunt, ut tam pro nobis q̃ pro recẽs illustrato precemur, quo inueniamur per uerã doctrinã & bona opera digni obſeruatores mandatorum, cuſtodeſq;, & ut æternã ſalutem aßequamur. Poſt precationẽ, nos ſalutamus oſculo mutuo. deinde affertur præcipuo fratri panis, & calix aqua dilutus: quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem patri omnium refert, per nomen filij, ſanctiq; ſpiritus, atq; ita Euchariſtiã aliquandiu celebrat. Poſt preces & Euchariſtiã, totus cœtus accinit Amen: ea uox Hebraica lingua ſignificat idem quod Fiat. Abſoluta gratiarum actione præſulis, & ominatione totius plebis, diaconi, quos uocamus, dant ſingulis præſentib. partẽ panis & calicis diluti, ſuper quæ facta eſt gratiarum actio, atq; etiã deferre ſinunt abſentibus. Hoc aũt alimentum apud nos uocatur Euchariſtia: ad quod nemo admittitur, niſi qui credit uera eſſe noſtram doctrinã, etc. Item ibidẽ paulo pòſt: Die ſolis urbanorũ & ruſticorũ cœtus fiunt, ubi Apoſtolorum Prophetarumq; literæ, quoad fieri poteſt, prælegũtur: deinde ceſſante lectore, præpoſitus uerba facit adhortatoria, ad imitationẽ tam honeſtarũ rerũ inuitans. Poſt hæc cõſurgimus omnes, et precamur. Poſtea profertur, ut diximus, panis, uinum & aqua. tum præpoſitus, quantum poteſt, precatur, & gratias agit: plebs uerò Amen accinit. Inde conſecrata diſtribuũtur ſingulis, et abſentib. mittuntur per diaconos. Hactenus Iuſtinus. Sic & ad fratres hoſpites in doctrina cõſentientes miſſam eſſe Euchariſtiã à presbyteris Romanis, ex Irenæo Euſebius refert, lib. 5, cap. 26. qui & ad ægrotantes miſſam Euchariſtiã, Serapionis cuiuſdam exemplo probat: quod ſuo tempore & loco cõmemorabimus. Nihil aũt de applicatione miſſæ pro uiuis & mortuis, nihil deniq; de impia illa mutilatione Euchariſtiæ, dici aut cõſtitui hic uideas. Si itaq; Iuſtinus audiendus eſt, ad eum modũ in Romana eccleſia Euchariſtia eſt adminiſtrata: ſed epiſtolæ quæ falſo eius epiſcopis adſcribuntur, plures ritus omnib. alijs eccleſijs & ſcriptorib. in hoc ſeculo ignotos recenſent. Qui igitur iſtis nugis delectatur, audiat Anacletũ de cœnæ Dominicæ adminiſtratione ſic loquẽtem epiſt. 1, in primo tomo Conciliorũ: Ipſi aũt quando Domino ſacrificãt, nõ ſoli hoc agere debent, ſed teſtes ſecum adhibeãt, ut Domino perfectè in ſacratis Deo ſacrificare locis probentur. Ait namq; autoritas legis diuinæ, Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco, &c. Epiſcopus igitur ſacrificãs teſtes ſecũ habeat, et plures q̃ alios ſacerdos, &c. In ſolenniorib. quippe dieb. aut ſeptẽ, aut quinq;, aut tres diaconos, qui eius oculi dicũtur, & ſubdiaconos atq; reliquos miniſtros ſecũ habeat: q ſacris induti ueſtimẽtis, in frõte & à tergo, & presbyteri eregionè dextra læuaq; contrito corde & humiliato ſpiritu, ac primo ſtent uultu, cuſtodiẽtes cum à maleuolis hominibus, & conſenſum eius præbeant ſacrificio. Peracta autem conſecratione, omnes communicent, qui noluerit Eccleſiaſticis carere luminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet eccleſia.

Et Euariſtum, ſeu (ut Gratianus uult) Higynum, ordinantem, ut baſilicæ miſſa conſecrarentur, ſicut eius habet decretum: in quem certè uſum nulla eccleſia miſſas applicaße legitur.

Credat item, Alexandrũ precationib. ſacerdotum, quando miſſæ celebrãtur, admiſcuiße paßionẽ Domini. Quia uerò ſub Hadriano, æquè atq; Iuſtinus, hic Alexãder uixit: mirũ ualde eſt, quod eius decreti Iuſtinus in deſcriptione ritus cœnæ Domini, mentionẽ nullam facit. Quin & hoc credat, eundẽ Alexandrũ tum primùm aquã & uinũ eße miſcẽda docuiße, ex hac ratione, quòd ex latere Chriſti ſanguis & aqua effluxerit. Referuntur hæc in 1 epiſt. decretali Alexandri.

Perſuadeat etiam ſibi, Teleſphorum inſtituiſſe, ut in natali Domini noctu tres miſſæ celebrarentur: cum omni alio tempore, ante horæ tertiæ curſum, nemini miſſam celebrare liceret, quia ea hora Dominus in crucem ſublatus eſſet. Item, ut ante ſacrificium hymnus diceretur Angelicus: Gloria in excelſis Deo.

Referun-

Referuntur ex Damaso, in primo tomo Conciliorum.

Audiat & hoc quidem Pium pontificẽ Iustino coætaneum constituisse, ut gutta quæ in terram fortè ceciderisset, lingua relamberetur: tabula uerò in quam decidisset, raderetur. Si uerò tabula nõ esset, ut locus corroderetur, & igne cõsumeretur, cinere intra altare recondito. Habentur enim hæc in decretis Pij: Si super altare calix stillauerit, sorbeat minister stillã, &c. Idẽq; linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus uicibus abluat, calice superpositio, & aqua ablutionis sumatur, et iuxta altare recondatur. Item quòd ordinarit, ut ijs qui non essent parati communicare, de panibus, quos ad Ecclesiã fideles deferebant, eulogia daretur. ibidem.

Approbet & hanc Soteris constitutionem, qua sanxit, ut nullus post cibum potum'uc, siue quodlibet minimũ sumptũ, missas faceret: nullusq; absq; patẽtis molestiæ obuẽtu, minister uel sacerdos imperfecta officia relinqueret. Itẽ, Ne presbyter missam canere auderet, sine duob. secũ præsentibus. Quia enim pluraliter Dñs uobiscũ, itẽ Orate pro me, sacerdos diceret: aptißimè cõuenire, ut & ipsius respõderetur salutationi. Vbi et idẽ Soter præcipit, ut omnes eadẽ die fideles cõmunicẽt, exceptis ijs quib. ob grauia crimina interdictũ sit.

Credat denique, Sixtum constituisse, ut sacerdote Missæ actionem incipiente, populus hymnum decantaret, Sanctus sanctus Deus Zebaotb.

Ex his igitur, si uera sunt, uides bone lector, iniquitatis mysteriũ ad simplicẽ Euchariſtiæ ritũ et statũ, quale ex autorib. probatis suprà descripsimus, multas ceremonias cumulasse: attamẽ alterã partẽ, ut & suprà ostendimus, laicis eripere nondum fuisse ausum.

De publicis congressibus.

FVisse publicos Christianorũ, & honestos ac pios conuentus, historiæ tum horũ tũ aliorũ temporũ testãtur: sed quãdo et q̃ crebrò cõuenire soliti sint, nõ ita clarè exprimitur. Plinij epist. ad Traianũ, quã suo loco suprà adduximus, matutinorũ cõuentuum meminit. Ex Iustini uerò descriptione aliquo modo intelligi potest, duo fuisse illis præcipua in publicũ cõueniendi tempora. Primum, in baptisatione alicuius, q̃ ab Ethnicis ad Christianã fidẽ nuper cõuersus erat: tũc enim, sicut ex ea descriptione clarè liquet, conuenire soliti sunt. Deinde, dieb. Dominicis: quos festiuos fuisse etiã Dionysius Corinthius meminit apud Euseb. lib. 4, cap. 23. Cuius rationẽ Iustinus hanc subiungit, q̃ die Solis Deus mundum fecerit, eodẽq; die Christus resurrexerit, ac cõspiciendum se Apostolis præbuerit. Sicut aũt de tẽpore cõgressuũ nõ satis certa haberi possint: ita de locis, in quos cõuenerint, longè incertiora. Quæ enim in decretis & cõstitutionib. pontificum priorum, ut Pij, Higyni, Sixti, &c. de tẽplorum cõsecrationib. et ornatibus ac uasis sacris dicuntur, probari nõ possũt. Neq; enim aut facultates alere, aut tẽplis & ædificijs publicis cõstruendis operã dare tum sinebãt continuæ in omnib. locis persecutiones: sicut alibi de hac re prolixius dicemus. Nec templi alicuius Iustinus meminit, sed simpliciter ait: baptisatum adductum esse ad fratres. Deniq; nec temporib. certis, nec locis, Christianorum cultus alligati fuerunt. sed tempus indixisse uidetur necessitas, aut consuetudo, quia de die Dominico Iustinus dixit: locum uerò monstrasse commoditas.

De actionib. Christianorum, Plinius, ut diximus, solitos stato die conuenire Christianos, sub Traiano scripsit, ante lucem, carmenq; Christo quasi Deo cõmuni uoce dicere: postea se sacramẽto obstringere, nõ in scelus aliquod, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria cõmitterẽt, ne fidẽ fallerẽt, ne depositũ appellati abnegarẽt. qb. peractis, morẽ illis fuisse ait, cõuentũ soluere.

Iustinus uerò prolixiores, sed tamẽ simpliciſsimas actiones recitat. Ait, in cõgresib. illis publicis urbano rum ac rusticorũ, primùm lecta esse Prophetarum & Apostolorũ scripta: deinde surrexisse eum qui fratrib. & cœtui præpositus diceretur, orationẽq; habuisse paræneticã, inuitãtẽ & hortantẽ ad imitationẽ eorũ quæ prælecta essẽt. Postea cœtũ omnẽ cõsurrexisse in preces: quib. finitis, de Eucharistia, ad quã preces prius et gratiarũ actiones à præfecto dictæ essent, singulis partem datam. Postremò cõtulisse, quicunq; uoluissent, in subsidiũ pauperum, pupillorum & ægrotantium, &c.

Refert Euseb. lib. 4, cap. 23, ex Dionysio Corinthio, etiam aliorum episcoporum, non Apostolorum tantum. scripta in ecclesijs publicè lecta esse, ac præcipuè epistolã Clementis ad Corinthios. Sic enim ad Romanos Dionysiũ scripsisse Eusebius testatur: Sanctã hodie Dominicam diem peregimus, in qua uestrã legimus epistolam, quam semper admonitionis gratia legemus, sicut & priorem nobis per Clementẽ scriptã.

Eusebius lib. 5, cap. 28: & Nicephorus lib. 4, cap. 21, contra calumniam Theodoti, etiam Psalmorũ & cantionum iam inde à fidelibus cõpositorum, Christum celebrantium, deitatemq; tribuentiũ, meminit. quemadmodum & Clemens Pædagog. lib. 2, cap. 4. psalmodiæ, quam & ante ac post cibum sumptum usitatã fuisse, admonere uidetur ibidem, & libro Strom. ultimo. Autor responsionum ad orthodoxos, quæ Iustino adiectæ sunt, in responsione ad quæstionem centesimam septimam, significat, in Ecclesia sublatam suo tempore fuisse consuetudinem canendi per instrumenta inanima, & retentas simplices cantiones, ideo quòd cantilenæ ad crepitacula & organa magis decere uiderentur pueros q̃ Ecclesiam. Sed quòd de hymnis, responsorijs seu antiphonis, per uisionem angelorum Ignatio indicatis, dicitur, fide caret: etiãsi id Socrates, historiæ ecclesiasticæ scriptor, narret. Nec enim uidetur tanti eam rem momẽti esse, ut propter eam necesse fuerit è cœlo angelos descendere, & præcinentes apparere: maximè cum psalmis & hymnis ecclesia tum nõ caruerit. Porrò quib. partib. canon Missæ ab unoquoq; pontificum Romanorũ (quib. tamen parum adhibendũ fidei est) auctus subinde sit, suo loco ostẽdemus. Illud ad postremũ adijciendũ uidetur, quòd uetusta quædam, partim impressa, partim manuscripta Chronica admonent: sub Hadriano, anno scilicet imperij eius xx, seu (ut Chronica quædam manuscripta habent) xii, sacra in ecclesia orientali, quæ prius Ebraicè celebrata erant, celebrari cœpisse lingua Græca. Quod quia probatis autoribus caret, non usq; adeò certum est: sed uerisimile tamen, si de ecclesia Hierosolymatana sola intelligatur, ubi pulsis Iudæis per Hadrianum, gentes eam habitare cœperunt. Sed quod ad alias ecclesias attinet, certum est, apostolos in nota lingua ceremonias ubiq; celebrari statuisse.

Affirmat

Affirmat Damasus in uita Euaristi, instituisse eum, ut septem Diaconi episcopum concionantem custodirent, propter stylum ueritatis: id est, quasi ueræ doctrinæ testes. primo tomo Conciliorũ. Deinde ex decreto Clementis apparet, in templo distincta fuisse loca, ubi presbyteri et sancti steterint. uetat enim, laicos presbyteriũ ingredi, dum sacerdotes missas celebrãt. primo tomo Conciliorum. Est & hymnus, Sanctus sanctus, &c. quem paulo antè à Sixto institutũ diximus, inter celebrationẽ Missæ decantatus. Ante eum uerò hymnum, cantio angelica, Gloria in excelsis Deo: quod instituit Telesphorus, & alia quædam, quæ modò retulimus, ut Dominus uobiscũ, Orate pro me. in tomo primo Cõciliorum. Sed hæc, Rom. episcopos ceremoniarum fabricatores præ alijs fuisse, manifestè coarguunt.

De ritu orandi.

PReces ueterũ Christianorũ uidentur fuisse duplices: aliæ quidẽ publicæ, aliæ priuatæ. De publicis, Iustini descriptio habet in Apol. 2: Post hæc, inquit, cõsurgimus omnes, & precamur. Historia de legione Christiana in expeditione Marci Antonini, quæ exercitui in ardentißima siti, pluuiã precib. à Deo, teste Tertulliano, impetrauit: indicat, orantes genib. incuruatis prouoluisse se in terram. eumq; orandi seu statum seu ritum antiquißimum & communißimum fuisse omnibus seculis apparet. Clemens etiam in ultimo Stromatum significat, orantes solitos abijcere se in terram. Simul & de alio quodam precandi gestu, publico an priuato incertũ est, sic inquit: Caput & manus in cœlum extendimus, & pedes excitamus in ultima acclamatione orationis, alacritate spiritus, &c.

Antiquus & hic mos est, orare facie cõuersa ad Orientẽ, quemadmodũ Respõsator ad quæstiones orthodoxorũ apud Iustinũ inquit: Tẽpore precũ spectamus omnes ad Orientẽ, tanq; mundi partem honoratiorẽ, & ad orationem Dei destinatã. Eumq; ritum ecclesiã accepisse indicat ab Apostolis, quemadmodũ & orãdi morem. Meminit Orientis etiã Clemens in eo loco ubi multa de oratione disserit, & ait: imaginẽ eum esse diei natalis. Reliqua uerò quæ ibi plurima pertexit, de priuatis orationib. monere uidetur, ut omnem locum & tempus sacrũ esse: quouis igitur loco & tẽpore orandũ esse, & semper quidẽ, quicquid etiã agas, nõ solum mane & in meridie ac circa uesperã, cum itur cubitũ (ijs enim uicib. orare usitatũ fuisse ostendit) item ante et post cibũ. sic enim inquit: Vniuersa eius qui cognitione præditus est, uita est quidẽ celebris ac sanctus dies festus, atq; ei quidẽ sacrificia sunt ipsæ preces ac laudes, & quæ ante cibũ sunt scripturarũ lectiones. Psalmi aũt & hymni, dum cibus sumitur, & antequã eatur cubitum. quin etiã noctu rursus orationes. Item, is qui est cognitione præditus, per totã orat uitã, etiamsi nõnulli certas & definitas horas orationi constituãt: tertiã scilicet, sextam & nonã, applicantes eas ad mysterium & uenerationẽ Trinitatis. Reprehendit ibidem & uerbosam orationem: & orationem uocat quemcunq; etiam lenem animi motũ & susurrũ, qui intus fit sine clara uoce. Epistola Smyrnensiũ, quam Euseb. recitat lib. 4, cap. 15, indicat hunc morem Polycarpo perpetuum fuisse, totas dies & noctes precibus immorari, & pro pace omnium per orbem terræ ecclesiarum, Deum suppliciter inuocare. Iustinus in Apologia ad Antoninum, etiam Eucharisticas fuisse Christianis preces admonet: Gratitudinem, inquit, illi approbamus uerbis, hymnisq;, quòd nati simus, quòd ualetudini consultum sit, quòd species rerum conseruentur, quòd uices annuæ bene succedant, quòd immortalitatem sperare ac impetrare liceat.

De ordinatione.

QVanquam, quæ fuerit ratio uocandi & ordinandi ecclesiæ ministros, sciri exactè non potest, ideo quia probata testimonia ea de re in historia huius seculi ferè nulla habentur: tamen certo ordine & ritib. præfici solitos ecclesijs doctores & gubernatores, uel historia de Ioanne apostolo testatur: quem narrat Euseb. lib. 3, cap. 23, reuersum ab exilio, rogatũ esse à fratrib. ut uicinas perlustraret prouincias, ibiq; ecclesias cõstitueret, cõstitutas uerò episcopis & ministris instrueret. De ritu obseruato in electione, præsertim pluriũ, apud Eusebiũ uocabulũ κλῆρος & κληρώσεως admonet: q, scilicet usitatũ fuerit, per sortẽ ministros ecclesiæ deligere. Vnde & clerici, qui in ministeriũ lecti essent, dicebantur. De ordinationib. porrò Romanorũ pontificum in libris Decretorũ, ac præcipuè epistolis ipsorum, multa narrantur: adeò ut semper in Decembri dicatur de certi numeri ordinationibus in eo celebratis, & non in alio mense. Ac mentio fit graduum & dignitatum, quas in alijs historijs huius ætatis nondum leges: ut Metropolitani, episcopi prouincialis, patriarchæ, primatis, suffraganei, &c. Sed hæ & similes de Romanis episcopis narrationes, omni fide carent: ut suo loco demonstrabitur.

De festis Christianorum, ac primùm de Paschate.

HAe fisse diu in Christianismo obseruatiões quasdã ex ueteri Testamẽto petitas, legentib. historias huius seculi animaduertere facile est: & uel unum exemplũ de celebratione Paschatis, in plurib. locis ad Iudaicũ ritum & cõsuetudinẽ accõmodata. siue q, nati & educati quidã in Iudaismo, libertatẽ Christianam nõ intellexerũt: siue q, abrogationes repentinas omniũ rituum Iudaicorũ, magni & præstãtes in Ecclesia uiri sine perturbatione infirmorũ nõ poße fieri existimarũt. Cuius sentẽtiæ etiam Augustinũ fuisse apparet, qui dictũ hoc celebrat & laudat: Oportuisse synagogã cũ honore sepeliri. Certè diuersitas in obseruatione paschatis, testimonij satis est, q, fuerint tenaces ueterũ & Iudaicorũ rituũ, multi pij & laudatißimi uiri. Manfit enim ea diuersitas ab Apostolorũ tẽpore, usq; ad uictorẽ Romanũ episcopũ, atq; etiã diu post. Nõ enim legitur, quo tẽpore in ecclesijs orientalib. prorsus abrogata fuerit cõsuetudo celebrandi pascha more Iudaico, quocũq; scilicet Martij die 14 luna incidisset: nisi quòd post acre & pertinax Victoris & ecclesiarum orientalium dißidium decretum est, ne quis eam controuersiam unquã resuscitaret. Nicephorus lib. 4, cap. 39. Cũ contrà Galli diem unũ anniuersariũ, qui fuit 8 Calend. Aprilium, obseruarẽt, in quo pascha celebrarẽt, dicentes, ut Theophilus indicat: Quid nobis necesse est ad lunæ cõputum cũ Iudæis pascha facere? Quin sicut Domini natalẽ, quocunq; die 8 Calendarũ Ianuarij uenerit, ita & 8 Calend. Aprilis, quãdo resurrectio accidit,

Christi

Christi debemus pascha celebrare? In Romana uerò ecclesia pascha, quemadmodum Irenæus testatur, die Dominico post decimamquartam lunæ celebrarunt: idq; Pium pontificem primùm instituisse, ex Hermetis uisione quidam prodiderunt. Sed cum fortassis decretum illud ab omnibus ecclesiis pariter non obseruaretur, Victor secutus, non sine magnis motibus & dissidijs idem repetijt: & Asiaticas ecclesias, sicut prolixè Eusebius recitat, nolentes eam cõsuetudinẽ suscipere, simul omnes excõmunicauit. Hic iam illud obseruandũ est, Apostolos, & apostolicos uiros, neq; de paschate, neq; de alijs quibuscunq; festiuitatibus legem aliquã constituisse, sed libertatem saluam & integram omnibus reliquisse: quemadmodum Socrates historiæ Ecclesiasticæ libro quinto, capite uigesimosecundo, de diuersa paschatis, aliorumq; rituum obseruatione prolixissimè disputans, clarè inquit: Nemo Apostolorum quicquam de illo (paschatis scilicet festo) sanciuit. Et paulo antè: Nusquam Apostolus, nec ipsa Euangelia, iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: Sed paschatis festum, & alios dies festos, ipsi homines suis quique locis propter remissionem laborum, & memoriam salutiferæ passionis, sicuti uoluerunt, ex consuetudine celebrarunt. Neque Seruator hoc, aut Apostoli, nobis lege aliqua obseruandum esse mandarunt, &c. Contra quã tamen libertatem satis duriter Ignatius in epistola ad Philadelphianos inquit: Quicunq; cum Iudæis pascha egerit, aut solennia dierũ festorum eorum susceperit, comparticipabit eis qui Dominum & Apostolos eius occiderũt. Vbi & aliorum quorundam rituum, non sine suspicione falsationis, meminit: Dies festos, inquit, nolite inhonorare: Quadragesimam uerò nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conuersationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere. De paschate hactenus, quod festum solũ in historijs memoratissimũ est: nam de alijs paucissima leguntur. Quo magis mirandum est, qua audacia Polydorus plerosq; dies, qui postea festiui habiti sunt, ab Apostolis institutos & ordinatos esse, dicat: ut aduentum Domini, natalem & circumcisionem eiusdem, Epiphania, purificationem Mariæ, dies Quadragesimales, dominicam Palmarum, diem cœnæ Domini, parasceuen, pascha, ascensionem Christi, & pentecosten: de quorum festorum nullo, excepto Paschate, expressi ferè quicquam legitur. Diem natalis Domini octauo calendas Ianuarij celebratum esse, suprà ex Epistola paschali Theophili indicauimus. De die uerò Dominico diximus in loco de publicis congressibus, ex testimonijs Ignatij & Iustini. Legitur quidem & de alijs festis, sed non alibi quàm in historia Romanæ ecclesiæ: ut de festo Epiphaniæ, de Dominica in albis, de natalitijs Apostolorum, in quibus sint consecrandæ uirgines, in historia & decretis Pij pontificis. Sed ex Eusebij libro quarto, capite 15, non obscurè apparet, Christianos iam sub Antoninis consueuisse celebrare memorias sanctorum, qui martyrium fecissent, agere annuos & solennes conuentus ad eorum sepulchra, nõ superstitione aut cultu quodam. Sic enim ibi Christiani, qui Polycarpi ossa cõdunt, dicunt: Nos tantum ossa illius nacti condidimus, ubi id fieri decebat: ubi etiam, quoad fieri potest, congregatis cum exultatione & gaudio, Dominus, natalem martyris sui diem, cum ad memoriam eorum qui antea certarunt, & futurorum exercitationem ac præparationem celebrare largietur.

De dedicationibus templorum.

DE his, in alijs ecclesijs nihil legitur: & ueristimile est, ante Constantinum eos ritus in usu non fuisse, nisi quòd in historia Romanæ Ecclesiæ primis tribuuntur pontificibus. Nos hos testes non possumus non habere suspectos, certis argumentis suo loco declarabimus. In altera enim Clementis epistola ad Iacobum, ita clarè scribitur: Ecclesias facite per congrua loca, quæ diuinis precibus sacrare oportet, & in singulis sacerdotes diuinis orationibus dicatos poni. Ita & Euaristus statuisse dicitur, basilicas consecrare per Missam: altaria uerò unctione Chrismatis, & sacerdotali benedictione: altaria uerò quæ nõ essent constructa ex lapidibus, ad usum celebrandi officia diuina consecrari noluit. Secutus Higynus decretum idem tulit, & hæc auctaria adiecit: Si motum fuerit altare, Ecclesia denuò consecretur. Item: Si parietes tantum mutantur, & non altare, salibus tantum exorcizetur. Si homicidio uel adulterio ecclesia uiolata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denuò consecretur.

De Ieiunijs.

ORiginem habuisse, atq; in Ecclesia diu durasse inde ab obseruationibus Iudaicis, perinde ut alia multa, etiam ieiunia certũ est, quæ in plurimis ecclesijs non minori solennitate & religione quàm Pascha ipsum obseruata sunt. Et quidem initium fuerunt, & quædã quasi parasceue celebritatis paschalis: quam obrem & ieiunia Paschalia, ideo quòd aliquot apud alios diebus, apud alios septimanis ante pascha obseruabantur, dicta sunt, ut Eusebius indicat. Nec alium legas eorum fuisse finem, præter solam cõsuetudinem: nisi fortè propter preces & hæc consuetudo excogitata est, sicut in scriptoribus ferè ubiq; coniunguntur ieiunia & preces: quemadmodum ex Iustino liquet, & Irenæo, qui preces Christianorum coniunctas cum ieiunijs, etiam miracula mortuorum reuiuiscentium consecuta scribit, libro aduersus hæreses secundo, cap. 57. Fuit autem omnibus temporibus, & in omnibus ecclesijs, huius ritus tanta diuersitas, quanta ne quidem explicari propemodum potest: cum alij diebus pluribus, alij paucioribus, alij alio tempore ieiunarent. Eusebius ex Irenæo hæc uerba refert: Neq; de die tantum disceptatio est, sed de ipsa ieiunij specie: siquidem alij sibi unum diem ieiunandum esse putant, alij duos, alij plures, alij quadraginta, horas diurnas & nocturnas computantes, diem suum statuunt. Habentur de illa diuersitate quædã etiam in epistola Theophili: In Italia, inquit, alij plenos quadraginta dies ieiunabant, alij uiginti: alij dicebant, septem dies, quibus mundus concluditur, sibi sufficere: alij, quia Dominus quadraginta diebus ieiunasset, alij quadraginta horas tenere deberent. Ignatius Philadelphianis ieiunium quartæ & sextæ feriæ præcipit: Quarta, inquit, & sexta feria ieiunate. Vbi & ieiunij diei sabbathi & Dominici meminit, & nimis uiolenter contra doctrinam Apostolicam & libertatem Christianã in eiusmodi uerba erũpit: Quicunq; Dominicam & sabbatum non ieiunauerit,

rit, præter unũ ſabbatũ paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector. quæ tamẽ planè ſuppoſititia eſſe, infrà dicetur. A' quibuſdam etiam dici Mercurij & Veneris ieiuniũ obſeruatum eſſe, Clemens ſubindicat libro quinto Stromatum, ubi de uita & perfectione hominis cognitione præditi loquitur: Nouit, inquit, ipſe ieiunij quoq; æni gmata horum dierum, quarti inquam & ſexti. dicitur autem ille quidem Mercurij, hic uerò Veneris. Eſt & in canonibus (quos Apoſtolis attribuunt, ſed falſo) de ieiunio feriæ quartæ, itẽ paraſceues, & ieiunio quadrageſimali, quod in Romana eccleſia primus inſtituiſſe fertur Teleſphorus: ut ſcilicet omnes clerici ſeptem hebdomadas plenas ante paſcha à carne & delicijs ieiunarent. Hæc conſtitutio refertur in prima decretali Teleſphori. Quando autem hæc diuerſitas cœperit, nõ uſq; adeò certum eſt: uidetur tamen, ſtatim poſt Apoſtolos & has & alias diuerſitates in Eccleſia ortas eſſe. Irenæus, Euſebio referente, de diuerſitate ieiunij, ut de re ualde uetuſta loquitur, & nominatim addit: Hæc uarietas obſeruationis nõ nunc primùm, neq; noſtris temporibus cœpit, ſed multo ante nos. Certũ uerò hoc eſt, admodum diu duraſſe eam diuerſitatem, necdum ſopitam fuiſſe circa annum Chriſti propemodum quadringenteſimum: quemadmodum ex Socrate Conſtantinopolitano uidere eſt.

De aqua luſtrali, ſeu aſperſionis.

INeptas & pueriles ceremonias inſtituere, reliquas eccleſias fortaſſe puduit: ſed Romana, fronte ſemel perfricta, nihil nõ etiam ineptiſſimarũ rerum auſa eſt. quamuis, ut ſuprà dictum eſt, poſterioribus temporibus iſtæ nugæ uideantur confictæ, & pro antiquis uenditatæ. Nam de uſu inſtituto aquæ aſperſionis, in aliarum eccleſiarum ritibus nihil prorſus inuenitur. Ac ſanè mirũ eſt, ſi tum fuit caput omnium eccleſiarum Romanus epiſcopus, quòd tam nullos mãdatis ſuis habuerit obſequentes. Adſcribunt autem illam aquæ conſecrationem Alexandro primo, inſtitutam hoc decreto: Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur ac purificentur: quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Sequuntur rationes non minus ineptæ, ac impiæ: Nam ſi cinis uitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat atq; mũdabat, multo magis aqua ſale aſperſa, diuinisq; precibus ſacrata, populum ſanctificat atq; mundat, &c. Verum hæc omnia ethnico alicui pontifici, qui tum Romæ adhuc ſua collegia habebant, potius tribui poſſunt, quàm epiſcopo Eccleſiæ.

De copulatione, ut uocant, ſeu ſponſi & ſponſæ benedictione.

RItus aliquos pios & honeſtos ab eccleſiis paſſim, etiam circa nuptias legitimas obſeruatos eſſe, non eſt dubium. Quid tamen in eo genere pro more aliæ habuerint eccleſiæ, apud probatos huius ſeculi autores non legitur. In Romana uerò eccleſia, ſi Euariſti decretis fides adhibenda eſt, conſuetudo fuit, fœminã honeſtè & legitimè uiro deſponſatam, à ſacerdote precibus et oblationibus benedici. Sunt tamen qui hoc decretum ad Soterem referant.

De ſepultura.

COnſuetudinem aliam agendi cum uita defunctis, quàm ſepeliendi iniecta terra, nõ legimus. Vigiliarum & exequiarum apud probatos autores nulla fit mentio: nec ueriſimile eſt, Chriſtianos Ethnicorum ritus imitatos eſſe. Obiter hic meminiſſe libet, quod Niccphorus libro tertio, capite decimonono ſcribit: oſſa ſolidiora Ignatij, longo tempore poſt à ſectatoribus eius Roma Antiochiam eſſe delata. Qua narratione manifeſtè fatetur, hoc ſeculo nondum notam fuiſſe, aut inualuiſſe ſuperſtitionem illam anilem, de reliquijs ſanctorum. Accedit ad hoc, quod profitetur ſe ignorare tempus, quo iſtæ translationes reliquiarum ex uno in alium locum cœperint. Idem & de peregrinatione hominum ad templum & ſepulchrum Clementis, dici poteſt, quæ in eiuſdem libri capite præcedenti narratur: ſed in qua narratione neq; loci, neque temporis, neq; aliarum circumſtantiarum, quæ ad narrationem probabilem requiruntur, meminit. ut facilè appareat, pro rebus ueris falſas & confictas narratas eſſe.

De diſciplina & moribus externis Chriſtianorum.

VTile etiam & iucundum eſt, mores & res externas, quæ in communem Chriſtianorum incidunt uitam, obſeruare. Inde enim de puritate & impuritate doctrinæ, & de fructu uerbi Dei, iudicia & documenta non admodum obſcura ſumi poſſunt. Hoc igitur ſeculo Chriſtianos in inſtituẽdis ac regendis moribus ſecundum præcepta ſacrarum literarum, diligentiores & cautiores fuiſſe, inde conſtat, quòd uaria ab Ethnicis, Iudæis & perſecutoribus ipſis obijciebantur crimina, de quibus ſuprà in loco de Perſequutione diximus. Vnde ſerio ac diligenti ſtudio uerbum Dei diſcendi, propagandiq; ad alios, tum miniſtri tum auditores pariter tenebantur. Ac teſtatur Tatianus, omnem ætatem apud Chriſtianos ætatem atq; ordinem philoſophari, & uirgines & ancillas ad lanã ſedẽtes de uerbo Dei loqui conſueuiſſe. Ac in ipſis quidem, quæ tum graſſabantur, perſequutionum fluctibus, neceſſitas eos ipſa impuliſſe uidetur, ut religionem Chriſtianam animis ita infigere ſtuderent, ne exquiſita acerbitas tormentorum, quibus afficiebantur, eam uinceret et excuteret. Quod ſtudium acre & diligentiam ſuus etiam fructus conſequutus eſt. Haud enim unquam Chriſtiani, confeſſione, conſtantia, ac profuſione ſanguinis pro Chriſto clariores fuerunt, & promptiores, quàm hiſce aliquot ſeculis. Charitas præterea & dilectio mutua inter eos feruens erat: caſtitatiq;, iuſticiæ, honeſtati, ueracitati, beneficentiæ, patientiæ, longanimitati, & id genus alijs pulcherrimis uirtutibus impenſe ſtudebant, inuicem ſibi compatientes, ſeq; mutuò conſolationibus in calamitatibus erigentes, & in afflictionibus confirmantes. Hoc deniq; omnium commune erat ſtudium, ut alij alios inſtituendo, admonendo, corrigendo et obiurgando ædificarẽt, melioresq; redderent. Rara tum inter Chriſtianos exempla erant abnegationum, contemptus uerbi diuini & communionis, aut ſeditionis, cædiũ, ebrietatis, adulterij, iniuſticiæ, mendacij, auaritiæ, furti, ſimilium uitiorum. Teſtatur enim Plinius, non Chriſtianus ipſe, ad Traianum ſcribens, Chriſtianos adulteria, cædes, aliaq; ſcelera non ferre, ſed omnia ad legum ſententiam & conformitatẽ facere. Erant aũt magiſtratibus ſubiecti, ſed quoad res externas et politicas, cùm laici, tum

Ecclesiæ ministri: quos nec ipsos à publicis oneribus immunes fuisse, res ipsa infrà declarabit, ubi commemorandum erit, qua pietate & beneficentia Imperator Cõstantinus immunitatem legibus latis, illis cõtulerit. Patienter igitur & illam fortunam ac seruitutem Christiani ferebant, & magistratibus sedulò parebant. A tyrannis etiam iniustè oppressi, ac miserè diuexati, se non factionibus aut seditionibus ulciscebantur: sed pro persecutorum conuersione & pace ecclesiæ orabant, tum in cœtu publico, tum priuatim domi. quemadmodum in Apologia ad Antoninum Iustinus ait, Christianos etiam pro inimicorum salute precari. Quinetiam in itinere agentes, psalmos quibus Deum glorificabãt, eiusq; beneficia petebant, canere solebant in lingua nota. cuius rei exemplũ apud Nicephorum est lib. 3. cap. 37. Coniugium & nuptiæ honorabiles ab ijs habebantur, nec erant ministris ecclesiæ (ut episcopis, presbyteris & diaconis) interdictæ, sed potius mandatæ, quem admodum suo loco dictum est: nisi quòd aliqui cupientes esse expeditiores in tantis persecutionibus, & dono castitatis præditi, ad Euangelium prædicandum & exilia ferenda, à nuptijs non iussi aut coacti, sed sua sponte abstinebant. Quæ consuetudo postea paulatim in legẽ abire cœpit, in eo maximè loco, ubi mysterium iniquitatis efficacius egit. Proprium præterea Christianos tenuisse, & non, ut in ecclesiæ primordijs Hierosolymis fiebat, communia omnia habuisse, res in historijs & probatis autoribus annotatæ testantur. Si enim omnia fuissent communia, quomodo pro pauperibus collectio esset facta in publicis congressibus: sicut ex Iustino retulimus, & antiquum eum morem Ecclesiæ Romanæ fuisse Dionysius scribit. Manere tamen fortè aliqua species communis uitæ potuit, inter ministros Ecclesiæ, uiduas & pauperes, qui ex ærario publico & oblationibus alebantur. Mendicitatis enim exempla aut testimonia nulla leguntur. Milites etiam Christianos stipendia sub ethnicis Imperatoribus meruisse, certum est: sed ubi iusti belli iustas causas Imperatores habere cognouerunt. Refert enim Euseb. lib. 5 cap. 5, ex Tertulliani & Apollinarij apologijs, Christianos sub Marco Aurelio Antonino militasse. Discrimina ciborum etsi pleriq; non obseruabant, tamen cum multi illud Apostolicum, Abstineant à sanguine & suffocato, præcise obseruandum putarent, factum est, ut pleriq; Christianorum sanguine pecudum non uescerentur. Hinc apud Eusebium lib. 5, cap. 1, in epistola martyrũ Gallicanorum ad fratres in Asia & Phrygia, Biblidem legitur fortissimam martyrem, obijcientibus ethnicis, quasi humanis uisceribus Christiani uescerentur, respondisse: Multum erratis, ô uiri. Quomodo enim infantes ederent illi, quibus irrationabilium quidem pecudum sanguine uesci non licet? In qua epistola etiam illud narratur, inter martyres uinctos apud Gallos, Alcibiadem quendam scenem fuisse, qui squalidè uixerat, nec aliud in cibum usurpauerat præter panem solum & aquam. Verùm eam ob rem ab Attalo insigni martyre obiurgatũ, tanquam qui creaturas Dei contemneret, alijs q; scandali autor esset. sordidam illam suam consuetudinem abiecisse. Vnde cõijci potest, multa electicia exercitia errore à simplicioribus Christianis interdum esse susceptа, quæ postea legis uim, hominum superstitione adepta sunt. Ab ethnicorum & Iudæorũ et hæreticorum impietatibus & superstitionibus sibi diligentissimè Christiani cauebant. Testis Theophilus est, Christianos ad spectacula quæ ab ethnicis in theatris exhibebantur, non accessisse: eo quòd putarent, sine peccati contagio spectari ea non posse. Quemadmodum & in ludos theatrales, ut Christiano homine indignos, grauissimè Clemens inuehitur, & theatra pestilentiæ cathedram uocat: occasionem autem conuentus causam esse turpitudinis, ait lib. 3 Pædagogi, cap. 11. Et quòd Polycarpus nec stare nec sedere in eo loco uoluerit, ubi aliquando hæreticorum blasphemias audiuisset, Irenæus testatur. Est q; uerisimile, id non tantum doctores, sed alios quoq; Christianos obseruasse: utpote memores illius sententiæ, HIS NE AVE DIXERITIS. Etsi autem uerisimile est propter crebras & crudelissimas persecutiones, Christianos quosdam, sibi suisq; uiribus diffisos, exiliũ potius elegisse, & in solitaria loca se abdidisse, ibiq;, quia inter homines tutò non liceret, inter feras uixisse, Deumq; coluisse: tamen apud probatos autores nihil tale factũ hoc seculo reperitur. Quod argumento esse potest, Eremitarum genus uitæ aut nondum in usu fuisse: aut propter necessitatem, & non opinionem, seu superstitionem potius excellentis cultus diuini, susceptum esse. Is enim erat feruor Christum confitendi, pro quo eo sanguinem suum fundendi, ut se sponte supplicijs & cruciatibus offerrent, nedum latibula quærerent. Idem & de monachatu dici potest, cuius nullus fide dignus testis mentionem facit: nisi quòd epistolæ Decretales pontificum, coniecturas quasdã præbent decretis de cõsecrandis uirginibus. Et Vincentius libro 10, capite 11, in Alexandria Aegypti monasterij mentionem facit, ubi fabulam seu legendam Eugeniæ recitat. Verùm utrum suspectorũ testium assertio, plusquam uerorum silentium et præteritio, quin etiam contradictio ualeat, lector iudicet.

CAPVT VII.

DE GVBERNATIONE ECclesiæ, eiusq; rerũ & personarum.

DE simplici gubernationis forma, qualis à Christo instituta, & ab Apostolis et prima ecclesia obseruata fuerit, dictũ est libris superioribus. Nunc uidendũ & exponendum uenit, quid hoc proximè sequenti seculo sit obseruatum: quæ ecclesiæ simplici regimine contentæ: quæ uerò paulatim priorem formam immutantes, nouas leges & decreta coacerua rint, & regnum Christi spirituale in mundanum et politicum cœperint transformare, & magis imperium quàm ministerium quærere uisæ sint: ut agnoscatur, quo in loco mysterium iniquitatis, quod à tempore Apostolorum agere cœpit, hoc quoq; seculo magis minus ue efficax fuerit. Duplex autem regiminis ecclesiastici forma sese nobis offert consideranda: quarum prior, communem singularum ecclesiarum administrationem: altera uerò, plurium, aut omnium inter se consociatarum gubernationem complectitur. Ordo itaq; rerum postulat, ut de illa prius, de altera uerò posterius dicatur.

Forma

FORMA GVBERNATIONIS Ecclesiæ, qua singulæ usæ sunt.

PErsonas idoneas, doctrina, cõstantia, cõfessione, uitæ integritate et bono zelo præditas hoc seculo passim ecclesijs præfuisse, ex doctorũ Ecclesiasticorum catalogo, & descriptione eorundẽ manifestũ est. Viuebãt enim adhuc multi, qui Apostolorũ auditores fuerãt, & uocatio aç electio penes totã ecclesiã erat: et iuxta præceptum Pauli, in doctrina sani & uita honesti ad gubernacula ecclesiæ collocabantur. Neq; tamen ubiq; ea in parte felix & beata reperitur ecclesia. alicubi enim hæretici locũ docendi adepti sunt: alicubi etiã omissa accurata diligentia, in uocatione & electione minus idonei rerũ habenis sunt potiti, ut Irenæus ad Victorem scribens testatur. Vt autem numerus certus & præfinitus ministrorum ecclesiæ nõ est in sacris literis mandatus: ita pro eo ac ecclesiarum necessitas postulauit, plures aut pauciores habuerunt.

De gradibus ministrorũ in Ecclesia.

Et ut inter eos ordo aliquis esset, & officia ecclesiastica inter plures certa ratione distributa melius administrarentur, & successio ministrorũ ordine fieret, necessitas coegit personarũ gradus aliquos constituere et cõseruare. In ea aũt re paucitatẽ & simplicitatem pleræq; ecclesiæ hoc quoq; seculo custodierunt. Nam plures ordines, quàm hi tres, scilicet episcopatus, presbyterium, diaconatus, apud probatos autores non reperiuntur: & officia quæ postea ostiarijs, lectoribus, exorcistis & acoluthis sunt attributa, diaconorũ & hypodiaconorũ muneri cõiuncta fuerunt omnia: sic in Gallicana ecclesia, ut patet ex epistola Lugdunensiũ martyrũ ad Asiæ ecclesias, ministri ecclesiæ nõ plures commemorantur q̃ episcopus, presbyteri & diaconi: alij fratres dicũtur. Euseb. li. 4, cap. 1. Clemẽs Alexãdrinus in suis libris qui hodie extant, nusquã pluriũ facit mentionẽ, quàm episcopi, presbyterorũ & diaconorũ: nisi q̃ ali cubi uiduas adiungit, nec tamẽ diserte ijs ministeriũ in ecclesia attribuit, multo minus gradũ adscribit. Testatur etiã Hieronymus in epist. ad Euagriũ in Alexandrina ecclesia nõ plures gradus à Marco usq; ad Dionysiũ fuisse, quàm episcopatus, presbyteriũ & diaconatus. Ignatius in epistolis, quæ ei attribuuntur, ad Trallẽses, Magnesianos, Tarsenses, Philippẽses, Philadelphienses, nõ meminit pluriũ quàm episcoporũ, presbyterorũ & diaconorũ. Sed in una quæ ad Antiochenos inscribitur, salutat presbyteros, diaconũ, subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborãtes (fortè *cvvεργαζομένους* Græcus textus habuit) exorcistas, cõfessores, custodes sanctarũ portarũ, diaconissas, uirgines susceptrices Christi. Verum ut epistola illa, de qua infrà dicemus, ita etiã hæc, cum nusquã alibi in authenticis scriptis legantur, meritò suspectæ & suppositiciæ uidẽtur: nec uerisimile est, in Antiochena ecclesia tẽpore Ignatij, qui proximè ad Apostolos accessit, et à Petro ibi ordinatus dicitur, tot gradus personarũ ecclesiasticarũ fuisse: præsertim cũ Theodoretus lib. 2, cap. 24 autor sit, Flauianũ & Diodinum primos in Antiochena ecclesia morẽ Dauidicos psalmos decantãdi, in duas partes diuisis canentiũ cœtibus induxisse. Sed tamẽ iudicium penes lectorem esto.

In Romana ecclesia, si euoluas scripta Iustini cognomento philosophi, qui Romæ uixit, & maximè si uideas eũ locũ qui extat Apologia secunda, ubi de baptismi & cœnæ Dominicæ administratione agit, nõ reperias personarum ecclesiasticarũ alium ordinẽ, q̃ quod nominat unũ perfectũ *πρεσβύτατε* fratrũ, et quosdã diaconos, cæteros uerò fratres. Narrat Nicephorus lib. 3 cap 29, Eleutheriũ ab Aniceto, uel potius Anacleto, sacras literas edoctũ, sacro cleri numero insertũ esse: & 15 anno ætatis diaconi gradũ accepisse, et tricnio pòst presbyterũ creatũ, et anno 20 ætatis episcopũ delectũ, & in Illyriã missum esse. Vnde qui gradus Romæ sub Hadriano fuerint, colligi potest. Qui uitas Romanorum episcoporũ huius seculi describũt, cum ordinationum mentionẽ faciunt, quas ij episcopi celebrarunt, tantum referunt episcopos, presbyteros & diaconos ordinatos esse, nec ullius Romani episcopi decretis aut epistolis pluriũ graduum inuentio aut institutio in Romana ecclesia, quantũ ad hoc seculũ, attribuitur: sed cuiusdam inferioris, ut suo dicetur loco, inuentũ esse asseritur, q̃ per hos gradus ascendendũ sit: nempe ut quis primùm fiat ostiarius, deinde lector, postea exorcista, acoluthus, subdiaconus, presbyter, postremò episcopus. In epist. Clementis ad Iacobũ prima, mentio fit horum, episcopi, presbyterorũ, diaconorũ & catechistarũ. Epist. 2. tribus gradib. sacramẽta diuinorũ decretorũ cõmissa esse dicit: scilicet presbytero, diacono, & ministro. Epist. 3 ponit hos gradus: episcopus, coepiscopus, presbyteri, diaconi, clerici, principes, maiores & minores, & fideles. sed quid de his epistolis uulgò sentiatur, suo dictum est loco. Memorabile de gradib. est, q̃ tantum uniuscuiuslibet ecclesiæ reperitur episcopus. In presbyterio & diaconatu semper plures fuerũt personæ, pro cuiusq; loci seu ecclesiæ necessitate. Testatur Hieronymus in epist. ad Euagriũ, tẽpore Apostolorũ, episcoporum & presbyterorũ non fuisse distinctos gradus: sed postea in schismatis medium unum ex presbyteris esse electũ, & in excelsiori gradu collocatum, & episcopũ appellatũ, q̃ solo ordinationis officio à presbyteris differret. Vnde liquet, circa hæc tẽpora eã in ecclesia mutationem cœpisse, & episcopatum nõ tam diuina institutiõe, quàm humana autoritate, propter bonũ ordinẽ & ædificationẽ atq; successionẽ gradu presbyterio superiorem haberi. Hinc est, q̃ Irenæus Soterẽ, Anicetũ, Higynum, Pium, Telesphorum appellat presbyteros. Euseb. lib. 5, cap. 26. Reperitur & apud alios ista promiscua uocum episcopi & presbyteri usurpatio. Sub Traiano adhuc uiuebat Ioannes apostolus, qui in Asia erat quasi supremus fundator et inspector ecclesiarũ, & qui ex Epheso ad uicina loca solebat exire, & partim episcopos cõstituere, partim sorte cleros eligere: referẽte Clemẽte apud Euseb. li. 3. ca. 23. Mortuo aũt eo, Apostolatus in ecclesia cessauit: quod eo factum est, q̃ ad horũ doctrinã & scripta Deus uoluit ecclesiã omnibus tẽporib. esse obligatã. Tradiderunt aũt Apostoli episcopis in uno quolibet loco ecclesias: ut Irenæus lib. 4, cap. 63 testatur. Quia uerò doctrina Euangelij in plures gentes euulganda erat, ideo solebant ecclesiæ illustres & cõstantes uiros ad iter expeditos, & ad docendum & patiendũ pro Euangelio promptos deligere, ijsq; hoc muneris imponere, ut ad imitationẽ Apostolorum rebus suis relictis, aut dispositis, plurima & remota gentium loca peragrarent, et Euangeliũ prædi-

carent. Hi euangelistæ, aut apostolici uiri dicebantur: eorumq; plurimos adhuc sub Commodo fuisse, testatur Euseb. lib. 5, cap. 9. in quorum numerũ Pantænus quoq; refertur, qui à Demetrio Alexandrino episcopo missus est in Indiã. Hieronymus epistola ad Magnum, oratorẽ Romanum. Tales etiam erant Eusebius, Vincentius, Peregrinus Potẽtianus: Vincentius lib. 10, cap. 119. Euseb. lib. 5, cap. 17, ex Apollinario prophetas noui Testamenti recensẽt, Agabũ, Iudam, Silã, filias Philippi, Ammiã Philadelphiæ, Quadratũ: quorum quidã hoc nostro seculo fuerunt superstites. Verùm nõ de uẽturo alio Messia prophetarunt, sed cuẽtus in ecclesia aut politia præuiderunt & prædixerunt: nec (ut in ueteri Testamento) aliquam partẽ politicæ gubernationis sustinuerũt: sed tantum doctores fuerunt, à dono prophetiæ nomen prophetæ sortiti. unde in ecclesiis singularem gradum non obtinuerunt, sed inter episcopos cõnumerati sunt. Idem etiam de alijs factum est, qui faciendis miraculis & eijcendis dæmonijs insignes fuerunt. Multa enim dona uariarum operationũ hoc tempore in ecclesia fuisse, testatur Euseb. sexto libro, cap. 3. Zotas presbyter, Ostrenus, & Iulianus, Apameæ dæmonium Maximillæ & Priscillæ conuincere & eijcere conati sunt: Eusebio & Nicephoro referentibus, ex Apollinario.

Si uerò & Dominũ talia phantasticè operatũ esse dicturi sunt, ducemus eos ad prophetica oracula: & ex illis ostendemus, omnes ad hunc modũ de illo uaticinatos, & hæc solidè gesta, esseq; eum solũ filiũ Dei. Quapropter & in illius nomine, ij q ueri ipsius sunt discipuli, gratia ab eo accepta in hoc perseuerãt, ut reliquis hominib. quisq; pro dono ab eo accepto benefaciãt. Dæmonas enim alij solidè ac uerè expellunt, ita ut & illi ipsi à malis spiritib. repurgati, ad fidem peruenerint, et in ecclesiã recepti sint: alij uerò futurorũ præscientiã, uisiones ac prophetica uaticinia habẽt: alij morbis laborãtes per manuum impositionẽ curãt, & sanitati restituunt. Iã uerò, sicut diximus, & mortui resurrexerunt, & nobiscum annos multos manserunt. Verùm innumerabilia sunt charismata, quæ ecclesia per totum orbem accepta à Deo, singulis dieb. in nomine Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, ad benefaciendũ gentib. dispensat, nec fallens quenquã, nec cuiquã illa pro precio uendẽs. Sicut enim gratis à Deo accepit, sic gratis etiam administrat. Et alio loco idem Irenæus scribit: Sicut & multos in ecclesia fratres prophetica charismata habere, et uarijs linguis per spiritum sanctũ loqui, & secreta hominum, ubi cõducibile est, in apertũ producere, & mysteria Dei explicare audiuimus. Eusebius libro quinto, capite septimo, ex Irenæo refert.

RATIO GVBERNATIONIS.

COmmunis aũt & usitata gubernandi ratio in pleriſq; ecclesijs nõ admodũ dissimilis superiori fuit. Nã episcopi & presbyteri, munus erudiendi & docendi tum iuuentutẽ tum plebẽ, fideliter obierunt: et inter docendũ nõ tantũ purã doctrinã euangelij tradiderunt, sed etiam hæreticorũ erroneas opiniones refutarunt. Taxarunt hominũ uitia, institerunt admonendo, cohortando ad pœnitentiã, fidem, nouã obedientiam et cõfessionẽ, & patientiã, et cõsolando afflictos, obiurgando tẽpestiuè & intẽpestiuè, iuxta præcepta Pauli: nec sua somnia proposuerunt, sed sacras literas exposuerunt iuxta analogiã fidei. Hæc uera esse, cũ scripta doctorũ huius seculi, quæ extant, testantur, tũ historiæ. nam ex historia Ioannis cõmendantis puerũ episcopo cuidã in Asia, qui postea latro factus, à Ioanne recuperatur, cõstat, curã erudiendorũ adolescentũ episcopis fuisse cõmissam. Euseb. lib. 3, cap. 23. Polycarpum multos discipulos habuisse, testatur epistola Smyrnensium. & Irenæus in epistola ad Florinũ narrat, Polycarpum sedentem disputasse, & ad multitudinẽ sermonem feciſſe. Euseb. lib. 5, cap. 20. Nec in Romana ecclesia episcopos & presbyteros à docendi munere uacuos fuisse, patet ex historia Eleutherij, quem puerũ Anthia mater Aniceto tradidit erudiendũ: ut narrat Nicephorus lib. 3, cap. 29. Testis etiam grauissimus & ueracissimus est Iustinus, qui in secunda Apologia pro Christianis expresse dicit, q, is qui præcipuus est inter fratres, die Dominica, ea quæ ex cõmentarijs Apostolorũ aut prophetarũ in ecclesia lecta sunt, exponat, admoneat, & exhortetur, ut ea quæ lecta sint, bona & sancta imitentur. Si testes suspectos, uitas pontificũ, eorumq; epistolas citare libeat, nec ij quidẽ negabunt, episcopos Romanos tantũ docendi officiũ sustinuisse: & nullo modo ducatus, principatus, regna & imperia administrasse, quæ tunc ethnici possidebant. Deinde cum sacramentorum administratio etiã ad regimẽ ecclesiæ pertineat, uideas hoc quoq; seculo episcopos & presbyteros non piguisse baptisare, nõ quidẽ cãpanas & altaria, sed homines, de præcipuis Chrlstianæ religionis capitibus instructos. Euseb. lib. 3, cap. 23. Iustinus Apologia 2. Et philacterium dare, hoc est cœnã Domini (eo enim nomine tunc uocabatur) administrare: Euseb. lib. 3, cap. 23. & Irenæus testatur apud Eusebiũ lib. 5, cap. 24. & Nicephorus lib. 4, cap. 39, Anicetum Polycarpo ministerium Eucharistiæ honoris et coniunctionis testandæ gratia permisisse. Et Iustinus testatur, eũ qui præcipuus fuit inter fratres, administrasse cœnam Dominicã: diconos uerò panẽ & calicẽ cõsecratũ circumferre, & distribuere communicantib. & absentib. etiã adferre.

Clauiũ administratio etiam ad gubernationẽ ecclesiæ pertinet. Quare quid de ijs factũ sit, quædã breuiter hic dicamus. De auriculari cõfessione, & priuata absolutione, & satisfactionis seu pœnitentiæ impositione, apud fide dignos huius seculi autores nihil reperitur. In epistola uerò Clementis prima ad Iacobũ, Petrus dicitur mandasse, ut is cuius fortè cor uel liuor, uel infidelitas, uel aliquod aliud peccatũ latenter irrepserit, nõ erubescat confiteri hoc ei qui præest, ut ab ipso per uerbũ Dei & cõsilium salubre curetur, quo possit integra fide & operib. bonis pœnas æterni ignis effugere, et ad perpetuæ uitæ præmia peruenire. Sed cũ illa epistola uulgo pro suppositicia habeatur, & aliàs cum Petri doctrina hæc nõ congruant, penes lectorẽ esto iudicium, quid de hac re sentiendũ sit. Quòd aũt publicè lapsos etiã corã ecclesia pœnitentiã agentes recepe-rint & absoluerint, id ex historia latronis per Ioannẽ apostolũ recuperati (si tamen nõ potius fabula est, quæ ex Clemente ab Eusebio lib. 3. cap. 23 referuntur) apparet. Excommunicationẽ quoq; eos aduersus scelera tos & hæreticos exercuisse, testatur Plinius in epistola ad Traianũ: ubi ait, Christianos adulteria & cædes, & quæ istis cognata sunt illicita delicta, etiã ipsos inter se

se prohibere, & omnia facere ad conformitatẽ legum. Eusebius lib.3. cap. 33. Victor Romæ excommunicauit coriariũ Theodotũ, Christũ purum hominẽ asserẽtem. Euseb. lib.5, cap.28. Nicephorus lib.4.cap.21. Quem admodum & ibidem Blastũ & Florinũ à presbyterio ob hæresin reiectos, narrat idem Eusebius libro 5, capite 14 et 15, ex Irenæo: Nicephorus lib.4, cap.30. Nec soli Romani episcopi, sed etiã alij excõmunicationem exercuerunt. Ioannes enim & Polycarpus pro excõmunicatis hæreticos habuerunt, & uitarunt: Euseb. lib.4, cap.14. Et ecclesiarũ pastores, hæreticos tanquã feroces quasdã bestias undiq; ab ouib. Christi repulsos exclu serunt, cùm admonitionibus, tum adhortationib. ad fratres, &c. Euseb. lib.4, cap.11. Verùm in excõmunicando summã uoluerunt adhiberi prudentiã, ne cui iniuria fieret, ne ue clauib. abuterentur, & ne leui de causa quis excõmunicaretur. Quare cum Victor Asianas ecclesias propter diuersam obseruationẽ paschatis excõmunicaret, grauiter alij episcopi eum obiurgarunt: & Irenæus ad plures episcopos scripsit, atq; eam excõmunicationem irritam esse ostendit. Euseb. lib.5. cap.24.

Porrò cum ministrorũ ecclesiæ etiã sit, ceremonias indifferentes ad ædificationẽ et bonũ ordinem, sine conscientiarum laqueis, instituere, et bene institutas obseruare, et nõ multitudine traditionum humanarũ uerum Dei cultum impedire, nec suas ceremonias tanquam necessarias alijs inuitis obtrudere, & ex ijs edicta prætoria facere: uidemus aliarum ecclesiarũ episcopis nusquam attribui, q, in suis ecclesijs aliquas ordinarint aut immutarint ceremonias, aut aliqua decreta promulgarint. cõtenti enim simplici, Apostolicaq; forma ecclesiæ fuerunt: nisi q, quidam referunt, Ignatiũ Antiochiæ instituisse cantionẽ antiphonarũ. quod quàm uerum sit, Theodoretus lib.2, cap.24 ostẽdit, qui Flauiano et Dioloro id inuentum adscribit. Verùm ea in re mirè excesisse Romanos episcopos, si scriptorib. uitarum pontificum & epistolis eorundem credatur, manifestũ est. Ibi enim reperiuntur ceremoniæ plurimæ, de quib. superiori capite dictũ est, & decreta plusquã prætoria, quorum quædam friuola sunt, quædam superstitiosa, quædam uerò cum Scriptura pugnantia: & tamen nullum fermè est, quod nõ anathematis pœnam habeat annexã. Talia sunt, decreta de sacris uasis tractandis, de nõ accusandis & iudicandis episcopis, de prohibitione cõiugij: de primatu Romanæ ecclesiæ, & appellatione ad eandem: de abstinentia à carne in quadragesima, de obseruatione paschatis, de dedicatione templorum, de benedictione aquæ, de cõsecratione uirginũ, & similia, quæ multa ibidẽ leguntur. Quæ si uerè Romanis episcopis huius seculi attribuuntur, facile pius lector agnoscit opera & efficaciam mysterij iniquitatis. Alia uerò ad ministerium pertinentia munera, qualia sunt, orare pro ecclesiæ pace & tranquillitate, pro persecutionum mitigatione, pro fructu uerbi diuini, pro ampliatione Christianismi, & pro alijs tum corporalib. tum spiritualibus bonis, item consolari afflictos, inuisere ægrotos, & sana doctrina & honesta uita se exemplum præbere gregi, attendere lectioni, ordinare personas legitimè ad ministerium uocatas ab ecclesia & idoneas, & similia, quis est qui dubitet cùm episcopos, tũ presbyteros & diaconos diligenter obijsse? Epistola Smyrnensium, quam habet Eusebius lib.4, cap.15, testatur, Polycarpum per omnẽ uitã suam moris habuisse, pro pace ecclesiarum quæ ubiq; sunt, Deo supplicare. Narrat Vincẽtius lib.10, cap.105, Piũ Romanũ episcopũ adijsse lugentẽ Praxedẽ, et ægrotũ Nouatũ, et cũ tota cõgregatione ad eũ noctu uenisse. Tribuitur Romanis episcopis Euaristo et Higyno, q, dedicarint tẽpla, & chrisma te inũxerint altaria, aut sal ib. exorcisauerint, et q, aquã cum sale consperſam benedixerint, & uirgines annorũ 25 uelarint: sed quia testes illi sunt suspecti, et in sacris literis talia ministerio nõ mãdata, et exẽpla in alijs ecclesijs similia apud fide dignos autores nusq; reperiuntur, lector de ijs iudicet. Si uera sunt, mysterio iniquitatis iã tum in suo loco agẽti imputãtur: sin falsa, tũ ipsi quidẽ Romani episcopi in hoc excusantur, fraus uerò eorũ q, talia de ipsis finxerũt et scripserũt, manifestè proditur.

DE SYNODIS PRIVATIS.

VT aũt gubernationis singularũ ecclesiarum uis maior esset, et certamina uel dubia, aut alia grauia negocia, quæ solent incidere, melius expedirentur: necesse fuit etiã hoc seculo publica quædã gubernationis exercitia, & quasi iurisdictionem conseruare. Mediocriter igitur constitutæ ecclesiæ, solitæ sunt suas habere & celebrare synodos priuatas, in quibus episcopus, presbyteri, diaconi, atq; etiã laici, de reb. ad gubernationem ecclesiæ pertinentibus, deliberarunt et constituerunt. Etsi aũt penuria, aut etiam negligentia scriptorum ecclesiasticorũ, q eo seculo uixerunt, de eiusmodi synodis multas circũstantias desideramus (quales sunt de tempore, de forma processuũ, de canonib. iuxta quos decisiones & executiones factæ sint, item quot & quales personæ solitæ sint interesse) tamen quid cõmuniter in huiusmodi priuatis synodis tractarint, quantũ in autorib. inuenimus, referemus. Irenæus, ut est apud Euseb. lib.4, cap.11, testatur, in urbe Romana oportuisse doctores ex alijs ecclesijs uenientes, suã confessionẽ edere, & se iudicio fratrũ auscultantiũ subijcere, qui doctrinam aut probabant, aut damnabant. Nicephorus lib.3 cap.37 narrat, Dionysiũ dubiũ illum casum de Iudæo à laicis arena baptisato, ad ecclesiã retulisse, camq; consuluisse: & cõmuni cõsilio, quid faciendũ esset, decreuisse. Euseb. lib.5, cap.3: Fratres in Gallia seu martyres suã sententiã ad fratres in Asia et Phrygia perscripserunt. Vnde apparet, in priuatis synodis ecclesias cõsultasse de quæstionib. ibidẽ ortis, aut ab alijs ecclesijs oblatis. Nec est dubiũ, quin in eiusmodi cõgressib. personas ad ministeriũ elegerint & uocarint. nã Egesippus apud Eusebiũ lib.4, cap.22 refert, Cleophã Hierosolymis ab omnib. suo cõpetitori prælatũ esse, eo q, cõsobrinus Domini esset. Præcipuè aũt in synodis agi solebat, de coercendis ijs qui tũ inter ministros ecclesiæ cũ laicis Christiana professione indigna fecerãt. Modi uerò coercẽdi reperiũtur, admonitio, depositio, excõmunicatio. Vnde Romæ à presbyterio Blastus & Florinus reiecti ob hæresin, ab Irenæo, apud Euseb. lib.5, cap.14 et 15: ut Nicephorus lib.4. cap.30. dicũtur. & Victor coriariũ Theodotũ, Christũ purum hominẽ affirmantẽ, à cõmunione reiecit. Niceph. lib.4, cap.21: Euseb. lib.5. cap.28. Si decretũ Pij, est eius: apparet ex eo, Romanos per pœnitentiæ impositionẽ iurantes coercuisse: & si secũda epistola uerè eidẽ tribuitur, apparet, sacerdotes aut clericos episcopo nõ obedientes, eiq; insidias parantes, aut cõtumeliã facientes, curiæ esse traditos. Telesphorus: Omnes

qui aduersus patres armantur, infames esse censemus. Agebatur etiã ibidẽ de receptione et absolutione excõmunicatorum pœnitentiũ. Nec absimile uero est, in his priuatis synodis causas seu lites et cõtentiones leuiores de reb. corporalib. esse cõpositas, ut superiori seculo ex 1 ad Cor. 7 est ostẽsum: quia hoc fuit magis honestũ & piũ, carẽsq; scãdalo: et quia habuerũt magistratus, propter persecutiones crebras, admodũ iniquos. Verisimile etiã est, causas matrimoniales dubias nõnunquã hic esse agitatas. Gratianus Higyno adscribit, q, hoc decretũ fecerit: Si qua mulier ad secũdas nuptias transiens, ex eis prolẽ habuerit, ipsa proles nõ potest se copulare cognationi prioris uiri, usq; ad quartã generationẽ. Sed tamen unũ recitatur exemplũ Eusebij 4, cap. 17, ex Iustino: ubi mulier iuxta leges ciuiles diuortiũ facit, dato libello repudij. Vnde colligi potest, causas matrimoniales in synodis ecclesiasticis nõ esse decisas. & uixit Iustinus eodẽ tẽpore, quo Higynus. Quod si penes Higynũ fuisset, de causis matrimonalib. decidere, non ad iudices retulisset rẽ illa Christiana mulier, et iuxta leges ciuiles libellũ repudij cõfecisset. Postremò, cũ in synodis priuatis necesse fuerit de reb. ad ecclesiã pertinentib. interdum decernere, mirũ est, q, aliarũ ecclesiarũ decreta in suis synodis cõstituta et obseruata nõ legantur. fortè ideo, q, aliæ ecclesiæ nõ tã studuerũt cõdendis decretis, aut q, earũ acta nõ perinde annotata et cõseruata sunt: Romanis uerò episcopis tã multa attribuantur à testibus nõ parũ suspectis. Porrò ea decreta si uerè ijs attribuuntur, in synodis priuatis proposita sunt, & alias ecclesias hoc seculo nõ obligarunt. nondum enim, ut paulo pòst dicetur, ecclesiastica monarchia Romana fuit.

DECRETA QVAE AB EPISCOpis Romanis in priuatis synodis constituta perhibentur.

EVaristus cõstituit, ne plebis in episcopũ accusatio audiatur, & recipiatur. Alexãder instituit aquã lustralẽ seu benedictã: & ut in sacrificio panis esset azymus, & aqua uino misceretur: ut presbyter ab incestuosis nõ accipiat munus: ut corũ scelera reticeat, aut minus dignè pœnitentẽ ad reconciliationẽ adducat, & ei testimoniũ recõciliationis ferat, aut quodã liuore dignius pœnitentem à reconciliatione remoueat.

Sixtus, Sanctus Missæ addidit.

Telesphorus, quadragesimale ieiunium instituit.

Higynus, chrisma, & susceptores ad baptismum Christianorum adiecit. (uit.

Pius festũ paschatis die Dominico celebrari mãdauit.

Anicetus uetuit clericis, comam & barbam alere.

Soter nuptias palã ac cũ solẽnitate celebrari uoluit.

Eleutherius, nullũ cibũ Christiano abominabilẽ statuit. Victor cõcessit, petẽtes quauis aqua posse baptizari, in casu necessitatis: alioquin uerò, tempore paschatis baptismum celebrare iussit. Hic porrò ex priuato decreto de paschate, adhibitis tamẽ aliarũ ecclesiarũ synodis, conatus est uniuersæ ecclesiæ necessariũ statuere decretũ: sed repressus est ab Irenæo & alijs episcopis.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

QValia passim hoc seculo ecclesiæ habuerint bona, & à quibus & in quos usus distributa et collocata fuerint, ex seculo superiori colligi quodãmodo poterit. nã multis certis & fide dignis testib. destituimur. Iustinus in Apologia secũda, ut suprà relatũ est, cõmemorat, in publicis congressib. Christianos, finita cõmunione, pro sua quoq; facultate & arbitrio pecuniam conferre solitos esse. Ea uerò pecunia in cõmuni ærario est præfecto fratrũ seu episcopo cõmissa, ut pupillis & uiduis, ijsq; quos morbus aliaue causa inopes fecisset, & qui in uinculis essent, itẽ hospitib. seu peregrinis, omninoq; omnib. qui aliqua indigentia premerentur, subueniret. Dionysius Corinthius, qui sub Antonino Vero paulo pòst uixit, in sua epist. ad Rom. cõmendat Romanæ ecclesiæ in afflictos et pauperes consuetudinem. Euseb. lib. 4, cap. 23: A' principio nãq; moris est (inqt) uobis fratres omnes uarijs iuuare beneficijs, multisq; ecclesijs quæ sunt per diuersa terrarũ loca, cuncta quib. indigẽt destinare. Singulorũ quoq; necessitates in omnib. cõsolari, sed & per metalla fratribus relegatis quæ usus poscit præbere. Hæc ab initio Romanæ ecclesiæ facere moris fuit, à patrib. sibi huiuscemodi institutione dimissa, et semper integrè custodita. Beatus uerò episcopus uester Soter, nõ solũ seruauit quæ patres tradiderant, sed & auxit in melius: qui nõ tantũ sanctis, quæ usus corporalis poscit, impertit, uerùm et aduenientes fratres clementi satis et mitissimo solatur alloquio, et tanq; piũ se et religiosum patrẽ singulis exhibet, etc. Porrò an ecclesiæ etiã alia bona præter eiusmodi pecuniã, quã sic dieb. solis collegerũt, habuerint, certissimos omnino testes non habemus. Si epistolæ 2 Pij, qui eodẽ fermè tẽpore quo Iustinus sub Antonino Pio fuit, fides adhibẽda est: colligi sanè potest, ecclesiã Romanã sua prædia habuisse, quæ ei & Deo donata dicũtur. Decretũ enim sancit, ne prædia diuinis usib. et Domino Deo tradita, ad humanos applicentur usus. Audiatur etiã, si placet, Vrbani epist. 1, quæ inter cætera sic habet: Post Apostolorũ uerò tẽpora, cũ uiderent sacerdotes & Leuitæ, et reliqui fideles per uniuersum orbẽ dispersi, utilius fore, si hæreditates et agros, quos uẽdebant, ecclesijs quib. præsidebãt episcopi, traderẽt, eo q, ex sumptib. eorum tam præsentib. q, futuris temporib. plura et elegantiora ministrare possent fidelibus, cõmunẽ uitã ducentibus, q, ex precio ipsorũ: cœperunt prædia & agros, quos uendere solebãt, matricib. ecclesijs tradere, & ex sumptib. corũ uiuere. Ipsæ uerò res in ditione singularũ parochiarũ episcoporũ, qui locũ tenẽt Apostolorũ, erant, et sunt usq; adhuc, et futuris semper debẽt esse temporibus. E' quib. episcopi & fideles dispensatores omnib. cõmunem uitã degere uolẽtibus, ministrare cũcta necessaria debẽt, prout melius potuerint, ut nemo in eis egẽs inueniatur. Ipsæ enim res fideliũ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Vtrũ hæc pro certis aut incertis habẽda sint, pius lector uideat. Certè Platina, & alij eũ secuti, ut infrà dicetur, affirmant, Vrbanũ decreuisse, ut sacerdotib. liceret prædia et fundos à cultorib. religionis oblatos recipere. Porrò unde ministris ecclesiæ, episcopo, presbyteris & diaconis hoc seculo stipẽdia dederint, et quãta, an ex his ecclesiæ bonis, an aliũde, memoriæ proditũ à scriptorib. huius seculi non inuenimus. Soli Apostolorũ canones (de quib. ut suo loco dicetur, dubitatur, quo tempore et à quib. sint cõgesti) uidentur subindicare, oblationes primitiarũ episcopo & presbyteris & diaconis & reliquis clericis collatas esse, ut quintus canon habet.

De bibliothecis.

CVm inde ab initio Ecclesia sacrorũ librorũ custos fuerit,

fuerit, quis est qui dubitet, suas præcipuis ecclesijs bibliothecas passim fuisse? Honorius, sub L. Antonino Cõmodo scribit, Capitolium fulmine ictũ: & bibliothecã magna cura piorũ compositã, exustã esse. Curã aũt earum præcipuè episcopis et presbyteris cõmissam, nõ est q̃ ambigamus: cũ eorũ maximè interfit sacros euoluere et custodire libros. Accuratissimã aũt adhibitã esse diligentiã et prudentiã in discretiõe librorũ authenticorũ & apocryphorũ, & in bibliothecis præcipuè libros ueteris et noui Test. esse reseruatos, ea quæ suprà de iudicio librorũ dicta sunt, attentũ lectorẽ abundè monere possunt: nec tamẽ eos tantũ, sed etiã doctorũ, ut Clementis, Iustini, Egesippi, Irenæi, et aliorũ opera in bibliothecas reposita et custodita, apparet ex seculis sequẽtibus, in quib. magnus bonorũ autorũ (ut ex Euseb. et Hieronymo cõstat) thesaurus inuenitur. Homines doctos, studiosos inquisitores librorũ fuisse, exemplũ Pantæni docere potest, qui repertũ (teste Hieronymo) in India Euangeliũ Matthæi Hebraicũ, manu Bartholomæi exaratũ, ex quo Christũ Bartholomæus prædicasse dicitur, secũ Alexandriã reportauit. Melito libros Canonicos ueteris Test. ex Oriẽte attulit: Euseb. Porrò cum bibliothecarũ institutio et cura multos sumptus reqrat, qui faciẽdi sunt in librorũ cõquisitores, descriptores, et similia: nõ est absimile uero, sumptus illos partim diuitum liberalitate, partim ex cõmuni ærario factos esse. Institutæ aũt sunt bibliothecæ, propter conseruationẽ Bibliorum, et propagationem doctrinæ ad posteros, et ad conseruandam memoriam doctorum et scriptorum Ecclesiasticorum, & ueram historiam Ecclesiæ.

DE SCHOLIS.

AD plantandã et propagandã uerã doctrinã, necessitas coegit, scholas, in quib. iuuentus institueretur, quas superiori seculo institutas esse diximus, conseruare: ac etiã plures passim aperire. Necessariã enim iudicarũt ueteres eruditionẽ, ad tuendã religionis puritatẽ: nec studia, ut fanatici, cõtempserunt. Fuerũt aũt uaria scholarũ genera. Nã episcopi scholas habuisse uidẽtur, quæ fermè catechumenorũ & clericorũ in sacris literis institutiones fuerũt. Sic Ioannes adolescentẽ episcopo, testib. Christo et Ecclesia, cõmendat erudiendũ. Euseb. lib. 3. cap. 23. Sic Anthia Eleutheriũ filiũ suũ Aniceto tradidit erudiendũ, q̃ sacras literas ab eo edoctus, sacro cleri numero inseritur. Niceph. lib. 3. cap. 29. Ireneus in epist. ad Florinũ, testatur se puerũ audijsse Polycarpũ, et adhuc meminisse locũ, ubi sedẽs disseruerit. Euseb. lib. 5. cap. 20. et Niceph. lib. 4. cap. 30: ubi apertè duo Polycarpo tribuuntur, q̃ ad multitudinẽ sermones fecerit, et q̃ sedẽs disseruerit. Deinde philosophi quidã ex ethnicis Christiani facti, suas scholas aperuerunt, in quib. Christianismũ propagarũt, et ethnicorũ opiniões impugnarunt ac refutarunt. Hieronymus dicit, Iustinũ Romæ διαλεξεῖς habuisse, atq̃ in ijs refutasse Crescentẽ. Euseb. li. 4. cap. 16. Mirũ tamẽ est, q̃ in Epistolis & decretis, quæ Romanis episcopis attribuũtur, nulla scholarum fiat mentio: quod etiã ipsum eas facit suspectas. Quadratũ et Aristidẽ philosophos Athenis agẽtes, qui Apologias pro Christianis Adriano exhibuerũt, in scholis ibidẽ docuisse, quis est qui ambigat? Clemẽs in initio lib. 1 Strom. indicat se passim multos beatos uiros, qui in maximo precio et existimatiõe fuerũt, audijsse. Eorũ, inq̃t, unus quidẽ in Græcia Ionicus, alij uerò in magna Græcia: alter eorum erat ex Cœlesyria, alter ex Aegypto, alij ex Oriẽte: & eius alter quidẽ Assyrius, alter uerò in Palæstina Hebræus, ex alto ducta origine. cũ autẽ in eum ultimũ incidissem, erat aũt primus potestate, cõ quieui in Aegypto, uenans ea quæ latuerant, Siculareuera apis, prophetici et Apostolici prati flores decerpẽs, sincerã quandã & incorruptã cognitionẽ ingenerauit eorum qui audiebãt animis, etc. Hinc apparet, multas passim scholas fuisse, seu academias, in quib. prælecta et enarrata sunt, nõ tantũ alia utilia, sed etiã Prophetarũ et Apostolorũ monumẽta. Sed tamẽ inter alias ualde celebratur Alexandrina schola, ubi inde à Ptolemæis fuerat semper celeberrima academia. de qua sic scribit Euseb. lib. 5. cap. 9 et 10: Moderabatur aũt tum tẽporis, scilicet sub Cõmodo, fideliũ illic scholã, uir quidã eruditione clarissimus, nomine Pantænus, ex eo q̃ ab antiquo sacrarũ literarũ doctrina & exercitium apud eos uigebat: quæ cõsuetudo etiã ad nos usq̃ durat, quã et à uiris eloquẽtia diuinarũq̃ literarũ studio potentib. institutã esse accepimus. Pantæno Clemens succesit, cui postea Origenes, ut suo referetur loco. Inspectores eiusmodi scholarũ episcopos fuisse apparet, q̃ Demetrius Pantænũ illi scholæ præfeciisse dicitur. Cæterũ ea quæ ad eiusmodi scholarum descriptionẽ integrã pertinent, literis prodita nõ reperiuntur: qualia sunt, quot personæ, an unus uel plures collegæ fuerint: quæ stipẽdia, et unde habuerint: quid docuerint, an sacras literas tantũ, an uerò etiã artes liberales: quos habuerint auditores, an totã ecclesiã, an catechumenos quosdã, an pueros et puellas ac uirgines etiã. Tatianus scribit, apud Christianos omnẽ ætatẽ et ordinẽ philosophari, itẽ uirgines lanificio intentas de rebus diuinis loqui. Vnde conijci potest, & in scholis et in ecclesijs auditores cuiusuis ætatis et sexus, in uerbo Dei abundè & diligenter fuisse institutos.

Retinuerunt et cõseruarunt etiã ethnici suas scholas, in quib. artes et philosophiã tradebãt, et ad Christianorum religionẽ uitandam suos armabant, blasphemantes Christũ, traducẽtes falsis criminib. mores Christianorũ, ut sequẽtib. seculis magis patebit, et infrà in loco De religione ethnica dicetur. Reliqua de his scholis quid attinet cõmemorare? Certũ indagare nõ potuimus, an Christiani suos filios etiã in scholas ethnicas miserint, ad discendas artes, Grãmaticen, dialecticen, et similes. Hæretici quoq̃, ut suũ uirus in plurimos euomerẽt, & latius spargerent, scholas instituerũt. nã apud Niceph. lib. 4. cap. 2: Basilides & Saturninus Deo exosas aperuisse scholas dicũtur. Clemẽs in Stromatibus, Valentinianæ scholæ meminit: & Euseb. lib. 4. cap. 29, Bardesanes è schola Valentini fuisse dicitur.

De consociatione ecclesiarum, & mutuis inter se officijs.

DE singularũ ecclesiarũ regimine iam dictũ est: nũc de cõiunctione et ordine, ac administratione pluriũ, aut omniũ inter se copulatarum, subijciamus. Monemus aũt lectorem, ut animo secũ repetat ea quæ in superiori seculo in hoc genere sunt cõmemorata, quo inclinationes & mutationes, quæ subinde in ecclesia factæ sunt, melius et euidentius cognoscat. Cæterũ si quis probatos autores huius seculi perspiciat, uidebit formã gubernationis propemodũ ἀριστοκρατίας similẽ fuisse. Singulæ enim ecclesiæ parem habebant potestatẽ uerbum Dei purè docendi, sacramenta administrandi, absoluendi

ſoluendi & excõmunicandi hæreticos & ſceleratos, ce remonias ab Apoſtolis acceptas exercendi, aut etiã pro ratione ædificationis nouas condendi, miniſtros eligen di, uocandi, ordinandi, & iuſtiſſimas ob cauſas iterum deponendi, cõuentus & ſynodos congregandi, ſcholas inſtituendi & cõſeruandi, in rebus dubijs & cõtrouer ſis aliorũ ſententias poſtulandi, iudicandi & decidẽdi. Deinde uicinæ eccleſiæ uicinarũ, charitatis & ædifica tionis ſtudio, nõ propter primatũ aliquem, ſed propter mandatũ Chriſti de fraterna dilectiõe, tũ in ſua neceſsi tate opẽ implorabãt, tum uiciſsim earũ curã agebãt, et quaſi inſpectrices et adiutrices erãt, ut uerbũ Dei purè doceretur, & ſacramẽta rectè adminiſtrarẽtur, corru ptelæ hæreticorũ refutarẽtur et cauerentur, ſchiſmata exorta cõponerẽtur, doctrina Euãgelij propagaretur, uocarentur & ordinarẽtur pij & eruditi uiri ad mini ſteriũ Eccleſiæ. Si quãdo hæreſes oboriebãtur, aut aliæ quæſtiones grauiores: tum cõueniebant uel omnes pro uinciales, aut pleriq; doctores: & examinata re, cõmu ni iudicio ſtatuebant, quid uitandũ aut ſequendũ eſſet. Euſebius lib. 5. cap. 16, ex Apollinario ait: Etenim fide les per Aſiã multis ſæpenumero Aſiæ locis ob hanc cau ſam conueniebant, & nuper natas doctrinas examina bant, & profanas pronunciabant: hæreſimq; iſtã repro bantes, eccleſia eijciebant & excõmunicabant. In reb. dubijs et nimiũ controuerſis, ſua ſibi inuicẽ non denega bant iudicia: et ſolebãt eccleſiæ remotiores in alijs pro uincijs, cõſultæ per literas, quibus cõmuniter ſubſcribe bant, ſuam ſententiã exponere. Sic fratres et martyres qui in Gallia erant, ſuam de Montani prophetijs ſenten tiam piam & orthodoxam, ad fratres in Aſia & Phry gia perſcribebant. Euſeb. lib. 5. cap. 3. Item Serapion in epiſtola ad Caricũ & Ponticũ ait: Vt aũt ſciatis, quòd iſta quæ nunc noua prophetia, uel potius execratio no ua proceßit, ab omni fraternitate quæ in uniuerſo mun do eſt, reſpuitur & refutatur, tranſmiſi uobis Claudij Apollinaris, Hierapolitani Aſiæ prouinciæ epiſcopi li teras, quibus de his plenius inſtruamini. In hac aũt ipſa Serapionis epiſtola etiã ſubſcriptiones quorundã epi ſcoporũ & martyrũ continentur. Euſeb. lib. 5. cap. 19. Solebant etiam unũ atq; alterum ex præcipuis ſuis do ctoribus ad alias eccleſias mittere, ut cum ijs cõferrent de rebus neceſſarijs, & exortas hæreſes arguerẽt & re futarent, et diſſenſiones ortas cõponerent. Sic Gallica næ eccleſiæ Phrygianis Irenæum mittebant: & Polycar pus ex Aſia Romã ſub Aniceto ueniebat, collaturus de paſchate cum Romanis, qui iam tum paſchatis conſõr mitatẽ neceſſariã putare incipiebãt, & hæreticos qui Romæ defecerant conuerſurus. Irenæus lib. 3. cap. 1, 2, 3. Sic Apollinaris in Ancyram Galatiæ ueniens, ubi Mon tani hæreſis quoſdã infecerat, pro uirili ſua de ijs quæ ab eis obijciebãtur, plurib. diebus in eccleſia diſſeruit & diſputauit. Nicephorus lib. 4. cap. 23. Apparet ex ne gocio de paſchate, eccleſias ſibi inuicẽ non tantũ ſuas cõmunicaſſe ſententias: ſed etiã cum uiderunt alias ec cleſias aut epiſcopos interdũ minus rectè facere aut do cere, non ueriti ſunt eos etiam grauiter obiurgare, & in ueritatis uiam reducere, idq; ratiõe mutuæ dilectio nis. Huc illud pertinet, quod Irenæus lib. 1. cap. 3 nar rat, eccleſiam Romanã tempore Clemẽtis potẽtiſſimas literas ſcripſiſſe Corinthijs, in quibus teſtata ſit, Apo ſtolos tradidiſſe unũ Deum factorẽ cœli & terræ, qui diluuium induxit, & Abraham uocauit: & hunc patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti ab eccleſia annunciari ex ip ſa ſcriptura. Dionyſius Corinthius epiſtolam ad Athe nienſes ſcripſit, in qua ad Euangelij credulitatem & fi dẽ inuitat & cõcitat ſegniores: ſimul & arguit quoſdã uelut penè prolapſos à fide, cum epiſcopus eorum Pub lius fuiſſet martyrio affectus. Idem cum uideret Pyni tum Gnoſiorũ epiſcopum ad caſtitatẽ fratres cogere, ſcribebat ad eum, & rogabat, ne grauia onera diſcipu lorum ceruicibus imponeret: & ne fratribus neceßita tem compulſæ caſtitatis indiceret, in quo nonnullorum periclitaretur infirmitas. Euſeb. lib. 4. cap. 23. Me morabile etiam hoc eſt, quòd Deus ſubinde aliquos ma gnos uiros, excellentibus donis ornatos, ad eccleſiæ uti litatem, ueluti lumiaria quædã excitauit, quos etiã uia cini & remotiores magnificiebant, audiebant & ob ſeruabant, & quaſi pro ſupremis gubernatorib. habe bant, nõ iure aliquo aut cõuentione, ſed ſtudio pietatis, et illis rectè monẽtibus, et alijs patiẽter cupidéq; paren tibus, quia ſpiritũ Domini in ijs loqui animaduertebãt. Tales in Aſia fuerunt Ignatius, Polycarpus: qui à genti bus accuſabatur, quod doctor Aſiæ & pater Chriſtia norum eſſet. Euſeb. lib. 4, cap. 15. Apollinaris, Melito, Polycrates, & alij in Africa: Pantænus, Clemens, Deme trius, in Græcia: Ariſtides, Quadratus, Dionyſius Co rinthius, in occidẽtali eccleſia: Irenæus, & alij epiſcopi. Erat ſanè tum talis politia in eccleſiis, ſicut membrorũ in uno corpore, ubi omnia uni cõpatiuntur, proſpiciũt ac medentur. Hinc ſunt tot epiſtolæ aliarũ eccleſiarũ & doctorũ ad alios ſcriptæ, quæ nõ imperio aut ſubie ctione quadã proficiſcebantur, ſed ex charitate & ædi ficandi ſtudio. Quia uerò lux Euangelij in una ali qua ciuitate accẽſa, paulatim uicinas urbes et oppidula illuminabat, & ex bene cõſtitutis eccleſijs, ubi erant do ctores eruditione, pietate & cõſtantia inſignes, ſemina ria prodibant, & quaſi coloniæ Chriſtianæ deducebantur: ideo eæ eccleſiæ quaſi matrẽ agnoſcebant & uene rabantur eam urbẽ, unde lux Euangelij ipſis illuxerat: & eccleſiarũ illarũ miniſtri plus cõiunctionis & fami liaritatis cũ illis habebant, ſe inuicẽ cõſulebant in con trouerſijs & reb. ad eccleſiã pertinentibus, in afflictio ne & cruce ſe cohortabantur mutuò ad conſtantiã, & cõſolabantur: ſi quid minus rectè fiebat, ſe inuicẽ admo nebant, & liberius etiã obiurgabãt, amicè & Chriſtia nè alius alij ſponte ſe ſubijciebat, honorẽ deferebat: & qui excellebant donis, ij nõ erant domini aliorũ, ſed mi niſtri: & iuxta præceptũ Apoſtoli, ſingulis curæ erat uinculũ pacis cõſeruare, quod in doctrinæ & animorũ pia cõſenſione cõſiſtit. Magni etiã fiebant eccleſiæ, ubi Apoſtoli aut alij præſtantes doctores docuerant, pro pter eã opinionẽ, quòd ibi purior religio ex illorũ do ctorum traditione ſeruaretur. Hæc uerò cõſuetudo iux ta uerbũ Dei obſeruata hoc ſeculo, & ſequenti, pòſt in legẽ abijt: ut in Niceno cõcilio dicetur, ubi aliæ eccleſiæ cũ ſuis epiſcopis uni alicui, eiusq; epiſcopo lege quadã ſubiectæ et parẽre quodãmodo coactæ ſunt. Hoc igitur noſtro ſeculo nullius probati autoris teſtimonio demõ ſtrari poteſt, ex tot eccleſijs quæ paßim ab Apoſtolis in orbe terrarũ erant plantatæ, unã aliquam primatũ ſu per alias ſibi autoritate diuina et Apoſtolica arrogaſſe, & (quod omnino oportuiſſet fieri, ſi ius quoddã fuiſ ſet) uſurpaſſe: nec alias eccleſias unam aliquã ex ſe pro

primaria

primaria agnouisse & coluisse, cuius episcopus esset caput totius Ecclesiæ, & qui haberet potestatẽ solus exponendi sacras literas, condendi ceremonias, faciẽdi decreta, quib. obligati essent omnes pœna excõmunicationis ad quẽ oporteret appellari, etiam ex remotissimis prouincijs: qui solus potestatẽ haberet cõcilia cõuocandi, præsidendi, decidendi ac decernẽdi quiduis etiã contra scripturas: qui à nullo nec possit nec debeat iudicari: & qui insuper dominaretur nõ tantũ ecclesijs alijs, sed etiã omnib. regibus & principibus totius orbis terrarum. Nam Alexãdrina ecclesia, eiusq; doctores multum celebrantur, sed primatus ei nusquã tribuitur: & Niceni concilij canon sextus expressè testatur, ex consuetudine Alexandrinũ episcopũ, uicinarũ ecclesiarũ per Aegyptũ, Libyam & Pentapolim inspectorẽ esse. In Asia plurimæ erant Ecclesiæ, & habebant doctores doctrina et uitæ integritate et præclaris donis illustrissimos: & quidẽ adhuc sub Traiano superstes erat Ioãnes apostolus, alijs apostolis omnib. è uita sublatis: & tamẽ nec Ioãni, nec ulli alij episcopo aut Ecclesiæ in Asia primatus attributus legitur. Quid dicemus de Europæis ecclesijs? Multæ insignes in Europa hoc seculo fuerunt passim ecclesiæ, quarũ episcopi in magna autoritate apud uicinos fuerunt, è quib. etiã Euangeliũ in alia loca est propagatũ: sed cui primatus super alias omnes autoritate diuina attributus sit, nulla reperitur. Ecclesia in urbe Romana propter antiquitatẽ in Italia, et propter confessionẽ, & propter beneficentiã & liberalitatẽ in alias ecclesias, & pauperes Christianos in exilia pulsos, aut ad metalla damnatos, & propter urbis celebritatẽ, quæ domina orbis terrarũ erat, à Christianis & alijs ecclesijs magni quidẽ fiebat, cum suis episcopis & ministris: uerũm eis talem primatũ, ut paulo antè descripsimus, nullæ ecclesiæ, aut earum doctores concesserunt. sed potius, cum mysterium iniquitatis, tẽpore Victoris, eo in loco uideretur in negocio de paschate tale quiddã moliri, quod posset eius rei præiudicium afferre, ab Irenæo & alijs grauiter & prudenter est repressum.

to habet, à Rom. episcopo dissentire: quod omnino fecisset, si eũ pro capite et uicario Christi autoritate diuina constitutũ agnouisset. Iustinus martyr & philosophus, qui Romæ uixit, nusquã uel suspicionẽ præbet, Romanã ecclesiã caput omniũ aliarũ esse: & in Apolog. 2, ubi ritus baptismi & cõgressum publicũ & administrationẽ cœnæ Dominicæ describit, ne episcopi quidẽ meminit, sed eum præfectũ fratrũ appellat. Itẽ in lib. contra Tryphonẽ passim disputat, omnes Christianos esse pontifices: & in nouo Testamento nõ esse sacerdotiũ, sicut et fuit in ueteri. Irenæus Soterẽ, Anicetum, Higynũ, Piũ, Telesphorũ & Xystũ, presbyteros uocat. Euseb. lib. 5, cap. 26. Et Apostolos episcopis in unoquolibet loco ecclesiam tradidisse, affirmat lib. 4. cap. 63. Et iubet obedire presbyteris qui sunt in ecclesia, qui successionẽ habent ab Apostolis, qui cũ episcopatus successione charisma ueritatis certum secundum placitũ patris acceperunt: lib. 4. cap. 43. & quarto Irenæi. Dionysius Corinthius ad Romanos scribens, Soterem nõ Romanum papam aut pontificẽ, sed episcopum appellat. inquit enim: Beatus Soter, uester episcopus, morem illum &c. non modò custodiuit, sed & auxit. Euseb. lib. 4. cap. 23, ex epistola Dionysij. Apollinarius refert, Asiaticos synodos celebrasse, & hæreticos excommunicasse: & nusquã meminit id factum esse autoritate Romani pontificis. quod sanè oportuisset fieri, si eum pro capite agnouissent, penes quem solũ esset synodos congregare. Euseb. lib. 5. cap. 16. Cum in Phrygia & Asia dissensio esset de Montano, Theodoto & Alcibiade, non appellatur ad Rom. episcopũ, sed mittuntur literæ ad Gallicanam ecclesiã. Euseb. lib. 5. cap. 3. Polycrates Ephesinus episcopus, cum tota synodo episcoporũ Asiaticorum, se Victoris decreto de paschate opponit, & dicit, se oportere Deo magis obedire quàm hominibus. Euseb. lib. 5. cap. 25. In libello qui Paruus labyrinthus inscribitur, contra Artemonem, Victor Romanæ urbis episcopus dicitur, & non episcopus totius orbis. Nicephorus lib. 4. cap. 21. Eusebius ipse, qui absq; dubio ex Egesippo & alijs antiquissimorum libris ita descripsit, cum Romanorum doctorum mentionem facit, tantum eos episcopos appellat, & nullo modo alijs episcopis superiores facit. Sic illi uetustissimi de Romanis loquuti sunt, quia suo tempore tales fuerunt Romanæ ecclesiæ ministri: ad quos aliquis sanè, sed tamen paruus, ante Nicenum concilium (teste Aenea Syluio) erat respectus. Verùm posteriores historici & scriptores, cum historias huius seculi describunt, tribuunt Romanis episcopis cognomina, quæ suo tempore fuerunt in usu. Hinc est, quod Vincentius lib. 10. cap. 124 appellat Victorem papam Romanorum, Narcissum patriarcham Hierosolymitanum, Theophilum Cæsareæ episcopum, Irenæum præsulem Lugdunensem. Sic Nicephorus lib. 4. cap. 38 ait, Victorẽ cæteris gloria anteire. Verũ Eusebius, qui antiquior est multo, de eadẽ re loquens, idem nõ asserit. Vnde apparet, Vincentiũ et Nicephorũ eas phrases ex suis seculis in illud prius importasse, quãdo neq; res neq; tales phrases in usu erant. Postremò, de toto regimine ecclesiastico quod hoc tẽpore fuit, omnino sciendũ tenendũq; est, q. politicis legib. nihil obfuerit, nec inobedientiã erga magistratũ honestas leges fouerit, aut ijs, quicq; detraxerit. Nam cùm ministri ecclesiæ, tum auditores,

DE PRIMATV.

Vòd aũt ex probatis testibus nullus sit, qui testetur, Romano episcopo dominium in omnes alias totius orbis ecclesias hoc nostro seculo cõcessum esse, & quidẽ autoritate diuina: id porrò nobis ostendendum est. In uiuis adhuc erat Iohannes apostolus in Asia, uiuebat in Epheso, inde ad uicina loca abibat, & episcopos cõstituebat & ordinabat, nec eos Romã mittebat, ut ordinationẽ aut confirmationẽ ab episcopo uniuersali tanquã à capite acciperẽt. Ignatius Romã captiuus ducitur, & scripsisse epistolã quandã ad Romanos narratur, sed summi põtificis aut primatus mentionem nõ facit: nec Romanis, sed Polycarpo suã ecclesiã cõmendat. Polycarpus sub Aniceto Romam uenit, non quidẽ ad Romanũ pontificem appellaturus, aut pedes eius exoseulaturus, aut decreta ipsius accepturus. Conferebat cũ Aniceto de paschate, et allegabat Ioãnis apostoli & aliorũ apostolorũ Christi autoritatẽ & cõsuetudinẽ. Anicetus uerò (fortè oblitus Petri, fundatoris Rom. ecclesiæ) neq; Petri neq; aliorũ autoritatẽ citat: sed tantũ dicit, consuetudinẽ presbyterorũ, qui se antecessissent, seruandã sibi esse. nec cogit Polycarpũ ut idẽ faciat, nec eũ excõmunicat: nec Polycarpus pro pecca-

seu singuli Christiani in reb. politicis, legib. & iurisdictioni magistratuũ subiecti fuerunt, & diligẽter paruerunt iuxta uerbum Dei, Rom. 13. Subditi estote. Polycarpus enim ait, (Eusebij lib. 4, cap. 15) Sic instituti sumus, ut principib. ac potestatib. à Deo ordinatis honorem qui competat, nec nobis obsit, exhibeamus. Et Ignatius suis præcipit: Obedite Cæsari et magistratui, in quib. sine periculo est subiectio. Et Plinius in epistola ad Traianũ testatur, Christianos omnia facere ad conformitatem legum. Eusebius lib. 3, cap. 33. Diximus hactenus, ex ueracium & uetustißimorũ testium ore, de Ecclesiastico regimine: nunc sanè referamus etiam, qd à testib. suspectis et Romanorũ domesticis narretur.

Anacletus in epistolis quæ ei adscribuntur, in generali ecclesiarum regimine ita ecclesias inter se coniungit, ut Romanæ ecclesiæ primatum & eminentiam potestatis super omnes ecclesias, ac totũ Christiani populi gregẽ, autoritate Christi dicentis ad Petrũ, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. uendicet. Secundà uerò ab ea, Alexandrinam sedem facit, propter Marcum discipulum Petri. Tertiam aũt, Antiochiam ponit, propterea quòd ibi Petrus, antequam Romam ueniret, habitarit. reliquas uerò ecclesias ex ordine se in tomo quodam conscripsisse ait. Deinde gradus episcoporũ hoc modo facit. Romanus episcopus pro summo ecclesiæ capite primo loco collocatur: quem ab alijs, etiã erranem, non uult iudicari, sed tolerari. Secundũ locũ patriarchæ seu primates sortiuntur, tertium metropolitani, quartum archiepiscopi, & deinceps episcopi. Commemorat etiam quasdam ciuitates à beatis Apostolis, à Clemente & à se accepisse primates: epist. 3, tom. 1 Conciliorum, pag. 63. Et narrat, hæc à politica prouinciarum distinctione, quæ ante aduentum Christi facta est, & quam Apostoli & Clemens renouarint, originẽ ducere. Notat etiam quasdam gubernationis regulas & decreta, quæ perstringemus. Vnaquæq; prouincia (inquit epist. 1) tam iuxta ecclesias, quàm iuxta seculi leges, suos debet iustos & nõ iniquos habere iudices, & non externos, nisi huius Apostolicæ sedis autoritas decreuerit: quatenus quicunq; causam habuerit, apud suos iudices iudicetur, et non ad alienos uagandi causa, stimulante proteruia, suam despiciens patriã, transeat. sed ad duodecim eiusdem prouinciæ iudices, ad quorũ iudicium omnes causæ referuntur, deferatur negocium. Si aũt fuerit ecclesiasticũ, apud episcopos, interueniente primate, siquidẽ maior causa fuerit: si uerò minor, metropolitano. Si uerò fuerit seculare, apud eiusdẽ ordinis uiros, iudicio tamen episcoporum, cum Apostolus priuatorũ Christianorũ causas magis ecclesijs deferri, & ibidẽ sacerdotali iudicio terminari uoluit. Si aũt difficiles causæ, aut maiora negocia orta fuerint, ad maiorem sedẽ referantur. Si illic nõ poterunt iustè terminari, ubi fuerit summorũ cõgregata cõgregatio, quæ per singulos annos bis fieri solet & debet, & Deo placitè, coram patriarcha aut primate ecclesiastico, et corã patricio, secularia iudicentur negocia in commune. Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut episcoporũ uel maiorũ iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad sedem Apostolicam (si appellatũ fuerit) referantur. Quoniã Apostoli hoc statuerunt iußione Saluatoris, ut maiores & difficiliores quæstiones semper ad sedẽ deferantur Apostolicã, super quam Christus uniuersam cõstruxit ecclesiã: dicente ipso ad beatũ principẽ Apostolorũ Petrum, Tu es Petrus, &c.

Ad ordinationem alicuius episcopi, præcipit, omnes episcopos comprouinciales conuenire: aut si omnes nequeant adesse, nõ pauciores q̃ tres ordinari debere statuit. Alios sacerdotes à proprijs uult ordinari episcopis, ita tamẽ, ut ciues & alij sacerdotes præbeãt assensum. Epist. 2. Si factũ est, ut ipse decreuisse dicitur, laici in accusatione episcoporũ nõ sunt auditi: nec licuit accusare eos etiã errantes, & malè agentes: Epist. 2. & epist. 1 dicitur, accusatione eos meliores nõ fieri: quia gratiæ plenitudo adiectione nõ indigeat, et nulla requirat cõmendationis augmẽta. quod quidẽ aliud nihil est, q̃, episcopum, præsertim Romanũ, errare nõ posse. Singulis annis circa idus Maij episcopi, qui suberãt Apostolicæ sedi, Apostolorũ limina uisitare iubentur, ex decretis Anacleti. Cæterũ quantũ fidei uulgo habeãt epistolæ & decreta Anacleti, suo dictũ est loco. Euaristus in secunda epistola, se quidẽ episcopũ urbis Romæ appellat: sed tamẽ in prima epistola, sedẽ Apostolicã caput ecclesiæ facit, ad quã oporteat res dubias referri: & ipse Africanis episcopis suas ceremonias benedicendi sp̃õsis obtrudit. et dicit in earũ obseruatione unitatẽ ecclesiæ cõsistere, et iubet suã epistolã per omnes ecclesias legi, quod in alijs autorib. et historijs nusquã factũ esse reperitur. Nõ licuit ecclesijs unũ episcopũ dimittere, et eo uiuo suscipere alterũ: ipse enim Aegyptios, quia episcopos è proprijs ciuitatib. expulerãt, et alios constituerant, obiurgat epist. 2. Querelas cõtra episcopos, autoritate sedis Romanæ terminari oportuit: nec licere ait arguere episcopos, etiã inordinatos, quia pro meritis subditorũ disponatur à Deo uita rectorũ: et quia Christus dixit, Nolite iudicare, & non iudicabimini: et Paulus, Tu quis es qui iudicas seruũ alienũ. epist. Euaristi 2. An hæc ab alijs ecclesijs obseruata sint, testes probatos superius consulere pius lector potest.

Alexander episcopi titulũ sibi tantũ inscribit, & nihilominus tamẽ sibi omniũ ecclesiarũ curã cõmissam esse gloriatur: & sedẽ Romanã caput esse, cui summarũ causarũ dispositiones & negotia omniũ ecclesiarũ ab ipso Domino sint tradita (iuxta illud, Tu es Petrus) uehementer cõtendit: nec ipse uult, episcopos ab alijs accusari. epist. 1. Sixtus se appellat episcopũ uniuersalis Apostolicæ ecclesiæ: & in sede Apostolica ponit Papam, episcopos & sacerdotes: et iubet alios ad sedẽ Apostolicã appellare, tanquã ad caput: et euocatos ad se uenire, & nõ reuerti ad suas ecclesias sine literis Apostolicis. ab hac enim, inquit, sancta sede, à sanctis Apostolis tueri, defendi & liberari episcopi iußi sunt: ut sicut à sede Apostolica sunt episcopi primitùs constituti, ita eius protectione defendantur. Decernit etiam, propter sedis propriæ apicem, ut nemo pontificum aliquem suis rebus expoliatum episcopum, aut à sede pulsum, excommunicare aut iudicare præsumat, epistola 2 Sixti. Telesphorus nominat se urbis Romæ archiepiscopum, & ingens discrimen inter laicos & clericos propter sanctitatem facit: & pontifices & sacerdotes à populo non uult argui, quia discipulus nõ sit supra magistrum: & quia Dei accusat, qui eos accusat, qui ab ipso sunt constituti: & quia sit in

Aposto-

Apostolicis scriptum institutis, Alterius uitam nemo laceret, & de malo alieno os suũ non coinquinet. Memorabile est, quod de hoc decreto, quòd sacerdotes nõ liceat accusare, dicit: Hunc murum firmissimum statuerunt patres nostri, & nos cum eis, contra persequutores nostros, ut hoc remedio eorum pellantur machinamenta, & uos securiores & sanctiores famulari mereamini uestro Saluatori. Egregium sanè fundamentum mysterij iniquitatis contra suos aduersarios. epist. Telesphori 1. Higynus appellat se urbis Romæ episcopum: & nihilominus tamen ecclesiæ Romanæ priuilegium primatus tribuit. ait enim: Cæterum fratres, saluo in omnibus Romanæ ecclesiæ priuilegio, nullus metropolitanus absq; cæterorum omnium comprouincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum, quia irritæ erunt aliter actæ, quàm in conspectu eorum omnium uentilatæ: & si ipse fecerit, coerceatur à fratribus. Epist. 1. In altera epistola ad Athenienses, primus se Papam appellat: & negat se eos susceptorum, qui iussionibus sedis Apostolicæ non obtemperarent. Pius in epist. 1 scribit omnibus ecclesijs, seq; Apostolicæ sedis archiepiscopum nominat: & propter uisionem Hermetis præcipit omnib. ecclesijs, ut pascha die Dominico celebretur. sic enim ait: Et uos Apostolica autoritate instruimus, omnes eadem seruare debere, quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite ullo modo dissentire. Et docet ipse quoq; prolixè, ijsdem rationibus quibus superiores, Romanam ecclesiam caput ecclesiarum omnium à Christo esse constitutam. et repetit etiam alterum fundamentum mysterij iniquitatis, episcopos non esse accusandos, & transgressores mandatorum Apostolicæ sedis infames fieri ait. In altera epistola ad Italicos fratres, itidem sibi titulum archiepiscopi urbis Romæ inscribit, & prædia usibus diuinis tradita ad usus humanos transferri uetat: & sacerdotes ac clericos suo episcopo inobedientes, insidias aut calumniam facientes, curiæ tradi iubet: & in omnibus diœcesibus ac synodis, ubi causæ religionis audiantur & tractentur, Apostolicã autoritatem saluam uult esse. Anicetus in epistola ad uniuersas Galliæ ecclesias, de episcoporum gradibus & primatu papæ, & de appellatione ad sedem Romanam, & de electione & ordinatione episcoporum, eadem testatur quæ Anacletus, cuius literas & constitutiones citat. Memorabile est quod ait: Nulli archiepiscopi primates uocantur, nisi illi qui primas tenent ciuitates, quarum episcopos Apostoli & successores Apostolorum regulariter patriarchas & primates esse constituerunt. nisi aliqua gẽs deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum primatum constitui. Soter in priori epistola ad Campanos, se archiepiscopum Apostolicæ sedis: in posteriori ad episcopos Italicos, papam se uocat. Eleutherius episcopum se tantum appellat, in epistola ad uniuersas ecclesias Galliæ: & tamen Romanæ sedi primatũ arrogat, cum ait, ab Apostolis eorumq; successoribus multorum consensu episcoporum iam definitum esse, ut finitima episcoporum iudicia tantum, & non omnes clericorum accusationes ad sedem Apostolicam referantur, eiusq; autoritate finiantur: nec in eorum ecclesijs alij ordinentur, antequã Romæ iustè eorum terminentur negocia. Quãuis enim liceat apud prouinciales & metropolitanos ac primates eorum uentilare accusationes uel criminationes, tamen non licere diffinire secus quàm prædictum est. Reliquorum uerò clericorum causas apud prouinciales & metropolitanos ac primates & uentilare & iustè finire licet. De accusationibus uerò comprouincialibus ita legitur esse statutũ: Si quis super quibuslibet criminib. quemlibet clericum pulsandum crediderit, in prouincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerceat actiones, nec æstimet eum alibi aut longius ad iudicium protrahendum. Illi uerò qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare. Caueant etiam iudices ecclesiæ, ne absente eo cuius causa uentilatur, sententiam proferant: quia irrita erit, imò etiam & causam in synodo pro facto dabunt. epistola Eleutherij. Conferat pius lector, ea quæ probati testes suprà deposuerunt: agnoscet facile, nec martyres Gallicanos, nec Irenæum Eleutherio primatum tribuere, nec ad Romanum episcopum appellare tum in more fuisse. & quidẽ hic ipse Eleutherius perplexa & contraria dicit, cum ait de Gallicanis episcopis: Huius rei gratia uniuersalis uobis à Christo est commissa ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Si hæc uerè ab eo episcopis Galliæ attribũtur, quomodo primatum sedes Apostolica obtinebit? Si ea fuit iudiciorũ ratio, ut in causis grauibus à Romana sede sententiæ definitiuæ peterentur, cur Phrygianæ ecclesiæ à Gallicanis martyribus, & non potius à Papa, iudicium de nouis prophetijs postularunt? Cur Irenæus à Gallicanis in Phrygiam missus est, ad deferendas literas, et ad componendum schisma?

Victor in epistola ad Telesphorum, se Romanæ ac uniuersalis ecclesiæ archiepiscopum: in altera uerò ad episcopos Africanos, Romanæ urbis archiepiscopũ dicit: & mandat pascha die dominico celebrari ab omnibus, eo quòd non deceat ut membra à capite discrepẽt, aut cõtraria gerant: & obiurgat Alexandrinos, q, sibi sumpserint de causis episcoporũ iudicare & definire: & præcipit, ut ad sedem Romanã deferantur. ait enim: Vnde ita constitutũ liquet à tempore Apostolorũ, & deinceps placuit, ut accusatus uel iudicatus à cõprouincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet, & adeat Apostolicæ sedis pontificẽ, qui aut per se, aut per uicarios suos, eius retractari negociũ procuret: & dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus. Quoniã quanquã à cõprouincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffiniri incõsulto Romano pontifice permissum est. Cum B. Petro apostolo non ab alio, q̃ ab ipso dictũ sit Domino: Quæcunq; ligaueris, etc. Et alibi in institutis legitur Apostolicis: Si quis putauerit se à proprio metropolitano grauari, apud patriarchã uel primatẽ diœceseos, aut penes uniuersalis Apostolicæ ecclesiæ iudicetur sedem. epist. 1. Victoris. Africanus minatur, se cos ab Apostolicæ sedis & totius Ecclesiæ communione pulsurum, qui à fratribus in sacramentis discrepent, & contentiones moueant. Huiusmodi Romano episcopo dominium in Africanos & Alexandrinos fuisse, ex Clemente (qui hoc tempore uixit, & ueracior testis est quàm epistolæ Victoris, de quib. suo loco dictum est) nusquã cõstat.

Atq;

Atq; hæc de generali regimine ecclesiastico, ex suspectis testib. dixisse satis sit: quos falsi testimonij arguendos, non tantum testes probati, sed etiam conditio quæ Ecclesiæ in hoc turbulentissimo & cruentissimo seculo fuit, sub tyrannis & persecutoribus, & sequentium seculorum uerax historia, quæ in apertum adducet, quando & quomodo Romana ecclesia primatũ super alias ecclesias sibi arripuit & usurpauit, manifestissimè ostendet.

DE EPISTOLIS DECRETALIBUS, ut uocant, seu Pontificum.

In tomis Conciliorum, singulis Romanis episcopis, qui in hanc Centuriam cadunt, ut sunt Clemens, Anacletus, Euaristus, Alexãder, Sixtus, Telesphorus, Higinus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, suæ attribuuntur epistolæ. Quia uerò de multis magnis rebus ex ijs testimonia proferuntur, non imprudenter faciũt ij qui non prius fidem testibus adhibent, quàm ad normam ueritatis & fidei singula examinarint. Id autem si quis fecerit, euidentissima argumenta, eaq; quamplurima inueniet, quæ eum manifestè docebunt, hasce epistolas, ut uulgò habentur, nullo modo ab ijs hoc seculo scribi potuisse: sed ab uno eodemq; indocto & insulso quodã fabricatore, qui longè inferiori uixit seculo, aut de integro cõfictas, aut fœdissimè corruptas esse. Nam habitus orationis, & totus contextus palàm prodit, unum & eundem autorem omnium epistolarũ esse. Impossibile enim est, tot episcopis, de industria etiam ad styli similitudinem assuefactis, unam fuisse locutionem. Probant id non solum tota orationis facies & compositio, uerùm etiam phrases eiusmodi in multis epistolis sæpenumero recurrentes. Præterea initia & occasiones epistolarum, magnã inter se habent similitudinem. Et quid argumenti aliud pleræq; habent, quàm de primatu ac regno ecclesiæ Romanæ, de ordinatione episcoporum, de non lædendis, accusandis & deponendis sacerdotibus, de appellatione ad sedẽ Apostolicam? Hæ materiæ ijsdẽ rationib. subinde repetũtur et inculcãtur. Deinde, si genus Latini & Græci sermonis, quo Ecclesiastici et alij profani scriptores usi sunt hoc seculo, conferatur cum eo quod est in his epistolis, manifestè apparebit, ὅλις ἀλλὰ πασῶν, quod dicitur, inter se distare. Etsi enim eo tempore Latina lingua nõ adeò omni suo cultu & mundicie perfecta erat, atq; Iulij Cæsaris & Augusti tempore: tamen nondum tam insulse, inepte et barbarè quenquã locutũ esse, testes sunt multi eius seculi doctissimi uiri, qui purissimè & elegantissimè loquuti sunt: ut Plinius, Suetonius, Solinus, Tacitus, Iustinus, & alij quamplurimi. Nam multa in his epistolis parũ latinè dicuntur: ut, Episcopi sunt obediendi, diligẽdi, & summoperè uenerandi, & non detrahendi uel lacerandi, ut in Euaristi epistola 2 uidere est. Iidem flores & singulares elegantiæ in Telesphori epistola extant, ubi porrò & hæ scribuntur: Patres omnes sunt uenerandi, non respuendi aut insidiandi, &c. item, A quib. omnes se fideles cauere debent. Nec apud ullum ecclesiæ doctorem & scriptorem, qui hoc seculo uixit, aut etiã aliquot seculis pòst, huiuscemodi portentosas phrases reperias, quales sunt, Episcopus episcoporum, primates episcoporum, patriarcha, archiepiscopi, metropolitani: ut habentur in Clementis epistola 1. Item, Co-episcopi principes maiores, minores, pontifex prophe-ta pro Christo, sacrificare, episcopus regulariter ordi-natus: in Clementis epistola 3. Apex sanctæ sedis, in sede Apostolica seruire, sacrificare Domino, pontifica-tus: in Anacleti 1 epistola. Dilectio uestra, regularis mutatio, epist. Euaristi. Vniuersalis episcopus, Apostolicæ sedis pontifex, Vict. 1. Corpus Domini ore conficere, missas facere, & similes plus quàm sexcentas.

Multa etiã passim in ijs ἀνανόλυθα & prorsus non cohærentia consuuntur, ut in Clementis 3 epistola: Hic ergo, hoc est, in hac præsenti uita positos, oportet nos agnoscere uoluntatem Dei, ubi & agendi & sacrificandi locus est. Quoniam in alijs locis sacrificare et missas celebrare non licet, nisi in his in quibus episcopus prius iusserit, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenente uidelicet ciuitatẽ, consecratus fuerit, &c. Postea sequitur conclusio: Operum hic locus est, tempus uerò meritorum seculum futurum. Simile exemplum in 4. Clementis sub finem extat: Sed & illa species castimoniæ obseruanda est, ne passim & solius libidinis causa cum fœminis cocat quis, sed posteritatis reparãdæ gratia, &c. ergo omnes peccauerũt, & egent auxilio Dei. In Telesphori etiam epistola, ubi dicit angelicum hymnum esse recitandum solenniter in missarum solennijs, infert: Ipsi enim qui proprio ore corpus Domini conficiunt, &c. sunt audiendi, obediendi, &c.

In multis etiam epistolis scriptura ualde ineptè citatur, in plerisq; uiolenter & histrionũ more torquetur. Anacletus 3 epistola, Cephas indoctissimè & insulsissimè caput & principium interpretatur. In 1 epistola illud, Tu es Petrus, & super hanc petrã, etc. exponitur, id est super Romanam ecclesiam, ædificabo ecclesiam. Violentius uerò & crassius illud est: Dominus per Moysen loquitur, dicens de Loth, Ingressus es quidem ut aduena, nunquid ut iudices? Ergo peregrina submouenda sunt iudicia. Nam illud Genes. 19. Ingressus es, &c. non Dominus per Moysen loquitur, sed Sodomitæ, hospites Loth ad stuprũ postulantes, obijciunt & exprobrant ei, quòd cum sit aduena Sodomæ, nolit tamen cupiditatibus suis obtemperare.

Nec pauca passim occurrunt in ijs perplexa & contraria. Vt autem unum de multis proferamus, in Eleutherij epistola, cum plurima de primatu Romanæ ecclesiæ dixisset, sub finem hæc adijcit: Huius rei gratia uniuersalis uobis (Gallis) à Christo Iesu cõmissa est ecclesia, ut pro omnibus laboretis, et cunctis opem ferre nõ negligatis. Hæc posteriora destruunt priora. Nam si Gallis commissa est uniuersalis ecclesia Christi, falsum erit, quòd prius Romanæ ecclesiæ attribuit primatum.

Formulæ etiam citationum arguunt, alio quàm hoc seculo has epistolas esse scriptas. Nam in plerisq; epistolæ Clementis & Anacleti citantur, quæ cum sint suspectæ & supposititicæ, ut paulo pòst declarabitur, etiam illis fidem derogant. Anicetus citat literas Clemẽtis, cum quidẽ teste Irenæo & Eusebio, Anacletus à Petro presbyter seu episcopus sit ordinatus, nec titularis fuerit episcopus. Communis præterea formula est, quæ Anacletus, Euaristus, Alexander & alij utuntur, iuxta sanctorum patrum & canonum instituta, &c. Item, Hæc ab antiquis, ab Apostolis, à sanctis patrib. accepimus,

mus, sic Apostoli statuerũt, & sancta Romana tenet ecclesia: Anacl. 2. Sed quos sanctos patres uocet, cum Anacletus sit à Petro secundus, secundum Eusebium & Irenæum & probatiores autores, aut tertius secundum recentiores? Idem de Euaristo dici potest, qui allegat autoritatem patrum, Apostolorum, eorumq; successorum: quasi longissimo tempore post Apostolos scripserit, cum tamen aliquandiu cum Apostolis uixerit, et Ioanne adhuc superstite episcopus factus sit, nempe sub Domitiano, ut Damasus testatur. Materiæ quoq; rerum, quas is temporis status requirebat, citra cõtrouersiam arguunt, non esse autores Romanos illos primos episcopos. De rebus enim & statu eorum temporum, ne unũ quidem habent uerbum. Nihil de persequutionibus, nihil de periculis Ecclesiæ, & quassationibus, quas tamen frequentes fuisse certò constat, meminerunt: nihil item de doctrina, de officio Episcopali & cura gregis dicunt. Quid enim magis eo persecutionis tempore scribere conuenisset, quàm cohortari pios ad constantiam in confessione, & tolerantiam in cruce, ad ueram inuocationẽ pro mitigatione afflictionis? Item, cum eo seculo ab ethnicis & hæreticis uehementer affligerentur passim Ecclesiæ, quæ fuisset cõmodior materia literarũ, quàm refutare hæreticorũ dogmata, armare miseras oues Christi contra eorum fraudes, et idololatriã ac rabiem paganorum? In aliorũ huius seculi autorum scriptis hæ sunt uulgares materiæ, ut aut necessarios fidei articulos illustrent, aut hæreticos refutent, aut contra ethnicos & philosophos et Iudæos pugnẽt, aut apologias pro Christiana religione edant, aut de martyrũ constantia & confessione narrent. Verùm nihil horum in his inest Epistolis: aut si quid inest, non cõgruit cum controuersijs & rebus huius seculi. Quæstio enim illa, an filius sit minor patre, an filius solus habeat immortalitatem, Arij tempore agitata est, & non hoc seculo.

Præterea à ueritate historica alienissima in singulis Epistolis continentur plurima, quæ apertorum mendaciorum accusant & condemnant suos autores. Nam in Clement. 1. epist. multa de Petro à ueritate aliena dicuntur: quòd sit primitiæ electionis Domini, & primus ac potentior Apostolus, cui soli primùm pater filium reuelarit, et quem Christus iusserit obscuriorem Occidentis plagam illuminare. Ioannis enim 1, Andreas prior ad Christum uenit, & postea Petrum adducit. & Marci 1, nõ solus Petrus, sed cum eo Andreas, & paulo pòst Ioannes & Iacobus uocantur. & Galat. 2, Petro concreditum est Euangelium circuncisionis, &c. Item, quòd Petrus fundamentum Ecclesiæ sit definitus, contra illud 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS. Et quòd Petrus integrè potuerit implere præceptum: cum tamen Petrus illam regulam Christi obseruarit, Si omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus: & Christus solus dicat, Ego ueni legem adimplere. Et quòd Petrus Clementi mandarit, ut Iacobo de sua morte scribat: cum non potuerit ignorare, Iacobum septem annos ante se mortuum esse, præsertim cum quotidiana ferè commeatio Christianorum & aliorum hominum ex Roma Hierosolymam esset, & econtrà: nec tam demens fuerit, ut ad mortuum scribere præciperet. Nec illud admodu muero simile est, quòd Petrus Clemẽ tem paulo ante mortem Romanum ordinarit episcopũ. nam Paulus in epistola ad Philippenses testatur, Clementem suum cooperariũ fuisse: nec eum appellat Pontificem Romanum, episcopum uniuersalem, caput Ecclesiæ: nec Petrus in 2. epist. quam etiã paulo ante mortem scripsit, mentionem Clementis facit, nec eius aut alterius primatus: quod sanè debuisset facere, ne Ecclesiæ ignorarent, Petro mortuo Clementem et Romanos successores caput Ecclesiæ futuros. Anacletus, si uerum est quod in 2. Epist. dicitur, à Petro presbyter Romanus est ordinatus. Presbyteri autem erant episcopi, ut ex Pauli & Petri epistolis constat. Quòd si Anacletus à Petro Romæ ordinatus est episcopus, quomodo Clemens potuit Anacleto adhuc uiuo ordinari, si nefas fuit in eodem loco plures ordinari episcopos? Quæ à Platina & alijs afferũtur ad recõcilianda hæc pugnantia, recentiorum commenta sunt, & ignorantur ab ijs qui in hoc seculo uixerũt, ut est Irenæus & alij: & qui uicini fuerunt, ut Eusebius & alij. Eiusdem generis & illa sunt, quæ de gradibus Episcoporum finguntur, quòd Petrus iusserit in gentium urbes, ubi antea archiflamines maiores erant, collocare patriarchas seu primates: ubi uerò minores, eò archiepiscopos: in alia uerò magna oppida, metropolitanos: in cætera uerò, Episcopos. saltem illud caueretur, ne in uicos & parua castella Episcopi constituerẽtur, ne nomen eorum uilesceret: & ne in uno oppido duo aut tres essent Episcopi, sed in singulis singuli, Clemens in prima. Nam Petrus in suis epistolis, quarũ postremam paulo ante mortem scripsit, nullam istorum graduum mentionem facit. & 1. Pet. 5 ministros Ecclesiæ tantum presbyteros, & quidem se compresbyterum uocat: nec usquam Episcoporum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Papæ & similium titulorum meminit.

Iacobum fratrem Domini Clemens 1. epist. uocat Episcopum Episcoporũ, regentem omnes Ecclesias, quæ ubiq; sunt fundatæ: quod à ueritate remotissimum esse, quis non uidet? & quidem in 5. epist. tantum Coepiscopus appellatur ab eodem.

Nec illud uero consonat, quòd Clemens 5. epist. ait, se Hierosolymis uidisse, unà cum Iacobo Iusto & alijs, quòd discipuli omnia communia habuerint. nam Nicephorus lib. 2. cap. 35 & alij testantur, Clementem à Petro sub Nerone tandem conuersum esse.

Nec hoc ei seculo congruit, quòd infamiæ nota inobedientes Episcopis punien dos statuunt, Clemens epist. 3. Alexand. 1. epist. Telesphorus, Pius etiam curiæ eos tradi præcipit. Nam ea pœna legum ciuilium erat, quã non Episcopi, sed Imperatores irrogabant: quorum edictis Christiani, maximè uerò Episcopi, non tantum pro infamibus, sed pro sceleratissimis, tanquã κάθαρματα, omnes simul habebantur.

Varij describũtur ritus in his Epistolis: quales sunt, de baptisatis oleo per orationẽ consecrato inungendis: Clem. 3. deq; ijsdem septiformi spiritus sancti gratia cõsignandis & confirmandis, ut perfecti fiant Christiani: epist. 4. Clement. De missæ celebratione, ne fiat sine iussu Episcopi, nec in alio quàm in loco consecrato: ita enim nouum et uetus Testamentum docere, et Apostolos à Christo accepisse, & alijs porrò tradidisse: Clem. 3. Anacl. 1. Porrò adijcitur, septem aut quinq; aut tres

Diaconos & subdiaconos, & reliquos ministros sacris uestibus indutos, à fronte & à tergo, presbyteros uerò à dextra læuaq; consistere debere, sacrificante Episcopo. Euar. 1. eadem repetit.

Sed hos ritus neq; uetus neq; nouũ Testamentũ, neq; Christus neq; Apostoli docuerũt: & sic nõ esse obseruatos Romæ hoc seculo, testari potest ueracissimus testis Iustinus, qui in 2. Apologia ritũ Baptismi & Cœnæ Dominicæ simplicissimè describit: nec olei, nec locorũ consecratorũ, nec uestiũ, nec aliarũ rerum meminit. Quid quòd Irenæus lib. 1. cap. 18, Valentinianos narrat, alios quidem oleum in aquam, recitatis quibusdã uerbis, infudisse:: alios uerò, baptisatos opobalsamo inunxisse? ut magis hæreticorum, quàm orthodoxorum, mos hic inungendi tum temporis fuisse uideatur.

Nec ordinationis ritus, qui Anacleti epist. 2 describitur, de imponẽdis 4 Euangelijs, & oleo chrismatis, hoc seculo in usu fuit. Nec tempori & ueritati congruũt illa decreta de appellatione ad Rom. sedem, de comparitione, de Episcopo pulso ante iudiciũ restituendo, de sacris uasis nõ tangẽdis nisi ab hominibus sacratis, neq; à monachis aut sacris fœminis, de aqua & sale benedicenda, & aspergẽdo populo ut sanctificetur, de nõ seruandis chirographis ui extortis: qualia passim extãt in Anacleti, Alexandri, Hygini, Eleutherij literis. Nã ab Apostolis, quibus pleraq; adscribũtur, nusquã statuta leguntur, & à doctrina eorũ prorsus abhorrẽt. Nam propter persecutiones perpetuas eius temporis, studia, labores docendi, paupertatẽ, summumq; contemptũ, non licuit, nec uacauit eis, lites in curia Rom. coram Papa mouere & tractare: quod circa 400 Domini annum, aut etiam serius, primùm factitari cœptum est.

Alia præterea multa & infinita penè in singulis Epistolis, in ueritatẽ apertè impingunt. Anacletus 1.2.3 generalẽ politiæ Ecclesiasticæ formam describit, qualis tunc nõ fuit. & epist. 3. fabulatur, se tomum de primatu scripsisse, sed eius scripti nusquã fit mentio. Vero etiam absimilimũ est, quod Euaristus 2. epist. fingit, Aegyptios suos episcopos pepulisse. Nam eo loco res Christianorum tum erant, ut nusquã tutò uersarẽtur ipsi, ob immanẽ crudelitatẽ persequutorũ. Simile et illud est, quòd uult suas literas per omnes Ecclesias Africanas legi, & dicit ijs præfectorum literas adiunctas esse. quod haud uerum est. nam neq; id factũ esse probari potest: nec præfectis, qui sub Traiano atrociss imè persequebãtur Ecclesiã, cum episcopis Christianis ullatenus cõueniebat. Epist. 1. Victor Theophilum Alexandrinum uocat episcopũ: cum Cæsareæ, & non Alexandriæ fuerit.

Pius & Victor in literis, ubi præcipiũt Pascha eodem modo ubiq; debere obseruari ab omnib. ecclesijs, addunt rationẽ: quia nõ deceat membra, id est, alias ecclesias à capite, id est, Romana sede dissentire. Sed huius rationis neq; Irenæus neq; Euseb. meminerũt, ubi eam cõtrouersiam describunt: nec Polycarpus, nec Irenæus, nec Polycrates, Iustinus, Clemens & alij, Romanum episcopum pro capite Ecclesiæ agnouerunt.

Postremò, nec tempus, quo datæ inscribuntur literæ Alexandri, Telesphori, Hygini, Pij, Aniceti, &c. cum ueritatis norma congruit.

Cæterùm si reliqua ad fidei ἀναλογίαν & ad amussim doctrinæ prophetarũ, Christi & Apostolorũ exa-

minantur, ipsa mysterij iniquitatis fundamenta & insignia inueniũtur: qualia sunt, Prohibitio cõiugij. Clemẽtis enim 2. epist. sacerdotib. interdicitur, ne post ordinationẽ uxores retineãt. quod si nõ fecerint, ab officijs maioribus remouentur. Euaristus mulierẽ uiro, qui adulterium admisit, iubet reconciliari, aut innuptam manere: cum tamen Paulus parti innocẽti permittat ius nuptiarum, 1. Cor. 7. Et prohibitio ciborũ. Telesphorus enim clericos septẽ hebdomadas ante Pascha à carne ieiunare præcipit. Et distinctio laicorũ & clericorũ seu spiritualiũ propter sanctitatẽ, de qua Clemẽs 1. & Telesphorus in sua agunt Epistola: cum tamẽ omnes pij dicãtur sancti in Scriptura. De maioritate Episcoporũ & sacerdotũ super Principes & magistratus, de qua Clemẽs in 1. & Anacletus in 1 Episcopos iubet causas seculares unà cum iudicib. expedire et iudicare: cõtra illud, Principes gentiũ dominãtur, uos aũt nõ sic. De nõ arguẽdis aut damnãdis Episcopis et sacerdotibus. nam Clemẽs in 1. Anacletus in 1.2.3. Euaristus in 2. Alexãder in 1. Telesphorus in 1. Pius in 1.2. multis ineptis rationib. hoc obtinere contendũt, et ualde indistinctè loquũtur, & quidẽ Petrũ huius doctrinæ faciũt autorẽ. Argumẽta autẽ, ut breuiter annotemus, hæc sunt. Primum Paulus dicit: Pro minimo nobis esse debet, ut à talibus arguamur, uel ab humano die. Secundum: Leges diuinæ & humanæ prohibent maiores à minorib. accusari. Tertium: Homo non patitur seruũ suum ab alio iudicari. Clem. 1. Anacletus uerò in 1.2.3. has adijcit rationes: Iniuria sacerdotum ad Christum pertinet, cuius uice fungũtur. altera: Qui uos tangit, tangit pupillã oculi mei. tertia: Deus superbis resistit, humilib. autem dat gratiã. quarta: Nolite omni spiritui credere, inquit Ioannes, &c. quinta: Quia unusquisq; pro se Deo rationem reddet. sexta: Quia gratiæ plenitudo adiectione non indiget, nec ulla requirit cõmendationis augmẽta. quasi dicat: quia non possunt errare. septima: Quia Dominus non per alium, sed ipse, sacerdotes cmentes et uendentes, flagello ex templo eiecit. octaua: Quia Deus stetit in synagoga deorum: et, Dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. nona: Quia Paulus dixit, Tu quis es qui iudicas seruum alienũ? Telesphorus addit hanc rationẽ: Quia discipulus nõ est super magistrũ. et huius decreti fructũ & finem subijcit: Hunc murũ firmissimum statuerũt patres nostri, & nos cum eis, contra persequutores nostros, ut hoc remedio eorũ pellantur machinamẽta, & uos sanctiores & securiores famulari mereamini uestro Saluatori. De primatu Romanæ ecclesiæ. Anacletus enim epist. 3. ait, nõ ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore primatũ obtinuisse, & eminẽtiam potestatis super uniuersas Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecutam esse: et Apostolos iussione Saluatoris statuisse, in maiorib. quæstionib. ad Romanã ecclesiam appellandũ esse. epist. 1.2.3. Idem postea alij repetunt & stabiliunt, ut Euaristus 1. Alexander 1. Pius 1 & 2. Anicetus & Victor. Rationes aũt frigidissimæ proferũtur, quas adscribemus, ut ineptitas cõspiciatur. Prima, quia Petro dixit Christus: Tu es Petrus, et super hanc petrã, id est, Rom. sedem, ædificabo uniuersam Ecclesiã. Secũda, quia Petrus & Paulus mortui sunt Romæ. Tertia, quia Paulus Rom. 1. ait, se sine intermissione memoriam Rom. ecclesiæ orationibus suis facere. Quarta, quia Petro

tro à Domino est concessum, et ipsi Apostoli uoluerũt, ut reliquis omnib. præesset Apostolis, & Cephas, id est caput & principiũ teneret Apostolatus. Quinta, quia Apostoli statuerunt inter se, ut Episcopi singularũ gentium scirent, quis inter eos primus esset. Sexta, quia in ueteri Testamento Moises et Aaron primi erant. Ergo si ortæ fuerint difficiliores causæ, ad sanctæ sedis apicẽ quasi ad caput refertur, ut Apostolico terminetur iudicio. Victor 1. epist. sic ratiocinatur: Petro dictum est, Quicquid ligaueris, &c. ergo appellandũ est ad sedem Romanã. Hæc aũt fundamẽta & insignia mysterij iniquitatis esse, à Paulo 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 2. Thess. 2. 2. Pet. 2. & in Daniele atq; Apocalypsi prædictum est.

Postremò, næui & manifestæ corruptelæ sanæ doctrinæ in ijs reperiuntur, cuiusmodi aliquas recensebimus. Primùm enim, discrimẽ ueteris & noui Testamẽti tollitur, Anacleti epist. 2. & in alijs passim, ubi sacerdotium, cuius autor Petrus sit, perinde ut in ueteri Testamẽto statuitur: & ad Mosaicas leges, de purificatione & alijs rebus, pij obligantur: cum tamẽ lex & prophetæ usq; ad Ioannẽ tantum durent, & in nouo Testamento nõ sit externũ, sed tantum spirituale sacerdotiũ, cõmune omnib. Christi fidelibus. 1. Pet. 2. Hebr. 9. Deinde, doctrina de libero arbitrio in Clemẽtis 1. & 3. & alijs corruptè proponitur. Voluntatis enim uiribus tribuitur nõ tantum uelle in rebus ad salutem pertinentibus, sed etiam perficere, & misericordiã consequi: cum tamen Deus sit, qui faciat ut uelimus & perficiamus. Tertiò, ab Anacleto epist. 2 doctrina de pœnitentia uiciatur: immiscetur enim satisfactio. Et Alexander epist. 1 peccata sacrificijs deleri docet, & propter recitationem passionis Deum placatũ iri, & peccata remittere. Item, sacerdotes precibus & oblationibus delere et consumere peccata populi, epist. 2 affirmat. Quæ blasphema & contumelioſa sunt, aduersus opus & sanguinem Christi, quo solo redempti sumus, & qui unica oblatione nos cõsummauit. Hebr. 9. Quartò, de iustificatione Clemẽs 1. 3. 4. & alij passim nõ rectè docent. nam Clem. 1. de fide ualde ineptè & frigidè loquitur, & se ita declarat, quòd sentiat fidem significare solam noticiã Symboli, & esse tantũ initiũ & fundamentũ salutis. Deinde nõ gratis, propter Christũ, absq; operibus, sola fide nobis salutẽ cõtingere docet. ait enim, per temporalia officia nos æterna gaudia mereri: item cõfessione, quæ sacerdoti fit, fide & bonis operib. æterni ignis pœnas nos effugere, & ad perpetuæ uitæ præmia peruenire. Dicit porrò, salutẽ animarũ & uitam bonis actibus præparari. Epist. 3. ait, ex proprijs gestis hæredem bonorũ cœlestium pro bonis actibus baptisandũ fieri, & hominẽ bonis operibus tanquam abundanti uiatico repletũ, ad regnum Dei peruenire debere. Epist. 4, repletos bonis operib. hæredes uitæ æternæ effici asserit, et quidẽ Petrũ sic docuisse impudẽtissimè asseuerat: cum tamẽ Acta apostolorũ & epistolæ Petri apertè testentur, quòd Petrus gratis, absq; operib, sola fide, propter meritũ Christi, peccatores pœnitẽtes iustificari docuerit. Act. enim 2. interrogatus à Iudæis, quid facere debeãt, ut effugiãt iram Dei? inquit: Delictorũ pœnitentiã agite, & baptizetur unusquisq; uestrũm in nomine Iesu Christi, in remissionẽ peccatorũ. & Act. 4. Nec est in alio quoquã salus: nec est aliud nomẽ sub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 10. Huic testimoniũ perhibent omnes prophetæ, &c. 1. Pet. 1. Virtute Dei custodimini, per fidem, ad salutẽ. Quintò, exauditio orationis non in fide & nomine Iesu Christi, sed in bonis moribus & operibus, Clem. 1. & in oblationib. et dignitate sacerdotũ, Alex. 2 collocatur: & quidem pro mortuis orare, eleemosynasq; dare, & exequias peragere, Petrus iussisse dicitur 1. Clemẽ. Sed hæc à sana doctrina de oratione dissonare, & à Petro nusquam tradita esse, quis est qui ignoret? cum nihil eorũ in Petri literis, nec alibi usquam in Scriptura præcipiatur. His simile est, quòd Clem. 3. dicitur, neminem pro eo quod ignorauit, iudicatum iri: sed tantum pro eo quod quis sciuit, & non fecit: cum tamen Christus dicat, Seruus ignorans uoluntatem Domini, uapulabit. Et quòd Apostolorum meritis attribuitur eiectio dæmoniorum: cum Scriptura uerbo Dei, fidei & nomini Christi eam uim adscribat, Marci 16. In nomine meo dæmonia eijcient. Sextò, sana etiam doctrina de libertate Christiana multis modis deprauatur. uariæ enim traditiones humanæ coaceruantur, quib. conscientijs laquei ponuntur, et opinio meriti & cultus affingitur: cuiusmodi sunt, traditio de cõfessione auriculari, 1. Clem. De reliquijs fragmentorũ post cœnam Domini, de uasis sacris, de palla, de uelo & alijs: ubi transgressoribus pœna anathematis etiã à Petro statuta dicitur. Clem. 2. De uitanda menstruata. De purificatione, Clem 4. De cõmuni uita, Clem. 5. De publica et solẽni benedictione coniugũ in templis, ad quẽ ritum necessariè obligari uult omnes ecclesias, Euar. 1. De aqua benedicta, Alexand. 1. De uasis sacris non contrectandis, nisi à sacratis, Deoq; dicatis hominibus: si enim id fiat, tum non tantũ attingentẽ, sed totum populũ puniri: Six. 1. Neq; à sacratis fœminis incensum ad altare deferendũ, Sot. 2. De ieiunio, Telesf. 1. De uniformi obseruatione paschatis, Pij 1. Vict. 1. De radendis capillis in modũ sphæræ, Anicet. 1. Septimò, Quædã etiã planè superstitioſa. nam in Anacl. 2. de oleo seu sancto chrismate (ut uocat) quo iubet episcopos ordinandos inungi, dicitur, quòd in eo uirtus spiritus sancti inuisibilis permixta sit: quod nullius scripturæ autoritate probari potest, & planè superstitioſum est. in Alex. 1. aquæ cum sale benedictæ uis sanctificandi aspersos adscribitur: quod cum fiat sine Dei mandato, idololatricũ & superstitioſum esse manifestum est.

Ex his pius lector facilè intelligere potest, has literas haud ab alijs quàm à ministris mysterij iniquitatis, nec alio tempore q̃ eo cum mysteriũ iniquitatis fuit in summo cõstitutũ gradu, scribi potuisse. Id autẽ etsi adhuc superstite Paulo agere inceperat, 2 Thes. 2. & in ea urbe quæ dominiũ super reges terræ tenebat, agere debuit, Apoc. 17. tamẽ in ea luce Euãgelij, & in tam tristi persecutionũ statu, nõ est uerisimile, adeò apertè in Romanis episcopis sese exeruisse. Nam de primatu Rom. ecclesiæ ante Nicenã synodũ, & multis annis pòst, nullam fuisse quæstionẽ, ex historijs fide dignis et uetustissimis patrib. apparet. Et sicut in sexta Carthaginensi synodo, ut infrà dicemus, primatus Papæ est refutatus: ita hoc seculo pij doctores nõ tulissẽt tales epistolas Clemẽtis et aliorũ Romanorũ episcoporũ, mẽdacijs, næuis et errorib. plenas. Dionysius Corinthius Pynitũ, cælibatus onus fratrib. imponentẽ, arguisse dicitur. & Apol-

lonius,ecclesiasticus scriptor, de Montano ait, (Euseb. 5.cap.18.) Hic est qui docuit nuptias solui, & qui ieiuniorũ leges primꝰ imposuit. Apollinaris (Euseb.5 cap. 15)in Montano reprehẽdit,quòd nimia cupiditate primatus accẽsus,in hæresin inciderit. Hi et alij doctores, si Romani episcopi huiusmodi epistolas scripsissent, quales nunc extant, aperte ijs restitissent. Quod quia nusquã legimus, putamus quiduis potius de ijs qui hoc seculo Romanæ ecclesiæ præfuerunt credendum, quàm has ab eis scriptas esse literas.

Accedit insuper autoritas aliorũ antiquißimorũ testium,ad excusandos Romanos episcopos, ne harũ epistolarũ autores credãtur. Nam Eusebius,qui Bibliothecam instructißimã habuit,quemq;,cum Constãtino Imperatori Romano intimus esset, nihil potuisset latêre memorabiliũ rerũ Romanorũ episcoporũ, tantum Clementis & Victoris literarũ meminit: neq; tamẽ earum quæ nunc extant, sed aliarum:cæteris uerò huius seculi Rom.episcopis nullas adscribit. Nec Damasus,si manuscriptis potius q̃ impressis credatur exemplaribus, ulli episcopo Rom. eas quæ nunc extãt attribuit epistolas. quod miraculi penè instar haberi potest,Romanum episcopũ ex professo suorũ antecessorũ uitas describentẽ, & tam uicinũ eorum seculo, nõ meminisse Epistolarũ. Quid hoc aliud, q̃ apertũ Damasi testimonium,nullas unquã tales ab ijs scriptas extitisse? Nec Hieronymus mentionem earum facit,cum tamen aliàs scripta cuiuslibet insignis doctoris scrupulose etiam annotare soleat. Quidꝰ quòd in sexta Carthaginẽsi synodo (ut infrà patebit) ubi Rom.episcopus primatũ probare iubebatur, nulla fit mẽtio harũ epistolarũ:quas, si tum extitissent, aut pro authẽticis habitæ essent,magna cum solẽnitate, triũpho & fructu in mediũ protulissent. Nec facilè reperias,has epistolas ab ullo patrũ, aut fide digno autore, ab hoc seculo usq; ad Caroli magni ætatẽ, citari: & nõ est absimile uero,circiter id tempus,cum Ecclesiæ occidẽtales paßim ex Romana bibliotheca libros peterẽt, fraude Romanorũ episcoporũ imperium super omnes nõ modò ecclesias, sed etiã super reges & principes terræ affectantiũ,confictas, suppositas,et latè sparsas esse. Cæterùm, fuerũt etiã alij, qui ante hanc nostrã ætatem censuerũt,has Pontificũ epistolas nõ esse genuinas, sed supposititias. Quidã monachꝰ cognomẽto Kaltheisen, qui ante LX annos,aut amplius,hæreticæ prauitatis inquisitorẽ egit,in tractatu, An imperiũ sit unq̃ à Romanis ad Græcos translatũ,sic scribit: Nunc,meo iudicio, illa de Constãtini donatione apocrypha sunt:sed fortassis quædã alia longa & magna scripta, S. Clemẽti et S. Anacleto attributa,summis põtificibus,in quib.uolẽtes Rom.sedem,omni laude dignißimã,plus q̃ expedit exaltare,se penitus fundant: cum tamẽ omnino nõ uideãtur illorũ sanctorũ epistolæ,cõsideratis cõtentis in ijs. Scribitur enim in epistolis Clemẽtis,quomodo Papa fuerit & Petri successor,& post Petri mortẽ ad S.Iacobũ has fingit scriptor mississe epistolas,q̃ fuit frater Domini,et Hierosolymorũ episcopus:& est tamẽ hoc omnino falsum,cum sit manifestum, prius Petro Iacobũ VIII annis finiuisse martyrio uitã Scribit quoq;,ipsum Clementem successorẽ fuisse Petri. Sed hoc idem in alijs, quæ S. Anacleto adscribuntur, legitur. Sed si hoc esset uerum, quomodo sancti uiri Hieronymus, Augustinus, Optatus Mileuitanus, & cæteri qui omniũ pontificũ Rom.catalogũ posuerũt,hoc ignorassent,qui Clementẽ nõ interserũt,uel saltẽ nõ immediatè post Petrũ ponũt: si ipsas Epistolas aut tunc uidissent, aut pro authẽticis habuissent. Inuenitur insuper in ipsis Epistolis de episcoporum à sacerdotib.differentia, quæ tamẽ longo tempore post hunc,ut Hieronymo placet,et Damaso,in Ecclesia orta est.Hactenus Kaltheisen.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS.

DICTVM est de manifestis hæresib. seu erroribus. Iam de alio quodã errorum genere agemus, quos seu occultos seu clam serpẽtes appellare posßis:q̃ inter ipsos præcipuos Ecclesiæ doctores,amplectẽtes & profitẽtes unũ et idem sanæ doctrinæ corpus,dissensiones & cõcertationes concitarunt, atq; eas quidẽ in rebus non usq; adeò magni momenti,ut in ritibus aut ceremonijs,magno tamen cum Ecclesiæ malo.

SCHISMA DE PASCHATE.

NOtißimũ est illud schisma & dissidiũ, de diuersitate in celebrãdo die Paschatis, quod nõ leuiter quassauit ecclesias diuersorũ locorũ aliquot seculis. Ac uidetur diabolus toties, quoties eam dissensionẽ & certamẽ mouit,hoc conatus esse,ac præcipuè spectasse, ut memoriã & beneficia passionis et resurrectionis Domini extenuaret,incertũ & inutile redderet: simul & mysteriũ iniquitatis proueheret, ac filium perditionis paulatim cõstitueret & formaret. Non enim postrema, hæc cõtrouersia de Paschate occasio ei fuit, qua caput efferre suum & tyrannidẽ exercere ausus est. Sed quod habuerit initiũ,& quos progressus fecerit hæc diuersitas,breuiter exponamus. Constat, Apostolos doctrinã de libertate Christiana,quam diligẽter tradebãt, etiam ipsa re professos esse,et exercuisse unde nec autores eos fuisse ceremoniarũ legimꝰ, nec ad aliquas certas obseruationes ullas Ecclesias alligasse:nec diuersitatẽ quidem externorũ rituum,si uspiã esset, pro libertatis Christianæ iure admodũ curasse. Quo factum est,ut cum Ioannes & Philippus in Asia Pascha Iudaica obseruatione celebrarẽt,decimaquarta scilicet luna post æquinoctiũ uernũ:alij aũt Apostoli et ecclesiæ occidẽtales celebrarent die Dominico proximè sequente: illa diuersitas nec animaduersa quidẽ, nedum reprehẽsa ab aliquo fuerit: nec quidẽ aliquãto pòst, quãdiu doctrina de libertate Christiana in ceremonijs adiaphoris perspicuè tradita & obseruata est,aliquid turbæ dederit. At cum sub annum Christi 163, & deinceps, doctrina illa de adiaphoris fieri inciperet obscurior, ac ceremoniæ simplices p quorundã seu negligentiã seu imperitiã(ut Irenæus testatur apud Euseb. lib.5.cap. 26.) essent mutatæ: tum demũ deprehensa est diuersitas cùm in alijs ceremonijs, tum maximè in Paschate & ieiunijs. Accessit eò, quòd plurimi in Asia adhuc Iudæi erãt,qui patrios mores & cõsuetudinẽ obseruabant, plus aliquanto quàm necesse erat,ueteri illi rationi tribuẽtes,nec pbabant gentes ab ijs discrepãtes. Deinde, quia pòst feliciter propagato in Asiæ partes Euangelio, gentilium ecclesiæ iam fiebant celebres, & libertate gaudebãt. Quamobrẽ & à Iudæis,

Iudæis, quiq; ijs addicti erant, sine scãdalo dissidere nõ po terant, cum honorandũ esse diem Dominicũ propter re surrectionẽ censerẽt, atq; ideo aliter Pascha agendũ con tenderẽt, quàm apud Iudæos: quòd uetus Pascha iam abro gatum esset, et cessasset. Hinc igitur proculdubio istæ con tentiones initio per plures annos leuiter subinde motæ, et quasi ex cinere interdũ emicantes, in magnũ incendiũ & manifestum schisma eruperũt. Quod cum cõtra concor diam fidei nõnullis uideretur, inita sunt consilia: et cogi tatum est, quo pacto ea diuersitas cõponi, & ad cõformi tatem aliquam deduci posset: sed quæ consilia & studia, quos progressus & successus habuerint, ex sequentib. cla rum fiet. Etsi igitur in pluribus locis eam diuersitatem motuum aliquid & dissensionũ peperisse nõ est dubium: attamen à Melitone Sardensi episcopo, qui anno Christi 166 claruit, & librum de Paschate conscripsit (ut Euseb. refert lib. 4. cap. 26.) memoriæ proditũ est, quæstionẽ seu de sabbatho seu de Paschate (idem enim in utraque quæ stione spectatũ est) motam esse apud Laodiceam sub An tonino Vero & Seruilio Paulo Asiæ procõsule, quo tem pore Sagaris Laodicensis episcopus martyriũ fecit. Quo item eodem tempore Pius Romanus pontifex, si quæ fi des eius epistolarum est, ex reuelatione Hermetis, decreto cõstituit, Pascha die Dominico celebrandũ esse. A quibus autem Laodiceæ hæc quæstio mota & agitata sit, nõ legi tur: quia nec Melitonis, nec Clementis de Paschate liber, nec Egesippi monumẽta ad nos peruenerũt, ex quib. cer ti et explicati aliquid haud dubiè haberi posset. Igitur ex illis historijs quæ extant, autores præcipui eius cõtrouer siæ Romani sunt episcopi: ut Anicetus, Soter, Pius cum Hermete suo, Eleutherius, atq; inter hos Victor maximè. Omnibus enim illis hoc studiũ et conatus singulares fuis se apparet, ut Asiaticos ad suos ritus quoquo modo per ducerẽt: sed quibus se opposuerũt Melito, Polycarpus, ac forsan Egesippus: quem sub Vero Romam uenisse, Euse bius scribit: sed negociũ, quamobrẽ uenerit, non explicat. Polycrates item, & alij doctores Asiatici, quorũ alij Ioan nis & Philippi exemplũ (qui decimaquarta luna Pascha celebrauerãt) allegarũt: alij aliorũ Apostolorũ consuetu dinem iactarunt. contra quos Romani & Galli Paschatis celebrationem deberi diei Dominico, quia in eo Christus resurrexisset, cõtenderũt. maximeq; à Iudæis in eo ritu di scedendũ esse senserũt, quia Iudaismus abolitus & sepul tus esset. qua sentẽtia præclarè dixit Iustinus: Lex legi sur rogata, priorem irritam fecit. Narrat Nicephorus lib. 4. sine alio aliquo teste, Asiaticos sensisse, omnino necessa rium esse, ut secundũ legem Mosæ Pascha decimaquarta die celebraretur. Quod nullo modo ueristimile esse, aut cum tota historia cõuenire potest: ideo quòd nusquã Asia ni leguntur isti cõsuetudini suæ necessitatẽ imposuisse, aut ullas ecclesias ad illã obseruandã coegisse, quemadmodũ à Romanis factum est. Quin potius illud obseruasse uiden tur, quod Paulus de libertate Christianorum dixit: Nemo nos iudicet in cibo, potu, & diebus festis. Sicut autem ex paruis scintillis ingens interdũ incendiũ oritur, & qua liacunq; etiam leuia cõtentionũ initia in magna sæpe & perniciosa certamina exeũt: ita hoc malum quoq; subin de maiores uires accepit, & auctũ est. Primum enim Ro mæ inter Anicetum & Polycarpum congressus fuit, cum Romam ea occasione & necessitate Polycarpus uenisset, quòd Anicetus insolentius Asiaticos in obseruatione Pa schatis, contra regulam Pauli iudicaret. Vbi uterq; consue tudinis suæ rationes attulit: Polycarpus, Ioannis et aliorũ Apostolorũ, qui in Asia decimaquarta luna Pascha cele brauerant, exemplo suam cõsuetudinẽ defendit: Anicetus autem, morem maiorũ suorum, illorũ scilicet episcoporũ qui se anteceſſerãt, allegauit: quemadmodũ ex Irenæo Eu sebius refert lib. 5. cap. 26. et diserte affirmauit, simplicem & uulgatam in ceremonijs consuetudinem mutatam esse ab illis suis Romanis antecessoribus. Nec dubium est, grauem illam & seriam admodum fuisse inter Anicetum & Polycarpum actionẽ: cui forsan & Egesippus, qui Ro mæ tum fuit, interfuit. Et optandum esset, propter mul tas res, quarum accuratiori explicatione destituimur, in tegrè descriptam illam actionem ad nos usque peruenisse. Irenæus breuiter tantum, quemadmodũ diximus, attigit: qui et ita eam controuersiam inter utrumq; compositam scribit, ut neuter eorum sententiam suam pertinacius ur geret & defenderet, sed adiaphoron haberetur Paschatis celebratio. Non enim decere, ut diuersitate ceremoniarũ fidei rumperetur concordia. Post hanc igitur placidam transactionẽ, simul communicarũt Polycarpus & Anice tus, & bona pace ac concordia à se inuicem discesserunt. Hoc modo admoniti & repressi Romani, uiuo Polycar po nihil quidem amplius mouerũt super eadem re conten tionum: sed eo mortuo, ad ingenium suum & pristinos co natus redierunt, ut scilicet (spe maioris autoritatis in om nibus Ecclesijs cõsequendæ: & ambitiosa fiducia, fore ut hac occasione cõformitatis in celebrando Paschate, Asia ticæ ecclesiæ sese illis subijcerent) hæc certamina denuò subinde resuscitare non destiterint. Hinc ante Anicetum iactauit reuelationẽ Hermetis Pius: post Anicetum uerò Eleutherius, ut autor est Honorius, etiam cõstituit Pascha die Dominico celebrandũ esse. Deniq; tamdiu in illa con formitate laboratum est, donec tandem Victor, quod alij lenius & paulatim tentassent, uiolẽtius egit, et semel per rumpendũ esse iudicauit. Is enim anno Domini centesimo nonagesimoprimo, Commodi uerò undecimo, non rixas aut dissensiones de Paschate, sed bellum propemodum tri ste mouit, cum primùm adeò necessariam esse uniformem Paschatis celebrationem censeret, ut pro hæreticis & ex communicandis habendos putaret, qui ab eo dissentirent: deinde non cunctatus, synodos passim indiceret, ne sua so lius sententia stare uideretur, sed & aliorũ iudicia & sen tentias eliceret. Quo consilio ad diuersos episcopos scri psit, à quibus petijt, ut cõuocatis uicinis presbyteris deli berationem de Paschatis celebratione instituerent. Inter eos fuerunt Theophilus episcopus in Cæsarea Palæstinæ, Narcissus Hierosolymorum, Irenæus in Gallia, Palmas in Ponto, Bancyllus Corinthi, Episcopi item Ostroeni. In terea uerò dum cõuentus diuersi apud exteros illos haben tur, ipse Victor Romæ synodũ celebrat: & rescriptũ pau lo pòst istarum synodorũ, de quibus modò diximus, accì pit, secum scilicet omnes stare, & die Dominico Pascha agendum esse, consentire. Post quod statim Victor decre ta scribi iussit, quæ omnibus ubiq; Ecclesijs mittit, de Pa schate non alio quàm die Dominico propter mysterium resurrectionis celebrando, in eoq; solo ieiunia paschalia soluenda esse. Fuit tum in Asia Polycrates, præcipui in ter Asiaticos episcopos uir nominis & autoritatis: ad quem similiter scripsit, idem de Paschate imperans, quod Ecclesijs alijs. Sed Polycrates, re prius cum reliquis epi-

scopis Asiaticis in synodo, ut uidetur, communicata et deliberata, quemadmodum ab eo Victor fieri uoluerat, ex communi omnium sententia animose rescribit, nolle senem se, aut quenquam episcoporum in Asia, à ueteri consuetudine, obseruata inde usque à Ioanne, Philippo, Polycarpo, parentibus, auis atq; atauis suis, &c. nunc demum ad unius imperium & terrorem discedere. Hæc enim Eusebius de Polycrate recitat libro quinto, capite uigesimoquarto & quinto: ubi fragmentum eius rescripti adducit, quod & nos adscribere non grauabimur. Episcopis per Asiam, qui morem ipsis ab antiquo traditum retinendum esse affirmabant, præerat Polycrates: qui in eo scripto, quod ad Victorem Romanamq; ecclesiam exarauit, traditionem ad ipsius usque tempora seruatam hisce uerbis exponit: Nos igitur illibatum agimus Paschatis diem, nec addentes illi quicquam, nec auferentes. Magna enim luminaria in Asia obdormierũt, quæ in die aduentus Domini resurgent, quando uenturus cœlitus cum gloria, cunctos sanctos restituet: Philippus, unus ex duodecim apostolis, qui obdormiuit Hierapoli: & duæ illius filiæ, quæ in uirginitate consenuerunt: & alia eius filia, quæ in gratia spiritus sancti cõuersata requieuit Ephesi: adhuc & Ioannes, qui ad pectus Domini recubuit, & lamină sacerdotalẽ gestauit, martyrq; ac doctor fuit, Ephesi obdormiuit: deniq; & Polycarpus Smyrnensis episcopus & martyr, & Thraseas de Eumenia et episcopus & martyr qui Smyrnæ obdormiuit. Quid attinet uerò dicere de Sagare episcopo & martyre, qui Laodiceæ obdormiuit? Deinde & de beato Papyrio, ac Melitone eunucho, qui in cunctis per gratiã Spiritus sancti ductus est, ac in Sardib. quiescit, uisitationem è cœlis expectans, in qua resurget à mortuis. Et cap. 25: Hi omnes quartadecima luna Pascha secundum Euangeliũ celebrant, nusquã exorbitantes, sed fidei canonem sequentes. Denique & ego Polycrates, omnium uestrũm minimus, traditionem cognatorum meorum retineo, quorum etiam aliquos assectatus sum. Erant enim septem cognati mei episcopi, & ego octauus: qui cognati mei semper eo die Paschæ festum egerunt, quando populus fermentum semouit. Ego igitur, fratres, qui sexagintaquinq; annos habeo in Domino, & cum fratribus per orbem contuli, ac sanctam Scripturam uolui ac reuolui, non turbabor illis quæ terrendi gratia obijciũtur. Etenim maiores mei Deo magis quàm hominibus obediendum esse dixerunt. Hisce subijcit, de Episcopis consentientibus, qui scribenti adfuerũt, dicere ad hunc modum: Poteram autem & Episcoporum qui mecum sunt facere mentionem, quos uos petistis, ut à me accerserentur, quos etiam accersiui: quorum nomina si scriberẽ, magnam multitudinem efficerent: qui me modici momenti hominẽ inuisentes, in hanc Epistolam cõsentiunt, hanc me caniciem non frustra gestare, sed in Christo IESV semper conuersatum esse scientes. Ad hoc Victor furens, & malè sibi temperans, missis literis, fratres omnes Asiaticos & Ecclesias uicinas à se ex communione Ecclesiæ excluſos & reiectos palàm denunciat. Qui furor præceps aliorum episcoporum animos non leuiter mouit, & Ecclesijs (ut res episcopum minimè decens) maiorem in modum displicebat: adeò ut et acerbius à quibusdam, parum reueritis humani pontificis, quam uel hic usurpare cœpit, primariam autoritatem, durius et asperius Victor obiurgaretur: quorum literas extitisse suo tempore, Eusebius testatur, ut qui imquam et iniustam Ecclesiæ haberent rationem, atq; ea potius quæ pacis & concordiæ communis essent, agere debe rent. Irenæus quoq;, etiamsi cum Victore sentiebat, tamen minimè eum molliter reprehendit: peccasse eum, & indignè fecisse, quòd tot Ecclesias perturbasset, & à corporis unitate abscindere conatus fuisset, ob id saltẽ, quòd morem à ueteribus et maioribus usq; ad se propagatũ cu stodirent. Verba ista, quibus & alia multa Victorem monet, ex Eusebij lib. 5. cap. 26. adscribimus. Quibus & Irenæus nomine fratrũ per Galliam, quibus præerat, scripsit, & id quidem approbauit, sola Dominica die resurrectionis Domini mysterium celebrandũ esse: Victorem uerò, ne cunctas Ecclesias Dei antiquæ consuetudinis traditionem retinentes alienaret, competenter ac multis admonet, et ad uerbum ista dicit: Neque de die tantum discepta tio est, sed & de ipsa specie ieiunij. siquidem alij unum si bi diem ieiunandum esse putant, alij duos, alij plures: alij quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes, diem suum statuunt. Et ista ieiunantium uarietas, non nostro demum tempore, sed multò antea per illos cœpit, qui ante nos præter accuratam diligentiam, ut uerisimile est, rerum habenis potiti, simplicem & uulgatam consuetudinem posthabuerunt ac mutarunt. Nihilo tamen minus omnes illi pacem inter se retinuerunt, et retinemus etiamnum: & dissonantia ieiunij, fidei concordiam commendat. Istis etiam historiam adiungit, quam suo loco adijciam. In quibus, inquit, etiam qui ante Soterem presbyteri Ecclesiæ præfuerunt, cui nunc præsides Anicetum dicimus, & Pium, & Higynum, & Telesphorum, & Xistum, neque ipsi sic obseruarunt, neque posteris suis præceperunt: & tamen nihilominus ipsi non seruantes, pacem cum illis retinuerunt, qui ex illis parœcijs ad ipsos uenerunt, quæ seruabant: cum tamen istarum obseruantia contraria esset non obseruantibus. Neque quisquam alias quando propter huiusmodi ieiunij speciẽ est abiectus: sed presbyteri illi ipsi, qui te præcesserunt, Euchariſtiam fratribus illarum parœciarum, qui more suo seruabant, miserunt. Et cum beatus Polycarpus Romæ sub Aniceto ageret, ac propter alia minuta quædã inter se discrepassent, mox cõciliati sunt, de hoc uerò capite nihil inter se contenderunt. Neq; enim Anicetus Polycarpo suadere poterat ne seruaret, quæ cum Ioanne discipulo Domini nostri ac reliquis Apostolis, quibus cum fuerat conuersatus, semper seruauerat: nec Polycarpus Aniceto suasit ut seruaret, qui sibi presbyterorũ, quibus successerat, consuetudinem seruandã esse dicebat. Et cum ista sic haberẽt, communionem inter se habuerũt, & in ecclesia Polycarpo Anicetus euchariſtiam, propter reuerẽtiam uidelicet, concessit: atq; ita cum pace à se inuicem discesserunt, pacemq; in uniuersa Ecclesia cùm seruãtes tum non seruantes retinuerunt. Et Irenæus nõ abludens à nomine suo, sed ingenio quoq; ad conciliandã pacẽ accõmodus, talia pro pace ecclesiarũ admonuit & egit. Hic aũt nõ Victori modò, sed et uarijs ac plurimis ecclesiarũ præsidibus, mutuis Epistolis de mota hac quæstione scripsit. Hæc ex Iren. Eusebius.

Summam igitur nunc quandam exposuimus actionis, eius de Paschate controuersiæ. Dicemus nunc de incommodis illa certamina secutis, & quomodo deniq; composita sint. Intelligi autem à quouis facilè potest, tot tamq; continuis motibus & pugnis non leuiter perturbatam & quassatam fuisse Ecclesiam. Primùm enim, læsa sæpius est

est communis concordia, atque ecclesiarum tranquillitas. Deinde, & doctrina de Christiana libertate in ceremonijs adiaphoris obscurata est, & multi in errores acti: quemadmodum scriptum synodi quæ in Palæstina agitata est, expresse affirmat. Eusebius libro quinto, capite uigesimoseptimo. Tertiò, quanquam ueram sententiam Irenæus & alij tradiderant, confirmari scilicet, nedum tolli, ceremoniarum diuersitate, fidei concordiam tamen cum Romani Asiaticos exagitare & urgere non desinerent, ut eorum tandem sententiæ subscriberent, commu- nis inde ille error secutus est, oportere in omnibus Ecclesijs uniformem ceremoniarum obseruationem esse. Vnde & eò audaciæ deuentũ est, ut damnati & hæretici Quartodecimani uocati sint ij, qui Pascha decimaquarta lunæ die obseruarent: ut scribit Nicephorus libro quarto, capite trigesimonono. Quartò: Ac quod longè plus malorum Ecclesijs dedit, præbuit hoc schisma Montano & alijs hæreticis circa hæc tempora in Phrygia exortis, occasionem non leuem. Dum enim ab Ecclesiasticis contenditur de traditionibus Apostolorum circa Pascha, item de ieiunijs, prodit ecce Montanus, & leges ieiuniorum scribit, coniugia dissoluit, Spiritum sanctum Apostolis non omnia reuelasse asserit: & penes se quidem esse donum, gratiam Spiritus sancti conferendi, & quæ alia blasphema nugabatur, quæ suo loco suprà retulimus, quibus impense primatum quendam sibi parare studebat. Postremò, nec hoc nihil mali fuit, quòd insolentiores & audaciores Romani episcopi facti, nouas postea subinde ceremonias cõdiderunt, alijsq; ecclesijs obtruserunt. Estq; in abusum & contemptum uocata potestas excommunicandi: & exemplum statutum, ob humanas traditiones non obseruatas excommunicandi, alioqui rectè sentientes. Quis uerò finis huius actionis de Paschate fuerit, ex Eusebio constat: nimirum talis, ut utraque pars suum morem retinuerit, obseruata concordia: & cautum sit, ne quis unquam deinceps ullam de hac controuersia litem moueret. Meminit eius transactionis & Sozomenus Ecclesiasticæ historiæ libro septimo, capite decimonono, ad hunc modum. Arbitror admodum sapienter Victorem Romanum episcopum, & Polycarpum (in actione cum Aniceto) hanc expediuisse contentionem. Etenim cum Occidentis sacerdotes haud negligendam putarent Petri & Pauli traditionem, Asiani uerò Ioannem euangelistã sequi se affirmarent, hoc communi decreto statuerunt, ut quisq; pro consuetudine sua festum hoc celebrarent, & communionem inter se non desererent. Stultum enim, nec immeritò, censebant, consuetudinis gratia à se inuicem separari eos, qui in primarijs religionis capitibus consentiebant. Etenim easdem, & per omnia similes traditiones, in omnibus etiam concordibus Ecclesijs inuenire, non datur, &c. Nicephorus uerò lib. 4. cap. 39. narrat ita hoc schisma compositum esse, ut Asia inuita uix tandem cesserit: manentibus tamen reliquijs eorum, qui morem suum pertinaciter retinuerint, atq; ideo Quartadecimani dicti sint. Nicephori uerba adscribimus: Quod ratio non persuasit, id dies postea perfecit. Nam hac in re Asia uix tandem cessit: & ubiq; terrarum in orbe decretum est, ut non cum Iudæis, sed ipso Dominico die mysteriũ Paschæ peragatur. Quamuis adhuc in Asia reliquiæ quædam maneant, consuetudinem eam in paucis prorsus inuiolatam retinentes; unde etiam Quatuordecimani cognominati sunt, consuetudinem eam & alia quædam ex illegitimis & ab Ecclesia reiectis libris decerpta seruantes, & nominibus quorundam magnorum Apostolorum ea in re abutentes. Quæ exæquatio quo tempore facta sit, incertum est: forsan uix ante concilium Nicenum, quod de hac controuersia quædam pronunciauit.

SCHISMA CORINTHIACVM.

DE hoc certius aliquid atq; explicatius dicere possemus, si epistola Clemẽtis Papæ, quæ ab Eusebio alijsq; Scriptoribus apprimè celebratur, quæq; solenni ritu in Ecclesia Corinthiorum quotannis legi solita est, hodie extaret. Quod uerò cum non sit, hoc tantũ de eo schismate habemus, quod Eusebius & Nicephorus obiter tantum attigerunt: nec occasione, nec reipsa super qua, nec personis, inter quas dissensio fuerit, indicatis. Hoc enim tantum prodiderunt: sub Clemente Romano apud Corinthum grauissimam exarsisse seditionem, & quæ tanta fuerit, ut fidem eorum concusserit. Quare coactum Clementem, scripsisse ad eos epistolam grauissimam & necessariam, qua fides eorum concussa, denuò confirmata, ipsiq; ad pacem & concordiam reducti sint. Verba Eusebij libro quinto, capite sexto hæc sunt: Sub hoc Clemente, seditione non modice fratribus Corinthiacis obortã, ualidissimas literas Romana ecclesia ad Corinthios scripsit, concilians eos ad pacem, ac fidem eorum ad traditionem recens ab Apostolis acceptam renouans.

SCHISMA PHRYGIVM.

SChismatis speciem habere potest & illa dissensio, seu iudiciorum diuersitas, quæ circa hæresin Montani, eiusq; sociorum Alcibiadis, Theodoti, Priscæ & Maximillæ fuit: de quorum omnium delirijs & blasphemijs suprà in capite suo abundè dictum est. Dissensio enim fuit, quod cum circa annum decimumnonum Antonini, ut Epiphanius scribit, Montanus prophetissas suas Priscã & Maximillam furore inflasset, alij eas ex spiritu prophetico uaticinia edere putabant: alij uerò dæmone eas repletas, & erratico ac maligno perfusas spiritu existimabant. Atq; hi quidem iudicij sui has produxerunt rationes, quia præter morem aliorum prophetarum, in ecstasi & stupore atq; alienatione mentis, furore correptæ prophetarent. Quòd item incertis coniecturis ductæ, prædicerent multa quæ non euenirent: ut quòd de bellis plurimis imminentibus Maximilla prædixerat, quorum nec publicum nec priuatum aliquod exortum fuerat, diu etiam, annis scilicet tredecim post mortem Maximillæ: quemadmodum eius spiritum coarguens apud Eusebium Zoticus Comanus ait, lib. 5. cap. 16. Item quòd contra Scripturam, quæ prophetis munera & pecunias accipere interdicit, auaritiæ dediti essent, ac muneribus artificiose atq; auidissime inhiarent: ambitione præterea inflatæ essent, & contra uerã doctrinam inaudita proferrent. Illi uerò, rationem suæ opinionis ueri similem sibi proponebant. Cum enim donũ prophetiæ, & miraculosæ spiritus sancti operationes, in multis adhuc ecclesijs uigerent, credibile esse colligebant, & Montano, suisq; socijs prophetandi gratiam diuinitùs collatam esse. Verùm hæc dissensio cum multos implicasset, atq; (ut solet) latius uagata esset, factum est, ut hac occasione Montanus proprijs armis perierit, et hæreticus declaratus ac condemnatus sit. Sæpenumero, ut ex Apollinario Eusebius refert, fidelib. per Asiã ob hanc causam cõuenientibus, qui nouas eas et recẽ natas doctrinas et pro-

phetias examinarunt, prophanas pronunciarunt, atq; ex ecclesia eiecerunt: nauantibus simul suam operam ea in re & Galliæ martyribus, qui de Montani furoribus sententiam suam constanter perscripserunt, & cum literis ijs in Asiam miserunt Irenæum, quem Romam transeuntem Eleutherio commendarunt: ut Eusebius indicat libro 5. cap. 4. Sicut autem in extremam condemnationem hoc schisma Montano, quiq; eum sequerentur, cessit: ita ad Ecclesiam ueram ex ea nonnulla redijt utilitas. Illustrata enim per illud est doctrina de discrimine uerorum & falsorum prophetarum, & confirmata sententia, Probate spiritus, &c. item, Omni spiritui ne credatis, ut Ioannes inquit.

CAPVT IX.

DE CONCILIIS.

NVNC quæ, et quibus de cõtrouersijs hac ætate celebrata sint Concilia, uideamus. Continet enim hæc tractatio disputationes de doctrina, & qua forma Ecclesiæ cõstitutæ sint: quarũ rerũ cognitio utilis est. Sunt aũt duo præcipua Conciliorũ genera: Oecumenica seu uniuersalia, & prouincialia. Sed prouincialiũ historias hoc seculũ tantũ habet. Sex enim, quantum memoriæ proditum est, prouinciales hoc seculo synodi celebratæ leguntur, quas hoc ordine Eusebius lib. 5. cap. 23 distincte recenset: Romana, Cæsarienſis in Palæstina, Gallicana, Pontica, Achaica et Asiana. Quanquã recẽtiores aliquot scriptores, qua ratione ipsi uiderint, contra Eusebij uetustioris scriptoris autoritatem, ex prioribus quinq; unã faciãt: ut Vincentius lib. 10. cap. 124: Nauclerus generatiõe 7. fõl. 26. & Platina in uitis pontificũ fõl. 22. Sicut aũt una et eadẽ fuit cõtrouersia, quæ in tam diuersis locis, hisce synodis coactis agitata est: ita etiã eodẽ tempore celebratæ sunt, nimirũ anno imperij Commodi undecimo, anno uerò Domini 191, cum ecclesiæ Romanæ Victor præfuisset annis septem, ut Nauclerus generatione septima indicat. Occasio & causa principalis synodorum fuit, dissensio in obseruatione Paschatis, quæ hisce aliquot proximis post Christum seculis turbas in Ecclesia dederat: nunquam tamen maiores quàm hoc seculo, cum Victor Romanus episcopus nimis repentè & morosè diuersitatem in celebrando Paschate, ad conformitatem in omnibus ecclesijs reducere conatus esset: quod ei tamen tandem non successit. Quanquam & aliæ uidentur fuisse latentes causæ, quæ tamen historiam attentè legentibus facilè apparent. Non enim hoc tam studuisse & spectasse Victor uidetur, ut una & eadem ubiq; Paschatis celebrandi obseruaretur ratio, quàm ut aliæ omnes ecclesiæ Romanæ sedi se subijcerent.

SYNODVS ROMANA.

SVb Commodo, ut iam est dictum, synodus Romana coacta est hac de causa, quia in obseruatiõe Paschatis diuersitas esset: quam abrogare Victoris antecessores Romani episcopi, Eleutherius, Pius, Anicetus studuerant. Victor Romanus episcopus cum uideret suos antecessores, Eleutherium, Pium & Anicetum, frustra laborasse de conformitate Paschatis instituenda, sibi id studij & laboris suscipiendum putauit. coegit itaq; synodum ex presbyteris & diaconis Romanis: extranei alij nulli interfuisse leguntur, nisi quòd Damasius refert, Theophilum Alexandriæ episcopum accersitum esse: quod propemodum fide carere uidetur, eo quòd nullus Theophilus hoc seculo Alexandriæ reperitur episcopus, & Eusebius Theophilum episcopum Cæsariensem uocat.

De decreto quod in hac synodo factum est, Damasus ait: Victor constituit, ut sanctũ Pascha die Dominica celebraretur: sicut & Eleutherius. Platina uerò ait decretum esse, ut ex Eleutherij edicto & sententia Pascha die Dominico à decimaquarta luna primi mensis, usq; ad uigesimũ primum celebraretur. Eusebius lib. 5. cap. 23 simpliciter ait, in omnibus synodis quæ super cõtrouersia de Paschate eodẽ tempore cõgregatæ fuissent, cõmuniter statutum esse: Ne liceat aliquando nisi in die Dominica, in qua Dominus resurrexit, Dominicũ Paschæ celebrare mysteriũ, atq; in hac sola ieiuniũ Paschale soluendũ esse. Victor in epist. 1. (si eius tamẽ est) dicit: Celebritatẽ sanctæ Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri statuerunt, & nos illud uobis eadẽ die celebrari solenniter mandamus: quia non decet ut membra à capite discrepent, nec contraria gerant. A' quartadecima uerò luna primi mensis, &c. Rationem eius decreti Nauclerus generatione septima, fõl. 26. illam fuisse commemorat, ne quid obseruationum Christianis cum Iudæis commune esse uideretur: sed quia in fidei ratione ab illis dissiderent, etiam ritibus uariarent. Alij & has rationes recitant, primùm honorandum esse diem Dominicum, quia Dominus in eo resurrexisset: deinde, quia & Apostoli sic obseruassent: postremò, quia honestum atq; è re esset disciplinæ Ecclesiasticæ, nullam esse in ceremonijs diuersitatem, sed uniformem ubiq; rationem, & quandam ueluti consonantiam.

SYNODVS II. CAESARIENsis in Palæstina.

THeophilus Cæsariensis episcopus accersitus est, ut ex narratione Damasi & Platinæ apparet, à Victore Romam, ubi decretum Romanæ synodi de Paschate cognouit. Reuersus autem domum ad preces & postulationem Victoris, synodum ipse quoq; conuocauit, ut patet ex Epistola eius. Porrò quot & qui episcopi huic synodo interfuerint, in historijs non exprimitur. Sed hi tantum commemorantur ab Eusebio lib. 5. cap. 23. & 25: Theophilus, qui præfuit cum Narcisso Hierosolymitanorum episcopo, Cassius episcopus ecclesiæ Tyri, & Clarus Ptolemaidis, alijq; quamplurimi. Nauclerus etiam Irenæum interfuisse scripsit, generatione septima. quod ita se habere non uidetur, cum in Gallijs eodem tempore & ipse synodum habuerit. Formam actionis & processus Theophilus in epistola recitat, ex qua eam describimus: Accepta itaq; autoritate Theophilus episcopus, uidens tantum sibi opus fuisse, quod in mundi obseruationem transmitteretur, non solum suæ patriæ, sed & de uicinis prouincijs omnes episcopos & sapientes uiros ad concilium euocauit. Cumq; grandis illa multitudo sacerdotum, uel sapientum uirorum, in omnibus scripturis spiritualibus eruditа, in unum fuisset collecta, protulit episcopus Theophilus autoritatẽ ad se directã, et quid sibi operis iniunctũ esset patefecit. Tunc omnes dixerunt: Primùm nobis inquirendum est, quomodo in principio mundus fuerit factus. Et cum hoc fuerit diligentius inuestigatum, tunc poterit ex eo Paschatis ordinatio salubriter prouenire. Dixerunt ergo: Quem diem primum credimus creatum in mundo? responderunt, Dominicũ. At illi dixerunt: Quomodo potest probari, quod primus Dominicus sit dies factus? respõde-

sponderũt: Dicente scriptura, Et factũ est uespere, et factum est mane, dies primus: inde secundus, tertius, quartus, quintus, sextus & septimus, in quo requieuit ab omnib. operib. suis, quẽ diem sabbatũ dixit: quis potest esse primus, nisi Dominicus? dixerũt: Sic est, & aliter non est. Ecce de die probastis, de tẽpore quid uobis uidetur? Quatuor enim tempora in anno accipiũtur: uer, æstas, autumnus & hyems. Quod tempus credimus primũ in mundo factũ? responderũt: Ver. At illi: Probate quod dicitis. responderũt: Dicẽte scriptura, Germinet terra herbam fœni secundũ genus suũ, & lignũ fructiferũ faciẽs in se fructũ. hæc enim uerno tẽpore uidemus fieri. Dixerunt: Verũ est. & adiecerũt: Quomodo trib. mensibus uernũ tempus accipitur, quo loco mũdi caput esse credimus? in principio, an medio loco, an in fine? responderunt, In æquinoctio: hoc est, octauo calendarũ Aprilis. at illi dixerũt, Probate quod dicitis. respõderunt: Dicente scriptura, Et fecit Dominus lucẽ, et lucẽ uocauit diẽ, & tenebras uocauit noctẽ. Et diuisit Dominus inter lucem & tenebras æquas partes. Dixerũt, sic esse uerum. Ecce de die uel tempore probastis, de luna quid uobis uidetur? quomodo dicimus fuisse creatã in mundo, plenã aut minuentẽ? responderũt, Plenã. at illi dixerũt, probate quod dicitis. responderũt: Scriptura dicente, Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamẽto cœli, sic ut luceãt super terrã: luminare maius inchoatione diei, & luminare minus inchoationẽ noctis: quæ tota nocte luceat super terrã, non potuit esse aliter nisi plena. Dixerunt, sic esse uerum. Ergo quomodo fuisset creatus mũdus, inueniamus. responderũt, Die Dominico, uerno tempore, æquinoctio: hoc est, octauo Calendarum Aprilis, & luna plena. Dixerũt: Sicut in principio mundus creatus est per ipsum tẽpus, etiã p resurrectionem Dominicã redẽptus est à peccato. Resurrexit itaq; Dominus noster Iesus Christus die Dominico, uerno tẽpore, æquinoctio, luna plena. Dixerũt: Ecce inuestigauimus, quomodo in principio factus est mundus, uel à peccato redẽptus. Nunc de obseruatiõe Paschæ agendũ est, quo die aut quo tẽpore uel luna Pascha debeat ordinari. responderũt: Non aliter nisi die Dominico, qui tot ac talib. benedictionib. sic sanctificatus est. Dixerũt: Prima illa benedictio est, quod in ipso tenebræ remotæ sint. Secũda, q. populus Israhel ex Aegypto tenebrarũ, uelut per baptismũ fontis, per mare rubrũ, de duro seruitio fuerit liberatus. Tertia, quia mãdat Moyses ad populũ, & dicit: Obseruatus sit uobis dies primus & nouissimus, hoc est Dominicus et sabbatum. Quarta, quia Psalmus 117 totus de passione & resurrectiõe cantatur. De passione: Circumdantes circumdederũt me, & in nomine Domini uindicabor in eis: Circumdederũt me sicut apes fauũ, & exarserunt sicut ignis in spinis. Et in traiectis usibus: Lapidẽ quem reprobauerũt ædificãtes, hic factus est in caput anguli. De resurrectione aũt dicit: Hæc dies quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: Constituite diẽ solennẽ in frequentationibus, usq; ad cornu altaris. Dixerũt, sic esse uerũ, ut die Dominico Pascha celebretur: quia & in tantis benedictionib. sanctificatus est, ut in eo die Dominũ nostrũ Iesum Christũ à mortuis manifestũ sit resurrexisse. Dixerũt: Ecce cõstitutũ est de die Dominico, de tẽpore quid uobis uidetur? responderũt: Nunq̃d aliter intelligi potest, nisi quòd in diuina scriptura præfinitũ est, dicẽte per Moysen: Hic mensis erit uobis initiũ mensium, Pascha facitote in eo. Nõ dixit, in prima die mensis, aũt decima, aut uicesima, sed totos triginta in Pascha sanctificauit. At illi dixerũt: Qui sunt hi triginta dies? At illi responderũt: Iam aũt diximus, principiũ mundi esse æquinoctiũ, ab octauo calend. Aprilis usq; ad octauum calend. Maij. hi sunt 30 dies in Pascha sanctificati. At illi dixerũt: An non impiũ est, ut illi tres dies ante passionem Dominicã excludantur, id est, 9, 10, & 11, calend. Aprilis. cum 11 calend. unctus sit à muliere in domo Simonis leprosi, et decimo Iudas cum pontificib. pactus sit de prodendo Christo, et nono Cœnã instituerit, & uesperi capsus sit? Dixerunt omnes, non esse uerũ, ut fòras limitẽ passio mittatur, sed introducantur hi tres dies in ordine Paschali, & de nouissimo reducãtur. Et ita statutũ est in illo Concilio, ut nec ante 11 Calend. Apriliũ, neq; post 11 Calend. Maij, fieri debeat pascha. Ecce de die uel tempore statutũ est, de luna quid uobis uidetur? responderũt: Similiter et de luna præceptũ diuinũ scrutemur, dicente Moyse: Et sit uobis obseruatio à decimaquarta usq; ad primã & uigesimam lunã, has octo lunas in Pascha fuisse consecratas. Quãdo ergo inter illũ terminũ statutũ, dies Dominicus post lunã 14 uenerit, Pascha nobis iussum est celebrari. Hactenus Theophilus. Factũ igitur et in ea synodo decretũ est, Pascha die Dominico celebrandũ esse: sic enim Apostolicã traditionẽ continere. Ac in fine quidẽ decreti, hoc adiectũ fuisse ab illis qui in ea synodo cõgregati fuerunt, Eusebius indicat lib. 5 cap. 25: Epistolæ nostræ exẽplaria per omnes Ecclesias transmittãtur, uti ne rei efficiamur animarũ, quæ diuersis errorib. immergũtur. Designamus igitur uobis, quia et apud Alexandriã, eadem quæ apud nos die Paschæ solẽnitas geritur. Quare et ipsorũ nobis literæ deferuntur, et ipsi nostra scripta suscipiũt, ut pariter et cõsonanter diẽ festũ celebremus.

SYNODVS III. GALLICANA.

EOdẽ tẽpore de eadẽ cõtrouersia in Gallijs celebrata est synodus: sed quot et q episcopi ac presbyteri interfuerint, quo ,pcessu actũ sit, quid quisq; dixerit, &c. ea in historijs tacentur. Tantũ hoc cõmemoratur, præsedisse ei cõuentui Irenæum: sed adfuisse simul alios multos insignes & præstantes uiros, nõ est dubiũ. Celebres enim fuisse ecclesias eo tẽpore in Gallijs, ,ppter Irenæũ, cõstat. Decretũ idem est, quod in alijs synodis, Pascha die Dominico celebrandũ esse: Euseb. lib. 5. cap. 23.

SYNODVS IIII. PONTICA.

NEc de hac aliud quicquam inuenias, nisi quòd ei præfuerit Palmas Ponti episcopus, & conclusum in ea sit idem quod in alijs. Fortassis & ad eum Victor scripsit, ac quæsiuit quo tempore Pascha celebrare soleat. Qua occasione synodum Palmas coegit.

SYNODVS V. ACHAICA.

HVic præsedisse scribitur Bacchylus, Corinthi in Hellade episcopus. Vtrũ autẽ in ipsa Corintho, an in alia ciuitate hæc synodus cõuenerit, nõ indicatum est. Sicut enim incertũ est, quia à scriptoribus historicis prætermissum est, in quibus urbibus reliqui omnes, post Cæsareensem & Romanũ, conuentus habiti sint. ita & de cæteris circumstantijs nihil literis proditũ legitur. Idem uerò de Paschate constitutum ibi esse, quod apud alios, ex Eusebio ostenditur, lib. 5. cap. 23.

SYNO-

SYNODVS VI. APVD Ostroenam.

GRæcũ exemplar etiã synodi collectæ apud Ostroenã meminit, quod in exẽplari Eusebij Ruffini uersionis desideratur. Quanquã nihil aliud indicatur, quàm per Ostroenã episcopos synodũ super eadẽ re habuisse, episcoporũ autem nec numerũ nec nomina adsignat. Decretũ igitur harũ synodorũ, cuius per epistolas certiores fecerũt omnes ubiq; ecclesias, cõmune omniũ fuit, ut Eusebius lib. 5. cap. 23 indicat, nullo unquã alio die q̃ Dominico mysteriũ resurrectiõis Domini celebrandũ, atq; in eo solo ieiunia solennia Paschatis soluenda esse. De hac enim re omnes diuersis è locis, ut Eusebi⁹ ait, unã eandemq; iudicij sui sententiã ptulere. Testatur idẽ Nicephor⁹ lib. 3. cap. 36. et sequentib. aliquot.

SYNODVS VII. ASIANA.

Victor Romanus ad Polycratẽ scripsit imperiosius, mandãs, ut de Paschate die Dominico agendo cum episcopis reliquis Asiaticis cõuocatis conueniret. Quod nisi fieret, fore ut ab Ecclesiæ cõmunione excluderentur. eiusmodi enim chartã dentatã & insolentem, Victoris fuisse epistolã, facile ex rescripto Polycratis conijcitur. Conuocat igitur ex uicinis prouincijs & ecclesijs Polycrates episcopos, quos propter multitudinẽ negat se potuisse in literis suis recensere. Proponuntur literæ Victoris, res de Paschate agitur: fit deliberatio, & conferuntur sententiæ. Tandem uerò uno consensu omniũ decernitur, nequicquam de antiquo ritu obseruato hinc usq; ab Apostolis, proximisq; eorum successoribus, ad minas & terrorẽ Victoris immutandum, sed Pascha recepto in Asia more decimaquarta lunæ ab æquinoctio uerno primæ, habita nulla ratione diei Dominici, celebrandum esse, cum id non sit contra Scripturam. Hæc & alia de Polycratis & Asiaticorum super ea re sententia, in exemplo epistolæ Polycratis, in capite De schismatibus descripto, fusius explicata sunt.

CAPVT X.

DE EPISCOPORVM ET Doctorum uitis.

DE ASIANIS DOCTORIBVS, & primùm de Hierosolymitanis.

EODEM anno quo Simeon uiolento genere mortis è rebus humanis exemptus est, sicuti superiori cẽturia dictũ est, Iustus, tertius Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopus cõstituitur. Circa decimumquintũ uerò Traiani, seu Domini centesimũ et decimũquintum, Zachæus quarto loco succedit. inde sequitur quintus Thobias, sextus Beniamin, septimus Ioannes, octauus Matthias, nonus Philippus. Sub Hadriano Imperatore insequuntur, decimus Seneca, undecimus Iustus, duodecimus Leui, tertiusdecimus Ephrẽ, quartusdecimus Ioseph, quintusdecimus Iudas. Quàm diu autẽ quilibet horũ eam Ecclesiã docuerit, aut quæ ipsorũ uita & cõflictationes cum falsis doctorib. tum Iudæis tum gentib. fuerint, nusquã literis traditũ hac quidẽ nostra ætate scimus. Tantum uerò Eusebius lib. 3. cap. 5 de ijs narrat, se ex quorundã scriptis accepisse, usq; ad eã uastationẽ & quasi ultimã cladẽ, quæ sub Hadriano accidit, quindecim fuisse præcipuos ecclesiæ Hierosolymitanæ doctores, eosq; omnes ex origine Hebræos fuisse, et admodũ breui tẽpore in eo ministerio uixisse, sincerè tamẽ omnes doctrinã Christi cõplexos esse et tradidisse.

Anno aũt Hadriani 18, ut Eusebius lib. 4. cap. 5 refert, Christi uerò 137, Marcus ex gentib. oriundus, decimus septimus eligitur episcop⁹ Hierosolymis. Nam post uastationẽ ab Hadriano factã, tantũ ex gentib. ibi collecta est Ecclesia, et episcopi ex ipsis cõstituti, expulsis et inde relegatis Iudæis omnibus. Hac horrẽda expulsione uoluit Deus toti mũdo exhibere testimoniũ suæ iræ, atq; uindictæ aduersus contemptores & persecutores Christi, Euangelij et uerorũ doctorũ: et ostẽdere, aduenisse Christũ, nec aliũ esse expectandũ. Gentiũ igitur ecclesia iam in hoc loco, olim ꝓpter præsentiã Dei, eiusq; Ecclesiã sancto et claro, habitante, nõ potuit amplius familiæ Christi aut Hebræi sanguinis ratio in doctoribus haberi. Sic deinceps succedũt ex gentibus doctores. Eusebius in Chronico ait, Marcũ episcopatũ Hierosolymis accepisse, anno 10 Antonini Pij, seu Christi 145. et ualde ueri simile est, post tantã rerũ omniũ turbationẽ, ut solet fieri, Ecclesiã quoq; res suas tam citò cõstituere & ordinare nõ potuisse. Ac sub eodẽ Imperatore et hi recensentur: 17 Caßianus, 18 Publius, 19 Maximus. 20 Iulianus, 21 Gaianus, 22 Symmachus, 23 Caius, 24 Iulianus alter, 25 Capito. Eusebius lib. 5. cap. 12. Sub Commodo 26 Maximus, 27 Antoninus, 28 Valẽs, 29 Dolychianus, 30 Narcissus, 31 Aelius, 32 Germanio, 33 Gordius, 34 Narcissus alter, seu potius ille prior ex solitudine reuersus. Narrat enim Eusebi⁹ lib. 6. cap. 9 ac 10, Narcissum, siue pudore siue impatientia motũ, eo ꝙ à maleuolis falso de impudica uita accusaretur, deserta sua ecclesia, in solitudinẽ seceßisse, ibiq; plurimos annos uixisse. Cuius aũt ignorantibus, ubi nam locorũ ageret: aliũ episcopũ substitutũ esse, qui Dios uocabatur, aliàs Aelium nominãt historici: ei succeßisse Germanionẽ, et post eũ Gordiũ. Sub hoc Narcissum quasi rediuiuũ iterũ apparuisse, & rogatũ à fratrib. episcopatũ rursus subijsse, adiuncto sibi Alexãdro, ut in proxima Centuria exponetur. Eodẽ loco, Eusebi⁹ cõmemorat, hunc Narcissum & miraculorũ dono excelluisse. unũ recitat, quòd in Pascha is uigilijs deficiente oleo, oratione impetrarit, ut aqua infusa lampadib. ad præbendã lucẽ facta fuerit idonea. Verùm id nõ est admodũ magni momenti. Addit etiã, quòd falsi eius accusatores ijsdem pœnis, quas sibi quisq; imprecatus fuerat, sint diuinitus puniti. Horum porrò omniũ tempora, quibus præfuerũt, se discernere potuisse, Eusebius negat. Dulcißimè aũt in Propheta dictũ est: Cũ iratus fueris, misericordiæ recordaris. id quod profectò in hoc exẽplo Iudæorũ luculenter declarauit Deus. namq; Hierosolymis p tot cõtinuos annos adhuc Euãgelij doctrinã tuetur, & per ministeriũ sonat, ut abundè testetur, se se etiã hostes suos ad pœnitentiã uocare, et uerè sic affectũ esse, ut in ꝓpheta inquit: Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, sed ut cõuertatur et uiuat. Est etiã hæc doctrina illustris et plena cõsolatione, q; inter sæuos furores Iudæorũ et gentiũ cõtra Christũ et eius doctrinã & Ecclesiã, tamẽ aliquos Doctores et aliquã Ecclesiolã in medio hostiũ cœtu cõseruat, quæ uerũ Deum agnoscat et celebret. Hactenꝰ de episcopis Hierosolymitanis, qui quidẽ in hoc seculo ab autorib. enumerantur.

DE EPISCOPIS ANTIOCHENIS, ac primùm de Ignatio.

POlycarpi & Papiæ coætaneus fuit Ignatius, qui & Theophorus dictus est, ut in Epigraphis suarum Epistolarũ legitur. Multorũ uerò encomijs clarus est, adeò ut etiamnũ inter eos qui ipsorũ Apostolorũ ætatẽ mox cõsecuti sunt, non postremus habeatur. Cuias aũt fuerit, et quomodo in adolescẽtia institutus, qua ue occasione uel cõuersus fuerit, uel ad grauiores functiones ascenderit, nusquã, quantũ quidẽ nobis cognitũ est, extat. Quæ enim Nicephorus lib. 2. cap. 35. refert, Ignatium fuisse unũ de tenellis pueris, quos Christus suis manibus leuarit, ac dixerit, Nisi fiatis sicut pueri, non intrabitis in regnũ cœlorũ: nõ satis certa sunt. Nam ea res & testimonio aliorũ autorũ, quib. aliqua fides inest, caret: & Epistolæ quæ Ignatio tribuuntur, ut pote ad Iohannẽ & Mariã, declarãt, eũ Christũ corporaliter nunquam uidisse. Nam quod in epistola ad Smyrnæos dicit, se Christũ post resurrectionẽ in carne nouisse, id non de corporali, sed fidei cognitione dicit contra hæreticos: nempe quòd credat Christũ esse uerũ hominem. et idem quoq; contextus probat. Tantùm uerò in eo testimonia omniũ cõueniunt, eum gubernationi ecclesiæ Antiochenæ præfuisse temporib. Traiani Imperatoris. Quod autem alij affirmãt eum alterũ à Petro fuisse, alij tertium, nõ parit ullam differentiã. Siquidem illi ab Euodio, qui primus post Petrũ Alexandriæ episcopus fuit, initium supputationis faciũt: hi uerò à Petro. Epistola Ignatij ad Antiochenos scripta sic habet: Mementote, inquit, digneè beatissimi Euodij, pastoris uestri, qui primus uobis ab Apostolis antistes ordinatus est. Discipulum fuisse Ioannis Apostoli, ex eius epistolis quas ad Iohannem et Mariam scripsit, sumptum uidetur.

Scripta eius refert Eusebius lib. 3 cap. 35. Ex Smyrna scripsit ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos. Ex Troade uerò, ad Philadelphienses, & ad Smyrnenses, & ad Polycarpũ. Hieronymus etiã totidẽ recenset. Sed hodie insuper tribuuntur Ignatio in recentiorib. editionibus, ad Iohannẽ, quẽ Seniorẽ appellat, Epistolæ duæ: ad Mariã Christiferã, ad Mariã Cassabolitã, ad Philippenses: & ex Philippis, ad Tarsenses, & ad Antiochenos, & ad Heronẽ. Lectori aũt pio & attento considerandũ relinquimus, quantũ sit illis epistolis tribuendũ. Non enim dubitamus, quin in lectione earũ cuilibet ista in mentẽ ueniant: Primùm, quod ferè in omnib. epistolis, licet satis copiosis, occasio scribendi prætermittitur: nec uel diuinare licet, quare potissimum ad hanc uel illã Ecclesiã literas uoluerit mittere. Deinde, ipsius peregrinationis ratio non paruũ injicit scrupulũ considerantibus, quòd multo rectiore & breuiori itinere Romã potuerit nauigare: ut testatur uel ipsius Pauli exemplũ, quòd nõ fuerit ei integrũ longas ambages quærere, quia captiuus ducebatur: quòd decẽ leopardis, ut ipsemet eos nominat, traditus erat: neque fiat mentio, eum exercitũ Imperatoris secutũ. imò ne bistorijs quidẽ proditũ sit, Imperatorẽ per tantos circuitus Romã profectũ esse. Expende quàm longũ iter sit, Antiochia ad littus Aegæi pelagi se recipere, ibiq; relictà sursum uersus septentrionẽ ascendere, & præcipuas ciuitates in littore sitas usq; ad Troadẽ perlustrare, cũ tamen Romanũ iter sit destinatũ uersus occasum. Tertiò, res eiusmodi in istas literas insperſæ sunt, ut ad eas propemodum obstupescat lector: ut q, ex rebus medijs seu ceremonijs res prorsus necessariæ constituuntur, ut de Paschate et ieiunijs certorũ dierũ, ad quæ etiã ipsam cõscientiã alligat, et quædã alia, de quibus paulo pòst dicetur. Deniq;, quòd multo plures hodie Ignatio adscribantur epistolæ, quàm tempore Eusebij & Hieronymi factũ sit. Hæc cum aliàs nõ somnolento lectori incidãt, nõ existimauimus nobis uitio uertendũ esse, si huc apponeremus. Sed utut se res habeat, cũ præsentia cogamur amplecti, ex hisce scriptis uidere est, magna in existimatione totius Ecclesiæ oriẽtalis Ignatium fuisse, eo quòd præclaro zelo pro domo Dei flagrauerit, et summis uiris fuerit gratissimus: nẽpe Polycarpo, & cæteris in Asia passim episcopis. Est & hoc annotandũ, q, hoc anno Domini 1558 epistolæ Ignatij Græcè sint impressæ et publicatæ, quæ hactenus per aliquot secula latuerũt.

At nunc ordo rerũ Ignatij postulat, ut de doctrina quã professus est, aliquid in mediũ proferamus: ubi aliud nihil habemus, nisi quod hæc eius monumenta, si tamen eius sunt, cõplectuntur. qua quidem in parte ideo breuiores erimus, quia suprà eius præcipua testimonia de articulis doctrinæ sunt cõmemorata. In primis articulum de Deo propugnat & illustrat Ignatius. docet enim, unũ esse Deũ, ac tres distinctas personas, patrẽ, filium, Spiritũ sanctũ: & refutat hæreticos, hunc articulum labefactantes, ex uerbis baptismi. Probat ex euidentibus Euangelistæ Iohannis & Pauli, deniq; & prophetarũ testimonijs, Christũ esse uerè Deum, ab æterno genitũ ex Deo patre: & uerè hominẽ, natũ de Maria uirgine. & acerrimè cõfutat hæreticos, asserentes Christũ nõ uerè esse Deũ, aut putatiuè tantũ hominẽ, & putatiuè passum ac expressè nominat Simeonem, Menandrũ, Basilidẽ, Ebionitas, Nicolaitas, Theodotũ & Cleobulũ. Asseuerat Christũ suo sanguine generi humano salutem peperisse, omnes merito Christi duntaxat saluari. Sicut ad Philadelphienses præclarè inquit: Omnes sancti cum Christo saluati sunt, per ipsum, in ipsum sperantes, atq; ipsum expectantes. Rectè etiã de nostra resurrectione docet. Etsi aũt nusquã locum de iustificatione hominis corã Deo ex instituto tractet, tamẽ eiusmodi sententiæ declarãt, eum nusquã operib. aliquã partem meriti in salute cõsequenda attribuisse. Et celebratur eius dictũ ex Epistola quã ad Romanos scripsit: Meus amor crucifixus est. Pœnitentes monet placidè recipiendos. Ecclesiam super petrã, ipsum uidelicet Christũ, esse fundatã: neq; meminit ullius Oecumenici pontificis, qui reliquis omnibus præcelleret, nisi unius Iesu Christi. Ministerij dignitatẽ extollit, & obedientiã ferè in singulis epistolis studiosè inculcat. Hæreticos monet uitandos ac fugiendos esse: quos quidem & Diaboli sobolem ac nepotes nominat. De cœna Domini, usum utriusq; paratis iuxta institutionẽ Christi defendit. Coniugiũ magni facit, & illud damnãtes hæreticos pronunciat. Deniq; nouæ obedientiæ præcepta subinde instillat. Est autem & hoc obseruandum, quòd ordinationem episcopi Philadelphiensis ipsi cœtui Ecclesiæ tribuat, non tantum episcopis alijs. Sic enim inquit ad eosdem: Decet uos, tanquam ecclesiam Dei, ordinare episcopum. Citat plerunq; integras sententias ex epistolis Pauli, quarum uidetur studiosissimus fuisse. Sed cum hæc omnia ex epistolis

ſtolis, quæ ipſi tribuuntur, ſumi poſſint, nolumus hic ſu
ſius proſequi. Cæterum habentur quædam in hiſce e-
piſtolis Ignatij, quæ ad deformes næuos declinare uiden
tur, ut quòd in Epiſtola ad Philippenſes perſpicuè hæc
uerba ponit: Quicunq; Dominicam aut ſabbatum (ali-
qui interponunt, Non, uerùm in Græco non extat) ie-
iunauerit, præter unum ſabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chri
ſti interfector. Item: Quicunq; cum Iudæis Paſcha ege-
rit, aut ſolennia dierum feſtorũ eorum ſuſceperit, com-
participabit eis qui Dominum & Apoſtolos eius occi-
derunt. Hæc ſanè non uidentur bene conuenire cum ſen
tentia Pauli, Nemo uos iudicet in cibo aut parte diei fe-
ſti: niſi fortaſſis zelo quodã leuitatem & fluctuationẽ
quorundam cohercere uoluit, et circumſtantias habuit,
quare doctrinã libertatis exaſperauerit: aut etiam hiſce
notis hæreticos aliquos indicauit, de quibus tamen no-
bis nihil certi cõſtat. Periculoſa porrò quædã, & qua-
ſi errorũ ſemina in ijs extant: ut eſt illud in Latina uer-
ſione, de Miſſa, ut in loco De doctrina attigimus: quam-
uis irreptitiũ uideri queat, cum nullus ex autoribus hu-
ius ſeculi hoc uocabulũ uſurpet, nec in Græco ſit. Nam
uerba Ignatij ſic habent, ὅτι ἐξὸν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκό-
που, ὅτε βαπτίζειν, ὅτε προσφέρειν, ὅτε θυσίαν προσφο-
μίζειν, ὅτε δοχὴν ἐποιεῖν. De Virginitate minus
commodè loquitur: Sed tamen cum coniugium non im-
probet, facile iudicari poteſt, non uoluiſſe eum ad uir-
ginitatis uincula obligare quoslibet, nec laqueos con-
ſcientijs injicere: ſed ſenſiſſe idem cum Paulo, Bonũ qui-
dem eſſe non nubere. Variam etiã mouet ſuſpicionem,
quod in epiſtola ad Trallenſes ualde gloriabundus di-
cit, ſe intelligere angelorũ atq; archangelorũ ordines,
militiarũ diuerſitates, uirtutũ & diuinationũ differen-
tias, ſediũ atq; poteſtatũ diſtantias, thronorũ magnifi-
centias, Cherubim & Seraphim excellentis ſpiritus ſu-
blimitatẽ, Domini regnũ: & ſuper hæc omnia, omnipo
tentis Dei incõparabilitatem. quod Apoſtolorũ nullus
unquam de ſe affirmauit, neq; habet ea intelligentia ma
gnũ in hac uita uſum. Inde quidã uidentur extruxiſſe,
Ignatiũ Antiphonarũ inuentorẽ eſſe. Et obſeruatione
dignũ eſt, quod Nicephorus in cap. 19. lib. 3, ubi de re-
bus Ignatij ſatis diligenter agit, eius rei nullã facit men
tionem: ſed lib. 13. cap. 8. primùm in eam narrationẽ di
greditur. Sic Socrates lib. 6. cap. 8. hanc uiſionẽ recitat.
Ad poſtremũ, martyrij corona decoratus eſt. Cum enim
Traianus in oriente feliciter res geſſiſſet, capta Babylo
nia, & profligatis Perſis, qui in Aſiam irruptionẽ fece-
rant, cùm paſſim alibi, tũ uerò uel in primis Antiochiæ
deos ſuos, tanquã huius tam præclaræ uictoriæ auto-
res, publicis encomijs ornari ac celebrari curauit, & in
miſeros Chriſtianos crudelitatẽ exerceri iuſſit. Scilicet
hoc in more habet diabolus, et impius mundus, ut trium
phum aliquẽ ſine Chriſtianorũ ſanguine agat nunquã.
Iſta igitur tam tetra impietate & iniuſta ſæuitia Impe-
ratoris, ſed quod ad politicas uirtutes attinet nõ omni-
no peſſimi, permotus Ignatius, nõ tantũ ſuo loco in con
feſſione doctrinæ Chriſti perſeuerat: ſed ipſum etiã Im-
peratorẽ in ſua eccleſia cõmorantẽ adit, idololatrica ſtu
dia & immanẽ perſecutionẽ redarguens, ac tentans, ſi
qua ratione tantũ principẽ ab ethnicis errorib. ac furo
ribus abducere poſſit: ac fungitur ea in re officio cõſtan
tis paſtoris, ac ſerij, in primis uerò accenſi pio zelo, à
Spiritu ſancto. Non eſt enim polypragmoſyne in docen
di functione, etiã ipſos Imperatores de idololatria, deq;
alijs enormibus peccatis cõmoneſacere, & de ſuo offi-
cio ac ſalute edocere. Sic Nicephorus lib. 3. cap. 19 in-
quit: Ignatiũ nõ deſtitiſſe ſuperſtitionẽ Traiani redar-
guere. Quamobrẽ & cõmunem ſortẽ omniũ piorũ do
ctorũ Eccleſiæ Chriſti, Ignatius hac in re expertus eſt.
nam in uincula cõiectus, Romã leonib. obijciendus mit-
titur: idq; non ob aliquod tetrũ ſcelus ab eo cõmiſſum,
ſed quòd blaſphemus in religionẽ Imperatoris, & ſedi-
tioſus, ac læſæ maieſtatis reus haberetur. Antiochiæ
fortè metu ſeditionis, eo quòd in ſumma autoritate a-
pud omnes eſſet, uel etiã terroris gratia, non interficie-
batur. Quanta autẽ fuerit eius uirtus, quanta prompti
tudo & magnanimitas ad ſubeundũ ſuppliciũ, malo le-
ctorem ex ipſis Ignatij uerbis, quàm ex hac noſtra frigi
da narratione cognoſcere. Sic ſcripſiſſe eum ad Roma-
nos, Euſebius lib. 3. cap. 36. teſtatur: Vtinã potiar be-
ſtijs, quæ mihi parantur, quas opto etiã in me cõcitatas
uenire: quas allicia quoq;, ut me cõfeſtim deuorent, &
non abſtineant à me, ſicuti quoſdã metu non attigerũt.
Et ſi ipſæ inuitæ noluerint, ego eas in me cogã. Ignoſci-
te mihi: Quid mihi cõducat, ego noui. Nunc incipio eſ-
ſe Chriſti diſcipulus: nihil uiſibiliũ moror, nihil inuiſibi
lium, ut Ieſum Chriſtũ acquirã. Ignis & crux, incurſus
beſtiarũ, diſſipatio oſſium, conuulſio membrorũ, totius
corporis cõmolitio ac ſupplicia diaboli in me ueniant,
modò Ieſum Chriſtũ acquirã. Traditus autẽ decẽ mili
tibus, ſeu carnificibus potius, Romã traducẽdus, de qui-
bus ipſe Ignatius inquit: A Syria Romã uſq; beſtijs de-
pugno, per mare, per terras, noctes atq; dies inter de-
cem leopardos, id eſt, contuberniũ militũ uinctus, qui
etiam beneficijs affecti deteriores redduntur. Iniurijs
autem illorũ excitatus magis ac magis erudior, uerùm
in hoc nõ iuſtificatus ſum. Plurimos uerò Euãgelij mi
niſtros ei ſe comites in hoc itinere præbuiſſe, epiſtolæ
eius uidentur ſignificare. ſic enim in epiſtola ad Tar-
ſenſes, quã ex Philippis ſcripſit, eſt: quòd Philon diaco
nus Tarſenſiũ, & Agathopus diaconus de Syria, eum
ſint comitati: & Burgus, in epiſtola ad Philadelphien-
ſes: & Crocus, Honeſiphorus, Burrus, Euplus, et Phron
ton, ad Epheſios tanquam ſocij itineris nominantur. In
itinere uerò nõ conſumitur lamentationibus: ſed eas e-
piſtolas ad diuerſas eccleſias, quas ſuprà recenſuimus,
maxima ex parte conſcripſit. Qua quidem in re ardens
ſtudiũ conſeruandi puritatẽ Euangelicã, & Eccleſiam
Chriſti ornandi & amplificandi, cõſpicitur. Noluit e-
nim lucernã, quã Deus in ſe accenderat, ſubter modium
abſcondere, aut ad uitandã necẽ ſui corporis et aliorum
prorſus cõticeſcere. Polycarpo igitur inſpectionẽ et cu
ram ſuæ eccleſiæ Antiochenæ, quã cogebatur relinque
re, licet ille ſatis procul ab ea abeſſet, commendat. Vnde
manifeſtũ eſt, hoſce duos uiros propter Euangelij Chri
ſti cõfeſſionẽ, plantationẽ & propagationẽ, fuiſſe ar-
ctiſſima amicitia cõiunctos. De Herone etiã refert, ſe
ex uiſione habere, quòd Antiochiæ ſibi eſſet ſucceſſu-
rus. Tales igitur, tanquã odorifera roſa, fragrantias, ut
ſic loquamur, inter ſua uincula & leopardos, tanquam
ſpinas & tam longinquas et immites diſtractiones diſ-
fundẽs, tandẽ Romã uſq; deportatur. In quo loco, quaſi
theatro orbis terrarum, talis tamq; precioſa uictima

Deo

Deo immolatur. Nam ibi, ut erãt ei Imperator & præ fides minitati, fit esca feris. Irenæus Ignatij mentionem faciens libro quinto, de eo sic scribit: Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adiudicatus ad bestias: Quoniam frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molar, ut mundus Dei panis inueniar. Hæc Irenæus. Neq; ante pugnã tantum fortis fuit, sed postquam rugientes audiret leones, ut ait Hieronymus, etiam hanc uocem repetiuit, & constantiam usq; ad extremũ halitum retinuit. Nicephorus ait, Ignatiũ Romæ uarijs tormentis esse excruciatum: postremò uerò, leones duos famelicos & rabiosos in medio theatro in eũ esse immissos, qui carnibus & ossibus teneriorib. deuoratis, tantũ crassiora ac firmiora ibi reliquerint. Recitat Vincentius in Speculo, lib. 10, cap. 157, ex gestis eius, prolixum Traiani colloquiũ cum Ignatio: & quàm uarijs tormentis eum iusserit excarnificari, quia nollet dijs sacrificare: & quòd tandem à leonibus sit suffocatus. Addit etiam, cor Ignatij excisum esse. quia dixerat interrogãtibus, cur toties nomen Iesu iteraret? tam profundè sibi in cor nomen Iesu insculptum esse, ut eius nunquam possit obliuisci: inq; singulis sectionibus inuentam esse appellationem Iesu Christi, aureis literis inscriptam. Verum cum ista fabulis uideantur similiora quàm ueritati, nec habeant ueteres aut probatos testes, iudicium penes lectorem esto. Ossa seu reliquias eius, post plurimos annos à socijs seu sectatoribus Antiochiam esse translatas, Nicephorus scribit. Idem tamen autor libro decimoquarto, capite uigesimoquarto ait, Theodosium hoc fecisse: & Euagrius libro primo, capite decimosexto, idem asserit. Hieronymus quoq;, eum ibi ante portam Daphniticam iacere indicat. Quantum huic rei tribuendum sit fidei, lector uiderit. Eusebius in Chronico ait: Anno Domini centesimo undecimo, tali supplicio esse affectum Ignatium: anno uerò imperij Traiani undecimo. Quamuis Nicephorus tertio Traiani anno hoc factum esse dicat, libro 3, cap. 2. Præfuit ecclesiæ Antiochenæ annos nouem.

DE CAETERIS ANTIOchenæ ecclesiæ episcopis.

IGnatio è Syria abducto, & à bestijs dilaniato, Heron Antiochenæ ecclesiæ præficitur, tertius in successione post Apostolos, anno Traiani undecimo, Christi uerò centesimo undecimo. Inde quartus sequitur Cornelius, anno Hadriani duodecimo, Christi uerò centesimo trigesimoprimo: quintus Eros, anno Antonini Pij quarto, Christi 144: ut Eusebius lib. 4, cap. 20, et in Chronicis eos recenset. Cæterùm præter nuda nomina, in historijs de ipsis nihil reperitur.

DE THEOPHILO.

Sextus post Apostolos sub Vero Imperatore Theophilus ecclesiam Antiochenam administrat: quem quidem multis præclaris donis excelluisse, uel ex libris eius ad Autolycum, qui ad nostram usq; ætatem peruenerunt, satis manifestum est. In ethnicis autoribus fuit doctissimus & peritissimus: unde licet colligere, eum antequam ad Christi cognitionem peruenisset, non minimam ætatis suæ partem in philosophicis atq; ethnicis studijs contriuisse, omnesq; ipsorum autores singulari industria euoluisse. & hanc ipsam rem cõfirmat, quod ait libro primo, fidem suam lectione sacrarum literarum, ad quas cognoscendas etiam Autolycum inuitat, adiutam esse plurimùm: quamuis etiam propter confutationem ethnicarum opinionum, & illustrationem doctrinæ Christianæ, fidelibus erant nonnihil gentium scripta delibanda. In oratione satis est facundus: & in lucrifaciendis ijs quorũ mentes ethnicis opinionibus erant imbutæ ac fascinatæ, ualde ardẽs & appositus. Didacticum uerò fuisse, uel hoc satis probat, quòd Institutionum libros conscripsisse dicitur: qui si extarent, haud dubiè totam doctrinæ formam paulo plenius & clarius proponerent, ut de ipsius dexteritate & fide rectius iudicari posset. Neq; uerò tantum ecclesiæ suæ curam gessit in tradenda Euangelij doctrina, sed etiam zelo flagrans tanto ministerio & doctore dignot, cõra impostores & deprauatores Euangelicæ ueritatis non tantum uoce, sed & scriptis intrepidè & acriter decertauit. Nam hæresin Hermogenis, & Marcionem cum suis nugis confutauit tam fortiter, ut uel saltem hoc nomine egregiam laudem præclaræ constantiæ & eruditionis sibi compararit. Sed præter libros tres ad Autolycum Græcè scriptos, nihil habemus. Extant autem isti tituli reliquorum monumentorum huius Theophili: Liber contra hæresin Hermogenis, in quo ex Apocalypsi Ioannis nonnullis testimonijs usus est. Liber contra Marcionem, qui præcipuè laude dignus fuit, & omnibus Christianis gratus: & ait Hieronymus, sua etiamnum ætate eum extitisse. Præterea alij Institutionum libri: Eusebius libro quarto, capite uigesimoquarto. Hieronymus in catalogo inquit: Legi sub nomine eius, in Euangelium & in Prouerbia Salomonis Cõmentarios, sed qui sibi cum superiorum uoluminũ elegantia & phrasi non uidentur congruere. Doctrinæ igitur Theophili uestigia tantum ex libris ad Autolycũ petere licet. Docet scripturam Christianorum, quæ in Propheticis & Apostolicis monumentis continetur, antiquiorẽ esse omnium gentilium literis & libris: eamq; ob causam ueritatem tantum ex hoc quasi antiquissimo fonte hauriendam esse. Et quod obseruatione dignum est, supputationem annorum mundi succinctam ex sacris literis, usque ad sua tempora, profert: asserens, ex nullis prophanis literis hoc posse fieri. Hoc fundamento confisus, doctrinam de uero Deo tradit, & ethnicorum Deos esse ficticios strenuè asserit. Ex tritici aliarumq; creaturarum diuina ac mirabili resuscitatione (quando nimirum semina in terram proiecta, uelut mortua & putredini exposita, subitò reuiuiscunt, uirescunt & fructus proferunt: uel mortua sanguinis guttula in corpore humano diuinitùs resuscitatur, ut inde uiuus ac sanus homo prodeat) resurrectionem mortuorum euidenter probat. Indicat mundum non fuisse æternum, ut philosophi nugantur: sed conditum à Deo ex nihilo, sine materia præexistente. Hominem quoq; non casu extitisse, sed à Deo formatum: & quidem sine peccato, liberum & sui iuris: causam uerò mortis fuisse, transgressionem mandati diuini. Hoc autem loco Autolycum ad uetustissimum testem, nempe ad Mosen deducit: & primum, secundũ, tertium caput ex Geneſi de uerbo commemorat & exponit. Cõfutat

ethnicorum conficta in Christianos crimina, quasi omni genere turpitudinis sese polluerent: ac ostendit Christianam doctrinã tanta flagitia nequaquam approbare, sed de uirtutibus ac pijs factis, deq; præmijs rectè factorum, & pœnis eorum quæ secus fiant, multo grauius & luculentius præcipere, quàm ullæ prophanæ literæ.

Laboraße autem hunc doctorem quibuſdam ſiue proprijs, ſiue eius ſeculi uulgaribus næuis, in loco De doctrina ſuprà dictum eſt. De λόγῳ ualde periculoſa loquitur, propemodum Arrij deliria reſipientia. nam Chriſtum ait tum primùm eſſe genitum, quando pater ipſam conditionem mundi iam uellet aggredi: ſicuti antea conſtituerat, Hominem non eſſe conditum perfectũ, & cum aliquãdo deum declarandum fuiße, & in aſtra recipiendũ, ſi non fuiſſet lapſus. Vocem Euangelij uel ignoraſſe penitus, uel non ſatis explicaſſe uidetur. Clarè enim affirmat, per obedientiam iuxta legem poſſe hominẽ ſibi ſalutẽ & uitam æternam comparare: quæ quidẽ omnia in ſecundo eius libro ad Autolycum reperiuntur. De alijs uerò donis, totoq; uitæ curſu, nihil amplius habemus. Vixit autem tempore Aurelij Veri Imperatoris, ut dictum eſt, et initio Commodi. Nam libro tertio ad Autolycum, ſupputationẽ annorum à condito mundo uſq; ad ſua tempora, ut dictum eſt, deducit. mortemq; Veri ſimul cõprehendit. Euſebius in Chronico ait, eum octauo anno Veri, Chriſti uerò centeſimo ſeptuageſimoprimo, Antiochenæ eccleſiæ præfectum fuiſſe.

DE MAXIMINO.

Maximinus ab Apoſtolis ſeptimus Antiochenã eccleſiam, miniſterio uerbi Dei gubernauit ſub Vero Imperatore: ut Euſeb. lib. 4 cap. 24, & lib. 5 cap. 19 indicat. In Chronicis ſuis ait, decimoſexto Marci Antonini Veri, Domini uerò centeſimo ſeptuageſimonono anno, eum in hanc functionem conſtitutum eſſe. Nicephorus libro quarto, capite decimonono, curſum eius in miniſterio refert undecim annorum fuiße. Tantum de hoc doctore.

DE SERAPIONE.

Octauus Antiochiæ epiſcopus fuit Serapio, ſub Cõmodo Imperatore (Euſebius libro quinto, capite uiceſimo ſecundo) doctrina & eloquentia inſignis, & præclaro zelo tantaq; autoritate præditus, ut non dubitarent alij præſtantes uiri eius epiſtolis ſiue cenſuris de negocijs Eccleſiaſticis ſubſcribere. Iſta ex ſcriptis coniecturare licet, quorũ nuda nomina apud autores extant: ut quod Euſebius libro quinto capite decimonono refert, Serapionẽ ad Caricum (Nicephorus habet Cariconem, libro quarto, capite uigeſimoſeptimo) & Ponticum epiſtolam ſcripſiſſe, in qua Montani hæreſin confutarit. & addit, plurimos ſua chirographa huic iudicio ſubiecißе, & formam quarundam ſubſcriptionum exprimit: ut, Aurelius Cyrenius martyr ſalutem uobis opto. Alius ſic: Aelius Publius Iulius à Debelto colonia Thraciæ epiſcopus, uiuit Deus in cœlis, quòd cum Beatus Zotas Anchialenſis dæmonem Priſcillæ eijcere uellet, hypocritæ non permiſerunt. Non igitur quaſuis corruptelas paßi ſunt hi doctores in Eccleſiã Dei irrumpere: neq; ſolum gemitus contrà fecerunt, ſed ſcriptis grauibus conſenſu ac ſubſcriptionibus plurimorũ piorum communitis, eiuſmodi peſtes declarauerũt, confutarunt ac dãnarunt. Non enim tacendo ac diſſimulando impudentia mendacia refellũtur, nec ferendo uincitur aut profligatur Satan. Conſtat autem Euſebij tempore & hæc, & plura fortè Serapionis ſcripta, in piorum manibus fuiſſe. Euſebius in Chronico ſcribit, anno Commodi decimo, Chriſti uerò centeſimo nonageſimo ſecundo, Serapionem Antiochenæ eccleſiæ gubernationem ſuſcepiſſe. Nicephorus lib. 4, cap. 19 affirmat, eum ſatis diu cum laude ei Eccleſiæ præfuiſſe, fortè circiter annos uiginti duos. Nam ducenteſimo decimoquarto Domini anno Aſclepiades in eius locum ſuffectus eſt.

DE PAPIA HIERAPOLITANÆ eccleſiæ doctore.

Inter eos qui ſtatim poſt Apoſtolos in Aſia ſubſecuti ſunt, & Papias numeratur. Etſi autẽ pauciſſima, & ea quidem ualde obſcura, de ipſo ad noſtram ætatem ſint tranſmiſſa: tamen ea quoq; non uidentur prætereũda. Hierapolitanæ eccleſiæ eum fuiſſe doctorem, quicunq; eius faciunt mentionem, teſtantur omnes. Eſt autem Hierapolis (ut lectoris gratia & hoc uno uerbo attingamus) ciuitas Aſiæ, in ea parte Phrygiæ ſita ubi ad Lycaones & Lyciam meridiem uerſus ſeſe extendit. Floruit ſub Traiano: ſed quoto anno ad gubernationem eius eccleſiæ uenerit, & quandiu in ea uixerit, non eſt literis mandatum. Communis etiam ſententia eſt, Papiam Ioannis apoſtoli auditorem fuiſſe. & allegat Euſebius libro tertio, capite trigeſimonono, eumq; ſecutus Nicephorus & alij, Irenæi teſtimoniũ, quod eſt tale: Hæc uerò & Papias, Ioannis quidem auditor, Polycarpi uerò ſodalis, uir antiquus, ſcripto in quarto ſcriptorum ſuorum libro teſtatur: quinq; ſiquidem libros compoſuit. Hæc Irenæus. Verùm diuerſum mox profert Euſebius eodem loco, ex proœmio librorum Papiæ, ubi ipſemet confiteatur, ſeſe haudquaquã Apoſtolos Domini uel uidiſſe, uel audiuiſſe: ſed ea quæ ſunt fidei, ab ijs acepiſſe, qui ipſis Apoſtolis fuerũt familiares. Verba Papiæ hæc adſcribit: Non detrectabo tibi etiã ea quæ aliquando à ſenioribus bene didici, ac recte memoriæ mandaui, cum expoſitionibus ſuis componere, certus de illorũ ueritate factus. Non enim delectatus ſum illis qui multa dicunt, ſicut pleriq; ſolent: ſed his, qui quæ uera ſunt docent. neque illis, qui peregrina præcepta commemorant: ſed his, qui quæ à Domino fidei noſtræ ſunt tradita, et ab ipſa profecta ſunt ueritate, adferũt. Sicubi quiſquã uenit, qui ſeniorũ aſſectator fuerit, ſeniorũ uerba exquirebã, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, aut Iacobus, aut Ioannes, ſiue Mattheus, uel alius qniſquã ex diſcipulis Domini, quidq; Ariſtion, & ſenior Ioannes, diſcipuli Domini dixerint. cogitabam enim, me non tantum utilitatis ex libris, quantũ ex uiua & permanente uoce relaturũ. Hactenus Papias. Fortè & hæc ſunt obſcuriora, q̃ ut inde liquidò probari queat, Papiam nullum diſcipulorum Domini cõſpexiſſe. Verùm cum Papiæ libri interierint, ex quibus iſta omnia clarius petere poſſemus, fides ſanè penes Euſebiũ eſto. Libros, ſicut iam dictum eſt, compoſuit quinq;, inſcriptos, Explanationes ſermonũ Domini. Quanquã Nicephorus lib. 3, cap. 20 dicat, eum multa quidem uolumina ſcripſiſſe,

pſiſſe, uerùm hæc quinq; ſolummodo extare. Næuus aũt haud paruus hunc doctorem apud poſteros quoque notabilem effecit. nam ſenſit & docuit, poſt reſurrectionem terrenum ac corporale regnum Chriſti & fideliũ in hoc mundo per mille annos futurũ eſſe. Neq; hoc diſſimulandum eſt, quod Euſebius aſſerit, eum multas peregrinas parabolas Chriſti & doctrinas in ſuis libris protuliſſe. Et cauſam adijcit, quòd modico fuerit iudicio præditus, Apoſtolicas q; diſputationes & hypodigmata non rectè intellexerit. De donis aliàs inquit Euſebius libro tertio, capite trigeſimoquinto, Papiam per omnia fuiſſe eloquentiſſimum, & ſacræ ſcripturæ peritum. Tantum quidem de hoc Papia ex probatis teſtibus dicere potuimus.

DE POLYCARPO.

Celebris inter Apoſtolicos uiros, qui nimirum proxima poſt Apoſtolos ætate uixerunt, & Polycarpus eſt. Fuit enim ipſius Ioannis apoſtoli auditor: ut eſt Irenæus libro tertio, contra hæreſes, cap. 3 teſtis. Sicut autem magna Apoſtolorum dignitas fuit, ut qui immediatè à Chriſto doctrinam Euangelij acceperant: ita nõ immeritò hic ſecundus gradus magnificiendus eſt, nempe ex uiuo ore Apoſtolorum tanquam puriſſimo fonte doctrinam de Chriſto hauſiſſe. præterea non tantum eum ab Apoſtolis edoctũ eſſe ſcribit Irenæus, ſed etiam cum multis familiariter conuerſatũ, qui ipſum Dominum noſtrum uiderant. Fuit autem Smyrnenſis eccleſiæ doctor ſeu epiſcopus. eſt q; Smyrna oppidum (ut hoc obiter dicamus) Ioniæ, in Aſia minori, amœno littore maris ſitum, ad Aegeum pelagus, ſupra Epheſum, uerſus ſeptentrionẽ. Et commemorat Irenæus Polycarpum ab Apoſtolis, et ut Hieronymus in catalogo declarat, à Ioanne in eum locum conſtitutum eſſe. Etſi autem tempus ipſum, quando primùm docendi munus ibi ſit aggreſſus, in hiſtorijs non ſit expreſſum: tamen conſentaneũ eſt, ſecundo uel tertio anno Traiani, hoc eſt, circa annum Domini centeſimum ſecundum, id factum eſſe. Sexageſimo enim octauo poſt paſſionẽ Chriſti anno, Ioannes euangeliſta mortuus eſſe dicitur. Sed quoto tamen ante obitum ſuũ anno Polycarpum in eã Eccleſiam collocarit, quantũ quidem nos ſciamus, non eſt literis proditum. Meminit Polycarpi et Ignatius in epiſtolis, quas in itinere ſuo Romam uerſus ſcripſiſſe fertur. unde apparet, Polycarpum tum temporis in miniſterio ſuo fuiſſe. Quòd ad miniſterij gubernationẽ attinet, Eccleſiam ſibi commiſſam non tantum uiuis Apoſtolis, uerùm etiam poſt eorum diſceſſum ex hac ærumnoſa uita ſumma fide docuit: et ſinceræ doctrinæ Chriſti, quam ueluti depoſitum ab ipſis Apoſtolis acceperat, acerrimus fuit cuſtos atq; propagator. ac teſtẽ quidem huius rei fideliſſimum habet Irenæum, qui loco ſuprà citato ſic ſcribit: Hic, inquit, docuit ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, et ſola ſunt uera. Et teſtimoniũ his perhibent, quæ ſunt in Aſia eccleſiæ omnes, & qui uſq; adhuc ſucceſſerunt Polycarpo. Hæc Irenæus.

Epiſtolam quandam ad Philippenſes eum ſcripſiſſe, Irenæus quoque teſtatur, & ait eam perfectiſſimè eſſe ſcriptam: ex qua & characterem fidei eius, & prædicationem ueritatis, qui uolunt, & curam habent ſuæ ſalutis, poſſunt diſcere. Cæterùm hac noſtra ætate quædam epiſtola extat, titulum Polycarpi ad Philippẽſes præ ſe ferens: uerùm an ſit ea germana Polycarpi epiſtola, diligentes antiquitatis ſcrutatores uideant. optandũ enim eſſet, uetuſtiſſima exemplaria bona fide inquiri. Etſi enim ea epiſtola non contineat manifeſtũ aliquem errorem, tamen attento lectori fortè ſuſpitionẽ mouere poſſet. Dicit enim, ſe à Philipenſibus, ut ſcriberet, permotum: uerùm quænam ſit cauſa & ſcopus ille ad quem ſuam epiſtolam uoluerit dirigere, non ſatis exprimit. Deinde & partes epiſtolæ nimiũ confuſæ, minimeq; cohærentes uidentur. Præterea tota hæc epiſtola uix tã docilem, ſeduliũ ac præſtantem Ioannis apoſtoli diſcipulum, imò etiã tam excellentem ſpiritũ, quali Polycarpus dicitur fuiſſe præditus, repræſentare uidetur. Apparet tamen ex ea epiſtola, Polycarpũ articulum de Chriſto, eiusq; expiatione pro peccatis totius generis humani facta, rectè tradidiſſe, in eoq; ſummopere laboraſſe. Teſtimonijs enim tum ueteris tum noui Teſtamenti eum illuſtrat, et omnes diſſentientes aut deprauantes damnat. Sic enim inquit: Omnis qui cõfitetur Ieſum Chriſtũ in carne nõ ueniſſe, Antichriſtus eſt: et qui non cõfitetur myſteriũ crucis, è diabolo eſt. Et qui deuiauerit eloquia Domini ad propria deſideria, & dixerit neq; reſurrectionem neq; iudicium eſſe, hic primogenitus Satanæ eſt. De fide etſi diſſerit, eſſe credendum in eum qui reſuſcitauit Chriſtum, & q, fides ſit mater omniũ: tamen omnia ſunt obſcuriora, quantũ quidem ad hoc ſcriptũ attinet, quàm ut planã inde liceat excerpere ſententiã. Fortè aliàs clarius et plenius hæc omnia ſolitus eſt proponere. De ſalute inquit: Gratia ſalui facti eſtis, non ex operibus, ſed in uoluntate Dei per Ieſum Chriſtũ. De operum fine loquitur: Conuerſionẽ ueſtram cõſiderantes irreprehenſibilem in gentibus, ut ex bonis operib. ueſtris & uos laudem accipiatis, & Dominus in uobis non blaſphemetur. Opera uerò moralia, præſertim ſecundæ tabulæ, prolixè inculcat. Scripta deniq; Pauli honorificè commendat. Plura de Polycarpo non habemus. Aliunde autem teſtimoniũ, nempe ex Irenæo adſcribemus, ex quo in genere de doctrina huius doctoris & alijs quibuſdam eximijs uirtutibus licet coniecturam facere. Eſt aũt apud Euſeb. lib. 5. cap. 20, pars epiſtolæ Irenæi ad Florinum, quæ ſic habet: Hæc dogmata, Florine, ut cum fiducia dicam, ſanã ſententiã non habent. Hæc dogmata diſſentiunt ab Eccleſia, & in maximam impietatem eos conijciunt, qui ipſis obtemperant. Hæc dogmata ne hæretici quidẽ qui extra ſunt Eccleſiam, unquã auſi fuiſſent pronunciare. Hæc dogmata tibi, qui ante nos fuerunt preſbyteri, qui & Apoſtolorum diſcipuli extiterunt, non tradiderunt. Vidi enim te, cum puer adhuc in Aſia inferiore apud Polycarpum eſſem, ſplendidè in palatio Imperatoris agentẽ, et ut te illi probares ſatagentem. Etenim quæ tum geſta ſunt, melius q; quæ nuper acciderunt, in memoria retineo. Quæ nãq; à puero diſcuntur, unà cum ipſa mente coaleſcunt, illiq; adunantur: ita ut & locũ ipſum cõmemorare queam, in quo beatus Polycarpus ſedẽs diſſerebat: deinde & egreſſus illius & ingreſſus & uitæ characterem, ac corporis ſpeciem, deniq; & ſermones quos fecit ad multitudinem, & quomodo ſe cum Ioanne ac reliquis qui Dominum uiderunt con-

uersatũ esse dixerit, et sermones eorũ memoraverit, et quæ ex illis de Domino audierit, et de uirtutib. eius ac doctrina, tanquã ex illis q ipsi uerbũ uitæ audierant, percepta, & cuncta sanctis scripturis cõsona recẽsue rit. Hæc tum tẽporis per misericordiã Dei mihi coope rantem studiosè percepi, et non chartæ, sed cordi meo retinenda inscripsi, ac perpetuò per gratiam Dei syncerè rumino: possumq; coram Deo testificari, beatum illum & Apostolicum presbyterum, si tale quid audis set, reclamaturum, & aures suas obturaturum, proq; consuetudine sua dicturum fuisse, Bone Deus, in quæ me tempora seruasti, ut ista patiar? Quin & ipsum lo cum declinaturũ, in quo uel sedẽdo uel stando, huiusmodi sermones audisset. Deniq; & ex epistolis ipsius, quas uel uicinis ecclesijs cõfirmationis gratia, uel fra tribus quibusdã, ut eos admoneret & hortaretur, scripsit, possunt ista declarari. Hæc Irenæus. In maxima autem autoritate non tantum apud suos, uerùm etiam apud uicinas et exteras ecclesias fuit. In Catalogo Hieronymus scribit, Polycarpum totius Asiæ principem fuisse: idq; eam ob causam, quia Apostolos, et eos qui Christum uiderant, habuit magistros. Hinc licet conijcere, q, in difficilib. & intricatis controuersijs religionis, ecclesiæ etiam longinquiores consilium et iudiciũ eius expetiuerint. In epistolis Ignatij habetur, quòd curam inspiciendæ ecclesiæ Antiochenæ Ignatius ad supplicium proficiscens, Polycarpo tanquã fidissimo et celeberrimo doctori cõmendauit. Hinc etiã manifestum est, q, cum summnis uiris, qui ob pietatem, fidẽ, constantiam, & alias uirtutes spiritus sancti ea ætate fuerunt clarissimi, intimam habuerit amicitiam. Ad Antiochenses suos Ignatius ex Philippis scribẽs, salutat eos Polycarpi nomine: ut uideri queat, Polycarpũ comitatum esse per partem itineris, Ignatium euntem ad suppliciũ Romæ sustinendum. Verùm eius rei non meminit Polycarpus, in sua ad Philippenses epistola.

Porrò Romam Polycarpum temporibus Aniceti uenisse, etiam Irenæus meminit: id quod accidit circa annum Domini centesimũ quinquagesimumseptimũ, imperiũ tenente Antonino Pio. Causa etiamsi non clarè exponitur, tamen apparet eã fuisse, quòd in cõtrouersia Paschatis nonnihil inter se dissiderent Asiani & Romani doctores. Et uerisimile est, Polycarpum fratrum aut communis ecclesiæ oriẽtalis nomine, hoc tam longinquum iter suscepisse, ut coràm cum Aniceto conferret. Scribit Irenæus, Polycarpum Romæ plurimos hæresi Valentini & Marcionis infectos, ad Ecclesiam Dei conuertisse. Nicephorus lib. 4. cap. 39 ait, Polycarpum & Anicetum inter se paululum sententijs uariasse. Veruntamen ambos inter se amanter communicasse, adeò ut Anicetus in ipsa ecclesia Eucharistiæ ministerium Polycarpo permiserit honoris ergò. Estq; hoc illustre testimonium, doctrinam de ceremoniarum libertate rectè tum temporis, sineq; offensione acerbiori, aut turbatione pacis Ecclesiæ, liberè fuisse retentam. Memorabilem quoq; eius historiam & plenam pij zeli Irenæus refert, nempe quòd Marcioni aliquando occurrenti sibi, & dicenti, Cognosce nos: respondit, Cognosco te primogenitum Satanæ. Addit & hoc Irenæus: Sunt qui audierunt eũ dicentem, quoniã Ioannes Domini discipulus in Ephe so iens lauari, cum uidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus: dicens, quòd timeat, ne balneum concidat, cũ intus esset Cerinthus, inimicus ueritatis. Hæc ille. Mores eius fuisse graues et sanctos, ex Smyrnensium epistola patet. Exitus deniq; uitæ fuit eiusmodi, ut inter carnificum cruentas manus necatus sit. Occasio generalis hæc erat. Marcus Antoninus Verus cũ ijs qui simul imperij fasces tenebant, immanem contra Christianos persecutionem mouebat: quæ, ut sunt regum longæ manus, quàm latissimè sese extendebat, & ad ipsos quoq; Christianos qui Smyrnæ agebant, pertingebat. Nullius uerò tetri facinoris uir sanctissimus reus agi poterat: sed ideo tantum trucidandus iudicabatur, quòd excellentissimus doctor Christi hactenus fuisset, uerboq; saluifico multis annis Ecclesiam Christi pauisset, sanamq; doctrinã in Asia propagasset, denique idola ethnica fuisset demolitus. Non autem tantum præses eius loci lictoribus mandata de capiendo & perimendo integerrimo uiro, & reuerendo sene dabat: sed etiam ipsimet auditores Polycarpi, sententiam mortis in eum ferunt, ac sponte odio furentes sarmenta ad ignem comportant. Nec foris, sed Smyrnæ, in sua ecclesia, ubi tot iam annos tantisq; laborib. & periculis Euangelium Christi plantauerat, & de singulis præclarè meritus fuerat: ibi inquam, nefandis modis tractatur & crematur. Verùm hæc omnia, & q præclarè se in ipso supplicio gesserit, in epistola Smyrnensium continentur: cuius exẽplar ex Eusebio suprà, in loco de Persecutionibus, adscripsimus. Accepit aũt hanc insignem martyrij coronam Polycarpus circiter annum Christi 170, iuxta Eusebium in Chronico: Imperij autem Antonini Veri 7. Et errat Socrates satis craßè lib. 5. cap. 22, asserens Polycarpum sub Gordiano passum esse. Hinc, ut opinamur, licet colligere, quàm longum habuerit curriculum iste doctor Ecclesiæ: nempe quòd circiter septuaginta annos, aut plures, in ministerio Euangelij fuerit. Octagintasex annos ait se Christo seruire. id est in epistola Smyrnensium: quod ab initio suæ conuersionis ad Christum, intelligendum est. Grandæuum igitur fuisse constat. sicut & Irenæus inquit, eum diu perseueraße.

DE HEGESIPPO.

Ex Ebræis Egesippum fuisse, & inde ad Christianam fidem eße conuersum, hinc colligit Euseb. lib. 4. cap. 22. quòd testimonijs in suis scriptis, ex Euangelio secundum Ebræos & Syros, & separatim ex Ebræa dialecto usus est. Quo uerò in loco, quaue functione fuerit Hegesippus, non liquet. Et dolendum sanè est, antiquos rei Ecclesiasticæ scriptores tam fuisse negligentes, ut quod uirorum summæ eruditionis & autoritatis, quorumq; testimonia oraculi uice allegant, etiam loca atq; habitationes uel obiter saltem non attigerint. Romam eum iter feciße, ibiq; temporib. Aniceti fuiße, et usq; ad Eleutherij episcopatum permasisse, qui Aniceti diaconus fuerat, Euseb. lib. 4. cap. 11. testatur. In eo autẽ itinere, ut ibidẽ ex uerbis Hegesippi patet, primùm Corinthiorũ episcopũ cõpellauit, cumq; eo de doctrina Christiana per complures dies cõtulit. Sed quæ causæ tã graues, aut quæ negocia eum excitarunt, ut tam longũ iter susciperet? Quid rerum Romæ tam diu egit? docuit ne alios, an uerò doceri se passus est?

est? Quò demum inde discedens se contulit? De his maximè necessarijs partib. nihil dissernunt nostri historici. Religionis aũt gratia eum profectionẽ hanc suscepisse, non est dubium: præsertim cum in itinere tam curiosè ecclesias omnes explorarit, & cum synceris doctorib. non tantum obiter, sed diligenter & accuratè contulerit. Fortè ob controuersiam paschatis, quæ sub Pio ueluti gliscere cœpit, Romã cõtendit: ut matureincendiũ Ecclesiæ, quod prosperit inde exoriturũ, restingueret. Constat enim, plures doctores Ecclesiæ Christi, ut Irenæũ & alios, passim & literis & coràm, Romanorũ episcoporũ conatũ in stabiliendo decreto de ceremonia paschatis, grauiter & maturè reprehendisse. Quinq; eum commẽtarios Græcè scripsisse, in quib. synceram Apostolicæ prædicationis doctrinã & acta simplici historiæ structura sit cõplexus, & simul contra hæreticos egregiè pugnarit, Euseb. lib. 4. cap. 8 et 22 indicat. Libet aũt ex Hieronymo uerba Egesippi, quib. in eos qui simulachra statuebant & colebant, inuectus est, ubi clarius uidentur referri, recitare. Tumulos, ait, mortuis templaq; fecerũt, sicut usq; hodie uidemus: è quib. est & Antinous seruus Hadriani Cæsaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatem, quam ex eius nomine cõdidit, & statuit prophetas in templo. Dicit autem Hieronymus, prædictum librum Hegesippi, actus omnes Ecclesiasticos à passione Christi usq; ad sua tempora complexũ esse. Et clarè asseuerat Eusebius, suo tẽpore eos libros passim fratres habuisse. idem uidetur & Hieronymus de suo seculo significare. At nostra hac ætate sub Hegesippi titulo editi sunt libri quinq; de excidio Hierosolymorũ, Ambrosio Mediolanensi episcopo interprete, cuius initiũ est: Bello Parthico quod inter Machabæos duces, &c. quorum tamen neq; Eusebius nec Hieronymus uidentur mentionẽ facere. uidetur etiam in eiusdẽ proœmio significare, quòd plures libros scripserit. Coætaneus fuit Iustino, Dionysio Corinthiaco, Melitoni, alijsq; præstantissimis uiris, quibus cum ei familiaritas etiam magna sine dubio intercesit. Sub Hadriano, Antonino Pio & Vero, uixit. Tritenhemius annotat Christi annum centesimum sexagesimum.

PHOCAS.

Primum in Ponto episcopum, Chronicon Henrici affirmat fuisse Phocam, sub Traiano: sub quo & in unculis, ferro ac igne martyrium pro Christo fecisse, cũ Hadriano mandãte ad Neptuni arã sacrificare noluisset, idẽ addit. Adon Viennẽsis episcopus, in Synope ciuitate Ponti episcopum fuisse, scribit in commentarijs ætatis sextæ, folio 166. b. In uetusto quodam Chronico manuscripto de eo hæc seu fabula seu historia (iudicium enim lectori permittimus) recitatur, ad hunc modum: Focas ultimo tempore Traiani passus est, cui spiritu prophetico dixit: Traiane perge ad ulteriora abyssi, & ad præparata tibi tormenta festina, ubi mortem perpetua & sæuo exurendus es incendio, & triduo in hac luce uersaberis. Quo emenso, caligo te mortis excipiet: nec enim diutius postea inultus innocentũ sanguis esse potest. Hoc uaticinium, idem Chronicon addit secutũ esse euentum, & triduo exacto Traianum uentris profluuio expirasse. Quæ uerò de hoc Foca, de miraculis scilicet per eum gestis, & martyrio, Vincẽtius libro decimo Speculi prodidit: quia & prolixa nimiũ sunt, & ad fabulas propius q̃ historias uidentur accedere, prudenter prætermittimus.

AQVILA PONTICVS.

Aquila Ponticus duodecimo anno Hadriani inclaruit. Vanitatib. astrologicis deditus fuit, à quarum impenso studio ne Christianus quidem factus abstinuit. Cum igitur à doctorib. sedulò admonitus esset, ut uana studia, quæ Christianũ hominẽ nõ decerent, abijceret: ipse uerò non paruisset, sed contumaciter uanã suã defendens professionem, admonentib. illis se opposuisset, ab Ecclesia proscriptus est. Quam ignominiam indignè & iracundè ferens, Christianismum abnegauit: factusq; proselytus, circumcidi se passus est, atq; inde cõtentioso studio ad discendã linguam Hebræam animũ adiecit. in qua cum breui tẽpore feliciter processisset, adeò ut in ea excelleret, interpretationem sacrarũ scripturarũ statim tentauit. primus post Septuaginta interpretes, qui ante eũ apud Ptolemæũ regẽ annis quadringentis et triginta sacros libros ex Hebræa lingua in Græcã traduxerant: uerùm non alio fine ac studio, q̃ ut in odium Christianorum ex receptis libris quædã deprauaret et peruerteret: ac præcipuè testimonia de Christo, quæ in Septuaginta interpretum editione, singulari studio et impostura corrupit. Hæc de Aquila sic narrat Epiphanius, in libro de Mensuris & ponderib. Exemplũ unũ deprauationis eius, Supplementũ Chronicorum habet: nimirũ q, quæ apud Esaiam de uirgine Maria dicta sint, ad iuuenculã, non ad uirginẽ transtulerit. Recitat idem exemplũ ex Irenæo, etiam Euseb. lib. 1, cap. 8: & addit, hanc Theodotiõis & Aquilæ interpretationem occasionem præbuisse Ebionitis, qui dixerint, Christum è Iosepho natum esse. Hieronymus tamen in enarratione capitis secundi Oseæ, Aquilam diligentem & curiosum uocat interpretem: ut & in Epistola ad Damasum Romanum, studiosius eũ ait q̃ cõtentiosius uerbum ad uerbũ interpretatũ esse. cum contrà in epistola ad Pammachiũ scribat, Aquilã contentiosum esse interpretẽ, nec uerba solum & etymologias uerborũ transferre conatũ, atq; ita iurè reijci.

AGRIPPA.

Agrippam cognomẽto Castorem, Eusebius celeberrimum eius temporis scriptorem uocat lib. 4. cap. 3. Ac quia in commemoratione rerum Ecclesiæ sub Hadriano gestarum, eius meminit, consentaneum est, sub Hadriano eũ floruisse, sub quo & Basilides hæreticus fuit: cuius scripta & hæresin Agrippa confutauit, omnesq; præstigias & arcana illius delicta in mediũ protulit. Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, dicit eum contra uigintiquatuor Basilidis uoluminа, quæ in Euangelium composuerat, fortissimè disseruisse. Agrippæ uerò scriptum, Eusebius loco iam memorato uocat Elenchum.

APOLLINARIS.

Euseb. lib. 5. cap. 19, Claudiũ Apollinarẽ uocat, cum in Græco sit Apollinarius: quo fit, ut promiscuè ferè scriptores utroq; nomine utãtur. Fuit autem episcopus Hierapoli Asiæ, celebris temporibus Marci Antonini Veri. Refertur ab Eusebio libro quarto, capite uigesimo primo, inter doctores Apostolicos, qui traditionis Apostolicæ & sanctæ fidei post se reliqueruut monu-

menta. Laudatur etiam, quòd studio propagandæ religionis & doctrinæ Christianæ, librum Apologiæ pro fide Christiana Imperatori Antonino exhibuerit. Magna pietate etiam contra hæreticos pro uera fide decertauit: quemadmodum ex libris editis ab eo contra Montanistas, Eusebius refert lib.5,cap.decimosexto. In ecclesijs enim Ancyræ, Salaciæ & Ponti, plurib. se, de Montani erroribus disseruisse significat, magno Ecclesiæ gaudio, atq; aduersariorũ ignominia & offensa. Deinde à fratribus & Zotico Otreno, quẽ conseniorem suum dicit, rogatum, commentarium etiam se scripsisse fatetur: in cuius initio, de origine pseudoprophetiæ Mõtanicæ multa eum monuisse, Eusebius tradit: & argumenta aliquot contra hanc sectam ab eo prolata recenset, ut suprà est dictum. Præter scriptũ deniq; Agrippæ Imperatori exhibitũ, Euseb.lib.4 cap. 26, etiam hos libros eum scripsisse commemorat: ut, Contra gentes commentarios quinq;, De ueritate libros duos, Contra Iudæos libros duos, & quem contra hæresin Cataphrygum postea scripsit cõmentarium. Testatur idem in Catalogo Hieronymus, qui & in enarratione capitis trigesimisexti Ezechielis, hunc Apollinarium in hæresi Chiliastarum fuisse, ut & alios quosdam magnos uiros, affirmat.

ASTERIVS VRBANVS.

Ad Asterium Vrbanũ, Euseb.lib.5,cap.16 ait, scripsisse Apollinarium de hæresi Montanica, ex quo scripto illud excerpit: Non dicat spiritus Maximillæ, Persecutione abigor uelut lupus ab ouibus. Non sum lupus, uerbum sum, &c.

MELITO SARDENSIS.

Sardibus, quæ quondam Lydiæ caput, & Gorgi regia fuit, urbs magna & celebris, quemadmodum Strabo indicat, episcopatum gessit Meliton, uir eloquẽs & disertus: sicut eam laudẽ ei Tertullianus tribuit. Fuerat enim discipulus Frontonis, celeberrimi illius oratoris, qui Marcum Imperatorem latinis literis erudiuit. Celebrantur huius Melitonis, in Ecclesiã multa præclara merita. Nam et ipse librum Marco Antonino pro fide ac religione Christiana tradidit, ut testatur Euseb.lib. 4, cap. 13, in quo scripti Iustini ad eundẽ Imperatorẽ, eius deniq; edicti pro Christianis in Asia promulgati, meminit. Vnde, quo tempore fuerit, intelligi potest. Phrysingensis lib.3,cap.25 inquit, & Apollinarium et Melitonem apologias ad Imperatorem scripsisse anno decimoseptimo imperij eiusdem. Et magno quidem ac forti animo Apologiam suam Melitonem scripsisse, indicare illa quæ ex Euseb.lib.4.cap.26, propter eximiam grauitatem, quæ uerbis & sententijs ipsis inest, recensuit. Quæ nec nos, quia ingentis spiritus animum indicant, simul & historiam perstringunt, de primordio Christianæ religionis ac progressu, felicitateq; eorum sub quibus fuit imperiorũ, non pigebit huc adscribere: In libello, inquit, ad Imperatorem, talia quædam sub illo contra nos facta scribit. Quod enim nunquam est factum, iam persecutionem patitur piorum genus, nouis edictis per Asiam exagitatũ. Impudentes enim sycophantæ, & alienorũ appetitores, occasionẽ ex constitutionib. illis adepti, manifestè latrocinãtur, noctes ac dies eos deprædantes qui nihil iniqui faciũt. Et post alia quædã dicit: Quod si hoc te iubẽte cõmittitur, sit rectè factũ. Iustus enim Imperator, nihil unquam uolet iniusti: & nos cupidè mortis huius honorem ferimus. Hoc autem solum abs te suppliciter petimus, ut ipse cognitis primùm cõtentionis huius autoribus, iustè tum iudices, an morte & supplicio, uel salute ac quiete digni sint. Si uerò uoluntas hæc & nouum illud edictũ penes te non est, quod ne contra barbaros quidẽ hostes decorũ esset: multo magis precamur, ne nos inhonesta hac deprædatione pressos cõtemnas. Hinc iterũ subijcit, dicẽs: Etenim philosophia nostra primùm quidẽ inter barbaros uiguit. Cum autem sub magno Augusti progenitoris tui imperio floreret, facta est maximè imperio tuo fortunatũ bonum. Ab eo quippe tempore Romanũ imperiũ magni splendoris incrementũ cæpit, cuius tu optatus successor & factus es, et eris unà cum filio. Serua igitur philosophiã hanc, quæ unà cum imperio coaluit, & cũ Augusto cæpit, quã et progenitores tui præ alijs religionib. in precio habuerũt. Et hoc maximũ est argumentũ boni exordij, quod ex quo nostra doctrina unà cũ bene inchoato imperio floruit, nihil illi mali inde ab Augusti principatu accidit, sed per contrariũ cuncta splẽdida et glorioſa secũdũ omniũ uota. Soli ex omnib. Nero & Domitianus, ab inuidis quibusdã hominib. persuasi, doctrinam nostram calumnijs obijcere uoluerunt: à quib. & mendacium hoc sycophantiæ irrationali consuetudine circa tales dimanare contigit. Verùm illorũ ignorantiam pij tui patres corrigentes, multos sæpenumero in hisce rebus temerariè conatos scriptis suis corripuerunt. E quib. auus tuus Hadrianus multis quidem alijs, sed & Fundano Proconsuli præsidi Asiæ scripsisse deprehenditur. Pater uerò tuus, tuus inquam, qui cuncta unà cũ illo gubernasti, ciuitatib. de nobis, ne quid temerè nouarent, in quib. & Lariſæos & Thessalonicẽses & Athenienses & cũctos Græcos, scripsit. Te uerò cũ maximè in istis eandem cum maiorib. tuis sententiã, camq; multo clementiorem, & magis philosophicam habeas, cuncta facturũ persuasi sumus, quæ abs te petimus. Melitonis deinde etiam hoc egregium beneficium est, q; in Orientem, quemadmodum ipse in epistola ad Onesimum significat, profectus, eum ipsum numerum librorũ ueteris Testamenti, qui et nobis hodie receptus est, retulit. Quod & suprà, ubi de libris Scripturæ sacræ diximus, à nobis indicatũ est. Sed neq; hoc prætereundum est, q̃ multos Ecclesiæ scripserit utilissimos libros: q̃ si ad nos peruenissent, in multis nos grauib. & necessarijs reb. instruere, & ex multis ambiguitatib. explicare possent. Sed nominũ tantũ eorum librorũ memoria nobis relicta est. Extitisse aũt omnes, suo tẽpore, Eusebius indicat lib.4 cap.26, ubi hoc ordine recẽset: Duo uolumina de paschate, in quib. & temporis meminisse eum ait, quo librum eum scripserit, sub Seruilio Paulo scilicet proconsule Asiæ, quo tempore Sagaris episcopus Laodicensis martyrium pertulerit, & mota sit apud Laodiceam magna quæstio de sabbato. Quin & hoc addit, Clementem Alexandrinum in separato suo quodam scripto eiusdem argumenti De paschа, huius libri Melitonis mentionem facere: cuius occasione, dicat, se etiam argumentum simile sibi sumpsisse. De conuersione & prophetis, seu (iuxta Hieronymum) de uita prophetarum, liber unus: De Ecclesia:

De

De die Dominica: De natura hominis, pro quo titulo Rhenanus & Hieronymus habent De fide hominis: De figmento, seu plasmate: De obedientia fidei: De sensibus: De anima & corpore, Rhenani exemplar addit Et mente: De lauacro seu baptismate, ut Hieronymus habet: De ueritate: De fide: De natiuitate Christi, Rhenani exēplar & Hieronymus habent De generatione Christi: De prophetia eiusdem: De anima et corpore, cuius tituli Hieronymus semel tantū meminit: De hospitalitate: Liber q inscribitur Clauis: De diabolo: De Apocalypsi Ioannis: De Deo corpus induto: Eglogarū libri sex. horum Eusebius nō meminit, sed Hieronymus habet. Mortuum uerò Melitonem Sardibus, Euseb. indicat lib. 5, cap. 24: ubi eunuchū eū uocat, in omnib. gratia spiritus sancti ductum. Quæ cōmendatio forsan Tertulliano calūniandi occasio fuit, quod à nostrorum plerisq; sicut Hieronymus ait, propheta existimatus sit.

PAPYRIVS.

Papyrium Polycrates apud Eusebiū, loco iam citato, cum Melitone coniungit, & nomen eius solum ponit, significans eum in paschatis celebratione luna decimaquarta reliquis episcopis consensisse.

MVSANVS.

Scriptor fuit ecclesiasticus Musanus, autore Hieronymo: quē Tertullianus legit, ut Rhenanus admonet in Annotationib. in librū Tertulliani aduersus Valentinianos. Quæ uerò scripserit, nō indicat, sicut nec Eusebius, præter librū quendā dehortatoriū, ut Nicephorus lib. 4, cap. 11 uocat, ad fratres quosdam, qui ad hæresin Encratitarum eo tempore recens exortam deferebant. Eusebius lib. 4, cap. 28. Claruit aūt & ipse sub Marco Antonino Vero, ut Hieronymus ostendit.

MODESTVS.

In catalogo scriptorū contra Marcionē, Euseb. lib. 4 cap. 25, Modestū cum Irenæo cōiungit: ac de utroq; dicit, reddidisse eos errores & deceptiones Marcionis præ alijs maximè cōspicuas & manifestas: & incertum est, quo in loco Modestus uixerit. Hieronymus affirmat, eum cōtra Marcionē librū scripsisse, qui suo tempore adhuc extiterit. Indicat & alia sub eius nomine syngrāmata circūlata esse, sed quæ eruditis falso ei tribui uisa sint. Fuit sub eodē Marco Antonino Vero.

BACCHYLIDES ET ELPISTVS.

Ex ea cōmemoratione quam de scriptis & epistolis Dionysij Corinthij Eusebius instituit lib. 4, cap. 23, colligi posse uidetur, fuisse alicubi in Ponto doctores Bacchylidē & Elpistū: quorū hortatu, Euseb. ait, Dionysium in epistola Ecclesiæ apud Amastrim nuncupata significare, se eam epistolam scripsisse.

GALINA.

Fuisse Galinam episcopum Amastrianorum, ex eadem Eusebij commemoratione de Dionysio apparet. Animaduertendum autem est, hanc appellationem Galinæ, in posteriori solum Eusebij de Græco interpretatione contineri: in priori uerò, quæ Beati Rhenani opera in lucem exijt, pro eodem nomine esse Palmeæ: & in Nicephoro lib. 4, cap. 8. Palmæ.

BARDESANES.

Bardesanes, quem Epiphanius Bardesianum uocat, in Mesopotamia fuit: quemadmodū Euseb. lib. 4. cap. 29 indicat, uir magna eloquentia præditus, & in dialectica & disputādi arte instructissimus, eruditissimus autem in lingua Syrorum, qua multa scripsit, ut Eusebius testatur: quæ postea discipuli eius, quos plurimos habuit, in Græcum sermonem transtulere. Recensentur inter eius opera, Dialogi contra Marcionem & alios quosdam hæreticos. Et testatur Hieronymus, eum infinita scripsisse aduersus omnes penè hæreses, quæ ætate eius pullulauerūt. Scripsit & Græcè, ut Volaterranus ait lib. 14. Dialogum de fato, ad Marcum Antoninum, grauissimum. Doctum enim eum in utraq; lingua & Græca et Syracia fuisse, etiam Epiphanius scripsit libro cōtra hæreses secundo, tomo primo, fōlio ducentesimo uigesimoquarto. Item alia multa, quorum scribendorum occasionem illi præbuisse dicuntur, quæ tum frequentes erant persecutiones. De Bardesane & hoc Eusebius & alij narrant, fuisse eum primūm Valentini sectatorem: uerūm postea deprehensa isIius sectæ uanitate & nugamentis fabulosis, abiecisse eam, & condemnasse: ac rectiorem existimantem se sententiam inuenturū, quàm Valētini esset, in aliam hæresin incidisse, quæ non prorsus sine sordibus prioris sectæ fuerit. Paulo diuersius hæc Epiphanius loco iam memorato narrat. ait enim, eum optimum initio fuisse uirum, non alienum ab Ecclesia, & constantem adeò, ut Apollonio cuidam Antonini amico admonenti, ut se Christianum esse negaret, contradixerit, pietatem animo forti defendens, nec se mortem formidare dicens, uerūm præclara illa ornamenta fidei, pietatis & confessionis, erepta sibi tandem esse per Valentinianos: à quibus corruptus, hæresin eorum secutus sit.

RHODON.

Asianum natione Rhodonē fuisse, legitur quidem: sed quo in loco Asiæ, posteaquā Roma discessit, uixerit, nō reperitur. nisi quòd bonam uitæ suæ partem Romæ egisse, ex Eusebio intelligi potest, qui lib. 5, cap. 13, ex ipsius Rhodonis testimonio scribit, eum fuisse discipulum Tatiani: à quo eruditus, uarios ibidem libros cōscripserit, atq; hæresin Marcionis impugnarit. Hinc Beatus Rhenanus in Annotationib. quas in Tertullianū scripsit, ait eū fuisse ex numero Græcorum scriptorū quos legerit Tertullianus. Recitat ex eius scriptis Eusebius nonnulla, quæ de hæresi Marcionis prodidit: quo modo scilicet suo tēpore inter seipsos dissenserint eius hæresis professores, atq; unā sectā in diuersas, & inter se contrarias distraxerit. Quæ cum suprà in capite de hæresi Marcionistarū, à nobis exposita sint, hic illis de nuò commemorādis supersedemus. Meminit Euseb. & cōmentariorum eius in Hexameron, id est, Mosæ narrationē de creatiōe sex dierū: quos suo tēpore extitisse scribit. Atq; hoc addit, Rhodonē dixisse de quodam opere problematū, lucubrato à Tatiano, cōtinente obscuriores, aut de industria etiā obuelatas interrogationes ex sacris scripturis. Quod opus cū se Tatianus cōpositurū dixisset, Rhodonē uicissim explicationes & solutiones carū quæstionū ei promisisse. Extat hodie eiusmodi prorsus liber Quæstionū ad orthodoxos, earūq; responsionū, q Iustini operib. annexus est: sed eius autorem Iustinū non posse esse, suprà ostendimus. Autor igitur, quisquis fuit, haud dubie ex hac breui Rhodonis significatione occasionē argumenti sui sibi sumpsit. Nam quòd Rhodonis aut Tatiani opus esse

non potest, probat hoc, quòd in eo libro sæpius fit mẽtio Manichæorũ, quorũ tempora neuter attigit.

CALLISTION.

Quis fuerit, neq; Eusebius neq; Nicephorus explicant. Tantũ dicunt, Rhodonẽ cõmentarium Callistioni scripsisse, in quo affirmat se Romæ Tatiani discipulum fuisse. Eusebius libro 5. cap. decimotertio.

ZOTICVS.

Meminit Apollinarius in ea narratione, quomodo in ecclesia Ancyrana cõtra pseudoprophetiã Mõtani disputarit, Zotici cuiusdã Otreni: quem conseniorem suũ uocat, & interfuisse disputationi eius cõtra Montanistas, significat. Euseb. lib. 5. cap. 16. Ibidẽ & Zoticum quendã à Vico Comano habet, & Iulianum ab Apamia, quæ urbs in Phrygia maiori est: quam Liuius belli Macedonici lib. 8, caput quondam fuisse Phrygiæ ait, & Celænas uocatam. Fuisse uerò & in Phrygia Vicum Comanũ, ex ea historia quam utriq; Apollinarius tribuit, apparet. Sic enim de illis Eusebius in loco iam adducto, eum scripsisse ad Asterium Vrbanum refert: Non dicat spiritus Maximillæ, persecutione abigor ue luti lupus ab ouibus. Non sum lupus, uerbũ sum, & spiritus, & potentia. Sed potentiã illam in spiritu perspicuè ostẽdat, & euincat, et per spiritũ id cõfiteri cogat uiros illos qui tum præsentes ad hoc erãt, ut probarẽt & alloquerentur spiritũ loquentẽ: nempe uiros probatos & episcopos, Zoticũ à Vico Comano, & Iulianum ab Apamia, quorũ ora ij qui cum Themisone erãt obturantes, spiritũ illũ mendacẽ & uulgi seductorem ab illis redargui non sinebant. Idem factum Apollonius Zotico soli tribuit, quemadmodum in eodem lib. cap. 18 Eusebius indicat: Iterum (inquit) dicit, quomodo Zoticus Maximillam populis prophetiam simulantẽ adorsus, & operantem in ea spiritũ redarguere conatus, ab illis sit prohibitus, qui cum ea sentiebãt. Rursus idem Serapion Antiochenus in epistola ad Caricum, in qua uariorũ episcoporũ mentionẽ fecit, etiam Aelium quendam Publium Iulium à Debelto episcopum, Zotæ Anchialensi tribuisse significat, referente Eusebio eius libri cap. 19 ad hunc modum: In hac Serapionis epistola etiam uariorum episcoporum subscriptiones habentur, quorum quidã ad hũc modum subscripsit: Aelius Publius Iulius à Debelto colonia Thraciæ episcopus: Viuit Deus, q, cũ beatus Zotas Anchialensis dæmonẽ Priscillæ eijcere uellet, hypocritæ nõ permiserint.

APOLLONIVS.

Quod seorsim Eusebius de Apollonio scriptore ecclesiastico, alio uerò Apollonio Senatore Romano martyre sub Cõmodo narrare uidetur, id ad unum & eundem Apollonium Nicephorus transfert lib. 4, cap. 25: cum tamẽ & Hieronymus Nicephoro uetustior, in catalogo uirorũ illustriũ Apollonios duos diuersos facit: Eusebius uerò alterũ scriptorẽ ecclesiasticũ, alterum uirũ eruditione & philosophia celebrẽ appellet. deinde & Apollonio scriptori confutationẽ Montani, senatori uerò Apologiã pro Christianis tribuit. Denique Rhenanus in Annotationib. in librũ aduersus Valentinianos, Apolloniũ alterum expresè inter Græcos scriptores numerat, quos Tertullianũ legisse affirmat. Et paulo antè, etiã Apollonij Romani cũ Victore meminit. Quos duos solos fuisse ait, qui eo tẽpore in sacris Latinè aliquid scripserint: ut omnino dubiũ nõ sit, Nicephorũ errore deceptũ, pro duob. unum posuisse. De Apollonio igitur scriptore ecclesiastico prius, de senatore uerò postea dicemus. Refert Euseb. lib. 5, cap. 18, Apollonium ipsum in quodam cõmentario prodidisse, se tum demum librum suum aduersum Montanũ scripsisse, cum iam annus ageretur quadragesimus, ab eo tempore quo conflictã illam prophetiã Montanus ausus fuisset spargere. Quæ ratio Montanũ multo antiquiorem facit, q̃ aut Eusebius, aut Epiphanius. Quo aũt in loco uixerit Apollonius, certũ quod sciamus nõ legitur. Nam in Phrygia eũ fuisse, ex Eusebij narratione cõijci non potest: nisi in Syria eum putemus fuisse, quia mentionẽ eius Serapion facit. Vbicunq; fuerit, ex rhapsodijs Eusebij apparet, & grauiter eũ & cõsummatè de Cataphrygarũ hæresi scripsisse. nam & personas descripsit: & quæcũq; in ea secta impostũræ fuerint, nõ detexit modò, sed & cõfutauit. Euseb. lib. 5, cap. 18. Addamus et hoc, quod Hieronymus in Catalogo scriptorũ Ecclesiasticorũ annotauit: Tertullianũ post sex libros de Ecstasi, contra Ecclesiã scriptos, septimũ peculiariter aduersus hũc Apolloniũ exarasse: in quo omnia quæ in hæresi Montanica Apollonius reprehendat & confutet, ille conetur defendere.

MILTIADES.

Fuit & Miltiades scriptor ecclesiasticus, de eorum numero q cõtra Montani pseudoprophetiã libris editis pugnarũt. Argumẽta quædã ex eius scripto Euseb. recensuit lib. 5, cap. 17, quæ Apollinariũ in suum opus cõtra Montanũ trãstulisse scribit ad hunc modum: In eo cõmentario, Miltiadis quoq; cõmentatoris meminit (Apollinarius) qui & ipse librũ cõtra dictã hæresin scripserit. Postq̃ igitur & uerba quædã illius citauit, subijcit dicẽs: Hæc in cõmentario quodã eorũ reperta, qui scripto Alcibiadis fratris (Nicephorus legit, Miltiadis fratris) resistunt, in quo ille demõstrat, nõ esse hoc prophetæ, ut in ecstasi loquatur, breuiter adduxi, &c. Ibidem & de libris eius sic ait: Hic Miltiades etiã alia nobis diligentiæ suæ circa diuina oracula monumenta reliquit, cùm in libris illis quos contra Gentiles, tum illis quos aduersum Iudæos cõposuit, seorsim utrinq; argumento duob. illis cõmentarijs occurrens. Deinde & ad mundi huius principes, pro philosophia sua quam exercebat, Apologiam scripsit. Volaterranus lib. 17, indicare uidetur, eã apologiã Miltiadẽ exhibuisse ipsi Cõmodo: & quidẽ aduersus Iudæos & gentes Apologiã uocat, non facit libros seorsim.

POLYCRATES.

Catalogus Hieronymi Polycratẽ sub Seuero et Narcisso Hierosolymitano coætaneũ fuisse indicat. Eusebij uerò narratio sub Cõmodo eius meminit. quanq̃ illud ad tempus controuersiæ de Paschate magis q̃ ad Polycratẽ referri potest. Pleraq; aũt quæ ad eius historiã pertinẽt, suprà in capitib. de Schismatib. et de Concilijs prolixè cõmemorata sunt. Episcopus fuit Ephesi, magni nominis & autoritatis: quẽadmodũ ex narratione de Cõcilio super quæstione de Paschate iudicari potest. ex eo itẽ, q, Victoris Ro. Pontificis minas & imperiũ floccifecit. Ex Græcorũ scriptorũ numero fuit, quos Tertull. legit: sed quæ scripserit, nescitur. Eusebius partem quandã epistolæ eius ad Victorẽ posuit, quam

quã et nos suprà transcripsimus: atq; eam ideo in Catalogum suum retulisse Hieronymus ait, ut ingenium & autoritas uiri uel ex paruo opusculo cerni posset.

THEOPHILVS CAESARIENSIS.

Cum Ecclesijs in Asia & Europa ob paschatis obseruationẽ diuersam dissidentibus, plurimis in locis synodi frequentarentur, ut suprà diximus: Theophilus ei quæ in Cæsarea Palæstinæ rogatu Victoris cõuocata erat, unà cũ Narcisso præfuit: quemadmodũ Eusebius lib. 5, cap. 23 & 25 indicat. Fuit enim episcopus Cæsareæ tũ Theophilus. Cæterùm quo pacto synodus ea agitata sit, & quid de Paschate die Dominico celebrãdo cõstituerit, explicatũ suprà est. Consensit enim Victori, & aduersus eos qui cum Iudæis luna quartadecima Pascha agebant, epistolam scripsit: cuius Hieronymus meminit, sed id factum esse sub Seuero ait: cum Eusebij historia & cõtrouersiam eam, & synodos super ea coactas, in Commodi tempus reijciat.

PALMAS.

Episcopum fuisse Palmam cuiusdã ecclesiæ in Ponto, tum ex epistola Dionysij Corinthij, ex qua nõnulla Eusebius lib. 4 cap. 23 adducit: tum ex eiusdem Eusebij libro 5, cap. 23 constat. ubi eum synodum in prouincia Ponti, ob actionem de Paschate congregatã, tanquam antiquissimum, moderatũ esse indicat: atq; idem quod Theophilus, Victor & alij, quorum una & eadẽ sententia fuit, Pascha die Dominico celebrandum esse statuit, sicut suo loco dictum est.

CASSIVS.

Tyri Phœniciæ episcopus fuit, qui synodo in Palæstina conuocatæ interfuit, eiusq; decreto subscripsit: quemadmodum indicat Eusebius libro 5, cap. 27.

CLARVS.

Episcopus fuit Ptolemaidis Syriæ, ut uidetur: qui unà cum reliquis, quos hic recensemus synodo interfuit, idemq; cum ijs statuit. Eusebius lib. 5, cap. 27.

ANICIVS MACELLVS.

Quis & ubi fuerit, incertum est. Ex Eusebij lib. 5 cap. decimosexto apparet, fuisse quendam qui id negocij Apollinario dederit, ut cõtra hæresin Cataphrygarum scriberet. Quid enim ei Apollinarius respõderit, & quamobrem scribere aduersus eam hæresin dubitauerit, Eusebius indicat loco iam memorato: in quo exemplum epistolæ eius ad eum Anicium ponit.

HERACLITVS.

Heraclitum (Hieronymus & alij legunt Heraclius) in Apostolum composuisse enarrationes, Eusebius & Hieronymus scribunt: eumq; primum fuisse, qui id argumenti aggressus sit, Nicephorus prodidit lib. 4 cap. trigesimoquinto. Vixit sub Seuero.

MAXIMVS.

Sub finem Imperatoris Cõmodi & initium Seueri, fuit Maximus: uel, ut alij habent, Maximinus, Hieronymo autore. Scripsit de uulgatissima illa hæreticorum quæstione, unde sit malũ, & de eo quòd materia sit facta: Eusebius, Hieronymus. Nicephorus addit, eum de his quæstionibus solutiones decisionesq; irrefragabiles edidisse.

CANDIDVS.

APPION.

Candidus cùm plurima alia claborauit, tũ in Hexameron Commentarios scripsit, in quo argumento itidem Appion magno studio est uersatus. Nicephorus libro 5, cap. 35: Eusebius, Hieronymus.

SEXTVS.

Sub Imperatore Seuero Sextus librum de resurrectione scripsit: Hieronymus, Eusebius. Nicephorus sic inquit: Sextus resurrectionem scriptis suis magna laude comprobauit.

ARABIANVS.

Arianus legas, & Brabianus: ut apud Hieronymũ, & alios. Huius scripta quo argumento fuerint, incertum est: nusquã enim indicatur. Diuersum ei argumentũ à superioribus Eusebius tribuit quidẽ, sed nõ exprimit. Et Nicephorus ait: Arabianus insuper, in alijs quibusdã sacris argumẽtis multũ laboris et operæ posuit. Non extitisse igitur eo tẽpore Arabiani scripta, apparet: aut si extiterũt, quo cõsilio omißa sint, incertũ est. Hieronymus, ut similiter incertus, hoc eis nomen dedit: Opuscula ad Christianum dogma pertinentia.

IVDAS.

De Iuda ita Eusebius lib. 6, cap. 7: Hoc tempore (persecutionis scilicet sub Seuero) & Iudas, alius quidã scriptor, in septuaginta Danielis hebdomadas editis commentarijs, in decimum annum imperij Seueri chronographiã terminat. Qui etiam uulgatum Antichristi aduentum iam tum temporis appropinquare putabat: adeò uidelicet uehementer mota illis temporibus aduersum nos persecutio multorũ animos perturbauerat. Idem ex hoc descripsere Hieronymus, Volaterranus lib. 16, & Platina in uita Victoris pontificis, qui hoc postremum de aduentu Antichristi sic effẽrunt: Erroris arguitur, quòd aduentũ Antichristi suis temporibus futurum dixerit, in quem errorẽ ideo eum incurrisse putamus, quòd & uicia hominum & crudelitatem eò peruenisse cernebat, ut diutius tolerari humanum genus à Deo non posset.

DE AFRICANIS DOctoribus.

DE ALEXANDRINIS episcopis.

NVdum catalogũ Alexandrinorũ episcoporum historiæ nobis præbent, ideo paucis uerbis eos cõplecti cogimur. Primo Traiani anno, Christi uerò 100, Abilio defuncto succedit Cerdo, tertius post Marcũ apostolũ, de quo suprà dictũ est, ut indicat Euseb. lib. 3. cap. 21: quãuis in Chronicis eum sub Neruã collocet, ac undecim annos præfuisse Ecclesiæ asserat, quæ quidem non ponemus in magno discrimine. Duodecimo Traiani, Christi aũt 112, Primus nomine uicẽ Cerdonis post eius obitũ subit, quartus ordine, et 12 annos gubernationem eius ecclesiæ in ministerio uerbi & sacramentorum sustinet. Euseb. lib. 4. cap. 1 & 4. Variat tamen in Chronicis suis, quòd nono Traiani anno hæc accidisse scribat. Huic Iustus, ab alijs Iustinus dictus, tertio Hadriani, uel Christi 122 subrogatur: in serie pastorum eius ecclesiæ quintus, fungens in eo loco ministerio Euangelij annos undecim: Eusebius libro 1. cap. 4 & 5. Eumenes sexto loco succedit, anno Hadriani decimotertio, uel iuxta Nicephorum duodecimo Hadriani, libro tertio cap. uicesimoquinto. Docet eam ecclesiam annos tredecim: Euseb. lib. 4, cap. 11. Post hos

Marcus

Marcus constituitur septimus pastor, ac decennium in ea functione laborat: Eusebius libro 4. cap. undecimo. In Chronicis ponitur Marcus in quintum annum Antonini Pij: hoc est, Christi centesimũ quadragesimum quintum. Celadion est octauus, præest autem annos quatuordecim: Eusebius libro quarto, capite decimonono, initium in duodecimũ Antonini Pij collocat in Chronicis, uel centesimum quinquagesimũ secundum Christi. Octauo Veri Imperatoris anno, qui est Christi centesimus septuagesimus primus, Agrippas, siue Agrippinus, uerbo Dei præest Alexandrinæ ecclesiæ annos duodecim: Eusebius lib. 5. cap. 9. nonus in ordine. In Chronicis, sub sextum Veri annum collocatur. Iulianus est decimus, primo anno Cõmodi, qui est Christi centesimus octuagesimus tertius, ac decem annos ad eius ecclesiæ clauum sedet. Eusebius lib. 5. cap. nono. Demetrius decimo Commodi anno, seu Christi centesimo nonagesimo secundo, Iulianum in eodem munere subsequitur, & totos quadraginta tres annos in eo perseuerat. Præclarum sanè curriculum, in quo optimus pastor sine dubio uaria pericula & aduersitates pertulit. Licet enim ex historijs conijcere, hunc Demetriũ ingenio, doctrina, fide & zelo conseruandi & propagandi Euangelium Christi clarum fuisse. Aperuit enim Alexandriæ Christi anã scholam, aut certè eam rectius constituit. Pantænũ enim, literis & prudentia præstantem, ei scholæ præfecit: deinde etiam Clementẽ & Origenem, illustrissimos sanè uiros. In Indiam quoq; Pantænũ rogatus ablegauit: quæ quidem res testatur, eum ex sua schola atq; ecclesia ueluti colonias quasdã, non modò in uicina, sed etiã longè dissita loca transtulisse. Verùm his de rebus iam in Pantæni & reliquorum historia exponetur. Cæterùm in enumeratione horum pastorum Eusebij autoritate præcipuè usi sumus, eo quòd reliqui inde ferè sua descripserint: ac, si cubi uariant, incertiora quàm hic autor adferant.

DE PANTAENO.

Hospitium & officina quædã liberalium artium, totius q; Philosophiæ, longo tẽpore, etiã ante Christi aduentũ, fuit Alexãdria, Aegypti urbs famosissima. Plurimi igitur præclari uiri, præstãtes ingenio, & instructi omnib. artibus, in eo loco floruerũt. Postq; uerò Christus sparsione Euangelij per sua organa in eam Academiã est ingressus, & aliquã scholã occupauit, ex ingeniosis & peritissimis philosophis, doctissimos et facundissimos Theologos effecit, qui uiua uoce ac monumentis cõpositis, & locũ eum ornarũt, & Ecclesiã Christi ampliarũt atq; propagarũt. Fuit igitur & hic noster Pantænus unus de eximijs philosophis, quẽq; Christus in suã Euangelicã Academiã singulari beneficio traduxit. Nam in schola Stoicorũ ab incunabilis fuit educatus, ut inquit Eusebius lib. 5. cap. 9. id quod fortè subindicare uidetur, Alexandriæ Pantænũ etiã natũ fuisse. In ea igitur ceu facultate horridorũ philosophorum, tam excellenter profecit, ut celebris in ea professore & doctor extiterit. Postea uerò res ipsa testatur, eum repudiata philosophica facultate, nõ pedib. solũ, uerùm tota mente in Euangelij doctrinã & professionẽ concessisse. Id qua ratione esset effectũ, aliorũne instructione, an uerò lectione Euangelicorũ librorũ, aueremus sanè cognoscere, & uocationẽ Dei tam benignã considerare, nisi nobis uetustas eius historiam & scripta inuideret. Acciderunt autem ista sub Commodo Imperatore. Confirmatus porrò ac probatus satis in doctrina Christiana, dignus habitus fuit qui primus publicè Alexandriæ Christianam scholam siue Academiam aperiret, & catechistes constitueretur: sicut refert Nicephorus libro 5, cap. decimooctauo. quamuis & in ueterem Eusebij translationem ea, qua uerò ratione id factum sit nescimus, inserta sint, libro 6, cap. tertio: quæ tamen Græcus textus prorsus non habet. Eam uerò prouinciam, ut erat omni doctrinarum genere instructus, præclarè & feliciter administrauit: ac inter cæteros Clementem habuit discipulum, qui ei in hac functione successit. nec dubium est, quin etiam in pluribus labor eius fuerit salutaris. Narrat Eusebius libro 6, cap. tredecimo, quòd Clemens in libro suo de Hypotyposibus, honorificam Pantæni, tanquam sui præceptoris, mentionem faciat, exceptionesq; illius ac traditiones exponat. Celebratur ab Hieronymo in Catalogo, non solum ob eruditionem in sacris atq; profanis literis, sed etiam singularem prudentiam in rebus omnibus agendis. Imò quòd adhuc maius est, tam excellenti ardore propagandi Euangelium Christi præditus fuit, ut nullos labores, nulla pericula, nullas profectiones quantumuis longinquas & molestas in ea re detrectare uoluerit. Accidit autem, ut Indi celebrate ecclesiæ Alexandrinæ, & fortè etiam ipsius Pantæni fama adducti, legatis quibusdam suis à Demetrio, tum temporis eius ecclesiæ antistite, peterent, ut idoneum & salutarem sibi doctorem mitteret, qui ipsos in uera Euangelij doctrina plenius erudiret, & alios qui Euãgelij adhuc rudes atq; ignari essent, Christo lucrifaceret. Quid fit? Præ cũctis à Demetrio Pantænus sacræ scholæ in sua Ecclesia moderator deligitur, atq; ad eam uocationẽ designatur. Non hic tergiuersatur Pantænus, nõ laboribus aut periculis absterretur: uerùm isti uocationi tanquã diuinæ extẽplò paret, et iter quantumuis longũ & asperũ ingreditur, futurus post Apostolos Indorũ Euangelista. Vbi aũt, & q̃ diu ibi constiterit, quos aut confirmarit aut erudierit, q̃ proficul & quo successu progressus sit, obliuione summa sepulta sunt: nisi q. Hieronymus ad Magnũ oratorẽ Romanũ memoriæ prodiderit, eum in Indiã missum esse, ut Christũ apud Brachmanos, & illius gentis philosophos prædicaret. Sunt aũt Brachmani, Ptolemæo tephos prædicaret. Sunt aũt Brachmani, Ptolemæo teste, in India, intra Gangem, sub monte Bittigo siti, qui (ut Strabo recẽset) philosophiæ studijs fuerũt dediti, in plerisq; cum Græcis consentientes. Dum uerò in ijs regionib. cõmoratur, & proculdubio uestigia Apostolorũ sagaciter explorat, inter quasdã Christianorũ reliquias reperit Euãgeliũ Matthæi, quod Bartholomæus apostolus olim ibi doctrinã Christi plantãs Hebraicè descriptũ reliquerat: secũq; Alexãdriã attulit, fortè bibliothecam Christianorũ in eo loco, hoc chirographo Bartholomæi, uel etiã durationis gratia locupletaturus & ornaturus. Nõ enim dubitandũ est, quin euãgelij Matthæi exemplũ prius quoq; habuerint Alexandrini, præsertim cum diligentissimi exploratores & inuestigatores sacrorum librorum fuerint. Quare aũt deserta India rursus Alexandriã sereceperit, ignotum est. Fortè grandæuus, & laboribus defatigatus & exhaustus,

hauſtus, cum illos quòtidianos labores ſuſtinere amplius non poſſet, in patria & in cœtu ueterum amicorum & doctiſſimorum hominum, ueluti in ipſorum cõplexibus mori uoluit. An uerò & poſt reditum, gradum aliquem in Eccleſia uel in ſchola denuò ſubierit, planũ non eſt. Porrò etſi uiua uoce plurimùm Eccleſiæ Chriſti profuit, tamen etiam commentaria quædam in ſacras literas poſt ſe reliquit, quæ poſteriores magno cum fructu legerunt. De hoc conſtat, quòd Nicephorus libro quinto capite decimo ſcribit, Alexandrũ epiſcopum Hieroſolymitanum in epiſtola ad Origenem teſtari, quòd noticia ſibi cum Pantæno interceſſerit, ſibiq; percharus fuerit. Apparet autem, paſſim ab omnibus pijs & bonis uiris Pantænum in precio habitum fuiſſe. Origenes & Hieronymus tanti eum fecerunt, ut inter alios præclaros uiros non dedignati ſint eum recitare, tanquam patronum ſuæ cauſæ: nempe quòd exemplo Pantæni, aliorumq; inſignium doctorũ Eccleſiæ, etiam profanas literas ſcrutarentur, ut & cõfutare ethnicos, & magis illuſtrare doctrinam Euangelij poſſent. Vitio enim nonnulli ipſis uertebãt, quòd tantum ſtudij in profanas literas ponerẽt, easq; etiam interdum ſacris immiſcerent. Euſebius libro ſexto, capite uigeſimo: Hieronymus ad Magnum. Floruit ſub Commodo, Seuero & Caracalla. Vnde conijci poteſt, eius curſum fortè circiter triginta annorũ fuiſſe: quãuis de initio & fine eius in functionibus eccleſiaſticis nihil certi traditum ſit. De morte deniq;, nihil habemus. Quæ igitur hactenus de Pantæno in mediũ protulimus, pleraq; ex Euſebij lib. 5. capitibus nono, decimo, undecimo, & Hieronymo deprompta ſunt.

DE CLEMENTE ALEXANDRINO.

Clemens ad diſcrimen Romani & aliorũ, quia plures fuerũt, Alexandrinus cognominatus, floruit (teſte Euſebio & Hieronymo) ſub Seuero & Caracalla, circa ducenteſimũ Domini annum. Cuias fuerit, et ex quibus parentibus ſit natus, incertum eſt. Diuinare fortè poſſis, eum fuiſſe patria Athenienſem: quia Epiphanius in capite contra trigeſimam ſecundam hæreſin, dicit eum ab alijs Alexandrinum, ab alijs Athenienſem uocari: quòd fortè patria Athenienſis, functione Alexandrinus fuerit. Quomodo ſit educatus in pueritia, & quando conuerſus, itidem incertum eſt. Loca ſtudiorum & præceptores, ipſe Stromatũ primo recenſet: quem locum nonnihil aliter Euſebius citat. Apparet autem ex eo, quòd primùm in Græcia operam literis nauauerit: deinde uerſus Orientem profectus, uenerit in Paleſtinam: poſtremò in Aegyptum, ubi & Pantæno præceptore uſus eſt. Fuit autem omnino in hoc homine ingens diſcendi cupiditas, ingenium acutum, tenaciſſima memoria, feruens zelus gloriæ Dei, ac Chriſtianæ religionis, ut ex ſcriptis eius conijci poteſt. Porrò, teſte Hieronymo, Alexandriæ magiſter catacheſeos factus, homines ſcholaſtico more de ſacris literis erudit, quiq; per plures horas (ut ex Origene, eius ſucceſſore ac diſcipulo, apparet) ſolitus eſt ſacras literas explicare, ac ſummam Chriſtianæ religionis tradere. Licet autem fuerit Alexandrinus presbyter, tamen nõ ſoli illi Eccleſiæ ſeruiuit: ſed cum eſſet maximæ eruditionis, zeli ac facundiæ, & propterea etiã autoritatis, aliquoties ad alias eccleſias inſtruendas profectus eſt. Docuit aliquandiu Hieroſolymis, cum maximo illius Eccleſiæ cõmodo, cum eo quidem tempore duos ea ciuitas haberet epiſcopos, Narciſſum & Alexandrum. Inde profectus eſt Antiochiã, proculdubio ibidem docendi & confirmandi illos homines gratia. Probatur hoc, fragmento epiſtolæ Alexandri Hieroſolymitani epiſcopi, quod ab Euſebio lib. 6. cap. 11. citatur. Verùm non tantũ uoce ſuis auditoribus, quod & obſcuriores doctores faciunt, inſeruiuit: ſed etiam ſcriptis tum toti eccleſiæ ſui æui, tum et poſteritati in perpetuum profuit. Multa enim & præclara ſcripſit, quæ ab Euſebio & Hieronymo recenſentur, quorũq; pauciſſima nunc extant. Sed adſcribam Euſebij uerba, quibus eius ſcripta recenſet, quòd & multa alia de eo ſcitu digniſſima in ſe continẽt, & quidem ex Rufini uerſione, quòd ibi quædã explicationis cauſa utiliter adiecta ſunt. Clementis uerò libri habentur plurimi, apud nos tamen hi ſunt qui inueniri potuerunt: Στρωματέων libri octo, quos hoc modo prætitulauit: TITI FLAVII CLEMENTIS DE VERA PHILOSOPHIA COMMENTARII SCIENTIAE στρωματεῖς. στρωματέας aũt nos poſſumus intelligere, tanquã opus uariè contextũ. ſunt & alij eiuſdẽ: ὑποτυπώσεων libri octo, quos nos poſſumus Informationũ uel Diſpoſitionũ nominare. in quib. nominatim Pantæni meminit, tanquã proprij magiſtri, & expoſitiones ipſius plurimas ſcribit, & traditiones eius operi ſuo inſerit. Eſt etiam liber eius, Ad gẽtiles exhortatorius. Et alius liber, qui dicitur Pædagogus. Et alius, qui ſuperſcribitur, Quis eſt qui poſſit ſaluus fieri diues. Eſt & alius libellus, De Paſcha. Et Diſputatio de ieiunio. Et, De obtrectatione. Et alius, Exhortatorius ad patientiã. Et alius, Ad neophytos. Sed & ille qui ſuperſcribitur canõ Eccleſiaſticus. Item alius, De his qui Iudaicum ſenſum in ſcripturis ſequuntur, quẽ ad Alexandrũ ſupradictũ epiſcopũ ſcribit. In στρωματεῦσι non ſolũ ea quæ ex diuinis ſcripturis ſumpſerat, ſternit, ſed & ea quæ apud Græcos autores habẽtur. Vtile nãq; ei uiſum eſt, in illo opere cõparare ac cõferre ſibi inuicẽ dogmata, uel ea quæ diuinitùs ſancita ſunt, uel quæ à ſapientibus Græcorum inuenta, uel etiam quæ cæteris barbaris uiſa ſunt. Arguit etiã hæreticorũ errores. hiſtoriã quoq; inibi plurimam texit, & ex omnibus materiam nobis eruditionis peſſimè collectæ cõpoſuit. Vnde meritò libros ſuos στρωματέας appellauit, id eſt, lacinioſa quadam & uaria diuerſitate contextos. Vtitur ſanè exemplis etiã ex his libris, qui à nonnullis minimè recipiendi uidentur: id eſt, ex ſapientia quæ dicitur Salomonis: & ex Sapientia Sirac, quæ appellatur Eccleſiaſticus apud Latinos. Sed & de Barnabæ & Clementis epiſtola ponit exempla. Vtitur etiam de epiſtola Iudæ. Meminit præterea & ſcriptorũ antiquorum Tatiani cuiuſdam, & Caſſiani, uelut qui Chronica ſcripſerint. Philonis quoq;, & Ariſtoboli, & Ioſephi, ac Demetrij & Eupolemi Iudæorũ ſcriptorũ. cõferens etiã antiquiſſimis Græcorũ Moſea noſtrũ, Iudæorũ genus antiquũ eſſe cõprobat, multaq; alia inſtrumẽta optimarũ inſtitutionum in illo opere cõtexuit. Et inter cætera hoc in primo libello indicat, q. ipſe non longè poſt Apoſtolos fuerit, promittitq; cõmentarios ſe in Geneſin ſcripturũ. In libello aũt quem ſcripſit de Paſcha, confitetur extorqueri ſibi

sibi à fratribus,ut ea quæ à presbyteris,ideſt,à ſucceſſoribus Apoſtolorum uoce ſibi ſola tradita ſunt,deſcriberet in libris, ac poſteris traderet. Meminit inibi Melitonis & Irenæi, cæterorumq;, quorum etiam quaſdam narrationes inſeruit. In libris uerò ὑποτυπώσεων, id eſt Informationum, ut breuiter dicam, uniuerſam pariter ſcripturam diuinam compendioſis diſſertionibus explanauit: in quibus ne ea quidem quæ Apocrypha à quibuſdam habentur, præterijt, ut eſt Petri reuelatio. De Epiſtola uerò ad Hebræos ita diſſerit, q, manifeſtè Pauli ſit Apoſtoli: ſcripta ſit autẽ Hebræo ſermone, tanquam Hebræis: à Luca uerò, qui erat Pauli diſcipulus, interpretata in Græcum. Vnde & ſtylus eius magis ſimilis uideatur libello illi, quem Lucas de Apoſtolorum actibus ſcripſit. Quòd autem ſuperſcriptionem ſolitam inibi non habet, id eſt, Paulus Apoſtolus: hoc eſſe rationis oſtendit, quia præiudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne eius dicta ſuſciperent: & idcirco prudẽter declinaſſe, ne ſtatim in principio Pauli nomine inſpecto, lectio eius repudiaretur. Poſt pauca uerò addit etiam hæc: Et ſicut, inquit, beatus preſbyter dicebat, quia Dominus, apoſtolus omnipotentis dicitur miſſus ad Hebræos: Pro humilitate ergo Paulus, qui ad gentes fuerat deſtinatus, non ſcripſit ſemetipſum Hebræorum apoſtolum, uel propter honorem Domini, qui ſe miſſum dixerat ad oues Iſrahel, uel quia gentium uidebatur Apoſtolus. Exponit præterea idem Clemẽs in ipſis libellis, de ordine Euangeliorum, traditionem ſibi à ſenioribus preſbyteris traditam: & dicit priora eſſe poſita illa Euangelia, quæ de generationibus continent, id eſt Matthæi & Marci. Cauſam uerò fuiſſe Euangelij ſecundum Marcum huiuſmodi: Cum Petrus Romæ publicè prædicaſſet uerbum Dei, et in ſpiritu expoſuiſſet Euangelium, auditores rogaſſe Marcũ, qui olim iam ſectator ipſius fuiſſet, conſcribere ea quæ ſciebat ab Apoſtolo prædicata. Cumq; id factum Petrus poſtmodũ cognouiſſet, licet fieri ipſe non iuſſerit, tamen factum non prohibuit. Ioannem uerò poſtmodum dicit, cum uidiſſet quòd ea magis quæ ſecundum carnem ſunt, in Euangelijs haberentur, deprecatum à diſcipulis, ſcripſiſſe etiam quæ ad Spiritum pertinent. Vnde repletus ſpiritu, Euangelium ſpiritale conſcripſerit. Hæc Clemens. Alexander uerò, de quo ſuperius memorauimus, Clementis ſimul & Pantæni ad Origenem ſcribens meminit, uelut qui ſibi etiam in corpore noti fuerint. Scribit autem hoc modo: Hoc enim & uoluntatis Dei fuit, ſicut ipſe noſti, ut amicitiæ quæ mihi à patribus fuerunt inuiolatæ durarẽt, imò uerò & ardentius ac robuſtius augerentur. Patres autem nouimus beatos illos qui nos præceſſerunt, ad quos paulo pòſt etiam nos abibimus: Pantænum dico dominum meum uerè beatum, & ſanctum dominum meum Clementem, qui me in multis inſtruxerunt. Sed et ſi qui alij tales ſunt, per quos etiãte cognoui uirum per cuncta egregium, & dominum mihi & fratrem. Hæc quidem ita ſe habent. Librum de canone, & cõtra Iudaizantes, Euſebij Græcus textus & Hieronymus unum faciunt. Præter iſtos porrò ipſemet & hoſce ſuos libellos in Stromatibus recenſet: De reſurrectione, de nuptijs, de continentia. Sozomenus dicit, eum etiam hiſtoriam texuiſſe: & ſanè etiam Suidas meminit cuiuſdam hiſtorici Clemẽtis, qui uitas Cæſarum ſcripſerit. Cæterùm iam tantum illa tria ſcripta ex tanto numero extant, nempe Protrepticus, Pædagogus & Stromata: quæ ſatis commodo inter ſe ordine cohærent, quaſi ſtudio quodam inter ſe ab ipſo autore connexa. Nam in Protreptico ſeu adhortatorio, hortatur omnes ad Chriſtianitatẽ, & gentilis erroris uanitatem oſtendit, coq; ab Hieronymo Contra gentes inſcribitur. In Pædagogo, recens conuerſi hominis, quaſi pueri cuiuſdam mores diligenter format: quod & nomen ipſum profitetur. Denique in Stromatibus, tum ueritatis uberiorẽ cognitionem, ueluti ſolidiorem, cibum tanquam iam maturo uiro ſuppeditat: tum & errores tetriores refutat, admixta etiam philoſophiæ & poetarum doctrina. Cur uerò in Stromatibus philoſophorum Theologiæ dogmata poetarũq; flores admiſcuerit, ipſemet initiò exponit: nempe quia alius alijs delectetur, & nos Pauli exemplo ad omnium mores ac ſtudia accommodare debeamus, ut omnes Chriſto lucrifaciamus. Credo animaduertiſſe eum, uideri pleriſq; Chriſtianam doctrinam per ſeſe rudem, indoctam ac moleſtam: coq; talibus eam ueluti floſculis ac condimentis ornare condireq; uoluit, ut Græcis etiam, teſte Paulo, ſapientiam quærentibus placere poſſet. Fortè & illud ei iucundum fuit, ex diuite theſauro multam ac uariam ſupellectilem depromere: & deniq; putauit ſic facilimè Græcos ad Chriſtianã doctrinã pertrahi poſſe, ſi oſtẽderetur in plurimis cum eorũ uetuſtis ſcriptoribus cõſentire, ac ibi teſtimonia quædam ſuæ ueritatis habere. Propter hanc autem tam multarum & uariarum rerum mixturam, eos libros Stromata, quaſi dicas Lectiſternia nominauit: quòd apud Græcos moris fuit, & adhuc eſt, ut ex uariorum colorum confuſa lana craſſiores quidam uilloſiq; panni, quos infra ſupraq; ſe incurbando ſternerent, conficerent. Adiuncta ſunt Græco exemplari duo fragmenta, proculdubio tanquam etiam ad huius autoris ſcripta pertinentia: quorum alterius titulus eſt, Epitome doctrinæ Theodoti & orientalium. ac Theodoti ſcriptum mirè obſcurum, tum propter ſtylum, tum propter ipſarum opinionũ quæ ibi recenſentur obſcuritatem ac uanitatem. Alterum uerò inſcribitur, Selecta ex propheticis: ubi aliquot pauca dicta prophetarum & pſalmorum explicantur. Veriſimile eſt, eſſe partem aliquam ex libris hypotypoſeon: quoniam ibi, teſte Euſebio, fermè totam ſcripturam expoſuit, & Pantæni præceptoris meminit, eiusq; expoſitiones ſcripturæ recitat, ſicut & in hoc ipſo fragmento. Doctrina porrò eius (quæ uel præcipuè in doctoribus perpendi debet) fuit mediocriter ſyncera, ut ſuprà oſtenſum eſt. Nam rectè ſenſit de ſacroſancta trinitate. tres enim perſonas diſertè in fine Pædagogi, & in Selectorum fragmento, & initio Stromatum nominat. Et quidem in Pædagogo diſertè tres perſonas exæquo honorat, & unum eſſe illas Deum dicit, eoq; neceſſariò conſubſtantiales eſſe pronunciat. De Chriſti incarnatione, ſacrificio ac merito, etiam rectè ſenſit, ut paſſim ex Protrepti-co apparet, Pædagogi ſecundo, & Stromatum quarto & quinto. De regeneratione hominis etiam commodè loquitur aliquoties in Protreptico, et præcipuè in primo

in primo Pædagogi, cap. 2 & 6. De lapsu hominis rectè in Protreptico dicit. Fidem multum prædicat passim. Stromatum 2 refutat gentiles, qui dictitabant esse rem leuẽ & facilẽ. Protreptico, nos per fidẽ saluari, sæpius affirmat. Fidem cum fiducia sæpe coniungit tanq̃ cohærentia, in Protreptico, & Stromatũ 2. Fidẽ dicit esse perfectam purgationẽ, Strom. 4. Item in sequenti libro dicit, Deũ per SOLAM fidẽ dare salutẽ. Sacrificium externũ negat habere ecclesiam, aliquoties Stromatum 7. Tantum dicit preces esse nostrum sacrificiũ, & aram esse sanctam animam. Matrimonium uehementer passim laudat, Stromatum tertio: confert cum uirginitate, Pædagogi secundo, cap. decimo. Stromatum secundo dicit, scripturam suadere cõiugium. Item, Esse ignaui ac imbecilli animi, defugere coniugium. Itẽ dicit, esse Epicuri, Democriti & aliorum, qui in uoluptate beatitudinem posuerunt, dogma de fugiendo coniugio. Tuetur & sacerdotum coniugium, in pluribus locis tertij & septimi Stromatum. De ieiunio quoq; ita loquitur, ut ostendat, non tam referre an comedas, uel à cibo abstineas, quàm ut piè uiuas, ac à uicijs ieiunes. in Pædagogi secundo, cap. primo, & Stromatũ 7. De sacrarum literarũ autoritate rectè docuit, quòd illas solas audire debeamus: quodq; illæ uerè sacræ sint, quia sacros faciant & deificent, in Protreptico. Imagines quoq; passim ita uehementer insectatur, ut ostendat, non esse fas Christiano eas habere: in Protreptico, & Stromatum 6. Discrimen dierum & locorum, quod ad pietatem attinet, penitus tollit Stromatum 7, & pluribus locis. De libero usu rerum mediarum, passim in Pædagogo & Stromatibus rectè disserit. In Protreptico uehementer insectatur idolorũ cultores, quòd incedant coma sordida, uestibus laceris, balneis abstineant, aliqui etiam se castrent, atq; in hisce externis pietatem collocent. Cleri ordinem superioritatem´ue ille tantum hunc nouit, episcoporum, sacerdotũ & diaconorum: Stromatum sexto & septimo. De primatu papæ, aliorum´ue episcoporum super alios, nihil penitus sciuit. In libro Hypotyposeon sexto, referente Eusebio libro 2. cap. primo sic dicit: Petrus enim & Iacobus & Ioannes, post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi uindicabant primatus gloriam: sed Iacobum qui dicebatur Iustus, Apostolorum episcopum statuunt. Hæreses acriter oppugnauit, & multas refutauit passim in Stromatibus. Gnosticos, autore Prodico ortos, qui sibi summam quandã noticiã et perfectionem, licentiãq; quidlibet agendi uendicabant, & turpissimè uiuebant: Stromatum 2 & 3. Basilidianos, qui plures deos & metempsychosin, fidem esse naturalem, aliaq; absurda asserebant: Stromatum 2 & 4. Tatianum lib. 3: Marcionitas, qui dixerunt legem non esse bonam, materiam rerum esse malam, coniugium & procreationem esse fugiendam: Stromatum secundo, tertio & quarto. Carpocratianos, qui uxores fecerunt communes: Stromatum 2 & 3. Docitas, Cassiani sectatores, qui phantasticum corpus Christo tribuunt: Stromatum tertio. Antitactas, qui legem secundi Dei esse dixerunt, eoq; summam pietatem esse putarunt legi resistere sceleratè uiuendo, & sic putauerunt se ualde primo Deo gratificari: Stromatum tertio. Verùm de his suo dictum est loco. Contra gentiles in Protreptico agit, sed tamen etiam in Stromatibus subinde eos refutat, præsertim in primo libro, ubi temporum supputatione ostendit, Iudaicam doctrinam Græca longè uetustiorẽ, Græcosq; riuulos inde esse deductos. &c, Hactenus diximus de ueris Clementis sententijs, deq; eius cõtra uarios errores certaminibus. Nunc etiam de eius næuis ac erroribus aliquid dicamus. nihil enim ex omni parte beatum est. Et solis hoc Prophetis & Apostolis diuino munere concessum fuit, ut nullos errores habuerint, sparserint´ue: alijs non item. Sicut ipse quidem queritur, se integritatem & perspicuitatem præceptorum et antecessorum suorum non assequi. Teste Rufino, in Apologia pro Origene, alicubi dicit, Christum esse creaturam: quod tamen procul dubio aut ab hæreticis suppositum est, ut contendit Rufinus: aut à Clemente ratione humanæ naturæ dictum. quandoquidem alibi, ut suprà dictum est, tam apertè tres personas ex æquo honorat, & unũ esse Deum omnes tres confitetur. Dicit Christum non esurijsse, nec sitijsse reuera: sed tantum ideo illis usum, ne uideretur esse spectrum: Stromatum tertio. Sed contrà Stromatum septimo dicit, Christum suscepisse carnem passibilem. Item, Christum unico tantum anno docuisse: Stromatum primo. Eos qui ante Christum fuerunt, honesteq; uixerunt, esse iustos factos, uel per legem, uel per philosophiam. sed defuisse tamen eis fidẽ in Christum. Quare in inferno expectasse Christi & Apostolorum aduentũ, eorumq; ibi prædicatione esse conuersos, ut in Christum crederent, & sic demum seruatos esse. Christũ ante suum aduentum neminem plenè seruasse: Stromatum quinto & sexto. Peccatum originis non satis intellexit. nam nec causam, id est, quando aut à quo hoc malum accidit, satis constanter asserit: nec effectum, id est, quanta inde naturæ corruptio sit consecuta. Nam serpentem qui Euam decepit, interpretatur allegoricè uoluptatem, nec tamen ipsam historiam penitus tollit: in Protreptico. Tribuit etiam partem mali in rerum natura, lapsui angelorum: quos mulierum amore captos, ac ita cœlo delapsos, latius sparsisse peccatum dicit: qui ei error cum Iustino est communis. Corruptionẽ naturæ adeò ignorauit, ut nusquã non liberum arbitrium asserat, uiribus humanis nimiũ tribuat. Stromatum 3 mirabiliter torquet illud, In peccatis concepit me mater mea: intelligens de Eua, et obscuram quandam interpretationem afferens. Insectatur quidem noster Clemens hæreticos Gnosticos, & meritò: sed interea fingit ipse nescio quos Gnosticos in ecclesia, & Apostolos & similes, quibus omnium rerum noticiam, & tantam perfectionẽ ac innocentiam, quanta in angelis est, tribuit. Dicit eos non amplius petere remissionem peccatorum, non indigere angelorum custodia, non petere à Deo beneficia: sed tantum optare, & etiam flagitare quæ uelit, præsertim salutem. Vide Stromatum sexto & septimo. Stromatum 2 & 6, dicit non tantum Christum, sed & angelos esse conciones apud inferos. Baptismum hæreticorũ uidetur damnare, Stromatum 1. Secundas nuptias sentit esse cuiusdam imperfectionis, & nõ sine peccato: Stromatum 3. In Selectis, seu fragmẽto illo Hypotyposeõ, dicit transformari homines in angelos, ibiq; primùm discere ab alijs angelis mille annos, postea totidem docere alios

transformatos homines, & demum fieri archangelos. Stromatum sexto dicit, Iosuam fuisse duplicem Mosen: alterum cum angelis, alterum in monte. Animas dicit in matrice expectare semẽ uiri, unde corpus assumãt: in Selectis, seu fragmẽto. In prædicto fragmento probat etiam ex prophetia Enoch, quòd mali angeli homines astrologiam docuerint: quod tamen omnino nõ est falsum. Lib. 4. Stromatum uidetur sentire, Apostolos esse passos pro ecclesijs quas fundarunt: pagina 126. Citat passim Apocrypha, quod & Euseb. in eo reprehendit: idq;, quod peius est, nullo discrimine ea canonicis scriptis postponens, qua ratione noxijs scriptis autoritatem attribuit. Citat autem scripta Barnabæ, Reuelationem & prædicationem Petri, Traditiones Matthiæ, Euangelium secundum Aegyptios, Hermetem & alia. De uita & moribus Clementis, eiusq; actionib. & certaminibus nihil sanè habemus, nisi quod suprà indicauimus, cum tum Alexandriæ ueluti ordinariũ quendam doctorem, qualis ante eum præceptor eius Pantænus, & post eum Origenes eius discipulus successor fuit: tum etiam ad alias ecclesias aliquando etiam longius excurrere solitum, ut eas erudiret, confirmaret, erroribus liberaret, ac perturbatos ad quietem deduceret. Facilè igitur apparet, functionem eius tum laboriosam, tum periculosam, tum deniq; & apprimè fructuosam fuisse. Quos porrò præclaros discipulos erudierit, ac post se reliquerit, non facilè indicare possumus: nisi quòd omnes uno ore affirmant, Origenem eius discipulum fuisse. Verùm mihi ualde mirum est, quòd Origenes nusquam in scriptis de eo meminit. Eusebius citat quandam excusationem Origenis, qui se exemplo Pantæni et Heraclei defenderit, quod philosophica studia attigit. Vbi ualde mirum est, non adiungere eum etiam Clementem, si suus præceptor fuit, cuius exemplo se uel in primis tueri potuisset. Quàm longum porrò fuerit functionis huius doctoris curriculũ, quo ue tempore in Domino obdormiuerit, non est facile cognoscere. Eusebius enim & Hieronymus dicunt, eum sub Seuero & Antonino Caracalla floruisse: quo tempore & Pantænum docuisse affirmant. Verum necesse est Clementem diutius floruisse: quandoquidem omnes affirmant, cum Pantæno successisse, & post eum scholam Alexandrinam rexisse. Et quidẽ oportet eũ longo tempore post Pantænũ docuisse, quandoquidẽ initio Stromatum dicit, longum tempus inter illam suam scriptionem ac suorum præceptorum auditionem mortemq; interceßisse, adeò ut ob temporis longitudinẽ multorum sit oblitus. Sic & in fragmento hypotypoſeõ, facit Pantæni tanquam satis dudum mortui, mentionem. Adhæc testatur initio Stromatum, se illa cõmentaria ideo conficere, ut sibi ad senectutem præsidium memoriæ comparet: ut appareat, cum tunc nõdum senem fuisse, eoq; etiam post absolutum id scriptum satis diu uixisse. Deniq; & illud est signum eius longæuitatis, & quòd diu post Pantænum docuerit, quòd ista prolixa operosaq; scripta Stromatum & Hypotypoſeon, fortè & alia omnia, quæ satis multa sunt, post mortem Pantæni cõfecit. Quo porrò tẽpore, quàm senex, quo ue mortis genere perierit, nõ certò possumus explorare. Pleriq; tamen referunt, cum Alexandriæ naturali morte uita functum esse.

DE DOCTORIBVS CRETENSIBVS.

HAbuit insula Creta etiam post Paulum et Titũ, celebres & instructas ecclesias: sicut hac ætate magni fuerunt nominis Gortynensium & Gnosiorum ecclesiæ, quibus laudatißimi in historijs, atq; ex episcopis ueteribus clarißimi præfuerunt uiri, Philippus & Pinytus: quo tempore Marcus Antoninus Verus & Lucius Aurelius Commodus imperium tenuere, ut Hieronymus indicat.

PHILIPPVS.

Meminit Philippi Dionysius Corinthius in epistola ad Gortynenses, cum laude, ut Eusebius ostendit: qui particulas aliquot eius epistolæ cõmemorat lib. 4. cap. 23, quòd uidelicet ipsius uirtutes ecclesiam etiam suam ornent & commendent. Scripsisse eum contra Marcionem accuratißimum commentarium, idem testatur eiusdem libri cap. 25, & Hieronymus in Catalogo.

PINYTVS.

In alia quadam Dionysij Gnosijs nuncupata epistola Pinyti mentionẽ fieri, Eusebius prodidit, hoc quidẽ nomine, quòd Pinytum Dionysius hortatus sit, ne cum periculo graue castitatis onus fratribus imponeret, ut suprà dictum est. Sed & eam laudem Dionysiũ respondo Pinyti tribuisse, Eusebius testatur: quòd uerã de fide doctrinam, rectamq; uerbi intelligentiam, tum quoq; curam & solicitudinem erga sibi cõmissam plebem, in exactißima quasi imagine de se ostenderit.

DE DOCTORIBVS Europæis.

DE ATHENIENSIBVS EPIscopis & doctoribus.

DE PVBLIO.

PRoximè ante Quadratum Publius ministerio uerbi ecclesiã Christi quæ fuit Athenis rexit. Magna autem ibi sæuiente persecutione, etiam episcopus simul ad supplicium abreptus & martyrio affectus est. Quæ quidem res & fidem & cõstantiam eius insignem commendat, nẽpe quòd maluerit unà cum ecclesia sua uiolentam necem perpeti, ac sanguine suo ueram de Christo doctrinã contestari: quàm defectione turpi scandalum infirmis præbere, aut doctrinã Christi blasphemare. Quando aũt uel episcopi uices in eo loco obierit, uel interfectus sit, non est satis clarè traditum. Licet tamen conijcere, eum temporibus Hadriani uixisse, quo Quadratus Apologias suas exhibuit, ac pro communi salute ecclesiæ in excubijs fuit & laborauit. Meminit aũt Publij, quòd & antecesserit Quadratũ, et ob confessionem passus sit, Dionysius Corinthius episcopus in epistola ad Atheniẽses, ut exponit Euseb. lib. 4. cap. 23.

DE QVADRATO.

Inter insignes huius seculi uiros, qui & doctrina & constantia, reliquisq; spiritus sancti donis excelluerũt, & hic Quadratus prædicatur. Apostolorum discipulũ eum fuisse, Euseb. in Chronicis, & Hieronymus, alijq; eos secuti confidenter affirmant. Verùm ex Euseb. ij ratione in historia ecclesiastica, hæc non ita manifestè peti possunt: quamuis eum cum alijs nõnullis proximæ ætati post Apostolos successisse, dicat lib. 3. cap. 37. Sub Hadriano maximè innotuit, præsertim ob scriptũ pro communi

communi ecclesia exhibitũ Imperatori, & felicem eius euentum, circa annum Christi 128. Licet autem colligere, quòd etiam Traiani temporibus uixerit, quia ab Euseb. in proximã post Apostolos ætatẽ collocatur: ac fatetur ipsemet in quodam scripto, se quosdam uidisse, ut infrà dicetur, ab ipso Christo resuscitatos. Florentissimo igitur tempore uixit, & haud dubiè ex fidissimis ac clarissimis testibus Euangelij doctrinam hausit: & credibile est eum non tantum coætaneum Ignatio, Papiæ, Polycarpo, cæterisq; ecclesiæ Christi doctoribus fuisse, sed etiam interiori familiaritate coniunctum. Athenis autem eum fuisse, ibiq; Euangelicam doctrinã summa fide & dexteritate tradidisse, extra controuersiam est: sed an fuerit patria quoq; Athenien sis, aut quo in loco, initio præsertim, in ecclesia'ne an in schola docuerit, obscurum planè est. Eruditione, fide, excellenti parrhesia, omnibus donis quæ Apostolicum successorem decent, instructum fuisse, tum ex testimonijs Euse bij, tum etiam ex rebus ipsis ab eo gestis elucet. Imò & prophetico charismate illustris fuit: sicut eodem tempore filiæ Philippi, Ammias, & quidam alij. Eusebius lib. 3, cap. 37. & libro 5. cap. 17. Apparet autem, eum antequam episcopi functionem subiret (quamuis id certò affirmare non licet) Hadriano scriptũ pro Christianis obtulisse, & hac ipsa re egregiam sibi famam comparasse. Narrat Eusebius, sua adhuc ætate eum librũ extitisse, & à fratribus lectum esse. Meminit & alterius libri à Quadrato cõscripti, qui Syngramma nominatus fuerit. Mirè autem eum prædicat, quod nimirum ex eo uidere sit, quanta intelligentia præditerit, quàm tenaciter Apostolicæ doctrinæ inhæserit, deniq; etiam quàm ex antiquis & priscis fuerit Quadratus. Refert autem ex eo libro hoc fragmentum: Seruatoris autem, inquit, nostri opera semper conspicua & in propatulo erant. erant enim uera. Qui curabantur, quiq; ex mortuis resurgebant, non sunt uisi tantum curati & excitati, sed perpetuò & constanter tales erant. Neq; eo tantum tempore, quo seruator hic in terris agebat, sed & post illius ascensionem multo tempore in uiuis erant, ita ut etiam ad nostra usq; tempora nonnulli ex eis peruenerint. Hæc ille. Cæterùm Publio Athenarum episcopo in persecutione interfecto (sicut Dionysius ille de quo suprà dictum est, mentionem facit, ut Eusebius recitat) Quadratus in eum locum subrogatus est. Eius igitur industria & studio iterum conuentus aliqui Christianorum, qui antea grassationibus crudelissimis erãt ferè dissipati, cœperunt haberi: & nonnullorum fides quæ in scintillas exiguas penè abierat & euanuerat, denuò excitata & confirmata est, ut idem Dionysius commemorat. Quanto uerò labore & periculis ei tantares constiterit, facile cogitare est. Quod ad curriculum eius in hac functione attinet, quàm longum fuerit, & quomodo deniq; è rebus humanis exemptus sit, non est literis proditum.

DE ARISTIDE.

Claruit eodem tempore, quo Quadratus in ecclesia Atheniẽsi & Aristides, philosophus insignis, ut in Chronicis Eusebius recitat, doctrina & eloquentia illustris. Qua uerò occasione & quo tempore fidem Christianam sit amplexus, ignoratur. Diuinarum scripturarũ in primis studiosus fuit: uerùm quo in loco doctrinam Christi professus sit Athenis, in schola'ne, an in templis, non est expressum. Magna fide, constantia, et zelo eum fuisse præditum, ex hoc eius facto fit manifestum, quòd pro tota ecclesia Christi curam gerens, Apologiã Christianæ religionis cõposuit: eamq; sub illud tempus, quo Quadratus Hadriano obtulit: insuper coram ipso Imperatore, qui uidebatur fauere eloquentiæ studijs, luculentissimè perorauit: nec fuit irritus tantorum uirorum labor. Cæterùm tanta arte, tantoq; apparatu, splendore atq; ornatu orationis hic Apologeticus sermo fuit ab Aristide cõscriptus, ut Hieronymus affirmet, apud philologos eius ingenij etiamnum indicium esse: & Tritemius dicat, eum miraculum sui gentibus hac ipsa oratione præbuisse. Eusebius lib. 4 cap. 3 ait, suis temporibus hæc scripta à pluribus haberi, & uidentur Hieronymi etiam ætate adhuc perduransse. Sub habitu philosophico discipulus Christi & doctor ecclesiæ fuit, ut proximus autor refert. Vixit igitur circa annum Christi 128, iuxta Eusebij Chronicon.

IOVIVS.

Iouius, quem Fasciculus temporum. fol. 40 ait fuisse Athenien sem presbyterum, & martyrem, discipulum Dionysij.

DE CORINTHIIS EPIscopis.

DE PRIMO.

PRimus nomine episcopus fuit Corinthiorum, temporib. Marci Antonini Veri: cuius Egesippus mentionem facit, ut narrat Eusebius lib. 4 cap. 22. Et appa ret ex ea commemoratiõe, fuisse Primum hominem et doctrina & fama clarum, acerrimumq; sanè & Apostolicæ doctrinæ propugnatorem & propagatorem. Diuertit enim apud eum Egesippus, celeberrimus uir: cumq; eo diebus multis de uera doctrina copiosè contulit, adeò ut hæc tam pia & familiaris collatio utriq; iucunda, & proculdubio utilis etiam fuerit. plura de hoc pastore non habemus.

DE DIONYSIO.

Eiusdem ecclesiæ, nempe Corinthiorum episcopus fuit Dionysius, sub Vero & Cõmodo Imperatoribus, hoc est, circa annum Christi 174, ut in Chronicis Eusebij annotatur. Omnibus autem donis Spiritus sancti, pio salutari ac præstanti episcopo dignis præditus fuit. Insigni enim doctrina ornatus, singulari fide & dexteritate ecclesiam sibi à Domino cõmissam gubernauit. Deinde riuulos suos foras traduxit, aliasq; ecclesias salutari latice irrigauit, sicut & dilectio proximi, ipsaq; ecclesiæ necessitas postulare uidebantur. Sed hæc quæ modò dicta sunt, ex mentione scriptorum eius fiunt manifesta. Cum autem Eusebius & legerit sua ætate ea omnia, & tantopere sit admiratus, ut nõ piguerit eum breues summas excerpere: ut aliqua uestigia antiquitatis retineamus, uisum est ipsa Eusebij uerba inserere. Sunt autem epistolæ octo numero, sicut eas quoq; Hieronymus refert. Est igitur, inquit Eusebius, una ad Lacedæmonios scripta, orthodoxiæ institutionem, pacisq; & unitatis admonitionem habens. Quæ uerò ad Athenienses est, animos fidelium ad fidem & Euangelicã uitæ conuersationem excitat: qua contemptores illius ac negligentes redarguit, quòd parum absit quin à doctrina fidei deficiant, ex eo quod Publius eorum episcopus

martyrium sit temporum illorum persecutionibus passus. Meminit & Quadrati, Publij post martyrium in episcopatu successoris, de quo illo testificatur, quòd ipsius studio congregati, & fidei excitationem sint consequuti. Indicat & præterea, quomodo Dionysius Areopagites ab apostolo Paulo ad fidem, secundum ea quæ in Actis sunt scripta, conuersus, primus Atheniensis parœciæ episcopatum susceperit. Fertur autem & alia quædam illius epistola ad Nicomedienses scripta, in qua Marcionis hæresin impugnans, cum ueritatis canone confert. Et Gortynensi ecclesiæ, unà cum reliquis per Cretam parœcijs scribens, Philippum episcopum eorum laudat, eo quòd ecclesia ipsi concredita, plurimarum uirtutum testimonio commendabilis haberetur: ac simul admonet, ut hæreticorum peruersitatem caueant. Et ecclesiæ Amastrim incolenti, unà cum reliquis per Pontum scribens, Bacchylidis & Elpisti, utpote quorum hortatu scripserit, mentionem facit, & diuinarum scripturarum expositiones adijcit, ac episcopi eorum nomine Galinæ recordatur. Multis autem eos admonet de nuptijs & castitate: & eos qui qualicunque ratione, siue per delictum, siue hæretica seductione lapsi sunt, si conuertantur, recipi mandat. Istis & alia accensetur epistola ad Gnosios scripta, in qua Pinytum parœciæ illius episcopum hortatur, ne graue seruandæ castitatis onus necessariò fratribus imponat, sed multorum sese imbecillitati attemperet. Ad quam epistolam Pinytus respondens, suspicit quidem ac laudat Dionysium: uerùm uicissim hortatur, ut iam solidiore cibo tradito, populum sibi concreditũ perfectioribus literis pascat, ne perpetuò lacteis sermonibus immorantes, in puerili institutione negligenter consenescant. Qua etiam epistola Pinyti quoq; circa fidem orthodoxia, curaq; pro salute subditorum, prudentia etiam & diuinorum intelligentia, tanquam exactissima quadam imagine monstratur. Ad hæc & alia Dionysij epistola ad Romanos scripta, & Soteri tunc Romano episcopo nuncupata, circumfertur. è qua absurdum non fuerit uerba quædam hic adducere, quibus Romanorum consuetudinem ad nostri temporis persecutionem usq; seruatam laudans, sic scribit: Inde enim ab initio hæc uobis cõsuetudo est, ut cunctis fratribus uarijs modis beneficiatis, ac multis ecclesijs per totam urbem subsidia mittatis: deinde egentiũ paupertatẽ ad hunc modũ refocillãtes, ac fratrib. in metallis cõstitutis subsidia ab antiquo suppeditãtes, paternũ Romanorũ morẽ Romani seruatis, quẽ beatus Soter uester episcopus non modò custodiuit, sed & auxit, cum & larga subsidia sanctorum usibus destinata subministrauit, & redeuntes fratres tanquam filios pater amanter complexus, salubribus doctrinis est adhortatus. in hac autem & epistolæ Clementis ad Corinthios scriptæ meminit, indicans eam ex ueteri more legi in ecclesia. Dicit igitur: Sanctã hodie Dominicam diem peregimus, in qua uestram legimus epistolam, quam semper admonitionis gratia legemus, sicut & priorem nobis per Clementem scriptam. Idem autem ipse de suis quoq; epistolis, tanquam deprauatis, sic scribit: Fratribus ut scriberẽ rogantibus, scripsi epistolas. Has etiam apostoli Diaboli zizanijs, alia eximentes, alia uerò adijcientes, repleuerunt, quibus condemnatio est reposita. Non est itaq; mirum, quod & Dominicas scripturas nõnulli sunt corrumpere conati, cum et eas quæ tales non sunt depraua re sint aggressi. Præter has, & alia quædam Dionysij epistola Chrysophoræ fidelissimæ sorori scripta circũfertur, in qua conuenientia scribens, etiam illi competentem spiritualem alimoniam impertit.

Non uidetur prætereundum, quòd Eusebius has epistolas catholicas uocet: fortè quia in ecclesijs piorũ solitæ sint legi, sicut Clementis. & adstipulatur illud, quòd de corruptione earum conqueritur. Tantum de hoc Dionysio.

DE BACCHYLO.

Bacchylus, siue Banchillus, ut ab Eusebio nominatur, episcopus fuit Corinthi in Hellade, circa decimum Commodi, uel Christi 192 annum. Magnam eius doctrinam atq; authoritatem fuisse, uel inde constat, quòd in synodo à pastoribus qui in Achaia erant celebrata, propter quæstionem paschatis, uniuersam ecclesiam Christi grauiter concutientem, in præcipua fuit authoritate, eum que conuentum maxima ex parte moderatus est. Deniq; eorum pastorum nomine elegantem de Paschate librum composuit. hæc in Eusebio libro 5. cap. 22 & 23, ac in Hieronymi Catalogo decentur.

DE ILLYRICIS DOctoribus.

QVIRINVS.

PRimùm Tribunus, postea episcopus factus, per id tempus apud Illyricum, id est, Sclauoniam, martyr Christi obijt. Supplementum Chronicorum Bergomensis, fol. 186, in Hadriano.

ELEVTHERIVS.

Romæ is ortus matre Anthia, quam magnus ille Paulus ad professionem Christianam perduxisse fertur. Illa uerò filium quoq; religionis eius hæredem fecit, & Aniceto Romano episcopo tradidit. à quo sacras literas edoctus, cleri numero inseritur, & quintodecimo ætatis anno diaconi gradum consequitur. Mox triennio pòst presbyter creatur: & deinde uiginti natus annos, Illyrici episcopus deligitur, uita priore signis miraculisq; edendis transacta: ubi quamplurimis ad Christum perductis, ab Hadriano accersitus, fidem Christi constantissimè defendit, &c. Nicephorus libro 3. cap. 29. Contradictionẽ habere inter se hæc uidentur. Nã si ab Hadriano accersitus, atq; sub eo passus Eleutherius est, iam episcopus factus: quomodo ab Aniceto pontifice, qui Marci Antonini Veri temporibus fuit, formari potuit, quousq; episcopatui administrando idoneus esset? Et magnam fuisse oportet tum Romanorum episcoporum humilitatem, si pueris pauperibus instituendis operam nauarunt. Bergomensis in Supplemento, Eleutherium habet episcopum Messanensem in Apulia, cuius matrem similiter dicit Anthiam fuisse, quæ unà cum episcopo filio sub Hadriano passa sit.

DE ROMANIS.

IVSTINVS.

CElebris fuit Iustinus martyr & philosophus, quemadmodum Eusebius indicat lib. 2. cap. 13. Patriam habuit Neapolin, Palæstinæ urbem: in qua patre Prisco Bachio, sicut ipse testatur, natus est. A quo, ut uidetur, ab ineunte ætate literis discendis traditus est:

est: in quibus progressu ætatis felicissimè uersatus, eximius tandem euasit philosophus. testes habet multos probatissimos & præstantissimos uiros, qui in disciplinis philosophicis, atq; omni gentilium eruditione, haud uulgariter excelluisse Iustinũ scripsere. Ipse uerò quo pacto rectæ cognitionis cupidissimus, prius acquiescere sibi non potuerit, quàm in omni genere philosophiæ magistris eruditis usus sit, scribit ad hunc modũ in initio colloquij cum Tryphone Iudæo, ubi sic incipit: Ego initio cupidus eius sodalitij, dedi me in disciplinam cuidam Stoico: & satis diu cum eo moratus, cum nihil in cognitiõe Dei proficerem (nam nec ipse norat, & negabat hanc disciplinã esse necessariã) hoc relicto ad alium transiui, professione Peripateticum, acutum uirum, ut sibi uidebatur. Hic passus me secum uersari aliquot dies, postea mercedem sibi statui poposcit, ne familiaritas nostra esset nobis inutilis. Quapropter & hunc reliqui, haud amplius habens pro philosopho. Cũ autem animus adhuc mihi gestiret audire aliquid eximium & philosophiæ proprium, accessi laudatum uirum Pythagoreum, magnæ sapientiæ sibi conscium: ac mox postquam cœpi agere cum eo de me recipiendo in ter auditores domesticos, Es ne uersatus, inquit, in Musica & Astronomia, Geometriaq;? an putas te perceptu rum quicquam ad felicitatem pertinens, nisi hæc prius discas, & animam à rebus sensibilibus ad intelligibiles traductam, reddas aptam uirtutis, ipsiusq; summi boni contemplationi? Cumq; multa dixisset in laudem harũ disciplinarũ, et quàm sint necessariæ, ablegauit me, fassum eas nescire. Grauiter id tuli, nec immeritò, spe frustratus tanto magis, quia putaram eum scire aliquid. Ac rursum pensitanti, quantum temporis insumendum esset his disciplinis, non libuit differre tamdiu. Tandem usum est consultius, accedere Platonicos, propter existimationem horum egregiam. Itaq; adiunxi me cuidã in hac secta eximio, qui tum recens in patriam meam uenerat: & apud hunc degens, proficiebam indies, placebatq; mihi admodum rerum incorporearum cogitatio, & idearum consideratio mihi reddebat intellectũ uolucrem, adeò ut breui mihi uiderer factus sapiens, stultè sperans, fore ut cõfestim Deum uideam: hic enim finis est philosophiæ Platonicæ. Hæc igitur studia coluisse se, adulta iam (ut uidetur) & firmiori ætate, atq; in patria quidem, de seipso Iustinus ita testatus est. Quemadmodum uerò & qua occasione Christianæ professioni nomen suum dederit, idem statim in eo loco subijcit. Nam quod Eusebius narrat lib. 4 cap. 8, ex Iustini apologia priori, motum nimirum eum, cum in confessione & supplicijs inuictam aspiceret Christiano rum fortitudinem & constantiam, ratiocinatũ esse, Impossibile esse eiusmodi genus hominũ, improbitati aut uoluptatibus (quorum neutrũ durum aliquid sustinere, nedum mortem subire potest) obnoxium esse: ante eius conuersionem euenisse omnino uidetur. nonnihil tamẽ causæ quasi impellentis attulisse, ut homo inquisitioni uerarum uirtutum et rectæ cognitioni natus, amare ex eo inceperit Christianam religionem. Nam & ipse idẽ testatur in fine primæ Apologiæ, ubi in uotis se inquit habuisse, & pro uiribus contendisse, ut Christianus euaderet: posteaquam cognouisset, malorũ hoc stu dium esse Geniorum, ut infantes Christiani redderentur, & iniurias & supplicia sustinere cogerentur. De occasione igitur ipsa, qua post hoc factum, interea dum constantiam & uirtutes Christianorum admiratus sit et cogitauerit, ad Christianismum peruenerit, hæc ipse affirmat in eodem, ex quo priora descripsimus, loco. Sic affecto collibuit aliquando, ut quiete satiarer, secedere in solitudinem, nullis tritam callibus, in rusculum quoddam maritimum. & quum propinquarem solus futurus, senex quidam aspectu non contemnendus, mansuetos mores uultu præseferens, sequebatur me interuallo modico: & quæ sequuntur. in quibus, ut edoctus admonitione & doctrina senis istius, philosophia abiecta Christianus effectus sit, commemorat. Cum enim longa disputatione senex monstrasset, nullam esse penes philosophos ueritatis cognitionem, neq; eos Deum scire, ut qui nec Spiritu sancto adiuuarentur: pluribus etiam de immortalitate animarũ, de præmijs bonorũ, malorumq; supplicijs disseruisset: Iustinus ueris rationibus conclusus, ultrò ei assensus est, atq; ex eo quæsiuit, qua nam uia ad eam de qua sibi dixisset ueram Dei cognitionem peruenire posset? Is uerò prophetas cum legere, & scrutari adiunctis precibus iussit. Verba Iustini hæc sunt: Quo igitur, inquam, præceptore posthac utendum est? Quis nos adiuuabit, si ne apud istos quidem est ueritas? Fuerunt (inquit ille) quondã ante multa secula uiri antiquiores istis omnib. qui habentur pro philosophis, beati, iusti, Deo cari, locuti diuino spiritu, qui prædixerunt quæ nunc uidemus fieri: prophetæ uocantur. hi soli ueritatem & sciuerunt, & prolocuti sunt hominibus, nec ueriti quenquam, nec reueriti: non decepti opinionibus, sed ea tantum effati, quæ audierunt, uiderunt; repleti sancto spiritu. Manent eorum scripta & hodie: ac licet lectori ex his utilitatem capere maximam, discẽti de principijs, fineq;, ac cæteris quæ oportet scire philosophum illis credulum. Nõ utuntur enim in differendo demonstrationibus: utpote ueritatis testes fide digniores, quàm ut his opus habeant. Cæterùm euentus præteriti, præsentesq;, cogunt nos fidem habere horum sermonibus. Quamuis etiam propter prodigia quæ patrarunt, digni fuere quibus crederetur: quoniam & Deũ celebrabant factorem patremq; omniũ, & Christum prænunciabant mittendum ab eo filium: quod pseudoprophetæ, impostore impuroq;, spiritu pleni, nec fecerunt, nec faciunt, tantum obstupefaciendis hominibus audent prodigiosa quædam, & illusores spiritus geniosq; celebrant. Tu uerò ante omnia precare, ut tibi aperiatur lucis ianua. non sunt enim hæc cuiuis perspicua, sed solis quibus intellectum dat Deus, & Christus ipsius. Hæc & alia plura, quæ nunc non est tempestiuũ memorare, locutus ille, abijt, hortatus me prius ut ea sequerer, nec eum uidi postea. Mihi continuò quidã ignis accensus est in animo, correpto prophetarum amore, et illorũ quicunq; Christo chari sunt. Et cũ mecũ sermones hos reuoluerem, hanc solam philosophiã compertam tutam & utilem: atq; ita euasi philosophus. Significat autem, se ita tandẽ peruenisse ad cognitionẽ ueræ philosophiæ: hoc est, factum Christianum. Vbi tamen eius conuersionis symbolum acceperit, & salutari aqua Baptismi ablutus sit, nusquam legitur: quemadmodum neq; hoc, qua occasione ex patria Romã profectus sit, ubi professorem literarum egisse ex Hieronymo appa-

mo apparet, qui eũ Romæ διατριβάς habuisse scripsit. Quos tamen, uel quid docuerit, de eo nihil extat: nisi hoc, q; cum Crescente philosopho Cynico disputauit, eũq; redarguit, propterea q; tũ imperitus esset, nec se probare philosophũ posset, tum q; iniurijs et delationibus multis Christianos perpetuò infectabatur. Verum enim omnino est, Iustinũ ex eo tẽpore, quo Christo nomen suum dedit, religionis Christianæ ac disciplinæ acerrimum defensorem extitisse, ac certamina multa in genti animo suscepisse, à quibus nec minis ullis, nec morte deniq; ipsa deterreri potuit, ut à calũnijs & blasphemijs professionẽ Christianã uindicaret, simulq; ei plures adiungeret. Testimonio sunt grauissimæ disputationes contra Ethnicos seu philosophos, in quos, q; religionis Christianæ nõ solũ hostes essent, uerumetiam alios suo exemplo in cõtraria abducerent, acerrimũ se præbuit. Testatur & lõgissimus ille sermo, quẽ cũ Tryphone quodã Ephesi se habuisse scribit, et cõfutationes hæreticorum, quæ sine dubio ualidissmæ fuerunt, nec sine calamitate Ecclesiæ interierũt. Testatur deniq; periculosissimum illud certamẽ, quod aduersus persecutores Christianorũ magno animi robore suscepit: ut Imperatores ipsos, eorũq; præfectos, et senatũ Romanũ. Quis enim nõ credat q̃ omnino fuerit difficile, sine periculo tã liberè cõtra eos declamitare, q; summũ obtinebãt imperium, atq; aliàs in Christianos, quietos etiã, & tantũ quæ suæ religionis essent curantes, opprimendos & delendos procliues animos gerebant? At uide quanta utatur libertate ad senatũ Romanũ, in Apologia prima, dũ se hac necessitate coactũ esse, ut cũ illis agat, exponit: quia in persecutione Christianorum ipsi negligant suũ officiũ, & peccẽt. ideoq; monitore opus habeãt. Deinde uerò Vrbicũ præfectũ petens, ait cum homines afficere supplicijs & morte, tantũ ob nominis Christiani cõfessionẽ: quæ uerò iudicia & sentẽtiæ nec Imperatorem, uel eius filiũ, nec senatum decere. Quemadmodum & in Apologia secunda ad Antoninũ Piũ, eiusq; successores, quam cõcitato et uehemẽti spiritu scriptã, rerũ et argumentorũ in ea grauitas declarat, liberrimè dicit: Vos ab omnib. auditis, Pij, Philosophi, custodes iusticiæ, amatores eruditionis. An aũt sitis, declarabitis. Nõ enim adulationis causa uos cõpellamus his literis, nec largimur quicq̃ uestris auribus: sed ut seriã & accuratã iudicandi rationẽ exposcamus, accessimus uos, &c. Principes decet, inter iudicandũ pietatẽ sequi, ac philosophiã, nõ tyrannidẽ ac uiolentiã. Deinde apertè tã Imperatorẽ q̃ Senatũ insimulat iniusticiæ, q; Christianis nõ idẽ cõcedant ius, quod est alijs sceleratis: sed morti adiudicent nõ cõuictos, solo nominis odio. Accusatos, inquit, pro tribunali, priusquã cõuincantur non damnatis: in nobis uerò nomẽ arripitis pro crimine, cũ in accusatores potius nostros animaduertere deberetis. Itẽ: Si quis accusatus Christianus, talẽ se esse inficietur, absolutis, cũ nullã culpã posßitis in eo coarguere: quod si fatentur, ob ipsam confessionẽ plectitis. Atqui præstaret tũ fatẽtis tũ negãtis uitã inquisitione excutere, & uniuscuiusq; factis de ipso credere, &c. Et iterũ: Non examinatis causas, sed affectu temerario, flagelloq; furiarum perciti, occiditis indẽnatos, absq; ullo respectu usticiæ. Itẽ: Dicet aliquis, deprehẽsos aliquot in maleficijs: quasi uerò soleatis in delatos inquirere, ac non pleroscq; inauditos ob iam dictã causam damnaueritis. Est in fine eius Apologiæ & illa reprehensio: Degeneratis in pietate à uestris maioribus, quorũ exẽplum non imitamini. pater enim uester illustrissimus Hadrianus edicto cauit, ne ad tribunalia accusati Christiani dãnarentur, nisi certorũ criminũ rei cõuicti. Deniq; tota illa uehemẽs & grauis oratio, rationib. earũ rerum de quibus loquitur, & defensionib. firmissimis nititur: cuiusmodi illæ sunt, quibus Christianos negat pro Imperatoris & senatus uoluntate idolis sacrificare per pietatẽ & conscientiã posse: itaq; ob eam rem dãnatos iniustã uim pati. tũ quib. probat, uerã solã esse religionẽ Christianorum, quorũ et mores nihil habeãt uitij. His omnibus etsi tantũ nõ profecit Iustinus, ut Imperator religionem suam abijceret, & Christianus efficeretur (id enim nõ scribitur) illud certè obtinuit, ut ad Asianos epistolã pro Christianis Antoninus scriberet, imperans ut Christiani illi solũ, qui maleficij cõuincerentur, pœnas luerẽt: nõ conuicti aũt, nõ punirentur hoc nomine, quòd Christiani appellarẽtur. Hinc igitur clarum est, quo studio & fide dimicauerit aduersus persecutores, qui occidere saltẽ (ut ipse ait) posßũt, lædere nõ itẽ. Quod si ijs, ut uidemus, tã acerbũ se præbuit: qua putabimus eum cõtentione egisse, quibus armis contra hæreticos, qui non occidunt, sed animam lædunt ad interitum usq;?

Cum Ethnicos pariter ac Iudæos cõmuni & coniuncto uideret studio hoc unũ agere, ut cõuicijs & blasphemijs infamẽ et despectã Christianã religionẽ redderẽt: illi uerò qui rerum summa potirẽtur, persecutiones in Christianos iniustas paßim exerceri nõ prohiberẽt: adductus hac causa Iustinus, cũ utrisq; agere scriptis instituit. Libros igitur edidit, in quorum alijs hostes Christiani nominis, gentes scilicet ac Iudæos, refellit & coarguit: in alijs Christianos, eorũq; religionem apud magistratus persecutores defendit. Ac prioris quidem generis est,

Colloquiũ cũ Tryphone, Marco Põpeio nuncupatum: In quo Iudæos ut incredulos, cõtumaciter blasphemos in Christũ et Christianos, infideles, fures, et corruptelarum scripturæ autores coarguit, & ex Scripturæ fundamentis firmissimè probat, Messiã uerum et unicũ esse Christum.

Apologia prima scripta pro Christianis ad senatum Romanum: in qua defendit Christianos, & purgat de criminibus falso ab Ethnicis in eos conflictis.

Apologia secunda ad Antoninũ Pium, eiusq; successores, senatũ itẽ & uniuersum populũ Romanum. Sic enim eius habet inscriptio: in qua probat, Christianos iniustis supplicijs affici: quia accusati tantũ, nõ aũt flagitij alicuius cõuicti puniãtur: et Christianã religionem ut ueram defendit.

Oratio parænetica ad gentes: in qua ex poetis et philosophis probat, antiquissimã esse religionẽ de uno Deo.

Liber de Monarchia: qui diuersus uidetur esse ab eo quẽ Monarchia Dei Iustinus inscripsit, cuiusq; meminerunt Euseb. Suidas et Photius, sed q nõ extat. Aliũ enim eũ fuisse, declarat Euseb. qui lib. 4. cap. 18, Iustinũ ait librum de Monarchia Dei nõ modò à nostris, id est, diuinis, sed & gentiliũ scripturis cõposuisse. Iam uerò Iustinus in hoc libello ethnicorũ tantũ scriptis testimonijsq; usus est, non nostrorum: quemadmodũ & ipse in initio

eius

eius libri testatur, se ex poetis antiquis Græcorum testimonia sumpsisse.

Expositio fidei de recta cõfessione, siue de sancta et coessentiali trinitate. Eum librũ Hieronymus in enumeratione librorũ Iustini nõ habet: & uerum est, expeditiorem esse sermonis cursum, quo cõstat, párere posse nonnihil dubitationis, an sit genuinus Iustini liber.

Epistola ad Zenã et Serenum: quæ cõplectitur omnem uitã hominis Christiani, quem per officia instruit. Atqui hi ferè putãtur esse germani Iustini libri. Nã eorum qui sequuntur, aliqui manifestas ipsi notas præsefe runt, ex quibus suppositi deprehẽduntur, sicut ostendemus. Deinde nec ab Eusebio, nec Hieronymo, inter Iustini libros recensentur. Sunt aũt hi:

Quæstiones à Christianis propositæ gentibus, & gentium ad eas responsiones, earumq; confutationes.

Quæstiones gentiũ propositæ Christianis, de incorporeo, & de Deo, deq; mortuorum resurrectione.

Explicationes siue responsiones ad orthodoxos, de quibusdam necessarijs quæstionibus.

Refutationes dogmatũ quorundã Aristotelicorum: quem librũ tamẽ utilẽ, in uita Iustini Photius uocat, in eoq; magnã uim ac copiã argumentorũ inesse affirmat. Nõ aũt esse Iustini librum de quæstionib. Christianis ad gentes, satis hoc probat, q, in prima statim responsione mẽtio fit Manichæorũ, q amplius toto seculo Iustini ætatem secuti sunt. Responsiones uerò ad Orthodoxos, plurimis indicijs argui possunt non esse Iustini. Primùm enim in quæstione 105 expresso autoris nomine mẽtio fit sermonis de paschate Irenæi, qui sub Cõmodo demũ innotuit. Inuenias etiam nõnulla, quæ cũ ijs quæ in libris Iustini sunt, pugnãt. In dialogo enim cum Tryphone, Iustinus errãs dicit, animã Samuelis excitã per uentriloquã, uerã et ipsam fuisse Samuelis animã. Contrà autor Responsionum, quæstione 52 sentit, q, quæ à uẽtriloqua facta sunt, opera dæmonis facta sint, qui sic præstrinxerit spectantiũ oculos, ut sibi uiderentur Samuelem uidere, qui nõ erat. Cum baptismi ritus suo seculo receptos Iustinus exactè describat in fine Apologiæ secundæ, eiusq; sæpe mentionem faciat: nusquã tamen meminit unctionis olei aut unguenti, quam in Baptismo adhiberi solitam, autor Responsionum ait quæstione 137. Quæstione 21 idem autor expresse meminit monachorũ cõiugales uoluptates auersantium, & pollutionum. Sicut et de solitarijs nõ eligentib. præsentium possessionẽ, ait quæstione 19: quarũ rerũ ne nomina tum quidem nota erant. In quæstione 14, non ad sententiam modò, sed etiam phrasin Cypriani alluſit: falsum uanumq; est baptisma, quod ab hæreticis conferetur. ubi & Cornelij sententiam recitat: Orthodoxi hæreticum, qui ad rectã opinionẽ confugit, nõ baptisant. Argumentum longè certissimum est, hunc librum non esse Iustini, q, in quæstione 82 et 86 allegatur Origenes. Et in quæstione 127 citantur Manichæi, & eorum duo principia. Alios multos libros Iustini Eusebius, et post eum Hieronymus, Photius atq; Suidas numerant, qui ad nos non peruenerunt. Sunt autem:

Elenchus: quem librum Euseb. et Photius, quartum eorum quos in gentes scripsit, nominant. Alius item, in quo de natura dæmonum disputauit, quem aduersus gentes quoq; scriptũ esse Euseb. testatur. Alius rursus De Monarchia Dei, qui non uidetur is esse qui extat, ut suprà ostendimus. Alij itẽ qui inscripti fuerũt:

Psaltes.

De anima, &

Liber contra omnes hæreses: quem à se scriptum esse, in Apologia secunda ipse affirmat.

Libri numero incerti aduersus Marcionem, quos Irenæus citauit libro quinto, & legit Tertullianus: qui in libro contra Valentinianos, Iustinum inter confutatores hæresiarcharum numerat. Adducit quædam ex illis Irenæus de Marcione, ut Euseb. refert lib. 4 cap. 11, in hunc modum: Marcion quidam Ponticus, etiamnũ obtẽperantes sibi docet, alium quendã nominare Deũ, qui minor sit opifice: qui et per quæuis hominũ genera ope dæmonum adiutus, multis persuasit blasphema dicere, & factorem omnium negare patrem esse Christi: sed alium quendam confiteri, ut qui illo sit maior: Et quotquot ab illo descendunt, Christiani, sicut dixi, uocantur: quemadmodum & philosophis, tametsi nõ habeant cõmunia dogmata, cõmune tamẽ est philosophiæ nomen, quo uocantur. Et libro eodẽ cap. 18, hoc scribere Irenæum ait: Rectè Iustinus in uolumine suo aduersus Marcionem dicit: Neq; ipsi Domino crederem, si alium Deum præter opificem annunciasset.

Commentarius in Genesin: quem eum scripsisse Hieronymus testis est.

Epistola ad Papam, cuius Iustinus ipse meminit in principio epistolæ ad Zenam & Serenum.

Vsus est dicẽdi genere uehemẽti, & digno eo qui res agit serias: id qd' ex dialogo quẽ cũ Tryphone Ephesi habuit, & Apologia 2 maximè perspicitur. propius tamen ad philosophorum, quàm oratorum stylum, eius oratio accedit. Quamobrem & obscurior interdũ est. De hac Photius sic inquit: Dicendi artibus ei studium non fuit, insitam sibi philosophiæ pulchritudinem quasi inficere. Itaq; eius sermo & oratio, quæ alio genere ualet, uimq; scientiæ & artis retinet, non redolet rhetorum oratorumq; suauitatem, nec illecebris oblectationeq; multos auditores allicit.

In colloquio cũ Tryphone ipse affirmat, se profiteri doctrinam propheticam & Apostolicam: & in Apologia secunda aliquoties repetit, tradere se eam doctrinam quam ab Apostolis acceperit. Sicut autem suprà diximus, colligi hoc ex libris eius, acerrimũ eum fuisse religionis Christianæ, contra omnis generis eius hostes, defensorem: ita articulũ, qui in religione Christiana summus est, & à quo cæteri omnes dependent, de Deo uidelicet, rectè ubiq; tradidit & illustrauit: non ignarus, hoc quasi capite doctrinæ concusso & labefactato, ruinam facilè induci posse reliquis omnibus partibus: quod unum diabolus omnium penè hæreticorum studijs molitus est. Iustinus igitur etiam peculiarem librum de Trinitate edidit, in quo simplicissimè doctrinam eam tradidit, & clarissimis testimonijs & exemplis illustrauit. De Christi uerò diuinitate & humanitate, & in hoc libro, & in alijs admodum perspicuè docuit. Rectè etiam de alijs partibus sensit & docuit, ut de creatione, de peccato originis, de uero usu sacramentorum, de lege quòd per eam nemo iustificetur, &c. Quæ singula quoniam magna ex parte suprà à nobis exposita sunt, non est necesse hic repetere.

Illud saltem addendum uidetur, quòd in initio epistolæ ad Zenam & Serenum scribit, se disseruisse contra disciplinã quandam inutilem, petitam è traditionibus hominũ cum pharisæis uita cõscientiáq; consentientium, in epistola ad Papam. Siue igitur sic episcopũ aliquem Romanũ uocet, quod incertum est: siue aliũ hoc nomine, satis tamen ostendit se contra traditiones hominum pugnasse. Si enim tãto spiritu ausus fuit opponere se Imperatorib. & Senatui, eorumq; iniusta in Christianos facta tanta cũ libertate publicis scriptis damnare: quid mirũ est, si etiam Romanis episcopis nõ pepercit, præsertim si tam tetricos cultus & superstitiones, quales in historijs eorũ de ijs feruntur, in ecclesiã inuehere conati sunt: quos ferre Iustinũ potuisse, & silentio præterire, impossibile tibi uidebitur, si spiritum eius, si animum inspicias, alienissimũ ab omnib. quæ maculã saltẽ aliquam sinceræ religioni aspergere uideãtur. Sed utut sit, reprehensionis illud certè satis est, quòd cũ ritus ecclesiæ sui temporis prolixè describat, neq; Missæ meminerit, neq; quicquã earũ cæremoniarum aut obseruationum, quæ magno cumulo in Decretis pontificũ, eorum etiam sub quibus Romæ uixit, continentur.

Quæ næui speciẽ & erroris in Iustino habeãt, cum à nobis exposita sint, hic breuiter attingemus: ut quæ sparsa sunt, ordine & ratione operis ita exigente, hic cõiuncta & simul explicata, magis obuia sint. Primũ, fuisse se in errore Chiliastarũ, somniantiũ restitutionem amissæ felicitatis in hac uita, per mille annos, ante rerũ consummationẽ, ipse declarat in colloquio cũ Tryphone. Secundũ, pag. 150 asserit, Platonis doctrinã à Christi præceptis non esse alienã. Forsan ideo, quia non est contraria Decalogo. De Christo enim quid Plato sciuerit? Tertiũ, Iudaicus & crassus error est, extructus ex dicto Genes. 6, malè intellecto: Videntes filij hominũ, &c. q. sensit, formã mulierũ occasionẽ præbuisse lapsui quorundam angelorũ, Apologia 1 & 2. Quartũ, uidetur inclinare ad monogamiã, cum sic inquit Apologia 2: Etiã qui humano iure duas uxores ducunt, peccatores sunt, iudice præceptore nostro. Quintũ: Nec uidetur cõmodè hoc dixisse, quòd quæcunq; de Christo nato, passo, operato, &c. Christianorũ doctrina habeat, cum philosophis et poetis cõmunia sint: quemadmodũ singula inter se cõfert, & obiter dicit Christianos cum Græcis consentire, Apologia 2. In eadem certè Apologia paulo pòst poetas reprehendit, q. prædictiones propheticas de Christo, ad sua figmẽta detorserint: quorũ exempla aliquot recenset. Sextũ: Libertatẽ humanæ uoluntatis adstruere uidetur Apologia 2, & autor Responsionũ quæst. 8. Septimum. Atq; hoc uiolenter dicit, Qui cũ ratione uixerunt, Christiani sunt, etiamsi nõ nouisse Deum existimati sint: quales apud Græcos Socrates, Heraclitus, alijq; similes. ibidem pag. 172. Similes næuos & incommodè dicta etiã in autore Responsionũ inuenias: ut quòd quæstione 32 dicit, Deum initiò hominis naturã condidisse mortalẽ. item, Legem esse possibilem, in responsione ad quæst. 103. ubi inquit, Diligere Deum plus quàm seipsum, & proximũ ut seipsum, nõ est impossibile hominibus uolentibus. Et quòd in responsione ad quæstionẽ octauam, cõcupiscentiam negat esse peccatum. Tum quòd in responsione quæstionis 56, baptisatos ait bonis baptismi affici propter fidem eorum qui eos ad baptisma adferunt.

Mortis causam Iustinus eam deniq;, quam sibi animũ suũ præsagire professus est, quẽadmodũ ex Apologia 1 apparet, expertus est. Cum enim Crescentem quendam professione Cynicum, non in disputatione solum, ob inscitiam earũ rerum quas scire philosophum decet, sed ob turpes etiam mores acerbius insectatus esset, atq; apud Senatum Rom. eius uitã & mores publicè culpasset, ac in disputando imperitiã eius accusasset, odiũ eius in se insatiabile & insidias cõcitauit, adeò ut ex eo die nunquã Crescentis animus cõquiescere potuerit, quàm eius morte & sanguine satiaretur: sicut Tatianus, Iustini discipulus, in libro quem aduersus gentes scripsit, testatur. Crescẽtis igitur inquietis insidijs & delationibus, ad mortẽ tandẽ, Christianismi accusatus, raptus est: quam cum dignitate, & lætus, ut Photius ait, pro Christo pertulit. Verba de Crescẽte ex Apologia 1 hæc sunt: Et ego expecto, ut à quopiam ex istis per insidias bacculo percutiar, uel ab hoc Crescẽte iactatore philosopho. Philosophũ enim appellare non dignor, hominẽ qui de nobis quæ nescit publicè prædicat, esse Christianos hostes numinis, & impios, ad gratiã & uoluptatẽ decepti uulgi garriẽs. Nã si nõ lecta Christi doctrina in nos inuehitur, modis omnib. malus est, et idiotis multo deterior, qui sæpe cauent ne de rebus ignotis falsa loquantur: siue nactus eius excellentiã, & intelligens, ad uitandã suspicionem dissimulat, tãto ignauior est atq; scelestior, qui timori cedat, & imperiti uulgi rumusculis. Volo enim sciatis, me cum eo cõgressum in hoc quæstionũ genere, expertũ esse & coarguisse hominis ignorantiam. Id ut persuasum uobis sit, nõ dubitarẽ in eandẽ disputationẽ cũ eo descendere, ni putarem ad uos peruenisse nostrũ colloquiũ, nec infra maiestatẽ uestram esset hæc cognitio. Quòd si notæ sunt uobis illius reprehensiones meis scisscitationib. redditæ, compertũ tenetis, eũ nihil scire.

Martyr aũt obijt Iustinus sub Marco Antonino Vero, cũ paulo antè martyrio suo Polycarpus in Asia functus esset: quemadmodũ Eusebius indicat li. 4. cap. 16. Nam quod Epiphanius libro contra hæreses 1, tomo 3, in hæresi Tatianorum ait, Iustinũ martyriũ subijsse sub Rustico præside, & Hadriano rege, cũ annorũ quidem esset triginta, in cõsistente ac matura ætate: omnino nõ potest conciliari cum Eusebio, Hieronymo, Suida, et alijs pleriscq;, qui narrationis de eo occasionem eam accipiunt, q. Apologiã Antonino Pio exhibuerit. Vtrũ aũt etiam ante eum Imperatorem Romæ fuerit, de eo certi nihil legitur: nisi quòd uerisimile est, cum aliquandiu antè etiam Romæ uersatũ, quid de Christianis fieret, fieriq; permitteretur, uidisse. Magis enim persecutione sub Hadriano motũ eum Apologias scripsisse, quàm Antonino Pio, sub quo remissior erat, uidetur. Sed potius natur sanè eius initium sub auspiciũ imperij Antonini Pij: erit nihilominus honestũ eius curriculũ, in eiusmodi ecclesiæ tristi & turbulento statu, ut nihil usquã tuti Christianis esset, sed persecutionib. omnia arderent, ab Antonino Pio usq; ad Antoninũ Verũ, nimirũ 30 annorum: si eodẽ tempore, quo Polycarpus passus est, quẽ Eusebius in Chronicis ostendit anno septimo Antonini Veri martyrium fecisse. Atq; ita minus conuenit, quòd eum trigesimo ætatis suæ Epiphanius martyrio discessisse prodidit.

BVARI-

EVARISTVS.

Euaristus natus est in Græcia, ex patre Iudæo, cui Iudæ nomen fuit: quemadmodum Damasus & alij testantur. Is qua occasione Romam ex Græcia uenerit, non legitur: ut nec illud ferè, qua ratione episcopatum adeptus sit: nisi quòd Eusebius & recentiores aliquot eos secuti testantur, traditum ei esse Romanũ sacerdotium à Clemente. Hæc enim Eusebij uerba sunt libro 3, cap. 34: Ex Romanis episcopis Clemens Euaristo ministerium tradidit. Quæ sententia cum alijs plerisq; ex diametro pugnat, qui Euaristum non Clementis, sed Anacleti successorem faciunt: ut Damasus, Platina, & recentiores ac uulgatiores omnes. Sed cum reclament uetustiores, Irenæus & Eusebius, dubitari potest, utrum Anacletus Euaristum præcesserit, an Clemens. Irenæus enim sic ait libro 3, capite 3: Fundantes & instruentes beati Apostoli (Petrus & Paulus) ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheũ epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui & uidit ipsos Apostolos. Et aliquanto pòst: Huic aũt Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus: & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè martyriũ fecit: ac deinceps Higynus, pòst Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Successit autem Euaristus Clementi, anno Traiani tertio, ut Eusebius lib. 3, capite 24 ait: sed à quo numero in Chronico uariat, ubi secundum annũ Traiani successioni Euaristi tribuit. Nicephorus uerò libro 3, cap. 25, in quartũ Traiani annum eius episcopatus initium uidetur reijcere: quod tamen euertitur, si nouem anni, quod plerique faciunt, gubernationi Euaristi adsignentur. Quæ cuiusmodi fuerit, quid effecerit aut profuerit ecclesiæ, ignoratur: perpauca enim de rebus gestis pontificum Romanorum literis prodita inueniuntur, ideo fortassis, quia non in magna admodum fuerũt autoritate: ac Deus per alios potius, alibi res salutares effici, quàm per ipsos uoluit. Tribuuntur quidem omnibus epistolæ, quas de gubernatione & doctrina eorum testificari meritò conueniebat: sed quæ prætoriæ magis sunt, & in legibus ferendis totæ consumuntur: dogmata uerò, quæ præcipua gubernationis pars sunt, aut rara, aut non necessaria continent. Adscribuntur Euaristo duæ epistolæ, una ad Africanos, altera ad Aegyptios. De ordinationibus eius Damasus, quem alij plerique sequũtur, hæc refert: Fecit ordinationes tres per mensem Decembrẽ, ac presbyteros sex, diaconos duos, episcopos per diuersa loca quinq;: post quod martyrio functus dicitur, anno Traiani ultimo, ut Nauclerus generatione quarta, folio 22 affirmat. Sed melius sentire Platina eos scribit, qui hoc ei euenisse censeant sub Hadriano Christianis nondum placato. In quam sententiam Fasciculi temporũ, tertio eum Hadriani anno passum memorant. Et Volaterranus scribit, eum ad initiũ Hadriani peruenisse, Anthropolog. libro uigesimosecundo, folio 225.

Quod ad martyrium attinet, cuius & Damasus, Platina & alij meminerunt, primùm de eo apud uetustiores nihil legitur: quos ueri simile non est tam fuisse oscitantes, ut temerè præterirent. Deinde occasiones martyrum, quæ plerisq; primis episcopis Romanis tribuuntur, præter persecutiones aliæ nullæ leguntur: sicut nec hoc, qua constantia, quibus moribus inter cruciatus fuerint, & quid pro summorum pastorum officio alios monuerint. Ideo in dubium ferè hæc, quæ de martyrijs eorum prodita sunt, uocantur. De annis denique & mensibus, quibus Romanæ sedi præfuerit, diuersissimæ sunt scriptorum indicationes. Sed probatiorum sententias primùm recitabimus.

Eusebius simpliciter ait, præsedisse eum annis nouem: quam sententiam plerique sequuntur, ut Damasus, Gratianus, Platina, Nauclerus, Otto Frisingensis: nisi quòd adijciunt menses decem, & biduum. Nicephori historia, Volaterrani, & Abbatis Vrspergensis, octo ei annos tribuunt, cum mensibus decem. Chronicon uerò Martini, & alia quædam Chronica incertorũ autorum manuscripta, decem: Hermannus denique, & Chronicon maius Germanicum, undecim.

ALEXANDER I.

Romanus fuisse scribitur, patre natus Alexandro, è regione quæ tum caput Tauri dicta fuit, quemadmodum Damasus & Platina indicant. Sicut autem ordinis in successione uarietas est, ita & in tẽpore quo præfuit, tanta quidem, quanta sine magno negocio explicari uix potest. Sunt enim, qui quartum eum à Petro episcopum fuisse scribant, inter quos Marianus Scotus est: cum antiquiores & probatiorès authores quintum eum à Petro, rectè numerent. Legas & sextum eum à Petro, & septimum dici. Tempus porrò quo fuerit, & quo discesserit, tam intricatè & ambiguè à scriptoribus indicatur, ut nisi confusam esse historiam Euaristi & Alexandri suspicemur, certi aliquid ostendi non possit. Damasus eum temporibus Traiani fuisse palàm affirmat: quod ita uerum esse posset, si intelligeremus, ultimo eum Traiani anno, sicut Nauclerus ait, Euaristo successisse. Sed quid de illorum sententia dicemus, qui etiam passum cum sub Traiano affirmant, & quidem non contemnendi autores: ut Beda, & Marianus Scotus? Vnus est inter recentiores, Otto Frisingensis, qui anno quarto Hadriani Alexandrum decessisse ait: sed hoc non conuenit cum annis, quibus scribitur præfuisse, si Naucleri & Volaterrani sententiam sequaris. De Platina mirum est, quòd cum in Euaristo, eorum sententiam qui Euaristum ultimo Traiani anno passum affirmarent, correxisset, idq; factum sub Hadriano probabilius esse censendum iudicasset: tamen post quatuor uersus sibijpsi prorsus contrarius, de Alexandro inquit, ad tempora cum Hadriani peruenisse: manifestè sentiens, fuisse Alexandrum sub Traiano, ita ut Hadriani tempora attigerit. Vides igitur utriusq; & Euaristi & Alexandri tempus confusissimè traditũ esse: quum tamen Eusebius simplicissimè explicet, dum tertio anno Traiani Euaristum gubernationem ecclesiæ Romanæ à Clemente accepisse narrat, libro tertio, capite trigesimoquarto. ac postea annos octo eum compleuisse, seu (ut in Chronico) annis nouem præsedisse addit. Successisse uerò ei Alexandrũ, anno Traiani Cæsaris duodecimo: libro quarto, cap. 1. qui tertio deinceps

ceps Hadriani anno deceßerit. Sic enim ait libro 5,cap. 4: Tertio eiusdem (scilicet Hadriani) principatus anno Alexander episcopus Romanæ urbis sacerdotium simul ac uitam finiuit, decennio expleto. tot enim anni sunt ab anno Traiani duodecimo, usq; ad tertium Hadriani. Hæc ratio simplex ac perspicua est, quam mirũ est, ab illis qui diuersam prodiderunt, fuisse neglectam. Sed nunc ad historiam Alexandri reuertimur. Tribuuntur ei in primo tomo Conciliorum, tres epistolæ, sed quæ mera decreta & constitutiones continent, de quibus suprà dictum est. Narrantur de eo & res quædam, & uirtutes uerè episcopales, si ueræ essent: nimirum quòd, cum morũ grauitate ac uitæ sanctitate conspicuus esset, bonam senatus Romani partem ad fidem conuerterit. Deinde, Hermetem urbis præfectum cum tota domo, hominibus scilicet mille & ducentis: autho res sunt Hermannus, Iacob. Philip. & quædam Chronica manuscripta. Sunt qui & miracula ei tribuant: ut Bergomensis idem libro 8, & autor Supplementi Chronicorũ. Quirini enim tribuni tota familia cõuersa, filiã Balbinam sanauit. Et Hermetis filium mortuum ad uitam reuocauit, ancillæq; eius cæcæ uisum restituit. Recitat idem etiam Hermannus. De ordinationibus eius, Damasus sic inquit: Fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros sex, diaconos duos (secundum Platinam tres) episcopos per diuersa loca quinq;. post quas tandem Aureliani præfecti mandato, unà cũ Euantio & Theodulo diaconis suis, ac Hermete, in carcerem coniectus scribitur. in quo primum hoc miraculi exemplum accidit, ut diuersis inclusi carcerib. Alexander & Hermes, in eundem tandem conuenerint, ducto ab angelo per fores & seras triplicatas ad Hermetem Alexandro: narrant Hermannus & Henricus Erfordensis. Deinde uerò fortitudinis exemplum memorabile Alexander præbuit. Cum enim ungulis ferreis & igne ureretur, tacuit. Interrogatus uerò ab Aureliano, Ecquid taceat? respondit, habere se quod cum Deo loqueretur: (orare se significans) quamobrem cum hominibus loqui sibi modò non licere. autores sunt Honorius & Nauclerus genecratione quinta, fol. 22. Ita igitur diuersis, Alexander & qui cũ eo uincti tenebantur, cruciatibus affecti, martyres tandem effecti sunt, quinto nonas Maij: ut uulgata Chronica habent omnia, & Platina. Eusebius simpliciter dicit, quemadmodum suprà ostendimus, defunctum eum esse & uita & episcopatu anno Hadriani tertio, posteaquam ecclesiæ decennio præfuisset.

SIXTVS, uel XISTVS.

Alexandro Sixtus surrogatus est, cum annum imperij sui tertiũ Hadrianus ageret, ut Eusebius monet: nec uariari ab illis quicquam legimus, nisi quòd unus Haloander anno uno ante principatum Hadriani, ad episcopatum Sixtum peruenisse scripsit. Romanum fuisse, patre pastore, ut alij uolunt, inquit Platina, Heluidio, qui fuerit de regione Via lata (Chronicon Martini habet Via Latina) cum Damaso omnes ferè sentiunt. In Gallias, doctoribus, propter persecutiones continuas, exutas & spoliatas, Peregrinum episcopũ (Platina habet ciuem) misit: ut ad fidem, quæ ibi extincta ferè erat, Gallos reuocaret. Quod ubi Peregrinus effecisset, domum regrediens, martyrium fecit. Hoc scribunt Martinus, Bergomensis, Platina, Albertus Crantzius. Tribuuntur ei à recentioribus duæ epistolæ, quas Eusebius, Damasus, Hieronymus, & alij uetusti autores prorsus ignorant. Sixtus uerò, posteaquam ordinationes ter in Decembri habuisset, creasset q; presbyteros undecim, diaconos tres, ut Damasus ait: undecim uerò, ut Platina: & episcopos per diuersa loca quatuor, persecutiõe sæuiente ad martyriũ abreptus scribitur. cum Eusebius simpliciter dicat, anno 12 Hadriani functũ eum esse ecclesiæ gubernatione, posteaquã eam annis decem sustinuisset. cui Damasus & pleriq; alij cõsentiunt, qui mentes saltem addunt tres, & dies 21: Vrspergensis annos ei nouem tribuit.

TELESPHORVS.

Telesphorum Græcũ fuisse, scriptores tradunt: & patrem eius anachoritam dicunt. Eusebius eum duodecimo anno Hadriani, Sixto succeßisse scribit: à quo nõnihil uariare uidetur, quòd Damasus eum temporibus Antonini & Marci fuisse indicat: cũ tamen anno 1 Antonini Pij deceßisse eũ, Eusebius testetur lib. 4. cap. 10, maiori episcopatus sui spacio sub Hadriano exacto. Epistola ei in libro Conciliorum una attribuitur, scripta ad omnes uniuersaliter: quæ nihil doctrinæ continet, sed clericis primùm mandat, ut septem ante paschæ hebdomadibus à carne ieiunent: cum contrà scriptum sit, Nemo uos iudicet in cibo & potu. Deinde missas cũmulat, & ritũ earũ auget, atq; ad tẽpus alligat: cũ neq; propter numerũ, neq; ceremonias, neq; tẽpus cœna Domini sit instituta. Clericorũ itẽ dignitatẽ & sanctitatẽ nimium effert supra plebeiam: quasi non sit scriptum, Omnes uos unus estis in Christo Iesu. Ita nec argui uult à populo sacerdotes, nec accusari: eamq; legem firmissimum uocat sui ordinis murum, constitutum à se & patribus contra persecutores. Ordinationes ei quatuor tribuunt Damasus & Platina, quibus ordinarit presbyteros tredecim, diaconos octo, & episcopos per diuersa loca 13. Post eas uitã suam martyrio finiisse, etiã Irenæi testimonio scribitur: quod indicauit Euseb. li. 4 cap. 10, cum ecclesiæ præfuisset annis 11, ut testatur Eusebius idẽ. Damasus, Platina, alijq; pleriq; addunt mentes tres, dies uiginti & unum. Quæ ratio esse potest, quamobrem Crantzius in annum duodecimũ præfuisse eum scripserit.

HIGYNVS.

Higynus Græcus fuit, Athenienſis patria, philosophi filius, quemadmodum Damasus, & alij prodiderunt, sed genus eius se inuenisse negant. Telesphoro successit anno primo Antonini Pij, iuxta Eusebium lib. 4 cap. 10, anno Christi (secundum eundem) 142: quo tempore Romam uenisse scribuntur Valentinus & Cerdõ hæretici, multos seducentes, contra quos nihil suscepisse aut egisse Higynus legitur. Sed Polycarpus postea eò uenit, & plures in errorem & hæresin seductos in uiam reduxit. Quod an non ex officio Romani episcopi magis fuisset, quàm extranei aduentantis, quemadmodum & defensionem religionis ac fidei Christianæ instituere, quod sub hoc eodem tempore cum periculo suo fecit Iustinus? Nihil igitur præclari de gubernatione & factis eius cõmemorari potest. Allegant eius unã epistolam, et grauissimè cõmendant, de Trinitate et unitate, autor supplemẽti Chronicorũ, Hermãnus et Crãtzius: quæ

quæ inter epistolas eius decretales hac inscriptione nõ extat. Prior enim inscribitur, Ad omnes Christi fideles, de fide & alijs causis: posterior, ad Athenienses. Martyrem & eum decessisse, pleriq; de pontificum Romanorũ historijs libri affirmant, ut Volaterranus Anthropologiæ libro 22. Quamuis mortuum simpliciter etiam Platina dicat, post ordinationes tres: quibus creauit presbyteros quindecim, diaconos quinq;, episcopos per diuersa loca sex. Præfuit annis quatuor, ut Eusebius indicat: & mensibus tribus, ac diebus 4, ut Damasus.

PIVS.

Anno imperij Antonini Pij 5, quo Higynus decessit, Romanæ ecclesiæ sacerdotiũ Pius susceptt: qui Italus fuisse natione, patria uerò Aquileiensis, patre Ruffino quodam natus, scribitur. Damasus eum fratrẽ Pastoris uocat, Hermetis scilicet, cuius autoritate & reuelatione Pius paschatis celebrationem die Dominico fieri oportere cõfirmauit. & in priori epistola decretali Pij, scripta ad omnes Christi fideles, ad hunc modum commemoratur: Istis temporibus Hermes doctor fidei & scripturarũ effulsit inter nos. Et licet nos idem paschа prædicta die celebremus, quia tamen quidã inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ angelus Domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, ut pascha die Dominico ab omnib. celebraretur: unde & uos Apostolica autoritate instruimus. Platina uerò non fratrem hunc Hermã Pij, sed familiarẽ fuisse scribit, quo cum hoc tempore Pio magna intercesserit consuetudo: quod quidẽ, si tamen uera historia est, ueri similius est. Quomodo enim S. Pauli discipulus, aut ex 72 sanè unus, ut Volaterranus Hermetẽ fuisse uult, idẽ esse potuerit frater Pij epscopi? Sed de his alibi. Tribuitur et alia epistola Pio, ad Italos scripta: id uerò q̃uerè, suprà dictum est. Post ordinatiões quas mense Decẽbri quinquies habuit, et in quib. legit presbyteros 19 iuxta Platinã, & 18 iuxta Damasum, diaconos 21, atq; episcopos 11, aut (ut Platina uult) 10, diem suum obijt anno Antonini Pij 20, cum ad gubernacula ecclesiæ Romanæ sedisset (iuxta Eusebium) annos 15: quod & Marianus Scotus testatur. Damasus uerò annos ei adsignat 19, menses 4, et dies 3. Quod si esset, rectè dixisset Platina, Antonini Veri tempora Pium attigisse: qui tamen, sicut recentiores etiã alij, 11 eum solũ annis præfuisse scribit.

ANICETVS.

In antiquissimis aliquot manu scriptis exẽplaribus, Anicetus Pio præpositus reperitur: quod et Platina indicauit. et autor operis de Concilijs, Anglicũ quoddã uetustum exemplar citat, in quo pontificum Romanorũ ordo ad hunc modum immutatus sit. Sed Eusebius, & Irenæus libro 3. cap. 3 & 4, Anicetum post Pium numerant. Syrum autem fuisse Anicetum perhibent, et patrem eius Ioannem quendam fuisse, de uico Humisia, ut Damasus uult: alij Amiza, Platina uerò Vicomurco, alij Vicomarco, Vicomira, Vicomirrea. Pio successit anno 20 imperij Antonini Pij, quemadmodũ Niccphorus indicat lib. 3. cap. 25. Quo tempore Egesippus Romam se uenisse retulit, ibiq; cõmoratum usq; ad Eleutheriũ, ut Eusebius indicat lib. 4. cap. 11. Sub hoc Aniceto & Polycarpus Romam uenit, ut testatur Irenæus, Eusebio libro 5. cap. 24 referente: ac seductos hæresi Valentini & Cerdonis multos, ad uerã fidem, quod & suprà memorauimus, reuocauit. Deinde super obseruatione paschatis cum Aniceto disputationem grauissimam habuit, at ita tamen, ne simultas aliqua inter eos oriretur: quemadmodum suo loco ostensum est. Martyrem & hunc scriptores Chronici faciunt, ut autor Supplementi, Nauclerus, Volaterranus, Platina. Post ordinationes in Decembri quinque, quibus in cleri ordinem legit presbyteros septendecim, seu (ut Platina refert) nouendecim, diaconos quatuor, episcopos per diuersa loca nouendecim: præfuit annis undecim, iuxta Eusebium & Damasum. quanquam in Chronicis Eusebius assignet ei annos decem: menses addunt alij tres, alij quatuor, & dies tres. Inuenies & nouem ei annos tribui, ut in Supplemento Chronicorum.

SOTER.

Natione Campanus fuit, de ciuitate Fundis, patre Concordio. Successorem eum fuisse Aniceti, etiam Egesippus scripsit, referente Eusebio libro 4. cap. 22. Successit autẽ anno imperij M. Antonini Veri octauo, anno Christi 171: quemadmodum Eusebius idem indicat libro 4. cap. 19, & in Chronico. Soteri laudem egregiã beneficentiæ in pauperes & hospites, ac doctrinæ, tribuit Dionysius Corinthius, in epistola quadam ad Romanos scripta. Ordinationes ei Damasus tres tribuit, Platina uerò quinq;: in quibus cum presbyteros octodecim, seu iuxta Platinam octo, diaconos uerò nouem, & episcopos undecim ordinasset, mortuus est, anno 17 principatus Antonini Veri, cũ episcopatus Romani gubernationem administrasset annis octo, ut in procœmio libri quinti Eusebius indicat. Platina tamen cum Chronicis aliquot antiquioribus, ut Rudimento nouitiorum, & Chronico Erfordensi, nouem ei annos assignant, Albertus Crantzius decem.

ELEVTHERIVS.

Græcus fuit, Nicopolitanus patria, patre natus Abundio, ut Damasus et Platina indicarunt. Soteri in episcopatu successit, anno 17 Marci Antonini Philosophi. Egesippus scribit, quemadmodum Euseb. lib. 4, cap. 22 retulit, hũc Eleutheriũ fuisse diaconũ Aniceti, eo tempore quo Roma ipse discessit: si tamen eundẽ sentit Eleutherium Aniceti diaconum & episcopũ. Gallicani martyres Eleutherio Irenæum commendarunt, sicut testatur Euseb. lib. 5. cap. 4. Is uerò Lucio Britannorum regi, petenti ab eo doctores, Damianum & Fugatium misit: quemadmodum in capite De propagatione relatũ est, annotauit autem Beda historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum lib. 1 cap. 5, Damasus, Nauclerus, Platina. Adscribitur ei in tomis Conciliorum, epistola ad prouincias Galliæ directa: sed de ea, ut etiam de alijs, dictum est suprà. De ordinationib. eius hæc Damasus et Platina narrant: Fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, creauitq; presbyteros 12, diaconos & episcopos per diuersa loca 15. Platina distinctè ait, Creauit diaconos 8, episcopos 15. Circa annos uerò quibus præfuit, magna uarietas est. Euseb. Ecclesiasticæ historiæ lib. 5, capite 22, ei tredecim: in Chronico uerò adsignat annos quindecim, quos & Platina retinet. Supplementum uerò Chronicorum annos ei tribuit 21, cum mensibus sex. Et mortuum eum sine martyrio, indicat libro 8, capite 189, sub Commodo, anno Domini 191, iuxta Marianum Scotum.

VICTOR,

VICTOR.

Apher fuit, & patrem habuit Felicem, ut Platina oſtēdit. Eleutherio ſucceßit, anno decimo Cōmodi: ſicut Euſebius indicat lib. 5. cap. 25. Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, primum eum Latinè ſcripſiſſe in Chriſtiana religione, aſſerit. Quas turbas de paſchate concitarit Victor, & quomodo repreſſus ſit ab Irenæo & alijs, dictum eſt ſuprà in capite de Schiſmatibus. Euſebius lib. 5. cap. 28, ex libro contra Artemonis hæreſin refert, quòd Artemon dixerit, Victorē & omnes alios ueteres doctores Romanos uſq; ad Zephyrinū, ſecum ſenſiſſe, Chriſtum eſſe purum hominem: ſed id de eo uerè dici non poſſe, ex eo probari, quòd Theodotum coriarium Byzantinum Romæ docentem, Chriſtū tantum hominem eſſe, ab eccleſia ſtatim eiecerit. De ordinationibus eius, Damaſus ſic inquit: Fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros quatuor, diaconos ſeptē, epiſcopos per diuerſa loca numero duodecim. Platina ex ſupplemento Chronicorū ait, eum libros de religione cōpoſuiſſe, & diem ſuū obiiſſe. Damaſus uerò, martyrium eum feciſſe aſſerit: & uulgata Chronica pleraq;, ut Supplementum libro 8. Et Chronicon Henrici Erfordēſis, anno imperij Seueri 8, ſeu (iuxta Euſebium) nono, cum præſediſſet annis 10, iuxta Euſebium lib. 5. cap. 28: Damaſum, Hieronymū in Catalogo, & Platinam. Henrici Chronicon duodecim ei annos aſſignauit.

EVENTIVS.

THEODVLVS.

Platina, Theodorus legit. Fuit uterq; diaconus Alexandri primi, cū quo & martyriū perpeſi ſunt: quemadmodum Damaſus indicat.

PEREGRINVS.

Cuius & ſuprà in hiſtoria Sixti pontificis meminimus, Romanus fuit presbyter, quem Gallis petentibus doctorem Sixtus miſit: apud quos cum religionē Chriſtianam continuis perſecutionib. perturbatam, ac ſublatam propemodum, reſtituiſſet, Romamq; regredi deceuiſſet, in itinere martyr factus eſt.

CONCORDIVS.

Presbyterum Romanum fuiſſe Concordium martyrio defunctum ſub M. Antonino, Volaterranus indicat lib. 16. fōlio 166.

SYRVS.

ERMAGORAS.

Supplementum Bergomenſis Syrum epiſcopum Ticini ſeu Papiæ fuiſſe narrat: Ermagoram uerò Aquileienſem, qui Syrum ad Papienſes propagandi Euangelij ergò miſerit, ubi multos ad fidem Chriſtianā Syrus perduxerit: ac poſtea Genuam etiam maritimam ciuitatem, & Dertonam Aſiæ urbem conuerterit.

APOLLONIVS.

Senator fuit Romanus, celebris ob hoc, quòd amore pietatis Chriſtianæ et cōfeßionis ſe trucidari, dignitate & ordine ſuo poſthabito, paſſus eſt. Cum enim à ſeruo proditus, & ab alijs quia Chriſtianum ſe profiteretur accuſatus eſſet, à Senatu iuſſus eſt fidei ſuæ rationem reddere. Igitur inſigne uolumen poſteaquā primus Latinorum de religione Chriſtiana ſcripſiſſet, & in Senatu recitaſſet, ſententia Senatus ſecuri percuſſus eſt: cum religioſa nimis haberetur autoritas ueteris cuiuſdam legis, quæ Chriſtianūm delatum, niſi Chriſtum negaſſet, dimittendum negaret, ſed capite plectendum. Ita ſub Cōmodo martyr Apollonius factus eſt, dum interea mediocri tranquillitate Eccleſia, Dei magis beneficio, quàm Imperatoris incōmodi pietate fruereturEuſebius lib. 5. cap. 21. Hieronymus in Catalogo.

MARTIANVS.

Euſebius libro 5. cap. 27, Martiani cuiuſdam meminit, quem fratrem uocat: ad quem ſcriptum ab Irenæo ait fuiße librum, declarandæ prædicationis Apoſtolicæ cauſa.

MARTIANVM alium Supplementum Bergomenſis indicat, fuiſſe epiſcopum Derdonenſem, martyrio perfunctum ſub Hadriano.

RVFFINVS.

Presbyter Romanus fuit, iuxta Vincentium in Speculo, libro decimo, capite 115. ubi longam eius hiſtoriam texit.

DE GALLICANIS doctoribus.

DE PHOTINO.

PHotinus, Lugdunēſis eccleſiæ epiſcopus fuit, proximè antecedens Irenæū, quem quidem ſub ſe habebat presbyterum: ut apud Euſebium libro 5, cap. 1, 4 & 5 uidere eſt. Nihil autem aliud præter teſtimoniū de ipſius martyrio, in literas relatum reperimus. In Gallicana enim epiſtola ad Aſianos perſcripta, quā ſuprà ad uerbum recenſuimus, etiam huius Photini mentio fit. Et primùm quidem, quòd fuerit nonagenarius ſenex. Multos igitur annos Lugdunēſem eccleſiā haud dubiè præclarè gubernauit, nec propter perſecutionē, pericula aut tormenta, uel ex ſenili quadam mollicie quicquam uacillauit: ſed conſtantiæ & confeßionis exemplum cunctis præbere uoluit. Abreptus igitur eſt ad ſupplicium unà cum cæteris Chriſtianis, qui agminatim ad necem ducebantur. Confeßionem hic ſuam coram iudicibus intrepidè edidit. uerùm ſannis præſes ſeriam confeßionem uenerandi ſenis excipiēs, quis' nam ſit Deus Chriſtianorum quærit? Cum autem Photinus non obſcurè cerneret, cum non ſimplici diſcendi ſtudio interrogare, ſed ut ſarcaſmis Chriſtianos exagitaret, noluit margaritas ante porcos proijcere, neq; aliud ei reſponſum dedit quàm hoc: Si dignus (inquit) fueris, cognoſces. Eam uerò reſponſionem, ut proteruam, & in maieſtatem ſuam contumelioſam, accipiens Præſes, confeſtim iußit eum plagis affici, eiusq; os pugnis compeſci. Adſunt igitur miniſtri & alij quamplures, dictō præſidis extemplò parentes: & indignis modis, pugnis, & ut cuiq; promptum erat, optimum ſenem cædentes. ac uidiſſes certatim impiam multitudinem in debilem ſenem impetus facere, ferire, rapere, cōculcare, & è lōginquo in ipſum immittere, quicquid furor ſubminiſtrabat. Credebant etiam, ſe hoc ſceleſto zelo ſuos ethnicos deos ulciſci, quos iſte doctor acerrimè ſemper impugnarat, & execratus fuerat. Deniq; ægrè ſpirans in ſqualidum carcerem conijcitur, in quo poſt biduum uitā fungitur.

DE IRENAEO.

Non exigua laus cenſeri debet, quod Euſebius libro quarto, cap. 21, inter omnes coætaneos Irenæo palmam tribuit. Cum enim plura monumenta Irenæi, aliaq; in-

dubitata

dubitata testimonia, Eusebij temporibus passim in manibus piorum fuerint, quàm nunc habeantur, ex peditius sanè & certius de hac re iudicium facere potuit, quàm ex posterioribus quisquam alius. Ex quib. parentibus, aut quo loco in hanc lucem primum editus sit, incertum est: quia à nullo autore fide digno, quod quidem nos sciamus, relatũ est. Quæ uerò sit nostra coniectura, post pauca indicabimus. In pueritia uersatus est in schola Polycarpi, qui fuit episcopus Smyrnæus, unus de discipulis ipsius Ioannis euangelistæ. Et audiuit quidem hunc reuerendum uirum, annis & pietate grauem, tanta cum admiratione & attentione, ut ipsius doctrinam, & quicquid ab eo percepisset, intimo pectori insculperet, & postea ad extremam usque senectam eorum omnium uiuacem ac præsentem retineret memoriam. Hæc certa sunt, quòd in epistola ad Florinum Irenæus ipsemet cõmemoret, & uerba eius epistolæ in Eusebio libro quinto, capite uigesimo sint descripta. Accedebat uerò & in hoc Irenæo gubernatio diuina, quòd præclarum organon Ecclesiæ Christi Deus ex hoc puero formare atque præparare decreuisset. Collocat igitur ipsum (sicut habet plerunque eum morem Deus, ut sua organa mirabiliter excitet, & ad functiones amplissimas idonea efficiat) in hanc quasi pulcherrimam pietatis officinam, ac regit Spiritus sanctus mentem iuuenilem, & pectus ipsius hoc sancto amore inflammat, ut salutari doctrina Euangelij mirè delectetur, & ab huius uiri ore non aliter pendeat quàm si Christum ipsum audiat sibi cœlestem doctrinam tradentem. Hinc est, quòd dicit sibi gestus Polycarpi oculis adhuc obuersari, et firma memoria habere, quibus de rebus & quibus uerbis disserere solitus fuerit. Inde iam coniectura fortè potest fieri, Irenæum natione Asianum fuisse, neque procul à Smyrnâ, uel etiam in ipsa ciuitate à pijs & honestis parentibus ortum esse. Huic opinioni potest & hoc adstipulari, quòd Græcum nomen ei sit impositum. εἰρήνη enim pacem significat, & εἰρηναῖος, pacificum. Vtq; solet interdum nominibus quoddam omen inesse, ita euentus comprobauit, pacis & tranquillitatis in Ecclesia Christi hunc Irenæum fuisse studiosissimum: qua quidem de re postea plura narrabimus. Quòd si autem Europæus est, maiori etiã admiratione dignũ est, qua tandem ratione in scholam Polycarpi deuenerit. Iuuentutis studia sic transegit, ut artes liberales cum ipsa pietate Christiana aui dè cognosceret. Non enim profanarum artium eum rudem aut ignarum fuisse, subtiles & sua serie constantes disputationes illæ contra hæreses satis manifestè arguunt. Erant enim pleraque hæreticorum portenta ex philosophicis fundamentis extructa: quæ quidem tam exactè iudicare, & tanta perspicuitate in lucem producere, denique tanta arte & uirtute confutare non ualuisset, nisi profanorum studiorum habuisset non uulgarem scientiam. Homeri insuper atque Hesiodi, aliorumq; ethnicorum scriptorum mentionem interdum interspergit. Neque uerò præter rem Tertullianus hoc encomio eum ornauit, quòd ait, omnium doctrinarum eum fuisse curiosissimũ exploratorem. Præcipuè uerò in cognoscenda doctrina Christi omnem operam ac studium posuit Irenæus: & ijs maximè sese adiunxit, qui donis singularibus, quibus Euangelij doctrinam ornarunt, fuerunt illustres. Recitat ipse libro quinto, quales doctores in Ecclesia Christi tum temporis fuerint reliqui: & uidetur cum ipsis magnam habuisse familiaritatem. Sic enim scribit: Multos audiuimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata, & per spiritum uniuersis linguis loquentes, & absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem, & mysteria Dei enarrantes.

Ad functiones nunc accedemus. Presbyterij munus gessit in ecclesia Lugdunensi, quæ est in Gallijs ciuitas celebris, nobileq; emporium: sicut in prologo primi libri cortra hæreses ait Irenæus, se apud Celtas commorari. Qua autem occasione in Galliam ex Asia peruenerit, ibiq; functiones in Ecclesia non infimas consecutus sit, ignotum est. Tradidit autem eo in loco atque conditione sine dubio syncerã Euangelij doctrinam, explicauit scripturas singulari dexteritate: & si qua alia suarum partium fuerunt, summa fide obiuit. Habuit & hoc commoditatis, quòd cum Photino, uenerando, graui & constante sene, & eius loci episcopo, familiarissimè uiuere potuit. Sed publica facta fortasse magis in oculos hominum incurrunt. Ardebat Asiana ecclesia quasi ciuili & intestino bello, nempe Montano, Alcibiade & Theodoto nouis prophetijs & præstigijs sanam Euangelij doctrinam infestantibus, & communem Ecclesiæ concordiam summo cum detrimento turbantibus. Mirè enim hominum mentes fascinabant, & erroribus implicabant, fanatici isti spiritus. Gallicanæ itaque ecclesiæ uel sponte dilectione quadã erga Asianos fratres permoti, uel rogati (de quo tamen certi nihil nobis cõstat) censuram suam de istorum pseudoprophetarum dogmatibus ad ecclesias in Asia & Phrygia sitas transmittunt, & quasi auxiliares copias contra Euangelij corruptores eis communicant: simul exponentes, in quantis angustijs ob sæuam persecutionem Ecclesiæ in Gallijs sint constitutæ. Vt autem ipsa legatio esset honestior ac fructuosior, non tantum mutas literas ad Asianos mittere uisum fuit: sed ipsi quoque Irenæo suaserunt, ut literas per tam longinquum iter ipsemet dèferret, & simul coràm uiua uoce afflictas & perturbatas ecclesias consolaretur, in agnita ueritate confirmaret, & in hæreticorum figmentis confutandis strenuam operam nauaret. Fortè & ipse Irenæus promptior ad eam profectionem erat, quia patriæ uicem dolebat, eiq; suppetias contra ingruentes corruptelas ferre alacri animo gestiebat. In hoc itinere Romam transijt Irenæus, Romanumq; pastorem compellauit: fortè ut cum ipso quoque de præstigiatoribus illis, qui nebulas ueritati offundebãt, & orientales ecclesias affligebant, conferret, & ad commune certamen eum excitaret. Habuit autem literas, quibus Eleutherio, tum temporis ecclesiæ Romanæ pastori, à Gallicanis ecclesijs honorificè commendatus fuit. Cum autem ad historiam intelligendam aliquid habeat momenti, & uestigia antiquitatis contineat, non alienum ab hac narratione uidetur, ea uerba quæ Eusebius recitat libro quinto, capite quarto, hoc loco inserere. sunt autem eiusmodi: Salutem tibi in omnibus ac semper per Deum optamus,

mus, patcr Eleutherie. Irenæum fratrem ac cõsortem nostrum adhortati sumus, ut has ad te literas perferret: ut hunc, testamenti Christi studiosum, commendatum habeas obsecramus. Etenim si gradum cuiquam iusticiam conferre atq; asserere sciremus, utpote quòd Ecclesiæ presbyter sit, qui & hic est, hoc in eo sanè cumprimis commendassemus. Hæc uerba ex epistola allegantur, quæ hauddubiè proltxor fuit, & plura comprehendit: quæ si extarent, præsenti actioni nonnihil lucis adferre possent. Ista omnia quæ hactenus gesta sunt, uidentur probare, quòd sub Vero ecclesiæ ministerium susceperit. Photino in persecutione ob confessionem Euangelicæ ueritatis crudeliter interfecto, Irenæus hactenus in eadem ecclesia presbyter, in locum episcopi sufficitur: ut Eusebius libro quinto, capite quinto narrat. erat enim doctrina & alijs spiritus sancti donis celebris. Ecclesiam autem suam sincera doctrina & integritate uitæ ita erudiebat, ut & amaretur & coleretur à suis, & ab exteris quoq; Christianis ob fidem & doctrinam excellentem magnifieret ac suspiceretur. Incidit autem ipsius gubernatio in turbulentissimum Ecclesiæ statum. Nam passim uagabantur pestes ueræ doctrinæ, uarij præstigiatores & impostores, qui sub plausibili specie cuniculos in doctrinam Christi miris technis agere tentabant. Nam Valentiniani in ipsam usque Galliam peruaserant, Rhodanenses mulieres suis delirijs fascinantes, ut ipse Irenæus refert. Hic necesse erat tantum uigilem in hanc quasi speculam Galliæ uniuersæ positum, in excubijs esse, & à contagio pestilentissimo tum doctrinam ipsam, tum animas suarum ouicularum & uicinarũ seriò uindicare. Quantum in hac parte laborum exhauserit, facilè intelligi potest. Suo loco satis munito, & doctrinæ hostibus uel fugatis, uel repressis magna ex parte, non alienum à sua functione existimauit, Ecclesiæ in peregrimis locis, præsertim ab hæreticis infestatæ, curam gerere. Romam autem tunc temporis undiq; confluentes hæretici, fortè celebritate loci attracti, aut propter Ethnicismum, cui erant adhuc Imperatores addicti, se ibi sedem atq; applausores facilius habere posse rati, sincerum Ecclesiæ ritum moliebantur corrumpere. Varias itaque contra ipsos epistolas, quæ haud dubiè egregium ingenij acumen & Spiritus sancti zelum declararent, si extarent, Romam usque misit: cuius rei testis est Eusebius libro quinto, capite decimonono. Qui tamen isti turbatores ecclesiæ Romanæ extiterint, ex relatione Eusebij perspicuum non est. Hoc uerò admiratione dignum uidetur, quid interea Romanus episcopus egerit, aut qua uigilantia functionem suam administrarit, quòd Irenæus inde ex Gallia usque tantum laboris sumere cogitur in ecclesia Romana à corruptelis repurganda, & in sana doctrina conseruanda. Fortè oscitantia Romanorum uigilum hic notari uidetur: uel saltem ipsos agnouisse probatur, quòd Irenæus plurimis egregijs spiritus sancti donis ipsos antecelluerit: nec iudicarint Romani ministri sua autoritate indignum, si pastor ex humiliori Ecclesia, suam in refellendis hæreticis etiam in ipsorum parochijs iuuaret. Alteram postea cum ipso Victore, Romanæ ecclesiæ pastore seu episcopo, actionem aggreditur. Ita enim Eusebius recitare uidetur, ut priorem diuersam ab hac actione significet fuisse. Causa hæc erat. Recrudescebat controuersia de paschatis die, quæ prius quoq; mota fuerat: uerùm hoc tempore in manifestum schisma erumpebat, & ueluti pomum Contentionis in medium proijciebatur, ut est suprà expositum. Cum enim cæteræ ecclesiæ, Orientales præcipuè, libertatem suam & antiquam consuetudinem obseruare decreuissent, & iugum in ceremonialib. detrectarent: Victor iracundia accensus, fulmine excommunicationis ecclesias dissentientes ferit, eaq; ratione ex quibusdam adiaphoris seu medijs rebus mera facit necessaria. Etsi autem pastores in Asia grauibus scriptis docebant, se à consuetudine ab Apostolis accepta discedere non posse: tamen parum efficiebant. Irenæus itaq; cum cæteris fratribus ecclesiæ Gallicanæ, non putarunt sibi ociosis animis hoc tam triste bellũ in Ecclesia Christi spectandũ esse: sed, ut coniectare licet, habita synodo communes literas conficiunt, easq; subiectis chirographis ad Victorem mittunt, bona spe adducti, sese Victoris impetum fracturos & mitigaturos, communiq; tranquillitati consulturos esse. Sententiam de paschate die Dominico celebrando probauerũt quidem, quòd ad se attineret: sed ne alias ecclesias antiquæ traditionis consuetudinẽ obseruantes alienaret, & inclementius tractaret, multis solidisq; argumentis adhortati sunt. Sed fragmenta quædam eius epistolæ suprà in capite De Schismatibus descripsimus. Præterea nõ huic pastori solùm, sed pluribus, literas de contentione Paschatis misit, in quibus scripsit, excommunicationem à Victore promulgatam, esse irritam: ut scribit Eusebius libro quinto, capite uigesimosexto. Non autem tantum potens fuit in tradenda doctrina uiua uoce, sed monumenta etiam quædam composuit. Sunt autem hæc:

Epistola ad Blastum, de Schismate.

Epistola ad Florinum, de Monarchia, uel de eo quòd Deus non sit factor malorum.

Liber de ogdoade, propter Blastum scriptus, qui Valentini errore dementatus fuerat. Isti libro adfixit adiurationem seu obtestationem, quam Erasmus libris de hæresibus præmisit.

Epistolæ uariæ contra eos qui Romæ sincerum Ecclesiæ ritum corrumpebant. Hosce omnes enumerat Eusebius lib. 5. cap. 19.

Quinq; libri contra hæreses, hoc titulo (ut refert Eusebius) inscripti: Quinque libri ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως: hoc est, redargutionum & subuersionum falsò nominatæ scientiæ. Eusebius lib. 5. cap. 7.

Epistola seu censura ad Victorem, nomine fratrum per Galliam, de quæstione Paschatis. Eusebius libro 5, cap. uigesimosexto.

De scientia liber, qui aduersus gentes scriptus est.

Declaratio Apostolicæ prædicationis, ad Martianum fratrem scripta.

Libellus διαλέξεως διαφόρων, seu uariarũ dictionum, in quo sententias ex sapientia Salomonis & epistola ad Hebræos usurpat. Eusebius libro quinto, capite uigesimoseptimo. Et hosce quidem prædictus autor recitat.

Hierony-

Hieronymus insuper accenset librum de Disciplina, plerique autẽ isti libri iniuria temporis perierunt: aut si habentur alicubi, in situ et puluere à blattis tineisq; corroduntur. Soli quinq; libri contra hæreses, genium durationis, ut sic loquamur, habuerunt. Qua autem in libellis suis lingua sit usus, Græcá ne an Latina, non est facile iudicare. Erasmus Roterodamus, in Præfatione quam Irenæo præposuit, sentit, eum latinè scripsisse, Græci tamẽ sermonis fuisse peritiorẽ, eamq; ob causam crebris græcismis uti: ueluti, nocere βλάπτειν, pro lædi: ἔχοντες, id est habentes, pro ualentes. Rhenanus contrà in Prologo libri Tertulliani qui contra Valentinianos inscribitur, putat eum Græcè scripsisse, quèd & Hieronymus eũ inter Græcos recenseat. Hinc etiam est, quòd locutio eius non rarò obscurior & intricatior uideatur: quamuis & restricta et eiusmodi, quæ lumen orationis non commodè recipiunt. Libet autem iudicium, quod in proœmio libri quinti cõtra hæreses ipsemet de sua oratione profert, recitare: Non aũt, inquit, exquires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerunq; auocamur, orationis artem, quam non didicimus: neque uim conscriptoris, quã non affectauimus: neque ornamentum uerborum, neque suadelam sermonis, quam nescimus: sed simpliciter & uerè & idioticè, ea quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies. Hæc Irenæus. Ex scriptis porrò, quali forma doctrinæ usus fuisset, iudicari rectius posset, siquidem ea omnia ad nostram usque ætatem peruenissent. Iam uerò, ex quinq; contra hæreticos libris, & quibusdam fragmentis, iudicia tantum quædam colligi possunt. Apostolicã ueritatem summis uiribus tueri atq; propagare studuit. Maximè uerò laborauit in asserenda atq; defendenda doctrina de Deo, quã diabolus per hæreticos obfuscare conabatur, non alio fine quàm ut postea & reliquos articulos eo facilius euerteret. De spiritu sancto rarius loquitur, obedientiam Christi nostram esse iusticiam coram Deo apertè asseuerat. De usu utriusq; partis cœnæ Dominicæ clare disserit. Sed cum superius, quæ fuerit de singulis articulis ipsius sententia, dictum sit, superuacaneum uidetur hoc loco repetere.

¶ Opiniones interea incõmodas seu stipulas quasdam non exiguas eum habuisse, ex scriptis cerni potest. Ita enim obscurè & perplexè nõ rarò uocabulo uerbi seu τῦ λόγυ utitur, ut uideatur nõ perspicuè inter uerbum substantiale & uerbum uocale seu oris distinguere. De homine uidetur sentire, quasi non sit perfectus initiò conditus: & quòd sententia de homine faciendo ad imaginem Dei, Christum significarit. Liberum arbitrium etiam in spiritualibus admittit. Christum ait baptisatum quidem esse anno trigesimo, docuisse uerò quadragesimo, & passum esse quinquagesimo. Cum enim omnes saluare debuerit, necesse fuisse eum omnes gradus ætatum consequi: & quia magistrum agere debebat, ante eum annũ non potuisse fieri. Iudæos etiam dicere, quinquaginta annos nondum habes: quibus uerbis significatum sit, non procul eum à quinquaginta annis abesse: deniq; seniores Asiæ hæc ex Ioanne accepisse libro secundo cap. 34 et quadragesimo. Hæc in prima Centuria confutata inuenies. Sunt enim aliena ab historijs Euangelistarum, qui post baptismum Christi continuam eius historiam texunt, & tria paschata describunt: non intermissuri reliqua, si tot interceßissent. Tribuitur Irenæo & Chiliastarum error, quòd senserit, corporale aliquod regnum mille annis in terris futurum, antequam in regnum cœleste traducerentur Christiani, sicut Hieronymus & alij referunt. Verùm hæc in ipsius scriptis quæ nos habemus, tam expresse cernere non licuit.

Denique quomodo è rebus humanis sublatus sit, non est in probatißimis autoribus annotatum. Henricus de Erphordia, Ado, alijq; martyrologici, eum ad extremum sub Seuero, unà cum maxima suæ Ecclesiæ multitudine, propter confeßionem Christi crudeliter interfectum esse, scribunt. Cursus itaq; huius doctoris inter tantas persecutiones satis longus fuit. Sunt qui tredecimo anno Marci Antonini ad episcopatum uenisse asserant, circa annum Domini centesimum septuagesimum sextum. Sub Cõmodo uerò omnium maximè floruit. Contentionem de paschate, ubi maximè efferbuit, Eusebius in Chronicis in quartum annum Seueri ponit: hoc est, annum Domini centesimum nonagesimum nonum, alij in quintum Seueri referunt. Fuisset igitur in ministerio, præsertim episcopatu, circiter uiginti tres annos. his si adijciantur anni presbyterij, fortè ad triginta annos possent excurrere.

REGVLVS.

Fuit episcopus Arelatensis, ut ostendit Fasciculus temporum pagina quadragesima.

LVCIANVS.

Quem Fasciculus temporũ discipulum Petri fuisse indicat, qui apud Beluacenses Euangeliũ propagarit.

PANCRATIVS.

Quem solus Nicephorus lib. 3. cap. 18 habet: sed quis, & ubi fuerit, non explicat: nisi quòd doctoribus Ignatio, Polycarpo, Papiæ, &c. annumerat, & Petri fuisse discipulum indicat.

CARANNVS.

Fuit discipulus Petri, doctor Carnotensium. Sic enim Fasciculus habet.

TAVRINVS.

Episcopus fuit Eboracensis. Martyrio obijt sub Hadriano, & Licinio præfecto. quæ de eo Vincentij Speculum prolixißimè narrat, fabulosa uidẽtur: ut quòd paralyticũ in itinere, cum ad Licinium traheretur sanauerit: sororemq; illius cæcam, surdam & mutam restituerit. His igitur qui delectatur, ex Speculo petat, lib. 10. cap. 176, & sequentibus aliquot.

GANGERICVS.

Taurini frater fuit, episcopus Cameracensis: cum antè fuisset discipulus Dionysij.

EVGENIVS.

Fuit episcopus Toleti, in Hispanijs.

BENIGNVS.

Polycarpi fuit discipulus, & episcopus apud castrũ Diuionense. In Gallias tandem missus, fit martyr.

ATTALVS.

Inter Galliæ martyres præstantes & fortißimos multos, non est postrema laus Attali cuiusdam Pergameni: qui etsi in doctorum munere non recensetur, tamen non indigna constanti & optimo doctore fecisse

cum,historia quæ de eo scripta est testatur. Quemadmodum egregio eum ornant titulo martyres Gallicani, fundamentum & basim Ecclesiæ suæ appellantes. In eadem uerò epistola etiam generosum uocant eius in Christiana professione exercitiũ. Ipsum uerò rursus ingenti præconio,perpetuum dicunt ueritatis Christianæ testem, & assertorem. Rectè enim eum de fide et professione Christiana sensisse, uel hoc indicat, quòd Alcibiadem carceris & uinculorũ socium, propterea quòd, cui prius assueuerat uictui electicio in pane & aqua sola,eundẽ etiam uinctũ obseruare uideret,acriter reprehendit: & ab illa seu meriti alicuius seu cultus opinione,ad meliorem rationem conuertit, peccatum esse affirmans,contemptu creaturarũ Dei offendiculi alijs occasionem porrigere. Historiam Eusebius refert lib.5.cap. tertio. Quæ uerò Attali in confessione fuerit constantia & fortitudo, ex Martyrum epistola apparet.

SANCTVS.

Sanctum diaconum fuisse Viennensem,epistola ministrorũ Ecclesiæ Lugdunensis & Viennensis indicat, præcipuam ei constantiæ & fortitudinis laudem tribuens: ut qui omnia omnium sibi illata supplicia & cruciatus excellenter & generose tulerit, adeò ut omnium tormentorum exquisitißimorum uim in eo experientes irriserit.

ZACHARIAS.

Epistola Lugdunensis & Zachariam presbyterum uocat. Adon episcopus,Zachariam gloriosum senem quendam,Viennensi episcopatu functum, & sub Traiano martyrio perfunctum esse scribit. Sed utrum is sit, an alius, incertum est: cum hic inter martyres censeatur, qui sub Marco Antonino passi sunt.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

SATVRNINVS.

Epiphanius Saturnilium uocat. Hæreticus fuit in Syria, Antiochiæ scilicet ad Daphnen. Occasionẽ suorũ errorũ, quos suprà exposuimus, arripuit à Menandro, cum quo communia monstrorum figmenta habuit: quemadmodum Irenæus indicat lib.1,cap.uigesimosecundo.

Basilides Alexandrinus.

Socij fuerunt Saturninus & Basilides, ac condiscipuli sub Hadriano,ut Theodoretus indicat. Sed Basilides cupiditate & furore erroris sui quàm longißimè dißipandi,relicto in Syria Saturnino,in Aegyptũ concessit: atq; inde in locos Alexandriæ uicinos,quos Epiphanius recitat. Scripsisse eum plures libros, ex Clemente Alexandrino apparet: qui libro quarto Stromatum,citat librum eius uigesimum tertium Exegeticon, de ijs qui in martyrio puniuntur. Mortuus tandem est Alexãdræ Adriano adhuc regnante, ut Hieronymus testatur in Catalogo: quo tempore Cochebas Christianos afflixit.

Isidorus.

Filium & condiscipulum Basilidis fuisse Isidorum, Clemens in sexto Stromatum ait: ubi expositiones eius citat in prophetam Parchor. Libro secundo uerò Stromatum, citat librum Isidori de ad nata anima.ex quo dictũ recitat,confutans errorem maniacũ Basilidis, de agmine diuersorum malorum spirituum in homine inhabitantium. Meminit & Moralium eius, in initio libri tertij Stromatum: quæ & Epiphanius citat lib.1 tomi secundi, hæresi trigesima secunda,ubi & orationis cuiusdam paræneticæ Isidori meminit.

Carpocrates Alexandrinus.

Epiphanius effert,Carpocras. Hæreticus fuit,magus pariter & fornicarius, ut Tertullianus inquit in libro de Anima. Parens autem fuit & autor Gnosticorum: quorũ hæresin tetrã & mõstrosam cõdidit ex Simone mago,Menãdro,Saturnino,Basilide,Nicolao et Valentino,ut Epiphanius indicat. Eusebius ex Irenæo refert,eum coætaneum fuisse Saturnino & Basilidæ, lib. 4,cap. 8. Sicut & Epiphanius ait, uno & eodem tempore subitò quasi fungos è terra prorupisse, Valentinum, Basilidem, Saturninum, Colarbasum, Ptolemæum & Carpocratem.

Epiphanes.

De eo Clemens initio tertij Strom. hæc retulit: Epiphanes,cuius etiam scripta feruntur, filius erat Carpocratis,& matris Alexandriæ nomine: ex patre quidem Alexandrinus, ex matre uerò Cephaleneus. uixit aũt solum septẽdecim annis,& Samæ (quæ est urbs Cephaleniæ) ut deus est honore affectus: quo in loco templum ex ingentib. lapidibus,altaria,delubra,musæum ei ædificatũ est & consecratũ. Et cũ est noua luna,cõuenientes Cephalenei natalẽ in Deos relationẽ Epiphani sacrificant,libant q; & conuiuantur,& hymnos canunt. A` patre aũt didicit & orbẽ disciplinarũ & Platonis philosophiã. Hinc Epiphanius excellentiã ei tribuit eruditionis in omnib. disciplinis, ac præcipuè Platonica. Librum scripsit de iusticia, in quo hanc iusticiæ definitionem posuit: Iusticia Dei est, quædam cum æqualitate communio. Quam definitionem, ut & totum eius librum,Clemens refutat.

Prodicus.

Clemens Stro.lib.7,Prodicũ inter eos numerat,qui non sunt ingressi recta uia, neq; eos qui præcesserunt (Apostolos nimirum,& doctores Apostolicos) superare potuerũt sapientia. Sed bene cum eis actum fuisset,ait, si scire potuissent ea quæ prius fuerũt tradita. Idem de eius hæresi & hoc fuisse testatur, quòd ceuserit nõ esse orandũ: idq; à philosophis acceperit,qui sint dicti Cyrenaici. Sectatores eius,perinde ut Carpocratis,sed falso nomine dixerunt Gnosticos.

Valentinus.

Philastrius hunc Pythagoricũ uocat: cuius patriã, aut unde natus sit, à plerisq; ignorari Epiphanius scripsit: famã tamen esse,fuisse eũ Phæbonitẽ,Aegypti maritimum. in Alexãdria uerò Græcorũ literis institutũ. quamobrem & ad imitationẽ Hesiodi, qui in Theogonia sua triginta deas adducat, ipse quoq; triginta finxerit deos ac cœlos. Quam hæresin & nugas canoras, ut Clemens uocat,qua occasione confinxerit,suprà ex Tertulliano retulimus. Scholam eum habuisse, Clemens indicat lib.4 Strom. in secundo uerò Strom. citat nonnulla ex quadã eius epistola. Meminit & eiusdem Homiliæ,inscriptæ de Amicis,lib.6. Strom. Et aliarum quarundam Homiliarum, libro secundo & 4 Strom.

Romam

Romam eum ueniſſe ſub Higyno, inualuiſſe autem tem poribus Antonini Piſ, & ad Anicetum uſq; ibidem permanſiſſe, Euſebius refert lib. 4. cap. undecimo, ex Irenæo. Theodoretus uerò & Sabellicus, ortam Valentini ſectam Romæ ſub tempora Antonini Pij, ſub Teleſphoro, ſcribunt.

COLLEGIVM VALENTINI.

MARCVS.

EVm coætaneũ fuiſſe Valentino, & ſocium, ex Tertulliano apparet: qui hunc Marcum cum ſequentibus, Secũdo, Ptolemæo, Heracleone & alijs quibuſdã, collegium Valentini dixit. Flagitioſiſſimum & turpiſſimũ eum fuiſſe, muliebris pudicitiæ per incantationes expugnatorem. ſuprà ex Irenæo adduximus: qui Marcum peritiſſimum magicarum impoſturarum & deceptionum fuiſſe ſcripſit, lib. 1. cap. 8.

Secundus.

Valentini, ut iam diximus, ſectator fuit, omnia ſecundum Valentinum ſentiens: niſi quòd appellationibus magis ſonoris & plenioribus auditores decepit, ut Epiphanius ait.

Ptolemæus.

Huius epiſtolam de ſua hæreſi longam, blandam, & uenenis ſcatentem, ad Florã quandã feminam, Epiphanius habet: qui ſectatorẽ eum fuiſſe Valentinianorum, & Secundo ac Epiphani ſucceſſiſſe indicat, in hæreſi contra Ptolemaitas, libro primo Tomi ſecundi.

Colarbaſus.

Hunc natum ex Marci præſtigijs, & Ptolemæo, Epiphanius ait.

Heracleon.

Succeßit Colarbaſo. Eum ſectatorem fuiſſe ſcholæ Valentini, in eaq; præcipuum habuiſſe locum & autoritatem, ac multa ſcripſiſſe, Clemens prodidit Stromatum libro quarto.

Cerdon.

Exortus eſt in Syria, ex qua Romam uenit eodem quo Valentinus tempore, ſub Antonino ſcilicet Pio & Higyno epiſcopo: quemadmodum Irenæus indicat libbro 3. cap. quarto, atque ex Euſebij libro 4. cap. 10 & 11 conſtat. Vario eum & ſubdolo fuiſſe ingenio præditum, hoc arguit, quòd aliàs errores ſuos latenter ſpargere conatus eſt, aliàs nihil ueritus publicè profeſſus eſt. Interdum uerò à fratribus reprehenſus, ad Eccleſiam redijt, pœnitentiam ſimulans. Quæ lubricitas cum à fratribus tandem animaduerſa eſſet, ab Eccleſiæ communione repulſus eſt. Hæc Irenæus.

Marcion.

Eum ex Synope, quæ urbs eſt in Ponto Galatiæ ſcilicet, iuxta Ptolemæũ, aut Paphlagoniæ fuiſſe, Epiphanius prodidit. Marcionem Irenæus libro tertio capite 4, ſucceßiſſe ſcribit Cerdoni, & inualuiſſe ſub Aniceto: ut qui non Romæ primùm, quò poſt Cerdonem uenit, hæreticus eſſe cœperit, ſed in alijs locis portenta ſua diu antè ſeminarit. Philaſtrius enim, Epheſi eũ fuiſſe ſcribit, uiuo adhuc Ioanne apoſtolo: à quo uictus, atq; inde pulſus Romam confugerit. Et Iuſtinũ in libris contra Marcionem ſcripſiſſe, Euſebius teſtatur libro quarto, capite undecimo, uirum illum, Marcionẽ ſcilicet, in uita ei notum fuiſſe quo tempore libros ſuos contra eum ſcripſerit. Quanquam ex narratione Epiphanij, Romæ eum primùm ad Cerdonis hæreſin animum applicaſſe conſtat, cum eò ſeceßißet, excommunicatus à patre, epiſcopo eximiè pio & honeſto, ob ſtuprum uirgini illatum, ſicut ſuprà expoſuimus.

Lucanus.

Epiphanius, Lucianus habet: diſcipulus fuit Marcionis, autore Tertulliano in libro de Præſcriptione hæreticorum.

Blaſtus. Florinus.

Hos ſocios fuiſſe Romæ, unius & eiuſdem erroris, ac multos ex Eccleſia ſeduxiße, Euſebius refert libro quinto, capite decimoquinto. Florinum autem quendam fuiße ait, à preſbyterio Eccleſiæ reiectum: quæ illi forſan hæreſeos occaſio, quemadmodum alijs aliquot, extitit.

Apelles.

Diſcipulus fuit Marcionis, ſed qui magiſtrũ ſuum erraße dixerit. unum enim tantum principium eße dixit, cum duo Marcion poſuiſſet. Hæc Epiphanius. Theodoretus ait, fuiße ei librum à ſe cõpoſitum, quem Philumenes prophetiam appellare conſueuißet.

Potitus, Præpon, Python, Hos tres adijcit ad diſcipulos et ſectatores Marcionis, Theodoretus libro primo Hæreticorum fabularum.

Tacianus.

Hic quis fuerit, & quam hæreſin poſt mortem Iuſtini, quo cum in fide & profeßione Chriſtiana familiariter uixerat, conſtituerit, ſuprà à nobis expoſitum eſt. Romam primùm uenerat ex Syria, quam ei patriam fuiße Clemens ſcribit libro 3 Stromatum. Poſt obitum uerò Iuſtini, Roma in partes Orientis ſeceßit, & ſcholam ſuam (ut Epiphanius indicat) primùm in Meſopotamia aperuit, circa duodecimum annum Antonini Pij. Hæreſin inſtituit conſarcinatam & emendicatam à multis, ut Theodoretus ait. Aeonũ enim, quas finxit, productiones à Valentino, ſicut de ſchola Valentini prodijße eum Clemens inquit: à Saturnino autem & Marcione, hoc ipſum quòd à nuptijs abhorrere, & ab animantibus & uini uſu abſtinere iußit, mutuatus eſt. Hæreſin uerò eam maximè ſparſit Antiochiæ ad Daphnen, in partibus Ciliciæ, & in Piſidia, ut Epiphanius ſcribit. Euſebius libro 4. cap. uigeſimonono, & Hieronymus, infinita aiunt ab eo ſcripta eſſe uolumina: ex quibus librum cõtra Gentes, quem cum Chriſtianus adhuc eßet, edidit, optimum & utiliſſimum Euſebius uocat. Compoſuit & Euangelium unum ex quatuor, quod Diateßaron inſcripſit, amputatis genealogijs, ut Theodoretus ait, & alijs quæcunq; oſtendunt Chriſtum ſecundum carnem ex Dauide natum. Quo non eos ſolum qui ſuæ fuerunt ſectæ, uſos Theodoretus ſcribit: ſed eos etiam qui Apoſtolicam doctrinam profeßi ſint, compoſitionis ſcilicet fraudem per ſimplicitatem non animaduertentes, ſed eo tanquam libro compendioſo utentes. Clemens in tertio Stromatũ, etiam alium eius librum citat, quem inſcriptum fuiſſe ait, De perfectione ſecundum Saluatorem.

Seuerus.

Sic habet Theodoretus, Epiphanius, & alij. Græcum uerò exemplar Euſebij legit σεσῆρος, quod interpres reddidit Syuerus. Damaſcenus eum Seuerum

Dioſcorum uocat. Eius hæreſin Euſebius libro quinto capite decimotertio unam fuiſſe ex illis ait, quæ in ſententia Marcionis primùm conſentientes, poſtremò in diuerſas & concordantes ſciſſæ ſunt. Epiphanius ſcripſit, eum ſecutũ eſſe, & ſucceſsiſſe Apelli. Alphonſus uerò, Tatiani errorem ſcripſit, de Adami & Heuæ damnatione propter primam inobedientiam, à nemine deinceps eſſe ſuſcitatum, præterquam à Seuero eius diſcipulo.

Bardeſanes.

Bardeſanem, Epiphanius Bardeſianum uocat. Eum alij inter doctores, alij inter hæreticos collocant. Auguſtinus Epiphanium ſecutus, dicit eum primum fuiſſe catholicum, rectè de Eccleſiæ doctrina ſentientem: ſed poſtea ad Valentini errores deſeciſſe, eosq; errore proprio de fato auxiſſe. Contrà autem Euſebius cenſet, qui illum primùm in Valentini ſchola nutritũ ſcribit. Poſtea uerò, cum magiſtri errores animaduertiſſet, ad ueram fidei & doctrinæ regulam rediiſſe, attamen non omnes errores penitus reliquiſſe. Scripſiſſe uerò eum ait contra Marcionem, & alios aliquot hæreticos, ac multa edidiſſe lingua Syriaca (fuit enim ex Meſopotamia) ſcripta, quæ diſcipuli eius in Græcum ſermonem conuerterint. Hæc autem de eius erroribus Epiphanius prodidit: Multa principia emiſſiones q; ac productiones narrauit, reſurrectionem uerò mortuorum abnegauit. Cum tamen librum de fato Bardeſanis Euſebius & Hieronymus de nullo errore notent: & Epiphanius ſcribat, eum contra Abidam quendam aſtronomum multa contra fatum diſſeruiſſe & collegiſſe. Ait & Theodoretus, ſe in Bardeſanis libros incidiſſe, quos contra fatum ſcripſiſſet.

Montanus.

Montanus in Phrygia natus eſt, ubi ad fidem Chriſtianam uix conuerſus, in hæreſin nouam & blaſphemam delapſus eſt. Euſebius cum narrationi de rebus ſub Commodo inſerit: Epiphanius uerò, circa annum decimumnonum Antonini Pij eius initium collocat. Hæreticus fuit, ſi quiſquam alius, totus ex impudentia, fraude, uerſutia & artibus imponendi callidiſſimis cõpoſitus: quemadmodum ſatis declarant ea quæ ſuprà ex Apollinari & Apollonio, de Montani moribus & doctrina retulimus. Initium ſuæ doctrinæ cum in paruo primùm & ignobili Phrygiæ uico feciſſet, poſtea (ut erroris eſt uelocitas) quàm latiſſimè eam extendit. Cappadociam enim uniuerſam, ut Epiphanius inquit, & Galatiam occupauit.

Priſcilla. Maximilla.

Sociæ fuerunt, & inſanæ uates Montani: quas à maritis ſuis, ut Apollonius ſcribit, abſtractas, ac ſibi adiunctas, ex ſe inſpiratas dixit, & uates ſuas appellauit: quo uidelicet facilius uterq; ſexus in errorem caperetur. Suſpendio eas (quod fortaſſe, cum multa tamen prædicerent, ipſæ ſibi uaticinari non potuerunt) periiſſe, ut & Montanum ipſum, Apollinaris ſcripſit. Euſebius lib. 5. cap. 16.

Theodotus.

Hunc Apollinaris primùm prophetiæ Montani procuratorem nominat: qui eò amentiæ aliquando proceſſerit, ut ſibi perſuaderet, in cœlos ſe exaltari & aſſumi: atq; ita in auras ſublatus, graui lapſu peſsimè interierit.

Themiſon. Alexander.

Annumerat hos collegio Montaniſtarum, Apollonij narratio apud Euſebium libro quinto, capite decimoactauo. Ac Themiſonem quidem indicat, confeſſorem ſe gloriatum eſſe, ſed falſo: ideo quòd ad uincula damnatus, multa ſe pecunia inde redemerit: ac poſtea, quaſi martyr gloriabundus, ad exemplum Apoſtoli, epiſtolam quandam catholicam compoſuerit, qua exhortatus ſit uerius credentes quàm ipſe, ut ſecum pro nouis dogmatis decertarent, & Dominum Apoſtolos ac Eccleſiam blaſphemijs afficerẽt. Eodem modo & Alexandrum quendam de ſecta Montani, confeſſorem & martyrem ſe mentitum, idem ſcripſit: ac indicat, in delicijs eum fuiſſe apud Maximillã: ſed martyrij falſam exiſtimationem inde ſibi comparaſſe, quòd latrocinij reus ac damnatus, ſe propter nomen Chriſti in uitæ periculum uenire finxerit: & beneficio fratrum, pro ſe intercedentium, abſolutum eſse.

Theodotus coriarius.

Diuerſum eum à Theodoto Montanico, diuerſa ſecit hæreſis: qui cum in perſecutione Chriſtum abnegaſſet, contumeliã propter hoc crimen in patria, quæ ei Byzantium fuit, non ferens, Romã profectus, Chriſtum purum auſus eſt dicere hominem: exiſtimans, hac blaſphemia lapſus ſui infamiam ſe excuſare poſſe, ſi non Deum, ſed hominem ſe abnegaſſe, obijcientibus id ſibi reſpondiſſet: uſurpãs ad hanc friuolam impij et blaſphemi dogmatis defenſionem dicta Scripturæ, ut Epiphanius annotauit, quæ de Chriſto ut homine ſolo loquerentur. qualia ſunt: Quæritis me occcidere hominem, qui ueritatem dixi uobis: item, Prophetam excitabit Dominus ex fratribus ueſtris, ſicut me. Et quod Hieremias de Chriſto dixit: Homo eſt, quis cognoſcet ipſum? Item Paulus: Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus, &c. Hanc hæreſin cum Romæ prius inauditã ſpargere cœpiſſet, autoritate Victoris epiſcopi ab Eccleſia reiectus eſt: ut Euſebius ſcripſit libro quinto, capite uigeſimooctauo.

Artemon.

Artemon, qui & Artemas, in Phrygia, perinde ut Montanum, hæreſin ſuam ſparſiſſe, Nicephorus ſcripſit libro quinto, capite uigeſimo. Ex narratione autem hiſtoria Euſebij apparet, cum aliquanto poſt Theodotum fuiſſe: quia patrem eum & principem Theodotum dicit eius impietatis, qua diuinitatem Chriſto detraxit & ipſe & Artemon. Item quòd inuentorem Theodotum eius blaſphemiæ, ibidem nuncupat Euſeb. lib. 5 cap. 28. Nicephorus tamen, Theodotum Artemonis ſucceſsorem uocat, lib. 4. cap. 21.

Aſclepiodotus, Theodotus menſarius, Hermophilus, & Apollonides.

Diſcipulos fuiſſe Theodoti coriarij, Aſclepiodotum quendam, & Theodotum menſarium, Euſebius lib. 5. cap. uigeſimooctauo indicat. Quibus Nicephorus lib. 4. cap. uigeſimoprimo, Hermophilum addit, & Apollonidem: eosq; omnes, cum ſe eiuſdem ſectæ ſtudioſos profiterẽtur, tamen diuerſa inter ſe ſenſiſſe, & contraria ſcripſiſſe, commemorat.

Sym-

Symmachus & Theodotion, interpretes.

Ex Epiphanij libro de Ponderibus & mensuris constat, Symmachum sub Marco Antonino Vero fuisse: Theodotionem uerò, circa initiũ imperij Quinti Cõmodi agnitum esse. Et quanquam intricatus est, quòd dum Imperatores numerat Adrianum, Antoninum, Verum, Commodum utrumque, Pertinacem & Seuerum, post eum statim subnectit: Huius temporis Symmachus quidam, &c. tamen in eo se rursus declarat, quòd Theodotionem Symmacho postponit: & sub eo Commodo, qui Marcum Antoninũ secutus est, uixisse bis indicat. De Symmacho uerò dicit, Samaritam eum primùm fuisse, & inter sapientes Samaritanos habitũ. elatum autem ambitione & cupiditate primatus, sed parui à sua gente factum, defecisse ad Iudæos, factum proselytum, circumcisum esse, atq; ita odio suæ gentis & studio peruertendi interpretationem apud Samaritas receptã, nouam condidisse. Hoc autem & de Symmacho Eusebius scripsit lib. 6, cap. 17: Sciendum (inquit) est, ex interpretibus Symmachũ fuisse Ebionæũ. Et paulo pòst: Cõmentarij Symmachi etiamnum extant, in quibus contra euangeliũ Matthæi inuehendo, dictam hæresin confirmare uidetur. Qualem & Theodotionem Ephesium fuisse, unà cum Aquila, de quo suprà dictũ est, Euseb. lib. 3, cap. 8 scribit. Quem secutus Hieronymus in præfatione in librum Iob, hæreticos Iudaizantes uocat Aquilam, Symmachum & Theodotionem, qui multa mysteria Saluatoris subdola interpretatione celarint. Legem enim Iudaico more seruandam esse, Ebionæi contendebant. In Commentarijs etiam ipsis in Iob ait, Theodotionem sensisse, Christum merum fuisse hominem. quamobrem & in Hæreticorum catalogum Augustinus eum retulit. Attamen in cõmentarijs in Danielem, capite quarto: Danielis interpretationem à Theodotione factam probari ait, ut quæ cum Ebræo congruat magis quàm Septuaginta interpretum. Nauclerus generatione sexta, folio uigesimoquarto, Tatiani cum fuisse discipulum indicat, antequam in hæresin Tatianus inciderit: quod & in Supplemento ac Sabellico legitur, & Platina in Opus suum pontificium transcripsit: hoc addens in uita Soteris, derisum esse à Theodotione Apellem hæreticum, quòd Deum, quem coleret, ignoraret. Falso autem id Theodotioni tribui, testimonio illud est, quòd Eusebius libro quinto, capite decimotertio hoc ipsum de Apelle Rhodonem Asiaticum scripsisse commemorat, qui cum unum principium affirmaret, & interrogaretur, qua nam ratione unum principium se habeat: se scire negauit, nisi quòd ita sibi uideretur. Fuit enim Apelles de hæresi Marcionis: cuius sectatorem aliquando Theodotionem fuisse, Epiphanius in loco paulo antè memorato admonet. Vnde fieri potuit, ut pro Rhodone Asiano, qui de Apelle hoc prodidit, lectũ sit Theodotion Asianus. Epiphanij uerba de Theodotione adscribimus: Circa secundi Commodi regnum, qui regnauit post prædictum Commodum Lucium Aurelium annos tredecim, Theodotion quidam Ponticus ex sectatoribus Marcionis hæresiarchæ Synopitæ, infensus & ipse illius hæresi, & ad Iudaismum declinãs, ac circumcisus, & Hebræorum linguam ipsorumq; elementa edoctus, priuatim etiã ipse interpretationem edidit, & pleraq; consonanter cum Septuagintaduobus edidit. Habebat enim hic plurima exercitia ex consuetudine Septuaginta duorum, &c.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

DE Martyribus & Episcopis, qui non ore tantum, sed etiam sanguine suo ueritatem Euangelij professi & testati sunt, dictũ est in suo loco. Quia uerò non tantum ministri Ecclesiæ, sed etiam alij Christiani martyrio affecti sunt, & confessiones ediderunt: ideo nec ij silentio prorsus prætereundi uidentur. In tam crebris autem, & tam latè grassantibus persecutorum furoribus, hoc seculo infinita martyrum extitit multitudo: & licet non omnium nomina & historiæ sint literis mandatæ, tamen si eorum tantum historiæ, qui in Martyrologijs tam uarijs & multiplicibus annotati sint, deberent referri, prolixam párerent narrationem. Nos igitur breuitati studentes, tantum aliquorum, eorum que insigniorum commemorabimus historias, quæ fidei, constantiæ, confessionis & tolerantiæ exemplis lectorem ædificare queant. Res autem digna est graui querela, quòd confessione & corona martyrij alioquin fœlices martyres, in hoc tamen infœlicitatis malum plerig; inciderunt, ut suarum historiarum scriptores adipiscerentur nugaces fabulatores, qui omnia in miracula artificiosè commutare studentes, ea quæ martyrum sunt præcipua, nempe fidem, confessionem & patientiam, utplurimùm neglexerunt, corumq; historias planè suspectas & ridiculas fecerunt.

DE MARTYRIBVS SVB Traiano.

EVsebius, sub Traiano non describit plurium martyria, quàm Simeonis, Cleophæ & Ignatij. quod cò fit, quia (ut lib. 4. cap. decimoquinto, & libro quinto cap. 1. testatur) commentarium quendam composuit de Antiquis martyribus, in quo non tantum historiam, sed etiam doctrinã eorum exposuit. Id uerò Eusebij opus de Antiquis martyribus, si extaret hodie, aut si martyrologiorum conscriptores ex eo historias martyrum antiquorum bona fide, sinceroq; iudicio sumpsissent, & non suas fabulas & nugacia miracula interseruissent, multas præclaras martyrum confessiones haberemus.

DOMICILLA.

Domicilla, neptis Domitiani Cæsaris ex sorore, à Nereo & Achilleo eunuchis & custodibus suis, qui Petri discipuli fuisse perhibentur, perducta est ad fidem: & à Clemente presbytero baptizata dicitur. Quum Aureliano Flauo, Clemẽtis Domitiani fratris filio, nubere nollet, putans sibi Christianæ cum gentili uiro nõ bene conuenturum: in Pontiam insulam pro confessione nominis Christiani deportata, longum ibi martyrium (teste Hieronymo, tomi primi pagina octaua) duxit: & tandẽ à Luxurio, fratre Aureliani, sub Traiano, cum sacrificare idolis nollet, unà cum suis famulis, in urbe Tarracina, in cubiculo cremata est.

QVINQVE VIRGINES.

Traianus Antiochiæ quinq; uirgines, fidem palàm profitentes, combußit: & oßibus earũ in cinerem redactis, æriq; commistis, ahena quædam, & alia uasa fabricari curauit: & in usum publici lauacri, quod ipse magnificentißimè extruxerat, & ad publicas quasi pœnas, & æterna suæ crudelitatis monumenta destinauit. Verùm enimuerò, quicunq; eò ingrediebantur, quamprimũ calida se perfundebant aqua, caligine & uertigine correpti, cum impetu excurrebant & procidebant. Causa uerò eius mali cognita, Traianus, ut alia uasa ex ære puro pararentur, mandabat: & priora illa in fornacibus cõflata, in quinq; statuas transformari, easq; uirginũ combustarũ forma & habitu pro balneo collocari curabat. Nicephorus libro tertio, capite uigesimotertio.

Beda, & alij sequentes Chronographi inter martyres sub Traiano recensent Quirinũ, eiusq; filiam Balbinam, Sulpitium & Senulianum, Seraphiam uirginẽ, & Nerea & Achillea eunuchos Domicillæ. item Euphrosynam, & Theodoram, Euthicen. Cum autem historiæ eorum nugis & fabulis similiores sint quàm uero, nolumus eas hic commemorare, remittentes lectorem ad suos autores.

SVB ADRIANO.

EVSTACHIVS.

Prolixa & lepida de Eustachio paßim in Martyrologijs recitatur fabula, quomodo sub Traiano, cum tribunus militum esset, conuersus sit, cum uxore Theopista, & duobus filijs Agapito & Theopisto: & postea mirabilem fortunæ casum expertus, amiserit omnia sua bona, uxorem & liberos: & bubulcus factus, & tandem ab Imperatore requisitus suam uxorem & liberos agnouerit. Nos ijs omißis, tantum de martyrio eius pauca referemus.

A' Traiano contra barbaros cum exercitu missus, uictoriã adeptus est. Dum autem Romam reuertitur, occurrit ei Adrianus, qui mortuo Traiano successerat: eumq; in urbem deducit. Venitur ad templum Apollinis. Adrianus, ut moris erat, templum ingreditur, sacrificaturus dijs suis, pro uictis barbaris. Eustachius uerò statuens se non posse bona cõscientia sacrificijs dæmoniorum interesse, foris consistit. Imperator id ægrè ferens, peractis suis sacrificijs ad se eum accersit, & graiter cum eo expostulat, quòd dijs non sacrificauerit pro uictoria, & alijs beneficijs sibi collatis. Ille uerò haud suam fidem dißimulans, ait: Ego supplico Christo Domino meo, eiq; preces & gratiarum actionem pro beneficijs offero: alium uerò Deum neq; scio, neq; colo. Adrianus ubi cognoscit eum Christianum esse, iußit eum cingulo militari priuari: & facto iudicio, unà cũ uxore & liberis suis damnauit. Obiecti autem sunt leoni: à quo cum non dilacerarentur, in æreũ taurũ coniecti sunt, laudantes & inuocantes Deũ, ab igne consumpti, in sinũ Abrahæ emigrarunt. Nicephorus libro tertio, cap. uigesimonono: & Petrus de Natalibus, Vincentius Chron. Henric. de Erphordia, & alij. Idq; quinto Adriani anno factum esse, paßim annotatur. Porrò, quòd Vincentius ex gestis eorũ refert, quòd Deum orarint, ut omnes sui memores & ipsorum suffragium implorantes à periculis & peccatis liberaret, idq; uoce diuina eis promissum esse: à ueritate omnino alienũ est. Neq; enim Deus suũ honorẽ uult dare alteri, neq; sancti martyres talia postulare à Deo ausi fuißent.

SAPPHIRA.

Sapphira Antiochena uirgo, Romam uenit, & Sabinam Valentini uiduam, cuius famula fortè fuit, ad fidem conuertit. eam ob causam accusata, ad præsidem Berillum nomine adducta est. ubi cum sacrificare dijs iuberetur, constanter suam edidit confeßionẽ, se Christianam esse: Deumq; omnipotentem, qui omnia fecit, colere. Deos gentium non esse ueros Deos, sed dæmonia. Præses, ob eam cõfeßionem, uirginem capite truncari curauit. Factum septimo Adriani anno. Plura quidem narrant Petrus de Natalibus, & Vincentius: quòd sit ad stuprum duobus iuuenibus tradita, & mirabiliter seruata, extinctis illis impudicis adolescentibus: & quòd eosdem coram tribunali oratione sua resuscitarit, & postea lampadibus sine læsione usta sit. Verùm ea insertitia magis quàm uera uidentur.

SABINA.

Sabina filia Herodis metallarij, uxor Valentini Patricij Romani, post mortem mariti à Seraphia conuersa, sub Adriano quoq; suo sanguine Christum est professa. Occasionem martyrij ex gestis eius narrat Vincentius eam fuisse, quòd reliquias uirginis Seraphiæ collegerit, & ex more celebratis exequijs in monumẽto ornato reposuerit, & eleemosynas distribuerit, ægrotos & incarceratos Christianos uisitarit.

Hæc posteriora fortè uera esse possunt: sed illa prior a quomodo uera dicẽtur, cum hoc totum seculum de exequiarum celebratione & reliquiarum custodia in Christiana religione omnino nihil sciat: & ethnicorũ fuerint ceremoniæ, exequias facere, & iusta peragere. Cum aũt delata esset apud Helpidiũ præfectũ, in prætorium adducta, Christi & suæ fidei cõfeßionẽ edere non est uerita. Nam à præfecto interrogata, cur oblita sui, cum Valentini uxor fuisset, se à cultu deorum, quos Imperatores honorarent, auerterit, & Christianorum religionem amplexa sit: respondebat: Ego gratias ago Domino Iesu Christo, qui me peccatricem, per famulam suam Serapiam, de multis sordibus & potestate dæmoniorum liberare dignatus est, ut non amplius errarem, sicut uideo uos errare, adorando dæmones: cum quibus nisi conuersi fueritis, uos & Imperatores uestri in ignem æternum coniecti puniemini. Helpidius uerò his ad iram commotus, pronunciauit sententiam in hunc modum: Sabinam Dijs inobedientem, Dominos quoq; & Augustos blaßphemantem, gladio percuti decreuimus, atq; omnes eius facultates in ærarium publicum conferri. Eam sententiam statim subsecutum est supplicium, quod illa læta & cum inuocatione nominis diuini sustinuit.

IVSTVS ET PASTOR.

Duo fratres erant Iustus & Pastor, & in oppido Compluto Hißpaniæ scholam frequentabant. cum autem domi à parentib. suis de uera religione, & de idolorum uanitate instituti essent, in schola uerò gentium idola commendari audirent, cæperunt sese fortè magistris suis opponere, & idola spernere. Eam ob causam ad præsidem sunt delati. Is ne puerorum exemplo alij grandiores natu ad martyrium incitarentur, censuit

censuit eos uerberibus castigandos & dimittendos esse. Verùm cum ij se mutuò ad constantiam cohortarentur, atq; ita prorsus insanabiles apparerent, à carnificibus extra urbem ducti, iussu præsidis Daciani capite truncati sunt, anno Adriani decimo.

GETVLIVS.

Getulius pastor, seu doctor in urbe Tiburtina, cum plures de Christiana religione docuisset cum Cereali, Amantio & Primitiuo, iussu Adriani igne exustus est. Constantiam & confessionem mariti uxor Symphorosa imitata, cum septem filijs, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Statteo, & Eugenio, anno sequenti martyrium diuersis supplicijs fecit. Ipsa enim mater in fluuium præcipitata, filij uerò palis affixi, ibiq; necati sunt, undecimo Adriani anno.

SOPHIA.

Sophia ex Italia Romam cum filiabus, Fide, Spe, & Charitate uenit. & cum in sacris literis bene esset instituta, zelóque Dei ferueret, plurimas ethnicas mulieres ad fidem conuertit. Illæ uerò Christianæ factæ, ab infidelitate maritorum & sumptuosis conuiuijs abhorrere incipiebant. Quæ res cum Antiocho cuidam præfecto innotuisset, ad Adrianum id retulit, Sophiam docere unum Deum esse colendum, & Christum eius filium: nec aliter quenquam in Christi cultu posse proficere, nisi & coniugio & delicijs abstinuerit: & uxores ciuium Romanorum ab ea persuasas, à consortio & conuiuio maritorum abstinere. Adrianus hac accusatione motus, Sophiam cum filiabus accersit: & singulas separatim, primùm Fidem, postea Spem, postremò Charitatem, cum pollicitationibus ad abnegationem fidei, & ad sacrificandum Dianæ, tum comminationibus grauißimorum cruciatuum solicitat. Cum illæ nihil neq; promißionibus neq; comminationibus commouerentur, & Christum confiterentur, atq; Adriani idololatriam taxarent: & Dianam non esse deam, nec adorandam asserent: post multa tormenta capitali supplicio affectæ sunt. mater uerò ad sepulchrum filiarum, animi mœrore expirauit. Narrant Paßionalia, Adrianũ, cum animam ageret, constitutum in grauißimis doloribus exclamasse: Deus trium uirginum, & earum matris, uelocius animã meam educ è corpore: scio enim, quòd propter illas omnia hæc mala in me irruerunt. Allegat eius narrationis testem Chronicon Hermãni, Eusebiũ: sed apud eum nec de martyrio filiarum Sophiæ, nec de hac Hadriani uoce quicquam legitur.

Referuntur & alij paßim martyres sub Adriano paßi, Zenon patricius Romanus, cum decem millibus ducentis tribus: Primus & Marcus presbyteri, Maria ancilla Tertulli. Sed apud suos eorum martyria uidebantur autores.

DE MARTYRIBVS SVB Antonino Pio.

LVCIVS ET PTOLEMAEVS.

ANno Antonini Pij septimo, apud Alexandriã Aegypti Ptolemæus & Lucius martyrio coronati sunt pro confeßione Christi. Quia uerò Iustinus in Apologia sua eam eleganter commemorat historiam, ideo eius uerba subijciemus, ut extant apud Eusebium libro quarto, capite decimoseptimo. Mulier quædam uixerat cum marito suo lasciuijs dedito, quibus & ipsa antea dedita fuerat. Ea postquam Christi doctrinam cognouisset, ad resipiscentiam & uitæ castimoniam rediit: ac uiro, ut consimiliter & ipse resipisceret persuadere conata, doctrinam illi exposuit, quæ futurum sempiterni ignis supplicium intemperanter & non recta ratione uiuentibus comminatur. Ille uerò ijsdem lasciuijs suis immorando, illicitis actibus suis uxorem à se abalienat. Dicebat enim illa, illicitum deinceps futurum, ut cum eo uiro eodem uteretur cubili, qui contra naturæ legem & præter æquum & fas uoluptati suæ undecunq; uias quæreret: ideoq; diuortio ab illo separari uolebat. Quoniam uerò amicorũ persuasionibus ab ea sententia reuocabatur, qui consulebant ut adhuc marito conuiueret, quòd spes esset fore ut aliquando ad se rediret: seipsam cohibendo, in eo coniugio manebat. Cum uerò uir ille Alexandriã profectus, peiora perpetrare nunciaretur, ne consors scelerum & impiorum flagitiorum redderetur, si in coniugio illius perduraret, & eodẽ cum illo contubernio cubiliq; uteretur, dato illi repudij libello, sicut nos illũ uocamus, separatur ac discedit. Tum autem egregius ille & bonus uir, cum gaudendum ipsi esset, quòd uxor, quæ antea famulis & mercenarijs promptè obsequundauerat, ebrietatiq; & omnis generis maliciæ dedita fuerat, huiusmodi facinoribus renunciasset, demumq; & ipsum ad eam resipiscentiam uocasset, & quia illã respuebat, ab ipso separata esset, accusationẽ instituit, Christianã eam esse dicens. Et illa quidẽ libellum tibi Imperatori obtulit, hoc abs te petens, ut sibi primùm res suas disponere permitteretur, ac tum postrerum suarũ dispositionẽ ad accusationẽ responsuram se pollicita est: id quod & tu permisisti. Ille aũt, aliquãdo maritus eius, cum iam non haberet quod cõtra eam prætexeret, ad Ptolemæum quendam præceptorẽ mulieris in disciplina Christiana, quem Vrbicius supplicio affecit, hoc pacto conuersus est. Centurioni, amico suo, qui Ptolemæũ in uincula cõiecit, persuasit, ut Ptolemæũ adorsus, hoc solum ab eo, Christianus ne esset, extorqueret. Cum aũt Ptolemæus ueritatis amans, nec seductor, neq; mendacio deditus esset, seq; Christianũ esse profiteretur, in uincula eum cõijci fecit Centurio, ac diu in carcere puniuit. Deinde cum tandem homo ille ad Vrbicium uenisset, de hoc solo inquisitus est, an Christianus esset. Et quoniam bonæ sibi causæ propter Christi doctrinam conscius erat, diuinam se ueritatem docuisse confessus est. Etenim qui, quod est, esse negat, aut id quod est negando condemnat, aut seipsum ea re indignum & alienum ab ea sciens confessionem fugit: quorũ nihil in uero Christiano reperitur. Et cum eum Vrbicius abduci iußisset, Lucius quidam, & ipse Christianus, uidens iudicium esse præter rationem factum, ad Vrbicium dixit: Quæ ratio est, quòd hominem hunc, qui nec adulterium commisit, nec scortatus est, neq; homicidium perpetrauit, neq; suppilator est, nec raptor, neq; simpliciter aliquid iniqui designasse deprehenditur, propter Christiani nominis confeßionẽ puniuisti? Iudicia tua nec Pio Imperatori, nec Philosopho Cæsaris filio, neq; sacro Senatui decora sunt, ô Vrbici. Ad hæc Vrbicius nihil respondẽs, ad Luciũ dixit: Et tu mihi talis esse uideris. Lucio respondente, Maximè: & ipsum

ipsum abduci iussit. Ad hoc Lucius illi gratias egit, ac subiecit, Hac se ratione à malis huiusmodi dominis liberari, & ad bonum patrem ac regem Deum proficisci. Et alius quidam tertius accedens, & ipse supplicio est adiudicatus. Eusebius lib. 4, cap. 17.

FELICITAS, CVM SEPTEM filijs.

Felicitas uidua Romana erat, & habebat septem filios, quorum hæc nomina referuntur, Ianuarius, Felix, Philippus, Syluanus, Alexander, Vitalis & Martialis: ad fidem Christi conuersa, suam quoq; familiam & liberos ad agnitionem Christi perduxit, estq; eius familia quasi propria aut integra Ecclesia Christi effecta: nec suam fidem clàm habuit, sed ore iusticiã, quã corde amplexa erat, testabatur: & idololatriam ethnicam reprehendens, multas mulieres Christo lucrifaciebat. Id autem Pontifices idolorum (nondum enim episcopi Romani pontifices dicebantur) ægrè ferebant, non tantum à uiris, sed etiam à fœminis deos & idola sua argui ac sperni, quæstumq; sibi decedere. Ad Imperatorem igitur rem deferunt, graui accusatione aduersus Felicitatẽ instituta: quòd nõ modò non colat deos Imperatoris, sed eos etiam blasphemet, & aliorũ quoque mentes à religioso deorum cultu abalienet: qua impietate ita offensi sint dij, ut nisi Felicitas aut ad sacrificandum adigatur, aut è medio tollatur, iram eorum aduersus Romanos fore implacabilem. His Imperator commotus, Publio urbis præfecto mandabat, ut Felicitatẽ cogeret unà cum filijs suis sacrificare dijs, coq; sacrificio iram & pœnas deorum auertere. Publius cupiens Felicitati ut primariæ mulieri parcere, ad se priuatim eam cum filijs accersit: & primùm blandis uerbis, postea uerò comminatione pœnarum & cruciatuum conatur ei persuadere, ut ad ueterem religionem deorum immortalium, deserta Christianorũ hæresi, reuertatur: idq; sacrificatione manifestè testetur. Felicitas uerò memor illius Christi oraculi: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum coram patre meo cœlesti, &c. non quærit simulationis effugia, nec ambagibus utitur uerborum, sed breuiter respondet: Nec blandimentis tuis moueor, nec terroribus & minis frangor: Spiritum enim sanctum habeo, qui mihi suggerit uires, ut parata sim pro fidei meæ cõfessione quiduis perpeti. Publius cum ipsam à constanti sua sententia non posse deijci arbitraretur, inquit: Age sanè, si tibi suaue mori est, fiat: uerũ heus tu, miserere filiorum tuorum, & illis persuade ac præcipe, ut sacrificio uitam suam redimant. Ad hæc Felicitas respondet: Misericordia tua impietas est, & exhortatio tua crudelitas. nam si filij mei sacrificarent idolis, non uitam redimerent, sed ea amissa æterni ignis mancipia fierent. & conuersa ad filios suos, ait: Filij charissimi, in fide & confessione Domini nostri Iesu Christi persistite: uos iam expectat Christus cum sanctis suis: pugnate pro animabus uestris, & fideles uos exhibete in amore Christi. His inflammatus Publius, alapam ei impingi iussit, addita graui obiurgatione: Itá ne eos me præsente mones de Imperatorũ uiolandis statutis, quos ad obseruationem eorundem instigare debebas? sperans autem se filijs, si non omnibus, at saltem aliquibus persuasurum, ut abiecta Christiana religione sacrificarent idolis, seorsim singulos cum pollicitatione præmiorum, & suppliciorum minitatione, ad abnegationem solicitabat: sed nihil proficiebat. Quare ad Imperatorem de peruicacia eorum referebat, quòd nullo modo possent ad sacrificãdum dijs adduci. Imperator uerò carnificibus eos tradi, & uarijs supplicijs affici mandabat. Spectante igitur matre, Ianuarius plumbatis occiditur, Felix & Philippus fustibus ad necem usq; cæduntur, Syluanus præcipitio interimitur: Alexander, Vitalis & Martialis capite truncantur. Postremò mater quoq; ipsa capitali supplicio afficitur. factũ esse anno Veri sexto, Beda & Henricus de Erfordia referunt. De ea Gregorius sic scribit: Felicitas credendo extitit ancilla Christi, prædicando uerò mater Christi facta est: prædicando peperit filios Deo, quos carne pepererat mundo. Filios suos carnem suam esse nouerat, sine dolore morientes uidere non poterat. Sed erat uis amoris interior, quæ carnis dolorẽ superabat. Rectè igitur hanc fœminam ultra martyres dixerim, quæ toties est in filijs & desideranter extincta. Dum enim multiplex martyrium obtinuit, ipsa quoq; martyrij palmam uicit: quia ob amorem Christi sola ei sua mors minimè suffecit.

CONCORDIVS.

Henricus de Erfordia, ex Isuardi martyrologio refert, Concordium presbyterum apud Spoletũ, temporibus Antonini Veri Imperatoris Ioui sacrificare nolentem, & insuper in faciẽ idoli expuentem, post multa alia supplicia gladio cæsum esse. Vincentius libro 10. cap. centesimo octauo, prolixam de eo narrationẽ ex gestis eius pertexit, in qua etsi cõmentitia quædam continentur, tamen ferri utcunq; possent. Verùm hoc omnino falsum & superstitiosum est, quod ait: precibus Concordij impetrari, ut aqua illa quæ apud ciuitatem Spoletanam penes sepulchrum scaturit, præstante eo pro cuius nomine ille passus est, cæci illuminentur, infirmi sanentur, & dæmones expellantur. Nam eam uim cæcis aperiendi oculos, & expellendi dæmones, neq; natura aquæ indidit, neq; Deus expresso uerbo largitus est, neq; Cõcordius adhuc in uiuis existens à Deo id (utpote quod est contra Dei uoluntatem) postulare piè potuit, aut uoluit. Isuardus & Beda, Vincentius & Henricus de Erfordia, & alij autores, plures referunt martyres sub Antonino Vero paßim uarijs generibus suppliciorum affectos, quorum nomina hæc sunt: Symmetrius, Florellus, Pontianus, Alexãder, Caius, Epipodus, Victor, Corona, Marcellus, Valerianus. His communis martyrij causa plerunq; fuit, confessio Christi, taxatio idololatriæ, & quod idolis iussu Imperatorum sacrificare recusarunt. Suppliciorum et miraculorum magna uarietas commemoratur: sed tamen plerunq; eò narratio deducitur, ut capite truncati dicantur. mirum quòd alia magis letifera tormenta superare potuerunt, à gladio tamen uitam tueri nequiuerunt. Quæ res non parum suspectas cùm aliorũ, tum etiam horum martyrum historias, ut nunc in Vincentio, & Petro de Natalibus & alijs extant, facit: quas, qui uolet, à suis requirat autoribus. Nobis hæc dixisse sat est.

DE

DE MARTYRIBVS SVB Commodo.

VINCENTIVS, EVSEBIVS, PEREGRINUS, Potentianus.

VIncentius, Eusebius, Peregrinus, Potentianus, doctores erant, qui ad imitationem Apostolorum circumibant, & Euãgelio propagando ad gentes nondũ cõuersas operam dabant. Cum aũt Commodus in natali sua die cõuocata omni plebe Romana, Herculem & Iouem celebrasset acclamatione publica, Protector est Hercules Reip. & defensor libertatis Romanæ: & in ea cõcione Cõmodus pelle leonis indutus, ad aureã Iouis statuam thura adoleuisset, pio zelo accensi, eam idololatriam Imperatoris & populi arguebant, & in pagis & oppidis uerum Deum prædicabant, dicentes: Charissimi fratres, recedite à cultura dæmoniorum, date honorem trino & uni Deo patri, filio & spiritui sancto, omnipotenti & uiuenti: & agite pœnitentiam, & baptizemini, ne simul cum Cõmodo pereatis. Hac concione Iulium senatorem & alios conuerterunt. Res defertur ad Imperatorem, & capiuntur à Vitellio, & sollicitantur ad sacrificandum Herculi & Ioui. quod cum obstinatè recusarent, post multa tormenta & uaria miracula quæ accidisse referuntur, tandem plumbatis cæsi sunt. Vincentius lib. 10. cap. 119. & 122, 123. & Chronicon Henrici de Erfordia.

IVLIVS SENATOR.

Iulius senator Romanus, audita concione martyrum prædictorum, in domum suam eos introduxit: & de religione Christiana ampliùs instructus, Euangelio credidit. & accersito quodam Ruffino presbytero, baptizatus est cum tota fãmilia sua. Nec, quod uulgus politicorum hominũ facere solet, fidem suam clàm habebat: sed magno syncerog; zelo inflãmatus, palàm profitebatur: & nihil magis in uotis habebat, quàm sibi, non modò in Christium credere, sed etiam pro Christo uitam ponere, à Deo dari. Imperator cognita re, quòd Iulius quoq; à ueteri religione deorum ad Christianorum fidem defecisset, continuò eum ad se accersit, & his affatur uerbis: Iuli, quæ te dementia cœpit, ut antiqua maiorũ tuorũ & cõmuni religione, quæ Iouem & Herculẽ deos agnoscit & colit, abiecta, noua illa & uana Christianorũ cõmenta amplectaris? Iulius tẽpus & occasionẽ cõfessionis nactus, Imperatori suæ fidei rationẽ reddit: & Herculẽ ac Iouem nõ esse ueros deos ostendit, & cultores idolorum æternis supplicijs perituros monet. Imperator deos suos dãnari et contẽni audiens, ira inflammatus (ut erat natura iracũdior) Vitellio magistro peditũ, homini feroci & crudeli, mandat, ut Iuliũ ad sacrificandũ inuictissimo Herculi adigat, aut id facere recusantẽ interficiat. Vitellius uero, ut iussus erat, Iuliũ hortatur, ut mandato Imperatoris pareat, eiusq; deos adoret & colat. per eos enim uniuersum Imperium Romanum non modò constitutum esse, sed etiam incolume & integrum conseruari. Verum id nullo modo se facturum Iulius ait: & simul Vitellio, nisi Deum uerum agnoscat, eiúsque mandatis pareat, unà cum suo principe periturum, grauiter comminatur. His Vitellius ad iram commotus, fustibus Iulium ad mortem usque mulctari curat.

DE MARTYRIBVS HAEreticorum.

TAntus erat furor persecutorum, ut quosuis, tantum nomen Christi quoquo modo profitentes, tanquam catharmata & exitiales pestes totius orbis terrarum arriperent, & crudelissimè mactarent. Hinc factum est, ut non modò ij qui sanam de Christo doctrinã amplectebantur, sed etiam hæretici, qui Christianum nomen usurpabant, quemadmodum Marcionistæ & alij, ad supplicia raperentur, & propter professionem nominis Christiani interficerentur.

Cæterùm, quamuis Ethnici inter ueros martyres & hæreticorum non discernebant: tamen Christiani, siquando coniunctim cum hæreticis ad martyria rapiebantur, necessariò sua protestatione & confessione sese ab ijs disiungebant: & à ueneno eorum, ut & aliàs in tota uita, etiã in morte sibi cauebant, cauendũq; alijs suo exemplo & confessione ostendebant. Vnde Apollinarius inquit, referente Eusebio libro 5, cap. 16: Siquidem & aliarum hæresium nonnullæ quampluri mos martyres habent, non tamen ideo pedibus in illorum imus sententiam. ac primi statim, à Marcionis secta Marcionistæ dicti, plurimos habere martyres referuntur: ueruntamen Christum ipsum iuxta ueritatem non profitentur. et paulo pòst: Proinde cum Christiani ex Ecclesia ad martyrium & professionem ueræ fidei & pietatis, unà cum eis martyribus qui Phrygum hæresis dicti sunt, uocantur, seorsim, nec assentientes eis, neq; cum eis communicantes, moriuntur: propterea quòd nolint in Montani mulierculârum quæ eius spiritus sententiam concedere. Id autem uerum esse, quod nostro quoque æuo Apameæ (quæ ad Mæandrum fluuium sita est) accidit exemplum, declarat, in Caio & Alexandro ab Eumenia martyribus, qui de recta fidei sententia & opinione decertarunt.

Cum autem exempla diuersorum generum soleant nonnihil perspicuitatis afferre, putauimus non prorsus à nostro instituto fòre alienum, si unam atque alteram pseudomartyrum historiam assignaremus.

Metrodorus.

Metrodus apud Smyrnam Marcionis errorem sequutus, à persecutoribus Christianorum captus, & cum presbyter esse iudicaretur, uiuus combustus est. Eusebius libro quarto, capite decimoquinto, ex epistola Smyrnensi.

Themison.

Themison, assecla Maximillæ fuit. de eius martyrio Apollonius, ecclesiasticus scriptor, in oratione contra Cataphrygas (referente Eusebio lib. 5, capite decimooctauo) inhunc modum scribit: Præterea Themison, qui in dubitata auaritia circũdatus, cõfessionis signum non gustauit, sed multa se pecunia uinculis exemit, cum ipsi ob eam causam humiliter esset agendum, quasi martyr gloriabundus, ad exemplum Apostoli catholicam quandam epistolam ausus est scribere, & eos instituere qui melius quàm ipse credebant: & hortari, ut unà secum pro nouis doctrinis decertarent, ac Dominum & Apostolos eius & sanctam Ecclesiam blasphemarent.

Alexan

Alexander.

Alexander, Priſcillæ & Montani ſectator iudicatus eſt Epheſi, ab Acmilio Frontino proconſule: non propter profeſſionis nomen, ſed propter temerè perpetrata latrocinia, cum iam eſſet præuaricator. Deinde cum falſo ſibi nomen Domini prætexeret, ſeductis eius loci fidelibus, dimiſſus eſt. Parœcia uerò eius, unde erat, propterea ipſum, quòd latro erat, non recepit. Sed poſtea ſeipſe martyrem eſſe dixit, & à multis eſt adoratus: multis peccatorum abſolutionẽ impertiuit, ut martyres ſolebant. Hæc Euſebius libro 5. cap. 18, ex Apollonio recitat. Hæc eò cõmemorauimus, ut appareat, hæreticorum martyres potius propter ſua ſcelera, quibus inſignes erant, quàm pro pia & conſtanti confeſsione Chriſti ſanguinem ſuum effudiſſe.

CAPVT XIII.

DE REBVS MIRACVLOSIS.

DE MIRACVLO PLVVIAE IMPETRATAE à militibus Chriſtianis, ſub M. Antonino Vero.

Extra cõuerſiam miraculi ſpeciem habet, & propter finem utilem non indignum commemoratione eſt, (nam & ab ethnicis etiam & probatis autoribus narratur) quod in expeditione duorum fratrum Imperatorum Marci Antonini & Marci Aurelij Cõmodi accidit. Cum enim bellum Imperatoribus illis commune aduerſus Quados, Vandalos, Sarmatas et Germanos eſſet, exercitus anguſtis & aridis locis, magnóq; æſtu ex hoſtium imminenti impetu concluſus, inter alias militiæ difficultates, aquis etiam aliquando per dies quinque deſtitui, & ſiti uehementi laborare cœpit. Quod malum animos militum non mediocriter defatigabat: & periculoſum etiam, propter uim hoſtium in propinquo collocatam, erat. Rebus igitur in ſummo diſcrimine cõſtitutis, ſubitò de exercitu in auxilium commune progreſſa Chriſtianorum legio eſt: quæ genibus in terrã incuruatis proſtrata, coniunctis certatim ardentibus precibus, geminum ilico beneficium à Deo impetrauit. Nam & ex imbre largiori cœlo demiſſo, aquæ gratiſſimæ collectæ militibus ad ſitim ſedandam ſufficiebant, & e regione propius incumbens hoſtiũ numeroſus exercitus fulminib. frequentibus territus ac diſpulſus eſt. Quod miraculũ ipſius etiam Imperatoris animum in tantum affecit, ut æquior ac benignior deinceps Chriſtianis eſſet: ac literis etiam ad plurimos miſſis, ut Tertullianus in Apologetico oſtendit, tum exercitus ſalutem, tum uictoriam ſuam Chriſtianorũ precibus acceptã referret. Commemoratur quidẽ hoc factum in hiſtorijs gentiliũ: ſed quòd Chriſtianorũ precibus impetratum ſit, hoc non refertur, ut Euſeb. lib. 5. cap. 5 indicat. Et Suidas ſcribit, fuiſſe in exercitu Marci Antonini Iulianum Chaldæum quendam, qui copijs ſiti laborantib. nubes prouocarit, quæ in imbres ilico reſolutæ ſint. Idẽ, alios hoc beneficium ad Arnuphim quendã philoſophum Aegyptium referre indicat: in qua opinione & Dion eſt, qui hunc philoſophum ſeu magum Aegyptium ſcribit hoc miraculi præſtitiſſe, inuocato Mercurio. Notum & Claudiani epigrãma eſt, quo teſtatur tributũ hoc diui nũ & cœleſte beneficiũ, odio nimirũ uirulento Chriſtiani nominis, magicis artibus, moribuſq; ac probitati Imperatoris Marci. Claudiani uerſus adſcribemus:

Nec tantis patriæ ſtudijs ad templa uocatus
Clemens Marce redis: quin gentibus undiq; cinctam
Exuit Heſperiam paribus fortuna periclis,
Laus ubi nulla ducum. nam flãmeus imber in hoſtem
Decidit, hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſedit galea, liquefactáq; fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere uaporibus auſus.
Tum contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit, Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armauere deos: ſeu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Euſebius refert: Malè ſibi conſcij tres flagitioſi homines, iudicium ac reprehenſionem Narciſſi metuunt. Itaq; factione quadam uindictam ſuorum ſcelerũ effugere hoc modo conantur. Apud cœtum plebis conuocatum, certi cuiuſdã infamis criminis Narciſſum inſimulant: iuramento, execratiothough; interpoſito, ut ignis primum abſumeret, niſi uerum diceret: ſecundum autem ſæuus corriperet morbus, ſi quicquam mentiretur: tertio deniq; uiſus eriperetur, ſi falſum protuliſſe deprehenſus eſſet. Poſt eam accuſationem, etſi nec apud auditores aliqua erat iſtorum criminũ fides, ideo quòd Narciſſi pietas & integritas nemini ignota eſſet: Narciſſus tamen ocij & tranquillitatis cupiditate in agros ſe ſolitarios abdidit. Teſtium uerò factioſorum nõ ita multo pòſt unuſquiſq;, illud ipſum quod ſibi periurio imprecatus erat, turpi ſua cum infamia & interitu, Narciſſiq; & in primis Dei gloria expertus eſt. Prioris ſiquidem parua de ſcintilla domus, qua recipiebatur, ſuccenſa, incendio tota, ſic ut & ipſe ſimul periret, conflagrauit. Alter eodem morbo cui ſe deuouerat, correptus & confectus, miſerè extinctus eſt. Poſtremus uerò iudicium & diuinam uindictam exitu priorum miſerando æſtimans, ſceleſtis in uirum ſanctum inſidijs mirabiliter patefactis, lugendo et flendo noctes totas, utriuſq; oculorum uiſu priuatus eſt. Euſebius libro ſexto, capite nono.

De Alexandro Euſebius libro ſexto, capite decimo retulit. Cum enim is ſocius in epiſcopatus adminiſtratione Narciſſo ſeni adhibendus eſſet, atq; ex Cappadocia, ubi in celebri quadam urbe epiſcopus fuerat, diuinis reuelationibus euocatus, & ad urbem accedens à fratribus expectaretur, clara interdiu è cœlo uox omnibus audita eſt, ſignificans, Accipiendum eſſe eum epiſcopum, qui à Deo ipſis deſtinatus ſit. Addit narratio Euſebij, etiam uiſiones nocturnas interceſſiſſe: Alexandro quidem, ut unà cum Narciſſo miniſterij officio fungeretur: Hieroſolymitanis uerò, ne Alexandro redire domum cupienti poteſtatem darent.

His accenſeri poſſunt & alia, ut conflagratio domus aureæ maximis impenſis à Nerone extructæ, quæ Traiani tempore accidit: ut & Panthei, celebris omnium deorum templi, quod poſt uictoriam relatam de Perſis Sibylla conſtruere iuſſerat, ſubita & à fulmine orta conflagratio. Horribiles terræmotus, qui quatuor in

tuor in Asia urbes (ut Eutropius ait lib. 10) & tres Galatiæ subuerterunt. Quo tempore & Antiochia, ubi tum fortè Imperator erat, & omnes propè Romani imperij nationes cõuenerant, sic concussa est, ut ipsi quoque uicini montes conuulsi, inter quos Casius mons in Syria maximus fuit, subsederint, fluuij defecerint, & terra horribilem quendam mugitũ & mare fremitum ediderit: tantusq; fuerit & tectorum ruentium fragor, & hominum obrutorum clamor, et cum mixto puluere caligo tanta, ut nemo alterum uel uidere uel alloqui uel audire posset. Hæc enim, et alia multo plura, de horribili confusione & calamitatibus ex terræmotu Antiocheno ortis, Dion prodidit: qui et ipsum Imperatorem, per miraculum seruatum esse, ita ut ab aliquo humana statura maiori inter tectorum ruinas per fenestram subtractius sit, narrat.

De prodigijs uerò in oppugnatione Agarenorum, cui Traianus interfuit, Dion scribit: Prodigia imibi multa facta sunt, tonitrua atq; fulgetræ, arcus ingens in cœlo uisus, tempestates et grandines immensæ. Præterea (quod monstro simile existimatum est) quoties Romanus cum hoste manus consereret, ictu fulminis euertebatur. Orta subitò muscarum uis, edulijs & poculis insidens, fœdo contactu Romano grauia & molesta faciebat, adeò ut Traianus digredi inde cogeretur. Hæc sub Traiano sic accidisse prodita sunt.

Sub Hadriano uerò, quemadmodum in Chronico Eusebius annotauit, iterum exorti terræmotus, maximam partem Nicomediæ & Niceæ urbium euerterũt. Et aliquanto pòst, Nicopolis & Cæsarea eadem de causa penitus submersæ sunt.

Recenset prodigiorum quæ sub Antonini Pij imperio acciderunt, magnum numerum etiam Iulius Capitolinus: Aduersa, inquit, eius temporibus hæc prouenerunt: Fames, circi ruina, terræmotus quo Rhodiorum et Asiæ oppida conciderunt: & Romæ incendiũ, quod trecentas quadraginta domos absumpsit. Et Narbonensis ciuitas, & Antiochense oppidum, et Carthaginense forum arsit. Fuit & inundatio Tyberis, apparuit & stella crinita: natus est & biceps puer, & uno partu mulieris quinq; pueri editi sunt. Visus est in Arabia iubatus anguis maior solitis, qui se à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit: hordeum in Morsia in culminib. arborũ natum est. Quatuor præterea leones feri, sponte se capiendos in Arabia præbuerunt. Lucius Aurelius Commodus Athenis sacrificans, subito motu ignem in cœlo ab oriente in occidentem ferri uidet.

Sub Commodo altero ædes Iouis Capitolini fulmine incensæ, ignem in bibliothecam uicinam instructissimam, maiorum cura & diligentia adornatam, deriuauit, eamq; magna cum iactura & clade literarum et librorum exussit. Nec multo pòst secutum aliud incendium, templa Pacis & Vestæ & Palatium conflagrauit, magnamq; partẽ ipsius urbis diruit ac solo æquauit. Referunt Spartianus, Orosius, Nauclerus & Phrygingensis. Capitolinus & illud sub Commodo accidisse scribit, eo tempore quo ex Syria Romã ad triumphum Commodus profectus est: Nata, inquit, fertur pestilentia in Babylonia, ubi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens euasit, atq; inde Parthos orbemq; complesse.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS externis.

SCRIBIT Eusebius lib. 4. cap. primo, circa annum decimumoctauũ imperij Traiani, Iudæorum calamitates maiorem in modum inualuisse: quas proprijs ipsi sibi furoribus, cum à seditionibus & crudelitate in gentiles quiescere nõ possent, accersiuerint. Primùm enim, qui in Libya, Aegypto, Alexandriæ, apud Cyrenem etiam et Thebaida habitarunt Iudæi, infesta multa uicinis gentilibus, inter quos habitabant, intulere certamina, insano quasi spiritu & furoris œstro concitati, magna cum clade gentilium: quorum non contenti interitu, carnibus etiam ipsorum, quemadmodum Dion scripsit, petulanter uesci, sanguine eorum tingi, ac pellibus uelari cœperunt. Quo habitu furiosè incedentes, quosdam per medium usq; ad uerticem dissecuere, alijs bestijs laniandis obiectis, alijs in mutuas et funestas digladiationes commissis, adeò ut circa Cyrenen solam in eo Iudæorum furore ducenta & amplius, (ut Dion ait) hominum milia deleta sint: strage illa excepta, quam apud Aegyptum ediderunt, ac Cyprum, in qua insula circiter ducenta & quadraginta hominum millia trucidarunt. Libyam certe adeò uastam & uacuam hominibus à Iudæis esse factam, Eutropius & Orosius tradiderunt, ut nisi Hadrianus colonias aliunde in eã deduxisset, deserta prorsus relicta esset. Atq; hæc tamen nondum belli, sed seditionis & tumultus speciem habuerunt. At sequenti anno, numero & armis instructi, bellum publicum & ingens intulere Lupo, qui tum totius Aegypti præses erat. Vbi in primo quidem conflictu Iudæi uictoriam obtinuerunt, sed quæ paulo pòst amissa rursus, & miserabili eorum interitu permutata est. Nam quæ desperatione uictoriæ ex prima pugna Alexandriam confugerant gentes, ibi Iudæos omnes interemerunt. Consistentibus interea alijs apud Cyrenen, qui audita clade eorum qui se Alexandriæ præsidiorum loco continuerant, ad agros Aegypti & castella depopulanda duce Luca se conuerterunt. Contra quos Traianus Marciũ Turbinem misit: qui pedestri, nautico & equestri bello eos aggressus, longo quanquam & difficili bello, superauit, interfectis Iudæorum multis myriadibus, non per Cyrenen modò, sed Aegyptum omnem. Erat adhuc reliqua Iudæorum manus apud Mesopotamiã: ad quam opprimendam Lucium Quintum Imperator misit, qui bello eos graui persecutus prostrauit & deleuit. Hæc de Iudæis sic narrarunt Eusebius in Chronico, & historiæ Ecclesiasticæ libro 4, capite primo. Dion, Eutropius.

Atq; ita regionibus per annos quatuordecim à Iudæorum incursionibus liberatio data est, et pacatis esse licuit, usq; ad annum Hadriani decimumseptimum: quo noua rabie & uesania correpti, iterum in arma uersi sunt, & bellum cum Romanis infelicissimũ gesse re, post quod deletionem extremam passi sunt. Occasio eius belli etiam ab Ethnicis scriptoribus diuerso modo

narratur. nam Dion Iudæis dolorem & belli causam illud peperisse ait, quòd Hadrianus Hierosolyma gentibus etiam inhabitanda concesserat, & exaduerso templi propriam & ipse Ioui ædem extruxerat. Grauius igitur Iudæos ferentes & peregrinos secum in ciuitate habitare, externorum Deorum imagines in ipsa cõstitui, & externa sacra fieri, de bello cogitasse: quod longo tempore moliti, grauissimum tandem & diutur nũ mouerint. Spartianus uerò hanc eius causam prodidit, quòd genitalia Iudæi mutilare seu circumcidere prohibiti fuerint: quod et Volaterranus retulit lib. 23. Sed quis nesciat, has calamitates omnes Iudæorum secum traxisse contemptum Messiæ, quem cruci affixerant: & studium reparandi regnũ, quod eadem de causa amiserant, nunquam in perpetuum recepturi? Armis igitur sumptis, ducem sibi quendã delegerunt Barcochabam (qui se filium stellæ uocauit, ut alluderet ad prophetiã Bileam, maioremq; ad omnes ausus sibi autoritatem cõciliaret) cuius insignis in Christianos fuit crudelitas, propterea quòd expetiti à Iudæis & postulati ad belli cõmunis societatem, subsidia sua denegassent. Sed Barcochabas ab Hadriano postea interfectus est. Is enim amplius non ferens licentiam furiosorum Iudæorum, in Palæstinam maximos instructissimosq; misit exercitus: ac congressus cum Iudæis, fame prius ac siti domitis, ad oppidum Hierosolymis uicinum Bethera uictor de illis euasit, interfectis unius diei prælio (ut Nicephorus scribit) quinquaginta octo myriadibus. Anselmus, qui Iulium Seuerum eius belli præfectum fuisse scribit, cæsa esse indicat quinquaginta Iudæorum millia, arcibus eorum captis quinquaginta: uicisq; nongentis & octogintaquinq; fame, ferro & igne deuastatis: cæteris in perpetuum quàm longissimè urbe expulsis, ac per orbem terrarum diuenditis. Fuit enim hæc nouissima Iudæorũ deletio. Nam nec urbem nomen uetus retinere Hadrianus uoluit: sed restauratam suo de nomine Aeliam Capitolinam, ut Dion ait, uocari iussit, ut & Eusebius & Honorius annotarunt: nec è longinquo etiam patriam antiquam Iudæis aspiciendi potestatem esse, legibus cauit. Meminit eius expulsionis extremæ Iustinus in Tryphone. Et addidit Eusebius in Chronico, curasse Hadrianum, ut ad partem superiorem portæ qua in Bethlehem iter esset, ad maiorem ignonimiam Iudæorum, marmorea suis effigies adfigeretur, in perpetuam memoriam, Romanorum potestati omnem Iudæorũ gentem esse subditam. Cum igitur ereptum sibi regnum, quemadmodũ prophetæ prædixerant, priori illo tristissimo excidio doceri satis noluissent: iteratis hic non multo mitiorib pœnis & calamitatibus, experti sunt. Autor Dion est, extremam eam cladem præcessisse inusitata etiam prodigia: ut quòd sepulchrum Salomonis, quod in summo cultu Hierosolymis & reuerentia Iudæi habuere, sponte & nullo impellente discussum subitò sit, ac corruerit: lupi uerò ac hyænæ in urbes ultro ingressæ, ululatibus mala inminentia denunciarint.

CAPVT XV.

DE RELIGIONIBVS extra Ecclesiam.

POST explicatas res illas quæ proprie ad Ecclesiã pertinere uisæ sunt, aliqua etiam de illis dicamus quæ extra Ecclesiam, ipsiq; Ecclesiæ infesta semper & inimica fuere, et ad certamina sæpe prouocarunt, infamiam item & uim iniustam sæpe attulerunt. Tales autem potissimũ fuerũt religiones contrariæ, & ab Ecclesia prorsus alienæ: ut Iudaismus & Ethnicismus. Nam de hæresibus, quæ & ipsæ ab Ecclesia quàm longissimè exorbitarũt, dictum suprà est: de Iudaismo prius monebimus. Quæ summa religionis Iudæorum, & in doctrina opiniones, ritus etiam & consuetudines fuerint, centuria superiori exposuimus, & Philonis de Iudæis liber docere potest. Non esse Messiam uerum IESVM Christum Dominũ nostrum, nec ullam esse per eum salutem, contumacissima eorum blasphemia est, & incredulitas: ex sola contempta & ingloria Christi, qua se olim illis ostẽdit, spe cie nata. Hinc odium illud in Christum plus quàm Satanicum, & Christianorum execrationes in synagogis, ut Iustinus ait. Hinc corruptelæ & deprauationes testimoniorum de Christo, quorum multa non tantum conscientiæ periculo, et ueritatis manifestæ inuidia, calumniose adulterarunt: uerùm etiam summa impudentia ex corpore Scripturæ, quemadmodũ Tryphoni Iustinus probat, sustulerunt. Caput alterum falsæ eorũ opinionis est, quòd neq; per Messiam iusticia & salus contingat (quid enim aliud ab eo præter opes, potentiam & imperia mundana expectant?) sed quòd iusticia sit legis externa obseruatio. Hoc enim pertinacissimè sentire eos, Iustinus in eo quem diximus cum Tryphone dialogo prolixè probat, & ualidissimis rationibus confutat. Partem deinde obedientiæ perfectæ et iustificationis ponunt in obseruatione rituum & consuetudinum, quarum multas tamen ipsi excogitarunt. Pugnant enim pro circumcisione, & sine hac Deo placere aliquem posse negant. Iactant deinde ieiunia, sabbatum, festa, uictimas. Sed ea omnia alia ratione obseruant, quàm Deus præcepit: sicut prolixè Iustinus Tryphonem monet. Habent & expiationes, & mersiones in piscinis & puteis: mactantq; filios dæmonijs. Durauerunt & inter eos uariæ sectæ, ut Sadducæi, Genistæ, Meristæ, Galilæi, Græcanici, Tinctores, Pharisæi, sicut Iustinus in Dialogo cum Tryphone exponit. Ecclesiam autem ueram contra illos perpetuò pugnasse, inde apparet, quòd Miltiades, Iustinus & alij contra eos scripserunt.

DE GENTILISMO.

QVis uerò status Ethnicorum fuerit cultũ & religionis, historiæ superiores de persecutionibus sub omnib. ferè huius ætatis Imperatoribus monere possunt. Quousq; enim fines Romani se extenderant imperij, eò usq; gentilissimum processisse, atq; inde in uicinos locos irrepsisse, Romanæ testãtur historiæ. Estq; ingens Dei beneficium, quod inter medias idololatrias in omnibus penè locis, in quibus hospitiolũ aliquod

quod Ecclesia habuit: tamen & Ecclesia defensa, & doctrina conseruata est. Locos singulos ubi gentilismus fuerit, enumerare non est necessarium: satis est monuisse, nihil ubiq; terrarum fuisse eo uacuum, sed nec in felicissimis & clarissimis Ecclesijs uinci & expelli penitus potuisse. Sic enim Antiochena celeberrima ecclesia, suburbana idola Apollinis & Dianæ in luco Daphnes non potuit destruere. Sic Alexandriæ per multa secula mansit cultus Serapidis, cuius templū sub Theodosio demum à Christianis destructum est. De Roma quid dicemus? quæ non idololatriæ solùm omnis generis, uerùm etiam nocentissimarū hæresium sedes fuit, & proprium quasi domicilium? Fecit autem non parum ad longè lateq; propagandam idololatriā, quòd ibi præcipui & potentissimi quiq; Christianam religionem acerrimè oderant, idololatriam autem magno studio & coluerunt et defenderunt. Ita enim odio Christiani nominis senatus Romanus, ne quidem collegæ suo Apollonio, cum se Christianum professus esset, pepercit. Et Imperatores ipsi, quid aliud egisse & spectasse uidentur, quàm ut protrita & penitus ubiq; locorum extincta Christianorum religione, suis tantum prophanis cultibus locum faceret? Quid quòd & ipsi non confirmandis solùm ueteribus cultibus, sed & nouis fingendis, templis alijs post alia construendis occupati fuere? Laudat enim in Panegyrico suo Traianum Plinius, quòd templa sarta tecta tueri, noua erigere, proq; ijs excubare, ingrediq; illa oraturus consueuerit. Adrianus puerum Antinoum, quem in delicijs habuit, in Deos retulit, templum ædificauit, ludos instituit, & ciuitatem ei cognominem condidit: sicut Egesippus scripsit, referente Eusebio libro 4. cap. octauo. Et Iustinus in Apologia ad Antonimum Pium narrat, omnes homines fermè fuisse coactos Antinoū pro deo uenerari, etiamsi scierint quis & unde oriundus fuerit. Apparet autem ex Epiphanij contra hæreses libro tertio tomi secundi, non Romæ tantum mansisse Antinoi templum & cultus, sed ad alias quoq; gentes peruasisse, apud quas magno numero templa Antinoi condita, & cultus instituti sint. Consentit Dion, qui Antinoi statuas et effigies per uniuersum terrarum orbem erectas esse scripsit, Imperatore subinde referente, stellam se Antinoi uidisse: eosq; perlibenter audiente, qui ex Antinoi spiritu uerè stellā natam, ac tum primùm conspectam fabularētur. Idem Adrianus etiam aliud templum in honorē Veneri condidit, autore Heinrico de Erphordia, & Bergomēse, et Eusebio in Chronico, qui id factū ait anno decimoquarto regni. Aliud rursus Hierosolymis eregione templi Iudæorum, sicut suprà diximus: & templa multa in omnibus penè ciuitatibus sine simulachris, ut Lampridius narrat. Athenis uerò aliquanto post repressos Iudæos, ædem Ioui Olympio, quemadmodū Dion testatur, ædificauit, collocata in eam ipsius statua, et Dracone quem ex India uictor reportauerat. Festa præterea Liberi patris ibidem celebrauit, atq; templū eius quod Græci πανέλληνιον uocant, ædificare eis concessit. Faustinam uerò Antonini Pij uxorem, quemadmodum Volaterranus scribit libro 23, senatus Romanus diuinis honoribus coli instituit, templum condidit, statuis exornauit, flamines addidit, & ludos Circenses: quos honores Imperator non recusauit. Quin & ei mortuo templum conditum, & sacra instituta fuisse, Nauclerus indicat Generatione sexta. Quemadmodū autem deos omnes, quos tum coluit gentilitas, enumerare longū esset: ita uarietatem & diuersitatem cultuum, quos nouos subinde ex se peperit erroris fœcunditas, humanaq; temeritas, explicare nec facile est, nec necessarium uidetur. Ex Iustino apparet, cultos fuisse à Romanis & Barbaris Iouem, Herculem, Neptunum, Bacchum, Apollinem, Proserpinam, Venerem, Aesculapium. Meminit idem in fine Apologiæ ad Antoninū, sacrorum etiam Solis itemq; sacrorum Saturni, quæ fiebant humano sanguine, in Apologia prima. Et Athenis templum Cereris intrat, et Eleusina sacra frequentat, post debellatum in Oriente Auidium Cassium, ut Volaterranus scribit lib. 23, Marcus Antoninus Verus.

De ritibus idola colentium, in Apologia secunda sic scribit Iustinus: Qui adeunt templa, seipsos aspergunt, priusquam offerant numinibus grates, nidores atq; libamina: aut etiam totos se abluunt, antequam subeant delubra eorum. Clemens uerò in Parænetico ad gentes sic: Videat uestrūm aliquis, eos qui adorant simulachra, sordida coma, ueste senta & lacera deformatos, à lauacris quidem omnino abstinentes, excrescentibus autem unguibus efferatos, & multos etiam pudendis priuatos, reipsa ostendentes templa idolorū esse quædam sepulchra & carceres.

Iam quæ fuerint Doctorum Christianorum cōtra Ethnicos pugnæ, ex scriptis eorum uidere est, qui editis libellis in gentilismum inuecti sunt, eumq; confutarunt: Nec dubium est, quin in alijs multis locis certamina eiusmodi Christianorum cum barbaris Ethnicis fuerint, qualia Romæ Iustinus contra Crescentem usque ad mortem suam sustinuit. Recensuimus autem suprà, qui Doctorum in hoc stadio pugnæ contra Gentiles maximè decertarint: ut, Quadratus & Aristides apud Adrianum Imperatorem: Iustinus, cuius notus est liber ad Gentes Parænetic us, cōtra eas uerò Apologiæ duæ editæ. Extat & Taciani liber contra Gentes: et quinq; librorum aduersus eosdem, Apollinarij, Eusebius lib. 4. cap. 77. meminit: ubi & Miltiadis et Melitonis. Extant autem Iustini & graues & eruditæ religionis Ethnicorum confutationes in Parænetico et Apologijs. nam cæterorum, ut Apollinarij aut Melitonis, scripta ad nos non peruenerunt. Iustini igitur rationes, unam atq; alteram, quibus Ethnicismum oppugnat, breuiter adducemus. Primùm, in Parænetico ad Gentes, inde probat falsam esse & uanam earum religionem, quia ex poetarum & philosophorum fabulosis nugamentis eam adstruant, qui partim absurda & prodigiosa de dijs suis narrarent, quemadmodum Homerus et Hesiodus: partim uerò inter se contraria, quales sint philosophorum traditiones, multo magis propemodum ridendæ quàm poetarum figmenta: etiamsi Platonis et Aristotelis dogmatis pleriq; multa tribuant, cum tamen & ipsi inter se discordes deprehendantur. Quomodo igitur possibile sit, inquit, sic inter se dissentientes, de religione uera & credibilia posse præcipere? Adijcit statim illustrem causam, quòd nimirum nec naturæ ope, nec humanis cogitationibus, tam magnæ & diuinæ res ab hominibus possint percipi: sed dono

cœlitus, ut ipse ait, in sanctos uiros descendente. Inde enim esse, quòd eo illustrati & adiuti Doctores ueræ religionis, uno ore, una lingua, unoq; consensu, de omnibus rebus scitu necessarijs disseruerint: ut Moses religionis doctor primus, quem secuti cæteri prophetæ similia cum eo prodiderint. Deinde, gentium deos à diabolo confictos esse disputat, qui in tota rerum natura nusquam extent. Atq; ideo Deum uerum Mosæ respondisse, se esse τὸ ὄν: apertißimè redarguentem, uana esse omnia, seu in rerum natura reipsa non existentia, quæcunq; de dijs alijs extra se gentes mentirentur. Tertiò, longa commemoratione probat, non esse primam Ethnicorum religionem: sed primam & antiquißimam eam esse, quam Moses et prophetæ tradiderint. Quemadmodum & Tacianus, Mosen longè ait antiquiorem esse Homero: adeoq; priorem & antiquiorem Iustinus inquit, ut quæcunq; insignia & memorabilia Homerus, Plato & alij Philosophi ac Poetæ scripserint, ex Mose suffurati sint. Hoc modo eruditis argumentis contra gentilem religionem etiam in Apologijs pugnat. ut cum in Apologia secunda, multis grauißimis rationibus impium esse, & à religione uera alienißimum, sacrificare idolis sensu & anima carentibus, ostendit. Item, quòd in eadem Apologia uerã esse probat Christianorum religionem, ex ipsis Scripturæ totius fundamentis, & uniuersam de Christo historiam declarat præcessisse prophetarum illustria testimonia. Cum econtrà Ethnici, suarum religionũ autores habeant Poetas nugaces, & philosophos, uanis sermonibus, ceu Sirenes cantu, animos hominum demulcentes: quemadmodũ in fine Parænetici loquitur.

CAPVT XVI.

DE MVTATIONIBVS IN politicis imperijs.

CVM ante Traianum nondum fuissent Romanorũ prouinciæ Dacia & Scythia, à Traiano, qui non mediocres accessiones fecit imperio Romano, bello captæ, & in prouincias redactæ sunt. Nec ita multo pòst, ut Eusebius indicat, Hyberos iuxta Euxinum, Sauromatas, Agarenos, Arabes & Colchos sibi subiecit: Seleuciam quoque, Ctesiphontem & Babylonem occupauit. Fecit & prouincias Syriam, Armeniam, & Mesopotamiam: à quibus, præterquàm quòd eo mortuo (ut Nauclerus indicat, Generatione quinta) multæ prius uictæ gentes à Romanis desciuerunt. Hadrianus secutus, gloriæ & magnificentiæ rerum à Traiano gestarum inuidens, exercitus reuocauit: prouincijs illis, ut Volaterranus ait libro 23, Parthis relictis. Finem enim Romani imperij esse uoluit Euphraten, ut Eutropius scribit: idq; gestum ab eo esse anno regni sui altero, Eusebius annotauit.

In Lybiam tamen Hadrianus, Iudæorum tumultibus totam penè uastatam, colonias deduxit. Hadrianum secutus Antoninus Pius, tantæ fuit æquitatis & gratiæ apud omnes, ut plurimæ nationes, quæ Romanam prius à se uim repulerant, armis abiectis, sua sponte se ei subiecerint: quemadmodum Iulius Capitolinus & Eusebius indicant. Ea uerò quæ sub Marco Antonino Vero mutatio accidit, ut noua prorsus, et in Romano imperio prima fuit, ita ab omnibus historicis cõmemorata est: nimirum quòd, cum antea Imperatores consortis, ut ille ait, impatientes, soli imperassent, ille regnum inter se & fratrem Lucium Aurelium Commodum æqualiter partitus est. Quo mortuo, anno imperij sui nono, cum non multo antè secum de Parthis, qui initio regni eorum cum Volageso rege, ut Orosius & Nauclerus indicant, Romanorũ prouincias Armeniam, Cappadociam, Syriamq; populati fuerãt, triumphasset, socium sibi in regnum adsciuit Commodum filium suum, cum imperio ipse præfuisset annis septendecim. Meminit eius rei & Melitonis fragmentum oratio ad Marcum Antoninum, quod Eusebius retulit libro quarto, capite uigesimosexto.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 25. uers. 59 gubernabantur 59. 49 respexisse 104. 17 diuinum 27. speculum 105. 21 prodidit 142. 55 Africanis 170. 17 contra 175. 29 summis.

LOCORVM S. SCRIPTVRAE IN SECVNDA CENTVRIA EXPLICATORVM INDEX.

Primus numerus paginam, secundus uersum significat.

GEnes.1. Et uidit Deus omnia quę fecerat, & erant ualde bona 57.32 Faciamus hominem 43.21 & 57.41
2 Quacunque die comederis de ligno, morte morieris 66.51
3 Semen mulieris cõteret caput serpẽtis 56. 43 Tu uerò mordebis calcaneum ipsius. 10. 21
6 Videntes filij Dei filias hominum 207.37
19 Ingressus es ut aduena ad nos 144.37
Pag. 4. uers. 14. Cyrenaica. 4. 55. Ecclesiæ. 5. 15. iudicari 20. 47. cruciatam 25. 51. hoc. 35. 5. conditione 40. 40. Filius 45. 19. liuorem 47. 51. hac 62. 45. Confessionem 64. 51. Dominum 67. 39. exhibebitur 79. 48. nullo 81. 47. asserit 85. 22. ferè & 28. operi 86. 20. tractauerim 88. 45. occursum 95. 24. eum 96. 28. Quasdam 97. 8. quæ 98. 57. uti 107. 51. uererentur 112. 38. discipulis 113. 9. redigeret 121. 56. usas 128. 15. quendam 130. 21. receptione 135. 20. quadam 136. 36. publica. plebi 137. 57. ritus 141. 57. disputat 142. 8. Cyprianus 10. incitamenta 40. ἀγάπλω 159. 42. diuisæ 161. 59. Calydonium 180. 34. se curam 184. 44. nunc 194. 19. dilationem 203. 30. conuertuntur 217. 10. Archelaum 219. 56. duos 225. 26. episcopatus 227. 39. libri 46. scriptum 231. 26. Aemiliani 233. 38. deportatus 51. contigerunt 234. 14. Christi 236. 33. multò 241. 45. quidem 50. Ornarunt 242. 8. diuinis 12. capacitate 35. fuisse 36. & 48. suasu 243. 48. mansuetè 244. 19. uanitate 59. præterea 248. 56. ratione 253. 34. sedandas 258. 40. utique 264. 37. descendunt 266. 22. deleat 269. 20. lege sic: quæ plerunque è declamatoria schola, in qua à puero uersatus fuerat, refert Ambrosius ac Hieronymus 278. 32. creauit 35. martyrio 44. Sardiniam 289. 27. nocentissimus 293. 13. ad 295. 13. quidem 296. 46. fortè legendũ innumerabiles 303. 48. imponerent 309. 57. natiuitatem 317. 53. confectis 318. 25. Britannias. Cætera æquus ac diligens Lector facilè emendabit.

HISTORIÆ ECCLE-siasticæ centuria tertia.

CAPVT PRIMVM.

RES Ecclesiæ CHRISTI, eiusque cursum in ea ætate, quæ mox Apostolos subsecuta est, præcedenti libro descripsimus. Nunc ad centuriæ tertiæ, quæ à septimo Seueri, ad annum decimũtertium usq; Dioeletiani pertinget, historiam, quantum in eo Dei nos benignitas iuuerit, recitandam progredimur: initium à cõmemoratione locorum, in quibus hac ætate suum Ecclesia hospitium qualecunq; habuerit, facturi.

CAPVT II.

DE LOCO ECCLESIÆ CHRISTI.

ECclesiam ab Apostolis primùm, deinde uerò ab eorum successoribus, per uniuersum orbem, & ad fines usque terræ, quemadmodũ Irenæus & alij testantur, seminatam esse, suprà dictum est. Mansit igitur etiã hoc seculo Ecclesia CHRISTI in uarijs orbis terrarum partibus: quod et confirmat huius seculi scriptor Tertullianus, qui in libro de præscript. hæret. disertè affirmat, Ecclesiam CHRISTI in Asia, Africa & Europa duraſſe. Et Origenes Ecclesiarũ meminit, quæ mundi limites tenent. Homil. 4. in Ezechielẽ. Et Euseb. lib. 8. cap. 1. ostẽdit, ante persecutionẽ sub Diocletiano motam, pietatis doctrinam apud omnes mortales cùm Græcos tum barbaros uiguisse. Vt autem lector ea hospitia spiritualis regni CHRISTI, in diuersis orbis terrarum partibus sita, paulò plenius cognoscere atq; cõsiderare possit: quantum quidem in fide dignis scriptoribus mediocri studio indagare potuimus, pauca enumerabimus.

ECCLESIÆ PER ASIAM.

IN Asia & fuisse Ecclesias CHRISTI, & in uicina inde loca propagatas esse, ex superioribus constat. Fuisse autem etiam hac ætate Ecclesiam aliquam CHRISTI Hierosolymis, ex continua doctorum successione, (qui iam ex gentibus solis, post insignem illam expulsionem Iudæorum ab Hadriano factam, constitui cœperant) patet, magno nimirum & euidenti testimonio, quod extare Deus in ipsa posteritate uoluit, non ad Iudæos solum, sed etiam ad gentes Euangelij beneficia pertinere. Quanquam & hoc memmerit lector, simul tetrum ethnicismum eo ipso in loco, ubi primùm ortum est Euangelium, horrendum in modum grassatum esse.

Gazæ quoq; fuit Ecclesia: nam ibi Syluanum Episcopum fuisse, Euseb. lib. 8. cap. 13. refert.

Fuit & Ecclesia Cæsariensis nõ postrema, celebrata paulò antè frequenti illo conuentu super controuersia de paschate: quã claram adhuc hoc tempore fuisse, testantur multi præstantes doctores, ut Theoctistus, Domnus, Theotecnus, & reliqui.

Fuit & in Tyro Ecclesia CHRISTI, & in Sidone. Nam Euseb. lib. 8. cap. 13. Tyramionis cuiusdam meminit, quem Tyri episcopum nominat: & Zenobij, quem Sidonensem uocat presbyterum. Narrat Vincentius in Speculo, Decium Imperatorẽ Christianos aliquot & in Babylonia regione reperisse, eosq; ad supplicia secum abduxisse: lib. 11. cap. 49.

¶ Ecclesiarum deinde illustrium in Syria, prima Antiochena est: cuius tum nomen, tum celebritatem aliquam hoc adhuc sæculo durasse, notius est, quàm ut probatione indigeat. Longum enim catalogum episcoporum Antiochenorum Eusebius texit: & testimonio illud est, quod sub Aureliano frequens ibi episcoporum, ex terris uicinis conuentus agitur, in quo Pauli Samosateni hæresis damnatur, ut Euseb. lib. 7. cap. 29. scribit.

Fuit quoq; in Mesopotamia. Nam Archelaus & Marcellus in Caschara Mesopotamiæ, doctores fuerunt, teste Epiphanio.

Habuit & Ecclesia Laodicena Episcopos aliquot clarißimos, quorum Eusebius meminit: ut Thelymidrem, Socratem, Eusebium, Anatolium, Stephanum, Theodotum.

Emisa Syluanum habuit episcopum, quem senem & constantem fuisse, atq; in persecutione sub Diocletiano martyrium obijsse, Eusebius scripsit lib. 8. cap. 13. & lib. 9. cap. 6. Plures uerò in Syria insignes fuisse Ecclesias, historia persecutionis sub Diocletiano indicat. In ea uerò commemoratione, & fratrum in Mesopotamia meminit Eusebius libro 8. cap. 12. Meminit & Rhosensis ecclesiæ, lib. 6. cap. 12.

Fuerunt & in Cicilia Ecclesiæ hospitia, in cuius Metropoli Diodorum fuisse episcopum hac tempestate, Nicephorus annotauit lib. 6. cap. 32. Et in Tarso Helenum fuisse, indicat historia Sydoni contra Paulum Samosat. Euseb. lib. 7. cap. 28.

Pergensem Ecclesiam in Pamphilia, Decio martyres suppeditasse, Vincentius scribit lib. 11. cap. 52. In Olympo Lyciæ ciuitate fuisse Methodium, celeberrimum episcopum, qui cõtra Origenem scripsit, ac sub Decio in Chalcide Græciæ martyrio perfunctus tandem est, Hieronymus autor est. Meminit eius Methodij & Socrates.

In Ionia, Ephesina & Smyrnensis Ecclesiæ etiam hac ætate durauerunt. De Sardensi, Trallensi, Philadelphina & Magnesiana Ecclesiis, libro superiori diximus: quæ hoc adhuc sæculo habuerunt suas reliquias.

In Phrygia, Hierapolis hospitio Ecclesiæ, hinc us-

que ab Apostolis clara fuit. Et in Lampsaco, qui martyres sub Decio passi sint, Vincentius recitat.

Synnadensiũ verò & Ecclesiæ & fratrũ Dionysius Alexandrinus meminit apud Eusebium lib. 7. cap. 7. ibidemq; Theodorum quendam ab Attico Episcopum fuisse indicat, lib. 6. cap. 20. In Nicodemia Bithyniæ etiam præclari martyres fuerunt. Eusebius lib. 8. cap. 6.

Meminit Dionysius in scripto ad Stephanum Romanum episcopum, Ecclesiarum in Ponto, Bithynia & Galatia. Hoc verò tempore illustris fuit doctoribus, fratribus, Gregorio & Athenodoro, qui doctrina Christiana ab Origene imbuti, mature ad Episcopatus in Ponto accersiti fuerunt: quemadmodum & Ecclesiæ Syropagi in Paphlagonia, Focam episcopum præfuisse dicit.

Fuisse & Ancyram Galatiæ uetustam Ecclesiæ sedem, narratio Eusebij indicat, lib. 5. cap. 17.

In Cappadocia verò Ecclesias fuisse, Tertullianus scripsit ad Scapulam: inter quas uel præcipuam fuisse apparet eam quæ fuit Cæsareæ, quæ hoc tempore clarissimum habuit episcopum Firmilianum. Nicephorus lib. 6. cap. 17. etiam Amaseam Cappadociæ urbem nominat, in qua Phedimum episcopum fuisse memorat.

In Cappadocia Larandis quoq; fuit Ecclesia, in qua docuisse Euelpim, rogatum à Neone eius loci episcopo, Euseb. indicat. lib. 6. cap. 20. ubi & Celsum episcopum ecclesiæ in Iconio fuisse ait. Ac libro rursus 7. cap. 7. indicat, Dionysium Ecclesiarum Iconij mentionem facere in Epistola ad Stephanum, & libro 7. cap. 28. & 30. Nicomam Iconij episcopum fuisse ostendit. Ex qua narratione apparet, antiquam adeò Ecclesiam in Iconio fuisse.

In Armeniæ ciuitate Melitena, ad Euphraten sita, Christianos fuisse, historia persecutionis sub Dioeletiano indicat apud Euseb. lib. 8. cap. 6. Armenios certè Christianos nominat, & pietatis studiosos fuisse narrat lib. 9. cap. 7. Episcopum verò Ecclesiarum per Armeniam fuisse Meruzanem, ostendit libro 6. cap. 46. ubi & Dionys. ait, Fratribus per Armeniam de pœnitentia scripsisse. Nec de Indicis dubitamus Ecclesiis, quarum aliquot recens admodum instauratas à Pantæno, suprà audiuimus. Narrat ex Martyrologio Vincent. lib. 11. cap. 52. etiã in Persida Christianos inuentos fuisse, quo tempore Decius persecutionẽ mouit. Equidem Parthos, Medos & Elamitas CHRISTO credidisse, Tertullianus in libro contra Iudæos scripsit.

Deniq; Berylli, Arabum Bostrensium episcopi, Euseb. aliquoties meminit: ut libro 6. cap. 21. & 33.

ECCLESIÆ PER AFRICAM.

IN Ægypto, Ecclesia Alexandrina prima nobis occurrit: tum propter uiros eximiè claros, ut Demetrium, Origenem, Dionysium, Clementem, Heraclam, & alios: tum propter scholam, in qua insignes Catechistæ seu doctores, proponentes præcipua Christianæ doctrinæ capita, fulserunt.

Habet historia huius seculi etiam Ecclesiam Hermopolitanam: cui Cononem præfuisse, atque ad eum Dionysium scripsisse, Eusebius indicat libro 6. capite 46. In eiusdem verò libri capite 42. Chæremonem quendam senem, Nili urbis episcopum nominat, quem in persecutione sub Decio cum uxore ad montana Arabiæ confugisse, nec amplius deinde conspectum esse, dicit.

Scribit Dionysius, se in Arsenoite Ægypti præfectum disputasse magno cum fructu, contra eos qui Nepotis erroneum dogma amplexi fuerant: quemadmodum Euseb. refert lib. 7. cap. 24.

Thmuitanorum Ecclesia sub finem huius seculi Phileam habuit, laudatissimum episcopum: cuius Eusebius meminit lib. 8. cap. 9. 10. & 13.

Certum deinde ex historijs horum temporum est, etiam in Cyreniaca regione celebres aliquot fuisse Ecclesias. In ea enim Pentapolis fuit: ad cuius Episcopum Basilidem, Dionysium scripsisse, Eusebius autor est libro 7. capite 26. Meminit & Ammonis episcopi Berenicensis, libro 7. cap. 26.

Verisimile est, & Æthiopicas ecclesias adhuc mansisse, ut quæ ab Apostolis fundatæ sunt: sicut suo suprà loco dictum est.

Carthaginem celebrem fuisse sedem Ecclesiæ in Africa, Tertullianus & Cyprianus testantur. Meminit præterea Tertullianus inter cæteras Ecclesias, expressè Mauritanarũ & Getulianarum: quemadmodum & Cyprianus Synodum suam ex Lybicis, Numidicis & Mauritanis ecclesiis se coëgisse scribit, & plurima loca earum regionum recenset.

Nunc insulæ maris mediterranei recensendæ essent, in quibus Ecclesia CHRISTI proculdubio etiam suum hospitium habuit: sed hic historicorum testimonijs destituimur. In Creta duraſse adhuc Ecclesiam, recens Pinyti & Philippi doctorum memoria coniecturã minimè obscuram præbet. Mansit etiam in Sicilia. Nam presbyteri & diaconi Romani, in epistola ad Cyprianum, quæ in libro 2. septima est, dicunt se in Siciliam literas de lapsis recipiendis misisse.

ECCLESIÆ PER EVROPAM.

IN Europa porrò, non minus quàm in alijs orbis partibus, Ecclesiæ illustres fuere. Primum enim Ecclesiarum in Græcia Tertullianus meminit, libro de uelandis uirginibus, in quibus Athenensium Ecclesia mansit. Inter eas enim Ecclesias, quas sub Seuero in maximis urbibus potissimum fuisse Nicephorus scripsit libro 5. capite 2. etiam Athenensem nominat: ut & Corinthiacam Peloponnesi, cuius Tertullianus in libro de præscript. aduersus hæreticos meminit. Nec dubium est, has duas præcipuas Ecclesias quàm latissimè se in uicina loca extendisse. Certè Philippensis Ecclesiæ in Macedonia, Tertullianus quoque meminit, & Thessalonicensis.

In Thracia Byzantium fuit, cuius Ecclesia episcoporum quàm longissimum catalogum recensuit Nicephorus libro 8. capite 6. in quo & Demetrij cuiusdam episcopi Byzantini meminit, eumq; fratrem ait fuisse Imperatoris Probi. Eum verò Demetrium successorem in eodem episcopatu sibi ordinasse Probum filium, Imperatoris nepotem. Si igitur

igitur tam frequentes & continuos, statim post Apostolos, ea Ecclesia doctores habuit: uerisimile est, eam multis seculis durasse. Equidem ad Constantinum usq; seriem episcoporum Byzantinorum deducit Nicephorus. Nisi quòd cum eo non conuenit, quod Herodianus scripsit, ipsam urbem Byzantium sub hæc tempora ab Imperatore Seuero funditus euersam, & in formam pagi redactam fuisse. Quòd si factum est, sine dubio sine maxima ruina & deformatione eius Ecclesiæ fieri non potuit.

Fuisse uerò & in reliquis Thraciæ locis Ecclesias, superius diximus: ut Anchiali & Debelti. Haud dubiè igitur & hoc adhuc sæculo Ecclesiæ istæ manserunt.

Idem de Dalmaticis & Illyricis Ecclesiis indicari potest, quarum aliquot mansisse credibile est. Synodus certè quam post hoc seculum Constantius Imp. in Sardica Illyrij coëgit, satis testatur, non tum demũ in Illyrio & locis uicinis Ecclesias cœpisse, sed diu antea fuisse.

In Italia, ut Romæ, Ecclesiam mansisse, series Episcoporum omnium annorum indicat. Probat item Synodus frequentißima ibi conuocata contra Nouatum, de qua Eusebius scribit libro 6. capite 43. Alia item, coacta sub Diocletiano contra Marcellinum papam abnegatorem, cuius descriptio innumerabiles propèmodum recenset Marcellini testes & condemnatores. Denique & Tertullianus Ecclesiæ Romanæ, atq; eius episcoporum sæpißimè meminit. Speculo Vincentij si quis quid fidei adhibere uolet, inueniet, in alijs etiam Italiæ locis hospitia Ecclesiæ fuisse: ut Veronæ, Spoleti, Beneuenti, in Lucania & alijs, quorum martyres aliquot enumerat libris 11. & 12.

Ecclesiarum apud Gallos, Tertullianus meminit in libro contra Iudæos: & ad eos sub Seuero propagatos uerbi diuini prouentus felices, seu potius instauratos, Nicephorus tradidit libro 5. capite 2. Arelatensis ecclesiæ, et Lugdunẽsis, Cyprianus meminit lib. 3. epist. 13. Burdegalensis, ex epistola Martialis nota est. Cõmemorans uerò huius seculi martyria Vincentius in Speculo, plurimos locos Galliæ recenset, in quib. martyres cõprehensi et ad mortẽ damnati sunt: ut Mediolani, cuius etiam suprà mentio facta est, et in qua passũ narrat Sebastianũ, lib. 12. cap. 10.

Reijcere uidetur & in hanc ætatem Hieronymus Victorinum Pictauiensem, cuius multa uolumina extitisse narrat in Catalogo illustrium uirorum.

Ad Hispanos uenimus, apud quos fuisse Ecclesias, suprà ex Irenæo retulimus. Tertullianus autem suis Ecclesiis, quas nominat, Hispanicas annumerat, in libro aduersus Iudæos: ubi quidem ait, in Hispaniarum omnibus terminis, & Galliarum diuersis nationibus, CHRISTI nomen regnare. Et ex Cypriani epistola 4. libri primi apparet, in Hispania Tarraconensi, ad Legionem, & Asturicæ, & Cæsaraugustæ, & in Lusitania Emeritæ insignes fuisse ecclesias. Recenset etiam Vincentius plures ciuitates in Hispania, ut Tarraconem, Emeritam, Cæsaraugustam, Complutum, & alias: in quibus martyres hoc tempore, sub Valeriano & Diocletiano passos narrat, libro undecimo & duodecimo.

Non præterit Germanorum Ecclesias Tertullianus, in libro contra Iudæos. Vincentij Speculum libro 12. capite 4. ex Helimando tradit, inuentos esse in persecutione sub Maximiniano Christianos martyres apud Neronam urbem Rheni, & in campis Coloniæ. Idem à Diocletiani præfecto Rictionaro uehementem persecutionem Treueri motam, & in urbe Augusta sanctos martyres inuentos, ab eodem trucidatos scripsit, libro 12. cap. 136. & 142.

Cæterum & Laureacensem Ecclesiam in Norico, hac ætate mansisse & creuisse credimus.

Nec prætereundum illud est, & Sarmatas & Dacos cognitionem CHRISTI habuisse, ut Tertullianus scripsit.

Sequuntur insulæ Oceani, ubi in Britanniam primùm incidimus. Hoc qua occasione ad fidem Christianam peruenerit, expositum à nobis suprà est.

Mansisse & hac ætate eius insulæ Ecclesias, affirmare non dubitamus: maximè cùm & Tertullianus diserte scripserit, Britannorum loca Romanis inaccessa, suo iam tum seculo CHRISTO fuisse subdita: & Origenes Hom. 4. in Ezechielem testetur, Britanniam in Christianam consentire religionẽ.

Ex illis igitur, etiã in uicinas alias insulas CHRISTI notitiam sparsam tum fuisse, non est dubium.

Addit Tertullianus, CHRISTO credidisse & alias plures insulas, quas partim numerare nequierit, partim etiam incognitas habuerit.

DE PROPAGATIONE.

HActenus de hospitijs Ecclesiæ per omnes terrarum orbis partes egimus, quantum ueris testimonijs & probabilibus coniecturis exponere nobis licuit. Nunc quæ incrementa subinde acceperit CHRISTI Ecclesia, ostendemus.

Ait de his in genere Tertullianus, in calce libri contra Iudæos, ad hũc modum: Regnũ CHRISTI ubique extenditur, & aliquanto antè CHRISTO omniũ ciuitatum portæ sunt apertæ, & in omnibus locis, populus nominis Christiani habitat. Quale quidam & Origenes scripsit lib. 4. περὶ ἀρχῶν: In omni orbe terrarum, in omni Græcia, atq; uniuersis cæteris nationibus, innumeri sunt & immensi, qui relictis patrijs legibus, & his quos putabant deos, ad obseruantiam Moseæ legis & disciplinæ, se CHRISTI cultumq; tradiderũt. Ac de peculiaribus propagationibus in illa loca, Niceph. inquit lib. 5. cap. 2. Pertinaci Seuerus successit, tum quoq; satis bono loco res nostræ fuere, indiesq; fidei professio augmẽta sua cœpit, Ecclesiasticorũ doctorum scriptis atq; doctrinis illam prouehentibus: idq; in maximis quibusq; potissimum urbibus, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, Æliæ, & per Palæstinam omnem, Ephesi, Cæsareæ, & Occidentem uersus, Thessalonicæ, Athenis, Corinthi, in Gallijs & Romæ maximè. Vniuersæ enim multitudines & domus totæ ad fidem accedebant, quiduis facere & pati paratæ, quàm ut quicquam contra religionem nostram agerent aut nouarent.

Simile quiddam de Ecclesiæ progressu & felici doctrinæ cursu, ante persecutionem Diocletiani, Eusebius retulit lib. 8. cap. 1. Doctrina, inquit, Christia-

na apud omnes mortales, cùm Græcos tum Barbaros, gloriam consecuta est.

Magna autem fuit acerbitas & uehementia persecutionis, quam Seuerus exerceri iussit. Attamen in ea Origeni, in ludo Alexandrino Christianam religionem docenti, multi ex gentibus incredulis se adiungunt, ab eoq; fidem & doctrinam Christianam percipiunt. Recenset inter eos, ut illustriores, duos fratres, Plutarchum & Heraclam, Eusebius lib. 6. capite 3. Vbi & hoc addit: Non ex gentibus solùm infidelibus, uerùm etiam ex eruditis aliquot & Philosophis non uulgaris doctrinæ & sapientiæ, ad Origenem religionis & pietatis Christianæ discendæ gratia confluxisse.

Nec multo pòst, prius scilicet quàm se in Palæstinam Origenes bello ciuili Alexandria pulsus contulit, Demetrius episcopus Alexandriæ, literis ducis Arabum postulatus, Origenem in Arabiam mittit, ubi ab eo Aula ducis ad fidem conuertitur. Qua occasione haud dubiè & Arabum plures ad fidem Christianam adducti sunt. Nam etiamsi Arabia ipsa maiori ex parte prius ad CHRISTVM conuersa fuit, & hoc tempore duo Arabum episcopi celebrantur, Beryllus scilicet & Maximus, Arabumq; Ecclesiæ Eusebius in historia huius sæculi meminerit libro 7. capite 5. Fieri tamen potuit, ut hæc Aula adhuc fuerit incredula: & ad eam, ut ferè fit, quàm tardissimè notitia CHRISTI peruenerit. Quicquid autem eius est, Eusebius clarissimè ait: Cùm per id temporis Origenes Alexandriæ commoraretur, acceßit militum quispiam, ac literas Demetrio paræciæ illius episopo, illiq; qui tum temporis Ægypti præses erat, à Duce Arabiæ missas tradidit: qui petebat, ut cum summa diligentia Origenem mitteret, qui ipsi doctrinam suam communicaret. Missus itaque ab illis Origenes, in Arabiam proficiscitur. Hæc sub Alexandro Imperatore acta sunt, cuius mater religiosa fœmina, Mamæa nomine, accensa cupiditate uidendi & audiendi Origenem, eum etiam ad se per legatos, cùm ex Palæstina Alexandriam rediisset, euocat Antiochiam. Ad quam Origenes profectus, si non tum primùm conuertit (nam incertum illud est, & prius conuersam eam fuisse apparet) attamen in fide Christiana confirmauit. Et in ea Aula sine dubio plures CHRISTO lucrifecit, nec sine fructu docuit aliquandiu, ut Eusebius ait libro 6. capite 21.

Alexandro uerò imperium in annum undecimum obtinente, Origenes Alexandria relicta, in Palæstinam iterum concesserat, ac consueto suo more Cæsareæ docere cœperat: quem in locum innumeros exteros, quos gentiles fuisse apparet, discendi causa conuenisse, Eusebius scribit: ac meminit nominatim fratrum duorum, Theodori & Athenodori, quos Ethnicarum disciplinarũ studiũ, in quo antea excelluerant, sacrarum literarum cognitione commutasse ait, libro 6. capite 30.

Ingens fuit beneficium & felicitas, libertas illa, qua in ipsis hoc tempore, etiam Imperatorum aulis apertè licebat esse Christianos: & ministris suis Imperatores ultrò concedebant, ut in ipsorum conspectu Christiano more, cum uxoribus, liberis ac seruis uiuerent: imò & hi qui Christiani erant, maioribus dignitatibus & honoribus ab imperatoribus ornarentur. Talem enim Christianæ religionis felicitatem, ante persecutionem sui temporis aliquando fuisse, Eusebius scripsit libro 8. cap. 1. Sed iam uidemus, non apud ministros solùm aulicos Christianam pietatem commorari, uerùm etiam ad ipsos Reges & Imperatores propagari. Philippus enim, qui cũ filio eius nominis Gordiano, in imperium successit anno CHRISTI 246. primus omnium Romanorum Imperatorum religionem Christianam amplexus & professus est. Non enim simulasse eum, testimonio esse potest id, quod cùm in uigilijs Paschæ cœtui Christianorum adiungere se uoluisset, ab Episcopo eius loci nõ prius admissus est, quàm peccatum homicidij, ut uidetur, confessus, inter pœnitentes stare non recusasset. Narrat Eusebius lib. 6. cap 34. Nec dubium est, plures eius exemplum ex subditis secutos, unà CHRISTO nomen dedisse. Scripsisse etiam eum ad Imperatorem Philippum, eiusq; uxorem, Euseb. libro 6. cap. 36. autor est.

Gregorius Turonensis libro 10. cap. 30. narrat, Gatianum episcopum primo Decij anno in Turoniã uenisse, & ad fidem CHRISTI multos conuertisse.

In Decij historia miraculosæ cuiusdam ad fidem Christianã cõuersionis, Vincẽtius meminit lib. 11. cap. 50. ad hunc modũ: Romæ Secundianus togatus, præfectus Decij, Verianus item pictor, et Marcellianus orator eloquentissimus, persecutores omnes, & numinũ cultores, commoti constantia Christianorum, de religione eorum disserere & confabulari cœperunt: ubi in manus atq; mentẽ illis uenêre uersus illi Virgiliani, ex oraculis Sibyllæ descripti:

Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Quibus accuratius lectis & consideratis, adflari diuino Spiritu, religionem Christi ad martyrium usq; & mortem, Decij illius iussu intẽtatam, professi sunt.

Mouerat uehementem in Christianos persecutionem Valerianus, nõ ita longo interuallo hunc Philippum secutus, sicut infrà dicemus. Sub ea persecutione pulsus fuerat in Lybiã exulatũ Dionysius. Quod exilium tantum abest, ut fidem ipsius labefactarit, ut etiam eius occasione & beneficio multos ad notitiam CHRISTI in asperis illis locis perduxerit. Quod de sese ipse ad hunc modum scripsit: in Cephro (Lybiæ is locus est: Nicephorus Cephron regionem fuisse, locum uerò ubi in ea regione Dionysius exularit, uocatum fuisse Colythium, scripsit libro 6. capite 10.) magna nobiscum commorata est Ecclesia, partim eorum fratrum qui nos ex urbe sunt secuti, partim qui ex Ægypto adfuerunt. Et illic mihi Deus ostium uerbi sui aperuit, & initiũ quidem persecutionem ac lapidationẽ pertulimus: tandem uerò haud pauci ex Ethnicis, relictis simulachris, ad Deum sunt conuersi. Etenim antea non assumptis à Deo, tum primùm per nos est uerbum prædicatum. Refert Eusebius libro 7. cap. 11.

Nec

Nec dubitamus Galieni Imperatoris edictum publicum, persecutione amota, pro Christianis propositum, multis occasionem & causam ad CHRISTVM accedendi fuisse. Nec synodos frequẽtes in omnibus hoc seculo terrarum orbis partibus celebratas, fuisse tam prorsus sine fructu existimamus, ut non earum occasione aliquos alicubi CHRISTO lucrifecerint. Magnam enim sine dubio ad eam rem cõmoditatem attulerunt, per uarios locos doctorum euntium & redeuntium itinera, tum quæ illa comitari solent: ut hospitia diuersa, colloquia, ipsorum uerò doctorum Verbi diuini propagandi studium & zelus, deniq; ipsarum Synodorum in omnes terras de doctrina uera epistolæ missæ. Sed de his omnibus infrà suo loco.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONE ET tranquillitate Ecclesiæ.

SVB SEVERO.

AElio Pertinaci & Iuliano successit Seuerus, homo non ingenij solùm felicitate præstans, sed & literis Græcis ac Latinis cultus, & in disciplinis Philosophicis eruditus nõ uulgariter, bellicis præterea & ciuilibus studijs ac uirtutibus clarus, nec in rebus gerendis successu carens, adeò ut tot tamq; egregijs ornamentis uir, per omnia magnus effici potuisset, nisi illis contra pietatem & religionem Christianam abusus fuisset. Cùm enim hinc usq; à Commodi imperio statum mediocriter tranquillum Ecclesia, Dei beneficio habuisset, ipse anno nono imperij sui (quod est, CHRISTI anno ducentesimo quinto, iuxta Eusebium) persecutionem tristem in Christianos mouit per prouinciarum præfectos: motus, ut uidetur, criminibus magis, quibus in Christianos insanum uulgus ubique conclamabat, quàm quòd animum ipse in Christianos inimicum & atrocem gereret.

Tertullianus enim, qui sub hoc Seuero uixit & claruit, in libro ad Scapulam, non æquum & beneficum solùm Christianis, aliquot annis Seuerum fuisse scripsit, uerùm etiam uulgo in eos furenti palam restitisse. Eusebius uerò, Seuerum Ecclesias persecutum esse, infinitis exemplis Martyrum probat. Et Spartianus scribit, eum sub graui pœna Christianos fieri uetuisse. Idem etiam edicta quædam aduersus Christianos, in peregrinatione, quam ad Serapidis idolum Alexandriam susceperat, ab eo promulgata fuisse, non obscurè significat.

Siue igitur uolens, siue conniuens, siue ab aliis coactus, in hac causa aliquid Seuerus fecit, certum est, grauissimam sub eius imperio in Christianos persecutionem sæuijsse. Præsidum aliquot, qui persecutionis ministri fuerunt, Tertullianus ad Scapulam & alibi nomina recensetut Hilarianum, Vigellium, Claudium, Hermianum præfectum Cappadociæ, Cecilium, Capellam, Vespronium, &c. Quibus Cyprianus annumerat etiam Demetrianum. Idem & in libro de bono patientiæ, persecutores diserte nominat, Ethnicos, seu Iudæos & hæreticos: & Tertullianus libro contra Gnosticos, synagogas dixit esse persecutionum fontes.

Crimina in Christianos odio & furore temerè conficta, Tertullianus ad Scapulam, & in Apologetico plurima recensetut quòd seditionis, & læsæ seu infamatæ Imperatoriæ Maiestatis accusabantur: item homicidij, sacrilegij, incæstuum, infanticidij, & pabuli de cruda, de promiscuis libidinibus candelis extinctis: qua quidem turpitudine Gnostici uerè infames fuerunt. Item quòd caput asini pro Deo colerent, quòd adorarent Solem, quòd nihil ex ipsis alicui fructus esset, quòd hostes essent humani generis. Et quod maximum crimen ac præcipuum fuit, quòd Deos, quos alij colerent, ipsi contemnerent. Eam enim causam esse, Cyprianus Demetrianum dixisse refert: quamobrem omnes calamitates & mala, quibus Mundus premetur, Christianis imputanda essent, quòd scilicet cultum deorum gentilium negligerent. In hac igitur persecutione, Eusebius libro sexto, capite primo, ubiq; ait, illustria piorum ædita fuisse martyria: quanquam de Africa tantùm quædam exempla recitet. Alexandriæ præfectum tum fuisse Eusebius scribit Aquilam. Ad eam uerò urbem martyres ex Ægypto & Thebaide tota deductos esse. Interq; eos primum fuisse ait Leonidem, Origenis patrem. Processu deinde temporis, cùm in penuria docentium in schola Catechistica, quos persecutionis terror abegerat, ipse adolescens adhuc scholastico muneri præfectus fuisset, discipulos nonnullos, quos ex gentibus acceperat, pietate & amore confessionis imbuerat. Plutarchum etiam, & Serenos duos, Heraclidem, Heronem, & mulierem catechumenam, Rhaidem, Basilidem & Potamienam cum matre, martyres celebrat Eusebius: nec aliorum, aut ex Ægypto, aut Thebaide meminit, turba forsan deterritus. Carthagini quoque uehementem fuisse persecutionem, Tertulliani ad Scapulam præfectum liber indicat: in quo & alterius cuiusdam præsidis meminit, Vigellij Saturnini, quem primum ait in Carthaginenses gladium strinxisse.

Ibidem & persecutionis in Cappadocia meminit, quam ibi executum fuisse præsidem Claudium Herminianum scribit. Quod ad genera suppliciorum attinet, Eusebius capitis supplicium pertulisse Leonidem dicit, sicut & Heraclidem & Heronem: in rogo uerò, martyrio expirasse Plutarchum & Serenum. Potamiæna primùm uerberibus cæditur, & minas multas maioris contumeliæ perfert: ad extremũ pice ignita sensim per omnia membra diffusa, ustulata & necata est.

Pertinet huc, quòd non in corpora solùm sæuitum fuisse uidetur, sed & in facultates eorum qui fidem confessi, ad mortem ducti sunt. Ita enim Leonidis bona in ærarium Imperatoris illata post martyrij consummationem, Eusebius testatur libro sexto, capite tertio. Nec prætereundum Origenis exemplum est, qui martyribus quibuscũq;, ignotis æquè

ac notis, ad iudicia alacris, multáque cum fiducia adfuit, eosq; ad constantiam cohortatus animose est, suo sæpe etiam cum periculo. Nam eo modo in se quoq; persequutores concitasse dicitur. Insignis autem omnium, quos quidem martyres hac persecutione effectos legas, ad extremum usq; halitum in confessione fuit constantia. Plures etiam, quos post confessionem & certamina ab interitu seruauit Deus, animo forti & excelso, cruciatus diros pertulerunt: ex quibus Alexandrum fuisse, Eusebius libro sexto, capite octauo, indicat. qui ob eam quam in tormentis uirtutem & constantiam declarat, episcopatum Hierosolymitanum, superstite adhuc Narcisso, postea sortitus sit. Eos autem Ethnicorũ crudelitatem iniustam, religionisq; eorum uanitatem & falsitatem inter ipsos etiam cruciatus palàm reprehendisse & damnasse, Christianam uerò defendisse, non est dubium. Quid quòd alij publicis etiam scriptis præfectorum insolentiam & atrocitatem taxare non sint reueriti? tantum abest, ut uel tormenta uel mortem formidarint. Nam quo animi robore Tertullianus contra Scapulam, Cyprianus contra Demetrianum agat, ipsa scripta testantur.

Hic ex Apologetico Tertulliani contra Gentes pauca quædam nobis referre uisum est. Cùm enim à nullo hominum genere, quàm ab illis, inimicius exagitarentur & accusarentur Christiani, causam eorum Tertullianus suscepit, & persecutoribus obiecit: quòd à dæmonibus acti, ex ignorantia Christianos damnent, ac de criminibus eos accusent nunquã exploratis, sed quæ fama tantùm ferantur: quæ nunquam, etiam cùm ueri aliquid adportet, sine mendacij uicio sit: præsertim cùm odio Christiani nominis eam spargant homines uilissimi, ut lenones, aquarij, aruspices, ariolæ, mathematici, &c. Cùm contrà legis sit, de accusatis inquirere: nec ulla unquam lex excuti uetet, quod prohibeat admitti.

Deinde crimina singula falsò Christianis intentata, ab ijs remouet & diluit. Fuit communissimum & perpetuũ crimen, quòd insidias & seditiones Romanorum regno & Imperatoribus Christiani molirentur. Ad illud igitur Tertullianus respondet: Christianos precari pro salute Imperatorum: quomodo igitur insidias facere possint? Quod uerò hostes generis humani falsò dicebãtur, negat id uerè de Christianis dici: quorum pietatis & officij proprij, quemadmodum ad Scapulam scripsit, sit, omnes homines, etiam inimicos, amore complecti, nec unquam malum pro malo referre, cùm alij tantùm amicos diligant. Infanticidij porrò tetrum & crudele crimen, falsò Christianis impingi, ex eo constare probat, quòd à sanguine & suffocato abstineant, ac ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habeant. Libidinem uerò tantum abesse ut exerceant, ut etiam castitatis diligentissimam ac fidelissimam rationem habeant, quam & perpetuam eorum aliqui profiteantur: reliqui matrimonium cõtrahant, per quod à stupris, incæstu (nam & eius insimulabantur) & quocunq; excessu facilè tuti sint. Solem Christianos adorare Tertullianus negat, cùm crimen illud ex eo natũ esse ostendit, quòd preces dicturi, orientem spectent. Crimen denique illud, quòd Christianos caput asininum pro Deo habere, homines leuissimi conuiciabantur, in Iudæos competere, non Christianos, probat. Et si quæ alia in eos ficta erant mendacia: quæ singula sic refutat, ut Christianos innocentes immeritò esse inuisos, nullius q; flagitij reos, odio solo nominis damnari probet: & nihil lædi persecutionibus Christianorum religionem, sed iuuari potius testatur. Sic enim in eadem Apologia ait: Plures efficimur, quoties metimur à uobis: semen est sanguis Christianorum. Quis enim nõ contemplatione eius concutitur ad inquirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisiuit, accedit? ubi accesserit, pati exoptat?

Quemadmodum & in scripto ad Scapulam: Non deficiet, inquit, hæc secta: quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi uidetur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut reliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in causa: & ubi cognouerit ueritatem, & ipse statim sequitur.

In hac tamen persecutione in Alexandria, Deus Demetrium Episcopum seruat, & Origenem, in media persecutionis tempestate, cum celebritate docentem & scribentem. In Arabia, cùm in Africam, ut uidetur, solam, aut plus certè quàm in alias partes, omnis persecutionis uis translata esset, episcopus manet Beryllus, & cogitur super nouo eius dogmate Synodus: quemadmodum libro sexto, capite uigesimo & uigesimotertio Eusebius indicat. Frui aliqua interim etiam pace alias sinuit Deus Ecclesias: ut Hierosolymitanã, cui Narcissus hoc tempore præest, et cum eo paulò pòst Alexander. Quæ enim persecutionis ratio in Palæstina & Asia, Europa item, hoc tempore fuerit, ab historicis non explicatur.

Sub Antonino, Marcellino, & alijs.

Seuero, cùm per omnes duodeuiginti imperiũ tenuisset, sicut Eusebius in Chronicis assignat (licet libro sexto, capite octauo, tantùm duodecim ponat) successere filij Antoninus & Geta: sed in cuius fraudulenta nece animum suum sanguinarium & immanem Antoninus in ipso statim imperij auspicio ostendit. Eo enim interfecto, ipse solus regnat, anno CHRISTI ducentesimo uigesimotertio. Quo tempore, quis Ecclesiæ status fuerit, turbatus an tranquillior, ab historiarum eius temporis scriptoribus non ita explicatè dicitur. Sed tamen per illos annos, qui ab obitu Seueri usque ad Decium intercessere, pacem fuisse Ecclesiis, Sulpitius prodidit: nisi quòd ante Decium in præsides Ecclesiarum sæuitiam nõnullam, ut mox dicemus, mouit Maximinus. In amplissima Alexandrinorum urbe, coactam in plaga omnem iuuentutem, subitò per milites ex insidijs prorumpentes, ut Herodianus scripsit lib. 4. miserandum in modum contrucidari curauit: tantum ideo, quia Romæ audierat, Alexandrinos dicteriis aliquibus in patrem eius lusisse: seipsum uerò risui habere, quòd exiguæ staturæ homo, Alexandrum, maximum & fortissimum ducem, incessu positúq; corporis ineptè æmulari conaretur. Vtrum uerò illi Chri-

illi Christiani an ethnici fuerint, non satis liquet: certè ethnicis magis quàm Christianis, magistratus contemnere & irridere conuenit. Post Antoninum, Macrinus cum filio Diadumeno regnum inuasit, anno Domini ducentesimo decimonono: sed anno id uno & duobus mensibus solis tenuit. Eum secutus Aurelius Antoninus Heliogabalus, monstrum uerius tetrum quàm principem se probauit: libidine & luxuria turpissimus, omniumq; religionum (præter Solis, cuius sacerdos fuerat, atque inde Heliogabalus dictus erat) contemptor. Vnde nec amplius biennio, ut Eutropius indicat, & octo mensibus regnauit: & uita dignum exitum habuit. Adoptauerat is Antoninus Alexandrum Seuerum, Mamææ filium, qui in Imperium ei successit anno Domini ducentesimo uigesimoquarto: optimus & laudatissimus princeps, sub quo res Christianæ bene se & tranquillè habuerunt. A Christiana enim pietate Alexandrum non alienum fuisse, in eius historia multa sunt quæ arguunt: & æquior in priuatis negotijs Christianis erat, quàm alijs. Cùm enim aliquando Christiani locum quendam publicum ad pium usum occupassent, eum uerò popinarij contenderent suum esse: Alexander respondit, Honestius esse Deum quomodocunque in eo loco coli, quàm lixarum sordibus contaminari. Occisus tamen in tumultu Germanico unà cum matre est, cùm ipse in decimumtertium annum Imperio præfuisset.

De persecutione sub Maximino.

Successit post eum in regnum, absq; omni Senatus autoritate, sed militum uoluntate & iudicio solo, Maximinus, anno Christi ducentesimo trigesimo septimo. Is, ut & gentis suæ barbarum ingenium & animi sæuitiam ac immanitatem præ se ferebat, ita in doctores saltem & Ecclesiarum præsides persecutionem mouit: ratus illis, ut ductoribus & autoribus religionis Christianæ, è medio sublatis, facile deinde ab ea arceri uulgus posse. Refert Eusebius libro sexto, capite uigesimooctauo: Maximinum solo in Alexandri domum odio, in eam sæuitiam exarsisse: sed breue sæuiendi spacium habuit. Ei enim, cùm triennium uix in Imperio compleuisset, à militibus interfecto, Gordianus successit, anno Domini ducentesimo quadragesimo: quem nihil uiolenti in Christianos edixisse legimus. optimus enim & nobilissimus fuit princeps: magnam toti Imperio salutem & utilitatem allaturus, si diu ei rebus præesse licuisset. Sex enim cùm duntaxat annis imperasset, à successore Philippo per fraudem interfectus est. Quod factum eius laudes, quas beneuolentia sibi in Christianos, Christianus ipse quoque postea sibi peperit, non leuiter obscurauit, & in suspicionem adduxit. Quod enim Eusebius ait, primum eum ex omnibus Romanis Imperatoribus Christianum fuisse: non desunt qui id eum simulatione egisse, palàm affirmare non dubitent. Scribit Pomponius Lætus, Philippum omnia agere solitum fraudulenter: & quidem de eo hoc addit: Philippus homo Punica fraude deterior, qui ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat. Baptisatum eum tamen cum Philippo filio & Seuera coniuge, Sabellicus prodidit Enneade septima, libro septimo. Imperium ad quinquennium gessit.

De persecutione sub Decio.

Post eum inuitus & reluctans ad Imperium tractus, ut Egnatius scripsit, Decius, laudatus alioqui princeps, ut Lætus ait, asperam & atrocem persecutionem in Christianos mouit, anno Domini ducentesimo quadragesimoseptimo: ideo quòd Philippo, ut Eusebius scribit libro sexto, capite trigesimo nono, infensus fuit. Quod odium Sabellicus & Bergomensis libro octauo, inde profectum narrãt, quòd Philippus uterque thesauros suos Fabiano contulerant. Fuit hæc politica causa. Cyprianus uerò alias grauiores recitat, quæ Ecclesiasticæ uocari possent, libro quarto, epistola quarta, cuius uerba hæc sunt: Intelligendum est, & confitendum, pressuræ istius tam turbidam uastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est, & adhuc usque populatur, secundum peccata nostra uenisse, dum uiam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cœlestia mandata seruamus. Fecit Dominus noster uoluntatem Patris, & nos non facimus Domini uoluntatem, patrimonio & lucro studentes, superbiam sectantes, æmulationi ac dissensioni uacantes, simplicitatis & fidei negligentes: seculo uerbis solis, & non factis renunciantes: unusquisque sibi placentes, & omnibus displicentes. Vapulamus itaque, ut meremur. Quas enim plagas, quæ uerbera non meremur, quando nec confessores, qui exemplo cæteris ad bonos mores esse debuerant, teneant disciplinam? Itaque dum quosdam insolenter extollit, confessionis suæ tumida & inuerecunda iactatio, tormenta uenerunt. Cõfirmatam autem eam persecutionem per edictum Imperatoris, posteaquàm anno integro ante edicti eius promulgationem prius ab ethnicorum uulgo, concitato ab impostore quodam, agitata esset, Dionysius Alexandrinus scripsit ad Fabium Antiochenum, ut Eusebius indicat libro sexto, capite quadragesimoprimo. Dionysii uerba paulò pòst subijciemus. Speculum Vincentij in historia eius persecutionis, meminit etiam Optimi proconsulis, & præfectorũ Secundiani, Veriani & Marcelliani, quòd persecutionis executores fuerint: libro undecimo, capite quadragesimosexto & quinquagesimo.

Nunc, in quibus potissimum locis sæuitum sit, explicandum est. Quod uerò fieri difficile est, ideo quòd hæc pars à scriptoribus Ecclesiasticis breuissimè tantùm indicata est. Ait Nicephorus libro quinto, capite uigesimonono: Tam non esse facilè martyres omnes huius persecutionis recensere, quàm arenam maris numerare: quamobrem & nobis breuitate simili utendum est.

Hierosolymis (ut ab eo loco ordiamur) Alexãder episcopus, cuius suprà fecimus mentionem, uir autoritate, pietate & ueneranda canicie grauis, cùm rursus propter Christum Cæsareæ ad præsidis tribunal, in

confeßione ſplendida & illuſtri, ut Euſebius inquit, perduraſſet, in carcerem coniectus, ibi cum gloriosa morte uitam ſuam commutauit: quemadmodum & Babylas Antiochenus epiſcopus, edita conſtanti confeßione, in carcere expirauit. Nec dubium eſt, cum iſtis quaſi ducibus & anteſignanis martyrum, plures ſimul abreptos eſſe, etiamſi illud in hiſtoria perſecutionis non explicatur. Nicephorus libro quinto, capite uigeſimoſexto, Babylam etiam alium, epiſcopum ſcilicet Nicomedienſem, ſub Decio martyrium decertaſſe ſcripſit. Speculum Vincentij libro undecimo, capite quinquageſimoſecundo, Aſclepiadem epiſcopum Antiochenum hoc tempore martyrem defunctum eſſe narrat: ubi & quadraginta ſanctas uirgines martyria conſummaſſe Antiochiæ, meminit.

Lampſaci in Phrygia, Vincentius narrat, Petrum quendam comprehenſum, uarijs cruciatibus affectum martyrem, ſub Optimo proconſule obiiſſe.

Idem & in Troade martyres alios, Andream, Paulum, Nicomachum, & Dionyſiam uirginem paſſos ſcripſit: libro undecimo, capite quadrageſimoſexto.

Et in Babylonia inuentos à Decio confeſſores Chriſtianos, atq; ad cruciatus in Hiſpaniam abductos eſſe, prodidit libro eodē, capite quadrageſimotertio.

Apud Cæſaream Cappadociæ, martyrio perfunctos Germanum, Theophilum, Cæſarium & Vitalem, idem retulit libro undecimo, capite quinquageſimoſecundo. Meminit Polycronij epiſcopi Babyloniæ, libro eodem, capite octogeſimonono. Pergæ in Pamphilia paſſum Neſtorem epiſcopum, ſcribit Vincentius libro undecimo, capite quinquageſimoſecundo. Et in Perſide apud Cardulam, nobiles ſanctos Olympiadem & Maximum. In Tyro uerò, Anatoliam uirginem & Audacem. In Africa tamen, magis quàm in ullis alijs locis, crudelitatē huius perſecutionis graſſatā eſſe, ex Tertulliano & Cypriano conſtat. Et Alexandriam in primis, quaſi palæſtram & ſtadium quoddam, in quo martyres illuſtres plurimi decertarint, fuiſſe, Euſebius (quemadmodum diximus) probat, ex Epiſtolis Dionyſij Alexandrini epiſcopi: quarum exempla, ut teſtimonia probatiſſimi autoris, huic narrationi uiſum nobis eſt inſerere.

Primùm igitur de ſuo, aliorumq; quos ſecum interdum habuit, periculo, quod uarijs in hac perſecutione modis experiri coactus fuit, Dionyſius ſic ſcribit ad Germanum: Ego uerò in conſpectu Dei loquor, & ipſe me non mentiri nouit, haudquaquam mei ipſius rationem habens, neque ſine Deo fugam cœpi: ſed & antea priuſquàm ſub Decio inualeſceret perſecutio, Sabinus eadem hora frumentarium, ut me quæreret, miſit. Et ego quidem qua triduum domi manſi, aduentum frumentarij expectans. Ille uerò cùm omnia perſcrutaretur, uias, flumina, agros, ubi me uel latēre uel tranſiſſe putabat, cæcitate quadam tenebatur, ne domum mueniret. Non enim credebat, me domi in ea perſecutione manere. Vix tandem quarto die, Deo mihi ut migrarem præcipiente, uiamq; mirabiliter aperiente, ego, & liberi, & multi fratres ſimul egreſſi ſumus. Et quod ea res diuinæ prouidentiæ opus eſſet, ſequentia declarant, in quibus nonnullis forſan utiles fuimus. Deinde aliquanto pòſt, quæ poſt fugam ſibi acciderint indicat, hæc ſubijciens: Ego nanq; cùm Hieroſolymas unà cum illis qui mecum erant uenißem, Talymas unà cum illis qui mecum erant uenißem, Tapoſtrim à militibus ductus ſum. Timotheus uerò ſecundum prouidentiam Dei, nec aderat, nec captus erat. Vbi autem tandem uenit, domum deſertam reperit, ac miniſtros illam cuſtodientes, nos uerò captos. Et rurſus aliquanto pòſt dicit: Et quis eſt admirandæ diſpoſitionis eius modus? Etenim quæ uera ſunt, dicam. Fit obuiam ex agro quiſpiam Timotheo fugienti ac perturbato, cauſamq; cur ita feſtinaret percontatur. Hic, quod res erat, edicit. Ille cùm audiſſet, ad nuptiarum conuiuia, quò aliàs ibat, iter ſuum proſequitur (erat enim illis mos, in huiuſmodi conuentibus pernoctare) & ubi illuc uenit, in conuiuio accumbentibus, quod audierat, indicat. Illi uno impetu, uelut ex pacto cuncti prorumpunt, ac uelociſſimo curſu in nos incidentes tumultuariā uociferatione feruntur. & cùm milites qui nos cuſtodiebant, confeſtim fugiſſent, nos inuaſerūt, ſicut eramus ſuper ſcabellis iacētes. Et ego quidem primùm, Deus nouit, quoniam eos prædones eſſe, ac deprædandi ac rapiendi gratia uenißſe putabam, ſic ut eram in ſtrato nudus, in lineo indumento iacens manebam: reliqua uerò ueſtimenta, quæ adiacebant, illis porrigebam.

Illi uerò ut ſurgerem, & uelociſſimè exirem iubebant. Tum uerò intelligens, qua de cauſa adeſſent, uociferabar precando ac ſupplicando, ut & nos abire ſinerent. Si uerò beneficij quid impertire uellent, eos qui me abducerent hactenus præuenirent, ut ipſi me capite truncarent orabam. Et cùm iſta clamarem, ſicut norunt conſortes mei, ac omnium participes, uiolenter prorumpebant. Ego quidem pronum me ſupra pauimentum conijcio, illi uerò & manibus & pedibus correptum extrahunt, & abducunt. Sequuntur autem me, qui teſtes horum omnium ſunt, Gaius, Fauſtus, Petrus, Paulus: qui me etiam abreptum è ciuitatula ducunt, & aſino ſic nudo impoſitū auehunt. Hæc Dionyſius de ſeipſo ſcripſit: refert Euſebius libro ſexto, capite quadrageſimo.

Deinde uerò de aliorū martyrijs ſub Decio, prolixè ſcribit ad Fabium Antiochenum epiſcopum, hoc modo: Perſecutio iſta non cœpit ex Imperatorio edicto, ſed illud anno integro præuenit. Etenim aduersum hanc diuinator quidam & fictor malorum uenit, quiſquis ille fuit, ac multitudinem ethnicorū contra nos mouit & excitauit, & ad patriam ſuperſtitionem tuendam inflammauit: à quo irritati, & cuncta poteſtatem ad impia flagitia perpetranda nacti, ſolùm cultum dæmonum & noſtri occiſionem, pietatem eſſe putabant. Primùm itaque presbyterum quendam nomine Metram comprehenſum, impia uerba proloqui iubent: non obedientem uerò, fuſtibus cædunt, & acutis calamis faciem & oculos pungūt, ac poſtea in ſuburbium eductū lapidibus obruūt. Deinde fidelem mulierem nomine Quintam, ad templum idolorum ductam, adorare cogunt: aduerſantem & abominantem idola, pedibus ligatis per totius urbis plateam lapidibus aſperè ſtratam trahunt, ac ſimul molaribus lapidibus alliſam, flagriſq; cæſam,

eæsam, ad eundem locum reducunt. Quo facto, uno impetu cuncti irruũt in religiosorum domos, & quos quisq; uicinos pios cognouerat, ad eorum ædes multitudinem ducunt, populãturq; & diripiunt, & quæ preciosiora erant, suffurantur: uiliora uerò, & quæ lignea erant, disiiciunt, & igne in plateis comburunt, atq; ita urbis ab hostibus captæ spectaculum edunt. Declinauerãt autem fratres, & se subduxerant: ac ra pimã bonorum suorũ, perinde atq; illi de quibus Paulus testificatus est, cum gaudio suscipiebãt. Nec noui an quisquã, nisi unus quidã ab illis correptus, ad hunc usq; diem Dominũ negauerit. Sed et præclarissimam tunc uirginem prouectæ ætatis, Apolloniã comprehendunt, dentesq; illi cunctos percussis maxillis excutiũt: & rogo ante urbem accenso, uiuã se cõburos minantur, nisi unà cum ipsis impia uerba pronũciet. Illa uerò cùm paululũ detrectasset, ac moras in speciẽ uelut deliberatura traxisset, repentè in ignẽ insilit, & cõburitur. Deniq; & Serapionẽ domi suæ agẽtem cõprehendunt, acerbisq; tormentis affligunt, ac cunctis corporis artubus confractis, è superiori tabulato præcipitem deijciũt. Nulla nobis uia, ne publica quidem, nullus etiã angiportus, nec noctu, nec per diem patet: cũctis semper ac passim uociferãtibus, nisi quis blasphema uerba succinat, hunc repentè trahendum esse, & cõburendum. Et hæc quidem diu admodũ sic durant. Verùm miseros seditio & bellũ intestinum excipit: & crudelitatem illã, qua usi fuerãt in nos, in eos ipsos cõuertit. Et parumper quidẽ respirauimus, cessante aliquandiu furore, quo in nos sæuierant: uerum mox Imperij illius mutatio nobis annunciatur, quod antea beneuolentiam in nos ostendebat, ac multus nobis minarũ terrõr intentatur. Quin & ipsum edictum Imperatoris adfertur, & subsequitur illud, à Domino nostro prædictum, propè horrendissimum: nempe ut & electi scandalizentur, si fieri possit. Terrentur omnes, & confestim multi ex potioribus, alij præ metu accurrunt, alij sponte rebus ipsis quæ gerebantur ducũtur, alij à uicinis trahuntur, ac nominatim uocati, ad impura ac prophana sacrificia accedũt: pars quidem pallentes ac trementes, quasi nõ sacrificaturi, sed ipsi sacrificia & uictimæ idolis futuri, ita ut à multitudine circunstãte subsannarentur, cunctisq; manifestum esset, timidos eos esse cùm ad moriendũ, tum ad sacrificandum: pars uerò alacrius aris accurrunt, audacter affirmantes, nec antea se fuisse Christianos, de quibus uerissimè prædictum est à Domino, quòd ægrè seruabuntur. Ex reliquis alij alterutram horum partem sequuntur: alij fugiunt, alij capiuntur, è quibus nonnulli ad uincula usq; & carceres perstiterunt: aliqui etiam complures dies incluſi, tandem priusquã ducerentur ad tribunal, fidem abiurarunt: quidam uerò cùm tormenta quoq; constãter pertulissent, postea negarunt. Ast alij fortes & beati, tanquam columnæ Domini, ab ipso corroborati, fortisq; in ipsis fidei condignam & cõuenientem uirtutẽ & constantiam nacti, præclari facti sunt regni ipsius martyres. Quorum primus Iulianus, homo podagricus, nec stare, nec ingredi ualẽs, cum duob. alijs ipsum baiulãtibus, adductus est: è quibus alter mox negauit, alter uerò Cronion nomine, cognomento Eunus, & senex ipse Iulianus, dominũ fide integra, & ut parerat, maxima confessi, camelis imponuntur, ac sublimes flagellantur: & tandẽ igni constanter ardenti iecti, circumfuso cuncto populo cõburuntur. Cùm autem abducerentur, adstans miles quidam conuiciatoribus resistebat: eamq; ob causam illis aduersus eũ uociferantibus, adducitur miles Dei fortissimus, progressusq; & in magno illo pietatis bello strenuus capite plectitur. Deinde & alius quispiã natione Libys, appellationeq; simul & benedictione uerus Macar, cùm à iudice plurimum esset admonitus, ut negaret, nec acquieuisset, uiuus cõburitur. Post hos Epimachus etiam, & Alexander, diu in uinculis constituti, innumerosq; dolores nouacularum & uerberum perpessi, in rogum ardentẽ & isti cõijciuntur: cumq; illis quatuor etiã mulieres. Et Ammonarion quoq; sancta uirgo, quam iudex diu admodum & pertinaciter torserat, eo quòd illi nihil se quod iuberet factura esse prædixisset, idq; seruasset, abducitur. Reliquæ uerò, Mercuria, anus honestissima, & Dionysia multis quidem liberis fœcũda, quos tamen supra Dominum non dilexit, præside cõfisso, quod inefficaciter eas torsisset, & à mulierib. uictus esset, nullũ amplius tormentorũ sensum capientes, ferro necãtur. Ammonarion quippe præ omnibus, uelut antesignana, tormenta pertulerat. Heron uerò, & Ater, & Isidorus, Ægyptij, & cum illis Dioscorus puer quindecim annorum, traditi sunt. Et puerum quidem iudex primùm uerbis quasi adhuc ductilem seducere, deinde tormentis tanquam qui facile terreri possit, cogere conatur: uerùm ille nec persuaderi, nec cedere sustinet. Reliquos ferocissimè laceratos, cùm perdurarent, igni tradit: Dioscorũ uerò publicè relucentẽ, & sapientissimè ad interrogata respondentem, admiratus dimittit: illiq; dilationẽ ad resipiscendũ, propter ætatem, impertire se dicit. Et iam nobis cùm est præclarissimus Dioscorus, prolixius & diuturnius certamen expectans. Nemesion autem quidam, & ipse Ægyptius, defertur quasi latronũ contubernalis: qua calumnia tanquã alienissima apud Centurionẽ repurgatus, de Christianismo accusatur, & hoc nomine uinctus ad præsidem uenit. Iniquissimus autem Iudex duplo hunc acerbius, quã latrones, torturis ac flagris afflictatum, inter latrones cõburit, & beatũ honoratumq; Christi exemplo reddit. Stabant autem ante tribunal frequentes, quidã è militari ordine, Ammon, Zenon, Ptolemæus, Ingenuus, ac senex Theophilus cum illis: & cũ Christianus quidã iudicaretur, iamq; ad negandum inclinaret, rumpebantur isti adstantes intra se, ac uultu innuebãt, manuq; extenta, & totius corporis motibus ad constantiam hortabantur. Cùm autem ad eos cuncti adspicerẽt, antequàm quisquam ex ipsis caperetur, præuenientes capturam, ad ipsa subsellia ultrò assiliunt, & se Christianos esse dicunt: ita ut & præses & assessores perterrefierent, & Christiani, qui iudicabantur, ad ferendas passiones strenui, iudices uerò timidi redderentur. Discedunt itaq; isti à tribunalibus alacres, & propter fidei testimonium exultabundi, Deo per illos glorioſe triumphante. Plurimi etiam alij per ciuitates & uicos ab ethnicis discerpti sunt: quorum unum, exempli gratia com-

tia, commemorabo. Ischyrion, cùm uni cuipiam ex primatibus pro mercede procurando seruiret, iubetur ab illo sacrificare, & cùm non obediret, contumelijs afficitur. Perdurantem, ethnicus conuicijs lacerat: & in sententia persistentem, arrepta maxima fude per intestina ac uiscera transuerberat & occidit. Quid de multitudine dicam eorum, qui in solitudinibus & montibus oberrant, & fame, siti, frigore, morbis, latronibus ac bestijs absumuntur, quorum superstites benedictionis & uictoriæ illorum testes sunt. Et horum quoquè unum factum declarandi gratia adijciam. Chæremon quidam erat, admodum senex, ciuitatis quæ Nilus uocatur episcopus. Hic ad montana Arabiæ, unà cum coniuge sua fugiens, non est reuersus, nec unquam uideri potuerunt. Et licet à fratribus sæpenumero quærerentur, nec ipsi tamen, nec corpora eorum sunt inuenta. Multi autem in istis Arabiæ montanis, à barbaris Saracenis captiuati sunt: è quibus alij, uix magna pecunia liberati euaserunt: alij uerò nondum, ne in hunc quidem diem comparuerũt. Hactenus Eusebius, libro sexto, capite quadragesimoprimo & secundo.

Porrò in Europa Romæ Fabianus episcopus, post exilium subijt martyrium: eumq; secutus Cornelius, ut Sabellicus prodidit libro septimo, Enneade septima. Eusebius in Chronico, & Eutropius, Laurentium etiam Romanum diaconum sub Decio, pro confessione, supplicio & morte affectum scripserunt: quod sub Valeriano factum, alij tradiderunt.

Vincentius ex Hugone martyrum puerorum meminit, apud Aretium ciuitatem Tusciæ, libro undecimo, capite quinquagesimosecundo. Florentiæ uerò in Etruria, Meniatum martyrem factum, scripsit Bergomensis libro octauo. Idem & in Sicilia, apud urbem Cathaniam, passam esse Agatham uirginem Siculam, ibidem annotauit. Quemadmodum autem martyres omnes enumerare impossibile est, sic & formas suppliciorum & genera mortis, quæ diabolus ipso uetustatis usu, ut Cyprianus ad Fortunatum scripsit, edoctus, persecutoribus subiecit. Idem tamen Cyprianus contra Demetrianum, aliquot formarum meminit hoc modo: Deo caros domo priuas, patrimonio spolias, cathenis premis, carceri includis, bestijs, ignibus punis. Sed & in Apologetico Tertullianus inquit, Sarmentitios & Semissios appellari solitos Christianos, ideo quòd ad stipitem dimidij assis reuincti, sarmentorũ ambitu exurerentur.

Eusebius, ex Dionysij scripto de martyribus Alexandrinis, has formas, ut dictum est, recensuit: picem feruentem, lapidationes, calamos acutos in facies & oculos impulsos, tractiones per strata uiarum, illisiones ad lapides, uerbera, flagellationes, exustiones, transuerberationes uiscerum per fudes, gladium, post confracta membra, è sublimi præcipitationes: quibus Vincentij Speculum, etiam equuleum addidit, lacerationes per ungues ferreos, lampades lateribus martyrum admotas, bestias, suspendia. Fuit & usitata supplicij forma, damnatio ad metalla: sic enim Cyprianus fratres quosdam ad metalla damnatos consolatur, libro Epistolarum tertio, epistola uigesimaquinta. Nec expleri tamen his tam crudelibus supplicijs furor impius potuit: in bona etiam piorum sæuitum est, adducta multitudine ad eorum ædes qui Christiani essent, populandas & diripiendas, planè sicut in tumultu & seditione fieri solet. Hæc enim in scripto suo Dionysius suprà retulit.

Quin & exilia, ante extremam de capite sententiam, Christianos pertulisse, exempla Fabiani episcopi & Cypriani testantur. Et totas multitudines in hac persecutione, in solitudines & montes profugisse, ibi oberrasse, et fame, siti, frigore ac morbis interijsse, & à bestijs alios assumptos, alios à latronibus barbaris captos & abductos esse, Dionysius scripsit.

Qui & tanto terrori & conseruationi post edictum Imperatoris propositũ eam persecutionem fuisse prodidit, ut trepidos & imbecilles multi præstantes Christiani se ostenderint. Quomodo enim alij metu ac terrore compulsi, alij consultò & sua sponte ad prophana sacrificia accesserint, ac se Christianos fuisse negauerint: alij uerò post tolerata fortiter atrocia tormẽta, tamen ad extremum fidem abiurarint, idem in scripto suo ad Fabium prolixè commemorat. Et magno dolore Cyprianus in sermone de lapsis recitat, multos ad primas statim persecutorũ minas, nec coactos, nec inuitos abnegasse. Ad prima, inquit, statim uerba minantis inimici, maximus fratrum numerus fidem suam prodidit: nec prostratus est persecutionis impetu, sed uoluntario lapsu se ipse prostrauit.

Item, Non expectauerũt saltem ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi: ante aciem multi uicti, sine congressione prostrati: nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis uiderentur inuiti, ultrò ad forum currere, &c. Quin & hoc indicat, à parentibus negatoribus etiam infantes simul aut manibus impositos, apportatos ad abnegationem, aut attractos esse. Atq; exhortationibus mutuis alios alijs abiurandi fuisse autores, indicat. Istorumq; horribilium lapsuum duas causas subijcit, amorem scilicet patrimonij, & facultatum, ac tormentorũ terrorem.

Addit & exempla, quomodo abnegatores Deo pœnas dederint. Affirmat enim, multos spiritibus immundis exagitatos & correptos post abnegationem esse. Quendam etiam sponte abnegantem, repentè mutum factum dicit. Rursus alium post abnegationem cum alijs communicaturum, pro pane cinerem in manum excepisse. Puellam uerò quandã dæmone correptam, linguam sibijpsi dentibus laniasse, ac paulò pòst doloribus uentris & uiscerum cruciatum expirasse.

Plurimos tamen, nec minis deterritos, nec immanissimis cruciatibus uictos, in confessione fortiter perstitisse, & in martyres glorioso euasisse, persecutionis historia testatur, & Dionysius affirmat. Prædicat & magnopere confessorum quorundam egregiam constantiam Cyprianus, Epistolarum libro secũdo, epistola sexta. Ad eam enim præstandam publicè & priuatim Christiani sese mutuò cohortabantur: nec quicquam maiori illis fuit solicitudini, quàm ne quis ad tribunal constitutus, aut in conspectum tormentorum adductus, animo frangeretur, aut à confessionis proposito deijci se permitteret. Sic totius motu corporis & manu portenta ad constantiam hortabantur, milita-

res illi

res illi uiri Ammon, Zenon & Ptolemæus, Christianum quendam, qui in iudicio ad negandum impelimare uidebatur, ut ex Dionysio suprà retulimus. Ita doctores, siue liberi, siue in exilio essent, consolationibus & admonitionibus alios instruebant.

Relegatus Cyprianus, Ecclesiæ suæ rescribit, & Lectorem ordinat, ut ex Epistola quinta libri secundi constat. Ab eodem exilio scribit ad Nemesianum, Felicem, Lucium, aliosq; episcopos, presbyteros & diaconos, & ad metalla damnatos, epistolam mirè consolatoriam: cùm tamen ipse, ut exul, consolatione indigeret. Vltima ea Epistola libri tertij est, in qua quàm non sit probrosum, aut inutile, aut expauescendum pro Christo seu exilium, seu pœnas ferre, prolixè ipsis confirmat. Exhibetis uos, inquit, duces uirtutis, confessione enim uocis & corporis passione, fratrum mentes ad diuina martyria prouocatis: sicut uestrum exemplum iamdudum plures uobiscum confessi sequuntur, inter quos uirgines etiam & pueri. Deinde non sunt homini Christiano, res execranda, supplicia. Ad fustes enim Christianum pectus, cuius in ligno omnis spes est, non expauescit: ornamenta sunt piacula: nec Christianorum pectus ad infamiam copulant, sed liberos apud Dominum efficiunt. Lecto in metallis Christianorum corpus non fruitur, at refrigerio Christus fruitur. Iacent humi fessa laboribus uiscera, at pœna non est cum Christo iacere. Vestis algẽtibus deest: sed qui Christum induit, uestitus abundanter cultus est. Præterea hæc officia & obedientiam Scriptura approbat. Deo enim sacrificium offertis, cùm hostiæ Dei facti, sanctas uos uictimas exhibetis: quod Paulus iussit. Calicem uerò Domini dum recipitis, ipsi redditis: quemadmodum Psalmo centesimo decimoquinto dicitur. Nec præmia uestro certamini deerunt. Deus enim desuper spectans in confessione nominis sui, uolentes comprobat, dimicantes adiuuat, uincentes coronat, remunerans in nobis quicquid ipse præstitit, & honorans quod perfecit. Denique ad martyrum domicilia properatis, uisuri candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionibus omnibus claritatem. quod Apostolus testatur: Non sunt, inquiens, dignæ passiones huius temporis superuentura claritate, quæ in nobis reuelabitur. Eiusmodi consolationibus ex Scripturæ testimonijs petitis, & Seagrium, Rogatianum, & confessores alios in carcere & uinculis animat & confirmat, libro quarto, epistola prima: Fortes, inquit, & constantes perseuerate, & uiam ingressam spirituali uirtute pergite. Habetis enim Dominum protectorem, qui dixit: Sum uobiscum omnibus diebus. Et in morte uestra immortalitatem, in pœna gloriam sempiternam uobis proponite: de qua scriptum est, Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Item: Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Et in paucis uexati, in multis bene disponentur. Dominus enim tentauit illos, tanquam aurum in fornace probauit illos: Sapientiæ tertio.

Deinde, ab initio mundi sic institutum scitote, ut laboret isthic in seculari cõflictatione iusticia, quando in origine statim prima, Abel iustus occiditur, & exinde iusti quique, & Prophetæ & Apostoli missi: quibus omnibus Dominus quoq; in seipso constituit exemplum, docens, ad suum regnum non nisi eos qui sequti per suam uiam secuti sint, peruenire, dicens: Qui amat animam suam in hoc sæculo, perdet eam, &c. Nolite igitur timere eos qui corpus occidunt, animam uerò occidere non possunt. Et Paulus monet, ut qui ad Domini promissa uenire cupiamus, imitari Dominum in omnibus debeamus: si compatimur, inquit, & conregnabimus. Nec consolationibus solùm eiusmodi firmissimis, martyres captiuos Cyprianus erexit: & ad confessionis perseuerantiam exhortatus est: uerùm etiam ad presbyteros scripsit, ut omnibus officijs martyres uinctos complecterentur, & omni cura propensiori iuuarent. Extat enim ea de re scripta epistola sexta libri tertij.

Ex sequenti uerò eiusdem libri epistola apparet, & Lucium Romanum episcopum, Cyprianum exulantem per literas confirmasse, & missa stipe penuriam eius leuasse. Sic enim eius epistolæ ad Lucium exordium habet: Lectis tuis literis, recepimus in uinculis laxamentum, in pressura solatium, & in necessitate præsidium: & excitati sumus, & robustius animati, ad si quid amplius fuerit pœnarum. Denique & diaconos, ad ipsas martyrum custodias accedere solitos, eosq; consilijs suis & Scripturarum consolationibus & præceptis instruere, declarat epistola decimaquinta libri tertij.

De publicis uerò & priuatis, pro confessoribus martyribus, precibus, extat quiddam apud eundem Cyprianũ libro secundo Epistolarum, epistola quarta: Nos quidem uestri, inquit, diebus ac noctibus memores, & quando in sacrificijs precem cum pluribus facimus, & cùm in secessu priuatis precibus oramus. Sic enim Christianorum preces, persecutiones tantum abest ut aut impedirent, aut extinguerent, ut etiam ardentiores & frequẽtiores excitarẽt. Quemadmodum exilij diuturnitate & supplicijs, martyres maiorem induebant constantiam, magisq; confirmabantur, ac tum sese, tum alios ad perseuerantiam hortabantur: sicut de Cypriano iam dictum est, qui & in libro de Exhortatione martyrij, hunc præcipuum persecutionum dixit esse finem (secundum Domini sententiam) ut qui fideles sint, probentur & declarentur.

Sicut autem Tertullianus contra Scapulã, Christianorũ causam scripto publico defendit, quemadmodũ suprà dictum est: ita idem & Cyprianus præstitit aduersus Demetrianum ethnicum præfectum, qui calumnijs multis Christianos exagitauit, inter quas illã præcipuè sparsit, Christianos causam esse publicorũ malorum, quòd gentium deos non colerent. Quod crimen prolixè, multis argumentis in eo scripto refutat, quæ breuiter cõmemorabimus. Primùm falsò probat, Christianis imputari calamitates & mala mundi: ideo quòd, si in prouentibus sit aliquid infelicitatis & detrimenti, magis id imputandum uideatur senescenti & languenti naturæ. Deinde, quia publicas calamitates, ut bella, famem, pestes, prædictum sit sub finem mundi grassaturas. Tertiò, quia hæ pœnæ attrahantur idololatria & ueri Dei contemptu,

quem

quem se eiusmodi malis puniturum, per prophetas Deus prædixisset. Rursus ait, augeri ea mala, hominum uicijs & iniusticia. Ac, sicut ipse loquitur, famem maiorem facere rapacitatẽ, quàm siccitatem.

Postremò, causam istorum omnium esse affirmat, quia gentiles persequantur innocentes Christianos.

Quòd uerò idola non colant, eam esse causam respondet in tractatu de Vanitate idolorum, qui & ipse Apologiæ uice pro Christianis est, quòd non sint ueri dij. Quod ipsum rursus probat his rationibus: Primùm quòd Gentium dij, reges olim fuerint: ob quam dignitatem à suis etiam in morte coli cœperint. idq; proditum sibi secreto à sacerdote, Alexander ad matrem suam scripserit. Deinde, quòd gentium dij non potuerint suos cultores ab interitu uindicare: unde cùm diuinæ nihil uirtutis habeant, dij ueri esse non possint. Tertiò, quòd ipsi ethnicorum scriptores, ut Sosthenes, Plato, Trismegistus, unum tantùm scripserint esse Deum, qui uideri non possit. Quare spiritus esse malignos, non deos, qui in statuis delitescerent, & homines deciperent. Denique, quia unus tantùm sit Deus uerus, pater Domini Iesu Christi.

Hæc de persecutione sub Decio, annotanda nobis uisa sunt. Iam, utrum imperãte adhuc Decio nonnihil, aut quomodo remiserit, non clarè à scriptoribus indicatũ est: nisi quòd trãquillitatis aliquid fuisse uidetur, quia Romæ Synodus hoc tempore de Nouati schismate fuit congregata.

De persecutione sub Gallo & Valeriano.

Post Decium in barbarico bello interfectum, imperium adeptus est Vibius Gallus, anno Domini ducentesimo quinquagesimoquarto: in quo socium sibi statim adiunxit filium Volusianum. Gallus is, præterquàm quòd infelicissimè Romanum Imperium per annos duos administrauit, persecutor etiam nominis Christiani fuit: quemadmodum Dionysius scripsit ad Hermammonem, ut Eusebius indicat libro septimo, capite primo. Neq; Gallus (inquit) malum Decij cognouit: neq; præuidit, quid nam illum seduxerit: sed ad eundem lapidem ipsis oculis expositum impegit. Cui cùm imperium prosperè succederet, & res felici euentu caderent, sanctos uiros pro pace ac sanitate ipsius orantes, profligauit: atq; ita unà cum illis, etiam preces quæ pro ipso fiebant, proiecit.

Nec plura de hac persecutione, quibus in locis fuerit, aut qui per eam martyres sublati sint, reperias: adeò ut pœnas eum persecutionis sensisse, magis quàm mouisse, uideatur. Sub eo enim pestilẽtia atrox illa Romanas prouincias uastare, & colonis spoliare cœpit, quemadmodum suo loco referemus. Nam & Dionysii testimonium, de exilijs tantùm doctorum & gubernatorum Ecclesiæ, loqui uidetur. In quam sententiam Sabellicus indicat, Lucium episcopum Romanum, sub Gallo exilio mulctatum: post eum interfectum, reuocatum esse. Hugo, cuius testimonium Vincentius citat in Speculo, libro undecimo, capite quinquagesimotertio, significat edicta etiam Imperialia de hac persecutione publicè promulgata: eaq; causa pestilentiam ortam scribit, quæ eò quocunq; Imperatoris decreta peruenissent, quoquè peruasit. Gallo interfecto, successit Æmilianus, ignobilis ille, & tantùm trimestris Imperator.

Quo rursus sublato, Imperij summa ad Licinium Valerianum, omnium fauore, ipsius etiam Decij, apud quem censorem egerat, auguratione peruenit. Laudatus fuit princeps, sed in gubernatione infœlix, neq; ad eam (ut Victor ait) accõmodatus. Scribit Trebellius de Valeriano, olim cùm Senatus authoritate censor crearetur, in Senatusconsulto has fuisse uoces: Valeriani uita, cẽsura est: ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior: ille de senatu iudicet, qui nullum habet crimen: ille de uita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obijci. Valerianus à prima pueritia censor fuit, Valerianus in tota uita sua fuit censor, prudens senator, modestus senator, grauis senator, amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis uiciorum. Hunc censorem omnes accipimus, hunc imitari omnes uolumus: primus genere, nobilis sanguine, emendatus uita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Hæc ornamenta sua, postea persecutione in Christianos deformauit: ac scribit ea de re Dionysius, ut Eusebius autor est libro septimo, capite decimo, ad Hermam, in hunc modum: Ioanni quoq; similiter reuelatur. datum enim illi est, inquit, os ad loquendum magna, & blasphemias. Et data est illi potestas & mensES quadraginta duos. Sunt autem utraq; admiranda in Valeriano: considerandumq;, quòd præ antecessoribus suis sic comparatus fuit initiò, ut erga homines Dei placidus esset, & animo amico prædictus. Neque enim quisquam Imperatorum ante eum tam clementer ac placidè erga eos affectus fuit, ne illi quidem qui palàm Christiani facti dicebantur: sic initio ille familiarissimè & amantissimè, idq; palàm nostros complectebatur, & tota illius aula referta erat pijs, & Ecclesia Dei facta. Verùm magister ille & Archisynagogus Ægyptiorum Magorum persuasit illi postea, ut sinceros ac sanctos uiros, tãquam aduersarios & prohibitores impurissimorum ac detestabilium incantatorum, occideret & persequeretur (tantum enim ualebant, & ualent etiamnum, pijlli, ut præsentes & conspectu suo tãtùm, contra spirantes, & uerbulo reluctantes, scelestorum dæmonum impostura dissiparent) & ceremonias impuras & incantationes execrabiles, ac sacrificia abominanda perficeret, miseros pueros mactaret, infeliciũ parentum liberos immolaret, nuper nata uiscera scrutaretur, & figmenta Dei quasi ex hisce facinoribus fortunatus, dirimeret ac rescinderet. Deinde subijcit dicens: Recta igitur Macrinus illis pro sperato imperio charisteria obtulit. Etenim antea, cùm communiter Imperator futurus diceretur, nihil rationi consonum, neq; publicum & uniuersale sensit: sed propheticæ maledictioni subiacuit, dicenti, Væ illis qui è cordibus suis uaticinãtur, & publicũ non respiciunt. Non enim uniuersalem illam prouidentiam intellexit, neq; iudicium eius suspexit, qui est ante omnia, & per omnia, & super omnia. Quapropter etiã catholicæ Ecclesiæ hostis factus est. Alienum autem se & exortem à misericordia Dei reddidit: & sicut quàm longissimè ab illius Ecclesia aufugit, ita ueritatis nominis

hominis sui respondit. Rursus aliquanto post dicit: Valerianus enim ad huiusmodi cõtumelias & abominationes impulsus ac traditus ab illo est. secũdum Esaiæ dictum: Et ipsi, inquit, elegerunt uias suas & abominationes suas, quas concupiuit anima eorum: & ego eligam illusiones eorum, & peccata eorum reddam ipsis. Hic autem ad Imperium præter dignitatem insaniẽs, & Imperialem ornatũ corpore mutilato induere non ualẽs, duos filios paternorum peccatorum imitatores prostituit. Est enim in illis perspicuum uaticinium illud quo se Deus peccata patrum in filijs ad tertiã & quartam usq; generationẽ eorum qui ipsum odio habeant, puniturũ dixit. Et enim prauas suas concupiscentias, quarum compos fieri non potuit, in capita filiorum suorum deuoluit, inq; illos malitiã suam & odium aduersus Deum deriuauit. Hactenus de Valeriano Dionysius. Præsides igitur Imperatorij eam persecutionem executi sunt: ut Æmilianus Ægypti præfectus, qui in exilium Dionysium compulit, ut est apud Eusebium libro septimo, capite undecimo: ubi & de centurione, ducibus, militibus & ministris executoribus dicitur. In historia martyrij Cypriani apud Pontium & Augustinum mentio fit, Paterni & Galerij Maximi proconsulum. Bergomensis & Valeriani præfecti Romani, & Perennij memmit, libro octauo. Vincentius uerò in Speculo, Nicecij & Claudij præsidum, libro undecimo, capite septuagesimosexto & septuagesimooctauo. Nunc quibus in locis sæuitum sit, exponendum est.

Apud Cæsaream Palæstinæ, sub ea persecutione, post confessionem editam bestijs obijciuntur, Priscus, Malchus, & Alexander: Eusebius libro 7. capite 12.

De persecutione apud Alexandriã, Dionysius his uerbis scribit ad Domitium & Didymũ, ut Eusebius refert libro septimo, capite undecimo: Supersluum fuerit, nostrorũ recensere nomina, cùm & multi fuerint, & mihi ignoti. Veruntamen scias, fuisse uiros, mulieres, iuuenes, senes, uirgines, anus, milites & idiotas, ex omni hominum genere & ætate, quorum alij uerberibus & igne, alij ferro superato certamine coronas acceperunt. Rursus in eodem scripto paulò post: Ad hunc usq; diem non cessat præses, eos qui adducuntur crudeliter occidere. Ibidem Faustum memorat, admodum senem, qui in superioribus persecutionibus secum durauerat, in hac Valeriani persecutione, capitis amputatione martyrium consumasse. Bergomensis libro octauo, in historia Valeriani Imperatoris, etiam Philippi episcopi Alexandrini memmit, quẽ in eadem persecutione gladio percussum retulit. Carthagini Cyprianus, quod Scriptorum pleriq; sentiunt, hoc tempore martyrium gloriosissimum fecit, præsidente Romæ Lucio, ut Sabellicus scripsit: aut, ut in Chronico Eusebius, Sixto.

Vincentius in Speculo, libro undecimo, capite octogesimotertio, ex Hugone refert, trecentos martyres Carthagini passos. Roma, uti semper Christianorum laniena fuit, ita & hoc tempore martyrum sanguinem multorum excepit. Inter quos celebrantur tres episcopi, Lucius, Sixtus & Stephanus: qui ut in officium, ita & martyrium sibi inuicem succesere. Post eos Nemesium diaconum Romanũ, Bergomensis recenset: idem & Laurentium, cuius martyriũ sub Decium pleriq; retulere, sub his Imperatoribus Valeriano & Galieno, in craticula passum affirmat. Et qui aliunde eò accesserant, Eugentam, Prothum & Iacinthum. Vincentius & Zenonem episcopum Veronensem, huius persecutionis martyrem numerat. Idem & Tarraconæ Hispaniæ, Fructuosum Episcopum cum socijs passum narrat, libro eodem Speculi, capite sexagesimoprimo. Pontium autem Cypriani diaconum, martyrium suum compleuisse hoc eodem tempore in Gallijs, idem prodidit libro eodem, capite septuagesimooctauo: & Bergomensis libro octauo: Heinricus de Erfordia libro sexto, capite uigesimoseptimo.

Modi cruciatuum hi fuerũt, bestiæ, uerbera, ignis, ferrum, corporũ laniationes, umcula, de quibus Dionysius scripsit: Non cessat præses ad hunc usq; diem, alios crudeliter occidere, alios tormentis dilacerare, alios carceribus ac uinculis conficere, præcipiens ne quisquam ad illos accedat. Alij, ut Bergomensis & Vincentius, plures formas enumerant: ut exustiones per laminas cãdentes, fustes, raptationes equorũ, plũbata, præcipitationes in flumina, equuleos, tauros feroces & ursos, excoctiones in craticulis, fornaces calcarias. Narrat & proscriptiones suas, ac facultatum direptiones, itemq; exilium suum atq; aliarum importunum & graue, Dionysius in scripto contra Germanũ, apud Eusebiũ libro septimo, capite undecimo: Me, inquit, Æmilianus, tametsi ægrotantem, ut properè abirem iussit, ne unius quidem diei dilatione cõcessa. Id uerò exilium quomodo subinde mutare in asperiora & squalidiora loca coactus sit, in ijs quæ ibi sequuntur, narrat. At de aliorum exilijs dicit ibidem: Qui in mundo illustriores habentur, Faustinus & Aquila, in Ægypto oberrant. De consolationibus uerò, & fratrum recreationibus, quibus ipsi exulanti frui licuerit, permulta prædicat, inter quæ & talia quædam scribit: In urbe latuerunt, fratres occultè uisitantes, ex presbyteris Maximus, Dioscorus, Demetrius & Lucius. Item: Deus alacritate & assiduitate fratrum, afflictos recreat. Sic & de ministerijs erga fratres uinctos & martyrijs defunctos, ibidem: Eusebium, inquit, Deus ab initio ad hoc animauit & instruxit, ut confessoribus in custodia constitutis strenuè ministret, & corpora perfectorum ac beatorum martyrum, non sine periculo condat.

Addendum postremò & illud est, quòd quæcunq; persecutionis istius immanitas fuerit, tamẽ aliqui post confessionem, & fortiter superata tormenta, à Deo seruati sint. Sic enim Dionysium ab aliquot persecutionibus, ut sub Decio & Sabino, sub Valeriano & Æmiliano, quemadmodum ipse de se testatur, seruauit Deus. De alijs uerò, in quos persecutio nihil iuris habuerit, eodem in scripto aduersus Germanum ita retulit: Alijs, ne multum quidem temporis ad hoc suffecit, ut Domino acceptabiles uiderentur. Atq; is quidem Ecclesiæ status sub communi regni duorum istorum Imperatorum Valeriani & Galieni administratione fuit. Cæterum Valeriano in bello infelici, in Mesopotamia, à Sapore rege Persarum capto, sicut alibi à nobis dicetur: Galienus Imperiũ solus

tenuit, anno Domini ducenteſimo ſexageſimoſecũdo.

Is ſeu patris fortuna territus, ſeu moderatione, ſeu quacunq; tandem cauſa (neq; enim ea uſquam expreſſa eſt) perſecutionem motam edictis publicis remouit: ut Euſebius ait libro ſeptimo, capite decimotertio.

Pax igitur Eccleſiis omnibus ubiq; reddita eſt: teſtis Euſebius libro eodem, capite decimoquinto & uigeſimoſecundo. Edicti Imperialis exemplũ hoc eſt:

Imperator Cæſar Publius Licinius Galienus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Dionyſio & Pinnæ & Demetrio ac reliquis epiſcopis. Beneficentiam doni mei per uniuerſum mundum publicari mandaui, ut à locis quibus diſciplinæ gratia detinentur, diſcedant: & ob hanc cauſam etiã uos exemplo huius reſcripti mei uti poteſtis, ne quiſquam uobis negocium faceſſat. & hoc quod à uobis licitè præfici poteſt, iam diu antea eſt à me conceſſum. Quapropter Aurelianus Cyrenius, qui maximo negocio præeſt, exẽplar à me datũ cuſtodit.

Extat autem & alia quædã illius cõſtitutio, quam ad alios Epiſcopos miſit, permittens illis loca illa recipere, quæ cœmiteria appellamus. Marinum tamen, militem nobilem & opulentum, apud Cæſaream propter teſtimoniũ Chriſti capite truncatum eſſe hoc tempore, Euſebius affirmat libro eodem, capitè decimoquinto. Ruffini uerò exemplar, etiam Aſſyrium Romanum ſenatorem martyrem factum eſſe refert, ideo quòd Marini corpus honeſtè & officioſè ſepeliſſet: niſi quòd ſub Valerianum eam hiſtoriã reponit.

Cæterum Galieno, cùm per annos quindecim imperaſſet (ſeptem ſcilicet cum patre Valeriano, & octo ſolus, ut Victor ait) ſucceſſit Claudius, princeps optimus, & egregijs uirtutibus ornatus, modeſtia in primis & iuſticia, ſicut Eutropius ſcribit. Cuius felicitate & induſtria, qua maximas & ſalutares reipublicæ Romanæ initio ſtatim Imperij, victorias adeptus eſt, reſtitui in integrũ res Romana lapſa potuiſſet, niſi intra biennium morbo victus occubuiſſet. Motam tamen ab eo in Chriſtianos perſecutionem, Vincentius in Speculo tradidit, libro undecimo, capite nonageſimooctauo: ubi & edicti de Chriſtianis plectendis meminit, & martyrum ducentorum ſexagintaduorum Romæ: item aliorum, ut Quirini, Marij, Cæſarij, Iuliani, quos & Bergomenſis numerat: ſed hæc cum in melioribus nullis ſcriptoribus legantur, ſuam habeant, quam poſſunt, fidem. Nos, ſi qua ſub Claudio perſecutio fuiſſet, eam non præteriturum Euſebium, diligentiſſimum eorum temporum ſcriptorem, fuiſſe iudicamus. Succeſſit poſt eum in regnum frater eius Quintilius, homo laudatiſſimæ moderationis: in cæteris uerò, quæ ad Imperium bene & feliciter gerendum requiruntur, Claudio uel æquandus, uel præponendus: ſed Imperium breuiſſimum habuit, decimoſeptimo enim eius die occiſus eſt, ut Eutropius indicat.

De perſecutione ſub Aureliano.

Pax igitur interea Eccleſiis fuit, etiam tum adhuc cùm in regnum Aurelianus ſucceſſit, anno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimotertio. Tantum enim abeſt, ut iniquus is aut inimicus Chriſtianis fuerit, ut ſuam etiã poſtremè, frequentiſſimæ contra Samoſatenum ſynodo Antiochiæ autoritatem interpoſuerit: & Samoſatenum de Eccleſia cedere nolentem, exire compulerit: ut Euſebius narrat libro ſeptimo, capite trigeſimo. Attamen cùm natura, ut barbarus, ad crudelitatem propenſus, ſæuus & ſanguinarius eſſet, ut Eutropius ſcripſit, adeò ut nec à propriæ ſororis filij cæde abſtineret: alienus tandem à Chriſtianis factus, perſecutionem in eos mouere propoſuit, quemadmodum Euſebius teſtatur libro & capite iam citato. Talis, inquit, quidem tum temporis erat erga nos Aurelianus: in progreſſu uerò Imperij nonnihil à nobis alienatus eſt, ita ut iam propè conſilijs quibuſdam inductus, perſecutionem aduerſum nos moueret, deq; eo plurimus apud omnes rumor eſſet. Verùm cùm iam nos perſecuturus eſſet, & edicto contra nos uulgando propè ſubſcripſiſſet, diuina eum ultio corripuit, quæ conatum eum, tantum non religatis cubitis prohibuit. Nec amplius quicquam de hac perſecutione apud ſcriptores probatos inuenias. Meditatum igitur eam ſolùm, non executum Aurelianum, apparet. Facit huc, quod Eutropius, Vopiſcus & Euſebius in Chronico prodiderunt: Aurelianum, poſteaquàm perſecutionem decerneret, fulmine ſubitò territum, paulò pòſt interfectum eſſe. Quo magis miramur, Speculum Vincentij ex martyrologijs, ingentem ſub hoc Imperatore martyrum catalogum texere, quos ſtudio ab Aureliano in diuerſis locis requiſitos, & in Gallia atq; Italia ſupplicijs affectos narrat.

Aureliano, agenti annum imperij ſui quintum, inter Conſtantinopolim & Heracleam interfecto, anno Domini ducenteſimo ſeptuageſimooctauo, ſucceſſit Publius Annius Tacitus, uir moribus egregijs præditus, & reipublicæ gerendæ idoneus: ſed qui ſuarum uirtutum nihil potuit oſtendere, infra ſextum menſem Imperij morte præuentus, Eutropius.

Cui Florianus frater ſuccedens, nondum ſexaginta in Imperio dies complet: cùm ad nuncium Progbi, ex uenis ſibijpſi ſolutis effuſo ſanguine, obit. Victor.

Eum ſecutus Marcus Aurelius Probus, princeps uerè probus, acer & iuſtus, tum pacis belliq; artibus longè clariſſimus fuit: quibus pacem toti orbi pepererit, adeò ut inuidiam ſibi non mediocrem conciliarit, uſurpans hanc uocem: Nihil militibus opus eſſe, quoniam hoſtes deeſſent. Imperauit annos ſex, menſes quatuor. Eutropius.

Carus ei ſuccedens, anno Domini ducenteſimo octogeſimoquarto, ſocios ei in Imperio ſtatim aſciuit filios Numerianum & Carinum. Inter quos Numerianus egregiæ, ut Eutropius ait, adoleſcens uirtutis ac modeſtiæ fuit, miles, orator ſimul & poëta. Qui ægritudine oculorum ex uigilijs in Perſico bello contracta, ab Apro Numeriani ſocero per inſidias in lectica occiſus, regnum Carino fratri flagitioſiſſimo, qui ſe piorum ſanguine & ſceleribus omnibus inquinauit, reliquit. Breue igitur his tribus imperium fuit, nondum ſcilicet ad triennium integrum adductum: Eutropius, Lætus, Victor. Iſtorum omnium Imperatorum, gubernatio nihil uidetur perturbationis aut perſecutionis Chriſtianis attuliſſe, ſed tranquilla & quieta cum illis omnia fuiſſe: nec prius turbata eſſe, quàm annum Imperij ſui decimumnonum Diocle-

num Diocletianus ingressus esset, quemadmodum libro sequenti exponetur.

Hæc igitur pax alta, nec sine periculo & tristissimo, qui tandem interuenit, Ecclesiæ luctu, fuit per annos (si à principio imperij Galieni, usque ad decimumnonum Diocletiani numeres) totos quatuor & quadraginta. Tametsi Sulpitius à fine imperij Valeriani, usque ad eum Diocletiani annum, plures annos computet. Quo tempore in eminentia, felicitate & commoditate summa, res Christianorum fuerunt: quemadmodum ex Eusebij libro octauo, capite primo, uidere est, cuius testimonium adscribimus: Quantam ac qualem gloriam simul & libertatem, ante nostri temporis persecutionem, doctrina pietatis erga Deum omnium, mundo huic per Christum prædicata apud omnes mortales cùm Græcos tum Barbaros consecuta sit, maius opus requirit, quàm quod à nobis condignè perfici possit. Sunt autem huius indicia in eo, quòd tanta erga nostros fuit Imperatorum beneuolentia, quibus etiam Gentium principatus moderandos commendarunt. & pro magno fauore quo fuerunt erga doctrinam nostram affecti, in causa religionis libertatem ac securitatem concesserunt. Quid attinet de illis commemorare, qui in ipso Imperatorum palatio, ac coram cunctis principibus familiariter uixerunt? qui ministris suis hoc concesserunt, ut etiam in ipsorum facie, in religione Christiana cùm uerbis, tum uitæ conuersatione, liberè cum uxoribus, liberis ac seruis agerent, & tantùm non gloriari etiam de fidei libertate permiserunt: quos etiam præ alijs conseruis, excellentius & amplius cum fauore complectendos iudicarunt? qualis erat Dorotheus ille, præ omnibus alijs acceptißimus ac fidelißimus, & ob hanc causam apud principes ac præsides excellenter in precio habitus: & cum illo illustris etiam Gorgonius, ac quotquot pariter cum istis, eodem propter uerbum Dei potiti sunt honore: ad quem modum etiam singularum Ecclesiarum Episcopos, apud cunctos mortales ac præsides haud uulgariter acceptos, in precio habitos & charos cernere licebat. Quis autem numerosas illas aggregationes ac multitudines cœtuum per singulas ciuitates, insignesq; concursus ad oratoria describet? quorum gratia priscis ædificijs non contenti, in singulis ciuitatibus spacioſas & amplas ex ipsis fundamentis construxerunt Ecclesias. Hæc autem progressu temporum proficientia, & quotidie in magnitudinem & amplitudinem crescentia, nulla potuit inuidia prohibere, neque malus aliquis dæmon fascinare, nec homo quispiam insidijs impedire, quandiu diuina ac cœlestis dextera populum suum, adhuc dignum existentem, inuisebat & custodiebat.

De pœnis persecutionum.

In Apologia aduersus Demetrianum præfectum Cyprianus ait, Nunquam impiorum scelere in nomen Christianum exurgi, ut non statim diuinitùs uindicta comitetur. Puniri enim calamitatibus tum publicis, tum priuatis persecutiones, historiæ omnium ætatum testantur: & uel mors sola persecutorum fatetur. Exempla aliquot utriusque generis Tertullianus commemorat in scripto ad Scapulam: ut sterilitates, & post sementes, messes amissas, inundationes ex imbribus, tempestates, horrenda prodigia, & Solis obscurationem, signum scilicet imminentis iræ Dei. Recitat & priuatas aliquot persecutorum pœnas. Vigellius, inquit, Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusq; in prætorio suo uastatus peste, cùm uiuus uermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, nè gaudeant Christiani. Hac uoce satis testatus, se crudelitatis suæ in Christianos, tam tetras pœnas dare. Iam quid de ipsis primis persecutionum autoribus, Imperatoribus scilicet, dicemus? quorum nullus est, qui non aut in Imperij infelicitate & breuitate, aut in turpi, aut probroso exitu uindictam diuinam senserit. Seuerus Imperator, cùm regnum feliciter primùm administrasset, statim posteaquàm persecutionem mouisset, successibus destitui cœpit, ac continuis uarijsq; periculis & bellis distrahi, ut Platina inquit. Exitus uerò eius, tametsi cruentus & tragicus non fuerit quidem, tamen eiusmodi fuit, ut in uehementi membrorum omnium, quemadmodum de eo Victor scripsit, maximè uerò pedum dolore, uenenum petierit. Maximo deinde, cùm Ecclesiarum doctores & gubernatores uexari & fugari præcepisset, quid esse potuit infelicius? Odio eius Senatus Romanus, ipso uiuo, alios Imperatores designauit. Exercitus proprij ab eo in Africa defecerunt. Tandem uerò uix triennio in imperio completo, cum filio adhuc puero à militibus suis discerpitur, conclamantibus cunctis militari ioco: Ex peßimo genere, ne catulum quidem habendum. Posteà omnes qui quoquo modo se ei adiunxerant, & amici fuisse uidebantur, capti, occisi, tracti, & in cloacas abiecti sunt. Narrant Aurelius Victor & Capitolinus. De Decio Eusebius ait libro septimo, capite primo: Decius cùm ne biennium quidem integrum imperasset, mox unà cum liberis occiditur. Pomponius scribit, eum in prælio infelici aduersus Gotthos, uoragine absorptum esse: in quam ipse insilierat, ne in hostium manus peruenirent. De pœnis uerò persecutionis Decianæ, etiam hæc ad Demetrianum scripsisse Cyprianus uidetur. Certi sumus & fidentes, quòd multum non remaneat quodcunque perpetimur: quantoq; maior fuerit persecutionis iniuria, tanto & illustrior fiet & grauior pro persecutione uindicta. Vt memorias non teneamus antiquas, documentum recentis rei satis est: quòd sic celeriter, quodq; in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis regum, iacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum.

Galli res initiò satis bene ac feliciter habuerunt, sicut Dionysius scripsit. At posteaquàm persecutionem per manus quasi acceptam cõtinuauit, pulsis pijs doctoribus, qui pro salute eius orauerant, nec prosperè deinde, nec diu regnauit. Siquidem biennio nondum exacto, & ipse & Volusianus filius, in regiam

societatem nuper ascitus, in bello aduersus Æmilianum, à militibus deserti trucidantur: teterrima prius populo Romano ignominia conciliata, quem Scythis Gallus tributarium fecerat, per fœdus ea cum gente percussum, ut Eutropius & Lætus prodiderunt.

Sed quæ potuit esse horribilior Christiani sanguinis expiatio, atq; illa immanis uastitas, quam lues pestifera in proumcijs populi Romani, præcipuè uerò in Ægypto fecit, orta sub Gallo, ut Lætus scribit: ac deinceps per integrum decennium, aut quindecim adeò totos annos grassata? Meminit eius Dionysius in epistola ad Hieracem Ægypti episcopũ: cuius uerba, ut ab Eusebio libro septimo, capite uigesimoprimo & secundo referuntur, adscribimus. Quando, inquit, acĕr iste prauis undiq; euaporationibus turbatus, serenus reddetur? Tales enim ex terra fumigationes, è mari uenti, è fluminibus auræ, è portubus exhalationes spirant, ut ueluti ros quidam tabidus è cadaueribus putridis, cunctis subiacentibus elementis inferatur. Et adhuc admirantur & inquirunt, unde sint pestes illæ continuæ & graues morbi, unde corruptiones ubiq; obtinentes, unde uaria & multa mortalium exitia: qua de causa, maxima hæc urbs tantam non habeat amplius ciuium multitudinem, si à paruulis ad decrepitos senes usque numerentur, quot antea canos senes (ficut uocant) nutriuit. A quadragenarijs ad septuagenarios usque tam fuerunt antea multi, ut iam numerus eorum non impleatur, qui antea publicæ fuerunt alimoniæ, à quartodecimo anno ad octuagesimum usq; adscripti ac accensiti. Deinde qui aspectu fuerunt iuuenili, facti sunt instar grandæuorum. Et cùm ita sine intermissione genus humanum in terra hac diminui consumiq; uideant, non tamen contremiscunt, quantumuis omnimoda ipsorũ extinctio crescat & promoueat. Hactenus Euseb.

Rursus in alio quodam scripto ad fratres, de eadem calamitate, eiusq; causis, sic scribit: Nunc sanè omnia lamentationibus replentur, lugent omnes, & ululatus urbem personant, propter multitudinẽ mortuorum, & quotidie morientium. Sicut enim de primogenitis Ægyptiorum scriptum est, ita iam quoquè clamor factus est magnus. Domus enim non est, in qua non sit mortuus. Et quidem meritò. Nam etiam mala illa quæ antea contigerunt, multa fuerunt & acerba. Nam primùm nos exagitarunt. Et soli ab omnibus pulsi ac morti traditi, etiam tum festum egimus: & quilibet singularum afflictionum locus, panegyricus nobis fuit: ager, solitudo, nauigium, diuersorium, carcer. Lætissimũ autem festum egerunt perfecti martyres, in cœlo tripudiantes. Deinde sequuta sunt bella & fames, quæ unà cum ethnicis pertulimus, soli quidem tolerantes quibus nos oppresserunt: iuxtà tamen etiam eorum participes, quæ sibijpsis mutuò & intulerunt & passi sunt. At rursus pace quoq; Christi exhilarati sumus, quam nobis solis dedit. Vbi uerò breuissimè & ipsi & nos respirauimus, incidit lues ista, res illis terrore quouis terribilior, & calamitate qualicunq; lamentabilior, & (sicut quidã proprius illorum historicus dixit) quæ sola cunctorum spem exuperarit: nobis uerò non talis, sed exercitatio & exploratio, nullis reliquis inferior. Etenim ue à nobis quidẽ abstinuit, uerùm multò amplius in ethnicos grassata est.

Meminerunt eius & Romani scriptores, ut Lætus in uita Galli: Pernicioſa, inquit, pestis undiq; uiguit. Tabis initium fuit ab Æthiopia, fortè ex nimio solis ardore: pestilitas primò consumptis meridianis, per Orientem diuagata est, inde cæteras orbis partes inuasit, ubique maximam partem incolentium exhausit, pleraque loca inhabitata reliquit. Ea labes uix intra decem annos finem inuenit. Prouenisse ex infelicibus Galli auspicijs uisa est, ut qui prodítione imperium arripuit, Christiani etiam dogmatis hostis.

Deniq; ab hoc tristi & inusitato malo Cyprianus argumentum sumpsit libri de Mortalitate. Nunc ad Imperatorum pœnas reuertimur.

De Valeriani supplicio & uindicta hæc prodiderunt Romani scriptores, Eutropius, Pollio, Sabellicus, Volateranus. Quo minus diuturnum fuerit illi decus, ipsius credo impia in Christianos animaduersio effecit. Nam haud multo pòst quàm Christianum nomen insectari est adortus, ad Persicum bellam profectus, siue aliena fraude id acciderit, siue sua ipsius temeritate (nam utrunque traditur) in hostium potestatem uiuus uenit. Ferunt Saporem Persarum regem, à quo captus est, adeò insolenter & barbarè captiuo seni (erat enim Valerianus septuagenarius) illusisse, ut pro scabello eius tergo uteretur equum ascensurus. In ea igitur eum turpi captiuitate tandem consenuisse scribunt Lætus & Aurelius Victor.

Eusebius in Sermone ad conuentum Sanctorum, excoriari eum iussum à rege, scripsit. Verba eius hæc sunt: Sed & tu Valeriane, quoniam eandem homicidiorum sæuitiem erga subditos Dei exercuisti, iustum Dei iudicium declarasti, dum captiuus ac uinctus unà cum ipsa purpura ac reliquo Imperatorio ornatu abductus, ac tandem à Sapore Persarum rege excoriari iussus, saleq; conditus, perpetuum infelicitatis tuæ trophæum erexisti. Eius præsidem Claudium à diabolo arreptum, & post incisam minutatim linguam suffocatum, scripsit Heinricus de Erfordia libro sexto, capite uigesimoseptimo.

Galienus, patre in perpetuam captiuitatem & infelicitatem abducto, tametsi cùm solus imperare cœpisset, persecutionem motam edictis, ut suprà dictum est, remouerit, paterno fortasse fato, quemadmodum Orosius ait, territus (quanquam lætatum eum alij scripserint) tamen & publicas atroces calamitates & priuatam uindictam, quia persecutionis socius antea cum patre fuerat, expertus est. Plurimæ enim & mirabiles defectiones, rebelliones & mutationes regno res Romanas conscripsere, ocio, luxu, lasciuia & ignauia Galieni attracta esse Imperio censuerunt quidem: at nos iudicium & ultionem Dei superioribus & aliorum & suis persecutionibus prouocatam, in eum semel irruisse credimus. Exemplum unum adscribimus: Nulla pars fuit reipublicæ, nulla prouincia, una duntaxat Italia excepta, in qua non sit tumultuatum: totq; eo principe rebelliones extitere, tot tyranni, qui Imperatoris nomina tulerunt, quot à Cæsare dictatore ad id tempus, in tam longa Imperatorum

peratorum serie, ferè nunquam. Triginta numero à Trebellio ponuntur, qui uno tempore, alij alijs in terris exercuere imperium: in quibus fœminæ etiam quædam Romano nomini illusere. Narrant Vopiscus, Eutropius & Sabellicus. Eusebius hoc addidit: sub Galieno, Ciliciam, Syriam & Cappadociam à Persis, Saporis ductu, fœda populatione uastatas: Alemannos, Gallis hostiliter uexatis in Italiam transgressos: Gothos Pontum, Asiam, Macedoniam & Græciam populatos: Quados & Sarmatas Pannonias occupasse, Tarraconem in Hispania à Germanis oppugnatam, &c. Sabellicus porrò & hæc de tempore infelici sub Galieno prodidit, libro septimo Enneadis septimæ: Tristis, inquit, & terrorum plenus huius principatus fuit. Dira naturæ portenta illo imperante sunt omnibus terris facta, plures dies uelut tenebris iacuit terra obuoluta: auditumq; tonitruum terra mugiente, non cœlo tonante: secutusq;, ut solet, motus terræ ingens, quo plura ædificia cum habitatoribus subito terræ hiatu absorpta sunt, multiq; mortales nimio terrore exanimati. Sed id malum Asiam præcipuè habuit obnoxiam. mota est Roma, mota & Lybia, terræq; hiatus uastissimi pluribus extiterũt locis. Maritimas urbes subitum mare obruit. Galienum tandem ipsum Aureoli tyranni fraude apud Mediolanum cum filio, seu (ut Eutropius uult) cum fratre Valeriano interfectum, scripsit Victor, Sabellicus & Volateranus.

Aurelianus uerò, postquàm meditari persecutionem cœpisset, fulmine repentino, quemadmodum suprà diximus, territus est: sed eo nihil ad meliora flexus, à suis inter Byzantium & Heraclam occisus est, de quo Eusebius libro septimo, capite trigesimo hæc prodidit: Cùm iam nos, inquit, persecuturus esset, & edicto contra nos ualgando propè subscripsisset, diuina eum ultio corripuit, quæ conatum eum tantum non religatis cubitis prohibuit. Quod ipsum clarius Ruffini uersio explicat, hoc modo: Dictatis iam literis & scriptis, cùm supereſſet sola subscriptio, diuina dextera interueniens, subscriptionem nefandæ dextræ deturbauit. Morte enim subita condemnatur, qui de piorum morte censebat. Vopiscus tamen, Victor & Eutropius, alia eum ratione interijsse memorarunt: quãquam de hoc illis cum alijs conuenit, quòd cruẽta morte perierat. Ministri, inquiunt, notarij sui fraude, qui ad quosdam militares amicos eius, nomina eorum annotata pertulit, falso manum illius imitatus, perinde atq; Aurelianus eos interficere constituisset, occisus est. Ad quod & Eusebius in sermone ad conuentum respexisse uidetur, cùm sic inquit: Et tu Aureliane, omnium iniquitatum incendium, quàm manifestè, cùm Thraciã uesanè perrumperes, in media publica uia cæsus, sulcos uiæ impio sanguine replesti. Eius uerò præses Antiochus, inter tormenta Agapiti martyris subitò de tribunali decidens, se totum in interioribus ardere clamauit, & expirauit. Narrat Heinricus de Erfordia libro sexto, capite uigesimo nono.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

HAbuit hæc ætas aliquot præstantes doctores, quorum monumenta pleraque desideramus: nisi quòd Tertulliani, Origenis et Cypriani quædam extant: ex quibus qualis hoc seculo forma doctrinæ Christianæ fuerit, utcunq; ostendemus. Aliorum uix tenuia fragmẽta apud Eusebium uisuntur: ut Dionysii Alexandrini, Gregorij Næocæsarienſis, & aliorum. De scripto Martialis, quod in hanc ætatem ab aliquibus reponitur, suo loco monebimus.

De doctrina igitur suæ ætatis, Tertullianus in genere inquit in libro de Præscriptionibus hæreticorum, eam consentire cum Ecclesiis Apostolicis: eumq; consensum & concordiam communem esse omnium Ecclesiarũ in Europa, in Asia, & in Africa, testatur.

Argumentum eius rei non leue illud est, quòd de sacræ Scripturæ autoritate religiosissimè hæc ætas sensit, eiq; soli innitendum & acquiescendum censuit: quemadmodum plurimis in locis apud Tertullianum uidere est. Certè libro de Præscriptionibus hæreticorum, grauissimè inquit: Apostolos Domini habemus autores. Item: Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, neque inquisitione post Euangelium. In quam sententiam & Origenes dixit, Homilia secunda in Hieremiam: Decet sacras literas credere, nec unum quidem apicem habere uacuum sapientia Dei. Ex plenitudine eius accipientes Prophetæ, ea quæ erant de plenitudine sumpta cecinerunt. Idcirco sacra uolumina, Spiritus plenitudine spirant: nihilq; est siue in prophetia, siue in lege, siue in Euangelio, siue in Apostolo, quòd non à plenitudine diuinæ maiestatis descendat. Hinc est, quòd ad Scripturæ sententiam & autoritatem, huius sæculi doctores, ediderunt aliquot erudita symbola seu confessiones, qualis illa Tertulliani est de Præscriptionibus hæreticorum & alijs aliquot locis.

Regula fidei est, ut iam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet, qua creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi creatorem, qui uniuersa de nihilo produxerit per uerbum suum primò omnium emissum. Id uerbum filius eius appellatum in nomine DEI, uariè uisum patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Patris Dei & uirtute in uirginem Mariam, carnem factum in utero eius, & ex ea natum, egisse IESVM CHRISTVM: exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cœlorum, uirtutes fecisse, sedisse ad dexteram Patris: fixum cruci, tertia die resurrexisse, in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris: misisse uicariam uim Spiritus Sancti, qui credentes agat: uenturum cum claritate ad sumendos sanctos in uitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione, cum carnis restitutione. Hæc regula à Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud

nos quæstiones. Sic & Origenes, hæc per prædicationem Apostolicam tradita esse scripsit, in proœmio libri de Principijs: primò quòd unus sit Deus, qui omnia creauit atque composuit, quiq; ex nullis fecit esse uniuersa, Deus à prima creatura & condtione mundi omnium iustorum: Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim Patriarcharum, Mosi & Prophetarum, & quòd hic Deus in nouissimis diebus, sicut per Prophetas suos antè promiserat, misit Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, primò quidē uocaturū Israël, secundò uerò etiam gentes post perfidiā populi Israël. Hic Deus iustus & bonus, Pater Domini nostri IESV Christi, legem & Prophetas & Euangelia ipsa dedit, qui & Apostolorū Deus est, & Veteris & Noui Testamenti. Tum deinde, quia IESVS Christus ipse qui uenit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cùm in omniū conditione Patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) nouissimis temporibus seipsum exinaniens, homo factus est: incarnatus est, cùm Deus esset: & homo mansit, quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile: eo solo differens, quòd natum ex uirgine de Spiritu sancto est. Et quoniam hic IESVS Christus natus & passus est in ueritate, & non per imaginem, communem hanc mortem uerè mortuus est. Verè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conuersatus cum discipulis suis assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non iam manifestè discernitur, utrum natus aut innatus? Sed inquirenda iam ista pro uiribus sunt de sacra Scriptura, & sagaci perquisitione inuestigāda. Sanè quòd iste spiritus Sanctus unumquemq; Sanctorum uel Prophetarum uel Apostolorum inspirauit, & non alius spiritus in ueteribus, alius uerò in his qui in aduentu CHRISTI inspirati sunt, manifestissimè in Ecclesiis prædicatur. Post hæc iam, quòd anima substantiam, uitamq; habens propriam, cùm ex hoc mundo discesserit, & pro suis meritis dispensabit, siue uitæ æternæ ac beatitudinis hæreditate potitura, si hoc ei sua gesta præstiterint: siue igne æterno ac supplicijs mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit. Sed &, quia erit tēpus resurrectionis mortuorū, cùm corpus hoc quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione, & quod seminatur in ignominia, surget in gloria. Extat & Gregorij Neocæsariensis symbolum in exemplari Eusebij, quod Rufinus interpretatus est, libro septimo, capite uigesimoquinto: Vnus Deus Pater uerbi uiuentis, Sapientiæ subsistentis, & uirtutis suæ & figuræ, perfectus perfecti genitor, pater filij unigeniti. Vnus Dominus solus ex solo, figura & imago Deitatis, uerbum perpetrans, sapientia comprehendens omnia, & uirtus qua tota creatura fieri potuit. Filius uerus ueri, & inuisibilis ex inuisibili, & incorruptibilis ex incorruptibili, & immortalis ex immortali, & sempiternus ex sempiterno. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, & qui per filium apparuit, imago filij perfecti, perfecta uiuentium causa, sanctitas sanctificationis præstatrix, per quē Deus super omnia & in omnibus cognoscitur, & filius per omnes. Trinitas perfecta, maiestate & sempiternitate, & regno minimè diuiditur, neq; abalienatur. Igitur neq; factum quid aut seruiens in Trinitate: neq; superinductum, tanquam antehac quidem non subsistens, postea uerò superingressum. Neque ideoque defuit unquam filius patri, neque filio Spiritus sanctus, sed inuertibilis & immutabilis eadem Trinitas semper. Sed nunc seorsim de singulis locis dicemus.

DE DEO.

DOctrinam de Deo hoc seculum satis adhuc purè retinuit, etiamsi non sine opinionibus aberrantibus, de quibus postea dicemus. Docuit enim, non esse curiosius scrutandam diuinam Maiestatem, quemadmodum in libro de Trinitate Tertullianus affirmat: Maiestatem Dei neque humanam mentem capere, neq; quenquā eloqui posse. Quid, inquit, de eo condignè dicas aut sentias, qui omnibus & sermonibus & sensibus maior est? Et Origenes ait Homilia prima in Ezechielem: Se confiteri libēter, & suscipere à sapiente quodam & fideli uiro dictam sententiam, Periculosum esse de Deo & uera dicere.

Deinde, iuxta Scripturam, unum docuerunt esse Deū, non numeri quidem (ut autor symboli apud Cyprianū in symbolo ait) ratione, sed uniuersitatis. Quod libro primo aduersus Marcionem Tertullianus prolixè probat, & eiusmodi Dei definitione utitur: Deus est summum, magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Incorporeum uerò Deum esse, Origenes dixit libro primo de Principijs, capite primo. Non autē corpus, inquit, aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus: sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens. Similia de Deo & Cyprianus dixit, in tractatu de Vanitate idolorum: Mūdi unus est rector, qui uniuersa quæcunque sunt, uerbo iubet, ratione dispensat, uirtute consummat. Hic enim uideri non potest, uisu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est. & ideo sic Deum digne eum æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Ergo unus est, & ubique totus diffusus est.

Et autor expositionis symboli, apud Cyprianum: Deum cùm audis, substantiam intellige, sine initio, sine fine, simplicem, sine ulla admixtione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum sit. Rursus Origenes libro primo in Iob: Deus omnia replet, ubique præsens est: & non est locus neq; in cœlo, neque in terra, neq; in excelsis, neque apud inferos, ubi non sit præsens Deus.

DE TRIBVS PERSONIS.

SIc & tres esse personas in diuinitate, diligenter tradiderunt: ut Tertullianus aduersus Praxeam: οἰκονομίαν sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie. Vnius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis: quia unus est Deus, ex quo & gradus isti, &

isti, et formæ et species, in nomine patris, filij, & Spiritus sancti deputantur. Quem articulum fideliter in primis & accuratè tradit & defendit in libro de Trinitate. Eodem modo & Origenes tres personas, maximè distinctè recensèt: ut Homilia sexta in Hieremiam: Nos, inquit, nouimus unum Deum, & in præterito & in præsenti, unum CHRISTVM & tunc & modò, similiter & unum Spiritum sanctum cum patre & filio sempiternum. Idem Homilia quarta in Esaiam: Non sufficit eis semel clamare sanctus, neq; bis: sed perfectum numerum trinitatis assumunt, ut multitudinē sanctitatis manifestent Dei, quæ est trinæ sanctitatis repetita communitas, sanctitas patris, sanctitas uingeniti filij, & Spiritus sancti. Et Homilia decimatertia in Leuiticum: dicit patrem & filiū esse unius uoluntatis & substantiæ, sed duas personarum proprietates. Sic & tres personas expresse nominat, & officium suum quoddam cuique personæ tribuit Cyprianus, in Sermone de Baptismo CHRISTI: Pater (inquit) eligit, filius diligit, Spiritus sanctus coniungit et unit. Martialis in Epistola ad Burdegalenses, capite decimo: Sanè de mysterio Trinitatis, inquit, quàm bonus & beatus & suauis Deus, rex regum, per nostram annunciationem reuelare dignatus est uobis: scitote intelligentes, quia ultra omnem sensum Angelicarum potestatum & uirtutum, uera diuinitas excellit, quam impoßibile est etiam à spiritibus Angelicis comprehendi: sola enim trinitas in diuinitate unitatis seipsam nouit. Hæc enim ante secula in claritate suæ æternitatis permanebat, nihil in se diminutum, uel quod augeri posset, intrasse continens: sed unius æternitatis, unius uoluntatis, unius essentiæ, unius sanctitatis, unius puritatis, ultra omnem puritatem, ultra omnem gloriam in charitate, in ueritate, in bonitate habitauit. Nunc uerò in fine temporum propter nos, ad quos bonitatis suæ magnitudinem extendit, gloriam tantæ maiestatis reuelauit sanctis suis, quibus & efficaciam suæ uirtutis multoties dignanter præbuit. Vnde quidam ex nostris in amore & intelligentia magnus, protestabatur populo suo dicens: Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est. Hoc enim unus & solus Deus, dum mitteret quem elegit ad deducendum populum suum de seruitute, dignatus est pandere, dicens: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, hoc nomen memoriale meum in æternum. Rursum trinitatem in unitate designauit, dicens: Ego sum qui sum. Hæc dices filijs Israel: Qui est, misit me ad uos. Hæc autem fratres mei scitote, quia uerbum in quod credidistis, filius est unigenitus, ante omnem substantiam, ante omne initium. Ipse est enim principium: quia de principio ineffabiliter genitus est. In nostro uerò tempore mirabiliter ab Angelo annunciatus, & in ueritate incomprehensibili de uirgine Maria natus est, nihil diminutus à diuinitate Maiestatis suæ, cuius nos testes sumus. Spiritus uerò Dei, qui uos sanctificauit credentes in ipsum, qui filium naturalem & sibi secundum æternitatem coæqualem per omnia, resuscitauit tertia die à mortuis, non est genitus sicut uerbum: quia & ipse spiritus in diuina æqualitate glorioßus proceßit ineffabiliter ab eo qui genuit, & ab eo quoq; qui genitus est. Itaque spiritus Domini non genitus, non factus, nō creatus, sed procedens est à patre et uerbo. Verbo autem Domini cœli firmati, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Itaque nihil discretum in diuinitate Trinitatis sentiatis: quia uobis unus & idem Deus, qui cuncta creauit, pater: & unus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, filius eius IESVS CHRISTVS, & unus idemq; Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. Et hæc in personis tria diuisa, in diuinitate unus Deus indiuisus est. Sic & Dionysius Alexandrinus in epistola ad Xystū, contra Sabellium, distinctas personas asserit, patrem, filium & Spiritum sanctum. Eusebius lib. 7. cap. 6.

DE CHRISTO.

CHRISTO diuinitatem doctores huius seculi omnes tribuunt, & personam eum distinctam à patre esse affirmant: ut Tertullianus ad Praxeam. Quæcunque, inquit, substantiæ sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen filij uindico: & dum filium agnosco, secundum à patre defendo. Et Cyprianus in expositione Symboli: Credendus, inquit, est ergo Deus pater esse unici filij sui Domini nostri, non discutiendus. Sic & Origenes libro primo de Principijs, capite secundo: CHRISTVM, ait, inenarrabili & incogitabili, soloq; Deo digno modo genitum. & Homilia sexta in Hieremiam: Iuxta historiæ quidem (inquit) ueritatem, non negamus præsentiam Domini nostri IESV CHRISTI corporaliter factam, & toti mundo illuxisse, quando uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Oportet autem nosse, quoniam & antequàm corpus assumeret, ad sanctos quoq; descendit: & post hanc præsentiam corporalem ad cœlos uictor ascendens, rursus ad nos ueniet. Si uis huius rei capere argumentum, ausculta quod dicitur: Sermo qui factus est super Hieremiam à Domino, dicens: Audi, & reliqua. Quis enim est hic sermo, qui factus est à Domino, siue ad Hieremiam, siue ad Esaiam, siue ad quemlibet Prophetarum? An ille est, qui erat in principio apud Deum? Ego nescio aliud uerbum Domini, præter ipsum de quo dicit Euangelista: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Dionysius Alexandrinus in primo uolumine Elenchi et Apologiæ: Nunquam fuit quando Deus non erat Pater: & in sequentibus agnoscit semper Christum, uerbum & sapientiam & uirtutem fuisse. nihil enim horum, cùm Deus existeret factū esse, neq; posterius filiū genuisse: filiūq; nō ex se, sed ex patre essentiā nactū esse. Et paulò pòst ita de eodē dicit: Iam quia splēdor est æternæ lucis, omnibus modis ipse quoq; æternus est: luce enim semper existēte, et splēdorē semper existere, refert Athanas. in epistola de sentētia Dionysii cōtra Arianos. Deinde & humanā naturā eum assumpsisse docuerūt, ut Tertullianus in libro de Trinitate: Verbum, inquit, caro factū est, et habitauit in nobis: ut meritò corpus nostrū in illo fuerit, quoniā quidem nostram carnem sermo susćepit. Origenes in proœmio libri primi de Principijs: IESVS CHRISTVS, ipse qui uenit, ante omnem creaturam natus ex patre est. Qui cū in omnium conditione patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) nouißimis temporibus seipsum

exinaniens, homo factus est: incarnatus est, cùm Deus esset: & homo mansit, quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens quod natum ex uirgine de Spiritu sancto est. Et quoniam hic IESVS CHRISTVS natus & passus est in ueritate, & non per imaginem, communem hanc mortem uerè mortuus est: uerè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conuersatus cum discipulis suis, assumptus est.

Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. Cyprianus in tractatu de Vanitate idolorum: In uirginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur. Deus semper cum homine miscetur: hic Deus noster hic CHRISTVS est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad patrem. Quod homo est, esse CHRISTVS uoluit, ut & homo posit esse quod CHRISTVS est. Sciebãt & Iudæi CHRISTVM esse uenturum. nam hoc illis semper prophetis monentibus annunciabatur. Sed significato duplici eius aduentu, uno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, altero, qui Deum fateretur: non intelligendo primum aduentum, qui in passione præcessit occultus, unum tantùm credunt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ et intelligentiæ cæcitate multati, ut qui uita indigni essent, haberent uitam ante oculos, nec uiderent. Itaque cùm CHRISTVS secundum à prophetis prædicta, uerbo & uocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, seruire uentos, maria obedire, inferos cedere: unum qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, alterum qui Dominum fateretur non intelligendo. Iudæi qui illum crediderant hominem tantùm, de humilitate carnis & corporis existimabant magnum diligentia potestatis. Hunc magistri eorum atq; primores, hoc est, quos & doctrina ille & sapientia reuincebat, accensa ira et indignatione prouocata, postremò detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderũt, crucem eius & mortem suffragijs uiolentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos & ipse prædixerat, & prophetarum omnium testimonium sic antè præcesserat, oportere illum pati, non ut sentiret mortem, sed ut uinceret: & cùm passus esset, denuò ad superos regredi, ut uim diuinæ maiestatis ostenderet. Fidem itaque rerum cursus impleuit. Nam & crucifixus præuento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte resurrexit. Apparuit discipulis suis talis ut antè fuerat, & agnoscendum se uidentibus præbuit, simul uictus & substantiæ corporalis firmitate conspicuus: ac dies quadraginta remoratus est, ut denuò ad præcepta uitalia instrui possent, & discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est, ut hominem, quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad patrem uictor imponeret. Iam uenturus è cœlo ad pœnam diaboli, & censuram generis humani, ultoris uigore, & iudicis potestate, per orbem uerò discipuli, Magistro & Deo monente diffusi, præcepta Dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad uiam lucis adducerent, cæcos & ignaros ad agnitionem ueritatis ocularent. Ac ne esset probatio minus solida, & de CHRISTO delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor, qui ueritatis testis est, admouetur, ut CHRISTVS Dei filius, qui hominibus ad uitam datus creditur, non tantùm præconio uocis, sed & passionis testimonio prædicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis autorem, cœlum pariter & patrem quærentibus & credentibus pollicentem. Quod est CHRISTVS, erimus Christiani, si CHRISTVM fuerimus secuti. Sic Origenes libro tertio in Hiob, CHRISTVM expressè Deum & hominem uocat: & Cyprianus in sermone de Natiuitate CHRISTI: Diuinitas & humanitas inquit, in unam personã cõuenerunt. Et in Sermone de Baptismo CHRISTI: Verbum & caro sic sunt una essentia, ut perfectam & integram sinceram coniunctio faciat unitatẽ. Nec iniuria est, sed gratia Dei, si quod minus uidetur, digniori iungatur: cùm inferior natura contumeliam probrumq; peccati non contrahat: nec est minoratio maiestatis, prouectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas dispensatoria dehonestat. Hoc testimonium auditum est, quia filius Dei est, quem Ioannes tenet in matum, uerus homo, uerus Deus, unicus patris, in sua natura inuisibilis, in nostra uisibilis, ut fide & experimento fulciatur doctrina, dum & uisu & intellectu incarnati uerbi notitiã assequatur. Dilectus à patre, immeritos nos dilexit, ultrò uisitationis suæ nobis beneficiũ largitus est, ultrò sanauit, ultrò curauit, ultrò libertate donauit. Etiã ingratos prosequitur hic amor, & reuocat: neq; tunc odit, cùm corripit & flagellat: usq; ad mortem CHRISTVM duxit dilectio: et resurgens à mortuis, charos habet, quibus tantæ charitatis affectũ ostendit. Duo grata uocabula Elius, & Dilectus, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur, ut cõmunio nominũ nos associet collegio munerũ, et tantæ dulcedinis nomina nostrũ emolliant animũ, ac cendantq; deuotionis affectũ. Per omnia sibi pater in filio complacuit, nec ulla in eo serpentis sunt reperta uestigia: nec sacerdotij eius pœnituit, Deũ quoniam sacrificium quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua uirtute cõsistit, ut non minus hodie in conspectu patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die qua de saucio latere sanguis & aqua exiuit: & semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant pretiũ, & obediẽtiæ donatiũ requirãt. Sic & de causa inquit in libro aduersus Iudæos: Oportuit Christum Deũ & hominẽ esse, ut esset mediator. In libro aduersus Iudæos Tertull. inquit: Hũc oportebat pro omnibus gentibus sacrificiũ fieri. Et Origenes Homilia 24. in Numeros: Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum iugulari: sed mãsisset hoc quod in principio erat, Deus uerbũ: ut et libro primo in Hiob dicit, CHRISTVM ad terras

terras uenientẽ, in humano corpore paßiones ſuſtinuiſſe pro omnium hominum ſalute, ut per paßionem mortem interficeret: & per reſurrectionem, recidiuam uitam cunctis oſtenderet. Et libro ſecundo in Iob: In nouiſſimo tempore deſcendens de cœlis Deus unigenitus, terreni corporis teſta ex uirgine ſe induens, totius mundi ſamem, immunditiam quoq; & putredinem raſit atq; mundauit, omnium peccata ſupportando. Poſtmodum pro impietatibus eorum deductus eſt in mortem, cuius liuore omnes ſanati ſunt. Conſentit Cyprianus, qui in ſermone de Eleemoſyna ſic inquit: CHRISTVS hominis filius eſſe uoluit, ut nos filios Dei faceret: humiliauit ſe, ut populum qui prius iacebat, erigeret: uulneratus eſt, ut uulnera noſtra ſanaret: ſeruiuit, ut ad libertatem ſeruientes extraheret: mori ſuſtinuit, ut moriens immortalitatem mortalibus exhiberet. Et in fine libri aduerſus Demetrianum: Hanc gratiam CHRISTVS impertit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit, ſubigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem precio ſanguinis ſui, reconciliãdo hominẽ Deo patri, uiuificando mortalem regeneratione cœleſti. Et Hippolytus in memoria hæreſum: Hic procedens in mundum, Deus & homo apparuit: & hominem quidem eius facile eſt intelligere, cùm eſurit & fatigatur, laborat & ſitit, formidat & fugit, orat & contriſtatur, & ſuper ceruical dormit, & calicem reſpuit paßionis, & anxius ſudat, & ab angelo confortatur, & à Iuda traditur, & contumeliam patitur à Caipha, & ab Herode deſpicitur, à Pilato flagellatur, eiq; à militibus illuditur, & à Iudæis ligno configitur, & ad Patrem clamans commendat Spiritum, & inclinato capite Spiritũ tradit, latus lancea perforatur, inuolutus in ſyndone ponitur in ſepulchro, & à Patre die tertia ſuſcitatur. Diuinitatẽ uerò eius uidere rurſus clarũ eſt, quando laudatur ab Angelis, et hoc à paſtoribus inſpicitur, et expectatur à Simeone, & ab Anna teſtimoniũ perhibetur, & quæritur à Magis, & ab ſtella deſignatur, & aqua in nuptijs operatur in uinum, & increpat mare uiolentia commotum uentorum, & ambulat ſuper mare, & cæcum ex natiuitate uidere facit, & mortuum Lazarum quatriduanum reſuſcitat, & uarias fecit uirtutes, datq; diſcipulis poteſtatem.

Eiuſdem: Vidiſti quòd ſecundum carnem quidem eius, eſt ex Dauid, narrat: quòd uerò ſecundum Spiritum, ex Deo: quapropter probatum eſt, eundem & Deum eſſe & hominem.

DE SPIRITV SANCTO.

DE Spiritu ſancto, quòd proxima & diſtincta ſit à patre & filio perſona, eiuſdem tamen cũ utroq; omnipotentiæ & maieſtatis, itidem docuerunt. Sic enim Tertullianus aduerſus Praxeã: Tertius, inquit, eſt Spiritus à Deo & filio. Vbi etiã paulò poſt probat, Spiritum ſanctũ diſtinctam eſſe perſonam: quia dicat Chriſtus, Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Origenes in proœmio libri primi de Principijs: Tum deinde, inquit, honore ac dignitate patri ac filio ſociatum trãdidêrunt Spiritum ſanctum. Eodem modo libro ſecundo de Principijs aſſerit, ſpiritũ ſanctũ eſſe Deum ingenitũ, qui uniuerſa creauerit atq; diſpoſuerit, qui et omnipotẽs ſit.

Deinde de officio ſpiritus ſancti ad ſententiam Scripturæ rectè & illud docuerunt, quòd ab initio uirtutes in Eccleſia operatus ſit, & quotidie operetur, ſanctificet, & motus congruentes uoluntati & uerbo Dei in hominibus exuſcitet. Sic enim Tertullianus in libro de Trinitate, de ſpiritu ſancto loquitur: Hic eſt qui prophetas in Eccleſia conſtituit, magiſtros erudit: linguas dirigit, uirtutes & ſanitates facit, opera mirabilia gerit, diſcretiones ſpirituum porrigit, gubernationes cõtribuit, cõſilia ſuggerit, quæcũq; alia ſunt chariſmatum dona componit & digerit: & ideo Eccleſiam Domini undique & in omnibus perfectam & conſumatam facit. Et Origenes Homilia decimaſeptima in Numeros ait, Spiritum ſanctum locutum eſſe in Prophetis. Et in proœmio libri primi de Principijs: Sanè quòd iſte ſpiritus ſanctus unumquemq; ſanctorum uel Prophetarum uel Apoſtolorum inſpirauit, & non alius ſpiritus in ueteribus, alius uerò in his qui in aduentu CHRISTI inſpirati ſunt, manifeſtiſſimè in Eccleſiis prædicatur. Ita & in Homilia quarta in Pſalmũ trigeſimum ſextum, Spiritũ ſanctũ ſanctificationis appellat fontem. Et Cyprianus ait libro quarto Epiſtolarum, epiſtola prima: Ad tolerantiam paßionis, Spiritus ſanctus nos ſemper animauit. Idem & de reliquis eius operationibus & beneficijs hoc modo in libro de Spiritu ſancto docet: Hic ſapientia Salomonem, intellectu Danielem, Ioſeph conſilio, Samſonem fortitudine, Moſen ſcientia, Dauid pietate, Iob timore proſequitur, & ſanctorum animas omnimodis fœcundat uirtutibus, in tantum affectus pacificos prouehens, ut iam in cœlis noſtra ſit conuerſatio, diffuſa in nobis charitate per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hic in pudicis mentibus ſibi ſtatuit manſionem. Hic humiles & cœlibes habet domeſticos, abominatur ærarios, falſarios deteſtatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, & Ieroboam uendentem ſacerdotia cum apoſtatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem à ſanctorum conſortio exhæredat, cuius deteſtabiles auſus ultrix ruina confundit & quaſſat. Hic Balaam ad maledicendum conducto, ſilentium imponit: & per aſinam redargutum, colliſo ad parietem pede, uacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remiſit confuſum. Hic omnibus Eccleſiæ Sacramentis intereſt, quæ ipſe efficit & conſummat. Hic peccata diluit, hic iuſtificat impios, & ad uitam reuocat mortuos. Hic diſcordes pacificat, & uinculo dilectionis aſtringit et ligat. Hic nos cœlo inuehit, & à mundi huius uanitatibus auulſos ſuperni regni conſtituit hæredes: cuius ſumma eſt felicitas, quod corpus iſtud Spirituali effectu cum Angelis conuerſabitur, nec ultra erit carnis & ſanguinis aliquis appetitus, ſed erit omnium plena ſufficientia cognoſcibilis Deus, & inhabitator Spiritus ſanctus. Idem & excuſi Spiritum ſanctum peccatis, et petulanter cõtra legem Dei delinquentes ab eo nõ gubernari, docuit in Sermone de Singularitate clericorum, ubi ſic inquit: Ordine ſuo, non noſtro arbitrio, Spiritus ſancti uirtus miniſtratur.

DE CREATIONE.

Rectè docuerunt, omnia à Deo condita esse, uirtute uerbi, ex nihilo. Sicut Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, & In Apologetico ait: Deus ex nihilo mundum fecit. Et Cyprianus in sermone de Resurrectione CHRISTI: Mundum dicit non ex præcedenti materia, sed solo uerbi Dei imperio conditum. De fine creationis rursus Tertullianus inquit, libro primo aduersus Marcionẽ: Mundum Deus homini, non sibi fecit. Et Origenes in tractatu nono in Matthæũ ait, Omnẽ creaturã propter hominem conditam esse. Regi autem mundum conditum à Deo autore, rectè etiam senserunt, ut Origenes libro secundo de Principijs: Vniuersum, inquit, mundum uelut animal quoddam immane opinandum puto, quod quasi ab una anima uirtute Dei ac ratione teneatur. Sic & Homilia uigesimatertia in Numeros sentit, Deum non modò creasse, sed etiam seruare naturam. Item Homilia nona in Hieremiam: Deus non unum hominem, sed uniuersum curat orbem, cœlestia atq; terrena, & omnia ubique dispensat. Desiturum denique esse mundum docuerunt. Sic enim Origenes in proœmio libri primi de Principijs: Est præterea illud Ecclesiastica prædicatione definitum, quòd mundus iste factus sit, à certo tempore cœperit, & pro ipsa sui corruptione soluendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, iam non pro manifesto multis innotuit. Et Homilia in librũ Regnorũ: Creaturæ, quantũ ad naturã Dei attinet, non sunt: quantum ad uoluntatem creatoris, sunt hoc quod ea esse uoluit ille qui fecit. Cyprianus libro contra Demetrianũ: Scire (inquit) debes, senuisse iam mundum, non illis uiribus stare quibus prius steterat, nec uigore & robore eo ualere quo antea prævalebat. Idem ibidem: Hæc sententia Mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, & aucta senescant: ut infirmentur fortia, & magna minuantur: ut cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur. De modo interitionis mundi, Methodius in sermone de Resurrectione, prolixè agit: Nõ placet autẽ ut illud dicatur, quòd omnia funditus pereant, & terra & aër & cœlum non futura sint. Exardescet equidẽ ad purgationẽ et renouationẽ descẽsione facta, totus mundus igne dilutus, nõ tamẽ ad perfectũ interitum deueniet. Et paulò pòst: At si nõ pereunt uniuersa, dixerint aduersarij, quomodo igitur Dominus cœlũ ac terram peritura esse dixit? Et Propheta: Peribit cœlum sicut fumus, & terra uelut uestimentũ ueterascet? Quandoquidẽ hic mos est Scripturis, respondebimus, ut hanc mundi trãsmutationem in meliorem & magis glorioſam restitutionem, interitum ac perditionem dicat: tanquã uidelicet prior figura pereat, per uniuersorum ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas aut absurditas est in diuinis Scripturis. Præterit enim figura huius mundi, & non mundus, dictum est.

DE ANGELIS BONIS.

Conditos esse à Deo angelos in laudẽ ac gloriam Dei, & ministerium salutis hominum, cum Scriptura senserũt. Methodius in Sermone de Resurrectione, apud Epiphanium libro 2. tomo primo: Hoc enim, inquit, erat Angelorum constitutio, quòd facti sunt à Deo, ob prouidentiam eorum quæ ab ipso constructa sunt: quo uniuersalem quidem ac perfectã prouidentiam uniuersorum Deus haberet, & autoritas ac imperium omnium ex ipso penderet, & uniuersum uelut nauigium sapientiæ gubernaculo citrà inclinationem dirigeret: particularem uerò, Angeli ad hoc ordinati haberent. Et Origenes libro primo de Principijs: Est illud, inquit, in Ecclesiastica prædicatione, esse Angelos Dei quosdam, & uirtutes bonas, quæ ei ministrent ad salutem hominum consummandã: sed quãdo isti creati sint, et quomodo sint, non satis manifestò distinguitur. Idem libro primo in Iob: Angelos ait Deum glorificare, eiq; gratias agere pro beneficijs generi humano collatis.

Et Homilia octaua in Genesin: Ipsi angeli uelut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus dum adhuc paruuli sumus, uelut tutoribus & actoribus committimur. Homilia secunda in Canticum: Angeli conuersis propugnatores & tutores dantur. Et Homilia secunda in idem, paruulorum custodes esse dicuntur.

Idem de Angelis sensit autor Sermonum de Operibus CHRISTI, apud Cyprianum in prologo: Angelici Spiritus licet inuisibilis naturæ sint, in legationibus tamen suis se auditu manifestant, & uisu: & salutis nostræ ministeriales sæpissimè experiuntur, quorum officia & nomina in scripturis sanctis habentur. Prædicant nobis, sed non indicant Deum, & nunciant quæ iubentur. Rectè & illud senserunt, Angelos inferiores esse Deo: & ignotas illis esse hominum cogitationes, quæ Deo soli constent. Sic enim Origenes ait Homilia octaua in Genesin: Deo soli cognitum est propositum mentis, Angelis uerò non. De tempore porrò conditionis angelorum, Origenes scripsit tractatu nono in Matthæum: Scriptum est in Iob, quando factæ sunt stellæ, laudauerunt Deum omnes Angeli eius, quasi antiquiores non solùm homine pòst creato, sed & omni creatura, propter eum creata. Methodius in Sermone de Resurrectione: Is qui uniuersa ex nihilo fecit, ac cõstruxit immortalium naturam, non in angelos & ministros solùm distributam construxit, sed etiam in principatus & thronos & potestates. Aliud enim genus est principatuum, & aliud potestatum. Quia non unus ordo, & unus status, & tribus, & tribus, ac familia immortalium: sed genera, & differentiæ.

De angelis malis.

Angelos omnes bonos à Deo conditos, sed aliquos eorum propria contumacia & peccato lapsos, huius seculi Doctores consentiunt. Sic enim Tertullianus ait libro secundo contra Marcionem: Fecit Angelos Spiritus. Ergo quod factus à Deo est, id est angelus, id erit eius qui fecit. Quod autem factus à Deo non est, id est diabolus, id est, delator, superest ut ipse sese fecerit deferendo Deo, et quidem falsum. Item: Sapientissimus omnium editur, antequàm diabolus. Ita & de Angelis apostatis dicit libro quinto contrà eundem, & in libro de Habitu mulierum. Idem Origenes prodidit in proœmio libri primi de Principijs: De diabolo, inquit, & angelis eius, contrarijsq; uir-

tutibus Ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt quidem: sed quid sint, aut quo modo sint, non satis clarè exposuit. Apud plurimos ista habetur opinio, quòd Angelus fuerit iste diabolus: & apostata effectus, quamplurimos angelorum secum declinare persuaserit. Item Homilia octaua in Exodum: Execrabiles illos fecit præuaricatio, & non natura. Et libro secundo in Iob: Diabolus non est factus malus natura, sed exiuit uoluntate. Non enim in factura naturæ, sed in uoluntatis operatione diabolus factus est. Quod idem & in homilia prima in Ezechielem affirmat: Serpens qui Adam seduxit, non à principio creatus est hostis ueritatis, neq; fuit ab initio maledictus. In eandem sententiã multa et in tractatu nono in Matthæũ affert.

De causa lapsus angelorum, etsi diuersa sunt Doctorum huius ætatis iudicia, tamen propter superbiam & inuidiam, è cœlo deiectos ferè consentiunt.

Et Cyprianus in Sermonibus de zelo & bono patientiæ, diabolum lapsum ait propter zelum & liuorum, quo persecutus sit hominem ad imaginem Dei factum. Sed in Sermone de tentatione CHRISTI, causam deiectionis diaboli fuisse ait, ambitionem affectatæ dominationis. Proinde & in libro de Patientia, Tertullianus subindicare uidetur, causam lapsus Angelorum fuisse impatientiam, quòd omnia opera condita Deus homini subiecisset. Methodius in Sermone de Resurrectione, apud Epiphanium libro secundo, tomo primo: Diabolus uiolauit, & paruus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit.

De tempore uerò lapsus, Origenes alicubi, & Cyprianus in Sermone de zelo asserunt, diabolum lapsum ante hominis conditionem. Sic igitur lapsum diabolum, à Deo in perpetuum abiectum esse & damnatum tradiderunt: quemadmodum Origenes libro primo in Iob, negat diabolum saluari, aut in cœlum unquam rediturum esse. Item libro secundo in Iob: Non habet spem salutis, nec memor est refrigerij.

De diaboli damnatione Tertullianus in libro aduersus Hermogenem: Diabolus abibit in ignem, quem præparauit illi Deus, & angelis eius, prius in puteum abyssi religatus. Rursus uerò, sic abiectum diabolum inimicitias perpetuas & atroces exercere in Deum & Ecclesiam docuerunt, & singulorum hominum saluti insidiari. Vt Tertullianus libro de Patientia: Pertinacissimus, inquit, hostis ille, nunquam malitiæ suæ ocium facit. Atqui tunc maxime sæuit, cùm hominem plenè sentit liberatum. Idem in Apologetico has diabolis operationes tribuit: Operatio, inquit, eorum, est hominis euersio: sic malitia spiritalis à primordio auspicata est, in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & ualetudines infligunt, & aliquos casus acerbos: animæ uerò, repentinos & extraordinarios per uim excessus. Suppetit illis ad utranq; substantiam hominis alendam subtilitas, & tenuitas sua multũ spiritalibus uiribus, licet & inuisibiles & insensibiles in affectu potius quàm in actu suo appareant. Si poma, si fruges, nescio quod auræ latens uicium in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate conuulnerat, ac si cæca ratione tentatus aer pestilentes haustus suos effundit: eadem igitur obscuritate contagionis, aspiratio dæmonum & angelorum, mentis quoq; corruptelas agit furoribus, & amentijs fœdis, ac sæuis libidinibus, cum erroribus uarijs.

Consentit Origenes, qui Homilia septima in Ezechielem: Diuersis, inquit, diabolus pugnat insidijs, ut miserum perdat hominem. Mihi ipsi, qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpe tendit, ut totam Ecclesiam ex mea conuersatione confundat. Idem Homilia uigesima in Numeros, asserit angelos malos circuire, & homines ad peccandum incitare.

Consentit Cyprianus libro primo Epistolarum, epistola prima, ubi & sic ait: Inimicus & hostis quos abalienauit ab Ecclesia, & foràs duxit, ut captiuos & uictos contemnit & præterit: eos pergit lacessere, in quibus cernit CHRISTVM habitare. Et in tractatu quarto de idololatria: Hi Spiritus fallunt uitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam spiritus corporibus occultamentis terrent, membra distorquẽt, ualetudinẽ frangũt, morbus facessunt, &c. Methodius in Sermone de Resurrectione, sentit Diabolum forinsecus hominibus malas inspirare cogitationes. Causam uerò sæuitiæ diaboli senserunt partim esse bonorum probationem, partim pœnam impiorum. Sic enim Tertullianus scripsit in libro de Fuga persecutionis. Denique non esse παραδιοργώστους diabolos tradiderunt, ut autor definitionum apud Tertullianum, capite octuagesimo primo: Internas animæ cogitationes diabolum non uidere, certi sumus: sed motibus eas corporis ab illo, & affectionum indicijs colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum. Et Origenes libro primo in Iob: Diabolus tanquam spiritus uolans, omnia quæ uoce dicuntur audiens, & quæ operibus fiunt uniuersa uidens, ea uerò quæ in corde atque intra animum tractantur nesciens.

Rursus Tertullianus libro quinto contra Marcionem, Diabolos, ignaros dixit esse dispositionum Dei: Nec famulis, inquit, liceat consilia nosse dominorum, nedum illis apostatis angelis, ipsiq; principi transgressionis diabolo: quos magis extraneos fuisse contenderim ob culpam, ab omni conscientia dispositionum Creatoris.

DE HOMINE.

HOminem creatum esse à Deo ad imaginem eius, & cum libera uoluntate, integrum & immortalem, senserunt. Methodius in Sermone de Resurrectione, apud Epiphanium libro secundo, tomo primo: Opus autem Dei homo: quicquid uerò ab immortalitate factum est, immortale est: immortalis igitur homo. Huic uerò forma & imago Dei, & omnia ad illam exactam primariam patris & filij unigeniti imaginem dedit. Sic de primo illo hominis statu Tertullianus loquitur, in libro de Patientia: Innocens erat, & Deo proximè amicus, & paradisi colonus. Idem libro secundo aduersus Marcionem: Liberum, & sui arbitrij & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Neq; enim facie & corporalibus lineis tam uarijs in genere

genere humano ad uniformem Deũ expressus est, sed in eo substãtia, quam ab ipso Deo traxit: id est, animam, ad fórmam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate & potestate signatus est. Hunc statum eius confirmauit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Idem & Origenes sensit libro secundo in Iob: Anima ad imaginem Dei est creata, incorruptibili sapientia est imbuta, sermone & scientia coronata, Dei cognitione induta, corruptibilis dominationis huius mundi honorificata. Et homilia nona in Leuiticum: Si factus homo ab initio seruasset illud, quod ad eum scriptura dicit, Ecce posui tibi ante oculos tuos mortem & uitam, elige tibi uitam: si hoc fecisset, nunquam profectò humanum genus mortalis cõditio tenuisset. Item tractatu trigesimoquarto in Matthæum: Quantum ad se, homines non ad perditionem creauit, sed ad uitam & gaudium.

De hominis lapsu.

Sed hanc illustrem imaginem Dei hominem amisisse, & ex hoc beatissimo statu excidisse docuerũt, posteaquàm eius uoluntas sese à Deo auertisset, & in inobedientiam lapsus esset. Eum uerò lapsum secutam esse horribilem naturæ destructionem, propagatam in omnes homines. Disputat de hoc lapsu Tertullianus in libro de Carne CHRISTI, eumq; non Deo, sed homini imputandum docet. Et libro secundo aduersus Marcionem inquit: Sicut Deus homini uitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit. Ibidem probat, Deum non esse causam peccati, sed hominem sua libertate peccasse. Et Origenes homilia prima in Genesin ait: Homo maligni imaginem adduxit per peccatum. Gregorius Neocæsariensis in commentario in Ecclesiasten: Hoc in primis (inquit) cognoui, simplices hominũ animas à Deo conditas, sed accersere sibi ipsis malum.

De naturæ corruptione & peccato in omnes homines propagato, Origenes homilia tertia in Canticum canticorum: ubi serpentem seducentem Adam & Euam infudisse dicit uenena peccati flatibus, & omnem posteritatis sobolem contagio præuaricationis infecisse. Idem Homilia tertia in Psalmum trigesimum sextum: Omnis homo, quantum ad humanam fragilitatem spectat, & infirmus est, & promptus ad lapsum. Et autor Sermonis de operibus CHRISTI apud Cyprianum, in prologo: Omnino rarum est & difficile, fieri bonum: facile & pronum est, esse malum: & hæc sine magistro, sine exemplo, doctrina statim à pubescentibus annis imbuimur. Methodius in Sermone de Resurrectione: Ex quo hominem seductum contigit mandatum spernere, hinc ex inobedientia contigit, ut peccatum accepta occasione in ipso inhabitarit. hic enim primùm seditio incidit, distractionibusq; ac cogitationibus alienis impleti sumus, euacuati quidem ab insufflatione Dei, impleti autem cõcupiscentia materiali, quam multiplex serpens in nos inspirauit, quum breui transgressi essemus nos mandati Dei circulum.

De reparatione imaginis Dei.

Amissam per inobedientiam imaginem Dei, reddi-
tam & restitutam docuerunt per CHRISTVM. Sic enim Origenes homilia prima in Genesin: Homo, maligni imaginem adduxit per peccatũ. ideo CHRISTVS uenit in similitudinẽ hominum factus, ut nos ad eius imaginem reformemur. Et homilia quarta in Canticũ: Quia hoc naturæ bonum præuaricatio nis occasione decerptum, uel ad ignominiam, uel ad la sciuiam fuerat inflictum, ubi per gratiam reparatur, & per doctrinam uerbi Dei restituitur, odorem reddit sine dubio illum quem primus conditor Deus indiderat, sed peccati culpa subtraxerat.

DE LIBERO ARBITRIO.

OBscurata maximè hoc seculo, sicut & superiori, fuit doctrina de Libero arbitrio. Nos sentẽtias de eo cõmodiores colligemus. Autor definitionũ, quæ Tertulliani operibus adiunctæ sunt, capite quadragesimo sexto: Arbitrium, inquit, uoluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ueritas dicit: Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis. Et capite quadragesimoseptimo: Natura humana etiãsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cùm sine Dei gratia salutem non posit custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? Et capite uigesimoprimo: Libertati arbitrij sui cõmissus est homo statim in prima conditione, ut salua uigilantia mentis, adnitente etiam præcepti custodia perseueraret, si uellet in eo quod creatus fuerat permanere. Postquàm uerò seductione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & uigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non esset suum quod euitaret peccatum: nec meritò indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaq; ad quærendam salutem arbitrij libertas, [illegible] est rationalis uoluntas: sed admonente prius Deo, [illegible] inuitante ad salutem, ut uèl eligat, uel sequatur, uel [illegible] gat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei. Vt augetem consequatur quod eligit, uel quod sequitur, [illegible] quod occasione agit, Dei esse liberè cõfitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur quod acquiescẽdo admonenti [illegible] cupimus, diuini est muneris: ut non labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorij: ut labamur, potestatis nostræ, [illegible] & ignauiæ. Non tamen ad obtinendam sine illo, [illegible] quærentes facit inuenire, qui pulsantibus aperit, [illegible] petentibus donat. Sicut ergo initium salutis nostræ Deo miserante & inspirante habere nos credimus: [illegible] ita arbitrium naturæ nostræ sequax esse diuinæ inspirationis liberè confitemur. Igitur ut non labamur ad bono uel naturæ uel meriti, solicitudinis nostræ est, [illegible] cœlestis pariter adiutorij: ut labamur, potestatis nostræ [illegible] & ignauiæ. Origenes homilia quarta in Psalmum trigesimum sextum: Gressus hominis à Domino diriguntur. Non sufficit homini uolenti istud iter [illegible] dere sola propositi sui uoluntas, nisi & Dominus [illegible] rexerit

rexerit greſſus eius. Ibidem: Vides ergo quia Domini ſemper indigemus auxilio: primò, ne cadamus: tum deinde etiam ſi ceciderimus, ut reſurgamus. Et Homilia quarta in Canticum clarè dicit, hoc naturæ bonum (arbitrij ſcilicet libertatem) præuaricationis occaſione decerptum, & ad ignominiam deflexum eſſe. Cyprianus libro tertio Epiſtolarum, epiſtola uigeſima quinta, ſentit, Deum confeßionem, conſtantiã, & alia bona opera in nobis præſtare: ubi & ait, Ipſius eſſe quod uincimus, & quòd ad maximam certaminis palmam ſubacto aduerſario peruenimus, declarat & docet Dominus in Euangelio ſuo, dicens: Non uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur in uobis.

DE PECCATO ORIGINALI.

PRimum Tertullianus libro de Patientia, peccatum originis, traducem mali uocat. Hinc de propagatione iſtius mali, atq; unde ſit, reliqui huius ætatis Doctores clarè loquuntur. Vt Cyprianus libro tertio epiſtolarum, Epiſtola octaua: Infans non debet, inquit, prohiberi à baptiſmo, qui recens natus nihil peccauit, niſi quòd ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit. Quomodo & autor Sermonis de Circumciſione CHRISTI: peccatum originale, ait, de primis parentibus in totam humani generis ſucceßionem defluxiſſe. Igitur nec ſanctiſſimos hac labe originali carere tradiderunt. Et Methodius in Sermone de Reſurrectione: Viuente adhuc corpore, antequàm moriatur, neceſſe eſt ſimul uiuere peccatum, intus in nobis radices ſuas abſcondens, etiamſi forinſecus per caſtigationum & admonitionum ſectiones fuerit refrenatum. Alioqui poſt illuminationem nõ contingeret nos iniuſta facere, utpote peccato penitus ſynceriter à nobis ablato. Nunc uerò etiam poſtquàm credimus, & ad aquã purificationis deuenimus, ſæpe in peccatis reperimur. Nemo enim ſic ſeipſum à peccato alienũ eſſe iactet, ut neq; omnino in animo de iniquitate cogitet. Quare conſtat, contrahi quidem ac ſopiri per fidem nunc peccatum, ut ne fructus noxios producat: non tamen radicitus tolli. Origenes homil. 10. in Num. et hom. 12. in Ioſ. Sancti nõ ſunt ſine peccato. Et Cyprianus Sermone de Tentatione CHRISTI: Fuerunt et ante CHRISTVM uiri inſignes, & Prophetæ & Sacerdotes, ſed in peccatis cõcepti & nati, nec originali nec perſonali caruerunt delicto: & inuenta eſt in omnibus uel ignorantia, uel inſufficientia, in quibus erronei peccarunt, & eguerunt miſericordia Dei, per quam reſtituti Deo gratias egerunt, & ad plenitudinem iuſtitiæ multum ſibi deeſſe confeſſi ſunt: & ſperantes in Deo, nullam ſibi ſoliditatem attribuere præſumpſerunt. Rurſus Origenes Homilia octaua in Leuiticum: legem ait de immundicia puerperarum oſtendere, quod quæcunq; anima in carne naſcitur, iniquitatis & peccati ſorde polluatur: & neminem mundum eſſe à ſorde, nec ſi unius diei ſit uita eius. Idem ait Homilia tertia in Numeros. De effectu deniq; peccati originalis Cyprianus ait in Sermone de Natiuitate CHRISTI. Defectui carnis noſtræ, quæ à primitiuis ſecibus originalis mali infecta languerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo & ſacramentorum communicatio, per quam illius corporis ſynceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo & de diabolo, & de nobis ipſis uictoria potiamur, & ſacramentali guſtu uiuificis myſterijs inhærentes, una caro & unus ſpiritus ſumus.

De diſcrimine peccatorum.

Diſcrimina peccatorum hac ætate ea uſitata fuiſſe uidentur, & in Doctorum ipſorum ſcriptis leguntur. alia enim capitalia peccata dixerunt, quæ Tertullianus libro quarto contra Marcionem, & in libro de Pudicitia enumerat: ut idololatriam, blaſphemiã, homicidium, adulterium, ſtuprum, falſum teſtimoniũ, fraudem. Idem libro de Pœnitentia, peccatum aliud facit carnale ſeu corporale, quod in facto ſit: & aliud ſpirituale, quod in animo. Libro de Pudicitia: Peccata, inquit, diuidimus in duos exitus. alia erunt remißibilia, alia irremißibilia: ſecũdũ quod nemini dubiũ eſt, alia caſtigationem mereri, alia damnationẽ. Omne delictum aut uenia diſpungit, aut pœna. Venia ex caſtigatione, pœna ex damnatione. Ibidem dicit, eſſe quædam delicta quotidie incurſantia, quibus omnes ſimus ſubiecti: ut iraſci, facilè maledicere, temerè iurare, fidem pacti deſtruere, uerecundia aut neceßitate mentiri in negocijs, in officijs, in quæſtu, in uictu, in uiſu et auditu: qua ita tentamur, ut ſi nulla ſit uenia iſtorum, nemini ſalus competat. Horum ergo erit uenia, per exoratorem patris CHRISTVM. Origenes Homilia ſexta in Exodum: Triplex eſt hominibus peccandi uia, aut enim in facto, aut in dicto, aut in cogitatione peccatur. Et Homilia decima in Exodum: Peccata alia dicit pertinere in damnũ, alia ad interitũ. Peccatũ damni uocat, peccatum ſcandali. Item peccatũ aliud eſſe curabile, aliud incurabile. & Homilia ſecunda in Pſalmum trigeſimum ſextum: peccatum aliud facit πονηρίας, id eſt, nequitiæ uel malitiæ, ſeu ſpontaneũ & uoluntarium: aliud, ignorantiæ. Cyprianus uerò Sermone de Tẽtatione CHRISTI, peccatũ ſimpliciter diſtinguit in originale & perſonale. Poſtremò et pœnas peccatorũ eſſe docuerũt, calamitates et afflictiones humani generis. ut Origenes Homilia tertia in Ezechielẽ: Nemo ueſtrũm, inquit, exiſtimet cruciatus nobis ab alio quàm à nobis irrogari: Deus non facit pœnas, ſed ea quæ patimur ipſi nobis præparamus. Itẽ quòd in renatis etiam maneãt peccata, teſtatur idem Homilia 21. in Ioſuam: ubi renatis nullis, ait, etiamſi ad ſummum factũ ueniant, tantum puritatis in corde euenire, ut nunquam aduerſæ cogitationis contagione maculentur. Idem Homilia decima in Numeros, ait ſanctos non eſſe ſine peccato.

DE LEGE.

LEgem docuerunt eſſe uocem diuinam: ſicut Tertullianus in libro aduerſus Iudæos, Legem in paradiſo, Adæ datam, fontem fuiſſe ait omniũ eorũ quæ poſtea per Moſen mandata ſunt. Eadem etiam ratione ibidem declarat primos homines contra totũ Decalogũ deliquiſſe. Ibidem de lege naturali ait, Ante Moſen legẽ non ſcriptã, ſed naturaliter intellectã & cuſtoditam fuiſſe à patribus. Legem omnibus gentibus datam, ibidẽ. Et Origenes tractatu trigeſimo primo in Matthæũ: Legem naturæ ait inſcriptam eſſe omniũ mentibus. De lege uerò morali idem homilia undeci

ma in Numeros: ubi inter legẽ & mandatũ eiusmodi discrimen cõstituit, ut legẽ nominet præcepta ceremonialia, quæ umbrã habent futurorũ bonorũ: mandatũ uerò, præcepta moralia. Idem Homilia 13. in Iosuam: Nemo, inquit, sic intellexit legẽ, sicut docuit IESVS. Ipse enim omnia docuit & aperuit: ipse reuelauit Paulo, quia lex spiritualis est. Et in sermone de Baptismo CHRISTI, Cyprianus ait, Legẽ scriptam nihil differre à lege naturali. Methodius in Sermone de Resurrectione: Quare lex quidem sancta est, & mandatum Dei iustum & sanctum ac bonum: quoniam non ut lædat, sed ut seruet, datum est.

De fine et usu legis Tertul. in lib. aduersus Iudæos, in eam sententiam clarè disputat: legẽ Dei non efficere iustos, neq; purgare hominem. Qui cõtendit, & sabbathũ ælhuc obseruandum, quasi salutis medelam: et circumcisionem octaui diei propter mortis cõminationem, doceat in præteritũ iustos sabbatisasse aut circumcidisse, & sic amicos Dei effectos. Et Origenes homilia 12. in Exodũ, Mosen dicit nihil præter faciem gloriosam habere: manus enim eius leprosa est, eo quòd non ex operibus legis quisquã iustificandus esset: & tantũ sermo eius habeat scientiæ gloriã, sed occultam. Idem et de Abrogatione legis ait, libro sexto in Epistolam ad Romanos: Vbi uerbũ caro factum est, & habitauit in nobis, à præsentia eius lex cum templo & altari, atq; omnibus quæ ibi gerebantur, euersa sunt. Et Homil. 9. in Ieremiã: CHRISTVM, ait, nos baptismo suo lauisse à legalib. initijs, ad Euangelicã perfectionem. ubi & maledictum legis per Christum sublatum esse affirmat. Ad eundẽ modũ de abrogatione legis ceremonialis sentit Origenes homil. 10. in Leuit. Cõsentit Cyprianus, qui in sermõe de circũcisione Christi dicit, aduenière Christo sacrificia et circũcisionẽ cessasse.

LEGIS ET EVANGELII discrimen.

LEgẽ ab Euãgelio differre, etiãsi satis cõmodè interdũ tradiderũt, tamen crebrius (sicut infrà dicetur) utrunq; miscuerũt. In initio lib. 4. contra Marcionẽ Tertullianus ait: Confiteor adeò alium ordinem decurrisse in ueteri dispositione apud creatorẽ, aliũ in nouo apud Christum: non nego distare documenta eloquij, præcepta uirtutis, legis disciplinas, dum tamen tota diuersitas in unum & eundem Deum cõpetat, illum scilicet à quo cõstat eam dispositã, sicut & prædicatam. Olim concionatur Esaias, proditurã ex Sion legem, & sermonem Domini ex Hierusalem: aliam utiq; legem, aliumq; sermonem. deniq; iudicabit, inquit, inter nationes, & traducet populũ pluri mũ: scilicet, nõ unius gentis Iudæorũ, sed nationũ quæ per nouã legẽ Euangelij & nouũ sermonẽ Apostolorũ iudicantur. Ibidẽ paulò pòst: Iudicauerat atq; decreuerat nationes quoq; illuminandas per Euangelij legẽ atque Sermonẽ. Idem lib. 5. aduersus Marcionẽ: Euangelium, ait, Christi, à lege euocare debet ad gratiã. Et ibidẽ: Eadẽ diuinitas prædicabatur in Euangelio, quæ semper nota fuerat in lege, disciplina uerò nõ eadem. Tertul. aduersus hæreticos: Euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit. Et Cyprianus in sermone de natiuitate Christi: consonãt simul promissa & data, umbrisq; remotis lex & Euangelia sunt unita. Rursus Tertul. aduersus Praxeã, de summa Euãgelij: Clausula, inquit, Euangelij est, ut credatis IESVM Christũ filiũ dei. Methodius in Sermõe de Resurrectione: Nam lex Spiritualis uitæ, quod sanè est Euangeliũ, alia existẽs à prædictis legib. ad obedientiã posita, ac remissionẽ peccatorũ, liberauit nos à lege peccati ac mortis, ut quæ penitus peccatũ regnãs in carne uicit.

DE IVSTIFICATIONE SEV REmissione peccatorum.

TEnuiter omnino & de hac parte scripserũt maximi et præcipui huius ætatis Doctores: attamẽ cõmodissimas ex eorũ scriptis sententias colligemus. Primùm efficientẽ iustificationis causam docuerũt esse Christũ, ut Tertullianus lib. de carne Christi: Christus, inquit, totũ hominẽ saluũ fecit. Et Origenes tractatu secũdo in Matthæum: Homo quidẽ nõ potest dare aliquã cõmutationem pro anima sua: Deus autem pro animabus omnium dedit cõmutationẽ, precio sum sanguinẽ filij sui: nec enim empti sumus corrupti argento uel auro, sed precioso sanguine agni imbili et maculati. Idem Homilia decimaquinta in Iosuã: Nulla species peccati tanta est, qua non sit superior IESVS, qui est uerbum & sapientia. Cyprianus sermone de Passione CHRISTI: Filius hominis, inquit, damnatus est, ut liberaret damnatos: doluit, ut sanaret infirmos. Ibidẽ: Originali morti nullum nisi in Christi morte potuerat esse remediũ, nec cõciliare Deo poterat exules & damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificiũ. Ibidẽ: Ecce plus potuit donũ quàm delictũ, et gratia quàm peccatũ: quoniam ex debito damnationis obnoxios gratis, sine ullo merito, gratia, beneficio pietatis absoluit: & iudicium imperante Christo misericordiæ dedit locũ, et distinctionis suæ temperamentũ iusticia Domino disponẽte modestè sustinuit. Et libro de Resurrectione carnis: Damnatio indebita nos à damnatione æterna absoluit.

Deinde, fide sola absq; ullis operibus apprehendi iusticiã docuerũt, ut Origenes libro tertio in epistola ad Romanos: Arbitramur, inquit, iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. Dicit sufficere solius fidei iustificationem, ita ut credens quis tantummodo iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletũ. Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus, clamauit ei de cruce, Domine. Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in Euangelijs, sed pro hac sola fide ait ei IESVS: Amen dico tibi &c. per fidẽ iustificatus est hic latro, sine operibus legis: quia super hæc Dominus non requisiuit quid prius operatus esset, nec expectauit quid operis cum credidisset, expleret: sed sola confessione iustificatum, comitemq; sibi paradisum ingressurus assumpsit. Ibidem: Ex nullo lesis operibus, sed pro sola fide ait ad illam mulierem: Remittuntur tibi peccata tua. Et iterum: Fides tua te saluam fecit. Sed & in multis Euangelij locis hoc sermone usum legimus Saluatorẽ, ut credentis fidem, cam sam dicat esse salutis eius. Item Homilia uigesimasexta in Numeros: Impossibile est sine fide saluari Christianos, siue perfecti, siue imbecilles fuerint. Et lib. 1. in Iob: Sicut credenti omnia sunt possibilia ut saluetur, & refrigerium inueniat apud eum cui credidit: sic

dit: sic nõ credẽti nihil est poßibile, neq; ut saluus fiat, neq; ut refrigerium inueniat, neq; ut in uitã introeat.

Simili modo Cyprianus libro secundo Epistolarũ, epistola secũda, sentit, fide accipi gratiã Dei: Quantũ, inquit, illuc fidei capacis adferimus, tantũ inde gratiæ mundãtis hauriemus. Et libro eodẽ, epistola tertia: Si Abrahã Deo confidit, & deputatũ est ei ad iusticiam: utiq; quisquis Deo credit, & fide uiuit, iustus inuenitur. Gratis enim imputari nobis à Deo iusticiam docuerunt. Tertullianus libro quarto contra Marcionem: Fide, inquit, Abraham Deo credidit, nullo sub iugo legis, nec in signo circumcisionis. Et Cyprianus in expositione Symboli: Remißionem peccatorum hoc modo fieri exponit, si nos credimus Deo, qui promisit se ex nobis criminosis facturum innocentes, tum reuera fieri quod Deus promisit. Hinc iustos eos dixerunt, quibus gratis propter fidem in CHRISTVM Iusticia imputata & donata esset. ut Origenes ait Homilia 6. in Esaiam: Esaias non quasi natura iustus, postulat ministeriũ, sed quasi gratiã cõsecutus.

Quod uerò fides intelligenda sit fiducia, Origenes indicat Homilia 3. in Leuiticum, ubi sentit, nos pura & syncera fide, ubi nullus perfidiæ dolus, nulla hæreticæ calliditatis peruersitas admiscetur, iustificari. Et diserte Cyprianus in Sermone de Mortalitate, Fidem appellat fiduciam in promißiones diuinas.

Docuerũt item, de uolũtate & promißionibus Dei nequaquã esse dubitandũ. Sic enim Origenes Homilia 11. in Hieremiã ait: Quicũq; penitus CHRISTO nõ credunt, condemnant illum: qui autẽ credunt, & adhuc ambigunt, dijudicant illum. Duo igitur apud homines CHRISTVS perpetitur: ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus discernitur. Postremò de effectu fidei seu iustificationis, Martialis in Epistola ad Burdegalenses, cap. 9. ait: Ex hac claritate quæ illuxit in cordibus uestris per fidem, qua in mortẽ Domini credidistis, conseruabitur in uobis æterna beatitudo, quæ neq; in Deo patre et Domino IESV Christo & Spiritu Dei initiũ, nec in uobis finem operabitur.

DE BONIS OPERIBVS.

ETsi quidem docuerũt, opera & fructus sequi iustificationẽ debere: tamen adeò perplexè & cõfuse eam ipsam doctrinã tractarũt, ut lucẽ propemodũ ipsam eius doctrinæ uideantur amisisse, ut postea dicetur. Hic sententias quæ cõmoditatis aliquid habere uidentur, ordine proponemus. Præstanda esse bona opera docuerunt. Origenes tractatu 19. in Matthæum: Omnis, inquit, qui uiuit in CHRISTO, semper in sabbatis uiuit, & in requie, requiescens ab operibus malis, operatur autẽ opera iusticiæ incessanter. Item lib. 3. in Epistolam ad Romanos: pòst iustificationem si iniustè quis agat, sine dubio iustificationis gratiam spreuit. Neq; ob hoc quis accipit ueniã peccatorum, ut & rursum sibi putet peccandi licentiam datã. Cyprianus tractatu secundo de Habitu uirginũ: Postquàm contulit (Deus) sanitatẽ, nec habenis liberis & solutis postmodum uagari patitur. Idem tractatu tertio de Simplicitate prælatorũ: Credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere præcepit? Et Martialis in Epistola ad Burdegalenses, capite quarto: Nec bestiales mores oportet ulterius esse in eis, qui uasa Domini munda sunt, in adoptionẽ filiorum æternæ hæreditatis, sed honestate rationali omnes homines uti. Quæ uerò opera facienda sint, Origenes indicat, dum hæc fuisse, probata opera Iob indicat, lib. 1. in Iob: Erãt, inquit, opera magna Iob in terris, fides, pietas, iusticia, sanctitas, cõstantia, patientia, tolerantia, eleemosynæ. Prolixũ uerò eorũ catalogũ Cyprianus texuit in lib. 3. ad Quirinum. Quomodo fiant bona opera, Cyprianus lib. 3. Epistolarum, epistola 25. ostendit: ubi docet, Deum in sanctis operari uerã confeßionem: Qui nos, inquit, in confeßione nominis sui desuper spectans, uolentes comprobat, adiuuat dimicantes, uincentes coronat retributione pietatis paternæ, remunerans in nobis quicquid ipse præstitit, & honorans quod ipse perfecit. Sic & Origenes lib. 1. in Iob: Omnia, inquit, quæcunq; fecerint homines, siue in uirginitate, siue in abstinentia, siue in corporis castitate, siue in carnis suæ combustione, siue in bonorum suorum distributione, omnia frustra faciunt, si non in fide fecerint: sine causa agunt, nisi in agnitione unius ingeniti Dei patris, et in confeßione unius unigeniti filij eius Domini nostri IESV CHRISTI, et illuminatione Spiritus sancti hoc fecerint. Omnẽ ergo sanctitatem, omnem iusticiam quam fecerit, qui foris est à uera Dei cultura, atq; à uera fide, gratis facit, in perditione facit, non prodest ei, non adiuuat eum in die iræ, non liberabit eum in die interitus. Ad quod est testis Apostolus, qui dicit: Omne quod ex fide non est, peccatum est. Et libro tertio in epistola ad Romanos: Vbi fides non est quæ credentẽ iustificat, etiamsi opera quis habeat ex lege, tamen quia non sunt ædificata supra FVNDAMENTVM FIDEI, quamuis uideantur esse bona, operatorem suum iustificare non possunt, si eis deest fides, quæ est signaculum eorũ qui iustificantur à Deo. Rursus quo fine præstanda sint, ita scilicet ut Deo grati simus, Origenes explicat lib. 8. in epistolam ad Romanos: Qui post consecutã gratiam peccat, ingratus fit ei qui gratiam præstitit. Postremò & in hoc consenserunt, opera non iustificare homines, sicut libro tertio in Epistolam ad Romanos Origenes indicat: Deus iustus est, & iustus iustificare non poterat iniustos: ideo interuentum uoluit esse propitiatoris, ut per eius fidem iustificaremur, quia per propria iustificari non poterant.

DE PŒNITENTIA ET CONfessione.

ETiam doctrinam de pœnitentia, maxima ex parte obscuratã hæc ætas habuit. De cõtritiõe enim & satisfactione potißimũ Doctores eius loquuntur, cũ de pœnitẽtia docent: de fide uerò parũ. Et multas adeò stipulas coaceruãt, de quibus postea dicetur. Primùm, Deũ ignoscere pœnitentibus Tertul. docet in libro de Pœnitentia: Is, inquit, te filiũ suũ, etsi acceptũ ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisq; de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætabitur. Sic & Origenes Homilia 8. in Numer. Nostrũ, inquit, est ad emendationẽ festinare, ad pœnitentiã sine dißimulatione cõuerti, lugere præterita, cauere futura, inuocare auxiliũ Dei. Statim enim ut cõuersus ingemueris, saluus eris. Inuenies enim aduocatum, qui pro te interpellat patrem, Dominum nostrũ IESVM CHRISTVM. Et lib. 2. in Iob: Omne peccatum per pœnitentiã, indulgentiã accipiet: et om-

nes qui ſynceriter pœnituerint, remiſſionem & miſericordiam à Deo conſequentur atq; inuenient. Hi uerò qui ſemetipſos interfecerint, qui ſibimetipſis mortẽ intulerint, nunquã requiẽ habebũt: iſti in infinita ſecula nunquã inuenient refrigeriũ, ſed animæ eorũ mox ut de corpore exierint, in tenebras deducentur. Deſperantes igitur de gratia Dei damnat Homilia 4. in Pſalmum 36. Si uideris, inquit, aliquẽ cecidiſſe in aliquod peccatũ, & poſt caſum deſperantẽ conuerſionẽ, & dicentem, Iam quomodo poſſum ego ſaluus fieri qui cecidi, iam nulla ſpes eſt, peccata mea me colligãt, quomodo audere poſſum accedere ad Dominũ? quomodo ad Eccleſiã redire? Et ſi hac deſperatione iſte talis recedat etiã à Deo, hic nõ ſolum cecidit, ſed in caſu ſuo proſtratus et demerſus eſt. Hinc autor Homiliarũ in Canticũ, homilia 2. inquit: Peccatores grauiſſimos non repellit Dominus. Ita lapſis, per pœnitentiam ad Eccleſiam redire licere, etiam Dionyſius Alexandrinus cenſuit: & concilium Romæ ſub Cornelio contra Nouatum ſtatuit, lapſos reſipiſcentiæ pharmacis ſanandos & curandos eſſe: ut Euſebius libro ſexto, capite quadrageſimo ſexto indicat. Idem & Cyprianus libro primo Epiſtolarum, epiſtola ſecunda cenſet, ubi ait: Paſtores non fungi ſuo officio, niſi lapſis pacem dederint. Quod deinde aliquoties repetit, ut libro eodẽ epiſtola ſeptima. Et libro ſecundo, epiſtola ſeptima: libro tertio, epiſtola quinta, decimaquarta, decimaquinta, decimaſexta. Et libro quarto, epiſtola ſecunda, rationes eius rei aliquot recenſet.

Deinde pœnitentiam fide fieri docuerũt, ut Tertullianus libro quarto contra Marcionem de fœmina peccatrice: ſed etſi pœnitentiæ ſtimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide iuſtificatam ab eo audijt, Fides tua te ſaluum fecit: qui per Abacuc pronunciarat: Iuſtus ex fide ſua uiuit. Porrò pœnitentiæ locũ in hac ſaltem uita eſſe docuerunt, ſicut Cyprianus ait libro primo contra Demetrianum: Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ eſt, nec ſatisfactionis effectus: hic uita aut amittitur, aut retinetur. Nec quiſquã aut peccatis tardetur, aut annis, quominus ueniat ad conſequendam ſalutem. In iſto adhuc mundo manenti, nulla pœnitentia ſera eſt. Tu ſub ipſo licet exitu et uitæ temporalis occaſu pro delictis roges Deum, qui unus & uerus eſt, confeſſionem & fidem eius agnitionis implores, uenia confitenti datur, & credenti indulgentia ſalutaris de diuina pietate concenditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur. Hanc gratiam Chriſtus impartit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit, ſubigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem precio ſanguinis ſui, reconciliando hominem Deo patri, uiuificando mortalem regeneratione cœleſti. Hunc, ſi fieri poteſt, ſequamur omnes, huius ſacramento & ſigno cenſeamur, hic nobis uiam uitæ apperit, hic ad paradiſum reduces facit, hic ad cœlorum regna perducit, cum ipſo ſemper uiuemus: et facti per ipſum filij Dei, cum ipſo ſemper exultabimus, ipſius cruore reparati. Erimus Chriſtiani cum CHRISTO ſimul glorioſi, de Deo patre beati, de perpetua uoluptate lætantes ſemper in conſpectu Dei & agentes Deo gratias ſemper. Neq; enim poterit niſi & lætus ſemper eſſe & gratus, qui cùm morti fuiſſet obnoxius, factus eſt immortalitate ſecurus. Idẽ in Epiſtola ad Nouatianum, Nullam dicit apud inferos eſſe pœnitentiam.

DE SACRAMENTIS.

DVo tantùm recenſet Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, & Cœnam Domini, Tertullianus libro quarto aduerſus Marcionem. De quibus in genere Cyprianus, Sermone de Baptiſmo Chriſti, ait, quòd per externũ miniſtri officiũ, Spiritus ſanctus rem ipſam Sacramentorũ cõſummet atq; perficiat intus. Itẽ quòd Sacramenta non ſint meliora neq; deteriora, à quocunq; tandem miniſtro ſiue digno ſiue indigno adminiſtrentur: ideo quòd ſacramentorũ priuilegia non meritis, ſed gratiæ data ſint. Item, quòd omnipotẽtia Dei propriè ſibi hunc effectũ retineat. Itẽ, quia Chriſtus ideo à ſeruo baptiſatus ſit, ne conſerui conſeruorum miniſterium detrectarent. Sicut & in ſermone de cœna Domini ait: Sacramenta etiam ab indignis miniſtrata aut ſuſcepta, habere efficaciam ſuam, propter paßionem Chriſti.

DE BAPTISMO.

Neq; hanc doctrinam puram uſq; quaq; hæc ætas retinuit: nos, quid in ea cõmodiſſimè ſenſerit, recitabimus. Tertullianus in libro de Baptiſmo ait, Baptiſmũ non eſſe iterandum. quod & Origenes aſſeruit Homilia octaua in Leuiticum: & Cyprianus libro ſecundo Epiſtolarum, epiſtola tertia: qui et hanc rationem adiecit, quia nimirum Chriſtus dicat: Qui biberit ex aqua, quam ego do, non ſitiet in æternum.

De forma Baptiſmi, Origenes lib. 1. de Principijs: Salutaris, inquit, baptiſmus non aliter, niſi excellentiſſimæ omni trinitatis autoritate, id eſt, patris & filij & ſpiritus ſancti cognominatione completur: & ingenito Deo patri, & unigenito eius filio nomen quoquè Spiritus ſancti copuletur.

De fine et effectu Baptiſmi idẽ Homil. 15. in Ioſ. An nõ ita credimus, quia omne genus peccati, cùm ad ſaluutare lauacrũ uenimus, aufertur? Idem ait Homil. 5. in Exodũ. Et lib. 5. in Epiſtolã ad Romanos: Nouitas uitæ eſt, ubi ueterem hominem cum actibus depoſuimus, & induimus nouũ qui ſecundũ Deũ creatus eſt, et qui renouatur in agnitione Dei, ſecundũ imaginẽ Dei, ſecundũ imaginẽ eius qui creauit eum. Neq; enim putes, quòd innouatio uitæ quæ dicitur ſemel facta, ſufficiat: ſed ſemper quotidie, ſi dici poteſt, ipſa nouitas innouanda eſt. Sic enim dicit Apoſtolus: Nam etſi is qui foris eſt homo noſter corrũpitur, ſed qui intus eſt renouatur de die in diẽ. Sicut enim uetus ſemper ueteraſcit, et de die in diẽ uetuſtior fit: ita et nouus hic ſemper innouatur, & nunquã eſt quãdo nõ innouatio eius augeſcat. Autor homiliarũ in Canticum: Amputantur & exſecantur ab hominibus peccata, cùm in Baptiſmo donatur remiſſio peccatorum. Sic & Cyprianus lib. 3. ad Quirinũ ſentit, Omnia delicta in Baptiſmo deponi, iuxta illud prima ad Corinth. 6. Neq; formicarij neq; idolis ſeruientes, neq; adulterij, neq; molles, neq; maſculorũ appetitores, neq; fraudulẽti, neq; fures, neq; ebrioſi, neq; maledici, neq; raptores, regnũ Dei conſequentur. Et hæc quidẽ fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Et lib. 4. Epiſtola 7. Scire (inquit) debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, et homo Deo dicatus indulgentia libera-

liberatur. Item ad Pompeianũ: Qui peccatis in Baptismo expositis sanctificatus est, et in nouũ spiritualiter reformatus, ad accipiendũ Spiritũ sanctũ idoneus factus est, iuxta illud Apostoli: Quotquot in Christo baptisati estis, Christũ induistis. Ibidem: In Baptismo Spiritum sanctum renatus accipit. Item lib. 4. epistola 7. Diabolus in Baptismo amittit omnes nequitiæ suæ uires, ut Pharao in mari rubro. Item: Diabolus in Baptismo fide credentis, excluditur: si fides postmodum defecerit, regreditur. Martialis in epistola ad Burdegalenses: Adorate Deũ & saluatorẽ nostrũ Dominũ IESVM Christũ, in cuius nomine nisi quis baptisatus fuerit per aquã regenerationis, saluari non potest.

¶ De infantibus uerò baptisandis hæc tradiderũt. Origenes Homilia octaua in Leuiticum: Baptismus Ecclesiæ infantibus datur, secundũ Ecclesiæ obseruantiã. Idem Homilia 14. in Lucã: Quia per Baptismi sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptisantur & paruuli. Et autor definitionum in operibus Tertul. cap. 34. Propter fidei regulam etiam paruuli, qui nihil peccatorũ in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorũ remissionẽ ueraciter baptisantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Rationes eius rei Cyprianus eiusmodi recitat lib. 3. Epistolarum, epistola octaua. Prima, quia nulli hominum nato, gratia & misericordia Dei deneganda est: homines autem sint infantes, qui quamuis incrementa ætate assumant, tamen Dei opere perfecti sint. Secunda, quia una sit æqualitas diuini muneris apud omnes, siue infantes, siue natu maiores: nec gratia ipsa pro ætate accipientiũ maior aut minor tribuatur, cùm Spiritus sanctus nõ de mensura, sed de pietate et indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Tertia, quia sicut Deus personam non accipiat, ita nec ætatem. Quarta, quòd si quid hominem retrahere deberet à baptismo, adulti potius ob sua peccata arceri deberent, quàm infantes, qui nihil peccarunt, nisi quòd uitio originis contaminati sunt. Quinta, infantes merentur misericordiã, quod in primo statim exortu plorantes & flentes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur.

Deinde obiectiones diluit. Primã hoc modo: Infantes primis ortus sui diebus ita immundi sunt, ut horreamus eos exosculari. Respõdet: Insufficiens causa est ad impediendam gratiam, mundis enim omnia sunt munda: nemo debet id horrere, quod Deus dignatus est facere. Item, in infantibus Dei adhuc recẽtes, manus exosculamur. Secundũ ita: Infantes octauo die circumcidebantur: ergo octauo sunt baptisandi, & non prius. Respondet: Octauus dies erat sacramentum in umbra, uerum à Christo impletum, qui octauo die, hoc est die Solis resurrexit, ut nos uiuificaret, & spiritualem circumcisionem daret. Veniẽte igitur ueritate, umbra est sublata: nec debet carnalis circumcisio impedire spiritualem. Idem Cyprianus libro quarto, Epistola septima, rectè disputat, Baptismũ ualere, siue aqua perfundantur, siue toti immergantur qui baptisantur: propter has rationes. Prima, quòd nulla beneficia diuina possint mutilari aut debilitari, si plena et tota fide dantis et sumentis accipiatur, quod diuinis muneribus haueritur. Secunda: quia idem sit aspersio quod lauacrũ, iuxta Ezechielem capite trigesimosexto, Aspergam super uos aquam. Tertia, quia aspersione baptisati in lectis, non possint rebaptisari: et Christianus legitimus iudicandus sit, quisquis fuerit in Ecclesia, lege & iure fidei diuinam gratiam consequutus. Sed obijcitur: Minus aquæ accipiunt qui per aquæ aspersionẽ baptisantur: Ergo cæteris Christianis nõ sunt æquandi. Respõdet hoc modo: Spiritus sanctus nõ de mẽsura datur, sed super credentem totus infunditur, ut sol æqualiter super omnes diffunditur: ergo Christus etiã lumẽ uitæ æqualiter largitur. Itẽ, æqualis est gratia super omnes.

DE CŒNA DOMINI.

Sub pane & uino corpus & sanguinem Christi uerè & substantialiter distribui docuerũt, ut Tertul. lib. 4. contra Marcionem: Acceptum panem, inquit, & distributũ discipulis, corpus suum illũ fecit, Hoc est corpus meũ, dicendo: id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Cæterum uacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest. Ibidem sanguinem suum in uino consecrauit, qui tunc uinũ in sanguine figurauit. Et in libro de Oratione, Corpus Christi in pane censetur. Libro de Pudicitia, Corpus dominicum uocat Eucharistiam. Et libro aduersus Iudæos: Sic Christus reuelauit, panẽ corpus suum appellans. Martialis in epistola ad Burdegalenses, cap. 3. Postquã baptisati estis, oportet uos castos esse à malitia, ut mensa diuina digni sitis. Nolite autem unum & idem putare escam humanam & diuinam, quæ uobis uisibilis est, sed tamen in fide perfecta tota cœlestis: per unam enim corpus, per alterã anima uiuit. Et Origenes Homilia sexta in diuersos: Quando sanctum cibum, illudq; incorruptum epulum accipis, quando uitæ pane & poculo frueris, manducas et bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et Homilia prima in diuersos: Nobiscum Deus per Euangelistarum & Apostolorum prædicationẽ, per sui sancti corporis & sanguinis sacramentum, per gloriosæ crucis signaculum, per ista ergo omnia nobiscũ Deus, & ad nos, atq; in nobis. Eodẽ modo Cyprianus Sermone quinto de lapsis, sentit, in cœna corpus & sanguinẽ Christi esse, ut & uocat Sermone de cœna Domini: Panis istẽ, quem Dominus discipulis porrigebat, nõ effigie, sed natura mutatus, omnipotẽtia Verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas, ita sacramẽto uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia. Ibidẽ dicit, Christũ usq; hodie sanctissimũ et ueracissimũ suũ corpus creare, sanctificare, benedicere, et piè sumentib. diuidere. Et Dionysius Alexandrinus in epistola ad Xystũ dicit, Per cœnã Domini, corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi nos participes fieri. Euseb. 7. cap. 9. Cyprianus lib. 2. epistola 1. reprehendit abusum, quòd in cœna Dominica aquam in calice quidem porrigerent, & nõ uinum. Et elegãter sæpe dicit, in cœna sanguinẽm Christi bibi: Quomodo ad potandum uinum peruenire non potest, nisi botrus calcetur antè & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset, & pressus. Idem & de usũ cœnæ Domini in fide, Sermone de cœna Domini, rectè mouet: Quamuis ab indignis se sumi uel contingi Sacra-

menta permittant, tamen nõ possunt spiritus esse participes, quorum infidelitas uel indignitas tantæ sancti tudini contradicit.

Et de fine atq; effectu, lib. primo, epistola 2. Quos excitamus ad præliũ, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus: & cum hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tatela, quos tutos esse contra aduersariũ uolumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.

Libro 2. epistola 3. asserit ideo sumi corpus & sanguinem Domini, ut mœstum pectus ac triste, quod peccatis prius angentibus premebatur, diuinæ indulgẽtiæ lætitia resoluatur. Sic & in Sermone de Cœna Domini sentit, quòd ab alijs cibis differat, & sit medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. De reliquis uerò finibus, Origenes lib. 8. contra Celsum: Panis, inquit, Eucharistiæ ille, bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodũ gratias Deo agamus. Et Cyprianus lib. 1. epistola 6. ait, Christũ panem uocare suũ corpus, eo quòd et panis ex granorum adunatione factus, significet adunationem Ecclesiæ ex multis. Idem Sermone de Cœna Domini, dicit, nos bibere in sacramento sanguinem Christi, testantes Christũ nos suo sangui ne ad societatem uitæ æternæ reduxisse. Et Sermone de natiuitate Christi, ait, Sacramentorũ communicatione nos Christo uniri. Idem de adiunctis cœnæ & sacramentorum, in Sermone de Lapsis, sensit, lapsos sine pœnitentia seria, ad cœnæ communionem nõ esse à sacerdotibus admittendos. Quemadmodũ & peccare ait, Ecclesiæ ministros, si peccatores publicos sine publica pœnitentia absoluant, & ad Eucharistiam admittãt: lib. 3. epistola quartadecima. Idem Sermone de Baptismo Christi: Remissio, inquit, peccatorum siue per Baptismũ, siue per alia sacramenta donetur, propriè Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet. Et lib. 2. epistola tertia, Cœnam oblationem & sacrificium uocat, ideo quòd Christus obtulerit, non quòd nos offeramus.

DE SACRIFICIIS CHRISTIANORUM.

RECtè hæc ætas, sicut & superior, post unicũ, uerum & perfectũ sacrificium Christi, nullũ haberi à Christianis aliud censuit, quàm inuocationem & glorificationẽ Dei. De Christi sacrificio Tertul. libro aduersus Iudæos: Hunc oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ouis ad uictimam ductus est. Et Origenes Homilia quarta in Numeros: Vnus est agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum: & ideo cessauerunt cæteræ hostiæ, quia talis hæc fuit hostia, ut una sola sufficeret pro totius mundi salute. Idem Homilia 3. in Iosuam, dicit uniuersam ecclesiã per Christi sanguinẽ saluari. Et Cyprianus Sermone de Baptismo Christi: Sacrificiũ quod in Ecclesia obtulit, sic in beneplacito Dei cõstat, acceptabile & perpetua uirtute consistit: ut non minus hodie in conspectu patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die qua de latere sancto sanguis & aqua exiuit, & semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigãt preciũ, & obedientiæ donatiũ requirant. De Christianorũ uerò sacrificio, precibus scilicet, laude & gratiarũ actione, Tertullianus libro quæsito aduersus Marcionẽ, ex Malachia inquit: In omni loco sacrificium nomini meo offeretur, & sacrificiũ mundum, scilicet simplex oratio de cõscientia pura. Et ibidem: Prophetiæ legis significabãt hominem quondã peccatorũ, uerbo nox Dei emaculatũ, offerre debere munus Deo apud templũ, orationem scilicet et actionem gratiarũ apud Ecclesiã. Et in Apologetico: Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Ibidem: Ei offero optimam & maiorem hostiã, quàm ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam. Libro aduersus Iudæos: Nanq; quòd nõ terrenis sacrificijs, sed spiritualibus Deo litandũ sit, ita legimus ut scriptum est, Cor contribulatum hostia est Dei. Et alibi: Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Sic itaq; sacrificia spiritualia laudis designantur, & cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur. Et libro tertio contra Marcionem: Sacrificium mundum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio & laus & hymni.

DE ORATIONE.

DE hac primùm docuerunt, Deum solùm adorandũ esse. Sicut Tertullianus lib. 4. cõtra Marcionem: Orationẽ, inquit, ad Deum dirigendã esse, illum enim adorandũ, iussisse Christum. Deinde, in nomine Christi, in fide & humilitate, sine multiloquio inuocandum esse tradiderunt: ut Cyprianus initio Sermonis de Oratione Dominica prolixè docuit: Deus, inquit, non uocis, sed cordis auditor est. Nec ad monendus est clamoribus, qui cogitationes uidet. Quod Anna in primo Regnorum libro, Ecclesiæ typum portans, custodit & seruat, quæ Dominũ non clamosa petitione, sed tacitè & modestè intra pectoris latebras precabatur, loquebatur prece occulta, sed manifesta fide. Loquebatur non uoce, sed corde, quia sciebat Deum audire: & impetrauit efficaciter quòd petijt, quia fideliter postulauit.

Orandum præterea Deũ esse in humilitate, non in fiducia innocentiæ, sed in agnitione peccati, docuerũt: ut idem ibidem, In sensu tibi debet adorari Deus. Adorans autem nec illud ignoret, quemadmodũ in templo cum Pharisæo publicanus orauerit, non alleuatis impudenter ad cœlũ oculis, nec manibus insolenter erectis, pectus suũ pulsans, & peccata intus inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorabat auxilium. Et cùm sibi Pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit, qui sic orauit, qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cum innocens nemo sit: sed peccata confessus, humiliter orauit: & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit. Et ibidem: Sit orantibus sermo & precationum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub cõspectu Dei stare. Idem Origenes tractatu 25. in Matthæũ: Discant, inquit, nõ magna de se sapere, sed humilia æstimare: nec ueloces esse ad promittendum, sed soliciti ad orandum.

De formula inuocationis Tertul. lib. de Fuga in persecutione, ait: Orationem Dominicã, orationem esse legitimam. Idem de rebus petendis in Apologetico dixit: Scitote præceptum esse nobis, etiã pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Ibidem:

Ibidem: Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus uitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatũ fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris uota sunt. Et oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Origenes tractatu primo in Matthæum: Orandum Deum, ait, pro intellectu sui uerbi. Martialis in Epistola ad Burdegalenses, cap. 27. Pro impijs assiduè orate, ut ad ueritatem Dei conuertãtur. Dionysius Alexandrinus in scripto aduersus Germanũ, cuius fragmentum extat in Eusebio lib. 7. cap. 11. Non sunt, inquit, cunctos, sed singuli aliquos deos adorant, quos sibi adorandos esse putant. Nos igitur unum illum Deum omnium opificem, qui etiam pientissimis augustis Valeriano & Galieno imperium hoc commendauit, colimus, & adoramus illum: indesinenter pro imperio eorum, ut immotum permaneat, oramus.

Orantem uerò subijcere se debere uoluntati Dei, Origenes docuit tractatu trigesimoquinto in Matthæum: Sed non sicut ego uolo, inquit Christus, sed sicut tu. docens, ut non oremus nostrã fieri uoluntatem, quando factum fuerit, ut aliquid aliud uelimus quàm Deus. De orationis effectu Cyprianus rursus in Sermone de oratione Dominica: Cùm dicat, inquit, Christus, Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis: quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?

Idem & semper orandum docuit, lib. 4. epistola quarta: Instanter & uigilanter oremus, sicut Paulus Apostolus præcipit dicens: Instate orationi, uigilantes in ea. Nam & Apostoli orare diebus & noctibus non destiterũt. Ex libro de Exhortatione martyrij: Hora nulla à Christianis excipitur, quãuis frequenter & semper Deus debeat adorari. Martialis ad Burdegalenses capite decimoquinto: Pro uobis sine intermissione orate, ut nunquam ueritas in intelligentia uestra obnubilationem aliquam capiat. Oratio siquidem uobis necessaria est. Instantes itaq; orationi, instate quotidie: quia aduersarius uester, &c.

Ibidem cap. 21. Nunquam deficiatis ab oratione pura, nunquam de Dei nostri largitate desperetis: quia salubriter quæ desideratis adhuc differt, ut accendantur multo magis desideria uestra in eum.

Orandum in quouis etiam loco, Origenes tradidit tractatu trigesimoquinto in Matthæum: Qui propter Christi doctrinam recessit à Iudaicis fabulis, & ab omnibus quæ corporaliter ab eis intelligũtur, dicit, nõ propter locum fieri orationem distãtem ab oratione.

Nec à peccatoribus quidem preces intermittendas Cyprianus censuit, Sermone de Oratione dominica: Quòd si ille, inquit, orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare?

DE ECCLESIA.

Ecclesiam ueram docuerunt esse illam, quæ in fide & doctrina cum Apostolis consentiat. Vt Tertullianus libro de Præscriptionibus hæreticorum: Constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs matricibus & originalibus fidei cõspirat, ueritati deputandã: & sine dubio tenentes, quòd Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit. Ibidem: Ad hãc formam prouocabuntur ab illis Ecclesijs, quæ licet nullũ ex Apostolis uel Apostolicis autorẽ suum proferãt, ut multo posteriores, quæ deniq; quotidie instruuntur: tamen in eadem fide conspirãtes, non minus Apostolicæ deputãtur pro cõsanguinitate doctrinæ. Et Cyprianus in Symbolo, eam dicit esse ueram Ecclesiã, quæ fidem Christi integram seruat. Item Origenes libro 3. contra Celsum: Ecclesia uocem Christi agnoscit. Caput uerò Ecclesiæ dixit Christum, Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionẽ. Et Origenes Homilia trigesimaquinta in Matthæum, de CHRISTO ait: Colaphis ceciderunt sanctum Ecclesiæ caput. Sed esse Ecclesiam etiam in exiguo numero, Tertullianus lib. de Exhortatione castitatis, dixit: Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Idem & Gentes ad Ecclesiam pertinere tradidit, in principio libri aduersus Iudæos. Et Origenes lib. 4. de Principijs, dixit: Manifestè uidetur impletũ de multitudine eorũ, qui per CHRISTVM Deo ex diuersis gentibus crediderũt. Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæos: Quòd Ecclesia quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, quàm quot synagoga antea habuisset. Ecclesiam ex bonis & malis constare, Origenes dixit Homilia septima in Ezechielem. Et Homilia tertia in Hieremiam: In Ecclesia, inquit, uasa sunt iræ, & uasa misericordiæ. Idem lib. 3. contra Celsum, de Apostolis inquit, constituentibus Ecclesias orando & prædicando: Qui erant ad id destinati, ut orando & prædicando Ecclesiam Dei stabilirent, & huic rei plurimùm insudarunt, non eo sunt persuadendi genere usi, quale Platonis illud uidetur, cùm sapientiam pollicetur, uel alterius cuiuspiã philosophantiũ, & tamen mortalium, qui aliud nihil in se præter humanam naturã haberent. Postremò Ecclesiam non esse fundatam super unum Petrum, nec ad eum solùm hoc dictum pertinere, Et tibi dabo claues regni cœlorum, Origenes tractatu primo in Matthæum, palàm affirmat: Quoniam, inquit, ij qui episcoporum locum sibi uindicant, utuntur eo dicto sicut Petrus, & claues regni cœlorum à seruatore acceperunt.

DE CONFESSIONE ET martyrio.

Confessione necessariam esse docuerunt, etiam cum periculo uitæ, nec propter eam martyria detrectanda. Tertullianus libro de Fuga in persecutione: Negatio, est martyrij recusatio. Et libro de Corona militis: Potior est necessitas timendæ negationis, & obeundi martyrij, quàm euadendæ passionis, & implendi officij. Idem in Scorpiaco, aduersus Gnosticos, docentes homines sine causa confiteri: multis rationibus probat, Deum martyria uelle, in ijsq; obedientiam requirere. Quia enim idololatriam prohibuit, martyrijs locum fecit.

Crucem enim esse comitẽ uerbi, & hoc monuerũt, ut Origenes Homilia tertia in Exodum: Certum est, quòd antequàm sermo Dei audiatur, antequàm prædicatio diuina nascatur, nõ est tribulatio, nõ est tentatio: quia nisi buccinet tuba, non committitur bellum.

Et fidem in martyrijs florere, idem tradidit Homi-

lia decimaquarta in Hieremiam: Tunc erant, inquit, uerè fideles, quando martyrum uictimæ feriebantur: quod cruētas exequias prosecuti, tristes ad Ecclesiam reuertebantur: & omnis erat multitudo lugentium, quando catechumeni in prima statim fide pro ferendo martyrio ducebantur, quando mulierculæ & infirmus sexus usque ad mortem manebat intrepidus.

De martyribus uerò Cyprianus libro secundo, epistola sexta dicit: CHRISTVM in illis esse, & protegere fidem, pugnare & erigere, corroborare, animare: eumq; qui pro nobis mortem semel uicit, semper in nōbis uincere: Deus, inquit, non sic est, ut seruos suos tantùm spectet: sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur. Idem libro tertio, epistola uigesimaquinta: In congressione nominis sui desuper spectans, uolentes comprobat, adiuuat dimicantes, uincentes coronat. Ait in epistola sexta libri secundi, Etiam fidem aliorum solidari exemplo. Martyrum item sanguinem Ecclesiam illustrare & illuminare. Et libro tertio, epistola decima, sentit, Deum per crucem declarare, qui ueri sint Episcopi, & quis uerus Dei populus. In cuius libri Epistola decimaquinta docet, etiam martyrium desiderandum & expetendum esse. Non tamen in cuiusque uoluntate aut potestate, sed in Dei dignatione consistere. Idem, Sermone de Mortalitate: Non est in tua potestate, sed in Dei dignatione, martyrium.

DE CONIVGIO.

COniugium, ut rem à Deo ordinatam prædicarunt. Tertullianus libro primo aduersus Marcionem, inquit: Creator coniugum pro rei honestate benedixit, in incrementum generis humani. Et in libro de Anima: Concubitum libido, non conditio fœdauit. Excessus, non status, est impudicus. Siquidem benedictus status apud Deum: Crescite, & in multitudinem proficite. Excessus uerò maledictus, adulteria & stupra & lupanaria.

Approbat idem & Sacerdotum coniugium libro de Exhortatione castitatis. Origenes Homilia undecima in Exodum: Bonum, inquit, est homini mulierem non tangere, saluo tamen remedio his, qui pro infirmitate sua remedio indigent nuptiali. Idem libro octauo in epistolam ad Romanos: Verùm quoniam uidemus nonnullos Sanctorum, aliquos etiam Apostolorum habuisse coniugia, non usquequaque possumus de sola uirginitate sentire. Puto quòd neq; illi, qui in coniugijs positi sunt, & ex consensu ad tempus uacant orationi, si in cæteris sanctè agant & iustè, negandi sint corpora sua, exhibere posse hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem. Nec rursum corpora uirginum uel continentium, si uel superbiæ macula, aut auaritiæ sordibus, uel linguæ maledicentia, uel mendacij immundicia polluantur, hostiam sanctam & Deo placentem putanda sunt ex sola uirginitate corporis detulisse. Martialis ad Tolosanos, capite nono: Non prohibemus, inquit, nubere legitimo connubio, cùm & hoc coniugium honestum concessum sit, & constitutum à Deo ab initio mundi in multiplicationē generis humani. In tantum enim Dominus meus & Magister IESVS CHRISTVS legitimum & immaculatum thronum coniugij approbauit, ijs qui in sanctificatione & honore castitatis nubere uolunt: ut ad quasdam nuptias inuitatus, eas præsentia suæ maiestatis sanctificauerit, & miraculo magnificè stupendo lætificauerit.

De secundis nuptijs Origenes libro sexto in epistolam ad Romanos: Mulieri crimen non est, si uiro priore defuncto, suscipiat secunda connubia. Vidua Christiana nubat Christiano. Tertullianus libro secundo ad uxorem.

DE MAGISTRATV.

SEnserunt de Magistratu honorificè: ita tamen, ut honorem ei habendum, citra iacturam honoris & timoris Deo debiti, iudicarent. Tertullianus in libro ad Scapulam inquit: Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & nobis expedit, ut hominem à Deo secundum: & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem. Et libro quarto aduersus Marcionem: Dixit Petrus regem quidem honorandum: ut tamen tunc rex honoretur, cùm suis rebus insistit, cùm à diuinis honoribus longè est: quia & pater & mater diligentur, cum Deo non comparabuntur. Item libro de Idolatria: Reddenda sunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris. benè apposuit: Et quæ sunt Dei, Deo. Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum: alioqui quid erit Dei, si omnia Cæsaris? Origenes libro nono in epistolam ad Romanos: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Non hìc de illis potestatibus dicit, quæ persecutiones inferunt fidei. Ibi enim dicendum est, Deo oportet obtemperare magis quàm hominibus. Idem, & Magistratus improbos dari à Deo in pœnam pro peccatis, tradidit Homilia quarta in Iudicum: Non semper, inquit, principes populi & Ecclesiæ iudex per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt, si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis principes secundum cor nostrum. Sic regnat Deus Saulem sua uoluntate & consilio constitutum regem, quia secundum populi peccatoris meritum erat electus.

DE REBVS MEDIIS.

APparet adhuc studiosam hanc ætatem fuisse retinendæ libertatis in rebus medijs, quanquam interim tamen errorū aliquid accesit. De libertate in cibis multa Tertullianus, in epistola de cibis Iudaicis: Deus, inquit, uentre non colitur, nec cibis, quos Dominus dicit perire, & in secessu naturali lege purgari. Nam qui per escas Domiuum colit, propè est ut Dominum habeat uentrem suum. Cibus inquā uerus, & sanctus & mundus est, fides recta, immaculata conscientia, & innocens anima. quisquis sic pascitur, Christo conuescitur. Ibidem: Nec enim carneus Deus est, ut carne placetur: nec in has uoluptates attonitus, ut nostris gaudeat cibis. Deus sola gaudet fide nostra, sola innocentia, sola ueritate, solis uirtutibus nostris: quæ habitant non in uentre, sed in animo. Sic & de ieiunandi libertate, in libro de Ieiunio, aduersus Psychicos:

chicos: De cætero indifferenter ieiunandum, inquit, ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinæ, pro temporibus & causis uniuscuiusq;. Sic & Apostolos obseruasse, nullum aliud imponentes iugum certorum, & in cõmune omnibus obeũdorum ieiuniorum.

Item Origenes Homilia decima in Leuiticum: Est certè libertas Christiano per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superstitione, sed uirtute continentiæ. Obseruãdam tamen continentiam docuerunt, ut Tertullianus libro de Ieiunio: Sed non ex hoc statim, quia libertas ciborum concessa, luxuria permissa est: nec quia liberalius nobiscum Euangelium gessit, continẽtiam sustulit. Item: Licet in Euangelio per omnia liber redditus nobis usus sit, tamen intelligitur redditus, sed cum lege frugalitatis & continentiæ.

De ieiunio tamen ita docuerunt, ut significarent, non tam à cibis quàm à peccatis ieiunandum esse.

Origenes Homilia quinta in diuersos: Quando ieiunas, inquit, depone omnem maliciam, omnem zelum, omnem feruorem, omnem iniquitatem, omnem iracundiam, omnem superbiam, omnem litem, omne maledictum. Idem in caput decimumquintum Matthæi: Apostolus cùm sciret non ciborum naturam esse in causa, ut lædatur utens, aut iuuetur abstinens, sed opiniones, quæq; in his subest ratio, dixit: Cibus autem nos non commendat Deo. Neque enim si comederimus, abundabimus: neque si non comederimus, aliquid deerit nobis. Et quoniã nouerat, eos qui sublimius intelligebant, secundum legem quædam esse pura, quædam impura, neglexisse discrimen in utendis cibis, ut mundis aut immundis, contempta superstitione in rebus (ut opinor) indifferentibus, ne discrimen facerent in usu cibariorum.

Deinde Cyprianus in enumeratione bonorum, ieiunij meritum non habet, in Sermone de Ieiunio & tentatione CHRISTI: Ieiunijs, inquit, uiciorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt uoluptates. Postea dicit, Sanctos olim res magnas gesturos, aut oraturos, solitos fuisse ieiunijs se præparare. Sic & de festorum indifferentia Origenes, Homilia decima in Genesin: Non tantùm, ait, diem Dominicum, sed omnes dies festos esse Christianis. Diuus Cyprianus rectè dicit in epistola ad Pompeium: Humanas traditiones nihil præiudicare diuinis.

DE ANTICHRISTO.

TErtullianus libro de Resurrectione carnis: Deliquentiæ homo, id est, Antichristus, filius perditionis, qui aduersatur & super extollitur omne quod Deus dicitur, uel religio, uti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nónne meministis, quòd cùm apud uos essem, hæc dicebam uobis? Et nunc qui teneat scitis, ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur tantùm: qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristi superducet, & tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & euacuabit apparentia aduentus sui. Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni uirtute & signis atq; portentis mendacij, & in omni seductione iniusticiæ, eis qui pereunt.

Idem libro tertio contra Marcionem: Babylon apud Ioannem nostrum, Romanæ Vrbis figura est: proinde magnæ, & regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis. Origenes Homilia tertia in Psalmum trigesimumsextum, Antichristum sagittam diaboli dixit. Et habet quædam de eodem Homilia octaua in Ezechielem, ubi eum peiorem diabolo facere uidetur. Cyprianus, seu quisquis autor est expositionis symboli, ait: Antichristum ante aduentum Domini in nomine Christi apparituru. Idem, suo tempore appropinquare aduentum Antichristi dixit, in libello ad Fortunatum: Antichristi tempus infestum appropinquare iam cœpit. Item libro quarto, Epistola sexta: Scire debetis, & pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum seculi atq; Antichristi tempus appropinquasse. Ibidem: Venit Antichristus.

DE SCANDALO.

ORigenes Homilia uigesimaquinta in Numeros, sensit, grauius esse peccati causam alijs præbere, quàm per se peccare. Idem de scandalo dato, quod Deus punit, Homilia tertia in Psalmum trigesimumsextum: Si quis simplici mente ac desiderio ueniat ad Ecclesiam, ut proficiat, ut melior se fiat, iste si uideat nos qui multo iam tempore in fide stetimus, uel non recte agentes, uel cum offendiculo loquentes, efficimur illi nos, lapsus ad peccatum. Cùm autem peccauerit, trucidatus est, & sanguis animæ eius profluit, omnis ab eo uirtus uitalis abscedit. Et si audis dici in Genesi, quia sanguinem animarum uestrarum exquiram ab omni fratre & ab omni bestia: non putes, quia de hoc sanguine magnopere præcipiat corporali, quantum de interioris hominis sanguine, id est, de uita animæ, & sanguine spirituali. Scãdalizati enim animæ sanguis effunditur, cùm ceciderit in peccatum. & propterea dixit, quia requiritur sanguis eius à fratre. Et quare etiam à bestia? Si fidelis est, qui te scandalizauit, frater est, à quo requirendus est sanguis tuus. Frater enim tuus est, qui fudit sanguinem tuum: & ideo dictum est, de manu fratris requiram sanguinem.

DE MORTE.

SEnserunt, propter peccatum mortem inferri. Methodus de Resurrectione. Proinde in auxiliaris medicamenti modum ab auxiliatore nostro, & uerè medico Deo, ad eradicationem peccati, ac deletionem assumpta mors est: & ne perpetuò durans in nobis immortale sit peccatum, quod in immortalibus exortum est.

DE LOCO ANIMARVM, ET sinu Abrahæ.

LOcum in quem animæ corporibus exutæ recipiantur, dixerunt esse paradisum, uel sinum Abrahæ, perinde ut superioris seculi doctores. Tertullianus libro quarto contra Marcionem ait: Apparet sapienti cuiq;, qui aliquando Elysios, audierit esse aliquam localem determinationem, quæ sinus dicta sit

dicta sit Abrahæ, ad recipiẽdas animas filiorum eius, etiam ex nationibus, patris multarum scilicet nationum in Abrahæ censum deputandarum, & ex eadem fide qua Abraham Deo credidit, nullo sub iugo legis, nec in signo circuncisionis. Eam itaque regionem sinum Abrahæ dico, & non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præterea animabus iustorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat. Ibidem: Sinus Abrahæ dicitur, temporale aliquod animarum fidei receptaculum. Et in libro de Anima: Habes de paradiso, à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

Item in Apologetico: Si Paradisum nominamus locum diuinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum Spiritibus destinatũ. Origenes de Principijs libro secundo: Puto quòd sancti quoq; discedentes de hac uita, permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit Scriptura diuina, uelut in quodam eruditionis loco, & (ut ita dixerim) auditorio, uel schola animarum, in qua de omnibus his quæ in terra uiderant, doceantur: iudicia quoquè quædam accipiant de consequentibus & futuris. Et Homilia tertia in Lucam: Is qui de corpore exierit, statim meretur uidere Angelos, Spiritum sanctum Dominũ saluatorem, & ipsum Deum Patrem. Libro secundo de Principijs, capite duodecimo, etiam indicat, quæ sint futuræ animarum, posteaquàm corpora reliquerunt, actiones. Autor tamen tractatus de Sina & Sion apud Cyprianum, asserit Enoch translatum esse in locum quem Deus scit, & unde Deus incipiet innouationem mundi.

DE RESVRRECTIONE.

ANimarum immortalitatem, & corporũ cum animabus iteratã coniunctionem docuerunt. Eum enim articulũ Tertulliani liber de Resurrectione, luculentissimis & firmissimis argumentis adserit. Et in Apologetico inquit: Idem ipse qui fuerat exhibitur, ideoq; repræsentabũtur & corpora. Idẽ autor libri de Definitionib. cap. 6. Omnes, inquit, simul & semel resurgent. Item, Eadem caro resurget.

Rursus in libro de Anima, Tertullianus: Nostri illud quoq; recogitent, corpora easdem recepturas in resurrectione animas, in quibus discesserũt. Iidem ergo sperabuntur & corporũ moduli. Ibidem, de animarũ statu, & statu post resurrectionẽ: ita dicimus omnem animã quaqua ætate discesserit, in ea stare ad eũ diem usq;, quo perfectũ illud repromittitur, ad Angelicam plenitudinis mensurã temperatũ. Et in lib. de Resurrectione: In resurrectione euentũ mutari, conuerti, reformari licebit, cum salute substãtiæ. Ibidem: Quid est resurrectionẽ nisi integrã credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multo magis de uexatione reparabitur. Item: Nihil aliud est mortuũ resuscitari, quàm integrum fieri. Ibidem, bestias resurrecturas negat. Methodius in sermone de Resurrectione, apud Epiphanium libro 2. tomo 1. Quòd immortalis sit anima clarè docuit Saluator, & per seipsum & per Salomonẽ locutus. Per seipsum quidẽ, in historia diuitis et Lazari: hũc quidẽ in sinu Abrahæ quiescere dicens, post corporis depositionẽ: illũ uerò in doloribus, per ea quæ Abrahã loquentẽ introduxit. Per Salomonem uerò, in lib. Sapientiæ: Iustorũ animæ in manu Dei sunt, & non tãget ipsos tormentũ. Putati enim sunt in oculis stultorũ, mortui esse: & reputatus est afflictio exitus ipsorum, & profectio à nobis, contritio. Ipsi uerò sunt in pace, & spes ipsorũ est plena immortalitate. Quare corporis est resurrectio, non animæ. Non enim stantẽ quis erigit, sed iacentẽ. Origenes in proœmio libri primi de Principijs: Erit tempus resurrectionis mortuorũ, cùm corpus hoc quod in corruptione seminatur, surget in incorruptionem: & quod seminatur in ignominia, surget in gloria. Idem lib. 2. de Principijs, cap. 10. dicit, nos abiecta corruptione, & dispositа mortalitate in corpore spirituali, quod in cœlis habitare posit, resurrecturos. Et lib. 3. cap. 6. Nos qui resurrectionem carnis credimus, immutationem eius tantũmodo per mortem factam intelligimus: substantiã uerò eius certũ est permanere, & uoluntate creatoris sui, certoq; tempore rursus reparari ad uitam, atq; iterũ permutationẽ eius fieri, ut quæ primò fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, & iterũ facta cinis & terra (quoniam terra es, inquit, & in terram ibis) rursum resuscitetur è terra, & post hoc iam uelut meritum inhabitantis animæ poposcerit, in gloria corporis proficiet spiritualis.

Cyprianus sermone de Resurrectione Christi: Resurrectio cõmunis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare, & impios, Dei hoc dictãte iusticia: ut pietas & impietas in operatoribus, debitis stipendijs donarentur: & qui finem habere cõtemptorũt in malis, infinita clauderẽtur ultione in pœnis: & qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnãtes, beatæ fierent perennitatis participes. Ibidem, de statu post resurrectionem: Inerit, inquit, resuscitatis corporibus nulli uanitati subiecta libertas, & quæ cogi non posit ad aliquid, in nullo laborans, iam à spe educta reipsa perfruẽs, nulla expectatione suspensa & in pace quietissima cõfirmata, omnisq; expers formidinis, in spiritualibus delicijs iugis illa permansio reflorebit.

Martialis in Epistola ad Burdegalenses, cap. 8. Beati eritis in illa die, si conscientiã uestram puram coram Deo nũc exhibueritis. Et sicut unam fidem, unum baptisma tenetis à Deo in uobis: sic angelis cohæredes eritis, naturã quidem humanam, claritatem uerò Angelicam habituri. Non quidẽ euacuabitur ueritas corporis, sed non erit pondus & fragilitas corruptionis. Nunc morimur per Adam, & tunc resurgemus per Christum. Nunc fragilitate circundamur, tunc uirtute induemur. Etsi enim morimur corpore, sed tamẽ nunquam moriemur spiritu. Spiritus enim sine morte citatus est à Deo. Autor sermonis de ablutione pedũ, apud Cyprianũ: Trãsfer à paludibus seculi huius præsentissimis gloriæ tuæ regnũ, ubi nec scabies ulla, nec lippitudo, ubi nemo fluxum sanguinis patietur, nemo immundus, ubi nullo amplius opus est lauacro, configurato corpori claritatis tuo, corpore nostro.

DE EXTREMO IVDICIO.

DE extremo iudicio docuerunt ad sententiam Symboli. Tertullianus libro de Patientia: Iudicium Dei uertitur aut in æternitate pœnæ, aut salutis. Libro de Præscriptionibus hæreticorum:

corum: Meminerit futuri iudicij, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal adstare, reddentes rationem in primis ipsius fidei. Et Origenes libro 3. in Iob: Anima quid per unamquamq; diem uel gesserit, uel locuta fuerit, uel cogitauerit, omnia proponentur in iudicio, &c.

DE INFERNO, DAMNATIONE, & pœnis impiorum.

TErtullianus libro de Anima: Nobis inferi non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terræ & in alto uastitas, & in ipsis uisceribus eius abstrusa profunditas. Idem libro de Pœnitentia: Montes perpetuò ignem eiaculantes, testimoniũ dicunt, quãti sint ignes æternæ damnationis secuturi. Origenes Homilia nona in Hieremiam: Idcirco & ignis æternus præparatus est, & gehenna & tenebræ exteriores, quæ omnia non tam ob eum qui puniendus est, quàm propter uniuersos homines constituta sunt. Et Homilia secunda in Psalmum trigesimumsextum: Conturbata est abyssus sine dubio, quia non habet pacem, sed & tenebras superpositas Sed & dæmones in Euãgelio rogare dicuntur, ne iubeantur abire in abyssum, uelut in locum quendam pœnæ, & se & suis actibus dignum. Non solum ergo peccator non erit, sed etiam locus eius, quisquis ille est, quæretur, & non erit. Idem libro secundo de Principijs, capite undecimo: Pœnam damnatorum fore cõscientiam, per diuinam uirtutem omnia mala in memoriam recipientem, & historiam quandam suorum scelerum ante oculos suos uidebit expositam, ipsam conscientiam agitari & compungi proprijs stimulis, & sui ipsam futuram accusatricem & testem. Cyprianus libro primo contra Demetrianum, sentit, damnatos cum corpore & anima infinitos cruciatus sustentaturos. Idem ait autor sermonis de Ascensione Christi. Et in sermone de Mortalitate: Ad refrigerium iusti uocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti.

DE PHILOSOPHIA.

PHilosophiam hoc nomine damnare uidetur Tertullianus, quòd ex ea hæreses producantur & armentur: sicut in libro cõtra Hermogenem inquit: Philosophorum ingenijs omnes hæreses animari. Ac libro primo aduersus Marcionem, Philosophos hæreticorũ Patriarchas uocat. Quo nomine & Dialecticam uituperat in libro de Præscriptione hæreticorum, ubi & hoc addit: Paulum Athenis ipso didicisse usu, quod ad Colossenses scripserat, Videte ne quis uos circunueniat per Philosophiam.

Ibidem: Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Ibidem paulò antè: Hæ sunt doctrinæ hominum & dæmoniorum, prurientibus omnibus natæ de ingento sapientiæ secularis, quam Dominus stultitiam uocans, stulta mundi confusione etiam Philosophiæ ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiæ secularis, temeraria interpres diuinæ naturæ dispositionis. Ipsæ denique hæreses à philosophia subornantur. Et in Apologetico sæpe dicit, Nihil posse esse cõuenientiæ inter Philosophos & Christianos. Ibidem: Quid simile philosophis & Christianis? gratiæ discipulus & cœli, famæ negotiator & uitæ, uerborum & factorum operator, & rerum ædificator & destructor: amicus & inimicus erroris, ueritatis interpolator & integrator, & expressor & furator eius & custos. Eodem modo Cyprianus libro quarto, epistola secunda: Inter Christianos, inquit, & philosophos plurimum distat. Et cùm Apostolus dicat, Videte ne quis uos deprædetur per philosophiam & inanem fallaciam: uitanda sunt, quæ non de Dei clementia ueniũt, sed de philosophiæ duriori præsumptione descendunt.

DE MATHEMATICIS ET astrologia.

PRopter commercia cum hæreticis, & mutuas quasi operas, etiam Mathemata & Astrologiam damnarunt. Tertullianus libro primo contra Marcionem, ait, Marcionitas plerosq; fuisse Astrologos. Libro uerò de Idololatria, duriter in utrosq; inuehitur: Ne loquendum quidem, inquit, est de astrologis. Non putant Deum requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi.

Alludit ibidem ad historias: Expelluntur Mathematici sicut angeli eorum. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut angelis eorũ. Ibidem: At enim sciẽtia ista usq; ad Euangeliũ fuit concessa, ut Christo edito, nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretaretur. Origenes Homilia tertia in Hieremiã: Chaldæorum terram ob id, quia plurima quæ geruntur in terris, stellis consecrent, & peccatorum nostrorum causas, siue uirtutẽ eorum quæ accidunt nobis, ex earum motibus asserant fieri, eos esse diximus, qui talibus se superstitionibus dedicauerunt. Omnis igitur qui his credit, in terra Chaldæorum est. Si quis uestrûm Mathematicorum deliramenta sectatur, si quis natiuitatis diem supputat, & uarijs horarũ momentorumq; rationibus credens hoc, dogma suscipit, quia stellæ taliter & taliter figuratæ faciunt homines luxuriosos, adulteros, castos, aut certè quodcunq; eorum: iste in terra Chaldæorum est. Iam quidem existimant, ex astrorũ cursibus Christianos fieri. Quotquot autem ista sapitis, quotquot dictis istis creditis, in terra Chaldæorum estis. Cõminans ergo Deus his qui in terra Chaldæorum sunt, his spiritualiter comminatur, qui seipsos genealogijs & fato consecrauerũt, asserentes cuncta quæ inter mortales fiunt, aut ex annorum motibus, aut ex fati necessitate pendêre. Et Homilia sexta in Iosuam: Est & illud opprobrium Ægypti, quòd post baptismũ, uetustæ consuetudinis inustione suggeratur obseruare auguria, inquirere stellarum cursus, & euentus ex ijs futurorum rimari, seruare somnia, cæterisq; huiusmodi superstitionibus implicari. Quæ si susceperis, & te rursus ijs laqueis illigaueris, sine dubio opprobria Ægypti trahis. Sed si quando te talis curiositas interpellat, & de corde tuo huiusmodi hostis erumpit: dic ei, quia IESVM ducem sequor, in cuius potestate sunt, quæ futura sunt: quæcunq; ille uult, hæc futura sunt.

DE MAGIA, AVGVRIIS, diuinationibus.

Astrologiæ ſpeciem eſſe Magiam, & quandam inter utranq; ſocietatem, Tertullianus libro de idololatria indicat: itaq; utranq; damnari. Ait ibidem: Poſt Euangelium nuſquam inuenias aut Sophiſtas, aut Chaldæos, aut incãtatores, aut cõiectores, aut Magos, niſi planè punitos. Et libro de Anima, Magiam, fallaciã uocat, & præſtigias diabolicas. Ibidem negat Samuelis animam euocatam, ſed eius loco phantaſma diabolicum, ab ipſo diabolo exhibitum fuiſſe: Abſit, inquit, ut animam cuiuslibet Sancti, nedum Prophetæ, à dæmonio credamus extractam: edocti, quòd ipſe Sathanas transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis. Origenes libro tertio in Iob: Incantationes diaboli ſunt ſeductiones, dæmonum irriſiones, idololatriæ fex, animarum infatuatio, atque cordium ſcandalum. Ibidem: Qui ad uana contenderint auguria, atq; ueneficia, diuinationes ac phylacteria, atq; incantationes, horum greſſus conturbantur, horum opera impediũtur, ab ipſis Dei uiſitatio recedit, ipſos ſancti angeli derelinquunt, cum iſtis diabolus permanet, infatuans mentes eorum, obtũdens corda illorum, abſtrahens à uero ſenſus eorum. Vbi & rationes aliquot enumerat, quamobrem nõn ſint conſulendi incãtatores & augures: quas qui uolet lector, inde petat. Cyprianus libro de duplici martyrio: Qui magicis, inquit, artibus utuntur, tacitè Chriſtum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus.

INCLINATIO DOCTRINÆ COMPLECTENS PECVLIARES & incommodas opiniones, ſtipulas & errores doctorum, qui palàm quidem, hoc eſt, ſcriptis traditi ſunt.

CErtum eſt, omnibus integritati doctrinæ ſubinde aliquid deceßiſſe: & doctores ipſos interdum non aſſecutos anteceſſorum ſuorum, Apoſtolorum, eorumq; qui eos proximè ſecuti ſunt, cognitionem & perfectionem: quemadmodum libro ſuperiori dictum eſt. Quo igitur longius ab Apoſtolorum ætate receſſum eſt, eo plus ſtipularum doctrinæ puritati acceßit. Hoc enim ſeculo, cuiuſmodi opinionibus à uero, ut uidetur, uariarint & aberrarint, ordine commemorabimus.

De Deo.

Tertullianus à multis accuſatus eſt, quòd incommodè de Deo locutus ſit, quaſi corpus habeat. Sic enim in libro aduerſus Praxeã ait: Quis negarit Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis, in ſua effigie. Sed etſi inuiſibilia illa, quæcunq; ſunt, habent apud Deum & ſuum corpus & ſuam formam, per quæ ſoli Deo uiſibilia ſunt: quanto magis quod ex ipſius ſubſtantia miſſum eſt, ſine ſubſtãtia non erit? Quanquam & ipſe ſignificat, ſe Deum, qui Spiritus ſit, corpus in ſuo genere appellare, & ab Auguſtino partim defenditur, partim reprehenditur. Excuſatur ab eo in libro ad Quoduultdeum: Vbi poſſet, inquit, quoquo modo putari, ipſam naturam ſubſtantiamq; diuinam corpus uocare, non tale corpus, cuius partes aliæ maiores, aliæ minores, ualeant uel debeant cogitari, qualia ſunt omnia quæ propriè dicimus corpora. Sed potuit (ut dixi) propterea putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, non eſt corporis uel animæ qualitas: ſed ubiq; totus, & per locorum ſpacia nulla partitus, in ſua tamen natura atq; ſubſtantia immutabiliter permanet.

In libro uerò decimo de Geneſi ad literam, hunc errorem Tertulliani hoc modo refellit: Tertullianus quia corpus eſſe animam credidit, non ob aliud, niſi quòd eam incorpoream cogitare non potuit: & ideo timuit, ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet, nec de Deo uoluit aliter ſapere. Qui ſanè quoniam acutus eſt, interdum contra opinionem ſuam uiſa ueritate ſuperatur. Quid enim uerius dicere potuit, quàm id quod ait quodam loco: Eſſe corporale, paßibile eſt? Debuit ergo mutare ſententiam, qua paulò ſuperius dixerat, etiam Deum corpus eſſe. Neq; enim arbitror eum ita deſipuiſſe, ut etiam Dei naturam paßibilem crederet.

De Chriſto.

Tertullianus etiam de Chriſto quædam periculoſè locutus eſt, ut in libro de Trinitate: Semper in patre, ne pater non ſemper ſit pater: quin & pater illum etiam quadam ratione præcedit, quod neceſſe eſt quodammodo prior ſit, quia pater ſit. Quoniam aliquo pacto antecedat neceſſe eſt eum qui habet originem, ille qui originem neſcit. Hic ergo quando pater uoluit, proceßit ex patre. Sic & in libro aduerſus Hermogenem: Nec pater potuit eſſe ante filium, nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus cum ei delictum & filius non fuit, quod iudicem, & qui Patrem Dominum faceret. Rurſus libro aduerſus Praxeam, incommodè iterum dixit, Chriſtum eſſe portionem de ſubſtantia Dei: Pater tota ſubſtantia eſt, filius uerò deriuatio totius, & portio: ſicut ipſe profitetur, quia Pater maior me eſt. Vt & illud de Chriſti carne humana aſſumpta, ac rurſum depoſita, in libro de Trinitate: Nos ſermonem Dei ſcimus indutũ carnis ſubſtantiam, eandemq; rurſus exutũ eadem corporis materia, quam rurſus in reſurrectione ſuſcepit, & quaſi indumentum reſumpſit. Epiphanius ex Origenis uerbis in primum Pſalmum, quæ ſic habent: Rogamus itaq;, quandoquidem nihil ſine Deo bonũ eſſe poteſt, & maximè intelligentia diuinitus inſpiratarum ſcripturarum, ut Patrem uniuerſorum Deum, per ſaluatorem noſtrum ac pontificem genitum Deum adeas: & alijs locis probat, Origenem in hac opinione fuiſſe, quòd Chriſtus non ſit uerus Deus, ſed creatus: & quod ſecundum gratiam, filius Dei appelletur. Noua & hæc opinio Origenis eſt Homilia octaua in Geneſin, qua ex eo quod Geneſis uigeſimoſecundo Deus angelus dicitur, probari putat, quòd ſicut Chriſtus inter homines habitu repertus ſit ut homo, ita inter angelos habitu repertus ſit ut angelus. Idem & de Chriſti oblatione & paßione periculoſis & abſurdis luſit opinionibus, ut Homilia prima in Leuiticum, ubi ſic ait: Sanguis IESV non ſolùm in Hieruſalem effuſus eſt, ubi erat altare & baſis eius, & tabernaculũ cœlis,

Domini: sed & quòd super illud altare, quod est in cœlis, ubi & Ecclesia primitiuorum est, idem ipse sanguis aspersus erit, sicut & Apostolus dicit: Quia pacificauit per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Rectè ergo secundò nominat altare, quod est ad ostiũ tabernaculi testimonij: quia non solum pro terrestribus, sed etiam pro cœlestibus oblatus est hostia IESVS. Et Homilia 2. in eundem, ubi dicit, Christum in cœlis non pro peccato, sed pro munere oblatũ esse: in terris autem, ubi ab Adam usq; ad Mosen regnauit peccatum, oblatum esse pro peccato, & sic suo sanguine pacificasse quæ in terris & quæ in cœlis sunt. Homilia septima in eundem, prodigiosa omnino imaginatione asserit, Christo, iam in cœlis non esse perfectam lætitiam, quia cogatur adhuc pro peccatis nostris lugere: & quia corpus suum, Ecclesia, nondum sit glorificatum. Idem asseruit, quòd filius unigenitus Patrem uidere non posit: & quòd neq; spiritus filium uidere queat, neque angeli spiritum, neq; homines Angelos. Recitat id de Origene Epiphanius libro secundo contra hæreses, tomo primo.

Errauit & Cyprianus, quòd in Sermone de Eleemosyna dixit, Christum tantùm pro originali peccato satisfeciss̃e, nobis uerò pro actualibus satisfaciendũ esse.

Sic autor tractatus apud Cyprianum de Sina & Sion, hæreticè distinxit inter Iesum & Christum: dixit enim, Carnem Dominicam Iesum uocatum esse: & Spiritum sanctũ, qui de cœlo descendit, Christum: atq; ita spiritum carni mixtum esse Iesum Christum. Qua opinione prorsus accedit ad Marci & Colarbaseorũ hæresin. Dionysius Alexandrinus in quadam epistola contra Sabellianos, scripsit: Filium, Dei opus & quiddam factitiũ esse, neq; patri naturaliter suum ac propriũ, sed alienum ab illius substãtia, qualis est uitis à natura agricolæ, aut nauis fabri: eũdemq; quia opus est quoddam conditum, non fuisse antequàm fieret. Hæc uerba postea Ariani pro sua sententia citarunt, ut refert Athanasius in epistola de sententia Dionysii episcopi Alexandrini contra Arianos.

Variarunt hi doctores opinionibus etiam de tempore passionis Christi, sicut Tertullianus in libro aduersus Iudæos, Christum passum dixit anno 15 Tiberij, annos habentem quasi triginta, cùm pateretur.

Autor uerò tractatus de Sina & Sion, ex Cabala nominis Adam, quod facit quadragintasex, insulsè pronunciauit, Christum sexto millesimo anno, hora sexta passum esse, & post dies quadraginta ad cœlos ascendisse.

De Spiritu sancto.

Tertullianus post defectionẽ cum Montano sensit, Spiritum sanctũ non per Apostolos, sed per paracletũ Montani tradidisse necessaria Ecclesiæ. Sparsit eius opinionis testimonia multa in libro de Monogamia, quem contra Ecclesiam scripsit, in quo sic inquit: Paracletus multa habens edocere quæ in illũ distulit Dominus secũdum præfinitionem, ipsum primò Christũ contestabitur, qualem credimus, cum toto ordine Dei creatoris, & ipsum glorificabit, & de ipso cõmemorabit: & sic de principali regula, multa quæ sunt discipliniarũ reuelabit. Ibidem de unis nuptijs loquens, ait: Si Christus abstulit quod Moses præcepit, cur non & paracletus abstulerit, quod Paulus indulsit? Item tempus eius (infirmitatis, cui Paulus secundas nuptias concessit) donec paracletus operatus fuit, in quem dilatata sunt à Domino, quæ tunc sustineri non poterant? Et in libro de Virginibus uelandis: Cùm præterea paracletum miserit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectũ perduceretur disciplina. Prodigiosè etiam Origenes (de quo Basilius in libro de Spiritu sancto ait, eum non omnino sanas habere de Spiritu sancto opiniones) dixit, Spiritum sanctum recedere à sanctis in opere coniugali, Homilia septima in Numeros: Connubia legitima, inquit, carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur, præsentia Sancti spiritus dabitur: etiamsi Propheta esse uideatur, qui officio generationis obsequitur. Sed & alia plura sunt, in quibus sufficit sola uis humana: & neq; res indiget, neq; decet adesse præsentiam Spiritus sancti: sed in hæc per excessum quendam incurrimus, dum ostẽdere uolumus, super solum Dominũ & Saluatorem meum IESVM, mansisse semper Spiritum Dei: in cæteris autem omnibus sanctis, sicut & in septuaginta senioribus, à quibus uerbi huius processit exordium, requieuisse tantùm spiritum Dei, & operatum esse in tempore eo, quo expediebat ijs per quos operabatur, & utile erat ijs quibus ministrabatur.

Sed & Cyprianus libro primo Epistolarum, epistola duodecima, & alibi aliquoties, per errorem sensit, Spiritum sanctum in potestate ministrorum esse, & ab ijsdem dari ratione personæ.

De creatione.

Origenes sine ratione & certa aliqua autoritate, alium mundum ante hunc fuisse putat, libro tertio de Principijs, capite quinto: Sicut post corruptionem, inquit, erit alius mundus: ita &, antequàm sic esset, fuisse alios credimus. Idem monstrosè sensit, creaturas ad cœlestes quasdam imagines factas esse, Homilia tertia in Cãticum: Fortasse sicut Deus hominem ad imaginem & similitudinem eam fecit, ita etiam cæteras creaturas ad alias quasdam cœlestes imagines per similitudinem condidit: & fortasse in tantum singula quæq; quæ in terris sunt, habent aliquid imaginis & similitudinis in cœlestibus, ut etiam granum sinapis, quod minimum est in omnibus seminibus, habeat aliquid imaginis & similitudinis in cœlis.

Idem rursus Homilia 1. in Genesin, sensit: Deũ, cœlum incorporeũ & corporeũ condidisse: & abyssum pro tartaro intelligit, in quo sint diaboli. Et de numero creaturarum, Homilia quarta in Numeros: Tradunt, inquit, etiam omnium creaturarum Dei species intra uiginti & duo numerum colligi. Et Homilia quarta super Ezechielem: Portentosè opinatur terram animalem esse, & peccatorem, quia ad Adamum dixerit Deus: Terra es, & in terrã ibis. Est & opinio erronea, quòd Cyprianus in expositione Symboli asserit, Deum, cùm mundũ fecisset, perfecisse ei quasdam uirtutum cœlestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur genus humanum. Nec conuenit eiusdem de mundi ætate opinio, quam habet in libro

de Martyrio: Sex millia annorum iam penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat.

De angelis.

Angelis corpora Origenes ubiq; tribuit. Et libro secundo de Principijs, capite secundo ait: Incorporeas remanere rationabiles naturas, cùm ad summum sanctitatis & beatitudinis uenerint, mihi quidem difficilimum & penè impoßibile uidetur. Idem deinde nõ sine errore asserit, in extremo iudicio Angelos singulos adducturos secum quibus præfuerint, quos adiuuerint, quos instruxerint, & pro quibus uiderint faciem Dei patris. Item, Angelos qui fuerunt segniores, iudicatum iri, ab hominibus magis strenuis.

Item, quòd animarum curam & procurationem geri scripsit per Angelos, qui eas in iudicij examen etiam perducturi sint, ut cõstet utrum sua desidia peccauerint homines, an monitorum custodumq; Angelorum negligentia. hoc enim sensit Homilia uigesimaquarta in Numeros. Rursus Homilia undecima in Numeros: Asserunt angelos diuersarum linguarum autores esse, & solos Iudæos Dei linguam retinuisse, quia Deo & non Angelis subiecti fuerunt. Ac de ordinibus Angelorum multa somniauit inepta, libro primo de Principijs capite octauo, & libro quarto contra Celsum, ubi sic inquit: Nec nos quidem clam habet, in hoc Angelorum ordine thronos alios uocitari, alios dominationes, alios potestates & principatus dici. Angelos etiã inuocandos Origenes putauit Homilia prima in Ezechielem, ubi hanc formulam inuocãdi Angelos proponit: Veni Angele, suscipe sermone conuersum ab errore pristino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & susciplens eum quasi medicus bonus confoue atque institue: paruulus est, hodie nascitur senex repuerascens, & suscipe tribuens ei Baptismum secundæ regenerationis: & aduoca tibi alios socios ministerij tui, ut cuncti pariter eos qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.

De angelorum lapsu.

De angelorum lapsu eadem opiniones habuerunt patres huius seculi, quas Iustinus & Clemens superiores, ex malè intellecto dicto Geneseos sexto: Videbãt filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, & acceperũt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Tertullianus in libro de Habitu mulierum: Angeli, inquit, ad filias hominum ruerunt de cœlo. Item, Post libidinum uaporata momenta cœlũ suspirabant. Cyprianus tractatu quarto de Vanitate idolorum, sentit, Angelos ideo lapsos esse, quòd terrenis uicijs immersi, à uigore cœlesti terreno contagio recesserunt. Autor sermonis de singularitate clericorũ: Nouimus, inquit, angelos cum fœminis cecidisse. Methodius in Sermone de Resurrectione: Diabolus prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit: quemadmodum & qui postea carnes amauerunt, & cum filiabus hominũ ob concubitus amorem conuersati sunt. De tempore lapsus Angelorum, autor Homiliarum in Canticum, contra Cyprianum & Origenem sentit, Diabolum tempore paßionis Christi è cœlo decidisse.

De diabolo.

De diabolorũ generatione Tertullianus in Apologetico loqui uidetur: Quomodo de angelis quibusdam sua sponte corruptis, corruptior gens dæmonum enata serit, damnata à Deo cum generis autoribus, & cum eo quem diximus principe, apud Sacras literas ordine cognoscitur. De diabolorũ operationibus, uarijs lu serunt opinionibus. Nam Tertullianus in libris de Habitu mulierum, ac de cultu fœminarum, opinatur diabolos esse autores mundi muliebris, & materias quasdam bene occultas atque artes hominibus prodidisse. Item metallorum opera & herbarum naturas atque incantationes monstrasse: atq; hæc, ait, Enoch retulisse. In quam sententiã Cyprianus tractatu secũdo de Habitu uirginũ, sentit, artem tingendi & colorandi lanas, à diabolis ad terrena contagia deuolutis proditam esse. Alia uerò opinione Origines Homilia uigesimaquinta in Iosuam sensit, Vnum diabolũ ab uno quodam sancto uictum, non audere iterum congredi, aut alium impugnare hominem, sed eum in abyssum à Christo mitti. probat hoc experiẽtia, quòd uicto iam plurimo dæmonũ numero, ad credulitatem gentes relaxentur: quod non fieret, si plenus dæmonũ numerus maneret. Item illo dicto: Deus conterat Sathanã sub pedibus uestris. Ergo Sathan cõtritus, non potest operari ultra. Idem, contra hoc quod libro primo in Iob dixit, Diabolum non saluari, nec in cœlum rediturum: tamen libro primo de Principijs, capite sexto, asseruit, etiam diabolum posse saluari in futuris seculis: pro eo, quòd est in ipsis liberi facultas arbitrij.

Qua opinione & lib. 3. de Principijs, cap. 6. dixit: Destrui nouißimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia eius quæ à Deo facta est, pereat: sed ut propositum & uoluntas inimica, quæ non à Deo, sed ab ipso processit, intereat. Propterea mutationem quidem uarietatemq; recipient, ita ut pro meritis, uel in meliori uel in deteriori habeantur statu. Contrà Homilia octaua in Iosuam, omnino negat in resurrectione diabolum futurum: Iam tunc, inquit, ultrà omnino non erit diabolus, quia iam non erit mors.

Homilia sexta in Exodum, asserit, pœnas quas diabolus meruit in hac uita, ei non impingi: sed in eius filios, id est, peccatores redundare.

De homine.

Habuit & hoc seculo Tertullianus eam opinionem, quòd homo ad imaginem Christi sit conditus, eam scilicet quam Christus homo factus repræsentauit. Sic enim libro de Resurrectione carnis: Quodcunq;, inquit, huius exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Et Origenes in Geneſin Homilia prima: Quæ ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ.

De lapsu hominis.

Methodius in Sermone de Resurrectione, attribuit Origeni, quòd cum Proclo & Agliophonte socijs, sensérit animam in paradiso ante corpus, quando adhuc beata & indolens erat, peccasse, & postea in corpus tanquã in carcerem & uinculum inclusam esse.

Item eos dicere, Animas ex cœlis deiectas esse, & trãsire

trãsire fontes ignis & aquas ſuper dorſum firmamenti, dum in mundum noſtrum ferantur. Apud Epiphanium libro ſecundo contra hæreſes, tomo primo.

De libero arbitrio.

Manſiſſe etiam poſt naturam corruptã in homine, integram uoluntatis libertatem, doctores huius ſeculi alias affirmarunt, alias negarunt: ſæpius tamen affirmarunt: ut Tertullianus libro ſecundo aduerſus Marcionem: Sic & in poſteris, inquit, legibus creatoris inuenias, proponentis ante hominem bonum & malum, uitam & mortem. Sed nec alias totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitum, auocante Deo & minante, exhortante, niſi & ad obſequiũ & ad contemptum libero & uoluntario homini. Idem initio libri de Exhortatione caſtitatis: Cùm utrunque, inquit, ex præceptis eius didicerimus, quid uelit, & quid nolit, iam nobis eſt uoluntas eligendi alterum, ſicut ſcriptum eſt: Ecce poſui ante te bonum & malum: guſtaſti enim de arbore agnitionis. & ideo non debemus, quod noſtro expoſitum eſt arbitrio, in Dei referre uoluntatem: quos uult ipſe & uelle, qui malum non uult, ita noſtra eſt uoluntes, cùm malum uolumus aduerſus Dei uoluntatem qui bonum uult. Et in libro de Monogamia: Poſui ante te bonũ & malum, elige quod bonum eſt: ſi non potes, quia nõ uis (poſſe enim te, ſi uelis, oſtendit) quia tuo arbitrio utrunq; propoſuit: diſcedas oportet ab eo, cuius non facis uoluntatẽ.

Origenes Homilia nona in Numeros, ad eundẽ modum ſentit: ſenſum noſtrum poſſe bona eligere, ut fiat uas in honorem: aut mala & terrena, ut fiat uas in contumeliam. Homilia duodecima in eoſdẽ: Iſraël, quid Dominus Deus poſcit à te, quàm ut timeas eum? Erubeſcant illi hæc uerba, qui negant in homine liberum arbitrium: Quomodo poſceret Deus, niſi haberet homo in ſua poteſtate, quod Deo poſcenti deberet offerre? Homilia uigeſima in Numeros: Sui nanq; arbitrij eſſe animum, & in quam uoluerit partem eſt ei liberum declinare: & ideo iuſtum Dei iudiciũ eſt, quia ſponte ſua ſiue bonis ſiue peßimis monitoribus paret.

Homilia ſexta in Iudicum: In incipiendo nos iuuãt angeli, cùm adiutus fueris, & à principibus ſeu angelis eruditus, iam ſponte & uoluntate tua quæ didiciſti gere. Rectè enim decoctis principijs, depoſitisq; rudimentis, noſtræ cõmittemur uoluntati, ut uel laus meriti, quæ noſtra uirtute quæſita eſt, uel culpa iure ſit noſtra, quæ per noſtrã uenit ignauiam. Idem lib. 2. in Iob: In arbitrio eſt hominum, poteſtas fidei ac pietatis. Si enim uoluerint declinare à malis, & bona facere, & ualent & poſſint, & non præualet illis nequiſſimus. Et lib. 1. de Principijs: Conſequens eſt in nobis eſſe, atq; in noſtris motibus, ut uel beati & ſancti ſimus, uel per deſidiam & negligentiam à beatitudine in malitiam & perditionem uergamus. Idem & Cyprianus ſenſit lib. 3. epiſtola 3: Homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio cõſtitutus, ſibimetipſi uel mortem appetit, uel ſalutem. Et lib. 3. ad Quirinum, cap. 52. Credendi uel non credendi libertatem in arbitrio poſitam in Deuteronomio: Ecce dedi ante faciem tuam uitam & mortem. Item apud Eſaiam: Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Itẽ in Euangelio Lucæ: Regnum Dei intra uos eſt.

Methodius in Sermone de Reſurrectione: Quomodo uerò etiam liberum arbitrium in hoc mundo appareat? In nobis enim ſitum eſt ut credamus, & non credamus. Vbi autem in nobis ſitum eſt credere & non credere, in nobis rectè facere & peccare, in nobis benefacere & malefacere, immò etiam iudicium quomodo uelut futurum amplius expectari poteſt, in quo Deus unicuique iuxta opera & ſecundum ſtudium retribuet?

De peccato.

Male de corruptione originali Origenes loquitur Homilia duodecima in Hieremiam: etiamſi peccauerit, ſcilicet Adam, tamen non uſq; ad perfectam malitiam mentem eius corruiſſe. Idem libro primo in Iob: Male filijs Iob tantam innocentiam tribuit, quantam Adam & Eua in paradiſo habuerũt. Male & ipſi Iob tribuit, quòd nudus fuerit à peccato, ab impietatibus, & ab omnibus illicitis: ibidem. Item, quòd neq; in cogitationibus, neq; in animæ conſilijs, neq; in tractationibus cordis peccarit. Quomodo rurſus libro tertio in eundem Iob, Hieremiæ & ſanctis Dei perfectionem tantam tribuit, ut neget ſine peccato eos reprehendi poſſe. Sic noua prorſus & craſſa opinione Tertullianus in libro de Anima, ex pijs ſanctos procreari ſentit. ſic enim ait: Hinc & Apoſtolus ex ſanctificato alterutro ſexu ſanctos procreari ait, tam ex ſeminis prærogatiua, quàm ex inſtitutionis diſciplina. Cæterùm, inquit, immundi naſcerẽtur, quaſi deſignatos tamen ſanctitatis, ac per hoc etiam ſalutis intelligi uolens fidelium filios, ut huius ſpei pignora matrimonijs, quæ retinenda cenſuerat, patrocinaretur. Alioqui meminerat Dominicæ definitionis: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non introibit in regnum Dei: id eſt, non erit ſanctus.

De lege.

Habuerunt & de lege ualde aberrantes opiniones, ſicut Tertullianus in libro aduerſus Iudæos diſputat; Sanctos in Veteri teſtamento, ut Noham, Abrahamum, Melchizedech & alios, iuſticia legis naturalis iuſtos fuiſſe. Hinc ſimili errore de legis poſſibilitate Origenes multa ſubinde inculcat: ut Homilia octaua in Exodum, ubi Decalogum exponit, hoc uidetur aſſeuerare, quòd baptizati per omnia poßint legem implere. Idem ait autor Homiliarum in Canticum: Non eſt inordinatus ſermo diuinus, nec impoßibilia præcipit. Et Cyprianus Sermone de Baptiſmo Chriſti: Quia, inquit, & quod agendum eſt ſcimus, & quod ſcimus facere poſſumus, præcipis mihi Domine, quòd diligam te: hoc & poſſum, & debeo. Rurſus Homilia ſexta in Leuiticum, Origenes male ſentit, legem Moſi abluere nos à peccatis: Lex Dei eſt, inquit, quæ te lauat, ipſa ſordes tuas abluit: ipſa, ſi audias eam, peccatorum tuorum maculas abſtergit. Quemadmodum ſimili errore ibidem aſſerit, legem nos immortalitate donare.

Idem Homilia nona in Numeros, mira ſentit opinione, legem eſſe uirtutem Euangelij, quod fundamento legis ſubnixum demum intelligatur. Item, legem dicit Vetus teſtamentum dici, illis qui carnaliter intelligunt: ijs uerò qui ſpiritualiter intelligunt,

nouum esse, non temporis ætate, sed intelligentiæ nouitate. Sicut Homilia sexta in Leuiticum, sentit, CHRISTVM, Matthæi quinto, non explicasse legem, sed quædam perfectiora lege præcepisse. Idem Homilia undecima in Numeros, Malè, inquit, Christum nos de maledicto legis, id est ceremoniarum, & non de maledicto mandati, aut testimonij, aut iudiciorum liberasse.

De Euangelio.

De officio legis & Euangelij, Origenes Homilia undecima in Leuiticum, frigidè respõdet ad quæstionem, cur lex adulteris mortem corporalem inferat, Euangelium uerò non: scilicet quia lex uolebat per pœnas temporales expurgari peccata, Euangelium uerò per pœnitentiam. Quemadmodum & ibidem sensit, peccata quæ capitali supplicio in lege puniebantur, per ipsa supplicia purgata esse. Idem & in tractatu uigesimosexto in Matthæum, crassè sentit ipsam solam Euangelij narrationem simplicem sufficere simplicioribus ad salutem. Et libro primo in Epistolam ad Romanos ait: Si hominibus non sine Euangelio apparuit, consequentia uidetur ostendere, quòd etiam Angelico ordini non sine Euangelio apparuerit, illo fortassis quod æternum. Cyprianus uerò sermone de Baptismo CHRISTI, tractans illa uerba, Hunc audite: nullã ferè prorsus mentionem facit Euangelij, sed tantùm legis.

De iustificatione.

De hac doctrina commodissimas suprà ex patribus huius seculi sententias collegimus. Hìc incommodiores indicabimus, ut uideatur magna tamen ex parte hunc summum articulum de iustificatione, obscuratum esse. Iusticiam enim coram Deo operibus tribuerunt, & inter legalem iusticiam & Euangelicam ferè nihil discriminis perspicuè ostenderũt. Sicut Origenes libro primo in Iob, pleno ore de iusticia Iobi declamitãs, tantum propter uirtutes & opera legalia iustificatum eum pronunciat: de fide nihil dicit, nisi quòd partẽ iusticiæ Iob addit fuisse spem in Deũ iustum, & iusticias diligentem. Proculdubio quòd omnia iustè disposuerit & iudicauerit, atque misericorditer definierit: non reueritus personam, non accipiens munera, non ambulans post retributiones, non despiciens oppressum, non spernens uiduam, non obliuiscens orphanum: pro his omnibus, & ex his omnibus, atque per hæc cuncta erat iustus. Idem homilia decima in Iosuam sentit, aliquos, quorum fides nulla operum nobilitatur accessu, saluari quidem, sed tamen summam regni uel libertatis non accipere. Quod quid aliud est, quàm sine operibus neminem perfectè iustificari? Quin & autor Homiliarum in Canticum, duplicem facit iusticiam, alteram fidei, alteram operum: & quidem utrique salutem imputat. Dupliciter, inquit, constat salus credentium, per agnitionem filij, & operum perfectionem. Ratio fidei primus habeatur salutis gradus: secundo uerò in loco, operum perfectio memoretur.

Methodius in Sermone de Resurrectione, cuius fragmentum extat apud Epiphanium libro secundo, tomo primo, sentire uidetur, nos naturalis legis impletione, quæ fiat auxiliante Christo, iustificari. Impotentiam enim naturalis boni, ob quam languebat concupiscentia in corpore sita, superatam, Deus recurauit misso filio suo, qui similem carni assumpsit carnem (ueritas enim, & non apparentia erat, quod apparuit) quo peccato ad interitum condemnato, ut non amplius fructificet in carne, iustificatio naturalis legis impleretur, redundans obedientia in his qui non secundum concupiscentiam carnis ambulant, sed secundum concupiscentiam spiritus eiusdemq; ductum.

De bonis operibus.

Magis quàm superioris seculi, doctores huius ætatis à uera doctrina CHRISTI & Apostolorum, de bonis operibus declinarunt. Opera enim electitia multa excogitarunt & inculcarunt: quemadmodum immodicis Tertullianus castitatem laudibus extollit, & pudicitiam, sicut postea dicetur. Idem & in libro de Patientia, sentire uidetur, bona opera fidem & antecedere & subsequi. Illud enim de Patientia affirmat. Libro uerò quarto contra Marcionem, narrat, qua occasione ad salutem peruenerit domus Zachæi. Ibi etsi non negat in Zachæo fuisse auditum de CHRISTO, & aliquam notitiam scripturarum ex commercio Iudaico: tamen præcipuam causam iustificationis eius fuisse ait, quòd ignorans Esaiæ præceptum (frange esurienti panem tuum) impleuerit. Ita præparationem ad salutem, & causam adeò, pluribus in locis Origenes tribuit operibus, ut tractatu trigesimosecundo in Matthæum, ubi qui profitentur, inquit, quidẽ fidem in IESV, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, assimulãtur uirginibus fatuis. Et Homilia uigesimaquarta in Iosuam, & uigesimasexta in eundem, inhabitationem Dei in nobis meritis nostris tribuit. Idem libro octauo in epistolam ad Romanos ait: Sciendum, quia opera quæ Paulus repudiat, & frequenter uituperat, non sunt iusticiæ quæ mandantur in Lege, sed ea in quibus hi qui secundum carnem legem custodiunt, gloriantur: id est, uel circumcisio carnis, uel sacrificiorum ritus, uel sabbatorum obseruatio & neomeniarum. Hæc & huiusmodi sunt opera, ex quibus dicit neminem potuisse saluari. Ibidem: Si in præsenti seculo dat Deus unicuiq; gratiam, secundum mensuram fidei, sine dubio & in futuro dabit unicuique gratiam pro mensura meritorum. Et Homilia trigesimanona in Lucam, postulat à nobis Deus, & deprecatur: non quia necessarium habet aliquid ut ei tribuamus, postulat, ut postquàm ei dederimus, idipsum tribuat in salutem. Simili errore Cyprianus libro tertio Epistolarum, epistola uigesimaquinta, sensit, meritorum præcedentium desensione obuelari peccata subsequentia. Quo errore & disciplinæ, id est, bonis operibus tribuit, quòd sit custos spei, retinaculum fidei: & faciat in CHRISTO manere, semper iugiter in Deo uiuere, & ad promissa cœlestia & diuina præmia peruenire.

Et in Sermone de Oratione: ut qui quotidie, inquit, delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Sic & in Sermone de Eleemosynis ex professo sentit, peccata commissa post baptismum eleemosyna & bonis operibus extingui: semel

Semel, inquit, in Baptiſmo peccatorum remiſſa datur, aſsidua & iugis operatio, Baptiſmi inſtar imitata, Dei indulgentiam largitur. Idq; probare conatur dictis Scripturæ, ut Tobiæ quarto: Eleemoſynis & fide purgantur peccata. Et Eccleſiaſtici tertio: Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna peccatum. Item ex dicto CHRISTI: Ecce ſanus factus es, uide ne quid pecces, ne quid tibi grauius accidat, ratiocinatur bonis operibus tuendam eſſe ſalutem, & amiſſam recuperandam: Sermone primo de Eleemoſynis.

De pœnitentia.

Plerique huius ſeculi ſcriptores doctrinam de pœnitentia mirè deprauant. Ad ipſum tantùm opus pœnitentis, ſeu contritionem deducunt, eiq; remiſſionem peccatorum imputant, de fide in CHRISTVM aut gratuita remiſsione nihil dicunt. Vnam enim tantùm pœnitentiam poſt baptiſmum Tertullianus admittit, ſicut & in ſuperiori ſeculo Clemens Alexandrinus. Quod etiamſi ita excuſari poſſet, ſecundam pœnitentiam eſſe, perpetuam illam poſt Baptiſmum, tamen nimis durè loquitur in libro de Pœnitentia: Hoc dico, pœnitentiam quæ per Dei gratiam oſtenſa, & indicta nobis, in gratiã nos Domino reuocet, ſemel cognitam atque ſuſceptam, nunquam poſthac iteratione delicti reſignari oportere. Ibidem collocauit in ueſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat: ſed iam ſemel, quia iam ſecundò: ſed amplius nunquam, quia proximè fruſtra: non enim & hoc ſemel ſatis eſt?

Idem in libro de Pudicitia: Sunt autem & contraria iſtis ut grauiora & exitioſa, quæ ueniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia utique, & mœchia, & fornicatio, & ſiqua alia uiolatio templi Dei. Horum ultra exorator non erit Chriſtus: hæc non admittet omnino, qui natus ex Deo fuerit: non futurus Dei filius, ſi admiſerit. Vbi & de publica confeſsione & ſatisfactione nimis largiter diſſerit, quaſi per eas peccata expientur. Eodem modo Origenes: Lapſos iubet pœnitendo, flendo, & ſatisfaciendo, delere quod admiſerunt: quia dicat Propheta: Si conuerſus ingemueris, ſaluus eris. Homilia ſexta in Exodum. Sic pleniſsimam pœnitentiæ ſatisfactionem exigit, antequàm CHRISTVM ait intrare ad animam ſibi peccati cõſciam: Homilia duodecima in Leuiticum. Et Homilia decimaquinta in eundem, eſſerit pœnitentiam, id eſt, lachrymas & bona opera eſſe precium, quo peccata noſtra redimantur. Sicut & Homilia uigeſima quarta in Numeros, Conuerſionem noſtrum eſſe opus aſſeuerat, ex dicto CHRISTI: Regnũ Dei intra uos eſt. Rurſus Homilia decimaquinta in Leuiticũ: In grauioribus, inquit, hominibus ſemel tantùm, uel rarò pœnitentiæ conceditur locus: iſta uerò communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſsione redimuntur. Item Homilia tertia in Iudicum: Quanto tempore te erraſſe noſti, quanto tempore deliquiſti, tanto tempore humilia teipſum Deo, & ſatisfacito ei. Et Homilia decima in Hieremiam, citans dictum epiſtolæ ad Hebræos, Impoſsibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, &c. Videtur & ipſe lapſis pœnitentiam denegare, & ſibi parum conſtare. Homilia uerò decimatertia in eundem, uidetur lapſis poſt baptiſmum ſpem tantùm purgatorij polliceri. Cyprianus contrà, lapſis pœnitentiam ita permittit, ſi publicam ſcilicet, & diuturnam eam egerint, propter Eccleſiaſticam diſciplinam: libro primo, epiſtola ſecunda. In eodem, epiſtola tertia, peccata ait redimi & ablui ſatisfactionibus. Idem tradit libro tertio, epiſtola decimaquarta: Hinc eiuſmodi pœnitentiæ definitionem extruit in eodem libro, epiſtola decimaoctaua: Pœnitentiam ille agit, qui diuinis præceptis mitis & patiens, & Sacerdotibus Dei obtemperans, obſequijs ſuis & operibus iuſtis Dominum promeretur. Ibidem ait, lapſos auxilio martyrum apud Dominum adiuuari poſſe. Idem tractatu ſecundo de Habitu uirginum, ſentit nulla deſideria carnis uirginibus poſt baptiſmum remanere. Deniq; autor Sermonis de Paſsione CHRISTI, uidetur quoq; noſtræ contritioni & cõfeſsioni tribuere quòd mereantur ueniã, quòd pœnæ ſeu ſupplicia corporalia ſatisfaciant pro pœnis æternis: ut Sodomitas eſſe igne inflammatos, ut in ipſa ſubuerſione generent pœnitentes, & temporali pœnæ æternalis non ſuccedat, ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium, & pro abſolutione tormentum.

De baptiſmo.

Noua opinione Tertullianus in ſermone de Baptiſmo ſenſit, Baptiſmum Ioannis nihil cœleſte præſtitiſſe, ſed cœleſtibus præminiſtraſſe. Sic prodigioſa quædam de baptiſmo poſt hanc uitam Origenes ſomniat, Homilia decimaquarta in Lucam: Ego puto, quòd poſt reſurrectionem à mortuis indigeamus Sacramento, eluente nos ac purgante. In eundem: Quomodo Ioãnes iuxta Iordanem fluuium uenientes ad baptiſmum præſtò labatur, & alios abigebat dicens, Generatio uiperarum: porrò eos qui confitebantur uitia atque peccata, ſuſcipiebat: ſic ſtabit in igneo flumine Dominus IESVS, iuxta flammeam romphæam, ut quemcunq; poſt exitum uitæ huius, qui ad paradiſum tranſire deſiderat, & purgatione indiget, hoc eum amne baptizet, & ad cupita tranſmittat. Eum uerò qui non habet ſignum priorum baptiſmatum, lauacro igneo non baptiſet. Oportet enim prius aliquem baptiſari aqua & ſpiritu, ut cùm ad igneum fluuium uenerit, oſtendat ſe & aquæ & ſpiritus lauacra ſeruaſſe, & tunc mereatur etiam ignis accipere baptiſmum in CHRISTO IESV. Et Cyprianus libro primo, epiſtola duodecima: Oportet, inquit, mundari & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, ut poſsit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptiſatur, abluere: quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit, Et aſpergã ſuper uos aquam mundam. Vbi & hoc affirmare audet, quòd perſona baptiſans Spiritum ſanctum conferat, & baptiſatum intus ſanctificet. Ibidem & de neceſsitate atq; efficacia unctionis in baptiſmo, extra CHRISTI & Apoſtolorum traditionem, periculoſè (inquit) ungi quoq; neceſſe eſt eum qui baptiſatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt unctione, eſſe Vnctus DEI, & habere in ſe CHRISTI gratiam poſsit. Et libro primo, epi-

ſtola ſexta, aſſerit, baptiſatos ab hæreticis in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, eſſe rebaptiſandos, multis rationibus, quas ex eo loco lector petat. Et fuit hic næuus de rebaptiſatione hæreticorum multis communis, ut ex capite de concilijs patet. Sed & Cornelius de Nouato ſcribens, quemadmodum Euſebius indicat libro ſexto, capite quadrageſimotertio, ſatis periculoſè quædam adſtruit de neceßitate ceremoniarum circa baptiſmum: Nec reliqua, inquit, Nouatus conſecutus eſt poſt morbum, quæ iuxta Eccleſiæ canonem conſequi debebat, obſignationem uidelicetab Epiſcopo collatam. Cùm autem illa potitus non ſit, quomodo Spiritum ſanctum eſt conſecutus?

Sentit & Tertullianus in libro de Baptiſmo, mira opinione, pueros non tam citò baptiſandos eſſe. atq; ad illud Matthæi decimonono, Nolite paruulis prohibere, ut ad me ueniant: reſpondet, Veniant, dum adoleſcunt: ueniant, dum diſcunt, dum quò ueniant docentur: fiant Chriſtiani, cùm Chriſtum noſce potuerint. quid feſtinat innocens ætas ad remißionem peccatorum? cautius agetur in ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, diuina credatur: norint petere ſalutem, ut petenti dediſſe uidearis. Quin & innuptis baptiſmum procraſtinandum ait eſſe, ideo quia eis præparata ſit tentatio.

De euchariſtia & ſacrificio.

Cæterùm & huic uirtutis nonnihil accedere à perſona adminiſtrante, Cyprianus ſuperſtitioſè fingit libro primo, epiſtola prima, ubi de facienda Euchariſtia & ſanctificanda ait: Euchariſtia in altari ſanctificatur. Et libro ſecundo, epiſtola tertia, rurſus ait, Sacerdotes ſanctificare calicem. Item ibidem, Sacerdotem inquit, uice Chriſti fungi, & Deo patri ſacrificium offerri. Item, paßionem eſſe ſacrificiũ, quod Deo offeramus. Qua phraſi (ſacrificiũ offerre) etiam Tertullianus de cœna loquẽs utitur, in libro de Cultu fœminarum. Et Martialis in epiſtola ad Burdegalenſes: Cœna, inquit, Domini, id eſt, ſacrificium Deo creatori offertur in ara. Rurſus Cyprianus libro tertio, epiſtola decimaoctaua, male iudicat, lapſis obnixè euchariſtiam petentibus & pœnitentibus, ante concilij determinationem, & perſecutionis ceſſationem, non exhibendam.

De inuocatione ſanctorum.

Videas in doctorum huius ſeculi ſcriptis, non obſcura ueſtigia inuocationis Sanctorum. Habes eius formulam apud Origenem, ſub finem libri ſecũdi in Iob: O beate Iob, ora pro nobis miſeris, ut etiam nos terribilis Dei miſericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppreßionibus maligni, & cõnumeret nos cũ iuſtis, & cõſcribat nos cum iſtis qui ſalui fiunt, & requieſcere nos faciat cum illis in regno ſuo, ubi perpetuò cum ſanctis magnificemus illum. Sic autor Homiliarum in Canticum, Homilia tertia: Omnes ſancti, inquit, qui de hac uita diſceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & adiuuare eos precibus ſuis atque interuentu ſuo apud Deum, non erit inconueniens. Scriptum nanq; eſt in Machabæorum libris ita: Hic eſt Hieremias propheta Dei, qui ſemper orat pro populo.

Origenes uerò etiamſi libro ſecundo in epiſtolam ad Romanos cautè dicat: Si extra corpus poſiti ſancti, qui cum Chriſto ſunt, agunt aliquid & laborant pro nobis ad ſimilitudinem angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurãt, uel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, angelorum nihilominus ad ſimilitudinem ſiniſtrorum, cum quibus & in æternum ignem mittendi dicuntur à Chriſto, habeatur hoc quoq; inter occulta Dei, neq; chartulæ committẽda myſteria: tamen Homilia decimaſexta in Ioſuam, ſentit, Sanctos martyres pugnare nobiſcum, & nos adiuuare orationibus ſuis. idq; probat autoritate cuiuſdam ſenioris Magiſtri. Quomodo & Cyprianus libro tertio, epiſtola decimaquinta, lapſos dixit auxilio Martyrum apud Deum adiuuari. Et autor Sermonis de Stella & Magis, ſentit, infantes innocentes ab Herode interfectos, protomartyres eſſe factos, & nunc in cœlo orare Dei clementiam, pro ijs qui perſecutionem patiuntur: item, impetrare nonnullis immeritis ueniam. Certè in fine prioris epiſtolæ libri primi, non obſcurè ſentit Cyprianus, martyres & ſanctos defunctos pro uiuentibus orare: Si quis, inquit, hinc noſtrũm prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deum noſtra dilectio pro fratribus & ſororibus noſtris, apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio. Et notum eſt, quid apud Euſebium libro ſexto, capite quinto ad Baſilidem carnificem in ſomnis apparens, dicat Potamiena martyr, interpellaſſe ſe pro ipſo Dominum, & petita impetraſſe. De quo exemplo quid ſit ſentiendum, alibi dicetur.

De Eccleſia & primatu Romano.

Tertullianus libro de Pudicitia, non ſine errore ſentire uidetur, claues ſoli Petro commiſſas, & Eccleſiam ſuper ipſum extructam eſſe. Deinde, etſi Eccleſiam Romanam felicem prædicat, tamen principem non dicit, in libro de Præſcriptione hæreticorũ.

Cyprianus de ordine in Eccleſia, libro primo, in epiſtola octaua: Deus, inquit, unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra una ſuper petram Domini uoce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri, præter unum altare & unum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Et libro tertio, epiſtola undecima: Cyprianus Maximus, Vrbanus & Saloníus ſentiunt, unũ epiſcopum in catholica Eccleſia eſſe debere. Libro quarto, epiſtola octaua, nominatim ait, idq; ſine ullo fundamento ſacræ Scripturæ, Romanam Eccleſiam ab omnibus alijs pro matrice & radice catholicæ Eccleſiæ agnoſcendam eſſe. Quemadmodum & libro primo, epiſtola tertia, & in tractatu de Simplicitate prælatorum, principalem uocat Eccleſiam Petri cathedram, à qua unitas ſacerdotalis exorta ſit. Ibidem tamen, cauſas dijudicandas Romam deportandas eſſe negat. Alibi uerò paßim dicit, Super Petrum Eccleſiam fundatam eſſe: ut libro primo, epiſtola tertia: libro quarto epiſtola nona:

tractatu

tractatu secundo de habitu uirginum, Sermone tertio de bono patientiæ, & in epistola ad Quirinum. Et Origenes tractatu quinto in Matthæum dicit, Petrus per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentū. Idem Homilia decimaseptima in Lucam, Petrum uocat Apostolorum principem.

Habet de hoc loco Cyprianus & alias opiniones periculosas, ut quòd pastoratum ad ordinariam successionem, lib. 1. epistola 6. allegat: Item quòd negat episcopos & præpositos Ecclesiæ iudicãdos, lib. 4 epistola 9. & in concilio. Habet & Origenes de Ecclesiæ potestate & officio, non mediocres nævos: ut quòd de excõmunicatione ait, tractatu 1. in Matth. si quis qui ligare & soluere uult, funibus peccatorum constringitur, frustra uel ligat uel soluit. Item quòd Ecclesiæ, ministris nõ permissum esse disputat, ut possessiones in terris, aut domos in urbibus, plures tunicas, aut pecuniæ plusquã ad uictũ et amictũ requiratur, pretineat: homilia decimaquinta in Leuiticum.

De martyrio.

Martyrium immodicè extulerunt omnes huius ætatis Doctores. Tertullianus enim fòrè cum Baptismo æquat, in Scorpiaco: Sordes quidem, inquit, baptismate abluuntur, maculæ uerò martyrio candidantur.

Et in apologia ait: Quis non, ubi accesserit, pati exoptat, ut Dei gratiam redimat, ut omnem ueniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic opera delicta donantur. Et in libro de Anima: Si pro Deo occumbas, tota paradisi clauis tuus sanguis est. Longè uerò insolentius quàm Tertullianus, martyrium baptismo Origenes præfert, eoq; nos puriores quàm per Baptismum reddi sentit. Itẽ, quòd baptismo præterita peccata purgentur, martyrio uerò futura perimantur. Ait, & diabolos non posse criminari animas martyrum, utpote suo cruore dilutas, morte sua clarificatas, sanguine suo lotas: Homilia septima in Iudicum. Cyprianus item libro secundo, Epistola sexta, Sanguine martyrum immortalitatem redimi dicit. Et in libro de exhortatione martyrij, periculosè dicit, Martyrium esse baptismum in gratia maius, in potestate sublimius, in honore preciosius, quàm baptisma regenerationis: In aquæ, inquit, baptismo percipitur remissa peccatorum: in sanguinis, corona uirtutum.

De coniugio.

Primùm Tertullianus in ijs libris quos post defectionem contra Ecclesiam scripsit, ualde irreuerenter de coniugio disserit: sicut in libro de Monogamia affirmat, disciplinam de unis nuptijs & antiquam esse, & Christianis propriam. Addit pueriles probationes: ut, Animalia cætera habent monogamiam: item Christus dixit, Erunt duo in carne una: item, Vna tantum est Ecclesia, cuius est coniugium, Sacramentum: Et, Christus semel est apud nuptias. In libro de exhortatione castitatis: Deus unam tantum, inquit, costam Adæ dedit. Ibidẽ, Matrimoniũ ait affine esse stupro. Itẽ: Hæc, inquit, cùm etiã de primis et unis nuptijs prætendi ad causam cõtinentiæ possint, quãto magis secundo matrimonio recusando præuidebuntur? Rursus ibidem, Vnum tantum matrimonium permittit Sacerdotibus: apud nos plenius atq; strictius præscribitur, unius matrimonij esse oportere, quos alleget in ordinẽ sacerdotalem. Origenes Homilia decimanona in Lucã: Nunc & secundæ & tertiæ & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur: & non ignoramus, quòd tale coniugium reijciet nos de regno Dei. Ibidem: Ecclesiasticis dignitatibus non solùm formatio, sed & nuptiæ repellunt. Neq; enim Episcopus, aut presbyter, nec diaconus, nec uidua possunt esse digami. Et Cyprianus tractatu secundo de habitu uirginum, contra nuptias uiolenter sentit: primam sententiam generationem præcepisse, secundam uerò continentiam suasisse.

De castitate & uirginitate.

Sicut in superioris seculi historia, ita & hìc inueuenias: nimium prædicari & extolli continentiam: quanquam de ea legem aut necessitatem nullam adhuc præposuerunt. Tertullianus libro quinto aduersus Marcionem: Hunc locum, inquit, salua alterius, id est plenioris sanctitatis prælatione tractuerim, continentiam & uirginitatem nuptijs anteponens. Hinc Origenes libro decimo in Epistolam ad Romanos, uirginitatem opus perfectionis facit. Et Cyprianus, qui ex professo quasi ubiq; detestatur muliebrem sexum, in libro de Bono pudicitiæ: Virginitas, inquit, æquat se angelis: si uerò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata uictoriam, & contra naturam refert, quam non habent Angeli. Liber de singularitate clericorum, eodem modo castitatem statum uocat qualitatis angelicæ. Et Sermone de natiuitate CHRISTI: Etsi bona sunt & instituta Deo coniugia, melior tamen est continentia, & uirginitas excellentior: quam non cogit necessitas aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium. Nam & lib. 1. epist. 11. ad Pomponiam, uirginibus liberis relinquit, ut aut si uelint & possint continentiam perpetuã seruant, aut si nollint, nec possint, nubant.

De rebus mediis.

Rebus quibusdam mediis sæpe necessitatem inducit, & meritum tribuit Tertullianus, ut ieiunio, libro de ieiunio contra Psychicos: Omnium, inquit, ergà uictus macerationem hæc est ratio, qua rursus interdicto cibo, & obseruato præcepto, primordiale iam delictum expiaretur, ut homo per eandem materiam causæ Deo satisfaciat, per quam offenderat: id est, per cibi interdictionem. Ibidem: Non modò naturæ mutationem, aut periculorum auersionem, aut delictorum obliterationem, uerùm etiam sacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merebuntur. Ibidẽ rursus: sicut primùm usu cibi homo amisit salutem, ita iam per eandem materiam, id est, abstinentiam cibi, Deo satisfaciat, atq; salutem æmulo modo redaccendat inedia. Vbi & paulò pòst inquit, delicta expiari abstinentia.

De antichristo.

De antichristo, autor tractatus de Sina & Sion apud Cyprianum, delirans affirmat, Enoch in quendam locum translatum, seruari ad confundendum Antichristum: quo interfecto, martyria sua completuri sint, uiuentes in æternum.

De resurrectione.

Methodius in Sermone de Resurrectione, inter alia, hæc Origenis ex primo Psalmo recitat uerba, quibus carnis resurrectionẽ negat. Hoc autẽ dico fratres, quòd caro & sanguis regnum Dei posßidere nõ possunt, neq; corruptio incorruptibilitatẽ. fortaßis equidem conseruabitur, ab eo qui aliquando propriã carnem fecit: caro uerò non amplius erit. Sed quod aliquãdo imprimebatur in carne, hoc imprimetur in spirituali corpore. Recitat etiam hoc Aglaophontis & Origenis argumentum: Beati in resurrectione erunt, sicut Angeli. Angeli uerò carnẽ non habent. Ergo beati non resurgent in carne.

De loco animarum.

Accusatur à recentioribus Tertullianus erroris, quòd locum beatorum ante resurrectionem, non cœlestem dixerit, sed inferis saltem sublimiorem. Origenes homilia quinta in Psalmum trigesimum sextum: Venit, inquit, ad unamquanq; animã de hoc mundo exeuntem, princeps huius mũdi, & aëreæ potestates, & requirunt si inueniant in ea aliquid suum. Si auaritiam inuenerint, suæ partis est: si iram, si luxuriam, si inuidiam, & singula quæq; horum similia si inuenerint, suæ partis est, & sibi eam defendunt, et ad se eam trahunt, & ad partem eam peccatorum declinant.

De purgatorio.

Semina purgatorij in aliquot locis apud Origenem subinde sparsa uideas, ut Homilia secunda in Psalmum trigesimum sextum: Est hoc, inquit, peccatum (ira) unũ ex illis quod ad ædificia defert ligna, fœnum & stipulam, & necesse est huiusmodi materias per ignem probari, ita ut permaneamus tam diu in igne, donec in nobis ligna iracundiæ consumantur, & fœnum indignationis & stipula uerborum eorum, quæ huiusmodi uitijs exagitati pertulimus. Et Homilia tertia in eundem: Veniemus ad illũ ignẽ, in quo uniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit: &, ut ego arbitror, omnes nos uenire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus aliquis sit, uel Petrus, uenit tamen ad illum ignem: sed illi tales audiunt, Etiamsi per ignem transeas, flamma non uret te. Homilia octaua in Leuiticum, asserit eos qui peccatum commiserunt, quod neque in hoc, neque in futuro seculo remittitur, per duas septimanas manere immundos: sed tertia incipiente, purgari ab immundicia. Homilia duodecima in Ezechielem: Nobis alia, inquit, seruantur tormenta, qui uidemur credere, & in ipsa credulitate peccamus, ab eorum supplicio, qui ne initium quidem credulitatis habuerunt. Et libro quinto contra Celsum: Singulos quibus per ignem uel pœna sit simul & medicatio adferenda, ignis iste amburit, non tamen exurit, ut qui nil habent quod per ignem sit absumendum, plura dicit in eam sententiam ante & post hæc uerba. Mira item imaginatio est de diuersis temporibus & modo purgandi, libro primo de Principijs, capite sexto: Interim tam in his quæ uidentur & temporalibus seculis, quàm in illis quæ nõ uidentur & æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo & meritorum dignitatibus dispensantur, ut alij in primis, alij in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, & per maiora ac grauiora supplicia, necnon & diuturna, ac multis (ut ita dicam) seculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati, & restituti eruditionibus, primò angelicis, tum deinde etiam graduum uirtutibus, & sic per singula ad superiora prouecti, usq; ad ea quæ sunt inuisibilia & æterna perueniant, singulis uidelicet quibusque cœlestium uirtutum officijs, quadam eruditione in specie peragratis.

De extremo iudicio.

Opinio est, qua Origenes libro tertio in Iob sensit, non omnes tam infideles quàm fideles in iudicium uenturos. Sic enim ait: Pagani atq; omnes infideles in iudiciũ nõ uenient, sed iam ex hoc damnati sunt, & propter infidelitatem inexcusabiles, in pœnas inferorum expellentur. Ii uerò qui in fide esse uidentur, et prauo nomine censentur, isti inquam omnes in terribili illa iudicij inquisitione omnium dierum uitæ suæ, uniuscuiusq; diei reddent rationem, quomodo impleuerint Dei seruitutem, atq; opus sanctitatis per unumquenq; diem. Idem in primo psalmo facere ab Epiphanio indicatur. Sicut & hoc peculiari speculationis monstro dixit Homilia 9. in Ezechielem: Necesse est nos scire, quia unusquisq; nostrũm in die iudicij ab alio iustificetur, & ab alio condemnetur.

De salute & præmijs bonorum.

Methodius exponẽs illud, Erunt sicut Angeli Dei, in Sermone de Resurrectione, uidetur sentire, Beatos post resurrectionẽ non in cœlis, sed in paradiso futuros. Oportet enim inquit, in propria sui habitus figura unumquodq; creatum manere, ut omnia omnibus sint impleta, cœli angelis, throni potestatibus, lumina ministris, diuiniores loci et pura lumina ipsis Seraphim, qui assistunt magno senatui uniuersa continenti, mundus hominibus. Origenes homilia prima in Iosuã, sentit pios diabolorum hæreditatem, quam ante ipsum habuerunt, recepturos, & eorum quidem quos singuli deuicerunt. In eundem Homilia decima, pro digiose sentit, eos qui crediderunt quidem, sed nihil adhibuerunt emendationis uel innouationis in mores, saluari, sed non sine infamiæ nota. Quomodo & illud Homilia uigesimaseptima in Numeros: Animas post resurrectionem, non subitò, sed per multas mansiones ascensuras ad summa, donec perueniant ad patrem luminum: contra illud, Omnes rapiemur ei in occursam. Homilia undecima in Numeros, Somniat, in uita futura quosdam homines non Deũ, sed angelos tantùm uisuros esse, & Deum homines alios alijs angelis subiecturum. Idem de quatuor ordinibus sanctorum in cœlis, ad quorum singulos unumquenq; nostrũm iubet ascendere. Alij ad montem Sion, alij ad ciuitatem Dei Hierusalẽ, alij ad Angelos collaudantes Deũ, alij ad Ecclesiam primitiuorum ascendunt. Homilijs in Numeros.

De damnatione, seu pœnis damnatorum.

Origenes lib. secũdo de Principijs: Pœnã, ait, damnatorum fore, conscientiã, per diuinã uirtutem omnia in memoriã recipientem, quorum in semetipsa signa quædã & formas cùm peccaret expressĕrat, et singulorũ quæ uel fœdè ac turpiter gesserat, uel etiã impie com-

commiserat, historiam quandam scelerum suorum ante oculos suos uidebit expositã: tunc & ipsa conscientia proprijs stimulis agitatur atq; compungitur, & sui ipsa efficitur accusatrix & testis. Idem Homilia sexta in Exodum, sentit, à Deo præscriptam esse dam nationis mensuram, atq; ita suo tempore Iudæos indu ratos saluandos esse. idq; probat ex epistola ad Roma nos, capite 11. Cæcitas enim ex parte contigit Israel secundum carnem, donec plenitudo gentium subintroi ret. Cùm enim plenitudo gentium intrauerit, tunc e- uerò à Septuaginta ex Hebræo in Græcum transtiam omnis Israel, qui per incredulitatis duritiam factus fuerat sicut lapis, saluabitur. Et uis utdere quomodo saluabitur? Potẽs est (inquit) Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

QVOS LIBROS PRO VERIS AVT apocryphis ecclesia huius seculi habuerit.

IVdicium & ordinem librorum ueteres & noui Testamẽti, quos, pro ueris ac receptis hæc ætas habuerit, Eusebius ex Origenis in Psalmum primũ commentarijs, qui hodie non extant, recenset, libro sexto, capite uigesimo quinto, hoc modo. Primùm inquit, psalmum exponens, sanctarum Scripturarum ueteris testamenti catalogum, ad uerbum sic scribens ponit. Haud ignorandum autem fuerit, esse ueteris instrumenti libros, sicut Ebræi ponunt, uiginti duos, qui numerus apud eos etiam literarum est. Deinde alicquanto pòst subiungit: Sunt autem uiginti duo libri apud Ebræos, isti. Primus, Genesis apud nos sic dictus: apud Ebræos uerò Bresith, à libri initio sumpta epigrapha. Alter, Exodus: Ebræis ueelleſmoth, id est, Et hæc sunt nomina. Tertius, Leuiticus: Ebræis ueikra, id est, & uocauit. Quartus, Numeri: Ebræis Hammisparim, uel Pecudim. Quintus, Deuteronomium: Ebræis, Ellehadebarim. id est, Hæc sunt uerba. Sextus, IESVS Naue: Ebræis Iosue ben Nun, id est, Iosue filius Nun. Septimus, Iudices et Ruth, apud eos unus liber: Ebræis Sophtim, id est, Iudices. Octauus Regum primus et secundus, apud eos unus: Ebræis Samuel, id est, Vocatus à Deo. Nonus, Regum tertius et quartus, apud eos unus. Ebræis Vehamelech Dauid, id est, et rex Dauid. Decimus, Paralipomenon primus & secundus, apud eos unus: Ebræis Dibre haiamim, id est, Verba dierum. Vndecimus, Esdræ primus & secundus, apud eos unus: Ebræis Ezra, id est, adiutor. Duodecimus, liber Psalmorum: Ebræis Sepher thillim. Tredecimus, prouerbia Salomonis: Ebræis Mishloth. Quartusdecimus, Ecclesiastes: Ebræis Cohe leth. Quintusdecimus, Canticum canticorum (non enim legendũ est, ut quidem putãt, Cantica canticorũ) Ebræis Shir asshirim, Sextusdecimus, Esaias: Ebræis Iesaia. Decimusseptimus, cum Threnis & epistola liber unus: Ebræis Iirmia. Decimusoctauus, Daniel. Decimusnonus, Ezechiel: Ebræis Ieeskiel. Vigesimus, Iob. Vigesimusprimus, Esther. Præter istos sunt libri Maccabæorum, qui inscribuntur Sarbeth & Sarbaneel. Idem et in alijs eius libris istorum aliquos citat: ut librum Tobiæ, libro secundo in Iob: librũ Sapientiæ, quem Prophetam uocat, Homilia 2. in Psalmum trigesimum octauũ. De libro Iob, autor libri in eundem hæc narrat initio libri primi: Scripta sunt Syrorum lingua, siue ab ipso Iob, siue ab amicis eius. Ob hoc enim dicit ipse beatissimus Iob: Quis dabit ut scribantur sermones mei, & ponantur in libro in perpetuũ? Interpretata autem sunt à magno illo uiro Mose in Hebraicam linguam, atq; filijs Israël tradita, quod ostendit ipsa Scriptura Iob dicens: Hic interpellatus est ex Syrorum libro. A quo interpretatus? Manifestum est quòd à Mose in Hebræum. Idem latus est. In Ægypto scilicet olim Moses illum ex Syro in Hebræum transtulit. Item in Ægypto etiam Septuaginta sub Ptolemæo ex Hebræo in Græcum illum transtulerunt, & inde ex Ægypto per uniuersas gentes beati Iob Scriptura diuulgata est: primùm quidem in Arabia Syriacè scripta, ubi & Iob habitabat, post hoc uerò & in Hebræis & in Græcis, atq; in omnibus gentibus iuxta hæc quæ intimata atq; ostensa sunt, immutata atq; interpretata est. Erat nimirũ pridem Syriacè ex parte scripta, non ita diligenter, neque ita uigilanter, quemadmodum postea à Mose. Citat & libellum duodecim Prophetarum Origenes, etiam in Homilia secunda in Hieremiã: & autor Homiliarũ in Canticũ Homilia secunda. Africanus uerò in epistola ad Origenem, se hæsitare ostendit, an historia Susannæ in Daniele germana sit, aut ficta: Euseb. 6. cap. 31.

De libris noui testamenti.

Noui testamẽti libros Origenes sic enumerat Homilia septima in Iosuam: Sacerdotali, inquit, tuba primus in Euangelio suo Matthæus increpuit: Marcus quoq;, Lucas & Ioannes suis singuli tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiã duabus epistolarum suarum personat tubis. Iacobus quoq;, & Iudas. Addit nihilominus adhuc et Ioãnes tuba canere per epistolas suas, & Apocalypsin: & Lucas, Apostolorũ gesta describens. Nouissimè autẽ ille ueniens, qui dixit, Putò autem, nos Deus nouissimos Apostolos ostẽdit: & in quatuordecim epistolarũ suarũ fulminans tubis, muros Hiericho & omnes idololatriæ machinas et Philosophorũ dogmata usq; ad fundamenta deiecit. Prolixius uerò de ijsdem hæc cõmemorat tomo primo in Matthæum, ut Euseb. indicat: In primo, inquit, tomo, in Euangelium Matthæi, Ecclesiasticum canonem seruans, quatuor tantũ Euangelia esse testatur, sic scribens: Sicut in traditione de quatuor Euãgelijs accepi, quæ sola sine cõtradictione, in uniuersa quæ sub cœlo est Ecclesia Dei recipiuntur. Primùm scriptum est à Matthæo, primùm publicano, tandẽ Apostolo IESV Christi, qui illud fidelibus ex Iudæis, literis Ebraicis scriptũ publicauit. Alterum est secundũ Marcũ, qui illud secundũ expositionẽ Petri scripsit, qui hũc etiam in catholica epistola filiũ suum cõfessus est dicens, Salutat uos quæ in Babylone est electa, & filius meus Marcus. Tertium est secundũ Lucam, propter eos qui ex gentibus crediderunt scriptũ, & à Paulo laudatũ. Quartum est, secundum Ioannem. Et in quinto tomo expositionum super Ioannem, idem Origenes de epistolis Apostolorum, sic dicit: Qui uerò Noui Testamenti non litera, sed Spiritu minister esse potuit, Paulus & Euangelium à Hierosolymis circumquaque ad Illyricum usque adimpleuit, non omnibus Ecclesijs scripsit,

scripsit, quas docuit: sed & quibus scripsit, paucis uersibus scripsit. Petrus uerò, super quem ædificata est Ecclesia CHRISTI, contra quam portæ inferorum non prævalebunt, unam epistolam, de qua certò constat, post se reliquit. Esto autẽ reliquerit & alteram, de illa nanq; cõtrouertitur. Quid de Ioanne dicendũ, qui supra pectus Domini IESV recubuit, qui unũ Euangeliũ reliquit: simulq; fassus est, tam multa posse scribi Euangelia, ut mũdus ea, si scriberentur, capere nõ posset. Scripsit autem & Apocalypsin, iussus silere & non scribere septem tonitruorum uerba. Reliquit autem post se & Epistolam admodum paucis uersibus comprehensam. Esto, adijciantur & altera, & tertia. Etenim non omnino illas germanas esse dicunt. Attamen utræq; non centum uersus habent. Præterea & de Epistola ad Hebræos, in Homilijs quibus illam explicauit, ista dicit: Character dictionis Epistolæ ad Hebræos inscriptæ, non habet in uerbis Phrasin Apostoli, qui confessus est, se idiotam esse sermone, hoc est dictione: sed est ea epistola compositione dictionis admodum Græca. Fatebitur hoc, quisquis peritiam habet discernendi inter phrases. Rursus quòd Epistolæ huius sensus præclari sint, & illis literis quæ sine contradictione Apostolicæ sunt, haudquaquam inferiores, & hoc uerum esse confitebitur, quisquis Apostolicæ lectioni diligenter attendit. His dictis alia subijcit ad hunc modum: Ego uerò, ut meam sententiã proferã, dixerim, sensus huius epistolæ esse Apostoli: phrasin uerò & structuram alterius cuiuspiam esse, qui dicta Apostolica annotarit, et uelut in scholia quædam quæ à præceptore audiuit, redegerit. Itaq; si qua Ecclesia epistolam hanc tanquã Pauli habuerit, complectatur eam, & approbet etiam hoc nomine. Non enim eam præter rationem prisci uiri Pauli esse tradiderunt: Quis enim illam uerè scripserit, Deus nouit. Idem tamen Homilia duodecima in Hieremiam, eam ex professo Apostolo Paulo tribuere uidetur. Cyprianus, seu quisquis autor est expositionis Symboli Apostolorũ: Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum. Et ideo quæ sunt ueteris ac noui Instrumenti uolumina, quæ secundum maiorum traditionẽ, per ipsum Spiritum sanctum inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita, competens uidetur in hoc loco euidenti numero, sicut ex patrũ monumentis cœpimus designare. Itaq; ueteres instrumenti primo omniũ Mosi quinq; libri sunt traditi: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiũ: post hos, IESV Naue, Iudicum simul cum Ruth: quatuor post hæc Regum libri, quos Hebræi duos numerant. Paralipomenon, qui dierum dicitur liber. Et Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, & Hester. Prophetarũ uerò, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. præterea duodecim prophetarum liber unus. Iob quoq;, & Psalmi, singuli sunt libri: Salomonis uerò tres Ecclesiis traditi, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica canticorũ. In his cõcluserunt numerum librorum ueteris testamenti. Noui uerò, quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Actus Apostolorum, quos descripsit Lucas: Pauli Apostoli epistolas quatuordecim, Petri Apostoli Epistolas duas, Iacobi fratris Domini & Apostoli unam, Iudæ unam, Ioannis tres, Apocalypsin Ioannis.

Hæc sunt quæ patres intra Canonem concluserũt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare uoluerunt. Caius contrà in disputatione sua quam Romæ sub Zephyrino cõtra Proclum Cataphrygorũ hæresis propugnatorẽ habuit, ut aduersæ partis temeritatem & audaciam, qua nouas quasdam scripturas adducebãt, retunderet, tredecim tantum sancti Apostoli Epistolarum meminit, eam quæ ad Ebræos est reliquis non adnumerans. Nam hucusq; etiam à Romanis quibusdam non putatur esse Apostoli, inquit Eusebius lib. 6. capite 21. Sciendum tamen est, quòd & alij libri sunt qui non Canonici, sed Ecclesiastici, à maiorib. appellati sunt: ut est sapiẽtia Salomonis, & alia sapientia quæ dicitur filij Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali uocabulo Ecclesiasticus appellatur: quo uocabulo non autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Iudith, & Maccabæorum libri. In nouo uerò testamento, libellus qui dicitur Pastoris siue Hermetis, qui appellatur Duæ uiæ, uel Iudicium secundum Petrum: quæ omnia legi quidem in Ecclesiis uoluerunt, nõ tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras uerò scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, ut dixi, tradita, opportunũ uisum est hoc in loco designare.

De Apocalypsi, Euangelio & Epistolis Ioannis.

Tertullianus sensisse uidetur, Apocalypseos autorẽ esse Ioannem Apostolũ. Sic enim lib. 4. contra Marcionem: Habemus, inquit, & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen episcoporũ ad Origenem recensus, in Ioannẽ stabit autorem. Sed Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 25. ait: Nonnulli igitur eorũ qui nos præcesserunt, librum hunc prorsus reprobarunt ac reiecerunt: discussisq; singulis illius capitibus, obscurum, & nullis rationibus fultum esse decernentes. deniq; & inscriptionem mentiri, Iohannis enim eum non esse: imò ne reuelationem quidem esse dixerunt, quæ admodum crasso sit ignorantiæ uelamine adoperta. Quin non modò ex Apostolis neminem, sed nec ex sanctis, aut ijs qui ad Ecclesiam pertinẽt, aliquem scripti huius esse autorem: sed Cerinthum: hæresis illius, quam Cerinthianam uocant, conditorem, nomine Iohannis, tanquam fide digno, figmentũ suum inscribere uoluisse. Esse enim hoc doctrinæ illius dogma, Regnum Christi fore terrenum: & quæ ipse, tanquam corporis sui studiosus & uehementer carnalis, concupierit, in illis se futurum somniasse, uentris uidelicet et eorum quæ uentri subsunt saturationibus, cibis nempe ac potibus & nuptijs, & quibus ista maiore cum iucunditate acquiranda putauit, diebus festis, uictimis, ac sacrificiorum mactationibus. Ego uerò librum hunc reprobare quidem non ausim, quòd hunc multi ex fratribus studiosè legant: sed maiore de illo existimatione concepta, quàm ut à me possit intelligi, arcanam quandam & admirabilem in singulis illius cupitibus futurarum rerũ expectationem cõtineri suspicor. Etenim ubi illum non intelligo, altiorem quendam sensum uerbis inesse rogito: nec de istis meo intellectu inquiro

quiro & iudico, sed fidei potius acquiescēs, sublimiora illa quàm quæ à me intelligantur, esse puto: nec refuto ea quæ non consideraui, sed magis admiror, quòd non & ipse perspexi. Sub ista, totam Apocalypseos scripturā probat, & impossibile esse, ut secundū obuiā literæ sententiā intelligatur, ostendit, ac tum subijcit dicens: Vbi autē cunctā prophetiā, ut ita dicā cōpleuit, felices eos Propheta prædicat, qui eam custodiūt, etiā seipsum. Felix enim, inquit, est qui seruat uerba prophetiæ libri huius. Et ego Iohannes, qui ista uidi & audiui. Itaq; uocari hunc Iohannē, & esse scripturam hanc Iohannis, haud abnego. Consentio enim esse eam sancti cuiusdam, & diuino spiritu imbuti: uerūm esse hunc Apostolum filiū Zebedæi, fratrem Iacobi, cuius Euangelium est, secundum Iohannem inscriptum, & epistola catholica, haud facilè concesserim. Etenim ex utrorunq; ingenio & ductu, uerborumq; specie, ac libri tractatu, coniecturas sumo, non esse eundem Iohannem. Euangelista nanq; nusquam nomen suum adscripsit, nec prædicat seipsum, neq; per Euangelium, neque per Epistolam. Deinde infrà rursus sic dicit: Iohānes autē nusquā, neq; tanquā de seipso, neq; tanquā de alio: is uerò qui Apocalypsin scripsit, mox in ipso libri initio nomen suum præfigit, dicens: Apocalypsis IESV Christi, quā dedit ipsi, ut seruis ipsius ostēdat uelociter, & significauit, misso per Euangelium suum seruo ipsius Iohanni, qui testificatus est, uerbum Dei, & testimoniū ipsius quæcunq; uidit. Epistolā scribit Ioannes septē Ecclesiis quæ sunt in Asia: Gratia uobis & pax. Euangelista uerò ne catholicæ quidē Epistolæ nomen suū præfixit, sed incōpositæ à mysterio diuinæ reuelationis orsus est ad hunc modum: Quod audiuimus, quod oculis nostris uidimus. Propter hanc enim reuelationē Petrū Dñs beatū prædicauit, dicēs: Beatus es Simon Bariona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Sed ne in altera quidē, nec tertia, quæ sub nomine Ioannis circūferuntur, quantūuis breuibus Epistolis, nomen suū Ioannes præponit, sed sine nomine Presbyter scripsit. Hic uerò cōtentus nō fuit, postquā seipsum semel nominauit, cōsequenter quæ dicēda erant prosequi, sed rursus repetēdo dicit: Ego Ioannes frater uester et cōsors in tribulatione, et regno et patientia IESV, erā in insula quæ uocatur Pathmos, propter uerbū Dei et testimoniū IESV. Quin circa calcē etiā ista dicit: Beatus qui seruat uerba prophetiæ libri huius, et ego Ioānes audiui et uidi ista. Itaq; quod Ioānes quidā sit qui ista scripsit, credendū est ad hūc modū loquēti. Quis uerò ille sit, incertū est. Non enim seipsum esse dixit, sicut in Euangelio pleriſq; locis, dilectū à Domino discipulū: neq; eum qui supra pectus eius recubuerit, neq; fratrē Iacobi, neq; eum qui ipse Dominū uiderit & audierit. Etenim horū aliquid dixisset, si seipsum manifestè patefacere uoluisset. Verùm horū nihil: sed fratrē se & consortē nostrū, ac testē IESV, beatumq; propter uisionē & auditū reuelationū esse dixit. Arbitror autē multos fuisse eiusdē cum Apostolo Ioanne nominis, qui propter dilectionē ergà illū, et quod ipsum admirentur, æmularenturq;, cōsimiliter à Domino diligi uoluerint: ideóq; hoc sibi nominis usurpauerint, sicut et Paulus & Petrus in libris fidelius frequenter nominantur. Est quidē et alius Ioānes in actis Apostolorū, cognomento Marcus, quē Barnabas et Paulus unà secū assumpserāt. de quo et rursus dicit: Habebāt autē et Ioannē ministrū. An uerò hic sit qui Apocalypsin scripsit, haud sanè dixerim. Nō enim cum illis in Asiā peruenisse, scriptū est: sed cū soluissent, inquit, à Papho, hi qui cum Paulo erant, uenerūt Pergā Pamphiliæ. Ioannes uerò discessit ab eis, Hierosolymāq; reuersus est. Sed aliū quendā esse puto, ex illis qui in Asia fuerūt. Duo siquidē Ephesi ferūt esse monumēta, quæ utraq; Ioānis esse dicuntur. Deinde si sensus huius & uerba structurāq; illorū cōsideres, haud immeritò alius ab Euāgelista colligetur. Etenim cōcordāt inter se euangeliū et epistola, similia sunt utrinq; exordia. Euāgeliū, In principio, inquit, erat uerbum: Epistola, Quod erat, ait, ab initio. Euangeliū, Et uerbū, inquit, caro factū est, et habitauit in nobis, et uidimus gloriā eius, gloriā tanquā unigeniti à patre: epistola eadē habet parūper immutata, Quod audiuimus (inqt) quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ cōtrectauerūt, de uerbo uitæ, et uita manifestata est. Nā ista præfatus ad hoc est, ut sicut in sequentib. patefacit, hæreticos impugnaret, qui Dominū in carne nō uenisse dicūt. Quapropter etiā accuratè ista cōiunxit: Et quod uidimus, testificamur, et annūciamus uobis uitā æternā, quæ erat apud patrē, et manifestata est nobis: quod uidimus et audiuimus, annūciamus uobis. Huic immoratur, et à proposito nō discedit, sed per hæc capita & nomina cūcta pertractat, quorū nos aliqua breuiter cōmemorabimus. Qui attētè legit, inueniet utrinq; frequēter uitam, frequēter lucē, dehortationē à tenebris, creberrimè ueritatē, gratiā, gaudiū, carnē ac sanguinē Domini, iudiciū, peccatorū remissionem, dilectionē Dei erga nos, præceptū nos inuicē diligendi, seruāda esse cūcta præcepta, redargutionē mūdi, diaboli et Antichristi, promissionē Spiritus sancti, adoptionē Dei, fidē ubiq; à nobis expetitā, ubiq; patrē et filiū: et si per omnia character utriusq; notetur, prorsus unus & idē euangelij et epistolæ color reperietur. Apocalypsis uerò ab utriusq; est omniū alienissima, et ad illa propè ne uerbo quidē, ut sic dicā, accedit et cōiungitur, nec syllabā aliquā cum illis cōmunē habet. Sed nec memimit, nec cogitat, ne epistola quidē, de hac Apocalypsi (ut interim de euāgelio taceā) nec uicissim Apocalypsis de epistola: cū Paulus aliquid de reuelationib. suis significet in epistolis suis, quās tamē nō sic inscripsit, ut eas Apocalypses appellarit. Adhuc ex ipsa quoq; phrasi cōiecturari potest, quæ sit Euāgelij et Epistolæ, deinde et Apocalypseos huius diuersitas. Illa nāq; nō modò mos sense secūdū Græcā dictionē, sed et disertissimis dictionib. syllogismis et structuris expositionis scripta sunt: ac procul abest, ut uox aliqua barbara aut solœcismus uel omnino idiotismus in illis reperiatur. Etenim Euāgelista hic utriusq; habuit, sicut apparet, et sermōis et scientiæ facultatē, quod Dominus illi et sapientiæ et scientiæ gratiā largitus sit. De altero uerò, nō nego quòd et reuelationē uiderit, et scientiā ac prophetiā acceperit: interea tamē dialectū ac linguā illius haud exactè Græcè loquentē, sed idiomate subinde barbarico utentē, & alicubi etiā solœcizantē uideo, quæ in præsenti necessariū nō est recensere. Haud enim carpēdi gratia ista scribo, ne huius me quisquā insimulet, sed dissimilitudinem duntaxat scriptorū istorū expendo. Ipse tamen Dionysius in Epistola ad Hermā, Apocalypseos reuelationes ad historias suorū tēporū accōmodat: inquit

enim

enim, et Iohanni quoq; similiter reuelatur. Datũ enim illi est, inquit, os ad loquendum magna, & blasphemias, & data est ei potestas ad menses quadraginta duos. Eusebius lib. 7. cap. 10. Quos uerò suos antecessores putet, qui negarint Apocalypsin Iohannis Apostoli esse, difficile est intellectu, cùm Tertullianus & Origenes, qui Dionysij præceptor fuit, non dubitent eam Iohanni Apostolo adscribere, ut in præcedẽtibus ostensum est.

De alijs apocryphis.

Origenes apocrypha subinde citat, sed ut recepta: ut Homilia decima in Leuiticum, citat quendam libellum ἀνώνυμον, in quo contineri ait hoc ab Apostolis dictum: Beatus est qui etiam ieiunat, pro eo ut alat pauperem. Et Homilia uigesimaoctaua in Numeros, meminit libri Enoch, in quo plurima arcana contineri dicit: sed apud Hebræos in nulla haberi autoritate. Rursus Homilia decima quinta in Iosuam, citat libellum quem appellat Testamentum duodecim patriarcharũ, & dicit eum non haberi in Canone. Meminit & libri doctrinæ Petri, in procœmio libri primi de Principijs: sed inter libros Ecclesiasticos non haberi dicit, ut qui nec Petri sit, nec alterius cuiusquã qui spiritu Domini fuerit inspiratus. Et suspectum enim librum, & multa falsa, ab alijs, non à Petro inserta, Serapion Antiochenus iudicat apud Eusebium lib. 6. cap. 12.

De libro Pastoris.

Ex eo citat dictum, quod etiam apud superiores Doctores reperitur, Origenes libro 1. de Principijs, capite tertio: Primum crede, quia unus est Deus, qui omnia creauit atq; composuit: & fecit ex eo quod nihil erat, ut essent uniuersa. Ad eius libri lectionẽ hortatur Homilia decimatertia in Ezechielem. Sed Homilia prima in Psalmum trigesimumseptimum, dubitare uidetur, an sit recipiendus. De eo & Tertullianus hæc iudicauit, libro de Pudicitia: Crederem tibi, inquit scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, diuino instrumento meruisset incidi, si non ab omni concilio Ecclesiarum etiam uestrarum inter apocrypha & falsa, iudicaretur adultera, & ipsa, & inde patrona sociorum.

De euangelio Petri.

Recusans Eusebius lib. 6. capite undecimo scripta Serapionis Antiocheni, etiam librum quendam ab eo compositum, de Euangelio secundum Petrum, indicat, scriptum hoc nomine, ut quæ falso erant in eo libro dicta, redargueret: propter quosdam qui in Rosensi Ecclesia, scripti eius prætextu, ad doctrinas alienas exorbitauerant. Ex eo Serapionis scripto, hæc recitat Eusebius: Nos enim, inquit Serapiõ, fratres & Petrũ et alios apostolos recipimus tanquã CHRISTVM. Nomina uerò illorum falso inscripta tanquam experti recusamus, scientes nos talia non accepisse. Ego enim cùm apud uos essem, cogitabam cunctos rectæ fidei consentire: & cùm codicem, quem sub nomine Petri, uelut illius Euangelium, adferebant, non percurrissem, dicebam, si hoc solùm est, quod simultatem hanc inter uos generare uidetur, legatur. Iam uerò quoniam mentem illorum ex dictis meis hæresin quandam celare noui, ad uos redire satagam. Itaq; fratres expectate me uelociter adfuturũ. Nos uerò fratres sciẽtes, qualis fuerit Marciani hæresis, qui sibi ipsi contrarius non intellexit quæ locutus est: quæ ex ijs cognoscetis, quæ ad uos scripsimus. Id enim præ alijs, qui Euangelium hoc triuerunt, hoc est, præ successoribus eorum quiillud exorsi sunt, quos Opinatores uocamus, præstare potuimus. Licet enim plurimos sensus doctrinæ illorum, ab eis usurpatos, percurrere, & plura quidem rectam habere seruatoris doctrinam: quædam uerò aliunde accersita, & inserta, quæ uobis etiam subsignauimus ostendero. Hæc ille.

DE VERSIONIBVS.

Septuaginta interpretũ Origenes sæpe meminit, sed nõ sine reprehensione. Quemadmodũ Homilia 12. in Hieremiam ait, eos quædam non intellecta abstulisse. Homilia uerò sexta in Ezechielẽ, ait, eos sensum magis scripturæ, quàm uerbũ de uerbo expressisse. Autor contrà Homiliarum in Canticum, Homilia prima ait: Nos septuaginta interpretum scripta per omnia custodimus. Post septuaginta Origenes sæpe citat uersionem Aquilæ: ut Homilia quarta in Esaiam, & Homilia secunda in Canticum, ubi dicit autor, Aquilam Hebræam expressisse ueritatem. Narrat enim Eusebius lib. sexto, cap. decimosexto, Origenem præter Ebraicè descriptos sacros libros, & scripturas Septuaginta, aliorum etiam uersiones scrutatum esse, & contulisse: ac præcipuè Aquilæ, Symmachi & Theodotionis uersiones nominat. postea & de alijs sic ait capite decimoseptimo: Quosdam alias, præter communes illas & uulgatas uersiones inter se uariantes, Aquilæ uidelicet, Symmachi & Theodotionis reperit, quas nescio ex quibus latebris, multo tempore absconditas, & à se inuestigatas, in lucem produxit: de quibus, cùm propter obscuritatem cuius essent ignoraret, hoc solùm indicauit, quòd aliam Nicopoli in Actiaco littore, aliam uerò alio quodam loco repe rit. In Hexaplis uerò Psalmorum, post quatuor illas insignes uersiones, non quintam modò, sed & sextam & septimam interpretationem adiecit: & de una quidem rursus indicauit, inuentam esse eam Hiericho in dolio, tempore Antonini filij Seueri. Hisce autẽ cunctis in unum corpus compactis, diuisisq; per colon, & inuicem inter se, unà cum Hebræorum annotatione oppositis, exemplaria nobis quæ Hexapla dicuntur, reliquit: ac sæparatim Aquilæ & Symmachi & Theodotionis uersiones unà cum Septuaginta coniungens, Tetrapla constituit. Hinc diuersas interdũ citat scripturas Origenes, ut Homilia decima in Hieremiam, ubi & hoc ait: Oportet & id quod in usu est, atq; in Ecclesiis legitur, exponere: & hoc quod in Ebreis codicibus inuenitur, intactum non præterire.

CAPITIS IIII. FINIS.

CAPVT V.

DE HÆRESIBVS.

De hæreſibus, ſub Gordiano.

Hæreſis Berilli.

PLeræq; hæreſes, qui in ſuperiori ſeculo ortæ ſunt, etiam hoc uiguerunt: ſic Cataphrygum hæreſis Romæ propugnatorẽ habuit Proclum, contra quem Caium diſputaſſe teſtatur Euſ. 6. cap. 21. et Tertullianus in Africa ad caſtra Mõtaniſtarũ trãſiiſſe, Hieronymus prodidit. Valentinianæ hæreſi Ambroſius addictus fuit, quẽ Origenes in uiã reduxit. Euſe. 6. cap. 18.

De hæreſibus.

IN Artemonis hæreſin de Chriſto, Beryllus etiam, celebris alioqui in Arabia doctor, lapſus eſt, ut diceret, Chriſtum, antequàm homo fieret, ſecundum propriæ ac ſeparatæ ſubſtantiæ circumſcriptionem non extitiſſe: nec propriam, ſed paternam duntaxat in ipſo manentem habere diuinitatem: quemadmodum Euſebius teſtatur libro ſexto, capite trigeſimoterti o. & breuius hanc hæreſin Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum complectitur: Lapſus eſt, inquit, in hæreſin, quæ Chriſtum ante incarnationem negat. Contra eum igitur plurimi Epiſcopi diſceptarunt, ſed in primis Origenes, ad eam ipſam hæreſin diſcernendam in Arabiam cum alijs accerſitus, errore deprehenſo, ueris eum rationibus redarguit, repreſſit, & in ſententiam ſanam reſtituit. Acſcribit Euſebius, eius Synodi geſta, & diſputationes Origenis contra Berillum, ſuo adhuc tempore extitiſſe: quod & Hieronymus affirmat.

DE HÆRESIBVS SVB Philippo.

Arabiana hæreſis.

REperti ſunt & in Arabia (Sicut hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebius libro ſexto, capite trigeſimoſeptimo indicat, & in Chronico annotauit) qui opinione à ueritate aliena, animas unà cum corporibus interire aſſeruerunt: ſeu, ut Auguſtinus de hæreſibus ad Quoduultdeum ſcribit, animas dixerunt cum corporibus mori atq; diſſolui, in fine uerò ſeculi utrunque reſurgere. Tempus eius hæreſis in Chronico annotat, annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum primum, ſed nomen autorum eius, nec apud eum, nec apud alios reperias. Auguſtinus Arabicos appellandos cenſet. Eos ab errore Origenes, in ſynodum frequentẽ aduerſus eos coactam uocatus, liberauit: quẽadmodum Euſebius idem teſtatur.

Helcheſaitarum hæreſis.

EOdem, quo illi in Arabia extiterunt hæretici, tempore, deprehenſa & alia eſt hæreſis quorundam qui ſe Helcheſaitas (ut Euſebius indicat libro ſexto, capite trigeſimo octauo) nominaruntt, ſeu, ut Epiphanius & Auguſtinus ſcribunt, Elceſeos, ab Elxai (uel, ut Epiphanius habet, Elxeo) falſo quodam eorum propheta & doctore. Fuiſſe autem et hos in Arabia, Epiphanius prodidit, ultra mare mortuum, in regione Moabitide, circa torrentem Aricorũ in Iturea & Nabatide: ac neq; Chriſtianos eos fuiſſe, neq; Iudæos, neq; Græcos, ſed medios. Iudæis tamẽ addictos fuiſſe in omnibus: ac ſimilia cum Ebionæis ſenſiſſe, Auguſtinus annotauit. De ijs Epiphanius et hæc indicauit. Omnia apud ipſos fraudis plena ſunt. Exeuntes tamen in publicum, turbæ frequentes comitãtur, puluerem pedum eorum colligentes medelæ gratia: & ſaliuam ſputorum excipientes, ea utuntur in præſeruatiuis ac amuletis. Fabulis uerò ex diuerſis hæreſibus corrogatis, ſuum errorem compoſuerunt.

De Deo.

Quod ad uniuerſorũ quidem principium, Theodoretus inquit, attinet, nobiſcũ conſentiunt. unũ enim ingenitũ dicunt, eumq; uocant omnium opificem. Idem Epiphanius: Deum, inquit, unum eſſe dicunt, & eum colunt, baptiſmis quibuſdam utentes. De ijſdem tamẽ & hoc ait: Colunt aquam, & hanc uelut Deum putant, fermè dicentes ex ea eſſe uitam.

De Chriſto.

Chriſtum autem non unum dicunt, ſed alium quidem ſuperné, alium uerò inferné. Eumq; olim in multis habitaſſe, poſtremò autẽ deſcendiſſe. IESVM autem aliquando quidem ex Deo eſſe dicunt, aliquando autem uocant ſpiritum: quandoq; autem uirginem matrem habuiſſe, in alijs autem ſcriptis ne hoc quidem. Rurſus autem eum etiam dicunt tranſire in alia corpora, & in unoquoq; tempore diuerſe oſtẽdi. Hæc Theodoretus. Epiphanius uerò ſic: Chriſtum nomine confitentur, creaturam ipſum putantes, & ſemper apparentem. Et primùm formatum eſſe ipſum in corpus Adam, & rurſus induere quando uult.

De Spiritu ſancto.

Spiritum ſanctũ nugantur eſſe ſororem ipſius Chriſti, fœmineo habitu præditam. Eundem item, ſicut et Chriſtum, habere altitudinem dixerunt ſex miliariorum, & latitudinẽ uigintiquatuor. Epiphanius. Addit & hoc Nicephorus: ſpiritum ipſum tranſcorporari, atq; in diuerſa ingredi corpora, & unoquoq; tempore uariè exhiberi, Helcheſaitæ ſentiunt.

De confeſsione & martyrio.

In differens eſſe dicunt, quemadmodum & ſuprà de Baſilide indicatum eſt, ſi neges: & eum qui intelligit in neceſsitatibus, ore negaturum, non corde: Euſebius ex Origene lib. 6. cap. trigeſimooctauo.

De remiſsione peccatorum.

Librum quendam compoſuerunt, quem dicebant deſcendiſſe de cœlo. Qui eum autem audiuiſſet, peccatorum remiſsionem conſequi, præter eam quam Chriſtus dedit. Euſebius, Theodoretus.

De adiaphoris.

Quidam ex ipſis ab animatis abſtinent, & pro his qui ex genere Elxai ſunt, moriuntur. Epiphanius.

De ſcriptura.

Ex uniuerſa ſcriptura quædam reprobent, ac rurſus quædã cùm ex ueteri tum nouo Inſtrumento uſurpant. Apoſtolum prorſus reiiciunt. Epiphanius eos libro Elxæi, ut dicit: & alio quodam, quem dicant eſſe fratris ipſius Elxei.

De magía & aſtrología.

Incãtationibus et dæmonũ inuocationibus & baptiſmatis, hi quoq; uſi ſunt in Elementorum confeſsione.

Astrologiã autem & Magiã & Mathematicũ errorẽ amplectebantur, & seipsos Prognosticos appellabãt. Nicephorus. Durasse autẽ hanc sectã sua adhuc æta te, Epiphanius scripsit. Contra quod tamẽ Eusebius di cit, eam simulatq; cœpisset, fuisse extinctã. De illis ue rò qui eã impugnarint & euerterint, sic ait Theodore tus: Aduersus hãc hæresin uerè scripsit Origenes. Eam autẽ cõflauit Alcibiades, ex Apamea Syriæ profectus.

DE HÆRESIBVS SVB DECIO.

Hæresis Nouatiorum, seu Catharorum.

VEnerat Nouatus ex Africa profugus Romam, quo tempore gubernationi Ecclesiæ Romanæ præerat Fabianus, circa annum Christi, 253. ibi presbyter factus, episcopatum continuò ambire cœpit. Sed cùm eò excidisset, nouam per defectionem hæresin excitauit, dolore episcopatus amissi succen sus, cuius tamen ipse causam aliam simulabat. Cùm e nim post persecutionem Decianam fratres quosdam lapsos, presbyteri eo freti quod dicit Dominus, Nolle se peccatoris mortem, sed conuersionẽ, recepissent: se cumq; retinentes, orationum & conuictus consortes reddidissent: Nouatus contra lapsos superbia inflatus, propriæ hæresis, eorum uidelicet qui puros seipsos es se profitentur, autorem se ac ducem constituit, & cõ uenticula habuit. Hæc Euseb. lib. 6. cap. 42. & 43. ex Epistola Dionysij refert. Affirmat & Theodore tus, Epiphanius, & Ambrosius in libro de Pœniten tia. Socios autem, præter Nouatianum, perditissimũ & flagitiosissimum illum, confessores habuit, quemad modum Cornelius Romanus episcopus ad Fabium An tiochenum scribit, Maximum presbyterum, Vrbanũ, Sidonium, & Celerinum: sed qui deprehensa eius uer sutia, periurijs & mendacijs ad Ecclesiam redierint. Memimit eorum etiã Cyprianus lib. 2. epist. 10. & lib. 3. epist. 2. & 3. ubi et Nicostratũ & Macarium cum Nouato sensisse ait. Nouatiani uerò socium Martianũ presbyterum Arelatẽsem fuisse, significat lib. 3. epistola 12. & Serapion in libro de Euangelio Petri, memi nit hæreseos Martiani, ut refert Euseb. lib. 6. cap. 12. Ait & libro 4. epistola 2. Nouatianum per plurimas ciuitates nouos apostolos suos mittere, ut institutionis suæ fundamenta constituat.

HYPOTHESES,

De pœnitentia & salute.

Fidelibus post baptismum nullum dixit esse locũ pœnitentiæ, etiamsi quæad pœnitentiam requirantur, omnia fecissent, autores Dionysius Alexãdrinus apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimo tertio: Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus. Nec abnegatores Christi, aut lapsos, posse salutem cõsequi dixit, etiamsi pœnitentiam agant. Theodoretus. Rationes uerò has Nouato fuisse, Cyprianus refert libro quarto Epistolarum, epistola secunda. Primùm quòd lapsi mortui, ac propterea non recipiendi uide rentur. Deinde, quòd uirtutes minuerentur, & mar tyria deficerent, si lapsis pœnitentia laxaretur, & pœnitentibus pax concederetur. Tertiò, quia idololatria & alia peccata delinquentium, transirent ad alios delinquentes, si eis cõmunicarent. Autor item epistolæ ad Nouatianum hæreticum addit, eum ex dicto (Qui me negauerit, eum ego uicissim negabo) probare uoluisse, lapsorum pœnitentiam irritam esse.

De baptismo.

Nouatiani rebaptizabãt ab orthodoxis baptizatos. Cyprianus ad Iubaianum. Hinc Dionysius ad Stepha num Romanum de Nouato scribit, & Eusebius indicat libro septimo, capite octauo: Sacrum lauacrum re probauit, fidem ac confessionem quæ ante baptismum fuerunt, subuertit: ac Spiritum sanctum ex illis, etiã si spes est aliqua quòd uel in ipsis maneat, uel rediturus sit, prorsus profligauit. Cyprianus in libro ad Iuba ianum, de hæreticis rebaptizandis, indicat Martianũ tantùm in nomine Christi baptizasse.

De coniugio.

Secundas nuptias, Augustinus scripsit libro de hæ resibus, à Catharis damnari: quod & Autor Sympho li in Cypriano affirmat. Id uerò, Nouati dogmatis à successoribus eius adiectum fuisse, Theodoretus indicat, quemadmodũ Epiphanius: Si quis, inquit, post ba ptisma coniunctus fuerit uxori secundæ, apud hos nõ susciptur amplius. Hæc capita sunt impietatis & blas phemiæ Nouati: quæ quomodo in Synodis damna ta & explosa sit, infrà suo loco indicabitur. Confu tasse autem Nouati hæresin multis Epistolis Corne lium Romanum episcopum, & Dionysiũ Alexandri nũ, Theodoretus affirmat. Et Cyprianus, qui & ip se pluribus rationibus Nouati crudele dogma subuer tit, libro tertio, epistola tredecima scribit, Cornelium & Lucium episcopos Romanos decreto contra Noua tum statuisse, dandum esse pacem lapsis: ijs q; post actã pœnitentiã fructũ cõmunicationis & pacis non negan dum, literis suis contestatos esse. Dionysij literarũ de pœnitentia ad Fabiũ Antiochenum, fratres per Ægyptũ Cononẽ Hermapolitanũ, fratres Laodicenos, fratres alios per Armeniam Corneliũ Romanũ, quibus ap probare se significauit epistolam concilij contra No uatum & confessores Nouati sententiæ adhærentes, meminit Eusebius libro sexto, capite ultimo. Exemplum autẽ epistolæ Dionysij ad Nouatũ ipsum, qua ad cõcordiam ut redeat cum fratribus eum hortatur, ad hunc modum posuit: Dionysius Nouato fratri salu tem: Si inuitus impulsus es, sicut dicis, declarabis hoc, si uoluntarius redieris. Oportebat quidem nihil non ferre, ne Ecclesiam Dei scinderes. Nec est martyriũ hoc, Ecclesiæ non scindendæ gratia toleratum, mino ris gloriæ, quàm quod fertur propter idololatriæ re cusationẽ. Imò, meo iudicio, maioris etiam gloriæ est. Nam illic pro una quidem anima martyriũ toleratur, hîc uerò pro uniuersa Ecclesia. Iam uerò si persuaseris fratribus, uel coẽgeris etiam ut ad concordiam redeãt: maius erit factum hoc tam egregium, quàm delictum quod præcesit: & illud quidem non imputabitur, hoc uerò laudabitur. Si uerò immorigeris persuadere ne quiueris, seruando serua tuam ipsius animã. Saluũ tẽ pãci in Domino adhærentẽ esse cupio. Hæc ille ad No uatũ, ut Eus. refert lib. 6. cap. 45. Ex epistola uerò eius dem ad Dionysium Romanum de Nouato, hæc uerba recitat libro septimo, capite octauo: Nouato quidem meritò suscensemus, qui Ecclesiam discidit, & quos dam ex fratribus ad impietatem & blasphemias tra xit, deq; Deo prophanissimã doctrinã subintroduxit, ac beni-

ac benignißimo Domino noſtro IESV Chriſto immiſericordiæ calumniã ſtruxit. Et præter hæc omnia, ſacrũ lauacrũ reprobauit: fidem ac confeßionẽ, quæ ante baptiſmum fuerunt, ſubuertit: ac Spiritum ſanctum ex illis, etiam ſi ſpes eſt aliqua quòd uel in ipſis maneat, uel rediturus ſit, prorſus profligauit.

CYPRIANI RATIONES CONTRA hæreſin Nouatiani, de non recipiendis lapſis.

Ex libri quarti Epiſtolarũ, epiſtola ſecunda ad Antonianum.

Ratio prima. Si lapſorum pœnitentiam reſpuimus, habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum uxoribus, cum liberis, quos incolumes reſeruauerant, in hæreſin uel ſchiſma diabolo inuitante rapiuntur. *Secunda.* Adſcribetur nobis in die iudicij, nec ouem ſauciam curaſſe, & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe. Et cùm Dominus relictis ſanis unam errantem & lapſam quæſierit, & inuentam in humeris ſuis ipſe portauerit: nos in tantũ non quærimus lapſos, ſed & uenientes arcemus. Et cùm pſeudoprophetæ gregem Chriſti nunc naſtare & lacerare non deſinant, occiſionem canibus & lupis damus. *Tertia.* Vbi erit quod Apoſtolus dicit? Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſaluentur. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et iterum: Factus ſum infirmus, ut infirmos lucrarer. Et iterum: Si patitur unum membrum, compatiuntur & cætera membra. *Quarta.* Alia eſt Philoſophorum & Stoicorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria eſſe, & uirum grauem non facilè flecti oportere. Inter Chriſtianos autẽ & philoſophos plurimum diſtat. Et cùm Apoſtolus dicat, Videte ne quis uos deprædetur per philoſophiam & inanem fallaciam: uitanda ſunt quæ non de Dei clementia ueniunt, ſed de philoſophiæ duriori præſumptione deſcendunt. De Moſe autem legis in ſcripturis dictũ, Fuit homo lenis nimis. Et Dominus in Euangelio ſuo dicit, Eſtote miſericordes. *Quinta.* Iterum in Scripturis legis: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habẽtibus. Quã poteſt exercere medicinã, qui dicit, Eos ſolos curo, quibus medicus neceſſarius nõ eſt? Opẽ noſtram, medelam noſtram uulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes iacere, quos perſecutione funeſta ſauciatos uidemus: qui ſi in totum mortui eſſent, nunquã de eiſdem poſtmodum confeſſores & martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis, quod pœnitentia ſequente reualeſcat ad fidem: ad uirtutem pœnitẽtiæ robur armetur, quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia durè & crudeliter ſegregatus, ad gentiles ſe uias & ſecularia deſideria conuertat: uel ad hæreticos & ſchiſmaticos reiectus, ab Eccleſia tranſeat.

Sexta. Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam lapſis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment ueniam denegandã, cùm ſcriptum ſit: Memento unde ceciderit, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod utiq; ei dicitur, quem conſtat cecidiſſe. *Septima.* Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, & pœnitentiam non agenti Dominus cõminatur: Habeo, inquit, aduerſus te multa, quòd uxorem Ieſabel, quæ ſe dicit propheten, ſinis docere, & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de ſacrificio: & dedi illi tempus ut pœnitentiã ageret, & pœnitere noluit à fornicatione. Quos utiq; ad pœnitentiã Dominus non hortaretur, niſi quia pœnitentibus indulgentiã pollicetur. Et in Euangelio: Dico, inquit, uobis, Sic erit gaudium in cœlo ſuper unum peccatorem pœnitentiã agentem. Nam cùm ſcriptum ſit, Deus non fecit mortem, nec delectatur in perditione uiuorum: utiq; qui neminem uult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuò ad uitam redire. Ideo & per Ioel prophetam clamat & dicit: Reuertimini ad me ex toto corde ueſtro. In Pſalmis etiam legimus cenſuram pariter et clementiã Dei, cõminantis ſimul ac parcẽtis: Viſitabo, inquit, in uirga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum, miſericordiam autem meam non diſpergã ab eis. Nec putes frater chariſſime, hinc aut uirtutem fratrũ minui, aut martyria deficere, quòd lapſis laxata ſit pœnitentia, & quòd pœnitentibus ſpes pacis oblata. Manet uerò fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes toto corde Deum ſtabilis & fortis perſeuerat integritas. Nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur: non tamen idcirco uirginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitũ glorioſum per aliena peccata langueſcit.

Quòd ſi peccato alterius inquinari alterum dicũt, & idololatriã delinquentis ad non delinquentem tranſire, ſua aſſeueratione contendunt excuſari ſecundum ſuã uocem nõ poßint ab idololatriæ crimine: cùm conſtet de Apoſtolica probatione, mœchos & fraudatores, quibus illi cõmunicãt, idololatras eſſe. Nobis autẽ ſecundum fidem noſtram & diuinæ prædicationis datam formam, competit ratio ueritatis, unumquenq; in peccato ſuo reum teneri, nec poſſe alterum pro altero reum fieri: cùm Deus præmoneat & dicat: Iuſticia iuſti ſuper eum erit, & ſcelus ſcelerati ſuper eum erit. Et iterum: Non morientur patres pro filijs, & filij nõ morientur pro patribus, unuſquiſq; in peccato ſuo morietur.

Aliæ rationes Cypriani, ex libro primo Epiſtolarũ, epiſtola ſecunda.

Lapſi abſoluendi, & ad Euchariſtiã admittẽdi ſunt ob has rationes. Primùm, quia poteſtas clauiũ à Deo cõceſſa eſt, ad abſoluendũ peccatores. Secũdò, quia nõ poteſt idoneus eſſe ad martyriũ, qui ab Eccleſia nõ armatur ad præliũ: et deficit mens, quã nõ accepta euchariſtia erigit et accẽdit. Tertiò, quia per pacẽ acceptã, id eſt abſolutionem, accipitur Spiritus patris, qui corroborans ſeruos ſuos ipſi loquitur & cõfitetur. Quartò, quia paſtores nõ fungũtur ſuo officio, niſi lapſis pacẽ dederint, et pugnaturis arma ſuggeſſerint. Vnde et nolentes dare pacẽ, reddẽt rationẽ importunæ cẽſuræ et inhumanæ duritiæ ſuæ. Poſtremò, quia de lapſorũ pœnitentia cõmuni cõſilio ſtatuendũ eſt, propter diſciplinã Eccleſiaſticã. Lib. 2. Epiſtolarum, epiſt. 7.

Quibus in locis & quandiu hæreſis Nouatiana durarit.

Nouatũ Socrates hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 4. cap. 28. ſub Valeriano ſupplicium tuliſſe ſcribit. Verũ hæreſis eius, eo ſublato, diu poſt in aliquot ætates ſe

extendit, & passim uagata est. Interdum enim repressa ad tempus, statim rursus resuscitata, & paulatim confirmata est, quemadmodum in sequentibus patebit. Sæpe ecclesiæ Nouatianorum funditus dirutæ, ipsi uerò persecutiones passi sunt. Sæpe uerò ecclesiæ eorum denuò apertæ, & libertas ijs ex toto uicissim concessa est. Fuerunt autem ut plurimum Nouatiani in Oriente, ac in Africa maximè, & Phrygia, ut Socrates scribit: qui & Nouatianorũ in Cappadocia meminit, & in Hellesponto. Item in Occidente, ut Romæ, in Gallijs, & alibi. Constantinopoli uerò longissimè hæc hæresis duraut, proprium semper habens Episcopũ: quo ad urbs ea à Turcis capta, et publica religione exuta est.

DE HÆRESIBVS SVB Gallo.

Nœtiana & Sabelliana seu Patripassianorum hæresis.

NŒtianam hæresin Epiphanius scribit extitisse ante suam ætatẽ annis centũ & triginta, ortam à Nœto quodam, cuius discipulum Sabellium fuisse, Augustinus & Epiphanius retulerunt: à quo hæresis ea aucta, celebrius postea nomen accepit. quod & Augustinus sensit, qui Epiphaniũ ideo reprehendit, quòd ex Nœtianis & Sabellianis non unam et eandem, sed duas separatas hæreses fecerit. Cœpisse autem Nœti aut Sabellij hæresin circa annum Christi ducentesimum quinquagesimum septimum, apud Ptolemaida Pentapolios, Theodoretus tradidit. Philastrius autem, eumq; secutus Augustinus, ante Sabellium in Africa agitatam eandem hæresin indicarunt, à Praxea quodam & Hermogene: à quibus etiam Praxeani & Hermogeniani, Sabellianæ hæresis sectatores dicti sint: quos etiam in Mesopotamia & Romæ partibus fuisse, Epiphanius testatur. Deniq; dissensiones & scãdala in Ecclesiis tam Occidentalib. quàm Orientalibus excitata ab ea hæresi fuisse, Bergomensis scripsit libro octauo.

Hermogenem in Africa fuisse Tertulliani ætate, ex Tertulliano ipso & Augustino apparet. Cuius hæresin Tertullianus breuiter indicat, in libro de Præscriptionibus hæreticorum: prolixius uerò in libro quem contra eius hæresin peculiariter scripsit, in cuius initio Hermogenem insimulat loquacitatis, impudentiæ & maledicentiæ, uocat & hæreticum Materiarium. Fuisse et Praxeã in Africa, Augustinus testatur. Quanquam & Romæ eum fuisse, eoq; uenenum suum ex Asia attulisse, Tertullianus ait, in libro quem cõtra Praxean scripsit.

HYPOTHESES.

De Deo.

Dicebat Sabellius sicut & Nœtus, patrem & filiũ & Spiritũ sanctũ unam esse hypostasin, & unã personam, quæ tria habeat nomina. Et eundem aliquando quidem uocabat ut patrem, aliquando autem ut filium, aliquando uerò ut Spiritum sanctum. Et in ueteri quidem testamento, ut patrem legem tulisse: in nouo autem, ut filium hominem factum esse: ut Spiritum autem sanctum, ad Apostolos uenisse. Theodoretus. Hilarius libro quarto de Trinitate. Addit Epiphanius ad hanc hypothesin & similitudines, ab hominis corpore & anima & Sole ductas. Et de Nœto etiam dicit, putasse eum, eundem patrem & filium & Spiritum sanctum in carne passum & genitũ. Sic & Praxeã sensisse Tertullianus scribit, in libro de Præscriptionibus, & aduersus Praxeã: nimirũ ipsum Deum patrem descendisse in uirginem, ipsum ex ea natũ, ipsum passum, ipsum deniq; esse IESVM Christum crucifixum, mortuum, qui ipse sibi sedeat ad dextram. Cuius erroris easdem sibi finxit rationes, quas Nœtus & Sabellius ex ueteri & nouo testamento male intellectas proferebant. ut, Ego Deus, & non est præter me alius. Item, Ego & Pater unum sumus. Et Nicephorus lib. 4. cap. 22. dicit Sabellium hanc suam opinionem accepisse à sectatoribus Montani, asserentibus tres diuinitatis subsistentias, unum esse. Tertullianus Hermogenem ait duos facere deos, contra Dei unitatem, Deum scilicet & materiam: quam quidem Deo superiorem eum constituisse dixit, quia materiam Deum oportuerit uti.

De patre.

Nœtus dixit, Patrem passum esse. Inde igitur Patripassianos dictos hæreticos hos, Philastrius & Augustinus tradiderunt. Hausisse uerò eos errorem suum ex Apocryphis quibusdam, Epiphanius ait, & maximè ab Euangelio secundum Ægyptios, cui quidam hoc nominis eos imposuisse tradit, in quo multa uelut in abscondito mystice ex persona saluatoris referantur: uelut ipse indicet discipulis eundem esse patrem, eundem filium, eundemq; spiritum sanctũ. Deinde usos eos quasi pro fundamentis, sententijs quibusdam ex ueteri & nouo testamento, idem testatur. Ex ueteri quidem his: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Item, Ego sum Deus patrum uestrorum, ego primus, & ego post hæc, Non erunt tibi dij alij. Item: In te adorabunt, & in te preces fundent, quia in te Deus, & non est Deus præter te. Ex nouo uerò, quod dicat CHRISTVS: Ego in patre, & pater in me: et, Duo unum sumus. Quod dictum Augustinus libro quinto de Trinitate, Sabellianos ita ait corrupisse: Ego & pater unum est. Sed & hoc dictum erroris sui stabiliendi causa Nœtianos usurpasse, Epiphanius scripsit, quòd dixerit Paulus: Quorum sunt patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est in omnibus Deus benedictus. Deniq; & hoc fundamentũ Basilius in Epistola ad Neocæsarienses Sabellio tribuit, quia dixerit CHRISTVS: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Cùm igitur in nomine dixerit, non in nominibus: non etiam conuenire, tres esse personas.

De Christo.

Dicebat Hermogenes, corpus Domini in sole repositum esse: ut Theodoretus ait. Et Tertullianus inquit, Hermogenem alium facere Christũ, quia aliter cognoscat. Episcopos etiam Pentapoleos Lybiæ lapsos in hæresin Sabellij, Christum filium Dei negasse, eiusq; humana patri imputasse, refert Athanasius in epistola de sententia Dionysij contra Africanos.

De creatione.

Asseuerauit Hermogenes cum Stoicis, materiã semper fuisse, non natam, neque factam, neque initium habentem, & ex ea Dominum postea omnia fecisse. Item

Item, materiam sua natura ab æterno fuisse uitiosam, quamobrem & uitiosa in creatione facta esse. Tertullianus. Et, Materiam prima facie esse incorporalē. Exquisita autem ratione, neq; corporalem, neq; incorporalem inueniri. Si enim corpus, inquit, tantummodo esset, nihil ei incorporale appareret, id est motus. Si uerò in totum incorporalis fuisset, nullum opus ex ea fieret. Et quidem eiusmodi rationes Hermogenem protulisse, Tertullianus idem in libro quem aduersus hæresin Hermogenis scripsit, indicat: quarum hæc prima est: Aut de seipso fecit Dominus mundum: aut ex nihilo, aut ex aliquo. Ex seipso uerò non potuit, quia indiuisibilis est. Ex nihilo non fecit, quia multa mala sunt facta contra Dei bonitatem. Igitur ex materia mundum factum esse. Secunda: Deus semper fuit Deus & Dominus. Non potuit autem semper esse Dominus, nisi quid retro habuerit, cuius sit Dominus. Ergo materiam semper fuisse necesse est, cui imperarit ille Dominus. Tertia, quam Theodoretus recitat. Existimabat stolidus ille fieri non posse, ut Deus uniuersorum, ex ijs quæ non sunt, fabricaretur.

De causa peccati.

Facit Hermogenes Deum etiam causam nonnullā peccati, ideo quod ex materia uiciosa Deum mala sentit condidisse. Tertullianus.

De diabolo.

Diabolum & dæmones in materiam esse refundendos, Hermogenes etiam dixit, autore Theodoreto.

De coniugio.

Nubit Hermogenes assiduè, legem Dei in libidinē defendit. Tertullianus aduersus Hermogenem.

Contra illud quod Praxeas ex his dictis (Ego deus & alius præter me non est &c.) probare conatus est non esse tres personas in diuina essentia.

His dictis, quibus temerè Praxeas errorem suum stabilire uoluit, Tertullianus in libro contra Praxeam opponit alios Scripturæ locos manifestè de filij Dei persona à patre distincta testantes, ex quibus declarationem petendam monuit, ut quòd Ioannis primo, filius uerbum expresse à Deo discernitur. & Petrus confitetur, Tu es filius Dei uiui: in quo dicto ait clarè distingui duas personas. Item illud Ioannis tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Ad dictum uerò quo etiam Hermogenes utebatur, respondet: Tres unum sunt, non unus. Quod enim dicitur, Ego & pater unum sumus: ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem pertinet.

Contra illud quòd Hermogenes dixit, Deum semper fuisse deum & dominum.

Deus, inquit Tertullianus, semper fuit, Dominus nō semper. Deus enim substantiæ nomen est, Dominus potestatis. Cœpit igitur esse Dominus, rebus omnibus creatis.

Contra illud, quòd materiam Hermogenes æternam dixit.

Deus solus est æternus, & est unus. Ergo non potest materia simul esse æterna. Tertullianus.

Contra hoc quòd dixit idem, Materiam ab æterno malam esse.

Si materia mala est ab æterno, frustra laboramus de malo auferendo, leges frustra feruntur, iudiciū frustra cōstituitur. Item: si materia uitiosa fuit, quomodo Deus bona ex ea potuit producere? Tertullianus.

Contra hoc, quod ex materia omnia esse creata, idem etiā dixit.

Quod factum inuenio, non fuisse cognosco: etiamsi quid ex aliquo factum est, ex facto habet causam, ut ex terra herba, & fructus & pecudes, & figuratio hominis ipsius, ut ex aquis natatiles & uolatiles animæ. Huiusmodi originem rerum ex his prolatarum potero materias appellare, sed factas à Deo & ipsas. Cæterum omne ex nihilo constitisse, illa postremò diuina dispositio suadebit, quæ omnia in nihilum redactura est. Tertullianus aduersus Hermogenem.

Contra illud, quòd materiam neq; corporalem neq; incorporalem idem dixit.

Qui tibi concedit motum in secundam partē substantiæ deputare, cùm substantiua res non sit, quia nec corporalis, sed accidēs, si fortè substantiæ et corpori, ut actus & pulsus, ut lapsus, ut casus, ita & motus. Tertullianus contra Hermogenem.

Post Tertullianum, scripsisse aduersus Hermogenem etiā Theophilum Antiochenum, & Origenem, Theodoretus testatur. In Sabelliū uerò scripsisse Dionysium Alexandrinū, Theodoretus idem & Eusebius tradiderunt: & Athanasius in Epistola de sententia Dionysii contra Arianos. Rursus uerò Tertullianus etiam Praxeam peculiari in eum scripto cōfutauit. Durasse uerò aliquandiu hāc hæresin, historiæ testantur. Mortuo enim Nœto, nō extinctam eam secum, sed à sectatoribus eius corroboratā esse, Epiphanius scribit. Et Arij tempore Sabellianismo laborasse multos episcopos, Socrates lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ scribit. Augustinus uerò, etiā Priscillianū quendā dogma Sabellianum restituisse tradidit, in lib. cōtra Origenistas, cap. 4. Et Basilius, consopitam demum tempore Gregorij magni scripsit. Sed & Praxeæ hæresin corroborasse Victorinum quendam, Tertullianus in libro de præscriptionibus, indicauit.

DE HÆRESIBVS SVB GALIENO.

Nepotiana hæresis.

NEpotiana hæresis circa annum Domini ducentesimum sexagesimum quartum fuisse putatur. Autorē habuit Nepotem quendā Ægyptiorū episcopum, qui in Chiliastarum errorem incidens, promissiones Dei (ut Eusebius scribit libro septimo, capite uigesimo tertio) sanctis in Scripturis factas, Iudaico more exponendas docebat, & millenaria quædam annorum corporalibus delicijs in hac terra futuris decernebat, & opinionem hanc suam ex Apocalypsi Ioannis probare se posse putabat: librumq; de illa cōpositum, Elenchum allegoristarum inscripserat. Fuisse autem longo tempore agitatum hoc dogma, magnis fratrū motibus in Arsenoite Ægypti, Dionysius scripsit. Qui etiā librū Nepotis, de quo diximus, alio scripto, quòd cōmentariū de promissionibus nominauit, cōfutauit. Deinde apud Arsenoiten corā se de Ne-

potis errore dissensisse, ac plerosq; eo deceptos, cum gratia in uiam reduxisse scripsit. Verba ipsius ea de re ex commentarijs suis, quemadmodum Eusebius libro 7. capite uigesimoquarto refert, adscribimus.

Commentarium quendam Nepotis proferunt, quo ualde nituntur, ut qui irrefragabiliter regnum Christi super terram hanc futurum ostendat. In alijs multis Nepotem laudo, ac diligo, cùm propter fidem sedulitatemq; & exercitium in Scripturis, tum propter multam ipsius Psalmodiam, qua etiamnum multi ex fratribus delectantur: & hominem admodum ueneror, præsertim tanquam eum qui iam ad quietem præcesserit: at ueritas amica est, & præ cunctis honoranda. & si quid rectè dicitur, laudandum & approbandum candidè: quæ uerò nõ sanè scripta uidentur, inquirenda sunt, et refellenda. Quòd si præsens esset, & nudo sermone dogma suũ assereret, satis esset sine scriptis cõferre, interrogandoq; & respondendo aduersarios cõuincere et cõciliare. Quoniã uerò scriptũ extat, sicut quibusdã uidetur, admodũ probabile, & nonnulli Doctores legẽ et prophetas nihili faciũt, Euãgelijs adhærere detrectãt, et Apostolorũ epistolas cõtemnũt: huius uerò sỹngrãmatis doctrinã, tãquã magnũ aliquod et abscõditũ mysteriũ cõtinentem, profitentes simpliciores fratres nostros, nihil sublime nec magnificũ, neq; de glorioso ac uerè diuino Domini nostri aduentu, neq; de nostra resurrectione ex mortuis, et aggregatione nostri, & conformatione ad ipsum sentire permittunt: sed minuta & mortalia, qualia sunt hæc præsentia, in regno Dei speranda suadent: necessarium est, ut & nos uelut præsentẽ fratrem nostrum Nepotem alloquamur. Deinde subiungit: Cùm in Arsenoite essemus, ubi, sicut nosti, diu antè dogma hoc emersit, ita ut schismata & integræ ab Ecclesijs defectiones fierent, conuocatis presbyteris & doctoribus ex fratribus illorũ uicorum, præsentibus etiam fratribus quotquot adesse uolebant, publicè eos ad dogmatis huius inquisitionẽ exhortatus sum. Et cùm hunc mihi librum quasi armaturam quandam, & murum inexpugnabilem proferrent, totum triduum unà cum illis à mane ad uesperam usq; cõsidens, quæ in eo scripta sunt discutere conatus sum. Vbi etiam constantiam, ueritatis studium, tractabilitatem & intelligentiam in fratribus uehementer sum admiratus, quòd recto ordine & cum æquabilitate interrogarent ac responderent, & obsequerentur, nec ullo modo contentiose, quæ semel statuerunt, si falsa esse deprehenderentur, retinere, nec rursus contradictiones subtrahere, sed quantum fieri poterat proposito instare & confirmare conarentur: & tamen rursus ubi ratio exposcebat, sententiam mutare, & ueritatẽ unà nobiscũ cõfiteri non uenerentur, sed bona cum conscientia, absq; ulla hypocrisi, cordib. ad Deũ expansis, quæ demonstrationibus ac diuinarũ scripturarũ doctrinis cõprobabantur, cõplecterentur. Et tandem ipse doctrinæ huius anteſignanus & author, nomine Coracion, audientibus cunctis fratribus qui aderant, confessus est, nobisq; pollicitus: posthac se opinioni huic nolle attendere amplius, neq; de illa disputare, nec mentionem facere, neq; docere, quòd abunde satis oppositis argumentis conuictus. Reliqui uerò fratres præsentes, propter hãc collationem, ergà cunctos demissionem & consensionem gaudebant.

DE HERESIBVS SVB GALIENO, Claudio & Aureliano.

Samosateniana hæresis.

SVrrogatus in episcopatum Antiochenum Paulus Samosatenus, anno imperij Galieni (ut Eusebius indicat) sexto, Christi uerò ducentesimo sexagesimosecũdo, anno eiusdem decimotertio, CHRISTI uerò ducẽtesimo sexagesimonono, Artemonis hæresin resuscitauit, partim mẽtis motus elatione: partim uerò ea adductus occasione, quòd Zenobia, quã Persæ deiectis Romanis Syriæ et Phœniciæ gubernatricẽ dederũt, cũ Iudæis sentiebat. Eius igitur amicitiã Samosatenus sibi cõciliare studẽs, hac ei hæresi, à qua Iudæi nõ abhorrerẽt, se gratificari posse sperauit. Hanc occasionem Theodoretus recitat. Sed Philastrius ait, Zenobiam nõ sensisse prius cum Iudæis, sed Iudaismo imbutam fuisse ab hoc Paulo Samosateno. Quos sectios habuerit, Eusebius ex epistola Concilij Antiocheni de Samosateno retulit: episcopos nimirum & presbyteros, quos ideo quòd ab ijs obseruabatur, è uicinis agris & ciuitatibus, concionibus ad populum faciendis admisit. alios item presbyteros & diaconos, quos secum habuit, quosq; ut ab illis amaretur & suspiceretur, diuites reddidit. Quin & mulierculas subintroductas, & gregem quendam turpissimè ei adulentium ac in publicis cœtibus de ipso psallentium, atque encomijs quasi angelum è cœlis demissum extollentium.

HYPOTHESES.

De Deo.

Adserit Samosatenus, Deum patrem & filium & Spiritum sanctum unam esse personam, ijsdem quibus & Noetus & Sabellius testimonijs utens: ut, Dominus Deus tuus, Deus unus est: Et, Ego in patre, & pater in me. In Deo enim dixit semper esse ipsius uerbum, & spiritum ipsius, quemadmodum in hominis corde proprium uerbum. Epiphanius.

De Christo.

Non dixit esse filium Dei in substantia, sed in ipso Deo. Venisse autem uerbum, & inhabitasse in IESV homine, ut unus sit Deus, & non pater, filius & Spiritus sanctus: sed unus Deus pater, & filius ipsius in ipso, sicut uerbum in homine. Non enim dixit, filium Dei filium uerè, sed prætextu & occasione arrepta ex dicto Ioannis. In principio erat uerbũ, uerbum & sermonem ex ore uoluit dicere filium Dei. CHRISTVM enim Deum, Dei filium substantialem ac personalem & æternum esse cum patre denegabat. Prolatiuum autem, id est, quasi aëra quendam, non tamen personam uiuam filij sempiternam cum patre sempiterno, credendũ dicebat. CHRISTVM enim hominem iustum, Mariæ filium, ex profectu quodam diuinitatem consecutum, non Deum uerum prædicabat, Epiphanius, Philastrius, & Socrates historiæ Ecclesiasticæ libro secũdo, capite decimonono.

Rationes quibus blasphemiam hanc in filium Dei confirmare, hi qui Samosatenum secuti sunt, conantur, Thomas in quarto contra Gentiles libro, capite quarto, in hunc modum recensẽt: Dixerunt esse sacræ scripturæ consuetudinem, eos qui diuina gratia

gratia iuſtificantur, filios Dei dici, iuxta illud Ioannis primo: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Et prima Ioannis tertio: Videte quantam charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & ſimus. Imò quod mirabilius uidetur, nomen diuinitatis eis tribuitur, unde Dominus ad Moſen, Exodi ſeptimo: Ego conſtitui, inquit, te Deum Pharaonis. Et Pſalmo octuageſimoprimo: Ego dixi, dij eſtis. Inde igitur IESVM CHRISTVM purum hominem eſſe, & ex Maria initium ſumpſiſſe dixerunt, ſed bonæ uitæ merito diuinitatis honorem præ cæteris adeptum fuiſſe. Ad quem errorem defendendum, etiam Scripturæ peruerſe intellectis & accommodatis ſententijs utuntur, ut quod Matthæi ultimo CHRISTVS ait: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quòd ſi ante tempora, inquiunt, eſſet Deus, poteſtatem in tempore non accepiſſet. Ait & Paulus ad Romanos primo: Factus eſt ei filius ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & prædeſtinatus eſt ei filius in uirtute. Omne autem quod prædeſtinatur & factum eſt, non uidetur eſſe æternum. Non eſt igitur natura Dei filius CHRISTVS, ſed adoptiuus, qui nomen diuinitatis non habuit ex natura & ab æterno, ſed merito paſſionis & mortis ſuæ ſibi acquiſiuit, iuxta illud ad Philippenſes ſecundo: Factus eſt ei obediens uſque ad mortem, propter quod exaltauit eum Deus, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Adducunt & ea quæ ad defectum pertinent naturæ, ac de Chriſto leguntur, ſed Deo non conueniũt: nempe quod fœmineo geſtatus eſt utero, ætate profecit, eſurijt, laſſatus eſt, iudicij diem ſe neſcire profeſſus eſt, mortis horrore concuſſus eſt, & plura alia quæ prius inuenerunt Cerinthus & Ebion, poſtea uerò hic Samoſatenus inſtaurauit.

De Spiritu ſancto.

Deitatem & ſubſtantiam Spiritus ſancti tollit. Epiphanius.

De Iudaiſmo.

De eodem Samoſateno Philaſter ait: Iudaizans circumciſionem docebat. Diuerſum tamen Epiphanius narrat: Samoſatitæ, inquit, Iudaiſmum corrumpentes, nihil amplius Iudæis habentes, ſecundi Iudæi uocantur. Nam Deum ex Deo, unigenitum filium & uerbum negantes illi, ſunt quales Iudæi, qui ipſum in præſentia negarunt occiſores Dei, Dominicidæ & Dei abnegatores facti. Reuera autem neque circumciſionem habent, neque ſabbatum ſeruant, & alia omnia quemadmodum Iudæi.

De traditionibus.

Pſalmos qui in gloriam Chriſti canebantur, uelut recentiores, ac ueterum uirorum commenta ſuſtulit. In media uerò Eccleſia magno die paſchatis mulierculas ſubornauit, quæ de ſeipſo pſallerent: quæ ſi quis audiret, horrore concuteretur. Epiſtola concilij apud Euſebium libro ſeptimo, capite trigeſimo.

Porrò ad Samoſateni blaſphemiæ iudicium & explosionem cõuocatur Synodus epiſcoporũ Antiochiam. In qua ad diſputationem Paulus accerſitus, cum in reſpondendo aliàs aſtutè ſuum uenenum occultaret, aliàs inſidioſè diſſimularet, conuinci primis aliquot Synodis, & pro merito confutari non potuit. Familiariter enim admonitus & rogatus, ut errorem agnoſcens, eum abijceret, iuſiurandum dedit, ſe nihil ab orthodoxa Apoſtolicaq; doctrina diſſidere. Interdum & ſententiam ſe mutaturum promiſit, donec anno ducenteſimo ſeptuageſimotertio, quum fama de Samoſateni defectione uterum increbuiſſet, poſtrema aduerſus eum Synodus congregata eſt: in qua palàm conuictus, atque ab hominibus ſub cœlo Eccleſijs damnatus & excommunicatus, operam in iudicio & examine dogmatum Samoſateni, optimam nouante Malchione presbytero Antiocheno, uiro doctiſſimo, fideliſſimo, ac in doctrina potente, qui cum eo publicis diſputationibus, quas notarij exceperunt, congreſſus, ſolus latentes eius & uaſerrimas fraudes animaduertit & detexit. Hæc Euſebius.

DE HÆRESIBVS SVB PROBO.

Manicheorum hæreſis.

HVius ſectæ originem Euſebius in Chronico refert ſub annum tertium imperij Probi, Chriſti uerò ducenteſimo octuageſimoprimo, Paulò diuerſius de ea Epiphanius ſcribit, libro ſecundo, tomo ſecundo: Ab aſſumptione, inquit, Chriſti uſque ad Manem & Aurelianum ac Probum reges, anni ſunt ducenti ſeptuagintaſex, ſecundũ aliquos chronographos: iuxta alios, ducenti quadragintaſex.

Quarto uerò anno Aureliani, temporibus Hymenæi epiſcopi Hieroſolymorum, emiſſus eſt error Manis in mundum. In hiſtoria tamen Eccleſiaſtica libro ſeptimo, capite trigeſimoprimo, Euſebius hæreſis eius exordium referre uidetur ſub initium imperij Diocl.

Autorem habuit Manetem, dæmoniacum natura & inſanum, ut Euſebius ait: quanquam Auguſtinus pro Manete ferè ubique dicat Manicheum, quod nomen inſanũ interpretatur. Et addit, Manichæi diſcipulos in Græcia quondam id nomen immutaſſe, & autorem ſuæ ſectæ dixiſſe Mãnicheum, hoc eſt, manna fundentem: non Manicheum, inſaniæ nomen uitantes. Dominæ enim ſuæ hæres Manes effectus, non pecuniarum ſolùm, uerùm inſanarũ etiam & diabolicarum artium, inſtrumentum ſe, quantus quantus fuit, ueritatis inimico præbens, ad impias fabulas diuertit. Socios autem ſibi & exercitum quàm primùm adiunxit, ac diſcipulos ſibi uocauit uigintiduos, ut Epiphanius ait: Euſebius uerò, duodecim ad exemplum Domini, ſibi adſciuiſſe narrat. Ex quibus tres delegit, Thomam, Hermam & Addam: quos auro multo inſtructos, in partes Hieroſolymorum abire, ſacroſq; libros Legis, Prophetarum, Euangelij atque Apoſtolorum comparare iuſſit. Illi digreſſi, libros eos emerunt: reuerſi uerò, cum Manetem in carceratum deprehendiſſent, eos ipſi oſtenderunt. Is uerò acceptos perſcrutatus malitioſè peruertit, mendacio ſuo ad ueritatem adiuncto, ubicunque deprehendiſſet aut uerbum aut ſententiam ſimilitudine aliqua phanaticæ ſuæ opinioni alludentem. Atque hinc deinceps figmentum ſuum corroborauit. E carcere uerò ſeu pecunia multa, ſeu per fugam liberatus, Perſarum regione relicta, Romaniã adijt. Atq; eiuſmodi qui-

dem occasionem & initium eam sectam habuisse, Epiphanius prodidit: sed ab eadem tamen narratione de discipulis Manetis paulò pòst uariat, cùm Thomam emissum ab eo in Iudæam, Hermã uerò in Ægyptum, & Addam in superioris Orientis partes, ait, Nisi fortè diuerso hoc tempore fieri potuit. Nam & Theodoretus in diuersas regiones discipulos Manetis digressos, scripsit.

HYPOTHESES.

De Scriptura.

Vetus Testamentũ repudiat: & Deum, qui in ipso locutus est, Manichei maledictis impetũt. Epiphanius in Anacephaleosi. Autor expositionis Symboli apud Cyprianum, & Augustinus epistola septuagesimaquarta ad Deuterium. De prophetis sic dicit: Spiritum eorum esse impietatis siue iniquitatis tenebrarum, quæ ab initio emerserunt, & propterea seducti, locuti sunt. Excæcauit enim princeps eorum mentem: & si quis sequitur sermones ipsorum, moritur in æternũ, illigatus in glebam, quoniam non didicit cognitionem paracleti. Idem libro secundo, tomo secundo: & Augustinus ad Deuterium. Mortis esse, Manes asserit, Testamentum legis, eo quod Apostolus dixerit: Si testamentum mortis per literas incisum fuit lapidibus, in gloria, &c. Epiphanius. Vetus testamentum dixit esse alterius Dei & doctoris, nouum item alterius. Contraria enim tradi in utroq;.

Resectis deniq; & inueteratis arboribus legem ac Prophetas comparauit, ideo quod scriptum legatur: Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem. Epiphanius.

Volunt præterea Manichei, nescio quos corruptores diuinorum librorum ante ipsius Manichei tempora fuisse. Corrupisse autem illos, qui Iudæorum legem Euãgelio commiscere cupierunt. Augustinus libro de Vtilitate credentium, tomo sexto: & libro trigesimo tertio contra Faustum, tomo sexto. Rursus epistola decimanona, tomo secundo. Et de hæresib. ad Quoduultdeum, tomo sexto.

De Deo.

Manes dixit duos esse ingenitos & æternos, Deum & Materiam: & Deum quidem lucem appellabat, Materiam uerò tenebras. Et lucem quidem bonum, tenebras autem malum: lucem appellans bonam arborem, bonis fructibus plenam: materiã autem malã arborem, fructus radici conuenientes ferentem. Theodoretus, Epiphanius. Esse duo principia inter se contraria, seu duos deos: unum bonum, malum alterum. Et bona nasci à bono, mala à malo, Manichei asserũt. Autor quæstionum Christianorum ad gentiles, & responsionum ad orthodoxos, apud Iustinum: Philastrius, Augustinus de hæresibus, Epiphanius. Eum qui locutus est cum Mose Iudæis ac Sacerdotibus, principem tenebrarum esse dicit. Quemadmodum & ex dicto Christi, Vos ex diabolo estis: probat creatorem cœli & terræ patrem esse diaboli. Epiphanius.

Duo uerò inter se cõtraria principia ex eo probat, quod rursus Christus dixit: Nõ potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos. Epiphanius. Sed & pugnã & cõmixtionem duorũ inter se diuersorũ & aduersorũ principiorũ, ut Augustinus dixit, probare uoluit hoc dicto, Lux in tenebris lucet. Persequebãtur enim tenebræ lucẽ, nempe malis principibus persequẽtibus & bello impetentibus deitatem. Similitudinem deinde etiam hanc apprehendit, qua dixit Christus: Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliãs, qui seminauit in agrum suum semen bonum, uenit autem inimicus eius admiscens zizania. Rursus & aliud dictum apprehendit, quo dixit Christus, Venit princeps mundi huius. Et quòd Paulus: Deus seculi, inquit, huius excæcauit mentes infidelium. Epiphanius. Malum denique ideo dixit esse Deum legis, quia deprædatus sit Ægyptios, & eiecerit Amorrheos, Gergeseos, atque alias gentes. Epiphanius. Deum loco includit, & finitum facit Manicheus: Augustinus contra Epistolam Manichei, tomo sexto. Solem & lunam dixerunt Manichei esse Deos, & solem quandoque Christum uocant: argumento hoc utentes, quòd Christo crucifixo sol defecerit. Theodoretus.

De Christo.

Dicunt Dominum nec sumpsisse animam, nec corpus: sed tanquam hominem quidem apparuisse, cùm humani nihil haberet: crucem quoque, passionem & mortem, uisione tantùm fuisse. Autor expositionis symboli apud Cyprianum, Theodoretus, Epiphanius, Augustinus libro decimoquarto cõtra Faustum, Hieronymus, Hilarius libro sexto de Trinitate. Manes Christũ seipsum repræsentare conatus est, quin & se Christum appellare ausus est. Theodoretus, Eusebius libro septimo, capite trigesimoprimo.

De Spiritu sancto.

Ausus est semetipsum nominare Spiritum sanctum, & dicebat se esse missum, sicut seruator erat pollicitus. Theodoretus, Eusebius, Chrysostomus libro de Spiritu sancto, tomo tertio: Epiphanius, qui & hoc addit: Ad confirmationem adducit ea quæ à Paulo dicta sunt, Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Dicunt (Manichei) Spiritum sanctum, quem Dominus discipuli se missurum promisit, per Manicheum ad nos uenisse. Augustinus libro de Vtilitate credentium contra Manicheos, tomo sexto. Sequestrat Manes ab efficacia deitatis Sanctum spiritum, & inseparabiliter procedentem. Proclus Constantinopolitanus episcopus, in epistola ad Armenios.

De creatione.

Deum, creatorem Manes negat: & mundum à malo, hoc est à diabolo factum dicit. Autor expositionis Symboli apud Cyprianum, & Origenes Homilia secunda in diuersos. Diuersum tamen de Manicheis Augustinus scripsit ad Quoduultdeum: Mundum, inquit, à natura boni, hoc est à natura Dei factum, confitentur quidem: sed de commixtione boni & mali, quæ facta est, quando inter se utraque natura pugnauit. Epiphanius eandem hypothesin diuerse extulit: In Anacephalæosi ait, Manicheos asserere, Mundum non totum, sed partem eius à Deo factam esse: tomo uerò secundo, lib. 2. ait: Dixerunt substãtias habere in mundo duo principia, & alterum quidem principiũ feciss corpus, animam uerò esse alterius. De occasione creationis, hæc ex Theodoreto retulit Nicephorus lib. 6. cap. 32. Materiam cum

riam cum dæmonibus & igne & aqua impetũ fecisse in lucem dicit: Deum autem repentina exercitus eius impressione conterritum, non habuisse quo tantã uim uindicaret. Itaq; illam partem lucis arreptam, ueluti quandam inescationem cõtra materiam misisse. Hanc uerò uulneratam, parteq; ea lucis absorpta grauidam esse factam. Qua re adactum Deum, mundum condidisse, ut concertationẽ talem solueret, & quæ pugnabant in pacem redigere. Hinc & de Elementorum numero & pugna prodigiosa finxerunt: Quinq; elementa quæ genuerint principes proprios, genti tribuunt tenebrarum, atq; elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, uentũ. In fumo nata animalia bipedia, unde homines ducere originem censent: in tenebris serpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in uento uolatilia. His quinque elementis malis depellendis, alia quinq; elementa de regno & substãtia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse permixta, fumo aëra, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, uento malo uentum bonum. Augustinus de hæresibus. Epiphanius tamen per duodecim elemẽta luminaria in cœlo, ut solem, lunam & astra, à sapientia Dei locata esse, affirmari ab ijs ait. Naues uerò appellatas ab ijs solem & lunam, Augustinus tradit de hæresibus: Et solem triangulum ab illis perhiberi, qui per quandam triangularem cœli fenestram mundo luceat, lib. 20. cap. 6. contra Faustum ait. Chrysostomus Manicheis etiã Hermogenis hæresin tribuit, qua dixerunt materiam esse ingenitam, Deoq; coæternam, sine qua mundum constituere Deus non potuerit. Chrysostomus in sermone de ieiunijs, & Geneseos lectione, qui extat in tomo primo.

De fato.

Manicheus inducit fatum. Socrates historiæ Ecclesiasticæ libro primo, capite uigesimosecundo.

De homine, & hominis creatione.

Hominem dicunt non esse à Deo formatũ, sed à principe materiæ, quem Saclam nominant. Et similiter dicunt Euam à Sacla & Nembrod factam esse. Theodoretus. Epiphanius hæc uariè narrat: Adam (inquit) dicit Manes creatũ esse à principe, qui ad alios principes dixit: Venite, date mihi de luce quam recepimus, & faciamus hominem secundum nostram principum formam. Euam uerò similiter creatam esse, dantes ipsi ex concupiscentia eorum ad decipiendum Adam. Item, fingit matrem uitæ, quam à uirtute emissam esse dicit, primum hominem: hunc uerò quinque Elementa produxisse, ac sibi parasse armaturæ gratia. Item: Dicis (Manes) quòd cùm pressus illic infrà homo precatus sit, audiuerit ipsum pater, & demiserit alterã uirtutẽ ab ipso productã, uiuũ spiritum appellatã. Hunc uiuum spiritũ descendisse dicis infrà, & porrexisse dextram, ac eduxisse ex tenebris primum hominem infernè, in inferioribus periclitantem: Animam hominis de Deo esse, corpus autem à diabolo factum, Manes ait: Philastrius. Hinc & illud Manicheis Hieronymus tribuit, quòd naturam hominum damnarint, in proœmio dialogi aduersus Pelagianos, tomo tertio.

De diabolo.

Diabolum nunc materiam, nunc materiæ principem dixit, Theodoretus.

De anima & angelis.

Coæternas Deo hominũ animas, secundũ Pythagoricos, in pecudes & animalia & bestias redire per diuersos nascẽdi circulos: conciliũ uanitatis, quod Manichæus docet, astruit. Autor expositionis symboli apud Cyprianũ, Theodoretus, Olympiodorus. Hinc eãdem esse animã in homimib. & in omni animali, et in uolatilibus & reptilibus, ac reliquis bestijs: nec in his solũ, sed etiã in plantis, dixisse eos, Epiphanius narrat, & Hieronymus tomo 9. Easq; animas hominũ pecudũq; de Dei esse substãtia, & omnino partis esse Dei, arbitrantur. Epiphanius, Augustinus epistola 72. tomo 2.

Omnia autẽ esse animata, & ignẽ, & aquã, & aërem, & plãtas etiã ac semina existimarunt. Theodor.

Duas rursus animas, uel duas mentes, alterã bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quado caro concupiscit aduersus spiritum, docuerunt. Augustinus de hæresibus.

De libero arbitrio.

Peccatorũ originem non libero arbitrio, sed substãtiæ tribuũt, gẽtis aduersæ. Augustin. de hæresib. Peccata necessitatis esse docuerunt: ipsam enim boni Dei substantiã, animã scilicet, ex parte qua capta est, corruptam & oppressam, & ad peccandi necessitatem perductam esse: Augustinus Epistola 28. tomo 2.

De peccato.

Carnalem concupiscentiã, qua caro cõcupiscit aduersus spiritũ, non ex uitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatẽ, sed substantiã uolunt esse contrariã, sic nobis adhærentẽ, ut quando liberamur atq; purgamur, separetur à nobis, et in sua natura etiã ipsa immortaliter uiuat. Augustin. de hæresib. Adã primũ heroa peccauisse dicitis, et post peccatũ fuisse sanctiorem. Idem de moribus Manicheorũ lib. 2. tomo 6.

De lege.

Legem igitur totã destruit & damnat, ut quæ non sit à uero Deo, sed à principe tenebrarũ. Epiphanius refert rationes, eo quòd lex administratio mortis dicatur, & iubeat homicidas capite plecti, & hac ratione homicidia adaugeat. Augustinus lib. 15. contra Faustũ, epistola 11. et 74. Hilarius lib. 6. de Trinitate.

De Euangelio.

Euangelium, Euangelio Manichei dicunt esse contrarium. Augustinus contra Adamãtium, tomo sexto.

De bonis operibus.

Quæ in pauperes exercetur benignitatẽ & humanitatẽ reprehendũt, dicẽtes eam esse uenerationẽ materiæ. Quin et homini mẽdico esuriẽti, nisi Manicheus sit, panem aut aquam non porrigũt: ne membrũ Dei, quod ex his rebus admixtum est, suis peccatis sordidatum, à reditu impediat. Augustinus libo secundo de moribus Manicheorum, & lib. 6. contra Faustum.

De baptismo.

Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre: nec quenquam eorum quos decipiunt, baptisandum putant. Augustinus de hæresibus.

De eucharistia.

Coguntur electi eorum, uelut eucharistiã conspersam, cum

ſam,cum ſemine humano ſumere. Auguſtin. ibidem.

De oratione.

Dæmonia colunt,elementa adorant,deorum deaſq; nomina ut pagani inuocant:Philaſtrius. Solem adorant,& lunam & aſtra:Epiphanius. Socrates hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.1.cap.22. Et Auguſtin. de hæreſibus:Orationes,inquit,faciunt ad ſolem per diem,quaquauerſum circumit:ad lunã per noctẽ,ſi apparet.Si nõ apparet,ad Aquiloniã partẽ,quà ſol cùm occiderit, ad orientem reuertitur.Orantes etiã ſtant.

De traditionibus.

Ab animatis abſtinent,ſicut Encratitæ:& edentem carnes,animam edere dicunt:atq; eſſe eum reum, ut & ipſe tale aliquid fiat:ueluti ſi porcum comedit, ut porcus rurſus fiat,aut taurus:ut Epiphanius inquit.

Auguſtinus de hæreſibus ita:Carnibus non ueſcuntur,tãquam de mortuis uel occiſis fugerit diuina ſubſtantia,tantumq; ac tale inde remanſerit,quod iam dignum nõ ſit in electorũ uentre purgari.Et addit:Sed nec oua ſaltem ſumunt,quaſi & ipſa cùm franguntur expirẽt, nec oporteat illis mortuis corporibus ueſci: & hoc ſolùm uiuat ex carne,quod in farina ne moriatur excipitur. Sed nec alimonia lactis utuntur, quamuis de corpore animatis uiuente mulgeatur,ſiue ſugatur.Non quia putant diuinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum,ſed quia ipſe ſibi error non conſtat. Nam & uinũ non bibunt,dicentes fel eſſe principium tenebrarum,cùm ueſcantur uuis,nec muſti tamen aliquid uel recentiſſimi ſorbeant. Cibi qui de frugibus & pomis parantur,ſi ad ſanctos,id eſt,ad Manicheos ueniant, per eorum caſtitatem & orationẽ & Pſalmos,quicquid in eis lutulentum eſt purgatur. Idem epiſtola ad Deuterium,tomo ſecundo. Qui apud eos perfecti uocantur,nec panem frangunt, nec olus ſcindunt:ſed eos etiam qui hæc agunt,tanquam homicidas apertè execrantur:ex ijs tamen quæ franguntur & ſcinduntur comedunt:Theodoretus. Proprietatem rerum improbant,ideo quòd uetus quidem Teſtamentum dicat,Meum eſt aurum,& meum eſt argentum:Nouum uerò,Beati pauperes.Hinc igitur nec familiam,nec agros,nec domos,nec pecuniam ullam poſſidendam eſſe dicunt:Epiphanius. Auguſtinus libro primo de morib.Eccleſiæ catholicæ,tomo primo.

De coniugio.

Nuptias Manes damnat,quantũ in ipſo eſt:ut quæ diaboli lex ſint,& conſtitutio:Theodoretus. Auguſtinus de hæreſibus.Hieronymus in Dialogorũ proœmio conra Pelagianos:Nicephorus libro ſexto,capite trigeſimoſecundo. Si quis uxorem duxerit, etiam ipſe poſt diſceſſum ex hac uita in aliud corpus tranſit,& fit mulier,quo etiã ipſe nubat.Epiphanius.

Fœminæ conceptus apud eos carcer eſt,& uinculum Dei:Auguſtinus cõtra Secundinum Manicheum, tomo ſexto.

De polítia & magiſtratu.

Magiſtratus ciuiles & politias damnabant,ut quæ à Deo illo malo conditæ & conſtitutæ ſint.Hinc & bellum gerere, illicitum eſſe dicebant:& Moſen reprehenderunt,quòd bella geſiſſet. Auguſtinus libro uigeſimoſecundo contra Fauſtum, capite ſeptuageſimoquarto. Quin & agricultură, omnium artium innocentiſſimam, tanquam plurium homicidiorum ream,dementes accuſabant.Auguſtinus de hæreſibus.

De aſtronomía,aſtrología, & magía.

Magorum quoquè dogmata, Manes nouit,& in ipſis uolutatur. Aſtronomos laudat, eorum dogmata curioſæ ueſtigans.Epiphanius. Et Auguſtinus ſcribit, libros Manicheorum aſtronomicis fabulis, ſed quas non intelligant,plenos eſſe. De confeſſione,tomo primo.

De perfectione.

Aſſerunt ſe,ne cogitatione quidem & ignorantia, cùm ad conſummationis culmen aſcẽderint,poſſe peccare:Hieronymus in proœmio dialogorũ contra Pelagianos,tomo tertio.

De morte.

Cauſa cur homines moriantur,hæc eſt.Virgo quædam pulchra,ornata,ad perſuadendum ualde apta, deprædari conatur principes,qui in firmamentum à uiuente Spiritu ſublati ſunt,at crucifixi.Videtur autem maſculis quidem fœmina eſſe formoſa,fœminis uerò adoleſcens ſpecioſus,& amari dignus.Et principes quidem,ubi uident ipſam ornatam,amoris ęſtro ſtimulantur:& non potentes ipſam comprehendere,amoris deſiderio mente correpti,uehemẽter ardent. Cùm igitur currentibus ipſis uirgo diſparet,tum princeps magnus nubes ex ſe mittit,quo per iram ſuã mundo tenebras inducat.Et ſic ſi preſſus fuerit ualde, uelut homo ſudans affligitur:ſudor autem ipſius, eſt pluuia.Simul autem & alter princeps,Meſſor appellatus,ſi à uirgine ſpoliatus fuerit,diffundit peſtẽ per totam terram,quo homines enecet.Epiphanius.

De loco animarum.

Aſſerit animas quæ erroris ipſius cognitionem habent,aſſumi in lunam,cùm lucida animæ eſſentia exiſtat.Quapropter, inquit, augeſcit luna, & decreſcit ac deficit,dum impletur ab animis eorum qui in cognitione incredulitatis ipſius moriuntur.Deinde eaſdem à luna minore,uidelicet ſcapha depleri dicit,& in ſolem aſſumi,atque in beatorum ſeculum deponi. Epiphanius. Hæc elementa rurſum trahunt animas morientium hominum & aliorum animalium lucidas exiſtentes:feruntur autem ad ſcaphã:nauigia enim intelligit ſolem & lunam:& paruã quidem nauim onerans uſq; ad quindecim dies,circa plenitudinem lunæ,& ſic tranſmitti ac deponi à decimoquinto die in magnam nauim,hoc eſt ſolem. Solem uerò,magnam illam nauem,traijcere in uitæ ſeculum & regionem beatorum.Et ſic animas per ſolem & lunam trãſmiſſas,dicit purgatas (uerùm de his qui uanitatis ipſius cognitionẽ habent) dignasq; fieri hoc traiectu. Idem.

Si quis plãtauerit uineã,oleam,ficum,uitem,morũ aut perſeã,etiã ipſo mortuo, anima eius ligatur in ramis arborũ quas plãtauit et trãſcendere nõ poteſt.Idẽ.

De paradiſo.

Paradiſus uocatur mũdus. Sunt autẽ plantæ quæ in ipſo ſunt cõcupiſcentiæ,& aliæ deceptiones quæ hominũ cogitationes corrũpunt. At uerò arbor in paradiſo,ex qua cognoſcũt bonũ,ipſe eſt Ieſus.Epiphanius.

De reſurrectione.

Corporum reſurrectionem tãquam fabulam reijciunt.

ciunt. Nullam enim materiæ particulam dignam salute existimant, & animas solas resurrecturas dicunt: Theodoretus. Augustinus contra Faustum libro quarto, capite decimosexto. Rationem Epiphanius hanc eorũ fuisse indicat: producit Manes aliam sententiam, dicens, Scio spiritum saluari absq; corpore. Hoc enim Apostolus dicit, Omnino auditur inter uos scortatio. Tradatur talis satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluetur in die Domini. Hinc argumentatur, non fore resurrectionem corporum aut carnis.

De extremo iudicio.

Iudicium non sperant Manichæi. Philastrius.

De salute.

Animæ tantùm salutem Manes admittit. Sic enim Epiphanius: Misit, inquit, Manes, filium suum dilectum in animæ salutem. Item: Filius delatus opificium ad animarum salutem fecit, & machinam composuit habẽtem duodecim cados. Dicit quoq;, quòd antiquis annis nemo saluatus sit, sed à decimoquinto anno Tyberij usq; ad sua tempora. idem Epiphanius.

De Machineorum libris.

Multos Manes et diuersos edidit libros, unũ de fide, unum eiusdem numeri cum uigintiduabus literis Syrorum, per alphabetum compositum, utuntur enim plurimi Persarum post Persica, literarum elementa, etiam Syrorũ literis, sicut & alij lingua. Huic autem libro indidit nomẽ, Manichei mysteria. Alium autem, Thesaurũ appellant (cuius libri Augustinus meminit) alium rursus uocant Thesaurũ paruum. Deniq; & alium habent inscriptum de Astrologia. Meminit & Augustinus in libro de Natura boni, aduersus Manicheos, Epistolæ fundamenti Manicheorum, tomo sexto. Et in decretis Gelasii, Manichei uti dicuntur Euangelio nomine Thomæ.

De festiuitatibus eorum.

Plerũq; nullũ pascha frequẽtant, nisi interdũ à paucis, tepidissima celebritate: nullis uigilijs, nullo prolixiore ieiunio auditoribus indicto, nullo deniq; festiuiore apparatu: sed βῆμα suum, id est, diem quo Manicheus occisus est, quinq; gradibus instructo tribunali, & preciosis linteis adornato, ac in promptu posito & obiecto adorantibus, magnis honoribus prosequuntur. Augustin. cõtra epistolã Manichei, tomo 6.

De ritibus & moribus eorum.

Tria signacula Manichei in suis moribus magna laude & prædicatione iactãt: oris, manuum, & sinus. Augustinus lib. 2. de moribus Manicheorum. Manicheorũ alter alteri obuiam factus, dextras dant sibi ipsis signi causa, uelut à tenebris seruati. Epiphanius. Ipsi Manichei stratã sua super harundines faciunt. Idem.

Quos in locos potissimum hæc hæresis peruagata sit.

Cæterùm longè lateq; hãc sectã percurrisse, ostendit narratio superior de discipulis Manetis: quorum primus in Iudæã, alter in Ægyptũ, tertius in partes oriẽtis hoc dogma importauit. Manes uerò ipse ut plurimũ in Persia et Mesopotamia cõmoratus est, et Macedonia. Adijt & Romaniã, quæ Thraciæ uicina est, ut Epiphanius scribit. Et in Græcia eius fuisse discipulos, qui se non Manicheos sed Mannicheos nominarũt, ex Augustinio suprà retulimus. Cuius tẽpore quàm maximè grassatã hanc pestem, apparet ex ipsius scriptis: atq; adeò, ut & seipsum, per annos nouem ab illis deceptum esse, subinde fateatur. Scribit Philastrius, ettiã in Hispania & quinq; prouincijs suo tempore Manicheos plurimos decepisse. Deniq; per terrã uniuersam dilatatã hanc fuisse hæresin, Epiphanius testatur, qui se eos qui cum Herma Manetis discipulo conuersati fuerant, audiuisse affirmat.

Qui contra Manicheos scripserint

Manes ipse bis confutatus est, quemadmodum Epiphanius narrat: ab Archelao episcopo Cascharensi Mesopotamiæ, opera Marcelli episcopi, ad quem literis Manes accersitus uenerat. Ibi igitur turpiter cõfusus, cùm lapidibus eum obruere populus uoluisset, aufugit in pagum quendam Cascharorum: ubi iterum ab Archelao conuictus & pulsus est, quum disputationẽ cum eius loci presbytero, simplici uiro, Tryphone instituisset. Ipsam uerò eius insanam hæresin postea à multis magnis & præstantibus uiris impugnatam esse, Epiphanius idem ostendit: uidelicet ab Origene, Eusebio Cæsariensi, atq; Emeseno, à Serapione episcopo Thumitanorum, Athanasio Alexandriæ, Georgio, Apollinario Laodicensibus, Tito Bostrenorũ ecclesiæ episcopo, tẽporib. Iuliani & Iouiniani Imperatorũ, ut Hieronymus testatur. Theodoretus & Diodorũ episcopũ in metropoli Ciliciæ cõtra hanc sectam scripsisse, prodidit. Extant uerò contra eandem libri aliquot, firmis & solidis eam prosternentes rationibus, Diui Aurelij Augustini, de quibus suo loco. Manes deniq;, cùm à Persarum rege deprehensus, uitam turpissimo supplicio finijsset, successores reliquit, ut Epiphanius dicat, Addam, Thomam & Hermeam: quos etiam uiuus adhuc, in diuersas regiones miserat, sicut suprà à nobis commemoratum est.

HIERARCHÆ, SEV HIERACITARUM hæresis.

Hieracem recentiorum aliqui sub Seuerum collocant. at Epiphanius, post Manetem ex ortũ scripsit. Hilarius libro sexto de Trinitate, hæretici cuiusdam Hierarchæ meminit: qui idem esse uidetur, quem Epiphanius Hieracem, & Augustinus in libro de hæresibus Hierachan uocat. ab ijsq; ille Hieracitas, hic Hierachitas hæreticos denominat. Epiphanius certè, recitans exemplum epistolæ Arij ad Alexandrum Alexandrinum episcopum, idem illud quod Hilarius Hierarchæ tribuit, de Hierace commemorat.

HYPOTHESES,

De Christo.

Hierarchas nescios unigeniti natiuitatẽ, nec Euangelicorum Sacramentorum uirtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicauit, ut lychnorum bipartita diuisio substantiam patris & filij æmularetur, quæ ex unius uasculi unguine accenderetur in lumen, tanquam esset substantia exterior: ut oleum in lucerna cõtinens luminis utriusq; naturam, uel certè ut lampas papyro eidẽ intexta, utroq; capite luceret, esseteq; media materies, lumen ex se utrunq; protendens. Hilarius lib. 6. de Trinitate. Epiphanius ex Epistola Arij libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona,

De spiritu

De spiritu sancto.

Ipsum Melchisedec putat esse Spiritũ sanctum, eo quòd assimilatus est filio Dei. Manet enim sacerdos in perpetuum, ex ipsa dictione quam sanctus Apostolus retulit: Spiritus intercedit ineffabilibus suspirijs pro nobis. Vult autem perfectam ipsius confirmationem facere ex Ascẽsorio Esaiæ, nimirum uelut in ascensorio appellato ille dixit: Ostendit mihi angelus obnubilans coram me, & ostendit mihi ac dixit, Quis est ille ad dextram Dei? & dixi, Tu nosti Domine. et ait, Hic est unigenitus ille dilectus. Et quis est alter similis ipsi ex sinistris? & dixit, Tu cognoscis. Hic est Sanctus spiritus, qui loquitur in te, & in Prophetis. Et erat, inquit, similis unigenito. Ex hoc uult cõfirmare id quod dictum est, Assimilatus filio Dei manet sacerdos in æternum. Epiphanius.

De coniugio.

Non admittit Hierax nuptias, & asserit has esse Veteris Testamenti: & concessum esse ait in Veteri testamento, nuptias contrahere, uerùm à Christi aduentu non amplius nuptias admitti, neq; posse ipsas posßidere regnum cœlorum. Christum enim uenisse ait, ut prædicaret cõtinentiam in mundo: & sibijpsi eligeret continentiam & castitatem: sine hoc uerò, non posse uiuere. Rationes autem & prætextus undiquaque colligit, nempe cùm dicit: & sanctificationem uestrã, sine qua nemo Deum uidebit. Si quis uerò dixerit ad ipsum, quomodo Apostolus dixit, Venerandæ sunt nuptiæ: tũc statim infert dicẽs, At paululũ progressus dicit, Innupta curat ea quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino. Quæ uerò nupta est, curat ea quæ mundi sunt, quomodo placeat uiro. Diuisa est uxor & uirgo. Si igitur est diuisio, quomodo potest, ubi diuisio est, simul communicare? Et si Deo non placet, sed uiro, quomodo potest à Deo acquirere hæreditatem?

Propter scortationem, inquit, unusquisque suam uxorem habeat: non laudans nuptias post aduentum, sed compatiens, ut ne in ampliorem perniciem incidant. Sunt enim Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorũ. Et, Volo, inquit, omnes esse sicut meipsum. Et, Simile est regnum cœlorum decem uirginibus. Virgines igitur regno cœlorum comparat, & non dixit nuptæ. Epiphanius, Augustinus de hæresibus.

De resurrectione.

Dicit carnem non resurgere penitus, sed animam solam. Spiritualem autem resurrectionem asserit. atq; arbitror eius eum occasionem accepisse ab Origene, aut ex ipsius mente hæc euomuisse. Epiphanius.

De paradiso.

Non credit paradisum in qua lapsus est homo, esse sensibilem: quemadmodum sanè & Origenes. Epiphanius.

De salute.

Pueros morientes, qui nondum ad ætatis uigorem peruenerunt, seu ad cognitionem, regni participes fieri negat: ideoq; reijcit ipsos à destinata spe. Ideo uerò non fieri hæredes regni cœlorum, quia, inquit, non decertarunt. Si enim non certauerit quis, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Si itaque & qui certat non coronatur, nisi legitimè certauerit: quanto magis hi, qui nondum ad certamen uocati sunt? Epiphanius. Augustinus.

De libris hieracitarum.

Vtuntur Veteri & Nouo testamẽto: & Abraham, Isaac, Iacob, Mosen & Aaron, & omnes sanctos, Esaiam & Hieremiam similiter suscipiunt, & pro Prophetis habent. Vtuntur autem & libro quem appellant, Ascensorium Esaiæ. Epiphanius.

De moribus eorum.

Neminem in contubernium & conuersationem suscipiunt, nisi fuerit aut uirgo, aut uidua, aut cõtinens, aut solitariam uitam degens. Nam & ipsi solitariè uiuunt, continentiam exercentes. Multi præterea ex ipsis ueris Hieracis dogmatis sectatoribus, animatis non uescuntur. Ipse uerò Hierax, siue Hieraces, ab omnibus edulijs abstinebat, & à uino. Verùm discipuli eius post ipsum, & abstinentiam, & cætera omnia quæ Hierax reuera exercuit, egerunt per simulationem. Epiphanius, Augustinus.

DE RITIBVS ET CEREMONIIS.
CAPVT VI.

De congressibus publicis.

IN Asia certos fuisse cœtuum locos, quos Ecclesias dixerint. Ex Eusebij libro septimo, capite decimo quinto uideri potest: qui Cæsaræ Palæstinæ Christianum quendam Marinum nomine, religionis accusatum, & à tribunali ad trium horarum deliberationem dimissum, deductum scribit ad Ecclesiã, & in ipsum sanctuarium à Theotecno eius loci episcopo, atq; ab eo ad martyrium fortiter subeundum confirmatum. Meminit eiusmodi locorum etiam epistola Concilij Antiocheni contra Paulum Samosatenũ, & domus Dei uocat: apud Eusebium libro septimo, capite trigesimo. Qui & oratoria Christianos ante persecutionem Diocletiani habuisse scribit, libro eodem, capite ultimo: & libro octauo, capite primo. Tertullianus publicorum conuentuum aliquoties non obscurè meminit. Et libro secundo ad uxorem, de nocturno conuentu dicit: Quocunque tamen, aut quibus diebus, præter Dominicum, conuenerint, explicatè non traditur: nisi quod ex Origenis Homilia decima in Genesin colligi potest, Christianos non festis tantùm diebus, uerùm & alijs conuenire solitos, ad audiendum uerbum Dei. Sicut & Homilia nona in Leuiticum, eos obiurgat, qui festis tantum diebus ad Ecclesiam concurrebant. Et Homilia secunda in Numeros subindicat, singulis diebus aliquot horas precationibus & concionibus fuisse destinatas. Ait enim, unam aut duas horas ex integro die deputet Deo, & ad orationem ueniat in Ecclesiã, uel in transitu uerbum Dei audiat. Tale quiddam & de collectis quotidie celebratis, in quibus prædicatum sit uerbum Dei, significare uidetur Homilia decima in Genesin. Significat & diebus parasceues multitudinem in cœtum congredi solitam, Homilia quinta in Esaiam. Initio autem libri contra Valentinianos,

tinianos, Tertullianus indicat simplices fuisse domus, & in edito sitas, in quas conuenire Christiani soliti fuerint. Dionysius Alexandrinus in epistola aduersus Germanum commemorat, Æmilianum præsidem ad se dixisse, cùm in exiliũ ageretur: Haudquaquam licebit & uobis & alijs Synodos colligere, uel ad cœmiteria (ut uocant) ingredi, unde patet, publica loca congressibus destinata fuisse. Eusebius libro septimo, capite undecimo. Eadem ratio haud dubiè fuit in Europæis Ecclesiis.

In illis igitur seu publicis seu priuatis conueniendi locis, sublimiorem quandam fuisse sedem, & quasi cathedram & suggestum, indicat historia de cathedra Iacobi, apud Eusebium libro septimo, capite decimonono, & inter mores portentosos Samosateni, epistola Concilij Antiocheni hoc numerat, quòd non contentus mediocri, ut discipulus Christi, sede, gradũ sibi in Ecclesia & thronum ad morem principum huius seculi cõstruxerit. Deinde & aras ad cõmunionem destinatas in talibus locis fuisse, indè colligi potest, quòd de adgeniculatione pœnitentium ad aras, Tertullianus in libro de Pœnitentia disertè inquit: & altaris Cyprianus meminit libro primo, epistola nona: & libro primo, epistola septima ad Epictetum: & libro tertio, epistola decimatertia: & in epistola ad Iubaianum. Meminit & unius aræ in Ecclesia destinatæ ad oblationem eucharistiæ, Martialis in Epistola ad Burdegalenses, capite tertio.

De imaginibus uerò & picturis, quibus cõuentuũ ædes exornatæ fuerint, certi aliquid sanè in historia huius seculi non reperies. Scribit Eusebius libro septimo, capite decimooctauo, uidisse se adseruari à fratribus aliquibus in Asia imagines Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusq; CHRISTI: sed in locis publicis inuocationis aut cultuum Christianorum, tantùm abest ut adseueret collocari solitas, ut etiam ab ethnicis hunc ipsum priuatum imaginum usum inuentum dicat, qui quos pro seruatoribus habuerint, imaginibus & statuis honorare consueuerint. Sic Lampridius, Alexandrum Seuerum optimum Imperatorem, in priuato quod domi habebat larario suo, ad statuas maiorum suorum, aliorumq; præstantium uirorum, inter quas & Christi & Abrahami imagines habuit, sacra facere solitum narrat. Sic statuam Saluatoris Eusebius ibidem, non in templo Christianorum, sed in editiori loco ad fores ædium, mulieris illis hæmorrhousæ erectam fuisse, & adseruatam diu apud Cæsareã Philippi, commemorat. Testatur aliquot locis in Apologetico Tertullianus, Christianos eo tempore maximè odisse solitos statuas cũ suis ornamentis. Hinc etiã in deorũ idola, quæ ethnici uenerabantur, toties & tam acerbè inuehitur. Crucis tamẽ imaginem, seu in locis publicorũ congressuum, seu domi priuatim Christianos habuisse, in eodem libro indicare uidetur. Ob hoc enim ethnici Christianis obijciebãt, quod crucis religiosi essent. Vsos deniq; et candelis ecclesias oriẽtales, atq; oleo, forsan propter conuentus nocturnos: historia de Narcisso episcopo Hierosolymitano testatur, apud Eusebium libro sexto, capite nono. Nunc de actionibus in his congressibus breuiter dicemus.

Historia de Samosateno apud Eusebium libro septimo, capite trigesimo, testatur usitatas fuisse in cœtibus publicas conciones, & hymnos, ac cantilenas.

Et Dionysius Alexandrinus in cõmentario de Promissionibus psalmodiæ, Nepotis episcopi Ægyptiaci meminit, qua multos ex fratrib. delectatos scripsit. Refert Euseb. lib. 7. cap. 24. Eandẽ in Africanis ecclesiis fuisse consuetudinẽ, ex Origenis in Exodũ & in Iudicum Homilijs primis apparet, ut quoties Christiani cõuenissent, alius textum Scripturæ recitaret, alius enarraret. Idem & libros ueteris Testamenti, ac interdum diebus præcipuè ieiuniorũ historiã passionis Iob, in Ecclesiis legi solitã ostendit: eumq; morem ab Apostolis institutum fuisse ait: Homilia 15. in Iosuam, & initio libri primi cõmentariorum in Iob. Sic & Cyprianus lib. 2. epistola 5. de lectoribus in Ecclesia ait, qui ad pulpita stare & Euangeliũ prælegere consueuerint. Allegat & Socrates lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. uetustũ morẽ ecclesiæ Alexãdrinæ, in qua usitatũ fuisse testatur, feria quarta, eaq; quæ parasceue nominatur, Scripturas legi, & à doctorib. exponi. Illisq; diebus Origenẽ frequenter docuisse indicat.

Sacrarum Scripturarũ tractationem uel antecedebant, uel subsequebãtur, ut iam diximus, cõmunes preces in lingua nota. Quas primas in quocunq; cõuentu Christianorum fuisse Tertullianus in Apologetico ostendit, & Cyprianus sermone 5. de lapsis. Pro quibus uerò rebus orarint, suprà in dogmatibus de Oratione retulimus: pro temporum uidelicet tranquillitate, pro magistratibus politicis, pro auersione & mitigatione publicarũ calamitatum. Cyprianus & pro martyribus eos orasse tum publicè in cõcionibus, tum priuatim domi, ostendit lib. 2. epistola 4. Idem & communicasse eos in talibus congressibus, indicare uidetur, Sermone quinto de lapsis. Tertullianus uerò & eleemosynas pro pauperum cura, aut senum, aut orborum, aut exulantium, aut captiuorum, semel per mensem collectas esse in publico cœtu, testatur.

Ab illis deniq; cõgressibus prohibebãtur, qui quocunq; nomine Christianæ religionis hostes esse iudicarentur, aut pietatis simulatores. Quo exemplo in ecclesia Antiochena, ut Eusebius scribit lib. 7. cap. 33. Babylas episcopus Numerianũ Imperatorem, seu (ut alij uolunt) Deciũ, cæde & sanguine Christianorũ madentem, & mysterijs eorum interesse cupientem, animosè prohibuit. In Africanis uerò Ecclesiis à publicis congressibus excludi solitos, Origenes indicat tractatu trigesimoquinto in Matthæũ, Omnes qui manifestis & magnis criminibus infames essent. Quod & Tertullianus attestatur in Apologetico, cuius uerba, de omnibus illis, in cœtibus publicis Christianorum, actionibus adscribimus.

Coimus, inquit, in cœtum & congregationẽ, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orãtes. Hæc uis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad diuinarum literarum commemorationem, si quid ita præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis uocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præce-

ptorũ nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu summumq; futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & cõuentus, & omnis sancti commercij relegetur. Præsident probati quiq; seniores honorem istum non precio, sed testimonio adepti. Neque enim precio ulla res Dei constat. Etiamsi quod arcæ genus est, non de oneraria summa, quasi redemptæ religionis congregat: modicam unusquisq; stipem menstrua die, uel cùm uelit & si modò possit, apponit: nã nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi depositapietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis uoratrinis dispensatur: sed egenis alendis, humandisq;, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, ætateq; domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, uel in custodijs, dum taxat ex causa Dei factæ, alumni confessionis suæ fiũt.

DE RITIBVS CIRCA baptismum.

BAptisandi ritus in Ecclesiis Asianis obseruatos hoc seculo, quia omnium fermè doctorum Asiaticorum scriptis destituimur, commemorare non possumus. De Africanis igitur Ecclesiis in hoc genere quædam dicemus ex testimonijs et indicijs probatissimorum autorum, Tertulliani, Origenis, & Cypriani. Primùm potestas publicè baptisandi penes solos, in Ecclesiis illis, fuit ministros, seu (ut Cyprianus loquitur libro ad Iubaianum de hæreticis rebaptisandis) præpositos in Ecclesia, & in Euangelica lege ac Dominica ordinatione fundatos. Confirmat idem Tertullianus in libro de baptismo. Dandi, inquit, baptismum ius habet summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri, diaconi, non tamen sine episcopi autoritate. Vbi tamen, incumbente necessitate idem ius integrũ esse etiam laicis declarat. Nec mulieribus, quibus in Ecclesia nullum officiũ uirile competere uolebant, baptisare publicè licebat: sicut inquit Tertullianus in libro de Velãdis uirginibus. Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere. Quanquã eo quod in libro de baptismo, contra Teclæ autoritatem, qui in epistola sua Pauli nomine edita à se, mulieribus potestatem fecerat, etiã necessitate non urgente, baptisandi: indicare uidetur, in casu necessitatis mulieribus baptisare licuisse.

Vbi autem & ad quas aquas baptisarint, nec hoc quidam explicatum satis legitur: in cõgressibus tamen publicis, & aqua quacũq; simplici, factũ esse uidetur.

De baptismo in Ecclesia, Cyprianus loquitur lib. 4. epistola 7. ad Magnũ: ubi & baptisandos 'aliàs aqua aspergi, maximè si infirmi & ægri essent, aliàs perfundi, aliàs mergi & ablui solitos fuisse indicat. Quod ipsum etiam ostendit, ad nullũ tempus certum baptismum alligatum: sed quoties exigeret necessitas usurpatum fuisse. Siquidem Tertulliani adhuc tempore quotidie reperiebantur, qui è Paganismo ad Christianam religionem confluebant: & ubiq; ethnici Christianis admixti erant. Ita & in carcere baptisabantur conuersi, sicut indicat historia de Basilide apud Eusebium lib. 6. cap. 5. Et in lecto quidẽ ægrotãtes, quod prolixè ostendit Cyprianus in epistola ad Magnum. Tertullianus tamẽ in fine libri de Baptismo, solennes baptisandi dies Pascha cõstituit & Pentecosten: Diẽ, inquit, baptismo solenniorem pascha præstat, cùm & passio Domini in qua tingimur adimpleta est. Exinde pentecoste ordinandis lauacris latissimũ spacium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes aduentus Domini subostensa. Sed paulò tamen pòst: Cæterùm omnis, inquit, dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo. Baptisabãtur autem in utroq; sexu adulti simul & infantes. Nam de infantibus baptisandis Origenes Homilia 8. in Leuiticum: Ecclesiam, ait, traditionem accepisse ab Apostolis. Et Cyprianus lib. 3. epistola 8. Fidi cuiusdam rationes reprehendit, qui censuerat infantes ante secundum uel tertiũ diem, à quo editi essent, non baptisandos: imò & considerandũ esse legẽ circumcisionis, nec intra octauũ quidem diem infantẽ baptisandũ esse. Cõtra quod in concilio quodã sexagintafex episcoporũ statutũ esse adserit: Infantes mox, postquã editi essent, baptisandos esse. Cõtra quod tamẽ etiã Tertullianus censuit, in libro de Baptismo: pro cuiusq;, inquit, personæ cõditione ac dispositione, etiã ætate cunctatio baptismi utilior est, præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim necesse est, sponsores etiã periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem, destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli? Ait quidẽ Dominus: Nolite illos prohibere ad me uenire. Veniant ergo, dum adolescãt: Veniant, dum discunt, dum quo ueniant docentur: fiãt Christiani, dum Christum nosce potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionẽ peccatorũ? Cautius agetur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, diuina credatur? Norint petere salutem, ut petenti dedisse uidearis. Non minore de causa innupti quoq; procrastinandi.

Adultorum autem aliquandiu, antequàm baptisabantur, fides explorabatur, & exercebantur ipsi actione quadam pœnitentiæ et cõfessionis: quemadmodũ ex ritibus baptisandi, quos libro de Corona militis Tertullianus describit, clarè apparet. Qui et in libro de baptismo ait: Ingressurũ baptismũ, orationibus crebris, ieiunijs & geniculationibus & peruigilijs orare oportet, cum confessione omnium retrò delictorum.

Porrò forma baptisandi eadẽ adhuc mansisse uidetur, quã Christus instituerat. Primùm enim, qui baptisandus esset, de symbolo aut interrogabatur: ut, Credis in unũ Deum Patrẽ? Credis remissionem peccatorum? quemadmodũ Cyprianus indicat lib. 1. Epistolarũ, epistola 6. Aut alioqui, symboli uerba coràm toto cœtu recitabat. Et Tertullianus inquit, in libro de Spectaculis: Aquã ingressi, Christianã fidem in legis suæ nerba profitemur. Deinde renũciat diabolo, et põpæ et angelis eius, sicut Tertullianus refert in libro de Corona militis, & in libro de Idololatria. Vniuersis deniq; alijs dijs & dominis, ut Origenes ait, Homilia octaua in Exodum. Postea ter in aquam aut mergebatur, aut saltem perfundebatur, quemadmodum subatur, aut saltem perfundebatur, quemadmodum superà dictum est. Et recitabatur formula CHRISTI, Baptiso te in nomine patris & filij & spiritus sancti. Sic enim Tertullianus indicat libro de Corona militis:

Ter mer-

Ter mergitamur, nihil amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinat. Et in libro aduersus Praxeam: Non semel, sed ter, ad singula nomina, & ad personas singulas tingimur. Et Origenes lib. 1. de Principijs: Salutaris, inquit, baptismus non aliter nisi excellentissimæ omni trinitatis autoritate, id est, Patris & filij & Spiritus sancti cognominatione cõpletur. Mersionem seu ablutionem illam sequebatur unctio, & manus impositio, de quibus rursus Tertullianus in libro de baptismo: Egressi, inquit, de lauacro perũgimur benedicta unctione de pristina disciplina: dehinc manus imponitur per benedictionem. Quem ritum Cyprianus non sine errore necessarium facit lib. 2. epistola ultima ad Ianuarium, & alias. Meminit & chrismatis prolixè Sermo de unctione, operibus Cypriani adiunctus. Origenes Homilia secunda in Psalmũ trigesimumoctauum, etiã signo crucis baptisatos signari solitos ostendit. Cuius ritus etiam Tertullianus meminit in libro de Resurrectione carnis. Meminit & manuum impositionis cum oratione, & signationis etiam, Cyprianus in libro de hæreticis baptisandis: Nũc quoq;, inquit, apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptisantur, per præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico cõsummantur. Meminit & exorcismi in baptismo, in epistola ad Quintinum.

Et usitatũ eum ritũ fuisse in Ecclesia Romana, indicat epistola Cornelij Romani episcopi de Nouato, apud Eusebiũ lib. 6. cap. 43. Significat Cyprianus in epistola ad Fidũ, lib. 3. epistola 8. etiã osculum infanti à ministro baptisante dari solitam. Sic enim ad obiectionem Fidi, de infantibus post aliquot demũ dies baptisandis respõdet: Quod uestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, immũdum non esse dixisti, quòd unusquisq; nostrùm adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cœlestem gloriã dandam impedimento esse oportere. Scriptum est enim: Omnia sunt munda mundis. Nec aliquis nostrùm id debet horrere, quod Deus dignatus est facere.

An uerò in baptismo nomina baptisatis imposita sint, certi quidem ea de re aliquid nõ legitur: nisi quod apud Eusebium lib. 7. cap. 25. ex cõmentarijs Dionysij Alexandrini de Promißionibus cõtra Nepotem colligi posse uidetur, Apostolorum nomina liberis baptisatis imposita fuisse. Verba ipsa adscribimus: Arbitror, inquit, multos fuisse eiusdem cum apostolo Ioanne nominis, qui propter dilectionem erga illum, & quòd ipsum admirarentur, æmularenturq;, consimiliter à Domino diligi uoluerint: ideoq; hoc sibi nominis usurpauerint. Sicut & Paulus deinde, & Petrus in liberis fidelium frequenter nominantur.

Nec de susceptione ex baptismo explicari quicquã inuenias, in omnibus huius seculi ueris et probatis scriptoribus. Meminit eius uno in loco Tertullianus, ut in libro de Corona militis: sed per quos, aut quo ritu ea facta sit, non exprimit. Meminit Vincentius, autor non ita satis probatus, de reb. Ecclesiæ Gallicanæ scribens, lib. 11. cap. 109. Fausti cuiusdam ciuis Eduæ in Maßilienßiũ littore, qui discipulos Polycarpi, Andochium & Benignũ presbyteros, & Tirsum diaconem, sub Aureliano Imperatore hospitio excipiens, ab illis impetrauit, ut familiam suam baptisarent: In qua habuit, inquit, adolescentem bene & piè institutum, Symphorianum nomine, quem Benignus presbyter baptisauit, & S. Andochius eum de sacro fonte leuauit. Sed cùm sub Aureliano à Polycarpo illo Ioannis discipulo, in Galliã missos presbyteros, is autor nugari nõ dubitet, quid ueri hæc narratio habeat uel à fatuo iudicari põtest. Videtur & illud Tertullianus innuere in libro de Pudicitia, baptisatis datũ esse annulum lauacri & fidei, quam professi essent obsignationem. Significat in libro de Corona militis, & lib. 1. contra Marcionem, exhiberi solitum recens baptisatis lac & mel, cuius ceremoniæ etiam Hieronymus meminit ad Luciferianum. Sed Tertulliani uerba de ritibus in baptismo, & post eum in Ecclesiis Africanis obseruatis, ex libro de Corona militis adscribimus.

Aquam, inquit, adituri ibidem, sed & aliquanto prius, in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & angelis eius. De hinc ter mergitamur, amplius non aliquid respondentes, quàm Dominus in Euãgelio determinauit. Inde susceptilactis & mellis cõcordiam prægustamus: exq; ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.

De uarijs casibus circa baptismum.

In Ecclesiis Africanis Cyprianus censuit & statuit, sicut infrà prolixius exponemus, reuocatos, aut per se à quacunq; hæresi ad Ecclesiam redeuntes, iterato baptismate repurgandos esse: ut Eusebius testatur lib. 7. cap. 2. & Cyprianus lib. 3. epistola prima. Decretum idem fuisse in frequentißimis fratrum synodis in Iconio & Synnadis, uenientes ab aliqua hæresi: denuò primùm instituendos esse, deinde abluendos, & à ueteris impuriq; fermenti sordibus repurgandos, Dionysius scribit ad Xystum, apud Eusebium lib. 7. cap. 5.

Stephanus contrà, sub quo mota primùm ea controuersia est, ueterem obseruandã esse consuetudinem censuit, quæ ex quacunq; conuersos hæresi, sola oratione, manuumq; impositione recipiendos esse obtineret. Eusebius lib. 7. cap. 2. Quod Cyprianus in illis tantùm fieri uoluit, quos cõstabat in Ecclesia prius baptisatos esse, sed postea ad hæreticos transisse: in epistola ad Quintinium. Baptisari etiam morbis laborãtes in lectis solitos, Cyprianus in epistola ad Magnum lib. 4. epistola 7. indicat, & pro uero baptismo probat. Ac sic baptisatum Cornelius Nouatum scribit, apud Eusebium lib. 6. cap. 43. Qui sic autem baptisabantur non mergebantur, nec perfundebantur, sed aquæ solùm aspergebãtur: quemadmodum ex Cypriani iam memorata epistola uidere est. Hinc cùm quidam dubitarẽt, an pro baptisatis habendi essent sic aspersi, aut si reualuissent, retingendi: ita uidetur Cyprianus decidere, ut liberum relinquat, siue quis pũtet eiusmodi retingendos, siue non.

Quin & in carcere baptisare recens conuersos, receptum fuisse uidetur: & testatur exemplum de Basilide carnifice, qui inter supplicia Potamianæ Alexandrinæ puellæ nobilis, quæ sub Seuero martyrio perfuncta est, conuersus, ac Christianum se mox confes-

sua, in carcerem abreptus, ibiq; à fratribus baptisatus est: refert Eusebius libro sexto, capite quinto.

Catechumeni item nondum baptisati, pro martyribus tamen habebantur. Talis fuit Heraclides Origenis discipulus, capite cæsus sub Seuero: & Rhais mulier catechumena, de qua Origenes ipse scripsit, adeptam eam fuisse baptismum per ignem.

DE RITIBVS CIRCA claues.

SEparationem ab Ecclesia seu excommunicationem eorum qui in grauibus & manifestis criminibus deprehensi essent, usitatā in Ecclesiis fuisse, Tertullianus, Origenes, & Cyprianus plurimis exemplis testātur: ut Tertullianus in Apologetico ostendit, cōmuni iudicio & magna seueritate atq; autoritate reos manifestorū scelerum à cōmunicatione orationis & conuentus & omnis sancti cōmercij relegatos esse. Origenes uerò in aliquot Homilijs, Cyprianus denique in Epistolis, in quibus excommunicatos hæreticos & schismaticos multos subinde recenset. Quibus tamē ritibus in excōmunicando usi sint, exemplum nullū reperies. Admoneri tamen iuxta Christi regulam, prius solitos aliquoties, ab episcopis forsan aut presbyteris, ut agerent pœnitentiam, ex Origene apparet, qui ad eum ritum Homilia 7. in Iosuam sic alludit: Tertio admonitū resipiscere nolētem, iubet ab Ecclesiæ corpore desecari, per Ecclesiæ præsides.

Absolutionem deinde à peccatis ita conferebant, si, qui pœnitentiam agebant, peccatum prius confessi essent. Sic enim confessionem magnopere Tertullianus urget in libro de Pœnitentia. Et usitatam fuisse priuatam confessionem, qua delicta & cogitata quoq; praua confessi sunt, ex aliquot Cypriani locis apparet: ut ex sermone quinto de lapsis: & lib. 3. Epistolarū, epistola 14. & 16. ubi diserte ait, in minoribus etiam peccatis, quæ quidem nōn in Deum cōmittantur, necesse esse ad exomologesin uenire. Idq; frequenter fieri iubet, lib. 1. epistola 3. Eorum igitur qui peccata leuiora sic cōfitebantur, etiam uita inspiciebatur: & iudicabatur, an pœnitentiam iustam egissent, quemadmodum ex lib. 3. epistola 16. Cypriani apparet. Imponi etiam solitam illis satisfactionem, pro modo delicti, apparet ex Sermone quinto de lapsis. Meminit eius & Tertullianus in libro de Pœnitentia. Postea absoluebantur, & ad ius communionis admittebātur, per manus impositionem ab episcopo & clero. Indicat illud ipsum Cyprianus, in locis iam adsignatis.

Qui uerò excōmunicati, aut non excommunicati, grauiter, aut idolis sacrificando, aut ad hæreticos deficiendo lapsi essent, non nisi post publicam pœnitentiam & confessionem debitè peractam recipiebantur.

Pœnitentiæ uerò publicæ seu confessionis & exomologeseos, quam pœnitentiæ ministerium Tertullianus uocat, libro de Pœnitentia, ritus idem in libris suis subinde, aliàs breuiter, aliàs prolixius recitat, ut libro de Pudicitia: sedere in sacco & cinere, fletu ingemiscere, precibus ambire, genibus Ecclesiam exorare. Et in libro de Pœnitentia: Is actus, inquit, confessionis scilicet, qui magis Græco uocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaq; exomologesis prosternendi & humiliādi, hominis disciplina est, conuersionē iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoq; habitu atq; uictu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere: illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare. Cæterùm pastum & potum purum nosse, non uentris scilicet, sed animæ causa: plerunq; uerò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrimari, & mugire: dies noctesq; ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis continet. Describere uidetur talem quondam processum publicè pœnitentium & Origenes Homilia secunda, in Psalmum trigesimumseptimum: Si quis, inquit, lapsus conscius sit sibi, procedat in medium, & ipse sui accusator existat. Hi autem qui futurum Dei iudiciū non metuunt, hæc audientes, cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum scandalizantibus non urantur, cum lapsis non iaceant, sed dicant, Longè fac te à me, neq; accedas ad me, quoniā immundus sum: & detestari incipiant eum quem antea admirabantur, & ab amicitijs recedant eius qui delictum sui uoluit occultare. Super his ergo cōsequenter dicit, qui exomologesin, id est, confessionem facit: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt, & proximi mei de longè steterunt. Recitat & Cyprianus officia publicè pœnitentium, in fine sermonis quinti de lapsis. ubi quidem adeò necessarium hunc actum facit, ut sine eo ritè & plenè peracto, neminē lapsum recipiendum aut absoluendam censeat. Hinc enim in eodem sermone reprehendit abusum quorundam sacerdotum, qui publicè lapsos absoluebāt, & ad cōmunionem admittebant sine publica pœnitentiā. Idem lib. 3. epistola 8. ostendit, receptum ac statutū fuisse ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, lapsis pacem seu absolutionem non conferre. Si id uerò à sacerdote quopiam factum esset, obiurgabatur: attamen pax ab eo qui acceperat, nō auferebatur. Ob quod & lapsi sacerdotibus interdum indignabantur, qui eos sine publica pœnitentia recipere nolebant.

Quamobrem Cyprianus lib. 1. epistola 3. significat, se lapsis pœnitentiam non denegare, sed impœnitētes & minaces non admittere. Historia certè de Serapione apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimo quarto, testatur, quàm tardissime & difficilime lapsos, etiam cùm petijssent, receptos fuisse.

Videtur & stationi pœnitentiū proprius adsignari solitus fuisse locus, extra Christiani cœtus locum.

Extat ea de re Canon sub nomine Gregorij Neocæsariensis (si tamen eius est, quod nō uidetur) de quinq; locis pœnitentiū, quem adscribimus. Προσκλαυσις, extra portas oratorij est, ibi peccatorem stantem, à fidelibus qui ingrediūtur flagitare oportet, ut pro se orēt. Ακρόασις, intra portam est, in loco quem ναόφωνα uocāt: ibi stat peccator post catechumenos, et inde egreditur. Ait enim, ubi audierit Scripturas & doctrinas, ejiciatur, nec dignus habeatur qui precibus intersit. ὑπόπτωσις

ὑπόπλωσις, *intra portam templi, ut stans cum catechumenis egrediatur.* Σύστασις, *ut simul stet cum fidelibus, & non exeat cum catechumenis.* Μίξις, *ad sanctificationes pertinet.*

Temporis autem determinatio, quãdiu scilicet & quantum lapsi pœnitere cogerentur, penes doctores Ecclesiæ & martyres fuit, qui inspectis peccatorũ generibus, pœnitẽdi cuiq; pro sui peccati qualitate tempus irrogabãt, alijs breuius, alijs longius: quosdã enim qui Christum primùm animosè confessi erant, sed in persecutione ui tormentorum & infirmitate uicti negassent, triennium egisse pœnitentiã Cyprianus affirmat: atq; ideo absoluendos censet, & recipiendos, lib. 4. epistola 2. Et lib. 1. epistola 2. de pœnitentia plena diu agenda, ait: Completo autem tempore, cùm pœnitẽtis uitam martyres studiosè inspexissent, & pœnitentiam eius satisfactioni proximam cognouissent, nomen eius excipiebant in libellum, & ad presbyteros remittebant, cum hac aut simili formula: Hũc admittite ad communionem, quia lapsus sui egit pœnitentiam dignam. Indicat Cyprianus libro tertio, epistola decimaquinta, & decimasexta. Oportuisse enim pœnitentes sufficientia declarare conuersionis suæ & resipiscentiæ signa, diligenterq; eos probatos prius atq; exploratos fuisse quàm receptos, etiã Dionysius indicat in epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium, lib. 6. cap. 42. Videntur & intercessisse pro ijs recipiendis, ministrorũ & populi preces: id quod ex actus exomologetici descriptione, quã suprà ex Tertulliano retulimus, apparet.

Post martyrum cognitionem & libellos datos, tamen à presbyteris et episcopis, priusquàm absoluerẽtur, examinabantur & iudicabantur: quemadmodum in epistola decimasexta libri tertij Cyprianus testatur.

In eodem uerò libro, epistola quinta & decimaquarta, prauam quorundam lapsorum consuetudinem taxat, qui impetratis à martyribus libellis absolutionis, sine examine absolutionem Ecclesiæ flagitabant.

Fiebat hoc examen & iudicium, aut censura quædam Ecclesiastica, apud episcopũ, qui ad illud fratres alios cõuocarat, & plebi insinuarat: sicut indicat Cyprianus libro tertio, epistola undecima. Apud illos de singulis quæ egissent, & propter quæ ab Ecclesia repulsi essent, primùm diligenter interrogabantur, postea reuocare, & crimen deprecari, ac cõfessionem publicam edere cogebantur: indicatis simul omnibus quæ ab aduersarijs, à quibus seducti fuerant, audiuissent: sicut Dionysius ad Philemonem presbyterum Romanum scribens, hunc se canonem à beato papa Heracla accepisse significat, ut qui ab Ecclesia ad hæreticos defecissent, ac postea ab ijs ad Ecclesiam redirent, non prius reciperentur, nisi publicè cuncta quæ ab aduersarijs audissent, exposuissent. Refert Eusebius libro septimo, capite septimo. Sic confessos Maximum, Vrbanum & Sidonium cum socijs, quos Nouatus deceperat, coram presbyteris & Ecclesia, Cyprianus scribit libro tertio, epistola undecima. Vbi hoc confessionis seu reuocationis eorum exemplum adsignat: Nos Cornelium episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ erectum à Deo omnipotente & CHRISTO Domino scimus. Nos errorem nostrum cõfitemur. Circumuenti sumus perfidiæ loquacitate factiosa amentes. Videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico homine habuisse. Syncera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit: nec ignoramus unũ Deum esse, & unum CHRISTVM esse Dominum, quem cõfessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in catholica Ecclesia esse debere.

Publicam igitur confessionem sequebatur publica quoq; absolutio: quemadmodum ex Tertulliani libro de Pœnitentia, & Cypriani sermone de lapsis, uidere est: ad quam accessit manus impositio, de qua Cyprianus libro tertio, epistola quinta, decimaquarta, & decimaseptima. Absolutis dabatur eucharistia, sicut idem indicat libro primo, epistola secunda: & libro tertio, epistola 16. ubi & offerri pro illis usitatum fuisse, indicat. Quibus omnibus ordine competenti administratis, postremò sequebatur populi adstantis gaudium, & gratiarum actio. Sicut de receptiore Maximi, Vrbani, Sidonij, Cyprianus scribit: Vna, inquit, uox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris, lachrymis exprimentium, complectentium eos quasi hodie pœna carceris fuissent liberati. Indicat & libro secũdo epistola duodecima, morem fuisse, per literas, si qui essent recepti, alijs Ecclesijs denunciandi. De die uerò aliquo certo, quo excommunicatos recipere soliti sint, non constat, nisi quòd autor Sermonis de unctione, apud Cyprianum, diem cœnæ Domini receptionibus eiectis pœnitẽtibus solennem fuisse indicat. Hæc dies, inquit, nocti illi contigua est, qua absolutionis nostræ negotium Dominus inchoauit, qua à principibus sacerdotum ad Romanũ præsidem ductus, iudex omniũ sustinuit iudicari, passus est Rex illudi, & uita occidi, descendensq; ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit: hoc Ecclesiæ suæ hodierna traditione exemplum relinquens, ut fieret in Ecclesia absolutio peccatorum, & hæreditati redderentur eiecti, & præcedẽtibus beneficijs quæ suprà enumerauimus, libertate donarentur pœnitentes, qui secundũ merita (nisi gratia subueniret) fuerant condemnati. Et omnino conuenit, ut eo tempore quo CHRISTVS captiuos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad Ecclesiam reducantur: & quo confracta sunt infernalis repagula carceris, iudiciaria seueritas mansuescat: & quo ab infernalibus tormentis cessatum est, humana supplicia crudelitatis horrorem deponant.

Atq; hæc uidetur pœnitentiæ & absolutionis ratio fuisse, in illis qui non morbo aut morte præpediti, pœnitentiæ processum integrum & competentem sustinere potuerunt. Addendũ nunc etiã illud est, alia ratione fuisse tractatos eos, quos intra fines pœnitentiæ & regulam adhuc constitutos, morbus lethalis aut alius casus desperatus arripuisset. Tum enim sine mora post confessionem absoluebantur, & pacem accipiebant. Sic ad presbyteros suos & diaconos Cyprianus absens scribit libro tertio, epistola 17. Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à martyribus acceperunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent

præsentiam nostram, quin apud presbyterum quemcunq; præsentem, uel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoq; exomologesin facere debiti sui posſint, ut manu eius in pœnitẽtiam imposita, ueniant ad Dominũ cum pace.

Sic Serapionem lapsum, & adhuc pœnitentẽ, cùm in grauem & desperatũ morbum incidisset, presbyter & ipse decumbens, absoluit per puerum missa eucharistia: sicut Dionysius ad Fabium scribit, apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimoquarto.

De aliquot casibus circa pœnitentiam.

Dicebantur Libellatici, qui ne sacrificare cogerentur, proœmiũ magistratui obtulerũt. Horum conditio & causa, etiamsi ab illorum uoluntate, qui ultrò sacrificassent, plurimum differebat, quemadmodum prolixè ostendit Cyprianus libro quarto, epistola secunda: tamen & ipsi pœnitentiam publicam agere cogebãtur. Testatur ibidẽ Cyprianus his uerbis: Quæ inclementia esset, & quæ acerba duritia, Libellaticos cum ijs qui sacrificauerint, iungere? quãdo is cùm libellus acceptus est, dicat, Ego prius legerã, & episcopo tractante cognoueram, non sacrificandum idolis, nec simulachra seruum Dei adorare debere: & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, cùm occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipse acciperem, nisi ostensa fuisset occasio, ad magistratũ ueni, uel aliò eunte mãdaui, Christianum me esse: sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me uenire non posse: dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam. Nunc tamen etiã iste qui libello maculatus est, postquàm nobis admonentibus didicit nec hoc facere debuisse, etsi manus pura sit, & os eius feralis cibi contagio nulla polluerit, conscientiam tamen eius esse pollutam, flet, auditis nobis, & lamentatur: & quod deliquerit, nunc admonetur: & non tam crimine quàm errore deceptus, quod iam de cætero instructus & paratus sit, contestatur.

Alius casus.

Si qui lapsi essent, & bene habentes pœnitentiam maturè non egissent, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testati essent, morbo correpti, etiã si deprecari cœpissent, tamen omnino à spe communicationis & pacis prohibebantur: ideo quòd rogare illos non delicti pœnitẽtia, sed mortis urgentis admonitio compellere uideretur: nec dignum putaretur in morte accipere solatium, qui se non cogitasset esse moriturum. Cyprianus libro quarto, epistola secunda.

Alius.

Si qui presbyteri aut sacerdotes ad hæreticos defecissent, ac postea errorem confiterentur, & reuocarent, publicam pœnitentiã agentes, omnesq; quos seduxissent ad Ecclesiam reducerent, recipiebãtur quidem, sed ordine suo & dignitate priuabantur, ut cum laicis communicarent. Cyprianus ibidem.

DE RITV CIRCA CŒNAM Domini.

Cœnam Domini distribuere in Ecclesiis Africanis, officium fuit presbyterorum, seu præsidentiũ, ut Tertullianus uocat in libro de Corona militis, ubi inquit: Eucharistiæ sacramẽtum nec de aliorũ manu, quàm præsidentium, sumimus. Apparet autem, tam in congregationibus publicis, quas plerũq; ante solis exortum, quemadmodũ suprà diximus, frequentabant, quàm priuatim etiam domi Christianos cœna Domini usos esse, quod & ipsum rursus Tertullianus affirmat in loco iam memorato: Eucharistiæ sacramentum, inquit, & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus sumimus. Et in libro secundo ad uxorem, de muliere gentili nupta ait: Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes. Et quotidie quidem hunc morem à Christianis obseruatum fuisse, Cyprianus testatur libro primo, epistola secunda: libro quarto, epistola sexta: & in Sermone sexto de oratione Dominica: & in epistola ad Cæcilium, lib. 2. epistola 3. significat uesperè plerunq; cœnam Dominicam à Christianis celebratam fuisse, ad exemplum CHRISTI, qui nõ mane, sed post cœnam calicem obtulerit: tum quia ipsum circa uesperam diei sacrificium fieri oportuerit. Socrates uerò historiæ Ecclesiasticæ libro quinto, capite uigesimosecundo, significat apud Alexandrinos ex uetusto quodam eius Ecclesiæ more, feria quarta plerunque, & sequente quæ parasceue dicitur, Synaxin celebrari consueuisse. Meminit autem distinctè panis & calicis Tertullianus, in libro de Corona militis. Et in libro de Præscriptionibus hæreticorum, carnem (id est hominem) ait corpore & sanguine uesci. Sed uini calicem aqua misceri solitum, Cyprianus indicat lib. 2. epistola tertia: atq; hac ratione declarat, quamobrem non liceat uinũ sine aqua admixta in calice esse: Quia si uinum tãtùm offeratur, sanguis CHRISTI incipiat esse sine nobis: Cùm aqua uerò admixta significet Ecclesiã Christo copulatam & adunatam. Aqua enim in Scriptura significat populũ: per uinum uerò, ostendi sanguinẽ Christi. Rursus, non licere aquã solam sine uino in calice offerri, quod à quibusdã tum fieri solitũ indicat, pluribus rationibus probat. Prima est: Quia cùm Christus dicat, Ego sum uitis uera, sanguis Christi non sit aqua, sed uinũ. Secunda: quia in ueteri testamento hæc omnia præfigurauerint, uinũ in calice exhibendum esse: Noe uidelicet inebriatio, Melchisedeci oblatio, Salomonis de sapiẽtia prophetia: Venite, edite panem meum, & uinum quod miscui uobis. Inde uerò benedictio: Lauabit in uino stolã suam, & in sanguine uuæ amictum suum. & Esaie de Christi passione uaticinium: Quare rubicunda sunt uestimenta tua, & in dumẽta tua uelut à calcatione torcularis pleni et percalcati? Tertia: quia aqua sola in Scripturis nominata, significat baptismũ. Quarta: quia Dominus ipse calicem mixtum discipulis exhibuerit, & Paulus eam institutionem confirmat. Quinta: quia eius rei sacramentũ etiã Spiritus sanctus in Psalmis expresserit, dicens, Calix tuus inebrians quàm præclarus est. Calix igitur inebrians utiq; sit uino mixtus, non aqua sola.

Indicat præterea Cyprianus lib. 2. epistola 4. & lib. 3. epistola 1. ad Lucium, Christianos in actione cœnæ Domini orare preces communes, & gratiarum actiones dicere solitos: In sacrificijs, inquit, precẽ cum pluribus facimus, & in orationibus nostris, non cessantes Deo Patri & CHRISTO filio eius Domino nostro

no nostro gratias agere, & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est atq; perficiens, custodiat & perficiat in nobis confessionis nostræ gloriosam coronã. Qui & ad hoc uos fortasse reuocauit, ne gloria esset occulta, si foris essent confessionis uestræ consummata martyria. Nam uictima quæ fraternitati præbet exemplum uirtutis & fidei, præsentibus debet fratribus immolari.

Porrò quo ritu ipsa cœnæ distributio peracta sit, idem in Sermone quinto de lapsis, indicare uidetur: ita scilicet, ut communicantes panem à diacono oblatum manibus suis acciperent, & de calice ordine biberent clerici, laici & mulieres. Quem ritum seu disciplinam Tertullianus lib. 2. ad uxorem, sine dubio hac phrasi expressit, de cibo & de poculo inuadere.

Exponit eundem breuiter ritum & Dionysius Alexandrinus, in epistola ad Xystum Romanum episcopum, apud Eusebium libro septimo, capite nono: ubi indicat, in Ecclesia Alexandrina consuetudinem fuisse, ut communicaturi de cœna Domini, ad gratiarum actionem à presbytero cœnam dispensante dictam, responderent, Amen: mensæ assisterent, & manus ad suscipiendum sanctũ cibum extenderent, eumq; acciperent. Et uetustum adeò, multisq; Ecclesiis cõmunem eum fuisse ritum, inde apparet, quod & Clemens Alexandrinus, quemadmodum in superiori Centuria ostendimus, eius meminit.

Si quis uerò, morbo impeditus in cœtu cũ reliquis communicare non posset, ad eum Eucharistia etiã per alios, si per presbyterum aut diaconum fieri non posset, mittebatur. Narrat eius rei exemplum Dionysius Alexandrinus, in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebiũ libro sexto, capite quadragesimo quarto, de Serapione sene: qui cùm per infirmitatem in persecutione lapsus pœnitentia duceretur, nec impetrare ab Ecclesiæ ministris, cùm sæpe obnixè petisset, potuisset: in grauissimam ægritudinem incidit: in qua cùm circa extrema constitutus esset, puerum ad presbyterum ablegauit, ut ueniens ipsum absolueret. Cùm fortè uerò & presbyter ipse morbo teneretur, nec uenire posset, exhibuit puero qui se accersitum uenerat, modicum Eucharistiæ ad senem deferendum. mãdasse enim se Dionysius ibidem significat, ut moriturus si peterent, & maximè si etiam antea supplicater petijssent, reciperentur. Eo igitur quod puer attulerat, Serapion usus, placidissimè obdormiuit.

Hinc & in arcam sanctum Dei, id est, eucharistiã concludere licuisse, ex eo casu quem Cyprianus recitat Sermone quinto de lapsis, apparet. Cùm quædam, inquit, arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Quod Origenes tamen reprehendit Homilia in Leuiticum: Dominus, inquit, panem quem discipulis dabat, & dicebat, eis, Accipite & manducate: non distulit, nec seruari iussit in crastinum. Et Autor sermonis de cœna Domini, apud Cyprianum, diserte ait: Recipitur, non includitur.

Datam puellis ephebis eucharistiam, Cyprianus sermone quinto de lapsis indicat: eiusq; rei casum quendam narrat mirabilem, cui seipsum interfuisse scribit: Parentes, inquit, fortè fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt: relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum, quò populus confluebat, quòd carnes necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater: sed facinus puella commissum tam loqui & indicare nõ potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sedenim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu fluctuabunda iactari, uelut tortore cogente, quibus poterat indicijs conscientiam facti in simplicibus adhuc annis, rudis anima fatebatur. Vbi uerò solennibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare: perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & uomitus: in corpore atque ore uiolato Eucharistia permanere non potuit, sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis uisceribus erupit.

Ex eodem sermone casus alius.

Quidam alius, & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere: sanctum dei edere, & contrectare nõ potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit.

DE RITIBVS CIRCA ORAtiones.

COnuenire ad communes preces Christianos solitos, suprà retulimus. Et testatur Cyprianus libro secundo, epistola quarta: & libro tertio, epistola prima, et in sermone sexto de Oratione Dominica: Publica, inquit, est nobis et communis oratio, nõ pro uno, sed pro toto populo. Ac meminit precum Ecclesiasticarum Dionysius ad Xystum scribens, quemadmodum Eusebius indicat libro septimo, capite nono. Toties igitur orasse Christianos, quoties conuenerũt, certum est. Nam quod in libro de Ieiunio Tertullianus ait, tres illas horas, tertiam scilicet, sextam & nonam, insigniores esse in orationibus diuinis: Cyprianus uerò in Oratione Dominica: primam, tertiam, sextam & nonam, horas uocat orandi antiquitus obseruatas: de priuatis Christianorum precibus dictum uidetur, maximè cùm in eodem loco Tertullianus dicat, Indifferens esse quolibet tempore orare: Cyprianus uerò post horas orandi statim inferat, Nam & mane orandum est & uesperi. ibidem. Et Origenes precum matutinarum & uespertinarum meminit, Commentariorum libro tertio in Iob. Tertullianus: Quarta sabbati & sexta, inquit, plurimum fungimur. Et, stationes & ipsæ suos dies habent, quartæ feriæ & sextæ, de publicis precibus dictum est.

Quo uerò gestu & ritu orarint, Tertullianus idem explicat in Apologetico: Cùm suspicientes inquit, manibus expãsis, capite nudo precamur pro om-

nibus imperatoribus,&c. Et initio libri de Corona militis,genibus flexis oraſſe eos ſignificat,quod geniculis adorare dixit. Teſtatur idem Origenes Homilia quarta in Numeros. Stantes etiam ferè die Dominico,& toto eo tempore quod intra paſcha eſt & pentecoſten. Quamobrem & ſtationes illas, precationes dixit,quarum ſubinde meminit. Et ad aram factas,ſolenniores fuiſſe indicat in libro de Ieiunio: Solennior, inquit,erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris. Teſtatur ibidem, eas ſtationes interdum in ueſperam uſq; productas eſſe. Meminit eius geſtus & Cyprianus Sermone de oratione Dominica: Stamus,inquit, ad orationem. Orabant autem,uultu ad plagam Orientalis cõuerſo: quemadmodũ rurſus in Apologetico ſuo Tertullianus adſerit. Inde enim ethnici Chriſtianos eo nomine criminabantur,quaſi ſolem adorarent.

Deniq; & hunc ritum in orationibus publicis uſitatum fuiſſe,Cyprianus in ſermone de oratione Dominica dicit: nempe,ut quando preces inchoaturi eſſent, Sacerdos præfatione quendam mentes fratrum quaſi excitaret, & præpararet ad ardentiorem inuocationem,ac diceret,Surſum corda. Ad quod cœtus totus reſponderet: Habemus ad Dominum. Formulas deniq; quaſdam precationum abſq; dubio habuerunt. Origenes enim Homilia undecima in Hieremiã,ad eas quas Collectas hodie uocant,alludere uidetur: Vbi,inquit, frequenter in oratione dicimus, Da omnipotens, da nobis partẽ cum prophetis, Da cum apoſtolis Chriſti tui,tribue ut inueniamur ad ueſtigia unigeniti tui &c.

DE RITIBVS CIRCA VOcationem & Ordinationem.

VSitatum in Eccleſiis orientalibus fuit, ut ad electionem,aut ordinationem alicuius epiſcopi uenirent ex uicinia plures presbyteri et epiſcopi, eiq; quem dignũ eo honore cognouiſſent, manus imponerent: quemadmodum in Origenis ordinatione apud Cæſaream factum, Euſebius ſcribit lib. ſexto,capite octauo. Sic cùm Narciſſus Hieroſolymitanus ab adminiſtratiõe Eccleſiæ clàm ſe ſubduxiſſet,aliquãdiu latiturus, uicinarũ Eccleſiarũ præſides,epiſcopũ aliũ ordinarũt,ut eſt apud Euſebium lib.6.cap.10.

Eundem in ordinãdis epiſcopis aut presbyteris morem etiam Africanæ Eccleſiæ obſeruarunt. Primum enim,ſi alicui Eccleſiæ præficiendus & ordinandus epiſcopus eſſet,per literas prouincijs finitimis omnibus ſignificabatur,ſicut indicat Cyprianus libro ſecundo, epiſtola decima ad Cornelium. Poſtea eiuſdem prouinciæ Epiſcopi proximi quiq; ueniebant: aut qui uenire minus poſſent, iudicium ſuum de ordinando,per literas ſignificabant: & deligebatur epiſcopus ea plebe,cuius Epiſcopus futurus erat,præſente: & acceſſit manuũ impoſitio. Hũc morem Cyprianus & in ſua Eccleſia,& per uniuerſas ferè prouincias obſeruatum teſtatur libro primo, epiſtola quarta. Poſt electionem iterum alijs Eccleſiis ſignificabatur: & mittebantur Epiſtolæ in alias terras & ciuitates de moribus & uita probata Epiſcopi lecti: hoc conſilio,ne quis calumniandi occaſionem, aut uituperandi,ſibi ſumere poſſet. Indicat idem Cyprianus libro 2. epiſtola 10.

Seruabatur eadem ratio etiam in ordinatione inferiorum perſonarum. Nam et ibi presbyteri, diaconi, & plebs conueniebant,de moribus & uita iudicia in commune conferebant: acſi dignus & idoneus uideretur,communibus ſuffragijs presbyterum aut diaconum decernebant. Meminit eius conſuetudinis Cyprianus libro ſecundo,epiſtola quinta.

DE RITV EXORCIZANDI.

VSitatæ in Eccleſiis Africanis erant etiam exorcizationes,quibus à dæmonibus uexati liberabantur. Meminit etiam exorciſmorum Tertullianus frequenter,ut in libro de Corona militis, & in Apologetico: Dæmones,inquit, id eſt genios adori conſueuimus,ut illos de hominibus exigamus. Item: Dæmonia de uobis ſine mercede,ſine præmio,depelli mus. Quod & in libro ad Scapulam oſtendit.

Origenes,præter exorciſmum,etiam alios ritus recenſet: uidelicet inuocationes,& manuum impoſitionem. Homilia uigeſimaquarta in Ioſuam.

DE RITV IEIVNANDI.

FRequens ſanè apud ſcriptores huius ſeculi occurrit ieiuniorum mentio,adeò ut & in opinionem meriti,ieiunia abiiſſe iam tum uideantur: quemadmodum ſuo loco dictum eſt. Sed diſcrimen quoddã ieiuniorum fuiſſe uidetur, eiuſmodi ſcilicet,ut alia publica,alia priuata haberentur. In publicis ieiunijs celebraſſe communes preces, & tamen ab oſculo pacis abſtinuiſſe eos,indicat Tertullianus in fine libri de oratione. Sed fortè de Montanitis magis ieiunijs, ut uidetur quidem,loquitur, quàm Chriſtianorum. Quemadmodum & in libro de ieiunio contra Pſychicos, ieiuniũ quod xerophagias appellat, atque eiuſmodi erat,in quo aridis & exiccatis tantùm ueſcebantur, ut recens & Montanicum profert. In quo libro ait, ieiunium diei ſabbati,ſeu feriæ ſextæ, produci ſolitum uſque ad ueſperam, tempus ſcilicet Dominicæ ſepulturæ: ubi & publici uniuerſæ plebe ieiunia indici ſolita ab Epiſcopo ait,ſolicitudinis alicuius Eccleſiaſticæ cauſa.

Origenes Homilia decima in Leuiticum, dierum quadrageſimalium meminit ieiunijs conſecratorum. Item quartæ & ſextæ feriæ,in quibus ſolennia dicit fuiſſe ieiunia. Homilia uerò ſexta in Exechielem, indicat, ieiunaturos prius oleo ſe perunxiſſe, quo ieiunium gratius celebrarent. Ex Cypriani deniq; ſermone de ieiunio & tentatione Chriſti, apparet Chriſtianos priuatim quàm frequentiſſimè ieiunaſſe,& toties adeò quoties oraturi eſſent.

DE FESTIS CHRISTIAnorum.

APparet Chriſtianis feſtiuos fuiſſe quoſcunq; cõgreſſus publicos,de quibus ſuprà diximus. Ideo de feſtis alijs, præter paſcha, pentecoſten & diem Dominicum,neq; in Aſiaticarũ,neq; Africanarũ Eccleſiarum hiſtorijs aliud quicquam reperies. Meminit uigiliarum paſchæ Euſebius in hiſtoria Narciſſi Hieroſolymitani epiſcopi, libro ſexto,capite nono. Libro uerò ſeptimo, capite ultimo refert de paſchate, ſcripſiſſe Anatoliũ Laodicenũ,celebrandum ſcilicet omnibus ex æquo eſſe, poſt æquinoctium uernale,cùm ſol primam cæſuram uernalem ſigniferi tranſiuiſſet: imò cùm & luna eandem cæſurã tranſi-

transiuisset: eiusq; obseruationis autores indicasse eũ, ait ueteres probatos Iudæos: ut Philonem, Iosephum, Musanũ, & ex septuaginta interpretibus Aristobulũ.

In Africanis uerò Ecclesiis Tertullianus indicat solennem fuisse totam illam noctem, diem Paschæ præcedentem. Sic enim lib. 2. ad uxorem inquit: Quis solennibus paschæ obnoctantẽ uxorem securus sustinebit?

Fuisse autẽ idem paschatis celebrandi tempus Africanis, quod Asianis, Eusebius lib. 7. cap. 20. inde probat, quòd in scripto quodam de ferijs, Dionysius Alexand. censuisse ostendit, pascha nunquam aliter, quàm post æquinoctium uernale, celebrandum esse.

Post paschа, Tertullianus in libro de Corona militis, pentecostes meminit, & diei Dominici. Ibidemq; & annuæ diei oblationum pro defunctis, pro natalitijs: & annuæ diei oblationũ pro uxoribus, in libro ad Scapulam. Celebriores autem festiuitates Christianis fuisse, Origenes indicat libro octauo contra Celsum, diem scilicet Dominicum, parasceuen, paschæ, & pentecosten. Meminit tamen etiam festiuitatis in memorijs sanctorum, libro tertio, in Iob: & Cyprianus libro tertio, epistola sexta, ad presbyteros Romanos.

Annotandum obiter & illud uidetur, in ijsdem Ecclesiis non licuisse Christianis celebrare festa gentilium. Id enim Origenes indicare uidetur Homilia septima in Iosuam, ubi ait: Illi qui cùm Christiani sunt, Solennitates gentilium celebrant, anathemata in Ecclesias introducunt. Ita nec Iudæorum etiam, quemadmodum idem indicat Homilia nona in Ieremiam.

DE RITV CIRCA NVptias.

IN contrahendis matrimonijs etiam hoc seculo mos ille obseruatus est, ut sponsus & sponsa ad sacra Ecclesiæ conuenirent, ibiq; à sacerdotis pijs precibus coram Ecclesia Deo commendarentur. ad quem ritum Tertullianus quoq; in libro secundo ad uxorem alludere uidetur, cùm inquit: Vnde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, pater rato habet? Non autem liberum, aut sine reprehensione fuisse, si mulier Christiana gentili nuberet: & contrà, ex Tertulliani plurimis locis, maximè in libro ad uxorem uidere est. Et numerat inter præcepta, ad religiosam Christianorum disciplinam pertinentia, Cyprianus libro tertio ad Quirinum, capite sexagesimosecundo, etiam hoc, matrimonium scilicet cum gentilibus non iungendum esse. Nuptialium uerò conuiuiorum meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimo.

DE RITV SEpulturæ.

QVia cœmiteriorum in historijs Ecclesiarum Orientalium mentio fit, non est dubium, fuisse in usu apud eas Ecclesias, etiam pios & honestos sepeliendi mortuorum corpora ritu. Remouens enim persecutionem Galienus, & pacem Christianis concedens, permisit eis recipere quæ prius amisissent, cœmiteria: Eusebius libro septimo, capite decimotertio. Et quidem cum periculo etiam, martyrum corpora Christiani reuerenter & honestè sepeliebant: quemadmodum Asyrij Romani exemplum, qui Marinum martyrem Cæsareæ Cappadociæ capite plexum sepelijt, testatur, apud Eusebium libro septimo, capite decimosexto. Cùm in consummatione martyris, inquit, Asyrius adesset, corpus illius humero suo, splendidoq; & precioso indumento impositum detulit, & splendidissimè quantũ conuenie bat, sepulturæ tradidit. Et Origenes libro quinto contra Celsum: Humana cadauera, ut animæ domicilia, et sanctioris præcipuè, haudquaquam sunt reijcienda: quippe quæ ex optimarum legum permissu cum honoribus qui haberi his possunt, & sepultura dignantur. Et contra eundem libro octauo: Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa sepulchro honorificè demandare. Sic in historia de pestilentia Alexandrina Dionysius ad Hieracẽ scribit, de Christianis: Sanctorum corpora supinis manibus ac sinu exceperunt, oculos depresserunt, ora clauserunt, unanimes & pariter affecti strictim complexi sunt, lauerunt, & ad sepulturam ornarunt. Eusebius libro septimo, capite uigesimo secundo.

Meminit Origenes rursus libro primo in Iob & precioſi uestitus, quo mortui ornati, in terram conditi sunt: quem si quis pro consuetudine amico mortuo mitteret, prius conscindebat, ne eo à flagitiosis surrepto, funus irreuerenter abijceretur.

Indicat Tertullianus in libro de Anima, mortuos etiam oratione à presbyteris componi consueuisse.

Deniq; & lugendi super mortuos consuetudinem fuisse, Origenes ostendit libro tertio in Iob: ubi, Luctus (inquit) mortui fit septem diebus & septem noctibus. Et meminit Cyprianus atri uel lugubris uestitus, in Sermone de mortalitate: ubi quidem fratres defunctos lugeri aut plangi omnino prohibet.

De festiuitatibus memoriæ sanctorum quædam Origenes narrat libro tertio in Iob. Conuocabantur in anniuersarijs diebus memoriæ uel parentum defunctorum, seu amicorũ, seu quorumcunq; qui in fide discessissent, Sacerdotes simul & laici, atq; in eo cœtu primum mortuis quòd in fide discessissent, gratulabantur, & sibi pium & tranquillum exitum quisq; precabatur: postea conferebantur eleemosynæ uel oblationes, quæ in pauperes, qui simul tum aderant, pupillos & uiduas distribuebantur. Sic Cyprianus ad presbyteros Romanos libro tertio, Epistola sexta, diligenter iubet annotari dies, quibus martyres decedant, ut commemorationes eorum in martyrium memorias celebrari possint.

Ibidem & de oblationibus & sacrificijs in martyrum memorijs celebratis dicit. Significet mihi, inquit Tertullianus, dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hìc à nobis oblationes & sacrificia ob cõmemorationes eorum. Est & oblationũ frequẽs mentio apud Tertullianum, ut in libro de Corona militis: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Meminit in libro de castitate & monogamia, etiam annuarum oblationum pro uxoribus.

Cyprianus etiam in martyrum commemorationibus oblationes & sacrificia fieri solita fuisse, indicat

libro

libro tertio, epistola sexta, & libro quarto, epistola quinta: Sacrificia, inquit, pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Tale quiddam libro primo, epistola nona habet, ubi eas oblationes sacrificia uocat, pro dormitione mortuorum. Meminit & oblationum, ex quibus stipem ministris datam apparet, libro primo Epistola septima. Nam & Origenes uult Sacerdotibus Euangelij offerri primitias ad altare. Denique & pro lapsis offerebatur, Cypriano teste, libro tertio, epistola decimaquinta, & decimasexta.

DE DISCIPLINA ET MORIbus externis Christianorum.

QVàm fuerint assidui Christiani huius temporis in officijs pietatis, in audiendo scilicet uerbo Dei, in orando & toto reliquo pietatis cultu, suprà in capite de publicis cõgressibus ostendimus. Hìc de alijs eorum pijs ac honestis exercitijs dicemus, inter quæ prima sunt mutuæ charitatis officij & beneuolentiæ studia, quarum aliquot de suis Christianis Tertullianus commemorat libro secundo ad uxorem, & in libro de Cultu fœminarum, ut ieiunia, uisitationem fratrum ægrotantium, uisitationem & consolationem martyrum in uinculis detentorum, exosculationem fratrum, qui salutandi ritus fuit, ablutionem pedum sanctorum, beneficentiam in pauperes, eleemosynas & collationes, hospitalitatem & officia in peregrè aduenientes. Quædam de hac disciplina etiam in libro ad Scapulam commemorat: Disciplina, inquit, iubemur diligere inimicos quoq;, & orare pro eis qui nos persequuntur. Idem: sacrificamus & oramus pro salute Imperatoris, in silentio & modestia agimus, ultionem nullam machinamur, depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus. De eo enim quàm piè & honestè senserint, pluribus in libro secundo ad uxorem ostendit.

Pupillos piè tractamus, indulgentes refrigeramus: nulli malum pro malo reddimus: quod & in Apologetico de Christianis retulit. In libro de Cultu fœminarum, ait, Christianos diligentissimè studiosos esse humilitatis & pudicitiæ. Sed singularem & excellentem circa martyres incarceratos charitatem & curam Christianorũ fuisse, ex Tertulliano & Cypriano constat. Laudat enim ab hoc pio officio Cyprianus Tertullum quendam, quòd circa curam corporum captiuis non desit: libro tertio, epistola decima. Et in libro ad martyres, inquit Tertullianus: Singula fratres de opibus suis proprijs in carcerem subministrant. Vnde apparet, omnia quibus opus habuerunt martyres captiui, à fratribus illis collata esse. Quòd si ad colloquium cum ijs, Christiani nõ admittebantur à custodibus, mittebant libellos consolatorios: qualis is de quo iam diximus Tertulliani ad martyres est. Mittebant tales libellos, et qui alijs Ecclesiis præerant. Sicut ob eam pietatem gratias presbyteri Romani agunt Cypriano, quòd ad presbyteros Romæ incarceratos consolationes misisset: libro secundo, epistolà 7. Multa deinde & magna circa ægrotos studia suscipiebant, quos cum periculo propriæ etiam uitæ & ualetudinis curabant: sicut à fratribus in peste Alexandrina factum, Dionysius refert apud Eusebium lib. 7. cap. 22. Plurimi, inquit, ex fratribus nostris propter excellentem dilectionem & fraternam charitatẽ sibijpsis nõ parcentes, sed mutuò cohærentes, & ægros tos sine ulla cautione inuisentes, illisq; diligenter inseruientes, & in Christo medentes, unà cum illis mortui sunt, & promptissimè morbo aliorum repleti, ac lue à proximis in se contracta, doloribusq; sponte in se translatis: multi qui alios infirmos curarunt ac confirmarunt, ipsi mortui sunt, mortem illorũ in se transferentes. Significat & clarè in libro priori ad uxorem, inter Christianos esse perpetuam continentiam seruantes: Quidam, inquit, uim huius erroris, uirginea continentia depellunt. Sicut & Cyprianus indicat libro primo, epistola nona & undecima, fuisse inter Christianos uirgines Deo dicatas, quæ continentiam præstare uoluerint & potuerint, ac masculis primùm cohabitare consueuerint: sed quam consuetudinem ipse, ut occasionem ad lapsus & peccata, abrogari præcipit. Quod etsi uitæ monasticæ & castæ cum opinione meriti, qualis paulò pòst illud seculum confirmari cœpit, et subinde creuit, nihil adhuc quidẽ simile referat: tamẽ iter quoddam et quasi semen fuisse, hos ritus uirginum continentium, non est dubium: præsertim cùm uoti continentiæ expressè Tertullianus in libro de uelandis uirgimibus & de ieiunio aduersus Psychicos, meminit. Et Cyprianus muliebrem sexum plurimis in locis, ut diximus, acerbissimè exagitet ac detestetur.

Quæ habituum aut uestitus ratio huius seculi Christianis fuerit, non satis explicatum est. Quædam de differentia inter cultum uirilem, cõmunem & philosophicum, Eusebius ex epistola quadam Origenis adducit; lib. 6. capite uigesimo, de Heracla presbytero Alexandrino: Cùm autem, inquit, communi esset usus indumento, posito illo, philosophicum habitũ sumpsit, qui quanquam cuiusmodi fuerit, incertum est, tamen pallio quiddam simile fuisse uidetur: cùm & Tertullianus se pallium induisse, abiecta toga, peculiari libro ostendat.

Videtur tamen, Christianorum mulieres, qui sexus alioqui natura ad luxum propensus est, ornamentis non minus indulsisse, quàm ethnicas mulieres. Quod ipsum in duobus scriptis Tertullianus reprehendit, in libris scilicet de habitu muliebri, & cultu fœminarum, reuocans eas à cultu mundiori & sumptuosiore, ac formæ lenocinijs, ad simplicitatem & humilitatẽ, quæ uirtutes solæ Christianos deceãt. Hinc in ornamenta quæcũq; adscita acerbissimè inuehitur, et mundi muliebris autores dicit esse diabolos: damnat ornatum ex auro, argẽto, margaritis, monilibus, lanis infectis, capillis alienis: ut ociosis, & pudicitiæ hostilibus (quẽ admodũ ipse loquitur) ornamentis. Quæ omnia indicãt, simplicitatẽ cultus et uestitus in magno tum fuisse Christianis studio: etiamsi apud aliquos, ac præcipuè fœminas, modum excedere cœperit. Quemadmodum & Tertullianum secutus Cyprianus, eam consuetudinem taxat in libro de Habitu uirginum.

Quòd ad puellarum cultum attinet, uerisimile est eas in

eas in cœtum capite nudo & aperto uenire solitas, iubentibus ita parentibus, ut maritum ex Christianis facilius inuenirent. Hoc igitur improbat Tertullianus in libro de Virginibus uelandis: & rem indecoram ac stupratione deteriorem esse adfirmat, uirgines in cœtu cerni non uelatas, ideo quod earum spiritus sic uitietur. Vbi tamen & eam consuetudinem recitat, quòd liberum fuerit uirgines uelari uel minus. Et addit, ex diuersitate scandalum ortum, & ritum uelandi describit, quantum uidelicet crines resoluti capere possint.

Idem libro primo ad uxorem indicat, Christianos à sanguine & suffocato abstinere. quod & Origenes testatur libro octauo cõtra Celsum. Abstinuerunt et ab idolothytis sicut rursus Tertullianus monet in libro de idololatria, & in fine libri de cibis Iudaicis. Ad quam consuetudinem & Origenes alludit contra Celsum libro octauo: Idolothytum, inquit, dæmonibus immolatur: nec decet quidem, qui Deum sectatur, dæmonum mensæ fieri participem. Idem & precationibus ante cibum, & signationibus usos Christianos, indicat libro tertio in Iob. Est hoc uerum, inquit, quantum manducamus uel bibimus, si Dei memores fuerimus. si terribile nomen eius inuocauerimus: si nosmetipsos uel cibum uel potum signo uenerabilis crucis Christi signauerimus: si ad cœlos oculos nostros leuantes dicemus, Qui das escam omni carni, da etiam nobis cum benedictione hũc cibum sumere. Si dixerimus cum syncerítate ad Dominum nostrum, Tu dixisti Domine, si aliquid mortiferum biberimus, tuum inuocantes nomen, non erit nobis molestum: tu itaq; Domine uirtutis & gloriæ, auerte ueneficam & iniquam operationem à nobis, & ab omnibus cibis nostris. Ea de re & Tertullianus in libro de Corona militis, ait ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditũ & exitum, ad uestitum & calceatum ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcũq; nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Signarunt etiam & adiurarunt res nocentes, sicut in Scorpiaco idem dicit: Nobis fides præsidium signandi statim, & adiurandi, et ungendi bestiæ calcẽ.

Indicat porrò in Apologetico Tertullianus, Christianos & lauacris uti solitos: attamen cauere, ne Ethnicorum ritus obseruare uiderentur. Et quidem de lauacris quotidianis Christianorum, meminit in libro de Corona militis.

Ex Homilijs uerò Origenis in libros Regum, colligi potest, Pro more Christianos habuisse, celebrare natalem filiorũ: quod Homilia 8. in Leuiticũ duriter idè reprehendit, et ethnicorũ & peccatorũ esse ostendit. Hoc enim unũ egregiè maximè inter cætera cauisse Christianos uideas, ne quid cũ Ethnicorũ moribus & consuetudinib. cõmune haberent. Vnde & spectacula ethnica à Christianis spectari nefas duxerũt: quemadmodum Origenes Homilia octaua in Esaiam, & Homilia 11. in Leuiticum indicat, & prolixè Tertullianus disputat in libro de Spectaculis. Ideo nimirum, quòd ad idololatriam spectacula pertineant, quorum originem & omnes partes quibus constant, ex idololatria ortas esse probat. Deinde, quòd ibi locum habeant, & excitentur multa peccata, ut concupiscentia, uoluptas, furor, impudicitia, & blasphemia nominis Dei. Tertiò, quòd in spectaculis diabolus regnet, cuius rei exemplum recitat. Cùm mulier, inquit, quædam theatrum accessisset, domum inde cum dæmonio redijt. Quod cùm per exorcismum interrogaretur, quamobrem fidelem inuasisset? respondit, se iustissimè fecisse, quoniam in suo eam inuenisset. Damnat & Cyprianus spectacula ijsdem penè rationibus, libro secundo, epistola secunda: quod blanda scilicet sint uiciorum inctiamenta, seruiant impudicitiæ, moueant sensus, mulceant effectus, & expugnent quamcunque boni pastoris conscientiam & uirtutem: denique quod ibi uideantur, quæ nequaquam possint cum integritate & pudicitia spectari: ut Venus impudica, Mars adulter: Iuppiter non regno magis quàm uitijs princeps, in terrenos amores cum ipsis fulminibus ardens, & nunc in plumas oloris albescens, nunc aureo imbre defluens, nunc in puerorum pubescentium raptus, ministris auibus, prosiliens. Nec artes histrionicas inter se exerceri Christiani passi sunt, quemadmodum Cyprianus idem ostendit libro primo, Epistola decima. Nec communicare cum histrionibus Christiani uoluerunt prius, quàm turpem illam confessionem prorsus abiecissent. Quòd uerò si fecissent, inter cæteros pauperes, si aliter non possent, ex Ecclesiæ alimentis & sumptibus, sed ijs parcioribus, sustentabantur.

Denique nec iurare ethnico more per deos gentiles solitos Christianos, Basilidis historia declarat apud Eusebium libro sexto, capite quinto. Is enim inter supplicia Potamianæ conuersus, cùm paulò pòst à commilitibus in certa quadam causa iuramentum poscereturaffirmauit sibi iurare prorsus non licere, quia Christianus esset. Eadem igitur de causa iudici proditus, & Christianum se constanter confessus, capite plexus est.

Differebat autem à communicatione Christianorum concœnatio illa, qua frequenter utebantur prõpter pauperes, quam in Apologetico Tertullianus ἀγάπην uocat: & Origenes talis cuiusdam conuiuij Christianorum meminit, quoties ad celebrandas memorias sanctorum conuenissent, libro tertio Commentariorum in Iob. Tertulliani descriptionem ex Apologetico subijcimus:

Cœna nostra, inquit, de nomine rationem suam ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptũ: siquidem inopes quoq; refrigerio isto iuuamus. Nihil ibi uilitatis, nihil immodestiæ admittitur. Non prius decumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse. Ita fabulantur, ut qui sciunt Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, uel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit. Inde disceditur, & cætera. Meminit istarum concionum in conuiuio Dominico, etiam in libro secundo

ad uxo-

ad uxorem: Quid maritus suus (de ethnico loquens) illi, de marito quid illa cantabit? Et noctu quidem etiam ad eiusmodi conuiuium conuenisse Christianos, in eodem libro indicat, sicut suprà diximus. Cuius rei occasione ethnici Christianis obijciebant, quod nefanda noctu perpetrarent, luminibus per canes, id est lenones, extinctis mysteria: quemadmodum hanc calumniam à Christianis remouet in Apologetico, uti diximus.

Subiectos etiam Christianos fuisse politicis magistratibus, ex multis constat indicijs: & maximè ex eo, quòd pro Imperatoribus, eorũq; gubernatione orarunt: ut Eusebius indicat libro septimo, capite undecimo. Et quod Aurelianus Imperator interpellatus à Christianis, Paulum Samosatenum à Synodo Antiochena damnatum, cùm à domo Ecclesiæ abstinere nollet, decreuit eam domum ijs adiudicari debere, quibus Episcopi Italiæ & Romæ in dogmate concordes scriberent. Eusebius libro septimo, capite trigesimo. Et à publicis oneribus Doctores Ecclesiæ nõ immunes fuisse, in sequentibus patebit, ubi Constantinus imperator immunitatem ijs contulisse demonstrabitur. Christianos etiam stipendia sub Ethnicis Imperatoribus meruisse, patet ex historia Marini, quæ extat apud Eusebium libro septimo, capite decimoquinto. Et Assyrij illius religiosissimi militis, cuius meminit ibidẽ Eusebius, capite decimosexto. Militis denique alterius cuiusdã Christiani, qui ob confessionem capite truncatur: Eusebius libro sexto, capite quadragesimoprimo.

DE RITIBVS ECCLESIÆ Romanæ.

CEremonias & ritus Romanæ Ecclesiæ separatim narramus, tum quòd ex suspectis Pontificũ decretis et epistolis deprominus: tum quòd superstitiones, in hac Ecclesia, pro eo ut debuit, mysterium iniquitatis in sibi destinato loco, Apocalypsi 17. efficacius agere, plurimum creuerunt.

De congregationibus publicis.

In Ecclesia Romana Pontianus episcopus statuit, sicut Faciculus temporum annotauit, ut Psalmi per dies noctesq; in omnibus Ecclesiis canerentur.

De ritu circa baptismum.

Autor expositionis symboli apud Cyprianum dicit, in Romana Ecclesia baptisandos oportuisse symbolum integrè ante baptismum recitare.

Eadem Ecclesia & chrismatis usum in baptismo habuit, quod singulis annis conficere solitum est in die Cœnæ Domini. Et allegat Epistola secunda Decretalis, Fabiani papæ autoritatem in hac re (sed quam uerè, suo loco dicetur) Ecclesiæ item Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Ephesinæ.

De manuum impositione post baptismum, in Decretis Vrbani legitur: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut planè Christiani inueniantur: quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.

De ritibus circa claues.

In eadem Ecclesia, qui lapsi essent in persecutione, & idolis sacrificassent, aut ad hæreticos defecissent, aut quorumcunq; grauium criminum rei essent, pro reiectis & excõmunicatis habebantur: nec recipiebantur prius, aut alio modo, quàm si publicam pœnitentiam egissent. Patet id ex historia Natalij apud Eusebium libro quinto, capite uigesimooctauo: quam, quia ritus exomologeticæ magna ex parte complectitur, ex ea breuiter recitamus. Persuasus is Natallius confessor ab Artemonis hæretici sectatoribus, salario centum & quinquaginta in singulos menses denariorum accepto, se eius hæresis episcopum constituerat. Cõmonefactus uerò à Domino per uisiones, ut ab hæreticis fugeret, inescatus primatus sui dignitate & turpi quæstu, neglexit. Flagellatus igitur & cæsus noctu ab angelis, ad pœnitentiam perductus est, ac mane surgens, sacco induto, & cinere insperso, lachrymans & lamentans ad Ecclesiam abijt, ante Zepherinum episcopum procidit: & pedibus aduolutus, non clericorum modò, uerùm & plebis, ipsam Ecclesiam omnem ad commiserandum lachrymis largissimis obtestatus, ac multis precibus usus, ad cõmunionem tandem uix receptus est.

Tale quiddam se à lapsis postulare, ad Cyprianum scribunt presbyteri & diaconi Romani: quod scriptũ inter Cypriani epistolas habetur libro secundo, Epistola septimà: Maximè, inquiunt, illis congruit uerecundia, quorum in delictis damnatur mens inuerecunda. Pulsent sanè fores, sed non utiq; confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique ut transiliãt. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precũ suarũ tubam, sed qua nõ bellicum clangant. Arment se quidem modestiæ telis: & quem negando, mortis metu, fidei dimiserant clypeum. Resumant, sed ut contra hostem diabolum uel nunc armati, non contra Ecclesiam, quæ illorum dolet casus, armatos esse se credant. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio uerecunda, humilitas necessaria, patientia nõ ociosa. Mittãt legatos pro suis doloribus lachrymas. Aduocatione fungantur, & intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes cõmissi criminis, et pudorem. Imò si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescũt, si pectoris & conscientiæ suæ lethalem plagã, & sinuosi indueris altos recessus, uerè medica manu tractant: erubescant & petere, nisi quia maioris est rursum & periculi & pudoris, auxilium pacis non petisse, &c.

Historia de Philippo imperatore, quem Fabianus episcopus, ut refert Haymo, in ultimis paschæ uigilijs cœtui & precationibus Christianorum interesse uolentem non admisit, etiam quædam monet, quæ à pœnitentibus fieri oportuerit. Ait enim Philippum cœtui Ecclesiastico admissum non esse, nisi primùm confiteretur, & ijs se qui propter peccata inquirebantur, & in pœnitentium loco constituti erant, coniungeret. Narrat Eusebius libro sexto, capite trigesimoquarto.

Sic confessores Maximus, Vrbanus, Sydonius, Celerinus, qui Nouati fraudibus uicti, ei se adiunxerant, cùm post animaduersos eius dolos, uersutiam, perfidiã & mendacia, ad Ecclesiam redeunt lamentantes & pœnitentes, primùm errorem suum, quòd fraudulentæ & malitiosæ bestiæ credidissent, coram multis Episcopis

scopis & presbyteris ac laicis plurimis confitentur: deinde omnes Nouati fraudes, machinationes & nequitias produnt. Hæc de Nouato Cornelius scripsit ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimotertio.

Post Decij persecutionem, cùm è uiuis Fabianus excessisset, toto eo tempore quo nondum alius episcopus propter rerum difficultates cõstitui potuit, presbyteri lapsos sine episcopo absoluere non audebant, sed eorum causam suspendebant. Morti tamen uicini, si peccata sua detestati fuissent, ac gemitibus & fletibus dolẽtis, & uerè pœnitentis animi sui signa prodidissent, absoluebantur. Scribunt hoc ad Cyprianum episcopi & diaconi Romani libro secundo, epistola septima, apud Cyprianum.

Meminerunt Epistolæ Decretales Pontificum subinde excõmunicationis: ut epistola Sixti & Fabiani, qui ante satisfactionem prohibuit communicare cum excommunicatis, pœna excommunicationis. Recitat ex eiusdem Fabiani decretis Gratianus, etiam hunc pœnitentiæ canonem: Quicunq; sciens peierauerit, quadragiuta dies in pane & aqua & septem annos sequentes pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur: communionem tamen post hoc percipiat.

Et est Eutychiani apud eundem de excommunicatione decretum: Si quis membrorum truncationes & domorum incendia fecerit, siue fieri iusserit, aut facienti consenserit, quousq; de his unicuiq; legaliter & amicabiliter corã episcopo ciuitatis alijsq; ciuibus nõ emendauerit, ab Ecclesia se priuatũ cognoscat. Si uerò post secundam & tertiam conuentionem, cuncta in quibus arguitur, non emendauerit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

De ritibus circa cœnam.

Potest ex Cypriani lib. 2. epistola 3. ad Corneliũ aperte colligi, cùm tempore Cornelij, tum ante eum, Romanos, aut etiam Italicos & alios episcopos ex nouella institutione, in administratione cœnæ Dominicæ non sequutos esse institutionẽ CHRISTI, sed plebi in calice tantum aquam porrexisse, & non uinum seu sanguinem Domini: ea fortè superstitione, qua postea calicis usus laicis præreptus est. Nam Cyprianus ea de re monet Cornelium, se diuinitus admonitum esse, in administratione cœnæ nihil aliud fieri debere, quàm quod CHRISTVS in prima institutione fecisset, & id prolixè multis scriptura locis propugnat, & hortatur tum, ut eiusmodi abusu cœnæ scribendo ad collegas abroget: & promittit se quoq; ea de re ad collegas literas facturum. Quòd si ẽstius nouellæ institutionis autores fuerunt Romani episcopi, ut omnino uidetur: indiciũ est, mysteriũ iniquitatis in ea Ecclesia ut in alijs rebus, ita in cœnæ Dominicæ deprauatione & immutatione maturè laborare cœpisse: sed subinde ab alijs pijs doctoribus impeditum esse, donec tandem iusto Dei iudicio & concessu pœnam luent.

Apparet deinde in Ecclesia Romana consuetudinem hoc tempore fuisse, Eucharistiam exhiberi à sacerdotibus in ipsas manus communicantibus. Quiritus ex historia Cornelij de Nouato, apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimotertio, intelligi potest. Cùm oblata, inquit, dispensaret, & cuiq; partem tribueret. Ex quo loco etiam collectiones illis ipsis diebus, quib. cœna Domini celebrata est, fieri: earũq; partem cõsecrari solitã, cõijcitur. Ait enim: Antequã de benedictione & collectis sumerent. Inter accipiendum item, accipientium fuisse, fortè ad distribuentis presbyteri uerba, respondere Amen: ex eadem ratione colligitur.

Cùm autem in eadem Ecclesia in ligneis receptaculis seu uasis eucharistia consecrari antea consueuisset, Zephirinus instituit, ut consecratio sanguinis CHRISTI in uitreo fieret uase. Antiquatũ tamen est id decretum paulatim, cautumq; ut in aureo, aut argenteo: aut si utrunq; deesset, in stãneo uase sacerdos rem diuinam faceret, autor Gratianus. Sunt qui hoc decretum aßignent Vrbano.

Fecit & hoc decretum Zephirinus, ut quicunque pubertatis annos attigissent, semel ad minimũ quotannis communicarent, Paschali die. Narrat Nauclerus generatione septima, & Sabellicus. Mutauit id decretum, Gratiano autore, Fabianus: qui cõstituit, ut si non frequentius, saltẽ ter in anno, quilibet non impeditus grauioribus criminibus communicaret: in paschate uidelicet, Pentecoste, & natali Domini.

Statuit idem Fabianus, non esse accipiendũ sacrificiũ de manu sacerdotis, qui orationes, uel actiones, & reliquas obseruationes secundũ ritum implere nõ posset, autor idem Gratianus. A uiris uerò sacris initiatis tantùm, nisi secus fieri necessitas cogeret, missas celebrandas esse, Platina autore, Felix statuit, nec alibi quàm in sacro loco.

Fuit & in eadem Ecclesia hic mos, ut patinas uitreas ministri sacerdotibus præferrent: & episcopo celebrante, sacerdotes omnes aßisterent. Atq; hunc ritum Zephirinum instituisse, Damasus refert.

Vsi sunt & singulari uestitu, quem sacratum dixerunt: nec in alijs, quàm in sacris eucharistiæ, eo indui sacerdotibus licuit: nec ab alijs quidem, quàm à sacratis contrectari. Quod inuentum ad Stephanum episcopum Romanum, prima eius epistola Decretalis refert.

Sacrificaturus autem, prius quàm altare conscenderet, confeßionem dicebat: quem ritum Pontiano Fasciculus temporum & Nauclerus generatione octaua tribuit. Quidam tamen Damaso aßignant: sicut ostendit Polydorus libro quinto, capite decimo.

Sixtus, dum sacerdos canonem ante celebrationem sub silentio legeret, ut in populo SANCTVS triplicatum caneretur, instituit: Nauclero generatione nona, & Polydoro, autoribus.

De ritibus circa ordinationem.

Historia de electione Fabiani episcopi apud Eusebium libro sexto, capite uigesimonono, ferè indicat, qui ritus in ea Ecclesia in ordinandis episcopis receptus fuerit. Conueniebant enim, si episcopus quis creandus esset, fratres omnes, præsente uniuerso populo, & consilia ac iudicia sua de alijs atque

alijs claris ac probatis uiris conferebant: ac tandem communi, tum suo, tum plebis suffragio, quem dignio rem iudicassent, episcopum decernebant.

Ex decretis autem Romanorum pontificũ, quæ infrà recitabuntur, si uera sunt, apparet eiusdẽ Fabiani tempore (is enim id constituit) neminem in ordinem presbyterorum lectum esse, qui non impleuisset triginta annos. Ad episcopatum uerò, ex decreto Gaij, nemo admittebatur, qui non per gradus quasi ad eum ascendisset, ac prius ostiarij, lectoris, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi & presbyteri officium sustinuisset. Si quem uerò in lecto baptisatum constaret, is in clerum prorsus non recipiebatur, quemadmodum Cornelij epistola de Nouato apud Eusebium libro sexto, capite quadragisimotertio testatur.

De exorcismo.

Etiam exorcisandi energumenos consuetudo in Ecclesia Romana usitata fuit. & peculiaris fuit dignitas & officium exorcisatio in clero: quam qui administrabant, exorcistæ dicebantur. Sic enim inter reliquos ordines Ecclesiasticos, Cornelius in epistola ad Fabium Antiochenũ exorcistas numerat: apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimotertio.

De ieiunio.

Ante Calixtum, ieiunia per annum solennia tria erant: quarto scilicet mense, septimo & decimo, secundum Hebræorum mensium computationem, instituta propter frumenti, uini & olei prouentus. Quæ postea Calixtus in quatuor reiecit anni (quæ uocant) tempora: Vernale scilicet, æstiuale, autumnale & hiemale. Referunt ex epistola prima decretali Calixti, Sabellicus & alij. Sed Platina hoc de quadruplici ieiunio, Vrbano tribuit.

De festis.

In historia de Philippo imperatore, cui mysterijs Christianorum interesse cupienti Fabianus episcopus restitit, fit mentio uigiliarum solẽnium Paschæ: apud Eusebiũ libro sexto, capite trigesimoquarto. In decretali uerò epistola secunda Felicis, si uera est, statuitur missarum celebratio super martyrum sepulchra, in memorijs eorum.

De ritu circa nuptias.

Copulabantur benedictione sacerdotis coniugium inituri: meminit enim eius ritus epistola secunda decretalis Sixti, in statuto de non criminandis & accusandis sacerdotibus: Quisquis, inquit, non est legitimè coniunctus, uel absq; dotali titulo ac benedictione sacerdotis copulatus, &c. Idem etiam cõiunctiones consanguineorum prohibuit, & rescindi eas præcepit, si iniri eas contigisset.

Licuit & affinibus matrimonium contrahere in quinto gradu: si qui tamen in quarto reperirẽtur coniuncti, non separabãtur. In tertio uerò gradu, omnino non licuit cum alterius uxore coniungi. Coniuncti uerò separabantur, & sine coniugio uiuere cogebantur. Hæc Fabianus statuit, autore Gratiano.

De ritu sepulturæ.

Cœmiteriorum aliquot pontificum Romanorum decreta meminerunt, ut Dionysius & Fabianus: quem cœmiteria pro martyrium dignitate extruxisse, Platina narrat. Si qui uerò martyres obijssent in hac Ecclesia, summa reuerentia & pietate sepeliebantur.

Narrat Damasus, Eutychianũ episcopum proprijs manibus centum quadragintaduos martyres suo tempore sepelijsse. Quos si presbyteri aut diaconi conderent, dalmatica aut colubio purpureo indui eos, idem præcepit: iuxta Platinam & Sabellicum. Celebrabãtur in eadem Ecclesia & martyrũ memoriæ, in quibus super eorum sepulchra, ex Felicis constitutionibus, missæ agebantur: Damaso teste, & epistola decretali Felicis secunda. De trãslatione corporũ Petri & Pauli, multa nugatur epistola prima decretalis Cornelij: scilicet hoc dignum tanto episcopo officium fuit, & tandiu durare in sepulchris corpora potuerunt, ut post tot annos adhuc in alia sepulchra transferri, & in templum Apollinis, ubi gentiles Romani tum idola sua adhuc habebant, componi potuerint.

De consecrationibus, benedictionibus & oblationibus.

In alijs Ecclesijs, & apud certos autores, de benedictionibus & cõsecrationibus nihil reperitur. Sed in Romana Ecclesia, Eutychianus cõsecrationes, seu benedictiones frugum et leguminũ instituit. Sic enim ipse in epistola prima decretali: Ista, fratres, prætulimus (inquit) ut hæ species quas non licet offerri super altare, iuxta constitutionem Apostolorum, eorumq; successorum, ad domum sacerdotum deferantur, & à sacerdotibus benedicantur: & per simplicem benedictionem benedicta, demum à populis sumantur. Fabæ tantùm, & uuæ, & cætera quæ Apostoli cõstituerunt, super altare offerantur. Idem de Eutychiano Damasus. Sed quod Apostolos id instituisse nugatur, nullo ueritatis indicio probari potest. Fabianus uerò sanxit, ut singulis diebus Dominicis tum à uiris, tum mulieribus, sacerdotibus panes & uinum ad altare offerrentur. Habes hoc decretum in Codice decretorum sedecim librorum, lib. 5. cap. 7. tomo 1. Concil.

De dedicatione templorum.

Calixtum diuæ Mariæ templum Romæ primũ extruxisse, Platina et Sabellicus prodiderũt: ijsdemq; testibus, Felix ritum dedicandi templa de nouo instituit, ut si incerta alicuius templi dedicatio & ob uetustatem abolita esset, iterum dedicaretur. Idem quod superiori seculo attributũ fuit Clementi, Euaristo, & Higino, secundum epistolas decretales: mirum quod ab hoc quoq; statui oportuerit.

De cœlibatu & uita monastica.

In eadem Ecclesia sacerdotes cœlibes uiuere conatos fuisse, ex aliquot pontificum decretis constat: & si ex maritis in cleri ordinem lecti essent, ab uxorib. proprijs perpetuò deinde abstinere. Ex decretis enim Lucij, Gratianus hæc recenset: Ministri altaris, presbyteri siue diaconi, ad Dominica tales eligãtur officia, qui continentiam seruẽt. Si uerò post ordinationem suam ministris contigerit propriæ uxoris inuadere cubile, sacrarij non intrent limina, neque sacrarij portitores fiant, neq; altare contingant, &c.

Habetur & in Stephani decretis, iuxta eundẽ Gratianũ: Aliter se oriẽtaliũ habet traditio Ecclesiarũ, aliter huius sanctæ Romanæ eccles. Nã illarũ sacerdotes, diaconi aut subdiaconi, matrimonio copulãtur: istius autem

autem Ecclesiæ nullus sacerdotũ, à subdiacono usq; ad episcopum, licentiam habet coniugium sanciendi.

In decretis uerò Eutychiani, secundum Gratianum & Iuonem, legitur de Abatibus, Abbatissis, sanctimonialibus, uiduis & uirginibus. Sed quæ quã fidem habeãt, & quomodo huic seculo conueniant, Lector iudicet.

DE GVBERNATIONE ECCLESIÆ, REBVS & personis Ecclesiasticis.

CAPVT VII.

Manet hæc ætas gubernationis in Ecclesia formam, superioris seculi rationi propemodum similem, sed tamen aliquanto auctiorem. Præfuisse autem etiam hoc seculo plerisq; Ecclesiis in omnibus tribus orbis terrarum partibus insignes doctrina, pietate & constantia uiros, patet ex catalogo doctorum, quorum uitas suo loco describimus.

Sed tamen etiam in multis locis organa diaboli, uiros peruersos, hæreticos & schismaticos, Ecclesias occupasse & turbasse, certum quoq; est ex catalogo hæreticorum: quos suo loco commemorauimus, a leò enim felix beataq; nullo æuo reperitur Ecclesia, ut omnes præsides bonos, & non etiam suas pestes, ad clauum gubernaculi sedentes habuerit.

DE GRADIBVS PERsonarum.

Fuit usitatissimum, iuxta Ecclesiæ necessitatem, quemadmodũ & in seculo superiori, officia Ecclesiastica distribuere in episcopos, presbyteros & diaconos. Hos enim gradus Tertullianus in libro de Corona militis, & libro de Fuga in persecutione recenset: ijsdemq; nominibus Origenes in Homilia secunda in Numeros, & Homilia undecima in Ieremiã.

Nec in epistola decretali Synodi Antiochenæ plurium graduum fit mentio, quàm episcoporum, presbyterorum, diaconorum. Eusebius libro septimo, capite trigesimo. Fuit quoquè Cleri uocabulum hoc seculo magis in usu, quàm in præcedenti: quo quidem omnes gradus Ecclesiæ ministrorum comprehendebantur. Tertullianus libro de fuga in persecutione, & Origenes subinde clerici & clericatus appellationibus utitur, ut Homilia septima in Ieremiam. Nos qui clericatus ordine præsidemus, nosce debemus, non statim in eo nos esse saluandos, quia clerici sumus. Item Cyprianus libro primo, epistola octaua.

Sed quia clericorum numerus augeri cœpit, ideo ut inter diaconos etiam ordo aliquis esset hoc seculo, plura discrimina personarum fecerunt in quibusdam Ecclesiis. Nam Cyprianus acolythi meminit, libro primo epistola tertia, & libro secundo epistola octaua. Et Hypodiaconi, libro tertio, epistola uigesima secunda. Et lectoris, libro secundo, epistola quinta, & libro tertio epistola uigesima secunda. Et exorcistarum, libro quarto epistola septima. Sed epistola Cornelij de Nouato ad Fabium Antiochenum, gradus in Ecclesia Romana plures numerat: uindex ille, inquit, Euangelij (Nouatus) ignorauit unum esse debere episcopum in catholica Ecclesia, in qua nescit presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem hypodiaconos septem, Acoluthos quadraginta duos, exorcistas & lectores cum ianitoribus quinquaginta duos, uiduas cum afflictis supra mille quingentas. Eusebius libro sexto, capite quadragesimo tertio. Sed apparet, non in eodem templo tot fuisse ministros, sed in pluribus, tanquã in spaciosa & populosa ciuitate Hos eosdem gradus etiam epistolæ, decretales Gaij & Fabiani pontificum recensent. Damasus archidiaconum Stephanum uocat. De catechistis, qui in Ecclesia Alexandrina plerunq; episcopis succedebant, infrà dicemus. Meminit denique Eusebius libro sexto, capite nono, in historia Narcissi, & ministrorũ luminarium in Ecclesia Hierosolymitana.

DE RATIONE GVBERNANDI.

Prima fuit in Ecclesiis & præcipua autoritas penes episcopos, quos etiã præpositos Cyprianus uocat lib. 3. epistola 14. qui in gubernatione summã administrationis Ecclesiasticæ sustinebãt. Post eos proxima dignitas presbyteris fuit, & tertia deinceps Diaconis. Primum commune fuisse docendi officium, ac pro necessitate seuerius obiurgandi, cùm laicos tùm clericos, episcopis, presbyteris & diaconis, ex Origene apparet, qui sic inquit Homilia prima in Psalmum trigesimum septimum: omnes episcopi, atque omnes presbyteri uel diaconi, eruduunt nos, & erudientes adhibent correptionem, & uerbis austerioribus increpant. Sic Cyprianus libro primo epistola tertia, episcopos & ministros docere iubet sine metu iniuriarum, aut insidiarum perditorum & impiorum. Item Homilia prima in Ezechielem: Qui metu indigent magistrorum, minis & terroribus corripiendi sunt, ut per amara remedia à uulneribus peccatorum curentur. Cæterorum uerò, aut paruulorum aut imbecillium, iubet in docendo habendam esse rationem, ne offendantur. Hinc Origenes Homilia tertia in Numeros, obiurgat catechumenos, quòd non simplici corde ad uerbum Dei audiendum cõueniant. Item Homilia undecima in Exodum, arguit superbiam sacerdotum & præsulum, quod dedignentur consilia inferiorum sacerdotum & laicorum. Et Homilia secunda in Numeros, dicit episcopos, presbyteros & diaconos non semper secũdum suum ordinem incedere, & quæ sunt eo digna agere. Homilia tertia in Ezechielem, arguit eos qui iuxta gratiam & uoluntatem audientium prædicabant. Sic Cyprianus libro quarto, epistola quarta, arguit clericorum peccata, quòd patrimonio & lucro studeant, superbiam sectentur, æmulationi & dissensioni uacẽt, simplicitatem & fidem negligant, sibi placeant, & præcepta cœlestia non seruent. Exemplum tamen Origenis, qui Cæsaræ coram Ecclesia publicè docuit, & Scripturas exposuit, cùm nondum in presbyterorum ordinem lectus esset, testatur: etiam aliàs ad docendum idoneos admissos esse, etiamsi nec episcopi, nec presbyteri, nec diaconi dignitate essent insignati, Eusebius libro sexto, capite uigesimo. Pertinebat etiam hoc ad officium eorum, hæreticos arguere, & contradicentes conuincere, mox cùm errores spargi incipiebant: ut testatur Origenes Homilia prima in

Ezechielem. Nec tantùm præsentes conuincere conati sunt, sed etiam scripta, in quibus erronea tradita sunt, refutarunt. Sic Dionysius Alexandrinus scripta Nepotis, cùm uideret ijs simpliciores in errorẽ induci, refutat, in libro de Promißionibus. Euseb. lib. 7. cap. 24. Idem alios quoq; feciſſe, patet ex loco de hæresib.

Officium etiam administrãdi sacramenta penes episcopos et presbyteros erat. Tertullianus enim inquit in libro de Castitate: Et offert & tingit sacerdos. Et in libro de Corona militis: Eucharistiæ sacramentum & in tempore uictus, & antelucanis etiam cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.

Diaconi etiam in administratione sacramentorum aderant, & circumferebant panem consecratũ & calicem, & distribuebant cõmunicantibus: ut dictum est suprà in loco de ceremonijs. Ius tractandi de excommunicandis aut recipiendis publicè lapsis, penes seniores Ecclesiæ erat, qui ad eam rem cõuenire solebãt: ut patet ex Apologetico Tertulliani. Sed denunciatio excõmunicationis, aut separatio, aut etiam publica coram Ecclesia exceptio, fiebat plerunq; per episcopũ, aut presbyterũ. Sic Origenes Homilia 7. in Iosuam, tertiò admonitũ resipiscere nolentem, iubet ab Ecclesiæ corpore desecari, per Ecclesiæ præsides. Vbi etiã indicat, sacerdotes uni parcẽtes, & sacerdotalem seueritatẽ negligẽtes, uniuersæ Ecclesiæ moliri interitum. Idem alibi pluribus in locis monet: attamen ita fieri iubet, ne quis pro leui culpa abscindatur, sed si manifestè & euidẽter fuerit criminosus: qui ita tamen excõmunicandus sit, ne perdatur, quemadmodũ Paulus docuit: Homilia 21. in Iosuã, & Homilia 12. in Ezechielem. Rursus Homilia 3. in eundem, ubi sic inquit: Iustè proijcitur qui digna facit abiectione, ut auferatur à populo Dei, & eradicetur, & tradatur Satanæ. Et Homilia undecima in Hieremiam: Peccauit quodlibet quispiam, is qui præsidet populo, & regit Ecclesiasticam disciplinã, eijcit eum de congregatione sanctorũ.

Idem tractatu trigesimoquinto in Matthæũ: In Ecclesijs Christi, inquit, cõsuetudo tenuit talis, ut qui manifesti sunt in magnis delictis, eijciantur ab oratione communi: ne modicum fermentũ, non ex corde mundo orantium, totam unitatis conspersionem & consensum corrumpat. Sic Cyprianus lib. 1. epistola 3. pluriũ, ut Fortunati, Felicißimi, Maximi, Iouini, &c. meminit, qui in Africa excõmunicati sunt. Sic Babylas Numeriano ingresso Ecclesiam Antiochenam, & per transennam inspicere eorum arcana mysteria uolenti, in faciem consistens, id prohibuit: non licere dicens, eum cruore ex idolorum sacrificijs pollutum, in domum Dei tam præcipitãter ingredi, & diuina mysteria contaminatis oculis spectare. Nicephorus libro sexto, capite 37. Sic Fabianus Philippum Imperatorem, à precatione multitudinis Ecclesiasticæ excludit. Eusebius libro sexto, capite trigesimoquarto.

Absoluebant etiam lapsos presbyteri ac diaconi, sed non nisi episcopi consensus accessisset: sicut Cyprianus indicat libro tertio, epistola decimaquarta: ubi acriter inuehitur in presbyteros aliquot, qui uulgi plausum captantes, lapsos in persecutione, nondum finita pœnitentia, nec satis admonitos, & sine iussu episcopi aut præpositi, absoluebant. Hinc & pacem pœnitentes presbyterorum implorabant, & absolutionem petebãt. Sic enim eos aduolui presbyteris Tertullianus iubet, in libro de Pœnitentia. Item diaconi etiam moribundos lapsos, facta exomologesi delicti sui, manus impositione absoluebãt, Nicephorus lib. 3. epistola decimaseptima. Ius ceremonias ad bonum ordinem & ædificationem necessarias, instituendi, & institutas obseruandi, penes ministros Ecclesiæ etiam hoc seculo mansisse, patet ex loco de ceremonijs: & Dionysius Alexandrinus in libro de Promißionibus, laudat Nepotem Ægyptiorum episcopum, propter fidem, sedulitatem, & exercitium in Scripturis, & propter multam ipsius psalmodiam, qua etiamnũ multi ex fratribus delectentur. Eusebius libro septimo, capite uigesimoquarto. Vnde apparet, Nepotem fortè in Ecclesia sua psalmodiam instituisse. Et epistola Synodi Antiochenæ, item Eusebius libro septimo, capite trigesimo, hoc uicio uertit Samosateno, quòd psalmos, qui in honorem CHRISTI canebantur, uelut recentiores, ac recentium uirorum commenta sustulerit: & in media Ecclesia magno die paschatis, mulierculas subornauit, quæ de seipso psallerent. Vnde apparet, episcopos Psalmos cantandos in templis proposuisse. Sed in eo genere præ alijs, in traditionib. humanis condendis, Romani episcopi mirè modum excesserunt: ut dictum in loco de ceremonijs. Nam quæ in decretis Ecclesiæ Romanæ traditiones leguntur, ociosæ & superstitiosæ, & prorsus cum uerbo Dei non congruentes, & mysterium iniquitatis resipientes: ut de consecratione facienda in calice uitreo, & rursum in argenteo, aureo aut stanneo: de ieiunio triplici in anno, ac rursum quadruplici: de chrismate comburẽdo, de sacri uestitus usu in sacris, de templorum consecrationibus, de frugum & leguminum benedictionib. de sepeliendis mortuis in Dalmatia, aut collubio: item de sola aqua in calice plebi offerenda, quod uidetur ab aliquo Romano episcopo statutum, Cyprianus enim libro secundo, epistola tertia ad Cornelium, id impugnat. Episcoporũ etiam erat, communi cõsilio presbyterorum & doctorum & plebis, ordinare episcopos & presbyteros, lectores & hypodiaconos. Sic Cyprianus libro tertio, epistola uigesimasecũda significat, se feciſſe lectorem Saturum, & hypodiaconũ Optatum cõfessorem: quorum alterum prius probauerant, commendando et lectionem, semel atq; iterum in die paschæ: alterũ, constituendo doctorem audientiũ: examinantes, an congruerent illis omnia, quæ deberent esse in ijs qui ad clerum parabãtur. Et libro secundo, epistola quinta, Aurelium adolescentem ordinat lectorem. Cœtus auditorum suorum distinctos habuisse, ex eo apparet, quòd passim apud Origenem catechumenorum fit mentio: quorum officium esse dicit, Ecclesiasticis præceptis parêre, Homilia quarta in Iosuam. Et ex Eusebio libro sexto, capite quarto apparet, inter catechumenos & baptisatos discrimen fuisse, & quod suprà retulimus, publicè lapsos in certo loco stare coactos esse.

Presbyterorum & diaconorum etiam erat uisitare ægrotos, morientium oculos deprimere, orare, mortuos lauare, & ad sepulturam onerare: ut patet ex Epistola Dionysii Alexandrini ad Hieracem

Hieracem, apud Eusebium libro septimo, capite uigesimosecundo. Diaconi solebant etiam accedere ad martyres incarceratos, eosq; consilijs suis & Scripturarum præceptis iuuare & gubernare, Cyprianus libro tertio, epistola decimaquinta.

Scribit in libro de ieiunio Tertullianus, episcoporum fuisse incumbente aliqua necessitate Ecclesiastica, publica uniuersæ plebi ieiunia indicere. Sed ciuilium rerum nihil agere episcopis licuisse, & Ecclesiasticis negocijs solùm occupatos fuisse, ex his scriptoribus etiam liquet. Sic enim Origenes ait libro nono in epistolam ad Romanos: Qui præest fratribus aut Ecclesiæ, in solicitudine esse debet, non humanarum causarum, nec secularium rerum. Hæc autem solicitudo, aliena debet esse ab his qui Ecclesiæ præsunt. Sed talem incipiant solicitudinem, qualem Apostolus dicit: Concursus in me quotidianus, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalisatur, & ego non uror? Qui ergo præest Ecclesiis, talem solicitudinem habere debet, & illam aliam secularem omnino habere non debet. Et Homilia sexta in Esaiam: Qui uocatur ad episcopatũ, non uocatur ad principatum, sed ad seruitutem totius Ecclesiæ. Lectorum officium erat, stare ad pulpitum, & legere Euangelium CHRISTI: ut patet ex Cypriani libro secundo, epistola quinta. Hypodiaconorum uerò erat, docere audientes, seu catechumenos: ut patet ex Cypriani libro tertio, epistola uigesimasecunda. Proximo post diaconos loco, Origenes Homilia sexta in Esaiam, uiduas collocat, earumq; officium fuisse docet, lauare sanctorum pedes, sermone spiritualis doctrinæ: sanctorũ uerò non masculorum, sed mulierum.

Et Tertullianus in libro de Virginibus uelandis: Sedet, inquit, ea autoritate (in Ecclesia) uidua intecta, qua & uirgo. Ad quam sedem, præter annos sexaginta, non tantùm uni uiræ, id est, innuptæ aliquando eliguntur, sed & matres, & quidem educatrices filiorum: scilicet ut experimentis omnium affectuum structæ, facilè norint cæteras & consilio & solatio iuuare.

DE SYNODIS priuatis.

SI quid autem negocij incidebat, quod sine reliquorum eiusdem Ecclesiæ, siue clericorum, siue laicorum, consilio & consensu non poterat perfici, tum conueniebant, & res necessarias cõmuni consilio tractabant. Eos conuentus, priuatas Synodos appellare libet, huiusmodi autem frequentes in unaquaque Ecclesia, absque cæterorum uicinorum comprouincialium conuocatione, habitas esse constat. Nam Cyprianus ad presbyteros & diaconos fratres sic scribit, libro tertio, epistola decima: A primordio episcopatus mei, constitui nihil sine consilio uestro, & sine consensu plebis, mea priuatim sententia gerere. Causas autem quas eiusmodi conuenticulis egerint, aut communi inter se consilio iudicarint, quanquam nec satis explicatur à scriptoribus huius seculi, tamen tales fuisse, quales præsens Ecclesiæ illius conditio obtulit, uidetur. Nam de quæstionibus ambiguis inter se contulerunt, & ad quæstiones ab alijs Ecclesiis propositas responderunt. Sic Cyprianus ex communi consilio collegarum & compresbyterorum, ad clerum & plebem Furnitanorum scribit libro primo, epistola nona, non licere presbyterum aliquem, qui Ecclesiæ seruire, & precibus uacare debeat, tutorem uel curatorem testamento nominare, seu constituere.

Sic idem libro secundo, epistola quinta, inquit: In ordinandis clericis solemus uos antè consulere, & mores ad merita singulorum communi consilio ponderare. Et libro tertio, epistola uigesimasecunda, significat, Saturum & Optatum probatos esse à plebe, antequàm in clerum assumerentur. De excommunicandis quoque manifestè sceleratis in huiusmodi conuenticulis actum esse, patet ex Apologetico Tertulliani, ubi inter alia inquit: Iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumq; futuri iudicij præiudicium est: si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij religetur, præsident probati quinque Seniores, honorem istum non precio, sed testimonio adepti.

Sic etiam de lapsis aut excommunicatis pœnitentibus recipiendis tractarunt. Nam quæstio, utrum lapsi in persecutione, si postea agant pœnitentiam, rursus in Ecclesiam admittendi sint, eo tempore quo mota fuit, plurimas peperit communes deliberationes hinc inde: quemadmodum ex Cypriani epistolis, & Eusebij libro sexto, capite quadragesimosecundo, uidere est. Habetur & exemplum in Epistola secunda, libri primi Cypriani, alibiq; plura alia. Certum etiam est, in eiusmodi priuatis Synodis literas ab alijs episcopis aut Ecclesiis missas, lectas esse. Sic Cyprianus libro primo, epistola tertia, indicat suas literas Romam missas, à clero & fratribus legi solitas: & à Cornelio petit, ut idem porrò fiat. Et libro tertio, epistola quarta, indicat, Clerum Romanum communes ad se fecisse literas, quarum exemplar presbyteris Romanis remittit, & suas atque illorum fratribus iubet prælegi & communicari. Et libro tertio, epistola quinta dicit: Se bis ad clerum suum literas fecisse, & fratribus legi mandasse. Verisimile est etiam, eos in eiusmodi conuenticulis, prout commodum uisum est, ei Ecclesiæ statuta fecisse, aut ab episcopis facta approbasse: quorum tamen apud alias Ecclesias pauca reperias. Sed in Romana Ecclesia iuxta ἀκρίβειαν mysterij iniquitatis quædam à Damaso recensentur, ab alijs uerò improbis testibus plurima: qualia sunt, quod Calixtus statuit, Clericos ad sacros ordines promouendos, abstinere debere ab uxoribus. Vrbanus uerò, censuram futuri clerici instituit. De excommunicandis illis, qui sacerdoti alicui iniuriã fecissent: quod Fabianus constituit.

Item, ut duo presbyteri, & tres Diaconi, episcopum quoquò uersus euntem comitarentur, propter testimonium Ecclesiasticum: quod decretum Lucio tribuitur. De non uocando in ius à profano, sacris initiato, quod Gaio: de non exigendo iuramento à sacerdote, nisi pro fide, quod Cornelio tribuitur.

DE BONIS ECCLESIÆ.

SIcut superiori seculo de bonis Ecclesiæ diximus, collectas esse pecunias uiritim in publicis congressibus, quæ in pauperes aut ægros, aut alia quacunq; necessitate laborantes distributæ sint: idem hac ætate adhuc factum esse, ex probatis autoribus affirmari potest. De alijs enim seu reditibus, seu facultatibus Ecclesiæ, nihil illi meminerũt. De contributionibus igitur in publicis cœtibus, sic in Apologetico Tertullianus indicat: si quod arcæ genus est, non de oneraria summa, quasi redempta religionis congregat, modicam unusquisq; stipem menstrua die, uel cùm uelit, & si modò posit, opponit: nam nemo compellitur, sed sua sponte confert. Hæc quasi depositæ pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis uorationibus dispensatur: sed egenis alendis, humandisq;, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, ætateq; domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, uel in custodijs, duntaxat ex causa Dei sectæ. Sic propter pauperes institutam ἀγάπην, de qua suprà dictum est, idem testatur. Et de rebus atq; alimentis in commune collatis nutriri solitos martyres in uinculis, scribit initio libri ad martyres: Martyres, inquit, incarcerati, de uberibus Ecclesiæ pascebantur. Meminit & Origenes Homilia undecima in Leuiticum, bonorum aut pauperibus aut peregrinis deuotorum, quæ in usus proprios negat esse præsumendos. Affirmat utcunq; etiam Cyprianus, qui epistola decima libri primi dicit, de alimentis Ecclesiæ pauperes sustentari, ali & uestiri. Et libro tertio, epistola uigesimaquarta: ex ijsdem ait sumptus peregrinantibus ministrari. Apparet præterea, in eum finem & oblationes factas, de quibus suprà diximus, scilicet ut ex ijs pauperes alerentur. Quanquam & in ministrorum usum factas esse, Cyprianus scribit libro quarto, epistola quinta: Presbyterij honorem dignasse nos illis (lectoribus) iam sciatis, ut & sportulis ijdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æquatis quantitatibus partiantur. Ex libro primo, Epistola septima Cypriani apparet, ministris Ecclesiæ stipes, oblationes, lucra & cœnas datas esse. Et libro primo, epistola undecima, iubet histrionem Christianũ factum, abiecta arte sua impudica, sustẽtari potius de alimẽtis Ecclesiæ, ut discat potius in Ecclesia salutaria, quàm ipse extra Ecclesiã doceat mortalia. Et Origenes offerri sacerdotib. ad altare uult primitias, Homilia undecima in Numerum: Decet, inquit, & utile est, etiam sacerdotibus Euangelij offerri primitias. Ita enim & Dominus disposuit, &c. Et sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario indecens & indignum existimo & impium, ut is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros assistere altari, & aut uerbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, ut de fructibus terræ, quos Deus dat solem solum producendo, & pluuias suas minstrando, non offerat primitias sacerdotibus. Ex Origenis Homilia decima in Iosuam apparet, etiam ad ornatum altarium & Ecclesiæ ab illis collatum esse.

Præsides autem & dispensatores rerum aut pecuniarum, quæ conferebantur in ministrorum, ac maximè pauperum usum, erant, quemadmodum paulò superius diximus, diaconi, Origene teste, qui tractatu in Matthæum decimosexto ait: Mensis Ecclesiasticarum pecuniarum diaconi præsunt. Item: Diaconi, qui non bene tractant Ecclesiasticarum pecuniarum mensas, & semper de eis fraudant, & ipsas quas dispensant, non secundum iusticiam dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularij pecuniarum, mensas habentes quas euertet Dominus. Habuerunt etiam Ecclesiæ domus, ut patet ex Eusebij libro septimo, capite trigesimo: ubi cùm Paulus Samosatenus à domo Ecclesiæ abstinere nollet, Imperator Aurelianus præcipit, illis illam domum adiudicari, quibus episcopi Italici & Romæ concordes in dogmate scribant.

De alijs Ecclesiæ bonis, probati scriptores nihil in literis prodiderunt. Meminit Ecclesiæ redituum Origenes Homilia trigesimaprima in Matthæum: uerùm eos cuiusmodi fuerint, & non explicat, & de illis solis loqui uidetur, qui ex mutuis collationibus & donationibus comportabantur. Sola dies fuit, si quid suspectis scriptoribus fidere oportet, hoc tempore Ecclesia Romana. Calixtum enim Mariæ fanum extruxisse, scribunt Platina & Sabellicus. Epistola uerò decretalis Vrbani Papæ, non solùm oblationum, sed & prædiorum usibus sacris dedicatorum meminit, eaq; pœna excommunicationis uiolari aut alienari uetat. De eodẽ & Petrus de Natalibus scribit: Ecclesia sub Vrbano primũ cœpit possidere prædia, quorum prouentibus alendos statuit Ecclesiæ ministros, & eos qui martyrũ gesta cõscriberent: sub quo etiam aureis & argenteis uasis Ecclesia uti cœpit. Habetur & in Lucij decretali idem statutum, de non decipiendis rebus & facultatibus Ecclesiasticis.

DE BIBLIOTHECIS.

CVm pars sit officij episcoporum non postrema, asseruare & conseruare libros sacros, ut ad posteros incorrupti transmittãtur: non est dubium, in tranquillioribus Ecclesiis episcopos pios & presbyteros hanc curam diligenter obijsse. Exempla nobis hæc ætas duo offert: alterum Alexandri episcopi celeberrimi Hierosolymitani, alterum Pamphili presbyteri Cæsarienſis & martyris: quorum ille Hierosolymis nobilem bibliothecam, quemadmodum Eusebius refert libro sexto, capite uigesimoprimo, construxit, in quam uirorum Ecclesiasticorũ monumenta & scripta reposuit, Berylli, Hippoliti, Caij, & aliorum, quibus se adiutum & instructum in scribenda historia Ecclesiastica Eusebius testatur: hic uerò magno studio & industria bibliothecam (eodem Eusebio teste, libro eodem, capite trigesimosecũdo) instituit, & cùm Origenis tum aliorum scriptorum Ecclesiasticorum libris exornauit. Et Eusebius libro octauo, capite secundo, Ecclesias sacros libros in oratorijs habuisse ostendit, qui destructis oratorijs in foro à persequutoribus exusti sunt. Episcopos aluisse notarios, librarios, & puellas ad scribendum exercitatas, qui libros descripserunt, apparet ex historia Ambrosij & Origenis, Eusebius libro sexto, capite uigesimosecundo.

DE SCHO-

DE SCHOLIS.

EAdem huius seculi etiam in constituendis & custodiendis scholis cura fuit & industria. Fuisse autem & hanc officij episcoporum partem, Demetrij Alexãdrini episcopi historia testatur, qui Origenem ludo Alexandrino adolescentem adhuc præfecit. Vtrum autem diuersæ fuerint scholæ, Philosophicæ & Theologicæ, aut in ijsdem ludis literæ profanæ simul & sacræ traditæ fuerint, nõ ita clarè in historijs huius seculi explicatur. Attamen diuersas & distinctas fuisse, uerisimile est. nam Eusebius scribit libro sexto, capite tertio, Origenem primùm Grammaticas disciplinas in schola Alexandrina professum: postea uerò, cùm metu persecutionis quam Seuerus exercuit, doctorũ pleriq; fugissent, munus catechisandi suscepisse, non intermissis tamen literis philosophicis, quas simul cum sacris institutionibus tradidisse uidetur. Rursus etiam Eusebius testatur libro sexto, capite decimooctauo, discipulos eius non in diuinis solùm, sed & in externa Philosophia ab eo institutos esse. Ad philosophicas enim disciplinas, quot quot qui se ei erudiendos cõmisissent, esse ingeniosos animaduertisset, omnes induxisse, illisq; Geometriã & Arithmeticam, & reliquas liberales artes tradidisse, ideo quòd adiumenti nonnihil ad sacrarũ literarũ studia adferre eas posse iudicasset. Eusebius libro 7. capite trigesimosecundo, ex epistola Dionysii narrat, Anatholium scholæ Aristotelicæ à ciuibus Alexãdrinis præfectum esse, propter eloquentiam & Philosophiam, & quòd primãs tenuit inter clarissimos in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Dialectica, Physica, Theorica, & Rhetoricis disciplinis.

Fuisse igitur in utroq; genere multas bene constitutas scholas, non est dubium. Nam & Tertullianus in libro de Idololatria, Ludimagistrorũ meminit: ubi etiam reprehendit, quòd nomina, genealogias & fabulas ficticiorum numinũ, & festa cum honore enunciarent. Ibidem etiam Christianorũ liberos in schola ethnicis institui solitos ostendit. quod etiam excusat, inquiens: Discentem necessitas excusat, qui aliter discere non potest. Et scholarum, magistrorum, discipulorum, Origenes Homilia sexta in Iudicum mentionẽ facit. Verùm & uetusta hinc, ab ipsis Apostolis custodita, & celeberrima schola fuit, Alexandrina, quæ superiori ætate Pantenum & Clementem clarissimos gubernatores habuit. Hinc uerò Origenem, qui in Palæstinam abiens, successorem sibi substituit Heraclem. Cui rursus, cùm in episcopatu Demetrio successisset, surrogatur Dionysius: ac post eum Athenodorus, ut Nicephorus scribit libro quinto, capite decimooctauo. qui & Pamphilũ presbyterum scripsit, scholam instituisse Philosophicam & Theologicam Cæsareæ, libro eodem, capite trigesimoseptimo. Sed & Eusebius scholæ Antiochenæ meminit libro septimo, capite uigesimonono: eiq; Malachionem, eum qui Samosatenum expugnauit, præfuisse, & Græcas in ea disciplinas professum esse, scribit.

De numero, gradibus, alijs ue differentijs in scholis docentium, sicut & de tota ratione docendi, quæ tum usitata fuit, certi sanè nihil usquam legitur. Historia scholæ Alexandrinæ testatur, eos qui Christianæ pietatis præcepta, aut pueris, aut adultis ethnicis, aut hæreticis traderent, appellatos Catechistas: quos eruditos, & in magna autoritate fuisse, inde apparet, quòd episcopis defunctis, in eorũ locum proximè surrogati sunt. Sic enim Heracles Demetrio, sic Heraclæ Dionysius in episcopatu successit. Mittebantur catechistæ & in alias terras ad Euangelium propagandum, quemadmodum testatur exemplũ Origenis, qui Demetrij consensu in Arabiam mittitur, & ad Mammæam matrem Alexandri Imperatoris Antiochiam: Eusebius libro sexto, capite uigesimo & uigesimoprimo. De pluribus uerò eidem ludo simul præfectis, ante Origenem, nihil legitur. Is enim cùm multitudini formandæ, quæ in ludum eius à mane ad uesperam usque plerunque uentitabat, nec uacuum unquam auditorium esse sinebat, solus satisfacere non posset, Heraclem sibi socium adiunxit: & cœtus scholasticos distinxit: sic ut eorum qui recens imbui cœpissent, institutionem Heraclæ committeret, ipse uerò perfectioribus formandis operam nauaret: quemadmodum Eusebius indicat libro sexto, capite decimoquinto. Testatur idem Origenes ipse, usitatũ hunc ferè morem scholas gubernandi fuisse, ut alij rudioribus, alij prouectioribus docendis uacarent. Eò enim alludit in Homilia sexta in Iudicum, ubi sic ait: Si eat quis puer ad scholas, à magistro quidem suscipitur, & efficitur ipsius doctoris discipulus: sed non statim discendi ab ipso præceptore sumit exordium: sed cùm ab eo prima tãtùm elementa susceperit, traditur alijs erudiendus (ut ita dicam.) scholæ ipsius principibus: ut cùm ab illis quantum in illis est, fuerit edoctus, & cùm prima apud eos deposuerit rudimenta, tum demum ipsius doctoris perfectiora præcepta suscipiat.

DE CONSOCIATIONE ECCLESIARUM in una aliqua prouincia constitutarum.

DIximus, superiori seculo Ecclesias eiusdẽ prouinciæ solitas esse plerũq; ad unam aliquam, maximè insignem, respicere: eamq; uenerari, & ab ea consilia & mutua officia petere, & rectè monitis obtemperare. Ea uerò res ut paulatim in consuetudinem abijt, ita hoc seculo obseruata est. Nam in plerisq; prouincijs, cæteræ Ecclesiæ, earumq; episcopi & clerici, se ad eiusmodi alicuius urbis episcopum, doctrina, pietate & constantia insignem, & sacerdotum collegium ita associarunt, ut eorum opera tanquam communium inspectorum & gubernatorũ uterentur: ea tamen lege, ne quid sine aliorum cõsilio & consensu, in negocijs & quæstionibus arduis decideret aut faceret, sed tantùm pro communi dilectione aliorum curam sustineret: ut uinculo unitatis uniti, contra hæreses & schismaticos essent tutiores, & disciplina Ecclesiastica maiori cum autoritate & fructu exerceretur. Testatur enim Canon sextus Niceni concilij, Alexandrinum episcopum communem inspectorem esse episcoporũ Ægypti, Lybiæ & Pentapoleos: idq; non quodam diuino, sed antiquo more receptum esse, & Eusebius libro sexto, capite primo dicit. Demetrium parœciarum in Ægypto & Alexandriæ episcopatũ suscepisse, & Athanasius in epi-

ſtola de Dionyſii ſententia aduerſus Arianos dicit.

Curam Eccleſiæ Pentapoleos ad Dionyſium Alexandriæ epiſcopum pertinuiſſe, ſed tamen Pentapolitanas paroecias ſuum quoq; epiſcopum Baſilidem habuiſſe, conſtat ex Euſebio libro ſeptimo, capite uigeſimoſexto, & ex cõcilio ab Agrippino Carthaginenſi epiſcopo, ex epiſcopis Numidiæ & Mauritaniæ congregato: de quo Cyprianus in libro de Hæreticis baptiſandis, & in epiſtola ad Quintinum apparet, Carthaginenſem epiſcopum aliquarum in Africa & Numidia uicinarum Eccleſiarum curã geſsiſſe. Idem conſtat ex Cypriani hiſtoria, & ab eo celebratis concilijs. & Cyprianus libro quarto, epiſtola octaua ait: Latius fuſa eſt noſtra prouincia, habet enim Numidiã & Mauritaniam ſibi cohærentes. Et Nazianzenus in oratione de Cypriano narrat, eum in Africa, Hiſpania, & toto Oriente claruiſſe, illiſq; Eccleſiis profuiſſe.

In Syria Antiochenum epiſcopum uicinarum Eccleſiarum inſpectorem egiſſe, idem Sextus Niceni concilij Canon habet: & patet ex Euſebij libro ſexto, capite duodecimo, ubi Serapion epiſcopus Antiochenus in Roſſenſi Eccleſia ſchiſma componit. Eccleſiis per Pontum, Gregorium & Athenodorum præfuiſſe, Euſebius narrat libro ſeptimo, capite decimoquarto. In Palæſtina Hieroſolymorum epiſcopus inſpector fuit Eccleſiarum & epiſcoporũ uicinorum, teſte eodem Canone. Epiſcoporum Italiæ Antiſtitem & præfectum, Romanum epiſcopum ex antiquo more egiſſe, conſtat ex eodem Canone & concilijs in ea prouincia habitis. Et Gallicanarũ Eccleſiarum, Lugdunenſis epiſcopus curam geſsiſſe uidetur: ex libro tertio, epiſtola decimatertia: & Hiſpaniæ Eccleſiás quæ erant, Aſturicæ, Emeritæ, Cæſarauguſtæ, conſociatas fuiſſe, patet ex libro primo, epiſtola quarta Cypriani. Eadem ratio in alijs quoq; fuit prouincijs, ut idem Canon teſtatur. Et Cyprianus libro primo, epiſtola tertia indicat, ſingulis paſtoribus portionem gregis adſcriptam eſſe, quam unumquenq; regere oporteat. Et Baſilius Magnus epiſtola decimaquinta ad Neocæſarienſes, inquit: Interrogate patres ueſtros, & renunciabunt uobis, quod etiam loci ſitu diuſæ inter ſe uiſæ ſunt paroeciæ: tamen ueluti coronamento quodam unitæ, unaq; ſententia gubernatæ fuerunt. Aſsidua quidem populi fuit inter ſe commixtio: ipſi uerò paſtores tanta præditi fuerint mutua charitate, ut alius alio præceptore ac duce uſi ſint.

Sed tamen hanc conſociationem ſuo tempore Cyprianus non adeò arctam & firmam fuiſſe oſtendit, cùm ait libro primo, epiſtola tertia: Neq; enim aliũde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei nõ obtemperatur. Nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex uice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas uniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quidquam moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt epiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſsidio unitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet. Ii uerò quibus communis cura Eccleſiarum comprouincialium incumbebat, non aliud ſibi nomen uſurpabant, quàm epiſcopi: ut patet ex epiſtolis Cypriani, & Dionyſii Alexandrini, quarum fragmenta plurima apud Euſebium extant: nec ab Euſebio alijs titulis, quàm epiſcopi aut præſidum ornãtur: ut paſsim uidere eſt in eius libris: nec Canones quos uocant Apoſtolorum, qui ſub finem huius ſeculi, aut certè tempore Niceni cõcilij uidentur compoſiti, aliter eos quàm epiſcopos gentium appellant. Nam quòd Canon ſextus Niceni concilij eos Metropolitanos uocat, id nomẽ eo tempore uidetur in uſum receptum eſſe: ſicut neceſſe fuit id fieri, ubi conſuetudo iſta, legis uim à concilio Niceno accepit. Omnes uerò epiſcopi eiuſdem prouinciæ ſeſe inuicẽ coëpiſcopos & collegas & fratres appellabant: ſicut Cyprianus libro quarto, epiſtola octaua, Policarpum ſuum coëpiſcopum uocat. Et libro primo, epiſtola tertia, nouem epiſcopos qui excommunicarant Iouinum & Maximum, ſuos Collegas nuncupat. Et libro tertio, epiſtola octaua: & Quintum epiſcopum Mauritaniæ libro ſecundo, epiſtola prima, collegam ſuum appellat. Solebant autem iſti gentium, aut comprouincialium Eccleſiarum præſides, toti gregi attẽdere: & ſi quid uel ipſi animaduertiſſent, aut ex alijs coëpiſcopis cognouiſſent, ſiue ab Eccleſiis, ſiue à miniſtris Eccleſiæ minus rectè ac piè geri, præmonebãt eos adhortando aut dehortando, ſiue coràm uoce, ſiue abſentes literis. Sic Cyprianus libro quarto, epiſtola quarta, ſcribit paſsim ad presbyteros & diaconos, & arguit eorum peccata, quòd patrimonio & lucro ſtudentes, & ſuperbiam ſectantes, æmulationi & diſſenſioni uacantes, ſimplicitatem & fidem negligentes, & cœleſtia præcepta non ſeruantes, turbidam preſſuræ ſeu perſecutionis uaſtitatem promereantur & augeant. Sic quoq; Cyprianus libro quarto, epiſtola ſexta, plebem Thibari hortatur ad cõfeſsionem. Idem libro primo, epiſtola ſeptima, ſuadet Epicteto, & plebi Aſſuritanæ, ne ſinant Fortunatianum epiſcopum ſuum, qui ſacrificarat Idolis, redire ad epiſcopatum: etſi qui nolint obtemperare, ab alijs iubet alios ſeſe ſeparare. Et libro primo, epiſtola decima: Encratio de hiſtrione ſe conſulenti reſpondet, quòd non debeat ei permitti, ut amplius artem hiſtrionicam exerceat. Et libro primo, epiſtola nona, presbyteris & diaconis & plebi Furnis conſiſtenti indicat, Geminiũ Fauſtinum presbyterum non debere tutorem agere: id enim eſſe contra formam, nuper in Concilio à ſacerdotibus datam, & contra ſtatutum epiſcoporum anteceſſorum. Et libro eodem, epiſtola undecima, à Pomponio cõſultus de uirgimibus, quæ cùm ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter tenere decreuerint, detectæ poſtea ſunt in eodem lecto pariter cum maſculis manſiſſe, ſuum ei & collegarum ſuorum, Cæcilij, Victoris, Sedulij, Tertulli, & presbyterorum præſentium impertit conſilium. Et libro primo, epiſtola tertia, cùm Iouinus & Maximus, & alij, contra diſciplinam Eccleſiaſticam lapſos, ſine publica pœnitentia recipiendos docerent, per literas eos monuit, ut ab eiuſmodi erronea ſententia diſcederent. Et Dionyſius Alexãdrinus cùm cognouiſſet, in Pentapoli quoſdam in Sabellij hæreſin incidiſſe, primùm monuit eius rei autores, ut ad ueritatis uiam redirent: teſte Athanaſio, in epiſtola de Dionyſii ſentẽtia aduerſus Arianos. Si

nos. Si quid alijs indicandũ erat, id quoq; faciebant.

Sic Cyprianus libro secundo, epistola decima indicat, se per prouinciam collegis suis singulis ordinationem episcopatus Cornelij denunciasse, & cùm aduersum Cornelium scripta uenissent, clero & plebi legi ea præcepisse quæ religiosam simplicitatẽ sonassent, nec ullis maledicorũ & conuiciorum latratibus perstrepuissent. Et Dionysius Alexandrinus fratribus per Ægyptum constitutis epistolã de pœnitentia scripsit, in qua & constitutiones de emendandis delictis fecit, Eusebius libro sexto, capite quadragesimosexto.

Si autem motæ essent grauiores quæstiones, dissensiones aut hæreses, tum isti præsides priuato consilio nihil faciebant, nec quidem facere audebant: ut patet ex Cypriani libro tertio, epistola decimanona. Sed conuocatis coëpiscopis alijs istius prouinciæ, siue omnibus siue plerisq;, & collatis sententijs, quæstiones decidebant, dissensiones componebant, hæreses refutabant, & contumaces excommunicabant: aut si ab alijs episcopis iustè excõmunicati essent, eam excommunicationem approbantes, latius promulgabant. Sic cùm tempore Agrippini mota esset quæstio de ijs qui ab hæresi ueniebant, quoniam non essent in uera agnitione Trinitatis baptisati, sed in errore: num rebaptisandi, aut tantùm manuum impositione curandi forent, conuocato concilio episcoporum Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, ea quæstio decisa est: teste Cypriano in epistola ad Quintinum & Pompeium.

Et cùm eadem quæstio tempore Cypriani iterum moueretur, nõn tãtum sibi Cyprianus sumpsit, ut eam solus expediret: sed conuocatis suis coëpiscopis, communi consilio quid in ea re faciendum esset, decreuit: ut patet ex concilio Carthaginensi, quod apud Cyprianum extat: & ex epistola ad Stephanum, quæ in libro secundo Epistolarum prima est, item ex epistola duodecima libri primi apparet. Et mota quæstione à Fido, num infantes intra tertiũ aut octauum diem baptisari debeant: Cyprianus congregato collegarum cõcilio sexagintasex episcoporũ, unà cum ijs eã quæstionẽ explicauit, & Fido rescripsit: lib. 3. epistola 8.

Sic cùm geminæ in Africa orirẽtur quæstiones, utrũ lapsis sit prorsus denegãda uenia, et utrũ eis sit danda uenia, absq; publica pœnitentia, & passim à multis in utraq; re peccaretur, alijs ueniã lapsis prorsus negãtibus, alijs uerò temerè cuilibet sine publica pœnitẽtia, contra Ecclesiasticã disciplinã impartiẽtibus: Cyprianus & suo & aliorũ presbyterorũ & diaconorũ consilio, literas ad clerum scripsit, easq; passim legi curauit: in quibus indicauit, lapsos pœnitentes & communicationem desiderantes, è uita discessuros absoluendos: cæteros uerò non prius quàm communicato concilio, cum alijs episcopis de ijs statutum esset recipiendos: non enim paucorum, nec Ecclesiæ unius, aut unius prouinciæ, sed totius orbis hanc causam esse: Cyprianus libro tertio, epistola 5. 14. 15. 16. 17. 18. Et de eadem re multos alios collegas confessores & episcopos ad Cyprianũ scripsisse, & eum uicissim ad ipsos, patet ex libris eiusdem, epistola decimanona & uigesima a, ubi ad Cælij domum episcopum scribit: ut scires quomodo disposuerimus, librum tibi cum epistolis numero quinq; misi, quas ad clerum & ad plebem, & ad martyres quoq;, & confessores feci: quæ epistolæ etiã plurimis collegis nostris missæ placuerunt, & rescripserunt se quoq; nobiscum in eodem consilio secundum catholicam fidem stare. Quod ipsum etiam tu ad collegas nostros, quos potueris, transmittes: ut apud omnes unus actus, & una cõsensio, secundũ Domini præcepta teneatur. Et Fortunatus, Haymus, Optatus, Priuatianus, Donatulus, & Fœlix, libro tertio, epistola uigesimatertia, quæstionem ad Cyprianũ deferunt: an Ninus, Clementianus & Florus primùm nomen Domini confessi, & postea ui tormentorum uicti, cùm per triennium pœnitentiam publicam egissent, sint absoluendi, & ad communionem recipiendi: & rogant, ut congregato concilio sacerdotum plurium, sibi rescribat sententiam, quod se post pascha facturum pollicetur. Si quid à quoquam perperàm factũ erat, obiurgabatur in eiusmodi cõuentibus. Hic Therapius obiurgatus est, eo quòd Victori, antequàm pœnitentiam plenam egisset, temerè immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dedisset: libro tertio, epistola octaua. Communi consilio contumaces admonitos excommunicarunt, & contra hæreses ipsorum scripserunt. Sic Nouatianus, & quinq; presbyteri, Cypriani, & plurimorum episcoporum sententia excommunicati sunt: libro primo, epistola tertia Cypriani. Et Cornelius episcopus Romanus in epistola ad Fabium Antiochenũ narrat, Nouatum in Synodo Romana communi sententia damnatum, & excommunicatum esse. Eusebius libro sexto, capite quadragesimotertio. Dionysius Alexandrinus, cùm ij qui in Sabellij hæresin in Pentapoli incidissent, admoniti non discederent ab errore, scripsit contra hæresin eorum, ut refert Athanasius in Epistola de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos. Sic nouem episcopi Africæ Iouinum & Maximum condemnarunt, ea uerò excommunicatio à Cypriano & alijs pluribus in concilio non modò approbata, sed confirmata etiam est. Solebant etiam, si qua erant orta schismata in Ecclesiis suæ prouinciæ illuc abire, eaq; unà cum uicinioribus coëpiscopis & presbyteris componere. Nam Dionysius Alexandrinus in libro de promissionibus contra Nepotem, de se sic narrat, apud Eusebium libro septimo, capite uigesimoquarto: Cùm in Arsenoite essemus, ubi sicut nosti diu antè hoc dogma emersit, ita ut schisma & integræ ab Ecclesia defectiones fierent, conuocatis presbyteris & doctoribus ex fratribus illorum uicorum, præsentibus etiam fratribus quotquot adesse uolebãt, publicè eos ad dogmatis huius inquisitionem exhortatus sum. Et cùm hunc mihi librum quasi armaturam quandam & murum inexpugnabilem proferrent, totum triduum unà cum illis à mane usq; ad uesperam cõfidens, quæ in eo scripta sunt discutere conatus sum. Vbi etiã constantiam, ueritatis studium, tractabilitatem & intelligentiam in fratribus uehementer sum admiratus, quòd recto ordine & cum æquabilitate interrogarẽt & responderẽt, ac obsequerentur: nec ullo modo contentiosè, quæ semel statuerunt, si falsa esse deprehenderẽtur, retinerent: nec rursus contradictiones subtrahere, sed quantum fieri poterat proposito instare, & cõfirmare rursus, ubi ratio exposcebat, sententiã mutare &

tare & ueritatem unà nobiſcum confiteri non uererentur: ſed bona cum cõſcientia, abſq; ulla hypocriſi, cordibus ad Deũ expanſis, quæ demonſtrationibus ac diuinarũ Scripturarum doctrinis cõprobabantur, cõplecterẽtur. Et tandẽ ipſe doctrinæ huius anteſignanus & autor nomine Coracion, audiẽtibus cũctis fratribus qui aderãt, confeſſus eſt, nobiſq; pollicitus, poſthac ſe opinioni huic nolle attendere amplius, neq; de illa diſputare, nec menſionem facere, neq; docere, quod abundè ſatis oppoſitis eſſet argumentis conuictus. Reliqui uerò fratres præſentes, propter hanc collationẽ, erga cunctos demiſſionem, & conſenſionem gaudebant. Et Serapion Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, ad Roſſenſes profectus, ſchiſma ibidem ortum compoſuit, Euſebius libro ſexto, capite duodecimo. Erant etiam Eccleſiæ eiuſdem prouinciæ ita ſibi aſſociatæ, ut in ordinãdis epiſcopis ſeſe mutuò adiuuarent. Nam cùm Narciſſus Hieroſolymitanã deſeruiſſet Eccleſiã, conueniebant uicini epiſcopi, & alium ordinabant. Euſebius libro ſexto, capite decimo. Et Cyprianus libro primo, epiſtola quarta, inquit, diligenter de traditione diuina & Apoſtolica obſeruatione ſeruãdum eſt, & tenendum: quod apud nos quoq;, & ferè per prouincias diuerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quiq; cõueniant: & epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum uitam plenißimè nouit, ut uniuſcuiuſq; actum de eius conuerſatione perſpexit. Quod & apud uos factum uidemus in Sabini Collegæ noſtri admiratione, ut de uniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de epiſcoporum qui in præſentia conuenerant, quiq; de eo ad uos literas fecerant iudicio, epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur.

Si epiſcopus in alium locum trãsferebatur, oportebat id fieri conſenſu uicinorum epiſcoporum. Nam uicini epiſcopi Cappadociæ conſentiunt, ut Alexander Hieroſolymam migret. Euſebius libro ſexto, capite undecimo.

De conſociatione uniuerſali.

Si aut grauiores quæſtiones, aut controuerſiæ incidebant, aut alia negocia, quæ non ad unius Eccleſiæ prouincias attinebãt, ſed ad plures: tum Eccleſiis, etiã in diuerſis prouincijs ſuas operas cõiungebant, in petendis aut dandis conſilijs, in componendis ſchiſmatibus, in refutandis erroribus, in congregãdis Synodis, in excommunicandis hæreticis, & alijs facinoroſis.

Cyprianus huiuſmodi coniunctionem unitatem uocat, libro ſecundo, epiſtola decima, ubi ad Cornelium inter cætera ſic ſcribit: Hoc uel maximè, frater, & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quãtum poſſumus, obtinere curemus: & quod in nobis eſt, palabundas & errantes oues, quas quorundam peruicax factio, & hæretica tentatio à matre ſecernit, in Eccleſiam colligamus: illis ſolis foris remanentibus, qui in obſtinatione ſua uel furore perſeuerarunt, & ad nos redire noluerunt, diſcretionis & ſeparationis à ſe factæ, & Eccleſiæ derelictæ, ipſi rationem Domino reddituri. Ad huiuſmodi conſociationem Romana Eccleſia alias primùm adhortata uidetur. Nam Cyprianus eam cathedram Petri & Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta ſit, appellat: libro primo, epiſtola tertia. Hac ratione ſibi inuicem conſociatæ celebriores Eccleſiæ, Africanæ, Aſianæ & Europææ erãt. Cyprianus enim & epiſcopi Romani, Cornelius, Lucius, & Stephanus, ſeſe inuicem fratres & collegas, & conſacerdotes appellant, Cyprianus libro primo, epiſtola prima & quarta: libro tertio, epiſtola prima: & presbyteri Romani & diaconi Cyprianum fratrem & Papam nominant, libro ſecundo, epiſtola ſeptima. Et Cyprianus libro tertio, epiſtola decimatertia, Fauſtinum Lugdunenſem epiſcopum uocat ſuum collegam, & alios fratres in Gallia coëpiſcopos, idem epiſcopos Hiſpanos, Felicem & Sabinum, ſuos coëpiſcopos & collegas appellat, libro primo, epiſtola quarta.

Et Dionyſius Alexandrinus, Stephanũ Romanum epiſcopum fratrem nominat. Euſebius libro ſeptimo, capite quinto, idem nomen Xyſto quoquè attribuit: Euſebius libro ſeptimo, capite nono. Epiſtola Synodi Antiochenæ, appellat Dionyſium & Maximum, & omnes per orbem epiſcopos et presbyteros, cõminiſtros: Euſebius libro ſeptimo, capite trigeſimo.

Nec alijs titulis inſigniti epiſcopi, nec certis gradibus & dignitatibus inter ſeſe diſtinctæ Eccleſiæ diuerſarum prouinciarum, uſquam in autoribus probatis huius ſeculi reperiuntur. Epiſtolæ quidem pontificum, ut hodie extant, crebra habent nomina Archiepiſcoporum, primatum, patriarcharum, metropolitanorum: ſed eas fide carere, ſuo loco abunde oſtenditur. Solebant autem epiſcopi & Eccleſiæ ſibi inuicem per literas de rebus neceſſarijs communicare: ob quam cauſam etiam, ſi quo in loco mortuo uel remoto ob hæreſin epiſcopo alius ſucceſſerat, ſeduló paſſim ad celebriores doctores perſcribebatur: ut patet ex Cypriani libro quarto, epiſtola octaua: & libro ſecundo, epiſtola decima, ubi ordinatio Romani epiſcopi alijs denunciatur, & ex literis Antiochenæ Synodi, ubi ad finem ſubijciunt: Neceßitate coacti, aduerſarium Dei Samoſatenum excõmunicauimus, & alium in locum illius, Domnum uidelicet epiſcopum conſtituimus: uobiſq; ſignificauimus, ut huic ſcribatis, & ab eo communicationis literas accipiatis. Euſebius libro ſeptimo, capite trigeſimo.

Literis uerò ad ſe inuicẽ datis, alius ab alio petebat conſiliũ. Sic Dionyſius Alexandrinus, requirit Xyſti Romani epiſcopi conſilium & ſententiam de eo qui ab hæreticis ad Eccleſiam reuerſus cupiebat rebaptiſari. Euſebius libro ſeptimo, capite nono. Et Felix & plebs ad Legionem, & Aſturicæ, & alius diaconus & plebs Emeritana Cypriano & alijs eius coëpiſcopis ſcripſerunt, poſtulantes conſilium, an Baſilides & Martialis epiſcopi ſui, libellis idololatriæ commaculati, debeant porrò epiſcopatum gerere: quibus Cyprianus cum alijs multis ſuis collegis, reſpondet prolixè libro primo, epiſtola quarta.

Alius alium monebat de ſuo officio. Sic Cyprianus libro tertio, epiſtola decimatertia, monet Stephanum Romanũ epiſcopum, ut ad Arelatẽſem Eccleſiam ſcribat, & populum excitet ad deponendum Martianum, & ſubſtituendum alium, ubi elegãter inquit: ideo plures eſſe

res esse in Ecclesia sacerdotes, ut uno hæresin faciente, cæteri subueniant, & oues colligant. Et lib. 2. epistola tertia, cùm cognouisset quosdã in calice Dominico sanctificando, & plebi administrãdo, nouella & humana institutione decedere ab institutione Christi, & non id facere quod Christus fecisset, & in calice plebi tantùm sine uino offerre, scribit ad Cornelium Romanum episcopum, fortè eius institutionis autorem: eumq; monet, ut in hac re errantes, ad radicem & originem traditionis Dominicæ reuertantur.

Alius aliũ obiurgabat. Sic Cyprianus libro primo, epistola tertia, obiurgat Cornelium. Alius alij gratulabatur, si quid boni acciderat. Vnde Cyprianus cum collegis suis gratulatur Lucio Romano episcopo, ab exilio redeunti: libro tertio, epistola prima. Et Alexander Hierosolymitanus episcopus scribit Antiochenis ex uinculis, & gratulatur eis quòd Asclepiadem constantem & exercitatum doctorem in episcopum recepissent: exemplum epistolæ Eusebius habet libro sexto, capite undecimo. Alius alium in errorem inclinatum, studebat reducere ad meliorem sententiam. Sic Cornelius ad Fabium Antiochenum, Eusebius libro septimo, capite nono, & Dionysius ad eundem: Eusebius libro septimo, capite decimo scribunt, & Nouati hæresin damnatam in Synodis ostendunt. Et apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimoquinto, Dionysius Nouatum monet, ut in uiam synceriorem reuertatur. Et Cyprianus libro secundo, epistola nona et decima, scripsit literas Romam ad seductos à Nouatianis: & hortatur eos, ut ad Ecclesiam catholicam redeant. Alius alium contra calumniatores & hæreticos propugnabat. Sic Cyprianus multis epistolis indicat, quomodo Cornelium, cui obtrectabant hæretici, defenderit: libro secundo, epistola decima & undecima: & libro quarto, epistola secunda.

Alius alium de statu Ecclesiarum, siue tranquillo, siue turbulento, certiorem faciebat. Sic Dionysius Stephano Romano: Eusebius libro septimo, capite quarto scribit, cessasse persecutionem, & omnes ubiq; Ecclesias Nouati temeritatem auersantes, pacem inter sese amplexas esse.

Res in alijs prouincijs gestas sibi inuicem, si quis scire desiderabat, sedulò perscribebant. Sic ea quæ de presbyterio quorundam, & Felicissimi causa acta erant, collegæ Cypriani literis suis manibus subscriptis, Cornelio indicarunt. Idem etiam Cyprianus fecit, missis insuper legatis, Calydonio & Fortunato, quas literas Cyprianus rogat legi, clero & Plebi Romanæ, ut tam istic, quàm illic, circa omnia fraternitas instrueret: libro secundo, epistola decima. Et Cypriani epistolas in Romana Ecclesia clero & plebi prælegi solitas esse, patet ex libro primo, epistola tertia. Et libro tertio, epistola undecima narrat de Maximo, & alijs. Solebant etiam ex alijs prouincijs mitti collegæ ad ordinationem episcoporum. Sic Cyprianus libro quarto, epistola secunda narrat, plurimos ex suis collegis Romæ fuisse, cùm ordinaretur Cornelius clericorum testimonio, plebis suffragio, & sacerdotum collegio. Et ibidem inquit, Cornelium à sedecim coëpiscopis episcopum factum esse.

Motis quæstionibus grauioribus, alius alium de sua sententia faciebat certiorem, ac conferebant interdum inter se liberius. Sic cùm mota esset quæstio, an lapsi essent recipiendi in Ecclesiam: Dionysius Alexandrinus scripsit Cornelio, approbans ipsius epistolã contra Nouatum. Eusebius libro sexto, capite quadragesimosexto. Scripsit de eadem re etiam Cyprianus ad clerum Romanum: & presbyteri & diaconi Romani ei respondentes, approbant eius in ea re sententiam & censurã, & indicant se in Siciliã literas quoq; misisse: exemplum literarum extat apud Cyprianum lib. 2. epistola septima. Et Cyprianus ipse libro tertio, epistola quinta indicat, Romanos presbyteros ad clerũ suum scripsisse, & suasisse, ut ijs qui post lapsum infirmarentur, pacem darent. Cùm mota esset quæstio de rebaptisandis ijs qui ab hæreticis baptisati erant, liberè inter se cõtulerunt Cyprianus & Stephanus episcopus Romanus: ut patet ex epistola Cypriani ad Pompeium, in qua epistolam Stephani refutat.

Scripsit etiam Dionysius Alexãdrinus ad Stephanum de eadem quæstione: Eusebius lib. 7. cap. 2.

Si res difficilior erat, & pertinebat ad Ecclesias plurium prouinciarum, tum differebatur ad generalem Synodum. Sic presbyteri & diaconi, unà cum Cypriano sentiunt, quod cùm per totum utiq; orbem reperiantur lapsi, tam grande sit expetendum concilium, quàm latè propagatum uideatur malum: in quo facta collatione conciliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus, pariter astãtibus laicis, laporum tractanda sit ratio: ut est apud Cyprianum libro secundo, epistola septima. & libro primo, epistola octaua, inquit: Semel placuit tam nobis, quàm confessoribus, & clericis urbicis, item uniuersis episcopis, uel in nostra prouincia, uel trans mare constitutis, ut nihil innouetur circa lapsorum causam, nisi omnes in unum cõueniremus, & collatis cõcilijs, cùm disciplina pariter & misericordia temperatam figeremus sententiam. Licebat autem cuilibet Ecclesiæ, si res ita postulabat, ad Synodum etiam episcopos ecclesiarum in alijs, & longè dißitis prouincijs conuocare. Vnde Dionysius Alexandrinus scribit, se ab Heleno Tarsensi episcopo, & reliquis eius consortibus, Firmiliano Cappadociæ & Theocliſto Palestinæ episcopis, uocatum esse, ut ad Synodum Antiochenam accurrat, ubi nõnulli schisma Nouati corroborare nitebantur. Et in Synodis de communi sententia ex uerbo Dei, & non autoritate alicuius episcopi statuebat: ut apparet ex epistola Synodi Antiochenæ cõtra Samosatenum: cuius fragmentum extat apud Eusebium libro septimo, capite trigesimo. Quare Tertullianus etiam in libro de Ieiunio aduersus Psychicos, ait: Aguntur per Græcias illas certis in locis concilia ex uniuersis Ecclesiis, per quæ & altiora quæq; tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna ueneratione celebratur. Ea uerò quæ in controuersiis arduis communiter à pluribus statuta erant, ad omnes passim Ecclesias & episcopos perscribebantur: ut apparet ex epistola Synodi Antiochenæ, cuius inscriptio sic habet apud Eusebium libro septimo, capite trigesimo: Dionysio & Maximo, & cunctis per orbem comministris nostris episcopis, presbyteris

presbyteris & diaconis, & uniuersæ quæ sub cœlo est catholicæ Ecclesiæ. Helenus, Hymenæus, et reliqui cuncti, qui unà nobiscum uicinas ciuitates & gentes incolunt, episcopi, presbyteri, & diaconi, & Ecclesiæ Dei, dilectis fratribus in Domino salutem, &c.

Cyprianus etiam, & cæteri collegæ, celebrato concilio plurium sacerdotum Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ, scripserunt suam sententiam & decretum ad Quintum Mauritaniæ, & alios Numidios episcopos, & Stephanum Romanum episcopum: libro secundo, epistola prima. Vbi memorabilis est illa clausula, quam in fine adijciunt: Hæc ad conscientiã tuam frater charissime, & pro honore cõmuni, & pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei ueritate placere, quæ & religiosa pariter & uera sunt.

Fida etiam erat Ecclesiarum & episcoporum coniunctio, & operæ mutuæ in excommunicandis hæreticis, ijsq; pro excommunicatis habendis. Vnde Nicephorus ait libro sexto, capite uigesimooctauo, Samosatenum de hæresi conuictum, à catholica quæ sub cœlo est Ecclesia proscriptum esse. Et Cyprianus libro tertio, epistola decimatertia, inquit: Nouatianũ, retusum & refutatum, & per totum orbem à sacerdotibus Dei abstentum esse. Et Cyprianus libro primo, epistola tertia indicat, Nouatianos in Africa excommunicatos, etiam Romæ pro excommunicatis habitos esse. Et libro tertio, epistola decimatertia, Martianum Arelatensem episcopum, lapsum in hæresin Nouati, pro excommunicato habet.

Nec quòd una Ecclesia aut episcopus ligauerat, alius soluere ausus est. Vnde si qui in aliqua prouincia excõmunicati essent, perscribebatur id ad alios quoq;. Sic Cyprianus de Nouati eiusq; sociorum excommunicatione Cornelio scripsit, libro primo, epistola tertia: ubi etiam commemorat, se Cornelio misisse nomina episcoporum isthic constitutorum, qui integri & sani in Ecclesia catholica fratribus præsint, ut Cornelius & collegæ scirent, quibus scribere, & à quibus literas accipere mutuò debeant. Reliquos enim quorum nomina non essent adscripta, esse uel sacrificio uel libello maculatos uel hæreticos peruersos & profanos. Cornelius econtrà scripsit Cypriano, de Felicissimo à se Romæ excommunicato: ut patet ex eadem epistola. Eodem modo, si qui excommunicati egissent pœnitentiam, & recepti essent ab Ecclesia aliqua, alijs indicabatur. Sic Cornelius de confessoribus à Nouato seductis scripsit, quòd ad Ecclesiam regressi essent: ut patet ex epistola octaua libri secundi. Et illi ipsi confessores, Maximus, Vrbanus, Sidonius & Macarius, de eadem re scripserunt ad Cyprianum: exemplum epistolæ eorum extat in Cypriani libro tertio, epistola decima. Et episcopi in Hispania Tarraconensi apud Cæsaream Augustam, & Legionem, & Asturicæ, ad Cyprianum eiusq; collegas scripserunt de Basilide & Martiali, quòd propter abnegationem Christi, & idololatriæ cõtaminationem ab episcopatu sint remoti: & petierunt, ne alij episcopi in Africa ipsis temerè communicarent: ut patet ex libro primo, epistola quarta. Si hæretici in eiusmodi generalibus Synodis excommunicati, de domibus Ecclesiæ cedere nolebant, implorabatur Magistratuum auxilium, ut patet ex Eusebio libro septimo, capite trigesimo: ubi iussu Aureliani Imperatoris, Samosatenus ex domo Ecclesiæ Antiochenæ eiectus est. Si quæ de re non æquè omnibus conueniebat, nihilominus pacis & concordiæ uinculum inter se collegæ tenebant, atq; fouebant: ut indicat Cyprianus libro secundo, epistola prima ad Stephanũ, ubi inquit: Cæterùm scimus quosdam, quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed saluo inter collegas pacis & cõcordiæ uinculo, quædam propria quæ apud se semel sunt usurpata, retinere. Qua in re nec nos uim facimus cuiquam, aut legem damus, cùm habeat in Ecclesiæ administratione uoluntatis suæ arbitrium liberum unusquisq; præpositus, rationem actus sui Domino redditurus. Et libro quarto, epistola secunda ait: Apud antecessores nostros quidam de episcopis istinc in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putarunt: & in totum, pœnitentiæ locum cõtra adulteria clauserũt, non tamen à coëpiscoporũ suorum collegio recesserunt, aut catholicæ Ecclesiæ unitatem uel duritiæ, uel censuræ suæ obstinatione proruperunt. Sed in hac re, Romani episcopi, ubi mysterium iniquitatis paulatim magis magisq; uires suas exerere debuit (Apocalypsis decimoseptimo) subinde excesserunt, consuetudine sibi imperium in alias Ecclesias comparare conantes, abusi sunt donis & aliorum episcoporum facilitate & obseruatione. Quare, sicut superiori seculo Victor Asianas Ecclesias in celebratione paschatis à Romanis dissidentes, excommunicare præsumpsit: ita hac ætate Stephanus excommunicationem Heleno & Firmiliano, & cunctis per Ciliciam & Cappadociam & Galatiam, & uniuersis cõterminis gentibus minatus est, propterea quòd hæreticos rebaptisarent. Verùm is conatus non placuit Dionysio Alexandrino, & alijs pijs doctoribus, ut patet ex Dionysii epistola ad Xystum: cuius fragmentũ recitat Eusebius libro septimo, capite quinto: & Cyprianus in epistola ad Pompeium dicit, Stephanum ex contumacia & præsumptione praua consuetudinem defendere. Et in epistola ad Quintinũ, Stephanum perstringit, eiq; exemplum Petri proponit: Nec Petrus (inquit) quem primùm Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm Paulus disceptaret, de circumcisione se uindicauit, seu aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere. Simile quiddam Dionysius Romanus ausus est contra Dionysium Alexandrinum, quem statim falsa quorundam delatione acceptà, excommunicauit. Sed Dionysius Alexandrinus Apologiam edidit, & sibi falsò obiectos errores refutauit: narrat Athanasius in epistola contra Arianos.

Prodidit etiam hac in re sese mysteriũ iniquitatis in Romana Ecclesia, quòd Romani episcopi ab alijs Ecclesiis, in longinquis terris episcopos aut presbyteros iustè excommunicatos, aut ab officio depositos, propter hæresin, aut abnegationẽ, aut alia scelera, ad sese inuitabant, cum eis communicabant: & causa non satis bene cognita, altera parte non audita, pro ijs interpellabant,

terpellabant, seq; sua autoritate & ambitione patronos sceleratorum constituebant. Sed cùm Cyprianus & alij subolfacerent, quò res ipsa tandem exitura esset: statutũ est ab omnib. episcopis singularũ prouinciarum, æquũ et iustum esse, ut uniuscuiusq; causa illic audiatur, ubi esset admissum crimen: & cùm singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quã regat unusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, non oportere eos qui sub uno aliquo sint episcopo, circumcursare ad aliũ, præsertim cùm omniũ in singulis prouincijs episcoporum, eadem sit autoritas. refert Cyprianus lib. 1. epistola 3. ubi reprehẽdit, quòd quinq; hæretici in Africa iustè excõmunicati, Romam cum merce mendaciorum suorum pseudoepiscopo ab hæreticis sibi cõstituto, nauigarint, & literas à suo pseudoepiscopo attulerint: & inter alia ostendit autoritatem episcoporũ in Africa cõstitutorum, qui eos excõmunicarint, non esse minorem quàm aliorum: & omnino contendit, ut si uelint in Ecclesiã recipi, agant pœnitentiã, & hortatur Corneliũ & clerum Romanum, & plebem, cui etiã suas literas rogat legi, ut declinent fortiter, & euitent decæterò uerba & colloquia eorũ, quorum sermo ut cancer serpat, iuxta Scripturæ mandata, Corrumpũt ingenia bona confabulationes peßimæ: &, Hæreticum hominem post unam & secũdam correptionẽ deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus.

Basilides & Martialis episcopi in Hispania Tarraconensi apud Legionẽ & Asturicæ & Emeritæ, cùm abnegassent in persecutiõe, & idololatriæ libellis sese cõmaculassent, ab alijs episcopis et plebe illic cõsistente excõmunicati, & ab officio depositi sunt, alijs legitimè uocatis, ordinatis & substitutis episcopis. Quare Basilides Romã profectus est ad Stephanũ, eumq; longè positũ, & gestæ rei ac ueritatis ignarũ fefellit, ut ambiret se reponi iniustè in episcopatũ, de quo fuerat iustè depositus. Eam rem indignè tulerũt Ecclesiæ illæ in Hispania, & miserunt literas & legatos ad Cyprianum, eiusq; coëpiscopos, expetentes consilium, an debeant Basilidẽ & Martialem ad episcopatus suos admittere: & non leuiter culparũt Stephanum Romanũ episcopũ, quòd tam improbis hominibus Martiali & Basilidi cõmunicasset, eosq; restitui in pristinũ statum ambiuisset. Cyprianus cum suis collegis habito concilio, respondet prolixè, eos nullo modo esse admittendos: plebem enim habere potestatẽ uel sacerdotes eligendi dignos, uel indignos recusandi. Et cùm Sabinus legitimè sit uocatus & ordinatus, ordinationem eius iure perfectam rescindere non posse Stephani pro eo intercessionem: nec tam culpandum esse Stephanum, cui negligenter obreptũ sit, quàm execrandũ eum qui fraudulenter obrepserit. & porrò eos monet, ne turbentur, si aliqui ex suis collegis reperiãtur, qui putent deificã disciplinã negligendã, & cum Basilide & Martiali temerè cõmunicent. Fore enim tales, qui exosi disciplinã, uidentes furem, cursuri sint cum eo, & cum adulteris portionẽ suam posituri, Spiritum sanctũ in Psalmo prædixisse. Et eos qui malis et peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita cõmunicatione misceantur, nocentiũ contactibus polluti, & dum ijs iungãtur in culpa, sic nec in pœna ab eis separatũ iri.

Et postremò laudat, probat & hortatur eos, ne cum prophanis & maculatis sacerdotibus cõmunicatione sacrilega sese misceant. Epistola quarta, libri primi.

Vnde constat, quòd licet Romanus aut alius episcopus intercesserit pro excõmunicatis, aut ab officio remotis in alia prouincia, tamen nec in eius gratiã, nec ob autoritatem cuiusquam, quidquam contra disciplinam Ecclesiasticam, alios suasisse, aut fecisse.

DE PRIMATV.

EX his quæ hactenus cõmemorauimus, liquidò apparet, ita consociatas fuisse diuersarũ prouinciarum Ecclesias, in magnis negocijs ad plures Ecclesias pertinentibus, ut aliæ alias sedulò mutuis operis iuuarent, nec aliam præ alia plus minus ue iuris habuisse, nec unam aliquã super alias summum tenuisse Imperium. Et licet mysteriũ iniquitatis in Romanis episcopis nõnihil agere cœperit, tamen ab alijs repressum esse. Sed quò ea res fiat planior, plurium fide dignorum testium ore demonstrabimus, nec Romanum episcopum, nec Romanam Ecclesiam, pro uniuersali capite, & unico CHRISTI uicario, de cuius sententia omnia essent in Scripturis intelligenda & docenda, ad quem necesse esset omnes referri controuersias, & negocia difficiliora, & cuius decretis oporteret omnes cedere & parêre, agnitũ & habitum esse à quoquam. Nam Cornelius ipse Romanus episcopus, in epistola ad Fabium Antiochenum, sibi nullum arrogat primatum super alias Ecclesias: & damnationem Nouati, non tantùm sibi, sed alijs quoquè episcopis Romæ constitutis adscribit. Eusebius libro sexto, capite quadragesimotertio, presbyteri & diaconi Romani in epistola sua ad Cyprianum, quæ in libro secundo septima est, licet de sua fide superbè glorientur, tamen proprio ore fatentur Cyprianum non ideo Romam scripsisse, de lapsorum ratione, quòd agnoscat eos iudices: sed quòd cupiat eos consiliorum suorum participes inueniri, & approbatores, & se cum Cypriano nullo alio iure, quàm eadem censuræ & disciplinæ consensione sociatos esse: & quòd omnino cum Cypriano cõsentiant, quòd cùm ea res de lapsorum receptione pertineat ad totam Ecclesiam, non aliter quàm in grandi concilio facta collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus, pariter astantibus laicis, tractari debeat: & Cyprianum beatißimum & glorioßißimum papam appellant. Nec Origenes usquam in suis scriptis, Romanis episcopis primatum tribuit. Eusebius libro sexto, capite decimoquarto dicit: Origenem in quadam epistola scripsisse, se Romæ fuisse sub Zephirino, Romanæ Ecclesiæ præside, eo quòd optarit antiquißimam Romanorum uidere Ecclesiam, sed ibi se non diu moratum, reuertisse Alexandriam. Quæ uerba si Origenis sunt, satis apparet, eum Zephirinum tãtùm pro Romano, & non œcumenico habuisse episcopo. Et Dionysius Alexandrinus, nec Cornelio, nec Stephano, nec Xisto, episcopis Romanis, ad quos plures epistolas scripsit, uidetur ullum præ cæteris tribuere primatum. fratres enim eos appellat, & non episcopos œcumenicos: ut patet ex Eusebij libro sexto, capite quadragesimosexto: et septimo, capite quinto & nono. Imò in epistola tertia ad Philemonem,

Heraclam ſuum anteceſſorem uocat Papam. Euſebius libro ſeptimo, capite ſeptimo. Nec probaſſe uidetur Stephani conatum, quo Helenum, Firmilianum, & alios ſentientes hæreticos rebaptiſandos eſſe, excommunicare præſumpſit. Sic Gregorius Neocæſariensis, eum ad quem Canones pœnitentiales ſcripſit, Papam nominat: nec uſquam in ijs Canonibus ad Romani epiſcopi decreta reſpiciendum dicit. quod utiq; feciſſet, ſi eum pro capite Eccleſiæ agnouiſſet. Nec literæ Synodi Antiochenæ, in qua fuerunt clariſſimi & præſtantiſſimi doctores huius ſeculi, plus Romano, quàm alijs cũctis per orbem comminiſtris, epiſcopis, presbyteris & diaconis, attribuunt iuris & dignitatis: quod omnino oportuiſſet eos facere, ſi Romanum epiſcopum pro epiſcopo totius orbis terrarũ habuiſſent. Fragmentum literarum extat apud Euſebium libro ſeptimo, capite trigeſimo. Maximus, Vrbanus, Sydonius, Macarius, in epiſtola ad Cyprianum, quæ extat libro tertio, inter decimamtertiam & decimamquartam, aiunt, ſe cum Cornelio epiſcopo ſuo, & pariter cum uniuerſo clero Romano pacem feciſſe. Quid Cyprianus de primatu Romanæ Eccleſiæ ſenſerit, ex his apparet quòd Cornelium fratrem & ſacerdotem appellat, libro primo, epiſtola prima & ſecunda: & epiſcopum ſuum, libro quarto, epiſtola ſecũda. Et quòd libro primo, epiſtola tertia ſatis grauiter Cornelium reprehendit, quòd minis & terroribus hæreticorum commotus, literas ab eis accepiſſet, & non potius eos remiſiſſet ad ſuum epiſcopum in Africam: cùm ſtatutũ ſit ab omnibus epiſcopis, ut uniuſcuiuſq; cauſa illic audiatur, ubi crimen admiſſum eſſet. Et aſſerit autoritatẽ epiſcoporũ in Africa non eſſe minorem quàm eorum qui Romæ cauſam illorum cognouiſſent. Et omnino contendit, ut ſi uelint agere pœnitentiã, ad ſe remittantur: & rogat ſuas literas in Romana Eccleſia coram plebe legi, ut ſi quas fortè concepiſſent ſuſpiciones ex obtrectatione hæreticorum, abijciant eas, & ſibi à cõſuetudine talium caueant. Cyprianus & plurimi epiſcopi Africæ in libro primo, epiſtola quarta ad epiſcopos in Eccleſijs Hiſpanis, Stephanũ ſuum collegam uocant: & probant, quòd Baſilidem & Martialem ob idololatriam, ab epiſcopatu remouerunt: & indicant eos non eſſe recipiendos, licet Stephanus pro ijs ſcripſiſſet. Eum enim & longè poſitum, & rei ueritate ignarum, & minus cautum deceptum eſſe ab illis prophanis hominibus. Apparet etiam ex eadem epiſtola, epiſcopos & Eccleſias Hiſpaniæ indignè tuliſſe Stephani præſumptionẽ, quòd illis impijs hominibus communicaſſet. Et epiſtola prima libri ſecundi teſtis eſt, neq; Cyprianum, neque collegas Cypriani, Stephano Romano primatũ concedere in Eccleſia, cuius ſolius ſententia ſit ſtandum.

Idem teſtatur epiſtola ad Quintinum & Pompeiũ, in quibus haud obſcurè perſtringit Stephanum, quòd inſolenter & arroganter, & contumaciter adeò prauam conſuetudinem defendat, ut etiam Marcionis baptiſmo, & Valentini & Apellis, & cæterorum blaſphemantium in Deum Patrem, contendat filios naſci, & illic in nomine IESV CHRISTI dicat remiſſionem peccatorũ dari, ubi blaſphematur in Patrem, & in Dominum Ieſum Chriſtum. Et opponit ei exemplum Petri, quòd Paulo de circũciſione diſceptãte, ſe non uindicarit, aut aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſerit, nec dixerit ſe primatũ tenere: & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere: quo non modò Stephano, ſed etiã Petro primatus adimitur. Quemadmodum etiam facit tractatu tertio, de Simplicitate prælatorũ, ubi inquit: Hoc erant utiq; cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur. Et poſtremò in utraq; epiſtola oſtendit, ſe cum ſuis collegis in Stephani ſententiam nullo modo concedere: ſed diuerſam, & tamen religioſam & legitimam & ſalutarem fidei, & Eccleſiæ catholicæ congruentem, & ſuorum anteceſſorũ ſequi ſententiam & conſuetudinem. Et Lucium non alio quàm fratris & epiſcopi nomine dignatur, libro tertio, epiſtola prima & tertia.

Quòd uerò Cyprianus libro primo, epiſtola tertia, Romanam Eccleſiam catholicam Petri, & Eccleſiam principalem appellat, unde ſacerdotalis exorta ſit unitas: eo ſenſu dicitur, quòd Romana Eccleſia alias ſit hortata ad conſociationem mutuam, & quòd in ea re præ cæteris laborarit, non quòd iure aliquo diuino prima & caput aliarum ſit cõſtituta. Nam epiſcoporum Africanorũ non uult minorem eſſe autoritatem, quàm Romanorum: & communi epiſcoporum ſtatuto cautum eſſe oſtendit, ne in unius prouinciæ Eccleſia excõmunicati, circumcurſent ad alios. Nec illo Romanæ Eccleſiæ ſeu epiſcopo Romano primatum aliquem attribuit, quod ſcribit libro quarto, capite octauo: Nos ſingulis nauigantibus, ne cum ullo ſcandalo nauigarent, rationem reddidiſſe ſcimus, & hortatos eſſe, ut eccleſiæ catholicæ matricẽ & radicem agnoſceret, & tenerent. Nam ſeipſum ibidẽ declarat, quod de Eccleſiæ unitate & charitate intelligi uelit. inquit enim, Ideo literas excõmunicatorias, et ordinationem Cornelij approbantes ſerius ſcriptas eſſe, ut re melius cognita, per omnes omnino in iſta prouincia poſitos literæ fierent, ſicut fiũt, ut uniuerſi collegæ noſtri & communicationem tuã, id eſt, catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & charitatem probarẽt firmiter, ac tenerent.

Nam conſociationem illam omniũ Eccleſiarum & epiſcoporũ in conſenſione doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, uocat unitatẽ. Eius autẽ unitatis matricem et radicẽ appellat mutuã cõmunicationem, quæ fiebat per literas cõmunicatorias, quas ſtatim uno aliquo legitimè uocato et ordinato epiſcopo in loco illuſtriori, ſibi inuicẽ mittere ſolebãt, eius ordinationẽ probãtes, aut improbantes: ut patet ex hac epiſtola, & ex multis alijs: & præcipuè ex lib. 4. epiſtola 2. ubi dicit, Corneliũ epiſcopũ factum eſſe iudicio Dei, & coẽpiſcoporũ teſtimonio, quorũ numerus uniuerſus per totũ mundũ cõcordi unanimitate cõſenſerit. Si uerò iſta aliorũ epiſcoporũ ad Corneliũ aſſociatio, ei primatũ attribuere uideatur, tum eadẽ quoq; ratione Cypriano primatũ aſſereret: dicit enim in lib. 4. epiſtola 9. Eccleſias uniuerſas per totũ mundum ſecũ unitatis uinculo eſſe copulatas. Crebræ ſunt uoces apud Cyprianum, unum Deũ eſſe, et unũ Chriſtũ, & unã Eccleſiã, et cathedrã unam, ſuper petram Domini uoce fundatã: aliud altare cõſtitui, aut ſacerdotiũ nouum fieri non poſſe, lib. 2. epiſtola

epistola octaua. Et Maximus, & Vrbanus, & Sidonius, in formula reuocationis dicunt, unum episcopũ in catholica Ecclesia esse debere: libro 3. epistola 11.

Et Cornelius in epistola ad Fabium dicit, Nouatum ignorasse unum episcopum in Ecclesia catholica esse debere: referente Eusebio libro sexto, cap. 43. Sed hæc & similia in hãc sententiam dicũtur: Omnes Ecclesias consentientes in uera doctrina pro una Ecclesia, & omnes episcopos pro uno haberi: & ab uno dissentientes, ab omnib. dissentire. nec posse in una Ecclesia, uero et legitimo episcopo ordinato, eodẽ episcopo adhuc superstite, alium ordinari: patet id ex Cypriani lib. 4. epistola 2. cuius uerba adscribimus: Cùm sit à Christo una Ecclesia per totum mundũ, in multa membra diuisa, item episcopatus unus episcoporũ multorũ concordi numerositate diffusus, ille (intelligit Nouatianum, qui Romæ à schismaticis contra Corneliũ episcopus ordinatus erat) post Dei traditionem, post connexam & ubicunq; coniunctam Ecclesiæ catholicæ unitatem, humanam conetur Ecclesiã facere, & per plurimas ciuitates nouos Apostolos suos mittat, ut quædã recentia institutionis suæ fundamẽta cõstituat.

Nec Eusebius, cùm passim Romanorum facit mentionem, usquã eis præ cæteris plus attribuit iuris, aut etiam dignitatis. Postremò, nec Canones, quos Apostolis falsò adscribunt, quorũ plerique hoc seculo, ut passim uidere est in epistolis Cypriani, in Synodis prouincialib. Africæ cõstituti sunt, nullum primatũ Romano episcopo præ cæteris cõcedunt, sed omnes episcopos gentiũ singularum exæquant. Atq; hi quidem sunt testes ueracissimi, quibus tutò fides haberi potest.

Sed diuersam cõsociationis formam, epistolæ decretales pontificũ Romanorum describũt, quòd Ecclesia Romana sit caput & mater omniũ aliarum iure diuino: & quòd nunquam errarit, nec errare possit: quòd non liceat alijs ab ea dissentire, & quòd ad eam sit appellãdum: & quòd iudicia episcoporũ, maioresq; Ecclesiæ causæ, ab ea sola, & non ab alia debeãt decidi: quemadmodũ ex Zephirini prima & secunda, & Calixti prima & secũda, & Fabiani prima, & Stephani & Lucij, & Sixti secundi prima, Felicis prima, epistolis. Sed an his domesticis & planè suspectis, & fraude subornatis, quod suo loco demõstrabitur, testibus: an uerò illis probatis & certis, & toti historiæ eleganter consonanti fides habenda sit, penes Lectorem esto iudicium.

IVRA ECCLESIASTICA.

OCcurrunt passim in autoribus iura quædam, quæ in gubernatione Ecclesiarũ partim statuta hoc seculo sunt, partim cõsuetudine obseruata: quorum præcipua adscribemus.

Ius eligendi sacerdotes idoneos, & recusandi indignos, penes plebem & totam Ecclesiam erat. Cyprianus lib. 1. epistola 4. De traditione diuina, & Apostolica obseruatione, seruãdũ est, & tenendũ, quòd apud nos quoq;, & ferè uniuersas tenetur prouincias, ut ad ordinationes ritè celebrãdas, ad eam plebẽ, cui præpositus ordinatur, episcopi eiusdem prouinciæ proximi quiq; conueniant: & episcopus deligatur, plebe præsenti, quæ singulorũ uitam plenissimè nouit, & unusquiusq; actũ de eius conuersatione perspexit. Cyprianus lib. 1. epistola 4. Eo modo Cornelius episcopus factus dicitur: libro quarto, epistola secunda.

In ordinãdis clericis, presbyteri et diaconi & plebs uniuersa cõsulebatur: & mores, & merita singulorũ, cõmuni consilio ponderabãtur: Cyprianus lib. 2. epistola 4. Antequàm in clerũ assumerentur, ut lectores aut hypodiaconi fierent, per tempus probabãtur, an cõgruerent illis omnia quæ deberent esse in ijs qui ad clerum parabantur: Cyprianus lib. 3. epistola 22.

Qui in Ecclesia ab initio cõuersatus esset, qui multa certamina illius nomine sustinuisset, qui in multis magnis periculis pietatis gratia fuisset, illi patebat ad episcopatũ uia. Euseb. lib. 6. cap. 43. ex epistola Corn.

Romæ per gradus ad episcopatum ascendere solebãt. Exemplum est in Cornelio: teste Cypriano lib. 4. epistola 2. Et in sua Ecclesia Cyprianus, lib. 2. epistola quinta, graduum clerici ordinationis meminit.

Ad episcopatum etiam iuuenes, sed doctrina & pietate insignes, interdum admittebantur. Exemplum est in Athenodoro & Gregorio, qui postquàm quinquẽniũ discipuli Origenis fuissent, & insigniter profecissent, iuuenes adhuc, Ecclesiarum Ponti episcopi facti sunt. Eusebius libro sexto, capite trigesimo.

Manente uerò pastore in Ecclesia, ordinatione sue cedanea præsidẽte, id est, legitimè uocato, & ritè officio fungẽte, non licebat alium substituere episcopũ: & si quis intrudebatur, nõ pro pastore, sed pro pseudoepiscopo habebatur. Cyprianus libro primo, epistola sexta: & libro quarto, epistola secunda.

Pro schismaticis habebãtur, qui sese ultrò præpositos, sine ulla ordinationis lege cõstituebant: qui nemine episcopatum dãte, episcopi nomen sibi assumebãt. Cyprianus tractatu tertio, de Simplicitate prælatorũ.

In lecto baptisatum Romani in clerum non assumebant, ut patet ex epistola Cornelij ad Fabiũ: Eusebius libro sexto, capite quadragesimotertio. quod tamen Cyprianus improbasse uidetur lib. 4. epistola 7. ubi in lecto baptisatos, rectè baptisatos esse asserit.

Episcopis licebat mutare locũ, si cõsentirent uicini episcopi. Exemplum est Eusebius lib. 6. cap. 11.

Episcopo adhuc iuuenti licebat ordinare episcopũ successorem. exemplum est Eusebius lib. 7. cap. 32. ubi Theotectum Anatolium ordinat, eumq; successorem suæ paroeciæ post mortem fore pollicetur.

Solebant interdum fratres apud se detinere episcopos aliarum ecclesiarũ. exemplum est Eusebius libro septimo, capite trigesimosecundo, in Eusebio & Anatolio: quorum utrunq; alterum post alterum Laodicæam ueniẽtem, fratres domum redire prohibuerunt.

Qui seipsos castrassent, ad presbyteriũ & episcopatum non admittebantur facilè: patet ex Eusebio lib. 6. epistola 8. ubi Demetrius accusasse dicitur eos, qui Origeni ad presbyterium manus imposuissent.

Ordinatio episcoporũ denunciabatur alijs per literas: Cyprianus libro quarto, epistola octaua: & secundo, epistola decima: & Eusebius libro septimo, capite trigesimo, ex literis Antiochenæ Synodi.

Episcopos & presbyteros libellis idololatriæ commaculatos, ad pœnitentiam quidem recipere solebãt, sed ab ordinatione et sacerdotali honore prohibebãt.

Cyprianus libro primo, epistola quarta: lampri-

dem nobiscum, & cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuit huiusmodi homines, scilicet qui Christum negassent, & idololatriæ libellis cõmaculati essent, ad pœnitentiã agendam posse admitti: ab ordinatione autem cleri, atq; sacerdotali honore prohiberi. Idẽ lib. 1. epistola 7. suadet plebi Assuritanæ, ne Fortunatianũ, qui idolis sacrificauerat, ad episcopatũ admittant. Et lib. 4. epistola 2. indicat Trophimum pœnitentiam agentem admissum esse, ut laicus communicaret, & non ut locum sacerdotis usurparet.

Non licebat communicare schismaticis, & qui negauerant Christum, & sacrificauerãt, & excommunicatis ab alijs: ut patet ex Cypriano libro quarto, epistola octaua, & alijs.

Episcopi in hæresin lapsi deponebãtur à plebe & clero, & substituebatur alius: ut patet ex Cypriano libro 1. epistola quarta, & tertio, epistola 13.

Hæreticos ne saluatione quidẽ, si ad Ecclesias eorum scribebant, dignabantur. Exemplum est Eusebius libro septimo, capite 13. Antiochenæ Synodi.

Non licebat presbyteris sine episcopi consensu lapsos, absq; publica pœnitentia, aut ea nondum finita absoluere: ut patet ex Cypriano lib. 3. epistola 14.

Communi consensu & autoritate Cyprianus cum collegis in concilio statuit, ut presbyteri aut diaconi, qui uel in Ecclesia catholica ordinati prius essent, & postmodũ rebelles contra Ecclesiã stetissent, uel apud hæreticos à Pseudoepiscopis & Antichristis contra Christi dispositionem, profana ordinatione promoti essent, hac ratione susciperentur, ut communicarent cum laicis, nec ordinationis & honoris arma retinerent, libro secundo, epistola prima.

Furiosè & monstrosè libidinosos non limine modò, uerùm omni tecto Ecclesiæ submouebant. Tertullianus in Apologetico.

Pro leui causa non licebat excommunicare, sed si manifestè & euidenter esset criminosus. Origenes Homilia 21. in Iosuam, & Homilia 12. in Ezechielem.

Sacerdotes si sine cõscientia plebis absoluebant lapsos, ante plenum tempus satisfactionis obiurgabãtur à plebe. Cyprianus libro tertio, epistola octaua.

Nec episcopis licebat sine cõsilio plebis, sua priuata sentẽtia quidquam facere: ut patet ex Cypriano libro tertio, epistola decima.

Lapsi moribundi, à presbyteris aut diaconis facta exomologesi delicti sui, impositione manus absoluebãtur. Cyprianus lib. 3. epistola 17. & lib. 3. epistola 5. Et fuit hoc Cypriani & presbyterorũ Romanorum cõmune statutum. Et Cyprianus lib. 4. epistola 2. indicat, se cum alijs episcopis Africanis post persecutionẽ conuenisse, et de lapsorũ pœnitentia tractasse, & singula placitorũ capita in libello quodam consignasse: quæ etiã ad Cornelium Romanũ missa, in cõcilio Romano sint approbata, sed non extant. Et Gregorius Neocæsarienſis in sua epistola Canonica, qualis ea quidem extat, hos refert Canones: ut,

Septimus.

Qui in captiuitate diuina, iam inter Barbaros cõnumerãtur, facti et ipsi Barbari, adeò ut obliti se quoquè Ponticos & Christianos, cognatos uel fune uel ligno trucident, ignoratasq; Barbaris uias & domos indicent, auditorio etiam excludantur: donec sanctis, anteq; eos Sancto spiritu conuenientibus, communiter quid de ipsis decernatur.

Octauus.

Alienas domos sub hac Barbarorũ incursione ingredi ausi, si accusati cõuictiq; fuerint, ne uel auditorio digni censeãtur. Sin se expurgauerint, ablataq; restituerint, in ordine supplicũ pœnitentiũ statuantur.

Nonus.

Qui in cãpo, in suis etiã ædibus, à Barbaris quippiã relictum inuenerint, si accusati cõuincentur, similiter cum supplicibus pœnitentibusq; numerandi sunt.

Decimus canon.

Mandatum hoc impleturi, absq; omni turpilucro impleãt. Neq; iudicij, neq; cõseruationis, neq; muẽtionis, uel quocũq; alio nomine mercedulã repetãt, &c.

Infantes non ad tertium diem differendos, sed statim baptisandos, statutũ est sexagintasex episcoporũ in Africa: libro tertio, epistola octaua.

Ex qualibet hæresi uenientes, denuò baptisandos esse, statutum est episcoporũ Africanorũ: ut patet ex concilio Carthaginẽsi, & ex lib. 2. epistola 1. & alijs.

Ex qualibet hæresi uenientes non esse rebaptisandos, sed manuum impositione curandos, statuit Romanus episcopus Stephanus. Eusebius lib. 7. cap. 3.

Non licere clericos in testamento nominare tutores, aut curatores, statutum est in concilio episcoporum: ut patet ex Cypriano lib. 1. epistola 9.

Presbyteris & diaconis, & laicis, licebat in concilio adstare, & suas dicere & conferre sententias: ut patet ex epistola presbyterorum Romanorum ad Cyprianum, quæ in libro secundo septima est.

Non licere appellare ad episcopum Romanum, aut quẽuis alium, statutũ est ab omnibus in uniuerso mundo episcopis: ut patet ex Cypriano lib. 1. epistola 4.

Virgines castitatem uouentes, non debere habitare cum masculis, statuitur à Cypriano & collegis eius, libro primo, epistola undecima.

Non licebat episcopis mundanas dignitates usurpare, & cateruam satellitum præcedentiũ aut subsequentium circa sese habere: ut patet ex epistola Antiochenæ Synodi. Eusebius libro septimo, capite trigesimo. Origenes libro nono in epistolam ad Romanos, & Homilia sexta in Esaiam.

Non licebat cuilibet temerè ex peregrinis cõcedere, ut in Ecclesia cõciones ad populũ haberet: ut patet ex eadem epistola Antiochenæ Synodi, ubi reprehenditur in Samosateno, quòd id commiserit.

Episcopis & clericis licebat hæreticorum & gentilium Philosophorum legere libros, licet aliqui diuersum sentiebãt: ut patet ex epistola Origenis apud Eusebium libro sexto, capite uigesimo.

In quibusdam locis licebat etiam laicis, præsente & consentiente episcopo, docere: in quibusdam uerò non, ut patet ex Eusebio libro sexto, cap. 20.

Episcopis etiã licebat medicæ professioni & praxi incumbere. exemplũ est apud Eusebium libro 7. cap. trigesimosecundo in Theodoro Laodicæno episcopo.

Postremò,

Postremò, quia quidam canones ex illis qui falso Apostolis attribuuntur, consentiunt cum ijs statutis quæ hoc seculo à Cypriano & alijs in Synodis prouincialibus facta sunt: uerisimile est, ab aliquo in Africa, aut alibi circa finẽ huius seculi, aliquot ex ijs congestos esse, quibus postea subinde adiecti sunt plures: Apostolorum enim non esse, suo loco dictum est.

DE EPISTOLIS DECRETALIBVS, quæ adscribuntur episcopis Romanis.

EPistolæ decretales, quæ huius seculi episcopis Romanis, Zephirino, Calixto, Vrbano, Pontiano, Antero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Xysto, Dionysio, Felici, Eutychiano, Gaio, in tomis Conciliorum uulgò adscribuntur, ijsdem sese produnt argumentis, quibus superiores: nempe quòd ab uno eodemq; longè inferiori seculo, aut de integro conflctæ, aut turpissimæ sint deprauatæ & contaminatæ. Nam materiæ, eiusdẽ fermè sunt generis in singulis. Nihil enim fermè aliud agunt, quàm de primatu Romanæ Ecclesiæ, de forma iudiciorũ, de non accusandis & spoliandis episcopis, de qualitate testium, de restitutione spoliatorum episcoporum, de appellatione ad sedem Apostolicam, de ceremonijs & decretis à Romanis institutis. Compositio quoq; ipsa uniformis est: exordia enim plerunq; à dignitate Romanæ Ecclesiæ, & cura eorum præ alijs ducuntur, & postea multa coaceruantur testimonia sacræ Scripturæ sine iudicio. Et totum orationis filum, unius generis est, recurrentibus subinde ijsdem phrasibus & sententijs. Deniq; plenæ sunt generalitatibus, circunstantijs uerò locorum, temporum & personarum: & rerum ad hoc seculum pertinentium adeò uacuæ, ut facilè appareat, fabricatorem id unum egisse, ut priscorum episcoporum nominibus, primatum Romanæ Ecclesiæ suppositititijs his epistolis faceret: & ne suã fraudem circumstantiæ proderent, ideo eas omisisse, aut generales tantùm attigisse.

Quod autem hæ epistolæ, eorum non sint, quibus attribuuntur: neq; hoc seculo eiusmodi scribi potuerint, primùm genus sermonis huic ætati usitatum coarguit. Nam adeò barbara dictione nullus Latinorum autorum, siue gentiles spectes, siue Ecclesiasticos scriptores, hoc æuo usus est. Nusquam enim huiusmodi phrases reperias apud huius seculi scriptores, quales sunt: Persecutiones patienter portandæ sunt: &, præsentem fraternam syllabam exposuimus: Zephirinus in secũda. Vtatur exilio perpetuæ deportationis, modernis temporibus, Christianitatem susceptis: in epistola Vrbani. Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt: Salutãtes paterna dulcedine bonitatem uestrã petimus: Clerici & serui Dei more Christi & sancti Petri pleniter inueniant in cunctis affectum uestræ charitatis: Pontianus prima. Episcopi habent potestatem ordinare regulariter, &c. & inthronizare: prætaxato modo inutiliter se præuideat, Christi corpus sacro ore conficiunt: Anterus prima. Apostolico mucrone à sinu sanctæ matris Ecclesiæ abscisi, ut prælibatum: Fabianus prima. Sacerdotes potius tolerandi quàm exprobrandi, accusandus ad primates suos, aut sedem Apostolicam: Fabianus secunda. Beatitudo tua, literæ dilectionis uestræ, quas ad beati Petri Apostoli sedem misistis: Cornelius secunda. Vos persequi & infamari, episcopi non sunt leuiter detrahendi, abscindere Ecclesiastico & Apostolico mucrone, pusillitas, exiguitas mea: Lucius prima. Necessarium est ut uobis ab hac Apostolica sede suffragetur, charitatiuè conueniantur modernis temporibus, ante corpora Apostolorum pro uobis preces fiunt: Stephanus secunda. Peto ut pro me orare debeas: Sixtus prima. Beatus Petrus Apostolorum princeps, uos ad sua limina perducat: Dionysius prima. Canonicè regulariter examinatus: Dionysius secunda. Charitatiuè conuentus, regulariter cõuocatus, nec animæ doctorum persequi debuissent, missæ celebrẽtur: Felix secunda. Canere missam abbatissæ & sanctæ moniales: ex decretis Eutychiani. Subiectis aliquibus sanctorum capitulis regularum, uotiua scisitatione perquiritur: Gaius prima.

Nec titulorum nomina apud Tertullianum, Cyprianum, Origenem, Dionysium Alexandrinum, aut etiam in epistolis presbyterorum Romanorũ ad Cyprianum, aut Cornelij ad Fabium Antiochenum, aut aliorum leguntur: quales sunt Archiepiscopus Romanæ urbis, Zephirinus prima & secunda. Archiepiscopus catholicæ Ecclesiæ Romanæ urbis, Calixtus prima. Summi Pontifices, Pontianus prima. Pontifex sedis Apostolicæ, Fabianus. Sancta uniuersalis Apostolica Ecclesia, Cornelius secũda. Apostolici Pontifices, Lucius prima. Primates metropolitani, Stephanus secunda. Papa uniuersalis Ecclesiæ, & Pontifex Apostolicæ sedis, Sixtus prima. Fideles sancti Petri, Dionysius prima.

Ἀνακλήθρα quoq; in his passim multa sese Lectori offerunt. Sic in Zephirini prima, non cohærent cum superioribus ea quæ incipiunt, Patriarchæ uerò, &c. Item illa, De occultis uerò, &c. Et Vrbanus epistola sua, postquàm de humana sapientia dixit, infert: Omnes enim fideles per manus episcoporum impositionem, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent. Et Pontianus epistola prima ineptè connectit, Quod ergo de fratris uestri transitu. & paulò post, Itaq; quod cœpistis hospitalitatis, curam impendite.

Et Anterus nullo antecedente concludit: Facta enim subditorum iudicantur à nobis, nostra uerò iudicat Deus: epistola prima. Similiter ἀνακλήθρα sunt in Fabiani prima: Hi & omnes qui rectam non docẽt doctrinam. Et in epistola Cornelij secunda: Quia neq; mores neq; uita, &c. & nullus sacerdotum. Et Lucij prima: Nolite mirari si uos impij persequantur, &c. propterea uos hortamur, ut semper testes uobiscum & diaconos habeatis, quia Apostolus dicit: Oportet uos habere testimonium bonum ab his qui foris sunt, &c. Et Stephanus: hæc prophetæ, hæc apostoli, &c. item, à recta ergo fide, &c. Et Dionysius secunda epistola: Quapropter detractores. Et Felix prima: Nemo enim debitorem amplius potest, &c. Omnes ergo qui in CHRISTO uolunt piè uiuere. Et Felix secunda: Quod uerò Apostolus dicit, &c. Et Eutychianus prima: Id circo frater ista pertulimus, ut hæ species, &c.

In pleriſq;, Scripturæ testimonia plurima sine iu-

dicio congeruntur, & ineptæ conficiuntur ratiocinationes: interdum etiam deprauatè citantur. Sic Zephirinus in prima: Petro dictũ à solo Domino, Quæcũq; ligaueris super terram, &c. Ergo Ecclesia Romana debet sola iudicare de causis aliorum episcoporum.

Vrbanus prima, corruptè citat dictum Pauli, Anima quæ in delicijs est, uiuens mortua est: cùm Paulus dicat, uidua. Et Pontianus epistola secunda, multa testimonia Scripturæ coaceruat sine iudicio, quæ ad propositionem eius nihil faciunt. eadem Fabiani epistola tertia odiosè recantitat, & in secunda ineptè ratiocinatur: Carnales semper infectant spirituales, ergo seculares non debent accusare clericos. Et Lucius prima epistola, testimonijs Scripturæ odiosè abutitur. Idem facit Stephanus prima & secunda, ubi ad uerbum eadem habet quæ in Fabiani secũda: & Felix tertia eadem recitat uerba quæ Lucius, ab eo, Hæc uerò Apostolorum uiua traditio, &c. usq; ad finem.

Et Felicis tertia de quæstione, utrũ pater sit maior filio, multa testimonia cumulat sine ratione: quæ eadem fermè in Euaristi prima, de eadem quæstione, scripta reperiuntur. Et Eutychianus prima & secunda, testimoniorum cumulum, nihil ad propositionem facientem habet: & Gaij epistolæ pars media de uerbo ad uerbum ex epistola Leonis prima, ad Leonem Augustum descripta est.

Vrbani, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani & aliorum pleræq; epistolæ, præter morem generales inscriptiones habent ad omnes Christianos, aut omnes episcopos, nullius facta mentione loci, aut aliarũ circunstantiarum. Nam ut ex epistolis Cypriani constat, & Dionysii Alexandrini, & aliorum, solebant semper aliquos nominare, & non suo solius, sed aliorum quoque nomine communes epistolas scribere.

Sunt etiam materijs rerum quas hîc temporum status requirebat, prorsus uacuæ, & de ijs agunt quæ huic seculo minimè conueniunt. Si enim epistolas Cypriani, aut Dionysii, aut aliorum spectes, uideas quod in eis instruant alios de doctrina, & alijs rebus, aut arment suum gregem contra hæreticos, aut hortentur ad confessionem & constantiam, aut tractent de alijs rebus præsenti tempori congruentibus. At in his Pontificum literis nihil fermè simile reperias. Neq; enim de doctrina uera agunt, neq; hæreticos refutant, neq; de persecutionibus quicquam dicunt. Sed tantùm de suis decretis & statutis & ceremonijs, quasi omnium rerum Ecclesiasticarũ ignari, aut in summa pace constituti, securè fabulantur.

Deinde si ad analogiam historiarum & rerum huius seculi conferantur, tum pleraq; in his epistolis per se manifesta, falsa sunt: ut quod in prima Zephirini dicitur, Christum præcepisse Apostolis, ut septuaginta duos discipulos in adiumentum eligerent, cùm id nunquam ex Euangelistis constet: & certum sit ex Lucæ decimo, Christum septuaginta discipulos elegisse, & emisisse: & quòd Apostoli cum alijs plurimis episcopis sexaginta sententias præscripserint, inter quas etiam fuerit de priuilegio Romanæ Ecclesiæ, loquens fortasse de canonibus Apostolorum. Verùm in ijs, ut hodie habẽtur, non sit mentio primatus Romanæ Ecclesiæ. Sic falsum omnino est, quòd Calixtus Ecclesiam Romanam, matrem omnium Ecclesiarũ esse dicit. Nam non ex Roma, sed ex Hierosolymis uerbum Domini exijt. Narrat Anterus, Eusebium de quadam parua ciuitate mutatum esse, seu proficlum Alexandriam: & Felicem de ciuitate sua, in qua ordinatus erat, communi episcoporum & reliquorum sacerdotum & populorum consilio translatum esse Ephesum: sed hæc non Anteri tempore, sed longè inferiori facta esse, testãtur historiæ. Nam Anteri tempore, Heraclam Alexandriæ fuisse episcopum, apparet ex Eusebio libro sexto, capite uigesimooctauo, & uigesimonono. Idem libro septimo, capite trigesimosecundo, narrat quidem Eusebium ex Alexandria Laodicæam uenisse: sed nec iste Eusebius Alexandriæ episcopus fuit, nec id factum est Anteri, sed Gaij tempore, aut paulò antè. Fabiani epistola prima fabulatur, Nouatum ex Africa uenisse, & de Ecclesia Christi separasse Nouatianum, & quosdam alios Christi confessores seduxisse: sed ex Eusebij sexto libro, capite quadragesimotertio, & Cypriani libro primo, epistola tertia, constat, id sub Cornelio, & non sub Fabiano factum esse. Dionysius epistola secunda gloriatur, se à beato Petro accepisse primatum super alias Ecclesias: quod omnino fictum uanumq; est.

Quædam nullas ueri similes occasiones aut circunstantias habent. Sic non est ueri simile, tempore Zephirini episcopos per Ægyptum, ab alijs episcopis spoliatos esse, ut narrat epistola Zephirini secunda: cùm eo tempore ethnici, & non Christiani persecutionem exercerent: ut patet ex Eusebij sexto libro, capite primo. Et cùm eo tempore Demetrius Alexãdriæ & alijs Ecclesiis, per Ægyptum præfuerit, non est simile uero, quòd eiusmodi epistolam, in qua Romanus episcopus scriberet securam omnium Ecclesiarum à Petro & iure diuino cõmissam habere, æquo animo tulisset: nec Ægyptiaci opus habebant instructione de ordinandis presbyteris. Calixtus suæ epistolæ occasionem ex eo fingit, quòd plebs Gallicana contra episcopos conspirarit. Sed quid miseri Christiani conspirarent contra episcopos, cùm nec ipsi usquam propter persecutionem tuti essent? Anterus fabulatur, episcopos Beticæ & Toletanæ prouinciæ, Apostolicam sedem consuluisse de mutatione episcoporum. Sed quid opus fuit consulere in re tam aperta, cùm consuetudo aliàs obtineret, ut cum consensu uicinorum episcoporum migrarent ad alias Ecclesias? sicuti ostensum est suprà. Sic non consentit cum ueritate, quòd Fabianus epistola prima præcepit alijs Ecclesiis, ut totidem diaconos & subdiaconos facerent, quot Romana haberet Ecclesia: & certum est, alias Ecclesias id non obseruasse, & inepta est ratio quam subiungit: Omnia quæ scripta sunt, ad doctrinam nostrã scripta sunt. ergo quæ nunc scribuntur, ad doctrinam posteriorum scribuntur. Idem epistola eadem sentit, eos qui in catholica fide suspecti sint, non debere ad accusationem rectè credẽtium admitti: quia suspiciones semper sint amouendæ. Verùm tum temporis Christiani legibus ciuilibus erant subiecti, nec curabatur decretũ Romani episcopi. Idem epistola secunda nugatur, Orientales episcopos se de conficiendo quotannis chrismate, & de accusatione sacerdotum

dotum consuluisse. Sed cùm orientalium episcoporum nomina præter morem non alligentur, & cùm aliàs constet confectionem chrismatis Romanorum superstitionem esse: non est simile uero, Fabianum ad eos eiusmodi scripsisse epistolam. Non congruit cum ueritate, quòd Cornelius corpora Apostolorum leuarit de sepulchro. Habuit enim aliud quod ageret. & dum petit, ut alij sibi gratulentur de ea re, non est dubium, quin Cyprianus eius rei in tot epistolis ad Cornelium fecisset mentionem. Fictum etiam hoc est, quòd posuerit corpus Petri in templum Apollinis. Id enim hoc tempore adhuc gentiles Romani tenebant, eorumq; pontifices, nec chrismatis in templa idolorũ licebat ingredi. Cornelius epistola secunda facit mentionem appellationis ad Apostolicam sedem. Verùm Cyprianus contrarium asserit libro primo, epistola tertia: statutum esse ab omnibus, ut illic causa audiatur, ubi sit commissum crimen: &, non esse circumcursandum ad alios. Idem Cornelius in eadem asserit, se à Ruffo Orientali episcopo consultum esse, an liceat episcopis iurare. Sed cùm nec ipse, quis ille Ruffus fuerit, aut in quo loco episcopum egerit, indicet, & aliàs historia Ruffum Orientalem episcopum ignoret: & cùm non fiet simile uero, hanc ob rem à tam longè posito consiliũ petitum esse: meritò hæc quoq; pars scripta est. Gratianus distinctione quadragesimaseptima, Cornelio decretum adscribit: sed eadem uerba extant in epistola tertia libri primi Cypriani, & non Cornelij. Et decretum quod causa uigesimasecunda, quæstione quinta, Honestum etiam, &c. Cornelio attribuitur, ab eodem Gratiano, omnino repugnat epistolæ decretali Cornelij. Nam hoc iurare prorsus uetat, illud uerò concedit. Lucius fingit in sua epistola, quòd Gallicani & Hispani fratres sibi scripserint, multos ab ijs et à recta fide discedere, quoniam non possent eis defensionem impendere contra persecutores. Sed à ratione ueri alienũ id omnino est. Nam nec episcopi ipsi à persecutione tuti erant, nec habebant aliquam externam potentiam, nec Ecclesia apud episcopos eo tempore defensionem contra persecutores quærere solita est. Decretum quod in eadem epistola facit, de duobus uel tribus diaconis episcopum sequentibus, & quòd non liceat accusare episcopum, & quòd liceat appellare ad alios iudices Ecclesiasticos, ubi esset maior autoritas, huic seculo non congruit. Nam grassabatur persecutio, quæ non permittebat ut episcopi tutò cum suis diaconis prodeambularent. Et Cyprianus libro primo, epistola tertia, cõmuni statuto ab omnibus episcopis appellationem, ad alios uetitam esse testatur. Nec licuisset Lucio, id statutum facere propria autoritate irritum.

Decretum de interdictis nuptijs sacerdotum, suprà Clementi adscriptum est, sed neutri seculo congruit.

Hilarij illius, qui Stephanum consuluisse dicitur, in epistola Stephani prima, qui sint infantes, & qui ad gradus Ecclesiasticos non sint admittẽdi, historiæ non meminerũt: nec indicat epistola, ubi fuerit episcopus.

Et statutum de esu uestimentorum sacrorum, quod ei opponit, & alijs obtrudi iubet, ineptum est: & Sixto primo attributum suprà, & Clementi in epistola secunda: sed nusquam ita obseruatum legitur. Stephanus epistola secunda, appellat se uniuersalem Romanæ Ecclesiæ episcopum: sed talem Cyprianus eum nõ agnoscit, libro secundo, epistola prima: & libro primo, epistola quarta, ubi eum tantùm suum collegam appellat. Et quod in eadem statuit, episcopos spoliatos, ante accusationem esse restituendos: ridiculum sese præbet. Sicut & Fabianus & Sixtus & Dionysius & Felix & Eutychianus & Gaius, qui odiosè in suis quoq; epistolis eãdem cantilenam recantitant. Nam policiti iudices & gentiles, quorum legibus tum episcopi, tum laici subiecti erãt, hoc tẽpore huiusmodi decreta non curarunt: scilicet, cùm episcopos etiam non accusatos rapiebant ad martyria, ubicunq; poterant. Sixtus secundus in epistola secunda ad Hispanos ait: Fratres quos terrore terreno iniustè damnastis, scitote à nobis iustè esse restitutos, quibus ex sancti Petri, & Apostolicæ autoritate, omnia quæ eis ablata sunt, integerrimè reddi præcipimus: si nõ uultis, uos & principes uestros à collegijs nostris & mẽbris separari. Sed quis non agnoscat, hæc ab huius seculi historia aliena esse? quæ etiam eo nomine suspecta sunt, quòd non exprimitur, quos, & ob quam causam, iniustè damnatos restituat. Inepta etiam est ratio, quam addit, quòd nõ prius rescripsissent Romam, & præstolati essẽt pontificis censuram: & quia maior non possit à minori iudicari, nec colligari, quia ratum esse omne quod magnum est. Felix epistola secunda nugatur, se cum septuaginta episcopis celebrasse Synodum, & statuisse, sacerdotes non esse accusandos, & missas supra memorias martyrum celebrãdas. Sed epistolæ illius ineptias, & silentium quod altum est de circunstantijs necessarijs, & rationũ absurditas, & cõpositionis perplexitas, & historiarum symphonia, facilè probant, ea hoc seculo non accidisse. Quis enim credat, illos septuaginta episcopos adeò ineptè ratiocinatos esse: Animæ martyrum non sunt occisæ: ergo nec animæ prædicatorũ & doctorũ debẽt persequi, & à simulatu Dei auerti: & per cõsequens mandamus, ut supra memorias martyrum missæ celebrẽtur, ne memoria eorum à talibus posset extingui, aut ueneratio prohiberi. Calixti & Vrbani epistolæ, & Fabiani secunda, infamiæ notam, & curiæ traditionem ac seruitutẽ minantur, contra sua decreta delinquentibus. Sed hoc tempore infamiæ notam punire, & curiæ tradere, non Ecclesiastica, sed politica erat pœna.

Formam gubernationis & consociationis omnium Ecclesiarum, qualem omnes hæ epistolæ describunt, maximè uerò Zephirini prima, Stephani secunda, Sixti prima & secunda, Felicis prima, & decreta eorum de non accusandis & pellendis episcopis, deq; ijs restituendis ante iudicium, de appellatione ad Romanam sedem, &c. non congruere cum huius seculi ratione, patet ex loco de gubernatione. Postremò etiam tempus, quo datæ annotãtur, ostendit à mendace parum memori, has epistolas suppositas esse. Nam Zephirini, Vrbani, Sixti, Dionysij, Felicis, Eutychiani epistolæ, eos assignatos habent Consules, qui unà nunquam consulatũ gesserunt, aut alio tempore uixerunt.

Porrò si ad ἀναλογίαν fidei conferantur, tum hæ epistolæ, tum eorum decreta, insignia mysterij ini-

quitatis manifestè produnt, qualia sunt:

I. Prohibitio coniugij. Nam decretum Lucij, quod extat apud Gratianum distinctione octuagesimaprima, licet in eius epistola decretali hodie non legatur, nuptijs sacerdotibus interdicit: quod decretum etiam suprà Clementi adscriptum est. & Stephanus distinctione trigesimaprima, inquit: Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ. nam illarum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi, matrimonio copulantur: istius autem Ecclesiæ nullus sacerdotum, à subdiacono usq; ad episcopum, licentiam habet coniugium sortiendi.

II. Prohibitio ciborũ. Calixtus enim in epistola sua, ieiunium ita quater in anno obseruandum præcipit, ut contrarium facientes pro schismaticis habeat.

III. Distinctio laicorum & clericorũ propter sanctitatem. Fabianus enim & Stephanus laicos uocant carnales, & clericos spirituales.

IIII. De non arguendis, accusandis, iudicandis & damnandis episcopis & sacerdotibus. Anteri & Zephirini prima epistola prohibet, ne quispiã summorum, accusationibus minorum appetatur, aut dispereat: facta subditorum iudicantur à nobis, nostra uerò iudicat nemo. Fabiani epistolæ ijsdẽ friuolis utũtur rationibus, quibus superiores, de non accusandis episcopis: quia eorum causas sibi Dominus reseruarit. & Paulus dicat prima Corinthiorum sexto: Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis uobiscum, quare non patimini iniquitatem? Et Dominus dixerit, Qui uoluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, concede ei quoquè pallium. Et quòd omnes qui aduersus patres armentur, infames efficiantur. Et quòd carnales, spirituales non debeãt infestare, nec discipuli sint supra magistrum. Et quòd exemplo Cham damnentur, qui patrum suorum culpas in publicum prodant.

V. De primatu Romanæ Ecclesiæ. Nam de eo fermè omnes epistolæ istæ garriunt: & Calixtus non obscurè indicat, Romanum episcopum nullo errore implicari posse. Et Lucius, ludens ambiguitate, Romanam Ecclesiam matrem Ecclesiarum facit: & Apostolicos pontifices nunquam errasse asserit, & ne quidem errare posse contendit: ex eo loco quod Christus Petro dixerit, Rogaui pro te, ne fides tua deficeret. Sixti epistola prima, & Zephirini secunda: Beato Petro nõ ab alio quàm ab ipso Domino dictum est, Quæcunq; ligaueris super terram, &c. ergo Romana Ecclesia, & nulla alia, de causis Episcoporum & controuersiis grauioribus iudicare debet.

VI. De traditionum humanarum necessaria obligatione & superstitione. Fabianus enim epistola secunda, ad suum decretum, de totidem diaconis, quot Romana habeat Ecclesia, obligat alias omnes: & chrismatis confectionem quotannis non iterantes, excommunicandos censet. Et Stephanus epistola prima, suam traditionem de sacrarũ uestium usu omnibus Ecclesiis obtrudere molitur: & superstitiosè magni criminis reos, & ultione diuina dignos eos pronunciat, qui non sacrati uestes sacras gerant, aut etiam attingant. Et epistola Vrbani ad uitam communem, & uotum paupertatis pios obligare conatur. Et Cornelij secunda: Omne iuramentum, nisi quod fiat pro recta fide, episcopis prohibet. Huiusmodi sunt pleraq; cæterorum etiam decreta, cõtra libertatem Christianam impingentia, & conscientias hominum illaqueantia.

VII. Idololatria, & cultus deorum alienorum. In Pontiani enim epistola prima, beato apostolo Petro mortuo tribuitur, quòd ijs qui Romanam Ecclesiam promoueant, debeat aperire ianuam gloriæ suæ. Et in Cornelij prima, sancti mortui intercessores efficiuntur, inquit enim: Orãtes Deum & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ut intercedentibus suis sanctis Apostolis, maculas uestrorum purget peccatorum. Et in Sixti epistola secunda, Petro attribuitur, quòd in Romano episcopo inhabitet, eumq; instruat, & omnium onera portet & tueatur.

Et Dionysius in prima: Optamus ut uos beatus Petrus, Apostolorum princeps, de sua limina fœliciter perducat. Decretũ quod Gratianus causa trigesimaquinta, quæstione sexta, Episcopus in Synodo, &c. Eutychiano adscribit, in formam iuramenti reliquias sanctorũ includit: Sic te Deus adiuuet, & istæ sanctorum reliquiæ, &c.

VIII. Contaminatio sacramentorum. Vrbani enim epistola plus impositioni manuum post baptismum tribuit, quàm ipsi baptismo: cùm impositionem manuum Spiritum sanctum conferre, & plenos Christianos efficere affirmat. Et Fabianus secunda, uocat chrisma nouum sacramẽtum: & asserit, quòd unctio chrismatis baptismum perficiat: & multa alia superstitiosè & ineptè de chrismate nugatur. Et Pontiani prima, de cœna Domini irreuerenter loquitur: Sacerdotes proprio ore corpus Domini cõficiunt, & populis tradunt. Et Felicis secunda, missas celebrare iubet super memorias sanctorum martyrum.

Et Vrbani epistola abusum excõmunicationis approbat, cùm ait: Valde est timenda episcopi excommunicatio, licet etiã iniustè liget aliquem. Præter hæc mysteria iniquitatis, multæ aliæ in ijs insunt sanæ doctrinæ Christi, Apostolorum & Prophetarum, corruptelæ, quas diligens Lector facilè animaduertet.

Postremò, cùm neq; Eusebius, neq; Damasus, neq; Hieronymus, aut ullus alius uetustior autor, qui uel hoc seculo, uel aliquanto pòst uixit, harum (ut nunc extant) epistolarum meminerit, certissimo argumento est, eas fictitias & supposititias esse. Id enim non ex negligentia scriptorum, factum esse potest. nam Eusebius alias epistolæ Cornelij ad Fabiũ Antiochenum fragmentum citat, cuius phrasis ab his quæ hodie Cornelio tribuũtur, toto cœlo distat: & Hieronymus etiã tantùm meminit Epistolarum Cornelij ad Flauianum Antiochenum: non omissuri, si alias uel Cornelij, uel aliorum Romanorum episcoporum agnouissent, aut sciuissent suo tempore tales epistolas: quæ si fortè alios latuissent, certè Damasum, qui ipse episcopus Romanus fuit, & uitas eorum scripsit, & alia minutiora annotauit, latère non potuissent. Et fuisse semper aliquos, qui has & superioris & sequentium aliquot seculorum decretales Epistolas, eo tempore quo primùm citari cœperunt, pro apocryphis & suppositijs habuerunt, eo quòd in Codice canonum non in-

non inuenirentur, nec à Concilijs generalibus susceptæ & approbatæ usquam essent, sed tantùm à Romanis, tanquam suspectis & domesticis testibus iactarentur: apparet ex Gratiani distinctione decimanona, Si Romanorum pontificum, &c. Sed de his suo loco.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS. SVB SEVERO.

Schisma Tertullíani.

TErtullianus, presbyter Carthaginensis, alioqui de Ecclesia præclarißimè meritus, sicut infrà dicemus, ad Montani tandem insanam Prophetiam defecit. Causam hanc fuisse Hieronymus scribit, quòd inuidia & odijs Romani cleri agitatus, insolentiam tandem eius sustinere nequiuerit. Vehemẽtioris enim, ut apparet, & impatientioris naturæ Tertullianus fuit. Quanquam quæ fuerit causa Romano clero insectandi eum, nusquam sanè ita clarè exprimitur: nisi hæc fuit, quòd Montano fauere uisum, statim communione Ecclesiæ Romanus eum clerus priuauit. Quod indignius ferens ad sectã Montani prorsus defecit, ac libros aliquot ex Montani traditionibus contra Ecclesiam scripsit: quemadmodum infrà suo loco dicemus.

SVB ANTONINO.

Schisma ortum ex doctrina & presbyterio Origenis.

OCcasionem magno cuidam schismati & dissentioni inter Demetrium episcopum Alexandrinum, & Alexandrum Hierosolymitanum, & Theoctistum Cæsariensem, factum quoddam Origenis præbuit, quod eiusmodi est. Cùm motus quidam seu seditio & bellum Alexãdriæ, Antonino adhuc regnante, exortũ esset, Origenes (ut fit, legibus & literis inter arma silere coactis) in Palæstinam secessit: ac Cæsareæ ab eius loci episcopo rogatus, in Ecclesia publicè docuit, nondum ornatus gradu presbyterij. Quod factum cum Demetrio displicuisset, graiter offensus, ad Alexandrum & Theoctistum scripsit: neutiquam licere laicis, episcopis præsentibus in Ecclesia docere, neq; id auditum aut factum usquam esse. Rescribũt Alexander & Theoctistus, ac mendacij manifesti Demetrium arguũt, adducentes exempla aliquot eorum, qui, cùm nec presbyteri, nec episcopi fuissent, ad docendum instructi, & ab episcopis solicitati & rogati, in Ecclesiis docuerint. Eusebius scilicet, rogatus à Neone, Larandis: Paulinus à Celso, Iconijs: & Theodorus ab Attico, Synadis. Eusebius libro sexto, capite uigesimo.

Postea & aliud acceßit. Cùm enim ijdem episcopi, Cæsariensis & Hierosolymitanus, alijq; per Palæstinam celeberrimi, Origenem, cùm propter causas quasdã Ecclesiasticas in Helladẽ missus proficiscereture, quo tempore imperium Alexander habuit, Cæsareæ presbyterum ordinassent: Demetrius rursus id factum uituperauit, Origenis odio, quem in magnam eruditionis & uirtutis æstimationem & admirationem uidebat proficere. Cumq; aliud nihil quod in eo damnaret, haberet, castrationem illam, quam sibi Origenes puer etiamnum adhibuit, ipse uerò Demetrius rem eam miris olim laudibus prædicauerat, tum ei obiecit, & grauiter accusauit: simul & eorũ episcoporum factum, qui manus Origeni ad presbyteriũ imposuerant, acerbè reprehendit & accusauit: ut Eusebius testatur libro sexto, capite octauo. Qui & in eodem libro, capite uigesimotertio, multa ait ob eam ordinationẽ, Origenis gratia, tum mota: multa etiam super motis illius nomine quæstionibus, à præsidibus Ecclesiarum decreta fuisse, quæ singula se in Apologia, quam pro Origene composuit, exposuisse indicat.

SVB DECIO.

Schisma Nouati & sociorum eius.

SChisma Nouati presbyteri Romani quale fuerit, & qua de causa se à Cornelio episcopo & Ecclesia Romana separauerit, conuenticula propria sibi parans, suprà in capite de hæresibus exposuimus. Ingens autem & maximè turbulentum fuit schisma, ideo quòd non solus Nouatus, id excitauit, sed cum pluribus, quos ab Ecclesia simul alienos fecit ac sibi adiunxit: & quòd in hæresin nocentem, & quàm longißimè grassantem, tandem desierit. Nouati autem socios & quasi satellites, longo Catalogo in aliquot epistolis Cyprianus recenset, quorum primus & quasi antesignanus Nouatianus fuit: quem Nouatus, cùm Cyprianus in Africa presbyter esset, inscio & inuito Cypriano diaconum fecerat. Adeò ubicũq; Nouatus fuit, schismatum & errorum autor extitit.

Nouatianum igitur, seipsum cõtra Cornelium, extra Ecclesiam Episcopum feciße Cyprianus scribit libro primo, epistola sexta. Eiusq; factionem Maximum quendam presbyterum in Africa, cùm eò legatus Nouatiani uenisset, excommunicatum pseudoepiscopũ ordinasse, indicat eiusdem libri, epistola tertia. Qui Maximus cum alijs presbyteris de collegio Nouatiani, Felice scilicet, Iouino, Priuato, olim in Pambesiana Colonia, sententijs quadraginta episcoporum pro hæretico damnato, & Iuturnicensem Fortunatum alium pseudoepiscopum constituit. Quorum omnium contra Cornelium conspiratio fuit & contra Ecclesiasticam disciplinam commune studium. Cùm enim Cyprianus, et reliqui ubiq; locorũ cõstituissent, lapsos aut agere debere pœnitentiam: aut non agentes, non recipiendos: illi contrà, noua forma, lapsis pacem mentientes promiserunt, & à disciplina pœnitentiæ auocarunt. Quod libro primo, epistola tertia & octaua, clarè Cyprianus indicat.

His & Nicostratum, Vrbanum, Sidonium & Macarium Cyprianus annumerat, & contra Cornelium fuisse indicat, libro tertio, epistola undecima: ubi eorum reuocationem, de qua in capite proximo dictum est, ponit. Item Euaristum episcopum libro secundo epistola octaua, & libro tertio epistola duodecima. Martianum uerò quendam Arelatensem se cum Nouatiano coniunxisse scribit, & solatia ac subsidia lapsis (sic enim cum Nouato Nouatianus sensit) pœnitẽtibus clausisse: libro tertio, epistola decimatertia.

Meminit

Meminit & Trophimi cuiusdam, qui cùm Ecclesiam reliquisset, fraternitatem detrahens, postea reuersus ad laicorum communionem receptus sit: libro quarto, epistola secunda. Deniq; schismaticos uocat, & ad collegium Nouatiani referre uidetur, Longinum, Machæum, Primum, & Dionysium: libro tertio, epistola duodecima.

SVB GALLO.

Schisma Cypriani de hæreticis rebaptisandis.

RESuscitata post annum Domini, ut uidetur, ducentesimo quinquagesimotertio, quæstio ea, quæ & ante Cyprianum mota sub Agrippino fuerat de hæreticis rebaptisandis, aut per orationem & manus impositionem solam recipiendis, dissidium satis uehemens inter Africanos & Occidentales doctores peperit. Cùm enim Cyprianus non aliter quàm per baptismum, ab hæreticis redeuntes ab errore purgandos & admittendos concederet: Stephanus Romanus ueterem consuetudinem, de oratione & manuum impositione, sine rebaptisatione obseruandam censuit: Cypriano & omnibus qui cum eo sentirent non mediocriter succensens, adeò ut & Heleno ac Firmiliano, reliquisq; per Ciliciam, Cappadociam & Galatiam episcopis & uniuersis conterminis gentibus scriberet, se illis non communicaturum, ideo quòd ad Cypriani sententiam hæreticos rebaptisarent.

RATIONES CYPRIANI, & quasi defensiones sui facti, ex libris eius collectæ: aliorumq; obiectiones, ad quas respondet.

Rationes suæ sententiæ Cyprianus in epistola ad Iubaianum has recitat.

I. Quia nuper nos Africæ & Numidiæ episcopi sexaginta unus, in concilio sic decreuimus.

II. Quia longa consuetudine & tempore ante nos sub Agrippino, episcopi plurimi idem statuerũt, & exinde seruatum est, ut multa millia hæreticorum, & ab ijs ad nos uenientes, baptisati sint.

III. Quia unum tantùm baptisma est in Ecclesia. Ergo hæreticos ad Ecclesiam regredientes, eo baptisari oportet, cùm aliàs baptisati non essent.

Obiectio.

Is qui baptisatur, potest accipere remissionem peccatorum, secundum quæ credit. Ergo non opus est quærere, quis baptisauit.

Respon. Sit sanè, quòd extra Ecclesiam constitutus secundum fidem suam aliquid accipiat: sed tamen id non accipiet, quod non credit. Baptisati ergo ab hæreticis, non credentes in Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non possunt ab eo Deo accipere remissionem peccatorũ. Accipiunt ergo tantùm adultera & prophana. Item, si fides praua, quæ non cum Ecclesia congruit, potest accipere remissionem peccatorum: potest etiam accipere Spiritum sanctum. Sed Spiritum sanctum non potest: ergo nec remissionem peccatorum.

II. Obiectio.

Baptisati in CHRISTO, rectè baptisati sunt: uenientes à Martiano sunt baptisati in nomine Christi: ergo, &c.

Respon. Si fides est una nobis & hæreticis, potest & gratia esse una. Sed hæretici non confitentur nobiscum eundem patrem, eundem filiũ, eundem Spiritum sanctum, eandem Ecclesiam. Ergo nec eandem gratiam possunt consequi, nec idem baptisma dare.

IIII ratio. Extra Ecclesiam neq; ligandi, neq; soluẽdi potestas est: nec est qui soluere aut ligare possit, cùm tantùm Ecclesiæ sint traditæ claues. Hæretici autem, & ab ijs baptisati sunt, extra Ecclesiam sunt: ergo, &c.

V. Chore, Dathan, Abiron, contra Mosen & Aaron sibi uendicantes potestatem sacrificandi, puniuntur. Num. 16. Et filij Aaron, qui alienũ ignem altari imponunt, Leuitici decimo. Ergo hæretici idem facientes, punientur.

Obiectio.

Actorum octauo, baptisatis in Samaria à Petro tantùm manus imponuntur. Ergo, &c.

Respon. Dissimile exemplum est. nam ij à Philippo diacono in Ecclesia baptisati erant: uera enim fide crediderunt.

VI. ratio. Qui baptisati ab hæreticis, non possunt accipere remissionem peccatorũ, nec fieri templũ Dei, quia non credunt in Deum Patrem, negant Christum, & sunt inimici Spiritus sancti.

Obiectio.

Sic consuetum est ab hæreticis baptisatis, tantùm manus imponere. Ergo, &c.

Respon. Consuetudo non est maior ueritate: & in spiritalibus sequendum est, si melius à Spiritu sancto fuerit reuelatum.

Obiectio.

Sic accepimus ab Apostolis.

Respon. Non est uerum. Nam Apostoli unum tantùm baptisma in Ecclesiam constitutum tradiderunt: nec quenquam ab Apostolis, cùm apud hæreticos baptisatus esset, in eodem baptismo admissum, & communicasse, constat.

Obiectio alia.

Philippen. primo: Siue per occasionem, siue per ueritatem, Christus annuncietur. Ergo siue hæretici, siue alij baptisent, idem est.

Respon. Quia Paulus ibi non loquitur de hæreticis, aut eorum baptismo, sed de fratribus in Ecclesia constitutis: aliud est, eos qui intus sunt in Ecclesia, loqui de nomine Christi: aliud est, hæreticos, qui foris sunt, in nomine CHRISTI baptisare.

VII. Quia ex Apostolorũ scriptis non potest probari, quòd hæreticorum baptisma probauerint: aut perfidos, aut blasphemos remissionem peccatorũ extra Ecclesiam accipere posse docuerunt: sed hoc probatur, quòd hæreticos, eorumq; prauitatem detestati sint. 2 Timoth. 2 Quorũ sermo ut cancer serpit.

Alia obiectio.

In nomine Iesu Christi, ubicũq; & quomodocunq; baptisati, gratiam baptismi sunt consecuti. Ergo, &c.

Respon.

Respon. Non omnia assumenda quæ in nomine CHRISTI geruntur, sed quæ in Christi ueritate. Matthæi septimo: Non omnis qui dicit, &c. Marc. decimotertio: Multi dicent, ego sum Christus. Deinde illud, In nomine CHRISTI baptisati, non excludit Patrem, aut Spiritum sanctum. Nam Iudæi patrem docebant se agnoscere, oportebat eos quoq; ad filij noticiam perduci. Quia nihil est Patrem scire sine Christo, nec Christum prodest confiteri blasphemato Patre. Petrus Actorum secundo, Christi mentionem facit, non quasi Pater omitteretur, sed ut patri filius adiungeretur.

VIII. Christus iubet gentes baptisare in aduocata trinitate. ergo hæreticus baptisans in nomine CHRISTI solo, blasphemans in Patrem & Spiritum sanctum, non recte baptisat: neq; baptisatus in ea fide, accipit remissionem peccatorũ. Qui enim filium negat, nec Patrem habet: & econtrà.

IX. Blasphemi in Patrem aut Filium, non possunt accipere remissionem peccatorum. Baptisati ab hæreticis, sunt blasphemi in Patrem, quia in eum non credunt. Ergo, &c.

X. Tantùm in baptismo peccatum blasphemiæ deponi potest. Ergo non sunt admittendi hæretici blasphemi sine baptismo.

XI. Hæretici ad Ecclesiam uenientes, fatentur se peccasse. Ergo non possunt remissionem suo priori baptismo accepisse.

XII. Hæretico non prodest ad salutem, si pro nomine CHRISTI in falsa fide interficiatur. Ergo multò minus proderit, si adulteræ aquæ contagione tingatur.

Conclusio generalis.

Quare baptisma nobis & hæreticis non potest esse cõmune, cum quibus nec Pater Deus, nec Christus filius & Spiritus sanctus, nec fides ipsa in Ecclesia cõmunis est: ideo baptisari eos oportet, qui de hæresi ad Ecclesiam ueniunt.

Obiectio.

Catechumeni, ante baptismum ad martyriũ rapti, saluantur. ergo ab hæreticis baptisati, &c.

Respon. Catechumeni tenent integram fidem, & Ecclesiæ ueritatem: & protectione Patris & filij, & Spiritus sancti ad martyrium ueniunt, & fide in suo sanguine baptisantur. De hæreticis id dici non potest.

Alia obiectio.

Quid igitur de illis sentis, qui ante hæc tempora ab hæreticis uenientes, baptisati non sunt?

Respon. Potest Dominus illis indulgentiam dare. Verùm non quia aliquando erratum est, ideo semper errãdum, cùm magis Deum timentibus congruat, patefacta & perspecta ueritate, libenter & incunctanter obsequi, quàm pertinaciter atq; obstinatè contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari.

Alia obiectio.

Si statuatur, hæreticos iterum baptisandos esse, pauciores ad Ecclesiam reuertentur.

Respon. Imò si statuatur & baptisma hæreticorum iustum, & legitimum computetur, qui illic baptisantur, iudicabunt se cætera quoquè habere legitima, nec opus fibi fore ut ad nos ueniant. Si uerò dixerint, extra Ecclesiã non esse unum baptisma: tum ad Ecclesiæ unitatem citius uenient.

XIII. Actorum decimo, baptisati baptismo Ioannis à Paulo rebaptisantur, eo quòd non in nomine Spiritus sancti essent baptisati. ergo ab hæreticis uenientes, multò magis baptisari debent.

Alia ratio.

Prius ab hæretico baptisatus est: ergo non licet eum à ministro Ecclesiæ baptisari.

Respon. Ius baptisandi non est occupantis, sed possidẽtis. Hæreticus autem non possidet, sed minister Ecclesiæ possidet, ergo non potuit hæreticus ius baptisandi præripere.

STEPHANI PAPÆ ROMANI sententia & rescriptum hoc fuit,

Si à quacunq; hæresi ad Ecclesiam ueniãt, nihil innouetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitẽtiam: Cùm ipsi hæretici propè alterutrũ ad se ueniẽtes, non baptizent, sed cõmunicent tantùm.

Cyprianus hãc sententiã in epistola ad Pompeium sic refutat: Non potest hæc pia esse sententia. Nam primò probat omnia hæreticorum baptismata, cùm ea sint diuersissima.

II. Quia uocat hoc innouare, quod est tenere unitatem Ecclesiæ.

III. Quia neq; in Euangelio præcipitur, neq; in Actis Apostolorum, aut eorum epistolis continetur illa traditio, hæreticis tantùm manus imponendas esse: Sed ubiq; hæretici aduersarij & Antichristi nominãtur, & uitandi, & à seipsis damnati pronũciantur, neq; conscriptũ est usquam, hæretico tantùm esse manus imponendas. Est ergo humana traditio, quæ diuinæ non præiudicat.

IIII. Quia uult, ut Ecclesia imitetur exempla hæreticorum: cùm hæretici nostros non baptisent, nec nos illos baptisare debere.

V. Quia non uult agnoscere unitatem. Nam si unus tãtùm Spiritus sanctus est apud unam Ecclesiam, non potest diuidi ita, ut etiam apud illos sit.

VI. Quia hæresis, Christi sponsa non est, nec potest filios Dei generare.

VII. Quia in Marcionis, Valentini & Apellis baptismo, blasphematur Pater: ideo remissio ibi dari non potest.

VIII. Quia consuetudo quæ apud quosdã irrepsit, non impedire debet, quò minus ueritas præualeat & uincat. Nam consuetudo sine ueritate, uetustas erroris est.

IX. Quia studio præsumptionis & contumaciæ magis praua & falsa defenduntur, quàm uera suscipiuntur à Stephano.

X. Paulus præcipit, ut ei cedatur in Ecclesia, cui melius fuerit reuelatum. 1 Corinth. 14.

XI. Quia si in aliquo mutauerit ueritas, ad originem Dominicam & Euãgelicam & Apostolicam traditionem reuertendum est.

XII. Cum hæreticis se coniungit, & ab Ecclesia discedit, qui asserit apud hæreticos esse Ecclesiam &

cleſiam & uerum baptiſma.

Concluſio.

Obſeruatur itaque à nobis, ut omnes qui ex quacunq; hæreſi ad Eccleſiam conuertuntur, unico & legitimo baptiſmate baptiſentur: exceptis his, qui baptiſati prius fuerant, & ſic ad hæreticos tranſierunt. Hos enim oportet, cùm redeunt, acta pœnitentia, per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ouile unde errauerant à paſtore reſtitui, &c.

Sunt tamen qui affirment, Cyprianum huius ſuæ ſententiæ de baptiſandis hæreticis palinodiam cecinisſe, & in Cornelij iudicium tandem diſceßiſſe. Scripſit hoc Iacobus Bergomẽſis libro octauo: qui in conſenſus ſui cum Cornelio teſtimonium, Cyprianum librum edidiſſe indicat, de unitate Eccleſiæ, cuius in catalogo librorum Cypriani etiam Tertullianus meminit. Et extat hodie inter opera quæ falſò Cypriano tribuuntur, Sermo de baptiſmo Chriſti, in quo ſententia contraria, de hæreticis non rebaptiſandis ſcilicet, continetur: unde hæc fortaßis Bergomenſis ſumpſit. In eo enim ſermone clarè oſtenditur, Sacramenta nec meliora, nec deteriora eſſe, à quocũq; miniſtro, ſiue digno ſiue indigno adminiſtrentur. Primùm ideo, quia ſi ſacramenta dignitatem uariare pro perſonæ dignitate dicas, non unitas ſacramenti, ſed diuerſitas habeatur, contra illud Epheſ. 4. Vna fides, unum baptiſma, &c.

Deinde, quia ſacramentorum priuilegia non meritis, ſed gratiæ data ſunt. Tertiò, quòd omnipotentia Dei ſibi propriè hunc effectum retinet, ita ut ſiue Iudas, ſiue Paulus baptiſet, Chriſtus peccatum lauet, abſoluat, & deleat. Quartò: nam & ideo à ſeruo Chriſtus baptiſatur, ne conſerui conſeruorum miniſterium detrectarent. Quintò: Scribæ & Phariſæi in cathedra Moſi ſedẽtes, dum agunt quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis utuntur: & officium, non uita, tantis effectibus honoratur. In Actis deniq; Apoſtolorum ſcriptum eſt, dæmones obedijſſe exorciſtis quæſtuarijs. Igitur nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores, ſuæ gloriæ retinet poteſtatem.

CONTROVERSIA DE paſchate.

SIne dubio etiam hoc adhuc ſeculo multi fuerunt, qui in diuerſis partibus controuerſiam & diſſimilitudinem de paſchate cum Iudæis celebrãdo agitarunt. Quod uel ex eo colligi poteſt, quòd hoc tempore Dionyſius Alexãdrinus de paſchate ſcripſit: nec aliter, niſi poſt æquinoctiũ uernale ubiq; celebrãdum cenſuit, ſicut Euſebius libro ſeptimo, capite ſecundo tradit. Scripſit & Anatolius Laodicenus epiſcopus, exactiſſimis & à uetuſtiſſimis Iudæorum acceptis rationibus probans, Paſcha non prius celebrandum eſſe, quàm & ſol & luna cæſuram æquinoctialem tranſiiſſent. Adducit ex eo de Paſchate ſcripto partem Euſebius libro ſeptimo, capite trigeſimo ſecundo.

CAPVT IX.

DE CONCILIIS.

SVB GORDIANO,

Synodus Arabiana prima, Philadelphiæ habita.

INdicantur à ſcriptoribus Eccleſiaſticis aliquot Synodi, aliæ alijs maiores, quas hoc ſeculo diuerſis in locis celebratas eſſe ſcribunt: ſed narrationes de ijs texunt breuiſſimas, ac uix punctis notant. Quare & nos breuiores eſſe, neceſſitas cogit.

Quæ hæretica fuerit Berilli Arabici doctoris opinio, negantis ante incarnationem Chriſtum extitiſſe, ſuprà dictum eſt. Ad eum igitur errorem exponendum in Arabiam conueniſſe (Euſebius libro ſexto, capite trigeſimotertio ſcribit) plurimos epiſcopos. Et Socrates libro ſexto Tripartitæ, capite uigeſimo, indicat Berillum eum, Synodũ Philadelphiæ in Arabia cõgregaſſe. Fuit autem ibi etiã Origenes, cuius iam tum magna cœperat eſſe celebritas & autoritas. Qui poſtea quàm alij poſt alios contra Berillũ diſceptaſſent, cum eo cõgreſſus, & ſentẽtiæ eius experimentum per collationẽ nactus, ueris eum rationibus redarguit, & in uiam reduxit. Quod quo ingenio & induſtria præſtiterit, oſtendi à nobis (ut decebat quidem) poſſet, ſi acta Synodi iſtius quæſtiones & diſputationes, quas extitiſſe ſuo tempore Euſebius prodidit, ad nos uſque peruenißent.

SVB PHILIPPO,

Synodus Arabiana altera.

Vixdum repreſſa Berilli hæreſi, prodierunt in Arabia, qui animas ſimul cum corporibus interire aſſererent, cum ijſdem in reſurrectione in uitam iterum reſtituendas. Coactam igitur & ob eum errorem, in Arabiam non mediocrem Synodũ, ſcribit Euſebius libro ſexto, capite trigeſimoſeptimo. Ad quam rurſus Origenes accerſitus, contra autores falſi & abſurdi iſtius dogmatis publicè diſputauit: & ſeductas ab eo mentes, errore liberauit.

SVB DECIO,

Synodus prima Africana.

NOuati pœnitentiæ interfectoris, ut eum Cyprianus uocat, atrox & hoſtile dogma, ut perturbationes plurimis Eccleſiis, multas & graues peperit: ſic & negocij plurimum pijs doctoribus qui tanto malo maturis conſilijs occurrere conati ſunt, exhibuit. Hinc Synodi frequentes in Aſia, Africa, Europa, conuocatæ ſunt: quemadmodum ordine commemorabimus. Aliquot enim in Africa celebratæ ſunt, ut Cyprianus libro primo epiſtola ſecunda, indicat: ubi cum collegis ſuis ad Cornelium epiſcopum Romanum ſcribit, Synodum à ſe in Africa congregatam eſſe, & contra Nouati impiũ errorem ſtatuiſſe, lapſos in perſecutione aliqua, ſi agant pœnitentiam dignam, recipiendos eſſe: illis uerò qui propter ægritudinem pœnitentiæ curriculum explere non poßint, ſub ipſum uitæ exitum pacem cõmunicãdam.

Meminit

Meminit eius Synodi & epistolæ ac decreti Eusebius libro sexto, capite quadragesimotertio.

Synodus Africana secunda.

Memmit & Cyprianus libro primo, epistola tertia, conuentus plurimorum episcoporum in Africa, quorum autoritate & sententia Felicissimus, presbyter factiosus et sceleratus, cõdemnatus, et ab Ecclesia electus sit: quem etiam Romæ Cornelius, cùm eò ex Africa uenisset, ab Ecclesia expulerit. Factum propter quod condemnatus sit, expressè quidem non indicat, nisi quòd eum plurimorum criminum reum insimulat: quorum præcipuum uidetur fuisse, contumacia & seditio contra episcopum suum, & ab eo fratrum abalienationes: ob id enim schismatis & dissidij autorem eum primum dicit. Deinde, & pecuniarum commissarum fraudatorem, uirginum stupratorem, & matrimoniorum multorum depopulatorem & corruptorem. Meminit & concilij seu huius, seu alterius, quod cum collegis idibus Maijs se habuisse indicat: in quo Felicissimi socios, Felicem, Iouinum & Maximum, condemnarint: ob eam causam, quòd præter alia multa quibus infames fuerint flagitia, Ecclesiasticis etiam communibus consilijs & iudicijs constitutæ disciplinæ contraria mouerint, pacem lapsis sine pœnitentia dantes.

SYNODVS ROMANA PRIMA, contra Nouatum.

NAtum Romæ schisma Nouati (quem suprà diximus fastu & præsumptione nimia, seu quod uerius fuit, episcopatus negati impatientia, expressè contendisse, eos qui in persecutione lapsi fuissent, non esse recipiendos) occasionem dedit frequentissimæ Synodi, quæ ibi cõuocata est anno Christi ducentesimo quinquagesimo quinto, à Cornelio: cuius electionem Nouatus, ut illegitimã, calumniabatur: quemadmodũ in aliquot epistolis Cyprianus ostendit.

Conuenisse etiã ad eam Synodũ, Eusebius scribit libro sexto, capite quadragesimotertio, episcopos Africanos, Italicos, & aliarum regionum sexaginta, cum pluribus presbyteris & diaconis, aliarumq; prouinciarum pastoribus: quorum & Ecclesias, quibus singuli præfuerint, annotatas fuisse, ait in fine epistolæ Cornelij, de eius Synodi placitis. Qui uerò ad Synodũ uocati interesse non potuissent, eos per literas sententiæ eorum qui adessent subscripsisse significat, quorũ etiam nomina & ciuitates unde scripsissent, eadẽ epistola Cornelij annotatas habuerit.

Quo ordine uerò, & quibus disputationibus in ea Synodo processum sit, quomodo denique utraq; pars causam egerit & defenderit, explicatum nusquam legimus. Meminit (ut diximus) Eusebius epistolæ Cornelij ad Fabium Antiochenum, qui & ipse causæ Nouati nonnihil fauit, de Synodi placitis: & alterius cuiusdam epistolæ ad eundem de Synodo Romana, indicantis, omnia quæ ab episcopis omnium locorum in ea decreta fuerint, sed quarũ ad nos neutra peruenit.

Decreti quidem ad hunc modum Eusebius meminit: Decretum, inquit, statuitur ab omnibus, Nouatum unà cum simul elatis, & sententiæ huic fraternæ dilectioni contrariæ & inhumanissimæ consentire uolentibus, alienos esse censendos ab Ecclesia: fratres uerò tempore calamitatis lapos, resipiscentiæ pharmacis sanandos & curandos.

Post eam condemnationem Cornelius scripsit, plerosq; à Nouato, quos antea fraudulentis & mendacibus persuasionibus adiunxerat, defecisse, & ad Ecclesiam redijsse.

Synodus Romana altera, post Cornelij obitum.

Videtur & altera Synodus, sed non perinde frequens, de lapsorum causa agitata esse, post Cornelij mortem, episcopatu adhuc uacante. Extat enim inter Cypriani epistolas, libro secundo: una, presbyterorum & diaconorum Romanorum, qua ad Cyprianum scribunt, se de causa lapsorum in conuentu cum quibusdam episcopis uicinis, & alijs aliquot, qui ex remotissimis prouincijs, ui persecutionis electi Romam fugissent, ita statuisse: ut interea, dum nullus episcopus in Cornelij locum lectus esset, lapsorum causa suspensa teneretur, si tamen dilectionem lapsi ferre possent. Si uerò propter morbum periculosum, incerta uidere tur eorum uita, ut post cõtestationem pœnitentiæ per lachrymas, gemitus & dolores, absoluerentur.

SYNODVS ANTIOCHENA contra Nouatianos.

DE hac nihil habemus amplius aut certius, quã quod Dionysius in rescripto quodã ad Cornelium Romanum de epistola contra Nouatum indicat, se ab Heleno Tarsensi episcopo, ac reliquis illius consortibus, Firmiliano Cappadociæ & Theoctisto Palæstinæ episcopis, uocatum esse ad Synodum Antiochenam, quo in loco nonnulli schisma Nouati corroborare conarentur: indicat Eusebius libro sexto, capite ultimo.

SVB GALLO.

Concilium Carthaginense, de hæreticis rebaptisandis.

DE quæstione, utrum qui ab hæreticis ad Ecclesiam redijssent, seu per rebaptisationem, seu manus impositionem solam, & orationem, recipiendi essent: Agrippinus legitur concilium ante Cyprianũ celebrasse: ut idem meminit in epistola ad Iubaianum. Verùm quo id tempore sit factum, non satis constat. Rursus autem hac ætate ea quæstio mota est, & aliquot peperisse uidetur non mediocres Synodos in Africa. ita enim omnino ex epistolis Cypriani colligi potest. Meminit cõcilij in epistola ultima libri primi, ubi rationes aliquot, uerùm satis infirmas & absurdas, de necessitate hæreticos rebaptisandi, recitat.

Meminit item in epistola ad Stephanum Romanum, libro secundo, epistola prima, cõcilij, de eadem causa: nisi fortè ad unum & idem ubiq; respexit.

Sicut autem suprà ostendimus, Cyprianus eam opinionẽ, ab hæreticis scilicet redeuntes denuò rebaptisandos esse, mordacissimè retinuit: eiusq; suffragia in cõcilio frequẽter Carthaginẽsi sexaginta episcoporũ, cuius in epistola ad Iubaianũ meminit, obtinuit. Ac sic decisam eam quæstionem quondã fuisse in cõcilio sub Agrippino Carthaginensi episcopo, ex Cypriano apparet, qui Agrippini autoritatẽ aliquoties (ut in epistola ad Iubaianũ et Quintinũ) citat: eaq; fretus sententiã suã de rebaptisandis ab hæreticis reuersis, pertina-

cius urget. Et haud scimus, an ad eam sub Agrippino Synodũ respexerit Dionysius Alexãdrinus, ad Xystũ Romanum sic scribens, quemadmodũ Eusebius indicat libro secundo, capite quinto: Reuera in Maximis episcoporũ Synodis decretum est, sicut audio, eos qui ab hæresi aliqua ueniũt, denuò instituẽdos esse, deinde abluendos, & à ueteris impuriq; fermenti sordibus repurgandos.

SENTENTIÆ EPISCOPORVM Synodi Carthaginensis, de hæreticis baptisandis: ex Cypriano.

Cùm in unum Carthagini conuenissent calend. Septembris episcopi plurimi ex prouincia Africa, Numidia, Mauritania, cum presbyteris & diaconis, præsente etiam plebis maxima parte, & lectæ essent literæ Iubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Iubaianũ rescriptæ, De hæreticis baptisandis: quidq; postmodum Cypriano Iubaianus idem rescripserit.

Cyprianus dixit.

Audistis collegæ dilectissimi, quid mihi Iubaianus coëpiscopus noster scripserit, cõsulens mediocritatem nostram de illicito & prophano hæreticorum baptismo: & quid ego ei rescripserim, cẽsens scilicet, quod semel atq; iterum & sæpe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam uenientes, Ecclesiæ baptismo baptisari & sanctificari oportere. Item lectæ sunt uobis & aliæ Iubaiani literæ, quibus pro sua syncera & religiosa deuotione ad epistolam nostram rescribens, non tantùm consensit, sed & instructum se esse gratias egit. Superest ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus: neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrùm, episcopum se esse episcoporũ constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem, collegas suos adegit: quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum iudicare. Sed expectemus uniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.

Cæcilius à Bilta dixit.

Eorum baptisma in Ecclesia sola scio, & extra Ecclesiam nullum. Hoc erit unum, ubi spes uera est, & fides certa: sic enim scriptum est: Vna fides, una spes, unum baptisma: non apud hæreticos, ubi spes nulla est, & fides falsa, ubi omnia per mendacium aguntur, ubi exorcizat dæmoniacus sacramentũ, interrogat, cuius os & uerba cancer emittũt. Fidem dat infidelis, ueniam delictorũ tribuit sceleratus, & in nomine Christi tingit antichristus, benedicit à Deo maledictus, uitam pollicetur mortuus, pacem dat impacificus, Deũ inuocat blasphemus, sacerdotiũ administrat prophanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, ut antistes diaboli audeat eucharistiam facere: aut qui illis assistũt, dicant hæc omnia falsa esse de hæreticis. Ecce ad qualia Ecclesia consentire cogitur, & sine baptismo ac uenia delictorum communicare compellitur. Quam rem fratres fugere ac uitare debemus, & à tanto scelere nos separare, & unũ baptisma tenere, quod soli Ecclesiæ à Deo cõcessum est.

Primus Felix à Migirpa dixit.

Censeo omnem hominem ab hæresi uenientem, baptisandum. frustra enim illic se putat esse baptisatum, cùm non sit baptismum nisi in Ecclesia unum & uerum: quia & Dominus unus, & fides una est, in qua stat unum baptisma, & sanctitas, & cætera. Nam quæ foris exercentur, nullum habent salutis effectum.

Polycarpus, ab Adrumeto dixit:

Qui hæreticorum baptisma probant, aliàs, nostrũ euacuant, hæreticis communicant.

Nouatus à Thamugade dixit:

Licet sciamus omnem scripturam testimoniũ reddere de salutari baptismo, debemus tamen fidem nostram exprimere. Hæreticos & schismaticos ad Ecclesiam uenientes, qui pseudobaptisati uidentur, debere eos in fonte perenni baptisare. Et ideo secundum testimonium Scripturarum, & secundum decretũ collegarum nostrorum, sanctissimorum uirorum, omnes schismaticos & hæreticos qui ad Ecclesiam conuersi sunt, baptisari: sed & quicunq; ordinati uidebantur, interlaicos recipi.

Nouesianus à Tubunis dixit:

Baptisma quod dant hæretici & schismatici, non esse uerum, ubiq; in Scripturis sanctis declaratum est. Quoniam ipsi præpositi, eorum falsi christi sunt, & falsi prophetæ, dicẽte Domino per Salomonem: Qui fidens est in falsis, hic pascit uentos: idem autem ipse sequitur aues uolantes. Dereliquit autem uias uineæ suæ, & à semitis agri sui errauit. Ingreditur autem per auia loca atq; arida, & terram distimet à messe, colligit autem manibus sterilitatem. Et iterum: Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis, ut longum uiuas tempus, adijciantur etiam tibi anni uitæ.

Et in Euangelio, sua uoce Dominus noster Iesus Christus locutus est, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Hic est spiritus, qui ab initio ferebatur super aquam. Neq; enim spiritus sine aqua operari potest, neq; aqua sine spiritu. Malè ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur: cùm manifestum sit, utroq; sacramento debere eos renasci in Ecclesia catholica. Tunc quippe poterunt filij Dei esse, dicente Apostolo: Curantes seruare unitatem spiritus in coniunctione pacis: unum corpus & unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ: unus Dominus, una fides, unũ baptisma, unus Deus. Et hæc omnia Ecclesia catholica loquitur. Et iterum in Euãgelio dicit: Quod natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est: quoniã spiritus Deus est, & de Deo natus est. Ergo omnes hæretici & schismatici omnia quæcunq; faciunt, carnalia sunt, dicẽte Apostolo: Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, incestũ, idolatriæ, ueneficia, inimicitiæ, certamina, zelus, ira, diuisiones, hæreses, & his similia: de quibus prædixi uobis, sicut prædico: quoniam quicũque hæc faciunt, regnum Dei non hæreditabunt. Condemnat æquè Apostolus cum omnibus malis, & eos qui diuisionem faciunt:

faciunt: hoc est, schismaticos & hæreticos. Nisi ergo acceperint baptisma salutare in Ecclesia catholica, quæ una est, salui esse non possunt, sed cum carnalibus in iudicio Domini Christi damnabuntur.

Ianuarius à Lambese dixit:

Secundum Scripturarum sanctarum autoritatem decerno, hæreticos omnes baptisandos, & sic in Ecclesiam sanctam admittendos.

Lucius à Castragalba dixit:

Cùm Dominus in Euangelio suo dixerit, Vos estis sal terræ. Si autem sal infatuatum fuerit, id quod salietur ex eo ad nihilum ualebit, nisi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et iterum post resurrectionem suam mittens Apostolos suos mandauerit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: ite ergo, & docete omnes gentes, baptisantes eas in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Cùm ergo manifestum fit, hæreticos, id est hostes, non integram sacramenti confessionem habere: item schismaticos non posse condire sapientia spirituali, cùm ipsi ab Ecclesia, quæ una est, recedendo, infatuati contrarij facti sint, fiat sicut scriptum est: Domus contrariorum legis debent emundationem. & consequens sit, eos qui à contrarijs baptisati, inquinati sunt, primò purgari, & tum demum baptisari.

Crescens à Cirta dicit:

In tanto cœtu sanctissimorum consacerdotũ lectis literis Cypriani dilectissimi nostri ad Iubaianũ, itemq; ad Stephanum, quæ tantum in se testimoniorũ descendentium ex Scripturis deificis continent, ut meritò omnes per Dei gratiam adunati cõsentire debeamus: censeo omnes hæreticos siue schismaticos, qui ad catholicam Ecclesiam uoluerint uenire, non antè ingredi, nisi exorcizati & baptisati fuerint: exceptis his sanè, qui in Ecclesia catholica fuerint antè baptisati: ita tamen, ut per manus impositionem in pœnitentiam, Ecclesiæ reconcilientur.

Nicomedes à Segermis dixit:

Mea sententia hæc est: ut hæretici ad Ecclesiam uenientes baptisentur, eo quòd nullam foris apud peccatores remissionem peccatorum consequantur.

Monnullus à Girpa dixit:

Ecclesiæ catholicæ matris nostræ ueritas semper apud nos, fratres, & mansit & manet, & uel maximè in baptismatis Trinitate, Domino nostro dicente: Ite, baptisate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Cùm ergo manifestè sciamus, hæreticos non habere nec patrem, nec filium, nec Spiritum sanctum: debent uenientes ad Ecclesiam, matrẽ nostram, uerè renasci & baptisari: ut cancer quod habebant, & damnationis ira, & erroris offensa, per sanctũ & cœleste lauacrum sanctificetur.

Secundinus à Chezas dixit:

Cùm Dominus noster Christus dicat, Qui non est mecum, aduersus me est: & Ioãnes Apostolus, hos qui ab Ecclesia exeunt, antichristos dicat: indubitãter hostes Christi, quiq; antichristi nominati sunt, gratiã baptismi salutaris ministrare non possunt. Et ideo censeo, eos qui de insidijs hæreticorum cõfugiunt ad Ecclesiam, baptisandos esse à nobis, qui amici appellati sumus Dei, eius dignatione.

Felix à Bigai dixit:

Sicut cæcus cæcum ducens, ambo in foueã cadunt: ita hæreticus hæreticum baptisans, simul in mortem cadunt. Et ideo baptisandus, & uiuificãdus est, ne nos uiui mortuis communicemus.

Pellianus à Mileo dixit.

Censeo hæreticum baptisari in Ecclesia sancta.

Theogenes ab Hippone regio dixit:

Secundum sacramentum gratiæ cœlestis, quod accepimus, unum baptisma, quod est in Ecclesia sancta, credimus.

Datiuus à Badis dixit:

Nos, quantum in nobis est, hæreticis non communicamus, nisi baptisati in Ecclesia fuerint, et remissionem peccatorum receperint.

Successus à Birgermaniciana dixit:

Hæreticis aut nihil licet, aut totũ licet. Si baptisare possunt, & Spiritum sanctum dare possunt. Si autem Spiritum sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritũ sanctũ datum, nec baptisare spiritualiter possunt. propterea cẽsuimus, hæreticos baptisandos esse.

Fortunatus à Thuccabori dixit:

Iesus Christus Dominus & Deus, natus Dei patris, & creatoris filius, super petram ædificauit Ecclesiam suãm, non super hæresim: & potestatem baptisandi Apostolis habere dedit, non hæreticis. Quare qui extra Ecclesiam sunt, & contra Christum stantes, oues eius & greges spargunt, baptisare foris non possunt.

Sedatus à Tuborbo dixit:

In quantum aqua sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata, abluit delicta, in tantum hæreticus sermone uelut cancer infecta, cumulat peccata. Quare omnibus quidem pacificis uiris nitendum est, ne quis hæretico errore infectus & tinctus, singulare & uerum Ecclesiæ baptisma detrectet accipere: quo quisquis non fuerit baptisatus, à regno cœlorũ fit alienus.

Priuatianus à Suficula dixit:

Qui hæreticos potestatem baptisandi habere dicit, dicat prius quis hæresim condiderit. Si enim hæresis à Deo est, habere & indulgentiam diuinam potest. Si uerò à Deo non est, quomodo gratiam Dei aut habere, aut conferre alicui potest?

Priuatus à Sufibus dixit:

Qui hæreticorum baptisma probat, quid aliud quàm hæreticis communicat?

Hortensianus à Laribus dixit:

Quot sint baptismi, uiderint præsumptores, aut fautores hæreticorum: nos unum baptisma, quod non nisi in Ecclesia nouimus, Ecclesiæ uendicamus. Aut quomodo possunt in nomine Christi aliquem baptisare, quos ipse Christus dicit aduersarios suos esse?

Cassius à Macomadibus dixit:

Cùm baptismata duo esse non possint, qui hæreticis baptisma concedit, sibi tollit. Censeo itaq; flebiles & tabidos hæreticos baptisandos esse, cùm ad Ecclesiam uenire cœperint: & sacra & diuina lauatione lotos, & lumine uitæ illuminatos, non hostes, sed pacificos: non alienos, sed fidei domesticos: nõ adulteros, sed Dei filios: non erroris, sed salutis effectos, in Ecclesiã recipi, absq; eis qui de Ecclesia fideles supplan-

tati ad hæresis tenebras transierũt, sed eos per manus impositionem restituendos.

Alius Ianuarius à Vico Cæsaris dixit:

Si non obtemperat error ueritati, multò magis ueritas non consentit errori. Et ideo nos Ecclesiæ assistimus, in qua præsidemus, ut baptismum eius ipsi soli uendicantes, eos quos Ecclesia non baptisauit, baptisemus.

Alius Secundinus à Carpis dixit:

Hæretici Christiani sunt, an nõ? Si Christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt? Si Christiani non sunt, quomodo Christianos faciũt? Aut quò pertinebit sermo Domini, dicentis: Qui non est mecum, aduersus me est: & qui mecum non colligit, spargit? Vnde constat, super filios alienos & soboles antichristi Spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descendere: cùm manifestum sit, hæreticos baptisma non habere.

Victoricus à Thabraca dixit:

Si licet hæreticis baptisare, & remissam peccatorum dare, quid illos infamamus, & hæreticos appellamus?

Alius Felix ab Vtina dixit:

Nemini dubium est, sanctissimi consacerdotes, non tantùm posse humanam præsumptionem, quantum Domini nostri IESV CHRISTI adorandam & uenerabilem maiestatem. Memores ergo periculi, hoc quoq; non tantùm obseruare, uerumetiam ab omnibus nobis confirmare debemus, ut omnes qui ad sinum matris Ecclesiæ accurrunt, baptisentur: ut mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta est, sanctificatione lauacri purgata, in melius reformetur.

Quietus à Baruc dixit:

Qui fide uiuimus, obsequi ijs quæ instruendis nobis antè prædicta sunt, sedula obseruatione debemus: nam scriptum est apud Salomonem: Qui baptisatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? Quod utique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loquitur. Si enim qui apud illos baptisantur, per remissionem peccatorum uitam æternam consequuntur, cur ad Ecclesiam ueniunt? Si uerò à mortuis nihil salutis accipitur, ac propterea agnito errore pristino ad ueritatem cum pœnitentia reuertuntur, uno uitali baptismate, quod est in Ecclesia catholica, sanctificari debebunt.

Castus à Sicca dixit:

Qui contempta ueritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est, & malignus, quibus ueritas reuelatur: aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione Ecclesiæ eius instruuntur.

Eucratius à Thenis dixit:

Fidem nostram, & baptismatis gratiam, & legis ecclesiasticæ regulam Dominus & Deus noster IESVS CHRISTVS suo ore Apostolos docẽs, impleuit, dicens: Ite, & docete omnes gentes, baptisantes eas in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Falsum ergo hæreticorum baptisma, & iniquum, à nobis pellendum est, & omni detestatione refutandũ: de quorũ baptismate non uita, nec gratia cœlestis, sed blasphemia trinitatis exprimitur. Et ideo uenientes ad Ecclesiam hæreticos, integro & catholico baptismate baptisari debere, manifestum est, ut à blasphemiæ suæ præsumptione purificati, possint Spiritus sancti gratia reformari.

Libosus ab Agra dixit:

In Euãgelio Dominus: Ego sum, inquit, ueritas. non dixit, Ego sum consuetudo. Itaq; ueritate manifestata, cedat consuetudo ueritati, ut & si in præteritum quis hæreticus in Ecclesia non baptisauit, nec nunc baptisare incipiat.

Leucius à Thabeste dixit:

Hæreticos blasphemos atq; iniquos, uerbis uarijs decerpentes sancta & adorabilia scripturarum uerba, execrandos censeo: & ideo exorcizandos & baptisandos esse.

Eugenius ab Ammeclera dixit:

Et ego hoc idem cẽseo, hæreticos baptisandos esse.

Item alius Felix ab Acura dixit:

Et ipse sequutus diuinarum Scripturarum autoritatẽ, baptisandos esse hæreticos censeo: sed & eos, qui apud schismaticos baptisatos se esse contendunt. Si autem secũdum cautum Christi priuatns fons noster est, intelligant cuncti Ecclesiæ nostræ aduersarij, qui alieni sunt, nobiscum esse non possunt. Nec duobus populis salutarem aquam tribuere potest ille, qui unius gregis pastor est. Et ideo manifestũ est, nec hæreticos, nec schismaticos aliquid cœleste posse suscipere, qui à peccatoribus hominibus, & ab Ecclesia extraneis audeant accipere. Quando danti locus non est, utiq; nec accipienti prodest.

Item alius Ianuarius Muzulensis dixit:

Miror quòd cùm omnes cõfiteamur baptisma, non omnes intelligant eiusdem baptismatis unitatem. Ecclesia enim & hæresis, duæ & diuersæ res sunt. Si hæretici habẽt baptisma, nos non habemus. Si autem nos habemus, hæretici habere non possuet. Dubium autem non est, Ecclesiam solam baptismum Christi possidere, quæ sola possideat & gratiam Christi, & ueritatem.

Adelphus à Thasbalte dixit:

Sine causa quidam falso & inuidioso uerbo impugnant ueritatem, ut rebaptisare nos dicant, quãdo ab Ecclesia hæreticus non rebaptisetur, sed baptisetur.

Demetrius Aleptuninus dixit:

Vnum baptisma nos custodimus, quia Ecclesiæ catholicæ soli rem suam uendicamus. Qui autem dicũt, quia hæretici uerè & legitimè baptisare possunt: ipsi sunt, qui non unum, sed nulla baptismata faciunt. Nam cùm hæreses multæ sint, pro earum numero & baptismata computabuntur.

Vincentius à Thibari dixit:

Hæreticos scimus esse peiores quàm ethnicos: si ergo conuersi ad Deũ uenire uoluerint, habemus utiq; regulam ueritatis, quam Dominus præcepto diuino mandauit Apostolis, dicẽs: Ite, in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite. Et alio loco: Ite, & docete gentes, baptisantes eas in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Ergo primò per manus impositionem ad Christi pollicitationem uenire, aliàs autem fieri secundò per baptismi regenerationem, censeo non debere.

Narcus

Narcus à Mactari dixit:

Mirandum non est, si hæretici, hostes atq; impugnatores ueritatis, rem sibi uendicent potestatis & dignationis alienæ: sed illud mirãdum est, quòd quidam nostri præuaricatores ueritatis, hæreticis suffragantur, & Christianis aduersantur. Propterea decernimus, hæreticos baptisandos.

Satius à Sicillippa dixit:

Si hæreticis in baptismo sua peccata donãtur, sine causa ad Ecclesiam ueniunt. Nam cùm in die iudicij peccata sunt quæ puniantur, nihil est quod timere possunt hæretici de iudicio Christi, si sunt remissionem peccatorum consequuti.

Victor à Gor dixit:

Cùm peccata non nisi in Ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum ad communicationem sine baptismo admittit, utrunq; cõtra rationem facit: nec hæreticos purgat, & Christianos inquinat.

Aurelius ab Vtica dixit:

Cùm dicat Apostolus, non communicandum peccatis alienis: quid aliud quàm peccatis alienis communicat, qui hæreticis sine Ecclesiæ baptismo communicat? Et ideo censeo baptisandos esse hæreticos, ut accipiant remissam peccatorũ: & sic illis cõmunicetur.

Confessor Iambus à Germaniciana dixit:

Qui hæreticorum baptisma probant, nostrum improbant, ut extra Ecclesiam non dicam lotos, sed fordidatos, negent in Ecclesia baptisari oportere.

Lucianus à Rucumma dixit:

Scriptum est: Et uidit Deus lucem, quia bona est: & diuisit inter lucem & tenebras. Si potest luci & tenebris conuenire, potest nobis & hæreticis aliquid esse commune. Propterea censeo hæreticos baptisandos esse.

Pelagianus à Lupertiana dixit:

Scriptum est: Aut enim Deus, Deus est, aut enim Baal deus est: ita & nunc, aut Ecclesia ecclesia est, aut hæresis ecclesia est. Porrò si hæresis ecclesia non est, quomodo esse apud hæreticos baptisma Ecclesiæ potest?

Confessor & martyr Iade à Midila dixit:

Scimus non esse nisi unum baptisma in Ecclesia catholica, & ideo non debemus admittere hæreticum, nisi baptisatus apud nos fuerit, ne se putet extra Ecclesiam catholicam baptisatum esse.

Item alius Felix à Mazrazana dixit:

Vna fides, unum baptisma, sed Ecclesiæ catholicæ, cui soli licet baptisare.

Confessor Paulus ab Obba dixit:

Me non mouet, si aliquis Ecclesiæ fidem & ueritatem non uendicat, quando Apostolus dicat: Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum? Nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuabit? absit. Est enim Deus uerax, est autem omnis homo mendax. Si autem Deus uerax est, quomodo esse apud hæreticos baptismi ueritas potest, apud quos Deus non est.

Confessor Pomponius à Iosiniana dixit:

Manifestum est, hæreticos non posse baptisare, & remissionem peccatorum dare, qui potestatem non habent, ut aut soluere aut ligare, aliquid in terris possint.

Confessor Venantius à Tinisa dixit:

Si maritus peregrè proficiscens, amico suo commendet uxorem suam custodiendam, commendatam sibi ille quanta posset diligentia cõseruaret, ne ab aliquo sanctitas & castitas adulteraretur. Christus Dominus & Deus noster, ad patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit: utrum ne eam incorruptam & inuiolatam custodiemus, an integritatem eius & castitatem mœchis & corruptoribus prodemus? Qui enim baptisma Ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris prodit.

Aymnius ab Ausuagiga dixit:

Nos unum baptisma accepimus, et ipsum tenemus, & exercemus. Qui autem dicit, quia & hæreticis licet baptisare, ipse duo baptismata facit.

Saturninus à Victoriana dixit:

Si licet hæreticis baptisare, excusati sunt, & defensi, illicita faciẽtes. Nec uideo quare eos aut Christus aduersarios suos, aut Apostolus antichristos eos appellarit.

Confessor Saturninus à Tucca dixit:

Gentiles quãuis idola colant, tamen summũ Deum Patrem creatorem cognoscunt & cõfitentur. In hunc Marcionitæ blasphemant, & quidam non erubescunt Marcionis baptismum probare: quomodo tales sacerdotes sacerdotium Dei aut seruant, aut uendicant, qui hostes Dei non baptisant, & sic illis communicant.

Marcellus à Zama dixit:

Cùm peccata non nisi in Ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum non baptisat, peccatori communicat.

Confessor Hireneus ab Vlulis dixit:

Si ideo Ecclesia hæreticum non baptisat, quòd dicatur iam baptisatus esse, hæresis maior est.

Donatus à Cibaliana dixit:

Ego unam Ecclesiam, & unum baptisma eius noui. Si est qui dicat, apud hæreticos esse baptismi gratiam, antè est ut ostendat & probet, esse illic Ecclesiam.

Zosimus à Tharassa dixit:

Reuelatione facta ueritatis, cedat error ueritati, quia & Petrus qui prius circũcidebat, cessit Paulo ueritatem prædicanti.

Iulianus à Telepte dixit:

Scriptũ est: Nemo potest aliquid accipere, nisi datum illi fuerit de cœlo. Si hæresis de cœlo est, potest & baptisma dare.

Confessor Faustus à Timida regia dixit:

Non sibi blandiantur, qui hæreticis patrocinãtur. Qui pro hæreticis ecclesiastico baptismati intercedit, illos Christianos, & nos hæreticos facit.

Geminus à Furnis dixit:

Quidam de collegis hæreticos præponere sibi possunt, nobis non possunt. Et ideo quod semel decreuimus, tenemus, ut ab hæreticis uenientes baptisemus.

Rogatianus à Noua dixit:

Ecclesiam Christus instituit, hæresin diabolus: quomodo potest habere baptismum Christi Synagoga satanæ?

Confessor Terapius à Bulla dixit:

Qui hæreticis Ecclesiæ baptisma cõcedit & prodit, quid aliud sponsæ Christi quàm Iudas existit?

Cõfessor item alius Lucius à Membressa dixit:

Scriptum est: Deus peccatorem, non audit. hæreticus, qui pecator est, quomodo in baptismo audiri potest?

Item alius Felix à Buslaccenis dixit:

In hæreticis sine Ecclesiæ baptismo admittẽdis, nemo consuetudinem rationi & ueritati præponat: quoniam cõsuetudinem ratio & ueritas semper excludit.

Alius Saturninus ab Itinis dixit:

Si potest antichristus dare alicui gratiam Christi, possunt & hæretici baptisare, qui appellati sunt antichristi.

Quintus ab Aggiua dixit:

Ille potest dare aliquid, qui aliquid habuerit: hæretici autẽ quid possunt dare, quos constat nihil habere?

Alius Iulianus à Marcellina dixit:

Si potest homo duobus dominis seruire, Deo & mammonæ: potest & baptisma duobus seruire, Christiano & hæretico.

Tenax ab Horreis Cœliæ dixit:

Baptisma unum est, sed Ecclesiæ. Vbi Ecclesia non est, baptisma illic esse non potest.

Confessor alius Victor ab Assuris dixit:

Scriptum est, quia Deus unus est, & spiritus unus est, & Ecclesia una, & baptisma unum. Quomodo ergo illic baptisari aliquis potest, ubi Deus & Christus & Ecclesia una non est?

Donatulus à Capse dixit.

Et ego semper hoc sensi, ut hæretici, qui nihil foris consequi possunt, quando ad Ecclesiam conuertuntur, baptisentur.

Martyr de schismaticis Verulus à Rusiccade dixit:

Homo hæreticus dare non potest quod non habet: multò magis schismaticus, quicquid habuit, amisit.

Pudentianus à Cuiculi dixit:

Nouitas episcopatus effecit, fratres charissimi, ut sustinerem quid maiores iudicarent. Nam hæreses nihil habere, nec posse, manifestum est: atq; ita si qui ex ijs uenerint, baptisari æquissimè est statutum.

Martyr Petrus ab Hipponezarito dixit:

Cùm baptisma unum sit in Ecclesia catholica, manifestũ est, non posse extra Ecclesiã baptisari. Et ideo in hæresi tinctos, siue in schismate uenientes ad Ecclesiam, censeo baptisari oportere.

Item alius Lucius ab Auasasa dixit:

Secundum autem motum animi mei, & Spiritus sancti, cùm sit unus Deus pater Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sanctus, & una spes, & una Ecclesia, unum debet esse & baptisma. Et ideo dico, si quid ab hæreticis motum aut factum fuerit, rescindi debere: & eos qui inde ueniunt, baptisandos esse.

Item alius Felix à Gurgitibus dixit:

Ego censeo, ut secundum sanctarum Scripturarum præcepta, baptisatus ab hæreticis extra Ecclesiam illicitè: cùm confugere uoluerit ad Ecclesiam, gratiam baptismi, ubi licet ei dari, consequatur.

Pusillus à Lamasba dixit:

Ego credo baptisma salutare non esse, nisi in Ecclesia catholica. Quidquid absq; catholica fuerit, simulatio est.

Martyr Saluianus à Gazaufala dixit:

Hæreticos nihil habere constat: & ideo ad nos ueniunt, ut possint accipere, quod non habent.

Honoratus à Tucca dixit:

Cùm Christus ueritas sit, magis ueritatem quàm consuetudinem sequi debemus: ut hæreticos, qui ideo ad nos ueniunt, quia foris nihil accipere potuerunt, Ecclesiæ baptismo sanctificemus.

Victor ab Octauo dixit:

Quod & ipsi scitis, non olim sum episcopus constitutus: & ideo expectabam prædecessorum consilium. Hoc itaq; existimo, ut quicunq; ex hæresi uenerint, sine dubio baptisentur.

Confessor Clarus à Mascula dixit:

Manifesta est sentẽtia Domini nostri Iesu Christi, Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à patre sibi datam permittẽtis, quibus nos succesimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, & credentiũ fidem baptisantes. Et ideo hæretici, qui nec potestatem foris, nec Ecclesiam Christi habent, neminem baptisare baptismo eius possunt.

Martyr Secundianus à Tabeis dixit:

Non debemus hæreticos nostra præsumptione decipere, ut in Ecclesia Domini nostri Iesu Christi non baptisati, ac per hoc remissionem peccatorũ non consequuti: cùm iudicij uenerit dies, nobis imputent, quòd per nos nõ sint baptisati, & indulgentiã diuinæ gratiæ consequuti. Propter quod cùm sit una Ecclesia, & unum baptisma, quando ad nos cõuertuntur, simul cum Ecclesia, & Ecclesiæ baptismum consequantur.

Item alius Aurelius à Cillani dixit:

Ioannes Apostolus in epistola sua posuit, dicens: Si quis ad nos uenit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum uestram, & aue illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi, Aue, communicat factis eius malis. Quomodo admitti tales in domũ Dei possunt, qui in domũ nostram priuatam admitti prohibentur? Aut quomodo cum eis, sine Ecclesiæ baptismo communicare possumus, quibus si aue tantum dixerimus, factis eorum malis communicauimus?

Confessor Licteus à Gemellis dixit:

Cæcus cæcum si ducat, ambo in foueã cadunt. cùm ergo hæreticos cõstet non posse illuminare quenquã, utpote cæcos, baptisma eorum non ualet.

Natalis à Boõa dixit:

Tam ego præsens, quàm Pompeius Sabratensis, quàm etiam Dioga Leptimagnensis, qui mihi mandauerunt corpore quidem absentes, spiritu præsentes, censemus quod & collegæ nostri: quòd hæretici communicationem habere nobiscum non possunt, nisi ecclesiastico baptismate baptisati fuerint.

Iunius à Neapoli dixit:

Ab eo quod semel censuimus, non recedo: ut hæreticos uenientes ad Ecclesiam, baptisemus.

Confessor & martyr Cyprianus à Carthagine dixit:

Meam sententiam plenissimè expressit epistola, quæ ad Iubaianũ collegam nostrum scripta est: Hæreticos secundum Euangelicam & Apostolicam contestationem aduersarios Christi, & antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam uenerint, unico Ecclesiæ baptismo

baptismo baptisandos esse: ut possint fieri de aduersarijs amici, & de antichristis Christiani.

SYNODI APVD ICONIVM & Synnada.

Dionysius in epistola ad Philemonẽ presbyterum Romanũ, allegat frequentissimas fratrũ Synodos, celebratas apud Iconium Lycaoniæ, & Synnada Phrygiæ oppida: in quibus constitutum esse ait hoc, quod & Heraclã antecessorem suum Alexandriæ obseruasse scribit: ne scilicet ab hæreticis uenientes, in Ecclesiam intromittantur: ne orantes quidem, nisi prius omnia quæ ab hæreticis audiuerũt, publicè coram Ecclesia exposuerint. Refert Eusebius libro septimo, capite septimo.

SYNODVS ALIA AFRICANA, de infantibus baptisandis.

Fidus episcopus seu in Africa, seu uicina Numidia & Mauritania fuit. Is iudicauerat, & fortassis ad Cyprianum scripserat, infantes intra secundum uel tertium diem, quo nati essent, baptisari nõ oportere: imò considerandam ea in re esse, ueterem circumcisionis legem, qua infantes octauo demum die circumcidi præcipiuntur. Huius iudicij cùm seu suffragium, seu correctionem Fidus petijsset, Cyprianus synodũ indixit, & collegas, ut uocat, numero sexaginta sex coëgit: cum quibus statuit, infantes non per unũ aut alterum diem baptismo fraudandos, sed statim baptisandos esse: ideo quòd hominum nulli nata gratia & misericordia Dei denegãda sit: infantes autem sint homines Dei opere perfecti, etiã incrementa per ætatem assumant. Deinde, quòd una sit æqualitas diuini muneris apud omnes, siue infantes, siue natu maiores, nec gratia ipsa pro ætate accipientium maior aut minor tribuatur: cùm Spiritus sanctus nõ de mensura, sed de pietate & patientia paterna, æqualis omnibus exhibeatur. Tertiò: quia sicut nec personam Deus, ita nec ætatem respiciat. Deniq;, si quid hominem impedire deberet à baptismo, potius adultos peccata suà arceri deberent, quàm infantes, qui nihil peccauerunt, nisi quòd ex peccato originis uitia trahant. Cyprianus libro tertio, epistola octaua.

SYNODVS ALIA SVB CORNELIO & Cypriano.

Meminit Cyprianus libro primo, epistola 4. cuiusdam Synodi, cuius tempus aut locum, sicut nec aliarũ ferè, non annotauit: in qua Cornelius secum, & cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis, decreuerit, episcopos aut presbyteros idololatria pollutos & negatores, admittendos quidem ad Ecclesiam esse, si pœnitentiam publicam agerent, sed ab ordine & sacerdotali dignitate prohibendos.

SYNODVS AFRICANA ALIA SVB Stephano, Romana.

Basilides & Martialis, quorum alter episcopus Asturicæ, ut uidetur: alter, Emeritæ fuit: ab episcopatibus suis, propterea quòd in persecutione idolis eos sacrificasse, & in episcopatus fraude irrepsisse constaret, remoti erant. Qua de re seu alter, ut uidetur, Basilides, seu uterq; Romam confugerant: & Stephano rem falsò exponentes, eius subsidium, ut restituerentur, petierant. Ecclesiæ contrà, Emeritana & Asturicana literas ad episcopos Africæ miserunt, quibus indicarunt, comperisse se Basilidem & Martialem idololatriæ libellis commaculatos esse, & nefandorum facinorum conscios esse: quamobrem sibi uideri episcopatum eos gerere, & sacerdotium Dei administrare non oportere. Ad eam igitur quæstionem explicandam, Cyprianus episcopos aliquot in Synodum conuocauit, quorum nomina repræsentat Epigraphe epistolæ quartæ libri primi apud Cyprianum: in qua cum illis decreuit, Basilidem & Martialem ab episcopatu rectè prohiberi. Rationes etiam has ad Ecclesias illas, earumq; presbyteros Felicem & Aelium, rescripsit. Prima, quòd in ordinationibus sacerdotum non nisi immaculati & integri, qui dignè sacrificia tractare, & preces offerre Deo atque exaudiri possint, eligendi essent, iuxta mandatum Dei Exodi decimonono, & Leuitici uigesimoprimo: Homo in quo fuerit macula & uitium, non accedat offerre dona Deo. Et Paulus 1. ad Timotheum primo: Episcopum oportet esse sine crimine, &c. Deinde, quia plebs à peccatis, sacerdotis peccatoris contagio tuta esse nequaquam possit: sed omnes omnino peccato implicentur, quicunq; sint prophani & inusti sacerdotis sacrificio cõtaminati, iuxta Num. decimosexto: Separamini à tabernaculis hominum iniustorum, & nolite tangere quicquã eorum quæ sunt in eis, ne simul pereatis in peccatis eorum.

SVB GALIENO ET AVRELIANO, Synodi contra Paulum Samosatenum.

Paulus quidam ortus Samosatis, quod oppidum celebre fuit Syriæ, ad ripam Euphratis situm, episcopatum Antiochiæ sortitus est, anno (iuxta Eusebium) Christi ducentesimo sexagesimoquarto. Cuius eminentia & dignitate ad uanissimam superbiam abusus, in hæresin statim eiusmodi lapsus est, ut blasphema de Christo sentiens, purum eum, sicut & ante eum Artemon, Theodorus & alij, de quibus suprà dictum est, hominem diceret. Contra tam atroces igitur blasphemias, Synodi aliquot Antiochiam conuocatæ sunt: quemadmodum ex Eusebij narratione colligi potest. Is enim scribit libro septimo, capite trigesimo, Samosatenum à Firmiliano Cappadociæ episcopo bis cõfutatum antè fuisse, priusquàm ad magnam illam Synodum, quæ postrema fuit, Firmilianus iter suscepisset. Et uetustior Eusebij Latina uersio, quæ Ruffino tribuitur, sic clarè habet: Non uno id aut secundo tantùm concilio ad finem perducere potuerunt, sed & conuentum sæpe est, & absq; operæprecio discessum est. Verùm nos de duabus Synodis Antiochiæ congregatis, quarum in narratione sua Eusebius distinctè meminit, dicemus.

Prima igitur celebrata est anno Imperij Galieni decimo, aut undecimo, Christi uerò ducentesimo quim-

quagesimosexto: ad quam conuenisse Eusebius libro septimo, capite uigesimooctauo scribit, Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ episcopum, Gregorium & Athenodorum ecclesiarũ in Ponto episcopos, Helenum Tarsensis, Nicomam Iconiensis, Hymenæum Hierosolymitanæ, Theotecnum Cæsareæ Palæstinæ, & Maximum Bostrensis Ecclesiæ episcopum, præter innumeros presbyteros alios & diaconos. Dionysius uerò cùm graui impeditus senectute interesse non posset, per literas Synodo sententiã suam exposuit. Quibus omnibus congregatis, Paulus cum sua factione in concilium accersitus est, primas partes tenentibus his quatuor simul, Gregorio scilicet, & fratre eius Athenodoro, Firmiliano & Heleno. Ibi igitur acriter ultro citroq; disputatum est: illis qui cum Paulo erant hæresin suam astutè & de industria occultãtibus: cæteris uerò unum id certatim agentibus, ut deprehensam eam, & nube occultationum sub quibus latebat exutam, manifestam & conspicuam omnium oculis ostenderent. Sed quis tandem euentus certaminum eorum fuerit, Eusebij narratio non exprimit. Apparet tamẽ, sine fructu discessum fuisse. Addidit hoc ad Eusebij narrationem Nicephorus libro sexto, capite uigesimoseptimo, ex compendij hæreticarum fabularum libro secundo Theodoreti: Samosatenum ab omnibus in ea Synodo familiarissimè admonitum, ut blasphemiam missam faceret, iuramentum interposuisse, & apertè errori renunciasse: neq; se quoq; eiusmodi sentire, sed Apostolicis finibus & doctrinis adhærere, eisq; se insistere confirmasse. Itaque omnium consensu & cõcordia, hymno Deo dicto, Synodum solutã esse.

Sed cùm priorum promissionum conuentionumq; Samosatenus oblitus, non multo pòst ad ingenium redijsset, Synodum rursus Antiochiæ congregatam esse.

Theodoretus scribit, Paulum etiam ante hanc Synodum ab illis patribus, ad quos fama peruenisset, ipsum iterum declinasse, per literas familiariter admonitum esse, & morbum eius sanare studuisse: sed cùm affectionem in eo animaduertissent immedicabilem, ad eam amputandam in Synodum coijsse. Eusebius hanc frequentissimam & postremam uocat Synodum, & in annum primum Aureliani refert, qui Christi annus, eodem autore, fuit ducentesimus sexagesimus nonus.

Conuenerunt igitur, quemadmodum ex inscriptione epistolæ concilij ad Dionysium & Maximum episcopos liquet, præter eosdem qui priori synodo interfuerunt, & alij, Helenus, Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Nicomas, Æmilianus, Paulus, Bolanus, Protogenes, Hierax, Eutychius, Theodorus, Malchion, Lucius, & reliqui multi uicinarum ciuitatum & gentium episcopi, presbyteri & diaconi. Firmilianus in itinere, cùm ad Tarsum usque peruenisset, mortuus est. Præsedit uerò Malchion Antiochenus presbyter, uir sapiens & disertus, qui solus præ cæteris lubricitatem, obscuritatem de industria affectatam, dissimulationem & subdolum Pauli ingenium deprehendere & redarguere nouerat. Is igitur acri cum eo disputatione congressus, notarijs, quæ utrinq; dicerentur omnia excipientibus, erroris eum & blasphemiæ palàm tandem coarguit & conuincit. Quã disputationẽ suis extitisse tẽporibus, scripserunt Eusebius & Hieronymus. Omniũ igitur uoce Paulus damnatus, & ab Ecclesia uniuersa quæ sub cœlo est, separatus & excommunicatus est: subrogato in ipsius locum Domino, Demetriani eius qui ante Samosatenum ecclesiæ Antiochenæ præfuerat, filio. Cùm autem ab Ecclesia exire Samosatenus reluctaretur, Concilium autoritatem Aureliani Imperatoris, qui nondum tum à Christianis alienus erat, impetrauit: qui eam, domum scilicet Ecclesiæ, adiudicari præcepit illis, quibus episcopi Italiæ & Romæ in dogmate concordes scriberent. Ad hunc modum, Paulus summa ignominia per mundanum principatum ab Ecclesia expulsus est.

Post hoc factum, communi consilio omnes qui in Synodo congregati erant, ad Dionysium episcopum Romanum, & Maximum Alexandrinum, & omnes ubiq; episcopos, presbyteros & diaconos, uniuersam deniq; Ecclesiam epistolam miserunt, de Synodi actis, & Pauli damnatione: cuius aliquot saltem partes Eusebius, cuius ætate integra adhuc extiterit, describit, libro septimo capite tertio. Hieronymus hanc grandem epistolam à Malchione conscriptam ex persona Synodi, dicit in catalogo de Viris illustribus.

De eadem Synodo Athanasius in libro de synodo Ariminensi & Seleuciana, sic inter cætera inquit: Samosatensis sentiebat filium ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ accepisse: ideo episcopi tunc congregati, hominem hæreseos condemnatũ abdicarunt: & de filij diuinitate simplicius scribentes, non exquisitam diligentiã in tractatu huius uocis Consubstantialis adhibuerunt: sed ut acceperant, de consubstantiali ita locuti sunt. In eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatensis excogitarat, tollerent: & docerent, ante omnia filium fuisse, eumq; non ex homine Deum esse factum, sed cùm Deus esset, & induisse serui speciem: & cùm uerbum esset, carnem esse factum, quemadmodum locutus est Ioannes. Atque ita contra Pauli blasphemias actum fuit.

ALIA SYNODVS ROmana sub Aureliano.

Dionysius Alexandrinus episcopus accusatus est apud Dionysium Romanum, quasi qui filium opus, & non consubstantialem Patri diceret. & cùm Synodus Romæ coacta id indignè ferret, & Romanus episcopus ad cognominem sibi episcopum, omnium sententiam perscriberet, ille ad Romanum rescripsit, & libello suo titulum refutationis & Apologiæ indidit, in quo omnia sibi obiecta refutauit, & filium Dei Patri consubstantialem esse demonstrauit. Narrat Athanasius de synodo Arimiensi & Seleuciana: & in epistola contra Arrianos de sententia Dionysii Alexandrini episcopi, in Decretis synodi Nicænæ, contra Arianam hæresin.

CAPVT X.

DE EPISCOPORVM ET DOCTORVM VITIS.

DE EPISCOPIS ASIATICIS.

De episcopis Hierosolymitanis.

POst Narcissum, episcopatum Alexander trigesimusquintus susce-pit. Is se in adolescentia Alexandriæ fuisse, & præceptoribus usum Pantæno & Clemente, aut aliâs certe familiares eos habuisse, indicat in quadam epistola ad Origenem, cuius hoc fragmentum Eusebius recitat libro sexto, capite decimoquarto: Hæc, ut scis, uoluntas Dei fuit, ut amicitia nostra inde à progenitoribus nostris ducta, immota maneret, imò feruētior ac firmior redderetur. Scimus enim eos esse patres nostros, qui nobis uiam præcedendo aperuerunt, quibus etiam paulò pòst coniungemur: Pantænū dico, uerè beatum ac dominum: & sanctum Clementem, qui dominus meus fuit, meq; plurimum iuuit, & si quis alius eiusmodi, per quos te cognoui per omnia optimum & dominum meum & fratrem. Ex quibus uerbis, etiam Origenis eum doctrina usum apparet. Cæsareæ certè docenti indiuulsus eius cum Theoctisto Cæsarienſi episcopo auditor fuit, ut Eusebius testatur libro sexto, capite uigesimoseptimo: Qui in Cappadocia eum, priusquàm Hierosolymam ueniret, episcopum fuisse scribit libro eodem, capite undecimo. Celebrem autem factum ob confessiones & certamina, in quibus constantiam summam in persecutione sub Seuero declarauerat: & uisione aliquando nocturna admonitum, iter eum Hierosolymam uisendi & orandi gratia instituisse scribit. Hierosolymitanos uerò, cùm iam Alexander appropinquaret, quadam etiam uisione uocis clarissimæ, quæ ad aures præcipuorum uenerat, admonitos fuisse, ut è portis egressi, destinatum ipsis & adductum à Deo episcopum susciperent. Sic igitur Alexandrum, posteaquàm ad urbem accessisset, summa cum beneuolentia & reuerentia acceptum, consensu episcoporum uicinorum, quos ex tota Palæstina Hierosolymā tum cōfluxisse Hieronymus scripsit: ac ne domum redire posset, prohibitumu: rgēte maximè Narcisso, ut eum seni sibi, & ad gubernationem totius eius Ecclesiæ soli sustinendam minus idoneo, socium in episcopatu administrando adderent. Episcopus igitur socius Narcisso uiuo creatus est, anno primo Antonini Caracallæ: Christi uerò, iuxta Eusebium, ducentesimo decimoquarto. Qui & annis aliquot antè, sub Seuero nimirū, & anno Christi ducētesimosexto, ob cōfessionem, insignem eum habitum fuisse scripsit.

Meminit eius episcopatus communis ipse Alexander apud Eusebium libro sexto, capite undecimo, in epistola quadam contra Antinoitas, in cuius fine sic scripsit: Salutat uos Narcissus, qui episcopatum hunc ante me moderatus est: & iam unà mecum de rebus Ecclesiæ precando solicitus, cùm centum & sedecim annos uixerit, uos obsecrat, ut mecum sitis unanimes.

Qua uerò pietate & diligentia, quæ in eo uirtutes haud dubiè summæ fuerūt, Ecclesiæ præfuerit, non legitur. Attamen quibus egregijs ornamentis præditus præfuerit, duæ persecutiones illæ, quarum alterā Seuerus, alteram Decius exercuit, in qua perijt optimus & constantissimus athleta Christi, testantur: ut postea dicemus. Solicitus fuit non tam pro sua, quàm pro alijs Ecclesiis. Probet id scriptum ex uinculis suis ad Antiochenos de Asclepiade, de quo postea. Et cōmendat ipsius egregium studium, quod in construenda bibliotheca nobili Hierosolymis habuit, Eusebius libro sexto, capite uigesimoprimo: qua se in historia scribenda adiutum ingenuè fatetur.

In magna etiam eum fuisse autoritate cum Theoctisto Cæsarienſi episcopo, aliæ historiæ huius seculi testantur: ut quòd Origeni, cùm nondum presbyter creatus esset, potestatem fecit docendi publicè in Ecclesia Hierosolymitana: idq; factum Demetrio episcopo ægrè ferenti & indignanti, pro reclo ac legitimo probauit ac defendit. Quòd & aliquanto pòst Cæsareæ, unà cum Theoctisto manus Origeni imposuit, & presbyterū ordinauit: ut ostēdit Eusebius libro sexto, capite uigesimo.

Scribit in catalogo uirorum illustrium Hieronymus, diuersas eius ad alios atq; alios extitisse epistolas. Alias scilicet ad Antinoitas, per Clementem Alexandrinum presbyterum: unam rursus ad Demetrium pro Origene, quòd ex testimonio eius presbyterum eum constituisset.

In persecutione deniq; atroci illa sub Decio, in ueneranda & honesta canicie grandæuus Cæsareā Hierosolymis ductus, post splendidam ac pietate & constantia illustrem confessionem, ad tribunal præsidis editā, carceri traditus est, cuius in epistola ad Antiochenos ipse quoq; meminit: in eaq; tandem occubuit, & mortuus est, quemadmodum ad episcopum Hierosolymitanum Dionysius Alexādrinus scripsit, ut Eusebius libro sexto, capite quadragesimosexto ostēdit: Præclarus, inquit, Alexander in custodia feliciter obijt, anno Christi (ut Eusebius numerat) ducentesimo quinquagesimoquarto: post confectum scilicet curriculum & longum & honestū, quadraginta nimirum, eoq; amplius (ut uidetur) annorū, quibus ab anno primo Antonini, ad persecutionem usque Decianam, Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfuit. Nam quàm diu episcopum in Cappadocia egerit, non legitur.

Post eum igitur in episcopum succedit, anno Decij primo, Christi uerò (quemadmodum diximus) ducentesimo quinquagesimoquarto, trigesimussextus Hierosolymorum episcopus Mazabanes. Eiq; rursus, cùm annis tredecim præfuisset, trigesimusseptimus Hymenæus, anno Galieni duodecimo, Christi uerò 268. quem eruditione & autoritate insignem fuisse & sedulā Ecclesiæ curā gessisse, & cōtra hæreticos acriter pugnasse pro ueritate doctrinæ, ex eo apparet, quòd unà cum alijs episcopis Antiochiam, contra Paulum Samosatenum uenit, eiusq; hæresin refutauit & damnauit: ut patet ex Eusebio libro septimo, capite uigesimooctauo & trigesimo. Post quem Ecclesiæ eius gubernatione annis triginta & uno functū, episcopatum

ſcopatum eum Labdas trigeſimo octauus accepit, anno Chriſti ducēteſimo nonageſimonono. Et haud diu poſtea Hermon, poſtremus ante perſecutionem Diocletianā, epiſcopus factus eſt: Euſebius libro ſeptimo, capite trigeſimoſecundo.

DE EPISCOPIS ANtiochenis.

MOrtuo Serapione, quem octauum ſuprà poſt Apoſtolos Antiochenæ eccleſiæ epiſcopum fuiſſe diximus, ſucceſſit nonus Aſclepiades, qui & ipſe in perſecutione Seueriana confeſſor conſtans perſeuerauerat. Meminit ſucceſſionis eius Alexander (de quo iam diximus) in epiſtola quadā, quam ad Antiochenos, gratulatus eis propter tantum epiſcopum, ex uinculis ſuis ſcripſit, in qua & Aſclepiadem commendat hoc modo: Alexander ſeruus Domini, ac uinctus Ieſu Chriſti, beatæ Antiochenorū Eccleſiæ in Domino ſalutem: Vincula mea Dominus carceris huius tempore leuia toleratuq; facilia per id reddidit, quòd Aſclepiadem exercitatiſſimum ſecundum diuinam prouidentiam, ac fidei ipſius dignitatem, ſanctæ ueſtræ Eccleſiæ epiſcopatu potitum eſſe audio.

Ei uerò, cùm ſeptem duntaxat annis epiſcopatum adminiſtraſſet, ſucceſſit rurſus decimus Antiochenorū epiſcopus Philetus, anno Chriſti ducenteſimo & uigeſimo. Cumq; & is per annos duodecim præfuiſſet, epiſcopatum Zebenno reliquit, anno Chriſti ducenteſimo trigeſimoprimo. Ei rurſus Babylas, magnus uir ille & admirabilis, ſicut Chryſoſtomus ait, ſucceſſit. Cuius quæ pietas fuerit, integritas, conſtātia, iudicium incorruptum, & in officio fides, factum illud teſtatur, quod inter eum ipſum Babylam & Deciū Imperatorem accidiſſe proditum eſt. Cùm enim Decius fœdere cum quadā gente, ut Chryſoſtomus narrat in libro aduerſus Gentiles, inito, iuramentū dediſſet atq; accepiſſet, ſe nihil infeſti unquam ei illaturum, ſed pacem & amicitiam æternam cum ea gēte ſeruaturum, impetratumq; regium eius gentis pro pignore & depoſito puerum, crudeliter contra fœdus & fidem iureiurando contractam, trucidari curaſſet: ad templum Chriſtianorum Antiochiæ ſtatim feſtinauit. Sed in id à Babyla epiſcopo ingredi animoſe prohibitus eſt. Ob quam inſignem contumeliā imperator indignatus, Babylam ilicò abripi, ferro uinciri, atque in carcerem conijci iuſſit: inde uerò paulò pòſt eductum, ad mortis ſupplicium duci. quod ille gaudens & uolens ultrò propter Chriſtum ſubijt, petens ab aſtātibus, ut poſteaquàm expiraſſet, corpus ſuum unà cum ferrearum catenarum ornamentis ſepelirent. Euſebius tamen à Chryſoſtomo diſſentit, libro ſexto, capite trigeſimonono: cùm eum, perinde ut Alexandrum, in carcere obijſſe ſcripſit. Rem uerò miram poſt annos ſexaginta, cùm Imperium Iulianus teneret, circa cadauer eius accidiſſe Chryſoſtomus narrat, quam & nos adijciemus.

Tranſtulerat capſam Babylæ Gallus ille, quem Imperatorem in Oriente Conſtantinus fecerat, in Daphnea, ſuburbium illud Antiochiæ inſigne, & templo Apollinis ac reſponſis celebre. Ex quo tempore, dæmonium poſtea reſponſum ibi nullum prorſus dedit. Fortè enim eò aliquando uenit Iulianus, bellum in Perſas apparens: & de quibuſdā quæ ſibi uidebātur, uatem illum percontari uoluit. Sed is reſpondit: ſe propter Babylæ corpus ibidem ſepultum, reſponſi nihil dare poſſe: ſed locum eum ſoli ſibi cōſecratum quondam, nunc plenum eſſe mortuis. Inquirens Imperator, certior ſtatim factus eſt, translata eò eſſe oſſa Babylæ clariſſimi martyris, idq; oracula impedire ratus, Galilæos ilicò (ſic enim Chriſtianos nominabat) uenire, martyrisq; ſepulcbrum auferre iuſſit. Cōgregati igitur in Daphnen Chriſtiani maximo numero, uiri pariter & mulieres, adoleſcentes & uirgines, ſenes ac pueri, capſam martyris ad ciuitatem traxerunt, in itinere illud ſubinde in Imperatorem accinentes: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris. Narrāt hanc hiſtoriam, etiam Socrates hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro quinto, capite decimo & uigeſimo: & Sozomenus libro tertio, capite decimooctauo & decimonono: & Theodoretus libro tertio, capite decimo & undecimo.

Poſt eum Babylam, Antiochenam Eccleſiam rexit Fabius uir magnæ autoritatis, ad quē Dionyſius Alexandrinus ſcripſit: & cùm ad ſchiſma Nouati inclinare uideretur, ut Euſebius ait libro 6. capite quadrageſimoquarto, ab ea ſententia abſtraxit. Fuit eius non parua autoritas in Eccleſia etiam Romana. Ad eum enim Cornelius epiſcopus de Nouati cauſa, moribus & flagitijs, epiſtolā ſcripſit. Obdormiſſe eum circa finem Imperij Decij, Dionyſius ſcripſit ad Cornelium: ut Euſebius indicat libro ſexto, capite ultimo.

Decimusquartus eum ſecutus eſt Antiochenſium epiſcopus, Demetrianus ſeu Demetrius (utroq; enim nomine appellatur apud Euſebium libro ſeptimo, capite decimoquarto, & trigeſimo, & uigeſimoſeptimo) anno Domini ducēteſimo quinquageſimoquinto: quem & ipſum patres Synodi Antiochenæ teſtantur, ſuæ Eccleſiæ præclarè præfuiſſe. Euſebius libro ſeptimo, capite trigeſimo. Eum uerò poſt ſeptenniū, ut Euſebius narrat, Paulus Samoſatenus (de cuius epiſcopatu & uita quæ ad nos uſq; prodita ſunt, in ſuperioribus aliquoties commemorauimus) ſecutus eſt.

Samoſateno uerò, ob blaſphemiam in filium Dei, ex Eccleſia publicè excommunicato, & cum autoritate ſummi magiſtratus electo ſucceſſit Dominus, Demetriani eius cuius iam meminimus filius, uir pius & uirtutibus omnibus epiſcopo cōuenientibus, ut Synodi Antiochenæ literæ teſtantur, ornatus, circa annum Domini ducēteſimum ſeptuageſimum. Domnum ſequitur Timæus, decimuſeptimus epiſcopus Antiochenus, anno Domini ducēteſimo ſeptuageſimoquarto. Timæum deniq; decimusoctauus Cyrillus, anno Domini ducenteſimo octuageſimotertio: Euſebius libro ſeptimo, capite trigeſimoſecundo.

DE PRESBYTERIS ANtiochenis.

GEMIANVS.

EVſebius in Chronico, Gemianum quendam nominat, Antiochenum presbyterum, quem cum Hippolito & Berillo celebrem fuiſſe ſcribit, ſub Alexandro Imperatore: quo tempore epiſcopatum Antiochenum adminiſtrauit Zebennus, ut Hieronymus

nymus ait, qui pro Genniano Geminũ habet, & pauca eum ingenij sua monumenta reliquisse indicat.

MALCHION.

Hieronymus Malchionem sub Claudio & Aureliano floruisse scripsit: ac priusquàm presbyter Antiochenæ ecclesiæ creatus sit, in ludo Antiocheno Rhetoricam magna cum laude professum eum testatur. Eusebius uerò libro septimo, capite uigesimonono, Græcæ linguæ professorem in eo ludo fuisse, ac postea ob excellentem & synceram fidem in presbyterum eiusdem ecclesiæ uocatum indicauit: in qua dignitate, eloquentia & iudicio tantum ualuerit, ut in Synodum Antiochenam contra Samosatenum uocatus, præ cæteris solus, blasphemi eius impostoris lubricas fraudes deprehendere, & coram Synodo uniuersa redarguere potuerit. Testatur Hieronymus, eius disputationis cum Samosateno dialogum exceptum à notarijs, suo tempore extitisse. Facit & autorem eum epistolæ prolixæ, sub nomine Synodi ad Maximum Hierosolymitanum, Dionysiũ Alexandrinum, & cæteras Ecclesias per orbem omnes, de Samosateno, eiusq; Synodi actis.

DOROTHEVS.

Natus ex honesta familia Dorotheus, Græcarum literarũ primùm, deinde & diuinarum & linguæ Ebrææ studiosus fuit, uir disertus, presbyterio Ecclesiæ Antiochenæ fungens, quo tempore episcopatũ eius Cyrillus tenuit. Huic mediocrem Scripturarum diuinarũ scientiam Eusebius tribuit, & se audiuisse sacram Scripturam exponentem ait, libro septimo, capite trigesimosecundo. Fuisse autem natura eunuchum, ob quod & Imperatori ipsi charus fuit, qui eum purpuræ tingendi Tyri præfecerit.

BERILLVS.

Inter eos qui cum Origene celebres fuerunt, etiam Berillus fuit, Arabum Bostrensium episcopus, sub Alexandro, Maximino, & Gordiano: ut Hieronymus indicat, qui eam Ecclesiam gloriosè aliquãdiu rexisse scribit. Eusebius autem libro sexto, capite uigesimoprimo indicat, eum epistolas, commẽtarios & uarias lucubrationes post se reliquisse. Habuit hunc næuum, quòd Christus, priusquàm homo fieret, non habuerit propriam ac separatam substantiã à Patre.

Contulerunt autem cum ipso plurimi doctores, inter quos Origenes eum solidis argumentis Scripturæ confutauit, & sanè sententiæ restituit. Eusebius libro sexto, capite trigesimotertio. pro qua re ipsum in suis epistolis ei gratias egisse, Hieronymus testatur.

METHODIVS.

Hieronymo & Suida testibus, Methodius primùm Olympi in Lycia episcopus fuit, postea Tyri. Scripsit multa contra Origenem. Propter quod Socrates Origeni amicus, hominem eum maledicũ dicit, & leuitatis incusat. quòd, posteaquàm acerbè Origenem insectatus sit, tandem quasi palinodiam canens, eum sit admiratus. Socrates historiæ Ecclesiasticæ libro sexto, capite decimotertio. Quæ igitur contra Origenem scripserit, Hieronymus hæc recenset. Primùm, opus egregium de Resurrectione. Deinde, aliud opus de Pythonissa. Tertiò, aliud de Autexusio. Edidit etiam libros nitido & eleganti sermone conscriptos, contra Porphyrium. Alium etiam librum, quem inscripsit, Symposium decem uirginum. Item commentarios in Genesin, & in Canticum canticorum. Socrates & dialogi meminit, quem Zenonem ab eo inscriptum fuisse ait, in quo Origenem laudarit. Meminit & libri Methodij de martyrib. Theodoretus in Polymorphosi. Et adiecit quædam operibus Methodij Trithemius: sed incertum ex quo autore, ut librum de Exitu animæ, item de Nouissimis temporibus, & Chronicum. Sed librum de Quatuor nouissimis, qualis hodie extat, eius non esse, ex eo constat, quòd Magistrum Sententiarum, nominato libro secundo, distinctione sexta citat, & multas aniles & fabulosas historias recitat: nisi quòd statu Ecclesiæ, qualis sub antichristo futurus esset, & de repurgatione doctrinæ in eo tempore, quædam bene prædicere uidetur.

Extant in Epiphanij libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta, fragmenta quædam, quibus Origenis & Procli opinionem de resurrectione confutat: ex quibus, quid de nonnullis articulis doctrinæ Christianæ senserit, intelligi aliquo modo potest.

Apparet autem eum rectè sensisse de Deo, de creatione, de angelis, de hominis lapsu, de peccato originis, de lege, ac præcipuè de resurrectione: quem articulum contra deprauatores, Origenem, Proclum, & Aglaophontem defendit & illustrauit. Theodoretus ex libro de Martyribus, hoc eius allegat testimonium de Christo: Adeò mirabile & tanto studio expetendum est martyrium, quòd ipse Dominus IESVS Christus filius Dei se id honorare testatus sit, non rapinã arbitratus se esse æqualem Deo, ut etiam eo dono hominem, ad quem descendit, coronaret. Citat ex eodem & hoc de incarnationis beneficio Christi Epiphanius: Impotentiã naturalis in nobis boni, ob quam languebat à cõcupiscentia in corpore sita superatam, Deus excitauit, misso filio suo, qui similem carni carnem assumpsit. Veritas enim, & non apparentia erat, quod apparuit.

De angelis & anima, in fragmento apud Epiphanium sic loquitur: Neq; angeli, neque animæ pereunt. immortalia enim sunt hæc, et indomita, quemadmodũ qui fecit, esse uoluit. Ibidem sentit, animã cum corpore fuisse ante peccatum: & refutat Aglaophontis, Origenis & Procli opinionem, sententium animas ante corpora peccasse. Alterum, inquit, ex duobus necesse est. Aut enim ab initio peccauimus cum corpore, & non apparet tempus in quo extra corpus fuimus, & simul causa est corpus animæ & malorum & bonorum. Aut sine corpore degẽtes, peccauimus, & inculpabile est à malitia ex toto. At absq; corpore à bruta uoluptate anima non superatur. Superati autẽ sunt primi parentes bruta uoluptate inescati: erat ergo anima cum corpore etiam ante peccatum.

De hominis statu ante lapsum, sic dixit ibidem: Exiguum fuit tempus à creatione ad mandatum, in quo uixerunt sine peccato. De eodem post lapsum ibidem sic: Ex quo hominem seductum contigit mandatum spernere, hinc ex inobedientia contigit, ut peccatum accepta occasione in ipso inhabitarit. His enim

primùm

primùm seditio incidit, distractionibusq; ac cogitationibus alienis impleti sumus, euacuati quidem ab inflatione Dei, impleti autem concupiscentia materiali, quam multiplex serpens in nos inspirauit, cùm breui transgressi essemus mandati Dei circulum. Et Adam, post lapsum paradiso ideo eiectus est, ne de arbore uitæ comederet, non quòd Deus ei uitam inuiderit, sed ne immortale in homine fieret malum, si de arbore uitæ comedisset. Vbi & hoc addit, pelliceas tunicas Adæ & Heuæ ideo factas esse, ut admonerentur de mortalitate. Item: Apparet quod in nobis ipsis aliud melius, aliud deterius est. Et ubi quidem id quod melius est, natura potentius fuerit deteriore, tota mens ad bonum fertur. Vbi autem id quod deterius est redundauit, & bono in nobis restiterit, rursus uiceuersa homo ad omnigenas imaginationes & cogitationes deteriores rapitur.

De diabolo ibidem: Quæ enim forinsecus à diabolo lex inspiratur, & per sensus uelut bitumimosus fluxus intrà in ipsam animã effunditur, ea lege quæ consistit in carne, concupiscentia corroboratur.

Peccatum in renatis manere sensit, & sic dixit: Viuente adhuc corpore antequàm moriatur, necesse est simul uiuere peccatum, intus in nobis radices suas abscondens, etiamsi forinsecus per castigationum & admonitionum sectiones fuerit renatum. Alioquin post illuminationem non cõtingeret nos iniusta facere, utpote peccato penitus à nobis sinceriter ablato.

De fine legis ait: Lex, inquit, spiritualis uitæ, quod sanè est Euangelium, alia existens à prædictis legibus ad obedientiam posita, ac remissionem peccatorum, liberauit nos à lege peccati ac mortis, ut quæ penitus peccatum regnans in carne uicit.

Hæc de illis partibus doctrinæ satis sensit tolerabiliter: attamen errantibus opinionibus non caruit. Nam de libero arbitrio non satis rectè sensit: sic enim in Epitome de Resurrectione aduersus Proculum & Origenem dixit: Quomodo uerò etiam liberum arbitrium in hoc mundo apparet? In nobis enim situm est credere, & non credere: in nobis rectè facere & peccare, in nobis bene facere & male facere: imò etiã iudicium quomodo uelut futurum amplius expectari potest, in quo Deus unicuiq; iuxta opera & secundum studia retribuet?

Malè & de iustificatione per legem naturalem sentit, & obediẽtiam redundantem in his qui non secundam concupiscentiam carnis ambulant, sed secundum concupiscentiam spiritus, eiusdemq; ductum.

Dimicasse eum contra Origenis, & aliquot secũ sentientium, ut Procli & Aglaophontis, de anima & resurrectione opiniones, suprà diximus. Sic enim indicat fragmentum libi de Resurrectione apud Epiphanium: Methodium, constituto Theophilo quodam, & alijs aliquot iudicibus, has eorum opiniones absurdas confutasse: primùm quòd docuerint, carnem non resurrecturam, sed futuros homines absque carne, sicut angelos. Secundò, Animam ante corpus fuisse.

Tertiò, Corpus dici pelliceas tunicas apud Mosen, & uinculum à Dauide: ideo quòd ei anima, postquàm peccauit, fuerit inclusa. Quartò, Animas è cœlo deiectas, transire per fontes ignis, & aquas super dorsum firmamenti, dum in mundum hunc nostrum ferantur.

Scribit denique Hieronymus & Suidas, martyrio Methodium functum, in extrema persecutione: illa uidelicet quæ sub Diocletiano fuit: seu, iuxta alios, sub Decio & Valeriano, in Chalcide Græciæ: sicut & martyrem eum Theodoretus nominat.

MAXIMVS.

MAximus, Ecclesiæ apud Bostram Arabiæ episcopus fuit, qui ad utranq; Synodum contra Samosatenum Antiochiam uenit. Eusebius libro septimo, capite uigesimooctauo & trigesimo: ubi catalogum episcoporũ qui postremæ Synodo contra Samosatenum interfuerunt, recensens, etiam Pauli cuiusdã meminit, & Boloni & Protogenis, & Eusebij, & Theodori: quem libro octauo, capite decimotertio indicat fuisse episcopum Ægypti.

TITVS.

EIusdem Ecclesiæ Bostrensis episcopum fuisse etiam Titum quendam, qui contra Manetis hæresin scripserit, Nicephorus indicat libro 6. capite trigesimosecundo.

DE RELIQVIS DOCTORIBVS ac scriptoribus Asiaticis.

FIRMILIANVS.

CEleberrimus fuit Cæsareæ Cappadociæ episcopus Firmilianus. Floruit sub Imperatore Alexandro, quo tempore Heraclæ Alexandrinæ doctoris magna laus fuit. Is Origeni, cùm Cæsareæ Palæstinæ doceret (quẽadmodũ Eusebius libro sexto, capite uigesimoseptimo ait) studiosè adhæsit: interdũ eum ad reformationem Ecclesiæ suæ, in suam regionem euocans: nonnunquam etiam in Palæstinam ad ipsum commeans.

Nouati temeritatem unà cum alijs auersatus est, ut refert Dionysius Alexandrinus in epistola ad Stephanum Romanum: Eusebius septimo, capite quinto.

Et Synodi Antiochenæ interfuit, cùm quidã schisma Nouati corroborare conarentur. Eusebius libro sexto, capite quarto, ex Dionysii epistola ad Cornelium. Stephanus Romanus episcopus scripsit de Firmiliano & alijs, se illis non communicaturum, propterea quòd hæreticos rebaptisarent: ut narrat Dionysius in epistola ad Xystum: Eusebius libro septimo, capite quinto. Vnde apparet, Firmilianum de rebaptisandis hæreticis sensisse cum Cypriano, & alijs.

Præcipuam eius fuisse autoritatem in prima Synodo Antiochena (ut alibi diximus) contra Samosatenũ, Eusebius indicat libro septimo, capite uigesimoseptimo. Sed cùm ad alteram quæ contra eundem sub Aureliano congregata est, uocatus quoq; esset, & ab omnibus qui eò cõuenerant expectaretur, in itinere, cùm Tarsum usq; peruenisset, mortuus est.

ALCIBIADES.

NIcephorus libro quinto, capite uigesimoquarto, meminit Alcibiadis: quem Syrũ Apamænum fuisse dicit, & contra hæresin Elcasaitarum plurimum pugnasse.

PRO-

PROTOCTETVS.

FVisse Protoctetum presbyterum ecclesiæ Cæsarienſis, Eusebius libro sexto, capite uigesimo octauo testatur: qui in persecutione, qua Maximinus in doctores solùm sæuire iusserat, multa passus fuerit, in confessione tamen perstiterit. Quamobrem huic Origenem, librum eo tempore ab eo de Martyrio scriptum, nuncupasse.

ARCHELAVS.

HIeronymus in Catalogo uirorum illustriũ, Aristotelem episcopũ Mesopotamiæ fuisse dicit: & contra Manetem librum disputationis, quam cum eo habuit, Syrorum sermone composuisse: qui in Græcum postea translatus, à multis in precio habitus sit. Epiphanij narratio de Manete innuit, hunc Archelaum in Caschara Mesopotamiæ ciuitate episcopum fuisse præstantem doctrina, & circa fidem feruore & æmulatione, qui primùm in ipsa Caschararum urbe Manetem ingenti uirtute in disputatione publica cõfutarit: deinde uerò rursus in alio quodam Caschararum pago Diodoride. Hieronymus eum sub Probo claruisse scripsit.

MARCELLVS.

ET Marcellum in Caschara ciuitate habitasse, Epiphanius narrat: qui uirum eum magnum, summáq; pietate excellentem & illustrem uocat. ad quem Manes, cùm spargere insanum suum dogma iampridem cœpisset, post epistolam præmissam uenit: eiusq; opera in disputationem cum Archelao, sicut diximus, congredi coactus est.

TRIPHON.

EX eadem Epiphanij de Manete narratione colligitur, Tryphonem Archelai presbyterum fuisse, in Pago Caschararum Diodoride, uirum pium, bonum ac mansuetũ, sed minus eloquentem. Venerat ad eũ Manes elapsus fuga, posteaquàm in ipsa Caschara ab Archelao confutatus & confusus fuerat, & ad disputationem eum solicitauerat. Quod cùm ad Archelaum Tryphon per literas retulisset, misit ei Archelaus duos libros, ex quibus Manetis insaniam redarguerat: ac se, cùm cœpta fuisset disputatio, adfuturum rescripsit. Cùm igitur mane in medium pagum ad disputationem Manes Tryphonem prouocasset, & iam proponere Tryphoni, is uerò respondere, & quæ proponeret Manes placidè perstringere instituisset, Archelaus adfuit, atque hac occasione cum homine furioso congressus iterum, summo eum adfecit probro, ac uicit. Epiphanius libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimasexta.

DE EPISCOPIS CÆSAREÆ Palæstinæ.

DE THEOCTISTO ET THEOTECNO.

THeoctistus Cæsareæ Palæstinæ episcopus, familiaris & coætaneus fuit Alexandro Hierosolymitano. Origenem charum habuit, & doctrina illius usus est: & presbyterum, quemadmodum dictum est, cum Alexandro fecit. Magna eius in tota Palæstina fuisse uidetur autoritas, & præsedisse in synodo quadam Antiochena contra Nouatianos, ad quam ab eo se accersitũ Dionysius Alexandrinus scripsit: ut Eusebius indicat libro sexto, capite ultimo.

Præfuisse autem eum ecclesiæ Cæsarienſi per multos annos, unde colligitur, quòd sub Antonino Origeni nondum presbytero, Cæsareæ publicè in templo docendi copiam fecit. Presbyterum uerò eum sub Alexandro ordinauit: ac sub Galieno demum, cùm pacem à persecutione Ecclesiæ recepissent, mortuus est, ut Eusebius scribit libro septimo, capite decimoquarto. Post eum Domnus quidam episcopatum ibi accepit: sed breui tempore & episcopatu & uita functus, successorem habuit Theotecnum, qui ex schola quondam Origenis prodierat. De eo eiusmodi historiam Eusebius recitat libro septimo, capite decimoquinto. Pace iam omnibus Ecclesiis per Galienum reddita, apud Cesaream nihilominus Marinus quidam, homo militaris, genere & opibus illustris, ad iudicem, quòd Christianus esset, & Imperatoribus non sacrificaret, delatus est. Is igitur ad tribunal eum accersitum, An Christianus esset, interrogauit. qui cùm constanter & intrepidè Christianum se esse confessus esset, tres ei horas de confessionis suæ periculo cogitandi concessit. Ibi igitur à tribunali dimissum Marinum, Theotecnus episcopus arripit, alloquitur, manuq; eius apprehensa, intrò in templi ipsius sanctuarium ducit: gladium ei simul, quem ad eam rem sub chlamide habebat, & Euangelij librum proponit, iubens eum ex duobus illis utrum uellet eligere. Is igitur manu protinus extensa, diuinæ Scripturæ librum arripit. Quam rem cum gaudio gratulatus ei Theotecnus, confirmauit eum, & adhærere Deo tali constantia iussit: fore inquiens, ut illis quæ elegisset, potiretur. Interfuit postea Theotecnus etiam synodo Antiochenæ contra Paulum Samosatenum, ut Eusebius indicat libro septimo, capite uigesimooctauo.

THEODORVS ET ATHENODORUS episcopi Ponti.

THeodorum & Athenodorum Neocæsarienses fuisse, Socrates historiæ Ecclesiasticæ libro quarto, capite uigesimoseptimo tradidit. Theodorum uerò postea Gregorium appellatum, Eusebius ait libro sexto, capite trigesimo. Vtrunque autem Græcarum & Romanarum legum fuisse studiosissimum, ac legibus & literis discendis Athenis & Beryti operam dedisse, Socrates prodidit. Vbi exciti fama de Origenis eruditione, ad eum profecti sunt Cæsaream, cùm relicta Alexandria scholam ibi Origenes sub Gordiani Imperio, ac deinceps aliquan diu haberet. Eius consilio ac cohortatu, & legum & philosophicarum disciplinarum studium uterque missum fecit, & ad sacras literas discendas animum adiunxit: in quibus cùm intra spacium quinquennij, quo Origene præceptore usi sunt, feliciter progressi essent, domum à parentibus reuocati, adolescẽtes adhuc episcopatus in Põto sortiti sunt: Theodorus quidem Neocæsareæ, Athenodori uerò ciuitas non exprimitur. Claruit pietate & eruditione uterque sub Galieno, ut Nicephorus scribit libro sexto, capite

decimoseptimo & uigesimosecundo. Gregorius uerò etiam miraculis potens fuit: quamobrem Magnum eum Theodoretus, θαυματουργὸν Nicephorus appellatum scripsere. Recitat aliquot eius miracula in Eusebio uersio Ruffini: quorum etiam Basilius meminit in libro de Spiritu sancto. Ac plura quidem, non sine doli suspicione Nicephorus, quorum tamen ue unius quidem Eusebij Græcum exemplar memimit.

Miraculorum uim ei etiam Socrates tribuit, ijsq; gentes ad fidem eum perduxisse scripsit. Hieronymus ei opuscula quædam, sed pauca, adscripsit: ut Panegyricum Eucharistiæ ad Origenem, quod coram frequentia, Origene etiam ipso præsente recitauit, & extitisse suo tempore Hieronymus scripsit. Metaphrasin item in Ecclesiasten: & Epistolas aliquot, quarum extat una Canonica (si tamen eius est) canones undecim comprehendens. Est in Eusebio per Ruffinum translato, symbolum satis eruditum, quod Gregorij Neocæsarienſis fides inscriptum est, libro septimo, capite uigesimoquinto.

Vnus Deus Pater uerbi uiuentis, sapientiæ subsistentis, & uirtutis suæ, & figuræ, perfectus perfecti genitor, Pater filij unigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, figura & imago deitatis, uerbum perpetrans, sapientia comprehendens omnia, & uirtus qua tota creatura fieri potuit. Filius uerus ueri, & inuisibilis ex inuisibili, & incorruptibilis ex incorruptibili, & immortalis ex immortali, & sempiternus ex sempiterno. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, & qui per filium apparuit, imago filij perfecti, perfecta uiuentium causa, sanctitas sanctificationis præstatrix, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur, & filius per omnes. Trinitas perfecta maiestate & sempiternitate, & regno minimè diuiditur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid aut seruiens in Trinitate, neque superinductum, tanquam antehac quidem non subsistens, postea uerò superingressum. Neque itaque defuit unquam filius Patri, neque Filio Spiritus sanctus, sed inuertibilis & immutabilis eadem Trinitas semper, &c.

Commentariolus in Ecclesiasten quædam habet, sed ieiuna, de prouidentia Dei, nihil scilicet saluti hominum seruiens, extra ipsius prouidentiam: de operibus Dei humanæ rationi ignotis, de timore Dei, de patientia & longanimitate Dei: item, Deum non esse causam humanarum calamitatum, sed eas homines sibijpsis per temeritatem accersere. Et de angelorum officio, Deo omnia, etiam arcana, de quibus homines uel soli loquantur, deferentium. Basilius magnus epistola sexagesimatertia ait, Sabellij pestem traditione Gregorij Magni consopitam esse. Disputasse etiam eum contra Ælianum Græcum & Ethnicum, & in ea disputatione minus exactè & commodè locutum esse: ut Patrem & Filium iuxta mentis considerationem duobus esse, hypostasi uerò unum.

Item uocibus creatura & factura usum, apparet ex epistola sexagesimaquarta Basilij Magni. Eius tempore litanias & cœlibatuum uota non fuisse in usu, apparet ex epistola sexagesimatertia Basilij Magni.

Interfuit Gregorius hic cum fratre, synodo collecta Antiochiæ contra Samosatenum: & quidem autoritate post Firmilianũ Cappadocem proximus fuit, ut Eusebius indicat libro septimo, capite uigesimooctauo. Quosdam eius mores recitat Basilius Magnus epistola uigesimatertia, quòd tecto capite in oratione fuerit, quòd & à iuramentis abstinuerit, quòd uerax fuerit, quòd nemini obtrectauerit, quòd ad altare non accesserit, nisi fratri reconciliatus.

Si Nicephoro credendum est, longissimum ei curriculum fuit, & ad senectutem multam peruenit. Diocletiani enim tempora eum attigisse scribit libro sexto, capite decimoseptimo. atque has gratiarumactionis uoces crebrò edere solitum: quòd urbem frequentissimam, & infidelitatis plenissimam, ad contrarium professionis fidei redegisset statum. Basilius uerò scribit epistola sexagesimasecunda ad Neocæsarienses, eum ad extremam senectam non peruenisse.

MELETIVS.

MEletius, ut habet Eusebius libro septimo, capite trigesimosecundo (Nicephorus uerò libro sexto, capite trigesimoquinto, Melitium uocat) fuit episcopus Ponti, annis aliquot ante persecutionem sub Diocletiano: quo tempore Pamphilus presbyter Cæsareæ clarus fuit. Fuit autem uir magni nominis, & in omnibus præclaris studijs absolutum exemplar. Ob facundiam singularem & suauem, ab eruditis Mel Atticum uocabatur. Tantum enim in eo oratoriæ uirtutes ualebant, ut quis eas, illi natiuas fuisse dixisset. In unoquoque deinde disciplinarum genere ita excellebat, ut in eo solus exercitatus uideretur. Ad summam autem & multiplicem eruditionem, accessit etiam singularis uitæ moderatio, & mores ex studijs formati. Scribit Eusebius, se eum in Palæstina toto septennio cognitum habuisse, cùm eò in persecutione ex Ponto confugisset. Eusebius & Nicephorus, ut suprà.

THELYMIDRES.

THelymidres fuit episcopus Laodicenus, ad quẽ Dionysius Alexandrinus scripsit. Eusebius libro sexto, cap. quadragesimosexto. Obijt, quo tempore Ecclesiæ quassatæ & turbatæ schismate Nouati, pacem inter se & cõcordiam, ut Dionysius scripsit, receperunt: & successorem habuit Heliodorum: Eusebius libro septimo, capite quinto.

MERVZANES.

MEruzanes episcopus fuit fratrum per Armeniam, ad quem Dionysius scripsit de pœnitentia. Eusebius libro sexto, capite quadragesimosexto.

HELENVS.

HElenus episcopus fuit in Tarso Ciliciæ metropoli. Eusebius ibidem, & libro septimo, capite quinto. Fuit autẽ illustris Ecclesiæ Christi doctor in eo loco. Nam unus ex ijs fuit, qui conuocarunt synodum Antiochenam, contra eos qui Nouati schisma corroborare tentabant: Eusebius libro sexto, capite quadragesimosexto. Stephanus eum sentientẽ cum Cypriano & alijs, de rebaptisandis hæreticis, excommunicare uoluit. Eusebius libro septimo, capite quinto, ex epistola Dionysii ad Xystum. Pugnauit etiam cum alijs fideliter contra Samosatenum: nam

num: nam Antiochenis synodis contra hunc hæreticum decertantibus interfuit. Et quidem in Epistola synodali, eius nomen alijs præponitur. Eusebius libro septimo, capite uigesimooctauo & trigesimo. Habuit familiaritatẽ cũ Firmiliano Cappadociæ episcopo: Gregorio, Athenodoro, episcopis Põti: Hymenæo Hierosolymitano, Theotecno, Maximo, & Dionysio Alexandrino, quem etiam ad Antiochenam synodum uocauit. Curriculum eius fuit circiter uiginti annos, aut amplius. Claruit enim in ministerio à temporibus Decij usque ad Aurelianum: hoc est, ab anno Christi ducentesimo quinquagesimoquarto, usq; ad ducentesimum septuagesimumquartum.

MARINVS.

EPiscopus fuit Marinus in Tyro Phœniciæ, ubi Ecclesiam ante eum rexerat Alexander. Sub Gallo Imperatore uixit. Eusebius ex epistola Dionysii, libro septimo, capite quinto.

PHÆDIMVS.

PHædimus Amasenus fuit episcopus, qui Gregorio Magno mirifico manus imposuit. Nicephorus libro sexto, capite decimoseptimo.

NICOMAS.

NIcomas Iconiensis fuit episcopus. Interfuit primæ synodi Antiochenæ, contra Samosatenũ. Eusebius libro septimo, capite uigesimooctauo & trigesimo. Vixit sub Galeno: interfuit utrisque synodis contra Samosatenum.

AGAPIVS.

SVcessit in episcopatu Cæsareæ Palæstinæ Agapius Theotecno: de quo Eusebius libro septimo, capite trigesimosecundo scribit: Quem plurimum laborasse, & synceriſsima prouidentia populo præfuisse: largaq; manu omnium, præsertim pauperum, curam gessisse scimus.

PAMPHILVS PRESBYTER.

PAmphilus presbyter dictus, patria Laodicenus fuit. Presbyter autem Eusebij Cæsareæ in Palæstina: quem tanto cõplexus Eusebius ipse amore & ueneratione est, ut nomine ipsius cognominis sui loco usus sit. De Pãphili uerò uita perpauca habemus: plura habituri, si libri elegantißimi tres, quos de eius uita, studijs, certaminibus & martyrio Eusebius scripsit, quemadmodum sæpe ipse testatur, extarent. Libro sexto, capite trigesimosecundo Eusebius ait, magno eum studio cõstruxisse bibliothecam Cæsarienſem, de qua suprà diximus. Et affirmat Hieronymus, eum maximam partem librorum Origenis sua manu descripsisse. Et addit, reperisse se uiginti quinq; uolumina Exegeseon Origenis in duodecim prophetas, Pamphili manu descripta: quæ se ita amplecti & adseruare ait, ut Crœsi se habere putarit diuitias. Idem & in Apologia aduersus Ruffinũ, hæc de Pamphilo, ex tertio libro Eusebij, de eius uita adducit: Quis studiosorũ, amicus non fuit Pamphili? Si quos uidebat ad uictum necessarijs indigere, præbebat largè quæ poterat. Scripturas quoq; sanctas non ad legendum tantùm, sed & ad habendum tribuebat promptißimè: nec solùm uiris, sed & fœminis, quas uidisset lectioni deditas. Vnde & multos codices præparabat, ut cùm necessitas poposcisset, uolentibus largiretur. Et ipse quidem proprij operis nihil omnino scripsit, exceptis Epistolis, quæ ad amicos fortè mittebat. In tantum se humilitate deiecerat. Veterum autem tractatus scriptorum legebat studioſißimè, & in eorum meditatione iugiter uersabatur. Extat tamen hodie Pamphili apologia, quam pro Origene scripsit, priusquàm Eusebius: ut Hieronymus ait. In ea aduersus calumniatores Origenẽ defendit, & errores quosdam à maleuolis falsò ei attributos commemorat primùm: deinde testimonijs ex Origenis libris petitis, confictos probat.

Certamina eũ in uarijs cõfessionibus persecutionis tempore toleraſse, Eusebius breuiter indicat: sed nulla explicat. ac martyrio tandem glorioſè functum ait: libro septimo, capite trigesimosecundo: sub Maximino, ut Hieronymus annotauit in Catalogo.

EVSEBIVS LAODICENVS.

EVsebium Laodicenum, Eusebij Chronicon insignem fuisse testatur anno Domini ducẽtesimo septuagesimosexto. Primùm autem Dionysii Alexandrini diaconus fuit, quemadmodũ ipse testatur apud Eusebiũ libro septimo, capite undecimo. In quo officio eum hanc pietatem præstitisse Dionysius scripsit, quòd quasi singulariter ad id à Deo animatus, confessoribus in custodia uinctis sedulò ministrauit, & corpora beatorũ martyrum non sine periculo sepelierit. Recitatur etiam prolixa historia apud Eusebium, quomodo hic Laodicenus Eusebius, cùm adhuc Alexãdriæ esset, eaq; à Romanis obsideretur, apud ducem Romanorũ impetrarit liberum egressum senum & pauperum, & quomodo eos recrearit. Deinde uerò post Socratem factum episcopum Laodiceæ Syriæ: quò profectus Alexander ob Pauli cõtrouersiam, à fratribus ibi rerum diuinarum studioſis, uelut optatus religionis thesaurus, retentus fuit. Eusebius libro septimo, capite trigesimosecundo.

EVSEBIVS PHŒNIX.

MEminit & alterius cuiusdam Eusebij, quem Phœnicem uocat, Nicephorus libro sexto, capite trigesimosecundo: eumq; contra hæresim Manichæorum scripsisse indicat.

ANATOLIVS.

ANatolius Alexãdrinus fuit, Eusebio teste lib. 7. cap. 32. In Chronico uerò, clarusse eũ ostendit anno Domini ducentesimo octuagesimo, sub Probo & Caro Imperatoribus, ut Hieronymus annotauit. Excelluisse eũ eloquentia, Græca eruditione, & disciplinis philosophicis, Arithmetica scilicet, Geometria, Astronomia, Dialectica, Physica, & cognitione Rhetorices, præstantißimos sui temporis omnes: Eusebius ex uerbis Dionysii scripsit. Quamobrem & aliquãdo scholæ Aristotelicæ Alexandriæ præfectus fuerit. Multa eum etiã strenuè egisse in obsidione Pyruchij testatur. Nam per Eusebium Laodicenum, qui in altera parte ciuitatis erat, qui cum Romano exercitũ faciebat, impetrauit, ut senioribus & fame confectis, & ad arma non idoneis, liceret tutò ciuitate egredi.

Factus autem episcopus est, Theotecni episcopi Cæsareæ Palæstinæ tempore, qui manus ei primus imposuit, successorem eum suum post mortem futurũ polli-

citus. Ad episcopatum autem Laodicenum eiusmodi occasione peruenit. Cùm enim rediens à synodo Antiochena, quæ contra Paulum instituta fuerat, Laodicæam transiret, à fratribus ibi retentus, & Eusebio mortuo successor datus est.

Plurimas fuisse eius lucubrationes, ex quibus cognosci potuerit, quàm disertus & multiplici eruditione instructus fuerit, in eodem loco Eusebius indicauit. Quasdam etiam earum lucubrationũ recenset, ut & Hieronymus: disputationem nimirũ eruditam, seu canones de paschate, ex quo libro ista Eusebius ad hunc modum descripsit: Habet, inquit, in primo anno nouilunium primi mensis, quod initiũ est circuli, annos decem ac nouem complectentis, apud Ægyptios uicesimasexta die mensis Phamenoth: secundum Macedonũm uerò menses, uicesimasecunda mensis Dystri: sicut Romani uerò dicũt, ante undecimã calendarum Aprilis. Inuenitur autem sol in prædicta uicesimasexta Phamenoth, non modò primam sectionem ascendisse, sed iam quartum quoq; diem in illa transisse. Hanc autem cæsuram primam duodecimam partem, & æquinoctium, & mensiũ initium, & caput circuli, & remissionem cursus planetarũ: eam uerò quæ hanc præcedit, postremam mensium ac duodecimam cæsuram, & postremam duodecimam partem, & finem circuitus planetarum, uocare solent. Quapropter & eos qui in illa primum mensem posuerunt, & quartamdecimam lunam paschatis secundũ ipsam acceperunt, haud parum nec uulgariter errare dicimus. Et hoc non ex nobis ipsis proferimus, sed cognitum est ipsis priscis Iudæis, etiam ante Christi aduentũ, & seruatũ est ab illis potissimum. Licet autem hoc cognoscere ex illis quæ à Philone, Iosepho, ac Musæo: & non ab illis modò, sed & antiquioribus dicuntur, utrisq; scilicet Agathobulis cognomẽto præceptoribus Aristobuli illustris, quiinter Septuaginta, ad hoc delectos ut sacras ac diuinas Ebræorũ scripturas interpretarẽtur, regibus Ptolemæo & Philadelpho ac patri huius, libros quibus legem Mosi exponebat, nuncupauit. Hi quæstiones Exodi soluentes, sacrificia paschatis ex æquo cunctos post æquinoctium uernale, primo mense mediante, sacrificare debere dixerunt. hoc autẽ reperiri, ubi sol primã cæsuram solaris, uel (ut quidam ipsorum nominant) signifẽri circulum transiuit. Aristobulus uerò adijcit, necessarium esse ad festum paschatis celebrandũ, ut non modò sol, sed & luna æquinoctialem cæsuram transierit. Cùm enim duæ sint æquinoctiales cæsuræ, una uernalis, altera autũnalis, ex diametro à se inuicem distantes, & dies paschatis quartædecimæ mensis post uesperã sit deputatus, constanter quidem luna ex diametro soli erit oppositа, sicut etiã in plenilunijs cernere licet. Atq; ita sol erit in cæsura æquinoctij uernalis, Luna uerò necessariò in cæsura æquinoctij autumnalis. Noui plurima & alia ab illis dicta, partim probabilia, partim authẽticis probationibus asserta, quibus probare conantur, paschatis & azymorum festum omnino post æquinoctiũ celebrari debere. Transeo autem huiusmodi demonstrationum argumẽta ab illis producta, quibus uelamen Mosaicæ legis ablatum est, & iam reuelata facie Christus & Christi scientia & passiones perpetuò cõspiciuntur. Expositiones item & doctrinas Enoch, & decem Commentarios mathematicarum introductionũ: item alia deniq; studij sui in Scriptis diuinis monumenta.

STEPHANVS.

ANatolio defuncto, successit in eodem episcopatu Stephanus, postremus eorum qui Diocletiani persecutionem præcesserũt: uir quidem clarus philosophiæ & Græcarum literarũ scientia, sed non perinde constans & fortis in confessione fidei, quemadmodum persecutionis progressus declarauit. Pusillanimem enim se in ea, & meticulosum magis quàm philosophum uerum præbuit. Vnde & periclitatura sub eo fuisset res Christianæ religionis, nisi ab ipso Deo sustentata fuisset. Eusebius libro septimo, cap. ultimo. Successorem habuit Theodorum.

DE APHRICANIS episcopis.

DE ALEXANDRINIS.

HERACLAS.

HEraclas ethnicus primùm fuit. cum fratre eiusdẽ Plutarcho se contulit discendi gratia ad Origenem, cùm is catechizandi munus Alexandriæ admiristraret, in persecutione sub Seuero. Euseb. lib. 6. cap. 3. Adhæsit autem pluribus annis Origeni, & non philosophicarũ solùm, uerùm etiam diuinarũ literarum excellentem cognitionem sibi comparauit. Quæ ornamẽta in eo Origenes præ cæteris, quos tum discipulos habuit, peculiariter admiratus, ex toto eum auditorum suorum cœtu delectum, hypodidascalum sibi adiunxit, sub imperio Antonini filij Seueri. Eusebius libro sexto, cap. decimoquinto. Decimo dehinc Alexandri Imperatoris anno, cùm Alexãdriam Origenes relinqueret, ac Cæsaream cõmigraret, suo eum ordini & loco in ludo Alexandrino præfecit. Eusebius libro sexto, capite uigesimosexto. Demetrio defuncto sub Gordiano, episcopatum Alexandrinæ ecclesiæ suscepit. Eusebius libro 6. cap. 29. Et cùm antea communi habitu usus fuisset, posito eo philosophicum sumpsit, quo & deinceps usus est. Sed hîc iam ueris testimonijs & narrationibus destituuntur, de uita Heraclæ in episcopatu, de doctrina, de scriptis, de certaminibus, & alijs rebus quæ ad historias accuratas requiruntur. Illud de eo refert Origenes, quòd Gentiliũ libros, iam presbyter existens, non cessaret euoluere: idq; ut fortius ethnicos refelleret. Eusebius libro sexto, capite uigesimo. Celebrem eum doctorem, & autoritate præstantem fuisse, inde aliquo modo colligi potest, quòd in annalibus Aphricanum scripsisse Eusebius indicat libro sexto, capite trigesimoprimo, se excitatum fama & celebritate Heraclæ, Alexandriam properare. Huc facit, quod insigni eum nomine Dionysius Alexandrinus, ad Philemonem presbyterum Romanum scribens, beatum papam uocat: atque hæc quæ de modo recipiendi eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam ultrò redijssent, obseruarit ac tradiderit Heraclas, ad hunc modum narrat. Hunc ego canonem & typum à beato Heraclapapa nostro accepi. Ab hæreticis etiam uenientes, licet ab Ecclesia defecerint, imò non defecerunt, sed cum illa

cum illa se egisse putarunt: proditos uerò, quod ad quendam aliena docentem accesserint, ab Ecclesia pepulit, nec admisit, ne orantes quidem, nisi publicè cũcta quæ audissent ab aduersarijs exposuissent. Ac tum demũ collegit eos, non petens ut denuò baptisarentur: etenim iam antea Spiritum sanctum fuerant ab eo consecuti. Eusebius libro septimo, cap. septimo.

Præfuit Ecclesiæ Heraclas annis sedecim. Eusebius libro sexto, cap. trigesimo quinto, cùm quidem antea etiã in scholis multis annis præclarè seruijsset. Post eum Dionysius decimustertius episcopatum suscepit, anno Domini ducentesimo quinquagesimoprimo: de quo prolixius quædam, quia sic historiæ suppeditant, dicere instituimus.

DE DIONYSIO Alexandrino.

NAtus Alexandriæ Dionysius, sicut eum Suidas Dionysium ab Alexandria uocat, Origenis quõdam discipulus fuit. Cùm autem Imperiũ Romæ Gordianus teneret, & Heraclas, quem Cæsaream Origenes profectus, scholæ suæ Alexandrinæ præfecerat, Demetrio pridem defuncto in episcopatũ subrogaretur, Dionysius Heraclæ in schola succeßit. Rursum cùm episcopatum annis non amplius sedecim Heraclas administrasset, & uita defunctus esset, etiam in episcopatu munere Dionysius successor eius fuit, anno Domini ducentesimo quinquagesimoprimo, ut Eusebius annotauit: anno uerò Philippi tertio, Euseb. lib. 6. cap. 35. Et si autem nec de uita eius, nec de administratione episcopatus sui explicita satis à nobis dici possunt: ideo quòd Epistolæ eius, in quibus historiam suorum temporũ, ut Eusebius indicat libro septimo, cap. primo, ipse texuit, ad nos non peruenerũt: tamen singulari eum præstitisse facultate & dono docendi, hæc pauca etiã quæ de eo Eusebius retulit, indicio esse possunt. Confutauit etiam & suppreßit permultas hæreses. Acceßit ad hoc ipsius donum, autoritas etiam singularis, quæ in gubernatione Ecclesiæ plurimũ habet momenti. Nec suã solùm magna diligentia & solicitudine gubernauit & curauit Ecclesiã, uerùm etiã alias seu uicinas, seu longius positas fideliter adiuuit: nec per epistolas tantùm, sed & coràm, quemadmodũ ex capite uigesimoquarto libri septimi Eusebij uidere est. Quibus uirtutibus non uulgaribus ornamentũ illud pulcherrimũ adiecit, constantiã scilicet, quam in confeßione egregiã præstitit: nec se aut aduersariorũ minis, aut exilijs, aut periculis, aut persecutionibus, aut tormentis, aut condemnationis denique sententia (quarum rerum ab eo, sicut ipse in scripto quodã aduersus Germanũ fatetur, nulla abfuit) uinci passus est.

Addendum & hoc est, quòd apertè de pœnis Imperatorũ & sceleribus eorum dicere ausus fuit. Eusebius libro septimo, capite uigesimotertio, & in epistola ad Philemonem, referẽte Eusebio, libro septimo, cap. septimo, narrat, se uisione quadã & uoce diuina cõmonefactum esse, ne de libris hæreticorum legendis superfederet: ualiturum enim eum expendere & probare omnia, cùm inde ab initio ei data sit fidei occasio: eam uisionem acceptauit tanquam Apostolicæ uoci conformem ad potentiores dicenti, Sitis probati dispensatores. Et in Epistola prima ad Germanum dicit, sibi à Deo præceptum esse sub persecutione Decij, ut fugeret: Eusebius libro sexto, capite quadragesimo.

De Dionysii scriptis.

Scripsit plurimas & innumerabiles epistolas ad Ecclesias & fratres diuersos, de multis & uarijs rebus, quarum aliquot Eusebius libro sexto, capite septimo, meminit hoc ordine & numero:

Epistola ad Germanum, de sua persecutione.

Alia ad Fabium Antiochenũ, de martyribus Alexandriæ sub Decio paßis, & de lapsis recipiendis.

Aliquot item literæ ad Fabianum Romanum, de pœnitentia.

Epistola ad Nouatum.

Alia ad fratres per Ægyptum, de pœnitentia.

Ad Cononem, de eodem argumento.

Alia ad gregem suum Alexandrinum.

Alia ad Origenem, de martyrio.

Ad fratres Laodicænos, de pœnitentia.

Alia Ad Cornelium Romanum, in qua approbat illius epistolam cõtra Nouatum, ex qua Volaterranus Anthropol. libro decimoquinto initium protulit, Scito frater: & notãdum esse scripsit, præsules tum temporis Romanum pontificem appellasse fratrem.

Alia ad Romanos, per Hippolytum.

Alia de pace.

Alia rursus de pœnitentia.

Alia ad confeßores, Nouati sententiæ adhærentes.

Duæ aliæ ad conuersos ad Ecclesiam.

Alia ad Hermammonem, de Gallo Imperatore.

Epistolæ de baptismo, quarum primam scripsit ad Stephanum Romanum.

Ad Xystum, de baptismo Epistola secunda.

Ad Philemonem Romanum presbyterum, de baptismo epistola tertia.

Ad Dionysium Romanum, de baptismo epistola quarta, in qua & Nouati meminit.

Alia rursus de baptismo, ad Xystum & ecclesiam Romanam.

Alia de Luciano, ad Dionysium Romanum.

Alia ad Hermam, de persecutione sub Valeriano & Galieno.

Alia aduersus Germanum, de sua persecutione sub Valeriano.

Alia ad Domitium & Didymum, de afflictione in persecutione.

Epistolæ aliæ de ferijs & de paschate.

Alia ad Flauium.

Alia ad Domitium & Didymum, de paschate.

Alia ad compresbyteros per Alexandriam.

Aliæ deniq; ad alios atq; alios, tempore persecutionis exaratæ.

Alia rursus ad Hieracem Ægyptiorum episcopum de ferijs, in qua & seditionis Alexandrinæ facit mentionem.

Alia ad fratres Ægyptios, de festis post pacem Alexandriæ redditam.

Alia de sabbatho.

Alia de exercitio.

Alia ad Hermammonem & fratres Ægyptios, de malicia Decij & successorum eius, deq; pace sub Ga-

lieno reddita.

Epistolæ aliæ contra Sabelliũ & Hammonem Bernicesem episcopum.

Alia ad Thelesphorum.

Alia ad Euphranorem.

Alia ad Ammonem & Euporum. Meminit istarum Athanasius in epistola contra Arianos de sententia Dionysii, & scriptas ait fuisse contra Sabelliũ: in quibus cùm ea tantùm, quæ humano more de Christo dicuntur (cuius humana omnia, ut Athanasius loquitur, Ariani patri imputabant) retulisset, Ariani pro se ea excerpserãt, sed falsò. alia enim occasione & causa eas Epistolas Dionysius scripserat. Indicat ibidem Athanasius, Dionysium Alexandrinum propter easdem Epistolas accusatum fuisse apud Dionysium Romanum episcopum.

Alia ad Basilidem Pentapolitanorum episcopum, in qua significat se exposuisse Ecclesiasten.

Aliæ item uariæ Epistolæ ad eundem.

Epistola alia ad synodum cõgregatam Antiochiæ contra Samosatenum, scripta paulò antè quàm moreretur: quam epistolam insignem Hieronymus uocat in Catalogo, qui & plurimas ad diuersos epistolas de hæreticis baptisandis ab eo scriptas indicat.

Aliam ad Heraclem in Ægypto episcopum.

Aliam deniq; de mortalitate.

Indicat Eusebius libro septimo, capite uigesimosexto, & octo ab eo libros forma epistolari conscriptos fuisse, interq; eos unum de natura, filio Timotheo nuncupatum.

Meminit ibidem & quatuor Commentariorũ contra dogma Sabelli ad Dionysium Romanum, quorum etiam Hieronymus & Theodoretus meminerunt.

Duorum item Commentariorum de promißionibus contra Nepotem Ægyptium episcopum Chiliastam, in quorum primò sententiam suam de dogmate Nepotis recitasse eum scribit, in altero uerò de Apocalypsi Ioannis disputasse.

Libri item de tentationibus, ad Euphranorem.

Commentarij in Ecclesiasten Salomonis, quem se enarrasse ad Basilidem, ut diximus, scripserat: meminit etiam Suidas, & Commentarium uocat disertum ualde.

Athanasius etiam operis cuiusdam Dionysii meminit, quod eum edidisse scribit sub nomine Elenchi & Apologiæ: quod opus Scriptura ab eo testatur, nõ rixandi studio, sed sui purgandi causa, cùm ob epistolas ad Ammonem & Euphranorem de humanitate Christi, de quibus diximus, apud Dionysium Romanum accusatus fuisset.

Qua re comperta, significat eum etiam uolumen contra Sabelli sectatores & Arij dogmata composuisse, in quo æquales has duas hæreses, sed contrarias tamen inter se esse tradiderit. Meminit & libri Narrationum secundi, Eusebius libro tertio, capite uigesimooctauo, unde de Cerintho quædam describit.

De Dionysii doctrina.

Rectè eum de Trinitate scripsisse, Athanasius probat in epistola de sententia Dionysii contra Arianos, qui falso eum secum sentire calumniati fuerant. Alij etiam rectè sentientes, propter epistolam ad Euphranorem & Ammonium, ignari causæ ob quam eas scripsisset Dionysius, eum Romæ apud Dionysium episcopum accusauerãt. Quo crimine, aut suspicione potius, ut se purgaret Dionysius, apologiam suæ fidei scripsit, ex qua hæc de Trinitate orthodoxa testimonia Athanasius describit.

Nunquam (inquit Dionysius) fuit, quando Deus non erat pater. Et in sequẽtibus agnoscit, semper Christum uerbum & sapientiam, & uirtutem fuisse: nihil etiam horum, cùm Deus existeret, factum esse, neque posterius filium genuisse: filiumq; non ex se, sed ex Patre essentiam natum esse. Et paulò pòst ita de eodem dicit: Iam quia splendor est æternæ lucis, omnibus modis ipse quoq; æternus est. Luce enim semper existente, certum est & splendorem semper existere: eo enim ipso lucem esse, quod splendeat, intelligitur: non enim fieri potest, ut lux non luceat. Rursus ad comparationes exemplorũ redeamus. Si sol est, est & splendor & dies. Quòd si horum nihil est, magnopere abest ut sol posßit dici abesse. Quòd si sol æternus esset, indesinenter & dies esset: nunc autem non est. incipiente igitur sole, incipit & dies: & desinente, desinit. Deus autem æterna lux est, nec incipiens unquã, nec desinens. Igitur æternus cohæret illi & coniunctus est splẽdor, qui sine principio genitus, semper ab eodem promicat, hoc est sapientia, cuius hæc sunt uerba: Ego eram cui gratulabatur, quotidie autè per omne tempus gestiebã coram eo. Atq; iterũ Dionysius paulò pòst ista de eodẽ loquitur: Existente igitur æterno Patre, existit & æternus filius, Lumẽ de lumine: nam si pater est, necessariò filius est. Si enim nullus filius genitus est, quomodo ipse pater? aut cuius tandẽ pater fuerit? At qui ambo sunt, & ab æterno sunt. Deinde hæc addit: Si Deum lucem uoces, Filium splendorem esse dices. Si Spiritum (siquidem Deus Spiritus quoq; dicitur) filiũ uaporem appellabis. Est enim (inquit ille) uapor potentiæ Dei. & mox hæc à Dionysio inferuntur, Solus filius cum Patre semper coexistit, plenusq; existens est, & ipse ex Patre existit. Hæc si ambiguè dicta fuissent, haberent interpretatione opus: nunc quia euidenter dicta sunt, & subinde ab eo repetita, est cur Arius dentibus studeat, quum suam hæresin à Dionysio subrui uideat: eumq; sibi, quod mimimè cupit, inclamantem audiat, Semper Deus Pater erat: & filius non aliquo leui modo æternus censendus est, sed eo modo quo Pater æternus est, & ipse quoq; æternus est: & pariter cum eo coëxistit, ut splendor cum lumine.

Et in secundo uolumine: Singula illa nomina, de quibus locutus sum, inquit, insegregabilia à se inuicem sunt, nec diuidi queunt, Patrem quum dico, etiam sine mentione filij, filium sub Patris uocabulo indicatum uolui: contrà, si in mentione filij Patrem omisissem, tamen ille sub nomine filij intelligi debuit. Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita, ut pariter adiungerem, unde nam ille, & per quem uenerit. Sed isti ignorant Patrem à filio alienari non posse, & sub Patris uocabulo primarium coniunctionis autorem contineri: & filium à Patre quasi domicilio ãsgregatum non esse, eo quòd

Patris

Patris uocabulum hanc communionem indicet: & in patris filijq; manibus esse spiritum sanctum, sed ita ut neque à mittente, neq; à ferente segregentur.

Et paulò pòst: Hoc scilicet pacto unitatem, quæ indiuisibilis est, in Trinitatem dilatamus: & Trinitatem, quæ diminui non potest, in unitatem consummamus.

Similia Athanasius refert Dionysiũ scripsisse in libris cõtra Sabelliũ, in Epistolis de decretis Nicenæ Synodi. & in alia Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ: Dionysius, inquit, episcopus Alexandriæ, contra Sabellium scribens, & Saluatoris ministerium in carne pluribus uerbis exponens, ijsq; conuincens Sabellianos, refellensq; patrem non fuisse carnem factum, sed uerbum eius fuisse quod carnem induerat, quemadmodum à Iohanne dictum fuit, & in suspicionem raptus, quòd filium creaturam nominasset, eumq; factum esse & consubstantialem patri dixisset, ad Dionysium episcopum Romanum eiusdem secum nominis, pro defensione crimmis ita scribit, se non dixisse filium esse factum, quem patri consubstantialem confitentur. Illius autem forma loquendi talis est: Et in alia epistola scripsi, qua demonstraui falsum esse crimen quod mihi obijciunt, quasi dixissem, Christum non esse consubstantialem Deo. Etsi hoc nomen consubstantialis dixerim non inueniri usquam in sacris literis: tamen argumenta mea, quæ ipsi tacitè omiserũt, à re ipsa significationeq; uocabuli non abludunt.

Ex Dionysij apologia etiã Basilius libro de Spiritu sancto, formam gratiarum actionis recitat, in qua tres personas Dionysius, ut coæternas, coæquales, & simul omnipotentes nominat: His, inquit Dionysius, congruenter & nos, etiam forma, regulaq; à senioribus qui ante nos uixerunt, accepta, concordibus uocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam nobis scribere desinemus. Deo autem patri, & filio Domino nostro Iesu Christo, cum sancto spiritu, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Ex quibus omnibus, quantum ad hanc doctrinæ partem attinet, Athanasius pronunciare non dubitauit, Dionysium religiosum & pium fuisse. nam nunquam eum ab alijs episcopis impietatis conuictum fuisse, neque hæreses propugnãdo ab Ecclesia unquã secessisse, sed in ea cum pietate obdormiuisse, eiusq; memoriam cum patribus orthodoxa sentientibus celebratam, & in catalogum relatam esse.

De cœna Domini sensit, accipientes participes fieri corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Eusebius libro septimo, capite nono, & epistola ad Xystum.

In articulo doctrinæ de pœnitentia rectè sensit, lapsis spem ueniæ nõ esse præcidendã, sed recipiẽdos eos, & ad pœnitentiam admittendos esse. Hinc tot Epistolas ad diuersos scripsit de pœnitentia, & Nouatum diuersi dogmatis autorem reprehendit. Eusebius libro sexto, cap. quadragesimo secundo, et quadragesimoquinto: & libro septimo, capite octauo.

Quid de ferijs seu festis senserit, iudicari posset, si Epistolæ quæ de ijs ad aliquos scripsit, extarent.

De paschate censuisse eum, Eusebius libro septimo, capite uigesimo indicat, nunquã id aliter, nisi post æquinoctium uernale celebrandum esse.

De ministerio docet, quòd pij doctores debeant Veritati adhærere sine respectu ullarum personarum aut donorum: & confutare contradicentes. sicut luculenter inquit: Veritas amica est, et præ cũctis honoranda: & si quid rectè dicitur, laudandum & approbandum candidè. Quæ uerò non sanè scripta uidentur, inquirenda sunt, & refellenda. Eusebius libro septimo, capite uigesimoquarto: ex libro Dionysii de promissionibus. Docuit etiam de resurrectione, aduentu Christi, & alijs articulis: sed, quòd scripta eius non extant, copiosius recitare non possumus.

De Dionysii næuis.

Ruffinus in Apologia pro Origene, significat, in libris Dionysii contra Sabellium quædam inesse, quæ ad Arianorum dogma declinant: quamobrem sæpenumero Ariani, autoritate tanti uiri, se suamq; causam defendere conati sint. Sensit autem, inferta ea fuisse libris Dionysii à falsarijs & maleuolis, ac Dionysium nihil minus quàm cum Ario sensisse. Quæ causa fuerit, ut Athanasius, qui Dionysium rectè sensisse nouerat, Apologeticum pro eius libris scribere compulsus fuerit. Verùm eam Ruffini defensionem reprehendit Hieronymus, in apologia aduersus Ruffinum. Defendit eum tamen sat firmis rationibus Athanasius.

Extat apud Nicephorum libro sexto, capite uigesimoquinto, totum caput descriptum ex epistola Basilij Magni ad Maximum episcopum, de erroribus huius Dionysii, quod & nos adscribimus.

Quæ inquiris, inquit, Dionysii scripta plurima ad nos peruenêre. Quòd autem librorum eorum copia nobis non est, propterea ad te non misimus, de quibus sic nostra est sententia: Non omnia eius uiri admiramur opera: sunt etiam nonnulla, quæ prorsus abrogamus. Verè enim impietatis istius, quæ tantopere nunc celebratur, eam dico quæ κατὰ τὸ ἀνόμοιον, siue de inæqualitate est, quantum ego scio, ipse primus seminarium præbuit: non illo quidem improbitate mentis & sententiæ, sed quod uehementius acriusq; oppugnare Sabellium uoluerit. Quem ego comparare solitus sum insitori, qui cùm incuruum tenellæ arboris statum sedulò corrigere studeat, deinde immodica attractione peccet, & modò excidat, plantamq; ipsam in contrariam diuersamq; deducat formam. Simile quiddam enim & in hoc uiro factum esse deprehendimus. Ille enim acrius impietati Libyci hæretici congressus, non sensit, nimio cõtentionis studio se in cõtrarium ferri malum. Cui satis fuerat ostendere, non idem esse subiecto ipso patrem & filium, & hoc uictoriæ laudem à blasphemo illo reportare: ipse autem ut apertè admodum & prolixè illum conuinceret, non tantùm diuersitatem subsistentiarum, uerùm etiam substantiæ differentiam, & potestatis ueluti remissionem, & gloriæ mutationẽ affert. Ita ut eum per hoc contigerit malum ipsum malo alio commutare, & à recta doctrina aberrare. Itaque in scriptis suis uarius est. Nonnunquam enim τὸ ὁμοούσιον siue consubstantiale tollit, per eum, quo ad subsistentias

abrogandas male utitur, librum: aliquando autem id admittit, in eis scilicet quæ pro defensione eius ad sibi cognominem composuit scriptis. Tum autem de spiritu etiam sancto uoces emisit, spirituali uerò minimè congruentes, ab ea quæ adoratur, eum diuinitate proscribens, & ueluti in infimum ordinem creatæ & ministræ naturæ redigens. Ac talis hic quidem uir fuit.

Scribit Hieronymus in catalogo, Dionysium etiã in Cypriani & synodi Africanæ dogma consensisse, de hæreticis rebaptizandis. Quod ex libro septimo, capite quinto Eusebij non obscurè liquet: cùm tamen diuersum se obseruasse: palàm indicet in Epistola ad Philemonem presbyterum Romanum, & in Epistola alia ad Xystum Romanum episcopum: in qua significat, se quendam ab hæreticis baptizatum, cùm ad Ecclesiam redijsset, & denuò baptizari petijsset, non fuisse ausum rebaptizare, sed communionem ei sufficere existimasse. Ex utraq; Epistola aliquot partes recitat Eusebius libro septimo, capite septimo & nono.

De Dionysii certaminibus.

Scribit ipse aduersus Germanum, quendam ex episcopis suorum temporum, se in Cephro Lybiæ Æmiliani præsidis sub Valeriano Imperatore exulantẽ, magnam ibi ethnicorum multitudinem conuertisse: quod sine dubio absque certamine fieri non potuit. Et quidem ipse multa se in ea conuersione dura sustinuisse fatetur, cùm significat, se persecutionem & lapidationem apud eas gentes, priusquã ad fidem Christianam perduci potuerint, pertulisse. Habet exemplar eius scripti contra Germanum, Eusebius libro septimo, capite undecimo.

Deinde contra fratres falsos seu hæreticos, pugnas acres plurimas sustinuit: ut contra Nouatum ipsum, & suam sectam, contra quam constantißimè defendit doctrinam de lapsis non reijciendis, sed recipiendis in Ecclesiam. Quæ occasio & pugna multa ei extersit utilia haud dubiè scripta de pœnitentia: sed ea non extant.

Videtur & in synodo quadam fuisse Antiochiæ, contra eos qui schisma ibi Nouati confirmare nitebantur, ut Eusebius indicat libro sexto, capite ultimo.

Postea editis disputationibus pugnauit contra Nepotem Ægyptium episcopum, qui promißiones ostensas in scripturis, nimis Iudaico more reddendas docuerat, & millenaria quadam annorum corporalibus delicijs in hac terra futuris decreuerat. Quam opinionem, duobus libris, sicut & suprà monuimus, Dionysius confutauit & euertit, edito ea occasione exacto iudicio de Apocalypsi Iohannis, ex qua Chiliastæ crassi sui & uoluptuosi somnij fundamentum ferè extruunt. Contra idem etiam Nepotis dogma Dionysius se coràm disputasse scribit, in Arsenoite præfectura Ægypti, ibiq; totam eam factionem cum Coracione suo in uiam reduxisse. Eusebius libro septimo, capite uigesimotertio, & uigesimoquarto.

Postea contra Sabellij hæresin aliquot scriptis & epistolis, non sine periculo suo scripsisse eum, narrat Eusebius libro septimo, capite sexto. Cerinthi etiam hæresin improbauit in secundo Narrationum libro, ut patet ex Eusebij libro tertio, capite uigesimooctauo. Nicephorus libro sexto, capite uigesimoquarto, etiam contra Manetem eum scripsisse prodidit.

Misit & epistolam in concilium Antiochiam, cùm eò uenire senectutis causa non potuisset, contra dogma Samosateni, Eusebius libro septimo, capite uicesimoseptimo. Præsenti postremò & constanti animo, & suam & Christianorum causam egit apud Æmilianum præsidem, persecutorem sub Valeriano. cui mandanti, ut Christianus esse desineret, fortiter in faciem respondit, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Partem eius contentionis & actionis cum Æmyliano, ex ipsius Dionysii Epistola recitat Eusebius libro septimo, capite undecimo. Indicare uidetur Dionysius in eadem epistola, acria etiam sibi certamina obeunda & sustinenda fuisse in persecutione sub Decio, contra Sabinum præsidem.

Etsi enim martyrium Dionysius non pertulit, sed in Ecclesia consenuit, in cuius utilitatem, ut Nicephorus ait libro quinto, capite uigesimooctauo, à martyrio eum Deus præseruauit: persecutiones tamen multas & exilia uaria sustinuit, in duabus uehementibus persecutionibus sub Decio ac Valeriano. Et qualia in persecutione Deciana sibi obtigerint, ipse in hunc modum narrat in Epistola quadam ad Germanum. Ego in conspectu Dei loquor, & ipse me non mentiri nouit, haudquaquam mei ipsius rationem habens, neq; sine Deo fugam cepi: sed & antea priusquàm sub Decio inualesceret persecutio, Sabinus eadem hora frumentarium, ut me quæreret, misit. Et ego quidem quatriduum domi mansi, aduentum frumentarij expectans. Ille uerò cùm omnia perscrutaretur, uias, flumina, agros, ubi me uel latere, uel transisse putabat, cæcitate quadam tenebatur, ne domum inueniret. non enim credebat me domi ea persecutione manere. Vix tandem quarto die, Deo mihi ut migrarem præcipiente, uiamq; mirabiliter aperiente, ego & liberi, & multi fratres simul egressi sumus. Et quòd ea res diuinæ prouidentiæ opus esset, sequentia declararunt, in quibus nonnullis forsan utiles fuimus. Deinde aliquanto pòst, quæ post fugam sibi acciderint, indicat, hæc subijciens: Ego nanque cùm Heliodysmas unà cum illis qui mecum erant uenissem, Taposirim à militibus ductus sum. Timotheus uerò, secundum prouidentiam Dei nec aderat, nec captus erat: ubi autem domum tandem uenit, domum desertam reperit, ac ministros illam custodientes, nos uerò captos. Et aliquanto pòst dicit: Et quis est admiranda dispositionis eius modus. Etenim quæ uera sunt dicam. Fit obuiam ex agro quispiam Timotheo fugienti & perturbato, causamque cur ita festinaret percontatur. Hic, quod res erat edicit. Ille cùm audisset, ad nuptiarum conuiuia, quò aliàs ibat, iter suum prosequitur. (erat enim illis mos, in huiusmodi conuentibus pernoctare) & ubi illuc uenit, in conuiuio

conuiuio accumbentibus quod audierat indicat. Illi uno impetu, uelut ex pacto cuncti prorumpunt: ac uelociſsimo curſu in nos incidentes, tumultuaria uociferatione feruntur. & cùm milites qui nos cuſtodiebant, confeſtim fugiſſent, nos inuaſerunt, ſicut eramus ſuper ſcabellis iacentes. Et ego quidem primùm, Deus nouit, quoniam eos prædones eſſe, ac deprædandi ac rapiendi gratia ueniſſe putabam, ſicut eram in ſtrato nudus, in lineo indumento iacens manebam: reliqua uerò ueſtimenta, quæ adiacebant, illis porrigebam. Ibi uerò, ut ſurgerem, & uelociſsimè exirem iubebant. Tum uerò intelligens qua de cauſa adeſſent, uociferabar precando ac ſupplicando, ut & nos abire ſinerent. Si uerò beneficij quid impertire uellent, eos qui me abducerent hactenus præuenirent, ut ipſi me capite truncarent, orabam. Et cùm iſta clamarem, ſicut norunt conſortes mei ac omnium participes, uiolenter prorumpebant. Ego quidem me pronum ſupra pauimentum conijcio, illi uerò & manibus & pedibus correptum extrahunt & abducunt. Sequuntur autem me, qui teſtes horum omnium ſunt, Gaius, Fauſtus, Petrus, Paulus, qui me etiam abreptum è ciuitatula ducunt, & aſino ſic nudo impoſitum auehũt. Hæc Dionyſius de ſeipſo ſcripſit. Exemplum eius Epiſtolæ hoc modo Euſebius retulit libro ſexto, capite quadrageſimo.

Sub Valeriano uerò exilia multa & uaria pertulit, iuſſus primùm ab Æmiliano exulatum cum fratribus abire in Cephron, ubi ſtudio propagandi apud Barbaras eas & Lybicas gentes uerbi Dei, perſecutionem non mediocrem & lapidationem pertulit. Cùm tamen ibi, quemadmodum diximus, non paucos Ethnicos à ſimulachrorum cultu ad Deum uerum conuertiſſet, iuſſus ob eam cauſam eſt migrare ad aſperiora loca, & magis Lybica, ad Mareotam: in quo itinere cum fratribus præcipuis ex compoſito captus eſt, ac poſtea in colluthionem deportatum eſt. Hæc poſteaquàm ſic de ſua fortuna in perſecutionibus narrauit, tandem adiecit: De multis forſan conuerſionibus gloriatur Germanus, & multa de afflictionibus quas pertulerit, narrare poteſt, qualia de nobis recenſeri poſſunt: utpote condemnationis ſententias, publicationes, proſcriptiones, facultatum direptiones, dignitatum depoſitiones, mundanæ gloriæ neglectum, laudum quæ præfidibus & conſulibus competunt, contemptum: aduerſariorum minas, reclamationum, periculorum, perſecutionum, errorum, anguſtiarum, & uariarum tribulationum tolerantiam, quæ mihi ſub Decio & Sabino, & hactenus ſub Æmiliano contigeruut. Et rurſus paulò pòſt: Quomodo agamus, audiſtis quidem omnes: quum uincti à centurione, ducibus militibuſq; & miniſtris ego & Gaius & Fauſtus, & Petrus & Paulus abduceremur, Mareotenſium quidam irrumpentes, inuitos nos, nec ſequentes, ſed uiolenter tractos abripuerint. Ego uerò iam, & Gaius & Petrus, ſoli, reliquis fratribus priuati, in ſolitudine ac ſqualido Lybiæ loco, itinere trium dierum à Paretonio diſtantes, concluſi tenemur. Recitat hoc exemplum narrationis Dionyſii de ſuis exilijs, Euſebius libro ſeptimo, capite undecimo.

Seruatus ſic à martyrio Dionyſius, & pace reddita Alexandriam reuerſus, in ſeditionem incidit, in qua etiam multa triſtia indicat ſe pertuliſſe: ac proximè in diram & ſæuiſsimam luem illam incidiſſe, quæ prouincias multas totius orbis, maximè tamen Alexandriam & Ægyptum infeſtauit, quouis (ut Dionyſius loquitur) terrore terribilior, ſub Gallo & Voluſiano, anno Chriſti (ut Euſebius indicat) ducenteſimo quinquageſimoquinto.

Mortuus tandem eſt ſenex intra ſynodos contra Paulum Samoſatenum, anno Imperij Galieni duodecimo, Chriſtiani uerò anno ducenteſimo ſexageſimooctauo, quum annos ſeptemdecim eccleſiæ Alexandrinæ præfuiſſet: quemadmodum Euſebius oſtendit libro ſeptimo, capite uigeſimooctauo. Præfuerat autem ante epiſcopatum & ſcholæ Alexandrinæ per annos ſedecim, à decimo ſcilicet Alexandri Imperatoris anno uſq; ad tertium Philippi, quemadmodum Euſebius indicat libro ſexto, capite uigeſimoſexto & trigeſimoquinto. Hunc Dionyſium Theodoretus doctrina inſignem dixit.

Dionyſio uerò decem & ſeptem annis epiſcopatu perfuncto, ſucceſſit in eodem decimuſquartus Maximus, anno Galeni Imperatoris decimo, Chriſti uerò ducenteſimo ſexageſimoſexto. Fuerat is primùm Dionyſii in eadem Eccleſia presbyter, quemadmodũ Dionyſius ipſe ſcripſit aduerſus Germanum, apud Euſebium libro ſeptimo, capite undecimo. Cùm uerò & is poſt annos quibus præfuit octodecim, deceſſit: Theonas decimuſquintus epiſcopatum eum ſortitus eſt, anno Probi imperatoris ultimo, Chriſti uerò ducenteſimo octuageſimoquinto, & præfuit annis undecim: & ſucceſſorem habuit Petrum, qui tribus annis ante perſecutionem in epiſcopatu fuit.

DE CÆTERIS MINIſtris Alexandrinis.

PIERIVS.

HIeronymus Pierium ſub Caro & Diocletiano fuiſſe ſcripſit, quo tempore Theonas epiſcopatum Alexandrinum tenuerit: & Euſebius ait, eum tum presbyterio præfectum eſſe. Admirandæ hoc uirtuti, ſatis quidem ſuperſtitioſe tribuunt, quòd paupertatem ſpontaneam conſultò per omnem uitam profeſſus ſit: cùm tamen alijs maioribus donis ornatus fuerit, ut philoſophiæ & Græcarum literarum ſcientia, cognitione artium docendi Dialecticæ & Rhetoricæ, ſacrarum ſcripturarum peritia: & quòd in doctore Eccleſiaſtico præcipuum ornamentum eſt, expedita facultate & dono exercitatè docendi, enarrandiq; ſcripturas, quam ei laudem Euſebius & Hieronymus ex æquo tribuũt.

Et addit Hieronymus, aliquot eum compoſuiſſe tractatus, tanta ſermonis elegantia, ut Origenes iunior uocatus ſit. Ex ijs, Sermonis unius longiſſimi meminit, ab eo de propheta Oſea ſcripti, habitiq; in peruigilio Paſchæ, quod ex ipſo tractatu apparere ait,

rere ait. Post persecutionem autem, omne eum uitæ suæ tempus Romæ exegisse, scribit Eusebius libro septimo, capite trigesimosecundo: Hieronymus in Catalogo: Nicephorus libro sexto, capite trigesimoquinto.

ACHILLAS.

ACHillam Eusebius eodem quo Pierium, tempore, sub Theona scilicet, presbyterio Ecclesiæ Alexandrinæ functum scribit: uirumq; fuisse eruditione, pietate, & Germanis Euangelicæ conuersationis moribus insignem. Ait autem sacræ ei scholam concreditam ei unà cum Pierio, fuisse. Eusebius libro septimo, capite trigesimosecundo.

DIOSCORVS, DEMETRIVS, Lucius, Faustinus, & Aquila.

EOs omnes Dionysius, in narratione sui exilij, sub Decio presbyteros dixit: apud Eusebium libro septimo, capite undecimo. Ac Dioscoro quidem, Demetrio & Lucio, studium hoc pium tribuit, quòd in persecutione in urbe latuerint, & fratres occultè uisitarint. Faustinum uerò & Aquilam, quos presbyteros illustriores uocat, exilij sui tempore in Ægypto oberrare scripsit.

CAIVS, PETRVS, Paulus.

HOs, seu presbyteros seu diaconos, Dionysius in eadem epistola de suis exilijs, scribit, unà se cum abductos, & in solitudine, ac squalido quodam Lybiæ loco conclusos, detentos fuisse: Eusebius libro septimo, capite undecimo.

CHÆREMON, ET FAVstus, diaconi.

IBidem Chæremonem & Faustum, diaconos suos dixit: hac utrunq; commendatione ornans, quòd in exilio et periculo suo fideliter sibi adhæserint. Annumerat his & Dionysium, & Marcellum. Faustum uerò constantem confessorem, usq; ad persecutionem Diocletiani seruatum senem & decrepitum, in eaq; capitis tandem supplicio martyrium consumpsisse, Eusebius scripsit.

DOMITIVS, DIDYMVS, Flauius.

HI, quibus in locis aut episcopi aut presbyteri fuerint, Eusebius non explicat: sed ad eos Dionysium epistolam de ferijs scripsisse, indicat libro septimo, capite undecimo & uigesimo.

DE ALIIS DOCTORIBVS & scriptoribus Aphris.

DE TERTVLLIANO.

QVintum Septimium Florentem Tertullianum, Carthaginensem fuisse, scribit Hieronymus: natum patre centurione proconsulari. à quo ad literas discendas à prima statim ætate adhibitum fuisse, solida, quæ postea in eo per omnem uitam fulsit, eruditio testatur: omnium enim disciplinarum quàm maximè peritus fuit, Lactantio teste: in quibus philosophiã egregiè præter cæteras calluit: quod ex eius omnibus propèmodum libris, in quibus ex philosophia subinde quædam aspergit, passim apparet. Ad fidem Christianã conuersus, studio sacrarum literarũ se totum semel dedicauit. Græcos scriptores, Theologicos pleroscq;, nondum extantibus multis qui Latinè in eo genere scripsissent, legit: ut Ignatium Antiochenum, Polycarpum, Papiam, Quadratum, Aristidem, Agrippam, Egesippum, Iustinum philosophum & martyrem, Melitonem, Theophilum, Apollinarium, Dionysium Corinthium, Pinytum Cretensem, Tatianum, Philippum, Musanum, Modestum, Bardesanem, Irenæum (quem in libro aduersus Valentinianos, curiosissimũ ipse uocat doctrinarum omnium exploratorem Pantænum, Rhodonem, Clementem Pantæni discipulum, Miltiadem, Apollonium, Serapionem, Theophilum Cæsariensem, Bachylum Corinthium, Polycratem Ephesium, Heraclitũ, Maximum, Candidum, Appionem, Sextum, Arabicum, & similes.

Quo uerò casu aut occasione Carthaginem reliquerit, incertum est. Romæ eum fuisse, ad mediam usque ætatem presbyterum ibi mansisse, scribit diuus Hieronymus libro quarto, capite trigesimoquarto. ac peculiariter addit, eum Romæ contra Montanum scripsisse. Eusebius libro secundo, capite secundo, uirum eum ait, in legibus Romanis exercitatum, atque inter celebres Romæ fuisse. Inde tamen pulsum inuidia & contumelijs Romani cleri, Hieronymus clarè indicat: sed odij & contumeliæ causas nullas exprimit, nisi fortè hoc accidit seu inuidiæ ingenij & uirtutis, quæ in Tertulliano non uulgaris fuit: seu quòd cõtinentiæ & castitatis studiosissimus, Montano qui non ita mutuò ante nouum de ieiunijs & continẽtia dogma spargere cœperat, fauere uisus fuerat. Hinc igitur acerbitate ingenij & impatientia uictus, ad Montani professionem palàm deficit: & Carthaginem reuersus, contra Ecclesiam aliquot scripsit libros, ut postea dicetur. Tertullianus sua quoquè non uulgaria dona habuit. Nam Græcè simul & Latinè peritissimus fuit, in docendo plurimum ualuit. disputandi, dicendi & scribendi copia & grauitate maxima præditus fuit: quod pleriq; eius libri, ac doctissimi illi quinq;, quos contra Marcionem scripsit, & Apologeticus testantur. Denique quòd religionem Christianam semel amplexus, eam defendit acerrimè, ac uindicare ab infamia quacunque conatus est: pro Ecclesia uigilantissimè solicitus fuit. contra hostes religionis & hæreticos pugnauit non doctrina solùm, uerùm etiam libris pluribus editis, quos nunc recensemus.

De Tertulliani libris.

Scribit Augustinus Carthagini se fuisse, quo tempore Tertulliani libri omnes, paucissimis exceptis, consumpti fuerint. Scripsit autem plerosque Latinè. quæ causa fuit, ut tertium post Victorem & Apollonium Hieronymus fuisse dixerit, qui in Ecclesia Latinè scripserint. Hodie ex illis qui extant, hos solùm habemus:

De patientia librum unum.

De carne Christi librum 1.

De resurrectione carnis lib. 1.

De præscriptionibus aduersus hæreticos librum unum, quem ante librum de carne Christi à se scriptũ esse, in eodem de carne Christi libro indicat.

Aduersus Iudæos librum unum.

Aduersus Marcionem libros 5.

Aduersus Hermogenem lib. 1.

Aduersus Valentinianos ad imitationem & exempla Irenæi, librum unum.

Aduersus Praxeam Sabellianũ librũ unum, quem post mediam ætatem scripsit.

De corona militis lib. 1.

Ad Martyres librum consolatorium, & exhortatorium librum unum.

De pœnitentia librum unum, quem propter phrasin diuersam Erasmus iudicat non esse Tertulliani, sed alterius cuiusptam sui studiosi.

De uirginibus uelandis librum unum, quem à se etiam græcè scriptum, indicare uidetur in eodem libro.

De habitu muliebri lib. 1.

De cultu fœminarum lib. 1.

Ad uxorem libros duos.

De fuga in persecutione librum unum, quem ab eo scriptum contra Ecclesiam Hieronymus testatur.

Ad Scapulam lib. 1.

De exhortatione castitatis librum unum, scriptum contra Ecclesiam.

De Monogamia librum unum, scriptum item contra Ecclesiam, Hieronymi testimonio.

De pallio librũ unum, quem sub Seueri principatum scripsit, post suam conuersionem.

De Trinitate librum unum, eruditum & elegantem: in quo tamen inesse à ueritate fidei Christianæ aliena quædam, Ruffinus affirmat in Apologia pro Origene: innuens fortè, quòd in eo quædam non sine periculo de Christo dicta sunt, quæ postea indicabimus. Idem testatur etiam, & exemplo recenti probat, eum de Trinitate librum insertum aliquando fuisse operibus Cypriani.

De testimonio animæ lib. 1.

De anima lib. 1.

De spectaculis librum unum: quem etiam græcè à se scriptum, ipse in libro de Corona militis testatur.

De baptismo lib. 1.

Contra Gnosticos Scorpiacum librum unũ, quem insigne uolumen Hieronymus uocat aduersus Vigilantium.

De idololatria lib. 1.

De pudicitia librum unum, scriptum post defectionem contra Ecclesiam.

De ieiunio aduersus Psychicos librum unum, scriptum contra Ecclesiam.

De cibis Iudaicis epistolam unam.

De oratione librum unum, quem Hilarius concione quinta commentariorum in Matthæum, aptissimum uocat uolumen.

Apologeticum aduersus Gentes librum unum, quem Hieronymus ad Magnum oratorem scribit, cunctam seculi obtinere disciplinam.

Cæterum quorundam Tertulliani librorum Hieronymus meminit, qui hodie non reperiuntur: nimirum sex de Ecstasi, in quibus ait eum Montani prophetiam apertè & pertinaciter adserere. Meminit & septimi de Ecstasi libri, scripti nominatim aduersus Apollonium.

Sed & Tertullianus ipse in his qui extant libris aliquos nominat à se scriptos, qui non reperiuntur: ut de spe fidelium, cuius meminit libro tertio aduersus Marcionem. Librum item alium contra Apellem, cuius meminit in libro de carne Christi.

Et librum de paradiso, quem à se scriptum indicat in libro de Anima.

Nec prætereundum deniq; est, Tertulliani libros à multis magnis uiris diligenter & cum admiratione lectos fuisse. Notum enim est, quo loco nobilissimum hunc scriptorem, ut Eusebius uocat, habuerit, & quanti fecerit Cyprianus: qui & nonnullos eius libros æmulatus est, quemadmodum in eius uita prolixius dicemus.

De Tertulliani doctrina.

Suprà exposuimus, in cap. de Doctrina Ecclesiæ huius seculi, quid de præcipuis capitibus doctrinæ Christianæ Tertullianus seu rectè & Apostolicè, seu minus senserit & tradiderit. ex quo loco hîc quædam paucis repetemus. Primùm, Articulum de Trinitate illustrauit multis eruditis explicationibus, & aduersus hæreticos acerrimè propugnauit. Testis enim est liber de Trinitate, itemq; libri contra Hermogenem & Praxeam: in quibus confessionem fidei eruditam, & cum symbolo apostolico consentientem recitat.

Rectè deinde sensit de creatione, quod testantur libri contra Marcionem, & aduersus Hermogenem.

De lapsu angelorum in libro secundo aduersus Marcionem recte ait, diabolum talem scilicet, qualis nunc sit, à Deo non esse factum: sed talem ipsum sese fecisse, Deum deserendo.

Sic & de lapsu hominis: Deum, ait, non esse causam peccati: sed hominem in arbitrij libertate constitutum, propria uoluntate à Deo sese auertisse. in eodem libro.

De lege quoque, in libro contra Iudæos, clarè dicit & probat, homines per eam neque purgari, neq; iustificari. Legem enim per Mosen datam primam nequaquã fuisse, quàm hominibus Deus præscripsisset: sed omnium antiquissimam in Paradiso, & Patriarchis naturalem, datam fuisse. Item circumcisionem carnalem, sabbathum & sacrificia rebus spiritualibus cessisse, quarum ea figuræ fuerint: quas in eodem postea libro, omnes accommodat ad Christum. Quemadmodum & legem ab Euangelio disertè distinguit in libro quarto aduersus Marcionem, sicut suprà diximus. Et de Euangelij summa memorabiliter ait in libro aduersus Praxeam: Clausula Euangelij est, ut credatis Iesum Christum filium Dei.

De iustificatione ita loquitur, ut eius causam Christum solùm faciat, in libro de carne Christi. Et libro quarto contra Marcionem perspicuè tradit, Abrahamum per fidem solam iustificatum esse.

Pœni-

Pœnitentiam neceſſariam eſſe dicit, eoq; argumen
to librum peculiarem tribuit.

Sacramentorũ deinde tantùm duorũ meminit, ba
ptiſmi, & cœnæ Domini: libro quarto aduerſus
Marcionem. Ac de baptiſmo inquit, Nos per illud
ſacramentum ablutis delictis noſtræ cæcitatis, in ui-
tam æternam liberari: in libro de Baptiſmo. De Eu-
chariſtia uerò in libro de Reſurrectione, bene ait, car
nem corpore & ſanguine Chriſti ueſci, ut anima de
eo ſaginetur.

Nulla etiam ſentit alia eſſe Eccleſiæ ſacrificia,
quàm orationem ſimplicem ex conſcientia pura pro
fectam: libro quarto aduerſus Marcionem, & ad
Scapulam.

Ita de Eccleſia rectè ſentit, eam ueram eſſe, quæ
doctrinæ ſuæ autores habeat Chriſtum & Apoſto-
los: qui ſcilicet non proprio iudicio, quodcunq; uo-
luerint, finxerint, ſed acceptam ab ipſo Chriſto do-
ctrinam fideliter Gentibus diſtribuerint: in libro de
Præſcriptionibus. Vbi & de doctrina certa et perpe
tua Eccleſiæ rectè dicit, unum & certum quiddam à
Chriſto inſtitutum eſſe, quod omnibus omni modo
amplectendum ac credendum ſit, cuiusq; certi inſti-
tuti inquiſitio infinita eſſe non poſſit.

Rectè & de coniugio hoc dixit, benedictum ſta-
tum apud Deum eſſe, de quo ipſe dixerit, Creſcite &
multiplicamini: in libro de Anima. Approbauit
& coniugium ſacerdotum, in libro de Exhortatione
caſtitatis.

De magiſtratu benè docuit, habendum ei hono-
rem, & præſtandam obedientiam, quatenus non im-
pediat quæ ad obedientiam Dei & gloriam perti-
neant: in libro ad Scapulam.

Poſtremò, quàm uerè & apoſtolicè de reſurrec-
tione ſenſerit, teſtis eſt liber de Reſurrectione carnis:
ubi de carnis humanæ dignitate, quæ autorem & re
demptorem Deum habeat, multa grauiſſimè dicit.
Atque ideo reſurrectionem in dubium non uenire,
quòd Deus efficere ualeat quidquid uelit, monet.
Deniq; & de neceſſitate reſurrectionis præclarè in-
quit: integritatem iudicij de totius hominis repræſen-
tatione conſtare.

De Tertulliani næuis.

Næuos & opiniones incommodas atq; abſurdas
plurimas, Tertullianus interdum ſcriptis ſuis immi-
ſcet, quamobrem & in numerum Apocryphorum
eius libri ab orthodoxis relati & damnati ſunt. Deo
corpulentiam tribuit: quanquam id excuſari Augu-
ſtinus conatur. De Trinitate, de Chriſto, interdum
incommodè & periculoſè loquitur, ut in libro de Tri
nitate: Pater illum Chriſtum quadam ratione præ-
cedit, quòd neceſſe eſt quodammodo prior ſit, quia
pater ſit. Quoniam aliquo pacto antecedat neceſſe
eſt eum qui habet originem, ille qui originem neſcit.
Hic ergo quando pater uoluit, proceſſit ex patre.

Habet & cõmunem errorem de regno Chriſti, &
uoluptuoſa piorum uita in terris, per annos mille an
te rerum conſummationem.

Montanum, paracletum ſubinde nominat: & in-
ſania aperta dicit, in Apoſtolis Spiritum ſanctum
fuiſſe, paracletum non fuiſſe: & paracletum plura in
Montano dixiſſe, quàm Chriſtus in Euangelio pro-
tulerit: nec plura tantũ, ſed etiã meliora atq; maiora.

De cauſa lapſus Angelorum cum Iuſtino, Cypria
no, & alijs ſenſit: angelos cecidiſſe propter concupi-
ſcentias mulierum: in libro de Habitu mulierum.

Liberum arbitrium homini etiam poſt naturæ
corruptionem tribuit multis & prolixis ſententijs,
in libro ſecundo contra Marcionem: Deus (inquit)
interrogat, Adam ubi es? ut & hic libero arbitrio uel
negaret in aggrauationem delicti, uel ſponte cõfitere
tur in releuationem. Sicut & de Cain ſciſcitatur: ut et
ille haberet poteſtatem, ex eadem arbitrij poteſtate
ſponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi.

Item libro quarto contra Marcionem: Regnũ Dei
intra uos eſt. Quis non ita interpretabitur, intra uos
eſt: id eſt, in manu, in poteſtate ueſtra, ſi audiatis, ſi
faciatis Dei præceptum? Item, Non poneretur lex
ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua po
teſtate. Eodem enim errore ad legis poßibilitatem
paßim inclinat. Imò & ſanctos, ait, iuſtos fuiſſe iuſti-
cia legis naturæ, in libro Aduerſus Iudæos.

In doctrina de pœnitentia, præter hoc quod ſa-
tisfactionibus remißionem peccatorum tribuit, ni-
hil interim perſpicuè ſatis docens de fide in Chri-
ſtum, aut gratuita remißione peccatorum (ſicut arti-
culum de euangelio & iuſtificatione, aut nuſquam fe-
rè aperte ſatis attingit, aut quàm maximè tractat te-
nuiter) etiã manifeſtißimè Montanizat, unam tantùm
poſt baptiſmum admittens pœnitentiam: benignior
ſaltem Montano ipſo & Nouato, qui ad quodcunq;
delictum poſt baptiſmum, Eccleſiæ fores, quemadmo
dum Hieronymus ait, obſerarunt.

Secundas nuptias in libro ad Vxorem, & de ex-
hortatione caſtitatis, palàm damnat, ſtupri & excom
municationis nota. Et in libro de Monogamia ait,
Veteribus licuiſſe plures habere uxores, quando ſcili
cet præceptum ualuerit, Creſcite & multiplicamini.
nunc uerò aliam uocem audiri, Tempus in collecto
eſt: ſupereſt ut qui habeant uxores, ſic ſint ac ſi non
habeant, &c. Item: Vnum matrimonium nouimus,
ſicut unum Deum.

Hinc in libro de Virginibus uelandis, legitimum
mariti & uxoris congreſſum, contumeliam commu-
nem uocat, & alibi quoq; confuſionem. Et in lib. 2.
ad uxorem ait: Fideles gentilium matrimonia ſubeun
tes, ſtupri reos eſſe cõſtet, & arcendos ab omni com-
municatione fraternitatis: ex literis Apoſtoli dicen-
tis, Cum eiuſmodi nec cibum capiatis.

Ieiunia ſuperſtitioſa & ridicula Montaniſtarum,
defendit in libro de Ieiunio.

Habet et alios prorſus abſurdos et ineptos errores,
ut quòd in libro de Reſurrectione, animas prius pati
ſentit apud inferos, quàm corpora. ait enim, Anima
prior deguſtat iudiciũ, ſicut prior induxit admiſſum.

Deniq; et ceremonias mutuatas à Montaniſtis, in-
duxit in Eccleſiam, & auxit: ut unctionem externam
poſt baptiſmum, ſignum crucis, oblationes pro defun
ctis, oblationes annuas pro natalitijs, et ſimiles. Quas
conſuetudines ipſe fatetur non inſtitutas eſſe in ſacra
Scriptura, neque ab Apoſtolis in libro de Corona
militis.

Meminit

Meminit in libro ad uxorem, etiam ſtationum & proceßionum, quæ fiebant apud Montaniſtas. In libro de Corona militis, nimium amarulenter inuehitur in conſuetudinem geſtandi coronas, eamq; contendit eſſe contra naturam. In libro de Velandis uirginibus, Virgines innuptas perinde ut mulieres uelare oportere contendit.

Certamina uaria ſuſtinuit, uero impulſus ardore & zelo Chriſtianæ religionis, qui ex omnibus eius ſcriptis emicat. Pugnauit enim ex fundamentis ſacræ Scripturæ, & ſolidis rationibus contra Iudæos: ſicut ex eo libro, quem aduerſus eos peculiariter ſcripſit, uidere eſt. Deinde acriter dimicauit contra falſos fratres, uidelicet hæreticos: quemadmodum teſtantur libri contra Marcionem, Valentimianos, Hermogenem, Praxeam. Item contra præfectos & perſecutionum executores: ut oſtendit liber cõtra Scapulam. Ac fortißimè quidem cõtra ethnicos, ipſorumq; Imperatores: ſicut probat Apologeticus, qui liber uel ſolus teſtatur, quo ſtudio & contentione ab omni infamia & contemptu religionem Chriſtianam uindicare conatus ſit. Poſtremò contra Chriſtianos etiam ipſos, ſi qui minus quæ profeßionem Chriſtianam deceant, agerent: indicio eſt liber de Corona militis.

De genere dicendi Lactantius ait, quòd in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obſcurus fuerit. Quamobrem & Hieronymus ad Paulinum, difficilem in loquendo dixit.

Floruit autem, Hieronymo teſte, ſub L. Seuero patre, & M. Aurelio Antonino Caracallo filio. Meminit & ipſe Seueri Imperatoris libro primo contra Marcionem, ac in Apologetico conſtantißimum eum nominat principem. Vtriuſq; uerò, & Seueri & Antonini, meminit in libro ad Scapulam. Et in initio libri de corona militis, uocat eos præſtantißimos Imperatores. Meminit in libro de pallio & triplicis Imperij forma: ac ſine dubio Seuerum, Peſcennium Nigrum, & Clodium Albinum intelligit. Hi enim tum ſimul concordes imperabant, ſed quos poſtea Seuerus ſuſtulit.

Vixit ad decrepitam uſq; ætatem, ut Hieronymus idem ſcribit. Sunt qui eum inter martyres pro Chriſto paſſos referant: quod tamen ab Hieronymo non traditur. Martyrij quidã appetentißimum fuiſſe, eius ſcripta teſtantur: in quibus omnibus ubiq; illud perſuadere nititur. nec fugiendum, ſed animoſè & conſtanter Chriſtiano non ſuſtinendum ſolùm, uerùm etiam accerſendum quodammodo eſſe, docet.

Ornatur deniq; Tertullianum egregijs commendationibus, multi præſtantes & magni: ex quibus Cyprianus eum, ob eruditionem magiſtrum ſuum appellare conſueuit, eiusq; lectione quotidie uſus eſt, ut Hieronymus ſcribit. Qui ipſe quoq; laudem excellentis eruditionis Tertulliano paſſim tribuit: ut in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum, ubi eruditum eum & ardentem uirum uocat. Ad Magnum uerò oratorẽ ſcribit: Quid Tertulliano eruditius? quid acutius? In epiſtola ad Tranquillmum annumerat eum clariſſimis doctoribus, Origeni, Arnobio, Apollinari, alijsq; tam Græcis quàm Latinis eruditißimis uiris, ex quibus tamen bona excerpere, contraria uerò uitare iubet. Quomodo & alibi inquit: Laudare ſe Tertulliani ingenium, ſed hæreſin eius damnare. Extat grauiſſima eius commendatio etiam apud Vincentium Lirinenſem, in libro Aduerſus profanas nouationes, ubi Latinorum eum omnium facilè uocat principem: & addit, Quid hoc uiro doctius eſt? quid in diurnis atq; humanis rebus exercitatius? nempe omnem philoſophiam, & cunctas philoſophorum ſectas, autores, adſertoresq; ſectarum, omnesq; eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum ac ſtudiorum uarietatem mira quadam mentis capacitatis complexus eſt. Ingenio uerò nõnne tam graui ac uehementi excelluit, ut nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Iam porrò orationis ſuæ laudes quis exequi ualeat? quæ tanta, neſcio qua rationum neceſſitate conſerta eſt, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat: cuius quot pene uerba, tot ſententiæ ſunt: quot ſenſus, tot uictoriæ.

DE CYPRIANO.

Cæcilianus Cyprianus etiam Statij nomen habuiſſe uidetur, ſicut hiſtoria de paßione eius, conſcripta à Pontio Diacono, ut quidem hodie habetur, indicat. Quanquam inſcriptio epiſtolæ nonæ libri quarti, Thaſcium eum nominet. Apher fuit, Carthaginenſis, ut uidetur. Ibi enim eum presbyterum & epiſcopum fuiſſe, Hieronymus ſcribit. Sed quibus ortus parentibus fuerit, aut cuiuſmodi ſtudia puer aut adoleſcens exercuerit, neque ex ſcriptis eius uſquã deprehendi poteſt: niſi quòd Hieronymus in Catalogo, & Commentarijs in Ionam, Rhetoricam in Aphrica, dum adhuc gentilis eſſet & idololatra, magna cum laude profeſſum ſcribit. Quo tempore etiam magiæ ſtudioſißimum fuiſſet, Nazanzeni narratio confirmat, qui magum eum e ueneficũ nominat: quod tamen nec apud Hieronymum, nec Auguſtinum reperitur. Scribunt quidem alij, ut Iacobus de Voragine, Henricus de Eufordia, & Volaterranus, de Cypriano quodam mago, qui à parentibus puer etiamnum dæmonibus conſecratus fuerit: ſed eum Antiochenum aut Nicomedienſem nihilominus conuerſum, & epiſcopum & martyrem tandem, ſed diuerſis temporibus factum fuiſſe, affirmat.

Cyprianũ igitur Aphrũ, ſeu Carthaginenſem, Hieronymus ſcribit in Catalogo uirorum illuſtrium & commentario in Ionam, Cæcilij presbyteri, cuius ſibi poſtea nomen arrogauit, conuerſatione & ſuaſum, occaſione uerò lectionis Ionæ prophetæ ad fidem Chriſtianam conuerſum eſſe. Ac texit ipſe ſuæ conuerſionis ac baptiſmi hiſtoriam floridam & eloquentem, ut in ſcholis Rhetorum, ex quibus pridem exceſſerat, natam, libro ſecundo, epiſtola ſecunda.

Narrat uerò in catalogo Hieronymus, eum, quam primùm cõuerſus fuiſſet, facultates ſuas omnes pauperibus erogaſſe: ac non multò pòſt presbyterum electum, deniq; etiam epiſcopum Carthaginenſis eccleſiæ conſtitutum eſſe. Incertum tamen eſt, utrum ſeu Agrippino illi Carthaginenſi epiſcopo, cuius ipſe crebrò meminit, et qui primus rebaptizationis autor fuerat, ſeu cuidam alij ſucceſſerit. Certum autem eſt,

eum in illa Episcopatus dignitate & officio uirtutibus & donis plurimis fulsisse, ac in primis autoritate, propter quam eum totius Orientis & Hispaniæ ecclesiis præsedisse Nazianzenus scribit: & Christianorum eum episcopum nuncupat formula proscriptionis suæ, quam recitat ipse libro quarto, Epistola nona. Diligentissimus deinde & fidelissimus Ecclesiæ suæ custos fuit, proq; ea semper maximè seu præsens seu absens solicitus: quemadmodum id ex multis eius Epistolis perspicitur. Scribit de sese ipse facilem se, humanum, patientem & benignum, simul & grauem & seuerum pro re nata in officio suo semper esse: libro primo, Epistola tertia. Fratrum porrò amantissimum fuisse, plurimæ eius Epistolæ testantur. In martyribus uerò exigendis & iuuandis, operam multam sumpsit: quia & absens presbyteris & diaconis suis rescribit, ut omni cura & studio martyres captos complectantur. Animi uerò magnitudmem & robur pium in officio et rebus agendis declarat Epistola tertia libri primi. Nec prudentia ei defuit, & circumspectio, ut ostendit inter cæteras epistola decima libri tertij: quæ & insignem eius modestiam, quæ nihil priuatis consilijs aut iudicio, sed cum consensu collegarũ suorũ et plebis, in officio se suscepisse testatur, prædicat. Ingenio uerò in primis liberali & benefico fuit in pauperes & fratres peregrinos. Quoties enim absens pauperum curam collegis mandat? Imò & absens ijsdem præcipit, ut de proprijs suis bonis, fratribus exulibus necessaria suppeditent: sicut testatur Epistola uigesimaquarta libri tertij.

Recitat & ipse singularia sua dona, ut uisiones & admonitiones cœlestes de persecutionibus futuris, & rebus alijs ad gubernationem Ecclesiæ pertinentibus, lib. primo Epistola tertia, et lib. quarto Epistola quarta: ubi uisionis cuiusdam formam ipse exponit. Valuit & prædictionibus futurorum euentuum, quemadmodum intelligi potest ex libri quarti Epistola sexta.

Nonnullas ei illustres uirtutes etiam Augustinus, qui in eius donis prædicandis sanè multus est, tribuit: ut humilitatem libro secundo de baptismo contra Donatistas, capite quarto, ubi hæc eius uerba, ex Epistola ad Quintinum recitat: Nostra non pertinaciter amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, ipsi potius amplectamur. Item, tolerantiam & patientiã ibidem, & libro septimo contra Donatistas, capite undecimo.

Candorem item & mansuetudinem, qua uirtute id quod sensit, non tacuit, sed mansueti & pacificè protulit. Item, quòd cum his qui aliud quàm ipse sentirent, ecclesiasticam tamen pacem et concordiã tenuit. Postremò, quod nemini præscriberet, neq; præiudicaret, quo minus quod rectius sibi uideretur, id sequeretur: libro quinto de baptismo contra Donatistas, capite decimoseptimo, ex Epistola Cypriani ad Iubaianũ.

Nec hoc prætereundum est, quòd Hieronymus assiduum eum in lectione, præsertim Tertulliani, fuisse scribit. Vidisse enim se ait Paulum quendã concordiæ senem, qui se beati Cypriani iam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ uidisse diceret: referreq; sibi solitum, nunquã Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præterijsse: ac sibi crebrò dicere solitum, Da magistrum, Tertullianum uidelicet significans.

De Cypriani libris.

Extant eius quatuor libri Epistolarum, quos scripsit ad presbyteros, episcopos, ecclesias & fratres diuersos, partim in Episcopatu suo, partim in exilio, de quibus sic iudicauit Augustinus libro secundo contra Cresconium Grammaticum, capite trigesimosecundo: Ego, inquit, literas Cypriani nõ ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis cõsidero: & quòd in eis diuinarũ scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autẽ non cõgruit, cum pace eius respuo.

Tractatus contra Demetrianum ethnicum.

Tractatus de habitu uirginum, quem Hieronymus inscripsit de uirginitate, & uolumẽ appellat egregiũ, in epistolis ad Demetrianum & Eustochianum.

Tractatus alius de simplicitate prælatorum, seu de unitate Ecclesiæ. sic enim indices hũc tractatũ citant:

Tractatus alius de unitate idolorum, in quo Cypriani ingenium & artificium Hieronymus laudat, in epistola ad Magnum oratorem Romanum: Cyprianus, inquit, quòd idola non sint, qua breuitate, qua historiarum omnium scientia, quo uerborum & sensuum splendore perstrinxit.

Sequẽtes Cypriani libri inscribũtur sermones, nẽpe

De eleemosyna, Sermo I.

De zelo & liuore, Sermo II. quem scriptum optimum Hieronymus uocat, libro tertio commentariorum in Epistola ad Galatas.

De bono patientiæ Sermo III. in quo Tertulliani librum de patientia expressit, & à se factum eum sermonem Cyprianus ipse affirmat in Sermone de zelo & liuore, & in Epistola ad Iubaianum. Annotat hoc Augustinus in libris de baptismo contra Donatistas, quarto & quinto.

De mortalitate Sermo III. quem in Chronico suo Eusebius scriptum ab eo indicat, tempore pestis sæuissimæ apud Alexandriam & Ægyptum omnem, cuius Dionysius Alexandrinus memimit apud Eusebiũ libro septimo, capite uigesimoprimo, & uigesimosecundo.

De lapsis, sermo V.

De oratione Dominica, sermo VI.

Sequitur liber de exhortatione martyrij ad Fortunatum.

Libri duo ad Quirinum, aduersus Iudæos.

Liber alius ad eundem, de disciplina Christianorũ ex sacra scriptura.

Tractatus de hæreticis baptizandis, ad Iubaianũ.

Epistola longa ad Pompeiũ, cõtra Epistolam Stephani.

Epistola ad Quintinum.

Sententiæ episcoporũ de hæreticis baptizãdis, seu concilium quod Cypriani operibus adiecit Erasmus.

Hæc enim omnia citra controuersiã putãtur esse Cypriani. Adiuncta autem sunt & alia ipsius operibus, quæ ei falso adscripta ex professo Erasmus censuit: ut,

Tractatus de Sina et Sion, seu de duobus montibus aduersus Iudæos: in quo insunt argumenta infirma cõtra Iudæos, quos suprà Cyprianus in libris ad Quirinum fortioribus oppugnauit: præterea nec elegantiã orationis, nec ardorẽ animi, nec eruditionẽ Cypriani refert. Tractat enim frigidissimum cõmentum de quatuor ele-

tuor elementis, quibus apud Ebræos componitur nomen Adam.

Tractatus de reuelatione capitis Ioannis baptistæ: liber fabulosus, superstitiosus & ridiculus, ea interdum commemorans, quæ longè post tempora Cypriani gesta sunt. Meminit etiam Pipini Regis Aquitanorum, qui si is est in quem Stephanus pontifex transtulit Imperij titulos, immensum est interuallum annorum, ut Erasmus censuit.

Liber de expositione Symboli, quem stylus satis arguit non esse Cypriani, & inter opera Hieronymi fertur inscriptum Ruffino: nec abhorret phrasis à phrasi Ruffini. Et inter huius opera magnificè de symbolo memmit Gennadius: quòd adeò præclarè dicit esse diserti, ut cæteri ad hùc nihil dixisse uideantur. Erasm.

Libellus de singularitate clericorũ, hominis alicuius eruditi & facundi, ac fortè episcopi, qui præditus fuerit autoritate. Accedunt quidè schemata quædã orationis, ad dictionem Cypriani: sed aspersa tamẽ sunt uerba nonnulla, à puritate Cypriani prorsus aliena: ut, inordinaliter, contubernaliter, coniugalitas, uulgaritas, absentare, constitutionis, &c.

De Natiuitate Christi, Sermo	I.
De circumcisione Christi, Sermo	II.
De stella & Magis, Sermo	III.
De baptismo Christi, Sermo	IIII.
De ieiunijs & Tentationibus Christi, Sermo	V.
De cœna Domini, Sermo	VI.
De ablutione pedum, Sermo	VII.
De unctione chrismatis, Sermo	VIII.
De passione Christi, Sermo	IX.
De resurrectione Christi, Sermo	X.
De ascensione Christi, Sermo	XI.
De Spiritu sancto, Sermo	XII.

Quod totum opus nõ esse Cypriani stylus arguit, licet hominis fuisse eruditi: præterea nec habebatur in exemplarijs manu descriptis, quibus usus sum (inquit Eras.) & in editione Badiana separatũ habebatur à reliquo uolumine. Sermo de baptismo Christi, omnino contrarium habet sententiæ Cypriani de hæreticis rebaptizandis.

Liber de laude martyrij, ad Mosen et Maximũ cõfessores: in quo nemimẽ, opinor, fore tam obesæ naris, quin ilicò sensurus sit, stylũ huius operis longè lateq; discrepare à dictione Cyprianica. Est enim elaboratus et inæqualis, identidẽ intumescens. sed parũ feliciter, Affectat argutiã, nec id quidem ubiq; feliciter: & omnino plus est curæ, quàm ingenij: plus affectationis, quàm facultatis. Apparet opus fuisse meditantis, & exercentis calamum. Erasmus.

Libellus de disciplina & bono pudicitiæ, quem stylus palàm arguit non esse Cypriani. Nam fluit ille, ac lectorem ducit: hìc argutè & breuiter sententijs & enthymematis pungit. Fieri potest ut sit Tertulliani, nisi quòd se declarat episcopum fuisse. Vnde suspicor non nihil, esse Cornelij. Doctus fuit autor, quisquis fuit. Erasmus. Henricus Grauius tamen, cuius recognitione nuper in lucem prodierunt Cypriani opera, sentit esse Cypriani, nec quicquam stylum refragari.

Epistolam contra Nouatianum hæreticum, quòd lapsis spes ueniæ non est deneganda, Erasmus ex stylo iudicat non esse Cypriani: sed uerisimile esse, Cornelij. Grauius Cypriani esse, ex uetusto quodam manuscripto exemplari contendit.

Oratio pro Martyribus, quam Grauius sentit illã esse exomologeseos plenam, cuius in fine præcedentis epistolæ Cyprianus meminit.

Oratio alia Cypriani martyris, quam sub die passionis suæ dixit. Erasmus de utraq; pronunciauit, incertum esse an sint Cypriani.

Liber de duplici martyrio ad Fortunatum Grauius dubitat esse Cypriani, & phrasin Erasmũ potius, aut alium quemcunq; Erasmo similem referre dicit. Non autem esse Cypriani, inde probat, quòd Turcarũ hic libellus meminit: quorum per ea tempora, quibus Cyprianus floruit, nulla tanta potestas fuit, ut Romanis Cæsaribus formidandi aut conferendi essent.

In passione deniq; Cypriani Pontio autore scribitur, Cyprianũ etiã Chronicon utile cõposuisse. Et Trithemius opuscula Cypriani enumerans, meminit etiã libri de Aleatoribus, quẽ & Vincentius Cypriano tribuit, libro undecimo, capite sexagesimosecundo. Sicut aliũ rursus de duodecim abusionibus huius seculi: qui liber nihil aliud esse uidetnr, nisi cõsarcinatio quarundam partium descriptarum ex libris Cypriani.

De Cypriani doctrina.

De Deo, omnipotentia Dei, de tribus personis, de diuinitate, de humanitate Christi, de beneficijs eius, de spiritu sancto, etc. Cyprianus cũ reliquis huius seculi Doctoribus consentit. Cuius rei testimonia multa in capite de Ecclesiæ doctrina, suprà cõmemorauimus. Quib. hìc addimus, quod de filio dei et beneficijs eius præclarè ait in Sermone primo de Eleemosyna: Christus hominis filius esse uoluit, ut nos filios Dei faceret: humiliauit se, ut populum qui prius iacebat, erigeret: uulneratus est, ut uulnera nostra sanaret: seruiuit, ut ad libertatem seruientes extraheret: mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet.

Peccatũ originale sentit à primis parentibus propagari in uniuersum genus humanum, lib. 3. epist. 8.

De lege ait libro primo aduersus Iudæos, cessaturam fuisse legem Mosi.

De pœnitentia ait, nulla peccata, quantumuis grauia, nullum tempus à pœnitentia excludi. Nec quantitas, inquit, criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec uitæ enormitas, si uera agatur pœnitentia, à uenia excludit.

Fidem fiduciam intelligit in promissiones diuinas, ut patet ex sermone quarto de Mortalitate. Eaq; fiducia sentit apprehendi gratiam Dei, sicut ait libro secundo Epistolarũ, Epistola sexta: Christus dat credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit.

Iustificationem per fidem fieri, docet libro secundo, epistola tertia.

Bona deinde opera à renatis seu iustificatis præstanda sentit, in tractatu de Habitu uirginũ. Qui per sanguinẽ, inquit, Christi Domini nostri redempti sumus, per omnia seruitutis obsequia redemptoris imperio pareamus: demusq; operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur.

Quod sacramentorũ cõmunicatione Christo uniamur, dicit autor sermonis de natiuitate Christi: Desi-

ctus carnis noſtræ, quæ à primitiuis fecibus originalis mali inſerta, langueratex Chriſti carne redditur fortitudo & ſacramentorum communicatio, per quam illius ſynceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo, de diabolo, & de nobis ipſis uictoria potiamur: & ſacramenti guſtu uiuificis myſterijs inhærentes, una caro, & unus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo: Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.

In baptiſmo Cyprianus ſentit omnia peccata deponi, libro tertio ad Quirinũ. diabolum opprimi, lib. 4. Epiſt. 7. Spiritum ſanctum accipi, ad Pompeianum.

De cœna Domini ſic inquit, libro ſecundo, Epiſtola tertia: Nam Ieſus Chriſtus Dominus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificiũ Deo patri ipſe primus obtulit, et hoc fieri in ſui cõmemorationẽ precepit. utq; ille ſacerdos uice Chriſti uerè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificiũ uerum & plenum tunc offert in eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundũ quod ipſum Chriſtũ uideat offerre. Et paulò pòſt: Paßio eſt enim Domini, ſacrificiũ quod offerimus: nihil aliud quã quod ipſe fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotieſcunq; ederitis panem iſtum, &c. Quotieſcunq; ergo calicem in cõmemorationem Domini & paßionis eius offerimus, id quod conſtat Dominum feciſſe, facimus. Deinde rectè ſentit, in cœna corpus Chriſti uerum & ſanguinem eſſe: in ſermone de cœna Domini: atq; ideo dari, ut mœſtũ & triſte pectus, quod peccatis prius angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia reſoluatur, libro ſecundo, epiſtola tertia.

De oratione, quòd Chriſtianis neceſſaria ſit, deq; eius forma, item pro quibus rebus orandum ſit, multa paßim utilia præcepta tradidit, præſertim in Sermone de oratione Dominica.

Eccleſiam unam eſſe Catholicam, docet paßim: ut libro primo, epiſtola ſexta. Eccleſiam uerò eſſe cœtum Chriſto credentium, cui per eam fidem copulentur & uniant: libro ſecundo, epiſtola tertia.

De Cypriani quibuſdam næuis.

Pœnitentiam, Tertullianum ſecutus, plerunq; uocat ſatisfactiones, & actus exomologeticos, quibus abſolutionis cauſam & remiſſionem peccatorum tribuit, ut in Sermone de lapſis: Dominus, inquit, noſtra ſatisfactione placandus eſt.

In eadẽ doctrina periculoſa utitur hac ambiguitate, quòd lapſos nõ deſperare quidem de Domini miſericordia iubet, nec tamen ueniam pœnitenti cõdicere. Quod quid aliud eſt, quàm dubitandum eſſe, utrũ pœnitentiam agenti deus ignoſcat? In Sermone de lapſis.

Duriter rurſus et aſperè ex illo dicto Ioannis 5. Ecce ſanus factus es, noli peccare: ratiocinatur, nullã ueniã delinquẽti, ei qui Dominũ noſſe cœperit, ſperãdã eſſe. In tractatu ſecũdo de habitu uirginũ. Nec abſolui quidem à ſacerdote eiuſmodi peccatũ poſſe, quod in Dominum cõmiſſum ſit. Sermone quinto de lapſis.

Liberi arbitrij uehemens eſt ubiq; aſſertor, quemadmodum id teſtimonijs alibi probauimus.

Hinc igitur bonis operibus nimiũ tribuit, ſicut de eleemoſyna ait: Viam eſſe tuẽdæ ſalutis eleemoſynã, eáq; ſordes quaſcunq; poſt baptiſmum contractas deleri. In ſermone de Eleemoſyna.

Sumpſit & ceremonias ex traditionibus Montani à Tertulliano: ut conſecrationem & unctionẽ poſt baptiſmum: ſic enim ait libro primo, epiſtola ultima: Oportet mundari & ſacrificari aquã prius à ſacerdote, ut poßit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptiſatur abluere. Item: Vngi quoq; neceſſe eſt, eum qui baptiſatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, et habere in ſe Chriſti gratiam poßit.

De certaminibus Cypriani.

Suſtinuit multa & magna certamina, quæ plerũq; ueros atq; conſtantes doctrinæ purioris profeſſores infeſtant & exercẽt. Primùm cõtra Ethnicos, quod teſtatur liber ſcriptus contra calumnias Demetriani: qui Chriſtianis, ideo quòd gentiliũ deos nõ colerent, omnia mundi mala imputanda cenſuit. Quã calumniã Cyprianus examinans, eò tandem retorquet, ut probet, calamitates in mundo ideo multiplicari, quòd ida la gentes, non Deum uerum agnoſcant & colant.

Deinde contra Iudæos pugnauit, editis aduerſus eos duobus (ſicut diximus) libris, in quibus euidẽtibus rationibus probat, Iudæos incurriſſe iram & offenſam Dei, quòd Chriſtum neglexerint, & prophetas occiderint: quòd intelligere ſcripturas nõ poßint, niſi in Chriſtum credant: quòd circumciſio, quòd lex uetus, quòd templum, quòd ſacrificium ſacerdotũ, quòd prophetæ deſierint, quòd ad regnum cœlorum ipſis reiectis magis gentes pertineant, &c.

Libro primo, epiſtola octaua, dimicat cõtra quinq; falſos fratres, qui eius epiſcopatui, cũ exulem ipſe ageret, uarijs machinationibus & plebis abalienationibus inſidiabantur. Et libro tertio, epiſtola quinta, multis pugnat contra reprehenſiones et calumnias maledicorũ. Quo nomine & Pupiam quendam martyrem duriter obiurgat, quòd obtrectationibus ſuis fidem habuiſſet. libro quarto, epiſtola nona.

Sic longa & laborioſa ei pugna fuit contra hæreticos: ut Nouatum, quem in Aphrica olim ipſe excommunicauerat: atq; eius ſectam, quæ lapſis redeuntibus Eccleſias claudendas eſſe magno conatu aſſeruit. Hac occaſione pias & eruditas aliquot ſcripſit epiſtolas, & Sermonem de lapſis recipiendis.

Proximum ei certamen fuit cum Nouatiano et Felicißimo, eorumq; ſocijs: qui contrario prorſus quàm Nouatus modo, lapſos et hæreticos recipiebãt & abſoluebant, nulla pœnitentiæ diſciplina præcedente, ideo tantùm ut epiſcopis ægrè facerent.

Contra eoſdem, ſcilicet Nouatum, Nouatianũ, Felicißimum, defendit aliquot certaminibus Cornelium Romanũ epiſcopũ, quẽ illi malè & illegitimè creatũ eſſe calumniabantur, & ab eo fratrum mentes alienas faciebant. Liquet hoc ex epiſtola ſecunda libri quarti: & quomodo in multis concilijs contra hæreticos & ſchiſmaticos acriter pugnauerit, ſuprà in capite de Concilijs dictum eſt.

Maximũ tamen omniũ certamen ei fuit, quacunq; id ſeu autoritate ſeu natione ſuſceperit, in defendenda cauſa rebaptizationis contra Stephanum Romanum.

Pugnauit & ſcripto erudito contra idola: imò ea magis deſtruxit, ut Hieronymus ait, tractatu ſcilicet de uanitate idolorum. Adiuuit & alias quaſdam Eccleſias non ſine certaminibus, ſua autoritatate & cenſura,

censura, maximè tamen Romanam: ad quam in persecutione etiam tredecim se Epistolas misisse indicat, libro tertio, epistola quinta.

In hoc certaminum studio, quæ eius fuerit pro conditione causæ et personæ facilitas, simul et moderatio, humanitas, mansuetudo & grauitas, ac seueritas cũ prudentia coniuncta, suprà dictum est.

De genere sermonis Cypriani.

Tribuit ei in oratione sententiarum splendorem Hieronymus, in Epistola ad Magnum oratorem. In epistola uerò ad Paulinum testatur, eum instar fontis purissimi, dulcem incedere & placidum.

Ac de eo et Lactantius ait, in præfatione libri quinti: Erat (inquit) ingenio facili, copioso, suaui, & quæ sermonis maxima est uirtus, aperto: ut discernere nequeas, utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicãdo, an potentior in persuadendo quisquã fuerit.

De Cypriani exilio & martyrio.

Exulem eum fuisse, multæ Epistolæ testantur, quas ad fratres & Ecclesiã suam rescripsit, in exilio agens. In quo hanc uirtutem fideli pastore dignã præstitit, ut Ecclesiæ propriæ, aliorumq; curã nõ minorẽ absens quàm præsens sustineret. Significat autẽ ipse, se in mota contra eum insanæ plebis seditione, ultrò secessisse, ne præsentia sua Ecclesiæ magis obesset quàm prodesset. Sic enim scribit ad presbyteros Romanos libro tertio, epistola quinta: Statim perturbationis impetu primo, cùm me clamore uiolento frequenter populus flagitasset, non tam meã salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inuerecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus prouocaretur. Sic de suis latebris, in quibus sæpe quæsitus sit, scribit ad fratres lib. 3. Epist. 10. Quod sub Decio aut Gallo factũ uidetur. Ex eo enim exilio ad Ecclesiam suam rediit. Sub Galieno autem et Valeriano in exiliũ expulsus, iterũ à Paterno proconsule Aphricæ, in ciuitatẽ Thurbin, ut Augustini oratio de Cypriano habet, seu Furabilitanã, seu Curubilitanã, ut Pontius diaconus, cuius narratio de exilio et passione Cypriani (si tamen ea est, quod nõ uidetur, quam Hieronymus egregiũ uolumen uocat) operibus Cypriani præfixa est. Indicat ipse Cyprianus lib. 4. epistola nona ad Pupianũ, se in eo, seu hoc præcedente exilio, cum omnibus bonis suis proscriptũ fuisse.

Mortuo autem Paterno proconsule, Galenus Maximus, qui Paterno successerat, Cyprianũ in hortulo quodam cõprehensum, curru ab apparitoribus, quem admodũ Augustinus narrat, ad suppliciũ arripi iussit. Vbi, cũ idolis sacrificare uellet, præfectus in hæc erupit uerba: Diu sacrilega mente uixisti, & nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te dijs Romanis & sacris legibus constituisti: nec te pij & sacratissimi principes Valerianus & Galienus, ad sectam cæremoniarum suarum reuocare potuerunt. Tandem autem gladio, cui ceruicẽ suam ultrò (ut Hieronymus ait) inflexit, cæsus est: Romæ Sixto episcopo sedente, ut Eusebius annotauit, Anno Domini ducentesimo quinquagesimonono. Sabellicus, sub Lucio episcopo, et Gallo ac Volusiano Imperatoribus supplicio extremo affectum scripsit.

Quæ de funere & miraculis eius Nazianzeni oratio habet, Hieronymus, Augustinus, cæteriq; uel coætanei, uel proximè sequentes aut ignorarũt, aut (ut fabulosa) pro relatu indignis iudicarunt. Illud enim Augustini lib. 3. de baptismo cõtra Donatistas satis laudis fuit, quòd catholicum eum Episcopum, catholicũ martyrem: & quo maiorem, eo magis se humiliantem dixit. Et quod libro secundo contra Cresconium, capite trigesimo secundo ait: Cypriani laudem ego consequi nõ ualeo, eius multis literis mea scripta nõ comparo, eius ingeniũ diligo, eius ore delector, eius charitatem miror, eius martyrium ueneror. Non accipio, quod de baptizandis hæreticis & schismaticis sensit.

DE ORIGENE.

ORigenes, quem & Adamantiũ scriptores uocant, Ægyptius fuit: & in Alexandria, quemadmodum Epiphanius ait, domicilium habuit & educationem, etiam posteaquàm pater eius martyrio ibi defunctus est. Patris autem ipsius nomen fuit Leonides, uir (ut apparet) pius & eruditus: quem quidem scriptor uitæ Origenis apud Suidam, episcopum fuisse dicit, sed loci nomen nõ expressit. Hæc causa est, quamobrem Eusebius lib. 6. cap. 19. duriter in Porphyriũ, Siculum illum Christianorũ calumniatorem, inuehitur, quòd Originem gentilem fuisse scripserit, cùm ab auis ipsis usq; & atauis parentes Christianos habuerit.

Natus igitur circa annum Domini ducentesimum octuagesimum nonum, Commodi uerò Imperatoris septimum, quemadmodũ ex Eusebij libro sexto, capite tertio & trigesimo sexto colligi potest: bona et liberali indole, ab ineunte statim pueritia, semina uirtutum egregia de se ostendit. Quare & spe pater unicè delectatus, puerum sæpe dormitantẽ magna admiratione & uoluptate contemplatus & exosculatus est. Ac spe tam eximia de puero ductus, diligenter eum & in pietate & in literis firmauit & exercuit, auocans eum quotidie certis horis à literarũ philosophicarũ studio ad sacrorũ librorũ lectionẽ: certas etiã ab eo exigens operas, et exercitia proponens. in quo quasi priuato et domestico ludo, puer ipse patri multis interrogationibus de scripturæ sensib⁹ molestus sæpe fuit: sic ut pater ingenij id seu præcocitatẽ seu petulantiã iudicans, puerũ tantillũ tam arduis quæstionibus delectari, retrahens ab eiusmodi præcoci quasi sapientia, obiurgaret eum: ac ne quid præter ætatẽ suã curiose, supra manifestam & simplicem scripturæ sententiam scrutaretur, grauiter moneret.

Traditus deinde ex hoc domestico ludo præceptoribus est, quorũ unum Eusebius libro sexto capite 6. Clementem Alexandrinum fuisse dicit: alterũ, Ammonium philosophum & Christianum, libro eodem, capite 19. quibus Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinum, etiam Huillum quendam adnumerat.

Cæterum adolescentiam Origenes ingressus, iam etiam illud de se admirandum præbuit, quòd immodico flagrauit martyrij amore, martyres ad tribunalia ductos frequenter sequens, seq; arripi, unaq; duci, tantum non gestiẽs. Sicut parũ abfuit, ut se non ultrò martyrio aliquando offerret, nisi pio & callido consilio mater ei obstitisset. Cùm enim constituisse apud se adolescentem animaduertisset, mane ipsum accessurũ ad

ea loca, ubi de Christianis inquiri & iudicari mos esset, noctu clàm in cubiculum dormiētis ingressa, omnem ei habitum quo egredi in publicum consueuisset, surreptum abscondit.

Cùm igitur sic nec foras prodire, nec aliud quicquà agere posset, patrem in carcere ad constantiā exhortatus est, Epistolam ei in eam sententiā scribens: Caue tibi, ne quid aliud quàm martyrij constanter faciendi propositum cogites.

Nec multo pòst pater martyrio suo perfungitur: ipse uerò Origenes omni substantia paterna in ærariū Imperatoris illata, orphanus cum matre et fratribus quinq; puerulis relinquitur. Fortè tum Alexandriæ diues quædam fuit fœmina, quæ egregiā Origenis indolem admirata, ad sese eum recepit, cùm annū iam ætatis suæ ingressus esset decimūseptimū: ac familiariter cōplexa, nō aluit solū, uerùm sumptibus etiā liberaliter studia eius iuuit & promouit. Vbi iterū Origenes præclaræ mentis, quā ad pietatem solam natā diceres, specimen præbuit. Cùm enim ea fœmina Paulū quendam Antiochenū, hæreticū, adoptatū in pueritia, eo adhuc tempore domi suæ aleret, ad eumq; quotidie quasi ad magistrum, cœtus hæreticorū reciperet: Origenes, ut qui iam per ætatē & in pietatis literis felicē progressum fecerat, ut inter dogmata uera atq; errores discernere posset, nullis sese rebus adduci patiebatur, ut ei se adiungeret, aut coràm saltem colloqueretur: quin nec honoris ei quicquā habuit, execratus eius tum doctrinam, tum societatem.

Posteaquā uerò iam in disciplinis, Dialectica, Rhetorica, Musica, Poëti, Arithmetica, & reliquis liberaliter institutus essèt, Alexandriæ Grammaticam profiteri publicè cœpit, circiter annū ætatis suæ 18. eaq; professione se aluit. Cùm autem temporis progressu propter persecutionē nemo esset qui scholæ catechisticæ, quam ibi quondam Pantænus aperuerat, uacaret, pulsis omnibus qui in ea docere cōsueuissent: inter Grāmatices traditiones obiter quoq; pietatis et doctrinæ Christianæ rudimenta docuit, cōfluentibus ad eum honestis aliquot adolescentibus, quos ad pietatē summā promouit, adeò ut et martyriū paulò pòst, Seueri adhuc persecutione grassante, cōstāter subire nō recusarint: Plutarchus scilicet, & Heraclides, fratres Serenī duo, Heri duo, Rhais catechumena, et Potamiena.

Ipse uerò aliquanto pòst à Demetrio episcopo munus catechistæ accepit: qua occasione Grammaticam scholam posthabens, libros philosophicos et gentiles cùm studiosè prius perlegisset, uendidit, pactus eū emptore preciū in singulos ad uictū oboli: ac tum deniq; totū se studio diuinarū literarū dedicauit. Docendi uerò munus tanta cum laude et celebritate adminiſtrauit, ut exciti fama eruditionis eius, & uitæ religiosæ, multi ex remotissimis terris ad eum confluerēt. Cumq; iam ingenti frequentiæ, quæ auditoriū ne per uniusquidem horæ spaciū, alijs subinde post alios accedentibus, uacuum relinquebat, erudiendæ solus non sufficeret: adiunxit sibi quendam ex discipulis, quem præcæteris diligētissimè instruxerat, Heraclam nomine, hominem doctissimum & disertissimum: quo hypodidascalo & collega usus, docendi operas cum eo ita partitus est, ut primam eorum qui recens imbui cœpissent, institutionem ei committeret, ipse uerò perfectioribus præesset.

Ita igitur ocij aliquantulum nactus, ad discendam linguam Ebræam, suæ alioqui naturæ aduersam (ut Suidas ait) animum adiecit: in qua cum breui tempore feliciter uersatus esset, iudicare & conferre inter se instituit sacrorum librorū diuersas uersiones, quas per columnas digestas ἑξαπλᾶ & τετραπλᾶ inscripsit, ut postea dicemus.

Cæterùm in ludo, inter sacra, etiam philosophicas & mathematicas disciplinas discentibus proposuit, & ad artium liberaliū cognitionem singulari diligentia discipulos adhortatus est: affirmans, earum animi culo in explicatione sacrarū literarū et disputationū opus esse. Ipse uerò hoc tempore etiam Græcas disciplinas cognouit, et hæreticorū libros legit. Ex Græcis autem scriptorib. Platonē perpetuò triuit: Numeniū, & Cronium, & Apollophanem, Longinum, Moderatum, Nicomachum, ac reliquorū Pythagoricorum doctos commentarios, Chæremonis item Stoici & Cornuti libros. Quod studium in eo Porphyrius postea reprehēdit, ipse uerò in quadam Epistola ad hūc modum defendit:

Cùm doctrinæ deditus essem, rumorq; de doctrinæ nostræ perfectione spargeretur, & iam nos hæretici, item in gentiliū disciplinis, præsertim philosophia docti homines accedebant, uisum est & hæreticorū dogmata, & quæ à philosophis de ueritate dici uidebantur, inquirere. Hoc autem fecimus ad imitationē primùm Pantæni, qui multis ante nos profuit, & haud exiguā in illis facultatē habuit: deinde etiā Heraclæ, qui iam in presbyterio Alexandrino constitutus est, quem apud magistrum philosophicarū disciplinarū iam quinquenniū illi adhærentem reperi, antequàm ego scientiam illorum audire cœpissem. Quapropter etiam cùm antea communi esset usus indumento, posito illo, philosophicum habitum sumpsit, quem huc usq; seruat, & gentilium libros pro uiribus & studio se uoluere non cessat.

Scripsit per id tempus ad præfectum Ægypti & Demetrium episcopum, dux Arabum, petens ab ijs ut Origenem ad se mitterent: cupere enim se cum sua gente in fide & doctrina Christiana eruditi. Missus igitur in Arabiam Origenes, cùm lucem ibi Christianæ doctrinæ accendissèt, Alexandriam deinde ad munus consuetum redijt.

Orta uerò aliquanto pòst seditione, & bello ciuili Alexandriæ ac per Ægyptū, ac dissipata his tumultibus sua schola, Alexandriā reliquit, et in Palæstinam abijt: & postquā Cæsaream uenisset, rogatus ab episcopo Alexandro & Theoctisto, in Ecclesia nondum presbyter docuit: ægrè id ferente & reprehendente Demetrio, à quo tandem sedatis bellicis tumultibus, per epistolam reuocatus Alexandriam est.

Paulò pòst, cùm Vario Antonino defuncto, in Imperiū Aurelius Alexāder Seuerus succeſsisset, mater eius quā fœminā religiosam Hieronymus uocat (Christianam autē nō dicit) Origenis, de quo tum rumor pasſim uulgabatur, uidendi cupida, eum ad se euocauit Antiochiam. Abijt igitur ad eam Origenes, & aliquandiu ibi uersatus, Alexandriā ad suam scholā redijt, &c

dijt, ac scribere Cõmentarios in sacrã Scripturam cœpit: urgente id uehemẽter, & sumptus libenter suppeditante Ambrosio, homine diuite, & ingenioso, quẽ ab hæresi Valentini & Marcionis (utriusq; enim sectator fuerat, ut scribit Suidas) liberatũ Origenes cõuerterat, & orthodoxũ fecerat, cuius beneficio Alexãdrinæ etiã Ecclesiæ diaconus ordinatus fuerat. Is igitur infinitis prouocationibus Origenem ad scribendum impulit. Quoq; facilius scribendi labor procederet, septẽ ei adiunxit notarios, & puellas non pauciores ad scribendũ exercitatas, qui inuicẽ sibi per horas succederent. Eos omnes Ambrosius aluit: de cuius feruida in explicationes sacrarum literarum diligentia, & importunis postulationibus, Origenes ipse ad amicum hoc modo scripsit:

Sãctus Dei & eruditus Ambrosius, sæpe me cõpellauit, qui existimat me amicũ esse, & ualde sitibũdum diuinarũ literarũ: cõuincit propria aßiduitate et amore, scilicet ad disciplinas. Vnde adeò me uicit, ut periculosum esset repugnare ipsius propositionibus. Neq; enim edere licet, nisi prius confrã: neq; post sumptũ cibũ licet obambulare & corpusculũ reficere. Sed & eo tempore philosophari & examinari scripta cogimur. Neq; noctẽ totã ad corporis curã licet nobis dormire, cũ ipse cupiditate cõferendi ad multã noctẽ detineat nos. Omitto uerò dicere quæ matutino tempore, usq; ad nonam et decimã horam fiunt. Omnes enim qui uolunt aßidui esse, tempora illa tribuunt inquisitioni diuinorum oraculorum & lectionibus. Recitat hanc Epistolam Suidas, & meminit eius Hieronymus etiam in Epistola ad Marcellum.

Sed Imperiũ adhuc Alexander tenebat, cũ Achaiæ ecclesiæ uarijs hæresib. uexarentur. Ad eas igitur sedendas Origenes missus, in media iã cõstitutus ætate, dum per Palæstinã Athenas cõtenderet, ab Alexãdro episcopo Hierosolymorũ, et Theoctisto Cæsareæ, quorũ in illis partib. præcipua tũ fuit autoritas, apprehẽsus, et presbyter ordinatus est Cæsareæ. Quæ dignitas cùm magnã admirationẽ Origeni cõciliasset, & in magna apud omnes ubiq; autoritate & ueneratione ob eruditionẽ & sapientiã esset, gloriæ eius ac famæ Demetrius inuidẽs, episcopos eos qui ad presbyterũ Origenem promouerãt, grauiter et acerbè accusauit. Origeni uerò ipse cũ, quod in laudis detrectationẽ obijceret, nihil haberet aliud, factũ illud exprobrauit, quòd se Origenes adolescẽs quõdã, sicut infrà dicemus, exercuerat: qđ ipsum tamẽ ut rẽ piam et fortẽ, cũ primum olim resciuisset, approbauerat. De inuidia igitur & hostili Demetrij in eũ animo certior absens factus, mãsit Cæsareæ, ibiq; docuit: relicto Alexãdriæ successore suo Heracla, cũ annũ imperij sui decimũ Alexãder imperator ageret. Ibi permultos egregios uiros erudituit, in primis Firmilianũ Cæsareæ Cappadociæ episcopũ: qui aliàs cũ omni eum Cappadocia ad se inuitauit, et aliquãdiu apud se detinuit, aliàs in Iudæã ad eũ ipse profectus est. Adhæserũt præter hunc, ei quasi magistro, Alexãder et Theoctistus. Præterquã quòd exteri multi ad eũ accesserant: inter quos duo celeberrimi, Theodorus, qui et Gregorius, et Athenodorus, fratres, Græcarũ & Romanarũ disciplinarum studiosissimi, quos à philosophicis studijs retractos, in sacris literis Origenes erudijt, adeò ut iuuenes adhuc post quinquennium, quo eum sectati erant, ecclesiis Ponti episcopi præfecti fuerint.

Cùm autẽ Romano Imperio Gordianus præesset, orta in Arabia Berylli hæresi, de qua diximus, Origenes eò cum alijs abijt, & in frequenti synodo contra Beryllum Bostrensis ecclesiæ episcopũ disputauit, & ab errore liberauit.

Postea cùm Gordianò, qui Imperij summã ad sexennium administrauerat, Philippus succesßit, ætatis suæ Origenes annũ sexagesimũ ingressus est. Ac tũ demũ ea quæ publicè doceret et disputaret, excipiẽdi notarijs copiã fecit, cũ id antè noluisset. Tum etiã cõtra Celsi Epicurei librũ, Veracem inscriptũ, octo libros edidit: et uigintiquinq; tomos in Euangeliũ secundũ Matthæũ, aliosq; in duodecim Prophetas absoluit, de qb. infrà dicemus. Quo tempore fortè et Philippũ Imperatorẽ ad fidem Christianã cõuertit: ad eum enim, & coniugem eius, & Seuerã scripsit: quemadmodum & ad Fabianum, qui tum Romano episcopatu præerat.

Habuit & tertiũ iter circa hoc tẽpus, item in Arabiam, hac occasione, quòd sparsi ibi à quibusdã peruersa dogmata, de interitu animarũ cum corporibus, cœpissent. Quorũ uesanos errores, in conuocata non mediocri synodo solus ipse repreßit, autoresq; eorum saniori sententiæ restituit. Atq; hæc de Origenis uita prodiderunt, Euseb. lib. 6. per omnia propemodum capita, & Suidas. Nunc de libris & doctrina dicemus.

De Origenis libris.

Ambrosius Origenem excitauit, ut ad imitationem Hippolyti Commentarios & Homilias in Scripturas scriberet, ut refert Hieronymus in uita Hippolyti.

Suidas autor est, eũ intra spaciũ duodecim annorum totã sacram Scripturã interpretatũ esse, et stãdo quidẽ libros cõposuisse, dictiones scilicet significãs, quas exceperunt notarij. Hinc Hieronymus in Epistola ad Pammachiũ & Oceanum affirmat, eum mille & amplius tractatus ædidisse, præter Cõmentarios innumerabiles. Idem tamen in epistola ad Theophilũ, & in Apologia aduersus Ruffinũ, seu aliũ quẽcũq; cõfutat, qui scripserit, sex millia librorũ ab Origene cõscripta fuisse: quod et Epiphanius ex Methodij fragmento retulit libro secundo, tomo primo. Allegat enim Hieronymus indicem librorũ Origenis, extantem in tertio libro Eusebij de uita Pamphili: in quo uix tertiã partem librorum Origenis reperiri dicit. Eum uerò Indicem seu Catalogũ scribit ab se annotatũ in Epistola ad Paulum Eustochij matrem, sed quæ hodie non extat. Quare fit, ut quot uoluminũ in sacras literas uel dictarit uel scripserit, liquidò sciri non possit.

Distinxit autem Hieronymus idem in Prologo homiliarum Origenis in Ezechielem, quas Latinas ipse fecit, omnia Origenis opera trifariã. Alia enim scholia uocat, annotatiunculas scilicet breues in locos obscuriores, cuius generis hodie nihil extat. Alia Homilias, quas colloquia rectè quis dicat, conciones scilicet: oratione ita temperatas, ut cum populo cõferre uideatur: earum adhuc multæ supersunt. Tertiũ genus Origenis ipse uocabat τόμους, quos tractatus siue uolumina uertere possis: tales sunt libri de Principijs, & tractatus in Matthæum.

Libri Origenis, quorum Eusebius meminit.

Antequàm explicationes Sacrarum literarum Origenes ordiretur, collationes fecit uersionum diuersarum sacrorum Bibliorum. Primùm enim uersioni Septuaginta, quæ tum fuisse uidetur uulgatißima, adiunxit Aquilæ Pontici, Theodotionis & Symmachi editiones, repertas à se, multo tempore absconditas: aliam quidem Nicopoli in Actiaco littore, aliam alijs in locis, sicut ipse scribit. Indicauit Eusebius libro sexto, capite decimoseptimo. His postea superaddidit quintam, sextam & septimam, quas dixerunt, editiones: quarum unam inuentam esse indicauit in Hiericho, in dolio, tempore Antonini Caracallæ. Quas editiones omnes ita digesßit per columnas, ut singulæ uel inter sese, uel cum Hebraicis, quæ simul addidit, conferri possent. Atq; hoc opus ἑξαπλᾶ, quemadmodum Epiphanius legit: seu potius ἑξαπλᾶ, ut Erasmus, à simplici explanatione.

Deinde separatim digesßit uersiones Theodotionis, Aquilæ & Symmachi, cũ Septuagmta: atq; hoc opus à quadruplici ordine appellauit τετραπλᾶ. Meminit eiusdẽ distributionis, sed paulò diuersius, Epiphanius lib. secũdo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta. Meminit & Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinũ.

Post hæc proximè recenset Eusebius tractatus in uniuersum Euangeliũ Ioannis, quorũ uigintiduo tantùm tomi ad nos uenerunt: eorumq; quinq; scribit se composuisse, cùm adhuc Alexandriæ esset.

Sequuntur Tomi duodecim in Genesin, quorum nouem absoluit Alexandriæ.

Tomi alij in priores uigintiquinq; Psalmos, quos conscripsit Alexandriæ.

Tomi item in Threnos, quorũ quinq; ad nos peruenerunt: in quibus & eorum meminit qui sunt de resurrectione duo Tomi.

Tomi alij de Principijs, quos etiam scripsit antequàm Alexandria discederet.

Bosq; qui schematum inscriptionem habent numero decem, quos in eadem ciuitate tempore Imperatoris Alexandri composuit, sicut hæ integræ illius annotationes Tomis præmissæ indicant.

His addit librum de martyrio, quem Ambrosio & Prototecto Cæsarienſis ecclesiæ presbytero Origenes nuncupauit, scripsit uerò tempore persecutionis sub Maximino.

Item uarias Epistolas ad diuersos.

Et Commentarios in Esaiam, è quibus ad nos in tertiam Prophetæ partem ad uisionem usq; ad quadrupedum in deserto, triginta Tomi uenerunt. Hos scripsit sub Gordiano.

Rursus in Ezechielem Tomos uigintiquinq;.

Cœpit in Canticum canticorum scribere, in quibus illic (Athenis, Ruffini habet uersio) hactenus est progressus, ut quinq; Cõmentarijs absoluerit. Cæsaream uerò reuersus, opus hoc decem Commentarijs perfecit. Suidas scribit, eum annum ætatis suæ egisse sexagesimum, cùm ea Commentaria exararet.

Contra Celsum Epicureum scripsit octo Commentarios, post annum sexagesimum, sub Imperatore Philippo. Deniq; & uigintiquinq; tomos in Euangeliũ secundum Matthæum. Hæc de Origenis libris sic recenset Eusebius libro sexto, capitibus decimosexto, decimoseptimo, uigesimotertio, uigesimooctauo, trigesimosecũdo, trigesimotertio, & trigesimoseptimo. Quemadmodum etiam istorum Suidas meminit.

DE LIBRIS SEV ORIGENIS, SEV aliorum, qui hodie inter opuscula Origenis censentur.

¶ In Genesin, homiliæ septemdecim.

In Exodum, homiliæ tredecim.

In Leuiticum, homiliæ sedecim.

In Numeros, homiliæ uigintisex.

In librum Iesu Naue, homiliæ uigintisex: quos non esse Origenis, Erasmus indicat, ex solœcismis dictionum, & locutionum improprietate, & sermonis ineptijs: itẽ ex singulis allegorijs: tũ quòd Hieronymus in Catalogo scriptorũ nullã huius operis mẽtionẽ faciat.

In librum Iudicum, homiliæ nouem.

In librum Regum, homilia una.

In librum Iob, tractatus tres: quos nec redditos è Græco, sed Latinè scriptos, nec Origenis esse, Erasmus indicauit, sed cuiusdam Ariani: ideo quòd mentionem aliquoties faciens trium personarũ, soli Patri cognomen Dei tribuat, & hæreseos accuset eos, qui sentiunt unum Deum esse & tres personas. Opus tamen uocat lectu dignum, & suspicatur autorem eius esse Maximinum episcopum, cuius cum Augustino disputationes extant.

In Psalmum trigesimumsextum, homiliæ quinq;.

In Psalmum trigesimumseptimum, homiliæ duæ.

In Psalmũ trigesimumoctauũ, homiliæ duæ. Quas omnes Erasmus indicat non esse Origenis, sed autoris alicuius Latini: ideo quòd ab Origenis tum ingenio, tum phrasi uidentur alienæ, & ad dictionem Chrysostomi propius accedant. Deinde, quòd in ijs quædam inueniantur durè & frigidè applicata, aliena etiã & adscititia.

In Canticum canticorum explanationis prioris, homiliæ duæ.

In Canticum canticorũ explanationis posterioris, homiliæ quatuor: quas non esse homilias Erasmus ait, sed Commentarium perpetuum imperfectum. Deinde nec Origenis, nec Hieronymi esse, sed cuiusdam hominis Latini, docti ac diserti: pium tamen & eruditum uocat Commentarium.

In Esaiam, homiliæ nouem: quas Latinè uertit Hieronymus.

In Hieremiam, homiliæ quatuordecim.

In Ezechielem, homiliæ quatuordecim.

De Principijs, libri quatuor.

Threnorum seu Lamenti, Origenis tractatus unus. Figmentum alicuius indocti, qui studuit huiusmodi colore Origenem infamare. Erasmus.

In Matthæum, tractatus trigintaocto: opus de genere Tomorum, quemadmodum Græci tituli indicant.

In Lucam, homiliæ trigintanouem, quas Hieronymus in præfatione fatetur à se Latinas factas.

In diuersos noui Testamenti locos, homiliæ decem. In his cõstat quasdam non esse Origenis, sed cuiusdam hominis Latini. Erasmus.

In Epistolam ad Romanos libri decem, in Latinũ conuersi,

conuersi non ab Hieronymo, ut librarij mentiuntur, præfigentes Hieronymi titulum: sed à Ruffino, immutati magis & contaminati, quàm fideliter redditi, quemadmodum Erasmi censura admonet.

Contra Celsum, libri octo.

Libri Origenis non extantes.

Præter homilias, in Genesin scripsit duodecim Tomos, ut Eusebius testatur: quorum præfatio citatur à Pamphilo in Apologia.

Item in Iob, teste Hieronymo in Epistola ad Pammachium & Marcellinum.

Præterea in Psalmos usq; ad uigesimum, è quibus Hieronymus profitetur se uertisse à Tomo decimo usque ad decimumsextum.

Itẽ, in Prouerbia Salomonis, ut citatur à Pãphilo.

Refert & Hieronymus in præfatione in triginta nouem homilias in Lucam, Origenem triginta sex Tomis etiam exposuisse Matthæum, quinq; Lucam, nouem Ioannis Euangelium: quod opus Alexandriæ confirmauit, ut ex Eusebio suprà dictum est.

Rursus à Pamphilo citatur Origenes in Epistolã Pauli ad Titum: item in Epistolam ad Ebræos. Citatur & tertius liber, in Epistolam ad Colossenses. Item, in tertiam Esaiæ partem, usq; ad descriptionem quadrupedum in deserto, sunt Tomi triginta, quorũ Hieronymus memimit in Apologia aduersus Ruffinum.

In Ezechielem Tomi uigintiquinq;, quos qua ætate scripserit, ex Eusebio suprà retulimus.

Testatur Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinum, eum in Epistolam Pauli ad Ephesios tria scripsisse uolumina.

Meminit ibidem & Dialogi cuiusdam Origenis, cum Candido Valentinianæ hæreseos defensore, quem apud Græcos haberi ait.

Meminit & Pamphilus libri Origenis de oratione. Item, de Resurrectione. Librorum deniq; decem Stromatum Origenis Hieronymus frequenter memimit: & citat eorum tertium Pamphilus in Apologia. Suidas testatur, eos libros ab Origene scriptos regnante Alexandro.

De Origenis doctrina.

Deum essentiam sensit esse spiritualem, incorpoream & incomprehensibilem. Eundemq; esse Deum ueteris & noui Testamenti. Postea de tribus in diuinitate personis, distinctè ubiq; docet. Item Patrem & filium esse unius uoluntatis & substantiæ, sed duas personarum proprietates. Christum docet ab æterno esse filium Dei, & hominem in tempore factum, libro primo in Epistolam ad Romanos: Quod promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei secundum carnem ex semine Dauid, factus est quod antè non erat. Manifestũ enim est, quia secundum carnem non erat prius: secundum spiritum uerè erat antè, & non erat, quãdo non erat.

Et Homilia uigesimaquarta in Numeros: Si non fuisset peccatũ, non necesse fuerat filiũ Dei agnũ fieri, nec opus fuerat eum in carne positum iugulari: sed mansisset hoc quod in principio erat, Deus, uerbum.

Ita unius & eiusdem Spiritum sanctum æternitatis & maiestatis cum Deo Patre & filio esse sensit, libro secundo de Principijs: Sicut idem, inquit, ipse Deus, atq; idem ipse Christus: ita idem ipse Spiritus sanctus est, qui & in Prophetis & in Apostolis fuit: id est, siue in illis qui ante aduentum Christo crediderunt, siue in his qui per Christum confugerunt ad Deum. Rursus libro primo de Principijs: Natura Spiritus sancti naturaliter uel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, hoc ex assumptione uel inspiratione Spiritus sancti habet, ut sanctificetur. Sensit idem, Spiritum sanctum ex cordibus peccantium eijci, & cum peccatis seu mala conscientia esse non posse. Homilia sexta in Numeros.

Requiescit spiritus in ijs qui mundo sunt corde, & in ijs qui purificãt animas suas à peccato: sicut è contrario, non habitat in corpore subdito peccatis, etiam si habitauit in eo. Non enim potest Spiritus sanctus consortium pati & societatem Spiritus mali, propter quòd & Apostolus monebat, dicens: Nolite contristare Spiritum sanctum, &c. Igitur peccantes contristamus Spiritum sanctum: iustè uerò agentes, & sanctè, requiem ei paramus in nobis.

De creatione rectè sensit: Deum non modò cõdidisse, sed & gubernare & seruare creaturas. Homilia nona in Hieremiã: Deus, inquit, non unũ hominẽ, sed uniuersum curat orbẽ, cœlestia atq; terrestria, & omnia ubiq; dispensat. Sensit idem, Deũ non esse mali autorem: libro secundo in Iob. Sicut, inquit, sol nunquam tenebras profert: sic similiter bonus Deus nunquam mala producit, sed omnia bona atq; optima.

Angelos deinde sensit esse, & uirtutes cœlestes, Deo & hominibus administrantes: in proœmio libri primi de Principijs. Et homilia quarta in Ezechielem dixit, eos cœlestis dispensationis esse ministros. Sensit etiam, omnes natura bonos à Deo conditos esse: sed ex illis quosdam propria culpa à Deo defeciisse, atq; inimicitias indefessas aduersus Deum & Ecclesiã postea suscepisse. Ex libro in epistolam Pauli ad Titũ, citante Pamphilo in Apologia: De ipso, inquit, diabolo sentiendum esse, qui in conspectu Domini omnipotentis describitur restitisse, & deseruisse statũ suum, in quo fuerat immaculatus: qui uttq; potuisset in hoc statu, in quo ab initio fuit, in finem perseuerare, si uoluisset.

Sic & hominem sensit ita ad perfectionem & immortalitatẽ conditũ fuisse, ut unquam necesse fuisset, subire eum cõditionem hãc fragilem & mortalẽ, si nõ peccasset. Sic etiã sensit Homilia nona in Leuiticum.

De lapsu etiã hominis docuit, eum propria uoluntate à Deo se auertisse & cecidisse. Ex libro in Epistolam ad Titum, citante Pãphilo: Habendũ est in Ecclesiasticis obseruationibus, quòd nec hominũ quis à Deo in perditionẽ traditus est, sed unusquisq; pereuntiũ sua negligẽtia pereat, & culpa, qui habẽs arbitrij libertatem, eligere quod bonũ est & potuit & debuit.

De libero arbitrio suprà diximus, caput illud doctrinæ maximè tempestiuè cœpisse corrumpi, atq; ita factum fuisse, ut nemo propèmodum, uel hoc uel præcedenti seculo doctor fuerit, qui non saluam mansisse senserit post lapsum, humanarum uirium integritatem & potestatem. Dicit quidem Origenes Homilia quarta in Psalmũ trigesimumsextum: Domine, semper indigemus auxilio. Primò, ne cadamus: deinde, si ceciderimus, ut resurgamus. Sed diuersum

longè in

longè in plurimis locis alijs tradidit, quemadmodum suprà diximus.

Peccatum originale bene tamen sensit propagari in omnes homines, Homilia duodecima in Leuiticum: Omnis, inquit, qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur, propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit uita eius. Hoc ipso ergo quòd in uulua matris est positus, ad quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cùm quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione paterni seminis, uel uteri materni? omnis ergo homo in patre & in matre pollutus est. Solus uerò Dominus meus, &c.

Recitat etiam & probat definitionem legis uetustam, libro tertio in epistolam ad Romanos: Rectè, inquit, à sapientibus definitum est, Legem esse quæ dicat id quod agi debeat, & quod agi non debeat, uetet.

Deinde legis perfectionem esse Christum, docuit libro octauo in Epistola ad Romanos: Finis legis Christus est, perfectio legis & iusticia Christus est credentibus. Ibidem: Nec ipsa quæ ex lege est iusticia, sine Christo adimpleri poterit.

De iustificatione docuit, autorem eius nobis esse Christum, ut libro octauo in Epistolam ad Romanos: Iusticia Dei est Christus, qui factus est nobis iusticia à Deo, & pax, quemadmodum dicit: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc ergo iusticia non tantùm uitam præbet, sed æternam uitam. Et libro nono in eandem: Quia enim, inquit, omnes concluſi sunt sub peccato, iam non meritis, sed in misericordia Dei salus humana consistit. Fide etiam apprehendi iusticiã, quam probat, Deus docuit, nullis accedentibus meritis: cuius doctrinæ testimonia suprà adduximus, quibus hæc addimus. Libro quinto in Epistolam ad Romanos ait: Neq; fides nostra sine sanguine Christi, neq; sanguis Christi nos sine fide nostra iustificat. Et Homilia uigesimasexta in Numeros: Impossibile est saluari sine fide. Fidem autem sentit esse, fiduciam in promissiones Dei, ut Homilia decimaquinta in Iosuam: Fidem Dei intelligimus, eam fidem qua credunt Deo, ij qui ab eo eloquia diuina suscipiunt. Deniq; & donum misericordiæ Dei fidem esse, docuit Homilia uigesimasexta in Numeros: Fides, inquit, per gratiam datur.

Docuit & necessariò requiri nouam obediẽtiam, & fidei fructus à renatis, nec tamen ad iustificationem facere aliquid: quamobrem nec infidelibus prodesse bona opera, sentit Homilia decimasexta in Leuiticum. Ostendit item, quæ fieri debeant bona opera, ea scilicet quæ in Decalogo mandata sunt. Tum quòd in fide facienda sint, hoc quidem fine ut Deo grati simus. Homilia decimaquarta in Genesin: Operibus Christo testimonium præbemus.

Pœnitentiam scripsit sæpius iterandam esse, quia pœnitentibus Deus indulgeat. Sicut præclarè dicit Homilia prima in Hieremiam: Deus ad benefaciendum promptus est: ad puniendum autem eos qui pœna digni sunt, dissimulat. Cùm possit quippe, ualens sine contestatione uenturi punire eos, quos simul dignos supplicio iudicauit, nunquã hoc facit: sed etiam si condemnauerit, dicit, quòd sibi semper dicere propositum sit, ut liberarentur à condemnatione per pœnitentiã, qui condemnati fuerant per delictum. Homilia secunda in Canticum: peccatores grauissimos non repellit Dominus, &c.

Rectè & de baptismo sensit, perfici scilicet eum autoritate sanctæ Trinitatis, sicut Christus iussit. Ac de effectu eius rectè docuit, peccati sordes per eum deponi, & omne genus delictorum auferri: tractatu trigesimoquinto in Matthæum, & Homilia decimaquinta in Iosuam.

Rectè & in cœna Domini sub pane & uino sumi asserit corpus & sanguinem Domini, Homilia sexta in diuersos. Item, donum in nobis esse per sancti corporis sui & sanguinis sacramentum, Homilia prima in diuersos.

Agnoscit item unicum sacrificium sanguinis Christi, per quod sentit salutẽ dari toti orbi. Libro enim secundo in Epistolam ad Romanos ait, Sanguis Christi tam preciosus fuit, ut solus pro omniũ redemptione sufficeret. Et Homilia secunda in canticum Canticorum, holocausta Christianorum interpretatur orationes & supplicationes.

In oratione uerò, res quæ petuntur, statuit permittendas esse uoluntati Dei: tractatu trigesimoquinto in Matthæum.

De Ecclesia rectè sentit, cœtum eum esse congregatum ex bonis & malis, in quo sonet uerbum Dei, & cuius caput sit Christus: Homilia septima in Ezechielem, libro tertio contra Celsum, & Homilia trigesimaquinta in Matthæum.

Sensit & crucem Ecclesiæ notam esse, & comitem coniunctissimam: Homilia tertia in Exodum.

Coniugium ita probat, ut orationes sanctorũ coniugum hostias uocet Deo placentes, nec uirginitatem præferat: libro octauo in Epistolam ad Romanos.

Sentit magistratui ciuili deberi obedientiam, non tamen in persecutione fidei: libro nono in Epistolam ad Romanos.

De rerum indifferentium usu, dicit in Commentarijs in cap. 15. Matthæi: Pura conscientia & pura mens, pura omnia reddit, etiamsi uideantur esse impura.

Vt Iudæi peccãtis circuncisio habebitur pro præputio, contrà Gentilis rectè agentis præputium pro circuncisione. Sic libertatem ieiunandi concessam esse ait, Homilia decima in Leuiticum.

Nemini etiam præbendam esse scandali occasionem: quòd peccatũ grauius sit, quàm certum aliquod criminis genus delinquere, sensit Homilia uigesimaquinta in Numeros.

De morte ait, Homilia duodecima in Hieremiam: Deus mortem non fecit, neq; delectatur in perditione uiuentium: inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.

De Resurrectione sentit, animabus receptis corpora eadem, non alia resurrectura, in libris primo & secundo de Principijs. Et in libro de Resurrectione, quem

quem citat in Apologia Pamphilus: Nos post corruptionem mundi, eosdem ipsos futuros esse homines dicimus, licet non eodem statu, neq; in ijsdem passionibus. Item, quòd omnis illa repromissio resurrectionis mortuorum, de hoc corpore sit quòd mortuum relinquitur, sanctæ Scripturæ multis modis hoc ostenderunt: sed & ipsa hoc Domini nostri Iesu Christi resurrectio declarat, qui primogenitus ex mortuis dicitur.

De Origenis næuis.

Indicat Pãphilus presbyter in Apologia pro Origene, imputatos esse ei aliquot lapsus à maleuolis, quos quidem ex Origenis proprijs scriptis confutat.

Conatur & Ruffinus in Apologia sua, eum ita defendere, quasi pleriq; errores qui in libris eius inueniuntur, à calumniatoribus eius inserti sint. ac recitat exemplum Epistolæ Origenis ad amicos Alexandriæ, in qua id sibi uiuo à maleuolis fieri cœpisse conqueritur. Defendit eum & Socrates Ecclesiasticæ historiæ libro sexto, capite decimotertio, conuiciatores eos & maledicos appellans, qui, quæ Origenes tradidit, reprehendere sint conati: Methodius scilicet Olympi episcopus, Eustochius Antiochenus, Apollinarius & Theophilus, qui eum ducentis annis post obitum excõmunicauit. At Hieronymus in Epistola ad Pãmachium & Oceanum, Origenis opera minimè deprauata fuisse asserit, sed sic eum sensisse: Origenem etiam ipsum errores suos affirmat cõfiteri, in epistola quadam ad Fabianum Romanum episcopum, in qua pœnitentiam agat, quòd talia scripserit: & causas temeritatis in Ambrosium reijciat, qui quod secretò ipse composuerat, in publicum ediderit.

Scripta igitur eius & dogmata appellat uenenata, aliena à Scripturis sanctis (quod & Theophilus Alexandrinus de eo scripsit in libro Paschali) & uim Scripturæ facientia. Horum igitur errorũ partim alij doctores, partim propria ipsius eum scripta reũ faciunt.

Primùm Pamphilus in Apologia sua indicat, à maleuolis ei obiectũ fuisse quòd in natura dixerit filium Dei: item quod dixerit, eum per prolationem secundum Valentini fabulas in substantiam uenisse. Quòd secundum Artemam uel Paulum Samosatenum, purum hominem Christum dixerit: putatiuè tantùm: per allegoriam, non secundum ea quæ iuxta historiam referuntur, gesta esse omnia quæ à Saluatore gesta sunt.

Rursus quòd duos Christos prædicarit, in qua parte Hieronymus in epistola ad Pãmachium & Oceanum, Arij eum fontem: quemadmodum & Epiphanius in epistola ad Ioannem episcopum Hierosolymitanum, Arij patrem uocat. Et in Apologia aduersus Ruffinum, lingua eum sacrilega blasphemare dicit, quòd filium Dei Patrem non uideat, cuius erroris & Suidas meminit. Item, quòd filium Dei uocet creaturam, ut quem non natum, sed factum dicit: quam opinionem Epiphanius ita de eo retulit: Ex essentia Patris filium inducit simul creatum: uult autem dicere, uelut per gratiam filium ipsum appellari. In epistola uerò ad Auitũ, in qua hæretica insunt, ordine hunc de Deo Patre & filio errorem, ex libro primo de Principijs recitat: Filium (Origenes scripsit) qui sit imago inuisibilis Patris, comparatum Patri, non esse uerita-

tem. Apud nos autem, qui Dei Omnipotentis non possumus recipere ueritatem, imaginariam ueritatem uideri, ut maiestas & magnitudo maioris quodammodo circumscripta sentiatur in filio. Deum Patrem esse lumen incomprehensibile: Christum, collatione Patris, splendorem esse perparuũ, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse uideatur. Duarum statuarum, maioris & paruulæ, unius quæ mundum impleat, & magnitudine sua quodãmodo inuisibilis sit: & alterius, quæ sub oculos cadat, ponit exemplum: priori Patrem, posteriori filium comparãs. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, & perfectæ bonitatis: Filium non esse bonum, sed auram quãdam & imaginem bonitatis, ut non dicuntur absolutè bonus, sed additamento Pastor bonus.

Ibidem cùm dixisset, iuxta Ioannis Apocalypsin Euangelium sempiternum, id est, futurum in cœlis, tantùm præcedere hoc nostrũ Euangelium, quantũ Christi prædicatio legis ueteris sacramenta: ad extremum intulit (quòd & cogitasse, sacrilegum est) pro salute dæmonum, Christum etiam in aëre & in supernis locis esse passurũ. Et licet ille non dixerit, tamen quòd consequens sit intelligitur, sicut pro hominibus homo factus est, ut homines liberaret: sic & pro salute dæmonũ, Deum futurũ, quod sunt hi ad quos ueturus est liberandos. Quod ne forsitàn de nostro sensu patimur asserere, ipsius uerba ponenda sunt: Sicut enim per umbrã Euãgelij, umbrã legis impleuit. Sic, quia omnis lex exemplũ & umbra est ceremoniarũ cœlestiũ, diligẽtius requirendũ, utrũ rectè intelligamus legẽ quòq; cœlestẽ, & ceremonias superni cultus plenitudinẽ nõ habere sed indigere euangelij ueritate: quòd in Ioãnis Apocalypsi Euangeliũ legimus sempiternũ, ad comparationem uidelicet huius nostri Euãgelij, quod temporale est, & in transituro mundo à seculo prædicatũ. Quòd quidem etiam si usq; ad passionem Domini Saluatoris inquirere uoluerimus, quanquã audax & temerariũ sit in cœlo eius quærere passionem, tamen si spiritualia nequitiæ in cœlestibus sunt, & non erubescimus crucem Domini cõfiteri propter destructionẽ eorum quæ sua passione destruxit. Cur timeamus etiã in supernis locis, in consummatione seculorũ aliquid simile suspicari, ut omniũ locorũ gentes illius passione soluentur? Rursumq; blasphemias de filio sic locutus est: Si enim Patrem cognoscit filius, uidetur in eo quod nouit Patrem, posse eum cõprehendere: ut si dicamus, artificis animum artis scire mensuram. Nec dubium, quin si Pater sit in filio, & comprehendatur ab eo in quo est. Sin autem comprehensionem eam dicimus, ut non solùm sensu quis & sapientia, sed & uirtute & potentia cuncta teneat, qui cognouit: non possumus dicere, quòd comprehendat filius Patrem, Pater uerò omnia comprehendit. Inter omnia autem filius est, ergo & filium comprehẽdit. Et ut sciremus causas, quibus Pater cõprehendit filium, & filius Patrem non queat comprehẽdere, hæc uerba subnectit: Curiosus Lector inquirat, utrũ ita à semetipso cognoscatur Pater, quomodo cognoscitur à filio: sciensq; illud quod scriptũ est, Pater qui me misit, maior est omnibus: uerum esse contendit, ut dicat, & in cognitione filio Patrem esse maiorem, dum perfectius & purius

à se-

à semetipso cognoscitur, quàm à filio. Errorem hunc ei etiam Theophilus Alexandrinus tribuit, libro primo Paschali, quòd dixerit, filium Dei, id est, rationem & sermonem ac uirtutem eius, ad ea tantùm quæ rationabilia sunt, peruenire. Item ex dicto ad Philippenses secundo, Seipsum exinaniuit, formã serui accipiens: affirmat Origenem ausum fuisse ratiocinari, animam Saluatoris se euacuasse, & formam serui accepisse: ut mentitus sit Ioannes, qui scripserit, Verbum carnem factum esse. Tale quiddam de Origene & Hieronymus indicat in Apologia aduersus Ruffinum. Item dicit Origenes, animam filij Dei, & filium ipsum unum esse, sicut & Pater & filius unum sint.

Lusit & blasphemis & periculosis opinionibus de filio Dei, in alijs suis libris. Vt Homilia octaua in Genesin, ubi Christum inter angelos habitu inuentum ut angelum, quemadmodum inter homines ut hominem, dixit. Asseruit & Christum hostiam pro cœlestibus oblatã esse, & uitalem corporis sui uirtutem, uelut spirituale quoddam sacrificium immolasse: Homilia prima in Leuiticum. In cœlo uerò, eum non pro peccato, sed pro munere oblatum, Homilia secunda in Leuiticum. Mira etiam, de perpetua Christi natiuitate adstruxit: Homilia nona in Esaiam. Item Theophilus libro secundo Paschali, ait Origenem asseuerare, filium non esse adorandum, neq; cum filio Patrem. Item, animam Saluatoris esse irrationalem, & absq; mente: Theophilus libro primo Paschali.

De Spiritu sancto errasse eum, seu potius blasphemasse, Hieronymus rursus testatur, in Apologia aduersus Ruffinum, quòd ministrum eum dixerit. In epistola uerò ad Auitũ, hoc ex libro primo de Principijs recitat. Tertium dignitate & honore post Patrem & filium asserit Spiritũ sanctũ. De quo cùm ignorare se dicit, utrũ factus sit, an infectus, in posterioribus quid de eo sentiret expressit, uel absq; solo Deo Patre infectum esse confirmans. Item, Spiritum sanctum inferiorem dixit filio, in sanctis quibusq; uersari. Maiorem enim esse fortitudinem filij, quàm Spiritus sancti: & consequenter, ipsius sancti Spiritus maiorem esse uirtutem cæteris quæ sancta dicuntur.

Theophilus Alexandrinus & hunc de Spiritu sancto errorem ei tribuit: Dicit, inquit, Spiritũ sanctum non operari ea quæ in anima sunt, nec ad irrationabilia peruenire.

De creatione hunc ei næuum Hieronymus impingit ex libro secundo de Principijs, in Apologia & Epistola ad Auitum: Mundos asserit innumerabiles, non iuxta Epicurũ, uno tempore plurimos & sui similes, sed post alterius mundi finem, alterius esse principium. Et ante hunc uostrum mundum, alium fuisse mundum, & post hunc alium esse futurum, & post illum alium, rursumq; cæteros post cæteros. Et dubitat, utrum futurus sit mundus alteri mundo ita ex omni parte consimilis, ut nullo inter se distare uideantur, an uerò nunquam mundus alteri mundo ex toto indiscretus & similis sit futurus. Item, Vis dicere, inquit, quòd post corruptionem huius mundi alius sit futurus? Audi Esaiam loquentem: Erit cœlum nouum, & terra noua, quæ ego facio permanere in conspectu meo. Vis nosse quòd ante fabricam istius mundi, alij mundi in præterito fuerint? Auscultа Ecclesiasten: Quid est quod fuit? Ipsum quod erit. Et quid est quod factum est? Ipsum quod futurum est. Et non est omne nouum sub sole, quod loquatur & dicat, Ecce hoc nouum est. Iam igitur fuit in seculis pristinis, quæ fuerũt ante nos. Quod testimonium non solùm fuisse, sed futuros mundos esse testatur: non quòd simul & pariter omnes fiant, sed alius post alium.

Ibidem: Nititur approbare, & firmamentũ, id est, cœlum, ad comparationem superioris cœli, esse inferos: & hanc terram, quam incolimus, collatione firmamenti inferos appellari: & rursum ad comparationem inferorum, qui subter nos sunt, nos cœlum dici, ut quod alijs infernum est, alijs cœlum sit.

Mundum hunc fabricatum esse à Deo sentit, quod & Theophilus Alexandrinus de Origene retulit libro Paschali. Primò, propter angelos lapsos, libro tertio de Principijs: Cõditor, inquit, Deus fecit eis (creaturis rationabilibus ruentibus in terram) congrua humilibus locis corpora, & mundum istum inuisibilem fabricatus est: ministrosq;, ob salutem & corruptionem eorum qui ceciderunt, misit in mundum, ex quibus alij certa loca obtinerent, & mundi necessitatibus obedirent: alij iniuncta sibi officia singulis quibusq; tẽporibus, quæ nouit artifex Deus, sedula mente tractarent. Et ex his sublimiora mundi loca, sol & luna & stellæ, quæ ab Apostolo creatura dicitur, acceperũt: Quæ creatura uanitati subiecta est, eo quòd crasis circundata corporibus, & aspectui pateat.

Et hæc statim adiungit de angelis: Alij in singulis locis atq; corporibus, quæ solus artifex nouit, mundi gubernaculis seruiũt, quos angelos eius esse credimus.

Et pòst paulum: Quem rerum ordinem, & totam mundi prouidentiam, dum aliæ uirtutes de sublimioribus corruunt, aliæ paulatim labuntur in terras. Istæ uoluntariæ dicendum, aliæ præcipitantur inuitæ: hæ sponte suscipiunt ministeria, & ruentibus manũ porrigunt, illæ coguntur ingratæ, ut tanto tempore in suscepto officio perseuerent. Et in Apologia aduersus Ruffinũ: angelos dicunt, uersos in animas hominũ.

Homilia undecima in Numeros, Angelos Origenes dicit futuros reges eorum quos conuerterunt: ut sit Christus non Rex, sed Rex regum. Deinde sensit, angelos non tãtùm circa nos esse, sed etiam intra nos, quibus uel animarũ uel corporum nostrorũ cura permissa sit. Probat ex Psalmo trigesimotertio, Omnia quæ intra me sunt, &c. Homilia uigesima in Iosuam.

Videtur & sentire, propter negligentiam & peccata angelorum, curæ & administrationi rerum terrenarum præfractorum, incidere sterilitates: Homilia quarta in Ezechielem.

Sensisse deniq; Origenem, & tradidisse, diabolos quoq;, sicut & impios, adhuc saluandos, & post longa supplicia angelis bonis denuò associandos esse: Augustinus, Hieronymus, & alij notant. Et habetur testimonium libro primo de Principijs, capite sexto & octauo. Item, Homilia nona in Hieremiam. Quanquam etiam diuersum ex Origenis scriptis suprà protulimus.

De animarum ruina de cœlo, impiá eum etiam protulisse,

tuliſſe, Hieronymus ſcribit in Epiſtola ad Pãmachiũ. Et in Apologia aduerſus Ruffinũ, animas fuiſſe dixit ante corpora, & egiſſe aliquid, quòd ſint craßis corporibus alligatæ. Quem errorem Origeni etiam Auguſtinus imputat, libro undecimo de Ciuitate Dei, capite uigeſimotertio. Et Epiphanius Tomo ſecundo, libro primo. Suidas item, & Nicephorus libro quinto, capite trigeſimotertio. Qui & hoc Origenem ſenſiſſe ait: Ex angelica conſtitutione animatam factam eſſe conſtitutionem, ex animata autem dæmoniacam & humanam. Tribuit idem Hieronymus Origeni in Apologia aduerſus Ruffinum.

In Epiſtola uerò ad Auitum, affirmat eum in libro ſecundo de Principijs ſenſiſſe, Animas, poſteaquàm ſalutem conſequutæ fuerint, amplius non futuras animas. Sicut enim, inquit, uenit Dominus atque Saluator quærere & ſaluũ facere quod perierat, ut perditum eſſe deſiſtat: ſic anima quæ perierat, & ob cuius ſalutem uenit Dominus, cùm ſalua facta fuerit, anima eſſe ceſſabit. Illud quoq; pariter requirendum, utrum ſicut perditum aliquando fuit perditum, & erit tempus quando perditum non erit: ſic & anima. Ali quando hæc intulit, νόες, id eſt mens, corruens facta eſt anima: & rurſum anima inſtructa uirtutibus, mens fiet. Quod & de anima Eſau ſcrutantes poſſumus inuenire: propter antiqua peccata eum deteriori uita eſſe damnatum.

De prouidentia ſic eum ſenſiſſe, Theophilus Alexandrinus indicat: quaſi non ad omnes creaturas, & mundi inferiora prouidentia Dei ſe demitteret, ſed in cœlorum tantùm regionibus commoraretur.

Peccati originalis uim Origenem nunquã ſatis intellexiſſe, ſuprà admonuimus. Hinc ſanctis poſt lapſum eam adhuc perfectionem tribuit, quam Adam habuit antequàm laberetur. Et filijs Iob, libro primo in Iob, quin & omnibus nobis tantùm tribuit, ut fomitem peccati poßimus exterminare: Homilia uigeſima in Numeros. Senſit item, peccata alia hîc curari poſſe, alia uerò nobiſcum tranſire ad alteram uitam, ubi ea partim purgari poßint: Homilia octaua in Leuiticum. Pœnam uero peccatorum ſtatuit eſſe purgatorium, in libris de Principijs, citante Pamphilo in Apologia: Quomodo perneceſſaria, inquit, pœna eſt quam per ignem infert Deus, Eſaias dicit: Abluet Dominus ſordes filiorum ac filiarum Sion, & ſanguinem expurgabit è medio ipſorum, ſpiritu iudicij, & ſpiritu aduſtionis.

Legis deinde poßibilitatem adſerit, ſicut liberi arbitrij in ſpiritualibus perfectionem. Hinc homilia octaua in Exodum, baptizatos inquit per omnia poſſe legem implere. Item, Non eſt inordinatus ſermo diuinus, nec impoßibilia præcipit: Homilia ſecunda in Canticum.

Ex hoc quaſi fonte, & iuſtificationis cauſam facit bona opera: & iuſtũ eum tantùm intelligit, qui ſit legaliter iuſtus, libro primo in Iob. Sic & inhabitationem Dei in nobis, noſtris meritis tribuit, Homilia uigeſimaquarta & uigeſimaſexta in Ioſuam. Item, ſi Deo offeramus iuſticiam noſtram, accipimus iuſticiam Dei: Homilia uigeſimaquarta in Numeros. Sic Iob dicit, ſponte ſua ſanctum & iuſtum factum fuiſſe, libro primo in Iob, & Homilia prima in Ezechielem ait: Quare ægrè ſers niti, laborare, contendere, & per bona opera teipſum cauſam tuæ fieri ſalutis?

Hinc & in pœnitentia ſatisfactionem, lachrymas, contritionem, & bona opera cauſam ſenſit eſſe remiſſionis peccatorum: Homilia quarta in Pſalmum trigeſimumſextum.

Quæ item de una tantùm pœnitentia in delictis grauioribus tradiderit, ſuprà etiam oſtendimus.

Quòd baptiſmum neceſſarium futurum poſt reſurrectionem ſenſerit, ſuprà diximus. Sed præter hoc, Spiritum ſanctum, qui in baptiſmo confertur, meritis baptiſati tribuit: Homilia tertia in Numeros. Non omnes, inquit, qui loti ſunt aqua, continuò etiam Spiritu ſancto loti ſunt. Cornelius catechumenus erat: & antequàm ad aquam ueniret, meruit accipere Spiritum ſanctum.

Vtq; magis uideas eum baptiſmi beneficium extenuare, etiam martyrium baptiſmo præfert: & ualere id ait ad remißionem futurorum peccatorum, cùm baptiſmus tantùm præſentia debeat: Homilia ſeptima in Iudicum.

Nuptijs præterea ſecundis aut tertijs parum æquus fuiſſe uidetur, cuius opinionis teſtimonia ex libris eius ſuprà adduximus.

In exercitijs externis nimium ſuperſtitioſus fuit, Dormijt enim cubans non in lecto, ſed in pauimento: una ueſte uſus eſt, ſine calceis, nihil de craſtino ſolicitudinis admittens. Sic enim omnia quæ Dominus tradidiſſet, obſeruanda eſſe duxit. Durauit in frigore & nuditate: cumq; extremè eſſet pauper, munera tamen ab amicis in ſubſidium ſibi collata, non accepit. Vino oleoq; abſtinuit, corporis ſui uigorem omnem ſubigens, ut tabidus & exauſtus incederet, quin & propter nimiam abſtinentiam pectus eius cecidiſſe uideretur.

Legens præterea illud quod Dominus dixit: Sunt Eunuchi, &c. ac ſimpliciter ac iuueniliter intelligens, ſimul & Seruatoris uerba ſe impleturum putans, in proprium corpus animaduertit, neruum ſibi abſcindens, ne aut uoluptatibus & libidinibus perturbaretur, aut apud mulieres æquè ac uiros docens, occaſionem aliquam ſuſpicionis aut delationis præberet. Quanquam rem ferro non actam quidam putant, ſed medicaminibus exiccandi uim habentibus, pudendis impoſitis, ut Suidas & Epiphanius ſcripſere. Innuit & ipſe in Homilia in librum Regnorum, ſe uiſiones habuiſſe, miracula & ſigna impleuiſſe; iuſticiamq;, continentiam & uirtutem omnino ſeruaſſe.

De morte delira finxit, animas in cœlum aſcendere, & deſcendere: & nunc proficere, nunc ad inferiora delabi: ut per ruinas innumerabiles ſæpe moriatur, & Chriſti paßio irrita fiat. Theophilus Alexandrinus libro ſecundo Paſchali.

De Reſurrectione deniq; uariè & inconſtanter, ut in alijs pleriſq;, luſit: de quo Hieronymus in Apologia contra Ruffinum ait: Reſurrectionem corporum noſtrorũ ſic futuram dixit, ut eadẽ membra non habeant. Et ibidem: Reſurrectionem carnis uerbo

tantùm confessus, assertione ipsa destruxit. In epistola uerò ad Auitum, testimonia quibus resurrectionem ex professo negarit, ex libris περὶ ἀρχῶν profert: è quibus nos unum adducimus, quod ex tertio libro ille protulit: è duobus alterum suscipere cogimur, ut aut desperemus similitudinem Dei, si eadem semper sumus corpora habituri: aut si beatitudo eiusdem cum Deo uitæ promittitur, eadem qua uiuit Deus, nobis conditione uiuendum est. Ex quibus omnibus approbatur, quid de resurrectione sentit: & quòd omnia corpora interitura confirmet, ut simus absq; corporibus, quia prius fuimus, antequàm crassis corporibus uestiremur. De hoc errore & Epiphanius ait: Mortuorum resurrectionem defectuosam facit, alicubi uerbis affirmans hanc, alicubi perfectissimè negans, aliquando & partem ex ipsa resurgere asserens. Duplicem eum uerò finxisse resurrectionem, Homilia eius decimatertia in Esaiam probat, ubi ex dicto Apocalypsis: Beatus qui habet partem in resurrectione prima, sic inquit: Si quis seruauerit lauacrum Spiritus sancti, iste in resurrectionis primæ parte communicabit. Si quis uerò in resurrectione secunda seruatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo.

Sed longe omnium monstrosissima de statu post resurrectionem nugatus est, ut Hieronymus indicat in Apologia contra Ruffinũ: quòd senserit scilicet, in restitutione omnium, quando indulgentia principalis uenerit, Cherubim & Seraphim, thronos, principatus, dominationes, uirtutes, potestates, archangelos, angelos, diabolũ, dæmones, animas omnium hominum, tam Christianorum quàm Iudæorum & Gentilium, unius conditionis & mensuræ fore. Cumq; ad formam & libram æquitatis peruenerint, & rationabiles creaturas omni corporum fece deposita, nouus de mundi exilio populi euertentis monstrauerit exercitus: tunc rursus ex alio principio fieri mundum alium, & alia corpora, quibus labentes de cœlo animæ uestiantur: ut uerendum nobis sit, ne qui nunc uiri sumus, postea nascamur in fœminas: & quæ hodie uirgo, tunc prostibulum. Idem habet in epistola ad Pammachium. In Epistola uerò ad Auitum, hoc ex libro primo de Principijs retulit. Corporales substantiæ penitus dilapsuræ sunt: aut certè in fine omnium, hoc sunt futura corpora, quod nunc est æther & cœlum, & si quod aliud corpus sincerius ac purius intelligi potest. Item, ex libro secundo de Principijs: Si omnia sine corpore uixerint, consumetur corporalis uniuersa natura, & redigetur in nihilum quæ aliquando facta est de nihilo. Sin autem, ut ratione & scripturarum authoritate monstratum est, corruptiuum hoc induerit incorruptionem, &c. forsitan omnis cõporea natura tolletur è medio. Et paulò pòst: Si hæc non sunt contraria fidei, forsitan aliquando sine corporibus uiuemus, &c.

Peculiare autem & hoc Origeni est, quòd septuaginta hebdomades arbitratur esse quater mille & nongentos annos, ab Adam usque ad septuaginta annos qui elapsi sunt post dispensationem Christi. Origenes in Matthæum, tractatu uigesimonono.

Næuo denique nec hoc caret, quòd immodicis & intempestiuis allegorijs modum docendi sacras literas Origenes immutauit, uarijs opinionum portentis indulgens: quo exemplo & alijs occasionem præbuit, in Scriptura, somnia fingendi. Sic enim et paradisum (ut Hieronymus in Apologia ait) & eius aquas, easq; quæ sunt supra cœlos, & tunicas pelliceas (ut Epiphanius ostendit) & desertum Ioannis, & omnia quæcunq; ubiq; potest, allegoricè interpretatur, & magis obscurat quàm explicat. Theophilus Alexandrinus libro secundo Paschali sic scribit: Equidem scire non possum, qua temeritate Origenes tanta confingens, & non Scripturarum autoritatem, sed suum errorem sequens, ausus sit cunctis in medium nocitura proferre: nec æstimauerit illum usquam hominem fore, qui assertionibus contrairet: quum philosophorum argutias proprijs tractatibus miscuisset, et malo exordio in fabulas quasdam & deliramenta procedens, Christianum dogma ludum & iocum faceret, nequaquã diuinæ doctrinæ autoritate utens, sed humanæ mentis arbitrio: & in tantam seipso magistro intumescens superbiam, ut non imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus Spiritu sancto, contulit cum prioribus Apostolis Euangelium, ne fortè in uacuum curreret, aut cucurrisset: sed ignorans, quòd dæmonici spiritus esset instinctus, sophismata humanarum mentium sequi, & aliquid extra Scripturarum autoritatem putaret diuinum.

De certaminibus Origenis.

In Apologia sua pro Origene Pamphilus scribit, eum aduersus omnes hæreses quæ suo tempore Ecclesiam impugnarunt, constanter dimicasse. Et recitat aliquot hæreses, contra quas non feliciter solùm pugnarit, sed quas funditus etiam euerterit.

Eusebius, ut suprà diximus, hæresin commemorat, nempe Berylli Arabicam, de interitu animarum, & Helcesaitarum, contra quam Origenem pugnasse ait: id quod & Theodoretus affirmat. Qui & cõtra superiorum temporum hæreses aliquot eum scripsisse, tradidit in compendio hæreticarum fabularum: ut Nicolaitarum hæresin, Valentini, Isidori, Seueri, Potiti & Hermogenis.

Pugnauit acerrimè & contra Celsum, Epicureum, Christianorum calumniatorem, & omnis Christianæ religionis eluforem nasutissimum, quod libri octo aduersus eum scripti testãtur. Estq; obseruandum, in dimicatione contra hæreticos præ cæteris plurimũ eum ualuisse dono singulari, de hæreticorum animo & sententia celeriter iudicandi, eorumq; errores firmis rationibus retundendi, magna cum dexteritate & felicitate: sic ut sententiæ & iudicio suo, pars aduersaria non inuita plerunq; crederet. testatur Eusebius libro sexto, capite trigesimotertio, & trigesimoseptimo. Ait de eo dono & Vincentius Lirinensis: Quæ non ille persuasu difficilia, disputandi uiribus Olympiadauit? Quæ factu ardua non, ut facilima uiderentur, effecit?

De stylo & phrasi Origenis.

Idem Vincentius eloquentiam Origeni tribuit, & orationem amœnam, lætam, gratam & dulcem, sicut ipsa

ipse ait: Mihi ex ore ipsius non tam uerba quàm mella quædam fluxisse uidentur. Et prædicat illius facultatem dicendi, & orationis uirtutes, multis nominibus Erasmus, in illis Prolegomenis quæ operibus Origenis præposuit: Adfuit illi, inquit, mira facultas ex tempore dicendi, & obscuris etiam rebus magna dictionis perspicuitas: nec deest breuitas, quoties id res postulat. Certè ubique currit sententia, nec se impedit, uerbis lassas onerantibus aures. Nusquam cothurno attollitur, quod Hilario tribuit Hieronymus, quem ait ea de causa à simplicium fratrum lectione procul esse: nec ascititijs & è longinquo petitis ornamentis extendit uolumen, quod interdũ facit Hieronymus: nec salibus ac dicterijs risum mouere studet auditoribus, quod sæpenumero facit Tertullianus, & hunc plus satis imitans Hieronymus: sed perpetua quadam dictionis hilaritate, non auditoribus obrepere somnium siuit. Nec affectat Rhetorum flosculos, nec argutas sententiolas atque epiphonemata, quæ plerunque è clamatoria schola, in qua à puero uersatus fuerat, ut Ambrosius ac Hieronymus refert. Nec gaudet uerbis inusitatis remorari lectorem, ut Tertullianus. Nec crebris digressionibus tempus eximit, ut in Tractatibus apud populum sæpe facit Augustinus. Nec superstitiosus est orationis structura, membris incisis & periodis sententiam absoluens: à quo non abhorret noster Gregorius, non quòd affectarit, opinor, sed quòd his puer assueuisset. Nusquam hìc occurrent ὁμοιοτέλευτα & ὁμοιοπτώτα, quibus delectatus est Augustinus. Gentiũ testimonia nusquam adhibet, nisi quoties id res ipsa flagitat. Quum nullum autorum genus non exactè tenuerit, quemadmodum disciplinas humanas omnes, nusquam tamen molesta est ostentatio, quæ nobis obstrepit in quorundam scholasticorum libris, in quibus tertio quoquè uersu inculcatur Philosophus, è diuinis uoluminibus rarò adducuntur testimonia, eáq; parum feliciter. Sed totus huius sermo Sacrorum uoluminum sententijs undiq; ceu gemmeis emblematibus distinctus est, sed adeò commodè & in loco insertis, ut nihilo secius currat oratio: dicas esse non ascita, sed ibi nata: nec aliunde quæsita, sed sua sponte præsto esse. Ne intersecat orationis fluxum ambitiosa citandi locos diligentia. Ad quædam enim gratior est allusio, quàm citatio.

DE PERSECVTIONE, martyrio & morte Origenis.

Vixdum adhibitus ad officium docendi in schola Alexandrina, quum in persecutione sub Seuero martyribus ante & post sententiam condemnationis latam, frequenter adesset, deoscularetur & compellaret, exhortaretur, consolaretur, in magnum aliquoties uenit discrimen. Aliquando enim à gentilibus (ut Eusebius narrat libro sexto, capite tertio) in circo lapidibus propémodum obrutus fuisset, nisi diuinitus defensus mirabili modo euasisset, ideo quod à martyrum condemnatorum congressu non abstinuisset. Postea tam acriter ab infidelibus impugnabatur, ut ex pacto milites circa domum in qua manebat, constituerentur, propter multitudinem eorum qui ab eo in sacra fide imbuebantur. Persecutio autem usque adeò aduersus eum quotidiè inualuit, ut subinde mutatis ædibus undique abigeretur. Quæ uerò in persecutione illa uehementi sub Decio pertulerit, Eusebius lib. eodem, cap. 39. breuiter indicat, hostiliter scilicet eum ac toto cum exercitu dæmonis impugnatũ fuisse, ac propter Christi doctrinã sustinuisse uincula & tormenta in corpore, supplicia ferrei trunci & latebrarum carceris, sæpe etiã diebus totis quatuor interstitiorum punctis, pedibus extensis permanserit: denique & ignis etiam minas & mortis pertulisse, &c. Nec amplius quicquã de eo periculo, in quod Origenis in Deciana persecutione uenit, Eusebius, ut qui ubiq; laudibus eius studiosissimè fauet, cõmemorat. Suidas autem (ex quo & Nicephorus desumpsit libro quinto, capite trigesimosecundo) & hoc addit, post uaria tormenta, quæ fortì & generoso Origenes animo pertulit, ductũ eum esse ad aram, ad quam impurissimus simul Æthiops constitutus esset, optionemq; ei datam, ut seu sacrificare, seu corpus suum contaminandum turpi Æthiopi præbere mallet, eligeret. Origenem igitur, ut qui animũ philosophicum, & castitatem perpetuò integram obseruasset, sacrificare potius, quàm sordes corpori inferri, permittere uelle se significasse. Ita igitur præfectos thure in manum eius impositio, ad aram & ignem eam admouisse: pro qua impietate postea ab Ecclesia per excõmunicationem proscriptus sit. Quanquam Nicephorus indicat, eum post abnegationem hãc, à diuina gratia elapsum, in alienas opiniões sathana instigante incidisse, propter quas excõmunicatione ab Ecclesia mulctatus sit. Quam contumeliam cùm ferre non posset, Alexandria relicta in Iudæam abierit. Et Hierosolyma cùm uenisset, ab ordine sacerdotali, ut uerba in Ecclesia faceret, quia presbyter esset, rogatum primùm, deinde etiam coactũ fuisse. Surrexisse igitur Origenem quasi concionem habiturum, sed uerba illa tantùm Psalmi quadragesimi noni recitasse: Peccatori uerò dixit Deus, Vt quid tu annuncias iustificationes meas, & usurpas testamentum meum in ore tuo? Et statim libro complicato, cum lachrymis & ciulatu consedisse, omnibus unà cum eo plorantibus. Quid uerò postea de Origene factum sit, nec Origenes ipse, nec alius quisquam scriptorum meminit. Suidas adiecit, eum Tyri sepultum esse. Obijsse uerò, ut Eusebius ait libro septimo, cap. primo, sub Gallo, anno Domini ducentesimo quinquagesimoquinto, aut circiter, cùm ætatis suæ annum iam ingressus esset septuagesimũ, seu (ut Nicephorus ait) sexagesimumnonum, in summa, ut uidetur, miseria & paupertate, si non etiam desperatione: annis ante Hieronymi ætatem, quemadmodum ipse scripsit ad Pammachium, centum & quinquaginta, postea quàm tot labores in Ecclesia exhauserat, totq; annis docuerat & scripserat. Ab eo enim anno, quo à Demetrio scholæ Catechisticæ præfectus fuit, ad id usque tempus quo è uiuis excessit, uidentur esse anni quinquaginta duo, aut plures. quod honestum curriculum, in docendo, scribendo, in Ecclesiæ negotijs & curis, in hæresibus refutandis, in exercitijs denique pietatis, & multarum illustrium uirtutum ma-

xima ex parte confecit. Eum Hieronymus, quanquam satis acerbè in eum interdum inuehitur, tamen ob eruditionem maximè admiratur & commendat. Vocat & suum, in Apologia aduersus Ruffinum: sed ob ingenij eruditionem, sicut ipse declarat, non ob dogmatum ueritatem. Et in Epistola ad Pammachium & Oceanum, significat laudare se Origenem, ut interpretem non dogmatistem: ingenium, non fidem: philosophum, non Apostolum. In prologo tamen homiliarum Origenis in Ezechielem, uocat eum alterum post Apostolum Ecclesiarum magistrum.

Et in procœmio quæstionum Ebraicarum in Genesin, Optare sibi dicit scientiam Scripturarũ quam Origenes habuit. Admirabilem uerò & operosum eum Athanasius dixit: & testimonijs eius cõtra Arianos (quemadmodum Socrates indicauit Ecclesiasticæ historiæ libro sexto, capite decimotertio) de Patris & filij coæternitate, usus est.

IVLIVS APHRICANVS.

EVsebius libro sexto, capite trigesimoprimo, Iulium Aphricanum inter eos numerat, qui sub Gordiano scriptores celebres fuerunt. Nicephorus uerò, sub Alexandrum eum reijcit, libro quinto, capite uigesimoprimo. At Eusebius in Chronico, & Hieronymus in Catalogo, legationem eum suscepisse pro instauratione Nicopoleos in Palæstina, scripserunt, anno quarto Antonini eius, qui Macarium secutus sit. Nicephorus eum sectatorem Origenis fuisse prodidit, & diligentem annalium scriptorem uocat: quemadmodum & Eusebius libro primo, capite sexto, non uulgarem eum historiographum appellat, idq; secum testari ait omnes qui scripta eius legerunt. Proximum eum & Sozomenus Hegesippo annumerat prius, quàm Eusebium.

Christianum eum factum certum est, & libri quos post se reliquit testantur, à quo tamen aut ubi conuersus sit, non legitur. Excitatus fama Heraclæ, Alexandriam profectus est, Eusebius libro sexto, capite trigesimoprimo. Extitisse aliquot eius scripta, suo adhuc tempore Eusebius testatur: ut, Commentarios inscriptos de Cestis, epistolã ad Origenem de historia Susannæ, Annaliũ seu de temporibus uolumina quinque accuratè lucubrata: ex quibus eruditam & prolixam disputationem de Septuaginta hebdomadibus Danielis, Hieronymus de uerbo recitauit in Commentarijs in caput Danielis nonum, cuius uerba suprà in prima Centuria retulimus. Epistolam ad Aristidem, de discrepantia genealogiæ Christi à Matthæo & Luca descriptæ, in qua manifestissimè probat consensum Euagelistarum, ex historia quadam, quam ex ea Epistola recitat Eusebius libro primo, capite septimo. Meminit & huius prioris ad Origenem Epistolæ etiam Hieronymus. Plura eius opera recẽset Trithemius, sed sine uetustiori aliquo autore: ut librum de Trinitate, librum de Circunciſione, de Attalo librum, de Pascha librum, ac de Sabbatho. Idem ait, hunc Aphricanum Cæsareæ proprijs sumptibus bibliothecam instruxisse.

Meminit Aphricani huius Basilius in libro de Spiritu sancto, eiusq; autoritate connexionem trium personarũ in inuocatione probat, ex libro eius quinto de Temporibus, ad hunc modum: At nec Aphricanum, inquit, historicum talis glorificandi forma præterijt. Siquidem palàm est, in quinta de Temporibus Epitoma & ipsum ad hunc loqui modum: Nos uerò qui ad illorũ uerborum mensurã didicimus, nec ignoramus fidei gratiam, gratias agimus ei qui præbet nostris precibus, omnium seruatorem ac Dominum Iesum Christum, cui gloria & maiestas cum sancto Spiritu in secula.

AMMONIVS.

AMmonius Alexandrinus fuit, testibus Suida & Eusebio, clarus eodem tempore, quo Origenes, cuius præceptor etiam fuit. Scripsit in tertio contra Christianos libro Porphyrius, cuius cognatum fuisse hunc Anonymum Suidas prodidit, Christianum quidem, & à Christianis parentibus ortum fuisse, sed à uita piè instituta ad Ethnicos mores defeciſſe. Qua in re, mendacij & calumniæ Porphyrium Eusebius arguit libro sexto, capite decimonono: Ammonium probans diuinam philosophiam illibatam & integram ad ultimum usque uitæ terminum retinuisse.

Reliquit post se Commentarium inscriptũ de Consonantia seu concordia Mosi & Iesu. Opus præterea aliud inscriptum Canones sacrorum Euangeliorum, quod opus elegans Hieronymus uocat: cui Eusebius Cæsarienſis tabulas adiecit, de quatuor Euangelistarum consensu. Extat utrũq; opus. Eusebij uerò uerba de scripto Ammonij hæc sunt ad Carpianum: Ammonius quidam Alexandrinus magno studio atq; industria unum nobis pro quatuor Euangelijs dereliquit. Nam trium Euangeliorũ sensus excerptos, omnes similes, contentus Matthæi Euangelio, quasi ad unum congestos annexuit: ita ut eorundem, quantum ad tenorem pertinet lectionis, sequens iam stilus, nec interruptus esse uideatur. Claruit sub Alexandro, iuxta Trithemium.

HIPPOLYTVS.

HIppolytus ubi fuerit episcopus, Eusebius mentionem eius faciens libro sexto, capite uigesimoprimo, non exprimit. Ac nescire se Hieronymus ait, cuius Ecclesiæ episcopus Hippolytus fuerit. & Theodoretus in Polymorpho, & cõpendio hæreticarum fabularũ, episcopum & martyrem eum aliquoties nominans, locũ non explicat. Gelasius uerò in libro de duabus naturis in Christo, contra Eutychẽ & Nestoriũ, nominat eum episcopũ & martyrẽ Metropolis Arabũ. Nicephorus uerò, portus Romani, Ostiæ uidelicet episcopum fuisse narrat, libro quarto, capite trigesimoprimo, & libro quinto, cap. decimoquinto. Claruisse eum, in Chronico Eusebius scripsit, anno Christi ducentesimo & trigesimo. Et in historia Ecclesiastica lib. sexto, cap. uigesimosecũdo, ait, eũ in Commentario de Paschate meminisse temporũ Alexandri.

Scripsit permulta, quibus occasionẽ Origeni præbuit, quem in eius æmulationem, ut Hieronymus testatur, Ambrosius incitauit. Scripta autem Hippolyti Eusebius & Hieronymus hoc ordine cõmemorarunt.

Primùm rationẽ Paschæ, temporumq; canones scripsit, usq; ad primum annum Alexandri Imperatoris: & sedecim annorum circulum, quem Græci ἑξκαιδεκαετηρίδα

κανονίδια uocant, reperit. Et Eusebio, qui supra eadē Pascha, Canonem decem & nouem annorū circulum complectentem, id est, ἐννεακαιδεκαετηρίδα composuit, occasionem dedit. Hieronymus.

Scripsit deinde nonnullos in Scripturam sacram Cōmentarios: ut in Hexaëmeron, in ea quæ Hexaëmeron sequuntur, hoc est, in Genesin, in Exodū, in Psalmos, Sermones scilicet, ut ex Theodoreto uidetur: in Esaiam, in partes aliquot Ezechielis, in Zachariam: de Daniele, seu in uisiones Danielis Commentarium, ut Suidas ait: in Salomonem, cuius etiam Suidas meminit: Prouerbia scilicet & Ecclesiasten, ut Hieronymus indicat: & Canticum canticorum, ut Eusebius. De Saule, de Pythonissa, de Apocalypsi, de Antichristo, de Resurrectione contra Marcionem: cuius scripti etiam Theodoretus meminit in Compendij libro primo. De Paschate, contra omnes hæreses. Epiphanius lib. primo, tomo secūdo, hæresi trigesimaprima, eum etiā cōtra Valētinianos scripsisse indicat. Et περὶ ὑμνῳδίας, de laude Domini Saluatoris, in qua præsente Origene se loqui in Ecclesia significat. Meminit Theodoretus in Polymorphoseos Dialogo, secundi etiā libri Hippolyti, de distributione talentorū. Memi nit & Epistolæ ad Reginā quandā, Orationis, item de Helecana et Anna: item orationis de duob. latronibus: quorum omniū integri nihil hodie extat. Recitat fragmenta quædā Theodoretus, ex Sermonibus in Psalmos, in Esaiam, in Canticū: & posterioribus illis Hippolyti opusculis, quæ iam ex eo retulimus. Vt de duab. naturis in Christo, ex interpretatione secūdi Psalmi: Hic qui processit in mundū Deus & homo est. Et eum quidem hominem facilè est intelligere, quando esurit & defatigatur, & fatigatus fitit, & timens fugit, & omni tristitia afficitur, & super ceruical dormit, & passionis calicem deprecatur, angoreq; & ægritudine confectus sudat, & ab angelis confirmatur, & à Iuda traditur, & à Caipha probris & contumelijs afficitur, & ab Herode cōtemnitur, & à Pilato flagellatur, & à militibus illuditur, & à Iudæis ligno affigitur, & ad Patrem clamans suum cōmendat Spiritū, & inclinans caput expirat, & latus ei lancea pungitur, & sindone inuolutus, in monumento ponitur, & tertio die à Patre suscitatur. Diuinitas autem eius rursus potest aperte uideri, quando ab angelis adoratur, & à pastoribus inuisitur, & à Simone expectatur, et Annæ ostenditur testimonio, & à Magis quæritur, & per stellam significatur, & in nuptijs ex aqua uinum efficit, & mare ui uentorum commotum increpat, & super mare ambulat, & eum qui à natiuitate cæcus erat uidere facit, & mortuum Lazarum quatriduanū excitat, multasq; uirtutes facit, & peccata remittit, & dat potestatem discipulis.

Ex sermone in Helcanam & Annam: Dic mihi ô beata Maria, quid erat quod in tuo utero erat conceptum, & quid erat quod à te in uirginali matrice gestabatur? Sermo erat Dei primogenitus, de cœlis ad te descendens, & homo primogenitus in utero formatus: ut primogenitus sermo Dei, homini primogenito coniunctius ostenderetur. Rursus ex libro de Distributione talentorū: Eos autem, & illos qui aliter sentiūt, dixerit quispiā esse uicinos, ut qui errent similiter. Nā illi etiam uel nudum hominem confitentur apparuisse Christum in uita, diuinitatis eius talentum negantes, uel Deum confitentes. Rursus hominem renuunt, docentes uisione esse pulsos eorum uisus qui aspiciebāt, ut homo non qui uerè hominem gestauerit, sed apparenti quadam potius opinione & existimatione fuerit: quemadmodum Valentinus & Marcion, & Gnostici, dum carnem à uerbo diuellunt, unum talentum abijciunt, nempe carnis humanæ susceptionem.

De sacrificio & beneficijs Christi, ex oratione de Helcana & Anna: Ideo circa anni tempora præfigurabātur in ipsa * Seruatore, ut de ipso prædicta sunt, mysteria peragerent. In Paschate quidem, ut ostenderet seipsum tanquam ouem sacrificandum, & uerum pascha ostēdendū, ut dicit Apostolus: Pascha autē nostrum pro nobis immolatus est Christus. In pentecoste autem, ut præsignificaret regnum cœlorum, cùm ipse primus cœlos conscenderit, & hominem donū Dei obtulerit.

Et iterum, de hominis damnatione, & Christi liberatione, ex oratione in magnum Cāticum: Qui primùm ex terra creatum hominem, perditum & mortis uinculis alligatum, ab infimis inferis extraxit? qui à superis descendit, & eum qui erat inferius in supernas partes deduxit: qui mortuorum Euangelistes, seu felix annunciator, animarumq; redemptor, eorumq; qui sepulti erant fuit resurrectio: is erat, qui fuit deuicti hominis per se auxiliator, ei simile uerbum primogenitum, protoplastum Adam, in uirgine uisitans, spiritalis, terrenum in matrice requirens: qui semper uiuens, eum qui per inobedientiam erat mortuus, & cœlestis terrenum ad superna uocabat. Ingenuus, qui seruum per suam obedientiam liberum uolebat efficere. Qui cùm hominem in terram solutum, & serpentis cibum effectum, in adamantem uertisset, eumq; in ligno suspensum, dominum aduersus uictorem effecisset, is propterea per lignum uictor inuenitur.

Item de passione Christi, ex oratione de duobus latronibus: Non confringitur autē os sanctæ ouis, ostendente figura passionem non attingere uirtutem. Ossa enim sunt uires hominis.

De duobus sacramentis, ex eadem oratione: Corpus Domini utrunq; mundo præbuit, sanguinem sacrum, & aquam sanctam.

De resurrectione in Epistola ad Reginam quandam: Cùm dixit eum primitias, id suo testimonio confirmauit, quod à nobis dictum est: quòd qui ex eadem massa carnem acceperat Seruator, eam excitauit, iustorum carnis primitias constituens, ut omnes in spe eius qui resurrexit, resurrectionem expectemus, qui credidimus.

Sed tamen scripta eius non undiquaq; reprehensione caruisse, indicat Nicephorus libro quarto, capite trigesimoprimo.

CHÆREMON.

IN narratione persecutionis sub Decio, Eusebius libro sexto, capite quadragesimosecūdo, Chæremonis cuiusdam senis meminit, Nili ciuitatis episcopi, qui in ea persecutione, cum multis ad montana Arabiæ fugientibus, secesserit eò ipse quoq; cum

cõiuge ſua: ſed nec poſtea reuerſus, nec à fratribus per illa deſerta quæſitus, repertus ſit.

HIERAX.

Hieracem Ægyptiorum epiſcopum fuiſſe, & ad eum Dionyſium Epiſtolam de feriis ſcripſiſſe, Euſebius indicat libro ſeptimo, capite uigeſimoprimo.

NEPOS.

Alius Ægyptiorum epiſcopus etiam Nepos fuit, quem in Chiliaſtarũ hæreſin delapſum, cùm in alijs omnibus Eccleſiæ doctrinæ conſenſiſſet, Origenes reuocauit, ut ſuprà dictum eſt.

Librum ſcripſit de Apocalypſi Ioannis, quem Elenchum Allegoriſtarum ipſe dixit, in quo ſuam ſententiam de millenario ex Apocalypſi probare tentauit. Euſebius libro ſeptimo, capite uigeſimotertio.

Hunc librũ Dionyſius Alexandrinus refutauit, cùm ex eo errorem imbibiſſe fratres cognouiſſet. Euſebius libro ſeptimo, capite uigeſimoquarto. Idem Nepotem commendat, à fide, ſedulitate & exercitio in Scripturis, & Pſalmodia.

AMMON.

Ammon Bernicenſis eccleſiæ epiſcopus fuit, ad quem Dionyſius ſcripſit Epiſtolas contra Sabellium. Euſebius libro ſeptimo, capite uigeſimoſexto.

BASILIDES.

Pentapoleos, eius quæ in regione Cyrenaica Aphricæ ſita erat, epiſcopus fuit Baſilides: ad quem uarias Epiſtolas Dionyſius ſcripſit. Euſebius libro ſeptimo, capite uigeſimoſexto.

TRYPHON.

Origenis auditor fuit Tryphon, ad quem nonnullas eius extitiſſe epiſtolas Hieronymus tradidit: qui Tryphonem uirũ in ſcripturis eruditiſsimum fuiſſe, idq; editis multis opuſculis teſtatum ſcripſit, ac præcipuè libro quem compoſuerit de uaccа ruffa in Deuteronomio, & de Dichetomimatibus quæ cum columba & turture Abraham ponuntur in Geneſi.

DE EPISCOPIS Romanis.

ZEPHYRINVS.

In epiſcopatu Romano Victori, cùm is annis decem (ut diximus) præfuiſſet, ſucceſſit Zephyrinus, decimusquartus Romanorum epiſcopus, anno Domini ducenteſimotertio, Seueri uerò Imperatoris octauo, ut Euſebius indicat. Romanus is patria, & Romanis ortus parẽtibus fuit, patre, quem Damaſus, eumq; alij ſecuti, Habundiũ uocatum eſſe ſcripſit.

De gubernatione aut doctrina eius, certi aut probati nihil ferè inuenias, quemadmodum nec reliquorum omnium Romanorum epiſcopum. Extant in tomo primo Conciliorum duæ eius Epiſtolæ decretales, altera ſcripta ad epiſcopos per Siciliam, altera ad epiſcopos prouinciæ Ægypti: quæ non aliam gubernationis formam repræſentant, quam cuiuſmodi ferè in omnibus omnium epiſcoporum Romanorum Epiſtolis pingitur. Monet in priori Epiſtola, quædam de iudicijs conſtituendis per iudices duodecim, in cauſis ad patriarchas & primates pertinentibus: de puniendis detractoribus, de non admittendis quibuſdam accuſatoribus ſacerdotum. Deinde primatum ſtabilire ualde conatur, & ad ſedem Romanam Apoſtolicam appellari præcipit. Vnde & Archiepiſcopum ſe nominat. In poſteriori, ritualia quædam inſtituit, de ordinationibus ſacerdotum, doctos ſcilicet & probatos uiros in presbyterorũ ordinem legendos, & clericis præſentibus ac laicis tẽpore cõgruo ordinandos eſſe.

Damaſus & hoc decretum ei tribuit, ut patenas uitreas ante ſacerdotes miniſtri portarent, ut ſic Miſſa celebraretur, utq; ſacerdotes epiſcopo celebranti omnes aſsiſterent: de quibus, & alijs, ac de epiſtolis etiam ipſis quid ſentiendũ uideatur, ſuo loco dicetur. Ad gubernationem tamen pertinet hoc, cuius Epiſtolarum neutra meminit, ſed de Zephyrino Euſebius narrat libro quinto, capite uigeſimooctauo, quòd Natalium confeſſorem (de quo paulò antè diximus) qui ſe Aſclepiadoto & Theodoto hæreticis adiunxerat, eorumq; ſe epiſcopũ ambitione & quæſtu inductus facere paſſus erat, excommunicaſſe uidetur: nec prius, poſtea ad Eccleſiam redeuntem recepiſſe, quàm ſufficientia ſigna pœnitentiæ oſtendiſſet. De ordinationibus eius hæc Damaſus tradidit: Fecit, inquit, ordinationes quatuor per menſem Decembrem, presbyteros tredecim, diaconos ſeptem, epiſcopos tredecim. Mortuum eum Euſebius libro ſexto, capite uigeſimoprimo, ſcripſit, anno primo Imperatoris Antonini Caracallæ: à quo tamen Platina uariat, qui mortuum eum ſcripſit Seuero adhuc regnante. Præfuit autem, ut Euſebius in Chronico indicat, annis ſeptendecim: à quo tamen in hiſtoria uariat, ubi octodecim, Damaſus uerò ſedecim annos & duos menſes ei adſignat. Mirum autem eſt, Nauclerum & Platinam ab eo numero ualde diſcrepare. Octo enim duntaxat ei annos, præter menſes ſeptem, ac dies decem tribuerunt.

CALIXTVS.

Zephyrino defuncto ſucceſſit Calixtus, ſeu (ut Euſebius habet) Calliſtus, decimusquintus Romanorum epiſcopus: anno Chriſti, ut Euſebius annotauit, ducenteſimo uigeſimoſecundo, Antonini autem ſeu Heliogabali Imperatoris altero. Italum eum fuiſſe, natum in agro Rauennatium, patre Domitio, Damaſus ſcripſit. Gubernationis aliquot exempla Epiſtolæ oſtendunt, quarum ei duæ tribuuntur: una ſcripta ad Benedictum epiſcopum, altera ad epiſcopos Galliarum: præter commune omnibus his epiſcopis edictum, non eſſe ſuſcipiendas criminationes aut accuſationes doctorum. Præcepit etiã, conſpirationes aduerſus epiſcopos uitandas eſſe: etſi tum nihil minus Chriſtianis licuit, quàm, in continuis perſecutionibus, in quibus ne in lucẽ quid prodire tutum erat, conſpirationes exercere. Item, non eſſe communicandum cum excommunicatis, nec in aliena diœceſi iudicio aut excommunicatione utendum. Non admittendas, ac ſi fortè factæ fuerint cõſanguinorum coniunctiones, dirimendas eſſe.

In fine eius Epiſtolæ quædam colliguntur, in confutationem eiuſmodi dogmatis, quale ſed aliquanto demum pòſt Nouatus ſparſit: Lapſos uidelicet non eſſe recipiendos. Sed male exponit, uxorem epiſcopi

scopi esse Ecclesiam uel Parochiam, quem eo uiuente non liceat, sine eius iudicio & uoluntate, aliter iudicare uel disponere, aut alterius concubitu, id est, ordinatione frui. Alligata est, inquit Apostolus, uxor legi, quamdiu uir eius uiuit: eo defuncto, soluta est à lege. Similiter & sponsa episcopi (quia sponsa uxorq; eius dicitur Ecclesia) illo uiuente, ei est alligata: eo uerò defuncto, soluta est à lege, ut cui uoluerit nubat, tantùm in Domino, id est, regulariter.

Prior Decretalis instituit ieiunium per quatuor anni tempora, cuius etiam Marianus Scotus in hoc Calixto meminit: Damasus tamen refert, eum ieiunium trium temporum constituisse, frumenti, uini & olei gratia.

De excommunicatione multa habet posterior epistola: meminit & publicæ pœnitentiæ, & satisfactionum.

Callistum uerò in ordinationibus quinq; per Decembrem, Damasus scribit, ordinasse presbyteros sedecim, diaconos quatuor, episcopos per loca diuersa octo: tandemq; martyrio coronatum, quod Eusebius non indicauit: nec memorabilis aliqua tum, sub imperium scilicet Alexandri Seueri, fuisse legitur persecutio. Occasionem martyrij sui, Vincentius, si quid ei tribuendum est, narrauit libro undecimo, capite uigesimoquarto: ubi eum saxo alligatum, præcipitem è fenestra in puteum deturbatum narrat, idq; iussu Alexandri: cùm tamen Eusebius libro sexto, capite uigesimoprimo, eum ante imperium Alexandri decessisse scripserit, posteaquàm præfuisset quinquennium. Plati na tamè sexennium ei adscripsit: Sabellicus septimo eum anno pontificatus sui martyriũ fecisse prodidit, ut & Damasus.

VRBANVS.

DEcimussextus Ecclesiæ Romanæ episcopus, post Callixtum, Vrbanus ordinatus est, anno Christi ducentesimo uigesimoseptimo: Alexandri autem Seueri Imperatoris tertio. Romæ eum natum Damasus scribit, patre Pontiano. Et sanctitate uitæ ac doctrina tantum præstitisse, ut multos ad fidem Christianã ad baptismum ethnicos conuerterit, atq; inter eos nobiles aliquot: ut Tiburtium, & Valerianum, sponsum sanctæ Ceciliæ, qui constantes deinde ad martyrium usq; permanserint. Extat una eius Epistola decretalis, scripta ad omnes Episcopos, de communi uita & oblatione fidelium. Planè enim eiusmodi uitæ communis meminit, sed non sine fraude, qualis sub Apostolis fuit. Munit deinde edictis bona Ecclesiæ, ne quis ea, ui aut fraude inuadat: & aliqua dicit de uoto promittentium, se nihil rerum propriarum possessuros. Instituit in fine confirmationem post baptismum: sed blasphemè dicit, per manus impositionem episcoporũ accipi Spiritum sanctum, & planè Christianos fieri. Damasus & hoc de eo refert, quòd constituerit, utendum in ministerio uasis esse argenteis, & patenis, quæ prius uitreæ fuerãt.

Ordinationes ei Damasus quinq; tribuit, cùm annis tamen quatuor tantùm eum præsedisse scribat, in quibus ordinarit presbyteros nouem, diaconos quinque, episcopos per diuersa loca octo. Marianus Scotus, Sabellicus, et alij recentiores, martyrio Vrbanum functum scribunt sub Alexandro. Et occurrit obiectioni, nullam fuisse celebrem persecutionem sub Alexandro, Nauclerus de eo hæc scribens: Vrbanus sub Alexandro martyrio coronatus est. Nametsi Alexander precibus matris Mammeæ persuasus, fauerèt Christianis: non tamen per edictum eis prouidit. Quare sub Almacteo, alijsq; iudicibus, pleriq; martyres sunt effecti.

In tempore gubernationis eius, et iam Eusebius ipse uariauit. Cùm enim in historiæ libro sexto, capitè uigesimosecundo, octo eum in Episcopatu annos absoluisse dicat: in Chronico ei assignat annos nouem.

Damasus eum annis quatuor, mensibus decem, diebus duodecim præfuisse scribit. Sed octo ei annos, etiam Marianus Scotus adscribit.

PONTIANVS.

NAtus Romæ & Pontianus fuit, patre Calphurnio, ut Damasus indicat. Vrbano successisse eum anno Christi ducentesimo uigesimosexto, Alexandri uerò duodecimo, Eusebius in Chronico annotauit. Tribuuntur ei duæ Epistolæ decretales, prima ad Felicem Succribonum scripta, secunda de fraterna dilectione & uitandis malis. Vtriq; commune argumentum est, cum pleriſq; alijs, de non infestandis aut accusandis sacerdotibus, quorum dignitati male multa tribuit, non sine blasphemia. Eos, inquit, Deus familiares in tantum sibi esse uoluit, ut etiã aliorum hostias per eas acceptaret, atq; eorum peccata donaret, sibiq; reconciliaret. Ipsi quoq; proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt.

Ordinationes ei duas Damasus assignat, quibus creant presbyteros sex, diaconos quinq;, episcopos per diuersa loca sex: postea ab Alexandro eum cum Hippolyto presbytero in Sardiniam insulam Bucciniam deportatum ait, ibiq; martyro perfunctum. Quã opinionem etiam Volaterranus & Platina sequuntur: cùm, Sabellico teste, ueriſimilius sit, eum sub Maximino, qui Christiano nomini inimiciſsimus fuit, in exilium deportatum esse, anno (ut uidetur) Maximini postremo. Hinc ex Hugone Vincentius narrat, Pontianum in persecutione sub Maximino martyrẽ factum, sed Romæ.

Variat ab hac sententia nõnihil Marianus Scotus, qui Pontianum anno primo Maximini in Sardinia à Maximino deportatũ scribit. Præfuisse autẽ eum Ecclesiæ Romanæ, Eusebius annos sex scripsit, libro sexto: capite uigesimo tertio: cum in Chronicis ei tantùm quinq; attribuat. Damasus annos nouem, & menses quinq; assignauit.

Hìc quidam ignobiles Chronici, Pontiani successorem Cyriacum quendam faciunt: ut autor Fasciculi temporum, Bergomensis, Henricus de Erfordia & Nauclerus. cuius tamen probatiores historici nulli meminerunt. Sedisse autem eum scribunt anno uno, mensibus tribus, & diebus tredecim. Postea uerò, cum exercitu uirginum Coloniam Agrippinam profectum, ibiq; martyrem unà cum illis factum esse.

Ideo autem eum ex catalogo Romanorũ episcoporũ erasum esse, Henricus de Erfordia ex Martini Chronico prodidit, tum quod inuito Romano clero de episcopatu cesserit: tum quòd suspectus plerisq; fuerit, quasi

nõ deuotionis causa, sed inuitatus oblectamentis puellaribus, episcopatum deseruerit. Quæ fidem apud Lectorem, quam merentur, habeant.

ANTERVS.

ANterum ea occasione ad episcopatũ Romanũ peruenisse, Isuardus scripsit, quòd abiens Pontianus, eum in locum suum substituerit. Sed immediatè succeßisse eum Pontiano, Eusebius indicat libro sexto, cap. uigesimo octauo. Græcum eum natione fuisse, ex patre tamen Romani nominis Romulo, Damasus scripsit. Qui & hoc ad gubernationem eius retulit, quòd martyrum gesta diligenter conscribi curauerit. Tribuitur ei una ad Episcopos prouinciæ Beticæ & Toletanæ decretalis Epistola, in qua pronunciat, licere propter utilitatem communẽ & necessariam, aut cõsilio etiam & hortatu aliorum, ab una Ecclesia ad alium episcopatum transferri.

Episcopũ eum unum Fundis in Campania ordinasse, Damasus prodidit: ac tum à maximo quodam præfecto martyrio subiectum, ideo quòd res gestas martyrum conscribi iußisset. Est in ratione temporũ, quibus præfuisse dicitur, maxima diuersitas, quam cõciliatam à nullo adhuc uidemus. Eusebius mensem ei solùm tribuit, cui Marianus Scotus consentit, sic scribens: Anterus papa sedit mense uno. In quo tamen mendam esse, Sabellicus existimat. Damasus annos ei duodecim & mensem aßignauit. Volaterranus, Bergomensis, & Henricus Erfordiensis, annis eum tribus & mense præfuisse scripserunt: Nauclerus uerò, anno saltem uno, & mense. Sed in medio hanc diuersitatẽ relinquunt omnes.

FABIANVS.

SVcceßit Antero Fabianus, anno Domini ducentesimo quadragesimo secundo, Gordiani uerò Imperatoris primo. Natum eum in agro Romano, etiã ex Eusebio apparet: patre Fabio, ut Damasus indicat. Maritum eum fuisse, antequàm in Episcopum eligeretur, Platina scripsit. Hæc uerò de electione eius Eusebius retulit libro sexto, capite uigesimono: Fabianum ex agro post mortem Anteri, unà cum cæteris Romam, cõmorandi ibi gratia uenisse dicunt, quando res insolentißima in sortiendo episcopo per diuinam ac cœlestem gratiam acciderit. Etenim cùm fratres omnes ad ordinandum episcopum in Ecclesia congregati essent, & multi de compluribus, illustribus ac nobilibus uiris, eligendis cogitarent, & Fabianus simul cum alijs & ipse præsens adstaret, nec ulli in mentem illius electio uenisset, columbam subitò è sublimi delapsam, capiti ipsius ad imitationem sancti spiritus, qui in specie columbæ supra Seruatorem descendit, insedisse: atq; ita cunctum populum uno spiritu percitum, simul summa cum alacritate, & animo uno, dignũ Episcopatu proclamasse: & incunctanter apprehensum, in sedẽ Episcopalem collocasse commemorant.

Baptizatũ à Fabiano Philippum Imperatorem, quem ad preces Christianorũ in uigilijs paschæ admittere primùm noluerat, ut suprà dictum est, cum filio & matre Seuera, Sabellicus scripsit. Epistolæ ei tres tribuuntur: prima ad comministros catholicæ Ecclesiæ omnes ubiq;, secunda ad omnes orientales Episcopos, tertia ad Hilarium episcopum.

Septem in urbe diaconos per septem regiones constituit, omnib. horis sacris ministerijs inuigilantes. Septem item hypodiaconos, qui septẽ notarijs martyrũ gesta annotantibus perpetuò adessent. Quædam item de satisfactionibus, de ritu pœnitentiæ, & excõmunicatione statuit. Item de chrismate baptismi quotannis renouando. De nuptijs propinquorum, de communione ter in anno, de ætate presbyterorum ordinandorum, de oblationibus per singulos dies, &c. Ex Decretis Gratiani.

De ordinationibus eius hæc Damasus: fecit ordinationes quinq; per mensem Decembrẽ, presbyteros uiginti duos, diaconos septẽ, episcopos per diuersa loca undecim.

Martyriũ eum fecisse sub Decio, atq; adeò in initio imperij Decij, Eusebius et Beda prodiderũt: infensum enim ei Decium ob hanc causam fuisse, Sabellicus scripsit, quòd ei Philippus thesauros suos tradidisset.

Præfuisse Ecclesiæ annis tredecim, ab Eusebio in Chronicis scribitur. Damasus ei, ut & Marianus Scotus, quatuordecim annos tribuit. Scripsit ad Fabianum Origenes, de doctrinæ suæ orthodoxia: ut Eusebius testatur libro sexto, capite sexto.

CORNELIVS.

POst diuturniorem sedis Romanæ, ut ex epistola Cleri Romani ad Cyprianum uidere est, uacationem, Fabiano episcopo legitima (ut Cyprianus ait lib. 1. epistola sexta: & libro quarto, epistola secunda) ordinatione succeßit Cornelius, initio imperij Galli & Volusiani, anno Christi iuxta Eusebiũ ducentesimo quinquagesimoquarto. Fuisse in magno periculo & obtrectatione eius electionẽ, propter Novati factionẽ, quæ illegitimè eũ ad episcopũ ascendisse calumniabatur, ex aliquot Cypriani apparet epistolis. Probat autẽ Cyprianus (acerrimus ubiq;, tum hìc uel maximè, Cornelij defensor) & dignũ eum Episcopatu, & ad eum idoneum ac legitimè uocatũ esse, lib. 4. Epistolarũ, epistola secunda ad Antonianũ sic scribens: Venio iam nunc frater charißime: et ad personã Cornelij collegæ nostri, ut Cornelium nobiscum uerius noueris, nõ de malignorũ & detrahentiũ mendacio, sed de Dei iudicio, qui eum Episcopũ fecit: et coepiscoporũ testimonio, quorũ numerus uniuersus per totũ mundũ cõcordi unanimitate cõsensit. Nam quod Cornelium charißimum nostrum, Deo & Christo & Ecclesiæ eius, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat, non iste ad Episcopatũ subitò peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominũ sæpe promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatũ ipsum nec postulauit, nec uoluit, nec ui (ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat) inuasit: sed quietus & modestus, & quales consueuerunt qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore uirginalis continentiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ uerecundiæ, non, ut quidam, uim fecit ut episcopus fieret: sed ipse uim passus est, ut Episcopatum exciperet. Et factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderãt, quæ

qui ad nos literas honorificas & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres, de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorũ penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, & de sacerdotũ antiquorũ & bonorũ uirorũ collegio, cùm nemo antè factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus cathedræ sacerdotalis uacaret.

Ibidem paulò pòst, quibus donis & uirtutibus in Episcopatu suo Cornelius claruerit, & hæc adijcit: Tum deinde (inquit) post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, uoluntate susceptum, quanta in ipso suscepto episcopatu uirtus? quantum robur animi? quanta firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspicere penitus & laudare debemus, sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, quo Tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atq; infanda comminaretur: cùm multo patientius & tolerabilius audiret, leuari aduersus se æmulum principem, quàm constitui Romæ Dei sacerdotem. Nónne hic frater summo uirtutis & fidei testimonio prædicandus est? Nónne inter glorioſos confessores & martyres deputandus, qui tantis temporibus sedens, expectans corporis sui carnificem, & Tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium aduersus edicta feralia resistentem, & minas & cruciatus, & tormenta fidei uigore calcantem, uel gladio inuaderent, uel crucifigerent, uel igne torrerent, uel quolibet inaudito pœnarum genere uiscera eius & membra laniarent? Etiamsi maiestas Domini protegentis, et bonitas, sacerdotem quem fieri uoluit, factum quoq; protexit: tamen Cornelius, quantum ad eius deuotionem pertinet, & timorem, passus est quicquid pati potuit, & tyrannum armis & bello postmodum uictum, prior sacerdotio suo uicit.

Hìc nunc uide, quomodo tanto doctori, in acie sem per uersanti, ista conueniant, quæ in Epistolis eius decretalibus ei tribuuntur. Vt quod in priore scriptum est, eum ad preces nobilis cuiusdam fœminæ, corpora, aut ossa potius putrida, sanctorum Petri & Pauli tot annis sepulta, transtulisse: quanquã hoc & Damasus retulit. Attribuuntur autem ei duæ Epistolæ: prima, de hac ipsa translatione: secunda, scripta ad Ruffum orientalem episcopum, de moribus sacerdotum.

Quorum uerò neutrius episcopi, qui nullius episcopi Romani historiam plenius scripsit quàm Cornelij, aut Hieronymus, meminerunt. Sed uterq; alias ei epistolas assignarunt, ut de placitis Synodi Romani contra Nouatum, alia rursus de Synodo Romana, & tertia de causa Nouati scripta ad Fabium Antiochenum: Eusebius libro sexto, capite quadragesimotertio. Hieronymus alterius adhuc cuiusdam Epistolæ prolixæ meminit, ad Fabium (Flauianum habet ipse) de causa hæreseos & anathematis Nouati: & rursus alterius, de his qui lapsi fuerint.

De quibus rectè sensit, recipiendos eos esse, si pœnitentiam agentes ad Ecclesiam redirent, quemadmodum ex Cypriani epistolis clarum est: & testatur Socrates Ecclesiasticæ historiæ libro quarto, capite uigesimooctauo.

In Epistola tamen ad Fabium, de Nouato, cuius exemplum Eusebius ponit, non leuiter errat: negans, in baptismo, sine consignatione episcopi, & cæteris ritibus circa baptismum solenniter fieri solitis, spiritum sanctum accipi posse.

Magna porrò ei, quandiu Episcopatum Romæ gessit, certamina fuisse aduersus Nouati sectam, ex Cypriani epistolis notius est, quàm ut admonere necesse sit. Synodum eum frequentem Romæ contra Nouatum habuisse, suprà ostendimus. multas uerò contra eam hæresin etiam Epistolas eum scripsisse, Theodoretus libro tertio compendij hæreticarum fabularum indicat. In lucta deinde confessionis uirtutem & constantiam egregiam præstitit, quemadmodum prolixè fortitudinẽ eam cõmendat & extollit Cyprianus, libro primo, epistola prima.

Sub Decij tyrannide eum (quũ ad Galli & Volusiani tempora eius episcopatum Hieronymus transferat) relegatum, & passum deniq;, Damasus, quem plurimi sequuntur, scripsit. eamq; historiam breuibus attigit, quam ex eo, ut uidetur, Sabellicus sic narrat, Enneadis septimæ libro septimo: Centumcellas, inquit, Decij iussu Cornelius relegatur (est id oppidum in Hetrusco littore) unde ad Cyprianum Carthaginensem antistitem dedit literas, & accepit. Quod scribendi commercium ubi primùm Decius compertum habuit, Cornelium ex Centumcellis ad se perduci iussum, ita est in Telluris allocutus: Sic, inquit, Corneli, obstinatè agendum putas, ut neq; deos curans, neq; principum minas pertimescens, contra Rempublicã des ad alios literas, & accipias? Ad quem Cornelius: De Christi laudibus, & salute (ait) animarum, non de repub. dedi aut accepi literas. Tum iratus Decius, Corneliũ plumbatis (fuit id flagelli genus) atrociter contusum, in templum Martis perduci imperauit, ut statuam illius adoraret: aut si ad cultum compelli non posset, supremo supplicio adficeretur. Cæterum dum ille ad indubitatum martyrium trahit, (certus enim erat, malle mori, quàm præuaricari) Stephanum archidiaconum intuitus, omnem illi rem Ecclesiæ commendauit. Ipse ad tertium nonas Maias, Apia uia, haud procul à Calisti cœmiterio, martyrij est palmam adeptus. Lucaica mulier singulari pietate, eum in sui prædij Arenario sepelijt.

Præfuisse eum Eusebius libro septimo, capite secundo scripsit, annis tribus: cùm in Chronicis tamen duos ei duntaxat annos assignarit. Qua uarietate etiam Marianus Scotus usus est: quia aliàs annis eum duobus & mensibus septem, aliàs tribus & mensibus quinq; præfuisse scripsit. Biennium, cum mensibus duobus, etiam Damasus ei tribuit. Cornelium deniq; sacerdotem pacificum ac iustum, Cyprianus dixit lib. 1. Epistolarum, epistola quarta: Hieronymus uerò, uirum disertum nominauit, in Catalogo.

LVCIVS.

COrneliũ in episcopatu secutus est Lucius, anno Christi 256. Galli autẽ et Volusiani Imp. secundò, iuxta Eusebij Chronicon. Natione Romanus fuit, natus patre Porphyrio, ut Damasus scripsit. Tribuitur ei epistola una decretalis ad Galliæ et Hispaniæ episcopos, quæ eiusmodi gubernationis formã propo-

proponit, qualis ad Lucij seculũ prorsus non uidetur quadrare. Constituit in ea, ut in omni loco presbyteri duo, cum tribus diaconis, episcopum comitarentur: quasi uerò tanta tum fuerit tranquillitas, ut episcopo ociosè ambulanti pompam ducere secure licuerit. In eadem deinde uide, quo fastu de Ecclesia Romana declamitat: Hæc sancta, inquit, & Apostolica, mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed ut in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab autoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet.

Gratianus & hoc decretũ ei tribuit, presbyteros, diaconos et ministros altariũ tales eligendos esse, qui continentiã seruent, & ne ulli clerici fœminarũ frequentẽt cõtubernia. Idẽ ei quoq; tribuit decretũ de uetitis sacerdotũ nuptijs, quòd alias Clemẽti adscribitur.

Ordinationes duas fecisse, à Damaso dicitur: presbyterorum uidelicet quatuor, diaconorum totidem, & episcoporum per loca diuersa septem.

A Gallo in exilium ob confessionem relegatus est, quo extincto, ad Ecclesiam suam incolumis redijt. Extat de hac fortuna Lucij, epistola Cypriani gratulatoria, lib. 3. epistola prima: in qua, quibus egregijs & Episcopo dignis uirtutibus præditus fuerit, Cyprianus narrat. Est & alia Cypriani ad Luciũ epistola, scripta in carcere, qua pro munere missso & literis gratias ei agit: libro tertio, epistola septima.

Eusebius libro septimo, capite secundo, mortuum eum scribit. Cypriani tamẽ alia ad clerũ Romanũ epistola, libro 3. Epistola decimatertia, martyrio functũ innuit, in qua sic scribit: Quũ de excessu collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres charissimi, & opinio dubia nutaret, accepi à uobis literas ad me missas, per Clementem hypodiaconũ, quibus plenissimè de glorioso eius exitu instruerer: & exultaui satis, quod pro integritate administrationis eius, consumatio quoq; honesta processerit. Nam & à Damaso capite cæsus scribitur, sub Valeriano Decij (ita enim Gallum uidetur appellare, aut certè ad residuam Decij persecutionẽ respexit) præfecto, ut & Marianus Scotus testatur. Alibi tamen, ut in Martyrologio, ab hac sententia uarians, ubi sic scripsit: Lucius persecutione Valeriani & Galieni ob fidẽ Christi exilio relegatus, postmodũ diuino nutu ad Ecclesiã suã redire permissus, martyriũ capitis obtrũcatione cõpleuit.

Eusebius, eum nondum octo totos menses episcopatum tenuisse dicit. Sed Damasus, eumq; secuti Nauclerus, Sabellicus & Platina, triennium eum & amplius præfuisse scribunt. quod ita forsan uerum esset, si sub Valeriano & Galieno, ut Marianus scripsit, passus uideretur.

STEPHANVS.

ARchidiaconũ eum ecclesiæ Romanæ fuisse, Damasus scripsit in uita Cornelij et Lucij. Succesit Lucio intra annũ, episcopatu suo defuncto, ut diximus. Romanus autẽ fuit, Iulio patre natus, Damaso autore. Laboriosissimũ hoc ei in omni sua gubernatione fuisse uidetur, quod se Cypriano et cõcilio Africano in cõtrouersia de hæreticis rebaptizãdis acriter opposuit, quemadmodũ suprà aliquoties diximus. Et Eusebius indicat lib. 7. cap. 2. & 3. & Cyprianus in Epistola ad Pompeium, contra epistolam Stephani de hæreticis non rebaptizandis. Nam quæ in epistolis decretalibus, quarum duæ Stephano adsignantur, una ad Hilarium episcopũ, altera ad omnes omniũ prouinciarũ Episcopos, de accusationibus sacerdotum, habentur: quam fidem mereantur, suprà diximus. Non enim tam bene habuisse Romanam eo tempore uidetur Ecclesiam, ut Stephano, quod constituerit, aliud nihil fuerit, quàm quo honore & reuerentia uasa sacra & uestitus tractanda essent: aut ut altarium tegumenta, ut Isidorus & Polydorus de eo affirmant, primus inuenerit.

Ordinationes ei duas Damasus tribuit, quibus ordinarit presbyteros sex, diaconos quinq;, episcopos sex. Idem & in martyrio discesisse eum scripsit, cùm præsedisset annis septem, & mensibus quinq;. Quod ei curriculum à nullo tamen scriptorum alio, præterquàm à Sabellico & Platina tribuitur. Eusebius enim libro septimo, capite quinto, biennium tantùm eum Ecclesiasticum munus administrasse indicat. quanquam in Chronico tres ei annos adscribat, quod & Volaterranus sequitur. Scripsit ad Stephanũ Dionysius Alexandrinus de baptismate, ut Eusebius indicat libro septimo, capite secundo. Scripsit & aliquot ad eum Epistolas Cyprianus, quæ inter opera eius extant.

SIXTVS VEL XYSTVS II.

STephano succesit Xystus, anno Christi ducentesimo quinquagesimo octauo, Valeriani uerò secundo. Græcus is fuit, natus Athenis, patre philosopho, cleri Romani consensu episcopatui præfectus est, posteaquàm ex itinere per Hispaniam, quam docendo & prædicando omnem peragrauerat, Romam redijsset, ut Bergomensis narrat. Adscribuntur ei duæ Epistolæ decretales: prior ad Gaium episcopũ, cuius apud nullũ scriptorẽ fit mentio: altera ad fratres per Hispaniã, nihil nisi communem illam & fictam gubernationis formã cõtinentes, de uoto sacerdotũ. Damaso autore, ordinationibus duabus presbyteros fecit quatuor, diaconos septem episcopos duos. Referunt Bergomensis et Sabellicus, eum in extirpandis hæresibus Sabellianorũ, Cerinthianorũ, Nepotianorũ, plurimũ laborasse. Tandem uerò ab ijsdem apud Galienum accusatus, ad capitis supplicium raptus est, & cum eo sex diaconi. Euntẽ illum Laurentius archidiaconus sic dicitur allocutus: Quò pater gradieris, sine filio? quò sacerdos, sine ministro? Cui Sixtus: Ego haud te desero (inquit) fili, sed maiora te manent pro fide certamina, triduo pòst me sequeris. Interim si quid in thesauris habes, id pauperibus distribue.

Ambrosius lib. 1. offic. cap. 41. præfuit, iuxta Eusebiũ, annis undecim: lib. 7. cap. 26. Secundũ Chronicõ uerò eiusdem, annis octo: à quo tamen numero dissentiunt omnes. Damasus enim, uno duntaxat anno & mensibus decem sedisse scripsit: Recentiores uerò reliqui, Volaterranus, Bergomẽsis, Platina, Sabellicus, annis duobus & mensibus nouem uel decem. Scripsit ad hunc Xystum Dionysius, de baptismate epistolas duas: Eusebius libro septimo, cap. 5. & Hieronymus.

DIO-

DIONYSIVS.

HVius originem & patriam Damasus se inuenire potuisse negat, ex monacho uerò eum episcopum factum indicat: cùm ex Eusebij potius lib. 7. cap. 7. et Hieronymo, cõstet eum Romanæ eccle siæ prius fuisse presbyterũ, postea uerò episcopũ, post Xystum, anno Domini ducentesimo sexagesimo sexto, Galieni uerò decimo. Adscribuntur ei duæ Epistolæ, prima exhortatoria ad Vrbanum præfectum, ut pietati studeat: secunda, ad Seuerũ episcopum, in qua se presbyteris singulis ecclesias singulas tradidisse, & parochias ac cœmiteria, cum iurisdictione cuiq; propria diuisisse scribit. Duabus ordinationibus presbyteros fecit duodecim, diaconos sex, episcopos septem. Mortuus sine martyrio est, posteaquàm Ecclesiasticam gubernationem sustinuisset annis (iuxta Eusebiũ libro septimo, capite trigesimo, & in Chronico) nouem: iuxta Damasum uerò, annis sex & mensibus duob. iuxta Marianũ, annis sex, mensib. quinq;.

Scripsit ad eum tum presbyterum, tum episcopũ, Dionysius Alexandrinus (ut Eusebius ostendit lib. 7. cap. 7. & 26.) epistolam de baptismate, & quatuor Cõmentarios de hæresi Sabellij. Scripserunt et illi, qui contra Samosatenum concilio Antiocheno, quod Dionysii huius tempore celebratum est, interfuerũt, de actis eius synodi. Eusebius libro septimo, capite trigesimo. Et Athanasius in epistola contra Arianos refert, Dionysium Romanum celebrata Romæ Synodo, uoluisse excommunicare Dionysiũ Alexandrinũ, quem quidam obtrectatores negare filium esse consubstantialem patri detulerant. Sed Dionysium re cognita, postulasse obiectiones falsò sibi imputatas, & eas in Apologia refutasse.

FELIX.

ROmanus fuit, ex patre Constantio, ut Damasus indicat: aut, ut alij, Cõstantino. Successor in episcopatu Dionysio datus est, anno Christi 280. iuxta Eusebiũ: Probi uerò Imperatoris anno primo. Damasus tamẽ, alijq; eũ secuti, in Claudij et Aureliani tẽpora eũ reijciunt. Recentiores, Epistolas decretales tres ei tribuunt, sine ulla ueterũ autoritate: primam, ad Paternum episcopum: secundam, ad omnes episcopos per prouincias Galliæ, in qua significat se in synodo constituisse, ut missæ supra memorijs martyrũ celebrarentur: tertiam, ad fratrem Benignum episcopũ.

Ordinationes in episcopatu suo bis celebrauit, & cõstituit presbyteros nouem, diaconos quinq;, episcopos quinq;. Martyr tandẽ decessit, cùm præfuisset iuxta Eusebiũ annis quinq;, secundũ Damasum uerò annis quatuor, mensibus tribus, & diebus quindecim.

Post hunc Felicem, autor Fasciculi temporũ Marcum quendam confessorem Romanum episcopatũ administrasse tradit, annis octo: eumq; solum martyriũ post tot continuas persecutiones euasisse. Sed hoc sine aliorum omnium autoritate. Marci enim Romani episcopi nec Damasus, nec Vincẽtius, nec Martinus, quãuis aliàs incerta interdũ multa prodant, memimerũt.

EVTYCHIANVS.

EVtychianus Thuscus fuit, Lunensis, ut Damasus ait, natus patre Marino. Felici successit anno Christi ducentesimo octuagesimoquarto, Probi uerò Imperatoris quinto. Epistolæ decretales duæ ei adscribuntur: prima ad Iohannem fratrem, & omnes per Boëticam episcopos constitutos: secunda, ad uniuersos episcopos per Siciliam. Prior dogmatica quædam continet de incarnatione Christi, inter quæ hæc habentur: Christi partus & corpus, postquàm crux, mors, inferni, salus nostra est. Humani enim generis causa Dei filius natus ex uirgine est: et spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua (Dei uidelicet) inumbrante uirtute, corporis sibi initia conseuit, & exordia carnis instituit, ut homo factus ex Maria, naturam in se carnis acciperet: per quam huius admixtionis societatem, sanctificatum in eo uniuersi humani generis corpus existeret. Deinde ritum constituit, cuius & Damasus meminit, de oblatione leguminũ & fructuũ, ut fabarũ & uuarũ & benedictionibus earũ, quæ super altare nõ offerũtur.

Recitat idem Damasus & hanc gubernationis (si uerũ est) partem, quòd Eutychianus ipse trecentos et quadraginta duos martyres manibus proprijs sepelierit, ac constituerit nullum martyrem sine dalmatica (necessaria sanè cæremonia) aut collobia sepeliendum esse. Gratianus plures eius constitutiones recitat: nè scilicet Abbatissæ aut sanctimoniales, uiduis aut puellis uelandis, uelũ imponere ausint. Et ut, qui in synodum de rebus Ecclesiæ deliberaturi conuenirent, iuramentum præstent, &c.

Ordinationes duas habuit, quibus ordinauit presbyteros quatuordecim, diaconos quinq;, episcopos nouem. Martyrium tandem fecit, cùm mensibus uix decem (ut Eusebius ait libro septimo, capite trigesimo secundo) episcopatum gessisset. Damasus ei annum & mensem tribuit: quod tamen cum ordinationibus quinq; non uidetur conuenire. Volaterranus octo eum annos præfuisse scribit: quam sententiam & Platina recitat, sed Damaso accedit.

GAIVS.

GAium quendam Eusebius libro sexto, capite trigesimoprimo, disertissimũ uocat uirum, eumq; sub Zepherino, disputationem insignem contra Proclum Cataphrygarum hæresis defensorem habuisse scribit: in qua ut aduersæ, inquit, partis temeritatem & audaciam, qua nouas scripturas quasdam adducebat, obturaret, tredecim tantùm Pauli Epistolarum meminit: eam quæ ad Hebræos est, non annumerans: &c. Narrat idem de Gaio Hieronymus, in Catalogo uirorum illustriũ. Sed nec Eusebius in his locis indicat, Gaium hunc fuisse Romanum episcopum.

Libro tamẽ secũdo, capite uigesimoquinto, Eusebius de Gaio sic loquitur: Nihilo secius & Gaius, uir Ecclesiasticus, Romanorum post Zepherinum factus episcopus, cùm ad Proclum qui hæresi Cataphrygarũ præerat, scriberet, hæc ipsa de locis ubi dictorum Apostolorum posita sunt tabernacula, dixit, &c. Incertum igitur est, utrum unus & idem Gaius fuerit, qui cõtra Proclum disputauit, et qui post Eutychianũ Romanorũ factus sit episcopus. Nam etsi episcopum eum Romanũ post Zepherinũ Eusebius uocat, tamen suprà aliũ Zepherino successorẽ retulit: nec hìc satis explicat, utrum qui Eutychiano successerit Gaius, superior ille sit, quem uirum Ecclesiasticum dixit.

Gaium

Gaium igitur hunc Damasus Dalmatã fuisse prodidit, ex familia Diocletiani imperatoris. Ac suscepisse eum episcopatũ, post Eutychianũ, Eusebius indicauit, anno eodem quo Eutychianus, qui tam breui præfuerat. Epistolam decretalem unam scripsit ad Felicem episcopum, in qua de mediatore Christo, & de iustificatione, mediocriter loquitur. Postea constituit, ad episcopatum per gradus seu ordines Ecclesiasticos ascendendum esse: Si quis, inquit, episcopus esse meretur, sit primò ostiarius, deinde lector, etc. Ordinationibus quater functus est, quibus presbyteros designauit, diaconos octo, episcopos quinq;.

Attigisse eum Diocletiani persecutionem, eamq; fugisse Gaium, & in cryptis habitasse: ad postremum tamen ad supplicium raptum esse, Damasius testatur, anno (iuxta Henricũ Erfordiensem) duodecimo, cùm præfuisset annis, Eusebio teste, quindecim: iuxta Damasum uerò, annis undecim, & mensibus quatuor.

DE DOCTORIBVS EVropæis.

VICTORINVS.

VIctorinus Pictauiensis fuit episcopus, qui grauiter & eruditè multa scripsit, sed sermone nõ satis eleganti. Quod inde factum Hieronymus indicat, quòd græcè magis quàm Latinè eruditus fuit. Recitat autem hæc eius scripta: Commentarios in Genesin, Exodum & Leuiticũ: alios in Esaiam, Ezechielem et Habacuc: alios in Ecclesiasten, & Canticũ canticorum. Item in Apocalypsin: librum deniq; aduersus omnes hæreses. Autor idem Hieronymus est in narratione de Papia Hierapolitano, eum in Chiliastarum hæresi & opinione, de regno Christi & sanctorũ ciuili mille annorum, fuisse: martyrium tamen fecisse, sed quo tempore, aut in qua persecutione, non explicat. Petrus de Natalibus eum sub Diocletiano passum scripsit libro decimo, capite duodecimo. Ac recenset eum in Catalogo martyrum sub Diocletiano Rhegino.

MINVTIVS FELIX.

ROmæ Minutiũ Felicem fuisse actorem causarũ celebrem, Hieronymus indicat, in episcopatu Romano præsidente Vrbano, ut Sabellicus testatur. Edidit dialogum inscriptum Octauium, in quo Christianum & ethnicum disputantes finxit. Scripsit & alium de Fato, uel contra mathematicos: quem tamen esse Minutij, propter styli à priore dialogo uarietatem, Hieronymus dubitat.

PHILEMON.

PResbyter Romanus fuit, ad quem Dionysius Alexandrinus de baptismate scripsit: qui primùm de non rebaptizandis ijs qui à qualibet hæresi uenissent, sentiebat. Sed postea Dionysii sententiæ subscripsit.

NATALIVS CONfessor.

DE Natalio Eusebius libro quinto, capite uigesimooctauo, ex uolumine quodam contra hæresin Artemonis, incerti autoris, hæc describit: Erat quidam Natalius, non adeò diu antè, sed nostris temporibus confessor factus. Hic aliquando seductus fuit ab Asclepiodoto, & alio quodam Theodoro mensario, qui ambo discipuli fuerunt Theodoci coriarij: persuasus autem fuerat ab illis Natalius, ut accepto salario hæresis huius uocaretur episcopus, ita ut denarios centum quinquaginta menstruo tempore acciperet. Illis itaq; coniunctus, per uisiones commonefiebat à Domino. Misericors enim Deus ac Dominus noster Iesus Christus, nolebat passionum suarum martyrem extra Ecclesiam constitutum perire. Quo niã uerò negligentius uisionibus attendebat, inescatus uidelicet primatus apud eos honore, & turpi quæstu, quo plurimi pereunt: tandem ab Angelis flagellatus est, ac tota nocte haud modicè uerberatus, ita ut cùm mane surrexisset, induto sacco ac cinere inspersus, multo studio ac lachrymis ante Zephyrinũ episcopũ procideret, & pedibus aduolueretur, non clericorum modò, sed & plebis: & ipsam Ecclesiam ad commiserandum procliuem, lachrymis destillantibus per misericordem Christum obtestaretur: ac multis precibus usus, ostensis etiam plagarum quas acceperat uibicibus, uix tandem ad communionem reciperetur.

MAXIMVS, VRBANVS, SIDOnius, & Celerinus.

COrnelius in epistola ad Fabium Antiochenum, de Nouato, apud Eusebium libro sexto, capite quadragesimotertio, presbyteros & confessores fuisse Romæ hos quatuor indicat, Maximum, Vrbanum, Sidoneum, & Celerinum: quorum etiam in epistolis suis Cyprianus meminit, constantissimos eos confessores, ac per uaria tormenta probatos Cornelius uocat: qui tamen ad Nouatum, cùm se ab Ecclesia primùm se iunxisset, defecerint: sed deprehensis in eo teterrimis uicijs, ut uersutia, leuitate, periurijs & mendacijs, ad Ecclesiã cum pœnitentia & confessione ultrò redirent. Extat ad eos reuersos Epistola gratulatoria Cypriani, in libro tertio, Epistola tertia, & eorum Epistola ad Cyprianum libro tertio, inter decimamtertiam et decimamquartam, qua indicat se cum Cornelio episcopo suo, & cum uniuerso clero pacem fecisse.

MOSES.

IN eadem Epistola Cornelius & Mosæ cuiusdam, martyris præclari, meminit: qui Nouatum, perspecta illius temeritate & arrogantia, cum quinque presbyteris, qui se unà cum ipso ab Ecclesia segregauerant, excommunicauit. Meminit eius Mosæ Cyprianus, eumq; confessorem uocat libro secundo, epistola quarta. Damasus uerò in libro pontificali post passionem Fabiani Romani pontificis, cum Maximo presbytero & Nicostrato diacono comprehensum eum, & in carcerem coniectũ scribit: in quo tandem defunctus sit.

CAPVT

CAPVT XI.

DE HÆRETICIS.

DE NOVATO.

QVis fuerit Nouatus, quo ingenio & moribus, Cypriani aliquot, quas de ipso ad alios atq; alios scripsit, Epistolæ testantur. Quas qui legerit, animaduertet, nõ alijs rebus ullis Nouatũ fuisse natũ, quàm dissidijs concitandis, & seditionibus: & pestem tristissimam fuisse duabus Ecclesijs, Carthaginensi & Romanæ. Carthagini enim primùm presbyter Cypriani fuerat: unde seu per factionem, seu ambitionem, seu cõscientiam scelerum, quorum in ea ecclesia autor fuerat, Romam uenit: ubi in presbyterorum ordinem admissus, factiosa statim moliri, & episcopatui Cornelij, qui Fabiano successerat, insidias facere cœpit. Sed cùm parum id sibi feliciter succesßit, in furorem uersus, hæresin excogitauit, ad quam se fratrum coactione quasi aliqua, impelli prætendit: ut Eusebius indicat libro sexto, capite quadragesimoquarto. Ea uerò qualis fuerit, & quem successum habuerit, suprà in capite de Hæresibus, à nobis prolixè explicatum est. Profligatus autem, ut hostis nocentesimus, ab Ecclesia, cum pernicioſa sua, quam breui tempore collegerat, secta: quò deinceps se receperit atque uixerit, incertum est. Supplicio uitam finisse tandem in persecutione sub Valeriano creditur, quemadmodum ex Socratis historia suprà retulimus. Cyprianus libro secundo, Epistola octaua, ad Cornelium Romanum episcopum, de Nouato sic scribit: De Nouato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cùm magis per nos uobis debeat Nouatus ostendi, rerum nouarum semper cupidus, auaritia inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus: semper istic episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium sacerdotum uoce damnatus, curiosus semper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus. Denique Nouato illinc à nobis recedente, id est, procella & turbine recedente, ex parte illic quies facta est: & gloriosi ac boni confessores, qui de Ecclesia illo incitante discesserant, posteaquàm ab Vrbe ille discesßit, ad Ecclesiam reuerterunt. Idem est Nouatus, qui apud nos primum discordiæ & schismatis incendium seminauit: qui quosdam istic ex fratribus ab episcopo segregauit: qui in ipsa persecutione ad auertendas fratrum mentes, alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicißimum, satellitem suum, diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione & ambitione constituit: & cùm sua tempestate Romæ quoq; ad euertendam Ecclesiam, nauigans similia illic & paria molitus est, à clero portionem plebis auellens, fraternitatis bene sibi cohærentis & se inuicem diligentis concordiam scindens. Planè quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic maiora & grauiora commisit. Qui istic aduersus ecclesiam diaconum fecerat, illic episcopum fecit. Nec hoc quisquam miretur in talibus. Feruntur semper mali suo furore dementes, & posteaquàm scelera fecerint, conscientia ipsa scelerata mentis agitantur. Nec remanere in Ecclesia Dei possunt, qui deificam & ecclesiasticam disciplinam nec actus sui conuersatione, nec morum pace tenuerunt. Spoliati ab illo populi, fraudatæ uiduæ, pecuniæ quoq; Ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conspicimus. Pater etiam eius in uico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Vterus uxoris calce percussus, et partione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantum manus, cùm sit ipse nocentior pedibus, quibus filius qui nascebatur, occisus est. Hanc conscientiam criminum iam pridem timebat: propter hoc se non de presbyterio excitari tantùm, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat. Et urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa eius ageretur: nisi persecutio antè ueniſſet, quàm iste uoto quodam euadendæ & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit & miscuit: ut qui eijci de ecclesia & excludi habebat, iudicium sacerdotum uoluntaria discessione præcederet: quasi euasisse sit pœnam, præueniſſe sententiam. De eodem, extat Cornelij epistola ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ præsidem, ex Eusebij libro sexto, capite quadragesimotertio. Istis addita erat alia quædam epistola Cornelij de Synodi placitis: ac rursus alia de causa Nouati, cuius hîc partem adijcere, nihil est quod prohibeat: ut qui hæc legunt, qualis ille fuerit, cognoscant. Vt igitur Fabium doceat, quali fuerit ingenio Nouatus, ista scribit Cornelius.

Vt autem cognoscas, egregium hunc Nouatum iam olim episcopatum affectasse, & ut petulantem hanc in se cupiditatem celaret arrogantiæ suæ, usum esse huiusmodi operculo, quòd initio confessores secum habuit, narrare uolo. Maximus presbyter ex nostris, & Vrbanus, qui secundò præclaram ex confessione existimationem retulerunt: deinde Sydonius quoque, & Celerinus, qui cuncta tormenta per misericordiam Dei constantißimè pertulit, ac fidei suæ robore carnis imbecillitatem confirmando, potenter aduersarium deiecit: hi uiri, ubi illum considerarunt, & uersutiam in illo & inconstantiam, periuria quoque & falsiloquia & inhumanitatem & ingenium suspicionibus natum deprehenderunt, ad sanctam ecclesiam redierunt, & cunctas illius machinationes & nequitias, quas diu in seipso celauerat, multis episcopis & presbyteris ac laicis plurimis præsentibus patefecerunt: lamentantes ac pœnitentes, quod fraudulentæ ac malitiosæ bestiæ credidissent, & Ecclesiam, quamuis exiguo tempore, deseruissent. Deinde paulò pòst dicit: Incredibilem, dilecte frater, alterationem & mutabilitatem in eo breui tempore factam uidimus. Egre-

gius enim hic uir, cum tremendis quibuſdam iuramentis affirmaſſet, nullum ſe prorſus epiſcopatum affectare, repentè uelut ex præſtigijs quibuſdam in medium productus, epiſcopus apparuit. Hic enim dogmatiſtes, & eccleſiaſticæ ſententiæ hyperaſpiſtes, quum epiſcopatum è ſupernis ſibi non datum, præſumere & ſubripere conaretur, duos hæreſis ſuæ conſortes, deploratæ ſalutis homines elegit, quos ad exiguam quandam & minimam Italiæ partem mitteret: atq; inde tres epiſcopos, homines agreſtes ac ſimpliciſſimos, artificioſo quodam figmento ſeduceret, aſſerens & affirmans, Romam eos quàm citiſſimè debere uenire, eo prætextu, quòd omne illud diſſidium ipſis una cum alijs epiſcopis interuenientibus eſſet è medio tollendum: hoſce, quum ueniſſent, tanquam ſimplices, ſicut diximus, & machinationis ac uerſutiæ malorum imperitos, à conſimilibus quibuſdam ad hoc ſubornatis hominibus incluſos, hora decima iam temulentos & exaturatos, uiolenter imaginaria quadam & uana manuum impoſitione epiſcopatum ipſi dare coëgerunt, quem inſidioſe ac uerſutè ſibi non competentem uendicat. Ex illis unus paulò pòſt ad Eccleſiam rediit, peccatum ſuum deplorans, ac confitens: quem etiã, populo cuncto pro eo intercedente, ad laicam communionem recepimus. In locum autem reliquorum epiſcoporum, ſucceſſores à nobis ordinatos miſimus. Itaq; uindex ille Euangelij, ignorauit unum eſſe debere epiſcopum in catholica Eccleſia, in qua neſcit (quomodo enim ſciret?) prebyteros eſſe quadraginta ſex, diaconos ſeptem, hypodiaconos ſeptem, acoluthos quadraginta duos, uiduas cum afflictis ſupra mille quingentas, quas omnes gratia & beneuolentia Domini nutrit: quem ne tanta quidem multitudo, ac tam neceſſaria in eccleſia, perq; prouidentiam Dei tam copioſus & frequens maximi & innumerabilis populi numerus, ab hac deſperatione ac deplorata præſumptione ad eccleſiam conuertit, ac reuocauit.

Ac rurſus aliquanto pòſt ita ſubijcit: Age, iam conſequenter dicamus, quibus factis, aut qua uitæ conuerſatione confiſus, epiſcopatum ſibi uendicaueriit. An ob id, quod in Eccleſia ab initio conuerſatus eſt, ac multa certamina nomine illius ſuſtinuit, inq; multis etiam ac magnis periculis, pietatis gratia fuit? Sed nihil horum præſtitit. Occaſionem fidei accepit à ſatana, qui ipſum intrauit, inq; eo diu habitauit. Ab exorciſtis curatus, in grauem morbum incidit: et quoniã ut iam moriturus putabatur, in ipſo lecto, quo decumbebat, baptiſmi infuſionem accepit, ſi tamen hanc illum accepiſſe dicendum eſt. Imò nec reliqua conſecutus eſt poſt morbum, quæ iuxta Eccleſiæ canonem conſequi debebat: obſignationem uidelicet ab epiſcopo collatam. Cùm autem illa potitus non ſit, quomodo Spiritum ſanctum eſt conſecutus? Et paulò pòſt dicit: Qui ſe propter mortis metum, ac uitæ cupiditatem in perſecutione presbyterum eſſe negauit. Cùm enim à diaconis rogaretur & admoneretur, ut domum in qua ſeipſum indulſerat egreſſus, fratribus in neceſsitate conſtitutis ſuccurreret: tam abfuit ut diaconorum admonitioni obtemperaret, ut & cum indignatione, nolle ſe amplius presbyterum, ſed alterius philoſophiæ ſtudioſum eſſe dicens, abiret, ac diſcederet. Aliquanto pòſt iterum ſubiungit, dicens: Eccleſiam Dei egregius hic uir reliquit, in qua fidem nactus, presbyterium quoq; ſortitus eſt, ex gratia epiſcopi qui manus ipſi ad ſortem presbyterij impoſuit. Et cùm ab omni clero, imò multis laicis, ne id faceret prohiberetur, eo quòd non liceret quempiam in lecto baptizatum, qualis iſte eſſet, in clerum aſſumi: ut hunc ſolum ordinare permitteretur, petijt.

Deinde & aliam quandam uiri huius inſolentiam omnium peſſimam adijcit, dicens: Cùm enim oblata diſpenſaret, & cuique partem tribueret, illud adiecit. Miſeros homines, antequàm de benedictione ac collectis ſumerent, iurare coëgit, utriſque illorum manibus prehenſis, nec dimiſsis, donec iurantes iſta dicerent (utar enim illius uerbis) Iura mihi per corpus ac ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd me nunquam deſerere, & ad Cornelium reuerti uelis. Et miſer homo non guſtauit, niſi primùm ſe illi deuouiſſet. & pro eo quod accipiendo panem illum dicendum erat, Amen: ad Cornelium non reuertar, dixiſſet. Deinde aliquanto pòſt rurſus ſic dicit: Iam uerò ſcias, eum derelictum ac deſertum eſſe factum, eò quod à fratribus ad eccleſiam reuertentibus, quotidie deferatur: quem & Moyſes beatus martyr, qui nuper apud nos bonum ac præclarum martyrium ſuſtinuit, cùm adhuc in uiuis eſſet, temeritate illius, & arrogantia perſpecta, unà cum quinque presbyteris, qui ſe ipſi ab Eccleſia cum illo ſegregauerant, excommunicauit. Et in calce Epiſtolæ, catalogum Epiſcoporum ponit, qui Romæ conſtituti, amentiam Nouati condemnarunt: additis etiam nominibus illorum, & parœcijs, quibus ſinguli præfuerunt. Eorum quoque qui Romæ quidem non adfuerunt, per literas autem prædictorum ſententiæ ſubſcripſerunt, nomina ſimul & ciuitates unde quiſque ſcripſerit, commemorat. Hæc Cornelius Fabio Antiocheno epiſcopo literis ſignificauit, & cætera.

DE NOETO.

NOëtum Epiphanius Aſianum fuiſſe ſcripſit, patria Epheſinus: ſed ab eo uariat Theodoretus, qui eum Smyrneum fuiſſe, in tertio libro Compendij hæreticarum fabularum narrat. Cùm nouum illud & blaſphemum de una tantùm hypoſtaſi dogma excogitaſſet, deq; eo eiuſmodi fama innotuiſſet, Eccleſiæ presbyteri accitum ipſum de his omnibus examinabant, & an hanc blaſphemiam de patre protuliſſet, interrogabant? Ipſe uerò primum quidem negabat, coram presbyteris conſtitutus, eo quòd nemo ante ipſum horrendam & perniciosam hanc amarulentiam euomuiſſet. Poſtea uerò ex rabie quam habebat, in alios immittens, ut ita dicam, & secum decem uiros trahens, in maiorem arrogantiam ac temeritatem elatus, ac audax factus, palàm deinceps ſuam hæreſin docuit. Rurſus itaque ijdem

presby-

presbyteri ipsum, & homines ab ipso corruptos, de ijsdem rursus interrogabant. Ipse uerò, cum seductis ab ipso, perfricta fronte deinceps palàm contradicebat, dicens: Quid enim male feci? Vnum Deum glorifico, unum noui, & non alium præter ipsum, genitum, passum, mortuum. Vbi igitur in his permansisset, expulerunt ipsum ab Ecclesia, unà cum discipulis suis. Moritur autem idem paulò pòst, unà cum proprio fratre. Hæc Epiphanius.

DE SABELLIO.

NOëti discipulum fuisse Sabellium, perhiberi à quibusdam, Augustinus in libro de hæresibus & Quoduultdeum scripsit. Epiphanius hoc non meminit, nisi quòd similitudinem quandam sectæ Noëti & Sabellij indicat. Theodoretus eum Aphrum Pentapolitanum fuisse prodidit: sicut & Dionysius Alexandrinus apud Eusebium libro septimo, capite sexto, Sabellij dogma Ptolemaide Pentapolis motum esse testatur. Nec ipse tamen diuinum euasit iudicium: turpiter enim occubuit. Supplementũ Chronicorum.

DE PAVLO SAMOSATENO.

SIta sunt Samosata in ripis Euphratis, in Mesopotamia Syriæ, ciuitas celebris: à qua Samosatenus hic Paulus nominatus fuit. Epiphanius.

In episcopatu Antiocheno Demetrij successor fuit, anno Galieni decimotertio, Christi uerò ducentesimo sexagesimosecundo, iuxta Eusebiũ in Chronicis.

Homo fuit ingenio maligno, subdolo & inconstanti, miram præ se ferente audaciam & impudicitiam, pauperibus ortus parentibus, egens etiam ipse primùm, ad diuitias summas aspirauit, nec casu, nec fortuna, nec laboribus: sed sacrilegijs, fraude, rapinis, & perfidia.

Deinde de eo testantur episcopi, qui Antiochiæ ad explodendum impium, ac contumeliosum in Deum ac Christum, ipsius dogma conuenerant.

Ex epistola concilij Antiocheni, de Samosateno.

Postquàm relicto Ecclesiæ canone, doctrinæq; regula, ad illegitima, & adulterina dogmata defecit, nõ conuenit ut facta foris iam constituti iudicemus: neq; quòd, cùm antea pauper fuerit & egenus, & neque ullam facultatem à parentibus acceperit, nec artificio aliquo uel exercitio acquisierit, iam ad abundantes opes peruenit, quas adeptus est scelere & spoliatione sacrorũ, deinde & fratrum iniuria pressorum, quos concutiebat quæstuosa circumuentione, ac subdola mercenarij patrocinij promissione: è cuius mendacio id emolumenti capiebat, ut in negocijs existentes alacres ad dandum redderet, quo ab illis à quibus infestabantur liberarentur, atq; ita pietatem quæstum esse putabat. Neq; de hoc dicemus, quomodo in superbiam elatus, mundanas dignitates usurpauerit, ac ducenarius magis quàm episcopus uocari uoluit: perq; forum incedens, & epistolas legens, simulque publicè ingrediendo dictans, numerosam ceteram satellitum partim præcedentium, partim subsequentium, circa se habuerit, ita ut & fides nostra inuidiæ & odio propter fastum & superbiam cordis illius facta sit obnoxia. Nec cõmemorabimus portentosa illius mendacia, quæ in Ecclesia sticis synodis iam glorioſè iactando, iam spectra quædam fingendo, ac simpliciorum mentes talibus nugis stupefaciendo commentus est. Gradum sibi ac thronum sublimem struxit, non tanquam Christi discipulus: sed separatũ, ad morem principum huius seculi, habens & nominans, manuq; femur percutiens, ac pedibus subsellium tundens: & si qui non laudassent, ac uelut in theatris, motis uestibus applausissent, uel exclamassent, aut cum seditiosis uiris ac mulieribus indecenter circa ipsum auscultantibus exiliuissent, sed tanquam in domo Dei honestè & compositè audissent, illos increpans, & conuicijs incessens. Et in mortuos diuinarum scripturarum expositores importunè in Ecclesia debachando, seipsum iactabat non tanquã episcopus, sed tanquã sophista & incantator. Psalmos qui in gloriam Christi canebantur, uelut recentiores, ac recentium uirorum commenta, sustulit. in media uerò ecclesia, magno die Paschatis, mulierculas subornauit, quæ de seipso psallerent: quæ si quis audiret, horrore concuteretur. Episcopos & presbyteros, à quibus colebatur, è uicinis agris & ciuitatibus, concionibus ad populum faciendis admisit. Filium Dei è cœlo descendisse, unà nobiscum confiteri detrectat. Et ut aliquid ex illis quæ dicenda sunt præsumemus, etiã hoc non nudo sermone dicetur, sed ex commentarijs quos misimus, undique demonstratur: maximè, ubi Iesum Christum è terra esse dicit. Qui de ipso psallunt, & encomijs ipsum in populo extollunt, impium hunc doctorem, angelum è cœlis descendisse dicunt. Et ista non prohibet, sed adstat etiam arrogans, ijs quæ dicuntur. Quid autem scribemus de subintroductis illius mulierculis, sicut eas Antiocheni nõminant? & presbyterorum quoque ac diaconorum, quos secum habet? quibus & hoc & alia incurabilia deprehensaq; peccata scienter obtegit, quo illos sibi in ijs quæ & uerbis & opere delinquit, obnoxios habeat, non audientes illum metu suæ ipsorum conscientiæ accusare. Quin & opulentos eos reddidit, unde & ab illis qui talia æmulantur, amatur ac suspicitur. Scimus autem dilecti, debere episcopum & uniuersum sacerdotium multitudini bonorum operum esse exemplum. Nec illud ignoramus, multos esse prolapsos propter subintroductas mulierculas, multos etiam suspicioni fuisse obnoxios. Quapropter etiam si quis illi hoc largiatur, quod nihil lasciui cum illis perpetret, suspicionem tam ex ea re subnatam reuereri debuerat, ne uel quenquam offenderet, uel aliquos ad imitationem sui exempli animaret. Etenim quomodo reprehendet uel admonebit alium, ne (sicut scriptum est) mulieri se diutius coniungat, sed ne cadat, sibi ipsi prospiciat, qui una quidem iam abstinuit, duas uerò interim uegetes & facie decoras secum habet: & si quò abeundum, unà circumfert, idq; delicians, & ualde satur. qua de causa ingemiscunt quidem, & lugent penes se cuncti: potentatum uerò illius ac tyrannidem ita uerentur, ut accusare non audeant. Verùm ista, sicut antea quidem diximus, talia quidem sunt, ut uirum etiam catholicè sentientem, & nobis coniunctum, reprehensibilem redderent.

DE MANETE.

FVit Manes, quemadmodum diximus, Persa genere. Statim autem inter discipulos de nouo quodam & inaudito dogmate disputare cœpit. Et cùm nemo ipsi fidem haberet, sed auditores Manichæi, doctrinam ægrè ferrent, & omnes ob innouationem, & horrendum fabulamentum ac uanam fraudem abalienarentur: ipse uidens propriam uersutiam conflictorum sermonum subuerti, mente elatus excogitabat sibijpsi occasionem quandam, per quam proprium figmentũ horrendum suæ doctrinæ confirmaret. Audiens enim difficili & periculoso morbo teneri Persiæ regis filium, cùm quidam à regia urbe non procul degeret, ad regẽ uenit, facilem promittens pueri sui à morbo liberationem: fretus incantamentis, quorum beneficio se eiusmodi egregium quiddam & magnum effecturum confidebat. Sed dimissus à medicis puer, & Manetis curationi traditus, inter manus ipsius extinguitur. Quamobrem in carcerem Manes abripitur. Ex quo, seu dato auro multo, seu fuga liberatus, in medium Persidis & Mesopotamiæ in castellum Arabionis se recepit. Quod cùm Rex Persarum intellexisset, eò continuò misit, qui Manetem comprehenderent. Captum igitur eum, & in Persidem pertractum, arundine uiuum excoriari iussit. Vnde excoriatum, utrem ipsius paleis expletum, etiam hodie in Persida habent. Suidas, Epiphanius.

DE HIERACE.

HIeracem & Hieracã Epiphanius habet, quemadmodum & Augustinus Hieracham, Hilarius uerò Hierarchã. Fuit autem post Manetem in Leonto Ægypti Hierax, homo eximiè eruditus, & in Græcorum literis Ægyptiorumq; disciplinis uersatus. Nam & medicinæ & Astronomiæ studia exercuit, & magicam tenuit: Christianorũ autem religionem primùm professus, ab ea tandẽ ad hæresin defecit, de qua suprà dictum est. Abstinentia summa & uera, nõ simulata usus, uini in uniuersum temperans fuit, & de edulijs omnibus abstinuit, exercitijs religiosis perpetuò deditus. Fuit & calligraphus, scribens pulcherrimè, usq; ad diem qua mortuus est. Scripsit autem lingua Græca & Ægyptiaca (utranq; enim calluit) in Hexaëmeron, nõ expositiones scripturæ sensui cõuenientes, sed fabulosas et fastuosas allegorias, quibus & in alios scripturæ libros cõmentatus est. Cõposuit & recentes Psalmos aliquot. Corporis uigorẽ ac integritatem ad annos (ut quidã prodiderunt) nonaginta retinens: post quos mortuus est, admodum senex. Hæc Epiphanius.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

MARTYRES SVB SEVERO.

DIctum suprà in capite de Persecutionibus est, quos ex Doctoribus martyres præcipuos persecutio excitata à Seuero ostenderit. Sunt iam & alij doctores, quorum mentio facta suprà non est: alij item, cùm doctores non fuerint, tamen in professione constantiam uera & Christiana pietate dignam declararũt, qui prætereundi nobis nõ uidentur. Primùm autẽ sub hoc Imperatore martyrem, Vincentius libro undecimo, capite sexto, ex Martyrologio numerat, Andoclũ quendam, missum à Polycarpo in Galliam: quẽ, quod Euangelij doctrinam ibi spargere instituisset, Seuerus fustibus cædi, tandem uerò capite truncari iussit.

MARTYRES SVB ALEXANDRO Mammeæ.

SVb Alexandro adolescens Agrippitus quindecim annorum, ut Bergomensis narrat libro octauo, ideo quòd idolis sacrificare noluisset, apud Prænesten comprehensus, loris cæsus, & pedibus suspensus, cũ aquæ bullientis superfusione necari, nõ posset, nec bestijs obiectus uulnerari, ad extremum gladio percussus est. Inter cuius tormenta, ciuitatis præses ex tribunali subitò procidens, exanimatus est.

Proximum martyrem idem autor recitat, Calepodium quendam, Romanum presbyterum, cuius corpus ignominiosè primùm per ciuitatem raptatum, in Tyberim postea præcipitatum est.

Sequitur Pammachius Romanus consul, cum uxore & filijs, alijsq; promiscui sexus ad quadraginta duos. Item Simplicius Romanus senator, qui omnes uno eodemq; die capitis supplicio affecti: eorumq; capita ad diuersas urbis portas in terrorem, ne quis se facilè Christianum profiteretur, affixa sunt.

Alij item Romani ciues illustres, ut Tyberius & Valerianus fratres, et maximis fustibus pro Christi nomine cæsi, & capite truncati sunt.

Additur his Quiritius Romanus, ex patriciorum ordine: qui cum matre Iulia, alijsq; infinitis martyribus Romæ ijsdem his temporibus sanguinem pro Christo fudit.

Præter Vincentium & Bergomensem, etiam Sabellicus Ceciliæ martyris Romanæ meminit, quæ ab Almachio præside idolis sacrificare iussa, cùm sibi Christianæ facere id non licere respondisset, aquis ferentibus torqueri, demum uerò decollari iussa est, anno sexto imperij Alexandri.

Celebratur & Martina uirgo Romana, sanctitate & Christianis moribus præstans: quæ post atroces aliquot cruciatus, constans in fide, gladio tandem percussa, martyrium compleuit. Narrant, Bergomensis, Vincentius & Henricus de Erfordia.

MARTYRES SVB DECIO.

NOtum est, quàm atrocem persecutionem Decius propositis edictis mouerit. Sub eo igitur martyres immutabiles gloriosam pro Christo mortem appetierunt, quemadmodũ & suprà dictum est. Inter quos Iustinum quendam Romanum presbyterum, & Nicostratum diaconum, Bergomensis recitat. Vincentius his addit Portium, qui duos Philippos imperatores conuerterat.

ABDON ET SENNAS.

REguli bi duo Christiani, cùm Christianos, quos Decius Babyloniã captiuos, ibi inuẽtos, Cordubam secum adduxerat, uarijsq; cruciatibus ad mortẽ usq; mulctaretur, sepelijssent, accusati apud Deciũ, Romã pertracti sunt. ibi cùm ad aras ducti sacrificari noluissent, et idola cõspuissent, leonib. et ursis obiecti sunt. Hi uerò cùm membra sanctorũ nõ attigissent, gladijs interfecti sunt. Narrãt Bergomensis lib. 8. Vincentius libro undecimo, capite quarto.

SECVN-

SECVNDIANVS, VErianus, Marcellianus.

HI qua occasione ad fidem Christianam conuersi sint, suprà diximus. Primus eorũ Secundianus, à Valeriano Decij præfecto, cùm se Christianũ esse constanter affirmasset, in carcerẽ duci iussus est. Inter ducendum autem, cùm Verianus & Marcellianus satellitibus acclamassent, quid innocentem traherent? simulq; publicè confessi essent, & se Christianos esse, arrepti sunt et ipsi. Perducti uerò Centum cellas, cùm adolere iussi, in simulachra expuissent, fustibus cæsi, & in eculeis suspensi sunt, ignibus ad latera eorum admotis. Deniq; tortoribus partim subitò collapsis & mortuis, partim à dæmonibus arreptis, gladijs cæsi sunt. Vincentius libro undecimo, capite quinquagesimoprimo.

MENIATVS, PARENTINVS.

MArtyres sunt Etrusci: quorum Meniatus Florentiæ, Parentinus uerò & Laurentius fratres, apud Aretium martyria pro Christo cõsummarunt. Bergomensis.

ROMANVS miles in confessione beati Laurentij cõpunctus, mox ab eo se baptizari petijt. Post quod iubente Decio fustibus uerberatus, & decollatus est. Henricus de Erfordia.

LAVRENTIVS DIAconus Romanus.

EXtat de Laurentij martyrio hymnus apud Prudentiũ in Coronis, ex quo hæc annotare libuit.

Fore hæc Sacerdos dixerat,
Iam Xystus adfixus cruci,
Laurentium flentem uidens
Crucis sub ipso stipite.
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo frater, tu quoq;
Post hoc sequeris triduum.
Extrema uox Episcopi
Prænunciatrix gloriæ,
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua uoce, quamuis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine
Dignè retexens concinam?
Hìc primus è septem uiris,
Qui stant ad aram proximi,
Leuita sublimis, gradu
Et cæteris præstantior:
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clauibus,
Votasq; dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus urbis regiæ,
Minister insani ducis
Exactor haurit sanguinis.
Qua ui latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrarijs,
Cumulosq; congestos tegi.
Laurentium sisti iubet,
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sæuire nos iusto amplius,
Cùm Christiana corpora
Plus quàm cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus,
Blandè & quietè efflagito
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse uestris Orgijs
Moremq; & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tunc summa est cura fratribus,
Vt sermo testatur loquax,
Offerre fundis uenditis
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigijs
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu,
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Vt dedita stipendijs
Ducet, iuuet pecunia
Sic dogma uestrum est audio,
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe iustum postulo.
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm ueniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta sed uerbis dedit
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ uos per orbem uenditis:
Nummos libenter reddite,
Estote uerbis diuites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum:
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit: non nego:

Habetq; noſtra Eccleſia
Opumq; & auri plurimum,
Nec quiſquam in orbe ditior.
Is ipſe tantùm non habet
Argenteorum ænigmatum
Auguſtus, arcem poßidens,
Cui nummus omnis ſcribitur.
Sed nec recuſo prodere
Locupletis arcam nummis:
Vulgabo cuncta, & proferam
Precioſa quæ Chriſtus tenet.
Vnum ſed orans flagito,
Inducias paululum,
Quo fingar efficacius
Promißionis munere.
Dum tota digeſtim mihi
Chriſti ſupellex ſcribitur:
Nam calculanda primitus,
Tunc ſubnotanda eſt ſummula.
Lætus tumeſcit gaudio
Præfectus, ac ſpem deuorat:
Aurum uelut iam conditum
Domi maneret, geſtiens.
Pepigere tempus tridui,
Laudatus inde abſoluitur
Laurentius, ſponſor ſui,
Et ſponſor ingentis lucri.
Tribus per urbem curſitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesq; qui poſcunt ſtipem
Cogens in unum, & congregans.
Illic utriſque obtutibus
Orbes cauatos præferens.
Baculo regebat præuio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco ſemipes,
Breuior' ue planta ex altera,
Greſſum trahebat imparem.
Eſt ulceroſis artubus
Qui tabe corrupta fluat,
Eſt cuius arens dextera
Neruos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, aſſuetos ali
Eccleſiæ matris penu,
Quos ipſe primùs nouerat.
Recenſet exin ſingulos
Scribens uiritim nomina,
Longo & locatos ordine
Adſtare pro templo iubet.
Præſcriptus & iam fluxerat
Dies, furebat feruido
Iudex auarus ſpiritu,
Promiſſa ſolui efflagitans.
Tum martyr: aßiſtas uelim,
Coramq; diſpoſtas opes
Mirere, quas noſter Deus
Prædiues in ſanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere uaſis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet ſequi.
Ventum ad ſacratam ianuam,
Stabant cateruæ pauperum,
Inculta uiſu examina.
Fragor rogantum tollitur,
Præfectus horreſcit ſtupens:
Conuerſus in Laurentium,
Oculisq; turbatis minax.
Contrà ille: quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid diſplicet?
Num ſordida hæc, aut uilia,
Num deſpuenda exiſtimas? Item:
Tu te ipſe, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum demonum ſordes colis,
Morbo laboras regio. Item:
En ergo nummos aureos,
Quos proximè ſpoponderam,
Quos nec ſauillis obruat
Ruina, nec fur ſubtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Chriſtum putes:
Gemmas corufci numinis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis ſacratas uirgines,
Miraris intactas anus,
Primiq; poſt damnum thori
Ignis ſecundi neſcias.
Hoc eſt monile Eccleſiæ,
His illa gemmis comitur,
Dotata ſic Chriſto placet.
Sic ornat altum uerticem.
Eccum talenta ſuſcipe,
Ornabis urbem Romulam,
Ditabas & rem principis,
Fies & ipſe ditior.
Ridemur, exclamat furens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et uiuit inſanum caput.
Impunè tantas furcifer
r ophas cauillo Mimico
Te nexuiſſe exiſtimas,
Dum ſcurra ſaltas fabulam?
Concinna uiſa urbanitas,
Tractare noſmet ludicris?
Egón' cachinnis uenditus
Acroma feſtiuum fui?
Adeóne nulla auſteritas,
Cenſura nulla eſt faſcibus?
Adeón' ſecurim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis: libenter oppetam,
Votiua mors eſt martyri.
Eſt iſta uobis, nouimus,
Perſuaſionis uanitas.
Sed non uolenti impertiam,
Præſtetur ut mortis citæ
Compendioſus exitus,

Peribi

Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum iugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne feruor ignitus nimis
Os contumacis occuper,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu leui,
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidat:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum,
Decumbe digno lectulo.
Tunc, si licebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fonte præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, & tendere, &c. Item:
Postquàm uapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Vltrò è catasta iudicem
Compellat affatu breui.
Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter:
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet.
Tunc ille: Coctum est, deuora,
Et experimentum cape,
Sit crudum, an assum suauius.
Hæc ludibundus dixerat
Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat
Miseratus urbem Romulam. Item:
Da Christe Romanis tuis,
Sit Christiana ut ciuitas:
Per quam dedisti, ut cæteris
Mens una sacrorum foret. Item:
Hìc finis orandi fuit.
Et finis idem uinculi
Carnalis, erupit uolens
Vocem sequutus spiritus.
Vexere corpus subditis
Ceruicibus quidem patres,
Quos mira libertas uiri
Ambire Christum suaserat.

TRYPHON.

EX ciuitate Sansaducome fuit, in qua castè & religiosè à matre ab infantia institutus, uir sanctus & miraculis multis celebris euasit. Decio uerò imperante comprehensus à militibus, & Nicæam ad præfectum Aquilium ductus, pro confessione constanti nominis Christiani uarijs & atrocibus tormentis affectus, cùm illud fortiter sustinuisset ac uicisset, gladio tandem interfectus est. Vincentius.

CHRISTOPHORVS.

NIcephorus libro quinto, capite uigesimoseptimo, etiam Christophorum quendam, martyrem sub Decio factum prodidit.

EPHESII PVERI.

QVo tempore Decius in media urbe Epheso tẽpla idolis posuisset, ut ad earum sacrificia omnes compelleret, inuenti sunt septem Christiani, Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion & Cõstantinus, qui Christianismi apud Imperatorem accusati, cùm constanter professi essent, spacium resipiscendi usq; ad Imperatoris aliò abeuntis reditum acceperunt. cuius beneficij hæc illis causa fuit, quòd in Imperatoris essent satellitio. Imperatore igitur digresso, inito communi cõsilio in meatus abditos Cælij montis profugerũt. Reuersus Imperator, cùm eos accuratè perquiri iussisset, tandem comperit, in Cælio monte eos delitescere. Iratus igitur, aditum & interiora montis lapidibus claudi præcepit, ut ibi fame contabescerent. Ac illi inter metum & dolorem consopiti, in maximã ætatem, somnum duxerunt. Narrat Vincentius, Henricus de Erfordia meminit breuiter, & Nicephorus libro quinto, capite uigesimoseptimo.

DE MILITE, NEC TORMENTIS, nec uoluptate uicto.

MIles quidam Decij, succi plenus adolescens, in amœnissimis hortulis inter lilia candentia rubentesq; rosas, cum leui iuxtà murmure serperet riuus, & molli sibilo arborum folia uentus perstringeret, super lectum extructũ plumis resupinatus est, & ne se inde excuteret, blandis serico nexibus irretitus relinquitur. Amotis omnibus arbitris, specio sum scortum iussu prætoris aduenit, delicatis stringit colla complexibus, & (quod dictu scelu est) mulier impudica manibus in libidinem concitat iuuenẽ Christi. At miles Dei, præcisam morsu linguam, in oscultantis se faciem expuit, ac sic uictor extitit. Hieronymus in uita Pauli eremitæ.

AGATHON.

AGathon Alexandrinus, ex ordine militari, cùm quosdam petulanter cadaueribus martyrum illudientes obiurgasset, statim clamorẽ uulgi in se irritauit. Oblatus igitur iudici, cùm in cõfessione Christi persisteret, capitis proprietate damnatus est. Henricus de Erfordia.

PAVLVS, ET ANDREAS.

APud Troadem proconsul Paulum & Andreã flagellatos tradit populo. Qui extra ciuitatẽ tracti, pedibꝰ obruti sunt. Henric. de Erfordia.

RELIQVORVM MARTYRVM sub Decio catalogus, ex Bedæ libro minori de Temporibus, citante Henrico de Erfordia.

SVb Decio passi sunt Hippolytus & Concordia, Hiereneus & Abundus, uictoria uirgo, primates Antiochiæ. Bellias episcopus ciuitatis Apolloniæ, Leacus, Tyrsus, & Gallinetus, Nazanzo, Triphon in Ægypto ciuitate Tanais, Phileas episcopus, Philocomus cum alijs multis in Perside, Philocronius Babylo

niæ,& Theſiphon epiſcopus Pamphiliæ,Neſtor epiſcopus. In Corduba Parmenius presbyter,cũ alijs pluribus.In Circẽſi colonia Marianus et Iacobus.In Aphrica Nemeſianus, Felix, Rogatianus presbyter, Feliciſſimus.Romæ Iouinus, Baſileus, Ruffina et Secũda uirgines, Tertullianus, Valerianus, Nemeſius, Sẽpronianus et Olympius.In Hiſpania Teragone, Veronæ Zeno Epiſcopus, Cæſareæ Marinus et Archemius.In uico Mitianenſi, Priuatus epiſcopus, Theodorus cognomento Gregorius Ponti epiſcopus.Hæc Beda.

DE MARTYRIBVS lapſis.

SERAPION.

ERat apud nos fidelis ſenex, qui quidem inculpatè uixerat, in perſecutione uerò ceciderat. Dionyſius ad Fabium, Euſebio referente libro ſexto, capite quadrageſimoquarto.

Apud Troada cùm proconſul Nicomachum ſeueriter torqueret, ille uerò exclamaret, ſe Chriſtianum non eſſe, depoſitus eſt. Ac cùm ſacrificaſſet, arreptus à dæmone, & in terram collisus eſt: ubi linguam ſibi dentibus præmordens, expirauit. Henricus de Erfordia.

DE MARTYRIBVS SVB Valeriano & Galieno.

PONTIVS.

IN Cymela Italiæ urbe ſub Alpibus, iuſſu Claudij præſidis in eculeo primùm ſuſpenditur Pontius, deinde urſis duobus obijcitur, à quibus nihil læſus, manibus & pedibus poſt tergum reuinctis, in ignẽ copioſum inijcitur: poſtremò uerò in ſaxo riuulo uicino decollatur, corpuſq; eius in flumen abijcitur. Bergomenſis, Henricus de Erfordia, Vincentius libro undecimo capite ſeptuageſimono. Nec multò pòſt Claudius præſes, & aſſeſſor eius Anabius, arrepti à dæmonibus, ſuffocati ſunt. Vincentius idem.

VICTOR, VICTORINVS.

SExto anno Valeriani & Galieni, Victor & Victorinus, qui per triennium cum Claudiano & Boſſa uxore eius, tormentis multis affecti fuerant, in carcerem conijciuntur, ibidemq; uitæ ſuæ curſum cõpleuerunt. Hieronymus de Erfordia, ex Iſuardo.

TRECENTI MARTYRES.

CArthagini ſub Valeriano & Galieno trecenti martyres ſimul paſsi ſunt. Cùm enim præſes adpoſitis carbonibus cum thure, ad clibanum calcis, conditionem illis tuliſſet, ut aut thura carbonibus in honorem Iouis imponeret, aut in fornacem calcariam irent: ſubitò omnes uno impetu in ignem ſe iecerunt, & à fumis puluereis calcis ſuffocati ſunt. Henricus de Erfordia. Vincentius.

MAXILLA, DONATILLA ET Secunda, uirgines.

IN Aphrica ſanctæ uirgines Maxima, Donatilla et Secunda, in perſecutione Galieni aceto & felle primùm potatæ ſunt, deinde plagis acerrimis cæſæ, et eculei extenſione cruciatæ, poſtmodum craticulis exuſtæ, necnon beſtijs obiectæ, ſed ab his intactæ, ad poſtremum gladio iugulatæ ſunt. Henricus de Erfordia, Vincentius.

DE MARTYRIBVS SVB Claudio.

PRimo anno Imperij ſui Claudius ducentos & ſeptuaginta duos Chriſtianos tenens, iuſsit extra muros portæ Salariæ educi, ibiq; inclusos in amphitheatro à militibus confodi. Primo anno Claudij quadragintaſex milites à Dionyſio papa ſimul baptizati, mox iubente Claudio decollati ſunt, ac in uia Salaria ſepulti: ibiq; & alij martyres centum & uigintiunus poſiti ſunt: inter quos fuerunt quatuor milites Chriſti, Theodoſius, Lucius, Marcus & Petrus. Henricus de Erfordia. Vincentius.

QVIRINVS.

HIc facultatibus ſuis exutus, multa uerbera pro Chriſti nomine perpeſſus, tandẽ noctu in carcere gladio cæſus, corpusq; eius in Tybrim proiectum eſt. Iidem. Sabellicus ait Ennead. 7. libro ſeptimo: Quirinum, uirum Romani ſanguinis, & qui militum fuerat tribunus, quia Chriſtum confiteretur, Claudius membratim concidi iuſsit.

DE RELIQVIS MARTYRIBVS ſub Claudio, ex eodem Sabellico.

EVſebius monachus Terracinæ Claudij iuſſu interfectus eſt. Is Cæſarium diaconum & Iulianum presbyterum martyres ſepelijt. Horum Cæſarius ſacco obuolutus, fuerat in mare deiectus. Sunt & in Gallia dura illa tempeſtate uario cruciatu necati Adiochus Tyraſius, & Felix cum Polycarpo, qui illos inſtituerat, cum uerberibus cæſi, inuerſiſq; manibus per diem pependiſſent, uectibus demum cõfoſſi martyrio defuncti ſunt. Valentinum presbyterum ſimili cauſa, prius cæſum ſecuri ſubiecit. Maurum qui peregrè cum Martha uxore & liberis, pietatis ſtudio, per eos dies Romam uenerat, pari ſæuitia interfecit.

DE MARTYRIBVS SVB Aureliano.

THEODORA.

VInxit Theodoram, Hermetis, illuſtriſſimi martyris ſororem, Aurelianus conſul, Claudio adhuc in humanis agente: quam poſtea imperator factus, extremo affecit ſupplicio. Sabellicus: Supplementum Chronicorum.

CYRILLA.

CYrillam deniq;, Decij Imperatoris filiam Chriſtianiſſimam, pro Chriſto Romæ iugulatã his temporibus, hiſtoriæ tradunt. Iidem.

DE MARTYRIBVS SVB Numeriano.

BABYLAS.

TRadunt Babylam epiſcopum Antiochenum, Numeriano, uel (ſicut alij malunt) Decio Imperatori ingredi in ſacram ædem ad multitudinẽ populi uolenti, obſtitiſſe in foribus: quòd negaret ſe paſſurum, ut lupus ad oues irrueret. atq; Imperatorem tum quidem, ſeu metu multitudinis, ſeu qua alia de cauſa diſceſsiſſe, ferentem admodum indignè repulſionem epiſcopi. Itaq; reuerſum in regiam, iuſsiſſe accirĩ

acciri illum, & accusatũ grauiter contemptus sui, & læsæ maiestatis, uno suasisse facto satisfacere sibi, sacrificãdo dijs. Tum illum, post defensionem facti sui, Nequaquã hoc se facturũ, dixisse. Neq; etiam pastorẽ ulla ratione ouile negligere potuisse: & mirari, quòd nunc ab omnipotẽti Deo defecturum ad falsa & perdita numina sese esse speraret. Imperasse igitur principem, arripi uinctum cathenis ad mortem, & caput illius amputari. Ibi Babylam, cùm adduceretur, hæc de Psalmis accinuisse: Cõuertere anima mea ad quietẽ tuam, Dominus enim respexit te. Sunt qui scribunt, tres adolescentes fratres, educatos à sene, raptos & ipsos post uaria tormenta ad cædem, detrectãtes deorum sacrificia. Quos Babylã ante se iugulari curasse, ne quis metu supplicij resiliret postea. Atque ita illis interẽptis, cùm dixisset, Ecce me et liberos quos Deus mihi tribuerat: porrexisse ceruicem, mandasseq; astãtibus, ut cathenas unà cum suo corpore sepelirent, ne ornamentis suis mortuo carendum esset. Nicephorus libro sexto, capite trigesimoquinto.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS.

REm quandam miraculo planè similem, in persecutione graui illa quam Seuerus in Christianos exercuit, accidisse, hoc modo Eusebius retulit libro sexto, cap. 5. Alexandriæ clarissima uirgo Potamiæna, lata sententia à Basilide, accepta, ad mortem ducta est. Cùm autem illi multitudo molesta esset, & lasciuis uerbis cõtumeliam inferre conaretur, ferunt Basilidem repressis ac cohibitis conuitiatoribus plurimum erga eam misericordiæ & humanitatis ostendisse. Illam uerò uicissim uiri huius erga se condolentiam approbasse, animoq; bono esse iussisse: uelle enim se, post habitam suum ex hac uita, misericordiam ipsi à Domino suo impetrare, et haud diu pòst pro beneficijs in se collatis rependere. Ita igitur Potamiæna certamine & martyrio suo perfuncta est. Haud diu uerò postea Basilides, cùm à cõmilitionibus ob quandam causam iuramentum posceretur, affirmauit sibi prorsus non licere ut iuret: esse enim se Christianũ, idq; se disertè confiteri. Putabatur imitiò ludere: ubi uerò constanter affirmabat, ducitur ad iudicem. Et cùm idem ibi confestim esset confessus, uinculis traditur. Cùm autẽ fratres in Domino ad ipsum uenissent, & de causa huius subitæ & mirandæ mutationis percontarentur: fertur illis narrasse, quomodo Potamiæna triduo post martyrium nocte sibi adstiterit, coronamq; capiti suo imposuerit, ac dixerit: interpellasse se pro ipso Dominũ, ac petita impetrasse, nec diu postea futurum ut assumantur. Hisce dictis, & obsignaculo Domini à fratribus accepto, sequenti die Basilides martyrium Domini capite truncatus sustinuit. Hæc res præterquàm quod ab Eusebio etiam ipso pro incerta narrari uidetur, cùm ex uulgi sermonibus fuisse eam dicit, etiã duplici aliàs nomine nouitatem sapit. Primùm, quòd ad hãc usq; ætatem apud autores probatos non legimus, quòd morientes tam audacter affirmarint, se pro uiuis relictis oratũros. Deinde, quòd nec hoc legitur, mortuos uiuẽtibus rursus apparuisse, & mandata certa dedisse. Quantum igitur narrationi huic tribuendum sit, Lectoris iudicio relinquimus.

Hoc uerò sua ætate miraculose accidisse, in libro de anima Tertullianus narrat: Scio, inquit, fœminam quãdam uernaculam Ecclesiæ, forma illa & ætate integra, functa post unum & breue matrimoniũ, cùm in pace dormisset: & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur: ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas in habitũ simplicem confirmasse, rursumq; condita pace situi suo reddidisse.

Est & alia relatio apud nostros, in cœmiterio corpus corpori iuxtà collocando spacium recessu communicasse.

Quid porrò inusitati & admirãdi in electione Fabiani Romani episcopi, cuius uertici repentè & de improuiso columba insidens, omnium mouit animos, ut episcopum diuinitùs monstratum agnoscerent. Ex Eusebij libro sexto, capite uigesimonono retulimus.

Sed quæ Ruffinus in Eusebio suo, quem à se Latinè uersum affirmat, de Gregorio Pontico, magno illo seu mirifico, miraculose narrat lib. septimo, capite uigesimoquinto, in posterioribus Eusebij editionibus, ac in Græco maximè, non habentur. Et fabulis magis mendacibus ac superstitiosis, quales monachorum finxit ociosum genus, similiora sunt, quàm ueris narrationibus: ut quòd rupem ingentẽ precibus loco suo, in spacium sacelli, mouerit: quòd dæmonem in Apollinis ædem sua præsentia fugatum, per epistolam redire iusserit: quòd lacum in aridam conuerterit, &c. quibus tamen magis uana et nugosa alia Nicephorus pro more suo adiecit libro sexto, capite decimoseptimo: nimirum quòd æstus & impetũ Lyci fluminis, defixo in illud suo scipione, sedarit: Iudæum, mortuũ se simulantem, reuera mortuum fecerit: in arborem seipsum conuerterit, pestilentiam infidelibus quibusdam excitarit, & fœminam defunctam ad uitam reuocarit.

In mentione Assyrij, Romani senatoris, eius qui Marino militi, ob confessionem extremo supplicio affecto, exequias fecit, Eusebius factum quoddam admirabile, se à familiaribus Assyrij accepisse scribit, & sic narrat lib. septimo, cap. 17. Apud Cæsaream Philippi, quam Phœnices Paneadẽ uocant, aiunt, ad fontes illos qui in radice montis Panei ostenduntur, unde Iordanus profunditur, festo quodam die solitum fuisse ab eius loci incolis uictimam aliquam offerri, illamq; uirtute dæmonis mirabili modo nusquam cõparuisse: & id miraculum in oculis præsentiũ admodum uisum esse præclarum. Assyrium uerò aliquãdo huiusmodi miraculo præsentem, cùm multos ibi stupefieri cerneret, errantium fuisse misertum: leuatisq; in cœlum oculis, Deum omnipotentem per Christum orasse, ut dæmon ille populi seductor proderetur, & à mortalium seductione cohiberetur. Quæ cùm ille orasset, uictimam illam confestim in ipsa fontis superficie natasse, atq; ita stuporem astãtibus fuisse exemptum: nec postea quicquã miraculi eo in loco contigisse ferunt.

Obiter autem ex illa narratione, & in aliam quandam Eusebius digreditur capite sequẽti, Historiã scilicet mulieris hæmorrhousæ, quã Dominus sanauerat, fusili quodã artificioso opere repræsentatam, & suo adhuc tẽpore Cæsareæ Philippi (cuius oppidi mulier illa fuerat) in edito quodã ad mulieris ædes cõspectam fuisse, hac forma: Statuæ æneæ duæ erant, quarũ altera referrebat imaginem uiri ornatè uestiti, stãtis, manumq; porrigentis alteri statuæ, repræsentanti mulierem in genua prouolutam, ac manus supplicantis more extendentem. Statua autem uiri stantis erecti, imaginem Saluatoris habere uisa est. Ad eius porrò statuæ pedem herba ignotæ speciei subinde enascebatur, quæ cùm succrescens æneam uestimenti fimbriam contigisset, ac decerpta postea esset, aduersus omnis generis morbos, medicinam præsentem ex se præbebat.

Recitat & Cyprianus sermone quinto de lapsis, aliquot exempla de punitis miraculosè illis, qui in persecutione sub Decio fidẽ abnegauerãt. Vnus, inquit, ex his qui sponte Capitoliũ negaturus ascendit, postquàm Christum abnegauit, obmutuit. Alia in balneis constituta, illic ab immundo spiritu concepta cecidit, & linguam dentibus laniauit.

Idem sermone quarto, de Mortalitate, uisionem eiusmodi miraculosam recitat. Cùm quidã, inquit, de collegis & cõsacerdotibus nostris, iam infirmitate defessus, & de appropinquante morte solicitus, cõmeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti, & iam penè morienti iuuenis honore & maiestate uenerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu, & quem assistentem sibi uix posset humanos aspectus oculis carnalib. intueri, nisi quòd talem uidere iam poterat de seculo recessurus. Atq; ille non sine quadã animi & uocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non uultis, quid faciam uobis?

Acciderunt hoc seculo & aliæ quædam prodigiosa & horrenda, quorum aliquot Ethnici etiam scriptores memimerunt: ut quod Iulius Capitolinus scripsit, Imperatore Gordiano, tantam fuisse eclipsin solis, ut ad noctis dẽsissimas tenebras, lux diei quàm proximè accederet: ita ut sine luminibus accensis nec uideri quicquam, nec agi potuerit. Fuisse etiam terræmotus usq; adeò graues, ut ciuitates cum populis terræ hiatu absorptæ fuerint. Quibus similia, & plura quidem, Galieni Imperatoris tẽporibus euenisse, Trebellius Pollio scripsit: Tenebras scilicet per multos dies, murmur præterea terræ mugientis, cõcitatissimi fulminis instar, cum motu graui, qua multæ fabricæ deuoratæ sint cum habitatoribus suis, multi terrore exanimati in Asiæ urbibus. Cuiusmodi motus & Romæ & in Lybia fuerunt. Hiatus uerò terræ aqua salsa apparente plurimis locis, maris inundationes multas occupantes: tantæ denique pestilentiæ Romæ & in Achaicis urbibus, ut uno die quinq; millia hominum pari morbo interierint.

Aliud quiddam prodigiosum sub Alexandro Imperatore gestum esse, Henricus de Erfordia retulit. In templo, inquit, Iouis Romæ, manus idoli ipsius sinistra aurea liquefacta est. Qua de re sacerdotes idolorum, Alexãdro suadente, deos iratos placare aggressi sunt. ad quod sereno cœlo, mane quatuor sacerdotes fulmine icti sunt, cum ara ipsa Iouis: dies uerò ita obscuratus est, ut extra urbem populus fugeret.

Quædam etiam Eusebius in Chronicis, prodigijs similia annotauit: ut incendiũ theatri Pomerij, & cursum montis Atlantis in natali urbis Romanæ die, sub Philippo: amphiteatri uerò conflagrationem Romæ, sub Decio. Quibus addimus, quòd in castris Probi Imperatoris Zonaras euenisse scripsit, Annaliũ tomo secundo. Cùm enim Germanis Romanas ciuitates uexantibus Probus resisteret, bello diutius durãte, ex penuria cõmeatus periclitatus est. Fertur autem, maximo imbri in castra eius delato, multũ quoq; frumenti depluisse: quo milites collecto & fumis periculum effugerint, & hostes profligarint.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS EXTERNIS.

PVlsos suis sedibus, uarijsq; cladibus affectos ab Hadriano Iudæos, in superiori Centuria diximus. His uerò temporibus, ubi plurimũ fuerint, & qua fortuna usi sint, historici ferè nõ memimerunt: ideo fortasse, quod uiribus suis usq; adeò ab Hadriano fractis, nihil fama dignum gerere potuerint: nisi quòd Iudaici cuiusdã belli confecti à Seuero Imperatore, Euseb. in Chronico suo meminit: & Spartianus scribit, senatũ Romanum triumphũ Iudaicum decreuisse aliquãdo Seueri filio: nec aliam tamen eius belli historiã explicat, nisi quòd ob res in Syria à Seuero bene gestas, triumphũ à senatu decretũ fuisse indicat. In eadem de Seuero narratione, Spartianus quoq; ostendit, Seuerũ per Palæstinã iter faciẽtem, cũ Alexandriã peteret, Iudæos sub graui pœna fieri uetuisse, perinde ut & Christianos. Quod & ipsum argumento est, Seuerũ Iudæos, quos bello prius persecutus fuerat, etiam odio deinde perpetuò esse insecutum. De Alexandro uerò Imperatore Lampridius narrat, quòd cùm æquior & Iudæis & Christianis esset, Iudæis præcipuè priuilegia reseruauit.

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIBVS EXTRA ECCLESIAM, VT Iudaismo & Gentilismo.

DVrasse hoc seculo Iudaismum adhuc, eorũ libri probant, qui editis libellis contra eum hoc tempore pugnarũt. Quanquam ubi plurimum uiguerit, non ita clarè ab autoribus proditum est. Videtur autem passim Iudaismus fuisse diffusus, & in Aphrica maximè: adeò ut hoc tempore ferè nullos alios contra Iudæos scripsisse, quàm doctores Aphricanos, reperias. Potest autem ex illis ipsis scriptoribus colligi, quæ religionis suæ capita omniũ maximè Iudæi urserint, & pro quibus opinionibus decertarint: nimirũ, se solos Ecclesiam esse & populum Dei, legem

Dei, legem ad iustificationē solam sufficere, Sabbatū & circuncisionem necessariò obseruandam esse, ueteris templi ceremonias & sacrificia nōdum cessasse, nihil esse nouum Testamentum: & Christum non esse Meßiam, per quem sint salutem habituri, &c. Hæc enim doctrinæ eorū capita, Tertullianus et Cyprianus recensent & cōfutant, libris peculiariter aduersus Iudæos scriptis. Illud autem, quòd gentes ad regnum Dei pertinere negarunt, collectis aliquot claris Scripturæ testimonijs & Tertullianus & Cyprianus confutarunt. Tertullianus ait, in initio libri contra Iudæos: Duos populos, & duas gentes processuras ex unius fœminæ utero, Deus destinauit: nec discreuit gratiam in nominis appellatione, sed in partus editione, ut qui prior esset de utero processurus, minori subijceretur, id est, posteriori. Sic enim ad Rebeccam Deus locutus est: Duæ gentes in utero tuo sunt, &c. Et Oseæ secundo, quod testimonium Cyprianus recitat: Vocabo non populū meum, populum meum, &c.

Deinde legem non Iudæis solùm, sed omnibus gentibus datam esse, Tertullianus ita probat: quòd alias ex gentibus proselitos ad legem accedere posse negat: & quòd Deus conditor totius hominis, etiam legem omnibus tradiderit: quin & in paradiso legem latam primis parentibus fuisse, ex qua postea pullularit lex, quæ per Mosen data sit. Ante Mosen uerò, non scriptam, sed naturalem legem à patribus custoditam esse.

Legem non efficere iustos, neq; purgare hominem, grauiter & eruditè disputat: Qui contendit, inquit, & sabbatum adhuc obseruandum, quasi salutis medelam & circuncisionem octaui diei, propter mortis comminationem: docet, in præteritum iustos sabbatisasse aut circuncidisse, & sic amicos Dei effectos.

Opponit isti opinioni & has rationes: Si circuncisio necessaria est, aut hominē purgat, cur nō Adam circuncisus est posteaquàm deliquit? Cur Abel, neque sabbatū obseruauit, neq; circuncisione usus est, & tamen Deo placuit? Cur Enoch, Noah, Melchisedech, Lot, probauit Deus sine circuncisione? Abraham autem tametsi circuncisus sit, tamen ante circuncisionem placuit: Acceperat, inquit, circuncisionem quæ esset signum temporis illius, non in salutis prærogatiuam.

Sic tam circuncisionē primā carnalem, quàm legē, cessaturam fuisse, & nouam exhibendam, Cyprianus aliquot testimonijs probauit, ut Esaiæ secundo: De Sion prodibit lex, & sermo Domini de Hierusalem, Matthæi tertio: Hic est filius meus dilectus: hūc audite, &c.

Sic & Sabbatum & sacrificia temporaria fuisse, cùm æterna & spiritualia Deus requirat, probat. Imò & sacerdotium uetus nouo & æterno sacerdotio cedere oportuisse, iuxta illud: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, &c. Et primo Regum secundo: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, &c.

Historiam deniq; de Christo, & natiuitatem & aduentum Christi, regnum, paßionem, mortem, gentium uocationem, &c. permulta probant Scripturæ testimonia, maximè uerò Cyprianus aduersus Iudæos libro secundo.

DE GENTILISMO.

MAnsit & gentilismus paßim in toto terrārū orbe, imò etiā in plerisq; locis ad quæ religio Christiana peruenisset. Recitat autem inter cultus idololatricos Tertullianus, in libro de idolatria, ornatū statuarum, templorū & ararum ædificationes, sacrificia, spectacula, et dies festos. Libro uerò quinto contra Marcionē, mortuorū cultus idololatriam uulgi philosophorū uocat. Meminit & initiationis Mithræ seu solis, in fine libri de Corona militis. Mithræ miles, inquit, cùm initiatur in spelæo, in castris uerè tenebrarū, coronam interposito gladio sibi oblatā, quasi Mithrū martyrij, dehinc capiti sui accōmodatam, mouetur obuia manu capite depellere, et in humerum, si forte, trāsferre, dicens, Mythram esse coronam suam. Atq; exinde nunquā coronatur: id quod in signum habet, ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramēto. Statimq; creditus Mythræ miles, si deiecerit coronam, si eam in deo suo esse dixerit.

Rursus & huius ritus, & aliorum cultuum idololatricorum meminit in libro de Præscriptionibus aduersus hæreticos. Diabolus, inquit, cuius fiunt partes interuertendi ueritatem, ipsas quoq; res sacramentorum diuinorum æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utiq; credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lauacro repromittit, & si adhuc initiat Mythræ. Signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid quod & summum pontificem in unis nuptijs statuit? Habet & uirgines, habet & continentes. Et in Apologetico: Circuit, inquit, cauponas religio mendicans: exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri: non licet deos nosse gratis, uenales sunt. Ibidem numerans aliquot prouinciarum deos, Astartem deum coli à Syris indicat. Scribit & Eusebius libro septimo, capite decimoseptimo, ad radices montis Panei, uicini Cæsareæ Philippi, quotannis certo quodam die festo, ab incolis eius loci uictimam offerri solitam fuisse, quæ mirabili dæmonum artificio subitò disparuerit.

De Ægyptiorum superstitionibus, & Aphricæ idololatria, rursus Tertullianus in Apologetico, quædam grauiter recitat: Ægyptijs permissa est, inquit, tam uanæ superstitionis potestas, auibus et bestijs consecrandis: & capite damnandis, qui aliquem huiusmodi deum occiderit. Vnicuiq; etiam prouinciæ suus deus est: ut Arabiæ Diasares, ut Aphricæ Cœlestus, ut Mauritaniæ reguli sui.

Quædam uerò quæ in Eleusinijs sacris, religiosis illis quæ Athenis celebrabantur, fiebant, exponit in initio libri aduersus Valētinianos: Quod tacent, inquit, pudor est. Idcirco & aditum prius cruciant, diutius initiant quàm consignant, cùm & portas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent. Sequitur iam silentij officium, attende: custoditur, quod tardè inuenitur. Cæterùm totum adytis diuinitas: tot siparia portarum, totum signaculum linguæ, simulachrum membri uirilis reuelatur.

Ait

Ait & de religiosa quadã flagellatione, apud Lacedæmones usitata, in libro ad Martyres, hoc modo: Apud Lacedæmones hodie solennitas maxima est, Diamastygosis, id est, flagellatio. In quo sacro, ante aram nobiles quinque adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus & propinquis, & uti perseuerent adhortantibus. Cuius sacri & in Apologetico meminit: Tantùm, inquit, honorum domui conferunt, quantum sanguinis fuderint.

Romanorum porrò religionum multiplices formas recenset in Apologia. & alicubi dicit, in ea urbe dæmoniorũ consediſſe conuentus. Inter eas est: Sacrificiũ bouis cornibus deauratis uouebatur, cuius meminit in libro de Corona militis. In Apologetico uerò hæc significat solennia fuisse Cæsarum: Focos et choros in publicum educere, uicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, uino lucem cogere, cateruatim cursitare ad iniurias & impudentias & libidines illecebres. Ibidem & de Iouis placationibus, in publicis calamitatibus, ait: Cùm ab imbribus æstiua hyberna suspendũt, & annus in cura est, uos quidẽ quotidie pasti, statimq; pransuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati, Aquilitia Ioui immolatis, Nudipedalia populo denunciatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso Deo & cœlo.

In libro de Spectaculis, ludorũ meminit, sacrorum & funebrium, qui nationum dijs & mortuis habebantur. Recitat ibidem plura ad ludos pertinentia, & idololatrica omnia esse probat.

De templo & aureo simulachro Iouis Romæ, & sacerdotibus, suprà diximus in capite de Miraculis.

Meminit & cultus Iouis per humanum sanguinem Tertullianus in Apologetico: ubi & deos deasq; per Italiam recẽset, ut Crustuminiensiũ Beluentinũ, Narniensiũ Viridianum, Æsculanorũ Ancariã, Volsiniensium Nersiã, Otriculanorũ Valentiã, Sutrinorũ Nortiam, Faliscorũ Curem, à quo cognomẽ accepit Iuno.

Habet & Eusebij historia, quam Ruffinus interpretatus est, quædam de Apollinis fano & oraculis in Alpibus, lib. 7. cap. 25. Iter ei (Gregorio) fuisse quendam per alpes dicitur, hyemis tempore: & cum peruenisset ad summum alpium iugum, niuibus repleta erãt omnia, nullũ usquam diuersorium: phanum ibi tãtùm Apollinis erat: cui succedens, transacta nocte discessit. Sacerdos uerò erat quidam phani eius, cui consulere simulachrum Apollinis mos erat, & reddere responsa poscentibus, ex quo ei etiam alimoniæ quæstus esse uidebatur. Igitur post digressum Gregorij, offerre consulta, & responsa poscere sacerdos accessit ex more, nihil inde responsi ueniebat. Repetit uictimas, silentiũ permanet. Iterum atq; iterum litat, surdis ingerit fabulã. Cumq; stupore noui silentij æstuaret sacerdos, nocte assistens dæmoniũ, dicit in somnis: Quid me illic inuocas, quò iam uenire non possum? Percontanti causam, aduẽtu se Gregorij dicebat expulsum. Quid nũc remedij daretur, cùm perquireret: ait, non aliter sibi licere ingredi locum illum, nisi Gregorius permisisset. Quibus auditis, sacerdos occupat uiam: multaq; apud semetipsum uoluens, atq; animo recusante pertractãs, peruenit ad Gregoriũ: adortusq; eum, rem pandit ex ordine: humanitatis suæ atq; hospitalitatis admonuit, querelam depulsi numinis promit, ademptamq; facultatem sui quæstus deplorat, ac reddi sibi omnia in pristinum statum deposcit. At ille nihil moratus, scribit Epistolam in hæc uerba:

Gregorius Apollini.

Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ consueuisti. Hanc epistolam sacerdos accipit, & ad phanum defert. positaq; ea iuxta simulachrum, affuit dæmon, ac dedit responsa poscenti. Tum ille in semetipsum conuersus ait: Si Gregorius iußit, & Deus ille discesßit, nec potuit redire nisi iussus, & rursum iubente Gregorio restitutus est, quomodo non multo melior isto Gregorius, cuius hic obtemperat iußis? Clausis igitur ianuis phani, descẽdit ad Gregoriũ, epistolam suam quam acceperat referens, omnemq; apud eum rei gestæ ordinem pandens, simulq; se ad pedes eius prosternẽs, rogat ut illi se Deo offerat, cuius uirtute dijs gentium Gregorius imperabat. Verùm hæc fabulosa uidentur.

Scripserunt etiam de priuatis quibusdã Imperatorũ Romanorũ religionibus ethnici, qualia hæc sunt quæ de Vario Antonino Heliogabalo Lãpridius narrat, in Heliogabali uita. Verba ipsa quia multas obiter Romanorum religiones meminerunt, adscribimus. Heliogabalus, inquit, primùm ingressus Vrbem, omissis quæ in prouincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte iuxta ædes Imperatoris consecrauit, eiq; templum fecit, studens & Matris typũ, & Vestæ ignẽ, & Palladium & Ancilia, & omnia Romanis uneranda in illud trãsferre templum: & id agens, ne quis Romæ deus, nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Christianorũ deuotionem, illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotiũ teneret. Et ibidem paulò pòst: Sacra P. R. sublatis penetralibus profanauit. Ignem perpetuum extinguere uoluit. Nec Romanas tantùm extinguere uoluit religiones, sed per orbem terræ unum studens, ut Heliogabalus deus unus ubiq; coleretur: & in penum Vestæ, quod solæ uirgines, soliq; pontifices adeunt, irrupit pollutus. Signum tamen, quod Palladium esse credebat, abstulit, & auro fictum, in sui dei templo locauit. Matris etiam Deũm sacra accepit: & adeò debachatus est, ut typum eriperet, & alia sacra quæ penitus habebantur cõdita. Omnes sanè deos sui dei ministros esse aiebat, cùm alios eius cubicularios appellaret, alios seruos, alios diuersarum rerum ministros. Cædit & humanas hostias, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam.

Idem & de lararijs Alexandri Seueri sic scripsit, in Alexandri uita: Matutinis horis Alexander in larario suo, in quo & diuos principes, sed optimos electos, & animos sanctiores, in quibus et Apolloniũ, & quantum scriptor suorum temporũ dicit, Christum, Abrahã, & Orphea, & huiusmodi deos habebat, ad maiorũ effigies rem diuinã faciebat. Virgiliũ autem, Platonẽ poëtarũ uocabat, eiusq; imaginẽ cum Ciceronis simulachro in secũdo larario habuit: ubi et Achillis, & magnorum uirorũ. Alexandrum uerò magnũ inter diuos & optimos, in larario maiore cõsecrauit.

De Au-

De Aureliani uerò Imperatoris seu religione, seu deuotione, talia prodidit Flauius Vopiscus. Victa, inquit, Zenobia, & Orientis statu recepto, Emissam uictor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio uota soluturus. Verùm illic eam formam numinis reperit, quam in bello sibi fauentem uidit. Quare & illic templa fundauit, donarijs ingentibus positis: & Romæ Soli templum, maiore honorificentia consecratum. De qua re ad Cæronium Bassum sic scripsit: Templum Solis, quod apud Palmyram Aquiliferæ legionis tertiæ, cum uexilliferis & draconario, cornicinibus & liticinibus diripuerunt, ad eam formam uolo, quæ fuit, reddi. Habes trecentas auri libras Zenobiæ capsulis, habes argenti mille octingenta pondo. De Palmyrenorum bonis, habes gemmas regias. Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi & dijs immortalibus gratissimum feceris.

Diocletianum denique Eusebius in Chronico indicauit, iussisse se ut Deum adorari. Quod ipsum in compendio Romanarum historiarum sic retulit Pomponius Lætus: cùm priores Augusti ut consules salutarentur, primus ipse uoluit adorari, uelut in eo esset cœlestis maiestas, fratrem Solis ac Lunæ se nuncupans. Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant, pòst suis manibus subleuabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus uerò edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exosculārentur: quibus etiam uenerationem quandam exhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis & margaritis: quod feciſſe etiam Claudium Caligulam memorant. Eundem ornatum miscuit uestibus, ut augustior esset. Et quum contentus esse debuisset, quibus priores fuissent, insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Hetruscis induxit, reperit ex ipso habitu uti Deus haberetur. Propémodumridem æmulati sunt postea Romani episcopi, suos calceos auro ornantes, &c. pedes præbentes exosculandos monachis, & alijs hominibus.

Habuerunt & Germani sua idola. Scribit enim Tertullianus in Apologetico, in Norico Tibilenum (hoc est diabolum) cultum esse.

Pugnauit autem contra idololatriam ethnicā Tertullianus passim in scriptis suis, ac præcipuè in libro quem hoc titulo, De idololatria, inscripsit: in quo non impiam solùm, iniustam, uanam, mendacem, à diabolo introductam, homicidium & adulterium idololatriam nominat, sed & idolorum ac statuarum artifices, multis probat peccare rationibus. Quin & ludimagistros peccare ait, tradentes pueris genealogias & fabulas fictitiorum numinum, aut nomina saltem eorum pronunciare docentes. Contendit &, illicitam esse quamcunque Christianorum cum idololatris ethnicis, seu in conuictu, seu quacunq; alia re, consuetudinem.

Rabiosa deinde in Christum & religionem Christianam conuicia Celsi illius Epicurei, qui peculiari libro inscripto, Verus, seu uerax (quod & Eusebius indicat) Christianos insectatus est, confutauit Origenes octo libris: in quorum primo, quæ impia, mendacia, impura & blasphema contra Christianos euomuerit, recenset: ut quòd contra principum leges & statuta conuentus inter se clam Christiani haberent: quòd à barbaris, hoc est, Iudæis, religionem suam & doctrinam receperint, & cum philosophis communem habeant: quòd dæmonum inuocatione & præsidio res quasdam magnas moliantur: quòd magicis præstigijs Christus omnia, quæ fecisse miranda uisus sit, effecit: & alia similia, ad quæ in sequētibus libris Origenis respondet. Insectatus est acerbis contumelijs Christianos Porphyrius etiam Siculus, atque editis Commentarijs Scripturas sacras reprehendit: sed non sine perpetua sui infamia: quemadmodum Eusebius ostendit libro sexto, capite decimonono: & Socrates historiæ Ecclesiasticæ libro primo, capite nono.

Fuit apud Imperatorem Alexandrum Seuerū (cui hanc laudem & uirtutem principe dignam Lampridius tribuit, quòd doctissimos in aula sua fouerit homines, eorumq; consilijs cùm seu de iure sibi, seu de negotijs quibusdam agendum esset, usus sit) Vlpianus iurisconsultus doctissimus & peritissimus, ipsius Seueri tutor, & (ut Lampridius ait) fidelis, quem tanquam parentem suum Imperator obseruabat. Sed quid is animi in Christianos habuit? Lactātius testis est, eum, cùm de officio proconsulis scriberet, collegisse ueterum tyrannorum aduersus Christianos edicta, ut rabiem iudicum aduersus eos inflammaret. Non poterat fortassis Alexandrum suum, ut crudelis & sanguinarius in hoc genere esset, permouere: sed ne eius pietas aliorum furorem restingueret, operam dabat. Neronis fortasse, & Domitiani, & Septimij edicta collegit. Res aduersus Christianos iam sæpe iudicans, & senatusconsulta quædam obiecit, & quicquid ad eorum conuentus dissipandos, contorqueri ex Romanis legibus potuit, cōtorsit. Extat etiamnum in Pandectis locus unus, ubi de exorcistis loquens, Christianos uidetur impostores appellare.

Fuit & Cypriano negocium cum Demetriano, ethnico illo præfecto: qui Christianis, quemadmodum alibi retulimus, causas omnium publicarum calamitatum imputandas esse dixit, ideo quòd Imperatorum religionem contemnerent. Quam insaniam refutauit peculiari scripto. Inuehitur & aliàs acerbissimè in idololatriam: ut in libro ad Quirinum, in libro de Exhortatione martyrij, ubi idola non esse deos probat: & idololatris Deum grauissimè comminari & indignari, nec facilè ignoscere, dicit.

CAPVT

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MVTATIONIBVS IN IMPERIIS POliticis.

VAriæ prodierunt Rerum publicarum quaſſationes & turbationes, ex multiplici illa imperij forma cum uno eodemq; tempore, ut Spartianus & Iulius Capitolinus ſcribunt, poſt Pertinacem interfectũ, Imperatores appellati ſunt, & Imperium diuerſis in locis regni Romani geſſerunt: primùm Iulianus Romæ, ſenatus autoritate: deinde Seuerus in Syria, Imperator factus ab exercitu: Peſcennius uerò Niger in Oriente, ubi prius cõmodi iuſſu Syriacas legiones duxerat: Clodius deniq; Albinus in Gallia. Quos omnes tamẽ Seuerus repreſſit, & rerũ ſolus potitus eſt. Sub eo Byzantiũ, quod Peſcennius occupauerat (ut Spartianus narrat) cùm cinctũ obſidione per trienniũ fuiſſet, expugnatum eſt deditione facta, poſtquã milites in eo omnes & magiſtratus cæſi ſunt: ciuitas uerò, omni libertate et dignitate ciuili adẽpta, tribunaria facta eſt, mœnibus robuſtiſſimis dirutis & euerſis, ut Zonaras ſcripſit. Poſt eam uictoriam Seuerus Parthos, Adiabenos, Arabesq; interiores, qui omues cum Peſcennio ſenſerant, bello adortus eſt, ac uicit: eorum que regiones, prouincias Romanas fecit. Ob quod Romam reuerſus, Parthicus, Adiabenicus & Arabicus cognominatus eſt, ut Spartianus ſcribit.

Fuit nec hoc ſine motu, quod aduerſus Albinum in Galliam Seuerus profectus, filium ſuum Baſſianũ Imperatorem uocauit, hac fraude & inſidijs fratrem ſuũ Getam priuans: quod & ipſum Spartianus retulit.

Albino igitur apud Lugdunũ interfecto, in Britanniam bellum Seuerus trãſtulit: ubi ut receptas prouincias ab incurſionibus Barbaricis ſecuriores redderet, uallum per centũ triginta duo millia paſſuum, à mare ad mare per tranſuerſam inſulam duxit: unde Britannici cognomen tum accepit. Factum id Euſebius prodidit, anno Imperij Seueri decimotertio, Chriſti uerò ducenteſimo & decimo.

Quartò, Antonini Heliogabali anno, urbs in Palæſtina Nicopolis, Emaus prius dicta, condita eſt, ut Euſebius & Hieronymus indicarunt: legationem pro ea ſuſcipiente Iulio Aphricano. Euſebius, anno Domini ducenteſimo uigeſimoquarto.

In Alexandri uerò Imperatoris hiſtoria, hoc ut magnum & memorabile refertur, quod ingenti apparatu in Perſas profectus, de Artaxerxe rege potentiſſimo triumphauit: tumq; Perſæ primùm ſerui apud Romanos fuerunt, ut Lampridius narrat anno Chriſti ducenteſimo uigeſimoquinto.

Mutatio memorabilis etiã ſub Imperio Maximini accidit, ubi ſenatus Romanus odio Maximini ad tuendam Rempublicã Imperatores legit, Pupienũ, Balbinum & Gordianũ. Pupieno uerò et Balbino Romæ in palatio, ut Capitolinus & Eutropius narrant, militari ſeditione occiſis, Gordianus Imperij ſumma ſolus potitus eſt, anno (ut Euſebius indicat) Chriſti ducenteſimo quadrageſimoſecundo, Gordiani uerò Imperatoris tertio.

Poſt hoc Gordianus Miſithro ſocero Perſas frequentibus prælijs uicit: ad Antiochiam, quæ in Perſis tum tenebatur, Saporem regem Perſarum fugauit. Antiochiam, Carras & Niſibin, quæ omnia ſub Perſarum imperio erant, recepit. Itaq; factum, ut totum Orientem Reſpublica Romana teneret, autor eſt Iulius Capitolinus, in hiſtoria Gordiani.

Sub Gallo deinde & Voluſiano, Æmilianus Maurus, ut Eutropius ſcribit, Imperium inuaſit in Mœſia, & Imperatores ipſos Gallum & Voluſianũ contra ſe profectos ſuſtulit. Ipſe tamen Imperium tribus tãtùm menſibus tutatus eſt.

Poſt Gallum & Voluſianum regno potitus Valerianus, anno Imperij ſui quarto, à Sapore Perſarũ rege captus & abductus eſt: apud quem in ſumma tandem infamia cõſenuit. Sapores uerò poſtea Syriam, Ciliciam & Cappadociam, prouincias Romanorum populatus eſt, ut Euſebius indicat, anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo.

Capto igitur Valeriano, Galienus ſolus imperans, luxui, ocio, tabernis, libidinibus, & omnibus turpitudinibus, quæ ne de impuriſſimo quidem lenone cogitari poſſint, deditus, imperium neglexit: & triginta tyrannis occaſiones in manus dedit, Romanum regnum diripiendi, atque inter ſe partiendi. Ibi igitur Cyriades, primus in Oriente apud Perſas Imperium ſibi arrogauit: ubi & Marcianus ſequutus, cum filijs Macriano iuniore & Quieto: Odenacus item poſt eos, cum filio Herode, & conſobrino ſuo Maronio: & aliquot annis pòſt, Odenaci eiuſdem filij Herennianus & Timolaus, cum matre Zenobia.

In Gallijs uerò imperium ſibi ſumpſerunt Poſthumus cum filio eiuſdem nominis, Lollianus, Victorinus cum filio nominis eiuſdem, Tetrici maior & iunior. Valens alius in Achaia ſe Imperatorem fecit: Piſo in Theſſalia, Æmylianus in Ægypto & Thebaide totum Imperium ſibi uendicauit. Seuerinus, Galieno in publico pernoctanti iratus, ab exercitibus in prouincijs ſumpſit Imperium. Trebellianus apud Iſauricos & in Cilicia imperauit. Celſus in Aphrica, Ponto, Thracia & Illyrico. Ne quid denique Romano Imperio contumeliæ deeſſet, Zenobia Odenaci, quemadmodum diximus, uxor, uino adhuc & laſciuijs dedito Galieno, & ſuperbè diu regnauit in Oriente, Ægypto, apud Arabes, Sarracenos & Armenios: uix deniq; uicta ab Aureliano, qui eam in triumpho duxit, & honeſtè conſeneſcere poſtea Romæ permiſit. Quin & poſt eam alia fœmina Victoria, ſeu Victorina, filijs Poſthumo, Lolliano, Mario & Tetrico interemptis, in Oriente toto imperauit. Hæc Trebellius Pollio.

Præter has uerò turbationes, etiam Germani incurſiones in Galliam fecerunt: eaq; uaſtata, in Italiam Rauennam uſque peruenerunt, Anno Galieni ſeptimo & octauo, ut Euſebius annotauit. Anno deinde

deinde sequenti, Gothi Græciam, Macedoniam, Pontum & Asiam populati sunt: Thessalonicam obsederunt, & Illyricum uastarent. Scythæ uerò Bithyniam inuaserunt, & ciuitates multas deleuerunt, peruenerunt & in Cappadociam. Quadi & Sarmatæ Pannonias occuparunt, anno Galieni decimo, ut Eusebius indicat. Quo anno etiam Germani Hispaniam obtinuerunt, & Tarracenam oppugnarunt. Parthi uerò Mesopotamiam tenentes, Syriam incursauerunt. Anno denique undecimo Galieni, Odenacus Palmyrænorum rex Persas cecidit, & ad Ctesiphontem castra posuit. Hæc omnia Pollio Trebellius. Quo teste, Claudio imperante Gothi rursus, Scytharumq; diuersi populi, Romanorum prouincias populati sunt, & in Romanum solum uenerunt Barbaricarum nationum trecenta uiginti millia. Quos omnes Claudius, anno Imperij sui primo, pepulit ac uicit. Secutus Aurelianus, anno Imperij sui primo, Tetrico (quem Gallias tenuisse suprà diximus) exercitum suum apud Catalaunias prodente, Gallias recepit, Vopisco teste: anno Christi, ut Eusebius indicauit, ducentesimo septuagesimoquarto. In qua obsidione, etiam Vindelicos obsidione barbarica liberauit. Pòst Zenobiam & Persas deuicit.

Sed nec hoc prætereundum est, Aureliano adhuc Imperante, rursus tyrannos quatuor Imperium inuasisse: ut Firmium, Saturninum, Proculum, & Bonosum: autore eodem.

Tacito uerò sexto Imperij sui mense occiso, Florianus Imperium sibi rapuit, non senatus autoritate, sed suo quodam motu, hæreditario iure Imperium sibi debere arbitratus. Post dies tamen octo, apud Tarsum interfectus est.

Anno Imperij sui primo, Probus Gallias à Barbaris & Germanis iterum occupatas, ingenti uirtute restituit, receptis à Barbaris sexaginta nobilissimis ciuitatibus, subacta etiam in prouinciam Germania tota.

Eiusdem anno quarto, Saturninus magister exercitus, nouam Antiochiæ ciuitatem condere orsus, & imperium in Oriente inuadere molitus, Apameæ à Probo superatus, occisus est. Post quem sublatum, cùm Proculus & Bonosus apud Agrippinam in Gallia imperium arripuissent, omnesq; sibi Britannias, Hispanias, & Braccatæ Galliæ prouincias uindicarent, barbaris se iuuantibus uicit.

Gallijs igitur liberatis, Illyricum petijt, & Rhetias pacatas reliquit. In Illyrico Sarmatas cæterasq; gentes ita confudit, ut sine bello propèmodum cuncta reciperet: quæ illi diripuerant. Iter deinde per Thracias instituit, atque omnes Geticos populos aut in deditionem, aut in amicitiam recepit. Quibus confectus, Orientem petijt, & Isauriam liberauit. Pacatisq; omnibus Pamphiliæ partibus, cæterarum que prouinciarum, quæ Isauriæ uicinæ sunt, ad Orientem iter flexit. Blemyas etiam subegit. Ioppen præterea & Ptolæmaiden urbes, barbarico iugo liberatas, Romano addidit Imperio. Dehinc pacem cum Persis fecit: Gepidos, Gautumos & Vandalos per totum penè orbem pedibus & nauigando uagantes, nec parùm molestiæ Romanæ gloriæ inferentes, diuersis uicibus, uarijsq; uictorijs oppressit.

Probum Carus secutus, bellum Persicum, quod incœptum Probus imperfectum reliquerat, aggressus est, remisso ad Gallias tuendas Carino filio: Numerianum uerò (cum eo enim simul imperauit) secum duxit. In eo bello Mesopotamiam recepit: & omni Parthorum regione uastata, Persis etiam occupatis, Seleuciam & Ctesiphontem nobilissimas urbes cepit. Hæc omnia Vopiscus & Eusebius.

Incidit & in Diocletiani principatum memorabilis mutatio. Is enim primùm socium regni assumpsit Maximianum Herculium, anno Imperij sui altero: quo mox Gallias rusticorum, qui se Bagaridas nominabant, multitudine infestatas, liberauit: atque inde Aphricam profectus, Gentianos uicit.

Deinde uterque generum suum, Diocletianus quidem Maximinum Galerium, Herculius uerò Constantium Chlorum, anno Imperij Diocletiani quinto, ut Eusebius & Pomponius Lætus indicant, fecerunt Imperatores. Cùm tertio antè anno Carnusius, ut Eusebius habet, seu (ut Lætus) Graußius purpura sumpta, Britannia occupasset: quæ decimo demum, postea quàm defecerant, anno, receptæ sunt. Quo anno etiam Narseus, seu (iuxta Lætum) Narses, Orienti bellum intulit.

Anno Diocletiani quarto, sic Eusebius in Chronico habet: Lætus uerò, Quinquagenarij (inquit) & supra eum numerum annorum hi milites fuerunt: qui Aphricam diripiebant. Quinquegentiani Aphricam infestarunt, & diripuerunt, regnum affectantes, ut Eusebius ostendit. Quinto uerò anno Achilleus Ægyptum obtinuit: propter quod Constantius & Galerius Cæsares assumpti sunt, ut diximus. Anno septimo Busiris & Coptus (Copos habet Pomponius) diuites & populosæ urbes, Thebis uicinæ, rebellionem contra Romanos mouentes, ad solum usque subuersæ sunt. Octauo uerò Imperij eius anno, Carporum & Basternarum gentes, in Romanum solum translatæ sunt. Decimo anno, Alexandria cum omni Ægypto, quæ per Achilleum ducem à Romanis defecerat, octauo obsidionis (cuius etiam Eusebius meminit libro septimo, capite trigesimosecundo) mense, à Diocletiano capta est: cæsis ubique defectionis autoribus, plurimisq; per omnem Ægyptum grauibus persecutionibus exilijsque uexatis, anno Christi ducentesimo nonagesimooctauo. Quæ uerò in Oriente Narsus occupauerat, Galerius Maximinus recepit: Assyriam præterea, expugnata Ctesiphonte, Romanis subiecit: & prouincias quinque trans Tigritanas, quæ à Traiani usque tempore à Romanis defecerant, subegit, & Imperio adiecit.

Atque sic eo tempore, res in Oriente toto compositæ sunt. Hæc Eusebius, & Lætus: qui de magnitudine imperij Romani sub Diocletiano, etiam hæc tradidit. Ab ortu, inquit, ad Iudæos usque propagari Imperij fines, non Euphratis, non Tigris uetuere, non superbæ Regum Persarum minæ. A meridie,

Æthiopes

Æthiopes per legatos acceſſere. Ab Aquilone, Barbaræ ferǽq; nationes Sarmatarum domitæ. Ab occaſu Genſoriacus Oceanus, admirabilis uictoriæ teſtis eſt, ſimul & Britannicus. Toto igitur terrarum orbe undique Romana arma uictorias illuſtres aſſecuta ſunt. Perſæ armis Romanorum cedere conſſi, intra poſitos terminos ſe tenuerunt. Poſt tot uictorias, maximus à Senatu triumphus Diocletiano decretus eſt.

CENTVRIÆ TERTIÆ FINIS.

LOCORVM S. SCRIPTVRAE IN TERTIA CENTVRIA EXPLICATORVM INDEX.

Primus numerus paginam, Secundus uersum significat.

GEnes.1. Et uidit Deus lucem, quia bona est 201.30
2 Crescite & multiplicamini 239. 26 & 240.57
3 Adam ubi es? 240.9 Terra es, & in terram ibis 68.22
6 Videbant filias hominum 75.44
9 Sanguinem animarum exquiram de manibus uestris 66.33
25 Duæ gentes in utero tuo sunt 309.17
49 Lauabit in uino stolam suam 132.45
¶ Leuit.21 Homo in quo fuerit macula per uitium, non accedat offerre dona Deo 206.22
¶ Num. 16 Separamini à tabernaculis hominum iniustorum 206.30
¶ Exo.3 Ego sum qui sum 37.47 Ego sum deus Abraham Deus Isaac, & Deus Iacob 37.44
¶ Deut.6 Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est 37.41
30 Dedi ante faciem tuam uitam & mortem. 77.59 Elige tibi uitam 47.17
¶ 1.Reg.2 Suscitabo mihi sacerdotem fidelem. 309.55
3 Reg. 18 Aut enim Deus deus est, aut Baal deus est 201.36
¶ 2. Par.6 Tu solus nosti corda hominũ 46.32
¶ Tob.4 Eleemosynis & fide purgantur peccata 81.4
¶ Iob. 19 Quis dabit ut scribantur sermones mei, & ponantur in libro? 90.3
25 Nemo mundus à sorde, nec infans unius diei 259.7
38 Cum me laudarent simul astra matutina. 44.37
¶ Psal.23 Calix tuus inebrians quàm præclarus est 132.54
33 Omnia quæ intra me sunt 264.48 Verbo Domini cœli firmati sunt 38.3
37 Gressus hominis à Domino diriguntur. 49.59
40 Peccatori uerò dixit Deus: Vt quid tu annuncias iustificationes meas? 270.39
50 Si uidebas furem, currebas cum eo 169.56
96 Confundantur omnes qui adorant sculptilia 212.13
110 Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. 309.54
115 Cõuertere anima mea in requiem tuã 305.10
116 Calicem salutaris accipiam 21.33 Pretiosa mors sanctorum eius 21.53
¶ Prouerb.8 Venite, edite panem meũ 132.44
10 Qui nititur in falsis, pascit uentos 196.9
¶ Ecclesiastæ 1 Quid est quod fuit? id quod futurum est 264.3
¶ Sap.1 Dominum in simplicitate cordis quærendum 69.53
3 Iustorum animæ in manu Dei sunt 68.2 Et si coram hominibus tormenta passi sunt. 21.54
¶ Eccl.3 Sic eleemosyna extinguit peccatũ 81.6
15 Ecce posui ante te bonum & malum 77.19
¶ Esa.2 Ex Sion exibit lex 51.47 Et sermo Domini de Hierusalem 309.48
4 Abluet Dominus sordes filiorum ac filiarum Sion 265.45
6 Sanctus Sanctus Sanctus 37.10
43 Etiamsi per ignem transeas, flamma non uret te 87.40
51 Cœli ut fumus liquescent 43.46
63 Quare rubicũda sunt uestimẽta tua? 132.46
66 Hæc omnia elegerunt in uijs suis 25.4 Erit cœlum nouum, & terra noua 263.60
¶ Hier.1 Sermo qui factus est super Hieremiam à Domino dicens: Audi, &c. 38.35
¶ Ezech.13 Væ illis qui ex cordibus suis uaticinantur 24.55
36 Aspergam super uos aquam mundam 58.1. & 82.53
¶ Oseæ 2 Vocabo non populum meum, populum meum 309.19
¶ Abacuc 2 Iustus ex fide sua uiuet 55.35
¶ Malach. 1 In omni locò sacrificate nomini meo 60.2
¶ Matth. 3 Potest de lapidibus suscitare filios Abrahæ 89.14 Hic est filius meus dilectus, hunc audite 309.49
5 Vos estis sal terræ 197.10 Qui uoluerit tunicam tollere, concede ei pallium. 183.30
7 Non omnis qui dicit mihi Domine Domine. 189.3
10 Nolite timere eos qui corpus occidunt 22. 22.6 Qui non est mecum, aduersus me est. 197.54 & 199.13 & 200.57
16 Beatus es Simon Bariona 93.34
19 Nolite paruulis prohibere, ut ad me ueniãt 83.16 Sunt eunuchi 266.38
22 Et quæ sunt Dei, Deo 64.27 Erunt sicut angeli Dei 88.27
24 Cœlum & terra transibunt 41.46
26 Sed non sicut ego uolo 61.22
28 Ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti 197.16.46. & 199.56 Sum uobiscum omnibus diebus 21.50
¶ Marci 5 Fides tua te saluam fecit 52.54
13 Multi dicent, Ego sum Christus 189.4
¶ Lucæ 7 Remittuntur ei peccata multa 52.54
10 Christus septuaginta discipulos elegit, & emisit 179.55
17 Regnum Dei intra uos est 81.51 & 240.14
23 Domine memento mei 52.45
¶ Ioan.1 In principio erat uerbum 38.41 Verbum caro factum est 263.10
3 Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei 196.37 Nemo potest aliquid accipere, nisi datum ei fuerit de cœlo 202.44 Quod natum est de carne, caro est 196.51

4 Qui biberit ex aqua quam ego do ei 562. 7
5 Ecce sanus factus es, uide ne quid pecces. 81.7 & 247.50
8 Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. 48. 23
9 Deus peccatorem non audit 203.2
10 Pater qui me misit, maior est omnib. 262.59
12 Qui amat animam suam, perdet eam 22.5
14 Ego sum ueritas 200.6 Pater maior me est 72.39 Et alium paracletum dabit uobis 41.55
15 Ego sum uitis uera 132.39
16 Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis 61.27
17 Hæc est uita æterna 259.29
¶ Act.5 Deo magis obediendum est, quàm hominibus 64.33
19 Baptisati sunt in nomine Domini Iesu 190.5
¶ Rom.1. Qui factus est ei secũdum carnem ex semine Dauid 257.51
3 Arbitramur iustificari hominem per fidem 52.39 Est enim Deus uerax 201.54
8 Creatura uanitati subiecta 264.29 Non sunt dignæ passiones 21. 42
10 Finis legis Christus est 259.22
11 Cæcitas ex parte Israel contigit 89.8
13 Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit 64.30
14 Quod non est ex fide, peccatum est 54.27
15 Omnia quæ scripta sunt, ad doctrinam nostram scripta sunt 180. 52
16 Deus conteret Satanam sub pedibus uestris 76.24
¶ 1 Corint.1 Christus factus est nobis iusticia à Deo 259.28
5 Cum eiusmodi nec cibum sumite 240. 48 Pascha autem nostrum pro nobis immolatus est Christus 274.16
6 Quia iudicia habetis uobiscum, quare non patimini iniquitatem? 183.27 Qui adhæret Domino, unus spiritus est 247.8 Sed abluti estis, sed sanctificati estis 56.59
7 Vt qui habent uxores, sint tanquam non habentes 240.39
8 Cibus nos non commendat Deo 65.26
11 Quotiescunq; ederitis panem istum 247.22
14 Cui melius fuerit reuelatum, ei cedendum est 190.55
15 Corrumpunt bona ingenia confabulationes prauæ 169.24 Destruetur nouissimus inimicus 76.32
¶ 2 Cor.4 Is qui intus est, renouatur de die in diem 56. 46
11 Solicitudo omnium Ecclesiarum 153.18
¶ Gal.3 Quotquot in Christo baptisati estis, Christum induistis 57.4
5 Manifesta enim sunt opera carnis 196.55
¶ Eph.4 Nolite contristare Spiritum sanctum 258.17 Vna fides, unum baptisma 19. 26 & 165.47 & 196.49 & 203.24
¶ Phil.1 Siue per occasionẽ, siue per ueritatem, Christus annuncietur 188.44
2 Semetipsum exinauiuit, formam serui accipiens 263.6
¶ Col.1 Pacificãs per sanguinẽ crucis suæ 73.4
2 Ne quis uos circũueniat per philosophiam. 69.49 & 70.10
¶ 1 Thessal.4 Omnes rapiemur in occursum. 88.44
¶ 1 Tim.1 Episcopum oportet esse sine crimine 206.24
5 Non cõmunicandum peccatis alienis 201.
20 Vidua quæ in delicijs est, uiuens mortua est 179.7
¶ 2 Tim.2 Si compatimur, & conregnabimus 22.10
¶ ad Tit.3 Hæreticum hominem deuita 169.25
¶ Heb.6 Impossibile est eos qui semel illuminati sunt 81.62
¶ 1 Pet.4 Sitis probati dispensatores 225.60
5 Et filius meus Marcus 90.53
¶ 1 Ioan.2 Ex nobis exierunt 197.56
2 Ioan. Qui enim dixerit illi, Aue, cõmunicat factis eius malis 204.35
¶ Apoc.20 Beatus qui habet partem in resurrectione prima 267.19

RERVM ET VERBORVM IN TERTIA CENTVRIA MEMORABILIVM INDEX.

A

ABdon & Sennas martyres sub Decio 296.52
Abel iustus occisus 21.61
Abel sine circumcisione placuit Deo 309.38
ablutio pedum sanctorum, exercitiũ Christianorũ 139.27
abnegatorum pœnæ 20.39
Abraham ante circũcisionem placuit Deo 309. 41 quomodo fide Deo credidit 53. 11
Abraham Deus domesticus Alexandri Seueri 312.56
absolutio à peccatis quomodo collata à ueteribus 127. 28 quo ritu facta 130.10
Abundus martyr sub Decio. 302. 57
abyssus cur conturbata 69.20
abyssum pro tartaro intelligere Origenem 74.50
de Accusatis inquirendũ 311. 36
Achillæ presbyteri Alexandrini uita 235.6
Achilleus quando Aegyptum obtinuerit 318.34
acoluthi officij ubi fiat mentio 149.53
acoluthi in Ecclesia Romana quot 150.3
ἀνεξικακία locus pœnitentiũ 128.58
actiones in conuentibus quæ fuerint usitatæ 121.60
